This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

Collegij Societ.ᵗᵃ Iesu. Monachij. Aᵒ. 1626.

R. P.

ADAMI TANNERI
SOC. IESV,

THEOLOGIA SCHOLASTICA.

TOMVS PRIMVS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Vniuersa

THEOLOGIA SCHOLASTICA,

Speculatiua, Practica,

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa;

AVTORE

ADAMO TANNERO,

E Societate Iesv, S. Theol. D. & in Academia Ingolstad. Professore.

Opus nouum, & nunc primùm editum.

Cum triplici indice.

INGOLSTADII.

Impensis Ioannis Bayr. ciuis et Senat. Ingol. Typis Guilielmi Ederi.

ANNO

M.DC.XXVI.

M. Kager Inuent. Cum gratia et priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis. Wolf. Kilian scalp.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

INVICTISSIMO ET AVGVSTISSIMO
CÆSARI

FERDINANDO II.

ROMANORVM IMPERATORI P. F. P. P.

GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ REGI, &c.

ARCHIDVCI AVSTRIÆ,

DVCI BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, WIRTEMBERG. &c.

COMITI TYROLIS, &c.

INter ingentes curas Christiano orbe maiores, INVICTISSIME CÆSAR; nec minores successus, fælicitatem, gloriam, quas cum pari pietatis studio, in Maiestate Vestra vniuersus orbis admiratur, & deprædicat: apporto ego, ex Ingolstadiensi agro, colonus, exiguam sportulam, ac leuidense munus: quale olim etiam magnos Reges à rustica manu oblatum non respuisse, veteres ac recentiores historiæ collaudant; non tanquam fesso solatium; sed vt victori & triumphatori hostium, rebelliúmque domitori, gratulantis animi exiguum symbolum.

Non ego is sum, neque locus hic patitur, AVGVSTISSIME CÆSAR, vt Maiestatis Vestræ, vel aduer-

sus hostes ac perduelles, triumphos ac trophæa; vel in Ecclesiam vniuersam, ac totum Romanum Imperium, Societatémque nostram vbiuis locorum, præclara merita commemorem: quibus explicandis neque integra librorum volumina, neque vlla Oratorum ingeniorúmque disertissima vis par esse possit. Satis est, hæc publica sciri; mihi priuata loqui.

Scio, quondam, in floridiore ætate, assiduâ frequentatione Maiestatis Vestræ, ac studio, per integrum quinquennium continuato, nobilitatum fuit Ingolstadij LYCÆVM, GYMNASIVM, COLLEGIVM; eorum memoriam & affectum, necdum penitus ex animo Maiestatis Vestræ obliteratum esse: ita ingenti dignatione, lætam ac libentem de ijs meminisse, ipse præsens comperi: tanquam sibi tanta Maiestas gratularetur, post tot annos denuo conspicere aliquem, qui & studiorum Ingolstadij testis, & in eadem politicæ disciplinæ palæstra, si fas est dicere, colluctator fuisset.

Sed & prostat etiamnum hodie, in æde sacra Ingolstadiẽsis Collegij, præter auro, argentóq; intertexta altarium stragula, Græcio transmissa, vastum illud in honorem S. Crucis splendidè erectum ALTARE, quod ab auro Maiestatis Vestræ magnificè fulget. Exstat in Academiæ ærario eiusdem Maiestatis Vestræ, Ingolstadio valedicentis AV-

REVM

REVM DONVM; Auſtriacæ munificentiæ non ignobile monumentum. Exſtant in Archiuo Gymnaſij noſtri illa QVINQVENNALIVM emblemata, exigua illa quidem, ſed vera tamen laudum plurimarum, ac meritorum eius in Academiam Ingolſtadienſem ſymbola, quæ olim ex ſtudijs, ad capeſſendum paternum ſceptrum, fæliciter abeuntem proſecuta, etiamnum ſubinde à benigniſſimis, ſereniſsimiſque Maieſtatis Veſtræ oculis, velut à ſole ſplendorem accipere dicuntur.

Hæc Maieſtatis Veſtræ aduerſus Ingolſtadium, Collegiúmque noſtrum, gratioſiſsimi fauoris ac munificentiæ clariſsima documenta, (vt taceam, quantum progreſſu temporis, cum ætate, potentiâ, & gloriâ Maieſtatis Veſtræ, in vniuerſam Societatem noſtram beneficentia creuerit, nullius vnquam facundiâ ſatis collaudanda) exſtimularunt animum meum diu cunctantem, vt auderem conditione mea maiora.

PRIMVM ſcilicet TOMVM quadripartiti operis Theologici, quod dudum meditatum, & iam tunc ab anno M. DC. XVIII. tragico illo quidem, ſed iam nunc, quæ Dei gratia eſt, in lætam cataſtrophen verſo, inter armorum tumultus, Viennæ Profeſſor moliri cœperam; ſed auocante armis inimicâ Pallade, Ingolſtadij Deo bene iuuante abſolui, Maieſtati Veſtræ humillimè offero, dico,

consecr[illegible]opellam quidem à me collatam spectare libet, exile munus, & dantis conditioni admensum: at si argumentum, quo de agit, nulli postponendum, & humana quauis Maiestate superius.

De Deo nimirum vno, trino, Conditore, & Moderatore rerum omnium agit, eiúsque tum cæteras perfectiones, tum imprimis admirabilem PROVIDENTIAM ob oculos ponit: quæ, vti Scriptura loquitur, *attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: quæ prout iustum arbitratur, *mortificat & viuificat; deducit ad inferos, & reducit: humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Quæ etiam ipsissima est origo, tam FÆLICITATIS & GLORIÆ Maiestatis Vestræ, quam euersionis & ignominiæ hostium ac perduellium; qui, vt infidis quondam fratribus placidissimus respondebat Iosephus, *cogitarunt* quidem, & machinati sunt aduersus Maiestatem Vestram *malum*, imò exitium; sed *Deus vertit illud in bonum*, vt & magis *exaltaret ipsam; sicut in præsentiarum* gratulabundi *cernimus; & saluos faceret multos populos.* Ille scilicet Deus est, qui æquissimâ suâ prouidentiâ *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*: qui *sedes Ducum superborum destruxit; & sedere fecit mites pro eis: radices superbarum gentium arefecit, & plantauit humiles ex ipsis gentibus.* Vt discant omnes, *potestatibus sublimioribus* subditi esse & *dominationem* non *spernere*, nec *Maiestatem blasphemare*; sed vt par est, debitis obsequijs colere & venerari.

Sap. 8. v. 1.

2. Reg. 2. v. 6. Psal. 137. v. 6.

Genes. 50. v. 20.

Luc. 1. v. 52.

Eccles. 10. v. 17.

Epist. Iud. v. 8.

Hanc ergo, INVICTISSIME CÆSAR, Diuinæ pro-

uiden-

uidentiæ ac gubernationis ſummam æquitatem, in bonos benignam, aduerſus arrogantes ac proteruos horribilem, fontem omnis veræ fælicitatis, ego Maieſtati Veſtræ contemplandam humillimè offero: non quod meos labores in his rebus exponendis poſitos, Maieſtatis Veſtræ oculis dignos exiſtimem; ſed quia dignus eſt ille MAGNVS DEVS, cuius honori ac gloriæ, etiam è minimis rebus promouendæ, omnis humana gloria ac Maieſtas deſeruiat: optima ſpe fretus, Maieſtatem Veſtram hoc gratulationis obſequium, ab humillima mentis veneratione profectum, pro ſua, quam etiam hoſtes experiuntur, clementia ac lenitate, non aſpernaturam. Nos viciſsim DEVM OPTIMVM MAXIMVM enixe precabimur, vt Maieſtatis Veſtræ gloriam ac fælicitatem non ſolum perpetuam eſſe velit; ſed etiam quotidie maioribus incrementis amplificet. Ingolſtadij è Collegio Societatis IESV, ipſo fauſto feſtóque Epiphaniæ die, Anno M. DC. XXVI.

Maieſtatis Veſtræ

Infimus ſeruus

ADAMVS TANNER.

Digitized by Google

AVTHOR AD BENEVOLVM LECTOREM.

Antequam ad huius operis quadripartiti lectionem accedas, amice Lector, operæ pretium existimaui, pauca quædam, tum de scopo eiusdem operis, tum de methodo, ac vniuersa scribendi ratione admonere. Et quod ad primum attinet, scopus & institutum eius operis fuit, totam Theologiam Scholasticam, tam practicam, quàm speculatiuam, prout à S. Thoma Aquinate, Theologorum Principe, in Summa eiusdem Theologica, itidem quadripartita, & ab iis, qui eum posteà secuti sunt, Scholæ Theologis pertractari solet, quatuor tomis, totidem partibus Summæ iusdem S. Thomæ respondentibus, ita explicatam tradere; vt neque prolixitas & magnitudo operis, vel in legendo laborem, vel in comparando sumptum, intolerabilem eius facultatis studiosis redderent; neque etiam nimis concisa breuitas rem non satis explicatam relinqueret: quem quidem tractandæ Theologiæ modum, etsi post tot, & tam varias, eásque eruditissimas diuersorum Authorum elucubrationes, à multis non sine ratione desiderari, dudum animaduerti.

Etenim post S. Thomam, & Veteres illos, in Scholastica Theologia Antecessores, viros ex omni gente, & natione doctissimos; in quibus speciatim è Germanis etiam maiore nominis gloria celebrantur, Hugo Victorinus, Albertus Magnus, Henricus Gandauensis, Thomas de Argentina, Dionysius Carthusianus, Gabriel Biel, Conradus Koellin, Ioannes Eckius &c. tres quasi classes scriptorum in Theologiam Scholasticam hodie est reperire. Primam eorum, qui exacte quidem, sed pro vsu studiosorum, prolixius rem hanc pertractarunt; vti præter Molinam, sunt imprimis Suarez, & Vasquez, Societatis nostræ magni Theologi, & hoc tempore, quidam quasi Theologorum Corybæi, & Antesignani; qui in singulas partes S. Thomæ plures, ac bene magnos Commentariorum tomos ita scripsere, vt tamen in plerisque Scholasticis controuersiis, non absque singulari, vt existimo, Diuinæ prouidentiæ nutu, veritatis magis illustrandæ causa, inter se perpetuo dissentirent; nec tamen vniuersam Theologiam absoluerent.

Secunda classis est eorum, qui breuiore scribendi ratione vsi, non tam commentarios in Theologiam, quam breuia quædam eius compendia, ac velut Epitomas euulgarunt; vtiles quidem in suo genere; sed pro rei magnitudine & obscuritate, ad plenam eruditionem comparandam, vti plures sentiunt, non admodum sufficientes.

Tertius ordo est illorum, qui inter vtrumque extremum mediocritatem consectati, vtilissimam Theologiæ studiosis operam præstiterunt; in quibus laudem eximiam meritus est, meus olim, sub ipsum Theologici studii ingressum, in Collegio Ingolstadiensi Præceptor, Gregorius de Valentia; qui quatuor commentariorum tomis totidem S. Thomæ partes illustrauit. Ex quibus sane fatendum est, id ipsum moderatum scribendi genus, ad quotidianum vsum & commoditatem studiosorum Theologiæ, accommodatissimum esse; vt quibus nec concisa admodum breuitas ad excellentem profectum satis esse potest; nec prolixa illa commentariorum vastitas, siue ad coemendum, siue ad comprehendendum facilis est.

Quod si post editos, à Gregorio de Valentia commentarios, nihil magnopere in Scholastica Theologia innouatum fuisset, superuacaneum fortasse videri posset, ad eum, quem diximus, vsum, nouum Theologiæ Scholasticæ opus procudere. Sed quoniam liquido constat, post eius ipsius Authoris vtilissimas elucubrationes, nouas, easdemque complures & grauissimas inter Scholasticos Doctores, de variis rebus, controuersias ac disceptationes, non sine quadam sententiarum nouitate, exortas fuisse; ita vt vere dici possit, intra triginta hos proximos annos, quoadea, quæ salua fide inter Scholasticos Doctores disputari solent, magna ex parte, nouam quodammodo Theologiam esse prognatam: mirum nemini videri debet, cur à pluribus iam annis, Theologiæ Studiosi vnum aliquem Scriptorem, moderate eodem scribendi genere vsum, requirerent; cuius Lectionem S. Thomæ scriptis, & commentariis, quæ in schola singuli excipiunt, coniungentes, ad absolutam eruditionem in Scholastica Theologia aspirare possint.

Hanc ergo Theologiæ studiosis & amatoribus operam, ac gratificandi studium præstare & exhibere in hoc opere conatus sum: in quo etsi velut schola Theologus, præcipue scholasticas controuersias persequor; non prætermitto tamen ea, quæ vel ad controuersias fidei, aduersus huius temporis Nouatores explicandas, vel ad casus conscientiæ expediendos pertinent: ita tamen, vt quoniam vniuersam

Theolo-

Theologiam Scholasticam quatuor omnino tomis complecti destinaueram, vt dictum; nec tamen iis omnia æquali accuratione persequi licebat; hæc breuius & pressius, sine vlla subinde disputatione; illa vero tanquam huius loci propria, fusius & maiori apparatu pertractem; non tantum scilicet veriorem sententiam affirmando, sed etiam varias sententias, simul cum suis authoribus & argumentis, diligenter referendo.

Ad methodum vero quod spectat, id equidem vniuersim mihi propositum fuit, vt certam quandam, stabilem, ac vniformem, ipsisque rebus, quantum fieri posset, breuiter ac perspicue explicandis, meliusque percipiendis ac retinendis accommodatam; nec tamen ab vsu schola nimis abhorrentem adhiberem. Eà de causa, in ipsis quidem principalibus partibus operis, ac generalium materiarum dispositione, S. Thomæ distributionem ac methodum secutus fui; vt quemadmodum ipse suam Theologicam summam in quatuor partes diuisit; in quarum prima agit de Deo secundum se, & vt Creatore: in secunda De Deo velut vltimo fine, mediisque ac principiis eodem conducentibus, oppositisque vitiis, in genere: in tertia, siue vti vocari solet, in secunda secundæ, de mediis ac principiis ad eundem finem conducentibus, & oppositis vitiis in specie: in quarta, quæ vocari solet tertia, de Christo Saluatore, & Sacramentis, veluti specialibus mediis salutis, ab eodem Christo institutis: ita singulis quatuor iisdem partibus, totidem huius operis tomi responderent.

Sed & in singulis tomis eandem fere, quam in suis partibus S. Thomas obseruauit materiarum principalium dispositionem obseruaui; nisi vbi particularis ratio suaderet, res à S. Thoma quidem tractatione seiunctas, sed reuera inter se connexas & affines coniungere. Itaque tractationem de Extremo Iudicio, mortuorumque resurrectione, adeoq; de quatuor nouissimis, de quibus apud S. Thomam in tertiæ partis supplemento agitur, materiis eiusdem rationis diuersis locis adiunxi: ita vt de extremo Iudicio, ac resurrectione mortuorum agerem suo loco tom. 4. disp. 2. vbi de vita Christi, Christoque Iudice tractatur: de cælis, ac beatorum statu, partim tomo 1. disp. 6. vbi de creatione mundi corporei, ac cælorum agitur; partim tomo 2. disp. 1. vbi de vltimo fine, ac superna beatitudine hominis sermo est; eò enim reuera spectat tractatio de dotibus & aureolis Beatorum: de Inferno autem eodem tom. 2. disp. 4. vbi de peccatorum effectibus at pœnis agitur. Quæ ratione etiam factum, vt tomus quartus, adeoque vniuersum hoc opus concluderetur tractatione de Sacramentis.

Cæterum quod ad quæstiones & articulos S. Thomæ attinet, non tam aliquo nouitatis studio, quam necessariis rationibus inductus fui, vt eorum ordine ac dispositione prætermissa, nouam methodum cõsectarer. I. Quia palam est, eam quæstionum & articulorum S. Thomæ distributionem, vtcunque seculis antiquioribus ideneam, his tamen temporibus, quibus ad sacram Theologiam, recentiorum Authorum ingenio ac studio, complura accesserunt, parum accommodatam esse; quando sæpe plures, non solum articuli, sed etiam quæstiones, vtpote omnis difficultatis expertes, breui aliqua notatione expediri facillime possunt: contra vero nonnunquam vnus aliquis articulus, vel quæstio, puta de Theologiæ scientia, de prædestinatione, de gratiæ auxiliis, & efficacia, de necessitate Incarnationis. &c. integram & bene longam disputationem deposcit; vti passim apud ipsissimet S. Thomæ commentatores videre est.

II. Per eam quæstionum & articulorum singulorum S. Thomæ explicationem, si, vti par est, res ipsa interim iusta disceptatione discutiatur, scriptio ipsa multo efficitur prolixior; si vero soli explicationi S. Thomæ inhæreatur, tractatio nimis ieiuna est, & concisa.

III. Multa sæpe in ea tractandi ratione, repetere est necesse; dum quæ circa explicationem S. Thomæ dicta sunt, in ipsius rei discussione denuo resumuntur: nec etiam bene commentarius S. Thomæ, sine textu eiusdem, lectori proponitur.

IV Methodus item non satis vniformis & æquabilis redditur: dum præter quæstiones & articulos S. Thomæ, quibusdam locis, nouas disputationes, aut quæstiones instituere necesse est; quales in plerisque locis velut superuacaneæ merito prætermittuntur.

V. Constat, à S. Thomæ, tum sparsim diuersis locis, tum præcipue in prima parte, vbi de anima rationali, aliarumque rerum naturalium conditione & naturis agitur, complures quæstiones mere philosophicas institui; quæ communi omnium Scholasticorum vsu, in tractatione scholastica vbique prætermittuntur, & ad philosophiam velut proprium locum remittuntur.

VI. Numerosa illa nimia, & ad minutias vsque deducta, quæstionum & articulorum multiplicatio, confundit memoriam, nec sinit vno quasi intuitu totius rei compositionem & structuram animo complecti.

Denique vtcunque in aliis partibus & locis, S. Thomæ methodus ob Scriptoris authoritatem, cordi & curæ esse debere quibusdam videatur: vix tamen vllus est, etiam ex ipsis S. Thomæ asseclis & commentatoribus, qui in supplemento tertiæ partis, vtpote peregrino, aut certe non absoluto eiusdem partu,

non

non propriam sibi methodum comporat. Quidni ergo, vt methodus vbique sit aquabilis, id etiam in reliqua tractatione iure fiat; præsertim si quis non interpretem S. Thomæ, sed rerum ipsarum tractatorem profiteatur, & agat.

Quæ causæ fuerunt, cur etiam ante me nonnulli ex Scholasticis Doctoribus vniuersim, quoad quæstiones, & articulos S. Thomæ, nouam methodum secuti fuerint; vti in Gregorio de Valentia, Albertino, & aliis videre est: alii vero, licet initio eam quæstionum & articulorum distributionē in suis Commentariis consectati sint; tandem tamen ab ea desiterunt, vti in Molina, Suarez, Vasquez, & similibus cernitur.

Quare prætermissa illa quæstionum & articulorum S. Thomæ distributione, equidem hanc methodi rationem iniui; vt primò quidem vnumquemq; tomum, pro diuersitate principalium materiarum, in certas disputationes: has in plures, pauciores ue quæstiones; denique singulas quæstiones in suas dubitationes ita diuiderem, vt simul tamen etiam in singulis dubitationibus, præsertim maioris momenti, mentem & sententiam S. Thomæ diligenter ac fideliter exponerem: adiuncto etiam ad vnumquemque tomum speciali indice quæstionum, & articulorum S. Thomæ, quo demonstraretur, quo loco operis vnaquelibet S. Thomæ quæstio, quæstionisque articuli tractarentur.

Porro ad hoc opus perficiendum (ne quis id heri primum, aut sane paucis his annis, quibus à publico docendi munere releuatus, in eam scriptionem incumbo, quasi subitariâ quadam opera, à me effusum potius, quam elaboratum existimet; præter opem Diuinam, subsidio fuit diuturnum & continuum studium, in legendis optimis quibusque scriptoribus Theologis, tam qui practicam, & cum Nouatoribus controuersam, quam qui speculatiuam & Scholasticam Theologiam tractant; tum antiquioribus, tum recentioribus, annis compluribus non ofcitanter impensum; quando toto hoc tempore annorum triginta sex, quibus per Dei gratiam in Societate dego, duobus solum annis Nouitiatus, & postremo philosophici studii, exceptis, perpetuo Theologiæ, aut discendo, aut docendo, aut scribendo tractaui. Inter Scholasticos autem, vnus inter omnes, mihi potissimum adiumento fuit S. Thomas; quem ad ceteros collatum, si fontem omnis sacræ eruditionis, dixero, nemini iniuriam fecerim.

Deinde ad hanc rem non parum mihi contulerunt prælectiones publicæ; quas & in positiua Theologia, tum fidei controuersiis, tum casibus explicandis, per sex fere annos Monachii; postea vero docendæ Scholasticæ Theologiæ, in Academia Ingolstadiensi, per quindecim annos continuos, auditoribus meis dictaui. Qui proinde etiam ex ipsa huius operis lectione deprehendent, eandem doctrinam (vix vlla sententia mutata) quam dudum in Scholis dictaueram; nunc aut iisdem fere verbis, aut fusius deductam & explicatam, ac subinde etiam nouorum Authorum seu consensu, seu dissensu illustratam, in hoc opere comprehendi: additis tamen simul etiam iis materiis, quæ in Schola doceri non solent; quandoquidem propositum fuit, nihil prætermittere ex iis, quæ in Summa S. Thomæ, ad Theologicam alioqui tractationem pertinentia, traduntur.

Ad prælectiones vero publicas accesserunt insuper variæ & frequentes, tum priuatarum, tum publicarum disputationum exercitationes; quarum documentum exstat in peculiari volumine, Anno M. DC. XVIII. Ingolstadii edito.

Denique in hoc opere perficiendo subsidio quandoq; fuerunt, præsertim vbi controuersiæ fidei aduersus Sectarios pertractantur, edita à me iisdem de rebus varia opuscula; ex quibus cum aliquid nonnunquam, plenioris doctrinæ causa, in hos tomos transfero, de meo accipio, non de alieno. Quod si quis breuitatis amans, insuper etiam breuius aliquod totius operis compendium expetet, habet is bipartitum illud, de quo superius dixi, disputationum mearum volumen typis editum; quo summatim ac breuiter omnes pene materiæ ad certas theses redactæ, velut oculos ponuntur.

In citandis vero Authoribus, tria hæc obseruare studui. I. Vt nullum fere citarem, quem non prius legerim ipse. II. Vt in rebus maioris momenti, mentem eorum propriis ipsorum verbis referrem; quod quidem in S. Thomæ doctrina proponenda, maxime curæ fuit. III. Vt in rebus etiam minutioribus, & quasi parergis principalium assertionum, quæ ab authoribus alioqui communiter non traduntur, sed vnius quasi propria sunt effata, non facile quidquam sine authore dicerem. In qua re adeo nulli suam laudem inuidi, vt si forte non nemini idcirco nimiam exilis, & quasi superstitiose religiosus videbor, eam tamen diligentiam syncerit atemque nemo iure possit reprehendere. Quia tamen diuersæ authorum editiones exstant, & nunc etiam quotidie nouæ editiones, mutatis prioribus distinctionibus, recuduntur, sciat Lector, me plerumque antiquioribus, at nonnunquam tamen diuersis editionibus, prout ad manus erant, vsum fuisse: omnes enim editiones nec habui ipse, nec si haberem, otium erat consulere.

Postremo circa delectum opinionum, id mihi semper curæ fuit, vt nulli nec Secta, nec Authori me

mancipa-

manciparem; sed libere in veritatis inuestiganda, actuenda studium incumberem; firmiora, solidioraque deligendo: qualia quidem vt plurimum sunt illa, quæ à S. Thoma docentur; quem etiam velut peculiarem Doctorem sequi in Constitutionibus nostris iubemur; non ita tamen, quin aliquando ab ipso recedere liceat, si veritas alibi potius inueniatur. Interim diuersa à me sentientes, ea modestia refero & refello, vt nec personis ipsis, nec earum opinationibus, quantum res patitur, authoritatis quidquam adimam. Quare, vti neminem existimo iure offendi posse; ita equidem ipse etiam ægre laturus non sum (quod alibi quoque sum testatus) si quis suum iudicium secutus, diuersam à me sententiam voluerit amplecti. Vigeat modo charitas, & vincat veritas; de cætero lector quisquis es, tuo arbitratu libere statue; Denique pro me precatus, bene vale.

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS.

VT vero Lector præ oculis habeat totius operis structuram: ecce Synopsin.

In primo tomo continentur Disputationes sex.

I. De ipsa sacræ Theologiæ scientiâ. II. De Deo, & Attributis diuinis. III. De Prouidentia, ac Prædestinatione diuina. IV. De Sanctissima Trinitate diuinarum personarum. V. De Angelis. VI. De creatione mundi corporei, tam cælestis, quam sublunaris; adeoque de opificio sex dierum.

In secundo tomo continentur Disputationes sex.

I. De vltimo fine ac beatitudine hominis. II. De Actibus humanis in genere. III. De Habitibus & virtutibus in genere. IV. De Vitiis & peccatis in genere. V. De Legibus. VI. De Diuina gratia.

In tertio tomo continentur Disputationes sex.

I. De Fide. II. De Spe, & Charitate. III. De Prudentia, Fortitudine, Temperantia, ac Virtutibus annexis. IV. De Iustitia & Iure. V. De Partibus potentialibus Iustitiæ in genere; ac speciatim de Virtute Religionis, eiusque actibus, & oppositis vitiis. VI. De cæteris Virtutibus Iustitiæ annexis, & oppositis vitiis; deque variis hominum statibus.

In quarto tomo continentur Disputationes octo.

I. De Incarnatione Verbi. II. De Oeconomia Verbi, seu præcipuis mysteriis, vitæ, passionis, mortis, & glorificationis Christi; deque eius aduentu ad Iudicium; ac statu mundi, & animarum post iudicium. III. De Sacramentis in genere. IV. De Sacramento Baptismi & Confirmationis. V. De Sacramento Eucharistiæ, & Sacrificio Missæ. VI. De Sacramento Pœnitentiæ, Indulgentiis, & Censuris. VII. De Sacramento Extremæ Vnctionis, & Ordinis. VIII. De Sacramento Matrimonii.

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV PER GERMANIAM SVPERIOREM.

CVm Tomus primus Theologiæ Scholasticæ, respondens primæ parti Summæ Theologicæ S. Thomæ Aquinatis, à P. Adamo Tannero Societatis nostræ Theologo, & in Academia hac Ingolstadiensi antehac Professore compositus, à deputatis Patribus lectus, probatusq; sit; ego Gualterus Mundbrot, Societatis IESV per Germaniam superiorem Præpositus Prouincialis, potestate ab admodum R. P. Mutio Vitellesco, eiusdem Societatis Præposito Generali, ad id mihi concessa, typis in lucem vulgari permitto. In cuius rei fidem, hoc testimonium chirographo, sigilloque nostro munitum dedi. Ingolstadii 18. Iunii Anno 1624.

GVALTERVS MVNDBROT.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ INGOLSTADIENSIS.

THeologicum opus hoc, Summæ Diui Thomæ de Aquino respondens, ab Admodum R. P. Adamo Tannero Societatis IESV, SS. Theologiæ Doctore, ac in diuersis celeberrimis Vniuersitatibus Professore conscriptum; à complurib⁹ Theologis lectum, atque ob eruditionis vberrimæ præstantiam, accuratissimamque docendi rationem, ab omnibus approbatum; ego quoq; approbo; & (quia vniuersis S. Theologiæ studiosis maxime profuturum videtur) luce publica dignissimum iudico.

LEO MENZELIVS, SS. Theologiæ Doctor, & Professor; Vniuersitatis Ingolstadiensis, Procancellarius, &c. loco ac nomine Theologicæ Facultatis Decani.

Potestas

Potestas

BIBLIOPOLÆ FACTA,

A. R. P. PROVINCIALI SVPERIORIS GERMANIÆ SOCIETATIS IESV.

CVm Sacræ Cæsareæ Maiestatis Decreto, omnibus & singulis Typographis, & Bibliopolis, ac alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra S.R. Imperij, Regnorum, & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hereditariorum, fines, simili, vel alio characterisgenere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, & distrahere, clam, seu palam, citra iudicium, ac testimonium supradictorum Patrum, audeat, vel præsumat: Concedo ego Gualterus Mundbrot, Societatis IESV per Germaniam Superiorem Præpositus Prouincialis, (potestate mihi ad id facta ab admodum Reuerendo P.N. Generali Mutio Vitelleſco) Ioanni Bayr, Ciui & Senatori Ingolstadiensi, impensasque typographicas facienti, vt per Guilielmum Ederum Typographum Ingolstadiensem, excudendum curare, excusumque distrahere liberè possit (nemine ius eius interuertente) primum tomum Scholasticæ Theologiæ, à P. Adamo Tannero Societatis IESV Theologo conscriptum, atque à deputatis ad id Theologis lectum, & approbatum. In quorum fidem hoc ei testimonium dari curauimus, manu sigilloque nostro consignatum. Ingolstadij 21. Nouemb. Anno M. DC. XXV.

Gualterus Mundbrot.

INDEX

INDEX DISPVTATIONIS I.

DE IPSA SACRÆ THEOLOGIÆ SCIENTIA secundum se.

Quæstio I. De existentia, necessitate & vtilitate S. Theologiæ.

Dubium I. *Vtrum præter Philosophicas & naturales disciplinas necessaria sit in Ecclesia militante alia doctrina Theologica & reuelata; & quis Theologiæ secundum substantiam spectatæ necessitatis modus & ratio.*

II. *An & qua ratione Theologia etiam Scholastica Ecclesiæ necessaria & vtilis sit.*

III. *An & quo modo necessaria sit ad salutem doctrina reuelata & Theologica, etiam de ijs rebus, quæ de Deo naturali ratione inuestigari possunt.*

Quæstio II. De S. Theologiæ genere, tam proximo, quàm remoto.

Dubium I. *Vtrum Theologia sit habitus adhæsiuus, atq; argumentatiuus.*

II. *Vtrum Theologiæ habitus sit opinio, aut fides; seu diuina, seu acquisita.*

III. *Vtrum Theologia sit scientia propriè dicta.*

IV. *Vtrum Theologia sit scientia subalternata scientiæ Dei aut beatorum.*

V. *Vtrum Theologia propriè sit sapientia.*

Quæstio III. De subiecto siue obiecto S. Theologiæ.

Dubium I. *Quodnam sit obiectum totius Theologiæ formale Quod, siue attributionis.*

II. *Quodnam sit eius obiectum Quo; seu ratio formalis obiectiua Qua, seu propter quam.*

III. *Vtrum præter rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter quam, assignanda sit alia Theologiæ ratio formalis sub quâ, & quænam illa sit.*

Quæstio IV. De proprietatibus & attributis S. Theologiæ.

Dubium I. *Vtrum Theologia habitus sit naturalis & acquisitus, an supernaturalis & infusus.*

II. *Vtrum Theologia sit vnus habitus, seu vna scientia, an verò plures.*

III. *Vtrum Theologia sit scientia speculatiua, an practica.*

IV. *Vtrum Theologia certitudine alijs habitibus & scientijs naturalibus antecellat.*

V. *Vtrum Theologia dignitate eisdem simpliciter superet.*

Quæstio V. De principijs siue locis Theologicis.

Dubium I. *Quot & quinam sint vniuersim loci ac sedes principiorum Theologicorum; & quænam singulorum ratio.*

II. *Quotuplex sit Scripturæ sensus, & quàm ad argumentandum efficax.*

III. *An etiam Conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut vnâ reuelatâ & alterâ naturaliter euidente, possit esse principium Theologicæ argumentationis.*

IV. *An etiam sequatur conclusio necessaria, seu certa de fide; si in discursu Theologico præmissa naturalis sit vel de inesse tantùm, vel moraliter certa.*

V. *An & quâ ratione argumenta contra fidem possint solui.*

Digitized by Google

TOMVS I.

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

PRIMÆ PARTI SVMMÆ THEOLOGICÆ S. THOMÆ AQVINATIS RESPONDENS.

DE S. THEOLOGIA IN GENERE; ITEM DE DEO VNO, TRINO, ET CREATORE; EIVSQVE PRIMARIIS operibus, Angelis, Cælo, &c.

DISPVTATIO I. PROOEMIALIS.

De ipsa S. Theologiæ scientia secundum se.

S. Thom. p. 1. q. 1.
Magister & DD. in Prolog. lib. 1. Sent.

Argumentum & ordo Disputationis.

AGunt hac de re Scholastici Theologi, cum Magistro quidem sententiarum, Petro Lombardo, in Prologo, vti vocant, libri 1. sent. S. Thomas verò cum suis Commentatoribus in Summa part. 1. q. 1. Nostrem totam in quæstiones quinque dispertiemur. I. Agetur de existentia, necessitate, & vtilitate S. Theologiæ. II. De genere eiusdem, tam proximo, quam remoto. III. De obiecto, à quo differentiam sumit. IV. De proprietatibus & attributis eiusdem. V. De principijs.

QVÆSTIO I.

De existentia, necessitate, & vtilitate S. Theologiæ.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

ABsoluitur hæc quæstio tribus dubijs. I. An, & qua ratione necessaria sit in Ecclesia doctrina Theologica & reuelata, quoad substantiam spectata. II. An & qua ratione necessaria & vtilis sit Ecclesiæ Theologia etiam Scholastica. III. An & quomodo ad salutem necessaria sit specialim doctrina reuelata & Theologica, etiam de ijs rebus, quæ de Deo naturali ratione inuestigari possunt.

DVBIVM I.

Vtrum præter philosophicas & naturales disciplinas, necessaria sit in Ecclesia militante, doctrina alia de Deo sacra & reuelata; & quis Theologiæ secundum substantiam spectatæ necessitatis modus & ratio.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

1 COnsuetum est ferè S. Thomæ, de cuiusque rei tractandæ, quæ naturæ limites excedit, necessitate primum agere, atque inde eius existentiam, existentiæque rationem inuestigare; conuenienter illi principio, quòd Deus & natura in necessariis non deficiant, iuxta Aristotelem lib. 3 de anim. text. 45. Quò fit, vt quamuis alioqui hæc quæstio, An res aliqua necessaria sit, supponat quæstionem, An est, & ferè etiam quid rei; cum sit de attributo quopiam extrinseco, rei existentiam & essentiam supponente, tamen quando tractatur in ordine ad existentiam ipsius rei inuestigandam, rectè hæc ipsa quæstio anteponatur aliis: vti quidem etiam à S. Thoma tum hoc loco, tum in materia de gratia 1. 2. q. 109. & in 3. p. de Incarnatione q. 1. factum.

Vt verò & mens S. Thomæ hoc loco, & veritas ipsa rectè percipiatur: Notandum est I. cum *doctrina sacra*, quo nomine sæpe vti solet S. Thomas in hac quæstione, in genere quidem, nihil aliud sit, quam doctrina reuelata, vti colligitur ex S. Thoma ead q. 1. a. 1. siue doctrina quædam, naturalis rationis limites excedens, eam hac generali notione, non solum comprehendere Theologiam, quæ humano studio & ingenio discitur, ipsaque fide nititur, sed etiam ipsam fidem diuinam & supernaturalem.

Quare si loquamur de cognitione siue doctrina reuelata in genere, prout etiam fidem complectitur, dubium nullum est, quin doctrina eiusmodi sacra & reuelata, necessaria sit non solum ipsi corpori Ecclesiæ, sed etiam omnibus & singulis, imò etiam in singulis hominibus, saltem quoad habitum; quandoquidem fides ea ratione vtique, & quidem etiam medij necessitate, necessaria est; quemadmodum ex certa & recepta doctrina tradit S. Thomas 1. 2. q. 113. a 4. & in 2. 2. q. 2. a. 3. & seqq. & q. 4. a. 7. & q. 6. a. 1. de qua re suo loco. Et quidem ipsam etiam alioqui fidem, ex parte quidem Dei docentis, seu reuelantis ac inspirantis, *doctrinam*: ex parte verò hominum discentium, *disciplinam* rectè dici posse, bene aduertit Caietanus hîc a. 1. iuxta illud Ioan. 6. v. 45. & 46. *Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me*; vbi de fide sermo est. Qua de causa etiam Christus phrasi Apostolicâ dicitur *Rabbi* & *Magister*, seu Doctor noster; quia fidem veram homines docuit.

2 Sed de doctrina sacra ita generatim (vel etiam pro ipsa fide accepta) hoc loco apud S. Thomam non est sermo; vt habet communis sententia, contra Caietanum loc. cit. Tum quia ea res ad alium locum, præcipuè materiam de fide, pertinet, vt dictum. Tum quia S. Thomas in articulis sequentibus, nulla facta distinctione, eandem vtique doctrinam sacram, cuius hic necessitatem inuestigat, tradit esse scientiam, & speculatiuam, &c. Tum quia de illa doctrina loquitur, cuius in proœmio fecerat mentionem, asserens, se prosecuturum ea, *quæ ad sacram doctrinam pertinent*: Item de qua in principio huius quæstionis ait, *necessarium esse primò inuestigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat*; nempe vtrum sit scientia; vtrum speculatiua, &c. quæ vtique non est alia, quam Theologia. Denique hîc a. 1. ad 3. apertè hanc doctrinam vocat *Theologiam* & *scientiam*. Est ergo, vti locus ipse, & inscriptio, ac thema totius huius disputationis postulat, non solum in hac nostra dissertatione, sed (vt communis aliorum Interpretum sententia habet) etiam apud S. Thomam hoc loco, quæstio de ipsa sacra Theologiæ scientia siue disciplina, quæ supponit fidem, eamque explicat & defendit; quæque proinde tam à fide, quàm ab alijs habitibus intellectualibus quibuscunque, etiam supernaturalibus aliquo modo distinguitur: siue reipsa distinguatur ab habitu fidei, siue solum ratione, de quo suo loco q. seq. dub. 2.

Vnde notandum II. Etsi quidem Theologiæ nomine, quantum est ex vi vocis, generatim significetur sermo, siue ratiocinatio de Deo, vt notauit etiam S. Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 1. qua ratione id ab Aristotele etiam Metaphysicæ tribuitur lib. 6. Metaph. t. 2. & à scriptoribus quoque Ecclesiasticis Theologi nomen, sæpe etiam antiquis illis Poetis, Orpheo, Musæo, alijsque scriptoribus profanis de Deo differentibus, vt videre est apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum, Eusebium lib. 1. de præparat. Euang. cap. 7. & lib. 2. à cap. 1. Augustinum lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 14. post Arist. lib. 12. Metaph. text. 55. & Ciceronem lib. 3. de nat Deorum: in præsenti tamen Theologiæ vocabulum strictè accipitur, pro doctrina seu cognitione Dei aliquo modo sacra; & reuelata, non quidem immediatè (alias enim à fide non distingueretur) sed mediatè; ac potissimum etiam de ijs rebus agente, quæ humanam rationem excedunt, vt explicat etiam S. Thomas hic q. 1. a. 1 Cuius etiam doctrinæ quasi notionem, & quid nominis declarans S. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. ait, esse illam, *qua fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Vbi expresè etiam supponit, eam à fide aliquo modo, si non re, certè ratione esse distinctam. 3

Notandum III. hanc ipsam sacræ Theologiæ doctrinam dupliciter posse considerari: primò secundum se, & quoad substantiam, prout abstrahit à modo, quo traditur, siue presè & more dialectico; siue fusè & Rhetorico quodam dicendi genere, non tam ad breuiter docendum & probandum, quam ad persuadendum & delectandum accommodato. Secundò quoad modum; quatenus videlicet certa quadam, eademque breui, exacta, & dialectica methodo, atque simplici ac presso orationis genere traditur; qua ratione vocatur Theologia Scholastica; eam ob causam, quia in Scholis vsitata, & à Scholasticis Doctoribus, præcipue post Magistrum sententiarum, quiscripsit circa Annum Christi MCXL. in Ecclesiam inducta fuit. Hoc dubio agetur de necessitate 4

sitate Theologiæ secundum se & suam substantiam; dubio sequenti de necessitate Theologiæ Scholasticæ speciatim.

Notandum IV. Cum necessarium dicatur duplex; videlicet necessarium absolutè & simpliciter, & in ordine ad finem, iuxta Aristotelem 5. Metaphys. cap. 6. text. 6 non esse hoc loco quæstionem, an Theologia sit ens simpliciter necessarium; constat enim, præter Deum tale nullum esse; sed an & qua ratione sit necessaria ad finem, & quidem vltimum, ipsius scilicet hominis supremam beatitudinem consequendam, vt satis ipse etiam S. Thomas hîc art. 1. declarat. His positis, ad præsentem dubitationem sequentibus assertionibus respondetur.

5 Assertio I. Theologica doctrina, siue Theologia sacra, secundum se & suam substantiam, iuxta præsentem rerum statum & conditionem, ac consuetam Dei prouidentiam, in Ecclesia simpliciter est necessaria ad hominum salutem. Hæc est mens S. Thomæ hic art. 1. vbi simpliciter & absolutè asserit, sacram doctrinam esse necessariam, vt magis patebit in fine dubij tertij. Idem docent Henricus Gandauensis in sua Summa artic. 13. quæst. 4. Gerson 1. part. in tractat. Exam. doctrin. part. 2. consider. 5. Alphabet. 18. Et consentiunt recentiores omnes, nemine Scholasticorum, quod sciam, contradicente.

Probatur primò ex Scriptura, Ephes. 4. v. 11. vbi dicitur: *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris* Ex quibus verbis hæc argumentatio deducitur. Si vsque ad consummationem seculi, iuxta diuinam dispositionem & ordinationem, in Ecclesia simpliciter necessarium est officium Pastorum & Doctorum; maximè postquam Apostoli, Prophetæ, & Euangelistæ (eximij quidem illi etiam, ac primi Pastores & Doctores Ecclesiæ) in Ecclesia esse desierunt; tum sanè etiam necessaria simpliciter est Theologia, seu sacra doctrina, qua Doctores Ecclesiastici instituantur & constituantur; nemo enim sola & simplici fide efficitur in Ecclesia Doctor; vt ex eodem loco Apostoli patet, aliquos tantum, non omnes in Ecclesia fideles Doctores esse asserentis, vt expressè etiam patet 1. Corinth. 12. vers. 29. Sed verum est antecedens, vt ex citato antea loco Apostoli colligitur, quandoquidem ibidem dicitur, datos esse *Doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationem* siue stabilimentum *Corporis Christi* mystici, quod est Ecclesia, *ne circumferamur omni vento doctrinæ*, & per nequitiam hominum à vera fide aberrantium, erroribus noxijs contra fidem circumueniamur: vbi Apostolus indicat; nisi Pastores & Doctores essent, futurum, vt breui ac facilè homines à fide deficerent, varijsque erroribus implicarentur.

6 Idem colligitur ex illo Tit. 1. v. 7. & 9. *Oportet Episcopum sine crimine esse, &c. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Si ergo simpliciter necessarium est, esse in Ecclesia, qui facultatem habeant, non solum ad sanam doctrinam fidei tradendam & persuadendam, sed etiam ad redarguendum eos, qui sanæ doctrinæ resistunt, colligitur planè, necessariam simpliciter in Ecclesia etiam esse S. Theologiam; sine qua facultas illa esse non potest. Idem in his locis docent & supponunt SS. Patres & Commentatores ibidem.

Secundò probatur assertio ab exemplo Christi & Apostolorum, & perpetuo vsu ac praxi Ecclesiæ. Nam & Christus ipse, & Apostoli, ac deinceps SS. Patres omnes, fidem contra infideles, præsertim hæreticos, qui Scripturam aliquam sacram & reuelationem diuinam admitterent, suppositis cæteris signis & argumentis fidei, non aliter magis probarunt ac defenderunt, quam ipsius Theologiæ vsu; siue cum scripturas vero sensu explicatas erroribus refellendis opponerent, siue cum ex eadem Scriptura consequentias & argumentationes conficerent, ad fidei doctrinam illustrandam, fideique dogmata stabilienda; siue cum argumenta contraria, veritatis reuelatæ expositione dissoluerent, vt videre est Matth. 12. v. 3. 5. & 6. Matth. 21. v. 42. Matth. 22. v. 32. 43. & seqq. Marci 12. v. 27. & 37 Luc. 11. v. 30. & 31 Ioan. 3. v. 14. & cap. 5. v. 46 & cap. 7. v. 22. & 38. & cap. 10. v. 34. Act. 2. v. 17. 31. & 34. Act. 3. v. 22. & 25. Act. 3. v. 26. Act. 7. v. 37. & 49. Act. 8. v. 35. Act. 10. v. 43 Act. 13. v. 33. & seqq. & alibi in epistolis Apostolorum passim.

Eadem de causa magna semper cura viguit in Ecclesia, vt Theologiæ S. præsertim eius, quæ in Scriptura explicanda versatur, studium publicæque scholæ extarent. Quomodo Eusebius lib. 5. hist. cap 10. (circa annum Christi CLXXX.) scribit Pantænum, Philosophum Christianum, virum omni humaniore litteraturâ præclarissimum, institutioni Christianorum Alexandriæ præfectum fuisse: *Quo quidem in loco*, inquit, *consuetudine ab antiquis temporibus ductâ, sacrarum litterarum schola habebatur; quæ est ad nostram vsq; ætatem continuata: quam sanè ab hominibus cùm politiore doctrinâ & eloquentiâ mirè instructis, tum sacrarum litterarum studio probè exercitatis frequentatam accepimus.* Ita Eusebius; qui etiam ibid. cap. 11. & lib. 6. cap. 5. & 7. scribit Pantæni Auditorem, ac posteà etiam in eâdem publicâ professione & scholâ Alexandrinâ successorem fuisse Clementem Alexandrinum; huius verò Origenem; de quâ re Cæsar Baronius Anno Christi CXCVI. Romæ verò sacrarum litterarum publicam scholam, hortatu Cassiodori, primus aperire conatus fuit Agapetus Pontifex circa Annum Christi DXXXV. sed bellicis tumultibus ab incepto reuocatus fuit, vt ex Cassiodoro præfat. diuin. Instit. refert Baronius eodem Anno. 7

Sed & posteà in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. can. 11. decretum fuit vniuersim, vt in omnibus Ecclesijs Cathedralibus *Lectores scripturæ sacræ*, ac præsertim eorum, quæ pertinent ad reformationem morum constituerentur; vt videre est etiam cap. *Quoniam*, & cap. *Quia*, de Magistris. Quò spectat etiam officium Scholastici in ijsdem Ecclesijs; quod

cum posteà in nudum ferè titulum degenerâsset, id rursum ad pristinum vsum & statum reuocare studuit Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. & sess. 23. cap. 18. de Reformat. Taceo Academias quamplurimas auctoritate Romani Pontificis eo fine erectas, amplissimisque priuilegijs dotatas, vt illic studium potissimum sacrarum litterarum & Theologiæ efloresceret; essentque ipsæ velut quædam virorum doctorum seminaria, & Ecclesiæ Catholicæ propugnacula, è quibus omnes infidelium, præsertim hæreticorum hostiles insultus sustineri, frangi & disijci possent. Quæ omnia in ipso Ecclesiæ vsu posita, satis etiam necessitatem S. Theologiæ demonstrant.

8 Tertiò probatur eadem assertio ratione. I. Ea enim doctrina, quâ fides vera gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, est vtique Ecclesiæ simpliciter necessaria; quandoquidem Ecclesia sine verâ fide esse non potest; sed Theologia est talis; vt expresè tradit S. Augustl. lib. 14. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Huic scientiæ tribuitur id, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ergo, &c.

II. Quia nos ita naturâ constituti sumus, vt rerum obscurarum & difficillimarum (quales nobis per fidem præcipuè proponuntur) firmum assensum nec recipere, nec constanter retinere possimus; nisi sint non solùm, qui eam aptè proponere, aptisque argumentis credibilem reddere, sed etiam contra Aduersarios, præsertim si quâ doctrinæ & authoritatis specie polleant, defendere ac propugnare possint: hoc autem est officium Theologiæ: Ergo, &c.

III. Necessarium est, tum ad securitatem fidei retinendam, tum etiam ad perfectionem eius, & plenam vitæ humanæ directionem consequendam, scire non solùm ipsa fidei principia, sed etiam quid ex principijs fidei consequens sit: hæc autem cognitio propria est Theologiæ, vt inferiùs patebit: Ergo, &c. Maior propositio declaratur. Tum quia cùm alioquin humanum ingenium suâ naturâ soleat ex cognitis vlteriùs ratiocinando ad incognita procedere, nisi cognitionem habeat eorum, quæ ex fidei principijs rectâ ratione colliguntur, facilè in graues errores contra fidem incidet; quibus proinde fidei sinceritas non parùm contaminabitur. Tum quia multæ propositiones Theologicę, & ex principijs fidei deductæ, per se etiam necessariæ sunt, siue ad fidei perfectionem; vt est doctrina de transsubstantiatione in scripturis apertè non asserta, sed inde deducta; siue ad vitam rectè instituendam; vt est v. g. veritas illa Theologica, quòd omnes teneantur diuino iure peccata mortalia omnia in specie confiteri; item quòd Communio Laicorum sub vnâ specie nulli præcepto diuino repugnet, &c.

Denique experientia ipsa docet, fidem non aliâ ratione faciliùs labefactari, quàm defectu virorum doctorum; vt tam veterem, quàm recentem historiam seriemque temporum expendenti facilè patebit. Quod etiam significat Propheta Isaias cap. 56. v. 9. *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum; vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, &c.* Vbi Propheta indicat, tacentibus pastoribus, non secus à dæmone & ministris eius hæreticis vastari fidelem populum, atque à feris grassantibus innocuum pecus. Et clariùs ac breuiùs Sapiens Prouerb. 29. v. 18. *Cùm Prophetia* (seu verbi diuini apta propositio & declaratio) *defecerit, dissipabitur populus*; nimirum per varios errores.

Dixi tamen in assertione, Theologiam in Ecclesiâ simpliciter necessariam esse, iuxta consuetam Dei prouidentiam; non enim negandum est, Deum per absolutam potentiam, posse etiam alijs modis, fidem in Ecclesiâ saluam & incolumem tueri, etiam absque Theologiæ & Theologorum interuentu; impediendo v. g. omnes fidei controuersias & dubitationes; & defectum ratiocinationis humanæ, internâ illustratione, seu nouâ reuelatione compensando, &c. Neque verò etiam iuxta consuetam Dei prouidentiam, ad fidem in Ecclesiâ conseruandam & tuendam simpliciter necessariam Theologiam intelligimus, quouis planè tempore, mathematicè loquendo; sed moraliter. Quamuis enim aliquo instanti, vel breuissimo temporis spatio, nullus penitùs in Ecclesiâ esset Theologus (quod tamen nunquam accidit) non ideò necesse esset, continuò perire Ecclesiam: vt à simili patet ex necessitate visibilis capitis Ecclesiæ; quod etsi aliquo breui temporis spatio per mortem Pontificis, sede vacante, esse desinat, nullum tamen id Ecclesiæ periculum creat.

Assertio II. Iuxta ordinarium & consuetum diuinæ prouidentiæ modum, simpliciter necessaria est Theologia, non solùm pro ipsâ communitate Ecclesiæ, vt nempe fides ad plures perueniat, & à pluribus constanter retineatur; sed etiam pro singulis, saltem mediatè. Ita Gregorius de Valentiâ q. 1. p. 2. nec reipsâ dissentiunt alij. Ratio est. Quia cùm fides in se planè obscura & difficilis sit, cumque omnibus, qui in Ecclesiâ sunt, fidelibus, multa passim contra fidem dubia difficultatesque, siue dæmone naturalive ratione suggerente, siue ab hæreticis ac infidelibus objiciantur, aut saltem iuxta præsentem huius mundi statum facilè occurrere & objici possint, idcirco, moraliter loquendo, necesse est, singulis constare, esse viros doctos in Ecclesiâ, per quos fides, solutis quibuscunque aduersùs eam obiectionibus, defendi & explicari ita possit, vt nemo propterea ab eâ prudenter dimoueri debeat: id quod proprium est Theologiæ officium. 9

Accedit etiam hæc ratio. Nam si Theologi non essent, tum nec vulgares quidem fidei prædicatores essent: hi enim illorum authoritate & doctrinâ nituntur. Quòd si nemo prædicaret fidem, tunc iuxta consuetum diuinæ prouidentiæ modum, nemo etiam reciperet fidem, nemo retineret: quia iuxta Apostolum Rom. 10. v. 17. *Fides est ex auditu.* Et suprà v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Quod si adultorum nemo crederet, nemo etiam infantibus fidei sacramentum facilè ministraret. Idem colligitur ex citato illo testimonio Ephes. 4 *Vt non circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* quod ad singulos pertinet.

Dixi verò in assertione, *mediatè*: quia plus argumenta non probant. Illum enim, qui immediatè docet aut persuadet fidem, non est necesse habere Theologicum habitum, vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentiâ loc. cit. quandoquidem ad eum tantummodò spectat communia fidei mysteria simpliciter tradere, ac simul propositis communibus fidei motiuis, fidem eorundem euidenter credibilem

facere,

facere, quod fieri potest etiam sine proprio Theologiæ habitu.

Dixi secundò, Iuxta *ordinarium* diuinæ prouidentiæ *modum*, non solùm quia Deus hunc statum rerum vniuersim immutare posset, vt circa præcedentem assertionem dictum; sed etiam quia iuxta communem & receptam doctrinam S Thomæ de verit q. 14. art. 11. ad 1. quam inter alios etiam asserit Franciscus Zumel hîc, absolutè fieri potest, vt quis sine vllo prædicatore externo fidem concipiat & conseruet, solâ inspiratione & gubernatione internâ Spiritus sancti ductus, aut interueniente institutione & Magisterio alicuius Angeli, à Theologiæ habitu, saltem humano, minimè dependente.

Id quod de puero in syluis solitariè enutrito, vt & de infideli in mediâ gentilitate nato, iuxta naturæ leges, quantum per auxilium gratiæ præuenientis possunt, viuentibus, omniq́ue humanâ ope destitutis, necessariò tatendum, vt rectè S. Thomas ibidem; cuius verba sunt hæc: *Dicendum quòd non sequitur inconueniẽs, posito, quòd quilibet teneatur aliquid explicitè credere, si in syluis vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad diuinam prouidentiam pertinet, vt cuilibet prouideat de necessarijs ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni & fugâ mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus, vel per internam inspirationem reuelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Actor. 10.* Ita S. Thomas.

Præterquam quòd fieri posset, vt Deus ita hominem aut exteriùs gubernaret, aut interiùs illuminaret, vt vel obiectiones contra fidem nullas perciperet; vel certè ita contemneret, vt etiamsi existimaret, nullum esse hominem, qui obiectionibus propositis particulatim satisfacere possit, adhuc tamen ob interna Spiritus sancti motiua constanter in fide persistere deliberatum haberet. Sed hoc prouidentiæ diuinæ genus communiter non est vsitatum, nec ordinarium, sed quasi extraordinarium.

10 Assertio III. Theologia tamen non est necessaria in singulis fidelibus, nec secundum substantiam quidem. Ita ex communi rectè Gregorius de Valentiâ q. 1. p. 2. Dominicus Bannes, & Franciscus Zumel hîc a. 1. nullo Doctorum dissentiente. Probatur apertè ex illo 1. Cor 12. v. 28 & 29. *Et quosdam quidem* (non omnes) *posuit Deus in Ecclesiâ, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &c. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? &c.* Vbi apertè significatur, non omnes fideles habere talem habitum, quo fidem contra Aduersarios defendant & doceant.

Idem expresè tradit S. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Huic scientiæ* (de Theologiâ loquitur) *tribuitur id, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: quâ scientiâ non pollent fideles plurimi; quamuis polleant ipsâ fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodò, quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur; quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Nimirum 1. Cor. 12. *Alij datur sermo sapientiæ; alij sermo scientiæ*: quem locum paulò anteà citauerat Augustinus.

Vnde etiam sumitur ratio. Quia in genere cognitionis, singulis ad salutem sufficit fides supernaturalis, cum adiunctis in homine iusto donis illis Spiritus sancti, quæ in intellectu consistunt; quæ absque adiunctâ Theologiâ non solùm esse, sed etiam conseruari & perfici possunt. Neque enim omnes ex officio tenentur fidem docere & explicare, aut contra infideles defendere; quod proprium est Theologiæ officium, prout à fide distinguitur Quare etiamsi habitus Theologiæ reipsâ idem esset cum habitu fidei, vt nonnulli volunt, de quo infrà suo loco, adhuc tamen Theologia ipsa non rectè diceretur in singulis necessaria; quandoquidem ratione nihilominus Theologia à fide distingueretur, eiq́ue maiorem saltem aliquam adderet accidentalem perfectionem, sine quâ fidei habitus secundum se & quoad substantiam optimè consistere posset.

Contra hanc assertionem obijci potest illud 1. Pet. 3. v. 15. vbi Apostolus ad fideles vniuersim scribens ait: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ, quæ in vobis est spe: sed cum modestiâ & timore, &c.* Quibus verbis significatur, omnes & singulos fideles paratos esse debere, ad reddendam suæ spei, siue fidei rationem. Vnde vlteriùs colligi videtur, omnes etiam debere esse Theologos.

Ad hoc respondere forsan aliquis posset, fideles quidem paratos esse debere ad reddendam suæ fidei rationem, sed non singulos per seipsos, sed vel per se, vel per suos Doctores: quo modo hunc locum Apostoli intellexisse videtur Aureolus in Prologo q. 1. de Theologiâ a. 1. circa opinionem S. Thomæ; vbi eum explicat de habentibus habitum Theologicum.

Sed verius est, Apostolum loqui etiam de fidelibus singulis, seruatâ tamen proportione debitâ. Dupliciter enim ratio fidei reddi potest; primò quidem, vt singulorum articulorum rationes ex proprijs principijs reddantur, & contra oppugnantes defendantur; simul etiam vt ea, quæ ex propositionibus reuelatis consequentia sunt; quæq́ue eis aduersa, subtili ratiocinatione colligatur: & hoc est proprium Theologiæ, nec exigitur à singulis. Secundò vt quisque simpliciter ea, quæ necessariò omnibus credenda sunt, profiteri possit, allatis simul etiam generalibus rationibus seu motiuis credendi; v. g dicendo, *Sic tenet Ecclesia. Inh c fide mortui sancti:* vt loquitur Hugo Cardinalis ibidem. Et hoc tametsi ad singulos pertineat, non tamen in singulis Theologiæ habitum postulat: cùm ad hoc sufficiat ipsa fides, quæ sine talibus motiuis esse non potest, vt suo loco docebimus. Atque hæc de doctrinæ sacræ siue Theologiæ necessitate, quoad substantiam.

DVBIVM II.

An & qua ratione Theologia, etiam scholastica, Ecclesiæ necessaria & vtilis sit.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

QVid nomine Scholasticæ Theologiæ intelligatur, dictum est dubio præcedenti. Et certum 1

cum posteà in nudum ferè titulum degenerâsset, id rursum ad pristinum vsum & statum reuocare studuit Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. & sess. 23. cap. 18. de Reformat. Taceo Academias quamplurimas auctoritate Romani Pontificis eo fine erectas, amplissimisque priuilegijs dotatas, vt illic studium potissimum sacrarum litterarum & Theologiæ efloresceret; essentque ipsæ velut quædam virorum doctorum seminaria, & Ecclesiæ Catholicæ propugnacula, è quibus omnes infidelium, præsertim hæreticorum hostiles insultus sustineri, frangi & disijci possent. Quæ omnia in ipso Ecclesiæ vsu posita, satis etiam necessitatem S. Theologiæ demonstrant.

8 Tertiò probatur eadem assertio ratione. I. Ea enim doctrina, quâ fides vera gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, est vtique Ecclesiæ simpliciter necessaria; quandoquidem Ecclesia sine verâ fide esse non potest; sed Theologia est talis; vt expresè tradit S. Augustl. lib. 14. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Huic scientiæ tribuitur id, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ergo, &c.

II. Quia nos ita naturâ constituti sumus, vt rerum obscurarum & difficillimarum (quales nobis per fidem præcipuè proponuntur) firmum assensum nec recipere, nec constanter retinere possimus; nisi sint non solùm, qui eam aptè proponere, aptisque argumentis credibilem reddere, sed etiam contra Aduersarios, præsertim si quâ doctrinæ & authoritatis specie polleant, defendere ac propugnare possint: hoc autem est officium Theologiæ: Ergo, &c.

III. Necessarium est, tum ad securitatem fidei retinendam, tum etiam ad perfectionem eius, & plenam vitæ humanæ directionem consequendam, scire non solùm ipsa fidei principia, sed etiam quid ex principijs fidei consequens sit: hæc autem cognitio propria est Theologiæ, vt inferiùs patebit: Ergo, &c. Maior propositiò declaratur. Tum quia cùm alioquin humanum ingenium suâ naturâ soleat ex cognitis vlteriùs ratiocinando ad incognita procedere, nisi cognitionem habeat eorum, quæ ex fidei principijs rectâ ratione colliguntur, facilè in graues errores contra fidem incidet; quibus proinde fidei sinceritas non parùm contaminabitur. Tum quia multæ propositiones Theologicę. & ex principijs fidei deductæ, per se etiam necessariæ sunt, siue ad fidei perfectionem; vt est doctrina de transsubstantiatione in scripturis apertè non asserta, sed inde deducta; siue ad vitam rectè instituendam; vt est v. g. veritas illa Theologica, quòd omnes teneantur diuino iure peccata mortalia omnia in specie confiteri; item quòd Communio Laicorum sub vnâ specie nulli præcepto diuino repugnet, &c.

Denique experientia ipsa docet, fidem non aliâ ratione faciliùs labefactari, quàm defectu virorum doctorum; vt tam veterem, quàm recentem historiam seriemque temporum expendenti facilè patebit. Quod etiam significat Propheta Isaias cap. 56. v. 9. *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum; vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, &c.* Vbi Propheta indicat, tacentibus pastoribus, non secus à dæmone & ministris eius hæreticis vastari fidelem populum, atque à feris grassantibus innocuum pecus. Et clariùs ac breuiùs Sapiens Prouerb. 29. v. 18. *Cùm Prophetia* (seu verbi diuini apta propositio & declaratio) *defecerit, dissipabitur populus*; nimirum per varios errores.

Dixi tamen in assertione, Theologiam in Ecclesiâ simpliciter necessariam esse, iuxta consuetam Dei prouidentiam; non enim negandum est, Deum per absolutam potentiam, posse etiam alijs modis, fidem in Ecclesiâ saluam & incolumem tueri, etiam absque Theologiæ & Theologorum interuentu; impediendo v. g. omnes fidei controuersias & dubitationes; & defectum ratiocinationis humanæ, internâ illustratione, seu nouâ reuelatione compensando, &c. Neque verò etiam iuxta consuetam Dei prouidentiam, ad fidem in Ecclesiâ conseruandam & tuendam simpliciter necessariam Theologiam intelligimus, quo uis planè tempore, mathematicè loquendo; sed moraliter. Quamuis enim aliquo instanti, vel breuissimo temporis spatio, nullus penitùs in Ecclesiâ esset Theologus (quod tamen nunquam accidit) non ideò necesse esset, continuò perire Ecclesiam: vt à simili patet ex necessitate visibilis capitis Ecclesiæ; quod etsi aliquo breui temporis spatio per mortem Pontificis, sede vacante, esse desinat, nullum tamen id Ecclesiæ periculum creat.

Assertio II. Iuxta ordinarium & consuetum diuinæ prouidentiæ modum, simpliciter necessaria est Theologia, non solùm pro ipsâ communitate Ecclesiæ, vt nempe fides ad plures perueniat, & à pluribus constanter retineatur; sed etiam pro singulis, saltem mediatè. Ita Gregorius de Valentiâ q. 1. p. 2. nec reipsâ dissentiunt alij. Ratio est. Quia cùm fides in se planè obscura & difficilis sit, cumque omnibus, qui in Ecclesiâ sunt, fidelibus, multa passim contra fidem dubia difficultatesque, siue dæmone naturalive ratione suggerente, siue ab hæreticis ac infidelibus obijciantur; aut sanè iuxta præsentem huius mundi statum facilè occurrere & obijci possint, idcirco, moraliter loquendo, necesse est, singulis constare, esse viros doctos in Ecclesiâ, per quos fides, solutis quibuscunque aduersus eam obiectionibus, defendi & explicari ita possit, vt nemo propterea ab eâ prudenter dimoueri debeat: id quod proprium est Theologiæ officium. 9

Accedit etiam hæc ratio. Nam si Theologi non essent, tum nec vulgares quidem fidei prædicatores essent: hi enim illorum authoritate & doctrinâ nituntur. Quòd si nemo prædicaret fidem, tunc iuxta consuetum diuinæ prouidentiæ modum, nemo etiam reciperet fidem, nemo retineret: quia iuxta Apostolum Rom. 10. v. 17. *Fides est ex auditu.* Et suprà v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Quod si adultorum nemo crederet, nemo etiam infantibus fidei sacramentum facilè ministraret. Idem colligitur ex citato illo testimonio Ephes. 4 *Vt non circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* quod ad singulos pertinet.

Dixi verò in assertione, *mediatè*: quia plus argumenta non probant. Illum enim, qui immediatè docet aut persuadet fidem, non est necesse habere Theologicum habitum, vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentiâ loc. cit. quandoquidem ad eum tantummodò spectat communia fidei mysteria simpliciter tradere, ac simul propositis communibus fidei motiuis, fidem eorundem euidenter credibilem

facere,

Digitized by Google

facere, quod fieri potest etiam sine proprio Theologiæ habitu.

Dixi secundò, Iuxta *ordinarium* diuinæ prouidentiæ *modum*, non solùm quia Deus hunc statum rerum vniuersim immutare posset, vt circa præcedentem assertionem dictum; sed etiam quia iuxta communem & receptam doctrinam S Thomæ de verit q. 14. art. 11. ad 1. quam inter alios etiam asserit Franciscus Zumel hîc, absolutè fieri potest, vt quis sine vllo prædicatore externo fidem concipiat & conseruet, solâ inspiratione & gubernatione internâ Spiritus sancti ductus, aut interueniente institutione & Magisterio alicuius Angeli, à Theologiæ habitu, saltem humano, minimè dependente.

Id quod de puero in syluis solitariè enutrito, vt & de infideli in mediâ gentilitate nato, iuxta naturæ leges, quantum per auxilium gratiæ præuenientis possunt, viuentibus, omniq́ue humanâ ope destitutis, necessariò tatendum, vt rectè S. Thomas ibidem; cuius verba sunt hæc: *Dicendum quòd non sequitur inconueniẽs, posito, quòd quilibet teneatur aliquid explicitè credere, si in syluis vel inter bruta animalia nutriatur: hoc enim ad diuinam prouidentiam pertinet, vt cuilibet prouideat de necessarijs ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni & fugâ mali, certissimè est tenendum, quòd ei Deus, vel per internam inspirationem reueleret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Actor. 10.* Ita S. Thomas.

Præterquam quòd fieri posset, vt Deus ita hominem aut exteriùs gubernaret, aut interiùs illuminaret, vt vel obiectiones contra fidem nullas perciperet; vel certè ita contemneret, vt etiamsi existimaret, nullum esse hominem, qui obiectionibus propositis particulatim satisfacere possit, adhuc tamen ob interna Spiritus sancti motiua constanter in fide persistere deliberatum haberet. Sed hoc prouidentiæ diuinæ genus communiter non est vsitatum, nec ordinarium, sed quasi extraordinarium.

10 Assertio III. Theologia tamen non est necessaria in singulis fidelibus, nec secundum substantiam quidem. Ita ex communi rectè Gregorius de Valentiâ q. 1. p. 2. Dominicus Bannes, & Franciscus Zumel hîc a. 1. nullo Doctorum dissentiente. Probatur apertè ex illo 1. Cor 12. v. 28 & 29. *Et quosdam quidem* (non omnes) *posuit Deus in Ecclesiâ, primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &c. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? &c.* Vbi apertè significatur, non omnes fideles habere talem habitum, quo fidem contra Aduersarios defendant & doceant.

Idem expresè tradit S. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Huic scientiæ* (de Theologiâ loquitur) *tribuitur id, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: quâ scientiâ non pollent fideles plurimi; quamuis polleant ipsâ fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodò, quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur; quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.* Nimirum 1. Cor. 12. *Alij datur sermo sapientiæ; alij sermo scientiæ*: quem locum paulò anteà citauerat Augustinus.

Vnde etiam sumitur ratio. Quia in genere cognitionis, singulis ad salutem sufficit fides supernaturalis, cum adiunctis in homine iusto donis illis Spiritus sancti, quæ in intellectu consistunt; quæ absque adiunctâ Theologiâ non solùm esse, sed etiam conseruari & perfici possunt. Neque enim omnes ex officio tenentur fidem docere & explicare, aut contra infideles defendere; quod proprium est Theologiæ officium, prout à fide distinguitur Quare etiamsi habitus Theologiæ reipsâ idem esset cum habitu fidei, vt nonnulli volunt, de quo infrà suo loco, adhuc tamen Theologia ipsa non rectè diceretur in singulis necessaria; quandoquidem ratione nihilominus Theologia à fide distingueretur, eiq́ue maiorem saltem aliquam adderet accidentalem perfectionem, sine quâ fidei habitus secundum se & quoad substantiam optimè consistere posset.

Contra hanc assertionem obijci potest illud 1. Pet. 3. v. 15. vbi Apostolus ad fideles vniuersim scribens ait: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ, quæ in vobis est spe: sed cum modestiâ & timore, &c.* Quibus verbis significatur, omnes & singulos fideles paratos esse debere, ad reddendam suæ spei, siue fidei rationem. Vnde vlteriùs colligi videtur, omnes etiam debere esse Theologos.

Ad hoc respondere forsan aliquis posset, fideles quidem paratos esse debere ad reddendam suæ fidei rationem, sed non singulos per seipsos, sed vel per se, vel per suos Doctores: quo modo hunc locum Apostoli intellexisse videtur Aureolus in Prologo q. 1. de Theologiâ a. 1. circa opinionem S. Thomæ; vbi eum explicat de habentibus habitum Theologicum.

Sed verius est, Apostolum loqui etiam de fidelibus singulis, seruatâ tamen proportione debitâ. Dupliciter enim ratio fidei reddi potest; primò quidem, vt singulorum articulorum rationes ex proprijs principijs reddantur, & contra oppugnantes defendantur; simul etiam vt ea, quæ ex propositionibus reuelatis consequentia sunt; quæq́ue eis aduersa, subtili ratiocinatione colligatur: & hoc est proprium Theologiæ, nec exigitur à singulis. Secundò vt quisque simpliciter ea, quæ necessariò omnibus credenda sunt, profiteri possit, allatis simul etiam generalibus rationibus seu motiuis credendi; v. g dicendo, *Sic tenet Ecclesia. Infidefidemortui sancti:* vt loquitur Hugo Cardinalis ibidem. Et hoc tametsi ad singulos pertineat, non tamen in singulis Theologiæ habitum postulat: cùm ad hoc sufficiat ipsa fides, quæ sine talibus motiuis esse non potest, vt suo loco docebimus. Atque hæc de doctrinæ sacræ siue Theologiæ necessitate, quoad substantiam.

DVBIVM II.

An & qua ratione Theologia, etiam scholastica, Ecclesiæ necessaria & vtilis sit.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

QVid nomine Scholasticæ Theologiæ intelligatur, dictum est dubio præcedenti. Et certum 1

est, eam magis quidem Ecclesiæ necessariam non esse, quam Theologiam secundum se & suam substantiam spectatam, vt per se patet; quò fit, vt assertio vltima præcedentis dubij ad Scholasticam etiam Theologiam in primis pertineat; sed ánne tamen ipsa etiam Scholastica Theologia aliquâ ratione sit Ecclesiæ necessaria, controuertitur. Et controuersiam præcipuè mouêt Sectarij huius temporis, qui Theologiam Scholasticam non solùm necessariam, aut vtilem Ecclesiæ negant, sed insuper etiam perniciosam esse criminantur, vt videre est apud Lutherum in lib. contra Latomum, & lib. de abrogat. missæ priuatæ, Melanchthonem in Apologiâ contra Parisienses, Caluinum lib. 3. Instit. cap. 2. sect. 2 Idque iam ante fecerat etiam Wicleffus apud Waldensem tom. 1. lib. 2. doctr. fid. cap. 67 & seq. & ex parte Erasmus præfat. in opera S. Hilarij. Nos rem breuiter duabus assertionibus explicabimus.

Assertio I. Theologia quoad modum Scholasticæ tractationis, seu quod idem est, ipsa Theologia Scholastica vt sic, non est in Ecclesiâ ad hominum salutem necessaria simpliciter. Est extra controuersiam, & apud omnes Doctores certa. Ratio est manifesta. Tum quia etiam amplum illud & Theologicum dicendi, resque fidei exponendi ac tuendi genus, valet vtique ad docendum, persuadendum, & redarguendum; adeoque ad fidem gignendam, nutriendam, roborandam, & tuendam; quod officium Theologiæ esse diximus. Tum quia aliàs fatendum esset, mille & amplius annis, quibus nullus ferè erat Theologiæ illius Scholasticæ vsus, Ecclesiam necessariâ rerum diuinarum doctrinâ fuisse destitutam: quod est planè absurdum, & diuinæ prouidentiæ aduersum. Tum quia fides tempore SS. Patrum olim vel maximè viguit ac floruit; qui excellenti suâ doctrinâ, ad veram Ecclesiam Christi, & magnam gentilitatis partem perduxerunt, & ex hæreticis quamplurimos reduxerunt: Orthodoxos verò ne deficerent, continuerunt & confirmârunt.

2 Assertio II. Theologia tamen quoad modum illum Scholasticæ Tractationis, adeoque Theologia ipsa Scholastica, Ecclesiæ Christi est vtilissima, adeoque necessaria, hoc præsertim tempore, ad bene esse. Hanc assertionem supponunt Scholastici omnes; neque enim tanto consensu ad tam fastidiosum & molestum scribendi laborem se contulissent, nisi rem Ecclesiæ vtilissimam præstare se existimâssent. Eandem fusiùs tuentur & explicant Melchior Canus lib. 8. loc. Theolog. cap. 2. 4 & seqq. Alphonsus Salmeron tom. 1. prolegom. in Euangelia, Gregorius de Valentiâ hîc q. 1 p. 2. & recentiores omnes, cum S. Thomâ hoc loco.

Probatur & declaratur assertio. Nam si rem omnem accuratè expendamus, tria ferè sunt Scholasticæ Theologiæ propria. Primum, verba, & genus orationis planum, pressum, simplex, apertum. Secundum est methodus ac ordo, quo materia & argumentum omne Theologicum in suas partes, disputationesque, ac membra accuratè distinguitur; partibus siue disputationibus suæ quæstiones, articuli, sectiones, siue dubitationes subiunguntur; in singulis rursum articulis siue quæstionibus, & status quæstionis, si obscurus est, declaratur; & cùm materia postulat, argumentis in vtramque partem subtiliter propositis, res tota accuratè discutitur, veritas decidtur ac firmatur, argumenta in oppositam partem obiecta dissoluuntur; idque totum iuxta regulas & modum disputandi dialecticum. Atq; hæc duo nemo sanus reprehendere potest; cùm naturâ suâ ad quamlibet doctrinam tradendam & perdiscendam sint aptissima.

Tertium sunt res ipsæ; dum nimirum Theologus non solùm ipsa fidei principia clarè & dilucidè proponit, exponit, confirmat, tuetur; sed vlteriùs etiam progressus, ea quæ ex ipsis consequentia sunt, inuestigat; ac propterea etiam quandoque subtilioribus quæstionibus excutiendis occupatur, quam vt à vulgo, alijsve imperitioribus, sciri, aut capi facilè possint, vel etiam debeant. Quod per se nemini improbabitur, qui nôrit, & plus scientiæ decere Magistros, quàm discipulos; & absque subtiliore eiusmodi disquisitione, neque necessaria quidem fidei dogmata satis defendi posse: præterquam quod ipsa etiam eiusmodi principiorum fidei consectaria ad vitam rectè instituendam, sæpe plurimum adferunt momenti, vt dictum dub. præced. certè quidem fidei doctrina ijs mirificè illustratur.

Huc spectat, quòd Theologia etiam aliarum disciplinarum naturaliuni, ac præcipuè Philosophiæ cognitionem in subsidium aduocat: quod nec Apostolis insuetum, vt videre est Act. 17. v. 28. 1. Cor. 1. v. 33. Tit. 1. v. 12. & SS Patribus deinceps fuit vsitatissimum: & ab ijsdem disertè commendatum. De quâ re videre licet Clementem Alexandrinum lib. 1. & 6. Stromatum, Augustinum lib 2. doctr. Christ. c. 16. 28. 29. 31. 36. 37. 40. Hieron. epist. 84. ad Magnum, & epist. 146. ad Damasum, Basil. orat. ad Adolescentes, Damascenum lib. 4. fid. orthod. c. 18. Cassiodor. in Cant. 8. & lib. 2. de Inst. diuin. lect. cap. 27.

Verba Clementis obseruatione dignissima, citato lib. 1. Stromatum sunt ista: *Vti quidem*, inquit, *sed non immorari & permanere in doctrinâ seculari admonet sapiens, &c. Iam enim quidam ancillarum inescati amatorijs, contemserunt Dominam Philosophiam; & ex ipsis alij quidem consenuerunt in Musicâ, alij verò in Geometriâ, alij autem in Grammaticâ; plurimi autem in Rhetoricâ. Sed quemadmodum liberales, quæ stant in circulo (encyclicæ) disciplinæ, conferunt ad Philosophiam, quæ est ipsarum domina; ita etiam ipsa Philosophia conducit ad parandam sapientiam*, (siue Theologiam.) *Est enim Philosophia quidem exercitatio; sapientia verò scientia rerum diuinarum & humanarum, & causarum ipsarum. Est enim sapientia domina Philosophiæ; sicut illa eius, quæ prius auditur, disciplinæ. Et multa*, inquit idem paulò superius, *licet ad finem non conferant, artificij tamen ornamentum adferunt: & alioqui varia & multiplex doctrina, & variè probat id, quod adducitur, & catechumenis admirationem adferens, ea quæ sunt præcipua dogmata, ad eorum, qui audiunt, persuasionem deducit, & ad veritatem. Est autem fide digna eiusmodi animum permouens persuasio; per quam, qui sunt doctrinæ studiosi, quæ malè exagitatur, suscipiunt veritatem; adeò vt neq; ipsa philosophia vitæ pernitiem adferat, &c.* Hactenus Clemens, qui vti vsum secularis doctrinæ in doctrinâ fidei & Theologiæ eleganter comprobat, ita abusum sapienter castigat. 3

Idipsum etiam confirmat naturalis ratio; quandoquidem notitia & vsus Philosophiæ, ad res ipsas

Digitized by Google

sacras explicandas, quę communes cum rebus naturalibus notiones habent, prorsus necessarius est: vt si agatur de hy postasi, de existentiâ, de essentiâ, de subiecto, de passionibus, de quantitate, qualitate, relatione, actione, passione, loco, duratione, efficientiâ, causalitate, compositione, itemque de cultu, veneratione, adoratione, iustitiâ, misericordiâ, &c. earum rerum, vel personarum, quæ ad Theologicam consideratione pertinent; necesse est planè, communes rerum illarum conceptus, priùs ex Philosophiâ perspectos haberi; ne quis alioqui, vti Sectarijs huius temporis ob Philosophiæ ignorationem frequenter accidit, in grauissimos errores labatur.

Eadem assertio confirmatur his duobus iudicijs, ab ipsis aduersarijs desumtis. Primum est. Quia si Theologia Scholastica ad fidem confirmandam & aduersarios fidei redarguendos ac conuincendos non plurimum adferret momenti, nunquam eam ipsi tanto prosequerentur odio, neque tam acerbè criminarentur: cùm criminationis causam nullam aliam habeant, quàm doctrinæ sibi aduersantis solidiatem: id quod potissimùm in S Thomâ cernitur. Eaque de causâ etiam non abs re notauit hoc loco Dominicus Bannes q. 1 a. 1 In omnibus Concilijs, etiam contra hęreticos celebratis, post D. Thomam, omnia ferè dogmata ab illis decreta, desumta esse ex doctrinâ S. Doctoris. Id quod patet in Concilio Viennensi sub Clemente V. in Florentino sub Eugenio IV. in Lateranensi sub Leone X. & Tridentino sub Paulo III. Iulio III. & Pio IV.

4 Alterum, quod Sectarij vtcunque aliàs in Doctoribus Catholicis Scholasticæ Theologiæ methodum tractationemque reprehendant, hodie tamen ipsimet eam non paruo studio æmulantur; vt videre est in controuersijs seu lucubrationibus quibusdam Gulielmi Wittakeri, & Ægidij Hunnij; qui etiam adeò contenti non sunt solà dogmatum scripturæ propositione, vt sæpe ineptissima & absurdissima consectaria inde, malè sanâ ratiocinatione, exsculpant; vt est v. g. commune illud Sectariorum pronunciatum; nihil credendum diuinà fide, nisi quòd in scripturâ sacrâ particulatim tradatur; Item infantes omnes, dum baptizantur, actualiter credere; aut vti Caluinistæ docent, Infantes omnes Christianorum saluari etiam sine baptismo. Item proprium illud Lutheri, valere baptismum etiam in lacte, vel cereuisiâ factum; similiter & consecrationem Eucharistiæ, quamuis à diabolo factam. Itemque illud proprium Hunnij in lib. Sacramentis, cap. 13. vbi docet, si mater in loco solitario enixa sit infantem, eumque propterea quòd moriturus videretur, baptizârit; postea verò infans conualescat, debere matrem nulli hominum indicare, quòd baptizârit illum; sed tanquam non baptizatus esset, sinere illum in Ecclesiæ cœtu denuò baptizari. Hæc & similia ergo dum ex scripturis corollaria, licet absurdissima, sibi colligere fas esse volunt Sectarij, cur non liceat Theologis Scholasticis longè meliora, veriora, solidioraque rectâ ratiocinatione inde deducere.

Quæ omnia si lector accuratè expendat, apertè intelliget, in Theologiâ Scholasticâ, Sectarios, nec verba, nec ordinem aut methodum, nec consequentiarum, siue dialecticæ, aliarumve disciplinarum vsum propriè reprehendere, quando hæc & ipsi in suâ pseudo Theologiâ imitari studeant; sed solam doctrinam. Defenderent scilicet Theologi nostri, ijsdem planè verbis, eâdemque methodo Scholasticâ, Lutheri, Caluini, Zwinglij doctrinam, iam Scholastica Theologia ab illis supra cœlos eueheretur, quę nunc, ob solam Catholicæ doctrinæ veritatem, ad inferos vsque deprimitur. Interim nos ipsi quædam in Scholasticis quibusdam antiquioribus vitia (multis tamen plerunque virtutibus egregiè compensata) vltrò agnoscimus: vt quòd nonnullis quandoque parùm vtilibus quæstionibus, sæpe etiam alienis commentaria replèrint; quòd subinde contentionibus, ac studijs partium nimiùm addicti: quod sua scripta sacræ scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum sententijs ac decretis minùs instruxerint; quod methodum non semper exactam seruârint. Vt de seculi illius barbarie nil dicamus.

Cuius generis vitia etiam ipse S. Thomas notauit; sed & egregiè etiam corrigere ac deuitare studuit, vt initio suæ summæ ipsemet præfatur his verbis: *Consideranimus namq; huius doctrinæ nouitios, in ijs, quæ à diuersis scripta sunt, plurimùm impediri: partim quidem propter multitudinem inutilium quæstionum, articulorum, & argumentorum; partim etiam, quia ea, quæ sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundum ordinem disciplinæ, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se præbebat occasio disputandi. Partim quidem, quia eorundem frequens repetitio, & fastidium, & confusionem generabat in animis auditorum.* Ita S. Thomas.

Sed nos vitia, vt dictum, non laudamus, sed ipsam per se Scholasticam Theologiam, vti potissimùm à Magistro sententiarum initio tradita, atque à S. Thomâ posteà illustrata fuit, commendatione dignissimam censemus. Quanquam non negandum, ad eam ipsam Scholasticam Theologiam, etiam à posterioribus Theologis huius seculi, quos & maior copia librorum instructiores reddidit, & ipsa tempora, hæreseonque variè circumstrepentium insultus, ad scripturæ sacræ, sanctorumque Patrum ac Conciliorum diligentiorem lectionem & studium compulerunt, non exiguum decus ac robur accessisse. Quâ de causâ etiam in assertione dixi, hoc potissimùm tempore, quo tot hæresibus Ecclesia infestatur, breuitate illâ, methodo, & robore Scholasticæ Theologiæ inprimis opus esse. 5

Quæ verò contra hanc assertionem Sectarij obijciunt, nullius momenti sunt, & ferè soluuntur ex dictis; ac videri ex instituto possunt apud Gregorium de Valentiâ cit. q. 1 p. 2. & Gabrielem Vasquez q. 1. a. 1. disp. 3. cap. 3. 4. 5. 6 Illud solum obseruandum: In scripturâ, & apud SS. Patres, nonnunquam reprehendi secularis Philosophiæ, ac præcipuè Dialecticæ, in rebus diuinis vsum, non absolutè & per se, sed per accidens, si vel immoderatus sit, omnisque altioris doctrinæ expers; vel etiam arrogans & superbus, qui se fidei, altioriquę lumini diuinæ reuelationis submittere dedignetur, vti accidit in Ethnicis Philosophis, & quibusdam etiam hæreticis, Eunomio, Aëtio, Sectatoribusque Theodoti, apud Eusebium lib. 5. cap. vltimo.

Alioquin sobrium vsum Dialecticæ etiam in Theologicis disputationibus commendat S. Augu-

stinus, contra Cresconium, itidem Dialecticæ criminatorem lib. 1. cap. 13. 14. 15. 16. 17. & ex ipsis etiam sectarijs Wittakerus cõtra Bellarminum in præfat in disputationibus requirit, vt quicquid dicitur ad syllogismi regulas reuocetur. Beza in Colloquio Mompelgartensi (pag. 45.) contra Schmidelinum disputans: *Hoc est concionari*, inquit, *non disputare: Ego libentissimè peterem, vt syllogisticè ageremus; sic enim melius apparerent omnia. Nec ignoras, quamuis aliud sit esse Logicum, & aliud esse Theologum, tamen etiam in Theologiâ λόγον habere locum; modo principia & confirmationes ex Theologiâ sacrâ petantur.* Hactenus Beza: vtcunque aliàs sectarij dialecticam in eiusmodi disputationibus enixè fugiant, non minùs, quàm Luciferianus ille hæreticus, quem S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, his verbis orthodoxo loquentem inducit: *Oro te, vt philosophorum argumentatione depositâ, Christianâ mecum simplicitate loquaris; si tamen non Dialecticos sequeris, sed piscatores*, (Apostolos.) *Non Philosophicè, sed Christianè mecum loquaris.* De quâ re contra Sectarios pluribus egi in Relatione de Colloquio Ratisponensi part. 3. cap. 2. & 3. & in Examine Hunnianæ Relationis de eodem Colloquio, cap. 4. 5. 6. 7 8. 9. vbi speciatim etiam ostendi, quanto odio Lutherus Dialecticam fuerit prosecutus.

DVBIVM III.

An & quo modo necessaria sit ad salutem doctrina reuelata & Theologica, etiam de ijs rebus, quæ de Deo naturali ratione inuestigari possunt.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 1.

1 EXpositum est hactenus, quanam ratione ad salutem necessaria sit doctrina sacra & Theologica, tum vniuersè de rebus ac veritatibus salutem concernentibus: tum potissimùm de illis veritatibus, quæ rationem naturalem excedunt; vt sunt pleraquè ac potissima fidei pronunciata ac mysteria: restat verò nonnulla dubitatio, de ijs speciatim veritatibus, quæ eum ad salutem quidem hominis pertineant, per se tamen naturale rationis lumen non excedunt, quales sunt istæ. Deum esse; vnum esse; eumque mundi Effectorem esse, ac prouidentiam curamque rerum creatarum, præcipuè hominum genere, &c. Nec tam est quæstio de ipsâ Theologiâ propriè, quàm vniuersim de doctrinâ reuelatâ. Cui dubitationi occasionem præbuit S. Thomas hic q. 1. a. 1. vt mox patebit.

Estque hac de re, ab alijs Scholasticis antiquioribus ferè prætermissâ, triplex Doctorum recentiorum sententia. Prima est Caietani hic q 1. a 1. qui absolutè docet, respectu harum veritatum Theologiam, seu doctrinam reuelatam tantùm esse necessariam ad bene esse, non simpliciter.

Secunda Gregorij de Valentiâ eâd. q. 1. punct. 2. qui dicit, non esse quidem simpliciter necessariam singulis; in quo cum Caietano conuenit; esse tamen necessariam multis, adeoque vt omnes possint consequi salutem, quantum est ex parte necessariæ cognitionis eiusmodi veritatum.

Tertia est Dominici Bannis hic q. 1. a. 1. Ludouici Molinæ ibidem d. 1. Gabrielis Vasquez eod. art. 1. disp. 1. qui contra Caietanum simpliciter asserunt, reipsâ & ex mente S. Thomæ, doctrinam reuelatam, adeoque Theologicam, simpliciter necessariam esse etiam respectu istarum veritatum, & non tantum ad bene Esse.

Vt res hæc explicetur notandum primò, in præsenti non esse quæstionem de omnibus veritatibus naturalibus collectiue; nec etiam de quibuslibet sigillatim. Constat enim omnes veritates collectiuè acceptas, absque speciali reuelatione Dei, adeoque sine doctrinâ reuelatâ non posse cognosci, vt fatentur etiam Gregorius de Valentiâ, & Zumel locis cit. Quod etiam suo modo de quibusdam seorsim & singillatim acceptis verissimè dici potest; v. g. ad certum numerum stellarum; ad indiuiduas hominum complexiones; ad Angelorum proprias & vltimatas differentias ac numerum; ad tot tamque varias plurimarum rerum naturalium antipathias & sympathias; ad cœlorum corporumque cœlestium substantiam, numerum, proprietates, vim & efficientiam, motusque exactè ac distinctè cognoscendos, &c. quæ tametsi ab Angelo, vel etiam dæmone fortassis, hominum alicui manifestari possent, ea tamen ipsa cognitio etiam nec planè naturalis iam esset, sed potiùs à superiori substantiâ reuelata; nec à dæmone solo, vtpote mendaci spiritu profecta, vllam certitudinem parere posset. Sed neque Aristoteles, aut Philosophi vnquam cognouissent, tantam esse distinctionem inter naturam & suppositum; vt nec inter existentiam & subsistentiam; siue etiam inter quantitatem & extensionem localem corporis, si non ex fide, Theologica ratiocinatio id docuisset. Quæstio ergo solùm est in præsenti, de ijs veritatibus naturalibus, quæ etiam ad Deum pertinent; & quarum cognitio alioqui necessaria est ad salutem, vt sunt illæ, quas diximus.

Notandum secundò, aliud dicendum esse, si loquamur de cognitione eiusmodi veritatum in genere; aliud si loquamur de illâ definitè ac in specie, quatenus ad salutem simpliciter necessaria est; quod rectè aduertit Molina hic cit. a. 1 disp. 1. Etenim priori sensu res non difficulter decidi potest.

Breuiter enim dicendum est, (quod etiam primæ assertionis loco constituimus) ad certam ac firmam veritatum istarum cognitionem in genere, non esse necessariam simpliciter doctrinam reuelatam; nec omnibus & singulis nec pluribus: sed tantum ad bene Esse. Hoc sensu veram censeo sententiam Caietani, & agnoscit etiam Molina loc. cit. Et est procul dubio mens S. Thomæ hic q. 1. a. 1. vbi ita loquitur: *Ad ea etiam, quæ de Deo ratione naturali inuestigari possunt, necessarium fuit, hominem instrui reuelatione diuinâ; quia veritas de Deo per rationem inuestigata, à paucis, & per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum, homini proueniet, &c. Vt igitur salus hominibus, & conuenientius & certius* (non dicit, simpliciter) *proueniret, necessarium fuit, quòd de diuinis per diuinam reuelationem instruerentur.* Eodem modo loquitur lib. 1. cont. Gent. cap. 4. vbi propterea necessariam esse docet reuelationem circa hæc diuina; quia *plerunq;*

inquit,

inquit, *inuestigationi rationis humanæ falsitas admiscetur; & quia apud multos in dubitatione manerent ea, quæ de Deo demonstrantur, & vt sic de facili omnes possent diuinæ cognitionis participes esse.* Neque verò contrarium docet 2. 2. q 2. a. 4. quando etiam ibi plus non dicit, quàm reuelationem de eiusmodi veritatibus fuisse necessariam, tum vt citiùs, tum vt plures; (quàm nimirum si sola demonstrationis seu naturalis rationis notitia & via suppeteret) tum etiam vt firmiùs eiusmodi veritatum notitiam homines assequerentur; *proinde inuestigationem naturalis rationis*, inquit resp. ad 1. *non sufficere humano generi ad cognitionem diuinorum, etiam quæ ratione ostendi possunt.* Denique resp ad 2. indicat, etiam fidem diuinam eiusmodi veritatum requiri apud eos, qui euidentiâ carent: de quâ paulò pòst.

3 Probatur assertio. Quia de Deo paucæ sunt veritates naturales necessariò ad salutem cognoscendæ; & ex se valdè claræ & perspicuæ; vti sunt illæ, quas diximus, Deum esse, vnum esse, Creatorem seu effectorem rerum esse, prouidentiam rerum habere, &c. quas plerique Ethnici Philosophi euidenter cognouerunt, & sanè ita cognosci posse, ipsamet scriptura apertè docet Sap. 13 v. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et infra, v. 9. *Si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare seculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Et similia habentur in epistolâ ad Rom. cap. 1. v. 20. vt suo loco disp seq q. 1. pluribus dicetur. Alij verò, qui huiusmodi demonstrationes non habent, partim etiam acquirere ipsi nonnullo studio; partim firmam saltem & indubitatam de ijsdem veritatibus fidem acquisitam, maiorum authoritate & vnanimi consensu nixam, sibi comparare facilè possunt, vt mox iterum dicetur.

Posteriori verò sensu, tametsi quidem in primis tractata videatur hæc quæstio ab Auctoribus, quando signanter de harum veritatum cognitione necessariâ ad salutem agunt, vix tamen potest hoc loco expediri; cùm eius resolutio inde pendeat, An etiam istæ ipsæ veritates, non obstante earum naturali euidentiâ, possint, aut debeant, per diuinam fidem credi: si enim ita est, tum vtique non minùs ad salutem necessaria est de his doctrina reuelata (sine quâ nulla est fides) imò etiam Theologica, iuxta discursum dub. 1. expositum, quàm de veritatibus supernaturalibus; cum fidei ratio obiectiua etiam de veritatibus eiusmodi naturalibus non minùs sit supernaturalis, ac diuinâ reuelatione nixa; quàm de alijs; licet ex parte materialis obiecti sit discrimen, quòd illarum notitia in habentibus euidentiam non possit absolutè ita labefactari, sicut earum rerum, quæ sunt solùm per reuelationem cognitæ.

Si verò non est absolutè necessaria fides de his veritatibus, vt fortè supponunt illi, qui negant simpliciter necessariam esse reuelationem, propter harum veritatum cognitionem, tum nihilominus adhuc restat quæstio, vtrum in ijs, qui fidem diuinam earum veritatum non habent, necessariò requiratur ad salutem saltem euidens earundem veritatum cognitio per demonstrationem; vti quidem significare diximus S. Thomam 2. 2. q. 2. a. 4 ad 2. an verò potiùs ad salutem sufficiat etiam alia quædam cognitio inferior earundem veritatum (suppositâ fide aliarum) cuiusdam scilicet firmæ fidei humanæ, præsertim coniunctæ cum euidentiâ quadam morali; qualis est v. g. etiam de hac veritate, existere Romam; Aristotelem fuisse Philosophum, Ciceronem Oratorem, &c. Nam si fides humana earum veritatum (suppositâ fide diuinâ aliarum) sufficit ad salutem, tum iterum fatendum. simpliciter ad salutem necessariam non esse doctrinam reuelatam de his veritatibus, saltem regulariter & à toto genere loquendo. Omnes enim & singuli non minùs facilè per fidem humanam, idque sæpe etiam cum quadam euidentiâ morali coniunctam, tales veritates de Deo credere possunt, quàm per ipsam fidem diuinam, vt per se constare videtur: præsertim cum plæræque gentes, hoc saltem tempore, in eo consentiant, vnum esse Deum, &c. Quod si qui dissentiant, ijs tamen ordinariè, ac per se loquendo; non minùs per fidem humanam, quàm diuinam id credibile fieri posse videtur. Si autem non sufficit ad salutem firma fides humana de his veritatibus, suppositâ fide diuinâ aliorum articulorum, tum sanè oportebat Auctores, qui necessitatem reuelationis in his etiam veritatibus asseruerunt, id verbo saltem indicare, quod non fecerunt citati. Et sanè quia res hæc tota ad materiam de fide pertinet, exacta eius explicatio ad eum locum meritò remittitur.

Interim supponendo, vt in materiâ de fide Deò volente docebimus, neque medij, neque per se etiam præcepti necessitate necessarium esse ad salutem, vt hoc præcisè obiectum naturale, Deum, vt author est rerum naturalium, esse; prouidentiam earundem rerum habere, &c. per se ac separatim diuinâ fide credatur; etsi quidem vt alijs fidei veritatibus supernaturalibus inuolutum est, ita credi necesse sit; sed sufficere, aut fidem diuinam illius obiecti, aut cognitionem euidentem saltem per demonstrationem, si non etiam per consentientem testificationem maiorum; simul tamen etiam minimùm necessariam esse quandam saltem moralem euidentiam eiusmodi veritatum naturalium, ex consentiente testificatione maiorum ortam; hoc inquam supposito, est hæc

Assertio II. Respectu eiusmodi veritatum naturalium de Deo, non videtur singulis ad salutem necessaria simpliciter doctrina reuelata & Theologica; sed tantùm ad bene Esse: etsi quibusdam sit necessaria etiam simpliciter. 4

Prior pars huius assertionis, vt vidimus, est S. Thomæ, Caietani, Gregorij de Valentiâ, locis cit. Nec dissentit Franciscus Zumel hîc q. 1. a. 1. concl. 3. qui tantùm asserit, necessariam esse doctrinam reuelatam & Theologicam, non quidem ad singulas veritates naturales, sed ad omnes: *ita*, inquit, *quòd sine doctrinâ hac reuelatâ necessarium est in plurimis errare*; quod libenter concedimus. Nec plus probant argumenta contrariæ sententiæ apud Gabrielem Vasquez, & Dominicum Bannem locis cit. qui frustrà Ethnicorum Philosophorum, vt Platonis, Aristotelis, Ciceronis, errores in rebus ad mores pertinentibus speciatim enumerat. Ratio assertionis patet ex dictis circa primam assertionem.

Posterior pars est non solùm Bannis & Vasquij, sed etiam Gregorij de Valentiâ, & Zumel locis citatis, & probatur ex eo; quia multi nec per se acquirere

possunt

possint demonstrationes earum veritatum; nec etiam vim earum ab alijs propositarum moraliter satis percipere, ob ingenij hebetudinem, & varias distractiones: imò multi nec moralem quidem euidentiam eiusmodi veritatum acquirere possunt, ob locorum, in quibus degunt, barbariem, & praua educationis consuetudinem. Consequens est igitur, ex facta superiùs hypothesi, quibusdam non tantùm ad bene Esse, vt facilius scilicet acquirant eiusmodi veritatum notitiam, sed etiam simpliciter (moraliter tamen) necessariam esse talium veritatum reuelationem, seu reuelatam doctrinam, tam fidei, quàm etiam suo modo Theologiæ, vt in simili dictum dub. 1.

Atque ex his iam colligitur primò, quod præcipuè à S. Thomâ hîc q. 1. a. 1. spectatum fuisse diximus, Theologiam, siue Theologicam doctrinam, etiam prout à fide, seu reipsâ, seu formaliter distinguitur, existere in rerum naturâ: quia Dei prouidentia in eiusmodi rebus, toti Ecclesiæ communitati necessarijs ad salutem, non deficit. Accedit, quòd suppositâ Theologiæ notione, esse videlicet habitum, siue doctrinam, quâ fides exponitur, defenditur, illustratur, per se ex ipso quotidiano Ecclesiæ vsu notum est, habitum eiusmodi existere.

Colligitur secundò, quænam vniuersim sit mens S. Thomæ hîc quæst. 1. a. 1 dum absolutè asserit & concludit, necessarium fuisse, *sacram doctrinam per reuelationem haberi*: quæ res non eodem modo ab omnibus explicatur. Nam omissâ sententiâ Caietani hîc q. 1. a. 1. vbi docet, S. Thomam nomine sacræ doctrinæ intellexisse doctrinam formaliter vel virtualiter reuelatam in genere, prout abstrahit à fide & Theologiâ, quod iam dub. 1. refutauimus; sunt etiam alij, qui existimant, S. Thomam eo nomine non intellexisse Theologiam, prout à fide distinguitur, seu prout est habitus conclusionum, atque ad ipsam fidem tuendam spectat; sed prout aliquo modo includit cognitionem etiam ipsorum principiorum; siue quia reipsâ idem sit habitus cum habitu fidei saltem acquisitæ, vt vult Gabriel Vasquez hîc quæst. 1. art. 1. dub. 1. siue quia Theologia etiam aliquo modo inuoluat eam cognitionem veritatum fidei, saltem veluti principiorum, quæ supponit, vt dicit Molina hîc q. 1. art. 1. disp. 2.

Sed neutrum probatur. Tum quia nec contextus verborum S. Thomæ, nec scopus propositæ ibidem quæstionis satis saluatur; vt in simili ferè de Caietani sententiâ dictum dub. 1. præterquam quòd Vasquez falsò supponit, Theologiam esse eundem reipsâ habitum cum fide acquisitâ, vt inferiùs dicemus q. seq. dub. 2.

Dicendum est igitur cum Valentia hîc quæst. 1. p. 1. Zumel ibidem a. 1 quæst. 1. & communi Recentiorum (vt iagnoscit Vasquez) S. Thomam locutum fuisse de ipso Theologiæ habitu etiam secundum se, prout à fide distinguitur. Est enim hic eius processus. Pro antecedente sui Enthymematis sumit S. Thomas hoc principium. Necessarium fuit hominem instrui per diuinam reuelationem, tum de rebus ac veritatibus, quæ naturale rationis lumen excedunt, vt est inprimis ipse finis vltimus hominis, ex illo Isa. 64. *Oculus non vidit Deus, absq; te, quæ præparâsti diligentibus te*; tum etiam suo modo (iam hîc superiùs explicato) de quibusdam veritatibus Deum concernentibus, quæ alioqui humanâ ratione inuestigari possunt: Inde his verbis concludit S. Thomas: Necessarium itaque fuit, *præter Philosophicas disciplinas, quæ per rationem inuestigantur, sacram doctrinam* (vtique Theologiam) *haberi*. Quandoquidem per se clarum est, suppositâ necessitate diuinæ reuelationis, seu doctrinæ immediatè reuelatæ, necessariam etiam esse doctrinam illam, quæ ad eam doctrinam immediatè reuelatam, persuadendam, tuendam, & exponendam ordinatur, qualis vtique est ipsa Theologia. Atque hæc de necessitate Theologiæ satis.

QVÆSTIO II.

De S. Theologiæ genere, tam proximo, quam remoto.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2, 6. & 8.

ABsoluitur hæc quæstio quinque dubiis. I. Vtrum Theologia sit habitus adhæsiuus, atq; argumentatiuus. II. Vtrum sit opinio aut fides, seu diuina, seu acquisita. III. Vtrum sit scientia. IV. Vtrum sit scientia subalternata, scientia Dei, aut beatorum. V. Vtrum sit sapientia. An verò sit habitus supernaturalis & infusus, dicetur quæst. 4. de attributis eiusdem.

DVBIVM I.

Vtrum Theologia sit habitus adhæsiuus atq; argumentatiuus.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2. & 8.

1 SVppositâ existentia & necessitate Theologiæ, recto ordine S. Thomas hîc q. 1. a. 2. mox genus eius proximum inuestigare studet. Sed quia & idipsum pluribus controuersijs implicatum est; atque simul etiam de remoto eius genere nonnulla à Scholasticis Doctoribus in dubium sunt vocata, quæ apud S. Thomam fuerunt extra controuersiam; idcirco necesse fuit, hanc de genere Theologiæ dissertationem in plura dubia dispertiri; atque ab indagatione remotioris generis initium sumere. Supponunt autem & admittunt omnes, id quod etiam ex se euidens est, Theologiam esse habitum intellectus, non volun-

tatis

tati, aut alterius potentiæ; cum circa cognitionem intellectiuam versetur, vt ex dictis liquet. Solum inquiritur, qualis sit habitus intellectualis.

Et quod ad præsentem dubitationem attinet, vnus ac primus causam ei dedit Petrus Aureolus, qui floruit circa Annum Christi ferè M. CCC XX. (vti ferè, & Durandus, Heruęus, Occam, &c.) & multa in Theologia Scholastica innouauit, tam Scoto, quam etiam S. Thomæ in multis aduersus; quem propterea sæpe ac diligenter, quamuis maiori ex parte necdum typis impressum, refutauit Ioannes Capreolus, iam verò nuper primum Anno MDXCVI. Vaticana Typographia Romæ in lucem dedit. Is igitur lib. 1. sent. prolog. q 1. art. 3. propos. 2. & 3. apertè docet, habitum Theologiæ *non esse adhæsiuum, nec causantem assensum in intellectu, sed tantummodo declaratiuum, qui facit aliquid imaginari melius per intellectum, absq; omni adhæsione.* Sed contraria sententia est vera, vt dicetur.

Assertio I Habitus Theologiæ simpliciter & absolutè est adhæsiuus. Supponit S. Thomas hîc a 2. alijque Doctores communiter, qui docent, habitum Theologiæ esse scientiam; omnis autem scientia est cognitio adhæsiua. Speciatim autem Aureolum hac in parte refellunt Occam q 3. prolog. Gabriel q. 7. prol. a. 1. Gregorius Arriminensis q. 1 a. 4. Maior q. 4. Vasquez d. 5. c. 2. Probatur I. Quia Aureolus ipse loc. cit agnoscit, habitum Theologiæ esse discursiuum: est autem de ratione habitus discursiui, assentiri conclusioni per discursum deductæ. II. Quia Theologia, etiã vt habitus declaratiuus est, necessariò aliquid negat vel affirmat: idq; etiam sæpe mediante discursu; v g. sensum huius loci esse istum, ideò quod in alijs locis idem similibus verbis indicetur; aut quia ita intellexerunt SS. Patres; aut quia hic est linguæ sacræ, vel etiam græcæ idiotismus; aut quia hunc sensum contextus ipse, & collatio eorum quæ antecedunt & consequuntur postulat, &c. III. Quia iuxta communem philosophiam, omnis actus intellectus componentis aut diuidentis, est aut negatio, aut affirmatio, adeoque si iudicium non absit, assensus vel dissensus; qui tamen ipse etiam cuiusdam partis contradictionis adhæsio est. At verò Theologiæ habitus iuxta Aureolum ibidem componit, diuidit, negat, affirmat, vtique non sine iudicio; vt etiam ex dictis patet.

Aliud est, si loquamur de sola apprehensione compositionis aut diuisionis; seu negationis aut affirmationis; hæc enim apprehensio vtique esse potest, & sæpe est, sine assensu; vt cum apprehendo blasphemam affirmationem Iudæorum, pronunciantium Christum habere dæmonium: hoc enim vtique fit absque assensu. Et ratio est. Quia sicut apprehendimus res alias, puta lapidem, lignum; nec tamen ideo intellectus ipse efficit, aut recipit ipsum lapidem & lignum, ita etiam potest apprehendere affirmationem vel negationem aliquam, etiamsi interim cum iudicio nihil affirmet vel neget. IV. Apprehensio sola, etiam distinctissima, cuiuslibet discursus vel cõclusionis Theologicæ, sicut etiam articulorum & veritatum fidei, esse potest etiam in quolibet Ethnico, Iudæo, hæretico; sine omni fide: Theologia verò in infidelibus ac sine fide esse non potest: alioqui infideles esse possent in Ecclesia Doctores & Magistri doctrinæ fidei. Denique habitus apprehensiui tantum, in intellectu, non sunt alij, quam species; quæ quantò sunt expressiores, meliusque dispositæ & ordinatæ, tanto & clarius obiectum repræsentant, & intellectum melius perficiunt, ac iuuant ad perfectiorem apprehensionem obiecti. Quamobrem etiam citati rectè iudicant, eam sententiam Aureoli non solum falsam esse, sed nec intelligi quidem posse.

Obijcit præcipuè Aureolus. Si esset habitus adhæsiuus, adeoque inclinaret ad assensum, tum vel esset scientiæ propriè dictæ, vel opinionis; neutrum est. Ergo, &c. Sed hoc argumentum facilè dissoluetur ex sequentibus, vbi declarauerimus, qualis habitus in specie sit Theologia. Interim respõdetur, falsam esse maiorem; & ex parte etiam minorem, vt inferius dub. 2. & 3. dicetur.

Assertio II. Habitus Theologiæ est habitus argumentatiuus. Ita S. Thomas hîc q. 1. a. 8. & communis ac certa omnium Doctorum sententia, nec ipso quidem Aureolo repugnante, vt dictum. Probatur primò ex scriptura. Nam & Christus ipse, & Apostoli Theologiæ scientia argumentando vsi sunt; vt cum Christus Matth. 22. v. 32. contra Sadducæos ex illo loco Exodi 3. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, &c.* probat, mortuos viuere, adeoque esse resurrectionem mortuorum. Item cum ibidem v. 43. ex illo Psalmi loco, *Dixit Dominus Domino meo,* contra Iudæos probat, Christum non esse purum hominem, solumq; Dauidis filium; naturali videlicet generatione, instar puri hominis ab eo propagatum. Ita etiam Apostolus 1. Cor. 15. v. 13. & seqq. à resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem. Et alia passim quamplurima his similia in scriptura noui testamenti, præcipuè in Epistolis S. Pauli reperiuntur. 2

Secundo idem probatur ratione. I. Quia per hoc maxime Theologia differt à fide, vt dicetur dub. sequenti. II. Hoc postulat triplex ipsius Theologiæ finis. Quorum primus est sacras literas declarare; quod fit partim auxilio peritiæ linguarum, aut etiam historiæ, vel Chronologiæ; partim collatione variorum locorum; sicuti & antecedentium ac consequentium: partim ex analogia doctrinæ fidei; partim argumento ducto ab auctoritate Patrum & Ecclesiæ: qua in re semper aliquem discursum interuenire necesse est: vt etiam circa præcedentem assertionem dictum: nisi forte quandoque in primo casu, si quando vno quasi intuitu, ex clara verborum significatione, sensus scripturæ percipitur; qui tamen non tam est actus Theologiæ; quam partim grammaticæ; quoad nudam apprehensionem seu cognitionem mentis scriptoris; partim fidei, quoad assensum, vt rectè etiam indicauit Durandus prolog q 1. num. 6. & 9. vbi ait: *Theologiam, si accipiatur pro habitu, quo solum, vel principaliter assentimus his, quæ in sacra scriptura traduntur, & prout in ea traduntur, non differre à fide.*

Secundus finis Theologiæ est defendere res fidei contra Aduersarios; tum probando illas; tum etiam obiectiones soluendo: iuxta Apostolum ad Tit. cap. 1. v. 10. de Episcopo ita loquentem: *Vt potens sit exhortari in doctrina sana; & eos, qui contradicunt, arguere;* & Augustinum sæpius citatum lib. 14. de Trinit. cap. 1. asserentem, hac scientia *defendi fidem & roborari* Vbi 3

Digitized by Google

rectè notat S. Thomas hîc q. 1. a. 8. si aduersarius aliquod principium reuelatum admittat, tum ex eo argumentari Theologum posse ad probandum aliud contra eundem; sicut ex auctoritate locisq; scripturę disputamus contra Sectarios. Est enim hoc proprium Theologiæ, vt quemadmodum Metaphysica, cum sit suprema scientiarum naturalium, disputat contra negantem sua principia; si modo aduersarius aliquid concedat; ita etiam Theologia

Si verò aduersarius nullum principium reuelatum admittat, tum contra eiusmodi vniuersim negantes principia, non potest quidem Theologia ex propriis argumentari; potest tamen & satisfacere argumentis obiectis; & credibilitatem fidei probare euidenter, ex generalibus fidei motiuis. Sed quod argumenti genus non est propriè Theologicum, vt rectè etiam notauit Gabriel Vasquez, cum recentioribus Thomistis hîc q 1. a. 8. & satis indicat S. Thomas ibidem, cum dicit, hoc casu *non remanere amplius viam ad probandum articulos fidei per rationem, sed ad soluendum rationes, si quas inducit contra fidem.* Tertius finis Theologiæ est ostendere, quid ex principijs reuelatis consequens sit; quod vel maximè argumentationem requirit, vt per se notum est. Patet igitur ex triplici fine, siue actu Theologiæ, eam esse discursiuam.

4 Assertio III. Theologia est habitus discursiuus, siue argumentatiuus, tum ad probandas ipsius fidei veritates à Deo immediatè reuelatas, veluti principia sua; tum ad conclusiones & consectaria ex ijsdem fidei principijs deducenda; hocque eius officium potissimum est Hæc assertio, excepta vltima eius parte, est communis Doctorum, & apertè asseritur etiam à S. Thoma hîc q. 1. a. 8. & omnibus Interpretibus ibidem; vt & à Durando in prolog. q. 1 licet Aureolus prolog. a 1. aduersetur, vbi vniuersim contra S. Thomam asserit, *articulos fidei non esse principia in Theologia nostra, sed magis conclusiones.* Et infra ait, *totum studium Theologorum esse ad articulos fidei, quasi ad conclusiones declarandas & defendendas.* Ratio patet tum ex dictis præced. assertione. Tum quia vtraque argumentatio spectat ad eundem finem Theologiæ, vt dictum; & procedit ac nititur eadem ratione formali; nimirum principijs reuelatis. Tum quia talis argumentatio non potest spectare ad alium habitum; nam quod Aureolus assensum conclusionis deductę ex duabus creditis seu reuelatis propositionibus, aut ex vna credita & altera necessaria, immediatè non ad Theologiam, sed ad fidem pertinere dicit, cum tamen interim fateatur, fidem non esse habitum discursiuum; id nec inter se satis cohæret; cum ad ipsum vtique habitum discursiuum, non ad alium pertineat assentiri conclusioni; & infra q. 5. vberius refelletur.

Vltima assertionis pars, principaliùs videlicet officium Theologiæ esse, deducere conclusiones siue consectaria ex principijs fidei, quâ ipsa principia probare, est doctrina S. Thomæ cit. a. 8. item Petri de Alliaco in 1. sent. q. 1. art. 3. & communis Doctorum sententia, vt agnoscit etiam Durandus cit. q. 1. prolog. num 8. & 48. licet ibidem ipse contrarium asserat. Probatur. Tum quia nulla scientia principaliter ac per se probat sua principia. Tum quia veritates fidei à summa veritate reuelatæ, per se non indigent probatione; sed propositione. Interim facile concedimus, absolutè præstantius quippiam esse, ipsas etiam fidei veritates immediatè reuelatas probare; negamus tamen ideo, magis per se ac principaliter id muneris spectare ad habitum Theologiæ. Ratum sit ergo ac firmum, habitum Theologiæ esse tum adhæsiuum; tum discursiuum siue argumentatiuum. Iam qualis in specie sit videamus.

DVBIVM II.

Vtrum Theologiæ habitus sit opinio, aut fides; seu diuina, seu acquisita?

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2.

NEc istam quæstionem S. Thomas ex instituto 1
tractat; supponens potius, eam, vti per se claram, nulla indigere explicatione. Sed quia tamen tum à veteribus quibusdam Scholasticis S. Thomam consecutis, tum à Recentioribus res hæc in dubium vocata est, necesse est eam ex instituto declarare.

Præsupponenda autem initio est, tam pro huius, quam sequentium aliquot dubitationum explicatione, diuisio intellectiuorum habituum ab omnibus recepta, quam habet Aristoteles lib. 6. Eth. cap. 3. vbi ait: *Sunt autem ea, quibus anima affirmando, aut negando verum dicit, numero quinque. Hæc vero sunt Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus. Nam existimatione & opinione fieri potest, vt mentiamur.* Vbi Aristoteles, quinque habitus intellectiuos constituit, quibus semper verum dicitur; quos etiam ea de causa Aristoteles cap præced. in fine virtutes intellectuales appellat: his subiungit existimationem & opinionem, quibus nonnunquam falli intellectum contingit: quas etiam nonnulli hoc loco pro eodem habent: vt videre est in quibusdam Notis ad libros Ethicorum adiectis, in Editione Veneta Anni 1585. Alij communiter distinguunt; & quidem rectius, & magis ad mentem Aristotelis accommodatè; qui particula copulatiua, non autem explicatiua hæc inter se connectit.

Inter hos autem S. Thomas 1. 2. q 57. a. 2. ad 3. pro *existimatione* habet *suspicionem*; cum ait: *Soli illi habitus virtutes intellectuales dicuntur, quibus semper dicitur verum, & nunquam falsum: Opinio verò & suspicio possunt esse veri & falsi, & ideo non sunt intellectuales virtutes, vt dicitur in 6. Ethic. cap. 3.* Eodem modo legit Scotus q. 3. prolog. Quæ interpretatio & lectio textus Aristotelici videtur esse optima; non solum quia existimatio & opinio per se non differunt, sed etiam quia in græco textu pro *existimatione & opinione*, apud Aristotelem habetur ὑπολήψεις καὶ δόξη. Significat autem apud græcos ὑπόληψις non tantum existimationem siue opinionem, sed etiam *suspicionem.* Qua de causa apud Aristotelem eo loco, vniuersim septem habituum intellectualium genera recensentur; quinque quibus semper verum dicitur; duo quibus nonnunquam fallimur; nimirum suspicio & opinio. Quo loco opinio generatim accipitur, pro quocumque assensu probabili fixo, & determinato ad alteram contradictionis partem; qua ratione etiam fi-

iam fidem humanam comprehendit; ita vt omnis humana fides sit opinio; licet non omnis opinio sit fides proprie loquendo: quanquam & Aristoteles, quandoque fidem generatim pro assensu accepit, vt cum ait lib. 1. Top. cap. 1. *Scientiam esse, quæ ex primis, vel ex iis, quæ per prima fidem acceperunt, deducuntur.*

Vnde secundò notandum, etsi quidem, vti dictum, opinio rectè ac propriè ita generatim accipi possit & soleat, vt etiam humanam fidem comprehendat, tamen apud Scholasticos modo quodam loquendi strictiori, ne dicam magis proprio, hæc duo inter se distingui, ita vt fides humana seu acquisita (prout scilicet à diuina & supernaturali fide distinguitur) dicatur assensus proximè ac immediatè nixus testimonio humano; opinio verò assensus alia probabili ratione nixus, vt notauit Vasquez hîc disp. 5. num. 4. licet ibidem addat: *Communiter tamen*, inquit, *pro eodem vsurpamus fidem & opinionem*; quod modo superius explicato accipiendum. In eundem sensum Canus lib. 12. loc. Theolog. cap 2. ait: *Fidem dicere, quæ non auctoritati proximè, sed rationi & syllogismo innitatur, absurdum est. Alioquin si prior propositio certa ex fide sit, posterior autem ratione naturæ, probabilis conclusionis fides erit, non opinio: quod planè falsum est.* Eodem ferè modo loquuntur alij recentiores.

2 Aliud quidem præterea discrimen inter fidem & opinionem assignat S. Thomas 2. 2. quæst. 1. a. 4. vbi dicit; Assensum quoad specificationem non à solius obiecti, sed voluntatis etiam motione procedentem, si quidem sit cum dubitatione & formidine alterius partis, esse opinionem: si autem sit cum certitudine, absque tali formidine, esse fidem. Sed hoc discrimen apud Doctores non est ita receptum: & verius est, vt in 2. 2. fusius dicetur, nec de ratione quidem opinionis esse actualem formidinem, vt rectè & ex communi tradit Vasquez ibidem, contra Occamum, Gabrielem, Arriminensem, & Maiorem infra: sed solum, vt quâtum est ex vi medij probabilis, quo tam fides humana, quam opinio nititur, possit quis dubitare. Ab vtraque verò distinguitur fides diuina, quod & certissima est, & quamdiu ipsa in intellectu perdurat, omnem dubitationem prorsus excludit.

His positis, circa propositam dubitationem, loquendo de Theologia propriè, prout est habitus gignens, nutriens, explicans & defendens diuinam fidem, vt supra diximus, sunt tres Doctorum sententiæ. Prima docet, Theologiam esse habitum fidei acquisitæ, ita tamen, vt Theologus credat esse certissimam. Ita cum Occamo q. 3. prolog. Gabriele q. 7. prolog. art. 1. Arriminensi q. 1. a 4. Maiore q. 4 docet Vasquez hîc disp. 1. n. 8 & disp. 5. n 4. & 5. qui contra citatos addit, posse quoque vocari opinionem; eo quod assensus vel ex solo testimonio humano, vel ex signis, vel ex ratione deductus, fides acquisita appellari consueuerit: Esse autem cum formidine, vel sine illa, parum refert, inquit, vt fides vel opinio dicatur. Fundamentum huius sententiæ est; quòd conclusio Theologica non nitatur propositionibus fidei, vt creditis fide diuina, sed acquisita tantum. Hoc enim posito, planè efficitur, habitū Theologiæ solummodo opinatiuum esse; vtpote assensu tantum opinatiuo, seu fidei humanæ nixum.

Secunda sententia est, habitum Theologiæ esse habitum fidei non humanæ, sed diuinæ & infusæ, quæ inter virtutes Theologicas numeratur. Tribuitur à Ludouico Molina hîc q. 1. a. 2. disp. 2. Scoto; & videtur is quidem ita sentire in 3. d 35. q. vn. vbi asserit, eundem habitum esse, quo assentimur articulis fidei, & conclusionibus, quæ ex illis euidenter deducuntur: *Scientia*, inquit, *& intellectus circumloquuntur habitus fidei, perfectum & imperfectum.* Et infra, ad argumentum, quo fuerat illatum, vti in scientia acquisita, ita etiam in infusa, *alium debere esse habitum cognoscendi articulos; & alium cognoscendi consequentia vel explicita ex articulis.* Respondet, consequentiam non valere: *Quia in creditis*, inquit, *non assentimur propter euidentiam crediti, sed propter veritatem reuelantis; & illa est eadem respectu primorum articulorum, & respectu aliorum explicatorum ex illis; & ideo non est alius habitus vnius & alterius; quia est idem obiectum sub eadem ratione formali.* Ita Scotus.

Et in eundem sensum supra dist. 34. q. vn. dixerat, intellectum & scientiam in cognitione infusa, *non dicere duos habitus; sed vnum fidei infusæ*; qui secundum statum imperfectum dicatur intellectus; secundum perfectū scientia. *Per intellectum & scientiam*, inquit, *exprimitur fides infusa; ita, quod illa duo non circumloquuntur duos habitus, sed vnum tantum, secundum perfectum, & imperfectum, &c. Potest enim intellectus dici fides imperfecta; quæ est notitia articulorum primorum: & scientia fides perfecta, quæ est explicita notitia de articulis. Sicut in scibilibus naturalibus intellectus dicitur esse principij, & scientia conclusionis.*

Huc ex parte spectat etiam Aureolus q. 1 prolog. a. 2. quatenus & ipse etiam habitum, quo assentimur conclusionibus Theologicis, deductis ex duabus præmissis reuelatis, vel ex vna reuelata, & altera euidēte, eundē docet esse cum fide; negans videl. ipsum habitum Theologiæ esse adhęsiuum; vt dictum dub. præc. Ratio potissimum est. Tum quia etiam conclusiones Theologicæ sunt de fide, & creduntur per fidem. Tum quia non videtur posse assignari essentialis differentia inter fidem & Theologiam.

Tertia verò sententia communis est Theologorum, qui Theologiam tam à fide acquisita, quam infusa distinguunt, vt mox dicetur.

Assertio I. Theologia non est idem habitus cum fide infusa, siue Theologica. Hanc doctrinam vbique supponit S. Thomas hîc q. 1. vbi docet, Theologiam esse scientiam, sapientiam, & habitum argumentatiuum; fidem autem continere principia Theologiæ, adeoq; esse habitum principiorū respectu eiusdem, vt videre est art. 2 6. 8. Deinde a, 6. ad 3. docet, Theologiam *haberi per studium*; cum fides diuina vtiq; sine studio infundatur infantibus. Idem sentit Bonauentura q. 1. prolog. sub fin. vbi apertè fidem à Theologica doctrina distinguit. Idem docet Aureolus q. 1. prolog. art. 3. propos. 1. quicquid superius dixerit. 3

Idem habet Durandus quæst. 1. prolog. à num. 6. vbi cum triplicem Theologiæ acceptionem distinxisset; 1. pro habitu, quo simpliciter cognoscūtur ea, quæ in sacra scriptura traduntur, & modo quo in ea traduntur. 2. pro habitu, quo eadem defenduntur, & declarantur ex quibusdam principijs nobis notioribus. 3. pro habitu eorum, quæ deducuntur ex articulis fidei, dicit, Theologiam primo quidem modo acceptam (quæ tamen acceptio huius loci minus propria est) non differre à fide; sed duo-

Digitized by Google

bus posterioribus modis acceptam supponit esse à fide distinctam. Et ibidem num. 15. ait, per fidem solum *assentiri nos alicui, vt reuelatum est à Deo, & non vt est ab alio deductum deductione humana, seu extra scripturam*; vbi apertè & rectè fidem à Theologiæ habitu distinguit.

Idem ex communi docent Vega lib. 9. in Concilium Trident. c. 39. Caietanus hîc q. 1. art. 1. & seqq. & in 2. 2. q. 1. a. 1. Bannes & Arragonius ibidem, Valentia ibidem, & hic q. 1. p. 3. §. 3. & punct. 5. §. 2. Molina hîc q. 1. a. 2. disp. 2. Vasquez loc. cit. disp. 5. num 5. & 6. Franciscus Albertinus tom. 1. princ. 3. per omnia corollaria. Denique Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 2. redarguens quosdam, qui Theologię consequentias dixerunt ad fidem pertinere, ait: *Quæ ratio ridicula est, & iure à pleriſq; reprehenditur. Est enim facile & apertum fidei Theologiæq; discrimen, cum fides proximè, & vt sic dicam, immediatè auctoritate niti-tur; Theologia verò proximè & immediatè ratione. Habent enim se fides & Theologia non aliter, quam habitus principiorum & scientia conclusionum.* Ita Canus.

Neque ab hac sententia vniuersim dissentit Scotus. Is enim in 3. d. 24. q. vn. in responsione ad argumenta secundæ sententiæ apertè dicit, habitum Theologiæ, quo fides defenditur, esse distinctum ab habitu fidei: *Scite*, inquit, *quod simplices credunt omnia, quæ Ecclesia, implicitè; nec sciunt fidem explicare vel defendere. Ideo illi, qui hoc sciunt, habent habitum distinctum à fide, sed non alio lumine, quam sit fides. Nec iste habitus innititur principijs euidenter notis in aliquo lumine: isto tamen habitu non pollent plurimi fideles; quia ille habitus distinctus est à fide.* Ita Scotus.

Vnde etiam sententiam Scoti in hunc modum refert Aureolus in prolog. quæst. 1. art. 2. nimirum ex sententia Scoti (cit. lib. 3. distinct. 24. quæst. vnic.) habitum Theologiæ *tripliciter sumi posse, primò pro habitu Prophetarum & Apostolorum, & aliorum scribentium libros sacros. 2. pro habitu, qui relinquitur ex sensu literæ scripturarum; eliciens nimirum simplicem assensum eorum, quæ sunt in scriptura. 3. pro habitu qui gignitur ex scripturarum expositione, & dubiorum solutione, & immixtione philosophiæ*: & ex his primum esse habitum quendam euidentem fide altiorem, vtique prophetiæ; secundum esse ipsius fidei; tertium verò habitum, ab vtroque præcedente distinctum. Ex quibus patet, hanc esse communem tam veterum, quam recentiorum Scholasticorum sententiam, Theologiam, de qua in præsenti loquimur, esse habitum à fide distinctum.

4 Probatur assertio, primò ex dictis quæst. 1. dub. 1. assert. 3. vbi ex scriptura, & SS. Patribus probauimus, non omnes fideles habere habitum Theologiæ. Certè Augustinus ibidem citatus disertè ait, *hac scientia non pollere fideles plurimos, etsi polleant ipsa fide plurimum*; & ibidem cognitionem fidei à cognitione Theologica distinguit, vt dictum loc. cit.

Secundo probatur tatione. Tum quia ratio formalis obiectiua, seu obiectum formale Quo, siue ratio assentiendi, vtriusque habitus est diuersissima; nimirum sine discursu, & cum discursu; vt superiùs obiter ex S. Thoma, Durando, & Cano retulimus, & ex instituto declarabitur quæstione sequenti. Tum quia etiam in scientijs naturalibus habitus principiorum, distinguitur ab ipso habitu conclusionum & scientiæ, vt docent etiam Scotus loc. cit. in 3. dist. 35. Durandus 3. d. 33. q. 1. ad 2. & constat ex Aristotele, qui habitum intellectus ponit distinctum ab habitu scientiæ 6. Eth. cap. 3. & 6. idemque supponunt veluti certum Molina loc. cit. Gregorius de Valentia to. 2. d. 4. q. 3. p. 1. & d. 5. q. 3. p. 2. & alij communiter.

Etsi contrarium docet Vasquez hîc q. 1. in comment. a. 1. num 8 vbi ait: *Theologia, sicut quæcunq; scientia, non solum complectitur notitiam conclusionum, sed etiam principiorum, quæ eidem scientiæ propria sunt. Neq; enim vnus est habitus distinctus circa principia, & alius circa conclusiones, sed vnus & idem, extensione maior. Excipio*, inquit, *principia vniuersalissima, quæ non propria alicuius scientiæ, sed omnibus communia sunt: hæc enim ad diuersum habitum spectant.* Sed in primis hæc exceptio non videtur solida ratione niti: cum principia etiam vniuersalissima non aliter se habeant ad vniuersalissimam, hoc est, Metaphysicam scientiam, quam particularia principia (modo sint verè per se nota, quæ in illa scientia non probentur) ad scientias alias. Imò Durandus loc. cit. asserit, per habitum intellectus scientiæ oppositum, ab Aristotele loc. cit. intelligi solum habitum particularium principiorum; non quod vniuersalia ad scientiæ habitum pertineant; sed quod illis sola vi naturali intellectus, sine omni habitu assentiamur; de quo tamen in præsenti non disputo. Deinde ipsemet Vasquez disp. 4. cap. 4. num. 9. ait: Hoc solo differre intellectum à scientia, quod hæc est per discursum; ille verò sine discursu; *in quo nobiscum, conuenit Scotus, &c.* Quod si ergo hæc differentia duos distinctos habitus constituit, quomodo vnus & idem habitus humanæ scientiæ potest sine discursu, & cum discursu assentiri? Atque ex dictis satis etiam patet responsio ad argumenta contrariæ sententiæ superius proposita.

Assertio II. Habitus Theologiæ, simpliciter dictæ (prout fidelium Doctorum proprius est) non est habitus opinatiuus, aut fidei humanæ siue acquisitæ. Ita docet S. Thomas in hac tota quæstione varijs modis. I. quando art 1. in corp. ait, *sacram doctrinam per reuelationem haberi.* Et ibidem ad 2. hanc scientiam tractare de rebus naturalibus, *secundum quod cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis.* II. Art. 2. in corp. ait, *sacram doctrinam* (ratione adiuncti habitus principiorum) *credere principia reuelata sibi à Deo*: & ibid. ad 2. sacram doctrinam *fundari super reuelationem diuinam.* III. Art. 3. in corp. & ad 2. ait, *quæ in diuersis scientijs tractantur sacram doctrinam considerare sub vna ratione, in quantum sunt diuinitus reuelabilia; vt sic*, inquit, *sacra doctrina sit velut quædam impressio diuinæ scientiæ.* IV. Art. 4. in corp. rursum docet, *rationem formalem, quam in diuersis scientiarum obiectis attendit esse, quod sint diuino lumine cognoscibilia.* V. Art. 1. in corp. ait, hanc scientiam *habere certitudinem ex lumine diuinæ scientiæ.* VI. Art. 6 ad 1. ait, sacram doctrinam *non supponere sua principia ab aliqua scientia humana, sed à scientia diuina.* Et ibid. ad 2. dicit, *propriam huius scientiæ cognitionem esse per reuelationem.* VII. Art. 8. in corp. & ad 2. ait, Theologiam argumentari ab auctoritate, *quæ fundatur super reuelatione diuina.* In quibus omnibus locis patet, S. Thomam pro ratione assentiendi Theologiæ nusquam constituere lumen, seu rationem, seu fidem humanam; sed lumen diuinum & supernaturale ipsius reuelationis diuinæ.

Idem

Idem docent communiter illi, qui dicunt Theologiam esse scientiam; vt dicetur dub. seq. Speciatim Aureolus quæst. 1. prolog. art. 1. sub fin. vbi dicit, *absonum esse dicere, habitum Theologiæ non esse nisi opinionem.* Idem apertè docent Caietanus, Canus, Gregorius de Valentia, Molina, Bannes, Zumel, Albertinus locis citatis; qui in hoc etiam conueniunt, ipsam fidem diuinam ac supernaturalem esse habitum principiorum nostræ Theologiæ.

Ex quo etiam probatur assertio. Quia habitus ille, qui ex principijs reuelatis, etiam vt creditis fide diuina, per euidentem consequentiam colligit suas conclusiones, ac propterea illis assentitur, non potest esse habitus opinatiuus, aut fidei humanæ, sed est eo multò excellentior & certior; vt agnoscit etiam ipsemet Vasquez loc. cit. & disput 9. num 12. Sed datur habitus eiusmodi Theologicus, qui ex principijs reuelatis etiam vt creditis diuina fide colligit suas conclusiones, ac propterea illis assentitur, hæcque ipsa est Theologia propria fidelium Doctorum: Ergo habitus iste Theologiæ non est habitus opinatiuus, aut fidei humanæ; sed eo multò excellentior & certior. Maior constat; quia ratio formalis obiectiua fidei humanæ, aut habitus opinatiui, non potest esse supernaturalis, nec etiam euidens; sed solummodo naturalis & ineuidens: cum tamen assensus fidei diuinæ vtique sit supernaturalis, & nitatur ipsa auctoritate diuina. Idem dico, etiamsi principio supernaturali addatur alterum principium euidens; quia nec ista potest esse ratio fidei humanæ seu opinionis, vt dictum.

Minor probatur. Quia ex omni principio, quocunque demum assensu credito, possumus inferre conclusionem proportionatam principijs, ipsique assensui principiorum: Ergo etiam ex veritatibus reuelatis, vt creditis fide diuina. Et quia hoc etiam per se bonum est & laudabile; nec viris doctis habentibus fidei habitum, per auxilium gratiæ difficile, vtique credendum est, Theologos fideles de rebus fidei disserendo, eiusmodi habitum acquirere: idque eo magis, quo fuerint pij magis & illuminati, ac ipsius diuinæ fidei exercitationi addictiores. Vt proinde prorsus non videam, qua ratione vniuersim negari possit, dari Theologiæ habitum, qui nitatur principijs vt creditis fide diuina. Quod si eiusmodi habitus datur, nulla est dubitatio, quin sit ille ipse Theologiæ habitus, de quo disputamus, proprius vt dictum fidelium Doctorum; nam acquisitus ille, vt fatetur ipse etiam Vasquez, potest non minus esse in hæreticis, quoad propositiones, in quibus non errant, quam in Catholicis, vt mox dicetur plurib. infra q. 4. dub. 1. vbi de naturalitate & supernaturalitate habitus Theologici disseremus.

6 Assertio III. Potest tamen in Theologis, etiam Orthodoxis & Catholicis, esse habitus quidam Theologicus, opinatiuus, seu fidei acquisitæ, etiam de Conclusionibus Theologicis euidenter deductis ex principijs reuelatis. Quoad hoc placet sententia auctorum, quos primo loco retuli; quam ita etiam Anno MDCIX. in Academia Ingolstadiensi publicè docui; ac postea Anno MDCXVIII. cum eandem illic materiam denuo prælegerem, non sine quadam animi voluptate reperi traditam, in edito interim opere, à nostro Christophoro Gillio lib. 1. de Theolog. tractat. 2. cap. 7. numer. 4. & 5.

Probatur assertio 1. Vbicunque datur ratio formalis obiectiua habitus opinatiui, illic fatendum est, etiam dari habitum opinatiuum; cum habitus iste ab alijs non differat necessariò ratione obiecti materialis, sed solum per rationem formalem obiecti: sed in Theologis etiam fidelibus, assentientibus conclusionibus Theologicis ob principia reuelata, locum habet ratio formalis obiectiua habitus opinatiui: Ergo, &c. Minor probatur: quia ratio formalis obiectiua habitus opinatiui, sunt principia vt probabili solum ratione, seu fide humana credita: Atqui Theologi fideles conclusiones Theologicas colligentes, etiam ex principijs reuelatis per euidentem consequentiam, sæpe tantum ex ijs principijs argumentantur, vt creditis fide humana, aut probabili ratione; certè quidem ita argumentari facilè possunt.

Quod vlteriùs etiam ita probatur. 1. Quia talis 7
assensus veritatum fidei non solum honestus & possibilis est, sed etiam facilis & maximè obuius, si non etiam necessariò præuius ad assensum fidei supernaturalis, vt suppono ex materia de fide: præterquam quod per se constat, non semper teneri hominem assentiri propositionibus fidei, propter rationem obiectiuam supernaturalem. Credibile est ergo, Theologos differentes de rebus fidei sæpe tali solum assensu principiorum esse contentos. Et cum ex omni principio, quocunque demum assensu credito, possimus inferre conclusionem proportionatam principijs, constat etiam ex propositionibus fidei, vt creditis humana fide, seu opinatiuo assensu, inferri subinde ab ijsdem conclusiones proportionato assensu credendas, qui non potest non esse opinatiuus, seu fidei cuiusdam humanæ.

II. Cum ad quemlibet actum fidei diuinæ requiratur præuia inspiratio diuina, seu gratia excitans, vt docetur in 1. 2. quæst. 109. nec is vnquam possit esse peccaminosus, vt ex materia de fide suppono, certè fatendum est, nonnunquam Theologos, etiam Orthodoxos, cum præsertim in disputationis feruore versantur; & quandoque etiam, ob prauitatem circumstantiæ finis, aliarumve circumstantiarum, &c. suas dissertationes saltem veniali quadam macula aspergunt, assentiri propositionibus fidei, non per fidem diuinam, sed solum humanam.

III. Quia ad assensum fidei diuinæ, requiritur apprehensio diuinæ reuelationis: atqui subinde cum ratiocinamur ex principijs etiam reuelatis, non semper apprehendimus in illis diuinam reuelationem, vt experientia videtur constare.

IV. Quia experientia eadem testatur, etiam post amissum fidei habitum, ob vnicum errorem fidei contrarium, de cætero manere in hæretico eandem facilitatem & habilitatem non solum ordinatè & distinctè apprehendendi propositiones; quod ad memoriam & species intelligibiles, quæ remanent, spectat; sed etiam assentiendi illis, & ex illis vt sic deducendi conclusiones Theologicas: atqui habilitas & facilitas illa non potest esse nisi habitus aliculus adhæsiui, ex actibus comparati: si enim præteriti actus nullum habitum post se reliquissent, fatendum

esset, nihil eorum quidem ratione, intellectum ad assensum facilitari, cum actus, præsertim intellectus, nonnisi mediante habitu potentiam facilitare soleant: nisi quis omnem rationem & necessitatem habitus acquisiti è medio tollere velit. Quod quidem non satis aduertisse videntur ij, qui eiusmodi habilitatem in solum actuum præteritorum exercitationem referunt, absque vllo habitu ex illis relicto. Nec satis etiam aduerterunt alij, qui hanc facilitatem tantum retulerunt ad conseruationem specierum, &c. Nec verò talis habitus adhæsiuus potest esse alius, quam opinatiuus, aut fidei humanæ, saltem latè acceptæ, vt dictum. Atque hoc solum probat fundamentum primæ sententiæ superiùs adductum.

8 Dixi verò in Assertione primò, *aliquis Theologiæ habitus*. Nam vtrum hic habitus simpliciter & absolutè, adeoque verè & propriè, an solum analogicè dicendus sit Theologiæ habitus, de hoc nolim contendere: quamuis quidem iuxta scripturæ, Patrum, ac communem Theologorum phrasin, non nisi analogicè sic dici videatur; cum verè ac propriè non procedat ex principijs reuelatis vt sic, sed quæ putentur reuelata. Hoc certum, iuxta consuetum loquendi vsum Theologorum, & communem sententiam, cum absolutè Theologia dicitur, alium multò excellentiorem habitum intelligi, vt dictum.

Dixi secundò, in Theologis *etiam Orthodoxis*, quia hæreticos posse de propositionibus Theologicis, in quibus non errant, habitum Theologicum opinatiuum analogicè dictum adipisci, per bonas argumentationes, quas de rebus quibusdam fidei habent, per se constat, & à nemine negatur; non magis, quam quod habitum Theologiæ ante hæresin acquisitum retinere possint, vt dictum.

Dixi tertiò, de conclusionibus *ex principijs etiam reuelatis euidenter deductis*; quia de illis, quæ ex principijs solum probabilibus inferuntur, res est per se nota, vt suo loco inferiùs dicetur dub. sequenti.

DVBIVM III.

Vtrum Theologia sit scientia propriè dicta.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2.

1 ACtum est hactenus de ijs habitibus, opinione, scilicet, & fide humana, (cui ob affinitatem diuinam fidem adiunximus) quibus non semper verum dicitur, quique proinde etiam ab Aristotele, lib. 6. Ethicor. cap. 2. & 3. à numero virtutum intellectualium excluduntur. Nunc inquirendum est, an Theologia sit aliquis habitus, ex ijs, quos Aristoteles virtutes intellectuales ibidem appellat; nimirum Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intellectus.

Qua in re notandum primò, apud omnes constare, Theologiam non esse artem; quia non versatur circa factibilia; nec est per se habitus practicus aut operatiuus, vt inferiùs dicetur: nec prudentiam; quia non versatur per se & immediatè circa singularia agibilia hic & nunc: nec intellectum, quia non est habitus primorum principiorum per se notorum, & euidentium; sed est habitus discursiuus & argumentatiuus, vt dictum dub. 1. Qua ratione etiam probauimus, non esse habitum principiorum ineuidentium fidei; qui nonnunquam etiam intellectus latè & quadam analogia dicitur. Solum ergo restat quæstio de scientia, & sapientia.

Notandum secundò, Theologiam latè acceptam, ex parte subiecti, quadruplicem posse distingui. Alia enim primo est increata; quæ in ipso Deo est; vt quidem etiam formaliter esse supponunt Caietanus & Zumel hîc quæst. 1. art. 2. qui asserit eam esse perfectionem simpliciter simplicem; nimirum abstractè acceptam, prout dicit cognitionem sacram certissimam & euidentissimam ipsius Dei rerumque diuinarum. Secundò, alia est in Christo, & beatis, habentibus euidentiam intuitiuam visionis de veritatibus Theologicis. Tertiò alia fuit in B. Virgine, Prophetis, & Apostolis Viatoribus, habentibus earundem veritatum euidentiam non in se, sed in attestante; quia nimirum euidens illis fuit, Deum eiusmodi veritates reuelasse; licet interim nec Deum reuelantem, nec veritates ipsas reuelatas in se euidenter cognoscerent: quod quidem possibile fuisse, supponimus hic ex materia de fide, contra nonnullos qui id negant. Quartò denique alia Theologia est in cæteris hominibus Viatoribus; de qua etsi præcipuè hoc loco, vti in tota hac disputatione, agatur, nonnihil tamen vt doctrina plenior sit, & æquiuocationis occasio excludatur, etiam de alijs hîc dicendum erit.

2 Notandum tertiò, hanc ipsam Theologiam humanam spectari posse vel secundum proprium suum officium & actum, atque adeo secundum ea, quæ ipsi per se conueniunt, quæque ipsius propria sunt; vel etiam secundum ea, quæ ipsi extrinseca sunt & per accidens. Nam per accidens est ipsi Theologiæ, quod Theologus subinde etiam ex principijs euidentibus euidentes conclusiones deducit, non ex ipsius Theologiæ, sed alterius scientiæ naturalis; puta Metaphysicæ, Physicæ, aut etiam Mathematicæ habitu, pro diuersitate obiectorum. Item quod Theologi subinde, ad complementum quoddam suæ doctrinæ, vti etiam aliarum scientiarum Magistri facere solent, probabiliter duntaxat argumentantur; quod officium propriè ad Topicam pertinet; siue quia vna vel vtraque præmissa solum est probabilis: siue quia etiam consequentia non est euidens & certa. Item quod Theologus vsu grammaticæ maximè, & linguarum, siue Chronologiæ aut historiæ profanæ, subinde scripturæ sacræ sensum perueſtigat, absque vlla consequentia ex principijs reuelatis deducta; siue etiam quod ipsis scripturæ sacræ principijs iam cognitis firmiter & distinctè assentitur; quorum posterior est actus fidei; prior, quatenus per se solum spectatur, prout etiam in aliquo infideli esse potest, absque assensu rebus ipsis in scriptura diuinitùs reuelatis adhibito, est actus liberalium artium ac naturalium disciplinarum, vt dictum etiam supra quæst. 2. dub. 2. assert. 2.

Deni-

Denique nec hic proprius Theologiæ actus est, persuadere fidem alicui infideli, nulla principia reuelata acceptanti, solum ex communibus fidei motiuis; puta ab auctoritate Ecclesiæ, à sanctitate eorum qui fidem hanc fuerunt sectati; à constantia Martyrum; à celebritate miraculorum, &c. vt etiam dictum supra quæst. 1. dub. 1. sub fin. Per se autem & propriè ad Theologiam spectat, actusque eius proprius est, vel ex vtraque præmissa reuelata, vel ex vna reuelata & altera euidenti, (vt fusius declarabitur quæst 5. dub. 1) per bonam & euidentem consequentiam inferre conclusionem, siue alias etiam immediatè reuelatam, seu quod frequentiùs, eiusque magis proprium est, per se immediatè non reuelatam, vt dictum dub. 1. assert. 3. Et de Theologia secundum hunc actum, adeoque per se hoc modo spectata est quæstio, an sit scientia, vt benè etiam aduertit Caietanus hîc quæst. 1. a. 2. & Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 2.

Notandum quartò, non esse quæstionem de scientia vel adeo latè accepta, prout quamlibet cognitionem certam & indubitatam significat, iuxta vulgi & ipsius etiam scripturæ quibusdam locis vsitatam phrasin, v.g. 1. Reg. 24. v. 21. *Scio, quod certissimè regnaturus sit.* Iob cap. 19. v. 25. *Scio, quod Redemptor meus viuit.* Sapient. 13. v. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Luc. 1. v. 77. *Ad dandam scientiam plebi eius;* quibus locis fides diuina, partim etiam humana fides, scientiæ nomine appellatur: neque etiam de scientia adeo strictè sermo est, prout significat solum cognitionem rei per potissimam demonstrationem propter quid seu à priori, ex veris causis ipsius rei cognoscendæ partum. Sed quæstio est de scientia propriè & strictè, vt iuxta Aristotelem 6. Ethic. cap. 3. peculiaris virtus intellectualis constituitur, & significat habitum conclusionum per demonstrationem acquisitum ex principijs euidentibus, vt supponit S. Thomas hîc q. 1. a. 1. & rectè notauit Caietanus ibidem.

His positis, quinque sunt Doctorum de præsenti quæstione sententiæ. Prima est Francisci de Marchia, vt referunt Arriminensis quæst. 1. prolog. art. 4. & Occamus ibidem quæst. 3. Theologiam etiam prout in nobis est, esse verè & propriè scientiam, etiam cum euidentia coniunctam; eò quod ipsa etiam fidei principia, ex quibus Theologus suas conclusiones infert, Theologo etiam in hac vita non solum sint certa, sed etiam euidentia; idque virtute ipsius fidei, & lumine naturali intellectus agentis, producentis species quasdam intelligibiles de illis, quibus directè cognoscantur. Sed hæc sententia ab omnibus non solum vt falsa & improbabilis, sed etiam vt temeraria, erronea, ac periculosa in fide reijcitur, vt rectè in specie notarunt Gregorius de Valentia hîc quæst. 1. punct. 3. Vasquez disput. 4. num. 3. cum ex scriptura vniuersim constet, fidem esse obscuram, *& argumentum rerum non apparentium*, vt loquitur Apostolus Hebr. 11. v. 1. qui etiam 1. Corinth. 13. v. 12. ait, videre nos per *speculum, & in ænigmate*, & 2. Cor. 5. v. 7. *per fidem ambulare, non per speciem.*

Secunda sententia est Henrici Gandauensis in summa art. 6. quæst. 1. & art 13. quæst. 4. & quodlib. 8 quæst. 14. & quodlib. 12. quæst. 2. vbi circa fidei veritates medium quoddam lumen inter lumen fidei, & beatificæ visionis constituit; ac docet, non ipsum quidem per se fidei assensum esse aut fieri posse industria humana euidentem; sed tamen certè ipsos etiam articulos fidei, mediante discursu, & quodam studio ac exercitatione fidei, per notitiam à fide distinctam, tandem euidenter cognosci posse; non euidentia intuitiua seu visionis, sed abstractiua. Quod si ergo ex principijs tali euidentia notis Theologus has conclusiones inferat, tunc ait, talem habitum Theologiæ esse scientiam; secus si discursus procedat ex principijs sola fide creditis.

Sed & hæc sententia in eo, quod supponit, falsa est, & contra experientiam ac doctrinam communem Doctorum; nec satis intelligi potest. Nam quo modo fidei veritates per discursum fieri possint euidentes; cum semper altera saltem præmissa, quod ipsemet Henricus fatetur, sit ineuidens? Deinde exercitatione & studio fidei augeri quidem potest ipsum lumen fidei, & fieri tum intensius; tum & ex parte obiectorum extensius; sed non procreari nouum & distinctum specie lumen. Actus enim sibi similes duntaxat habitus generant, non alios diuersi ordinis. Accedit quod in citatis quibusdam scripturæ locis simpliciter negatur, nos in hac vita, saltem secundum legem Dei ordinariam, habere rerum creditarum & supernaturalium euidentiam, vt expendenti patebit.

Tertia sententia est Ioannis Capreoli quæst. 1. prolog. art. 1. Caietani hîc quæst. 1. a. 2. Bannis ibidem, Zumelij ibid. quæst 2. Cani lib. 11. loc. Theolog. cap. 2. & communis recentiorum Thomistarum, post Albertum in summa tractat. 1. quæst. 1. Iauellum, Soncinnatem, &c. qui docet, Theologiam & secundum se, & vt in nobis, esse veram & propriè dictam scientiam, etsi non perfectam; cum vt in nobis est, careat euidentia: rati videlicet ad scientiam veram & propriam, saltem subalternatam, non requiri euidentiam principiorum, in habente illam; sed satis esse, vt subordinetur alteri scientiæ habenti euidentiam. Atque eandem isti putant esse sententiam S. Thomæ hîc q. 1. a. 2. certè negari non potest, eum non parum huic sententiæ fauere, dum docet, Musicam esse scientiam subalternatam Arithmeticæ; cum tamen, vt ait: *Musicus credat* (solum) *principia tradita sibi ab Arithmetico.* Sed de mente S. Thomæ infra agemus. Tribuunt quoque eandem sententiam Altisiodorensi, Bonauenturæ, Ægidio; qui tamen potius contrarium sentiunt apud Vasquez disp. 4. n. 11.

Quarta sententia est, Theologiam non quidem vt in nobis est, sed secundum se tamen, esse veram & propriam scientiam. Ita docet Vasquez hîc disp. 4. cap. 4. idemque solum existimat sensisse Caietanum; qui tamen reuera plus dicit, vt legenti patebit. Eam verò sententiam ita declarat Vasquez, ex mente etiam, vt putat, Caietani: *Bifariam enim Caietanus* (inquit Vasquez) *accipit Theologiam: vnam dicit esse Dei & beatorum; alteram verò Viatorum; hanc posteriorem rursus diuidit in Theologiam secundum se, & prout est in nobis. Per Theologiam igitur secundum se non intelligit Caietanus Theologiam Dei, nec beatorum, sed Viatorum, non quatenus est in illis obscura notitia ex principijs solum creditis collecta, sed consideratam sine imperfectione obscuri-*

tatis. Ita Vasquez. In eam sententiam Aureolus in prolog. q. 1. art. 1. citat etiam Varronem Scoti Præceptorem. Citari etiam potest pro eadem sententia Scotus q. 3. prolog. sub fin. quæst 4. vbi expressè docet, Theologiam quoad conditionem certitudinis & euidentiæ, esse *scientiam in se, & in intellectu diuino*; vti etiam in beatis. Nec aliud nomine Theologiæ in se videtur intelligere, quam Theologiam absolutè spectatam, prout abstrahit à varia conditione subiecti habentis Theologiam; vtcunque aliter explicet Vasquez loc. cit.

Quinta sententia est, Theologiam nec secundum se, nec vt est in nobis, esse verè & propriè scientiam.

5 Assertio I. Theologia vt est in nobis, non est verè & propriè scientia Ita Altisiodorensis lib. 2. summæ tract. 29. cap. 1. q. 1. Scotus loco cit. Heruæus q. 1. prolog. Aureolus in prolog q. 1. a. 2. Occam q. 3. prolog. Durandus q. 1. num. 49. Arriminensis q. 1 a. 4. Argentinensis q. 2. a. 1. Marsilius q. 2. a. 3. inclinat magis Richardus q. 2 prolog. Ex recentioribus idem docent Gregorius de Valentia hîc q. 1. p. 3. §. 1. Molina q. 1. a. 2. disp. 3. Vasquez cit. disp 4. cap. 6. adeo vt hæc extra scholam S. Thomæ sit communis sententia; imò Gregorius de Valentia & Vasquez putant, nec S. Thomam quidem esse huic assertioni contrarium, quem ipsi existimant solum sensisse, Theologiam esse scientiam secundum quid & analogicè; de quo nolim disputare. Certe quidem q. 2. de virtut. art. 13. ad 6. ait : *Memoriter tenens conclusiones Geometriæ, si non propter media geometrica ei assentiat, non habebit Geometriæ scientiam.*

Probatur assertio. Quia iuxta Aristotelem lib. 1. poster. cap. 2. & communem omnium Philosophorum doctrinam, ad scientiam propriè dictam, ac more philosophico acceptam, requiritur euidentia; non solum quia Aristoteles ibidem docet, scientiam debere esse ex notioribus, sed etiam quia ibidem in fine ait : *Oportet simpliciter scientem immutabilem esse*; quod non conuenit scientiæ nisi ratione euidentiæ: Atqui Theologia vt in nobis viatoribus est, non est euidens; vt fatentur etiam authores tertiæ sententiæ, & vt ipsa etiam experientia patet. Si enim esset, non posset latere cognoscentem, iuxta eundem Aristotelem 2. poster c. 18. Simile argumentum petitur à demonstratione, sine qua non potest esse scientia. Quia etiam demonstratio vera & formalis esse non potest, absque euidentia præmissarum: secus est de demonstratione materiali & obiectiua.

Addunt nonnulli etiam hoc argumentum; scientiam esse non posse de singularibus, iuxta Aristotelem, qualia tamen in Theologia sunt ferè omnia, aut saltem præcipua; vt Deus, & diuina mysteria, &c. Sed hæc ratio non conuincit. Intelligi enim debet de scientia strictissimè sumpta, & à priori; qua proprietas de subiecto per veras & immediatas causas demonstratur: qualis scientia de singularibus esse non potest; quod eorum, qua talia sunt, nec essentiæ, nec proprietates cognoscantur. Quod si dictum illud vlterius extendatur, intelligi debet de singularibus corruptibilibus, & regulariter; quæ hoc ipso quod talia sunt, fere demonstrationem, saltem absolutam, respuunt. Alias si euidens notitia de singularibus habeatur, ex principijs euidẽtibus, nil obstat eorum etiam scientiam haberi; vt de Eclipsibus habent Mathematici; de Deo Metaphysici, vt rectè etiam notauit Vasquez cap 7.

Assertio II. Theologia etiam in se, siue secundum se accepta, non est propriè & formaliter scientia. Ita contra Varronem Scoti præceptorem Aureolus loc. cit. item contra Caietanum, Gregorius de Valentia loc. cit. §. 2. & videtur communis aliorum, quos pro assert. præced. citauimus. Probatur. Quia Theologia in se, siue secundum se non potest esse aliud, quam aut Theologia in genere spectata, siue prout abstrahit à varijs differentijs contrahentibus, variaque conditione subiecti eius in quo est, siue etiam quod Vasquez dixit, *prout consideratur sine imperfectione obscuritatis* : Atqui Theologia, nec in genere spectata, est scientia, quia alioqui in omnibus speciebus & indiuiduis suis esset scientia: quod ipsimet authores negant: nec etiam prout abstrahit & consideratur sine imperfectione obscuritatis. Quia ad scientiam veram & formalem requiritur, non solum vt abstrahat ab ineuidentia siue obscuritate, siue vt sine imperfectione obscuritatis consideretur; sed etiam vt formaliter qua talis habeat euidentiam: atqui Theologia etiam vt abstrahit ab obscuritate; siue vt consideratur sine imperfectione obscuritatis; non eo ipso tamen formaliter habet euidentiam; cum omnis euidentia sit per respectum ad subiectum; & Theologia adeo secundum se non minus abstrahat ab euidentia, quam ab ineuidentia siue obscuritate. Ergo Theologia, etiam prout abstrahit & consideratur sine imperfectione obscuritatis, non est propriè & formaliter scientia. 6

Nec plus probant rationes eorum, qui contrarium huic vel præcedenti assertioni docuerunt, quam Theologicæ argumentationis dispositionem per se talem esse, quæ sit apta parere scientiam, si habeatur principiorum euidentia; seu quod idem est, esse scientiam obiectiuè, non formaliter; quod vltro concedimus: quo modo nimirum etiam quælibet argumentatio Euclidis etiam ab ignoratissimo, ac minimè intelligente apprehensa, dici potest scientia: quia videlicet ex se est obiectum scientiæ, siue aptum sciri.

Assertio III. Neque Theologia Dei, aut Angelom more Philosophico propriè est scientia. Ita Scotus loc. cit. & Vasquez d. 4. num. 8. & 9. ex communi, contra Bassolem q. 5. prolog. a. 3. Quia iuxta Aristotelem & philosophos locis supra citatis scientia essentialiter est habitus discursiuus; per hoc enim differt ab intellectu, iuxta eundem Aristotelem lib. 6. Ethic. cap. 3. Atqui scientia Dei & Angelorum non est discursiua, vt hic supponimus. Ergo. 7

Assertio IV. Theologia creata in Christo vere ac proprie est scientia. Ita sentiunt Scotus loc. cit. & Bassolis q 5. prolog. a. 3. qui vniuersim eam in beatis collocant; & videtur ex mente aliorum Doctorum communiter, qui in Christo agnoscunt vsum Theologicæ argumentationis, vt dictum q. 1. dub. 1. & q. 2. dub. 1. Probatur, quia vt rectè notauit Scotus loc. cit. ad scientiam propriè dictam plus non requiritur, quam cognitio vera, certa, euidens, & discursiua; siue ex principijs euidentibus per discursum collecta de obiecto necessario: vbi satis est complexum intelligere, iuxta dicta assert. 1. Sed Christus de rebus Theologicis habuit cognitionem veram, certam, euidentem & discursiuam. Ergo. Maior patet ex Aristotele

loc. cit.

Digitized by Google

loc. cit. & est communiter recepta. Minor, quoad duas priores conditiones scientiæ, patet & est extra controuersiam. Quoad discursum patet ex dictis; quandoquidem ex ipsa scriptura constat, Christum in terris existentem habuisse discursus veré Theologicos; ex vno principio reuelato probando aliud, seu deducendo conclusionem Theologicam, vt probauimus locis citatis.

De cognitione euidente ita probatur. Quia Christus præter cognitionem increatam, de qua hîc non loquimur, sicut & præter visionem beneficam, habuit scientiam infusam, per quam Deum ipsum quidem cognitione abstractiua, res vero creatas alias extra Deum etiam supernaturales, quidditatiuè ac per proprias species euidenter cognosceret; vt iuxta S. Thomam docetur in 3. part. q. 9. & 11. Ex principijs ergo per hanc scientiam euidenter cognitis potuit ipse conclusiones euidenter deducere; eisque vt sic deductis assentiri. Vbi etiam supponimus, quamuis scientia infusa per se discursiua non sit, sed actus eius proprius sit per modum simplicis intelligentiæ siue intuitus, videlicet cognoscere prædicatum in subiecto, & conclusionem in principio, effectum in causa, & causam in effectu, vt docet Halensis 3. part. q. 13. a. 5. & Durandus 3. d. 14. q. 3. nihilominus tamen, siue ob excellentiam eius habitus, siue quia plures sub se habitus continet, siue quia saltem per modum habitus principiorum discursui seruire poterat, de quo nil iam definimus, potuisse vti Christum hac scientia etiam ad compositionem & discursum, vt apertè docet S. Thomas 3. p. q. 11. a. 5. & sentiunt omnes Thomistæ teste Suarez in 3. part. to. 1. d. 28. sect. 2. etsi Bonauentura in 3 d. 14. art. 3. q. 2. Richardus art. 4. q. 3. putet, actum huius scientiæ semper ac necessariò esse simplicem, nec posse fieri cum vera compositione & discursu; quam sententiam etiam verisimiliorem censet Suarez, de quo alibi.

8 Assertio V. Probabilius videtur, Theologiam etiam in beatis cæteris esse scientiam propriè dictam. Ita Scotus & Bassolis locis cit. & apertè Molina q. 1. a. 2. disp 1 post conc. primam, vbi ait: *Locutus sum autem in conclusione de Theologia, vt in hac vita à nobis habetur: quoniam Theologia Beatorum tam quoad principia, quam quoad conclusiones, quas ex eis cognoscit* (vtique discurrendo) *euidentissima est; specie tamen distincta à Theologia nostra*; etsi contrarium doceat Vasquez hîc disp. 4. cap. 4. ratus beatos non magis, quam Angelos, mysteria fidei per discursum posse cognoscere. Neque sanè de alia conditione scientiæ vlla est difficultas, quam de discursu circa res fidei, seu veritates à Deo reuelatas.

Probatur tamen assertio. Quia ad quandam perfectionem connaturalem humani intellectus pertinere videtur, vt ex veritatibus cognitis discurrendo colligat & cognoscat etiam alias connexas: Ergo si hic modus cognoscendi etiam circa mysteria fidei & veritates Theologicas possibilis est in beatis, non erit ijs denegandus: sed possibilem esse declarari potest varijs modis. Primus esset, si quis diceret, in beatis manere Theologiam nostram quoad substantiam, etsi conditio ineuidentiæ transeat in euidentiam, vt post Victoriam docent Caietanus & Bannes hîc q. 1. a. 2. item Canus lib. 12. loc. Theol. cap. 2. Sed hoc non probatur, vt rectè Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. §. 2. quia euidentia & ineuidentia pertinet ad substantiam & essentiam habitus cognoscitiui: alioqui idem in re habitus etiam apud nos successiuè esse posset scientia & fides. Verius est ergo, non manere in patria, vt inferius dicetur.

Secundus modus esset, si quis diceret, Beatos, vti cognoscunt alia extra Deum euidentet per creatas species; ita etiam cognoscere mysteria fidei, saltem ea, quæ sunt de rebus creatis; quibus proinde cognoscendis habeant species ac scientiam per se infusas; eadem ferè ratione, qua easdem habuisse diximus Christum. Quod admittere libentius debent illi, qui negant, in Deo per visionem beatificam quicquam creatum videri; de quo suo loco. Neque sane hæc sententia videtur improbabilis.

Tertius, & meo iudicio probabilior modus est; si dicamus, ad discursum nil referre, quocunque demum habitu seu lumine cognoscantur principia: idcirco cum & beati de quibus loquimur, potentiam discursiuam, veluti connaturalem animæ facultatem retineant, ex principijs lumine gloriæ euidenter cognitis, suo arbitratu, cum volunt, per scientiam Theologicam, non beatificam, mediante discursu cognoscere conclusiones Theologicas. Nec refert, quod eædem illæ iam antea etiam cognoscantur in Deo per visionem beatificam: quia nil obstat, quo minus idem simul duplici cognitionis genere cognoscatur; nec clarior cognitio impedit cognitionem aliam minus claram; sicut nec euidentia sensus euidentiam intellectus; nec euidentia intuitiua, euidentiam abstractiuam, vt in Christo & beatis, saltem quoad obiecta quædam naturalia, videre est. Atque ita sentit Scotus cit. q. 3. prolog. q. 4. cum ait: *Quidditas subiecti, in quocunq; lumine videtur, continet virtualiter veritates, quas potest facere notas intellectui passiuo à tali obiecto. Si igitur quidditas lineæ visa in lumine naturali potest notas facere in se inclusas veritates intellectui nostro: pari ratione etiam vt visa in essentia diuina: sed omnis veritas causata in intellectu nostro per aliquid prius naturaliter notum, causatur per discursum: quia discursus non requirit successionem temporis, nec ordinem ipsius; sed ordinem naturæ; scilicet, quod principium discursus sit naturaliter prius notum, & vt sic sit causatiuum alterius extremi discursus: hoc potest concedi, videlicet quod beatus verè potest habere scientiam Theologicam quantum ad omnes conditiones scientiæ; quia omnes conditiones scientiæ verè concurrunt in scientia beatorum.* Ita Scotus.

Assertio VI. Probabile est, Theologiam etiam in 9
B. Virgine, Prophetis, & Apostolis Viatoribus, saltem quoad aliquas conclusiones, fuisse scientiam verè & propriè dictam. Est ex mente omnium Doctorum, qui docent, istos dum viuerent, saltem quarundam fidei veritatum habuisse euidentiam in reuelante siue attestante. Ita enim de B. Virgine & Apostolis docent Suarez in 3. part. tom. 2. d. 31. sect. 4. Idem de Prophetis ex communi sententia docent S. Thomas q. 14. de verit. art. 1. & in 2. 2. q. 175. a. 5. Caietanus ibid. Bannes 2. 2. q. 1. a. 4 & 5. Scotus in 3. d. 24. q. vn. & ex eodem Aureolus q. 1. prolog. a. 1. etsi contrarium doceant Durandus q. 1. prolog. à num. 45. & Molina hîc q. 1. a. 2. disp. 4. ratus etiam prophetiam, non minus quam fidem, includere obscuritatem re-

uelantis; quod videtur contra sententiam communē & certam. Sic enim prophetia non fuisset propriè in Christo; cuius oppositum cum S. Thoma 3. part. q. 7. a. 8. docent omnes ferè Theologi, contra Abulensem. Hoc igitur posito, probatur assertio. Quia omnis cognitio rei certa & euidens, ex principijs euidenter cognitis deducta, est scientia proprie dicta: sed hi quos diximus, etiam dum in terris existerent, habebant notitiam Theologicam de aliquibus saltem conclusionibus, certam & euidentem, ex principijs itidem euidentibus in attestante; eo ipso quod illis euidens fuit, Deum hoc vel illud dixisse siue reuelasse, vt dictum. Ergo, &c.

Neque verò dici potest, euidentiam in reuelante, cum ab extrinseco tantum desumpta sit, non sufficere ad euidentiam scientiæ. Nam etiam in Mathematicis, atque alijs scientijs, conclusionum euidentia sæpe dependet & prouenit ab aliquo principio quasi extrinsecō. Quale est illud vulgare apud Mathematicos: *Quæ sunt æqualia vni tertio, sunt etiam æqualia inter se, &c.* Demonstrationes quoque à fine, & propria causa efficiente, sumuntur ab aliquo extrinseco rei, de qua est demonstratio; & tamen sunt veræ demonstrationes. Nec sanè video, cur magis rationem demonstrationis habeat iste discursus: Quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se: hæc sunt æqualia vni tertio: Ergo, &c. quam si dicam: Quicquid Deus reuelauit verum est; quæ est propositio naturaliter euidens: hoc Deus reuelauit; quam euidentem esse, ponimus ex hypothesi: Ergo, &c. si quidem vtrobique præmissæ ponantur euidenter notæ, vt supponitur.

Accedit de B. Virgine hæc peculiaris ratio assertionis; quod nonnulli, in quibus etiam Suarez 3. p. tom 2. d. 19. sect. 3. probabiliter asserunt, etiam B. Virginem habuisse scientiam mysteriorum per se infusam. Tunc enim seruata proportione, eadem ipsius quoad hoc erit ratio, quam Christi esse diximus: etiamsi huius lumen fuerit illustrius & intensius; quod ad rem præsentem impertinens est.

Ex ijs verò, quæ de Apostolis & Prophetis diximus, colligitur, ob eandem causam etiam in animabus purgatorij discursus Theologicos, si quos habent, vt sane habere possunt, saltem respectu aliquarum conclusionum, euidentes esse; cum & ipsæ à proprio quasi experimento habeant euidentiam fidei veritatum, saltem aliquarum, in reuelante siue attestante; vt hic supponimus alibi probandum.

10 Assertio VII. Tametsi Theologia nec in Deo, seu Angelis; nec in nobis viatoribus verè & propriè, Aristotelico & Philosophico more, sit scientia; illic ob defectum discursus, hîc ob defectum euidentiæ, vt dictum; nihilominus tamen in vtrisque latiori vocabuli vsu, verè ac propriè, adeoque absolutè est ac dici potest scientia Ita absolutè loquuntur complures Scholastici veteres, vti S Thomas hîc q. 1. a. 2. Alensis 1. p. q. 1. memb 1. Richardus in prolog. q. 2. Scotus in 3. d 24 Heruæus q. 1. prolog. è recentioribus verò ita speciatim docent Canus lib. 12. loc. cap. 2. Gregorius de Valentia hîc q. 1. punct. 3 Molina a. 2. disp. 1. Eodemque modo loquuntur scriptura & SS. Patres. Vt Sapient. 10. v. 10. *Dedit illi scientiam sanctorum.* Hierem. 3. v. 13. *Dabo vobis pastores, qui pascent vos scientia & doctrina.* 1. Cor. 12. v. 8. *Alij datur sermo scientiæ*, & cap. 13. v. 8. *Siue scientia destruetur.* 2. Cor. 8. v. 7. *Abundatis fide, sermone, & scientia.* Quibus locis scientiæ nomine etiam comprehendi Theologiam, negari vix potest.

Idem apertè docet S. Augustinus, lib. 14. de Trin. cap. 1. vbi ait, hanc doctrinam ab Apostolo *vocari scientiam* (citato nimirum 1. Cor. 12.) *proprio vocabulo:* quod nempe fidei iuxta phrasin Apostoli ibidem commune non sit. Eodem modo loquitur Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 14. & in epistola ad Paulinum; vti & alij SS. Patres apud citatos.

Ex quibus etiam probatur assertio. Quia in rebus Theologicis, scriptura, SS Patres, & alij etiam Scholastici Doctores, non solum debent esse norma sentiendi, siue credendi, sed etiam loquendi. Cum ergo apud illos Theologia absoluta & simpliciter dici soleat scientia, rectè etiam à nobis ita vocabitur. Ratio est. Quia scientiæ vocabulum suam vim & significationem non primum accepit ab Aristotele, & Philosophis, qui eum secuti sunt, sed multò antea loquentium vsu tritum fuit: idque communi vsu loquendi scire quisque dicebatur, quod certò ac infallibiliter, præsertim ex discursu ac ratione perspectum haberet; vti nunc etiam vulgariter loquimur: Ergo cum Theologica cognitio sit certissima & planè infallibilis, ac simul etiam cum discursu coniuncta, rectè ac propriè scientia dicetur.

Et confirmatur. Quia negari non potest, etiam 11
supposita Aristotelis doctrina lib 6. Ethicor. cap. 2. & 3. tam fidem diuinam, quam Theologiam, esse virtutes intellectuales, quandoquidem ijs semper verum dicimus: Ergo nomen virtutis alicuius intellectualis ei attribuendum est: nullum autem ei melius tribuitur, quam scientiæ & sapientiæ; quandoquidem tres habet conditiones præcipuas scientiæ; nimirum veritatem, certitudinem, discursum; de sapientia dicemus inferius. Nec dubium: si Aristoteles fidei & Theologiæ nostræ cognitionem habuisset, quin eas vel expresè ac distinctè cæteris virtutibus intellectualibus adnumerasset; aut certè scientiam & intellectum ita ibidem declarasset, vt nomen hoc etiam fidei; illud verò Theologiæ quoque conueniret. In quem sensum etiam rectè dixit Canus loc. cit. Si præcisa & essentialis ratio scientiæ, supposito fidei & Theologiæ lumine, ab Aristotele fuisset assignata, aut ex Aristotelica descriptione etiamnum abstrahatur communis conceptus scientiæ, eum in Theologiam omnino quadraturum.

DVBIVM IV.

Vtrum Theologia sit scientia subalternata scientiæ Dei, aut beatorum.

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 2.

NOtandum, subalternationem scientiarum non 1
eodem modo ab omnibus explicari: neque verò Aristoteles 1. poster. 7. 10. & cap. 23 vbi de hac re agit, explicatè satis & disertè suam sententiam de-

clarat.

clarat. Communis tamen & recepta sententia est; vti quatuor sunt, quæ in scientia considerantur; finis nimirum, principia, subiectum, & modus sciendi: ita etiam quadrupliciter posse vnam scientiam alteri subalternari; idque vel secundum quid tantum, vel etiam simpliciter. Secundum quid tantum accidit subalternatio; quando solum vel ratione finis, vel ratione modi sciendi, vna alteri subalternatur siue subijcitur: quemadmodum ratione finis frænofactoria subalternatur & subijcitur equestri; & hæc militari, eo quod vtriusque illius opus referatur ad scientiæ militaris opus, velut ad finem.

Ratione modi sciendi, accidit subalternatio: quando subalternata scientia de principijs, aut etiam conclusione solum scit Quia; subalternans vero propter quid: quo modo Medicina subalternatur Geometriæ ratione illius conclusionis, Circulare vulnus tardius curari, iuxta Aristotelem cit. cap. 10. Geometria enim huius conclusionis veritatem scit à priori; nimirum quia in vulnere circulari partes à se plus distant. Medicus autem solum scit per experientiam, siue inductionem.

Ratione principiorum illa scientia alteri dicitur subalternari; cuius principia sunt conclusiones alterius.

Ratione subiecti verò, quando subiectum vnius (subalternatę) ponitur directè sub subiecto alternantis, sola differentia accidentali contractum. Atque his etiam duabus conditionibus simul positis, scientia simpliciter & absolutè alteri dicitur subalternari: quemadmodum iuxta omnium sententiam, perspectiua subalternatur Geometriæ; & Musica Arithmeticæ: hæc enim considerat numerum sonorum; illa lineam radiosam seu visualem. Atque ita ferè docent S. Thomas 1. poster. lect. 35. & opusc. 42. cap. 14. Heruæus q. 6. prolog. Bonauentura q. 2. prolog Scotus q 3. prolog. Aureolus q. 1. art. 2. circa opinionem S. Thomæ, Durandus in 1. quæst. prolog. art. 2. & communiter recentiores Interpretes Aristotelis cit. cap. 10. & 23. & S. Thomæ commentatores hîc q. 1. a. 2.

Hoc posito, multi sunt Doctores, qui simpliciter asserunt, Theologiam nostram subalternari scientiæ Dei & beatorum; eo modo, quo perspectiua subalternatur Geometriæ: idque adeo verum esse putant, vt quamuis eadem Theologia nostra non esset scientia simpliciter; adhuc tamen verè ac propriè asserant, esse scientiam subalternatam, etiam vt in nobis Viatoribus est. Ita Ægidius 2. part. prolog. a 2. Capreolus q. 1. prolog. art. 1. concl. 2. & 3. Caietanus hîc q. 1. a 2. Canus lib. 12. loc. cap. 2 qui in eandem sententiam citant S. Thomam hîc q. 1. a. 2. non obscurè huic sententiæ fauentem, quando indicat, ad scientiam subalternatam sufficere, vt eius principia sint euidentia per lumen superioris scientiæ, vt dictum dub. præced. etsi nonnulli eum in benigniorem partem interpretentur.

2 Assertio I. Theologia nostra, respectu nullius scientiæ, propriè ac iuxta morem loquendi Philosophorum, est scientia subalternata. Ita Scotus, Aureolus locis cit. Durandus q. 1. prolog. num. 52. Occam in prolog. q. 3. Heruæus q. 1. prolog. Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. §. 2. Molina q. 1. a. 2. disp. 3. Gabriel Vasquez d. 6. c. 2. Probatur. Quia omnis scientia subalternata, est simpliciter scientia; ratio enim subalternationis non est conditio transferens scientiam in aliud genus; sed specificans vel modificans, vt habet communis omnium Philosophorum sententia; cui vbi de modo loquendi, & terminis ad naturales scientias propriè pertinentibus agitur, non est repugnandum; vt faciunt contrariæ sententiæ authores: atqui Theologia propriè, ac iuxta morem loquendi Philosophorum, non est simpliciter scientia, vt probauimus dub. præced. Ergo, &c.

Assertio II. Etiamsi Theologia nostra esset euidens, adeoque propriè iuxta Aristotelem esset scientia, non tamen propriè ac simpliciter esset subalternata scientiæ Dei aut beatorum. Ita Henricus Gandauensis in summa art 7 q. 4. & 5. Scotus & Aureolus locis cit. Vasquez disp. 6. cap. 2 Probatur ex dictis. Quia ad veram subalternationem requiritur primò, vt subalternata obiecto, siue subiecto subalternantis addat aliquam differentiam accidentalem, vti significat Aristoteles 1. poster. cap. 10. Secundò, vt principia subalternatæ sint conclusiones subalternantis, adeoque notæ subalternanti per demonstrationem; quod etiam indicat Aristoteles 1. poster. cap. 10. Aliàs enim quælibet scientia subalternaretur habitui suorum principiorum. Atqui neutrum Theologiæ nostræ conuenit, respectu scientiæ Dei, & beatorum. Non primum. Quia vtriusque obiectum, siue subiectum, est idem Deus; nec is ex parte obiecti cogniti contrahitur vlla differentia accidentali, prout à Theologo in hac vita consideratur. Neque secundum. Quia Theologia nostra, & Beatorum versantur circa eadem conclusiones, & habent eadem principia; diuerso tantummodo lumine cognita. Scientia verò Dei, cum discursiua non sit, nullas omnino veritates per modum conclusionis colligit.

Secundò. Vera scientia subalternata consistere potest cum subalternante; imò nisi adiunctam habeat, à subalternante, euidentiam principiorum, non est vera scientia subalternata; vti videre est in Musico, qui nullam Arithmeticæ scientiam habet; aut in perspectiuo, qui nullam Geometriæ scientiam habet; sed credit solum Arithmetico, aut Geometræ: atqui scientia Theologiæ non potest simul esse cum scientia Dei, & beatorum. Ergo, &c.

Tertiò. Si Theologia nostra esset verè subalternata scientiæ Dei & beatorum, ideò esset; quia procedit ex principijs notis euidenter lumine superioris scientiæ; nimirum scientiæ Dei & beatorum, vt significare videtur S. Thomas hîc q. 1. a. 2. sed hoc minimè sufficit ad veram subalternationem scientiæ; tum ob dicta superiùs: tum quia sic cognitio obscura discipuli, in Mathematicis demonstrationibus credentis suo Magistro, sine vlla vera euidentia principiorum, aut conclusionis, esset dicenda subalternata scientia, scientiæ sui Magistri: consequens autem est absurdum, & in Philosophia inauditum. Ergo, &c.

Assertio III. Theologia nostra nec secundum quid etiam, ratione videlic. finis, aut principiorum, seu ratione modi sciendi, propriè subalternatur scientiæ Dei & beatorum. Ita Aureolus loc. cit. præcipuè quoad posteriorem partem. Probatur & declaratur. Quia ratione finis ea solum scientia alteri dicitur subalternari, non quæ se habet velut medium ad 3

acqui-

acquirendam aliam superiorem; adeoque ordinatur ad ipsam tanquam finem; alias Logica esset subalternata omnibus alijs scientijs, & omnes scientiæ subalternatæ forent visioni beatificæ, seu scientiæ beatæ: sed illa dicitur subalternata ratione finis, cuius finis est aliquo modo sub fine alterius, illique veluti medium deseruit: quod fit, quando opus vnius scientiæ refertur ad opus alterius scientiæ velut ad finem; vti opus frænofactoriæ refertur ad equitationem; & equitatio ad militiam seu pugnam equestrem. Atqui Theologiæ nostræ finis, non est sub fine scientiæ Dei aut beatorum; sed potius est medium ad scientiam Dei & beatorum, velut ad finem vltimum; quandoquidem scientia Dei nullum prorsus habet finem; beatorum scientiâ autem est ipse vltimus noster finis cuius; qui non habet alium finem eiusdem generis. Nec verò etiam Theologia nostra vllum post se opus relinquit, quod veluti medium deseruiat operi scientiæ Dei aut beatorum: quandoquidem Theologica scientia per se & vniuersim non est operatiua seu practica; sed speculatiua, vt inferiùs dicetur.

Ratione verò principiorum tunc solum vna scientia alteri subalternatur, quando principia subalternatæ sunt conclusiones subalternantis; quod in proposito non accidit, vt dictum.

Ratione modi verò sciendi vna dicitur alteri subalternata, quando subalternata circa principia vel conclusiones dicit solummodo Quia, adeoque euidentiam habet à posteriore solum, puta ab experientia & sensu, siue inductione; altera verò propter quid, vt rectè Aureolus loc. cit. Id verò in proposito non accidit: Quia Theologia nostra nullam planè habet euidentiam principiorum aut conclusionum; nec vllam veram demonstrationem (ex proprio munere, vti superius dictum dub. 2.) circa suas conclusiones, nec Quia, nec propter Quid: Ergo, &c.

Atque ob dictas etiam causas, docet Heruæus q. 6 prol. Theologiam nulli etiam scientiæ humanæ subalternari: *Secundum quemcunq;*, inquit, *modum subalternationis* (ab ipso) *positum: quia subiectum Theologiæ non se habet ad subiectum alicuius scientiæ humanæ vt pars in modo; nec etiam subiectum vel finis alicuius scientiæ humanæ, est causa finalis subiecti Theologiæ; nec etiam ea, quæ sola fide tenet Theologia, sunt euidentia in aliqua scientia humana: Ergo secundum nullum praedictorum modorum subalternatur alicui scientiæ humanæ.* Ita Heruæus.

DVBIVM V.

Vtrum Theologia propriè sit sapientia.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 6.

1 QVæstio est de Theologia nostra, seu Viatorum; vt & de sapientia, quam inter quinque virtutes intellectuales retulit Aristoteles lib. 6. Eth. cap. 4. vt dictum supra dub. 3. Vbi notâdum, tribus modis accipi posse Sapientiæ vocabulum; primò spiritualiter, & iuxta scripturæ phrasin; quæ sæpius nobis diuinam sapientiam commendat, eaque communiter dici solet sapida quædam Dei rerumque diuinarum scientia; nec vnum solum, sed plures habitus supernaturales virtutum, siue donorum Spiritus S. inuoluit, nimirum præter fidem, in primis donum Sapientiæ, (si non etiam donum intellectus, consilij; & scientiæ) de quibus Isaiæ 11 v. 2. atque etiam charitatem, qua fit, vt ea quæ Dei sunt, & secundum Deum sapiamus. S. August. lib. 14. de Trin. c. 1. eam vocat *Dei cultum*, græcè θεοσέβειαν, *quæ est*, inquit, *in cognitione & dilectione eius, quod semper est, & incommutabiliter manet, quod Deus est* Et lib. 12. de Trin. c. 14. *Et quis cultus eius, nisi amor eius?* Vnde ipsum etiam donum sapientiæ Scot. in 3. d. 35. dicit esse charitatem ipsam, licet includat fidem tanquam aliquid præuium. S. Thom. verò in 1. 2. q. 68. a. 4. & in 2. 2. q. 45. a. 2. rectius in intellectu collocat, etsi charitati annexam, in eaque fundatam.

Secundo nomen Sapientiæ, vulgari & ciuili loquendi vsu; significat quemlibet habitum intellectualem exactè possessum, quo semper verum dicitur: quæ tamen sapientia solum dicitur in aliquo certo genere, iuxta Arist. lib. 6. Eth. c. 7. vbi ait: *Sapientiam in artibus attribuere illis consueuimus, qui absolutissimi in ipsis sunt. Vide Phidiam sapientem Marmorarium, Polycletum statuarium sapientem dicimus; nihil aliud hic sapientiæ nomine, quam artis ipsius virtutem significantes.* Similia habet 1. Metaph. c. 2. & 1. Mag. Moral. c. 35. Sed & ipsa scriptura hac phrasi vtitur Eccl. 38. v. 35. *Vnusquisq; in arte sua sapiens est.* Et 1. Cor. 3. v. 10. *Vt sapiens Architectus fundamentum posui.* Eodem pertinet, quod is, qui in genere totius humanæ vitæ prudens est, sapiens dicitur, *in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem*, vt notauit S. Thom hic q. 1. a. 6. ex illo Prou. 10. v. 23. *Sapientia est viro prudentia.*

Tertiò accipitur philosophicè sapientia, pro certo & præstantissimo quodam habitu scientiæ, à quo quis non tantum secundum quid, & in certo genere, sed simpliciter sapiens dicitur: de quo Arist. cit c. 7. *Cæterum*, inquit, *esse alios quosdam omnino, non ex parte sapientes existimandum, &c.* Et inferiùs ait, hac notione *exactissimam scientiarum sapientiam esse manifestum est:* quo loco Metaphysicam intelligit. Eundem habitum Aristot. 6. Eth. c. 4. virtutibus intellectualibus adnumerauit, vt dictum. 2

Iuxta primum igitur & secundum vocabuli Sapientiæ vsum non est quæstio; priori enim modo constat, Theologiam sapientiam non esse: licet Sapientiæ illius latè spectatæ ambitu fortassis etiam Theologia, vti & fides, contineatur: quomodo intelligendus Aureolus q. 1 prolog. a. 3. propos. 4. vbi dicit, & ex S. August. lib. 9. de Trin. c. 1. & lib. 14 de Trinit. c. 1. & lib. 14. de Trin. c. 1. & tract. 1. super Ioan. vti etiam ex Richardo Victorino lib 1. de Trin. in prœmio probat, Theologiam etiam esse illam sapientiam, de qua Sancti faciunt mentionem, ad quam conantur peruenire. Posteriori verò modo itidem certum est, Theologiam exactè possessam sapientiæ laudem suis possessoribus tribuere. Si enim artifex quilibet sapiens dicitur, qui in sua arte excellit, cur non & Theologus? Quæstio igitur solum est de sapientia, iuxta tertium nominis significatum, idque siue mentem Aristotelis, siue rem ipsam spectemus. Ad quam S. Thomas hic q. 1. a. 6. absolutè respondet, Theologiam vel maximè sapientiam esse. Eadem est cõmunis etiam aliorum Theologorum sententia: nisi quod Durand. q. 1 prolog. n. 54. & 55. negauit, propriè & formaliter esse sapientiam, ob defectum euidentiæ.

Asser-

Digitized by Google

3 Assertio I. Theologia simpliciter & absolutè loquendo rectè dicitur sapientia. Est S. Thomæ, & communis omnium Doctorum; vt notauit Vasquez hîc q. 1. a. 6. nec ipso quidem Durando excepto; ita indefinitè loquendo: quandoquidem ibidem disertè fatetur, ita vocari posse, atque ita etiam vocatam fuisse ab Augustino. Probatur primò ex phrasi scripturæ; in qua ita nonnunquam appellari videtur. Act. 6. v. 10. de S. Stephano ex scripturis fidem in Christum probante dicitur: *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur in eo.* 1. Cor. 2. S. Paulus loquens de sua doctrina (quam non solum fidei, sed etiam Theologicam fuisse q. 1. dub 1. & q. 2. dub. 1. ostensum) ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et rursum Ephes 1. v. 7. *Superabundauit in nobis* (gratia Christi) *in omni sapientia & prudentia.* Et Coloss. cap. 1. v. 9. *Vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spirituali.* Et cap. 3. v. 15. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes & commonentes vosmetipsos, &c.* Et 1. Pet. 3. v. 15. *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Et quod hoc loco citat etiam S. Thomas, Deuter. 4. v. 6. *Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis.*

Eodem modo sæpe loquuntur SS. Patres. Et S. Augustinus lib. 12 de Trin. cap 1. distinguit sapientiam à scientia, quod illa ad contemplationem, hæc ad actionem spectat; illa sit rerum diuinarum & æternarum, hæc humanarum & temporalium: Ergo hoc ipso agnoscit Augustinus, scientiam speculatiuam Dei, rerumque diuinarum, qualis est Theologia, sapientiam esse, vt notauit etiam S. Thomas hîc quæst. 1. a. 6. Et rursum idem Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. ait: *Vnde ego quoq; in libro superiore, vtrarumq; rerum cognitionem, id est, diuinarum atq; humanarum, & sapientiam & scientiam dici posse, non tacui. Verum secundum hanc distinctionem, qua dixit Apostolus: Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, ista definitio diuidenda est, vt rerum diuinarum scientia propriè sapientia nuncupetur, humanarum autem propriè scientiæ nomen obtineat.* Huc spectat, quod vt supra ex Aureolo notauimus, Theologia in illa etiam sapientia continetur, quam Sancti desiderarunt & expetierunt.

Ratio est. Quia Theologia est multo excellentior scientiâ; eique etiam præcipuæ sapientiæ conditiones ab Aristotele assignatæ multò excellentius conueniunt, quam Metaphysicæ, vt sequenti assertione dicetur: Ergo si Metaphysica propter excellentiam, qua alias scientias superat, rectè dicitur sapientia, maiori iure talis dici debet Theologia. Accedit, quod omnis *sapientia huius mundi*, terrena scilicet & merè secularis, qualem Ethnici Philosophi habuerunt, *stultitia est apud Deum*, 1. Cor. 3. v. 19. ita vt proinde Metaphysica scientia præ hac reuelata scientia nihili quodammodo sit facienda.

4 Assertio II. Tametsi quidem, si loquamur materialiter & in particulari, vel etiam adæquatè, & secundum omnes conditiones requisitas, de eo habitu, quem sapientiæ nomine vocandum censuit Aristoteles; Theologia propriè sapientia non sit: tamen si formalem & abstractam rationem sapientiæ, quam scientiæ vniuersim acceptæ superaddit, seu ex qua scientia quæpiam sapientiæ laudem iuxta eundem Aristotelem meretur, planè fatendum est, Theologiam etiam ex mente ac doctrina Aristotelis, verè ac propriè sapientiam esse: & quidem excellentiori modo, quam Metaphysicam. Est ex mente S. Thomæ & aliorum Doctorum; cum quibus etiam hoc modo conciliari potest Durandus loc. cit. Probatur prior pars. Tum quia iuxta Aristotelem lib. 6 Eth. cap. 4. & 7. Sapientia est præstantissima scientiarum, quam proinde non minus, quam alias scientias, euidentem esse supponit: cum tamen Theologia nostra, de qua loquimur, euidens non sit, nec propriè scientia, iuxta eundem Aristotelem, vt dictum dub. præcedenti. Tum quia iuxta Aristotelem, sapientia est ipsa Metaphysicæ scientia, vt videre est apud eundem ibidem, & lib 1. Metaph. cap. 1. & 2 Theologia autem nostra etiam vtique est habitus à Metaphysica, & omnibus naturalibus scientijs hoc ipso distinctus, quod nititur reuelatione seu principijs reuelatis, non autem lumine naturali; vti naturales scientiæ, vt dictum supra q. 1. dub. 1. Denique Aristoteles de Theologia nostra nihil penitus cognouit; Ergo in enumeratione habituum, nullam eius rationem particulatim habuit: vtique naturales solum habitus recensere contentus, quos solos ipse nouerat.

Posterior pars eiusdem assertionis ita probatur & declaratur. Aristoteles enim sapientiam esse docet illam scientiam, cui sequentes conditiones conueniunt; quas proinde sapientia ex propria & formali sua ratione scientiæ vniuersim, aut certè alijs pluribus scientijs superaddit. Prima est, quod non solum ipsa conclusiones, sed etiam principia, nimirum prima & vniuersalissima nouit. Ita Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 7. vbi ait: *Sapientem igitur non solum ea, quæ ex principijs sunt cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet. Quare sapientia erit intellectus & scientia.* Et lib. 1. Metaph. cap. 1. ait: *Sapientiam circa primas causas, & principia, omnes arbitrantur uersari.* 5

Secunda, quod sit scientia rerum præstantissimarum. Ibidem in Ethicis: *Sapientia*, inquit, *est quasi habens caput scientia rerum præstantissimarum.* Et infra: *Constat igitur ex ijs, quæ dicta sunt, sapientiam esse rerum præstantissimarum naturâ scientiam & intellectum.*

Tertia, quod proinde sit scientia omnium nobilissima & præstantissima. Quod significat Aristoteles verbis citatis, & quando mox subiungit: *Absurdum enim est, si quis scientiam ciuilem, aut prudentiam, honestissimam esse existimat*: & superius dixerat, exactissimam scientiarum esse sapientiam. Et lib. 1. Metaph. cap. 2. quinque istas sapientiæ conditiones ordine recensèt, quas nos præcedentibus adnumerabimus.

Quarta igitur sapientiæ conditio est, quod maximè vniuersalia nouit. *Primò*, inquit Aristoteles, *opinamur sapientem maximè omnia, vti possibile est scire, non habentem singulariter eorum scientiam.* Et infra hoc ipsum declarans: *Horum autem hoc quidem, omnia inquam scire, illi qui maximè vniuersalem scientiam habeat, necesse est inesse, hic enim quodammodo omnia subiecta* (siue particularia) *scit.*

Quinta, quod maximè difficilia nouit. *Deinde illum*, inquit, *qui difficiliora, neq; scitu facilia homini cognoscere possit, sapientem existimamus: sentire enim omnibus commune est; quamobrem facile; & neutiquam sapiens est.*

Sexta quod sit scientia omnium certissima. *Item*

illum,

illum, inquit, *qui certior, ac magis docere valens, causas reddat, sapientiam in omni scientia esse.*

Septima, quod sit scientia speculatiua, non practica; *Scientiarum quoq; illam*, inquit, *quæ gratia sui ipsius, & propter ipsum scire, quam illam, quæ aliorum gratia eligenda sit, magis sapientiam esse.*

Octaua, quod sit scientia principalior siue superior, non subministrans. *Et principaliorem*, inquit, *quam ei subministrantem, potius sapientiam esse: non enim vt sapienti præcipiatur, sed vt illi præcipiat: nec vtile ab altero, sed vt ab eo minus sapienti suadeatur decet.* Ità Aristoteles sapientiam describit; Vbi consultò nullum euidentiæ mentionem fecit: quia Sapientia quoad hoc nihil peculiare addit scientiæ in genere; imo ex hac parte fieri potest, vt sapientia superetur ab alijs quibusdam scientijs: sicut reuera demonstrationes Mathematicæ euidentiores sunt, quam aliquæ demonstrationes Metaphysicæ, v g de Deo, &c.

6 Iam verò perspicuum est, omnes eas conditiones Theologiæ verè ac propriè conuenire, multoque verius, quam ipsi Metaphysicæ; quod sigillatim ita ostenditur. Primò enim Theologia & conclusionum, & principiorum reuelatorum notitiam includit, non solum quia supponit, simulque necessariò coniunctam habet fidem, veluti habitum principiorum; sed etiam quia sua ipsius principia contra negantes probat, ac defendit, non solum deductione ad impossibile, vti Metaphysica, sed sæpe etiam directè, ex vno principio reuelato probans aliud, vt dictum supra q. 2. dub. 1.

Secundò est scientia rerum præstantissimarum, puta ipsius Dei, non solum vt principij & authoris rerum naturalium, sed etiam supernaturalium; quocirca ea de Deo mysteria cognoscit, ad quæ Metaphysica penetrare minimè potest; vti est mysterium sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, &c.

Tertiò hoc ipso etiam est præstantissima omnium scientiarum; quia est de subiecto præstantissimo, & ex obiecto formali seu medio præstantissimo, vt pote supernaturali, diuinæ reuelationis, vt pluribus dicetur quæst. 3. dub. 2.

Quarto est de rebus vniuersalissimis, nimirum de omni Ente, non solum naturali, vti Metaphysica, sed etiam supernaturali, vt patebit quæst. seq.

Quinto est de rebus difficillimis; quæ omnem planè captum humanæ rationis excedunt; vt sunt illa, quæ diximus, aliaque complura Christianæ fidei mysteria; adeo quidem, vt sit supra omnem rationem naturalem, non tamen contra: cum tamen obiecta seu conclusiones Metaphysicæ naturale lumen rationis non excedant.

Sexto certitudine omnes planè scientias naturales, adeoque Metaphysicam etiam ipsam, longè superat, vt ex instituto cum S. Thoma hîc q. 1. a. 5. dicetur infra q. 4. dub. 3.

Septimo simpliciter est scientia speculatiua, non practica, vt docet S. Thomas hîc q. 1. art. 4 & inferius cit. q. 4. declarabitur.

Octauo est scientiarum suprema, quæ nulli ministrat, omnibus imperat, omnes dijudicat; omnibusque naturalibus scientijs, etiam ipsa Metaphysica vtitur velut iancillis: iuxta illud Apostoli 1. Cor. 2. v. 15. *Spiritualis iudicat omnia; & ipse à nemine iudicatur.* Et ratio est: quia ex altiori lumine, diuinæ scilicet reuelationis, procedit; cui subijci & seruire necesse est omne lumen & rationem naturalem; iuxta Apostolum 2. Cor. 10. v. 4. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, &c.* Ex quibus abundè patet quod in assertione diximus, si formalis ratio sapientiæ spectetur, ex qua scientia quæpiam iuxta Aristotelem sapientiæ nomen meretur, Theologiam nostram, etiam ex mente & doctrina Aristotelis, verè ac propriè sapientiam esse.

Atque ex his omnibus, quæ hactenus de Theologiæ genere diximus, colligitur, Theologiam ex suo genere esse habitum ac virtutem intellectualem argumentatiuam; Aristoteli tamen planè incognitam, nec vllam ex commemoratis ab eo 6. Ethic. cap. 4. nisi quod ratio formalis & abstracta sapientiæ, ab eo in varijs locis descripta, quam ille soli Metaphysicæ conuenire existimabat, propriè, imò verius etiam Theologiæ competit, vt dictum. Quia tamen sapientia hac ratione vel non est propriè genus, sed species quædam præstantissima habituum intellectualium; vel si in tota sua latitudine sumatur, etiam habitibus genere diuersis conuenit, vt dictum, idcirco fatendum est, genus proximum Theologiæ innominatum esse, quod tamen ex dictis facile circumscribi potest, dicendo, esse habitum discursiuum ex principijs reuelatis, quà talibus: hæc enim ratio generica communis est nostræ Theologiæ, cum ea quam euidentem habent Christus & beati. Atque hæc de Theologiæ genere satis. 7

QVÆSTIO III.

De subiecto siue obiecto Theologiæ.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 3. 7. & 8.

ABsoluitur hæc quæstio tribus dubiis. I. Quodnam sit obiectum Theologiæ totale & formale Quod, siue attributionis? II. Quodnam sit eius obiectum Quo; seu ratio formalis obiectiua Qua, seu propter quam? III. Vtrum præter rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter quam, assignanda sit alia Theologiæ ratio formalis sub qua, & quænam illa sit?

DV-

Digitized by Google

DVBIVM I.

Quodnam sit obiectum Theologiæ totius formale Quod, siue attributionis.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 7.

1 EXplicato Theologiæ genere, sequitur vt eius differentiam inquiramus; quæ, vti in cæteris habitibus operatiuis, ex obiecto desumitur. Id verò quia in omni scientia necessariò duplex constituitur, nimirum vt Quod, & vt Quo; seu obiectum vt res, & ratio formalis obiectiua Qua, seu per quam, aut propter quam; cui præterea nonnulli addunt rationem formalem sub qua; ideo subsequentibus tribus dubijs sigillatim de singulis ordine agendum est.

Et quod ad obiectum Quod attinet; Notandũ primò, obiectum Quod potentiæ seu habitus alicuius cognoscitiui generatim dici illud, quod per potentiam seu habitum cognoscitur; eiusq; cognitionem terminat. Hoc, respectu humanæ intellectionis, saltem eius, quæ in secunda vel tertia operatione intellectus consistit, duplex est; complexum scilicet, & incomplexum, iuxta communem apud Durandum in 3. dist. 24. q. 1. num. 16. & Caietanum in 22. q. 1. a. 2. Illud est ipsa conclusio, seu connexum ex subiecto & prædicato, quod principaliter scitur & cognoscitur, hoc verò est subiectum ipsius conclusionis scitæ, siue ipsa res, de qua est scientia. Quod propterea etiam in scientijs, vti & in fide, vocari solet subiectum, seu absolutè, seu cum addito, prædicationis, siue atributionis, ad distinctionem subiecti inhæsionis.

Imò non desunt, qui contendant, hoc propriè non obiectum, sed solummodo subiectum dici: è quibus Durandus q. 5. prologi num. 6. vbi ait: *Illud est subiectum, de quo est scientia, & de quo est aliquid demonstratum in conclusione scita, &c. Propter quod magis propriè est subiectum, quam obiectum: non quidem subiectum in quo, sed de quo. Obiectum enim propriè sumptum est illud, quod primò & principaliter cognoscitur.* Eundem sequitur Vasquez hic disp. 10. cap. 1. vbi ait: *optimè notasse Durandum, hoc interesse inter obiectũ & subiectum alicuius habitus, quod obiectũ, si propriè loquamur, est id, quod primò & principaliter scitur talis est tota conclusio; illa enim tota cognoscitur.* Et infra pro eadem sententia citat Nominales.

Sed hoc discrimen non est constanter receptũ à Scholasticis, nec antiquis, nec recentioribus. Siquidẽ S. Thomas licet in prologo sent. a. 4. eius distinctionis videatur aliquam rationem habuisse, quin etiã hac q. a. 7. constanter *subiecti* vocula vtatur; tamen superius a. 3. ad 2. materias nõ tantum potentiarum, sed etiam habituum vocat obiectũ. Et in 2. 2. q. 1. a. 1. Deum vocat obiectum fidei; & ibidem a. 2. dicit obiectũ fidei etiã esse aliquid *incomplexum*; *scilicet rẽ ipsam*, inquit, *de qua fides habetur.* Eodem modo Scotus q. 3. prologi indiscriminatim idem appellat subiectum & obiectum, vt fatetur etiam Vasquez citat. disp. 10. cap. 1. n. 2.

Item Capreolus q. 4. prolog. art. 1. licet antea eius discriminis mentionem fecerit, idq; etiã ipse approbasse visus sit, asserens, subiectum scientiæ propriè loquendo distingui ab obiecto, mox tamẽ post concluſ. 2. addit: *quandoq; vnum poni pro alio: quia etiam subiectum*, inquit, *est obiectum scientiæ vltimatum.* Et inferius ponit hanc quintam conclusionem: *Deus est subiectum Theologiæ, & formale obiectum, sicut quod cognoscitur per habitum Theologicum primò & per se.* Et addit: *Istam intendit S. Thomas 1. parte vbi dixi statim, nimirũ q. 1 a. 7.* Vbi vides, non solum ita loqui Capreolum, sed in eandem etiam sententiam referre S. Thomam. Sed & Durandus ipse etiam subiectum, de quo aliquid scitur vel creditur, quandoque obiectum vocat, vt initio huius dubij notauimus. Eodem modo loquitur Caietanus vna cum Durando citatus; item Joannes de Bassolis q. 3. prol. a. 1.

Eodem modo Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 3. §. 5. *Solet*, inquit, *subiectum scientiæ vocari etiam obiectum formale Quod.* Item Suarez Metaph. d. 1. sect. 1. vbi de subiecto agit, constanter obiecti voce vtitur. Hos igitur nos etiam sequuti, promiscuè in præsenti subiecti & obiecti voce vtemur; cum præsertim ipsa etiam ratio huic loquendi modo faueat. Verè enim res illa intellectui obijcitur, quæ cognoscitur, quæque adeo cognitionem terminat, seu de qua est cognitio; nec in ea loquendi maior, quam in opposita (vbi subiectum quandoque nescias, prædicationis ne an inhæsionis dixeris) sed potius minor est æquiuocationis & ambiguitatis occasio. Quod si necesse fuerit, ad æquiuocationem tollendam, addemus vocula Complexum, vel incomplexum, aut simile quippiam.

Notandum secundò, Obiectum Quod incomplexum scientiæ seu habitus cognoscitiui, rursus multiplex esse. Primò enim aliud est materiale duntaxat; aliud formale Quod. Materiale est res ipsa, quæ à scientia consideratur, absolutè & in se spectata. Formale Quod, includit simul rationẽ formalem Quæ; adeoque est res eadem sub certa quadam formalitate; quæ est ratio, ob quam res illa in ea scientia consideratur; quæque adeo vel maximè ac per se in scientia attenditur, ac ex parte subiecti præsupponitur. Qua ratione Obiectum formale Quod Physicæ dicitur esse corpus naturale, qua tale; quia ratio naturæ in illo maximè attenditur. Ita etiam Metaphysicæ obiectum formale Quod est Ens vt Ens; quia communissima ratio Entis, eiusq; passiões & prædicata vt sic, per se in Metaphysica spectantur. Et hoc ipsum obiectũ in scientijs naturalibus etiam simul solet esse fons & subiectum passionũ, quę in ijs demõstrantur. Id verò obiectũ nõ solũ assignari potest respectu totalis scientię; sed etiã respectu partialis; vt v.g. in Physica respectu diuersorum partium corpus naturale simplex, aut mixtum, aut animatum, qua tale, &c.

2 Vnde rursus vtrumque tàm materiale, quam formale obiectum Quod, aliud est totale & adæquatum scientiæ; aliud partiale & inadæquatum. Illud totius scientiæ seu habitus; hoc par-

Digitized by Google

tialis tantum alicuius notitiæ obiectum est.

Tertio obiectum Quod aliud est attributionis, aliud communitatis, vt vocant. Hoc in recto de omnibus quæ in scientia tractantur prædicari necesse est; etsi fortassis non in omnibus scientijs necessario sit assignandum, vt rectè Vasquez hic disp. 9. cap. 3. & disp. 10. num. 14. illud non item; sed satis est, vt omnia, quæ in scientia tractantur, ad illud cognoscendum aliquo modo referantur; siue vt principia, siue vt passiones, & accidentia, aut alio quouis modo cum eo affinitatem quandam & coniunctionem habentia.

His positis, in proposito non est quæstio de obiecto Theologiæ complexo; id enim cõstat esse omnes illas veritates, quibus per Theologiæ habitum assentimur; siue sint de Deo, siue creaturis, eorumque affectionibus, &c. Nec est quæstio de incomplexo eius obiecto materiali: id enim generatim constat esse omnia & singula, de quibus elicitur assensus Theologicus; seu quod idem est, omnia & singula subiecta notitiarum siue conclusionum Theologicarum.

Nec est magna admodũ difficultas de Theologiæ subiecto, siue obiecto, vti vocãt, cõmunitatis. Hoc enim nõ potest esse aliud, quam Ens in latissima significatione, prout ad Deum aliquã habet attributionem siue habitudinẽ. Cum n. Theologia, vti & fides, sit de oñi genere Entis, etiã latissimè accepti, prout videlicet cõprehendit nõ solum Deum & creaturas, sed etiam negationes & priuationes, quales cernuntur in peccatis, pœnis, alijsque malis etiam naturalibus, idcirco fieri non potest, vt aliqua contractior ratio Entis pro obiecto communitatis assignetur.

Nec in re dissentiunt illi, qui pro subiecto cõmunitatis totius Theologiæ assignant, *Ens diuinum*. Quo modo loquitur Capreolus q. 4. prologi a. 1. & sequuntur nonnulli recentiores; & significat etiam ipsemet S. Thomas in 1. sent. prolog. q. vn. art. 4. vbi ait, *Subiectum Theologiæ esse Ens diuinum, cognoscibile per inspirationem.* Tametsi vt verum fatear ipse hic modus loquendi mihi non probetur. Horret enim animus dicere, peccata, quæ vel maximè etiam in Theologia considerantur, esse Entia diuina; quod perinde est, ac si quis diceret, morbos, quos medicina curat & considerat, esse sanos; eo quòd Medicina consideret omnia in ordine ad sanitatem, vt ibidem etiam docet S. Thomas. Non ergo equidem peccatum Ens diuinum; sed potius, quamuis inuita Grammatica, indiuinum, & à DEO vel maximè alienum dixero. Sed vbi de re constat, de verbis non magnopere contendendum est.

4 Quæstio igitur & dubitatio solummodo in præsenti est, de totius Theologiæ obiecto formali Quod, siue attributionis: de qua re variæ referuntur Doctorum præcipuè antiquiorum sententiæ; quas etiam nos breuiter recensebimus. Prima igitur sententia est Magistri sententiarum lib. 1. initio dist. 1. qui docet, Theologiæ subiectum esse res & signa: cuius tamen procul dubio mens non fuit, obiectum formale Quod Theologiæ assignare; sed materiale tantum; idque non tam attributionis, quam communitatis, vt dictum, iuxta S. Augustinum, quem ibidem citauit lib. 1. de doctr. Christiana cap. 2.

Secunda sententia est Hugonis Victorini, in prologo summæ cap. 2. vbi docet, Theologiæ obiectum esse opera reparationis humanæ, siue mysterium Redemptionis nostræ; quam sententiam refert etiam tacito authoris nomine S. Thomas hic q. 1. art. 7.

Tertia est Linconiensis, & Cassiodori apud Scotum q. 3. prol. asserentium, subiectum huius sacrę doctrinę esse totum corpus Christi mysticũ vna cum suo capite; hoc est, Christum & Ecclesiam: quam ibidem refert S. Thomas loc. cit.

Quarta est Alensis 1. q. 1. memb. 3. qui docet, materiã sacræ scripturæ (quo nomine etiã Theologiam intelligit) assignari posse vel secundũ essentiam; & hanc esse Deum: vel secundum operationem; & hanc esse opus restaurationis: vel secundum virtutem; & hanc esse Christum. Vnde infert, totam materiam Theologiæ esse substantiam diuinã, cognoscendam per Christum in opere reparationis.

Quinta est Durandi q. 2. prologi num. 9. 13. & 21. vbi cum triplicem distinxisset Theologiam, vt dictum supra quæst. 2. dub 2. subiectum eius primo & tertio modo acceptæ, videlicet pro habitu fidei, & conclusionum ex ea deductarum, dicit esse actum meritorium; secundo verò modo acceptæ, pro habitu explicante & defendente mysteria fidei, esse Deum sub ratione Saluatoris.

Sexta est distinguentium triplex obiectum, siue subiectum Theologiæ; videlicet radicale, seu perfectione primum; integrale siue continentiæ; denique vniuersale seu commune: è quibus primũ dicunt esse Deum; secundum, Christum secundũ vtramque naturam, imò cum omnibus membris mysticis; tertiũ res & signa. Ita Bonauentura q. 1. prolog. Ockam q. 3. Gabriel q. 1. a. 2. & fauet Albertus 1. part. sum. tract. 1. q. 3. memb. 1. & in 1. d. 1. a. 2.

Septima sententia docet, primum subiectum Theologiæ esse Deum, sub ratione glorificatoris. Ita Ariminensis q. 4. prolog. art. 2. & Marsil. q. 2. a. 5. quibus consentit Albertus in 1. d. 1. a. 2. quatenus asserit, obiectum speciale esse Deum, vt est Alpha & Omega, principium & finis: quod etiam ferè docet Ægidius 1. part. prol. q. 3.

Octaua sententia est Ioañis de Bassolis, in prol. q. 3. art. 2. Deum sub ratione *Deitatis* esse quidem subiectũ Theologię, versantis circa veritates absolutè necessarias; sed non etiam eius, quæ est de contingentibus, puta Iustificatione, Incarnatione &c. sed sub aliâ quadã ratione, nimirum *voluntis*.

Assertio I. Obiectũ siue subiectũ attributionis, & adæquatum totius Theologiæ est Deus. Ita S. Thomas hîc q. 1. a. 7. & communis Doctorũ, quos pro asser. seq. citabimus. Probatur his rationibus. Prima. Quia illud est subiectũ attributionis, & adæquatũ totius sciẽtiæ, ad quod cætera omnia, quæ in eadem scientia cognoscuntur referuntur, vel vt partes subiectiuæ, aut constituentes, adeoq; vt principia; vel vt proprietates; vel vt effectus, seu operationes; aut simili quadam habitudine: 5

sed omnia

sed omnia quæ cognoscuntur in Theologia habēt se ad Deum, vel instar partium quasi subiectiuarum; vt sunt tres personæ diuinæ; quæ etsi propriè vtiq; non sint partes subiectiuæ, tamen instar earum quodammodo se habent: vel instar proprietatum, vt sunt attributa Dei; vel tanquam effectus & operationes, vt sunt opera tam naturæ, quam gratiæ; adeoq etiā ipsa opera Redēptionis & glorificationis; vel vt media, seu his oppositā; vt sunt operationes humanæ, virtutes & vitia, leges, &c.

Atque hæc etiam est ratio S. Thomæ hīc cum ait: *Sic enim se habet subiectum ad scientiam; sicut obiectum ad potentiam vel habitum. Propriè autem illud assignatur obiectum alicuius potentiæ vel habitus, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam vel habitum: sicut homo & lapis referuntur ad visum, in quantum sunt colorata; vnde coloratum est proprium obiectum visus: Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione DEI, vel quia sunt ipse DEVS, vel quia habent ordinem ad Deum, vt ad principium & finem: Vnde sequitur quod Deus verè sit subiectum huius scientiæ* Ita S. Thomas.

Atque sic suo quodā modo verificatur etiam illa conditio ad subiectum adæquatum requisita à Scoto q. 3. prol. vt nimirum virtute contineat omnes veritates scientiæ, vt rectè declarant Gregorius de Valentia, & Vasquez infra. Quanquam hæc conditio propriè tantum locum habet in scientijs naturalibus, quarum principia petuntur ex natura subiecti; nec eo sensu adeo rigido necessaria est, quem Scotus intendit, vt pluribus Caietanus hic q. 1. art. 7.

Secunda & similis ratio est ista. Subiectum attributionis cuiusque scientiæ est illud, quod cum sit quiddā incomplexū, præcipuè ac propter se, & ꝓpter quod cætera omnia in eadē scientia tractātur: sed hoc respectu Theologiæ est Deus: Ergo &c. Maior patet ex dictis, & traditur ex cōmuni apud Durandū q. 5. prologi, Capreolum q. 4. Vasquez hic disp. 10. n. 2. nisi quod hi ꝑtercā regrunt, vt de subiecto aliquid denominatiuè prædicetur. Sed quæ cōditio nō tā videtur ꝑrequisita ad subiectū scientiæ, quā consequēs. Deinde nō est cōmunis sciētiæ generatim acceptę; sed eius tantū, quæ ex natura subiecti demōstrat passiones, vel e cōtra; quod nō fit in Theologia, in qua etiāsi de Deo nihil denominatiuè prædicari posset, adhuc tamē Deus esset subiectū Theologiæ: quanquā etiā hīc vtiq; nō deficit hæc cōditio; cū etiā de Deo multa denominatiuè, aut quasi denominatiuè prædicētur, vt esse creatorē, Redēptorē, &c. Minor propositio ꝓbatur, tū ex ipso nomine Theologiæ, significāte sermonē aut rationē de Deo; tū quia per se notū videtur, rerū creatarū cognitionem in Theologia esse propter cognitionē Dei, veluti præstātiorē, & nō hāc ꝓpter illā: tametsi vtraq; ex parte cognoscētis referatur ad aliquod opus, puta charitatem Dei; quæ est finis Cuius totius cognitionis huius vitæ.

Tertiò. Idē est subiectū totale attributionis sciētiæ alicuius, quod est subiectū totale habit⁹ principiorū eiusdē: cū subiectū cōclusionis idē sit cū subiecto præmissæ siue principij; saltē in syllogismo perfecto: atqui subiectū fidei, qui est habitus principiorū Theologiæ, est Deus: Ergo: &c. Eandē rationem habet etiam S. Thomas hic cit. q. 3. a. 7.

Quartò. Fides, & Theologia, eiusdē subiecti cōtinēt cognitionē obscurā, cui⁹ in cœlis habebim⁹ clarā & euidentē cognitionē ꝑ visionē beatificā: Idē n. nunc *videmus per speculū & in ænigmate*, quod *tunc facie ad faciē*, iuxta Apostolū 1. Cor. 13. v. 12. sed beatificæ visionis totale & adæquatū obiectū saltem attributionis est Deus, vt patet: Ergo.

Obijcitur primò. Cognitio illa est principalior & magis intenta, qua īmediatius attingitur finis Cui⁹ nostræ cognitionis in hac vita: sed finis Cui⁹ totius cognitionis nostræ in hac vita est Charitas, vt dictum in secunda ratione: Ergo cognitio charitatis est principalior & magis intenta. 6

Respondetur, negando primā propositionē. Ea enim cognitio potior est, & principalior, quæ & obiecti præstātioris est, & altiori modo conducit ad eū finē Cuius; quæq; adeo est cognitio ipsius vltimi finis Cui; qualis est cognitio ipsi⁹ Dei, quæ velut vniuersalis quædā & transcendēs causa dirigit nos ad Deū amandū; ac bene ꝓpter ipsū operandū.

Obijcitur secūdò. Quicqd refertur ad subiectū cognitionis, id refertur ad ipsā subiecti cognitionem: sed cognitio Dei in hac vita refertur ad charitatem; vt dictum: Ergo etiam ad ipsam charitatis cognitionem.

Respōdetur rursum negando maiorē. Quia potest quidē cognitio obiecti præstātioris esse min⁹ præstās, quā sit obiectū aliquod inferi⁹ alia cognitione cognitū; sed nō tamē quā ipsa cognitio, qua hoc obiectū, vtpote inferius, cognoscitur: sequitur enim præstantia cognitionis, in eodē genere, &cæteris paribus, præstantiā obiecti siue subiecti. Ita verò se res habet in proposito. Cognitio Dei in hac vita est quidē dignitate inferior ac min⁹ præstans, quā charitas siue dilectio Dei; iuxta Apostolū 1. Cor. v. 13. *Maior autē horum est charitas*: qua de causa rectè etiā ad charitatē veluti finē cui⁹ in hac vita ab homine consequendū ordinatur: at non tamen dignitate inferior est ipsa cognitione charitatis, sed multo excellentior & perfectior etiam in hac vita. Quo fit, vt cognitio Dei nō ordinetur tanquā mediū ad cognitionē charitatis, sed è cōtrario cognitio charitatis ad cognitionem Dei, quantumuis hæc ipsa in hac vita ad charitatem veluti finem referatur.

Assertio II. Obiectum adæquatum & formale Quod totius Theologiæ est Deus, vt Deus; siue sub ratione Deitatis, & non sub aliqua ratione contractiore. Ita S. Thomas hīc q. 1. a. 7. Henricus in summa art. 19. q. 1. Richardus q. 6. prolog. Scotus q. 3. Aureolus q. de subiecto art. 4. Capreolus q. 4. a. 1. Maior quæst. 7. & communiter recentiores, Caietanus, Bannes, Zumel hic quæst. 1. art. 7. Canus lib. 12. loc. cap. 2. Molina cit. a. 7. Gregori⁹ de Valentia q. 1. p. 3. Vasquez hic disp. 10. cap. 5. Probatur ijsdē rationib⁹, quibus priorē assertionē probauimus; præsertim prima & secunda. Nā Deus vt De⁹, est quē propter se, & propter quem cætera Theologia considerat. Non enim consideramus Deū secundū se, propter eundē, vt habet respectū aliquem ad creaturas; sed hæc potius cognitio refertur ad illam; tum quia magis concreta, adeoq; posterior, tum quia etiam 7

aliquo modo inferior est illa, vt in simili etiam de fide docetur.

Accedit, quod obiectum formale Quod scientiæ, debet esse ita simplex & incomplexum, vt non includat vllum prædicatum ipsius scientiæ; seu quod in scientia de subiecto probatur: quandoquidem obiectum illud, vt sic, debet esse subiectum prædicationis artificialis cuiuslibet in eadē scientia; quod proinde supponere debent prædicata, quæ in eadem scientia de eo colliguntur: Ergo Deus nec sub ratione glorificatoris, nec sub ratione Redemptoris, aut aliqua alia respiciēte creaturas, est subiectum Theologiæ: cum omnes illæ rationes prædicati locum habeant in Theologia. Quam rationem ex Ockamo & Gabriele rectè etiā prosequitur Vasquez loc. cit. num. 16. & 17.

Obiicitur, ex dictis consequens esse, in Theologia tractanda fore infinita; cum de Deo, vt Deus est, infinita cognosci possint. Respondetur negando sequelam: quia ratio formalis obiecti Quæ, nempe Deitas, vt est scibilis per Theologiam, cōtrahitur per rationem formalem sub Qua, quæ est reuelatio fidei, seu fides ipsa, vt dicemus. dub. seq. per quam non omnia, quæ de Deo absolutè cognosci possunt, panduntur, vt patet. Alias quantum est per habitum Theologiæ secundum se, & suam essentiam spectatum, nil obstat, quo minus eo cognoscantur omnia, quæcunque de Deo sciri absolutè à creatura possunt. Atque vtrumque horum optimè etiam notauit Scotus q. 3. & Capreolus q. 4. prolog. art. 2. & ante vtrumque S. Thomas q. 14. de verit. art. 8. ad 16.

8 Atq; ex his colligitur, quid de sententijs superi⁹ cōmemoratis sentiendum sit. Prima enim assignauit quidē vtrumq; adæquatū obiectū Theologiæ; quia oña quæ in Theologia tractātur, vel sunt res, vel signa, rei sacræ nimirū, siue sacramenta; aut certè habent ordinē quendā ad ista; at verò obiectū formale Quod adequatū non assignauit, vt benè notauit etiam S. Thomas hic q. 1. a. 7.

Secunda nec materiale quidē obiectū adæquatū benè assignauit; quia SS. Trinitatis mysterium nō minus per se & principaliter, quam opus humanæ Reparationis, imò etiam magis principaliter, adeoque independenter planè à Redemptione humani generis, in Theologia tractatur, vt rectè etiam notauit Scotus cit. q. 3.

Tertia itidem non assignauit obiectum adæquatum, ob eandē causſam, vt plurib⁹ Scotus loc. cit.

Quarta sine causa multiplicauit obiectū attributionis in Theologia. Nec omnino expressit rationē formalē Quæ, secundū quā oñia cōsiderātur in Theologia, vt in simili dixit S. Thomas hic cit. a. 7. præsertim quādo posteriora duo nec obiecta quidem sunt adæquata Theologiæ, vt antea dictum.

Quinta malè distinguit vniuersim habitum Theologiæ explicantem & defendentem mysteria fidei, ab habitu conclusionum Theologię, vt dicetur quæst. 4. quando de vnitate Theologiæ agem⁹; proinde malè etiam diuersum vtriusque subiectū adæquatum assignat: denique non rectè etiam fidei, & habitus conclusionum Theologicarū subiectum adæquatum constituit actum meritorium: quia Deitas ipsa, in se, & ipsa Sanctissima Trinitas nō respiciuntur à fide, siue habitu illo Theologico propter actum meritoriū; sed hic potius propter Deum, veluti finem, ad quem consequendum act⁹ meritorius refertur, vt superius dictum.

Sexta frustra etiam multiplicat triplex obiectum adæquatum, siue attributionis, omissa ratione formali Quæ, ob quam, & in ordine ad quam omnia tractantur. Deinde non rectè Christum vna cum Ecclesia assignat pro obiecto adæquato Theologiæ,, vt circa secundam opinionem dictum.

Septima male rationem Glorificatoris assignat pro ratione formali Quæ subiecti Theologiæ, vt in secunda assertione dictum.

Octaua sine fundamento diuersam rationem formalem Quæ assignat, respectu veritatum necessariarum, & contingentium; quando etiam hæ, licet quoad sui existentiam & productionem, supponant liberam actionem Dei: tamē ex parte cognitionis æquè omnia faciunt & referuntur ad cognitionem ipsius Dei; tanquam effectus seu operationes liberæ eiusdem; vt quòd Deus creauit cœlum & terram; ex his enim ipsis etiam inuisibilia Dei cognoscuntur, iuxta Apostolom Rom. 1. v. 19.

DVBIVM II.

Quodnam sit Theologiæ obiectum formale Quo; seu ratio formalis obiectiua Qua, siue propter quam.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 3. & 8.

NOn proposuit quidem S. Thomas ex instituto hanc quæstionem; sed suam tamen de ea mentem ac sententiam satis exposuit hîc q. 1. a. 3. vbi de vnitate Theologiæ agit, partim etiam art. 8. vbi agit de ipsius modo argumentandi. 1.

Pro resolutione autem huius dubitationis, Notandum ex Capreolo q. 4. prologi art. 1. & Caietano hic q. 1. art. 3. & Cano lib. 12. loc. Theolog. cap. 3. ac recepta Philosophorum ac Theologorum doctrina, præter obiectum incomplexū materiale cuiuscunque potentiæ, seu habitus cognoscitiui, & rationem formalem Quæ, ipsumq; adeo obiectum formale Quod, ex materiali illo ac formali ratione Quæ constitutum; quod etiam vniuersim à Caietano, & quibusdam alijs, vocatur obiectum vt res; assignandam etiam esse certam quandam rationem formalem ex parte obiecti, per quam, seu propter quam obiectum vt res moueat potentiam seu habitum cognoscitiuum; seu quę sit ratio quædā nō effectiuè vt sic, sed obiectiue mouens potentiam seu habitum ad cognitionem materialis obiecti: quæ etiam propterea dici solet ratio formalis obiectiua, vel absolutè, vel cum addito, Qua, seu propter quam, vel per quam; item obiectum quo, seu obiectum vt obiectum. Quale v. g. respectu visus est lumen, per quod color videtur; respectu scientiæ, aut cuius-

libet

libet habitus discursiui, sunt ipsa principia, seu media, ex quibus, seu per quæ cognoscitur conclusio.

Quæ est etiam expressa doctrina S. Thomæ in 2.2.q.1.art. 1. vbi ait: *Sciendũ, quod cuiuslibet habitus cognoscitiui obiectum duo habet; scilicet id quod materialiter cognoscitur; quod est sicut materiale obiectum, & illud per quod cognoscitur; quod est formalis ratio obiecti. Sicut in scientia Geometrica materialiter scita sunt conclusiones; formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur.* Idem habet q. 2. de virt.art.13.ad 6.vbi docet, ob rationem diuersam eiusdem obiecti mutari essentiam habitus: *Habitus*, inquit, *per se respicit rationem formalem obiecti magis, quam ipsum obiectum materialiter. Et ideò si formalis ratio obiecti tollatur, species habitus non manet; sicut formalis ratio scientiæ est medium demonstrationis. Ideo memoriter tenens conclusiones Geometriæ, si non propter media geometrica eis assentiat, non habebit Geometria scientiam.*

Eodem modo lib.3. sent. dist.24.q.1.a.1.quæstione 1. itidem docet, ex hoc obiecto distingui potentias & habitus: *In obiecto*, inquit, *alicuius potentiæ contingit tria considerare; scilicet illud quod est formale; & illud est quod est materiale; & illud quod est accidentale. Sicut in obiecto visus; quia formale in ipso est lumen, quod facit colorem actu visibilem; materiale verò est color, qui est potentia visibilis; accidentale verò sicut quantitas, & alia, quæ comitantur colorẽ. Et quia vnumquodq; agit secundum quod est actu, & per suam formam; obiectum autem est actiuum in virtutibus passiuis; ideò ratio obiecti, ad quam habet proportionem potentia passiua, est illud, quod est formale in obiecto: & secundum hoc diuersificantur potentiæ & habitus, qui ex ratione obiecti speciem recipiunt.* Hactenus S.Thomas.Eodem modo loquitur hîc q. 1.art. 3.

Ex quibus rectè etiam colligit Capreolus loc. cit. rationem obiectiuam alicuius habitus dici illud, quod est *causa cognoscendi obiectum tanquam mouens intellectum ad cognitionem.* Et superius concluſ. 3. in eundem sensum dixerat, formalem rationem obiectiuam alicuius habitus scientifici esse illud, *quod est causa per se, quod aliquid per illum actum attingatur.*

Hoc supposito, in quo omnes videntur conuenire, quatuor sententiæ de proposita quæstione generatim possunt referri.

2 Prima sententia est, Theologiæ rationem formalem obiectiuam immediatam (quæ scilicet est ipse assensus principiorum, vt dicetur) intrinsecè esse naturalem; videlicet principia reuelata, vt per humanam solummodo fidem, credita; seu quod idem est, naturalem assensum principiorum reuelatorum. Ita consequenter sentire debet Gabriel Vasquez, dum docet, habitum Theologiæ esse opinatiuum, qui procedat ex principijs reuelatis humana solum fide creditis, vt dictũ q.2.d.2. Qui propterea etiam disp. 7. cap. 4. dicit: quemadmodum medium demonstrationis in quacunque scientia dicitur ratio formalis sciendi aliqua; sic in Theologia medium & principium, quod assumit ad inferendas conclusiones, est obiectum formale ipsius. Et infra docet, rationem obiecti Theologiæ esse principia, quatenus creduntur esse reuelata; siue assensus ille sit diuinæ, siue humanæ fidei, iuxta variam hac de re sententiam: Ipse autem Vasquez, vt loc.cit.vidimus, sentit esse assensum fidei solum humanæ.

Secunda sententia est, rationem formalem obiectiuam esse partim naturalem, partim supernaturalem. Ita apertè Albertinus tom.1.3.princip. coroll.1. num.20.vbi ait: *Ratio assentiendi conclusioni Theologicæ esse lumen supernaturale, mixtum cum lumine naturali.* Quod ipse vniuersim sentit de omni assensu Theologico, etiamsi procedat ex duabus præmissis reuelatis: quia nihilominus saltem euidentia consequentiæ est naturalis; quam proinde supponit esse rationem assensus, saltem partialem. Idem significat Gregorius de Valentia hîc q. 1. punc. 3. §. 3. vbi ait: Rationem sub qua Theologiæ non esse quomodocunque reuelationem diuinam ineuidentem, sed mouentem intellectum ad assensum Theologicum, mediante discursu; cum ratio fidei sine discursu moueat. Et clarius tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 2. ad 1. ait, assensum Theologicum non niti sola reuelatione, sed partim quoque lumine naturali, siue quoad alteram præmissam, siue saltem quoad vim cõsequentiæ: quanquam fateor, hæc etiam iuxta mentem tertiæ sententiæ non incommodè accipi posse.

Ratio autem præcipua huius sententiæ esse videtur: quia id, per quod essentialiter distinguitur fides à Theologia, necessariò pertinet ad rationem formalem obiectiuam; ex hac enim sumitur essentialis inter istos habitus differentia; & non tantum ex diuersa applicatione eiusdem rationis: sed fides & Theologia distinguuntur per hoc, quod hęc sine discursu, illa formaliter per discursum assentiatur suo obiecto: Ego ratio discursus pertinet ad rationem formalem obiectiuã Theologiæ, & non tantum ad applicationem eiusdem: & per consequens ratio formalis obiectiue Theologiæ non est planè supernaturalis, vt est assensus diuinæ fidei; sed ex parte etiam naturalis.

Tertia sententia est, rationem assentiẽdi Theologiæ verè & propriè dictam esse merè supernaturalem. Quæ tamen sententia rursum variè explicatur. S. Thomas disp. q. 1. ad 2. ait: *De eysdem rebus, de quibus Physicæ disciplina tractat, tractat etiam scientia Theologiæ, secundum quod cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis.* Vbi cognoscibile lumine diuinæ reuelationis, seu ipsum lumen diuinæ reuelationis, videtur assignare pro ratione formali obiectiua Theologiæ. Idem art. 3. ait: *Quia sacra scriptura considerat aliqua, secundum quod sunt diuinitus reuelata, omnia quæcunq; sunt diuinitus reuelabilia, communicant in vna ratione formali obiecti huius scientiæ; & ideo comprehenduntur sub sacra doctrina, sicut sub vna scientia.* Et ibidem ad 2. dicit: *Ea quæ in diuersis scientijs physicis tractantur, potest sacra doctrina vna existẽs, considerare sub vna ratione, in quantum sunt diuinitus reuelabilia.* Quo vtroque loco *reuelabile*, seu *reuelabilitatem*, videtur pro ratione formali obiectiua assignare: adeo vt S. Thomas promiscuè aliquando reuelationem diuinam, aliquando reuelabilitatem rationem formalem obiectiuam Theologiæ constituat. 3

Quod Capreolus q. 4. prol. art. 1. in fin. ita ex-

Digitized by Google

plicat, distinguendo, vt vidimus, in Theologia, præter rationẽ formalẽ obiecti cognitã, quę est ipsa ratio Deitatis, duplicẽ aliã rationẽ formalem obiecti, videlicet rationẽ cognoscẽdi, & rationem (vt ipse vocat) *quæ accidit cognito, & denominat illud propter rationẽ cognoscendi*: quarũ priorẽ esse dicit lumen diuinæ reuelationis; alteram ipsam reuelabilitatem. Qui proinde etiam ibidem concluſ. 6. *Ratio*, inquit, *formalis Theologiæ, sicut qua aliquid in Theologia cognoscitur, est lumen diuinæ reuelationis; & similiter formalis ratio obiecti Theologiæ, vt obiectum est, est hoc, quod dicor reuelabile, vel cognoscibile lumine diuina reuelationis.*

Caietanus quoque hic q. 1. a. 3. indifferenter dicit, reuelabilitatem diuinam, seu lumen diuinæ reuelationis esse rationem formalem sub qua, vt ipse vocat. Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 3. ait, Theologiæ nostræ eandem rationem esse ac fidei; etsi toto genere differant, quod hæc cum discursu, illa sine discursu ad assensum moueat. Molina hic q. 1. a. 3. ait, rationem sub qua Theologiæ esse scibile per reuelationem, seu ex præmissis reuelatis: cognoscibile verò per reuelationem immediatè, esse obiectum fidei.

4 Dominicus Bannes q. 1. a. 3. controuers. 1. ait: Diuinam reuelationem (seu reuelabilitatem) esse rationem formalem, sub qua obiectum Theologicum specificat Theologiam. Idem art. 3. ad 7. ait: *In discursu Theologico, in quo vtrq; præmissa est de fide, lumen naturale, quo iudicatur bonitas conclusionum, non est ratio formalis assentiendi, sed conditio & quasi applicatio rationis formalis antecedentis ad conclusionem.* Et infra dicit; etiamsi altera præmissa sit naturaliter euidens, nihilominus conclusionem esse Theologicam: *quia*, inquit, *talis præmissa non assumitur à Theologo propter se, sed propter ministerium ad officium Theologi; quod per se est ex rebus fidei conclusiones deducere.* Vnde quod idem Bannes supra ad 5. dixerat; *Theologicis conclusionibus assentimur per duo lumina, quæ ad assensum concurrunt*, non videtur præcisè de ratione formali obiectiua intellexisse; sed in communi de omni eo lumine, quod ad assensum Theologiæ necessarium est.

Eodem modo Franciscus Zumel q. 1. docet, rationem formalem sub qua Theologiæ esse diuinã reuelationem, & lumen supernaturale. Et q. 2. *Eadem est*, inquit, *ratio formalis nostræ Theologiæ & Catholicæ fidei; sicut eadem est ratio formalis habitus primorum principiorum, & habitus conclusionum.* Eam verò rationem inferius dicit esse diuinam reuelationem. Vnde art. 7. q. 1. ait: *Dico quintò, quod discursus syllogisticus non est ratio formalis assentiendi conclusioni; sed est quasi applicans rationem formalem, quæ est in præmissis ad ipsam conclusionem; id quod contingit in omnibus aliis scientijs.* In eundem sensum etiam alij Theologi obiectum formale Theologiæ vocant diuinam reuelationem, seu reuelabilitatem; siue vt nonnulli loquuntur, cognoscibile per reuelationem ineuidentem, per discursum applicatam.

Eodem modo ex antiquioribus loquuntur Scotus q. 2. & 3. prologi; & quoad habitum deductiuum conclusionum Theologicarum (quem tamen cum fidei habitu malè confundit) Aureolus q. 1. prolog. a. 2. Omitto eos, qui rationem assentiendi Theologiæ assignarunt lumẽ quoddam euidens, seu ipsius fidei, seu à fide distinctum de quibus dictum supra q. 2. dub. 3.

Quarta sententia distinguit inter duplicẽ Theologiæ habitum, iuxta ea quæ tradidimus q. 2. dub. 2. & mox dicemus.

Vbi tamen rursum supponimus, sermonem esse de Theologia, secundum proprium officium spectata, prout nimirum vel ex duabus præmissis reuelatis, vel ex vna reuelata & altera naturaliter euidente, per euidentem consequentiam colligit conclusionem, eiq́ue assentitur.

Assertio I. Theologiæ ratio formalis obiectiua non est ratio discursus; siue naturalis euidentia consequentiæ. Videtur ex mente auctorum tertiæ sententiæ; & expressè, vt vidimus, traditur à Banne & Zumel locis cit. Eodemq́ue modo loquitur S. Thomas, locis antea citatis, in quibus nunquam dicit, rationem consequentiæ esse rationem assentiendi, siue in Theologia, siue in alijs scientijs; sed in his, media seu principia demonstrationis; in illâ reuelationem seu reuelabilitatem, &c. Probatur. Quia sicut se habet agens naturale ad suum effectum, ita etiam principia seu præmissæ, siue assensus principiorum ad assensum conclusionis: sicut enim illud, ita etiam ista in suo genere sunt causa sufficiens sui effectus; certè nullæ solida ratio diuersitatis assignari potest: Ergo etiam sicut se habet approximatio ad passum, respectu agentis naturalis, ad effectum naturalem, ita etiam recta dispositio & collocatio præmissarum; siue ratio consequentiæ, ad assensum conclusionis: alias enim inter causam naturalem, & præmissas siue principia, non seruaretur proportio: atqui approximatio illa tantum se habet per modum conditionis applicantis passum seu agens naturale: Ergo etiam recta dispositio & collocatio terminorũ ac prę̃missarum tantum se habet per modum conditionis applicãtis obiectum formale, seu principia & præmissas. Idem in simili de fide rectè tradunt & explicant Gregorius de Valentia tom. 3. d. 1. q. 1. p. 2. & Albertinus tom. 1. princip. 3. q. 4. & de habitu Theologiæ assentiente conclusionibus deductis Aureol9 q. 1. prolog. a. 2. 5

Eademq́ue ratio vniuersalis est, & procedit de omni habitu discursiuo: & confirmari potest tum ex eo, quod ab Aristotele, & Philosophis syllogismus, seu forma syllogistica non vocatur medium, aut ratio sciendi; sed tantum modus aut instrumentum sciendi; quasi videlicet extrinsecè se habens ad scientiam. Quamuis non negem, scientias humãas proprie dictas necessario hoc instrumento vti; imò etiam per hoc, velut à posteriori rectè distingui scientiam ab intellectu, vt dicemus. Tum quia alias fatendũ esset, cognitionem Logicæ esse rationem formalem assentiendi, saltem inadæquatam, omnium scientiarum: atque ipsius adeo etiam scientiæ infusæ, quatenus discursiua est, iuxta dicta q. 2. dub. 3. quod nemo dixerit. Plura huc accommodari possunt etiam ex ijs, quæ dicentur pro assertione 2.

Assertio II. Theologiæ nostræ simpliciter dictæ ratio formalis obiectiua, non est principium 6

seu

seu præmissa euidens, si quæ forte, vt fieri potest, in discursu propriè Theologico ponitur. Ita Bannes loc. cit. & significat Aureolus cit. q. 1. art. 2. quatenus docet, assensum conclusionis Theologicæ, in discursu, constante ex vna præmissa reuelata, & altera euidente, sequi conditionem & naturam principij reuelati tantum, non euidentis. Idem colligitur ex S. Thoma, & alijs, dum vniuersim pronuntiant, diuinam reuelationem aut reuelabilitatem esse rationem formalem obiectiuam Theologiæ. Idem in vtraque assertione multò magis sentiunt ij, qui docent, vnam & eandem rationem formalem esse fidei & Theologiæ, vt de Cano & Zumel diximus. Probatur his rationibus. Primò; quia alias fatendum esset, habitū Theologicum simpliciter dictum, etiam eiusdem conclusionis, deductæ ex duabus præmissis reuelatis, esse specie diuersum ab eo, qui eandem conclusionem deducit ex vna præmissa reuelata, & altera euidente: hoc autem est contra certam & communem Doctorum, vt inferius dicetur q. 5. Ergo, &c. Maior probatur. Quia habitus illi procederent ex diuersis planè rationibus formalibus obiectiuis; prior quidem ex merè supernaturali; quandoquidem utraque præmissa est reuelata, &, vt supponimus, creditur per fidem diuinam; ipsa autem ratio consequentiæ ad rationem formalem obiectiuam non pertinet, vt antea dictum: Posterior verò procederet ex ratione obiectiua partim naturali, partim supernaturali: quæ duæ rationes plus quam genere differunt.

Secundò. Theologia non ob aliam rationem assentitur suæ conclusioni, nisi quia & quatenus est virtualiter reuelata; quod ex omnibus authoribus tertiæ sententiæ apertè colligitur; adeo vt hæc iure dici possit communis Doctorum sententia: sed quod obiectum eius sit virtualiter reuelatū, non facit altera præmissa naturalis euidens; in hac enim minimè est reuelata; sed solum præmissa fidei ineuidens & reuelata: cuius reuelatio virtualiter se extendit ad conclusionem: Ergo præmissa euidens non est propriè ratio partialis obiectiua conclusionis Theologicæ; sed solumodo conditio explicans alteram propositionem reuelatam; ita vt intelligamus, in ea virtualiter contineri conclusionem.

Tertiò. Impossibile est, vt vnus & idē assensus seu habitus simplex specificetur per duas differētias toto genere & ordine diuersas, vt patet: Ergo etiam impossibile est, eiusdem assensus Theologici duas esse ratiões obiectiuas formales, quāuis partiales, toto genere & ordine diuersas; quarum videlicet vna sit naturalis, altera supernaturalis. Probatur consequentia. Quia differentia essentialis habituum sumitur à ratione formali obiectiua, vt supra ex S. Thoma dictum, & habet communis Doctorum sententia: eam ergo rationem formalem obiectiuam necessariò etiam imitātur differentiæ intrinsecè specificantes habitū: Ergo vbi sunt duæ rationes obiectiuæ, genere & ordine diuersæ, fatendum est etiam, differentias constitutiuas habitus esse genere diuersas. Et confirmatur. Quia non est maior ratio, cur vna potius ratio formalis obiectiua specificet, quam altera; aut si est, illa potius sola dicenda erit ratio formalis obiectiua, siue propter quam, non hæc. Si dicas, coalescere in vnam, respondeo hoc ipsum impossibile esse, vt tam diuersæ rationes coalescant in vnam. Deinde illa vna ratio, seu potius differentia specifica inde desumpta, vel erit naturalis intrinsecè, vel supernaturalis: neutrum potest dici: quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

Quartò. Si diuina reuelatio alterius præmissæ reuelatæ, verè est causa & ratio obiectiua mouens ad assensū cōclusionis (quod quidē negari minimè potest) necessariū est, vt intellect⁹ ei iñitatur, quantū & ipsa potest, & illa meretur; sed hoc nō fit, nisi illā solā utatur, velut ratione formali obiectiua; altera verò p̄missa euidēte vtatur solū vt conditione applicante rationē formalem; potest enim hoc facere, vt mox probabitur: Ergo &c. 7

Quintò. Ea est intellectus nostri natura, circa conclusionis assensum, vt quando per alteram ex præmissis, seu assensibus præuijs, certò & infallibiliter nobis innotescit, conclusionem niti certiori quodam & firmiori fundamento, quam sit ille idem assensus prior, per quem hoc innotescit, vt tunc veluti neglecto assensu priori debiliori, aut certè non alia eius ratione habita, quam velut conditionis applicantis certius illud principium, vltimatè ac formaliter solum intendat in alterum illud fundamentum firmius, quo cognoscit conclusionem niti; & ab eo potissimum permotus perfectiore assensu sibi persuadeat cōclusionem, quam sit ille assensus prior & imperfectior: sed illud accidit in proposito; assensus enim alterius præmissæ naturalis & euidentis, simpliciter est imperfectior; quam sit assensus alter fidei diuinæ: Ergo ex ipsa etiam naturâ intellectus pariter fiet, vt intellectus, non alia ratione præmissæ euidentis habita, quam velut conditionis applicantis, alterum principium reuelatum certius, ob hoc solum velut rationem formalē obiectiuam assentiatur conclusioni. Maiorem quasi ad verbum, quamuis ad aliud propositum, de quo hîc non disputamus, tradit Gregorius de Valentia tom. 3. loc. cit. eiusq; ratio esse videtur, quod intellectus naturaliter ex præmissis omnem eam certitudinem & perfectionem possibilem consectatur, quam is habere potest ex assensu præmissarū. Exemplū aut potius simile habemus in illis Samaritanis, qui cum de Christo Messia certioribus argumentis & signis essent instructi, quam fuerat contestatio illius mulieris samaritanæ, dicebant; *Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.* Ioan. 4. v. 42. Eodem modo, quando discipulus in Mathematicis audit suum Magistrū explicantem demonstrationes Euclidis, easque intelligit, tum is certè non assentitur conclusionibus Geometricis propter suum Magistrum, velut rationem assentiendi, sed ob aliam rationem longè certiorem, nimirum ob principia, & explicatione verò illa solum vtitur veluti conditione seu causa applicante notitiam principiorum.

Sextò. Conclusio Theologica explicata per discursum Theologicum ex vna præmissa reuelata & altera euidenti, potest per fidem credi: Ergo nititur solum principio reuelato & supernaturali; non naturali. Antecedens patebit ex q. 5. dub. 3. & 4. Et ratio breuiter est. Quia est reuelata; eo ipso, quod est necessario & euidenter adeoque infallibiliter connexa cum præmissa reuelata: esse autem ita connexam, innotescit nobis ex ipsa præmissa naturali; per quam nobis certò & infallibiliter constat, conclusionem contineri in præmissa illa reuelata.

Neque propterea sequitur, fore, vt etiam in casu, quo altera præmissa est euidens, altera verò ineuidens, possit quis euidenter assentiri conclusioni; quia ad hoc opus foret, vt euidenter constaret, per alteram præmissam ineuidentem, conclusionem contineri in præmissa euidente; sicuti, quia per alteram præmissam naturalem certò constat, conclusionem contineri in præmissa reuelata, idcirco possum non quidem euidenter, sed certo assentiri conclusioni virtualiter contentæ in principio reuelato: id verò est impossibile. Quæ etiam ratiò est, vt quoad euidentiam vel ineuidentiam, conclusio semper sequatur partem debiliorem; non autem quoad rationem supernaturalitatis; nec adeo etiam vndiquaque quoad rationem certitudinis, vt recte etiam notauit Aureolus q. 1. prolog. art. 2. & Molina hic q. 1. a. 2. disp. 1. Siquidem etiam actus virtutum supernaturalium sunt supernaturales; cum tamē pendeant etiam à potentijs vitalibus; quæ non sunt causæ aut res supernaturales.

8 Assertio III. Theologiæ simpliciter dictæ ratio formalis obiectiua tota est supernaturalis. Hæc est mens Auctorum, quos pro tertia sententia citauimus, & colligitur ex dictis. Si enim naturalis esset, ideo esset, quia ratio, siue adæquata, siue inadæquata, assentiendi conclusioni Theologicę, esset vel assensus solum opinatiu⁹ vtriusque præmissæ, vel ratio & euidentia consequentiæ, vel saltem in discursu illo, quo vna tantum præmissa est reuelata, ipsamet altera præmissa euidens: nihil horum potest dici. Non primum; sic enim Theologiæ simpliciter dictæ habitus esset opinatiuus, quod satis refutauimus supra q. 2. dub. 2. Nec secundum, ob ea, quæ in prima assertione docuimus. Nec tertium; propter ea, quæ in probatione secundæ assertionis attulimus. Cum ergo negari non possit, Theologiam simpliciter dictam habere suam quandam certam rationem formalem obiectiuam; ea verò nec adæquatè nec inadæquatè sit naturalis, vt probatum est; necesse est, vt sit mere supernaturalis.

Assertio IV. Ratio formalis obiectiua Theologiæ adæquatè spectata, diuersa est à ratione formali obiectiua fidei. Est communis Doctorum primæ, secundæ, & tertiæ sententiæ, atque etiam mens & doctrina S. Thomæ locis superius citatis, vbi docet, habitus & scientias distingui penes rationem formalem obiectiuam: Cum igitur ex eodem S. Thoma constet, habitum Theologiæ esse diuersum ab habitu fidei, vt probauimus supra q. 2. dub. 2. necesse est etiam, rationem formalem obiectiuam vtriusque diuersam esse. Et confirmatur. Quia cum alioqui habitus fidei & Theologiæ habeant idem subiectum, siue obiectum Quod, & nihilominus tamen essentialiter inter se differant, tanto magis necesse est differre ratione formali obiectiua; quod etiam in sequētibus fiet clarius. Dicet fortè aliquis, differre ratione conditionis applicantis obiectū. Respondetur, hanc esse differentiam planè extrinsecam, quæ ad essentiæ diuersitatem minimè sufficit, vt per se patet. Qui verò aliter locuti sunt, in quibus Canus, Bannes, Zumel, locis citatis, incompletè tantum vtriusque rationem obiectiuam cōsiderarunt, vt dicemus.

Assertio V. Theologiæ nostræ simpliciter dictę 9
ratio formalis obiectiua, siue propter quam, immediata & completa, est, principium reuelatum, vt creditum fide diuina, siue ipse assensus fidei circa principium reuelatum. Est communis sententia, & mens authorum tertiæ sententiæ; ac præcipuè S. Thomæ ibidem relati, tametsi nonnunquam alij alijs verbis vtantur, sensu non diuerso, vt dicemus. Probatur. Quia illa est completa & immediata ratio formalis obiectiua Theologiæ nostræ, propter quam formaliter & immediatè assentimur conclusioni Theologicæ; cuiq; vnicè innititur assensus Theologicus: sed propter principium reuelatum, vt creditum fide diuina, seu quod idem est, propter ipsum assensum fidei circa principium reuelatū, assentimur cōclusioni Theologicæ; eique etiam vnice innititur assensus Theologicus: siquidem quæ præterea ad hanc rationem formalem obiectiuam adiungi possent, vt ratio seu euidentia consequentiæ, naturalis euidentia alterius præmissæ, &c. iam antea à ratione formali obiectiua Theologiæ excluſimus. Ergo principium reuelatum vt creditum fide diuina, ipseque adeò assensus fidei diuinæ circa principium reuelatum, est adæquata & immediata ratio formalis obiectiua Theologiæ. Et confirmatur: quia in omni scientia, ipse assensus principiorum est ratio formalis obiectiua ipsius habitus scientifici; non tamē quilibet assensus; sed is solum, qui est scientiæ proportionat⁹, si quis enim haberet assensum principiorum solum à Fide humana profectū, is vtique non haberet veram scientiam, vt superius q. 2. dub. 3. cum S. Thoma hic in prima notatione citato ex communi sententia docuimus: quia assensus ille principiorum, seu principia ipsa tali assensu credita, non sunt ratio formalis obiectiua scientiæ; sed solummodo pro vt cognoscuntur assensu certo & euidenti. Nostra autem Theologia non nititur assensu opinatiuo, aut naturali, principiorū reuelatorum, vt dictum ead. q. 2. dub. 2.

Dixi verò in assertione primo, Theologiæ no- 10
stræ esse assensum fidei: quia per hoc distinguitur Theologia nostra obscura à Theologia euidente Christi & beatorum; quod cum vtraque quidem rationem formalem obiectiuam supernaturalem habeat, adeoque generatim nitatur principijs reuelatis, supernaturali aliquo assensu cognitis; illa tamen nitatur obscura cognitione fidei; hæc clara & euidente, vt cit. q. 2. dub. 3. fusius explicatū.

Dixi

Dixi secundò, esse principium reuelatum, nimirum indefinitè vnum vel plura: pro ratione varia discursus Theologici, habentis aut vtramque, aut vnam solummodo præmissam reuelatã, cum altera euidente, vt superius dictum.

Assertio VI. Eiusdem Theologiæ simpliciter dictæ ratio assentiendi mediata & vltimata, est ipsa reuelatio diuinæ fidei: ac proindè à præcedenti assertione re ipsa non dissentiunt, qui Theologiæ, rationem formalem obiectiuam, vel sub qua, dixerunt esse reuelationem, vel reuelabilitatem, vel reuelabile, vel mediatè reuelatum, vel ipsa principia reuelata: quanquã plene & exacte completam rationem eius non omnes expresserunt. Probatur & declaratur assertio. Dupliciter enim assignari potest formale obiectum Quo, seu ratio formalis obiectiua alicuius habitus discursiui; nimirum mediata vel immediata, & vtraque rursum, vt ex Capreolo retulimus, vel secundum se, absolutè, & in abstracto, vel vt formaliter afficiens & denominans, aut certè inuoluens obiectum materiale; hoc posteriori modo dicitur *mediate reuelatum*, seu reuelabile; hoc est, ex reuelato principio cognoscibile; & secundum Capreolum etiam ipsa reuelabilitas, quia & ista, vt sic (veluti simitas) aliquo modo inuoluit subiectũ. Priori modo dicitur lumen diuinæ reuelationis, seu ipsa reuelatio; non quod immediatè ipsam conclusionem Theologiam afficiat (hæc enim vt sic non est immediatè reuelata) sed quæ afficiat præmissas: quæque proindè sit mediata tantum ratio assensus Theologici; simul tamen vltimata: quandoquidem vniuersim ratio immediata assensus principiorum, est ratio mediata, sed vltimata assensus conclusionis.

Rursum quia assensus Theologicus est discursiuus, eiusdemque ratio formalis obiectiua immediata necessario est complexa, ideò pro ratione eius obiectiua immediata recte assignatur totum principium complexum, ex quo conclusio Theologica infertur: qua ratione ipsa principia, seu præmissæ reuelatæ dicuntur ratio per quam, siue propter quam. Cæterum quia etiam ipsis reuelatis principijs diuersis plane assensib⁹ assentiri possumus, qui idcirco fundent & causent habitus & assensus conclusionum non minus diuersos, vt exemplo naturalium scientiarũ patet, & ex parte notauit etiam S. Thomas loc. cit. q. 2. de virtutibus art. 13. ad 6. hinc fit, vt nisi ad principium habitus discursiui adiungatur ratio certa & determinata assensus eiusdem principij, non possit cõpleta ratio formalis obiectiua habitus, aut assensus discursiui constitui; vt etiam circa præcedentem assertionem dictum: sed quam nos in illa eadem assertione expressimus, authores secus locuti subintellexerunt.

11 Assertio VII. Ratio formalis obiectiua Theologiæ opinatiuæ propriè non est reuelatio diuina; nec principia reuelata, qua talia; sed assensus opinatiuus, seu fides humana principiorum reuelatorum; seu quod idem est, ratio probabilis, vel authoritas humana mouens ad assensum præmissarum. Hanc assertionem pono contra quandam opinionem, asserentem, per rationem formalem obiectiuam mouentem nos ad assentiendum, non distingui fidem humanam à diuina; aut Theologiam opinatiuam hæreticorum à Theologia simpliciter dicta & supernaturali; vtriusque enim esse, aut esse posse eandem rationem formalem obiectiuam, videlicet reuelationem diuinam, seu immediatè afficientem obiectum creditum; seu mediatè applicandam per discursum, seu per aliã quandam rationem obiecti sub qua, desumptam ab ipso habitu, vt referemus fusius dub. sequens. Quam sententiam indicare nonnullis visus est Molina hic q. 1. a. 3. disp. 2.

Verum pro certo habendum est, reuelationem diuinam propriè non esse rationem formalem obiectiuam nec humanæ fidei, nec Theologiæ opinatiuæ: quod omnes reliqui citati pro secunda & tertia opinione sentiunt; non distinguentes rationem formalem obiectiuam à ratione sub qua, vt dicemus dub. seq. Qui hoc ipso etiam docent, per illam ipsam rationem obiectiuam specificari & distingui Theologiam simpliciter dictam à cæteris habitibus, saltem excepta fide. Idem supponit S. Thomas locis supra citatis, quando habitum Theologiæ per ipsam reuelationem diuinã seu reuelabilitatem, specificari & distingui docet ab omnibus alijs habitibus: & colligitur ex eodem S. Thoma in simili 2. 2. q. 5. a. 3. vbi docet, nullum hæreticum posse alicui veritati fidei assentiri propter primam veritatem.

Vnde etiam probatur assertio. Primò. Quia vt ex communi Doctorum sententia initio huius dubij retulimus, per rationem formalem obiectiuam specificantur & distinguuntur habitus; adeo vt impossibile sit, habitus essentialiter diuersos, & idem alioqui subiectum & obiectum materiale habentes, habere eandem rationem formalem obiectiuam: Ergo impossibile est, diuinam reuelationem, seu reuelabilitatem, quæ est ratio formalis diuinę fidei, aut Theologię simpliciter dictę esse etiam rationem obiectiuam fidei, aut Theologiæ opinatiuæ: cum habitus isti sint diuersissimi, vt patet ex dictis q. 5. dub. 2. 12

Secundò. Impossibile est, vt ratio formalis obiectiua habitus naturalis sit supernaturalis, vt ex communi recte etiã tradit & explicat Franciscus Albertinus tom. 1. princ. 3. Coroll. 4. & constat ex dictis; quandoquidem ex ratione formali obiectiua specificantur & distinguuntur habitus: at verò Theologia opinatiua est habitus merè naturalis: Ergo. &c.

Tertiò. Ratio ista obiectiua diuinæ reuelationis habet se vt lumen respectu visus; quatenus videlicet immediatè afficiens obiectum quod visus, est immediata ratio & causa cognoscendi colorẽ: sed impossibile est, vt hoc modo spectatum, sit ratio formalis obiectiua alterius potentiæ, quam visus: quod in sensibus est per se manifestum; de intellectu probatur. Quia licet aliquando ex lumine, velut medio termino, inferri possit aliqua conclusio, tamen ratio immediata & completa assentiendi, non est lumen: sed præmissa aliqua, seu assensus præmissæ, cuius terminus quidam sit lumẽ. Idẽ seruata proportione etiam de cæterorũ sensuum ratione formali obiectiua dicendum est.

Quartò.

Quartò. Ratione formali obiectiua formaliter nititur certitudo cuiuslibet assens⁹; quæ proinde etiam debet illi respondere: atqui certitudo Theologiæ opinatiuæ nequaquam respondet reuelationi diuinæ, seu assensui nitenti hac reuelatione; cum sit longè minor & ordinis inferioris, vt patebit q. sequenti.

Quintò. Ratio formalis obiectiua adæquatè sumpta, debet esse id, in quod vltimo resoluitur assensus: sed Theologiæ opinatiuæ ratio vltimata in quam resoluitur eius assensus, non est reuelatio diuina; sed tantum rationes probabiles, seu fides humana, quibus nititur eius assensus. Reuera enim talis non assentitur, quia Deus præmissam reuelauit; sed quia ex rationibus probabilibus, seu humana authoritate putat, Deum hoc reuelasse.

Sextò. Theologia opinatiua eodem modo, seruata proportione, se habet ad diuinam reuelationem, sicut fides humana, seu opinatiuus assensus, qualem habent hæretici de quibusdam veritatibus fidei: atqui impossibile est, vt ratio formalis obiectiua fidei humanæ sit reuelatio diuina: Ergo. &c. Minor probatur. Quia alioqui per naturæ vires credere possemus aliquid formaliter, quia id Deus reuelauit, sicut hæretici naturaliter eliciunt assensum fidei humanę, circa eas fidei veritates, quas credunt: neque enim aliunde est in eo actu aliqua difficultas, si non ex ipsa supernaturalitate actus & obiecti formalis: Sed hoc prorsus est falsum, posse nos naturæ viribus credere formaliter, quia id Deus reuelauit. Ergo. Qua de causa etiam Albertinus cit. princip. 3. coroll. 4. num. 6. ad hoc ipsum propositum ex instituto probat, ex communi sententia, credere propter authoritatem diuinam reuelantem, tanquam propter rationem formalem assentiendi, excedere potentiam naturalem; atque adeo *non dicere solam difficultatem, sed impossibilitatem simpliciter*, vt talis actus viribus naturæ eliciatur.

13 Nec obstat, quod aliquando tam fidelis, quam hæretic⁹ eliciens eiusmodi assensum opinatiuum & naturalem, existimat, se assentiri propter diuinam reuelationem, tanquam rationem formalem obiectiuam: quia id commune est omnibus actibus mentis internis, vt eorum ratio formalis, & quidditas intrinseca, ipsum quoque operantem frequenter lateat: quod in actu charitatis supernaturalis est manifestum, & de fide certum; idemque de actu fidei diuinæ complures & rectè docēt vt suo loco dicetur. Vbi tamen notandum, in hoc ipso complexo, scilicet aliquid vt reuelatum credi, voculam *vt* dicere posse non solum rationem formalem obiectiuam, sed etiam conditionem vel partem materialis obiecti, vt sensus sit, talem assensum esse, vel de ijs rebus, quæ sunt reuelatæ; nec nisi supposita ea conditione reuelationis: vel de hoc ipso etiam, quod sunt reuelatæ. Et hoc modo non est negandum, posse assensu etiam opinatiuo, seu humanæ fidei credi aliquid vt reuelatum à Deo, vt indicat etiam S. Thomas 2. 2. q. 5. a. 3. ad 1. Qua ratione etiam explicari poterit Molina loc. cit. vt & in Concordia q. 14. art. 13. 9. 7. 10. 11. vbi in eundem sensum asserit, posse hominem per vires naturæ, cum solo concursu generali, assentiri mysterijs supernaturalibus sibi propositis & explicatis: qualia sunt, Deum esse trinum in personis, Christum esse Deū, & similibus, tanquam à Deo reuelatis, actu merè naturali. &c. Quo sensu etiam Viguerius cap. 10. §. 3. v. 6. sub fine dixit: Hæretici, quamuis dicāt, se ijs, quæ sunt fidei, credere, quia reuelata sunt à Deo, non tamen faciunt, *prout hæc coniunctio Quia dicit causalitatem; quia tunc crederent omnibus reuelatis, vt patet per exponentes: Sed bene prout hæc coniunctio Quia, dicit quandam circumstantiam obiecti*; de qua re alibi plura.

Atque ex his, quæ hactenus docuimus, facilè 14
colligitur primò, quomodo differat ratio formalis obiectiua fidei à ratione obiectiua Theologiæ simpliciter dictę Etenim reuelatio diuina est ratio formalis obiectiua Fidei immediata; scilicet non vt afficiens præmissam aliquam, ex qua assensus fidei deducatur, sed vt afficiens immediatè ipsum complexum obiectum fidei. Vnde etiam obiectū fidei formale dicitur reuelatum, seu cognoscibile per diuinam reuelationem immediatè: Theologiæ verò obiectum vt sic, non est in se reuelatum, sed reuelabile, seu per reuelationem cognoscibile, mediatè, vt dictum.

Vbi rursum tanquam certum supponimus, fidem non assentiri suo obiecto formaliter per discursum; quod inquit Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 2. *videntur procerto supponere omnes Theologi*. Item Franciscus Albertinus tō. 1. princip. 3. coroll. 4. punc. 2. docet, *firmissime tenendum esse, assensum fidei diuinæ non resolui in discursum; sed fieri per simplicem adhæsionem*, tanquam per rationem formalem assentiendi; quam etiam ostendit esse sententiam S. Thomæ, & communē Theologorum, contra quosdam illic relatos, qui contrarium docuisse videntur, videlicet Durandum, Gabrielem, Michaelem Medinam, Marsilium, & Vasquez: qui duo etiam fidem ipsam videntur fecisse discursiuam, ita tamen vt medium in fide nō sit propositio aliqua reuelata, & directè per fidem credita; sed reuelatio ipsius veritatis per fidem credendæ. De qua re suo loco pluribus agendum est.

Colligitur secundò; tametsi ratio discursus non constituat intrinsecè rationem formalem obiectiuam Theologiæ, tamen per eam velut à posteriori rectè ipsam posse explicari: eo ipso enim significatur, rationem eius obiectiuam esse vel præmissam, vel in præmissa relucere, per discursum applicandam, vt diximus.

Colligitur tertiò, ex ratione formali obiectiua 15
Theologiæ, simulque ex eius obiecto formali attributionis, quænam sit differentia ac ratio specifica & essentialis, adeoque definitio Theologici habitus, siue qui simpliciter talis est, & dicitur; siue etiam opinatiui. Theologia enim simpliciter dicta, sub generali ratione, quatenus communis est etiam Theologiæ Christi & beatorum, ex dictis ita rectè definietur; Habitus discursiuus, circa Deum vt Deus est, nixus principijs reuelatis, qua talibus: seu quod idem est, scientia Dei, vt Deus est, procedens ex principijs reuelatis su-

perna-

Digitized by Google

pernaturali assensu cognitis: seu per restrictionem superioris definitionis, vnius solũ particulæ additione factã: Habit⁹ discursiuus circa Deũ vt Deus est, nixus principijs reuelatis euidenter cognitis. Theologia verò nostra, seu viatorũ, ita rectè definietur: Habitus discursiuus circa Deũ, vt Deus est nix⁹ principijs obscure reuelatis, qua talib⁹: siue, scientia Dei, vt Deus est, procedens ex principiis reuelatis, diuina fide creditis. Theologia verò opinatiua definietur hoc simili modo: Habitus discursiuus circa Deum, vt Deus est, nixus principijs obscurè reuelatis, humana fide creditis. Quibus rationibus & definitionibus definiti habitus singuli, & inter se (suo modo) & ab omnibus plane habitibus alijs, seu naturalibus, seu supernaturalibus essentialiter differunt; vt ex dictis colligitur, & consideranti patebit.

Colligitur quartò, quisnam sit assensus ppriè Theologicus; quodque principiũ propriè Theologicum; & quæ itẽ argumentatio ppriè Theologica. Assensus enim propriè Theologic⁹ in genere, alius non est, nisi qui nititur ratione formali obiectiua Theologiæ propria; nimirum principio reuelato diuina fide credito. Principium propriè Theologicum non est, nisi reuelatum. Argumẽtatio propriè Theologica non est, nisi qua principium reuelatum ita intellectui applicatur & proponitur, vt eo tanquam reuelato verè & vnicè niti possit assensus Theologicus. Quod fieri non potest, nisi & consequentia argumentationis sit euidens; & antecedens omni ex parte necessarium: ita vt si præmissæ reuelatæ adiungatur altera præmissa naturalis, ea tamen sit euidens, non probabilis solum & incerta. Illa enim solâ principium reuelatum sufficienter explicatur & proponitur, quantum satis est, ad certitudinẽ Theologici assensus, vt magis patebit ex quæst. 5. dub. 3. & 4.

DVBIVM III.

Vtrum præter rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter quã, assignanda sit alia Theologiæ ratio formalis sub qua; & quænam illa sit?

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 3.

1 GEneralis difficultas de omnibus habitibus & potentijs est, an præter obiectum formale Quod, ac obiectum formale Quo, seu rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter Quam, ex parte obiecti assignari debeat alia ratio formalis sub qua, à priori, seu in concreto, seu in abstracto sumatur, distincta; ex qua sumatur specificatio potentiarum siue habituum; quæ non sit ratio mouens ad cognitionẽ; sed vel solum quædã denominatio scibilis, vel cognoscibilis, seu actualis, seu potentialis, ab ipsa ratione cognoscendi potentię, vel habitus, seu quod eodem spectat, ipsum lumen intrinsecũ habitus cognoscitiui; vel certe conditio dũtaxat ex parte obiecti requisita ad hoc, vt obiectum habitum, vel potentiam terminet, siue moueat.

Et non desunt ex recentiorib⁹, qui ita sentiũt. In quib⁹ Molina hîc q. 1. art. 3. disp. 2. apertè distinguit inter rationem formalem obiectiuã mouentẽ potentiam ad cognoscendum, & rationem sub qua: *In visu enim*, inquit, *ratio sub qua est visibilitas; ratio obiectiua lumẽ. In fide infusa*, ait, *rationẽ obiectiuam esse diuinam reuelationem; rationem verò sub qua esse cognoscibilitatem non solum per diuinam reuelationem* (*nam & hæreticus*, inquit, *assentitur articulo Trinitatis ex eo, quia per Christum id reuelatum est Ecclesiæ à Deo*) *sed etiam simul per habitum supernaturalem*, qui cum tali reuelatione debitam proportionẽ habeat. Similia addit de Theologia, vt dictum dub. præcedenti.

Idem significat Bannes hîc q. 1. art. 3. vbi ait, *veram & realem rationem, sub qua cognoscitur omne scibile, esse aliquod lumen intrinsecum habitui scientifico, vel naturale, vel supernaturale, vel acquisitum.* Quod etiam videtur sentire Zumel q. 1. art. 3. q. 2. cum ait, rationem formalem, sub qua, in fide & Theologia, non distingui ab ipso lumine, vel ab effectu formali luminis: vbi de lumine habitus loqui videtur, vti paulò ante ex Banne retulimus. Citantur etiam à Vasquio hic disp. 7. cap. 3. pro hac sententia Caietanus hic q. 1. art. 3. & recentiores Thomistæ. Qui proinde, vt dictum, ipsum lumen habitus, vel denominationem ab habitu, vel potentia, constituunt rationem formalem sub qua eiusdem habitus seu potentiæ.

Alij verò quidam recentiores, etsi cum citatis authoribus in eo conueniant, quod ratio formalis sub qua, in potentijs & habitibus cognoscitiuis, distinguatur à ratione formali obiectiua Qua, siue propter quam, siue per quam; differunt tamen in eo, quod eam docent esse non denominationem à potentia vel habitu, nec lumen ipsius habitus cognoscitiui; sed conditionem aliquam requisitam ex parte obiecti, sine qua obiectum nec potentiam mouere, nec eius actum terminare posset. Quales quidem variæ assignari possunt; v. g. iuxta S. Thomam; fides ex parte obiecti exigit, vt sit non visum; opinio, vt sit non certum. Talem etiam esse dicunt, respectu scientiarum, variam abstractionem obiecti à materia & motu, iuxta Aristotelem. 2. Metaph. text. 2. Similiter etiam rationẽ formalem sub qua, per modũ conditionis concomitantis, ex parte obiecti Theologiæ creatæ, tam secundum actum, quam secundum habitum esse aiunt, *finitatem, seu finitudinem virtualem Dei*; quæ nihil sit aliud, quam ipsa *cognoscibilitas* (actiua) *Dei*, quatenꝰ est apta mouere modo finito mẽtes creatas ad cognitionem sui: hanc enim esse conditionem concomitantem ex parte subiecti siue obiecti, sine qua id non potest terminare habitudinem actus Theologici. Et citatur pro hac sententia Argentinas q. 1. prologi, Toletanus q. 6. art. 2. & q. 7. art. 2. & q. 8. a. 2. Capreolus quæst. 4. prologi art. 2. & Hispalensis quæst. 4. art. 3. 2

Addunt

Addunt ijdem recẽtiores, ex tribus rationibus formalibus obiecti, nimirũ ratione formali Quæ, ratione formali propter quam, & ratione hac formali sub qua, coalescere quidem vniuersim integram ac perfectam rationem specificam obiecti cognoscibilis, seu obiecti, vt loquuntur, in ratiõe siue genere scibilis, iuxta S. Thomã hic quæst. 1. art. 1, ad 2. & 1. 2. quæst. 54. art. 2. ad 1. & 5. poster. text. 15. 17. & 41. & opusc. 70. q. 5. a. q. Capreolum q. 4. prolog. a. 1. & 2. Ferrar. lib. 2. cont. gentil. cap. 4. &c. attamen scibile vt sic nõ dicere denominationem solum extrinsecamà potentia, siue habitu, cuius actus terminat; cũ vt sic non sit prius potentia vel habitu: neque adeo etiã concernere obiectum, inquantum est præcisè terminus actus; sed in quantum est principium, & causa actus, seu motiuum potentiæ ad actum, mediantibus speciebus: ita vt forma, siue ratio scibilis sit illa, secundum quam obiectum est aptum agere in potentiam, per mouendo ac determinando illam ad hanc, vel illam cognitionis speciem, prout declarant Scotus q. 3. prolog. & 1. dist. 3. q. 3. & 3. dist. 27. quæst. vn. art. 7. & Bassolis quæst. 3. prolog. a. 1. Aquila q. 2. a. 1. & indicat S. Thomas in 3. d. 24. q. 1. a. 1. Atque hęc scibilitas etiam, ob eandẽ causam vocatur ab his authoribus *scibilitas actiua*. Eademq; ratione discurrũt isti de visibili, audibili, tangibili &c. respectu potentiarum sensitiuarum.

His authoribus distinguentib⁹ rationẽ sub qua à ratione propter quã, adiungi etiam aliquo modo potest Franciscus Albertinus, tom. 1. princip. 3. coroll. 4. num. 17. & 20. vbi de fide differens, distinguit rationẽ sub Qua, à ratione Qua. Nam rationem formalẽ Qua fidei, dicit esse primã veritatem; rationem formalem sub qua, reuelationem Dei obscuram. Sed reuera hæc re ipsa non sunt plane diuersa, sed subordinata; nec aliud sunt, quã ipsa ratio formalis obiectiua, siue propter quã, illa quidẽ mediata, & vltimata; hæc proxima & immediata; vt inferius dicetur.

Alij verò Doctores rationẽ formalẽ obiectiuã, & sub qua, nullo modo distinguunt. Ita Gregori⁹ de Valentia hic q. 1. punct. 3. §. 3. vbi reuelationẽ diuinam vocat rationem formalem sub qua Theologiæ; & addit; rationem formalem sub qua esse illam, per quam velut per medium quoddam Theologia infert conclusiones suas Theologicas. Eodem modo Canus lib. 12. loc. Theolog. cap. 3. *Formalis ratio Theologiæ, non est vna & simplex, sed duplex & bipartita. Est namque ratio formalis rei obiectæ, qua res est, quomodo Deitas Theologiæ ratio dicitur. Est item ratio rei, vt mentem ad assentiendum mouet, quemadmodum veritas prima reuelans Theologiæ habetur ratio. Sic rationes videndi intelligimus, vt colorem, & lucem: colorem quidem priore modo; lucem autem posteriore. Atque illam quidem vocant rationem Qua, hanc rationem sub qua.* Vbi expresse vides, rationem formalem sub qua dici illam, quæ vocari etiam solet Ratio formalis Qua, siue propter quam. Eodem modo loquũtur alij plures, qui eandem ipsam, quam dub. præced. diximus rationem formalem obiectiuam, siue propter quam, vocant rationem sub qua. Eandem sententiam ex instituto propugnat Gabriel Vasquez hic disp. 7. cap. 3. & videtur S. Thomæ, & comunis veterũ Scholasticorũ, vt dicetur.

Assertio I. Ratio formalis sub qua Theologiæ non est cognoscibilitas per habitum supernaturalem. Est contra Molinam, Bannem, Zumel locis citatis, & colligitur ex S. Thoma hic q. 1. a 3. Scoto q. 2. & 3. prolog. Durando q. 4. & 5. & alijs Scholasticis antiquioribus, qui talis rationis formalis sub qua nusquã meminerunt: apertè autem & vniuersim traditur à Vasquez loc. cit. vt & à Gillio lib. 1. tract. 3. cap. 11. num. 10. Probatur primo. Quia ratio formalis sub qua, debet esse prior suo habitu; quandoquidem debet specificare habitum, & simul est aut causa, aut saltem conditio ad hoc requisita, vt obiectum mouere possit habitum ad cognoscendum; quemadmodum authores contrarię sententiæ fatentur: sed cognoscibilitas per habitum supernaturalem est posterior ipso habitu; cum sit solum denominatio quædam ab ipso habitu; ideò enim obiectum dicitur cognoscibile per habitum supernaturalẽ; quia datur habitus talis, qui possit illud cognoscere: est autem denominatio posterior forma denominante: Ergo. &c. 3

Secundo. Ratio formalis sub qua alicuius habitus vel potentiæ, debet ipsi habitui vel potentiæ, earumque actibus esse adæquata: atqui cognoscibilitas per habitũ supernaturalẽ Theologię, non est adæquata omnibus actibus Theologicis: primi enim actus Theologiæ, vt & aliorum habituum etiam supernaturalium, non proceduntab habitu, vt hic suppono: Ergo. &c.

Tertiò. Eadem est ratio formalis sub qua habitus alicuius, & actus ab eo procedentis: Sed cognoscibilitas per habitum supernaturalem non est ratio formalis sub qua actuum, siue assensuum Theologicorũ: Ergo. &c. Minor probatur. Quia ratio formalis sub qua actuum est necessario requisita ad ipsam etiam essentiam & substantiam actuum, à tali habitu procedentium: sed etiamsi per impossibile nullus omnino esset habitus supernaturalis Theologiæ; sed Deus seipso vim & efficientiã habitus suppleret, ad huc tamẽ maneret eadem ratio & essentia actuum & assensuum Theologiæ: Ergo cognoscibitas per talem habitum, non est ratio formalis sub qua Theologicorum actuum, siue assensuum.

Quartò. Ratio formalis sub qua alicuius habitus, debet ex parte ipsius obiecti concurrere ad actus eiusdem habitus, non ex parte ipsius habitus, vt fatentur etiam authores contrariæ sententiæ; & ex ipso nomine patet; eo ipso, quod dicitur ratio formalis obiecti: sed cognoscibilitas per ipsum habitum, non habet se ex parte obiecti, sed ipsius habitus, à quo est denominatio, vt dictum. Quocirca etiam authores contrariũ sentientes plane confudisse videtur rationẽ assentiendi effectiuã, ex parte habit⁹ siue potentiæ; cũ ratione assentiendi obiectiua seu motiua, vt in disp. de fide thes. 12. 13. 14. 15. & seq. pluribus ostensum. 1

Assertio II. Ratio formalis sub qua Theologiæ non rectè etiam dicitur *finitas virtualis Dei.* 4

Est

Est contra quosdã recentiores, vt superi⁹ dictum, & alios, quos citant: quanquã apud Capreolum id equidẽ inuenire non potui. Nobiscum autem sentiunt Gregorius de Valentia, Vasquez loc. cit. & colligitur ex S. Thoma, Scoto, Durando, qui talis rationis sub qua nusquam meminerunt; vt etiam præcedenti assertione in simili dictum. Probatur. Primò enim finitas virtualis nouè, & vt apparet, parũ apte dicitur cognoscibilitas Dei, vt est apta mouere finitè potentiã cognoscentem. Alioquin enim pariter omnipotentia Dei, vt est apta producere effectum finitũ, dicenda erit finita virtualiter: qua proinde ratione multa producentur non formaliter per omnipotentiã, seu infinitam Dei potentiã; sed per finitatem virtualem, saltem loquendo de ijs effectibus, qui per se non requirunt infinitam potentiam ex parte agentis Dei: id verò non videtur rectè & commodè dici: quia Deus per infinitatem suam multo melius & mouere potest intellectum creatum ad cognitionem sui, & producere effectum finitum, quam per illam finitatem virtualem.

Secundò. Ratio formalis sub qua debet esse ratio quædam contrahens obiectum, prout terminat & mouet certum habitum, adeoque etiam aliquo modo propria habitus; ita vt ea ratione distinguatur habitus ipse ab alijs habitibus: non autẽ generalissima ratio, siue conditio, ad quamcunque demum humanam, cuiuscunq; demum generis, cognitionem eiusdẽ obiecti materialis requisita: atqui finitas virtualis prout ab istis authoribus explicatur, nullo modo est propria Theologiæ; sed communis conditio Theologiæ nostræ cum Metaphysica, fide, prophetia, scientia infusa, lumine gloriæ, seu visione beatifica; imò cum omni omnino cognitione creata Dei, eo ipso quod finita est & minimè adæquata & comprehensiua ipsius Dei. Ergo &c.

Tertiò. Finitas illa virtualis Dei non aliter se habet ad Theologiam, quam ad Metaphysicam, fidẽ, scientiam infusam; & visionẽ beatificam; Deus enim per nullã harum scientiarũ mouet intellectũ ad infinitam sui cognitionẽ, nec facit, vt infinitè cognoscatur: sed nemo hactenus dixerit, finitatem virtualẽ Dei esse rationem formalem sub qua Metaphysicæ, fidei, scientiæ infusæ, aut visionis beatificæ. Ergo. &c.

Quartò. Ratio obiecti formalis sub qua, habet se primario ex parte ipsius obiecti cogniti, non subiecti cognoscentis: sed finitas illa virtualis Dei, seu aptitudo mouendi finitè, non habet se originaliter & primario ex parte Dei, vt est obiectum siue subiectum cognitum; sed ex parte subiecti seu potentiæ cognoscentis: seu, quod idem est, non oritur primario ex ipso Deo, in quantum est cognoscibilis; sed ex intellectus creati Deum cognoscentis imperfectione. Ipse enim Deus, sicut in se est Ens infinitum, ita ex se est infinitè cognoscibilis. Quod autem sit finitè solum cognoscibilis, oritur ex conditione creaturæ Deum cognoscentis: ideò enim est finitè solum ab ea cognoscibilis; quia implicat contradictionem, vt creatura infinite Deum cognoscat. Ergo &c.

Quintò. Nulla denominatio extrinseca à potentia, vel habitu, est ratio formalis sub qua, ipsius potentiæ, vel habitus; quia ratio formalis sub qua, debet esse prior potentia vel habitu, vt fatentur isti authores, & superius dictum: sed cognoscibilitas hæc virtualis Dei, in quantum saltem dicit negationem mouendi potentiam seu habitum ad cognitionem sui infinitam, est solum denominatio ab ipsa potentia vel habitu cognoscente creato, vt antea satis probauimus. Ergo &c.

Deniq; cognoscibilitas illa finita Dei, includitur in ratione formali obiectiua propter quam, ipsius Theologiæ: cum reuelatio fidei, seu potius ipse assensus fidei, quo immediatè nititur assens⁹ Theologic⁹, non possit causare infinitam cognitionẽ; Ergo finitas illa virtualis non est assignanda p distincta ratione formali sub qua ipsius Theologiæ.

Assertio III. Nulla denominatio extrinseca ab ipsa potentia vel habitu, seu modo eius cognoscendi, est ratio formalis sub qua, siue ipsius Theologię, siue vlli⁹ potẽtiæ, vel habit⁹ cognoscitiui. Hanc assertionem pluribus probat Vasquez loc. cit. & agnoscit Gillius loc. cit. Probatur. Quia oñis ratio formalis ex parte obiecti, eo ipso, quod per modũ obiecti, seu rationis obiectiuæ specificat, aut saltẽ quouis modo determinat actũ & habitũ, seu ipsam potentiam, debet esse prior ipsa potentia: denominatio autem extrinseca à potẽtia vel habitu, seu modo eius cognoscendi, est posterior ipsâ potentia; seu modo eius cognoscendi; vt etiam superius dictum. Ergo &c.

Et confirmatur ideargũentũ, vna cũ ipsa assertione prima ac tertia, ex Aristotele lib. 5. Metaph. cap. 15. vbi propterea docet, scibile ex eo genere relatiuorum esse, quæ dicuntur ad aliud, ex eo, quod alia sunt ad ipsum. Qui etiã ibidẽ expressè docet, scientiam non referri ad scibile vt scibile est; nec visum ad visibile vt visibile est: sed scientiam terminari ad rẽ ipsam, quæ scitur, vt visum ad colorem, aut quid aliud; hoc est lumen; & sic per eam definiri: alioquin futurũ inanem circulũ, & inutilem repetitionem: definitũ enim ingrederetur definitionem; vt pluribus Vasquez loc. cit.

Neque verò dici potest, denominationẽ quidem actualem scibilis seu potius ipsam rationem sciti, esse posteriorẽ scientia, vel habitu, seu cognitione; potentialem autem denominationẽ scibilis, de qua hic sermo est, esse priorem scientia. Nam sicut se habet actualis denominatio scibilis, seu potius sciti, ad actualem potentiam; ita se habet etiam potentialis illa denominatio scibilis (qua nempe aliquid sciri posse dicitur) ad ipsam potentiam, seu vim cognoscitiuam habitus in actu primo spectatam; ex eo enim hoc sensu scibile aliquid dicitur, quia scientia illius esse potest: Ergo sicut actualis illa denominatio scibilis, siue sciti, est posterior ipsa actuali scientia; ita etiam se habet denominatio illa potentialis scibilis, ad ipsam vim cognoscitiuam potentiæ, vel habitus, in actu primo spectatam: ac proinde sicut ob eam causã ratio actualis scibilis non potest esse ratio sub qua actualis cognitiõis, ita nec ratio potẽtialis scibilis poterit esse ratio sub qua

ipsi⁹ potentiæ, siue habit⁹ in actu primo spectati.

Ex quibus etiam colligitur, cognoscibile hoc vel illo modo visibile, audibile, tangibile, hoc quidem sensu, prout dicunt denominationes solum extrinsecas à potentijs, vel habitib⁹, videlicet posse cognosci, videri, audiri, tangi &c. non posse esse rationes sub quib⁹ potentiarū vel habituū, vt rectè etiā Gillius loc. cit. vt pluribus Suarez Metaphys. disp. 44. num. 64. & 68.

6 Assertio IV. Nulla etiam conditio ex parte obiecti requisita ad cognitionē causandā, est ratio formalis sub qua, siue Theologiæ siue illi⁹ alteri⁹ habitus vel potentiæ. Est Gregorij de Valentia & Vasquij, quod vt dictum. Probatur. Primo, quia nulla conditio ad actionē requisita, recte dicitur ratio formalis agentis, aut eiusdem actionis; alioqui approximatio ad passum dicetur ratio formalis agentis naturalis; hæc vt dicitur solum est cōditio ad actum requisita. Ergo non potest esse ratio formalis sub qua actus aut habitus Theologiæ.

Secundò. Non est maior ratio, cur vna potius conditio ex parte obiecti requisita, ad hoc vt potentiam moueat, sit ratio formalis sub qua potentiæ vel habitus, quam altera; adeoque aut omnis eiusmodi conditio erit ratio formalis sub qua, aut nulla sed omnis esse non potest: quia sic rationes sub quibus cuiusque potentiæ vel habitus frustrà multiplicarentur; cum plures aliquando conditiones requisitæ esse possint; v. g. in visu, approximatio obiecti visibilis, certa magnitudo eiusdem, remotio obstantis &c. Ergo nulla conditio ex parte obiecti requisita est ratio formalis sub qua, ipsius potentiæ vel habitus.

Tertiò. Inauditum videtur apud S. Thomam & veteres scholasticos, conditionē ex parte obiecti requisitā, esse rationem sub qua habitus alicui⁹ vel potentiæ: imò hanc ab illa expresse distinguit Durand⁹ in 3. d. 24. q. 1. dum ait obscuritatē reuelationis esse cōditionē ex parte obiecti fidei: non rationem formalem obiecti, quod etsi fortasse verum non sit, vt ea multis impugnetur, distinctionem tamē illā conditionis requisitę à ratione formali in genere admittunt etiam illi, qui dictū illud Durandi alioquin impugnant.

Sed obijcitur primò. Ipsa obscuritas est ratio sub qua fidei, & tamen est conditio. Respōdetur, obscuritatem tripliciter accipi posse; primo ex parte obiecti materialis crediti, vt sit idem, quod non visum; & hæc iuxta doctrinam quidem S. Thomæ est conditio requisita; sed nullo modo ratio formalis obiecti. Secundo ex parte obiecti formalis Quo, fidei nempe ipsi⁹ diuinæ reuelationis; & sic, vt signat quendam certum ac positiuum modum diuinæ reuelationis, pertinet ad rationem formalem obiecti Quo, siue rationis formalis obiectiuæ, ppter quā; siue vocetur ratio Qua, siue sub qua: reuera enim causa & ratio adequata, p quā & ppter quā credim⁹, est reuelatio obscura primæ veritatis. Neq; verò Albertin⁹ loc. cit. aut quod sciā alius author, hactenus scripsit, reuelationē esse rationē Qua, siue ppter quam fidei; obscuritatē autē rationē sub qua: sed rerumq; simul dixit ille esse rationē formalē fidei sub qua, vt superius retulimus; quam tamen alij rectè etiam vocant rationem formalem Qua, siue per quam, & ppter quam. Tertio accipi potest obscuritas ex parte ipsius actus fidei; & sic ex nulla sententia, est ratio obiectiua fidei; sed vel conditio, vel ratio quædam intrinseca ipsius assensus; prout obscuritas illa diuersimodè explicatur.

Obijcitur secundò, abstractionem variam à materia & motu esse conditionem obiecti scibilis; & tamē simul ex cōmuni rectè assignari p varia ratione formali sub qua scientiarū. Respondetur, abstractionē illā variè spectari posse. Primò quidē ex parte ipsi⁹ subiecti, seu obiecti formalis Quod, variam abstractionem à materia & motu inuoluentis: qua ratione Corpus naturale qua naturale, in genere, abstrahit quidem à materia sensibili in indiuiduo, sed non in cōmuni; Quantitas secundū se, subiectum Mathematicæ, abstrahit quidē à materia sensibili: hoc est sensibili qualitate affecta: sed non à materia intelligibili: quod intelligitur de scientijs Mathematicis puris: Deniq; Ens vt Ens subiectum Metaphysicæ, ex ipsa etiam sua propria ratione, abstrahit à materia tam sensibili, quam intelligibili, tam in communi, quam in particulari. Et hac ratione abstractio hæc propriè non est ratio formalis sub qua; sed conditio ex parte obiecti formalis quod, sicut de obscuritate ex parte obiecti cōplexi fidei, diximus. Secundò spectari potest hæc abstractio ex parte principiorum, varie itidem abstractionem à materia includentium; pari nimirum ratione seruata proportione, vti de subiecto, siue obiecto quod diximus. Et hac ratione potest quidem dici ratio formalis sub qua, sed non diuersa reipsa à ratione formali Qua, siue propter quam; quandoquidem ipsa principia includentia talem abstractionem non sunt aliud, quam ipsa ratio formalis obiectiua, siue ratio Qua, vel ptopter quā, vt dictū dub. præcedēti.

Atque hac ratione abstractionem hanc, etiam ad ipsam rationem obiecti scibilis spectare, docuit Caietanus hic q. 1. art. 3. cum ait: *Nota duplicem esse rationem formalem obiecti in scientia, alteram obiecti vt res: alteram obiecti vt obiectum; vel alteram vt Qua; alteram, vt sub qua. Ratio formalis obiecti vt res, seu Qua, est ratio rei obiecta, quæ primo terminat actum illius habitus, ex qua fluunt passiones illius subiecti, & quæ est medium in prima demonstratione, vt Ens in Metaphysica, quantitas in Mathematica, & mobilitas in Naturali. Ratio autem formalis obiecti vt obiectum, vel sub qua, est immaterialitas talis, seu talis modus abstrahendi & definiendi; puta sine omni materia in Metaphysica; cum materia intelligibili tantum in Mathematica; & cum materia sensibili non tamen hac, vt in naturali.* Et infra eandem abstractionis rationem magis declarans ait: *Alia diuisio scibilis, est, in scibile per lumen metaphysicale, id est, medium illustratum per abstractionem ab omni materia; & per lumen mathematicum, id est, medium illustratum materialitate sensibili, obumbratum tamen materia intelligibili; & per lumen Physicum obumbratum, id est, medium obumbratum materia sensibili, illustratum autē ex separatione indiui-*

dualium conditionum; & per lumen diuinum, id est, medium diuino lumine fulgens, quod scibile Theologicum constituit. Vbi expressè Caietanus variam rationem abstractionis, penes quam scientiæ inter se distinguuntur, & quam ipse etiam vocat rationem sub qua, pertinere docet ad ipsa principia, seu media sciendi, siue cognoscendi; adeòque ad ipsam rationem formalem Qua, siue propter quam; à qua proinde etiam rationem sub qua minime distinxit.

Eodem modo rem hác interpretat⁹ est S. Thomas hic q. 1. a. 1. ad. 2. vbi ait. *Dicendum, quod diuersa ratio cognoscibilis diuersitatem scientiarum inducit. Eandem enim conclusionem demonstrant Astrologus & Naturalis; puta quod terra rotunda; sed Astrologus per medium mathematicum, id est, à materia abstractum, Naturalis autem per medium circa materiam consideratum.* Vbi vides, S. Thomam diuersam rationē cognoscibilis non explicare per conditionem nudam subiecti siue obiecti formalis quod; neque etiam per respectū ad habitū seu potentiā cognoscentem: sed ex medio, per quod elicitur assensus, quæ est ipsa ratio formalis obiectiua, vt dictū dub. præcedenti. De qua re bene etiam disserit Francisc⁹ Suarez disp. 1. Metaph. n. 12. & disp. 44. num. 64. & 68. Quod si abstractionē ipsā nudè secundū se, siue ex parte subiecti & obiecti formalis Quod, siue ex parte principiorū seu mediorū spectemus, tunc illa ꝓpriè non est ratio nec Quæ, nec sub qua, siue ꝓpter quā, sed solū conditio concomitans vtriusq;. Quo modo etiā Bañes hic q. 1. a. 3. dixit, *abstractionem non posse esse rationem formalem sub qua, nisi tantum vt conditionem.*

8

9

Assertio V. Neque in Theologia, neque in alijs scientijs op⁹ est alia ratione formali sub qua, diuersa à ratione formali Quæ, & ꝓpter quam, ad ipsos habit⁹ specificandos: sed ratio specifica obiecti scibilis, specificantis habitū quemlibet, desumitur adæquatè, & cōstituitur ex ratione formali Quæ, & ratione formali obiectiua ꝓpter quam adæquatè sumptas. Ita ꝓter Gregorij de Valentia & Vasquez loc. supra citatis, sentiunt etiā veteres Scholastici, qui cōmuniter duplicē solum rationē formalē obiectiuam constituūt, videlicet vt Quæ, siue vt res, & vt Qua siue ꝓpter quā; & promiscuè noñunquam vtramq;, maximè vero rationē propter quam, vocant etiam rationem sub qua.

Jn specie verò ita docet S. Thomas in 3. dist. 33. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. vbi ait: *In speculatiuis diuersitas materiæ, secundum quod est determinabilis per diuersa media & principia, ex quibus est facilitas considerationis, facit diuersas scientias.* Et in 1. 2. q. 54. a. 2. ad 1. & 2. asserit, ea, quæ specie differunt, quatenus conueniunt in vna ratione cognoscibilis, pertinere ad vnum habitū cognoscentē; nimirū quando est eadē in vtriq; cognoscendi ratio, eademque media siue principia; vt ibidem explicat. E contrario diuersam rationem cognoscibilis, desumptā ex diuersis principijs, inducere scientiarū diuersitatē, asserit hic 1. p. q. 1. a. 1. ad 2. vt paulo ante retulim⁹. Idē repetit. lib. 1. poster. lect. 15. 17. & 41. vbi fusè docet, materialē diuersitatē obiecti, non diuersificare habitum scientificū; sed formalē rationē scibilis, quæ sumitur à principijs; eodemq; modo & sensu loquitur etiā alibi: adeò vt proinde iñeritò S. Thomas in eam sententiā adducatur, quasi is rationē sub qua distinxerit, à ratione formali Quæ, & ꝓpter quam, à quibus tamen illam ipse nunquam distinxit. Imo hic q. 1. a. 7. etiam ipsam obiecti Theologiæ rationem Quæ, nimirum *Deitatem* vocat rationem *sub qua: Omnia*, inquit, *pertractātur in sacra doctrina sub ratione Dei; vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinē ad Deū, vt ad principiū & finē &c.*

Eodem modo Capreolus q. 4. prolog. art. 5. concludit, ex sententia S. Thomæ, quā etiā ipse sequitur, rationem scibilis, ex qua scientiæ specificantur, sumi ex medio, siue principio. Et licet Capreolus ibidē, præter rationem formalē Quæ, distinguat in obiecto duplicem rationē formalem ex parte ipsius medij, siue principij, videlicet rationem cognoscendi, & rationē cogniti; hæc tamen ipsa apud illū à priori reipsa non distinguitur; sed est ipsa denominatio obiecti materialis ab illa priore ratione cognoscendi; v. g. intelligibile vel scibile, per tale vel tale medium: nec vspiā ille, si de terminis seu verbis etiā ipsius loquamur, rationē sub qua, à ratione per quam distinguit. Eodē modo loquitur Caietanus hic q. 1. a. 3. vbi licet rationem scibilitatis, vel abstractionis constituat ꝓ ratione formali sub qua, non tamē eā dinstinguit à ratione formali obiectiua Quæ, & ꝓpter quam; sed potius eam ad hāc ipsā docet ptinere, vt paulo antea respons. ad secūdam obiectionem, ex Caietani verbis declarauimus.

Ratio vero generalis assertionis est. Quia ex parte obiecti, duo tantū formaliter & essentialiter ptinent & requiruntur ad cognitionē; quibus etiā sufficienter specificantur & distinguuntur potētiæ & habit⁹ cognoscitiui: nimirum obiectū, siue subiectum quod cognoscitur; quò spectat etiam ratio formalis Quæ, principaliter terminans potentiæ aut habitus cognitionē; & Medium, quo cognoscitur; quæ est ipsa ratio formalis obiectiua ꝓpter quam: siue hæc interim in abstracto concipiatur; siue in concreto; vt formaliter afficiens siue denominans obiectum Quod: & rursum siue hæc ratio sit adæquata & proxima, siue inadæquata & remota; ꝓut varie assignari posse, tā in Theologia, quā in alijs scientijs, satis dictū fuit dub. 1. Qua ratione etiam nonnulli Doctores quandoq; distinguūt rationē sub qua alicui⁹ habit⁹, à ratione Qua, vt hæc sit medium primarium & remotū, quo nititur assensus; illa mediū iñediatū, & à priore quasi deriuatū, vt superius de Albertino ante primā assertionē notauimus. Quanquam ad vitādas omnes æquiuocationes, & ne pro libitu quasi sermonem, & linguam in scientijs tradendis iñouemus, nouasq; loquendi regulas ac leges absq; necessitate præscribamus; existimo, nihil inter rationem formalem Qua, siue propter quam, & sub qua distinguendū; cum ea distinctionis ratio, etiamsi de verbis ipsis nudè loquamur, veteribus scriptoribus planè videatur fuisse incognita.

10

Et confirmatur assertio. Quia impossibile est, plures habitus specie diuersos assentiri eidem obiecto materiali, propter eandem rationem formalem obiectiuam Qua, siue

propter quam, adæquate sumptam, vt inductione patet.

Ratio verò specialis pro Theologia, cuius in assertione mentionẽ fecimus est, quòd nec S. Thomas vspiam alterius rationis formalis meminit, quã diuinę reuelationis obscurę, vel reuelabilitatis; vt præcedenti dub. vidimus: & per hanc ipsam, ibidem declaratam, rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter quam, Theologia sufficienter & adæquatè distinguitur ab omnibus alijs habitibus. Nullus enim alius habitus, præter Theologiam supernaturalem in genere, assentitur conclusioni, propter assensum supernaturalem principij reuelati: nec vllus habitus præter Theologiam nostram, assentiri potest conclusioni, propter principium reuelatum, vt creditum fide diuina, seu propter ipsum assensum fidei circa principium reuelatum; vt eodem dub. præcedenti declarauimus.

II Obijcitur; Visibile, audibile, tangibile, &c. constituunt rationem formalem obiecti visus, auditus, tactus, &c. ex communi sententia, apud Caietanum hic q. 1. a. 3. & alios Doctores; conuenienter ipsi etiam Aristoteli, lib. 2. de anima text. 62. 63. & 66. & tamen nec sunt ratio formalis Quæ, nec ratio formalis Qua, siue propter quam. Nam ratio formalis obiectiua Quæ visus est color vt color, in latissima significatione, prout etiam includit lumen; Ratio formalis Qua, siue propter quam, est lumen: Ergo visibile, est ratio quædam formalis obiecti visus sub qua, distincta ob vtraque ratione Quæ, & Qua, siue propter quam. Respondetur, visibile, audibile, &c. duplicitèr accipi posse; primo quasi passiuè pro sola denominatione extrinseca à visu, auditu; vt idem sit, quod posse videri, audiri; & hac ratione visibile, audibile, & similia nullo modo sunt ratio formalis obiecti, vt dictum assert. 3. Secundò accipi possunt actiuè, prout significant ipsam vel causalitatem, seu vim actiuam obiecti materialis, inquantum est non solum terminatiuum, sed motiuũ potentiæ ad actum suum. Et hac ratione visibile, audibile, non aliter, quam de obiecto scibili ex Caietano supra diximus, includũt duplicem rationem formalem obiecti visus, auditus, &c. nimirũ rationem Quæ, & rationem Qua, siue propter quam; ac proinde nec hac quidem ratione constituunt peculiarem rationem formalem obiecti, distinctam à ratione Quæ & Qua, sed sunt ipsum obiectum formale adæquatum visus, auditus, constitutum ex ratione Qua & Quæ, in quantum est actiuum, seu motiuum potentiæ; vt satis declarat etiam ipse Aristoteles lib. 2. de anima cit. text. 66.

Neque enim ipsa causalitas obiecti, in quantũ est motiuum potentiæ ad actum, aliter potest expliçari, quam tum ex parte rationis formalis Quę, principaliter mouentis & terminantis actum: tũ ex parte medij siue modi, quo obiectũ Quod mouet potentiam ad actum; siue nimirum mediantibus his vel illis speciebus, siue mediante hoc vel illo principio, seu lumine, &c. Et hac ratione etiam concedi potest, scibile, visibile, audibile, qua talia &c. esse rationes formales obiectiuas, seu potius obiecta ipsa formalia, quibus habitus vel potentiæ distinguantur; quamuis idcirco minimè dicant rationem aliquam sub qua, distinctam à ratione formali Quæ & Qua, vt etiam supra ex Caietano hic q. 1. a. 3. retulimus. Atque hæc de obiecto Theologiæ satis.

QVÆSTIO IV.

De Proprietatibus, & attributis Theologiæ.

S. Thomas 1. p. q. 1. a. 3. 4. 5.

ABsoluitur hæc quæstio quinque dubijs. I. Vtrum Theologiæ habitus sit naturalis & acquisitus, an supernaturalis & infusus. II. Vtrum Theologia sit vnus habitus, seu vna scientia, an verò plures. III. Virum Theologia sit scientia speculatiua, an practica. IV. Vtrum Theologia certitudine aliis habitibus & scientiis naturalibus antecellat. V. Vtrum Theologia dignitate eosdem simpliciter superet.

DVBIVM I.

Vtrum Theologia habitus sit naturalis & acquisitus, an supernaturalis & infusus.

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 5.

PRoprietates seu attributa Theologiæ, quædam sunt quasi transcendentia; aliæ magis propria; eademque vel absoluta, vel respectiua: de singulis breuiter & ordine dicendum. Inter attributa verò transcendentia, controuersum maximè est, an Theologia sit habitus naturalis & acquisitus, an verò supernaturalis & infusus; eiusque dubitationis resolutio inprimis dependet

ex ratio-

ex ratione formali obiectiua Theologiæ, à qua sumitur scientiarum specificatio & distinctio, vt dictum quæst. præced. dub. 2.

Sunt autem de præsenti dubitatione quatuor Doctorum sententiæ, Prima sententia est, esse habitum simpliciter supernaturalem, adeoque per se infusum. Ita expresè docet Suarez 3. part. tom. 2. disp. 19. sect. 3. post assert. 2. Idem sentire videntur Heruæus, quodlib. 5. quæst. 19. & Scotus in 3. d. 34. & 35. quæst. vn. quo vtroq; loco doctrinam, qua ex principijs fidei cognoscuntur conclusiones, ijsq; assentimur, vocat scientiam infusam, vt retulimus supra q. 2. dub. 2. Item Molina hic q. 1. art. 2. disp. 1. simpliciter asserit, assensum Theologiæ esse supernaturalem, quamuis eius causa seu ratio partialis sit naturalis, ad eum modũ, quo actus fidei, spei, & caritatis sunt supernaturales, etsi partialis eorum causa itidem sit naturalis.

Et eodem art. 2. disp. 2. dicit, habitũ Theologię esse acquisitum supernaturalẽ, propter concursum fidei infusæ ad eius generationẽ. Quod, ne sit implicatio in adiecto, sic equidem intelligo, vt acquisitũ vocet, iuxta eum sensum, quo etiã inferi[9] assert. 3. S. Thomam interpretabimur. Alias enim quod intrinsecè supernaturale est, in genere habitus, propriè ac strictè acquisitum dici non potest, vt inferius dicemus. Eandem sententiã indicat Henricus Gandauensis in Sum. a. 8. q. 2. asserens, hanc scientiam *excedere hominis speciem, & ex puris naturalibus attingi non posse, sed solum per gratiam.* Bonauentura q. 4. prolo. sentit. *hanc scientiam imprimi â Deo.* Alensis 1. p. q. 1. n. 4. a. 2. vocat modum huius scientiæ *modum sciendi per inspirationem, non per humanam* (naturalem) *ratiocinationem*; item *scientiam traditam secundum spiritum diuinum, non humanum &c.* Idem sentiunt S. Thomas, & Aureolus assert. 1. & 2. citandi.

Secũda sentẽtia est, priori è diametro opposita esse habitum tam in se, & quoad substãtiam, quã ex ratione formali obiectiua proxima, merè naturalem & humanum ac proinde acquisitũ; tametsi supponat reuelationem diuinam, tanquam conditionem materialem ex parte principiorum. Ita sentit Gabriel Vasquez hic disp. 1. numero 8. & disp. 5. num. 4. cum alijs citatis supra quæst. 2. dub. 2. qui docent, Theologiam esse habitum solummodo opinatiuum, seu fidei humanæ. Qua de causa etiam idem Vasquez disp. 1. num. 9. docet, posse Theologiam manere in Hæretico, etiam quoad actum secundum, siue exercitium.

Tertia sententia est, Theologiam esse, quoad substantiam, habitum naturalem & acquisitum; nihilominus tamen aliquo modo supernaturalẽ, propter concursũ fidei supernaturalis, velut habitus principiorum Theologię, adeoque ob rationem obiectiuam supernaturalem saltem inadæquatam. Significat Franciscus Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 2. n. 20. vbi ait: *Ratio assentiendi conclusioni Theologicæ est lumen supernaturale, mixtũ cum lumine naturali. Vnde sequitur, quod conclusio Theologica non potest dici simpliciter naturalis: quia certitudo cõclusionis Theologicæ est diuersæ & altioris speciei.* Similia habet Gregori[9] de Valẽtia hic q. 1. p. 3. §. 2. & 3.

Quarta sententia est, huic opposita, esse habitũ supernaturalẽ intrinsecè ac quoad substantiã, naturalem vero quoad modũ; & propriè ac simpliciter acquisitum, non infusum. Ita Petrus Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 6. sect. 8. vbi ait, vtramque & fidem, & Theologiam esse supernaturalẽ; illam tamen infundi, hanc verò à nobis, concurrente etiã illa, acquiri: nisi fortè ad mentẽ nostræ assertionis 3. locutus sit. Idẽ docet Christophor[9] Gillius lib. 1. Theolog. tract. 4. cap. 12 num. 6. & 7. Idem significat Bannes hic q. 1. art. 1. dub. 1. vbi Theologiam simpliciter vocat supernaturalẽ, Et tamen ibid. q. 1. a. 3. ad 1. *Lumen Theologicum*, (quo nomine videtur habitum intelligere) vocat *acquisitum.* Item Zumel hic q. 1. art. 3. quæst. 2. dicit, *Theologiam esse scientiam supernaturalem, quæ superat comprehensionem humanæ mentis.* Et quæst. 1. art. 7. quæst. 1. dicit, fidem esse habitum infusum, Theologiam vero nostrã *humano studio comparatam.*

Pro resolutione huius dubij supponimus, quod suprà q. 1. dub. 2. docuimus, in Thologis etiam Orthodoxis duplicem dari habitum Theologiæ, vnam qui simpliciter talis est & dicitur; alterum Theologiæ opinatiuæ.

Assertio I. Habitus Theologiæ simpliciter dictæ (cuius rationem hactenus explicauimus) est supernaturalis intrinsecè & quoad subsstantiam. Ita omnes authores pro prima & quarta sententia relati; vt proinde hæc iure cõmunis sententia dici possit; quam non obscurè etiam indicat S. Thomas hic q. 1. art. 3. ad 3. vbi ait, sacram doctrinam, siue Theologiam, *esse velut impressionem quandam diuinæ scientiæ.* Probatur. Omnis habitus cuius ratio formalis obiectiua immediatè & adæquatè est supernaturalis, is necessario etiã ipse in se, & quoad substantiam, supernaturalis est: Sed Theologiæ ratio formalis obiectiua immediata & adæquata est supernaturalis: Ergo etiam ipsa in se, & quoad suam entitatem ac substãtiam, supernaturalis est. Maior probatur. Quia ex cõmuni & certa S. Thomæ, aliorumq; Doctorũ sententia, ratio ac specificatio intrinseca habituũ desumitur à ratione formali obiectiua, vt dictũ quæst. præced. dub. 2. & 3.

Minor constat ex eodem dub. 2. vbi etiam ex communi doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 10, 9. art. 1. & 3. contra Gabrielem & alios quodã, apud Bellarminũ lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 6. Gregorium de Valentia t. 3. q. 6. p. 1. Vasquez hic disp. 4. n. 23. & d. 5. num. 44. & 214. & in 1. 2. disp. 187. tanquã certum suppono, actum diuinæ fidei esse supernaturalem, etiam quoad substantiam.

Secundo omnis act[9], procedens ex duab[9] causis efficientib[9], naturali vna tanquã potẽtia, & supernaturali altera, velut habitu, est act[9] intrinsecè supernaturalis; vt videre est in actib[9] oñiũ virtutũ supernaturaliũ: sed actus siue assensus Theologię procedit quidem effectiuè à naturali potentia intellect[9]; at simul tamen etiã aliquo modo (mediatè) à fide, velut habitu principiorũ Theologię: Ergo &c. Vbi iã simul etiam ex Aureolo, Molina,

& alijs, notauimus, actũ ex duabus eiusmodi causis proeedẽtem quo ad rationẽ supernaturalitatis nõ sequi partẽ deteriorẽ. Quod si actus Theologiæ intrinsecè supernaturalis est, necesse est, etiã habitũ ipsum Theologię intrinsecè supnaturalẽ esse.

Tertio, nullum Ens naturale per se & necessariò, quoad suã entitatem ex genere suo vniuerso, depẽdet à causa particulari intrinsecè supernaturali, qua talis est; quia natura sibi ipsi in suo genere & ordine sufficit; & vti non amat superflua, ita in necessarijs non deficit: Sed Theologiæ habitus p se, & ex suo genere vniuerso pendet necessario, à causa particulari supernaturali, qua talis est; nimirum ab ipso habitu fidei, vt eliciente assensum supernaturalem, Ergo, &c.

Quarto, si habitus Theologię, quoad entitatem & substantiam, esset naturalis; tunc ordo quoq; eius siue habitudo, tũ ad eiꝰ rationẽ formalẽ obiectiuam, tum ad habitum & assensum principiorũ, ex quo necessario dependet, esset quoq; naturalis; cum omnis respectus siue habitudo transcendentalis alicuius habitus ad rationẽ obiectiuã, sit eiusdem ordinis & generis cum ipso habitu; nec enti naturali coñaturalis & innata esse possit habitudo seu respectus intrinsecè supernaturalis: sed dici nõ potest, habitudinẽ illam Theologiæ ad rationem formalem obiectiuam seu habitum & assensum principiorum, esse intrinsecè, raturalem, quandoquidẽ oñis motus, siue tendentia, & relatio specificatur à termino &c. Ergo nec ipse habitus Theologiæ, potest intrinsecè esse naturalis. 3

Assertio II. Idem habitus Theologiæ simpliciter dictæ, est etiã per se ac ex suo genere infusus; non verò propriè & strictè acquisitus. Ita sentio cũ authoribus primę sententiæ: vbi simul suppono, habitũ propriè & strictè acquisitũ esse, qui nostris actibꝰ cõnaturali efficiẽtia Physica producitur & acquiritur; infusum verò, qui excedit vires & facultatẽ humanæ naturæ, nostrisq; adeo actibꝰ modo explicato produci nõ potest, sed à Deo efficitur; esto nostris alioqn actibꝰ dispositiuè acquiratur; vti oñum virtutũ habitꝰ supnaturales, ab adultis acqri & cõparari possunt. Probatur assertio ex precedẽti assertione certissima consecutione. Nullus enim habitꝰ supnaturalis quoad substãtiã, potest esse habitꝰ propriè & strictè (modo explicato) acquisitus; esto possit aliqs esse p se infusus, & quoad substãtiã naturalis, vt de specieb⁹ angelicis docetur: Theologiæ habitꝰ est intrinsecè & quoad substantiã supnaturalis, vt dictũ assert. præc. Ergo &c.

Maior sumitur ex generali doctrina S. Thomæ in 1.2.q.51.a.4. vbi generatim oñes habitus supnaturales docet esse per se infusos. Verba eiꝰ sunt: *Dicendum, quod duplici ratione aliqui habitus homini à Deo infunduntur. Ratio prima est, quia aliqui habitus sunt, quibus homo benè disponitur ad finem excedentem facultatem humanæ naturæ, quæ est vltima & perfecta hominis beatitudo*; (quibus verbis S. Thomas oñes habitus supernaturales cõprehendit.) *Et quia habitus oportet esse proportionatos ei, ad quod homo disponitur secũdum ipsos; ideo necesse est, quod etiam habitus ad eiusmodi finẽ disponentes, excedant facultatem humanæ naturæ: vnde tales habitus* (vtique supernaturales) *nunquam possunt homini inesse, nisi ex infusione diuina; sicuti est de omnibus gratuitis virtutibus.* Ita S. Thomas; cui proinde, vt & communi Thomistarum, aliorumq; Theologorum doctrinæ repugnat, dicere aliquẽ habitũ esse intrinsecè & quoad substantiã supernaturalẽ, & tamẽ simul propriè acquisitum.

Ratio generalis desumitur ex improportione intrinseca potentię naturalis producẽdi cõnaturaliter effectiuè, etiam mediante actu, habitũ supnaturalẽ: eo ipso quod nõ est principiũ cõpletũ in actu primo ad actũ supernaturalem, vt suo loco docetur. Alias ratio nulla esset, cur nõ in adultis habitꝰ virtutũ supnaturaliũ, vt fidei, spei, & charitatis &c. mediantibus actibus, effectiuè quoque producerentur. Quocirca equidem hæc duo inter se coniungere & conciliare non possum, vt habitꝰ aliquis intrinsecè sit supernaturalis, & tamen propriè acquisitus, prout authores quartæ sententiæ sentire videntur; nisi fortè de habitu acquisito latiore aliquo significatu locuti sint; quod si fecerunt, nihilominus tamen in modo loquendi à recepta S. Thomæ & aliorũ Theologorum sententia recesserunt.

Secundo probatur eadẽ assertio, Quia si Theologia esset habitus acquisitus, saltẽ cũ aliqua intensione & extensione, diuturniori aliquo exercitio actuũ mediãte, cõiũctus, tunc nõ subitò, quouis actu contrario hęresis, habitus ille totus, quoad substantiam amitteretur: sed amittitur: Ergo. Minorem ex cõmuni recentiorum sentẽtia tradit Gregorius de Valentia hic q. 1. punc. 5. §. 2. Etsi contrarium cum Maiore in 4. quæst. prol. asserat Vasquez hic d. 1. num. 9. & disp. 4. n. 23. Et ratio videtur esse, quia si Theologiæ habitus quoad substantiam maneret in hęretico, cum aliquo fidei errore, tunc eo vti posset; quia habitibus vtimur quando volumus: at verò eo vti non potest; cum careant habitu principiorum, nimirum ipsa fide, à qua necessariò vsus Theologiæ simpliciter dictæ dependet. Maior propositio probatur. Quia habitus acquisiti, eo modo amittuntur, quo acquiruntur, nimirum successiuè & pedetentim, iuxta proportionem actiuitatis contrariorum actuum, adeoque impossibile est, vt intensus quilibet habitus acquisitus vnico, & quouis remisso actu contrario deperdatur, vt videre est etiam in omnibus naturalibus qualitatibus habẽtibus contrarium, & latitudinẽ aliquã intensionis; speciatim verò in cæteris habitibus acquisitis.

Nec obstat, quod quouis actu hæresis amittatur fides, à quâ tamen veluti habitu principiorum pendet Theologiæ habitus. Hinc enim quidem consequitur, Theologiæ habitum amitti seu deperdi quoad vsum & exercitium; sed non etiam quoad suam substantiam & entitatem; siquidem habitus Theologiæ acquisitus sit, nõ infusus. Habitus enim acquisitus dependet quidẽ necessario etiã quoad vsum, atque etiã in fieri, ab habitu principiorum, eiusue actu: at imediatè quoad substantiam in esse & conseruari non item; cum sint duo habitus realiter distincti; qui quoad entitatẽ suã essentialẽ depẽdentiã per se immediatè nullã habent. Vnde etiamsi per impossibile subito & vnico actu remisso amitteretur intensus aliquis acquisitus habitꝰ primorũ principiorũ, nihilominꝰ 4

tamen

tamen habitus scientiarum, quoad entitatē suam aliquandiu permanerent; donec contrarijs actibus, aut ipsa forsan etiā cessatione vsus, succesſiuè destruerentur. E contrariò vero si dicamus habitū Theologię simpliciter dictæ supernaturalem & infusum esse, facilè explicari & intelligi potest, èum per vnū actum hæresis, simul cum ipsa fide, saltē demeritoriè destrui; vti & cæteras virtutes infusas.

Et confirmatur vtraq́; præcedens assertio, ex scriptura: quę scientiā, vt apparet, nō obscurè subinde donis gratiæ adnumerat. Vt Sap. 10. v. 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum.* Ierem. 3. v. 15. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascant vos scientia & doctrina.* Ephes. 4. v. 11. *Dedit alios pastores & Doctores ad consummationē sanctorum.* Et 1. Cor. 12. v. 30. cætera inter munera diuina numerantur etiam *Doctores*: & mòx additur; *Æmulamini autem charismata meliora.* Et ibidem superius v. 8. dicitur: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum.* Et rursum cap. 13. v. 8. *Siue scientia destruatur.* Quibus locis significari Theologiam, sentiunt cum Caietano in cōmentario eius Epistolæ, Molina hic. q. 1. art 2. disp. 1. Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. post S. Augustinum lib. 14. de Trinit. cap. 1. Nec dubiū, q́n Apostol⁹ illic de habitu quodā infuso loquatur.

Accedit, quod Aureolus q. 1. prolog. a. 3. adductis testimonijs probat, Theologiā, etiam illam esse *sapientiam, de qua sancti mentionem faciunt, & ad quam conantur peruenire*, vt diximus etiā q. 2. dub. 5. Quomodo autem eidem vtrique assertioni non aduersetur S. Thomas, dicetur assert. sequent.

Assertio III. Idem tamē Theologiæ habitus dici potest aliquo modo naturalis & acquisitus, quoad modū. Hæc videtur mens S. Thomæ hic q 1. a. 6. ad 3. vbi dicit, *hanc doctrinam* (Theologiam) *per studium haberi; licet eius principia ex reuelatione habeantur.* Id quod secundum doctrinam S. Thomæ intelligi minimè potest, de studio merè humano & naturali. Quia sicut cuiuslibet scientiæ studium inuoluit assensum, vsum & exercitationem, ex quibus conclusiones eiusdem scientiæ deducuntur, ita studium hoc, iuxta eundē S. Thomam, docentem habitum fidei, esse habitum principiorum Theologiæ, vt dictum q. præc. dub 2. inuoluit etiam vel maximè ipsum assensum diuinæ & supernaturalis fidei, velut assensum principiorum Theologiæ; qualis tamen assensus fidei sine gratiæ auxilio haberi non potest, vt in pluribus concilijs definitur. Intelligitur ergo S. Thomas de studio, non quo efficienter à nobis producatur habitus Theologiæ; quomodo habitus propriè acquisiti à nobis producuntur, vt superius dictum; sed quo velut dispositione & conditione præuia, instar aliarum virtutum supernaturalium & infusarum, à nobis Theologiæ habitus vtcunque acquiratur & comparetur.

Vbi tamen hæc differentia inter alios virtutum habitus per se infusos, & Theologiā est, quod illi & infantibus in Baptismo infunduntur absq́; vllo studio, & ab adultis sæpe acquiruntur absque proprijs actibus ad eas virtutes pertinētibus; Theologiæ autem habitus, de quo loquimur, à nemine (iuxta legem Dei ordinariam) vel acquiritur vel augetur, nisi per studium & Theologicam exercitationem, velut conditionem & dispositionem præuiam; idque iuxta proportionē & mensurā eiusdē studij & conat⁹. Qua in re proinde Theologię habit⁹ acq́sitis se accomodat; ob eam nimirum causam, quod vt est in hoc, vel illo homine, per se ad propriam eius salutem non sit necessarius, vt q. 1. dub. 1. dictum: cum tamen alij habitus virtutum supernaturalium, per se ad salutem necessarij sint etiam in singulis. Atque hac de causa dixim⁹, Theologiæ habitū aliquo modo dici posse naturalē & acquisitum quoad modum.

Quæres; cum Theologiæ habit⁹ sit supernaturalis & infusus, vt dictū, ad quodnā genus gratiæ pertineat; an ad gratiā gratis datam, quæ ad aliorum duntaxat salutē per se ordinatur; an ad gratiā gratum facientem, quæ ad habentis vtilitatem in primis spectat. Respondetur, habitū Theologiæ esse quodam̄odo mediā, inter gratiā gratū facientem & gratiam gratis datam. Neq́; enim sine proprio studio vnquā comparatur, vt gratia gratis data; neque directè ac præcipuè in solā habentis vtilitatē & sanctificationē cedit, vt gratia gratū faciens: nihilominus tamē cū per se infusus habit⁹ sit, cōmunemq́; Ecclesiæ vtilitatem per se ac directè spectet, simpliciter & absolutè potius gratijs gratis datis añumerand⁹ erit; iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 12. v. 8. *Alij autem* (datur) *sermo scientiæ*; quo loco per scientiam à viris doctissimis Theologiam intelligi, superius dictum est.

Assertio IV. Sed & habit⁹ Theologiæ opinatiuę intrinsecè ac secundum substantiā, est merè naturalis & acquisitus. Ita quoad hoc rectè Vasquez, & alij supra, p secunda sententia relati, & sequitur ex dictis quæst. 2. dub. 2. assert. 3. Probatur. Quia ille habitus intrinsecè & quod substantiam est merè naturalis & acquisitus, cui⁹ ratio formalis obiectiua, seu obiectum formale Quo iñediatū & proximū, est merè naturale: sed talis est habitus ille Theologiæ opinatiu⁹: Ergo &c. Minorē probauimus q. 3. dub. 2. Maior constat ex dictis: quia ex ratione formali obiectiua adæquata & iñediata distinguuntur habitus naturales & acquisiti, à supernaturalibus & infusis, vt patet ex q. 3. & suo loco docetur. Obiecta verò materialia eorundem sępe sunt eadē: siquidē & obiectum materiale fidei, qui est habit⁹ supernaturalis, esse potest etiā naturale, vt Deum esse; & è contrario, materiale obiectum habitus naturalis, potest etiā esse supernaturale & reuelatū, v. g. Deū esse Trinū & vnū; quod non solū fide humana, sed etiā naturali & humana suo modo credi potest, vt dictum quæst. 3. dub. 2. Minor probatur ex dictis eadē q. 3. du. 2. vbi probauimus, Theologiæ opinatiuæ rationem formalem obiectiuam esse solum assensum fidei humanę circa veritates reuelatas: in quo etsi obiectū materiale sit supernaturale, tamē ratio formalis assentiendi est merè naturalis & humana, vt ibidē dictū.

Atque ex dictis etiam sequitur, habitum hunc Theologiæ opinatiuæ manere etiā in hæreticis, vt rectè etiam quoad hoc, docet cum Maiore Vasquez loc. cit. & dictum supra q. 2. dub. 2.

DVBI-

DVBIVM II.

Vtrum Theologia sit vnus habitus, seu vna scientia an verò plures.

S. Thom. 1. part. q. 1. art. 3.

ALiud Theologiæ attributum, quasi transcendens, est vnitas: de qua variè potest quæstio instituí, prout vel de Theogia, vel de vnitate scientiæ alicuius variè loqui possumus. Primò enim quæri potest, V. Theologia in omnibus omnino subiectis, siue suppositis, in quibus suo modo reperitur, puta in Deo, Angelis, Christo, Beatis ac Viatoribus, &c. sit vnus specie habitus, seu vna scientia. Et ad hanc quæstionem patet responsio ex dictis supra q. 2. dub. 3. esse habitus vel scientias toto genere, imò plusquam genere diuersos, vt ibidem fusius exposuimus. 1

Secundò de nostra tantum Theologia loquēdo, quæri potest, Vtrum Theologiæ habitus, etiam in eodem homine, numero vel specie multiplicetur, pro varietate finium, quos sibi propositos habet Theologus. Qua quidē ratione Durādus q. 1. prol. n. 6. 7 & 8. item Marsilius q. 2. a. 2. & fere etiam Petrus de Alliaco in 1. sent. q. 1. art. 3. tres Theologiæ habitus distinguunt; primum, quo simpliciter cognoscūtur & creduntur ea, quæ in sacra scriptura traduntur; secundum quo eodem defendūtur & declarantur; tertium, quo assentimur conclusionibus deductis ex acticulis fidei.

Consentit his Ioannes de Bassolis q. 5 prolog. a. 3. vbi ex eodem capite tres Theologiæ habitus distinguit. Nimirum 1. habitum quo assentimur his, quæ credenda proponūtur è sacra scriptura. 2. habitum declaratiuum sacræ scripturæ. 3. habitū deductiuum cōclusionum Theologicarū ex articulis & creditis, quasi ex principijs. Quibus ipse quidē ibidem adiungit quartum habitum defensiuū vel probatiuum per rationes demonstratiuas vel probabiles Philosophorum, quæ assumuntur, inquit, in obsequiū Theologiæ; sed idē ipse mox addit, talē habitum nō esse Theologiā, sed potius Philosophiam. Adiungit etiā ibidem quintum habitum Theologiæ abstractiuuū possibilē Viatori; sed hūc ipse nō distinguit ab alijs habitibus ex fine diuerso, sed ex modo sciendi; qui nimirum euidentiam quandam adiunctam habet.

Sed & Scotus quoque in 3. d. 24. habitum, quo assentimur scripturæ veritatibus, & conclusionibus inde deductis, diuersum facit, ab eo Theologię habitu, qui versatur in Scripturarū expositione, & dubiorum solutione, & imixtione Philosophię; illum non eundem cum fide habitū facit: hanc verò à fide distinguit, vt notauit etiam Aureolus q. 1. prol. art. 1. & dictum supra q. 2. art. 2.

Sed & ex eodē capite nonnulli recentiores iuxta descriptionem Theologiæ traditam à S. Augustino lib. 14. de Trinit. cap. 1. (quam retulimus q. 1. dub. 1.) numerant quatuor habitus Theologiæ, partim formaliter, partim realiter distinctos, quos etiam dicunt pertinere partim ad primam, partim ad secundā, vel tertiā operationem intellectus; videlicet 1. habitum declaratiuum rerum fidei. 2. probatiuum. 3. defensiuum 4. deductiuum.

Sed ad quæstionē hoc sensu ppositā, Respōdeo breuiter, assentiri simpliciter ijs, quę tradūtur in scriptura sacra, deposcere quidē habitū distinctū ab habitu Theologię, ppriè dictæ, videlicet habitū ipsum fidei; vt notauit etiā ipsemet Durandus, attamen alioqui ex diuersis præcisè finibus, qui propriè ad Theologiam pertineant, vt est declarare, probare, defendere & deducere res, seu veritates fidei, per se nō multiplicari habitus Theologiæ; licet ipsa etiam Theologia ad eiuscemodi fines sæpe etiā extrinseco ministerio aliorū habituū vtatur. Hanc doctrinam insinuat Vasquez hîc disp. 7. cap. 1. supradictam Durandi opinionem referēs. Probatur. Nam vti dictum est, quæst. 2. dub. 1. declarari res fidei, seu ipsius scripturæ sensus, non minus quam probari, vel deduci veritates fidei possunt veris discursibus Theologicis qui per omnes ad vnum & eundem habitum pertinent. Defensio etiam, quæ in reputatione errorum contra fidem, & solutione argumentorum potissimum cōsistit, cōmuniter nō fit absque discursu Theologico; vt v.g. hanc propositionē Aduersarij esse falsam, & iure negandam, quia aduersatur huic vel illi principio fidei vt ibidem diximus. Cum ergo, vt inferius dicetur, omnes discursus propriè Theologici ad vnum specie habitum Theologiæ pertineant, non est, cur ex prædictis finibus habitus Theologiæ per se multiplicetur.

Quod si ad aliquem prædictorum finium forte, vt fit, adhibeatur aliqua explicatio terminorum, vel aliarum disciplinarum vsus ac ministerium, tū ex actibus quidem his, ad eiusmodi fines ordinatis, varij habitus distingui poterunt; sed qui propriè non sunt Theologici, nec ad Theologiam per se spectant, sed ad peritiam Grammaticæ & linguarum, aliasque disciplinas & scientias, vt ibidē q. 2. dub. 1. notauimus & mox iterum ad sequentē sensum quæstionis dicetur. Neque video, quomodo quatuor illi habitus Theologiæ, propriè ad triplicem mentis operationem spectare dicantur: cum præsertim prima operatione mentis exercenda sufficiant species intelligibiles; nec omnino requiratur vllus habitus assensiuus; saltem à Grammatica, Logica, & similibus sermocinalibus artibus distincta. 2

Tertius quæstionis sensus esse potest; an nihil obstāte varietate actuū, & ipsarum quoque argumentationū, quæ ex varijs subinde medijs & principijs, puta reuelatis, euidentib⁹, aut etiam solum probabilibus, etiā in ordine ad vnum & eundē finē (v.g. ad aliquam fidei propositionem; seu aliquid ex ea cōsequēs probandū) à Theologis vsurpantur, vnus sit Theologiæ habitus, eosdem oñes act⁹ eliciēs. Et ad hoc certa & plana responsio est, Theologiā hac ratione nec vnā scientiā esse; nec vnum habitum, nec omnino vnū per se; sed tantū per accidens, seu quadā aggregatione, & respectu quasi extrinseco ad vnum finem: quemadmodum cū S. Thoma hic q. 1. a. 8 habet cōmunis & recepta omniū scientia, apud Molinā hîc q. 1. a. 3. disp. 1. Vasquez disp. 7. n. 11. Quia videlicet omnes illi,

quan-

quantumuis diuersissimi discursus, ad vnam ac eandem fidem explicandam, tuendam, & illustrandam referuntur; non ex natura rei, aut ipsius scientiæ; sed intentione scientis: cum interim pertineant ad habitus diuersissimos, vt fidē, opinionem, scientias, & disciplinas varias; quę omnes pari fere studio Theologię ancillantur, vt etiam q. 1. dub. 2. & q. 2. dub. 3. dictū. Idemq; etiam in alijs scientijs accidit, quæ probabilib⁹, adeoq; alienis sæpe & extrinsecis argumentationibus vtuntur.

3 Quartus quæstionis sensus esse potest, vtrum Theologia sit vnus habitus, saltem prout ex principijs propriè Theologicis, nimirum duabus præmissis reuelatis; aut vna reuelata, & altera naturaliter euidente, conclusiones deducit, ijsdēque assentitur. Et ad hanc quæstionem patet responsio ex dictis supra q. 2 dub. 2. & q. 3. dub. 2. & 3. & hac q dub. 1. Theologiā vniuersim loquendo, ne sic quidem esse vnū habitū; sed comprehendere duos habitus toto genere diuersos, videlicet naturalem & opinatiuum vnum; supernaturalem & infusum alterum; qui etiam simpliciter Theologiæ nomine appellatur; eosque per se minimè subordinatos, aut essentiali vinculo inter se coniunctos; imò nec in eodem subiecto necessario connexos.

Quintus & primarius quæstionis sensus, quem etiam S. Thomas hîc q. 1. a. 3. vnicè spectauit, est, Vtrū Theologia, prout ex principijs reuelatis diuina fide creditis (siue vtraque præmissa sit reuelata, siue vna tantum, & altera euidens) colligit conclusionem, eique assentitur, sit vna totalis scientia, saltem vnitate specifica, seu eiusdem obiecti scibilis, desumpta ex vno obiecto formali quod, & vna ratione formali obiectiua propter quam: quo modo Logica v. g. aut Physica sunt, & dicuntur, vna scientia totalis; esto contineant interim singulæ plures habitus partiales. Et est Responsio affirmatiua, quam tradunt S. Thomas cit. quæst. 1. art. 3. & communiter Theologi; speciatim Albertus Mag. in summa tract. 1. quæst. 3. & in 1. dist. 1. a. 3. Henricus Gandauensis in summa art. 6. quæst. 3. Ægidius 2. part. prologi quæst. 2. Richardus quæst. 3. Marsilius quæst. 2. art. 4. Ockam q. 3. princ. Ariminensis quæst. 3. art. 3. item Caietanus, & omnes cōmentatores S. Thomæ hic q 1. a. 3.

Probatur. Quia vnitas hæc scientiarū desumitur, vt dictū, ex vno obiecto scibili, vt scibile est; nimirū habente vnā rationē formalē Quæ, & vnā rationem formalem Qua, siue propter quam, vt pluribus declarauimus quæst. 3. dub. 2. & 3. at verò Theologia habet vnum eiusmodi obiectum scibile; quia habet vnum totale obiectū siue subiectum attributionis, cum vna ratione formali Quæ; nimirum Deum vt Deum, vt probauimus q. 2. dub. 1. & simul habet etiā vnā quondā rationem formalem obiectiuam Qua, siue propter quam, vt explicauimus ead. quæst. 3. dub. 2. Ergo planè est scientia totalis vna vnitate specifica, vt dictum. Neque verò opus est, vt vnius scientiæ obiecta siue subiecta materialia oña conueniant in vna quædam ratione essentiali & vniuoca, vt videre est in Metaphysica, quæ versatur circa Ens vt Ens. &c.

Sextus denique quæstionis sensus esse potest, 4
Vtrum Theologia, illo eodem modo accepta, sit vnus simplex habitus, seu vna simplex qualitas.. In qua re non consentiunt inter se Doctores. Negant enim Gabriel q. 8. prolog. & cæteri Nominales antea citati; quos sequitur Molina hic q. 1. a. 3. disp. 3. rati videlicet, nec alias scientias totales esse vnā simplicem qualitatem: id quod etiam docet Suarez Metaph. disp. 44. Affirmant Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 3. §. 3. Gabriel Vasquez hic disp. 9. num. 1. alijque recentiores Thomistæ hic quæst. 1. art. 3. & fauent Albertus, Henricus, Ægidius, Richardus locis cit. & planè etiam significat S. Thomas hic art. 2. ad 2. vbi docet, sacram doctrinam ita esse vnum habitum, sicut sensus communis est vna potentia; additque, eam *esse velut impressionē quandam diuinæ scientiæ, quæ est vna & simplex omnium.* Qui authores idem etiam de cæteris scientijs naturalibus asserunt, in specie S. Thomas 1. 2. q. 54. a. 4.

Mihi quidem dubium non est, Theologiam simpliciter dictam, esse eo modo vnam, quo fides est vna. Cum enim vterque habitus sit infusus & supernaturalis, eademq; iñitatur diuina reuelatione, seu mediatè, seu immediatè, vt dictum quæst. 3. dub. 2. non potest in præsenti diuersa esse vtriusque ratio. Fides autem est vna specie in omnibus, & vna numero simplex qualitas in singulis; *de quo*, inquit Molina loc. cit. *nemo dubitat.* De Theologia verò naturali & opinatiua pari modo ratiocinandum est, sicut de alijs naturalibus habitibus scientiarum; in quibus equidē nil video, cur non vna simplex qualitas (habens tamen suos gradus intensionis & extensionis) possit æquè ad obiecta plura materialia sufficere, atque in supernaturalibus habitus sufficit; de quibus id absque temeritate non videtur posse negari. Accedit hæc pro Theologia specialis ratio; quod ea vnicam tantum, eamque planè simplicem & vniformē habet rationem formalē obiectiuam; nempe principiū reuelatū, & vltimatè ipsā reuelationē; quæ suppositā sufficienti, ꝓpōsitione p se non habet aut parit maiorē difficultatē respectu vni⁹ assens⁹ Theologici, quā respectu alterius; cū tamē in scientijs naturalib⁹ conclusionū assensus sæpe iñitātur medijs planè diuersis. Sed qa totū hoc negotiū est instituti philosophici, nō est in eo diuti⁹ iſmorandū. Plura tomo 2. disp. 3. dub. 4.

DVBIVM III.

Vtrum Theologia sit scientia, practica, an speculatiua.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 4.

1 PErtinet hęc etiā quęstio ad quoddā Theologię attributum; præsertim si, vt inferi⁹ docebim⁹, practicū & speculatiuū non sint differentiæ essentiales habituū; sed tantū accidentales. Sunt autē de proposita quæstione variæ DD. sentētiæ. Prima

est

est Alberti Magni in summa part. 1. tract. 1. q. 3. Scoti in prolog. q. 4. qui dicunt, Theologiam solũ esse prácticam, eo quod omnes veritates Theologiæ, vt & fidei, nos inducant ad benè operandum, præcipuè verò ad Deum amandum: videlicet obiectiuè saltem & remotè. Ex simili pene fundamento etiã Aureolus in prologo hac quæst. art. 3. docet, Theologiam simpliciter & purè esse practicam.

Secunda est Richardi q. 4. prol. & Gregorij Ariminẽsis q. 5. a. 4. q ob similẽ causã dicunt, magis principaliter, adeoque simpliciter esse practicam; nõ satis distinguẽtes inter se finẽ operis & operantis; seu finem scientiæ & scientis, vt dicemus.

Tertia est S. Thomę hîc q. 1. a. 4. vbi docet, sicut Dei scientia, qua se & alia cognoscit, simul est practica & speculatiua; ita suo modo etiã esse Theologiã nostrã; magis tamẽ speculatiuã, quia principalius de Deo & rebus diuinis, quam de actibus humanis tractat. Quã doctrinã Caietanus, Bannes, Zumel, alijq; recẽtiores Thomistæ hic cit. q. 1. a. 4. ita interpretantur, vt asserant, Theologiam non esse simul formaliter speculatiuam & practicam; eò quod hæ sint differentiæ essentiales oppositæ, quę non possunt eidem simplici habitui conuenire formaliter: sed vel formaliter quidem esse speculatiuam, eminenter verò solum practicam, vt dixit Bannes; vel vtrumque simul eminenter solum, vt docuit Zumel, & ferè Caietanus.

Quarta sentẽtia est, Theologiã respectu diuersarũ conclusionum siue notitiarum, partim esse formaliter speculatiuam; partim formaliter practicam. Ita sentiunt Nominales, & plures alij quos inferius referemus.

Vt hæc controuersia decidatur; Notandũ primò, in quo consistat ratio intellectus seu habitus practici & speculatiui. De qua re Aristoteles tractat præcipuè in tribus locis, nimirum lib. 6. Eth. cap. 1. & lib. 3. de anima, & lib. 1. & 2. Metaphys. In primo loco distinguit duas animæ intellectiuæ partes, seu functiones, vnam qua eiusmodi res contemplamur, quarum principia aliter sese habere non possunt; alteram, qua ea consideramus, quæ esse aliter possunt; quæque adeo benè aut male fieri à nobis possunt, vt sequenti capite explicat. Similia habet lib. 1. Mag. Moral. cap. 32. Harum autem functionum prior ad intellectum speculatiuum pertinet, posterior ad practicum.

Posteriori loco lib. 3. de anima tex. 46. ait: *Speculatiuus intellectus nihil speculatur agibile, neq; dicit de fugiendo & persequendo quicquam.* Et infra text. 49. *Vtraque*, inquit, *hæc motiua sunt secundum locum, intellectus & appetitus. Intellectus autem*, (ille scilicet tantum motiuus est) *qui propter aliquid ratiocinatur, & qui actiuus est: differt autem à speculatiuo fine.*

2 In tertio loco nimirum lib. 1. Metaphys. cap. 2. ita distinguit duo scientiarum genera; vt ex scientijs quandam dicat esse, *quæ gratia suiipsius, &*
1 *propter ipsum scire*, aliam, quæ *aliorum gratia eligenda sit.* Et infra ait: *Intelligere autem & scire eorum ipsorum gratia, illi præcipuè scientiæ inest, quæ eius est, quod maximè scibile est, &c. Maximè autem scibilia,* inquit, *sunt ipsa prima, & causæ: propter hæc enim & ex ijs cætera cognoscuntur; sed non hæc per subiecta.* Qua de causa etiam ibidem docet, scientiam illã, quæ sapientiæ nomen mereatur, speculatiuam esse, non practicam, aut factiuam, vt etiam ibidem cap. seq. demonstrat.

Et lib. 2. Metaphys. cap. 1. text. 3. ait: *Rectè autem se habet Philosophiam, scientiam veritatis contemplatricem appellasse: speculatiuæ etenim finis veritas; practicæ autem opus. Etenim si, quomodo se habent, considerant, non causam per se, sed ad aliquid, & eo in tempore, practicè speculantur.*

Ex quibus omnibus colligitur, intellectum, adeoque etiam habitum practicum differre à speculatiuo ratione obiecti, & finis, non extrinseci, sed intrinseci; qui nimirum finis scientiæ dicitur, non scientis: ita vt intellectus siue habitus practicus versetur circa praxin, seu opus aliquod, non quomodolibet (considerando videlicet solum naturam & proprietates eius; quomodo Physicus considerat naturam auri, humanarumque operationum seu affectionum) sed modo operabili, hoc est, quatenus à nobis bene aut male fieri potest; quo ipso iam suâ naturâ & intrinseco fine notitiã illã (quæ idcirco practica dicitur) ad opus referri necesse est.

Quocirca minimè probatur, quod docet Ioannes de Bassolis quæst. 7. prolog. art. 3. & q. 8. art. 2. & indicat Gabriel Vasquez hic disp. 8. num. 23. & seqq. ad notitiam practicam requiri etiam actualem intentionem operis seu relationem ad opus. Neque enim id Aristoteles vnquam docuit, qui finem, quo scientia practica differt à speculatiua, appellauit ipsum obiectum, seu intrinsecum finem scientiæ ab obiecto desumptum, vt notauit etium Vasquez ibidem. Neque S. Thomas hic quæst. 14. art. 16. dixit, scientiam illam, *Siquis ædificator consideret, qualiter possit fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum*, esse propriè & formaliter speculatiuam scientiam; sed speculatiuam tantum secundũ quid; nimirum quantum ad finem; quamuis etiam vocat practicam secũdum quid; sed quo modo loquendi non significauit aliud, quam notitiam illã actualẽ non habere omnẽ omnino perfectionẽ notitię practicę in actu secũdo; tametsi habitu simpliciter practica sit, vt rectè etiam notauit Caietanus ibidem. Quodsi relatio actualis ad finem, ad practicam scientiam necessariò requireretur; sæpe daretur scientia siue notitia aliqua, etiam habituum alioqui speculatiuorum, vel practicorum, & quidem de obiecto speculabili tantum, aut operabili, quæ simpliciter nec esset practica, nec speculatiua; & rursum eadem sæpe scientia non tantum in diuersis subiectis, sed etiam in eodem, successiuè posset esse scientia practica, & non practica, siue speculatiua. Denique non requiri actualem eiusmodi relationem ad notitiam practicam, habet communis Doctorum sententia, quam post Henicum in prin. art. 36. q. 4. Scotum q. 4. prolog. Heruæum quodlib. 1. q. 3. art. 2.

Digitized by Google

Ockamum q. 11. Gregor. Ariminẽsem in 1. d. 48. q. 5 a. 2. Marsilium q. 3. art. 3. Gabrielem q. 11. art. 2. docent Molina hic a. 4. disp. 2. & Gillius lib. 1. tract. 5. cap. 3.

Notandum secundò, speculatiuum & practicum in propositio dupliciter considerari & accipi posse. Primò, vt ea sit denominatio alicuius habitus totalis, habentis vnum quidem obiectum totale attributionis, sed partialia plura. Qua ratione iuxta receptum Philosophorum loquendi modum in Aristotele locis citatis fundatum, ille habitus simpliciter & absolutè dicendus est practicus, non speculatiuus cuius obiectum principale attributionis, siue id quod directè, per se & principaliter in eo tractatur, est praxis; seu actio vel operatio aliqua, quæ ratione dirigi possit, qua talis; vel etiam ipsa res aliqua operabilis, prout à nobis benè vel malè fieri potest? è contrario vero speculatiuus simpliciter & absolutè, non practicus dicendus erit ille habitus, cuius obiectũ attributionis totale non est praxis, seu res aliqua operabilis, qua ratione benè aut malè fieri potest; sed aliquid aliud, quod vel solum speculabile est; vti est Deus, Angeli, vel si quid etiam operabile est, non consideratur tamen aut spectatur modo operabili, vti in Physica aurum, triticum, & omnia corporalia animata & inanimata; ipse denique etiam homo, &c. Cuius rei hæc etiam ratio est: quia semper denominatio sumitur à potiori. Ergo rectè totus aliquis habitus vocatur practicus, aut è contrario speculatiuus, cuius obiectum totale attributionis est praxis; aut è contrario vt sic solum speculabile. Secundò verò potest hæc denominatio referri ad singulas notitias alicuius habitus; vt quæstio nimirum singillatim de singulis notitijs eiusdem habitus instituatur, an sint practicæ, an speculatiuæ. His positis est

3 Assertio I. Theologia simpliciter & absolutè loquendo est habitus speculatiuus. Hæc est doctrina S. Thomæ hic. q. 1. a. 4. Caietani & Thomistarum ibidem, item Heruæi q. 4. prolog. Cani lib. 12. loc. cap. 2. Gregorij de Valentia q. 1. p. 3. §. 4. Molinæ q. 1. a. 4. disp. 2. Vasq. d. 9. cap. 3. & communis aliorum. Probatur ex dictis. Quia ille habitus simpliciter & absolutè loquendo est speculatiuus, cuius obiectum totale attributionis nõ est operatio, aut quid operabile, sed aliquid mere speculabile: sed obiectũ totale attributionis in Theologia, non est operatio, aut quid operabile, sed solũ speculabile; nimirum Deus, vt probauimus q. 3. dub. 1. Ergo, &c.

Et confirmatur assertio primò. Quia eadem ratione etiam Physica, & Metaphysica, absolutè & simpliciter sunt & dicuntur scientiæ speculatiuæ; esto fortè alicuius notitiæ particularis in Physica obiectum, sit etiam praxis; v.g. Aurifactio est hoc vel illo modo & medio possibilis: Metalli eliquatio impeditur circumstantis aëris frigore, promouetur calore: quanquam hæ notitiæ, si modo veræ sunt, fortè potius sunt alicuius artis, Physicæ innitentur, v.g. Chymicæ, quam ipsius Physicæ. E contrario verò Logica simpliciter dicitur practica; quia id quod præcipuè in Logica tractatur sunt praxes: esto fortè vna vel altera conclusio habeat obiectũ speculabile tantũ, aut praxin quidẽ, sed modò speculabili consideratam; vt quòd demõstratio siue syllogismus demõstratiuus pariat scientiã. Confirmatur secundò, quia Theologia est sapientia, vt ex doctrina Aristotelis probauimus supra q. 2. dub. 5. sed sapiẽtia est habitus speculatiuus, ex eodem cit. lib. 1. Metaph. cap. 2. Ergo, &c.

Assertio II. Theologia formaliter, nõ solũ eminenter, est speculatiua. Ita S. Thomas hic a. 4. Gregorius de Valentia, Molina, Bannes, Vasquez locis cit. ex cõmuni, contra Zumel & fetè Caietanum locis cit. Probatur quia ratio, & conditiones ad habitũ speculatiuũ requisitę formaliter Theologiæ conueniunt, & non solum eminenter. Quod autem Caietanus hic q. 1. a. 4. dixit, esse speculatiuam *formaliter eminenter*, obscurum est; & intelligi vix potest, nisi hoc ipsum voluerit significare, formalem rationem speculatiui habitus Theologiæ excellentissimè conuenire: qua ratione nobiscum sentit.

Assertio III. Si de notitijs seu conclusionibus 4
Theologicis sigillatim loquamur, Theologia secundum aliquas est speculatiua, secundum alias practica, & quidem formaliter. Ita Capreolus q. 2. prolog. art. 1. Ockam q. 4. a. 3. Gabriel q. 12. Gregorius Ariminensis quæst. vlt. art. 4. Maior quæst. 6. Canus lib. 12. loc. cap. 2. Gregorius de Valentia quæst. 1. p. 3. §. 4. Molina quæ. 1. art 4. disp. 2. Vasquez disp. 9. cap. 3. eademque est mens S. Thomæ, hic quæst. 1. a. 4. quomodo dicit, esse *simul practicam & speculatiuam*: & rursum ibidem q. 1. a. 5. vbi dicit, hanc scientiam *quantum ad aliquid esse speculatiuam, quantum ad aliquid practicam*; quicquid obsistant Bannes, Zumel, & recentiores Thomistæ locis supra citatis.

Probatur. Quia quædam notitiæ Theologiæ versantur circa praxes qua tales, & modo practico, non minus quam Ethica; vt quæ sunt de actionibus humanis, in quantum bene aut malè fieri possunt; vt patet in ijs materijs omnibus, in quibus de virtutum officijs, & vitiorum turpitudine; aut de recta sacramentorum susceptione, vel administratione agitur, vt videre est passim in 1. 2. tota 2. 2. & in 3. parte S. Thomæ: quædam versantur circa speculabile tantum obiectum, nimirum circa DEVM, Christum, resque diuinas & creatas alias, vt videre est in tota 1. parte, & ex parte in 1. 2. ac passim etiam in 3. pârte S. Thomæ.

Assertio IV. Idem specie habitus Theologiæ secundum diuersas conclusiones siue rãtiones est partim formaliter practicus, partim speculatiuus. Ita Gregorius de Valentia, Molina, Vasquez locis cit. absolutè de vno specie habitu loquuntur, siue is sit vna simplex qualitas, vt putant Valentia & Vasquez; siue non, vt existimat Molina: qui proinde eosdem, specie, sed non numero, habitus Theologiæ putat esse simul practicos & speculatiuos. Eandem assertionem indicant etiam Capreolus & Canus loc. cit. & est aperta sententia S. Thomæ hic q. 1. a. 4. & 5. adiuncto simul art. 3.

Contrarium tamen sentiunt Nominales citati, qui exi-

qui existimantes, practicum & speculatiuum esse differentias essentiales habituum, (quod contra Scotum etiam tradit Aureolus in prol. hac qu. a. 2.) docent, Theologiam esse practicam & speculatiuam secundum diuersos habitus partiales specie distinctos, non secundum eundem specie habitū.

Sed oppositum est verius; nimirum practicum & speculatiuum non esse differentias essentiales habitus, vt etiam sentit S. Thomas hac parte q. 79. a. 11. & Scotus in prol. q. 4. & 5. & fusius prosequitur Gillius lib. 1. tract. 5. cap. 7. Ratio est; quia rationes illæ non desumuntur, nec à ratione formali Quæ obiecti totalis, nec à ratione formali obiectiua Qua siue propter quam ipsius habitus; quandoquidem stante ex parte obiecti totalis alicuius habitus, eadem ratione formali Quæ & Qua, notitiæ aliquæ sunt practicæ, vt dictum, aliæ speculatiuæ; sed desumuntur solū à conditione quadam materialis obiecti; & quidem in nostro proposito, partialis tantum. Quanquam vbi hæc denominatio sumitur à totali obiecto totius alicuius scientiæ, colligi ex ea potest etiam differentia quædam essentialis; præterquam quod habitus practici & speculatiui semper accidentali saltem quadam specie inter se differunt. In quem sensum etiam Aristotelem lib. 3. de anima tex. 53. & 1. Mag. Moral. cap. 32. & 6. Ethicorum cap. 1. vbi docet, practicum & speculatiuum *genere differre*, interpretatur Vasquez cit. disp. 9. n. 8.

5 Assertio V. Eadem tamen notitia seu conclusio Theologica, & de eodem obiecto, non potest, nec eodem, nec diuerso tempore, adeoque nec successiuè quidem, esse simpliciter & propriè practica, & speculatiua. Ita Molina loc. cit. post Ockamum a. 2. Gabrielem q. 11. a. 1. Ariminensem q. 5. a. 2. etsi contrarium asserat Vasquez disp. 8. n. 26. Probatur. Nam si idem habitus circa eandem conclusionem, siue eadem notitia seu conclusio circa idem obiectum, successiuè posset esse practica & speculatiua, id fieret ideo, quod ad practicā notitiam requireretur etiam actualis relatio ad opus; quâ proinde, etiam circa vnum & idem obiectum (quæ tamen sit praxis) posita, ipsa notitia practica esset, non positâ verò, non practica, sed speculatiua; vti ait Vasquez loc. cit. non enim alia ratio fingi potest, qua hoc fiat; sed id verè dici nō potest, vt iam superius in primo notabili contra Bassolem & Vasquium docuimus: Ergo, &c.

Ex quibus iam facile etiam ferri potest iudicium de relatis superius sententijs, quæ doctrinæ S. Thomæ hactenus expositæ aduersantur. Non enim satis attenderunt ad rationē habitus practici & speculatiui, superi⁹ ex Aristotele expositā. Nec n. satis est ad practicā notitiā, vt referatur ex intētione aliqua extrinseca operātis ad praxin, vel etiā vt obiectiuè, per modū proponentis obiectū, moueat ad praxin, v. g. ad amandum Deum: sic enim etiam Metaphysica, imò & Physica, quatenus circa Deum & creaturas versantur, essent practicæ; quandoquidem etiam ex naturali cognitione Dei, & creaturarum, homo ad DEVM aliquo modo colendum moueri potest; iuxta Apostolū. Rom. c. 1. v. 20. & 21. & cōstat certè, Christiani hominis officiū vel maximè esse, vt omnē suā cognitionē ad honorē & amorē Dei, in se & alijs promouendū, referat: pariq; ferè ratione etiā ipsa visio beatifica esset scientia practica, quia obiectiuè mouet ad perennē dilectionē & cultū Dei. Sed requritur ad notiā practicā, vt imediatè versetur circa praxin, siue rē operabilē, modo operabili, dirigendo videlicet quantū in se est, circa illā, quaten⁹ bene vel male fieri potest, vt superi⁹ dictū. Id verò cum in Theologia à toto genere, & respectu talis obiecti attributionis, non fiat, non potest ipsa aut simpliciter & absolutè, aut præcipuè practica dici, vt probauimus.

DVBIVM IV.

Vtrum Theologia certitudine alijs scientijs & habitibus naturalibus antecellat.

S. Thom. 2. p. q. 1. art. 5.

QVartum Theologiæ attributū, quod hîc consideramus, est certitudo; quæ tametsi per se quidem sit quippiâ absolutū, hic tamē vt ei⁹ cognitio sit plenior, respectiuè quoque & comparatiuè consideratur: cōparatione nimirū facta cum alijs scientijs, seu habitib⁹ naturalibus euidentib⁹: de supernaturalibus enim vix potest esse quæstio. Vt autē res hæc benè explicetur, necesse est, prius diuersas certitudinis rationes habere perspectas: q̄s varij variè assignant. Nos omissa certitudine illa, quæ solius obiecti, siue complexi, siue etiā incōplexi, propria est, & in ipso assensu, vel habitu formaliter nō reperitur: quæ verius immutabilitas in essendo, vel existendi necessitas, quàm certitudo dicitur; certitudinem formalē in ipso etiā intellectu siue assensu, quæ sola proprie certitudo dicitur, cū S. Thomain 2. 2. q. 2 a. 8. duplicē distinguimus.

Prima est certitudo infallibilitatis; quā S. Thomas ibidē vocat *certitudinē ex causa*, hoc est, ex ratione assentiēdi; seu ex obiecto, non materiali, sed formali Quo, siue ratione formali obiectiua, propter quā; vt rectè post Durandū in 3. d. 23. q. 7. nu. 8. Capreolū q. 1. prol. a 2. notauit Caietanus in 2. 2. q. 4. a. 8. quæ ideo etiam vocari potest certitudo obiectiua, seu ex parte obiecti; non quod in obiecto duntaxat, & non in ipso etiā subiecto, hoc est, intellectu, seu actu ipsius insit, quemadmodū certitudinē obiectiuam accepisse videntur Durandus & Caietanus loc. cit. sicuti etiam Molina & Vasquez hic q. 1. a. 5. sed quia & actui eū obiecto complexo quodammodo cōmunis est; & loquendo saltē de creata scientia, primario & originaliter ex ipso obiecto formali Quo prouenit, vt dictū; & reipsa nihil aliud est, quam infallibilis veritas, seu ipsa infallibilitas assensus; vndecunque tandem infallibilitas illa oriatur. Atque hanc certitudinē etiā S. Thomas loc. cit. dicit esse potiorem; à qua simpliciter desumēda sit denominatio. Quod supponere videntur etiam alij Doctores; & tradunt cōmuniter Thomistæ ibidem, & sequitur Molina hic q. 1. art. 5. qui rectitudinem assensus simpliciter in infallibilitate sitam esse docet.

Altera certitudo formalis, in ipso etiā assēsu posita, est subiectiua, siue subiecti, siue ex parte subiecti, vt loqtur etiā S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 8. quæ in

quadam

quadam firmitate assensus consistit. Et sic inquit S. Thomas loco cit. *dicitur esse certus, quod plenum consequitur intellectus hominis.* Et addit: *Per hunc modum, quia ea, quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem ea, quæ sub sunt sapientiæ, scientiæ, & intellectui, vt dicuntur naturales & euidentes habitus, ideo ex hac parte, fides est minus certa.* Sed hæc declaratio S. Thomæ, non totam latitudinem certitudinis ex parte subiecti comprehendit, sed quendam duntaxat eius notiorem modum explicat, qui videlicet ex penetratione seu clara notitia obiecti prouenit, licet alioqui etiam aliunde quandoque prouenire possit.

Rectius ergo iuxta communem, & receptum nunc inter Theologos & Philosophos loquendi modum, generatim loquendo, describitur; Firma & constans adhæsio intellectus, excludens omnem dubitationem, vndecunque tandem firmitas illa proueniat. Vnde etiam à Bonauentura, Alberto, Durando in 3. d. 23. & alijs communiter, rectè dicitur *certitudo adhæsionis*: quæ si obiecto complexo & formali commensurata sit, censenda est vera certitudo, vt docet etiam S. Thomas in 3. d. 23. q. 2. a. 2. & d. 26. q. 2. art. 4. Sin autem præter dignitatem obiecti temerè concepta sit, tum potius dicenda est pertinacia, ex cæcitate aut duritia cordis orta, vel vt loquitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. *Vana & temeraria fiducia & credulitas*; qualis in hæreticorum falsa fide cernitur.

Ex quibus nunc etiam facilè ferri potest iudicium, de varijs modis & partitionibus certitudinis, quas alij assignant. Prima est Durandi in 3. d. 33. quæst. 7. num. 8. Caietani in 2. 2. q. 4. art. 8. qui duplicem certitudinem distinguunt, obiectiuam & formalem, seu quod apud ipsos idem est, obiecti & assensus. Sed præterquam quod ipsimet fatentur, certitudinem eam obiecti nonnisi impropriè sic dici, distinctio hæc parum ad propositum facit, vbi de sola certitudine formali ipsius assensus disputamus, vt initio dictum.

Secundò alij, in quibus Bannes, & Molina hîc quæst. 1. artic. 5. Albertinus tom. 1. princip. 3. corollar. 1. distinguunt triplicem certitudinem: primam vocant obiecti, seu ex parte obiecti; secundam formalem & ex parte actus: tertiam ex parte subiecti: in quibus tamen explicandis, & ad institutum applicandis rursum variant. Reipsa autem à nostra diuisione non differunt, quia præter duos modos certitudinis formalis à nobis assignatos, adnumerant etiam vel certitudinem solius obiecti, quam Durandus & Caietanus obiectiuam vocarunt, vt dictum; vel si qui de certitudine formali assensus loquuti sunt, veræ certitudini vtrique, infallibilitatis, & adhæsionis, à nobis assignatæ, adiunxerunt etiam tertiam, vanę & temerariæ credulitatis, quæ non est vera certitudo, vt dictum.

Tertiò Gabriel Vasquez hîc quæst. 1. artic. 5. longè aliter triplicem certitudinem in hunc modum distinguit. Primam dicit esse determinationem ad vnam partem contradictionis, sine dubitatione: quæ quidem descriptione videtur intelligere eam, quam alij dicunt certitudinem ex parte subiecti, siue adhæsionis. Secundam vocat ipsam veritatem cognitionis, desumptam ex conuenientia intellectus cum re: sed quæ rectius veritas assensus, quam certitudo dicitur. Tertiam dicit esse actum reflexum, quo quis iudicet, nullo modo se falli posse, in eo quod cogitat. Sed hic certitudinis modus, præterquam quod in ipso assensu directo, de cuius certitudine loquimur, non insit, cum sit actus quidam nouus & reflexus, ab actu directo distinctus; sanè ab hoc auctore primum excogitatus fuisse videtur; idque necessitate quadam, quod non posset alia ratione singularem illam ac propriam Theologiæ certitudinem tueri, vt videbimus. Accedit, quod in ea diuisione prætermittitur certitudo infallibilitatis, ex causa & ratione assentiendi desumpta, quæ tamen, vt ex 1. Moral. dictum, præcipua est, & quam etiam iudicium illud reflexum supponit, ex eaque oritur: aut si inde non oriatur, est potius vana credulitas, quam verus certitudinis modus, vt magis inferiùs patebit.

His positis, procedit quæstio præsens de Theologia nostra, secundum proprium officium spectata, prout nimirum vel ex duabus præmissis reuelatis, aut ex vna reuelata, & altera euidenti, per euidentem consequentiam colligit conclusionem, de qua quæstione variæ sunt Doctorum sententiæ. Prima est, Theologiæ habitum & assensum, nec certitudine ex parte obiecti, seu infallibilitatis, nec certitudine adhæsionis, seu ex parte subiecti, certiorem esse alijs habitibus naturalibus euidentibus; sed duntaxat certitudine illa actus reflexi, superiùs commemoratâ. Ita Vasquez hîc cit quæst. 1. artic. 5. qui hoc ex consequenti necessariò debuit asserere, propterea, quod iam ante docuerat, Theologiam non esse nisi habitum opinatiuum, adeoque nitentem principijs reuelatis, non vt creditis fide diuina, sed humana tantum, vt dictum supra, quæst. 2. dub. 2. Qua ratione, cum sola illa certitudo actus reflexi (si per se spectetur, & certitudine infallibilitatis non sustentetur) ficta potius, quam vera certitudo videatur, vtpote etiam temerariæ fidei, & credulitati Hæreticorum communis, planè fatendum esset (quod ibidem etiam non obscurè insinuare videtur Vasquez) Theologiam quoad certitudinem, simpliciter cedere omnibus habitibus naturalibus euidentibus; quales sunt scientia, sapientia, & intellectus: quod tamen est expresè contra S. Thomam hîc, q. 1. art. 5. & communem, vt dicetur.

Secunda sententia est eorum, qui distinguunt inter assensum Theologicum, ex duabus præmissis reuelatis euidenter deductum, & alium ex vna præmissa reuelata, & altera euidente deductum. Illum enim aiunt esse simpliciter certiorem, quolibet assensu naturali; hunc verò certiorem non esse, quam sit altera præmissa euidens; eo quod conclusio, tam quoad certitudinem, quam quoad euidentiam sequatur partem deteriorem: qui proinde videntur, tam de certitudine infallibilitatis, quam adhæsionis loqui. Ita Andreas Vega lib. 9. in Concil. Tridentin. cap. 39. Zumel hîc quæst. 1. artic. 5. corrigens quandam responsionem datam iuxta tertiam sententiam, mox referendam, pro qua citatur ab Albertino infra. Verba Zumelij sunt: *Conclusio Theologica illata ex maiore euidente non est certior alijs scientijs, aut ipsa maiore euidenti; nec*

habet certitudinem supernaturalem: secus si ex vtraq; reuelato inferatur. Eandem sententiam indicat Molina hîc quæst. 1. artic. 2. disput. 1. vbi simpliciter ait, in discursu Theologico, ex altera præmissa euidente, conclusionem sequi deteriorem partem præmissarum, quoad effectus, qui ab vtraque præmissa dependent; *vt sunt*, inquit, *certitudo & euidentia, non autem supernaturalitas actus*; de qua re supra quæst. 2. dub. 2. vbi plane videtur significare, conclusionem talem non esse certiorem præmissa euidenti. Idem tamen hic artic. 5. absolutè docet, Theologiam esse certiorem certitudine infallibilitatis, omnibus scientijs naturalibus; vt fortè in præcedenti loco, iuxta sensum tertiæ sententiæ explicari possit.

4 Tertia sententia est, assensum conclusionis Theologicæ, in vtroque illo discursu, adeoque vniuersim, certiorem esse, quolibet assensu merè naturali, saltem certitudine illa infallibilitatis; si non etiam adhæsionis. Ita S. Thomas hic cit. quæst. 1. artic. 5. vbi simpliciter docet, hanc scientiam superare alias scientias, quoad certitudinem: *quia*, inquit, *aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare; hæc autem certitudinem habet ex lumine diuinæ scientiæ, quæ decipi non potest.* Quanquam in responsione ad primum significat, esse minus certam, quoad nos, seu certitudine adhæsionis; quod inferius declarabitur. Eiusdem sententiæ est Aureolus quæst. 1. prolog. artic. 2. vbi docet, non solum ex duabus præmissis reuelatis, sed etiam ex vna reuelata, & altera euidente, sequi conclusionem & assensum de fide. Eandem sententiam tradit etiam Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 4 & 2. 2. disput. 1. quæst. 1. punct. 2, vbi ait: *assensum Theologicum esse perfectiorem in certitudine, quam sit assensus præmissæ euidentis naturaliter; etsi minus certus, quam assensus fidei.*

Idem videtur sentire Bannes hîc, quæst. 1. artic. 5. & Albertinus tom. 1. princip. 3. corollar. 2. qui cum numer. 12. dixisset, conclusionem Theologicam, ex parte subiecti, iuxta sententiam S. Thomæ superius relatam, esse minus certam, quam sit præmissa naturalis, vel consequentia naturalis; tamen ibidem numero 15. absolutè, & ex parte assensus, sentit esse certiorem. In quem sensum etiam ibidem numero 20. dicit 1. conclusionem Theologicam ex ratione sua obiectiua, habere certitudinem diuersæ & altioris rationis, quam sit præmissa naturalis. 2. sequi tamen secundum quid debilitatem suæ præmissæ naturalis. 3. rursum tamen ex pio affectu, conclusionem Theologicam certiorem esse præmissa naturali euidente. Eandem sententiam approbat Vasquez loco citato, si supponatur, Theologiam niti principijs reuelatis, vt creditis supernaturali fide. Eidem sententiæ fauent Alensis 3. p. quæst. 68. membr. 9. art. 1. Scotus in 3. d 24. quæst. vnic. Petrus de Alliaco, quæst. vn. prolog. art. 3. Canus lib. 12. loc. cap. 2. & Caietanus hîc quæst. 1. art. 5. qui absolutè docent, conclusionem Theologicam esse certiorem assensibus naturalibus, saltem secundum se, vt limitat Caietanus, etsi non nobis.

Nos supposita distinctione, inter Theologiam simpliciter dictam, siue supernaturalem, & inter opinatiuam, seu naturalem, iuxta dicta superius q. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 2. & hac quæstione dub. 1. ad propositam quæstionem sequentibus assertionibus respondemus.

Assertio I. Theologiæ simpliciter dictæ siue supernaturalis, habitus, seu assensus qualiscunque, siue ex vtraque præmissa reuelata, siue ex vna reuelata & altera euidente, certitudine ex parte obiecti, seu infallibilitatis, superat omnes habitus & assensus naturales, quantumuis euidentes. Est sententia S. Thomæ hîc quæst. 1. artic. 5. & communior Doctorum, vt vidimus in recitatione secundæ & tertiæ sententiæ. Probatur optimè ratione S. Thomæ ibidem, quia vbi ratio assentiendi obiectiua est certior & infallibilior, illic etiam assensum necesse est esse certiorem, ex parte obiecti, seu certitudine infallibilitatis: sed assensus Theologiæ simpliciter dictæ, siue supernaturalis, habent rationem assentiendi obiectiuam certiorem & infallibiliorem, quam habent vlli assensus naturales; videlicet lumen ipsum diuinæ reuelationis, seu assensum supernaturalis fidei, nitentis lumine diuinæ reuelationis, cui non potest vllo modo subesse falsum: quæque adeo certitudine infallibilitatis longè superat lumen rationis naturalis, omnesque habitus naturales, vt in materia de fide suo loco ex instituto docetur. Ergo, &c. Maior constat ex dictis initio huius dubij, de varijs certitudinis modis. Minorem probauimus supra quæst. 3. dub. 2. vbi ostendimus, rationem formalem obiectiuam veri assensus Theologici, in vtroque discursu, siue constante ex duabus præmissis reuelatis, siue ex vna reuelata, & altera naturaliter euidente, esse merè supernaturalem, quæ vltimatè resoluatur in ipsam diuinam reuelationem, seu primam Dei reuelantis veritatem. Ex qua ratione necessario etiam efficitur, certitudine formali infallibilitatis, non minus certam esse conclusionem Theologicam, ex vna reuelata & altera euidente, quam ex duabus præmissis reuelatis illatam, vt sentit etiam Aureolus loco citato; etsi Gregorius de Valentia, Bannes, & Albertinus locis citatis contrarium sentiant. Idemque dicendum de certitudine adhæsionis, iuxta ea, quæ circa sequentem assertionem dicentur.

Quod si tamen etiam concederemus, alteram præmissam euidentem, in posteriori discursu, pertinere ad rationem formalem obiectiuam Theologiæ, adhuc tamen rectè defendi posset, assensum conclusionis Theologicæ esse certiorem, quam solius præmissæ euidentis, aliarumque veritatum euidentium, quandoquidem ratio assentiendi saltem inadæquata adhuc esset supernaturalis, quæ proinde vnà cum naturali perfectiorem assentiendi rationem adæquatam constitueret, quam si solum & adæquatè naturalis esset. Causa enim totalis, ex pluribus partialibus conflata, eò perfectior est, quo singulæ causæ partiales sunt perfectiores; ita vt si vel ex omnibus istis, vna duntaxat sit perfectior, cæteris paribus, etiam perfectior causa totalis inde constituatur. Etiamsi igitur concederemus, ad assensum conclusionis Theologicæ, concurrere vtramque illam præmissam, tanquam ad-

æqua-

Digitized by Google

æquatum principium, nihilominus certior erit ille assensus, ex parte obiecti, cuius principium adæquatè sumptum, plus habet certitudinis ac infallibilitatis. Vti quidem in proposito habet; vbi ad assensum conclusionis concurrit etiam altera præmissa supernaturalis: qui assensus proinde, ob hoc ipsum, non potest non habere maiorem certitudinem, quam si ex vtraq; naturaliter nota deduceretur: esto interim iuxta hanc sententiam minus certitudinis habeat, quam si ex vtraque reuelata procederet, vti asserunt Gregorius de Valentia, Bannes, & Albertinus loc. cit.

Et confirmatur assertio ex illo 2. Pet. 1. v. 18. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem.* Vbi tametsi quidem de scriptura sacra Christi diuinitatem contestante sermo sit, rectè tamen id vniuersim etiam accipitur, de omni sermone diuinitus reuelato; & ex consequenti etiam de sermone virtualiter à Deo reuelato, vti sunt conclusiones Theologicæ ex dictis quæst. 3. dub 2.

Nec obstat commune illud pronuntiatum; Conclusio sequitur partem deteriorem. Id enim quoad euidentiam quidem simpliciter verum habet; quoad certitudinem verò hoc sensu: non vt conclusio nunquam habeat maiorem certitudinem, quam altera præmissarum, quæ incertior est; sed vel quia certè etiam eam aliquo modo sequitur & imitatur, contrahendo videlicet inde minorem quidem aliquem certitudinis gradum, quam si vtraque præmissa esset reuelata, sed maiorem tamen, quam si vtraque præmissa esset naturalis, vti docent Gregorius de Valentia, Bannes, & Albertinus, qui sentiunt, ipsam quoque præmissam naturalem, in eo discursu, esse rationem assentiendi partialem: vel iuxta nostram sententiam, qui oppositum docuimus, quia conclusio illa, quatenus colligitur per syllogismum, nec habet euidentiam præmissæ naturalis, nec etiam vt sic creditur fide diuina, adeoque non habet æqualem certitudinem, cum ipsa fidei certitudine, vt rectè notauit Vasquez loc. cit. ex mente tertiæ sententiæ superius relatæ, quam sequimur. Accedit, quod etiam quoad supernaturalitatem actus, assensus conclusionis in proposito minimè sequitur partem deteriorem, vt rectè etiam docuerunt Aureolus, & Molina locis citatis, & supra quæst. 3. dub. 2. diximus Conclusionis enim assensus est supernaturalis, sicut & assensus alterius præmissæ supernaturalis; cum tamen assensus alterius præmissæ naturalis euidentis, solum sit naturalis.

6 Assertio II. Eiusdem Theologiæ assensus quicunque, siue nimirum ex præmissis duabus reuelatis, siue ex vna reuelata, & altera euidente, quoad certitudinem adhæsionis, siue ex parte subiecti, cedunt quidem secundum quid assensibus naturalibus euidentibus; attamen ijsdem nihilominus simpliciter sunt superiores. Primam partem expresè tradit S. Thomas hic q. 1. a. 5. Caietanus & omnes Thomistæ ibidem, & communis Doctorum, vt vidimus; idemque in simili de ipsius etiam fidei assensu docetur suo loco in 2. 2. q. 4 a. 8. cum eodem S. Thoma ibidē. Probatur. Quia vt superius dictum, certitudo illa adhæsionis, seu ex parte subiecti, consistit in quadam firmitate & immobilitate assensus: atqui firmius & immobilius aliquo modo assentimur, veritatibus euidentibus, quam veritatibus fidei aut Theologiæ: Illis enim nullo modo dissentire possumus, nec de ijs dubitare, stante apprehensione seu terminorum, seu earum rationum, quibus ad talem assensum inducti sumus; siquidem in hac ipsa immobilitate consistit earum euidentia: his verò simpliciter & absolutè possumus dissentire, & de illis dubitare, etiam stante apprehensione motiuorum, seu rationum, quibus ad talem fidei, aut Theologiæ assensum inducti sumus, hoc ipso, quod veritates illæ non sunt euidentes, vt constat: Ergò fatendum est Theologiæ, vti & fidei assensus, quoad certitudinem adhęsionis, saltem secundum quid cedere assensibus euidentibus.

Secunda pars traditur ab Aureolo cit. quæst. 1. prolog. art 2. vbi ait: *Quia ergo propositio, quæ tenetur ex fide, claudicat quantum ad euidentiam, licet sit perfectior, quantum ad adhærentiam* (siue adhæsionem:) *propositio verò necessaria perfectior est, quantum ad euidentiam, etsi non quantum ad adhærentiam, quia immobilius adhærendum est ijs, quæ tenentur per fidem, quam ijs, quæ cognoscuntur scientificè, vt in Martyribus patet; ideo conclusa propositio* (Theologica ex vna reuelata, & altera euidente) *tenebitur lumine fidei enigmatico & obscuro, sicut articulus.* Vbi expresè docet, vtramque veritatem tam fidei, quam Theologiæ, etiam deductam ex vna reuelata & altera euidente, esse perfectiorem, adeoque certiorem, quoad adhærentiam siue adhæsionem, quauis veritate seu propositione naturaliter euidente. Eandem assertionis partem expresè etiam tradit Henricus Gandauensis in sum. art. 7. quæst 2. Idem videtur ex mente Gregorij de Valentia, Albertini loc. cit. & aliorum, qui simpliciter & sine exceptione docent, Theologiam esse certiorem alijs scientijs.

Probatur. Quia firmitas adhæsionis non tantum 7
spectari debet, ex absoluta immobilitate assensus, seu necessitate retinendi assensum ob euidentiam obiecti, sed etiam tum ex lumine & habitu, quo assentimur; tum ex infallibilitate rationis obiectiuæ, non sinentibus nos, quantum in se est, dissentire vel dubitare; tum ex facultate potentissima non dissentiendi; tum ex natura & perfectione ipsius assensus; tum denique ex motione pia voluntatis & affectionis, qua quis iure velit & paratus sit, si opus foret, potiùs aliam quamlibet, quam hanc veritatem seu notitiam deserere. In quem sensum etiam S. Thomas in 3. dist. 23. quæst. 2. artic. 2. quæstiunc. 3. & de verit. quæst. 14 artic. 1. ait, *quod quantò est fortius, quod determinationem causat, tantò est maior certitudo;* nempe etiam quoad determinationem intellectus, seu certitudinem adhæsionis. Iam verò assensus fidei & Theologiæ omnibus his rationibus est immobilior & firmior.

Primò enim stante habitu fidei & Theologiæ, non possumus vlla ratione formaliter dissentire veritatibus fidei & Theologiæ, aut de ijsdem, qua tales, dubitare: statim enim eo ipso habitus illi amittuntur, vt dictum supra hac quæst. dub. 1 cum tamen erroribus contrarijs non statim perdantur habitus alij naturales. Secundò ratio obiectiua Theologiæ, cum multò infallibilior sit, quam ratio assensus euidentis naturalis, quantum in se est, non sinit nos vllo modo dubitare; vtpote cui falsum nulla ratione subesse potest: cum tamen lumen naturale,

ex suo genere, cui vtique subesse falsum potest, non ita planè vniuersim omnem omnino dubitandi facultatem auferat; quin etiam subinde in rebus & assensibus euidentibus, metaphysicam saltem dubitandi, vel contrarium suspicandi, potentiam relinquat: vti in veteribus illis Philosophis Academicis & Scepticis accidebat, qui propterea ab omni re assensum cohibebant; & illud solum se scire profitebantur, quod nihil scirent.

Tertiò, fidei & Theologiæ lumen (siue habitum & auxilia gratiæ, siue rationem obiectiuam intelligas) ex se præstat facultatem, multò altioris ordinis, non dissentiendi, videlicet supernaturalem: quam vllum lumen naturale, quantumuis euidens. Quartò ipsa etiam certitudo vtriusque habitus secundum se, hoc ipso quod supernaturalis est, perfectior & excellentior est. Quintò, fidelis quisque secundum rectam rationem ita constitutus est, & verò esse debet, vt pia voluntatis motione & affectione, paratus sit potius, omnes veritates naturales abnegare, quam vnam veritatem fidei, aut conclusionis Theologicæ, qua talem, vt optimè etiam potauit Aureolus loco cit. & satis patet exemplo Martyrum, qui pro fide vitam posuerunt; cum pro veritate naturali forte nec pilum perdere vellent. Dixi verò qua talem; quia materialiter in his sæpè contingit errare; cum videlicet necdum constat, aut constare potest, esse talem veritatem; nimirum fidei, aut Theologiæ: quod ad rem nihil facit. Supponimus enim vtrinq;, vti veritates naturales, ita & has sufficienter propositas.

Confirmatur eadem assertio, ex SS. Patribus, qui non obscurè subinde assensibus fidei, seu diuina reuelatione nixis, multo maiorem assensus firmitatem tribuunt, quam naturalibus scientijs, ex quibus S. Basilius in Psalm. 115. *Fides*, inquit, *supra rationales methodos animum ad assensum trahens.* Et Chrysostomus homil. 13. in Epist. ad Hebræos: *Fides dici non potest, nisi cum circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit.*

8 Assertio III. Theologiæ opinatiuæ & naturalis habitus, siue assensus, etiam ex duabus præmissis reuelatis, aut vna reuelata & altera euidenti, quoad certitudinem simpliciter inferior est habitibus & assensibus naturalibus euidentibus. Colligitur ex S. Thoma cit. 2 2. quæst. 4. artic. 8. & est communis Doctorum, qui talis Theologiæ mentionem faciunt, eamque agnoscunt. Et probatur ac declaratur ex dictis. Quia cum sint duo quidam formalis certitudinis modi, nimirum certitudo ex causa, siue ratione formali obiectiua, quam infallibilitatis diximus, & certitudo adhæsionis; harum tamen prior est præstantior, ex qua etiam simpliciter fieri debet denominatio, vt ex S. Thoma ibidem superius diximus. Iam verò certitudine illa ex ratione formali obiectiua, Theologiæ opinatiuæ habitus, & assensus, multò inferior est habitibus & assensibus euidentibus.

Quod ex dictis supra quæst. 3. dubit. 2. & hac quæst. dub. 1. ita probatur. Quia ratio formalis obiectiua, propter quam, Theologiæ opinatiuæ, formaliter minimè est supernaturalis; sed merè naturalis, eademque ex se admodum infirma; nimirum fides humana veritatum diuinitus reuelatarum; quæ vti patet, multum cedit rationi formali assensus naturalis euidentis: Cuius ratio obiectiua sunt, aut principia naturalia euidentia; aut ipsa perspicuitas naturalis veritatis; suppositis terminis. Cum ergo Theologia opinatiua certitudine infallibilitatis, desumpta ex ratione formali obiectiua, cedat habitibus naturalibus euidentibus; consequens est, eam simpliciter loquendo minus certam esse, quam sunt habitus naturales euidentes; quidquid sit interim de certitudine adhæsionis.

Deinde verò etiamsi de certitudine adhæsionis sigillatim loquamur, adhuc tamen fatendum est, eandem Theologiam opinatiuam cedere quoad hoc habitibus naturalibus. Non solum quia S. Thomas hîc quæst. 1. artic. 5. ita etiam de Theologia simpliciter dicta, loqui videtur, ob maiorem quandam firmitatem & immobilitatem assensus naturalis euidentis, ex ipsa euidentia ortam, vt superius dictum; sed etiam, quia in assensu Theologiæ opinatiuæ cessant illæ rationes, ob quas antea diximus, Theologiam simpliciter dictam certitudine etiam adhæsionis, antecellere naturalibus habitibus euidentibus.

Nam 1. Theologiæ opinatiuæ habitui non ita repugnat error aut dissensus contrarius, sicuti de fide & Theologia simpliciter dicta diximus. Quandoquidem cum habitu Theologiæ opinatiuæ stare etiam potest hæresis, vt dictum supra quæst. 2 dub. 2. Item 2. ratio formalis obiectiua inferior & incertior est, quam habitus naturalis euidentis, vt antea dictum. 3. Lumen quoque ipsius Theologiæ opinatiuæ, cum sit merè naturale, & quidem infirmum, non præstat ex se maiorem aut superiorem facultatem non dissentiendi, quam lumen naturalium habituum euidentium, sed multò minorem, ob suam imbecillitatem. 4. Certitudo etiam ipsius habitus opinatiui merè naturalis est. In quinto solummodo puncto videtur esse parratio Theologiæ opinatiuæ & supernaturalis. Quia ex pia motione voluntatis, non secus ac de Theologia supernaturali diximus, paratus esse debet fidelis quisque, ad abnegandas potius omnes veritates naturales, quam veritatem assensus opinatiui fidei, aut Theologiæ.

Sed reuera etiam quoad hoc, est dispar ratio 9
Theologiæ opinatiuæ, & supernaturalis. Quia pia illa animi dispositio atque etiam obligatio mentis, non prouenit ex ipso, per se, assensu opinatiuo, eiusque ratione formali obiectiua, quasi ipsi per se, & secundum se; talis animi constantia debita sit; sed tum ex ratione formali obiectiua Theologiæ supernaturalis, quæ non sinit nos vllo modo huic veritati dissentire; cuique adeo etiam, non minus, imò multò magis, quam Theologiæ opinatiuæ repugnat abnegatio eiusdem veritatis; tum ex conditione quadam materialis obiecti, seu veritatis, cui per assensum Theologiæ opinatiuæ assentimur, quæ ex hypothesi diuinitus reuelata est: quam proinde abnegare nullo modo licet: cum tamen interim ea ratio diuinæ reuelationis, per assensum Theologiæ naturalis formaliter non attingatur; nec omnino eidem habitui Theologiæ opina-

Digitized by Google

tiuæ repugnet, etiam obiecto falso, adeoque minimè reuelato assentiri.

Vnde etiam confirmatur assertio Quia ille habitus, vtroque modo certitudinis, cedit habitibus naturalibus euidentibus, cui simpliciter & absolutè potest subesse falsum: Sed habitui Theologiæ opinatiuæ, simpliciter & absolutè potest subesse falsum, vt antea dictum. Theologus enim Catholicus, si in hæresin incidat, retinet eundem habitum Theologiæ opinatiuæ, eodemque illo, ac sub eadem ratione formali, humanę scilicet fidei assentitur nunc etiam errori hæretico, per quem & antea oppositum credebat, & nunc etiam credit cæteris veritatibus fidei & Theologiæ, quas non negat. Et ratio est; quia conditio materialis obiecti non variat habitum: Cum ergo reuelatio diuina tantum sit conditio materialis obiecti, respectu Theologiæ opinatiuæ, quæ per ipsum habitum formaliter non attingitur; hinc fit, vt siue ea obiectum eiusdem habitus verè afficiat, vt in veritatibus fidei & Theologiæ supernaturalis accidit, siue non, minimè tamen ideo ratio habitus Theologiæ opinatiuæ varietur.

10 Ex quo denique euidenter apparet, verum esse, quod superius contra Vasquezium diximus, assensum siue habitum Theologiæ nostræ, ex eius quidem sententia, simpliciter esse minus certum, quam sint habitus naturales euidentes; quandoquidem ille aliam Theologiam non agnoscit, quam opinatiuam, vt vidimus.

Ex quibus etiam soluitur obiectio, qua contra præsentem assertionem, & rationem primam, pro eadem allata, probare aliquis posset, Theologiam opinatiuam certiorem esse, certitudine infallibilitatis, alijs habitibus naturalibus euidentibus, ex eo, quia eius obiecto materiali (quod est veritas fidei) ex hypothesi subesse falsum nulla ratione potest. Nam vt initio etiam huius dubitationis dictum, certitudo infallibilitatis alicuius habitus, non sumitur, nec potest sumi ex materiali obiecto, sed formali Quo, seu ratione formali obiectiua. Alioqui si ex materiali obiecto sumeretur, fieri posset, vt idem habitus, respectu diuersorum, actuum circa materialia obiecta diuersa, partim esset certissimus certitudine infallibilitatis, partim incertissimus. Quia ergo per accidens est Theologiæ opinatiuæ, aut certè vtrumque perinde, siue pro obiecto habere veritatem fidei, aut errorem hæreticum, non potest ipsa certitudine infallibilitatis dici superior habitibus naturalibus euidentibus.

Quæ ipsissima etiam causa est, cur certitudo illa actus reflexi, quam Theologiæ huic Vasquez tribuit, reuera propriè ac reipsa nulla sit certitudo; cum possit promiscuè Theologiæ eidem opinatiuæ, tam circa veritates fidei, quam circa errores fidei oppositos conuenire; quandoquidem vtrinque iudicat assentiens, se in eo, quod cogitat, falli non posse; cum tamen vti per accidens in illis non fallitur, ita in his reipsa turpissimè fallatur, & quidem per eundem habitum Theologiæ opinatiuæ, vt dictum. Vniuersim igitur loquendo, sicut ex pia motione voluntatis, non adhærendum firmius est omni obiecto, aut etiam veritati Theologiæ opinatiuæ (vt si nimirum, aut obiectum illud complexum falsum sit, aut nullo modo diuinitus reuelatum) ita etiam verum non est; vniuersim obiecto eius, seu formali, seu materiali falsum subesse non posse; etsi alicui quidem obiecto eius materiali complexo, per accidens subesse falsum non possit; quia est diuinitus reuelatum, adeoque simul etiam obiectum fidei, aut Theologiæ supernaturalis; quod, vt dixi, Theologiæ opinatiuæ per accidens est.

DVBIVM V.

Vtrum Theologia simpliciter præstet dignitate omnibus alijs scientijs & disciplinis.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 5.

NOn instituitur comparatio Theologiæ cum fide, aut virtutibus, seu donis supernaturalibus, 1
in intellectu positis. Constat enim satis, Theologiam his omnibus esse inferiorem. Fide quidem. Tum quia hæc immediatè nititur reuelatione diuina; Theologia verò solum mediatè. Tum quia fides ob eandem causam, habet se veluti habitus principiorum respectu Theologiæ: Est autem habitus principiorum præstantior, habitu conclusionum, quæ inde deducuntur. Alijs vero habitibus supernaturalibus in intellectu positis, vt est donum sapientiæ, donum intellectus, donum scientiæ, donum consilij, item virtus infusa prudentiæ, dignitate cedere Theologiam, ex eo videtur probari; tum quia prudentia infusa, & quatuor illa dona Spiritus sancti, veluti indiuidui comites charitatis, propria sunt munera & ornamenta filiorum Dei, ob eamque etiam causam, ipsam quoque fidem supernaturalem, ex ea parte superant; vt suo loco in 1. 2. docetur cum S. Thoma quæst. 65. artic. 2. & quæst. 68. artic. 5. esto alioquin simpliciter cedant virtutibus quibusuis Theologicis, iuxta S. Thomam ibidem artic. 8. Tum quia habitus illi supernaturales & infusi magis immediatè & intrinsecè conferunt ad supernaturalem beatitudinem hominis. Tum quia immediatius etiam nituntur lumine vel ratione supernaturali Spiritus sancti, vt suo loco docetur.

Neque etiam de arte, vel prudentia acquisita sermo est: quia & illâ constat, Theologiam omnibus modis superiorem esse; tum ratione obiecti & certitudinis; tum ratione finis. Quod pariter etiam de prudentia, vt est virtus acquisita, dici potest: Præterquam quod ratione formali obiectiua Theologia vtrisque longè excellit, vt à potiore ex sequentibus patebit. De alijs ergo solum habitibus & disciplinis naturalibus siue acquisitis est quæstio, quales sunt intellectus, siue habitus principiorum naturalium, sapientia, siue Metaphysica, & scientia, cum omnibus suis speciebus, in quibus sunt præcipuæ, quæ sub Philosophiæ nomine comprehenduntur, vt sunt præter Metaphysicam, quam sapientiæ nomine in-

signiuit Aristoteles, Mathematica, Ethica, Physica, &c. His addere possumus etiam Iurius vtriusque tam Canonici, quam ciuilis prudentiam, quibus omnibus Theologiam nostram, non opinatiuam illam, quæ solummodo secundum quid talis est, sed eam, quæ simpliciter talis est & dicitur, conferemus, iuxta dicta superius q. 2. dub. 2. & hac quæst. dub. præced.

2 Assertio I. Theologia simpliciter dignior est omnibus habitibus naturalibus euidentibus, adeoque & scientijs Philosophicis quibuscunque, siue speculatiuis, siue practicis. Hæc est expressa doctrina S. Thomæ hîc quæst. 1. art. 5. vbi ex instituto docet, hanc scientiam omnes alias transcendere, tam speculatiuas, quam practicas. Eademque est consentiens doctrina omnium Doctorum & Scholasticorum: quæ optimè etiam probatur discursu S. Thomæ; quem ita explicamus. Scientiarum enim dignitas, vniuersim ex tribus capitibus desumitur. Primo ex præstantia obiecti Quod, tam incomplexi, quod est subiectum attributionis, vna cum sua ratione formali Quæ; quam complexi, quam S. Thomas hic vocat materiam: Secundo ex ratione formali obiectiua Qua, adeoque etiam certitudine; Tertio ex fine. Etenim quod ad subiectum attinet & materiam, est hæc certa & aperta Philosophorum omnium doctrina, dignitatem scientiarum ab eius nobilitate plurimum dependere. Ita enim docet Arist. lib. 6 Metaphysicorum cap. 1. text. 2. vbi de Metaphysica, quam Theologiam vocat, loquens ait: *Manifestum est enim, quod si cubi diuinum existit, in tali natura existit, & honorabilissimam* (scientiarum) *oportet circa honorabilissimum genus* (subiectum incomplexum ipse intelligit) *esse. Speculatiuæ itaq; alijs scientijs præponendæ sunt; hæc verò* (Metaphysica) *speculatiuis.*

Et lib. 11. Metaph. cap. 6. in eundem sensum dicit: *Patet igitur tria genera speculatiuarum esse scientiarum, Naturalem, Mathematicam, Theologiam, optimum quidem speculatiuarum scientiarum genus; harum verò ipsarum ea, quæ vltimo dicta est. Circa namq; honorabilissimum entium est; vnaquæq; verò melior aut deterior dicitur secundum proprium scibile.* Quo vtroque loco aperte Philosophus docet, Metaphysicam cæteris disciplinis naturalibus dignitate antecellere, quod nobilissimum obiectum, siue subiectum consideret: & cuiusque disciplinæ siue scientiæ dignitas potissimum, imò absolutè ex obiecti dignitate æstimanda sit.

In eandem sententiam etiam lib. 1. de partibus animalium cap. 5. cum dixisset, vtrumque rerum studium, tam substantiarum, quæ ingenitæ & immortales sunt, quam quæ ortus & interitus participes, nos delectare, subiungit: Res namq; illas superiores, tametsi leuiter attingere possimus, tamen ob eius cognoscendi generis (siue obiecti) excellentiam, amplius oblectamur, quam cum hæc iuncta nobis omnia tenemus.

3 Similiter verò quod ad certitudinem, adeoque rationem formalem obiectiuam attinet, expresse etiam docet Aristoteles, ab ea pendere aliquo modo dignitatem scientiæ. Sic enim loquitur lib. 1. de anima, cap. 1. text. 1. *Bonorum & honorabilium notitiam optimantes; magis autem alteram altera, aut secundum certitudinem; aut ex eo, quod & meliorum & mirabiliorum est.* Hoc est: cognitionem rem quidem bonam & honorabilem censemus: vnam tamen magis, quam alteram; siue quia certior est: siue quod de obiecto meliori & mirabiliori.

Tertiò ad finem quod attinet, docet idem Aristoteles, eam esse præstantiorem, quæ sui ipsius causa, & propter ipsum scire, quam quæ alterius rei causa, nõnisi propter opus expetitur; qua de causa scientias speculatiuas præfert practicis; & in practicis illas, quæ versantur circa finem altiorem. In hunc sensum scribit Arist. lib. 1. Metaph. cap. 2. *Scientiarum quoq; illam, quæ gratia suiipsius, & propter ipsum scire, quam illam, quæ aliorum gratia eligenda fit, magis sapientiam* (adeoque præstantiorem) *esse. Et principaliorem, quam ei subministrantem, potius sapientiam esse; non enim vt sapienti præcipiatur, sed vt ille præcipiat: Nec vtile ab altero; sed vt ab eo minus sapienti suadeatur decet.* Similia de præstantia scientiæ speculatiuæ habet 6. Ethic. cap. vlt. & 10. Ethic. cap 7. & cit. lib. 11. Metaphys. cap. 6.

Ex his iam facile ad institutum conficitur argumentatio. Illa enim scientia, quæ ex omnibus & singulis illis capitibus, ex quibus dignitas scientiarum dependet, nimirum ratione subiecti & materiæ, ratione formalis obiecti Quo, & certitudinis; denique etiam ratione finis, cæteris scientijs & habitibus naturalibus dignitate antecellit, vtique simpliciter & absolutè ijsdem præstantior est: Theologia est talis: Ergo, &c. Maior patet ex dictis, & ab omnibus est recepta. Minor ita sigillatim ostenditur.

Primò enim subiectum attributionis Theologiæ est Deus vt Deus; adeoque non solum vt author rerum naturalium, sed etiam supernaturalium; qua ratione Theologia aperte superat non solum Physicam, Mathematicam, Ethicam (vt de Logica nihil dicam) sed etiam Metaphysicam: quæ tametsi Deum habeat aliquo modo pro subiecto, non tamen pro subiecto adæquato: nec vero etiam Deum, vt Deus est vniuersim, sed solum vt author est naturæ & rerum naturalium. Qua ratione superat etiam Theologia eandem Metaphysicam, omnesque scientias & habitus naturales ex parte obiecti complexi; siue vt loquitur S. Thomas hîc cit. artic. 5. secundum dignitatem materiæ; Quia ista scientia, inquit S Thomas, *est principaliter de ijs, quæ sua altitudine rationem transcendunt. Aliæ verò scientiæ, considerant ea tantum, quæ rationi subduntur.*

Secundo superat Theologia alias scientias naturales ratione formalis obiecti Quo, siue quoad rationem formalem obiectiuam. Illa enim nititur lumine supernaturali diuinæ reuelationis, adeoque principijs reuelatis, vt creditis diuina & supernaturali fide, vt dictum quæst. 3. dub. 2. hæ verò solum nituntur lumine naturali rationis humanæ. Qua de causa etiam certitudine plurimum Theologia cæteris scientijs præstat, vt ex instituto probauimus dub. præcedent.

Tertiò excellit Theologia cæteris scientijs naturalibus ratione finis. Primo enim ipsa à toto genere, & simpliciter loquendo, speculatiua est, non practica, vt dictum hac quæst. dub. 3. quo fit, vt ex hac etiam parte, præstet scientijs practicis, vt est Ethica, Logica: deinde quatenus secundum quasdam- 4

Digitized by Google

conclusiones etiam practica est, iuxta dictum eodem dub. 3. superat rursus omnes scientias practicas, quarum præstantia potissimum ex fine desumitur: quia versatur circa finem minimè subiectum finibus aliarum scientiarum; sed circa finem vltimum supremæ beatitudinis, cui omnes omnium scientiarum fines subseruire debent. Ipsa enim considerat actiones humanas, non in ordine ad finem aliquem temporalem huius vitæ, puta honestatem politicam & ciuilem, qualis in humano conuictu ad bonum reipublicæ requiritur, sed in ordine ad veram & supernaturalem sanctitatem coram Deo comparandam, ac demum etiam æternæ fælicitatis præmium consequendum, non secus quam fides ipsa, qua, vt sæpius dictum, pro habitu principiorum vtitur.

Ex quibus omnibus conficitur, Theologiam simpliciter & absolutè omnibus cæteris scientijs naturalibus antecellere: quod his verbis hic q. 1. cit. a. 5. asserit etiam S. Thomas, *vnde manifestum est*, inquit, *secundum omnem modum, hanc scientiam, omnibus alijs digniorem esse*; alijs intellige, siue vt speculativa, siue vt practica est; iuxta ea, quæ S. Thomas antea ibidem prælocutus fuerat: Non secundum omnem conditionem, aut perfectionem scientiæ: quia quædam perfectio scientiæ est etiam euidentia; qua tamen conditione superatur Theologia ab omnibus alijs scientijs naturalibus, vt dictum dub. præcedenti, & supra quæst. 2. dub. 3.

Præclare etiam de hac re Gerson part. 3. lib. de Consol. Theolog. lib. 1. prosa 2. in persona volucris: *Noli mirari*, inquit, *si Theologia Philosophiæ præficitur; quoniam sicut naturam gratia, sicut ancillam domina, & discipulam Magistra; sicut tempus æternitas, sicut ratiocinationem intelligentia; sicut visibilia ea quæ non videntur; sic Theologia Philosophiam exuperat, quam non abijcit, sed in obsequium sumit.*

5 Obijcies; Theologia, quoad euidentiam cedit omnibus alijs scientijs: Ergo non est simpliciter ijs dignior & excellentior. Respondetur negando consequentiam. Quia dignitas scientiarum, simpliciter & absolutè minimè sumitur ab euidentia, sed à subiecto & obiecto, vt explicatum. Alioqui Mathematica superaret non solum Physicam & Ethicam, sed etiam ipsam Metaphysicam; quod tamen est expresè contra Aristotelem locis cit. & contra receptam omnium Philosophorum sententiam. Quæ etiam causa est, cur Aristoteles in comparatione scientiarum, quoad dignitatem, non fecerit mentionem euidentiæ. Et rationem iam antea ex Aristotele assignauimus, quia melius & optabilius est, de rebus maximis habere etiam cognitionem minus certam vel euidentem, quam de rebus vilibus summam euidentiam. Alia etiam ratio est, quia scientiæ specificantur & distinguuntur à subiecto & obiecto; non autem penes euidentiam, quæ proinde minus principalis est in scientijs, quam ratio subiecti & obiecti.

Quare autem ratio hæc euidentiæ (sicuti ferè etiam certitudinis) non sequatur conditionem & dignitatem subiecti, siue obiecti naturalis, optimam rationem assignat Aristoteles citato loc. de partibus animalium: quia ea sunt nobis magis perspecta, quæ magis nobis sunt coniuncta, ac sensibus (à quibus omnis cognitio huius vitæ dependet) magis obuia: talia vero sunt hæc inferiora terrena & caduca, non autem sublimiora cælestia & diuina, quæ quo magis sunt à nobis, ac sensibus nostris remota, eo sunt scitu digniora; sed & difficiliora. Qua de causa etiam Aristoteles intellectum nostrum ad illa diuina (quæ manifestissima omnium vocat) relatum comparat vespertilionis oculis, qui clarum diei lumen non nisi nictando possunt aspicere lib. 2. Metaph. cap. 1. text. 1. Ex quibus omnibus satis comprobatur, quod in assertione dictum, Theologiam dignitate præstare simpliciter omnibus scientijs & habitibus naturalibus euidentibus; nec ipsum quidem intellectum, seu habitum primorum principiorum excipiendo; ob easdem rationes superius explicat: Præsertim, quando is, ad ipsas etiam scientias singulas, in sua vniuscuiusque materia; ac præcipuè ad ipsam Metaphysicam, cuius est aliquo modo principia etiam ipsa tueri, reuocatur, vt dictum supra quæst. 2. dub. 5.

Assertio II. Theologia simpliciter & absolute antecedit dignitate etiam vtriusque iuris scientiam. Ita S Thomas cit. q 5. a. 5. vbi simpliciter asserit, hanc scientiam digniorem esse alijs. Nec est vlla de hac re apud cæteros doctores controuersia Probatur. Nam quod primum ad iuris ciuilis peritiam attinet, cum & ipsa sit habitus merè naturalis & humanus, est ferè par eius ratio in proposito, cum alijs scientijs naturalibus: quia & ipsa obiecto materiali, formali, certitudine, & fine inferior est Theologia. Obiectum enim eius materiale vniuersim sunt leges ciuiles seu politicæ, quibus comprehenduntur virorum prudentum responsa, plebis scita, senatus consulta, constitutiones siue decreta principum, Regum, Imperatorum, vt constat lege 2. ff. de origine Iuris, & leg. 1. ff. de legibus senatusque consultis. Has leges explicat & confirmat Iurisprudentia: simul etiam, quid ex ijs consequens sit, ostendit. Quod si leges principum, quædam etiam de fide constituunt, id tamen solum materiale obiectum est, nec ad Iurisprudentiam pertinet, nisi quatenus lege principum proponitur. 6

Obiectum formale quo Iurisprudentiæ est sola ratio humana & naturalis, quâ omnes leges politicæ nituntur. Certitudo veritatis, hoc vel illud, quod lege decernitur, esse rationi consonũ & reipublicæ expediens, in legibus positiuis, non maior est, quã moralis, in pleriſque nulla, sed sola probabilitas, si materia legis secundum se spectetur; nonnunquam pro ratione est sola voluntas legislatoris: cum tamen ex æquo interim omnes bonæ leges ciuiles, ad ciuilem Iurisprudentiam pertineant. Qua ratione etiam iurisprudentia, cæteris scientijs inferior est, præsertim, ac speciali ratione Ethicâ, à qua sumit principia, & cui proinde aliquo modo subalternatur. Etsi reuera, cum Iurisprudentia, euidentiam principiorum suorum nec requirat, nec in plerisque legibus habeat, vel admittat, propriè nec scientia quidem est: sed ars siue disciplina legum ciuilium.

Finis per se ac proprius Iurisprudentiæ, est sola tranquillitas temporalis Reipublicæ: *qua ratione*, inquit S. Thomas hic cit. art. 5. *præstat quidem scientia ciuilis militari, quia bonum exercitus ad bonum ciuitatis ordinatur*; sed Theologiæ minimè, vt circa præcedentem assertionem dictum.

Quibus rationibus probatur etiam, Iurisprudentiam

Digitized by Google

tiam Theologiâ inferiorem esse, non solum illam quę quasi Theorica est, & circa legum uniuersalium cognitionem versatur, ac in scholis doceri ac discì solet; sed etiam quæ magis practica est, & iuxta varietatem circumstantiarum, constitutionem atque vsum vniuersalium legum moderatur, easq; ad præsentes circumstantias ac casus particulares vsumque Reipublicæ accommodare nouit, pertinens ad habitum prudentiæ; siue Architectonicæ, vt loquitur Aristoteles 6. Eth. cap 8 siue ministerialis; quarum illa Principi; hæc subditis eius in Reipubl. bono promouendo conuenit.

7 Quod verò ad Iuris Canonici peritiam attinet, maior quidem de hac esse potest dubitandi ratio. Hæc enim, vti & ipsum Regimen Ecclesiasticum, ad bonum spirituale ipsius Ecclesiæ per se ordinatur. Hæc summorum Pontificum & uniuersalium etiam Conciliorum infallibilia decreta; hęc sanctorum Patrum sententias, ac sacras Ecclesiæ traditiones complectitur. Hæc adeo, quoad materiam, pleraq; tractat ex ijs, quæ etiam à Theologo tractantur: puta synceram fidei doctrinam & confessionem; Sacramentorum ritè administrandorum ac suscipiendorum rationem; Ecclesiæ ac Ecclesiasticarum legum authoritatem. Ex quibus fortasse quispiam colliget, Canonum scientiam Theologiâ, si non superiorem, certè tamen non inferiorem esse; cum & materiæ, siue obiecti præstantia & certitudine, & dignitate finis, Theologiæ nihil videatur cedere.

Sed nihilominus etiam hac ex parte firma est assertio, quam superius ex communi Doctorum sententia, vt dictum, proposuimus. Quæ facile etiam probatur, si Theologiam cum Iurisprudentia, quoad singula memorata capita, materiam scilicet, siue obiectum materiale; rationem formalem obiectiuam, adeoque certitudinem, & finem accuratè conferimus. Primo enim, Iuris Canonici materia siue obiectum materiale, non est solum & omne id, quod de Deo rebusq; sacris ac diuinis, per diuinam reuelationem, ex scriptura aut aliunde sciri potest: sed solum quod de rebus hisce sciri potest per canones Ecclesiasticos, qui sunt propria & adæquata materia & obiectum Iuris Canonici; quod in ijs explicandis & elucidandis, ac simul etiam declarandis iis, quæ ex ipsis consequuntur, totũ versatur: cum tamen Theologia sacra, & Canones ipsos, si quando infallibile doctrinæ sacrę argumentum præbeant, comprehendat; & præterea alia quã plurima canonibus non expressa, ex scriptura diuina, alijsq; fidei regulis de Deo, rebusq; diuinis doceat. Quod si Iuris Canonici doctori aliquid præter Canones, ex scriptura, vel sanctis Patribus, aut traditione siue usu Ecclesiæ, de Deo, rebusq; sacris & diuinis disserendum occurrat; id vel prætermittet ipse, vel à Theologia mutuabitur. Talia ferè sunt omnia illa, quæ de altissimo SS. Trinitatis mysterio, de arcana Verbi Incarnatione, de Sacramentorum virtute & efficacia, de Angelorum natura & ministerijs; de lapsu & reparatione humani generis, ac eius iustificatione, de æterna hominis beatitudine, ac supremo fine, de virtutum singularum proprijs officijs, de peccatorum & vitiorum turpitudine, de gratiæ diuinæ necessitate & efficacitate, de meritis bonorum operum disputantur.

8 Deinde quod ad obiectum formale Quo, & quæ ex eo potissimum desumitur, certitudinem, attinet, manifestè quoq; Theologia Canonici Iuris scientiam præcellit. Nam Theologia solum & unicè nititur reuelatione diuina, seu reuelatis principijs, & ijs quidẽ potissimum, quatenus in ipsa scriptura sacra continẽtur, vt declarabitur quæstione sequenti: at verò Iuris Canonici scientia maxima ex parte, diuina reuelatione, seu reuelatis principijs, nullo modo nititur; sed sæpè, vel particularibus decretis sanctorum Patrum, vel Conciliorum particularium statutis, vel priuatis etiam summorũ pontificum iudicijs ac sententijs; quæ nec diuinam reuelationem continent, aut proponũt, nec infallibilem auctoritatẽ annexam habent; cũ tamen ea per se quoq; ac intrinsece ad Iuris Canonici scientiam pertineãt; non extrinsecè tantum; prout Theologia nonnunquã etiam de Deo, rebusq; diuinis probabiliter solum disputata admittit.

Præterea, tametsi Iuris Canonici scientia, quædam principia etiam reuelata contineat; vt sunt definitiones Conciliorum generalium & summorũ Pontificum, in rebus ad fidem spectantibus; tamen & ea ipsa dignitate cedũt scripturæ sacræ, cuius vtriq; maior est authoritas, quam Ecclesiæ; siue hæc in concilijs vniuersalibus, siue in suo capite Romano Pontifice repræsentetur, vt suo loco in 2. 2, materia de fide ex communi docetur. Cuius rei etiam hæc aperta ratio est; quia authoritas scripturæ sacræ secundum se non nititur Ecclesia, at verò definitiones Ecclesiæ, earũq; adeo certitudo & infallibilitas, pendet aliquo modo à scriptura sacra; ex qua potissimum reuelata principia petenda sunt. Et quamuis vtraque tam Ecclesiæ, quam scripturę sacræ authoritas suo modo infallibilis sit; excellentior tamen infallibilitatis mod⁹, in ipsa scriptura cernitur; quæ nec minimo errori obnoxia est; & propius diuinam reuelationem primãq; veritatem attingit, quam Ecclesia; hæc enim solummodo habet se per modum proponentis, & regulæ extrinsecæ notificantis diuinam reuelationẽ: Scriptura verò sacra intrinsecè ad diuinam reuelationem veluti instrumentum, quo interna veritas Dei nobis reuelatur, pertinet; vt etiam in 2. 2 fusius declaratur.

Quod si res accuratius ad calculos reuocetur, fatendum erit, Iuris Canonici scientiam nullam penitus infallibilem, & supernaturalem assensum habere, nisi qui sit aut ipsius fidei, aut Theologię; dum scilicet definitioni Canonis infallibili, in re aliqua fidei, Canonum peritus, simpliciter, tanquam regulæ fidei & principio reuelato adhęret; aut ex eiusmodi infallibili Canonis veritate & assensu, addito aliquo alio principio reuelato, aut saltem præmissa altera euidente, per bonam consequentiam, aliud colligit; quorum prius ad fidem pertinet; posterius ad Theologiam, vt colligitur ex his, quæ superius q. 2. dub. 1. & 2. & q. 4. dub. 2. docuimus.

Qua de causa etiam recte docuit Canus lib. 8. loc. Theolog. cap. 7. *in his quæ ad fidem pertinent, Iuris consultorum authoritate Theologum non egere; quin potius eorum titulorum expositionem, qui de fide decernunt, legis peritum à Theologo mutuari debere:* eiusque rei rationem addit: *Siue enim Pontifices*, inquit, *seu concilia, quæ in volumine Iuris cogiuntur, quicquam definiant, quod ad fidem spectare videatur, id certe non ex sensu suo, sed ex sacris literis, atque Christi & Apostolorum traditionibus colligant necesse est. Cum ergo principia, vnde*

Pontifices

Pontifices & concilia ad quæstionem fidei decernendam proficiscuntur, propria sint Theologicæ facultatis, cuius est cognoscere, quæ à Deo sint reuelata, quæq; his sint vel consequentia, vel repugnantia, planè conficitur, in eiusmodi rebus, canonum sacrorum intelligentiam non à Iurisperitis, sed à Theologis esse petendam. Quod idem author pari ferè ratione affirmat etiam de his, quæ ad mores pertinent, quatenus vel lex Euangelica, vel ratio philosophiæ Ethicæ, ipsumque adeò naturale lumen rationis, de huiusmodi præscribit.

Quæ ex re, pergit idem author, *facilis coniectura est, Iurisperitos quosdam in summo errore, & magna veritatis ignoratione versari, cum asserunt, in materia vsurarum simoniæ, & alijs eiusmodi, in quibus de peccato mortali agitur, ad Iurisperitos potius, quam ad Theologos recurrendum; quo in errore fuerunt Ancharanus in disputatione, cuius institutum est, Antiquis & modernis temporibus, & Ioannes de Anania in cap. In ciuitate, de vsuris, & Alexander in concilio primo, & Alvarus Pelagius lib. 2. art. 20. & Hostiensis in cap. penultimum, de ætate & qualitate ordinandorum, &c. cum tamen ea, & his similia potissimum ex scriptura sacra, & naturalis rationis lumine definienda sint:* quorum illa vtique ad solum Theologum propriè; hoc directe quidem ad philosophum moralem; sed ex consequenti, ac jure quodammodo seruitij etiam ad Theologum, magis certè, quam ad Iurisperitum pertinet.

Interim negandum non est, in tertio quodam rerum genere, vti rectè tradit idem author, vbi scilicet de moribus Ecclesiæ, & religionis institutis per leges tantum pontificias decernitur, seu vbi pœnæ Iuris præfiniuntur, Iurisperitorum authoritatem & doctrinam non parui esse momenti. Sicuti nec leges ciuiles, eorumq; interpretes negligendi à Theologo sunt, vbi particulatim de Iure & Iustitia; de dominio & præscriptione; de successione & testamentis; de publicis actionibus & Iudicijs; de pactis & contractib⁹; de restitutione & vindicatione, alijsque similibus rebus agitur, ut rectè notauit idem Canus lib. 10. loc. Theolog. cap. 9. Ex quibus satis patet, quod diximus, Theologiam tam quoad materiam, quam certitudinem, rationemuè obiectiuam Canonici Iuris scientiæ præstare.

Sed & ratione finis superiorem esse Theologiam, ita facile ostenditur. Tametsi enim quidem negari non possit, etiam Canonum scientiam, non secus ac Canones ipsos, ad spirituale bonum Ecclesiæ, æternamque hominum salutem ordinari; Theologia tamen hunc ipsum finem multò perfectius attingit, duabus de causis. Prima est, Quia Canones Ecclesiastici, cum sint quædam leges humanæ, directe, ac per se actus ac dispositiones merè internas animi, in quibus tamen potissimum ad salutem momenti est, præcipere non possunt; vt suo loco de legibus docetur: cum tamen Theologia de internis maximè virtutibus, vera nimirum in Deum fide, & charitate, vel maximè instruat; diuinaque de ijs præcepta exacte explicet & inculcet. Altera causa ex priori oritur; quia Ecclesiæ leges & decreta per se directe ac immediatè spectant externam Ecclesiæ politiam, & fidelium inter se conuictum; leges diuinæ, quas Theologi ex scriptura sacra imprimis, alijsque fidei regulis proponunt & explicant, internam mentis & conscientiæ puritatem potissimum respiciunt. Theologia igitur tanto perfectius mentes hominum ad æternam beatitudinem consequendam disponit & ordinat: quanto interni virtutum actus, & conscientiæ illibatæ puritas, plus ad salutem momenti adferunt, quam actus externi, & conuersatio inter homines inculpata.

Consentit his, quæ diximus, Aureolus q. 1. prolog. art. 3. vbi ait: *Scientia Legalis aut Canonica, in positiuis quidem, non est propriè scientia; sed memoratiua retentio legum, & statutorum. In his verò Iuribus, quæ tenent ex æquitate, & ex natura rei, ibi habent Iuristæ scientiam, qualem natura rei patitur; quia & sic continetur sub morali. In Moralibus autem sufficit rationabilitas, nec exigitur Mathematica necessitas, vt patet ex Aristotele 1. Eth. cap. 7.*

Ex quibus omnibus conficitur, Theologiam non solum omnibus scientijs naturalibus, ipsaque adeò etiam vtriusque Iuris peritia digniorem esse, sed & cum supremam cognitionis humanæ regulam contineat, atque ad supremum hominis finem perfectissimè ordinet, de his omnibus ex officio iudicare; easque sicubi à suprema illa regula diuinè reuelationis, ac salute æterna deuient, corrigere, & emendare: vti reipsa multę leges ciuiles à sacris Canonibus correctæ sunt. Sed & Canones quidam particularium conciliorum, vel etiam Doctorum, ad Theologiæ trutinam, & infallibilem regulam verbi diuini rectè examinantur: vti in specie videre est apud Ioannem Azorium tom. 1. Instit. lib 5. cap. 20. & 21.

Quod si Ecclesiæ, conciliorum, vel summi Pontificis, adeoque canonum sacrorum authoritas vniuersim (vti fit à Sectatijs hoc tempore) negetur atq; reijciatur: certè qui eam tueri possint, alij non sunt, quam Theologi; ita vt vbi Canonista, suo munere iam perfunctus, desinit, recitandis videlicet, & explicandis Canonibus; hìc Theologia, eo casu, tanquam scientia superior, quasi sursùm ascendendo incipiat; cuius est, ipsa etiam Iuris Canonici prima principia (Canones dico, & Ecclesiæ decreta) contra impugnatores hæreticos tueri. Plura de dignitate sacræ Theologiæ peti possunt ex ijs, quæ supra q. 2. dub. 5. docuimus, vbi probauimus, eam esse sapientiam.

Aduersus hæc, quæ in vtraque assertione, pro tuenda sacræ Theologiæ dignitate, diximus, obijcitur; Theologiam sacram sæpè etiam ope & subsidio, tum scientiarum naturalium; tum imprimis etiam vtriusque Iuris scientiæ vti ac indigere, ad suum munus rectè exequendum, vt nos ipsi etiam paulo antea fassi sumus; vnde colligi videtur, eam non superiorem dictis scientijs, sed inferiorem esse. Respondetur cum S. Thoma hìc q. 5. art 3. ad 2. negando consequentiam: quia necessitas rei alicuius, aut scientiæ, non eo ipso reddit eam alijs, quibus necessaria est, digniorem: alias Logica dignior esset omnibus scientijs, quandò eius opera & ministerio omnes indigent. Instrumenta quoque artium omnium ipsis artibus & artificibus essent præstantiora; cum sine illis isti efficere nihil possint: grammatica item præstaret omnibus scientijs, quando sine litterarum cognitione comparari nulla scientia potest. Vtitur ergo quidem Theologia subinde etiam aliarum scientiarum, ac ipsius Iurisprudentiæ ope; sed velut ministrantium, non præcipientium; vti superius etiam q. 1. dub. 2. ex Clemente Alexandrino retulimus.

Verba

Verba S. Thomæ ad propositum sunt ista: *Hæc Scientia non accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediate à Deo per reuelationem. Et ideo non accipit ab alijs scientijs tanquam à superioribus, sed utitur eis, tanquam inferioribus & ancillis: sicuti architectonica vtuntur subministrantibus, vt ciuilis militari. Et hoc ipsum, quod sic vtitur eis, non est propter defectum & insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri: qui ex his, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur.* Ita S. Thomas. Atq; hæc de attributis Theologiæ satis.

QVÆSTIO V.

De principijs siue locis Theologicis.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 8, 9. & 10.

ABsoluitur hæc quæstio quinque dubijs. I. Quot & quinam sint vniuersim loci ac sedes principiorum Theologicorum. II. Quotuplex sit Scripturæ sensus, & quam ad argumentandum efficax. III. An etiam conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut una reuelata, & altera naturaliter euidente, possit esse principium Theologicæ argumentationis. IV. An etiam sequatur conclusio necessaria, seu certa de fide, si in discursu Theologico præmissa naturalis sit vel de inesse tantum, vel moraliter certa. V. An & qua ratione argumenta contra fidem possint solui.

DVBIVM I.

Quot, & quinam sint vniuersim loci ac sedes principiorum Theologicorum, & quænam singulorum ratio.

S. Thom. 1. p. q. 1. art. 8.

CVm Theologia sit habitus argumentatiuus, ut dictum q. 2. dub. 1. habet utiq; suos etiam quosdam argumentorum ac principiorum locos ac sedes, ex quibus argumenta depromit. Numerus autem locorum Theologicorum variè à varijs constituitur, non tam rerum ipsarum, quam verborum discrimine, vt inferius dicemus.

1 Sunt enim primò nonnulli ex Theologis, qui vnum tantum locum Theologicum videntur assignare, nimirum scripturam sacram. Ita loquitur Scotus q. 3. prolog. ad quæstiunc. 3. vbi ait: *Theologia nostra non est actualiter omnium scibilium, pro statu isto: quia sicut Theologia beatorum habet terminum, ita & nostra ex voluntate Dei reuelantis. Terminus autem præfixus à voluntate diuina, quantum ad reuelationem generalem, est eorum, quæ sunt in sacra scriptura. Quia ficus habetur in Apocal. vltimo, Qui apposuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas, quæ apponuntur in libro isto. Igitur Theologia nostra de facto non est nisi de his, quæ continentur in scriptura, & de his quæ possunt elici ex ipsis.* Similia habet Henricus Gandauēsis in summa art. 8. q 6. vbi ait: *Tota ista scientia conflata ex veteri testamento & nouo, isto modo imperfectionis, nullā omnino habet imperfectionem, sed est tota perfecta.* Et inferiùs: *Et sic,* inquit, *ex Euangelio Christi formaliter habetur omnis veritas, quam pollicitus erat per spiritum sanctum Apostolos docturū.* Similia habet Gerson tract de exam. doctrinarum part. 2. considerat. 1. Vbi ex authoritate Beati Dionysij refert, *nihil audendum dicere de diuinis, nisi quæ nobis à scriptura sancta tradita sunt.* Et addit: *Quoniam scriptura nobis tradita est, tanquam regula sufficiens & infallibilis, pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum, usq; in finem seculi.* Sed & ipse etiam S. Thomas, mox referendus, vnum tantum proprium & necessarium Theologiæ locum refert scripturam sacram; sub qua tamen etiam traditiones, & Ecclesiæ, summique Pontificis authoritatem comprehendit; utpote quas generatim ipsa etiam scriptura commendat, vt inferius assert. 4. dicetur.

Secundò Bellarminus Cardinalis, tom. 4 controversia 1. lib. 1. & 4. vt & alij Controuersiarum Tractatores sæpe, omnes veritates fidei, adeoque principia Theologica ad duos generales locos reuocant, nimirum verbum Dei scriptum, & non scriptum; siue ad scripturam sacram, & traditiones; late hoc nomine accepto, pro omni fidei veritate, in scripturis speciatim non tradita.

Tertiò S. Thomas hic q. 1. art 8. ad 2. obiter & velut aliud agens, Theologicæ argumentationis latissimæ acceptæ, quatuor locos commemorat; videlicet primò authoritatem sacræ scripturæ; secundò authoritatem SS. Patrum; tertiò authoritatem Philosophorum, aliorumq; scriptorum prophanorum; quartò rationem naturalem: ex quibus primum locum dicit esse, ex proprijs & necessarijs; secundum ex proprijs quidem, sed probabilibus: quod intellige, si singuli, aut aliqui Patres seorsim aliquid tradant; & non omnes simul, in aliquo religionis dogmate consentiant: tertium ex probabilibus, sed extraneis; quod omnes fatentur: Quarto loco nullum ipse quidem peculiarem assignat titulum; Caietanus tamen ibidem interpretatur, itidem esse ex probabilibus & extraneis; sed non rectè. Nam S. Thomas potissimum respexit ad rationes necessarias & euidentes; vt proinde ex eius mente præcipuè sit necessariorum quidem, sed extraneorum.

Quartò Gregorius de Valentia hic q. 1. punc. 5 1. §. omissis locis extraneis & probabilibus, septem

locos

locos argumentorum verè Theologicorum numerat. 1. Authoritatem scripturæ sacræ. 2. Traditionum Apostolicarum. 3. Summorum Pontificum definientium, quæ sit doctrina fidei. 4. Conciliorum 5. Authoritatem consentientem Doctorum Ecclesiasticorum. 6. Communem fidelium consensum in re aliqua, ad religionem pertinente. 7. Veritatem naturalem euidentem, iunctam veritati fidei.

2 Quintò Melchior Canus, qui de Locis Theologicis peculiare opus edidit, lib. 1. cap. 3. Theologicæ argumentationis, uniuersim itidem acceptæ, decem locos ordine commemorat; nimirum 1. Authoritatem sacræ scripturæ. 2. Authoritatem traditionum Christi & Apostolorum. 3. Authoritatem Ecclesiæ Catholicæ, seu communis sensus fidelium. 4. Authoritatem Conciliorum, præsertim generalium, in quibus Ecclesiæ Catholicæ authoritas residet. 5. Authoritatem Ecclesiæ Romanæ, seu Pontificis quippiam definientis. 6 Authoritatem Sanctorum veterum. 7. Authoritatem Theologorum, Scholasticorum, Canonistarum. 8. Rationem naturalem. 9. Authoritatem Philosophorum & Iurisconsultorum. 10. Authoritatem humanæ historiæ. E quibus septem priores locos ferè proprios vult esse Theologiæ; tres reliquos adscripticios & alienos, ac quasi emendicatos. Eandem doctrinam referunt & probant Dominicus Bannes hic q. 1 a. 8. Gabriel Vasquez hic disp. 12 cap. 1. Nec multum discrepant è recentioribus illi, qui addunt Angelicam authoritatem: (quæ tamen vix in vsu est apud Theologos) & simul Iurisconsultos seorsim à Scholasticis Doctoribus & Philosophis numerant; atque ita duodecim locos constituunt. Sed & ipsemet etiam Canus fatetur, alio atque alio respectu, eos ipsos locos vel contrahi, vel extendi posse.

Vt autem nostram sententiam hac de re distinctè explicemus; Notandum est, locos Theologicos duplici ratione consignari & enumerari posse; prout etiam ipsæ Theologicæ argumentationes duplici modo appellari possunt. Primò latè, prout nimirum vniuersim comprehendunt omnis generis argumentationes, quibus Theologi nonnunquam ad suas conclusiones vtcunque probandas vtuntur, siue propriè sint Theologicæ, siue alienæ, & ab alijs scientijs, vel habitibus quasi mutuo acceptæ; in quibus rursum aliquæ sunt necessariæ, aliæ solum probabiles. Secundo accipiuntur loci & argumentationes Theologicæ strictè, pro ijs, quæ non ex alijs habitibus aut scientijs desumptæ, propriè ad ipsum Theologiæ habitum pertinent, simulque rationem formalem obiectiuam & certitudinem Theologiæ propriam continent siue constituunt. Qua ratione loci Theologici principia solum diuinitus reuelata, ipsasque fidei veritates continent; cum etiam Theologicæ argumentationes aliæ propriè non sint, quam quæ ex principijs eiusmodi reuelatis (siue vtraque præmissa sit reuelata, siue vna reuelata & altera naturaliter euidens) procedunt, vt dictum supra q. 3. dub. 2. & q. 4. dub. 4. Et vtroq; tamen modo rursum numerus locorum Theologicorum aut generalius & contractius, aut in specie magis & distinctè, re tamen interim eadem permanente, iniri ac designari potest. Qua re obseruata, facile iam est, & nostram hac de re sententiam explicare; & varias aliorum sententias nobiscum, ac inter se, conciliare.

Assertio I. Loci Theologici latè accepti, si distinctè numerentur (prout videlicet aut toto genere, aut saltem secundum certitudinem plurimum differunt) rectè vniuersim numerantur viginti; nimirum 1. Explorata & perspecta authoritas siue sententia sacræ scripturæ. 2. Eiusdem authoritas probabiliter existimata. 3. Explorata authoritas traditionum Christi & Apostolorum. 4. Authoritas earundem traditionum probabiliter existimata. 5. Perspecta authoritas Ecclesiæ Catholicæ, siue communis sensus omnium fideliū exploratus, cum aliquid credunt velut ad fidem pertinens. 6. Authoritas eiusdem consensus probabiliter existimata: quo pertinet communior fidelium, aut etiam ipsi⁹ per se Ecclesiæ Romanę, vt particularis quædā Ecclesia est, sensus, quamuis exploratus. 7. Authoritas explorata Conciliorum generalium, seu approbatorū. 8. Authoritas Conciliorum non approbatorum, seu approbatorum quidem, sed non explorata: siue quia non satis constat de approbatione; siue quia sensus verborum Concilij non est satis perspectus. 9. Authoritas explorata definitionis Pontificiæ, in dubia quæstione fidei seu religionis. 10. Eadem authoritas probabiliter existimata. 11. Consentiens & explorata authoritas SS Patrum in re fidei, seu quam ipsi velut de fide certam tradiderunt. 12. Authoritas eorundem veterum Patrum, aut non consentiens, aut non firma, aut non explorata. 13. Consentiens & explorata authoritas Ecclesiasticorum Doctorum cuiusque ætatis in re fidei tradenda; in quibus etiam quantum ad Canonum scientiam simul connumerandi sunt Canonistæ; ut rectè Canus & Gregorius de Valentia locis cit. 14. Authoritas eorundem non consentiens, aut non satis explorata; quo spectat authoritas Scholasticorum Doctorum per se & seorsim accepta. 15. Authoritas Ecclesiasticæ historiæ, nempe de rebus Ecclesiasticis, præsertim à viris Ecclesiasticis scriptæ. 16. Authoritas & fides profanæ historiæ. 17. Ratio naturalis euidens. 18. Ratio naturalis probabilis 19. Authoritas Iurisconsultorum legumque ciuilium. 20. Authoritas Philosophorum. Hæc assertio constat satis ipso quotidiano vsu & experientia. Neque est contra Canum, aut cum eo sentientes: quia non negauit ipse, quemlibet ex prioribus locis à se allatis posse rursus in duos subdiuidi, quorum vnus probabilia solum, alter infallibilia argumenta suppeditat. Imò hoc ipsum authores illi expresè docuerunt, & per se notum est. Omissa verò est authoritas Angelica; quia hæc per se non versatur in publico Theologiæ vsu: ac si de specialibus ac priuatis Angelorum reuelationibus loquamur, apud eos, quibus reuelatio ipsa facta non est, plus non præstat, quam argumentum probabile. 3

Assertio II. Loci recensiti inter se variè differunt; ac in ijs septem tantum sunt loci propij, ac propriè Theologici: nimirum 1. Explorata authoritas sacræ scripturæ. 2. Explorata authoritas traditionum Christi & Apostolorum. 3. Perspecta & consentiens authoritas totius Ecclesiæ Catholicæ; siue consensus fidelium exploratus, cum aliquid credunt, velut ad fidem pertinens. 4. Authoritas explorata 4

Digitized by Google

Conciliorum generalium, seu approbatorum, quippiam circa fidem definientium. 5. Authoritas legitima & explorata definitionis Romani Pontificis in dubia fidei quæstione. 6. Consentiens & explorata authoritas SS. Patrum, in aliquo fidei dogmate tradendo. 7. Similis consensus siue authoritas Ecclesiasticorum Doctorum: quibus subseruiunt alij ex enumeratis. Hæc assertio est ex mente omnium Doctorum, ac ferè in terminis habetur apud Gregorium de Valentia loc cit.

Probatur & declaratur. Quia vt superius ex S. Thoma hic q. 1. a. 8 diximus, & sequuntur etiam Caietanus ibidem, & Gregorius de Valentia loc. cit Loci Theologici, generatim loquendo (quos antea recensuimus) sunt in triplici differentia. Aliqui enim sunt ex proprijs & proprij, seu propriè Theologici; quidam ex proprijs quidem, sed non proprij; alij demũ penitus alieni & adscriptitij. Ijdem loci omnes rursum aut sunt probabiles tantum, seu probabilium argumentorum sedes; aut necessarij & infallibiles. Loci ex proprijs & proprij Theologiæ vocantur, qui non solum ex suo genere ad solam Theologiam pertinent, materiamque adeo Theologicam continent; sed etiam certitudinem ac infallibilitatem Theologicam, seu obiecti formalis quo Theologiæ, annexam habent: siue quorum & materia Theologica est, vtpote ex suo genere religionem concernens; & ipsa quasi forma etiam, seu auctoritas, & certitudo supernaturalis ac infallibilis est. Locus enim propriè Theologicus non est, nisi sedes sit argumentationis propriè Theologicæ, quæ procedit vel ex vtraque, vel ex vna saltem præmissa revelata, & altera euidente, per euidentem consequentiam, vt sæpius dictum: Ergo nec locus propriè Theologicus esse potest; nisi infallibilem habeat authoritatem, adeoque infallibiliter contineat propositiones fidei reuelatas; siue per eum ipsum locum primum fiat reuelatio, vti fit per scripturam, siue reuelatio iam antea facta per eum infallibiliter innotescat & proponatur, vti fit per Ecclesiam, vt in materia de fide docetur. Et tales sunt septem tantum ij, quos numerauimus. Nec obstat, quod etiam ex necessarijs eiusmodi locis, solum probabilia quandoq; ducuntur argumenta: V. G. Deus in principio creavit cælum & terram: Ergo simul etiam in eodem principio creauit cætera elementa, & corpora simplicia intermedia, &c. Id enim non fit ob defectum materiæ seu principiorum, quæ continentur illis locis; sed ob defectum consequentiæ; quæ ad locos ipsos secundum se non pertinet: vel etiam ob defectum alterius præmissæ adiunctæ.

Loci verò ex proprijs, sed non proprij Theologiæ sunt illi, qui ex genere quidem suo, & ratione materiæ, ad solam Theologiam pertinent; sed tamen infallibilem certitudinem rationemque formalem Theologiæ non continent; esto authoritatem merè humana fide non paulo maiorem habeant. Vti cernitur in Doctoribus & Scriptoribus Ecclesiasticis; quorum doctrina & fides licet in singulis illis infallibilis non sit, maiori tamen aliquo lumine diuinitus inspirato ex suo genere gubernata fuisse diuinitus iure creditur. Qua de causa etiam docet Vasquez cit. disp. 12. cap. 4. locum historiæ Ecclesiasticæ proprium, seu ex proprijs Theologiæ esse; licet Canus vniuersim eum vocet adscriptitium, vt vidimus. Tales proinde loci, ex recensitis præcedenti assertione, inueniuntur octo; nimirum 1. authoritas scripturæ sacræ probabiliter solum existimata. 2. authoritas traditionum Christi & Apostolorum probabiliter existimata. 3. Similis authoritas existimati consensus totius Ecclesiæ, vel explorati etiam consensus plurium, in aliqua re fidei. 4. authoritas conciliorum quidem, sed non explorata. 5. authoritas definitionis Pontificiæ probabiliter existimata. 6 authoritas SS. Patrum, aut non consentiens, aut non firma, aut non explorata 7. authoritas Doctorum, cuiusque ætatis, aut non consentiens, aut non satis explorata, &c. 8. authoritas Ecclesiasticæ historiæ: qui loci inter recensitos sunt, secundus, quartus, sextus, octauus, decimus, duodecimus, decimusquartus, & decimusquintus, vt singulos consideranti erit manifestum.

Externi verò & adscriptitij, siue alieni loci vocantur, quorum & authoritas, & materia per se mere naturalis est. Et tales ex enumeratis sunt quinque postremi, nimirum 1 authoritas seu fides profanæ historiæ. 2. ratio naturalis euidens. 3. ratio naturalis probabilis. 4. authoritas Iurisconsultorum. 5. authoritas Philosophorum: è quibus sola ratio euidens; ac suo modo etiam historiæ vniuersalis in aliqua re testanda consensus (vt dicetur infra dubit. 4.) necessarium prębet argumentum, cæteri probabile solum.

Et quanquam Gregorius de Valentia cit. q. 1. p. 5. §. 1. etiam veritatem naturalem euidentem, iunctam veritati fidei, inter locos verè & propriè Theologicos annumerauerit, vt supra retulimus, verius tamen est contrarium; vt indicat etiam S. Thomas hic cit. q. 1. a 8. quia rationi naturali, etiam iunctę propositioni fidej, cõclusio Theologica propriè non innititur, vt dictum q. 3. dub. 2. sed solis principijs fidei. Quocirca Vasquez cit. disp. 12. num. 6. hoc ipso etiam casu docet, rationem naturalem non esse proprium locum Theologi, sed adscriptitium.

Assertio III. Rectè etiam vniuersim loci omnes proprie Theologici reuocantur ad duos locos generales, nimirum Verbum Dei scriptum, & non scriptum; siue ad scripturam sacram, & traditiones; latè hoc nomine accepto, pro omni scilicet fidei veritate, in scripturis speciatim non tradita. Authores recitauimus supra, circa secundam sententiam. Probatur assertio. Cum enim Theologia pro ratione assentiendi habeat propositiones fidei reuelatas, vt dictum q 4. dub. 2 necesse est vtique, omne principium Theologiæ esse reuelatum, adeoque continere verbum Dei: reuelari autem, vel saltem reuelatum proponi, seu cognosci infallibiliter potuit, vel per scripturam sacram, vel extra illam, voce Christi, Apostolorum, vel Ecclesiæ, seu totius, seu vt in Concilijs congregatæ, seu etiam capitis eiusdem Ecclesiæ visibilis in terris, Romani Pontificis. Vnde exurgit triplex genus traditionum diuinarum, Apostolicarum, & Ecclesiasticarum; de quibus plura Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 2. & suo loco in 2 2.

Assertio IV. Tametsi verè quidem aliquo sensu dici possit, omnia quæ ad fidem pertinent, contineri

aliquo

aliquo modo in sacra scriptura; non tamen absolutè dicendum est, scripturam esse vnicum duntaxat Theologiæ locum proprium. Prima pars est mens authorum, quos pro prima sententia adduximus; & ita facilè probatur. Si enim omnia, quæ credim⁹, aut continentur expresè in scriptura; aut ex ea aliquo modo deducuntur: fatendum plane est, omnia quæ ad fidem pertinent contineri modo aliquo in sacra scriptura; nimirum aut explicitè & immediatè, aut implicitè & mediatè: sed verum est antecedens: Ergo, &c Maior patet.

Minor probatur. Quia quædam credenda explicitè & immediatè contineri in sacra scriptura, nemo negat: cætera verò omnia ex scriptura aliquo modo, interposita scilicet infallibili Ecclesiæ authoritate, rem aliquam velut de fide certam proponentis, infallibiliter colligi, ita probatur. Quia de quibuscunque eiusmodi rebus fidei, etiam alioqui inter traditiones numerari solitis, ita possumus ex scriptura ratiocinari. Quidquid Ecclesia in rebus religionis credendum proponit, id est certum & infallibile, ac omninò fide credendum: Hoc vel illud Ecclesia proponit credendum v.g. Communionem sub una specie esse ex se honestam, nec diuino Iuri repugnare; Infantes rectè baptizari; ab hæreticis baptizatos non esse rebaptizandos, &c. Ergo hæc omnia & singula omninò sunt certa & infallibilia. Maior huius syllogismi sumitur ex scriptura, Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Matth 16. v. 18. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* 1. Tim. 3. v 15. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.*

Eadem pars assertionis probari etiam potest hoc discursu. Quicquid enim creditur, aut est scriptum (in sacra scriptura;) aut traditum per Ecclesiam: vt constat ex præcedente assertione: vtrumque aliquo modo continetur in scriptura sacra; illud quidem explicitè; hoc verò implicitè eo ipso, quod ipsa scriptura Ecclesiæ infallibilem authoritatem, Ecclesiasticasque traditiones commendat, & obseruandas præcipit, vt constat ex citatis scripturę locis, & insuper ex illo 2. Thess. 2. v. 14. *Itaq; fratres state & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonẽ, siue per epistolã nostrã.*

7 Denique nulla est regula fidei, quæ non sit vel ipsa scriptura sacra; vel commendetur in scriptura sacra; vti de Ecclesia, adeoq; etiam vniuersalibus Ecclesię concilijs & traditionibus, patet ex locis citatis: de summo Pontifice; ex Matth. 16. v 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Item Ioan. 21. v. 15. 16. 17. *Pasce agnos meos, pasce oues meas, &c.* Quorum vtrumque ad Petrum, ac Petri successores Romanos Pontifices pertinet, vt suo loco in 2. 2. materia de fide ex instituto docetur. De SS Patribus & Doctoribus Ecclesiæ idipsum patet ex Ephes. 4. v. 11. *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas; alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij: in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni verbo doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Atque in eundem etiam sensum Catholicã doctrinam explicaui in colloquio Ratisponensi sess. 5. Protocoll. Monac. edit. 2. pag. 92. ac postea in Responso ad primam classem testimoniorum, sub finem, post sess. 8. pag. 188. vt & initio responsi ad secundam classem Testimoniorum ab Aduersarijs prolatorum pag. 189. Idq; postea fusius prosecutus fui in Apologetico Relationis de Colloquio cap. 6. 8. & 9. vbi de scripturæ perfectione, & traditionum necessitate pluribus disputatum.

Vnde etiam colligitur, etsi quidem alioqui omnes & singulę propositiones immediatè reuelatæ à Deo, habeãt rationem primi principij in Theologia: nihilominus tamen inter principia, quibus vtitur Theologus, quendam cerni ordinem; ita vt in illis, perinde vti fit in aliarum scientiarum principijs quædam dentur, veluti dignitates siue Maximæ: quibus omnis propemodum discursus Theologicus innititur. Tales sunt istæ duæ: Prima naturalis, & naturaliter euidens; Quicquid Deus dicit seu reuelat, verum est: Altera supernaturalis & reuelata; Quicquid scriptura sacra docet, est à Deo reuelatum. Ex isto enim principio habemus, hoc vel illud esse à Deo reuelatum, modo explicato: Ex illo; Omne à Deo reuelato verum esse; qui discursus supponitur, & virtute quasi continetur in omni discursu Theologico; vt pluribus Gillius lib. 1 tract. 2. cap 6 Et quia fides ante scripturam fuit, atq; etiam non pauca fide creduntur, quæ particulatim in scriptura reuelata non sunt; vt taceã quòd priuatim subinde reuelata itidẽ per fidem credi possunt, vt suo loco dictum; idcirco discursus Theologicus per se, aut vniuersim, à scriptura diuina, adeoque à secunda illa Maxima minimè dependet.

Secunda pars assertionis ita facilè probatur. Quia 8
qui dicit, scripturam esse vnicum locũ Theologicæ argumentationis, aut vnicam normam, is excludit & negat esse alios locos, seu regulas fidei infallibiles; vt per exponentes ex dialectica patet: at vero negari nullo modo potest, esse etiam præter scripturam alios plures locos, seu regulas fidei infallibiles, vt ex dictis patet; & fusè contra aduersarios in colloquio Ratisponensi probatum fuit: & pluribus postea deductum ac defensum cit. Apologet. Relationis cap. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 13. Ergo, &c. Neque verò Scotus, Gandauensis, Gerson, aut S. Thomas vnquam ita locuti fuerunt, scripturam sacram esse vnicam normam fidei, aut vnicum locum Theologicæ argumentationis: idque etiam hoc tempore multò minus dicendum est, quod Sectarij his ipsis verbis errorem suum, quo à fidei doctrina & regula, traditiones, auctoritatemque infallibilem Conciliorum, summi Pontificis, & Ecclesię, exclusas volunt, profiteri solent, vt cit. cap. 4. Relationis videre est; etsi nec idipsum tueri in Colloquio potuerint, vt ostensum in Relat. de Colloq part. 3. cap 5. & Apologet. præfat. cap. 11. & 12. & in Apologet. Relat. cap. 18. idque insuper ipsum etiam in Colloquio ijsdem apertè exprobratum, pro confesso ipsi habuerunt, cit. Responso ad primam classem testimoniorum, ad 2. testimonium Irænei Protocolli pag. 177. & alibi.

Nec pluribus hoc loco de singulis locis Theologicis tractandum, quando loci alieni ad Theologum propriè non pertinent; ex ijs verò qui propriè Theologici sunt, de scriptura quidem dubio sequenti agetur: de cæteris verò, nimirum de traditionibus, de Ecclesia, de Concilijs, de summo Pontifice, ex instituto disseritur, in 2. 2. vbi de Regulis fidei agitur.

9 Tria solum circa Ecclesiæ, & SS Patrum, Doctorumque authoritatem, hoc loco breuiter notanda. Primum: Ecclesiæ vnanimem consensum, aut doctrinam, cum aliquid velut ad fidem pertinens, credit vel docet, non tantum eatenus esse infallibilem, quatenus formaliter fidei contrarius esse non potest; ita nimirum vt sit hæreticus, & ipsius fidei habitum expellat: sed etiam materialiter falsum esse non posse; adeoque simpliciter infallibilem esse, vt ex dictis scripturæ locis, Matth. 16. & 1. Tim. 3. alijsque pluribus, rectè probant Canus lib. 4. loc. Theolog. cap. 4. & Gregorius de Valentia loc cit. contra quosdam contrarium insinuãtes, in quibus, *si de facie considerem*, inquit Canus, *videntur Gloſſa interlinearis, in illud, Porta inferi non prævalebunt aduersus eam: & D. Thomas in 4. d. 6. q. 1. art. 3 quæstione. 2. ad 3 & Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Eccles. cap. 91. Alphonsus à Castro de iusta hæret. punit. lib. 1. cap. 5.* Quæ sententia si vera esset, iam vim infallibilem non haberet argumentatio illa: Ecclesia tota credit, aut docet, hoc, vel illud; v. g. Euangelium Matthæi esse Canonicum: Ergo reuera est: Id quod tamen nequaquam dicendum est.

Secundum est. Authoritatem consentientem SS. Patrum, seu omnium, qui nos antecesserunt; seu qui ætate qualibet vixerunt, vtique non minus per se atque antecedenter infallibilem esse, in rebus fidei, quam omnium Doctorum, qualibet ætate viuentium; quos cum vniuersa Ecclesia in doctrina fidei velut Pastores & Doctores audire & sequi teneatur, iuxta citatum locum Apostoli Ephes. 4. prorsus necesse est, etiam secundum se habere authoritatem infallibilem; ne alioqui tota etiam Ecclesia in fide necessariò errare teneatur; vt ex communi & certa rectè tradunt Canus lib. 8. loc. Theol. cap. 14. Gregorius de Valentia cit. tom. 3. d. 1 q. 1. p 7. §. 46 alique recentiores. At si de Patribus solum loquamur, qui sua scripta ad nos transmiserunt, etsi quidẽ negari non possit, eos, si consentiant, continere irrefragabile fidei argumentum à posteriori, & à signo; tum quia ab Ecclesia recepti sunt, & approbati; nec fas est eis in rebus fidei, & sacræ scripturæ interpretatione, aduersari; ex VI. Synodo act. 11. & 13. in epistola synodali Sophronij, vnde sumptus etiam est Canon 19. Trullanæ Synodi, item ex Concilio Lateran. vltimo act. 11. & Concilio Tridentino sess. 4. in Bulla Pij IV. per Pium V. renouata: Tum quia argumentum moraliter euidens præbent, eius fidei, quam tota Ecclesia Catholica, eorum tempore habebat: verius tamen videtur, eos, per se, & à priori infallibile fidei argumentum non præstare.

10 Ratio est. Quia isti, qui scripserunt, & sua ad nos scripta transmiserunt, non sunt omnes planè Doctores, qui vel qualibet, vel vna aliqua ætate in Ecclesia vixerunt; sed tantum aliqui, & fere pauciores ex illis; à quibus proinde, etiamsi errassent, non erat necesse, totam eius temporis, quo scripserunt, Ecclesiam in errorem induci: tametsi etiam vt sic præbeant argumentum pluspquam moraliter certum, ac fidei proximum, si vnanimi consensu quippiam pro fidei dogmate tradant: secus si aliquid in rebus Philosophicis, seu aliquid, eorummet etiam iudicio, ad fidem non pertinens, solummodo opinentur. Atque ita cum S. Thoma hîc art. 8. ad 2. & in 2. dist. 14. art. 2. Stapletono controu. 6. lib. 11. cap. 5. Cano lib. 7. loc. Theolog. cap. 3. Banne hic q. 1. a. 8. dub. 5. rectè notauit Gillius lib. 1. tract. 7. c. 13. Atque ita etiam intelligendus est Gabriel Vasquez hic disp. 12. num. 2 vbi docet, Patrum, nempè quorum libros habemus, consensum, ex se non habere infallibilem authoritatem: etsi Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. p. 7. §. 16. significare videatur, eorum etiam, qui scripserunt, Patrum, vnanimem consensum, in aliquo fidei dogmate, per se infallibilem esse.

Tertium est, quod propriè ad Scholasticos Doctores pertinet, & rectè notauit Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 5. §. 1. Si quæ illorum propria sint dogmata, etsi veteribus Patribus & Doctoribus non repugnantia, ea licet non omninò certam & infallibilem, vt dictum, grauem tamen habere authoritatem. In quem sensum etiam idem author tom. 3. d 1. q. 1. p 7. §. 46. ait, *negare commune placitum Scholasticorum Doctorum, valde esse temerarium.* Cui doctrinæ consentiunt etiam Vega lib 9. in Concil. Trident. cap. 14. Bannes hic q. 1. a. 8. & fere Canus lib. 8. loc. Theolog cap. 4. & lib. 12. cap 7. alijque recentiores. Vbi etiam præ oculis habendum, quod dicit S. Thomas hic art. 8. ad 2 argumentari ex authoritate, esse maximè proprium huius scientiæ; eò quod principia huius doctrinæ per reuelationem habeantur: vt proinde quisque merito suas, quæ communi ac consentienti authoritati Doctorum Scholasticorum refragantur, ratiunculas iure suspectas habere debeat, & potius captiuare intellectum, ad maius fidei obsequium, quam ex suo ingenio firmatas eiuscemodi Doctorum sententias impugnare. Hoc enim vti sæpè difficile non est, ita periculosum est.

Atque ex dictis intelligitur, non solum quanta 11
eruditio consummato Theologo sit necessaria, in omni disciplinarum, præcipuè Philosophicarum genere; sed & simul etiam, quod initio diximus; tametsi locorum Theologicorum numerus variè ab authoribus assignetur; id tamen non fieri ob aliquam rerum ipsarum diuersitatem: quasi ideo de reipsa inter Doctores controuertatur; sed solum ex diuersa numerandi & distinguendi ratione, vt dictum. Plura de hac re in 2. 2.

DVBIVM II.

Quotuplex sit scripturæ sensus; & quam ad argumentandum efficax.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 9. & 10.

PErtinet quidem hæc res propriè ad Interpretes 1
sacræ scripturæ. Sed quia Theologi Scholastici

est, &

est, & illis ipsis, sua quibus in scriptura interpretanda nitantur, communia fundamenta explicata tradere; ac simul præcipui inter locos Theologicos, vti scripturam esse diximus, vim & efficaciam saltem in genere perspectam habere, necessarium est cum S. Thoma hoc loco, de ea ipsa re breuiter agere; quam sequentibus assertionibus, ita explicamus.

Assertio I. Scripturæ sensus rectè & adæquatè diuiditur in literalem, quem verba ipsa immediatè significant; quò etiam parabolicus pertinet: & in spiritualem; quem res per verba significatæ significant. Ita S. Thomas hic q 1. a. 10. in corp. & ad 3. vbi ita expresse de parabolico sensu loquitur; eademque est communis aliorum Doctorum, præsertim recentiorum sententia. Et sumitur eadem bimembris diuisio sensuum scripturæ ex S. Dionysio de cæl. hier. cap. 2. & epist. 9. ad Titum, Augustino lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 2. & alijs Patribus, etsi de parabolico sensu dubiè locutus sit Alphonsus de Castro lib. 1. cont. hæres. cap. 3. de qua re plura Gabriel Vasquez hic disp. 15. cap. 4.

Probatur assertio. Quia omnis scripturæ sensus significari debet aliquo modo per scripturam, adeoque per verba scripturæ: sed tantum sunt duo modi generales, quibus aliquid significari potest per verba scripturæ; nimirum aut immediatè; & tunc est sensus literalis; aut mediatè, mediantibus nimirum ipsis rebus per verba immediatè significatis; & tunc est sensus spiritualis. Vt V. G. quando in libro Geneseos cap. 22. refertur historia Isaac ab Abrahamo oblati; vel in Exodo cap. 12. historia agni paschalis; sensu quidem literali, ac immediatè, per ipsa verba significatur ipsa historia, quæ tunc temporis inter Abrahamum & Isaac gesta est; vti & ritus ipse agni paschalis ab Hebræis eo tempore immolandi; at verò spiritualiter, per Isaac, resque ab eo gestas, vti & per agnum Paschalem, significatur Christus ipse pro salute totius humani generis in ara crucis immolandus.

Vbi notandum, quod optimè etiam dixit S. Thomas cit. art. 10. in corp. nimirum, quod *auctor sacræ scripturæ*, inquit, *est Deus, in cuius potestate est, vt non solum voces ad significandum accommodet; quod etiam homo facere potest; sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientijs*, inquit, *voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid.* Vbi proprium esse vult sacræ scripturæ, ex mente ipsius authoris, rebus etiam ipsis aliquid significare; non quod alijs etiam scripturis id conuenire nullo modo possit; sed, quod in ijs non possunt ita vniuersaliter omnia; & quidem futura etiam ipsa, quę in hac, vel altera vita accident, infallibiliter significari. Qua etiam de causa, vt hoc obiter dicam, mihi quidem certè parum probantur ijv qui in sacris concionibus profanas etiam quaslibet historias, ac sæpe etiam fabulas Poetarum, operosè ad spiritualem sensum interpretari conantur; tanquam si salutis nostræ summa ex poetarum figmentis pendeat: qua re diuini verbi ac sacri Ministerij Maiestas nonnihil meo quidem iudicio violari videtur.

Nec diuersa est à literali ratio sensus parabolici, cuius sæpe in nouo Testamento est vsus; vt quando regnum cælorum comparatur grano sinapis; aut fermento, aut thesauro in agro abscondito; aut cænæ siue nuptijs; aut decem virginibus; aut patrifamilias conducenti operarios; aut Domino peregre abeunti, &c. Nam & tunc verba immediatè significant illas res, de quibus in ipsa parabola est mentio; etsi quidem cum his ipsis rebus postea aliud quippiam, puta in propositis exemplis, regnum cælorum, comparetur; non quia hoc per illas ipsas res immediatè significetur; sed quia cum illis similitudinem habet. Vt quando hominem ob fortitudinem comparamus Leoni, vocem Leonis accipimus, vt sonat, ad literam, & quidem ptopriè, pro ipso animali, cui hominem conferimus. Secus est, quando hominem vocamus Leonem, vt mox dicemus.

Assertio II. Literalis scripturæ sensus adæquatè diuiditur in proprium, & improprium, seu figuratum. Ita S. Thomas hic cit. q. 1. a. 10. ad 3. & communis Doctorum. Probatur. Quia sensus literalis est ille, qui per verba ipsa immediatè significatur, vt dictum; at verò per verba scripturæ immediato significatu quædam significantur propriè; quando nimirum verba ipsa propriè vsurpantur; alia significantur impropriè seu figuratè; vt quando metaphoricè, aut per catachresin, vel metonymiam, &c quippiam significant: Ergo necessariò duplex ille sensus literalis scripturæ admittendus est: Exemplum est v. g quando Christus dicitur Leo, lapis angularis, &c: Tunc enim per voces illas, leonem & lapidem angularem, immediatè non significatur bestia illa irrationalis; aut substantia insensata; quam leonem, aut lapidem dicimus, malè enim diceremus, Christus est bestia irrationalis, aut substantia insensata, &c. sed significatur immediatè Christus ipse, non quidem propriè, sed metaphoricè, adeoque figuratè, ob similitudinem quandam, quam cum leone, vel lapide angulari habet. 2

Vbi etiam ex S. Thoma hic q. 1. art. 9. notandum, rectè & conuenienter diuina mysteria metaphoris enunciata, partim etiam occultata fuisse. 1. Causa necessitatis. Quia aliquando non possunt illa diuina nobis, qui à sensibus cognitionem haurimus, nisi eiusmodi similitudinibus corporum exponi, iuxta illud S. Dionysij cap. 1. cæleſt hierarch. vbi ait: *Impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatum.* 2. causa vtilitatis; tum vt ea facilius etiam à rudioribus caperentur; tum ad exercitationem studiosorum. 3. Causa honestatis & reuerentiæ; vt ab irrisionibus infidelium vindicarentur: iuxta illud Matth. 7. v 9. *Nolite sanctum dare canibus.*

Assertio III. Sensus scripturæ spiritualis rectè & adæquatè diuiditur in Tropologicum, qui mores instruit; allegoricum, qui statum Ecclesiæ militantis respicit; significando nimirum aliquid gerendum, aut gestum in Ecclesia militante; & Anagogicum, qui ad statum & conditionem Ecclesiæ triumphantis pertinet. Ita S. Thomas cit. art. 10. in corpore; & est itidem communis Doctorum sententia: exstantque hac de re vulgati illi versus:

Littera gesta docet: quid credas allegoria:
Moralis, quid agas: quò tendas anagogia.

Probatur. Quia sensus spiritualis scripturæ est, qui

per res ipsas immediatè verbis significatas significatur, vt dictum: sed res per verba scripturæ immediatè significatæ quandoque significant aliquid, quod ad mores nostros informandos pertinet; vt est illud Deut. 25. v. 4 *Nõ alligabis os boui triturãti*; quod sustentationẽ congruã Ecclesiæ ministris non denegãdam significat, vt declarat Apostolus 1. Cor. 9. v. 9 Nonnunquam significant aliquid gerendum, aut gestum in Ecclesia militante; quemadmodum immolatio Isaac, & agni paschalis significabãt sacrificium crucis Christi, &c. duo filij Abraham, Isaac & Ismael, duo testamenta, novum & vetus: duo filij Isaac, nimirum Iacob & Esau, diuersam conditionem hominum prædestinatorum & electorum in hac vita, vt declarat Apostolus in epist. ad Rom. 9. & ad Gal. 4. Alia denique significant aliquid gerendum in altera vita ac statu beatitudinis; quemadmodum sabbatum diei septimæ à Deo institutum significat ipsam æternam requiem, iuxta Apostolũ Heb. 4. v. 9 & 10.

Et verò sensum mysticum imprimis ac per excellentiam conuenire veteri testamento, patet ex illo Apostoli 1. Cor. 10. v 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*: quanquam non ideo omnis planè veteris testamenti locus sensum spiritualem habeat: quia in libris Prouerb. Eccles. Sap. Eccli. in Prophetis, ac passim etiam alibi, plæraque morum præcepta reperiuntur; ex quibus nemo sensum spiritualem eruat. Et quod Apostolus dixit, ad res tantum in veteri testamento ex Dei voluntate gestas pertinet: quas quidem Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 5 §. 3. putat vniuersim omnes spiritualem habere sensum. Quod an etiam in rebus omnibus, post Babilonicam captiuitatem, V. G. circa Esdram, Nehemiam, Machabæos gestis, verum habeat, dubito.

Et confirmatur assertio ex S. Thoma loc. cit. vbi ait: *Sicut enim dicit Apostolus ad Heb. 7. Lex vetus figura est nouæ legis; & ipsa noua lex, vt dicit Dionysius cap. 5. Eccles. hierarch. part. 1. est figura futuræ gloriæ. In noua etiam lege ea, quæ in capite gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus. Secundum ergo quod ea, quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt nouæ legis, est sensus allegoricus; secundum verò quod ea, quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus, est sensus moralis; prout verò significant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus.* Ita S. Thomas.

3 Obijci potest; per res in scriptura significatas, significari etiam posse aliquid gestum in altera vita, circa purgatorium, & infernum, animasque ac spiritus illic detentos; quæ tamen significatio tametsi spiritualis sit, sub nullo sensu spirituali ex tribus enumeratis comprehenditur. Responderi posset, statum animarum ac spirituum, qui in altera vita puniuntur, præsertim in inferno, rem talem non esse, quæ digna fuerit, ipsis etiam rebus in scriptura significatis significari. Sed potius respõdetur, si quid eiusmodi rerum fuerit etiam spiritualiter significatum, eam significationem spectare ad sensum scripturæ anagogicum; quandoquidem totus alterius vitæ status ad maius beatorum gaudium, maioremque gloriam pertinet.

4 Assertio IV. Sensus accommodatitius propriè non est verus aliquis sensus scripturæ: sed traductio verborum scripturæ à suo sensu, ad alienum, ab authore Deo, non intentum. Colligitur ex S. Thoma hic cit. art. 10. qui nullam eiusmodi scripturæ sensus mentionem facit. Idem expresè, & ex communi docent Gregorius de Valentia hic q. 1. punc. 5. §. 3. & Gabriel Vasquez hic disp. 14. cap. 7. Exempla huius rei passim occurrunt apud SS. Patres; nec pauca in missis & officijs diuinis Ecclesiæ. Vt quando Ecclesia de quouis Confessore Pontifice canit: *Inuentus est iustus, & in tempore tracundiæ factus est reconciliatio*: quod Eccli. 44. v. 17. de solo Noe dicitur. Ex quo loco etiam ijsdem confessoribus accommodatum est illud v. 20. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi*: quod ibidem de solo Abrahamo dicitur. Et illud quod ibidem v. 25 de solo Isaac dicitur: *Benedictionem omnium gentium dedit illi, &c.* Item quando de quolibet Martyre canit. *Honestum fecit illum Dominus, & custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum: & dedit illi claritatem æternam. Descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis non derelinquit eum, &c.* Quod partim de Iacob; partim de Ioseph dicitur Sap. 10. v. 12. & 14. Et rursum ex Eccli. 45. v. 14. *Corona aurea super caput eius, &c.* Item quando rursum de Confessore non Pontifice dicitur: *Iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, &c.* quæ itidem de Iacob dicuntur Sap 10. v. 10. Item quando de quolibet Sacerdote Pontifice canit: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, &c.* quæ alioqui ad Christum pertinere constat. Et plura habentur ex Eccl. 45. Simile est, quod de SS. Ioanne & Paulo canit Ecclesia: *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, &c.* quod de Iesu Sacerdote filio Iosedech, & de Zorobabel duce Iuda, dixisse Zachariam cap. 4. multi existimant: vt & de Enoch & Elia, Ioannem, Apocal. 11.

Quo exemplo etiam Vasquez cit. disp. 14. cap. 1. veluti certum tradit, etiam ipsos scriptores sacros interdum alterius antiquioris scripturæ sacræ verba per solam accommodationem referre Imo Iansenius in Concordia Euangelica cap. 11. existimat, etiam ab Euangelistis, vel ipso etiam Christo, non raro verba scripturæ veteris Testamenti solum sensu accommodatitio vsurpari, etiam quando additur, fuisse impletum, quod hoc vel illo loco veteris Testamenti dicitur. Tale est illud Oseæ 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Et rursum illud Ierem. 31. *Vox in Rama audita est*, quod refert Matthæus cap. 2. Item illud Matthæi cap. 15. ex Esa. 29. *Populus hic labijs me honorat.* Et illud Matth 13. ex Isai. 6. *Audietis audietis, & non intelligetis*; & ex Psal. 77. *Aperiam in parabolis os meum*: quod ex parte sequitur etiam Vasquez cit. disp. 14 cap. 5.

Sed mihi verius videtur, quod docet Gregorius de Valentia q. 1. punc. 5. §. 3. cum aliis, apud Vasquez loc. cit cap. 3 in scriptura noui Testamenti, non vsurpari verba scripturæ veteris Testamenti, solum in sensu accomodatitio: quia ad dignitatem scriptoris sacri pertinet, vt nihil alieno sensu, & à Spiritu sancto non intento vsurpauerit; nec difficile fuit Spiritui sancto, etiam illum ipsum sensum, quem posterior scriptor sacer intendit, iam ab initio præuidere, ac simul in ipsa antiquiori etiam illa scriptura intendere; præsertim cum ipse Euangelista Matthæus in quibusdam eiusmodi testimonijs refe-

rendis

ferendis disertè asserat, antiqua oracula, & vaticinia Prophetarum fuisse impleta ijs ipsis rebus, ad quas illa verba accommodabat; vt agnoscit, ac propterea cum Iansenio vniuersim non sentit etiam ipse Vasquez cit. disp. 14. cap. 3.

Neque verò sensus accommodatitius propriè dicendus est ille, qui non fuit à scriptore Canonico primò intentus, esto fuerit intentus ab ipso Deo; sic enim admodum credibile foret, quod isti dicunt, scripturam veteris Testamenti sæpe in nouo solum sensu accommodatitio vsurpari: quando subinde verum etiam aliquem scripturæ sensum, ab ipso scriptore Canonico, ignoratum fuisse, tradunt S. Thomas, quod lib. 7. q. 6. art. 14 & q. 4. de potent. art. 1. Molina hic q. 1. art. 10. Gillius lib. 1. tract. 7. cap 3. num. 8. Sed quia sensus scripturæ vniversim non ex calami scribentis, vt ita dicam, sed dictantis Spiritus sancti mente & sententia metiendus est, vt rectè etiam indicat S. Thomas hic q 1. a. 10. ideo sensus ille, qui à scriptore quidem Canonico non fuit cognitus, nec adeo intentus; fuit tamen præuisus & intentus ab ipso Spiritu sancto, cum primum ipsa verba scriberentur, non est dicendus sensus accommodatitius, sed verus scripturæ sensus.

6 Imo etiamsi per verba illa, quatenus primum scribebantur, non intendisset spiritus sanctus id, quod scriptor noui Testamenti ijs significauit; adhuc tamen dicendum non esset, ea verba sensu solum accommodatitio, in scriptura novi Testamenti vsurpari: quandoquidem nihilominus per ea verè ac ex mente spiritus sancti significaretur id, quod posterior scriptor sacer intendebat. Licet enim probabiliter fieri potuerit, ut scriptor ipse sensum quendam alicuius scripturæ à spiritu sancto verè intentum non intelligeret, vt dictum, fieri tamen minimè potest, vt Spiritus sanctus non intelligat, aut non intendat sensum illum, quem scriptor sacer à Deo inspiratus intendit: etsi quidem necesse minimè est, vt Deus etiam intenderit omnem eum sensum, ad quem ab alijs, qui scriptores sacri non sunt, successu temporis varie scripturæ locus quispiam esset accommodandus.

Accedit, quod Vasquez cit. disp. 14 cap. 6. non solum verba & sententias scripturæ, sed etiam exempla & historias hoc genere tractandi scripturam per accommodationem, ad suadendam virtutem, & vitia detestanda, vsurpari docet: cum tamen reuera hæc, vtcunque ad eiusmodi finem & institutum accommodentur, ad sensum tamen accommodatitium scripturæ propriè non pertineant. Quia exempla eiusmodi adducuntur iuxta verissimam & germanam verborum significationem, quam ex mente Spiritus sancti, & ipsius scriptoris sacri habent. Inde vero per modum consequentiæ, aut similitudinis aliquid aliud elicitur, vel suadetur; qui tamen reuera non est sensus scripturæ, nec verus, nec accommodatitius; sed quiddam ab vtroque diuersum, quod probatur sensu scripturæ, vel cum eo comparatur, vt superius etiam de parabolis diximus.

Illud postremò notandum hoc loco, ex Concilio Tridentino sess 4. decreto de editione & vsu sacrorum librorum, grauiter prohiberi, ne verba sacræ scripturæ ad profana quæq; accommodentur. Verba Concilij sunt: *Post hæc temeritatem illam reprimere volens* (Concilium;) *quâ ad profana quæque conuertuntur & torquentur verba & sententiæ sacræ scripturæ; ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractationes, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat & præcipit, ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba scripturæ sacra ad hæc, & similia audeat usurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores Verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.*

Assertio V. Quilibet scripturæ locus habet suum sensum literalem; cui si quidem ex mente ipsius scriptoris sacri aliquid asserat, nunquam potest subesse falsum. Ita S. Thomas hic q. 1 a. 10. ad 1. & 3. vbi dicit, omnes alios sensus scripturæ fundari super literalem. Eadem est communis sententia apud Gregorium de Valentia loc. citat. & Gabrielem Vasquez disput. 25. cap. 5. contra modum loquendi Lyrani prolog. 3 Postillæ Bibl. vbi dicit, quosdam locos scripturæ solum habere spiritualem sensum. Sed hic author sensum metaphoricum seu figuratum confudit cum spirituali; cum tamen is reuera sit literalis, vt dictum assert. 2. 7

Ratio assertionis est. Quia nullus est locus scripturæ in quo non ipsa etiam verba aliquid immediatè significent; quandoquidem nec mediatè quidem aliquid significare possent; nisi mediante re illa, quam immediatè significant, vt patet ex eadem assert. 2. Accedit quod spiritualis sensus omnis nititur sensu literali; vt ex S. Thoma dictum. Nisi quis ergo penitus negare velit, locum aliquem scripturæ vllum habere sensum, (quod absurdissimum foret dicere) negare minimè poterit, locum omnem scripturæ habere suum sensum literalem.

Quod autem huic sensui subesse falsum non possit, ex dictis sequitur: quia hoc ipso, quod à Spiritu sancto per verba intentus est, non potest non esse infallibilis: quia Spiritus sanctus falsum docere aut testari non potest. Dixi tamen si quidem ex mente ipsius sacri scriptoris aliquid asserat. Nam si quid referatur pronunciatum solum ab alijs, V. G. illud à Iudeis dictum contra Christum, *Reus est mortis*, Item, *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? &c.* & similia, cum referantur solum à scriptore, non etiam asserantur ab eodem, aut ex mente eiusdem, vtique vera & infallibilia minimè sunt; licet infallibiliter verum sit, quod scriptor sacer asserit, hæc ita gesta vel dicta fuisse, &c.

Assertio VI. Possunt esse, ac reipsa quandoque sunt, vnius & eiusdem loci Scripturæ, non solum in diuersis libris, vel partibus scripturæ, sed etiam vno eodemque loco, plures sensus literales. Ita docet expresse S. Thomas hic quæst. 1. a. 10. in corp. vbi dicit: *Quia verò sensus literalis est, quem auctor intendit; auctor autem scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit; non est inconueniens, vt dicit Augustinus 12. Confess. si etiam secundum literalem sensum in vna litera scripturæ, plures sint sensus.* Idem docet S. Thomas q. 4. de potent. art. 1. & in 2. d. 12. a. 2. ad 7. Burgensis in addit. super vtrumque prologum Lyrani, Abulensis in cap. 13. Matth. q. 28. Alphonsus de Castro lib. 1. cont. hæres. cap 3. Ioannes Driedo lib. 2. de script. sac. cap 2. Ambrosius

Digitized by Google

Catharinus lib. de claue script. Salmeron prolegom. 8. & 9. Gregorius de Valentia hîc q. 1. punct. 5. §. 3. Bellarminus lib. 3. de verb. Dei, cap. 3. Molina q. 1. art. 10. disput. 3. Gabriel Vasquez disput. 17. cap. 3. & communis DD. præsertim recentiorum contra Alensem 1. p. q. 1. memb. 4. a. 2. & 4. part. quæst. 15. memb. 4. a. 1. Albertum in sum. tract. 1. q. 5. Henricum Gandauensem in sum. art. 16. q. 2. & 3. Michaelem Medinam lib. 6. de fid. cap. 25.

8 Probatur assertio primò quibusdam exemplis ipsius scripturæ. Nam illud Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu.* Et Isai. 53. v. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* rectè tam de generatione Christi æterna, quam temporali exponitur: vt & prior locus etiam de Christi resurrectione, à S. Paulo Act. 13. v. 33. Ita etiam illud Ioan. 11. v. 50. *Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat;* duplicem sensum habet, alium nimirum ex maligna mente Caiphæ, Christum ad necem postulantis; alium ex mente Spiritus sancti, necessitatem ac fructum mortis Christi, ad totius humani generis redemptionem, propheticè, per os licet impium Caiphæ velut per asinam Balaam, significantis. Et vterque hic sensus simul ac semel à scriptore Canonico eo loco fuit intentus & expositus; prior quidem quasi recitatiuè, cum infallibili narrationis fide; posterior etiam significatiuè, & per modum docentis & approbantis: & similia passim alibi in scripturis inueniuntur.

Secundò probatur assertio ex SS. Patribus. Ita enim expressè docet S. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 18, 30. & 31. In priori enim loco, circa ista verba: *In principio creauit Deus cælum & terram*, cum dixisset, de varia eius explicatione non esse contendendum, addit: *Quæ mihi ardenter confitenti, Deus meus lumen oculorum meorum, in occulto, quid mihi obest, eum diuersa in his verbis intelligi possint, quæ tamen vera sunt: quid, inquam, mihi obest, si aliud ego sensero, quam sensit alius eum sensisse, qui scripsit? Omnes quidem, qui legimus, nitimur hoc indagare, atq; comprehendere, quod voluit ille, quem legimus. Et cum eum veridicum credimus, nihil quod falsum esse, vel nouimus, vel putamus, audemus eum existimare dixisse. Diam ergo quisq; conatur id sentire in scripturis sanctis, quod in eis sensit ille, qui scripsit, quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lex omnium veridicarum mentium ostendis verum esse; etiamsi hoc non sensit ille, quem legit; cum & ille verum, nec tamen hoc senserit?* Similia habet cap. 30.

Et cap. 31. de ijsdem verbis Genes. 1. differens, cum antea cap. 28. varias sententias retulisset, dum alius, ea verba In principio explicaret, in exordio rerum creatarum, seu primò; alius initio temporis, alius in sapientia siue in Filio; ipse denique his verbis suam ea de re sententiam explicat: *Ita cum alius dixerit; hoc sensit,* (Moyses) *quod ego; & alius, imò illud, quod ego: religiosius me arbitror dicere, cur non vtrumq; potius, si vtrumq; verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum, quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem vnus Deus sacras literas, vera & diuersa visuris multorum sensibus, temperauit? Ego certè, quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen authoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, vt quod veri quisq; de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam vt vnam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, vt excluderem cæteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaq; Deus meus, tam præceps esse, vt hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atq; cogitauit, cum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus inuenire, & quicquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.*

Ad eundem modum de libro Apocalypsis loquitur S. Hieronymus epist. 103. ad Paulinum: *Ioannes,* inquit, *tot habet sacramenta, quot verba: parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ, &c.* Id quod etiam de sensu literali intelligendum: nam quantum ad mysticum attinet, scriptura veteris testamenti, pluribus abundat. Similia habent S. Chrysostomus homil. 21. in Genes. & S. Basilius in proœmio lib. de Spiritu sancto, vbi admonet, expendendas esse in scriptura sacra, syllabas, literas, apices, nedum ipsas voces & orationes. 9

Tertiò idem probatur ratione. Nam & hoc, vt vnus scripturæ locus plures sensus literales habeat, possibile est; potuit enim reuera Deus plura ac diuersa simul significare voluisse: & ad quandam dignitatem scripturæ pertinet; quæ hoc ipso maiori vbertate significandæ veritatis abundat: vt etiam supra ex S. Augustino retulimus.

Quo loco tamen obseruandum, Gabrielem Vasquez cit. disp. 17. n. 9. cum existimaret, nullũ sensum esse posse literalem, (secus mysticum & spiritualem) nisi quem ipse etiam scriptor sacer, & non tantum Spiritus sanctus dictans scripturam intellexerit, & intenderit, non probare illud à S. Augustino cit. cap. 31. dictum: *Omnia & singula vera, quæ quisq; posset sub vna litera intelligere,* ad sensum literalem pertinere. *Difficile enim,* inquit Vasquez, *creditu apparet, voluisse Deum homini historiam sacram scribenti, tot tamq; varia reuelare; & vt ea simul significaret, ad scribendum impulisse.* Sed præterquam quod S. Augustinus cit. cap. 31. de Moyse scriptore Geneseos, eam planè habet existimationem, vt ex verbis citatis patet, equidem nil video, cur necesse sit dicere, scriptorem Canonicum omnem etiam literalem sensum scripturæ intellexisse; vt rectè etiam video notatum à Christophoro Gillio tract. 7. cap. 4. num. 10. fauente eodem S. Augustino lib. 12. Confess. cap. 32. cum S. Thomas in 2. 2. q. 173. art. 4. & Caietanus ibidem rectè notent, nec ipsos quidem Prophetas semper intellexisse id, quod prophetabant; quod clarum fit exemplo Ionæ cap. 3. v. 4. vaticinantis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur;* quam ille tanquam absolutam prophetiam accepit; cum tamen solum hypothetica esset; vt patet ex eodem & sequenti capite Ionæ 3. & 4. Idem colligitur ex Daniele cap. 12. v. 8. *Et ego audiui, & non intellexi.* Cum ergo sensus verus & literalis scripturæ non sit ex scriptoris mente & notitia præcisè metiendus, nil obstat, plures sensus literales scripturæ esse, licet non omnes ab ipso scriptore sacro fuerint cogniti, & intenti, modo reuera intenti fuerint à Spiritu sancto; vt etiam superius dictum.

Illud tamen proculdubio verissimum est, dictum illud S. Augustini non ita laxè accipiendum, vt omnes illi sint veri sensus literales scripturæ, quotquot verum aliquid continent, & vtcunque verbis scripturæ significati fuisse ab aliquo existimentur, sed videdum est, an omnibus spectatis, si antecedentia ni-

tia nimirum & consequentia conferantur, aliæque circumstantiæ diligenter expendantur, sensus illi in eum locum, seu verba scripturæ, de quibus agitur, secundum literam quadrare possint. Quod si si ita esse deprehensum fuerit, nil obstat, quo minus cum S. Augustino sentiamus, omnes eos sensus à spiritu sancto intentos, verosque proinde sensus literales scripturæ esse: Vti equidem contra Sectarios disserens docere soleo, illud, *Hoc facite*, Luc. 22. v. 19. rectè ita explicari, vt & per vocem *Facite*, (vsitatissima & scriptorum profanorum, & ipsius scripturæ phrasi, tam in sermone latino, quam græco, & hebraico) idem significetur, quod sacrificate, nimirum corpus, de quo antea immediatè sermo fuerat, & simul generale detur præceptum faciendi id, quod Christus fecerat, benedicendo nimirum panem, & distribuendo, &c.

Obijci potest contra positam assertionem; varietatem & pluralitatem sensuum parere æquiuocationem; quæ impedit vires argumenti. Respondetur, negando assumptum; modo constet, quonam sensu verba ad argumentum accommodentur. Nam etiam æquiuoca verba vim argumentationis minime impediunt; si modo determinatè constet, quo sensu determinatè verba æquiuoca vsurpentur: ita vt quamuis secundum se æquiuoca sint, æquiuoce tamen non vsurpentur. Non magis impedit argumentationis efficaciam multiplicitas sensus spiritualis adiuncti ad literalem: quia hi duo sensus subordinantur, spiritualis enim fundatur in literali, vt respondet S. Thomas cit. a. 10. ad. 1. Quare etiam Aristoteles lib. 4. Metaph. tex 10. ait: *Nihil autem differt* (siue interest) *etiam si plura quis significare dicat: solum autem sint determinata.*

10 Assertio VII. Non tantum sensus literalis, sed etiam spiritualis & mysticus, efficax argumentum Theologo præstat, cum de eo constat: à toto genere tamen spiritualis sensus paruum; accommodatius per se nullum ad probandum habet momentum. Prima pars, quod sensus literalis efficax argumentum Theologo præstet, est S. Thomæ hic q. 1. a. 10. & communis ac certa omnium Doctorum, & patet ex assert. 5. quod tamen intellige, si de tali sensu constet, iuxta dicta dub. præced.

Secunda pars rectè asseritur à Gregorio de Valentia hic cit. q. 1. p. 5. §. 3. Vasquio disp. 16. cap. 5 Lorino in Act. Apost. cap. 2. v. 31. Gillio tract. 7. cap. 5. & alijs recentioribus communiter, & colligitur ex S. Augustino epist. 48 ad Vincentium, vbi ait: *Quis autem nonnisi impudentissimè nitatur, aliquid in allegoria positum per se interpretari, nisi manifestissima habeat testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Ratio est. Quia etiam hic sensus est à spiritu sancto intentus: Ergo ex se infallibilis, adeoque etiam ad argumentandum efficax, si de eo constat. Exempla passim habemus in scriptura. Illud enim de agno paschali dictum Exodi 12. v. 47. *Os illius non confringetis*, seu, *Os non comminuetis ex eo*, mysticè per allegoriam ad Christum applicatur Ioan. 19. v. 36. Et illud Deuter. 25. v. 4. *Non alligabis os boui trituranti*, ad Operarios Euangelicos 1. Cor. 9. v. 9. Ex quibus proinde locis, alijsque similibus, mystico sensu intellectis, efficax argumentum etiam ad fidei dogmata probanda petere possumus. Etsi fatendum, cum ex figura veteris testamenti, in nouo testamento explicata, argumentum petitur, iam non à solo sensu mystico, sed literali quoque, declarante mysticum, argumentum desumi. Et fieri tamen interim posset, vt de sensu mystico etiam aliunde, videlicet ex communi interpretatione SS. Patrũ, aut Ecclesiæ declaratione constaret; vt rectè etiam notarunt citati.

Tertia pars asseritur à S. Thoma hic q. 1. a. 10 ad 1. vbi dicit, *ex solo sensu literali posse argumentum trahi, non autem ex his, quæ secundum allegoriam dicuntur.* Idem docent omnes Theologi veteres, cum S. Augustino loc. cit. & Dionysio in epistola ad Polycarpum, vbi dicit, *Mystica Theologica non arguit*; & cum Hieronymo lib. 2. in cap. 13. Matthæi, qui ait: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia, potest ad authoritatem dogmatum proficere.* Quos tamen absolutè loquentes ad supradictam moderationem rectè interpretantur citati. Idem habet Apologia Confessionis Augustanæ titulo de sacrificio Missæ, vbi dicitur: *Allegoriæ non pariunt firmas probationes.* Quanquam intetim Lutherani parum memores suæ huius doctrinæ, quando de Pontifice agendum est, perpetuis, iisque plærunq; ineptissimis allegorijs, ex Daniele & Apocalypsi petitis, conuincere se posse temerè existimãt, Romanum Pontificem esse Antichristum, ut part. 2. Anatom. Confess. Augustan. demonst. 5. §. 22. à num. 238. fusius ostendi. Ratio huius partis est; quia regulariter & à toto genere, non constat in particulari de sensu mystico cuiusque loci scripturæ; & si quando constat, iam non tam ex spirituali, quam literali petitur argumentum, vt dictum.

Quarta pars est mens S. Thomæ loc. cit. & communis doctrina, quam tradit etiam Vasquez cit. d. 14. cap. 7. Probatur. Quia accommodatitius sensus, nullo modo est intentus ab auctore spiritu sancto, loquendo propriè de sensu accommodatitio verborum scripturæ: secus est de exemplorum & parabolarum accommodationibus, vt notauit Vasquez ibidem; sed qui sensus non est propriè accommodatitius scripturæ, vt superius dictum. 11

Atque ex his colligitur, quid sentiendum de alijs quibusdam partitionibus, seu enumerationibus sensuum scripturæ, ab aliquibus nonnunquam afferri solitis. Prima est, quam ex S. Augustino lib. de vtilit. cedendi refert S. Thomas hic q. 1. art. 10. argum. 2. vbi dicit Augustinus, scripturam veteris testamenti quadrifariam tradi, scilicet secundum historiam, secundũ ætiologiam, secũdum analogiam, secundum allegoriam. Quam doctrinam explicans S. Thomas ibidem ad 2. rectè ait, illa tria, historiam, ætiologiam, & analogiam, hoc loco, ad vnum literalem sensum pertinere, adeoq; non differre, nisi materia. *Nam historia est, vt ipse Augustinus exponit, cum simpliciter aliquid proponitur: ætiologia verò, cum causa dicti assignatur; sicut cum Dominus assignauit causam, quare Moyses permiserit licentiam repudiandi vxores; scilicet propter duritiam cordis ipsorum. Matth. 19. Analogia verò est, cum veritas vnius scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare. Sola autem allegoria inter illa quatuor, pro tribus spiritualibus sensibus ponitur.* Ita S. Thomas.

Secunda diuisio, est Hugonis Victorini in prolog. lib. 1. de sacramentis, cap. 4. vbi tam spirituales, quam literales scripturæ sensus commemorans, tres solum

Digitized by Google

sensus scripturæ distinguit, scil. historicum, allegoricum, & tropologicum. Qui itidè sub sensu allegorico etiam anagogicum comprehendit: vt rectè etiam notauit S. Thomas ead. q. 1. art. 10. ad 2. Reliqui ex ijs, quæ mox subijciam, intelligentur.

Tertia diuisio est, quam tradunt Eucherius in præfatione libri spiritualium formarum, & Cassianus collat. 14. cap. 8. vbi asserunt, quatuor esse genera illustrandi sacram scripturam; è quibus deducitur illa diuisio, qua sensus scripturæ immediatè diuiditur, 1. in historicum. 2. in tropologicum, seu moralem, qui ad vitæ emendationem refertur. 3. in allegoricum, quando in gestorum narratione & historia mysterium aliquod fidei nostræ continetur. 4 in anagogicum, qui refertur ad ea, quæ sunt æternæ beatitudinis. In qua diuisione, sensus historicus literalem complectitur; cæteri ad spiritualem referri videntur, iuxta dicta assert. 3.

Nec verò vt docet S. Thomas q. 1. a. 10 ad 1. quicquam sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod scriptura per literalem sensum alicubi manifestè non tradat. Eosdemque sensus quatuor nonnullis videtur indicare S. Augustinus lib. 1. in Genes. ad lit cap. 1. vbi ait: *In libris omnibus sanctis intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur, vel moneantur:* quanquam Augustinus hoc loco ad solam materiæ diuersitatem respexisse videtur: nec tamen ideo penes eam sensum scripturæ in totidem membra partitur, vt pluribus persequitur Vasquez disp. 16. cap. 2.

DVBIVM III.

An etiam Conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut vna reuelata, & altera naturaliter euidente deducta, possit esse principium Theologicæ argumentationis.

S. Thom. 1. p. q. 1. a. 8.

1 SErmo est de principio Theologiæ proprio, & propriè Theologico; cuiusmodi cum sit sola veritas fidei, seu principium reuelatum diuina fide creditum, vt dictum hic dub. 1. & quæst. 3 dub. 2. perinde est, ac si in proposito quæratur, An conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut vna reuelata, & altera naturaliter euidente deducta, possit etiam ipsa immediatè per fidem credi.

Ante omnia vero distinguendum est inter conclusiones Theologicas immediatè reuelatas, & alias immediatè non reuelatas. Vtrasque enim subinde Theologus per discursum verè Theologicum colligit & infert; vt de posterioris generis est per se manifestum; de prioris generis patet exemplo Christi, qui resurrectionem mortuorum probauit ex alio quodam principio reuelato; nempe quod Deus in scriptura etiamnum dicatur Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, &c. vt dictum superius q. 2. dub. 1 idemque expresè docet S. Thomas hic q. 1. art. 8. idque tunc maximè oportunum est, quando agitur contra aduersarium, qui cum vnum principium reuelatum admittat, v. g. scripturam, alterum negat; v. g traditionem, vt pluribus dictum cit. q. 2. dub. 1.

Neque verò propterea confunditur habitus fidei cum habitu Theologiæ. Nam etsi hoc casu idem sit obiectum materiale complexum vtriusque habitus (quod etiam in diuersis habitibus naturalibus sæpe accidit) tamen ratio formalis assentiendi semper manet diuersa: ita vt eidem propositioni assentiamur per fidem, vt simpliciter reuelatæ; per Theologiam verò, vt contentæ in altera reuelata, seu propter reuelationem alterius præmissæ, ex qua hæc deducitur. Itaque nullum est dubium, quin conclusio Theologica per se immediatè reuelata possit esse principium alterius Theologicæ conclusionis; non quidem, vt est conclusio Theologica; sed vt est propositio fidei. De alijs verò conclusionibus Theologicis immediatè non reuelatis est controuersia; quæ licet in materia de fide pertractari soleat, tamen etiam hoc loco non incommodè examinatur.

Prima igitur sententia asserit, non posse nos talibus conclusionibus immediatè per fidem assentiri; sed solummodo vel per habitum Theologiæ, vel per prophetiam, aut prudentiam infusam. Ita Bannes 2. 2. q. 1. art. 1. licet idem Bannes hîc q. 1. art. 3. dicat, non esse necessarium ad conclusionem Theologicam, quod vtraque, vel altera præmissa sit immediatè de fide, *imò contingit*, inquit, *vtramq; vel alteram esse etiam conclusionem Theologicam.* Vbi hic author concedit, posse nihilominus talem conclusionem, esse principium Theologicæ argumentationis; non vltimatum scilicet; sed immediatum & quasi secundarium; sicut & in scientijs rectè assumitur pro principio secundario, conclusio in eadem scientia demonstrata. Eiusdem sententiæ est Molina hîc quæst. 1. art. 2. disput. 1. vbi addit, etiam conclusionibus ab Ecclesia ex reuelatis definitis, non assentiri nos immediatè habitu fidei. Idem significat Zumel hîc q. 1. a. 1. quæstione 2. 2

Secunda sententia distinguit. Ait enim talem conclusionem de fide esse, & posse per fidem credi, si deducatur ex duabus præmissis reuelatis; aut saltem ex vniuersali reuelata; non autem si ex particulari reuelata, & altera euidenti deducatur. Ita Gregorius de Valentia tom. 3. q. 1. p. 2. Exemplum prioris est: Omnis homo ritè baptizatus est in gratia: hic infans à me est ritè baptizatus: Ergo est in gratia. Exemplum posterioris: Omnis homo est risibilis: Christus est homo: Ergo Christus est risibilis.

Tertia sententia vniuersim affirmat, tales propositiones posse per fidem credi. Ita sentit Scotus in 3. d 34. & 35. q. vn. relatus supra q. 2. dub. 1. Idem docet expresè Aureolus q. 1. prolog. dub. 2. art. 2. qui tamen vlterius etiam progressi sentiunt, non dari habitum Theologiæ distinctum à fide, quo assentiamur eiusmodi conclusionibus, vt dictum q. 2. dub. 2. Eandem tertiam sententiam tuentur Andreas Vega lib. 1. in Concil. Trident. cap. 29. Canus lib. 6. loc. Theolog. cap vltimo ad 10. Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 15. & lib. 3. de Iustificat. cap. 8. & lib. 4. de amiss. grat. cap. 11. Gabriel Vasquez hîc disput. 5. cap. 3. & disput. 7. num. 7. Arragonius 2. 2. quæst.

Digitized by Google

11. artic. 2. Albertinus tom. 1. princip. 3. corollar. 3. punct. 2.

3 Assertio I. Assensus conclusionis Theologicæ qua talis, nimirum vt formaliter deductæ ex principijs reuelatis, non est assensus fidei, sed solum Theologiæ; adeoque nec conclusio Theologica, qua talis, est propositio fidei, aut principium proprium & vltimatum Theologicæ argumentationis. Est communis, vt dictum cit. q 2 dub 2. & quæst. 3 dub. 2 & paulo post magis patebit, contra Scotum & Aureolum, locis cit. quibus Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 1. num. 7. addit Canum lib. 12. loc. cap. 12. sed quem iuxta communem rectè interpretatur Vasquez infra. Probatur. Quia habitus fidei & Theologiæ sunt distincti, vt ex communi dictum cit. q. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 2. Ergo etiam actus & assensus vtriusque habitus. Cum ergo constet ex dictis ibidem, assensum, quo assentimur eiusmodi conclusionibus vt deductis ex principijs reuelatis, esse Theologiæ, non poterit esse assensus fidei. Et confirmatur. Quia habitus fidei non est discursiuus; & licet propositionum quarundam ad fidei motiua spectantium, præuium assensum requirat; non tamen eum requirit, velut rationem assentiendi; alioquin enim non posset esse certior eiusmodi præuijs assensibus: sed requirit tantum velut conditionem applicantem rationem formalem assentiendi; quæ est immediatè ipsa reuelatio veritatis creditæ, cum tamen ipsa ratio assensus Theologici sint præmissæ seu principia reuelata; quibus proinde idem assensus nititur tanquam propria ratione formali obiectiua, vt dictum cit. q. 3. dub. 2

Atque idem discrimen inter assensum fidei & Theologiæ, authores citati, etsi verbis nonnihil diuersis optimè tradiderunt. Vasquez cit. cap 3. num. 7. cum dixisset, assensum conclusionis Theologicæ, quatenus infertur ex præmissis de fide, vel ex altera de fide, & altera naturali, non esse assensum fidei infusę; sed aut inferiorem assensu præmissarum, aut altioris rationis, ex sua, & Cani, ac Vegæ l. c. sententia subijcit: *At verò Canus & Vga, præter hunc assensum, qui fit per discursum, & dicitur Theologicus, contendunt esse alium proximè productum lumine fidei; qui tanquam conditionem præcedentem postulat assensum Theologicum; etiamsi hic sit minus certus, quam assensus fidei.* Et disp. 7. num. 7. ait, *prius esse deduci conclusiones, quam illis assentiri fide infusa.*

4 Gregorius de Valentia cit. tom. 3. q. 1. punct 2. ad 3. his verbis eandem rem explicat: *Si quis assentiretur Theologicæ conclusioni ex vi bonitatis consequentiæ, & ex euidentia alterius præmissæ, tunc illum assensum non eliciò à fide, sed à Theologia; cum verò posita euidentia illius minoris, constat iam illi homini, conclusionem illam contineri implicitè in maiori præmissa de fide, liberum esse ei assentiri illi conclusioni per habitum etiam fidei.* Et infra addit: *In eo casu assensum præmissa, non habere se vt præmissam vel discursum; sed vt conditionem sine qua non.*

Albertinus loc. cit. in eadem assertione explicanda his verbis vtitur: *Conclusionem Theologicam vt deductam ex præmissis non esse de fide, nec credi per fidem;* quod probat toto fere coroll. 1. eandem tamen conclusionem, *vt explicatam per præmissas discursus Theologici esse de fide:* quod probat cit. coroll. 3. Vbi etiam num. 3. hoc discrimen esse docet inter conclusionem Theologicam, vt deductam, & vt explicatam; quia deducta, vt sic formaliter innititur discursui naturali (seu ipsis principijs discursus) tanquam rationi formali assentiendi: at verò conclusio Theologica, vt explicata, non innititur discursui (seu principijs discursus) tanquam rationi formali, sed tantum illum prærequirit, tanquam conditionem explicantem illam conclusionem. Ex quibus patet, hos quidem authores in eo conuenire, vt doceant, conclusionem Theologicam posse etiam per fidem credi; attamen propterea minimè sentire, aut fidem ipsam esse discursiuam, aut Theologiam supernaturalem esse eundem habitum cum fide infusa.

Assertio II. Supposito discursu & assensu Theologico (in quo videl. vel præmissa vtraque sit reuelata, vel vna reuelata, & altera naturaliter euidens) vel ut conditione applicante rationem formalem fidei, omnis conclusio Theologica etiam immediatè & secundum se per fidem credi; adeoque verum & proprium principium Theologicæ argumentationis esse potest. Ita authores tertiæ sententiæ. Probatur. Quia omnis propositio diuinitus reuelata, & vt talis sufficienter proposita, potest per fidem credi, vt suppono ex materia de fide: at omnis eiusmodi conclusio Theologica est diuinitus reuelata, & vt talis sufficienter proposita: Ergo potest per fidem credi. Minor quoad primam partem probatur. Quia quisquis reuelat aliquid, reuelat etiam quantum in se, id quod cum eo necessario ac euidenter est connexum; ac proinde omnis veritas necessario & euidenter connexa cum veritate reuelata, est etiam reuelata: sed conclusio Theologica est necessariò & euidenter connexa cum propositione reuelata; eo ipso quod ex hac, adiuncto alio principio euidenti, per euidentem consequentiam inde deducitur: Ergo propositio Theologica est etiam reuelata Altera pars minoris probatur. Quia per ipsum discursum Theologicum certò innotescit, conclusionem Theologicam contineri in propositione reuelata, & cum ea esse necessariò & euidenter connexam: Ergo hoc ipso sufficienter proponitur vt reuelata.

5 Confirmatur assertio ex S. Gregorio Nazianzeno orat. 5. de Theol. c. 5. docente, ea quæ colliguntur ex scriptis, perinde habenda esse, ac si essent scripta. Verba eius cum Aduersario pro diuinitate Spiritus sancti disputantis, inter alia sunt hæc: *Quod si te his quinque, aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex tuis verbis colligerem; aut ex eo, quod animal ratione præditum & mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi viderer delirare? Nequaquam profectò; cum tua dicerem. Neq; enim verba magis sunt eius, qui loquitur, quam illius, qui loquendi necessitatem simul affert. Quemadmodum igitur hic non ea magis, quæ dicuntur, quam quæ intelliguntur expenderem; eodem modo nec si quid aliud eorum, quæ vel nullo modo, vel certè non satis apertè dicantur, ex scriptura tamen intelligi, colligiq; reperirem, tam te nominum sycophantam pertimescerem, vt à pronuntiatione ipsa refugerem.*

Contra hanc assertionem, eiusque probationem obijci potest primò. Si conclusio Theologica est etiam reuelata, & per discursum Theologicum sufficienter proponitur vt reuelata, sequitur, supposito eo discursu Theologico, posse nos, omisso assensu Theologico, conclusioni ita deductæ statim assentiri;

per

Digitized by Google

per ipsam fidem; esto ratio assentiendi non sit discursus, vel præmissæ ipsius discursus, sed sola reuelatio
6 diuina.

Respondetur, sequelam esse dubiam. Vasquez enim loc. cit planè significat, ipsum quoque assensum Theologicum conclusionis præsupponi ad assensum fidei; certè quidem id ordinarium esse, & homini magis connaturale negari non potest; probabiliter videri potest etiam necessarium, iuxta eorum saltem sententiã, qui docent, suppositio discursu, hominem necessario assentiri conclusioni deductæ, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem. Nihilominus tamen æquè probabile videtur, id quod Gregorius de Valentia loc. cit. satis apertè indicat, posse absolutè loquendo, discursui Theologico, qui est in præmissis, omisso assensu Theologico, immediatè statim succedere assensum fidei: quod eo probabilius erit, si supponamus, supposito quolibet discursu manere libertatem assentiendi conclusioni quoad exercitium; quod probabilius videtur. Nam si potest omnino prætermitti assensus Theologicus, etiam supposito discursu Theologico; ergo poterit pro arbitratu etiam statim elici assensus fidei; cum ratio formalis fidei applicata intelligatur conclusioni, non propriè ex assensu Theologico conclusionis, sed ex præmissis.

Obijcitur secundò. Intellectus in assensu conclusionis consectatur omnem certitudinem, & perfectionem possibilem, quam assensus ipse habere potest ex præmissis, vt dictum supra q 3 dub. 2. sed maior est perfectio assensus fidei, quam Theologiæ: Ergo illum semper & necessariò eliciet, supposito discursu, etiam prætermisso isto.
7

Respondetur, maiorem esse veram, in eodem genere assensus manendo, & seruata proportione: hoc est, si assensus nitatur præmissis, vt ratione formali assentiendi, tum eam certitudinem habebit & perfectionem, quam habere potest assensus eiusmodi discursiuus ex vi præmissarum; si verò tantum vtatur præmissis, vt conditione applicante aliam rationem assentiendi, tunc omnem habebit certitudinem ac perfectionem, quam ex sua ratione formali obiectiua habere potest, supposito assensu præmissarum, velut conditione applicante: non tamen est necesse absolutè, vt intellectus supposito discursu, in assensu veritatis illatæ, de genere assensus discursiui, eoque prætermisso, immediatè ad aliud genus assensus non discursiui transeat; imò naturale est homini, vt supposito discursu, eliciat assensum nitentem præmissis, vt ratione assentiendi; vt antea dictum.

Obijcitur tertio. Omnis assensus fidei immediatè est propter diuinam reuelationem, ex dictis supra quæst. 3 dub. 2. Ergo omnis propositio fidei debet esse immediatè reuelata; qualis non est conclusio Theologica.

Respondetur, negando consequentiam. Potest enim aliquis, supposito discursu Theologico, immediatè assentiri alicui veritati propter diuinam reuelationem; etiamsi illa non sit immediatè reuelata: nam ad illud sufficit, vt immediatè moueat ipsa diuina reuelatio; esto hæc ipsa non denominet aut afficiat ipsam veritatem, nisi alia mediante. At dicet aliquis: Ratio formalis fidei est reuelatio ipsius in se veritatis, quæ creditur: Ergo debet ipsa in se esse reuelata. Respondeo; si vocula in se, neget & excludat medium, in quo reuelata sit, falsa est vtraque enuntiatio: si autem tantum abstrahat & præscindat à medio, in quo reuelata sit; conceditur vtraque: quia etiam conclusioni Theologicæ assentimur, vt reuelatæ in se, hoc est, de qua verè dicere possumus, esse reuelatam, etsi non sit reuelata sine medio, sed in alia.

Obijcitur quartò. Ea propositio non est de fide, quam quis potest sine hæresi negare, etiam stante propositione eiusdem sufficienti, quæ velut credenda proponitur: sed conclusio Theologica citra hæresin potest ab aliquo negari, etiam stante propositione eiusdem sufficienti, facta per discursum Theologicum: si quis nimirum neget præmissam naturalem, quamuis euidentem; aut etiam ipsam consequentiam, quantumuis euidentem. Ergo, &c.

Respondetur ad minorem, nec præmissam, nec consequentiam negari posse ab eo, cui earum vtraque euidens est, vt supponitur: quod si neutra, aut aliqua earum alicui verè non sit euidens, iam huic conclusio eiusmodi Theologica eo quidem discursu nondum erit sufficienter proposita.

DVBIVM IV.

An etiam sequatur conclusio necessaria, seu certa de fide; si in discursu Theologico præmissa naturalis sit, vel de Inesse tantum, vel moraliter certa.

Ad S. Thom. 1. p. q. 1. a. 8.

DVplex est sensus huius quæstionis; prout etiam conclusio ipsa, eiusque certitudo dupliciter considerari potest. Primò enim considerari potest ipsa conclusio solum obiectiuè, & secundum se, abstrahendo ab assensu, quo ei assentimur: qua ratione sensus quæstionis est iste; vtrum talis conclusio deducta ex vno principio reuelato, & altera præmissa naturali, quæ sit vel de inesse tantum, vt dialectici loquuntur, (hoc est absolutè, & secundum se vera, etiamsi nos de ea nullam euidentiam aut certitudinem habeamus) vel moraliter certa, sit de fide certa, & infallibilis obiectiuè; seu an ipsa secundum se habeat immutabilitatem & necessitatem saltem hypotheticam, & fundatam in diuina præscientia reuelante; siue interim nos sciamus, esse reuelatam, siue non. Secundò considerari potest conclusio ratione assensus, quo ei assentimur: ita vt quæstio sit, vtrum assensus ipse talis conclusionis sit, aut esse possit in nobis verus fidei assensus, habens omnem certitudinem formalem tam adhæsionis, quam infallibilitatis, quæ fidei propria est: cum qua quæstione coincidit illa, quam nonnulli recentiores sub his terminis proponunt, qualis nam debeat esse præmissa naturalis, ad hoc, vt sufficienter explicet conclusionem de fide; ita nimirum vt sit certa de fide certitudine formali etiam adhæsionis. Et de primo sensu quæstionis non est magna difficultas, vt dicemus.

Circa secundum autem quæstionis sensum sunt duæ sententiæ. Prima requirit, vt præmissa naturalis

expo-

exponens conclusionem de fide, sit simpliciter euidens, cui non possit vllo modo subesse falsum; adeoque non existimat hæc sententia, sufficere certitudinem moralem. Ratio esse potest: quia alias viri admodum pij nonnunquam credere fidei certitudine possent, se esse in gratia, etiam citra peculiarem Dei reuelationem: quod tamen est apertè contra Concilium Tridentinum sess. 6 cap 9. vbi dicitur: *Nullum scire valere, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Atque ita videntur sentire Vega lib. 9. in Concilium Tridentinum cap. 29. & Gregorius de Valentia tom. 2. d. 8. quæst. 4. punct. 4. & à potiori ij, qui simpliciter negant conclusiones Theologicas (immediatè non reuelatas) posse per fidem credi, quos retulimus dub. præcedenti.

Secunda sententia simpliciter concedit, sufficere certitudinem moralem. Ita Bartholomæus Medina, in 1. 2. q. 112. art. 5. concluſ. 3. & significat Bellarminus de Iustitia lib. 2. cap. 8. Eandem sententiam sequitur tandem etiam Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 3. num. 7. & 14. cum hac tamen limitatione, vt & præmissa illa naturalis sit de obiecto particulari contingente, & aliunde non constet, Deum nolle includere implicitè, in præmissa de fide reuelata, conclusionem Theologicam; quod dicit propter argumentum primæ sententiæ. Ratio huius sententiæ est; quia alias non possemus fide diuina credere, Concilium Tridentinum esse infallibile; Pontificem, pro tempore existentem, esse verum Pontificem. Vtraque enim hæc conclusio pendet ex aliqua præmissa, quæ non nisi moraliter certa esse potest; nimirum & Concilium illud legitimè fuisse congregatum atque approbatum; & hunc legitimè fuisse electum, siue ab Ecclesia acceptatum, &c.

2 Posset etiam tertiò aliquis forsan existimare, ad hoc, vt quis conclusioni tali per fidem assentiri possit, sufficere, vt præmissa naturalis sit probabilis: quia eo ipso fit probabile, adeoque credibile, aliquid vt in præmissa reuelata virtualiter contentum, ibidem reuelatum esse; quod significat Palatius citatus infra assert. 2.

Pro resolutione quæstionis in hoc posteriori sensu, notandum, certitudinem moralem non consistere in indiuisibili; nec vnius planè esse modi ac rationis; sed magnam habere latitudinem ac varietatem. Quædam enim cum quadam morali euidentia coniuncta est, quæ non sinit nos moraliter vllo modo formidare de oppositio: qualis cernitur in hoc assensu, Romam, Constantinopolim esse, vel fuisse. Ciceronem Romæ Oratorem, Cæsarem Dictatorem seu Imperatorem fuisse, &c. Alia tametsi careat omni actuali dubitatione & formidine, tamen non excludit omnem omnino facultatem moralem formidandi de oppositio; qualis est v. g. in hoc assensu, hanc hostiam esse verè consecratam; hunc puerum à tuo parocho esse verè baptizatum: quali etiam certitudine credimus, hos vel illos esse nostros parentes, consanguineos, &c. His positis, iuxta priorem quæstionis sensum, est

3 Assertio I. Omnis propositio siue conclusio, ex vna reuelata, & altera de Inesse, seu materia sit necessaria, seu contingens; & siue ipsa eius veritas nobis sit euidens, siue non sit, euidenter deducta, habet certitudinem obiectiuam fidei, siue certitudinem infallibilitatis, & immutabilitatis, fundatam in diuina præscientia reuelante. Est communis sententia; cui quod sciam nullus Doctorum aduersatur. Probatur manifestè. Quia quicquid subest diuinæ præscientiæ reuelanti, habet certitudinem seu necessitatem fundatam in diuina præscientia; vt patet: omnis eiusmodi conclusio ex vna reuelata, & altera de inesse (quæ est, & supponitur vera) euidenter deducta, subest diuinæ præscientiæ reuelanti: Ergo habet certitudinem obiecti fidei, siue certitudinem infallibilitatis & immutabilitatis, fundatam in diuina præscientia reuelante. Minor probatur. Quia omne à parte rei necessariò (saltem ex hypothesi) connexum cum principio reuelato, subest ex eadem hypothesi, diuinæ præscientiæ reuelanti: non enim nescire potest Deus id, quod necessariò connexum est cum sua præscientia, seu obiecto suæ præscientiæ: sed quicquid per euidentem consequentiam deducitur ex reuelata, supposita veritate alterius de inesse, est necessario (saltem ex prædicta hypothesi, siue suppositione) connexum cum principio seu veritate reuelata: Ergo quicquid per euidentem consequentiam deducitur ex reuelata, & altera de inesse, subest diuinæ præscientiæ reuelanti, saltem ex eadem illa hypothesi, quod propositio illa naturalis sit de inesse; adeoque vera.

Et confirmatur assertio. Quia talis veritas, cum primum propositio de inesse noscitur euidenter vera, potest credi per fidem; cum tamen ex parte obiecti, nulla maior ei certitudo accedat, per naturalem notitiam, siue euidentiam propositionis de inesse. Exemplum est: Omnis infans ritè baptizatus est in gratia: hic infans est ritè baptizatus: Ergo est in gratia. In quo Syllogismo si propositio minor sit vera de inesse, vt supponitur, quanquam sit in materia contingente, & nobis euidenter non cognita, conclusio illa obiectiuè, habet certitudinem obiecti fidei, siue immutabilitatis & infallibilitatis, fundatam in diuina præscientia; seu est certa certitudine obiectiua fidei. Idem multò magis dicendum est, de syllogismis quibusdam, in quibus vel vtraque præmissa est reuelata (de quibus nulla prorsus est quæstio) vel vna reuelata, & altera præmissa naturaliter euidens: quales sunt isti: Nullus redemptus à Christo est Angelus: omnis homo est de necessitate fidei à Christo redemptus: Ergo nullus homo est Angelus. Vel: Omnis homo est de necessitate fidei à Christo redemptus: nullus Angelus est à Christo redemptus: Ergo nullus Angelus est homo. Item: Omnis homo est animal: nullus Angelus de necessitate fidei diuinæ est animal: Ergo nullus Angelus est homo.

Nec obstat quod Albertinus loc. cit corol. 2. num. 4. & 5. in posterioribus duobus exemplis dicit, conclusionem non esse certam (obiectiuè) de fide, nec sequi certitudine fidei, ex parte obiecti formalis Quod; etiam stante certitudine fidei alterius præmissæ. Ipse enim eo loco non disputat, an habeat quomodocunque certitudinem obiecti fidei, seu an certa sit de fide certitudine obiectiua, quacunque ratione, sed an habeat hanc certitudinem vt deducta, ex parte obiecti formalis Quod, vt ipse loquitur: quã rem ipse ibidem plurib. explicat; nos autem 4

veluti

veluti superuacaneam consultò prætermittimus. Nobis enim satis est scire, talem conclusionem habere plane certitudinem obiectiuam fidei; vndecunque tandem eam, & quomodocunque habeat; quod ipse non negat, sed asserit ibidem corol. 3. num. 17. vbi tandem fatetur, omnem conclusionem Theologicam, vt expositam per præmissam naturalem euidentem, esse de fide certam certitudine formali seu adhæsionis; siue vt deducta sit de fide ex parte obiecti formalis Quod, siue non sit. Quod si verò conclusio talis non haberet certitudinem obiectiuam fidei, non posset etiam eius assensus vnquam habere certitudinem formalem fidei; quia assensus fidei, eiusque certitudo formalis supponit in obiecto certitudinē obiectiuam: nihil enim per fidem credi potest, nisi quod sit obiectum fidei, adeoque de fide certum obiectiuè. Atque hæc de primo sensu quæstionis.

5 Assertio II. Vt autem præmissa naturalis, vna cum reuelata, sufficienter proponat aliquid credendum fide diuina; siue quod idem est, vt conclusioni ex eiusmodi præmissis deductæ, siue explicatæ, assentiri possimus certitudine formali fidei, nullo modo satis est, vt præmissa naturalis sit solum probabilis, siue simpliciter de inesse; quantumuis reipsa sit vera. Hoc supponunt omnes Doctores, quicquid in contrarium dixisse videatur Palatius q. 6. & 9. prolog apud Gillium lib. 1. tract. 2. c. 5. n. 2. Ratio à priori est; quia veritas per fidem credenda, velut à Deo reuelata, ita proponi debet, vt fiat non solum ipsa prudenter quomodocunque credibilis; sed etiam vt contrarium eius secundum prudens iudicium prorsus reddatur incredibile; adeoq; vt ex vi ipsius propositionis excludatur omnis prudēs formido oppositi: cum alioqui fides plane futura sit, aut infirma, aut imprudens; adeoq; nulla, vt cum S. Thoma in 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2 ex communi docetur. Id autem non fit quacunque ratione probabili; vtpote cui semper etiam prudenter timere possumus, ne falsum subsit; sed alijs firmioribus medijs & motiuis, vt suo loco docetur, & fusius persequitur Albertinus loc. cit. num. 7 & seqq. Ratio à posteriori est. Quia alias non solum quisque iustus credere posset fidei certitudine, se esse in gratia; sed etiam quiduis quocunque probabili argumento scripturæ, vel Patris alicuius reddi nobis posset de fide certum; quod planè est absurdum & inauditum. Plura circa assertionem quartam.

Vnde etiam patet responsio ad contrariam rationem, supra pro tertia sententia allatam. Cum enim agatur non de quolibet humanæ, aut naturalis fidei alicuius assensu, quo vtcunque credam, aliquid reuelatum (ad qualem planè sufficit probabile aliquod argumentum) sed de assensu fidei diuinæ prorsus firmo & indubitato, qui omnem prudentem formidinem excludat, non sufficit ad eum quodlibet motiuum probabile.

Sed vrgebit aliquis. Certum nobis est, conclusionem ex vna reuelata, & altera naturali de Inesse deductam siue explicatam, habere certitudinem fidei obiectiuam, vt dictum assert. præced. Ergo certum nobis est, esse ex se idoneum obiectum fidei: Ergo poterit etiam per fidem à nobis credi.

Respondetur primum antecedens, cum proximo consequenti, verum esse in sensu composito, non diuiso; seu quod idem est; conclusionem eiusmodi habere certitudinem fidei obiectiuam, adeoque esse ex se idoneum obiectum fidei, ex suppositione, quod propositio naturalis sit de Inesse, adeoque vera; cum tamen interim nobis non constet, esse veram; non autem absolutè, nullaque suppositione facta. Qua de causa negatur vltimum consequens. Quia ad hoc, vt possit aliquid à nobis per fidem credi, non est satis, vt obiectum ipsum ex se, vel suppositione aliqua nobis incognita, habeat fidei certitudinem; sed vt nobis etiam aliquo modo constet, de tali certitudine, adeoq; etiam de suppositione, ex qua ea certitudo dependet; qualis est in præsenti veritas propositionis de inesse.

Eodem recidit illa responsio, si quis dicat, eiusmodi conclusionem habere certitudinem obiectiuam fidei, in actu signato, & in genere, sed non in particulari, & actu exercito; hoc est, de illa in genere vere dici, quod habeat certitudinem fidei obiectiuam: sed prout tamen eiusmodi aliqua conclusio à nobis in particulari formatur aut exercetur; non posse à nobis dici absolutè & determinatè, quod habeat, sed solum in cōfuso, quòd habeat, aut non habeat; cum de neutro determinatè constet idq; ideò quod in genere de eiusmodi propositione loquendo, supponitur, propositionem illam naturalem esse de inesse: eo ipso, quod de illa sermo est, non de alia: at verò in particulari hoc non supponitur, sed dubium manet; quia in particulari non constat, an hæc vel illa propositio naturalis sit vera, adeoque de inesse.

Assertio III. Vt præmissa naturalis vna cum reuelata sufficienter proponat aliquid credendum fide diuina, adeoque vt conclusioni ex eiusmodi præmissis deductæ, vel explicatæ, assentiri possimus certitudine formali fidei, satis est, vt sit certa & euidens morali certitudine & euidentiâ; quæ nimirum licet talis sit, vt quantum est ex parte motiuorum, seu mediorum, ei absolutè ac physicè possit subesse falsum; tamen moraliter, ac spectatis omnibus, non sinat hominem aut dubitare, aut formidare de opposito. Ita, præter auctores secundæ sententiæ, docet etiam Albertinus loc. cit. Imò nec Auctores primæ vniuersim ac reipsa videntur dissentire; quandoquidem etiam Gregorius de Valentia tom. 3. q. 1. p. 7. §. 29. expresè docet, posse per fidē credi, hunc numero Pontificem esse verè Pontificem: quod tamen non nisi ex una reuelata, & altera moraliter euidenti potest deduci. 6

Probatur assertio. Tum quia moralis eiusmodi euidentia non minus fere obfirmat intellectum ad assensum, nec minorē adeo certitudinem parit, quam ea, quæ in plæriſq; assensibus scientificis physicæ aut Ethicæ cernitur. Tum quia cum alicui fides primùm proponitur, sufficit, id, quod veluti diuinitus reuelatum proponitur credendum, credibile reddi aliquo miraculo; de cuius tamen veritate vix potest ita constare, quin absolutè loquendo, & quantum est precisè ex natura rei, possit ei subesse fraus & deceptio. Deinde fideles sæpe inducuntur ad credendū ijs motiuis, siue ea propositione externa, cui planè absolutè loquendo (prout hic & nunc proponitur & cognoscitur) non repugnat subesse falsum; quandoquidem ad assensum fidei minimè requiritur, vt externa propositio fidei talis sit, cui non possit absolutè subesse falsum: vt contra oppositam quandā sententiam, ex instituto docuimus in 2. 2. & defendimus in disp. impressa de fide th. 47. Cum igitur in cæteris eiusmodi

casi-

casibus, ex parte medij proponentis fidem, sufficiat moralis euidentia, sufficiet probabiliter etiã in syllogismo, ex parte præmissæ naturalis, similis euidentia; præsertim quando ratio nulla adferri potest, cur talis euidentia in proposito non sufficiat. Quibus accedunt rationes pro secunda sententia superius allatæ. Nam de his præmissis, quod Concilium Tridentinũ fuerit legitimũ & Oecumenicum; quod Pontifex hic sit legitimè electus & ab Ecclesia vniuersa acceptatus, post tam claram, publicam, & constantem famam & notitiam, habetur moralis euidentia; quocirca supposita altera præmissa de fide, rectè sequitur conclusio explicata de fide, etiam ex parte assensus.

Assertio IV. Sola certitudo moralis præmissæ naturalis, absque euidentia, non sufficit, vt conclusio inde deducta siue explicata, sit nobis certa de fide, certitudine formali; quam proinde diuina fide credere possimus. Ita auctores primæ sententiæ; nec existimo, eos plus voluisse dicere. Ratio à priori petitur ex ipsa natura fidei supernaturalis. Quia quicquid per fidẽ creditur, necesse est, vt vel formaliter, vel virtualiter sit reuelatũ: talis autem conclusio nec formaliter, siue in se est reuelata; nec virtualiter: quandoquidem non est necessariò connexa cum præmissa reuelata; sed solũ contingenter; mediante scilicet ea propositione naturali, cui potest moraliter etiã subesse falsum: Ergo non potest per fidem credi. Ratio à posteriori allata est, circa primę sententiæ probationẽ. Esto enim possit aliquis ex sanctioribus, etiam citra peculiarem reuelationem, morali quadã certitudinè scire, se esse in gratia, vt ex cõmuni suppono ex 1. 2. post Dominicũ Sotum in Apologia contra Catharinum cap. 2. item post Vegam lib. 9. in Concil. Trident. cap. 46. & 47. Ruardũ Tapperum art. 9. Gregorium de Valentia, & alios etsi contrariũ asserat Vasquez in 1. 2. tom. 2. d. 200. c. 8. tamen nulla de hoc, nec moralis quidem euidẽtia, sine speciali reuelatione haberi potest; iuxta Concilium Tridentinum loco cit. sess. 6. cap. 9. asserens, quemlibet, *dum seipsum, suamq; propriam infirmitatem ac indispositionem respicit* (adeoque omnib⁹ spectatis, esto nonnunquam ob vim præsentis cõsolationis diuinæ, ægrè quis possit animum ad ista tristiora demittere) *de sua gratia formidare & timere posse*. Et hoc tantum, non plus probat Vasquez loc. cit. Quia ergo certitudo hæc propriæ dispositionis sufficientis ad gratiam, homini de ordinaria Dei lege in hac vita possibilis, vtcunque aliquem moralis certitudinis gradum ac modum habeat, caret tamẽ euidentia, ideò non potest inde deduci conclusio Theologica; cui certitudine fidei assentiri possimus.

Aliàs si in cæteris materijs, ex parte præmissæ naturalis, sufficeret ea certitudo moralis sine euidentia, non viderem, qua ratione in hac solũ materia nõ sufficeret similis certitudo eiusdẽ præmissæ. Nam quod Albertinus, circa secundã sententiã superius relatus, hanc materiã ideo excipit, quia constat, Deum nolle ob peculiarẽ conditionẽ hui⁹ materiæ, includere implicitè in p̃missa de fide reuelata conclusionem eiusmodi de adepta propria gratia, videtur sine firmo fundamento dici. Nam si conclusio hæc alioquin ex se est sufficienter connexa cum præmissa reuelata, & vt talis etiam sufficienter proponitur per præmissã naturalẽ solum moraliter certam, sine euidentia, non voluit vtiq;, ne dicã, nõ potuit, obstare Deus, nẽ in eadẽ prę̃missa reuelata cõclusio illa vitualiter includeretur; cũ talis inclusio ex natura rei sequatur, & cõiuncta sit, cũ coñexione eiusdẽ cõclusionis cũ p̃missa reuelata, interueniẽte alia p̃missa naturali, eandẽ sufficiẽti certitudinis gradu explicante.

Atque in hoc genere assensus moraliter certi, absq; euidentia, collocãdi sunt etiam isti assensus; Nos verè esse baptizatos; verè Sacerdotes consecratos &c. tametsi Vasquez loc. cit. hos assensus annumeret ijs, quibus credimus esse Romam, vel Constantinopolin; quod non placet. Nam de illis possumus moraliter aliquo modo formidare; cũ sit vtiq; moraliter possibile, baptizantem, aut cõsecrantẽ, non habuisse veram intentionem. &c. Tot autem homines, continua & perpetua serie, conueniisse & conspirasse ad falsum dicendum de existentia vrbis Romæ, aut Constantinopolis, nõ est moraliter vllo modo possibile. Hic ergo prorsus desinit moralis facultas formidandi, non illic: quamuis nihilomin⁹ etiã illi assensus sunt & dicũtur moraliter certi, quia ægre formidare possum⁹ de opposito; & rarò eis cõtingit subesse falsũ: intelligo, nisi vbi specialis dubitãdi ratio suppetat; qa tunc oñino desinere poterit certitudo moralis.

Obijci potest. Vt præmissa naturalis vna cũ reuelata sufficiẽter proponat aliquid credendũ fide diuina, sufficit ea præmissæ naturalis certitudo, qualis sufficit in externa fidei propositione, ad ipsam fidem primo acceptandam vel exercendã, circa ipsa fidei nostræ mysteria, à Deo imediatè reuelata: sed in hac propositione fidei sæpe sufficit moralis aliqua certitudo motiuorũ fidei, etiam sine euidentia: Plærunque enim simpliciores credunt, adeoq; fidem acceptant & exercent; inducti ad hoc authoritate Maiorum; iuxta S. Thomam 2. 2. q. 2. a. 6. ad 3. quando nimirũ à Maioribus vel prædicatoribus fidei audiunt, fidem nostrã varijs miraculis, per Christum, Apostolos, & deinceps etiã alijs modis in Ecclesia fuisse diuinitus contestatã: aut quando ab ijsdem audiunt, tot sanctitate illustres personas vtriusque sexus, aut fidem hanc suo sanguine consignasse, aut alioquin per eam ad tãtum sanctitatis fastigium peruenisse; cum tamen interim nullam habeant moralem euidentiam, vel de miraculis perpetratis, vel de sanctitate Martyrum, aliarumq; personarũ, qui fidẽ Christianã & Catholicam coluerunt; sed quoad hoc credãt solum paucis suis Maioribus, vel prædicantibus; à quibus hoc audierunt; qui talem euidentiam propositæ narrationis progignere nullo modo posse videntur: quandoquidem simili ferè ratione fides etiam falsa, v. g. Lutherana, aut Caluiniana, simplicibus in medio nationis praua progenitis & educatis persuaderi potest, & fortè etiã nonnullis ita reipsa persuadetur.

Respondeo, maiorem propositionem vniuersim non videi veram. Quia tametsi quidẽ à propositione illa generali ipsius fidei ad particularẽ hãc, de qua loquimur, per explicationem præmissæ

naturalis, adiuncta altera præmissa reuelata, faciendam, rectè argumentari liceat negatiuè; ita nimirum, vt quæ certitudo ex parte externæ propositionis generalis non sufficit, etiam in altera particulari illa propositione non sufficiat; tamen affirmatiuè argumentando non est vniuersim par vtriusque ratio. Et prima ratio diuersitatis assignari potest; quia ad credibilitatem ipsius fidei in genere, plurimũ confert ipsum lumen fidei, tũ actuale, ad gratiam Dei præuenientem pertinens: quo spectãt diuinæ mentis illuminationes & inspirationes: tum habituale, in ijs, qui fidem iam habẽt; iuxta elegantẽ doctrinam S. Thomæ in 2.2.q. 1. a. 4. ad 3. vbi ait: *Lumen fidei facit videre* (sub cõmuni videlicet ratione credibilis) *ea quæ creduntur. Sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud, quod est sibi conueniens secundum habitum illum; ita etiã per habitum fidei inclinatur mens hominis ad assentiendum his, quæ conueniunt rectæ fidei, & non alijs.* Qui ibidẽ etiã a. 3. ad 2. docet, habitum fidei habere se ad principia fidei, sicut lumen naturale ad principia naturalia. Idipsum docet Gregorius de Valentia tom. 3. q. 1. p. 4. §. 3. argum. 18. vbi dicit: *Experientia constare, credentes ita animo diuinitus affectos esse, vt præcipuè quidem propter nullum argumentum, quod ad fidem persuadendam exterius proponitur, sed propter aliud quiddam diuinum,* (nempe ipsum lumen diuinæ veritatis ac fidei) *quod alio quodam modo & longè fortius, quam illa argumenta, animum afficiat ad firmiter credendum, moueri se intelligant.* Quia verò conclusio, de qua agitur, non est secundũ se diuinitus reuelata: nec ex reuelatis principijs necessariò colligitur, licet inde ratiocinatione probabili, & aliquo modo moraliter certa colligatur, nec adeò etiam diuinæ inspirationes peculiares suppetunt, quæ ad hoc diuina fide credendũ impellant, esto adsint quædã animi interna sensa, diuinitus inspirata, quæ probabilitatẽ, vel vt summum certitudinẽ quandam moralem (quæ non tollit moralẽ dubitandi facultatẽ) suo quodã modo suadeant; ideo cũ diuino fidei lumine eiusmodi cõclusio, secundũ se, credibilis diuina fide minimè reddatur, fit, vt p̃missa naturalis, eo præsidio & quasi fulcro & adminiculo destituta, quantũuis adiũcta p̃missæ reuelatæ, minimè sufficiat ad cõclusionẽ inde deductã fidei certitudine explicandã vel supponendã.

Altera & fortè solidior ratio diuersitatis, inter vtramq; propositionẽ est; quia propositio generalis fidei, im̃ediatè eò solũ tendit, vt fidẽ ipsam, seu fidei veritates supposita reuelatione, credibiles reddat; at verò discursus Theologicus eo directè tendit, vt probet conclusionẽ esse reuelatã; acceptа iam alioqui & suppositа fide, de ipsis veritatibus im̃ediatè reuelatis. Maior autè certitudo, ex parte medij, requiritur ad probandũ (quantum satis est ad fidem) aliquid esse reuelatum, quod ex fide alioqui generali non dum constat esse reuelatum; quam ad credibilitatem veritatis immediatè reuelatæ suadendam: hic enim nullus omnino assensus supernaturalis, nec vllum principium reuelatum prærequitur: credibilitas enim fidei, cõstat ex motiuis fidei, non vt creditis fide diuina; alioquin enim daretur processus in infinitum; sed solum vt creditis fide humana, vt suo loco de fide disputaui thes. 43. cum tamen ad probandum (quantum satis est ad fidem) id esse reuelatum, quod secundum se immediate reuelatum non est, necessariò ex omnium sententia, in discursu Theologico, requiratur vnum saltem principium reuelatũ; seu vna præmissa supnaturalis & reuelata.

DVBIVM V.

Vtrum argumenta contra fidem possint euidenter solui.

S. Thom. 2. p. q. 1. art. 8.

AD principia, adeoque probationem alicuius scientiæ pertinet etiam solutio argumentorũ contrariorũ. Occasionem verò huic dubio præbet S. Thomas hic q. 1. a. 8. vbi ait: *Si aduersarius nihil credat eorum, quæ diuinitus reuelantur; non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes: sed ad soluendum rationes, si quas inducit contra fidem. Cũ enim fides infallibili veritati innitatur; impossibile autem sit, de vero demonstrari contrarium, manifestum est, probationes, quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.* Vbi cum dicit esse manifestum, quod argumenta contra fidem sint solubilia, planè significat, posse euidenter solui.

Pro resolutione huius dubij supponendum, argumenta contra fidẽ duplicis esse rationis; quędã enim peccant vel in forma, contra cõmunes Dialecticorum regulas, suppositа etiam cõmuni notione terminorũ, qui in argumentatione adhibẽtur; vel etiam in materia, contra ipsius naturalis rationis ac veræ Philosophiæ dictamen: alia verò peccant, contra solum fidei lumen; quod potissimum accidit ratione materiæ; nonnunquã tamẽ etiam ratione formę, ob malam distributionem siue dispositionẽ terminorum, contra solũ itidem fidei lumen. Et de vtrisque quæri potest, an solui possint euidenter tum positiuè, tum negatiuè, vt declarabitur.

Assertio I. Argumenta prioris generis, quæ in forma peccant; aut in materia contra naturalis rationis dictamen, euidenter solui possunt. Est cõmunis & extra controuersiam. Probatur. Quia illud argumentum euidenter (etiam positiuè) soluitur, quod euidenter demonstrari potest peccare aut in forma, aut in materia: sed de his id potest demonstrari; cum eorum peccatum siue error aduersetur euidenti rationi naturali, siue ad Logicam, siue ad ad aliam Philosophiæ partem spectanti, vt supponimus: Ergo, &c.

Assertio II. Argumenta posterioris generis, quæ scilicet peccant in materia, cõtra solum fidei lumen, non possunt solui euidenter positiuè. Est itidem cõmunis & extra controuersiam. Probatur. Quia ad hoc vt argumentum aliquod in materia peccans dicatur euidenter solui positiuè, necesse est, contradictorium eius propositionis, quæ assumitur, demonstrari: atqui contradictoriũ eius propositionis, quæ soli fidei lumini aduersatur, non potest demonstrari; alioquin fides ipsa posset demonstrari: Ergo, &c.

Similis est etiã ratio eorũ argumentorum, quæ peccant in forma, contra solũ itidẽ fidei lumẽ; vt in hac argumẽtatione accidit: Hæc essentia diuina

est

est pater: Hæc essentia diuina est filius: Ergo filius est pater. Vbi Essentia diuina male vsurpatur tãquã res seu terminus ita singularis, qui minimè sit communicabilis pluribus; cuius oppositum ex sola fide constat. Idem accidit in hoc syllogismo: Hic Deus generat; intellige patrem: Filius est hic Deus: Ergo filius generat, &c. Ad quæ argumenta euidenter soluenda positiuè, necesse foret demonstrari, terminos illos, hæc essentia, hic Deus ita esse singulares, vt tamen sint pluribus personis communicabiles; quod est impossibile. Et hoc solum voluit Durandus q. 1. prol. num. 42. quando absolutè negauit, eiusmodi argumenta contra fidem posse euidenter solui.

2 Assertio III. Eadem tamen argumenta contra fidem posterioris generis, possunt euidenter solui negatiuè. Ita Caietanus hic q 1. a. 8. Gregorius de Valentia q. 1. p. 5. Gabriel Vasquez hic disp. 11. & significat ipsemet S. Thomas hic q. 1. a. 8. vt dictum. Etsi negent nonnulli recentiores; qui tamẽ fatentur, non reperire se, qui eam sententiam expresse asserat. Probatur & declaratur. Quia ad hoc vt argumentum euidenter soluatur negatiuè, non est necesse, vt aduersarius positiuè redarguatur, & falsitatis conuincatur; sed satis est, vt absolutè negetur propositio fidei contraria; ac simul adducantur rationes ex communibus fidei motiuis, quibus euidenter ostendatur, eiusmodi argumento, seu propositione opposita non obstante, oppositũ multò credibilius esse, ideoque etiam illam rectè ac prudenter negari; nec quenquam ei prudenter assentiri posse; adeoque nec vllam veram euidentiam habere; etsi quidem nec falsitas illius euidenter pateſcat. Quæ omnia necessariò sequũtur ex eo, quod non obstantibus eiusmodi argumentis, fides ipsa, & oppositа fidei veritas nihilominus euidenter credibilis est, veluti nitens altiori lumine; cui proinde meritò adhærendũ sit. Quod verò recentiores illi contrarium sentientes ad euidentem solutionem argumenti etiam negatiuam, requirunt, vt euidens fiat, id reipsa non concludere, sed falsum assumi, sine causa faciũt. Satis est, quod euidens fiat, id non esse dignum fide, sed oppositum; non obstante ea, quam præseferre videtur, euidentia: quo ipso iam etiam euidens fit, id reipsa pro demonstratione non esse habendum; adeoque hoc sensu etiam non concludere.

Ex quibus etiam facile colligitur, an & qua ratione argumenta contra fidem in actu signato dici possint solubilia. Nã generatim ac in sensu cõposito, euidens est, argumenta contra propositiones à Deo reuelatas esse solubilia; eo ipso quod hac ratione supponitur, ea aduersari diuinæ veritati reuelãti; vnde euidenter sequitur esse falsa: at verò in particulari, ac in sensu diuiso non item; nisi negatiuè, modo explicato: quia non est euidens, oppositũ hui⁹ vel illius propositionis reuelatæ esse falsũ; licet per communia fidei motiua euidens sit, nihil ei contrariũ esse fide dignũ, vt dictum est.

Atq; hæc de principijs Theologiæ; eiusque, necessitate, natura, ꝓprietatib⁹ & attributis, adeoq; tota hac disputatione procemiali sufficiãt: Nũc ipsã Tractationẽ obiecti Theologię particulatim aggrediamur, & persequamur; quod ordine fiet sequentibus disputationibus.

INDEX DISPVTATIONIS II.

DE DEO, ET ATTRIBVTIS DIVINIS.

Quæstio I. De Existentiâ ac Essentiâ Dei.

Dubium I. *Quæ sit notio nominis Dei.*

II. *An Deum esse, sit per se notum.*

III. *An, & qua ratione demonstrari possit, Deum esse.*

IV. *Quibus rationibus demonstretur, Deum esse.*

V. *Quæ sit ratio Essentiæ Diuinæ; & an formaliter includat Existentiam, aliasq; ꝓprietates quasdam Dei essentiales.*

Quæstio II. De Attributis diuinis in genere.

Dubium I. *Quid nomine attributi diuini intelligatur; & quænam sit attributorum diuinorum partitio.*

II. *An diuina attributa tam ab essentiâ diuinâ, quam inter se à parte rei distinguantur.*

III. *An attributa diuina in se & ab essentiâ distinguantur ratione; ac etiam virtualiter; & quo fundamento.*

IV. *Vtrùm perfectiones diuinæ distinguantur soluùm per respectum ad creaturas; ac ratione nostrâ: an etiam ratione suæ intellectionis Dei, & beatorum.*

V. *An diuina attributa, sint de ratione, quidditate, & conceptu diuinæ essentiæ.*

VI *Vtrùm Essentia diuina sit de ratione attributorum; & hæc omnia & singula de ratione & quidditate singulorum.*

VII. *An, & qua ratione attributa tam de diuinâ Essentiâ, quàm hæc de illis, atq; etiam illa de se mutuò prædicari possint in abstracto.*

Quæstio III. De Simplicitate, Perfectione, & Bonitate Dei.

Dubium I. *An Deus omni modo sit simplex & incompositus.*

II. *An & quâ ratione Deus sit Ens vndiquaq; perfectissimum.*

III. *An & quâ ratione Deus sit summum bonum.*

Quæstio IV. De Infinitate ac Immensitate Dei.

Dubium I. *An & quâ ratione Deus sit infinitus, secundùm Essentiam; & in quo hæc infinitas consistat.*

II. *Vtrùm possibile sit infinitum actu; siue secundùm multitudinem & numerum: siue secundùm magnitudinem & extensionem: aut etiam intensionem.*

III. *An & quâ ratione Deus sit immensus, & vbiq; præsens.*

IV. *Vtrùm Deus sit etiam in spatiis aliquibus extrà cœlũ.*

Quæstio V. De Immutabilitate, Æternitate, & vnitate Dei.

Dubium I. *An, & quâ ratione proprium Dei attributum sit, esse immutabilem.*

II. *In quo consistat attributum Aeternitatis; & quâ ratione Dei proprium sit.*

III. *An & qua ratione propriũ Dei attributũ sit, esse vnũ.*

Digitized by Google

Quæstio VI. De Visione & Incomprehensibilitate Dei; seu de modo cognoscendi Deum.

Dubium I. *An Deus clarè & intuitivè ab intellectu creato videri possit, & an oculis etiam corporeis: atq; in hac vitâ.*

II. *An Deus videatur, aut quidditativè videri possit, per aliquam similitudinem vel speciem creatam, seu cognitione intuitivâ, seu abstractivâ, etiam secundum potentiam absolutam.*

III. *An intellectus creatus videre Deum possit naturalibus viribus; an potius indigeat ad hoc supernaturali aliquo lumine & habitu, etiam secundum absolutam Dei potentiam.*

IV. *Vtrùm visio effectivè procedat ab Intellectu beati; & quodnam in eâ re sit proprium munus luminis gloriæ.*

V. *An & quanam ratione videntium essentiam Dei, unus alio perfectius Deum videat.*

VI. *Vtrùm Deus etiam comprehendi possit ab intellectu creato; & in quo hæc Incomprehensibilitas Dei consistat.*

VII. *Vtrùm videns essentiam Dei necessariò videat etiam relationes, seu personas, & omnia, quæ sunt formaliter in Deo.*

VIII. *An à beatis in Deo, seu Verbo, videri possint etiam creaturæ, & decreta libera divinæ voluntatis.*

IX. *Quanam ratione & modo in Verbo videantur creaturæ; & unde oriatur diversitas visionis Creaturarum in Verbo.*

X. *Qua, & quandonam à beatis singulis in Verbo videantur creaturæ.*

XI. *Vtrùm saltem per absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri possit Deus, non visâ ullâ creaturâ.*

XII. *Vtrùm per potentiam absolutam fieri possit, vt in Deo seu Verbo videantur omnia, quæ in Deo eminenter continentur.*

Quæstio VII. De Ineffabilitate ac Nominibus Dei.

Dubium I. *An, & quâ ratione Deus sit Ineffabilis; & quænam sit divinorum nominum distributio ac varietas.*

II. *An, & quænam nomina de Deo dicantur substantialiter, & ab æterno, vel ex tempore.*

III. *An communia Deo & creaturis nomina, de vtrisq; vniuocè, an solum æquiuocè, vel analogicè prædicentur.*

IV. *An Deus possit aliquo nomine significari quidditativè.*

V. *Quodnam nomen sit maximè proprium Deo, ceterisq; præstantius: & an nomen Dei Tetragrammaton idè sit cum illo Dei nomine, Qui est.*

Quæstio VIII. De vitâ, Intellectu, & scientiâ Dei.

Dubium I. *An & quomodo in Deo sit scientia, vita, & veritas; seu quâ ratione Deus sit Viuens, intelligens, & verus.*

II. *An & quâ ratione Deus cognoscat seipsum.*

III. *An & quâ ratione generatim loquendo, Deus cognoscat creaturas; in seipsone, an in seipsis.*

IV. *An & quâ ratione Deus cognoscat creaturas, tum existentes, tum possibiles; & num adeo etiam cognoscat infinita.*

V. *An Deus cognoscat omnia futura contingentia, tum absoluta, tum conditionata.*

VI. *Quâ ratione Deus cognoscat futura contingentia, an immediatè in seipsis; vel in causis eorum: vel ex reali eorum præsentiâ ab æterno.*

VII. *An ea potius cognoscat Deus in seipso, & quâ ratione: num vt in Ideâ, aut in decreto suæ voluntatis.*

VIII. *An & quâ ratione Deus cognoscat non entia: atque etiam mala.*

IX. *Quotuplex sit scientia divina: & quisnam in ea sit ordo respectu variorum obiectorum.*

X. *Qualis sit Dei scientia; siue de attributis divinæ scientiæ: & quænam scientia sit causa rerum, & practica.*

XI. *De concordiâ divinæ præscientiæ cum libero arbitrio.*

Quæstio IX. De Ideis Diuinis.

Dubium I. *An, & quid sint Ideæ in mente divinâ.*

II. *Quot, & quarum rerum Ideæ sint in mente divinâ.*

Quæstio X. De Voluntate Dei.

Dubium I. *An & quarum rerum voluntas sit in Deo.*

II. *Quinam actus voluntatis sint in Deo.*

III. *Quotuplex sit divina voluntas.*

IV. *Qualis sit divina voluntas: & quidnam formaliter sit libera Dei volitio.*

V. *An sit aliqua causa seu ratio divinæ voluntatis; & quisnam in actibus ipsius sit ordo.*

VI. *An voluntas Dei necessitatem quibusdam rebus volitis imponat: & quænam in effectibus creatis sit radix contingentiæ.*

VII. *An & quâ ratione generatim Deus actus liberos, & cetera quæ in hoc mundo fiunt, sua voluntate prædefiniat.*

VIII. *Quâ ratione diuinæ voluntatis efficacia, eiusq; præfinitiones, cum libertate arbitrij concilientur: & an absoluta, ac planè antecedens præfinitio actûs humani, pugnet cum libertate actûs prædefiniti.*

Quæstio XI. De potentia Dei.

Dubium I. *An sit in Deo aliqua potentia operatiua ad extra; & quisnam in genere sit modus seu ratio concursûs diuini; quo vna cum causis secundis operatur ad extra.*

II. *Sitne potentia Dei operatiua ad extra formaliter ipse intellectus & voluntas Dei; an potius perfectio ratione ab vtrâq; distincta.*

III. *An diuina potentia sit infinita, & vera omnipotentia: & quodnam proprie sit obiectum potentiæ diuinæ.*

IV. *Possitne Deus facere plura & meliora; quàm fecerit, aut facturus sit, etiam in infinitum: idq; secundum potentiam suam quoq; ordinariam: & an possit facere tantum, quantum potest.*

V. *An vti ad operationes transeuntes, ita etiam ad immanentes, detur in Deo potentia actiua ab illis ipsis operationibus immanentibus ratione distincta.*

Quæstio XII. De Beatitudine Dei.

Dubium I. *An, & quâ ratione Deus sit beatus.*

II. *An beatitudo sit proprium & speciale attributum Dei, & quâ ratione ad alia diuina attributa comparetur.*

Digitized by Google

DISPVTATIO II.

De Deo, & attributis diuinis.

S. Thom. 1. p. q. 2. vsq; ad 27. & rursum q. 25. & 26.
Magister & D.D. in 1. dist. 2. & seqq.

Argumentum & ordo Disputationis.

1 POsteaquàm disputatione præcedente, quasi proœmiali, de ipsa S. Theologiæ scientia secundum se, actum est; ordo ac ratio postulat; vt ipsam iam obiecti, siue subiecti ipsius tractationem & explicationem aggrediamur. Id verò cum sit ipse DEVS, vt disp. 1. quæst. 3. dub. 1. dictum, merito hac disputatione de Deo, eiusq; attributis, quæ quidem ipsi secundum se, & vt à pluralitate diuinarum personarum (de qua disputatione quarta agendum est) abstrahit, conueniunt, agimus: omissis tamen specialibus quibusdam actibus diuinamentis; quales sunt, Prouidentia, Prædestinatio, & Reprobatio diuina: quæ cum proprias ac peculiares habeant difficultates, longioremq; tractationem deposcant, ad peculiarem, & subsequentem disputationem reseruantur.

Agunt verò de proposito argumento Scolastici Theologi, cum Magistro quidem sententiarum lib. 1. sent. dist. 2. 3. 8. 22. 30. 35. 36. 37. 38. 39. 42. 43. 44. Interserunt enim isti sparsim, ac si verũ dicere licet, sine certo fere ordine, etiã tractationẽ de Deo Trino. S. Thomas verò de eadẽ materia agit 1. part. à quæstione 2. vsq; ad 21. inclusiuè, eandemq; post materiã de Prouidentia & Prædestinatione pertexit & absoluit quæst. 25. & 26.

Nos rem totam ad duodecim quæstiones reuocabimus. I. Agetur de Existentia & essentia Dei. II. De attributis diuinis in genere. III. De Simplicitate, Perfectione, & Bonitate Dei. IV. De Infinitate & immẽsitate Dei. V. De Immutabilitate, Æternitate, & Vnitate Dei. VI. De Visione ac Incomprehensibilitate Dei, seu de modo cognoscendi Deum. VII. De Ineffabilitate ac nominibus Dei. VII. De Vita, Intellectu, & scientia Dei. IX. De Ideis diuinis. X. De Voluntate Dei. XI. De Potentia Dei. XII. De Beatitudine Dei.

2 Ratio verò huius ordinis ac dispositionis hæc est. Quia, vt rectè notauit S. Thomas hic initio quæstionis secundæ, circa Deum secundũ se considerari possunt, vel Existentia ac Essentia ipsius, vel attributa, quæ diuinæ Essentiæ secundum rationem nostram quasi superueniunt. Horum quædam ad ipsum præcisè Esse diuinum; alia verò ad operationem eiusdem pertinent. Prioris generis recensentur à S. Thoma nouem; nimirum 1. Simplicitas Dei. 2. Perfectio. 3. Bonitas. 4. Infinitas. 5. Immensitas,

Digitized by Google

quo spectat etiam Omnipræsentia. 6. Immutabilitas. 7. Æternitas. 8. Incomprehensibilitas. 9. Ineffabilitas. Quorum posteriora duo respectũ dicunt ad creaturas, ab iisq; denominationem sumunt; cætera non item. Attributa posterioris generis, quæ ad operationes Dei pertinent, assignãtur à S. Thoma hæc tria, scientia siue Intellectus Dei, Voluntas, & Potentia. De Essentia igitur ipsius Dei primum; deinde de attributis eiusdem in genere; hinc in specie de attributis Dei ad operationẽ eius non spectantibus; ac prius quidem de septem absolutis; ac deinde de respectiuis; deniq; de attributis Dei ad operationem eiusdem pertinentibus, quo etiam Idea diuina pertinent, recto ordine tractatur; idq; ea distributione, vt ex his quæ breuem habent tractationem, nonnunquam plura in vnam quæstionem coniungantur; cætera seorsim singulis quæstionibus absoluantur. Cupimus enim methodum ac dispositionem aptare rebus ipsis tractandis; non tractationem ac res methodo, siue distributioni nostræ.

QVÆSTIO I.

De Existentia ac Essentia Dei.

S. Thom. 1. p. q. 2.

ABsoluetur hæc quæstio quinq; dubijs. I. Quæ sit notio nominis DEI. II. An Deum esse, sit per se notum. III. An, & qua ratione demonstrari possit, Deum esse. IV. Quibus rationibus demonstretur, Deum esse. V. Quæ sit ratio essentiæ diuinæ; & an formaliter includat existentiam, aliasque perfectiones quasdam Dei essentiales.

DVBIVM I.

Quæ sit notio nominis Dei.

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1.

3 PRæceptum Aristotelis est, lib. 4. Metaph. text. 10. & ratio ipsa dictat, vt de re aliqua disputaturi, prius de terminis, seu ratione nominũ, quibus in disputatione vtendum est, conueniant. Quod in hoc argumento grauissimo inprimis faciendum. Tria autem fere sunt, in tribus sacris & principalibus linguis, vsitatissima nomina Dei. Quod enim latinis est *Deus*, græcis est Θεὸς, Hebræis *El*, aut *Eloah*, siue *Elohim*.

Et quanquam alioqui ipsorum eiusmodi nominum varius soleat esse in scriptura vsus: cum aliquando etiam rebus creatis, vti Idolis, tribuantur, Exod. 32. v. 8. *Isti sunt dij tui Israel.* & cap. 32. v. 31. & 37. & sæpe alibi, vbi de Dijs gentium sermo est, vt Deuter. 29. v. 18. 2. Paralip. cap. 32. v. 13. 14. 17. Ierem. 2. v. 28. Nonnunquam etiam Iudicibus & Magnatibus accommodentur, Exod. 21. v. 6. *Offeret eum Dominus Dijs*, &c. Et cap. 22. v. 28. *Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Et Psal. 81. v. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat.* Et v. 6. *Ego dixi, Dij estis, filij excelsi omnes*: propriè tamen, & ex prima sua impositione, Substantiam intelligentem, ab omnibus creatis rebus distinctam, ac superiorem omnibus, significat; vt notauit etiam S. Thomas 1. p. q. 13. art. 9.

Idque ipsum etiam eiusmodi nominum etymon indicat. Dicitur enim Hebræis *El* à radice *Rial*; quod significat fortitudinem. Hinc omissa litera Iod, *El*, Deus, à fortitudine, quasi per excellentiam *fortis* dicitur: quia vincit, & valet super omnia, nec est quisquam, qui voluntati siue potestati eius possit resistere. Esth. 13. v. 9. Iob. 9. v. 4. & 13. & cap. 41. v. 1. psal. 75. v. 8. Siquidem *Potestas & terror apud eum est*, Iob. 25. v. 2. Et sæpe aliàs in scriptura *Fortis* & Potentis nomen, siue Encomium, Deo tribuitur.

Eandem vim & significationem, à quacunq; demum radice deriuatum (id enim non constat) habet nomen *Eloah*; & in plurali numero *Elohim*; quod siue ad designandam pluralitatem personarum diuinarum, siue ob idiotismum linguæ Hebraicæ, ad Maiestatem Dei significandam, velut honoris causa, ita pluraliter Deo tribui solet: quamquam idipsum etiam nomen in scriptura Angelis tribuitur psal. 137. v. 1. Vbi enim nos dicimus, *In conspectu Angelorum psallam tibi*; in Hebræo textu, pro vocula, *Angelorũ*, legitur, *Elohim*.

Nomen

4 Nomen verò græcum Θεὸς optimè deriuat S. Gregorius Nazianzenus homil. 5. in Cant. ἀπὸ τῦ θεάσασθαι. siue θᾶσθαι, quod est *videre*; quia Deus videt & intuetur omnia; nihilque absconditum est oculis ipsius, sed omnia sunt nuda in conspectu Dei, *Qui ergo*. inquit, *omnia adspicit, & intuetur, ex eo, quod omnia intueatur nempe* ἀπὸ τῦ θεάσασθαι *nominatur Deus vniuersorũ*. Et in oratione ad Ablabium prolixè eius nominis vim & notionem inuestigans, ita scribit: *Sed exactius nobis excutiendum est ipsum nomen Deitatis, vt per eam, quæ ineſt voci, significationem, aliquod nobis adiumentum accedat ad declarationem propositæ quæstionis. Vox igitur Deitatis, vulgi quidem opinione, naturæ peculiariter indita esse videtur; ac quemadmodum vel cœlum, vel sol, vel aliud quippiam, ex mundi elementis, peculiaribus vocibus, subiectorum significatricibus denotatur; ita aiunt, in suprema quoque atque diuina natura, tanquam propriũ quoddam nomen, vocem Deitatis aptè accommodatam esse ei, quod* (per eam) *declaratur. Nos verò scripturæ documẽta sequentes, innominabilem & inexplicabilem eam esse didicimus: & omne nomen siue ab humana consuetudine adinuentum, siue à scripturis traditum fuerit, aliquid denotandi vim habere dicimus eorum, quæ circa diuinam naturam esse intelliguntur; ipsius verò naturæ non continere significationem. Atque hæc ita esse, haud magno negotio demonstrari potest.*

Et infra: *Quoniam igitur*, inquit, *varias supernæ potentiæ efficacias animaduertentes, à qualibet nobis notâ efficaciâ appellationes adaptamus, atque vnam nimirum etiam hanc efficaciam* (seu vim) *inspectatricem ac visitatricem, & vt aliquis dicere possit,* θεατικὸν, *id est, spectatricem, esse cognoscimus, quia omnia inspicit, omnia intuetur, cogitationes videns, & vsque ad ea, quæ spectari non possunt, contẽplatrice virtute penetrans, ἐκ τῆς θέας, id est, visione & inspectione,* θεότητα, *id est, Deitatem denominatam esse existimamus; &* τὸν θεοπὸν ἡμῶν, *id est, inspectatorem, contemplatorem nostrum, & Curatorem,* θεὸν, *id est, Deum, & à consuetudine, & à scripturarum doctrina appellari arbitramur. Quod si quis concedit, idẽ esse,* τὸ θεάσασθαι, *id est, spectare, &* τὸ βλέπειν, *hoc est, videre, atque omnia* ἐφορῶντα, *hoc est, inspicientem,* θεὸν, *id est Deum,* ἔφορον, *hoc est, inspectorem, & Præfectum summæ rerum, & esse, & dici; consideret hanc efficaciam, vtrum vni adsit ex ijs, quæ in Sancta Trinitate creduntur, personis, an ad omnes ea virtus* (seu vis) *pertineat. Nam si vera est* τῆς θεότητος, *id est, Deitatis explicatio, & ea quæ videntur* θεατὰ, *id est, visibilia seu spectabilia, &* τὸ θεώμενον, *hoc est, id quod videt & spectat,* θεὸς, *id est, Deus dicitur, nulla iam probabili ratione, aliqua Personarum, quæ in Trinitate sunt, à tali appellatione separabitur, propter insitam voci significationem. Nam quod videant & intueantur, scriptura suo testimonio ex æquo attribuit & Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Hactenus S. Gregorius; qui rectè notat, nomen θεὸς, vt et alia nomina Dei, saltem plæraque, ab aliqua ei9 proprietate vel operatione esse desumpta; neque id genus nomina esse psonalia, sed communia omnibus personis. In quem sensum etiam S. Augustinus serm. 125. de temp. ait, Deus *nomen est potestatis, non proprietatis.* An tamen siue nomen ipsum θεὸς *Deus*, siue aliud quoddã nomen diuinũ, etiã ipsam naturã directè significet, inferius q. 7. cum S. Thoma videbimus.

Eandem eiusdem nominis θεὸς etymologiam, vna cum duabus etiam alijs, refert S. Damascenus lib. 1. fid. Orthodo. cap. 12. vbi ait: *Sequens verò nomen est Deus, qui græcè* θεὸς, *vel à* θέειν, *id est, currere & disponere vniuersa; vel ab* αἴθειν, *id est, vrere (Deus enim ignis est omnem malitiam consumens,) vel à* θᾶσθαι, *id est intuendo omnia. Nam nihil eum latere potest, imo omnium inspector est. Intuetur enim omnia priusquam deducantur ad ortum, intemporaliter intelligens vnumquodque, secundum voluntariam ipsius intemporalem intelligentiam: quæ quidem est prædefinitio & imago, cuius exemplum & expressio in prædefinito tempore fit.* Ita Damascenus: qui etiam antea duo alia DEI nomina retulit; nimirum ὁ ὤν, *Qui est*, & ὁ ἀγαθὸς *Bonus*; & mox ea ipsa, & cætera omnia Dei nomina doctè inter se confert, de qua re cit. q. 7. agendum. Ad eandem nominis etymologiam respexit S. Dionysius de diuin. nom. cap. 12. cum ait: θεότης δὲ ἡ πάντα θεωμένη ἢ πάντα θεᾶσθαι, *Diuinitas est omnia contemplans & lustrans.*

Quod verò ad latinum nomen *Deus* attinet, 6
sunt qui id dictum existiment à græco nomine θεὸς; vti & multorum aliorum nominum latinorum origo à multis sæpe ad græcam linguam referri solet. Quod tamen equidem eo sensu non accipio, quasi lingua latina aut græce coæua non fuerit (vtramque enim vti, & alias primarias ac matrices linguas simul cum linguarum confusione, Genes 11. occasione turris Babel, Deo authore, incepisse existimandum:) aut quasi ab initio rerum eiusmodi quam plurimarum ac præcipuarum proprijs nominibus caruerit, quæ postea primum à græca lingua mutuari oportuerit; sed quia Deus ab initio, dum linguas illas hominibus inspiraret, quandam sæpe in diuersis etiam linguis, ad eandem rem exprimendam, nominum similitudinem atque annominationem, siue paronomasiam suo arbitratu obseruare voluit; quamuis earum linguarum nomina tempore & antiquitate paria essent; & sæpe in vna lingua etymon sibi cõsentaneum vendicarent, quale in alia lingua non facilè reperiunt. Sed enim etiam latino vocabulo, *Deus*, non malè à nonnullis etiam ex latina lingua etymon suum assignatur; vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 1. vt ideo dictum sit, vel quia nihil Deo desit, aut quod ipse det omnia, aut etiam de eo, siue ab eo sint omnia.

Elegantissimum autem, & ferè omnium significantissimum Dei nomen habent Germani, qui Deum vocant GOTT, quasi GVET, hoc est per excellentiam Bonũ, iuxta illud Luc. 18. v. 19. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Huiusmodi nomen Dei etiam in græca lingua non sine commendatione refert S. Damascenus cit. lib. 1. cap. 12. his verbis: *Quemadmodum autem Sanctus ait Dionysius, primarium Dei nomen est, Bonus: non enim primum dicendum est de Deo Esse, sed ipsum bonum.* S. Dionysius verò cap. 4. de diuin. nom. ita hac de re loquitur: *Age ergo ad ipsam iam Boni appellationem pergamus explicandam; quam Theologi peculiariter summæ Deitatis ex omnibus applicant: ipsam, vt reor substantiam diuinam, Bonitatem appellantes; & quia eo ipso, quod est bonum, & substantiale bonum, in omnia, quæ sunt, pertendat bonitatem.*

7 Ex quibus nunc facilè est, communem, & ab omnibus receptam Dei notionem statuere. Etenim S. Thomas hic q. 2. art. 1. ad 2. post S. Anselmum in prolog. cap. 2. ait; Dei nomine significari id, *quo maius cogitari non potest.* Et q. 13. art. 8. in corp. iuxta ea, quæ hactenꝰ ex patribus retulimꝰ, ait: *Nomen Dei, est nomen operationis, quantum ad id, à quo imponitur, significandum. Imponitur enim hoc nomen ab vniuersali rerum prouidentia. Omnes enim loquentes de Deo, hoc intendunt nominare Deum, quod habet prouidentiam vniuersalem de rebus.* Id quod S. Thomas ibidem etiam mox confirmat authoritate S. Dionysij, qui cap. 2. de diuin. nomin. ait: *Deitatem esse, quæ omnia videt, prouidentia & bonitate perfecta.* Et ibidem resp. ad 2. ait: *Impositum est nomen Dei ad aliquid significandum, supra omnia existens, quod est principium omnium, & remotum ab omnibus.* Similia habent idem S. Thomas lib. 1. contra gent. cap. 11. & S. Anselmus in prosolog. cap. 2. 3. & 4.

8 Nec multò aliter S. Augustinꝰ lib. 1. de doctr. Christ. cap. 6. *Omnes*, inquit, *latinæ linguæ socios. cum aures sonus iste* (vocabuli Deus) *tetigerit, mouet ad cogitandum excellentissimam quandam immortalemque naturam.* Et ibidem cap. 7. *Deus*, inquit, *ita cogitatur, vt aliquid, quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere.* Et infra: *Omnes*, inquit, *pro excellentia DEI certatim dimicant, nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.* Similia habet S. Augustinus lib. 7. Confessionum.

Ex quibus proinde rectè hæc communis, & recepta notio vocabuli *Deus* constituitur, significare id, quo maius, aut melius cogitari non potest; siue aliquid super omnia existens, & præstatius omnibus; siue excellentissimam omniũ, immortalemque naturam; siue id, quod est principium omnium, & habet prouidentiam generalem de omnibus: quanquam in hac notione non omnes, etiam qui Deum admittunt, conueniant; cum circa prouidentiam diuinam, rerumque productionem, multi etiam Philosophi, & huius mundi sapientes grauiter hallucinati sint, vt suo loco dicetur.

Eius generis est etiam illa definitio, siue descriptio Dei, quam ex Cicerone lib. 1. Tuscul. qq. refert S. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20. vbi ait: *Deum certè volens, sicut poterat, definire Cicero, tantus author ipsorum: Mens quædam*, inquit, *est soluta, & libera, secreta ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno.* Atque hæc de quid nominis.

DVBIVM II.

An Deum esse, sit per se notum?

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1.

1 SVpposita notione nominis, antequam ad existentiam Dei comprobandam perueniatur, expedienda prius est illa dubitatio, an hæc propositio, *Deum esse*, sit per se nota: nam si vndequaque per se nota esset, frustra in eius probatione tempus & opera insumeretur. Sunt autem hac de re tres Doctorum sententiæ. Prima est eorum, qui sentiunt, eam propositionem esse per se notam, non tantum secundum se, sed etiam nobis, siue secundum nos; & loquuntur de nobis Viatoribus; de beatis enim, qui sunt in cœlis, non est quæstio. Ita videntur sentire Albertus in summa Tract. 3. q. 57. Bonauentura in 1. d. 8. art. 1. quæst. 2. Ægidius in 1. d. 3. q. 2. Argentina dist. 3. q. 1. art. 3. Abulensis in cap. 5. Exod. q. 2. Lyranus in cit cap. 5. Exod. & ex recentioribus expresse Michael de Palatio q. 5. prolog. vbi ait: *Ideo rectius senserunt, qui Deum esse, non solum per se dixerunt notum, quin & quoad nos. Est quippe nobis hoc inditum à natura, diuinitatis scilicet cognitio.* Et citat pro eadem sententia Damascenum lib. 1. fid. Orthod. cap. 1. Ciceronem lib. 1. de natura Deor. & Platonem de legibus lib. 10. qui volunt, inquit, diuinitatis notionem in nobis esse, *ante omnem rationem & prolepsin*, vt verbo Ciceronis vtar, ex Democriti sententia.

Fauent eidem sententiæ Anselmꝰ in prosolog. cap. 2. Altisiodorensis lib. 1 sum. cap. 1. Alensis 1. p. q. 3 m. 2. & 3. dum docent, non posse concipi Deum non esse, si quis cogitet rem, quæ significetur nomine Deus, & non vocem tantum. Fauet etiam Aureolus in 1. d. 2. part. 2. q. 1. a. 6. vbi docet, hanc propositionẽ, Deus est, non esse quidẽ per se notã ex terminis, esse tamen per se notam *ex quodam imperceptibili Syllogismo*; ita vt sit *hæc communis animi conceptio:* qui (art. 5.) etiam reijcit illam distinctionem inter propositionem per se notam, secundum se, & secundum nos.

Secunda sententia est, huic è diametro opposita, eorum qui simpliciter & absolutè negant, eam propositionem, (Deus est) esse per se notã, siue secundum se, siue secundum nos, Putant enim, fieri non posse. vt aliqua propositio sit per se nota in se, siue secundum se, quę non sit etiam per se nota nobis. Ita expresse docent Henricus Gandauensis in summa art. 3. q. 2. Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. Ockam in 1. dist. 3. q. 3. Gabriel ibidem q. 4. Gregorius Ariminensis in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. 2

Tertia sententia, inter duas extremas media, est, quæ distinguens inter propositionem per se notam secundum se, & per se notam nobis, siue secundum nos, docet, propositionem illam, *Deus est*, esse quidem per se notam secundum se, sed non nobis, siue secundum nos. Ita docet S. Thomas hic 1. p. q 2. a. 1. vbi ait: *Dico ergo, quod hæc propositio, Deus est, quantũ in se est, per se nota est, quia prædicatũ idẽ est cum subiecto: Deus enim est suum Esse. Sed quia nos non scimus de Deo, quid est, non est nobis per se nota; sed indiget demonstrari per ea, quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam.* Ita S. Thomas. Eandem doctrinam habent, & sequuntur Richardus 1. dist. 3. a. 1. q. 2. Heruæus ead. d. 3 q. 2. Durandꝰ d. 3. q. 3. Capreolꝰ d. 2. q. 2. a. 2. Ferrariensis 1. cont. gent. cap. 10. & 11. Gregorius de Valentia hic q. 2. p. 1. Ludouicus 3

Molina art. 2. Franciscus Suarez tom. 2. Metaph. d. 29. sect. 3. Gabriel Vasquez hic. disp. 19. item Caietanus, Bannes, & omnes Thomistæ hic cit. quæst. 2. ar. 1.

4 Fundantur autem omnes istæ sententiæ, in definitionibus varijs propositionis per se notæ. Etenim Aureol9 cit. dist. 2. q. 1. a. 5. cum ex Aristotele 1. post. c. 2. notasset, aliud esse propositionem immediatam, & propositionem per se notã, dicit; propositionem per se notam esse, *quam habere necesse est quemlibet docendum, per seipsum, vnde non indiget instructore; talis autem est, quæ venit immediatè in mentem, vel ex terminis; vt de quolibet esse vel non esse, & de nullo simul: aut quæ venit per inductionem ex sensibus, vt quod nix est alba; aut quæ venit in mentem ex vna solius sensus iudicio, vt quod cælum vel motus est; aut quæ venit in mentem per deductionem syllogisticam in tempore imperceptibili factam, & neminem latentem; vt quod omne totum maius est sua parte; vel quod natura sit: Probatur enim ex motu, quod natura, quæ est principium motus, sit &c. Probatur etiam* (prius illud) *ex hoc, quod totum continet partem, & addit super eam, quod sit maius ea: sed quia subito & imperceptibiliter, idcirco est propositio per se nota.* Hactenus Aureolus Cum igitur Deum esse, ab omnibus p quendã imperceptibilem discursum, (ex varijs rerum gradibus & differentijs secundũ dignitatis ordinem deductum, iuxta discursum Anselmi in Monolog. c. 4. petitum) euidenter cognoscatur, sequitur, eam propositionem simpliciter & absolutè esse per se notam, tanquam communem animi conceptionem,

5 Scotus verò loc. cit. propositionem per se notam longè angustioribus terminis definit. Ait enim: *Dicitur definitio per se nota, quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem euidentem; & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios, habet euidentiam, sed ex se tantum; vt Omne totum est maius sua parte.* (Et infra) *Ex hoc patet, inquit, quod non est distinguere, inter propositionem esse per se notam, & per se noscibilem, quia idem sunt. Nam propositio non dicitur per se nota, quia ab aliquo intellectu cognoscatur per se; tunc enim si nullus intellectus actu cognosceret, nulla propositio esset per se nota: sed dicitur per se nota, quia quantum est de natura terminorum, natã est habere euidentem veritatem, contentam in terminis, etiam in quocunque intellectu concipiente terminos. Si tamen aliquis intellectus non concipiat terminos, & ita non concipiat propositionem, non minus est per se nota, quantum est de se. Et sic loquimur de propositione per se nota. Ex hu patet, quia nulla est distinctio de per se nota in se & in nobis: quia quæcunque est in se, & per se nota, cuicunque intellectui est per se nota, licet non actu cognita; tamen quantum est ex terminis, est euidenter nota, si termini concipiantur, sicut patet de syllogismo perfecto, qui nullius indiget, vt appareat necessarius.* Hactenus Scotus. Cum igitur ista propositio *Deus est*, non habeat euidentiam ex suis terminis; (prout à nobis imperfectè cognoscuntur) multi enim, etiam habita terminorum notitia, eandẽ negarunt, vt patebit dub. seq. inde colligit Scotus, eam non esse per se notam; etsi qnidem interim ibidem fateatur, esse per se notam ex suis terminis, si termini perfectè & quidditatiuè cognoscantur.

S. Thomas verò cit. q. 1. a. 1. propositionem per se notam ita definit & distinguit; *Dicendum* 6 inquit, *quod contingit aliquid esse per se notum dupliciter; vno modo secundum se, & quoad nos. Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod prædicatum includitur in ratione subiecti, vt homo est animal; nam animal est de ratione hominis. Si igitur notum sit omnibus de prædicato, & de subiecto, quid sit, propositio illa erit omnibus per se nota: sicut patet in primis demonstrationum principijs; quorum termini sunt quædam communia, quæ nullus ignorat: vt Ens, & non ens, totum & pars, & similia. Si autem apud aliquos notum non sit de prædicato, & subiecto, quid sit, propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos, qui prædicatum & subiectum propositionis ignorant. Et ideo contingit, vt dicit Boetius* (lib. an omne quod est, sit bonum) *quod quædam sunt communes animi conceptiones, & per se notæ apud sapientes tantum: vt incorporalia in loco non esse &c.* Ita S. Thomas qui ex hoc principio rectè infert, propositionem *Deus est*, esse per se notam quidem secundum se, sed non quoad nos, vt superius retulimus.

Sanè quidem licet tota hæc quæstio ferè sit de nomine tantum, (dum quæritur, quænam sit dicenda propositio se nota) vt ex dictis colligitur, non abs re tamen est, quid in hoc ipso modo loquendi sequendũ videatur breuiter declarare.

Assertio I. Hæc propositio, *Deus est*, non est per se nota nobis. Est communis Doctorum sen- 7 tentia, quos pro secunda & tertia opinione citauimus, contra authores pro prima sententia superius relatos, nisi forte quidam aliud dicere non voluerunt, quã esse adeo omniũ quasi hominũ præiudicijs firmatam, vt probatione ex locis intrinsecis nulla egeat, & ex ipsa hominum consensione moraliter & practicè quodammodo euidens sit vt inferius dicetur. Probatur; Quia illa propositio non est per se nota nobis, quę quoad nos indiget probatione, & quam, etiam supposita terminorũ notione, multi negant: sed talis est hæc propositio, Deus est: iuxta illud psal. 13. v. 1. & 52. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*: vt magis patebit dub. sequent. Ergo non est per se nota nobis.

Deinde Aureolus fatetur, propositionem illam non cognosci, nisi mediante quodam discursu syllogistico, adeoque argumento siue medio; cum tamẽ ad propositionem per se notã requratur, vt immediatè veniat in mentem: quomodo autem imẽdiatè, si non nisi per mediũ syllogisticũ venit in mentem? Apud Aristotelem quidem talis descriptio, aut definitio propositionis per se notæ, nusquam reperitur, vt etiam illa, quæ per deductionem syllogisticam imperceptibilem, & neminem latentem in mentem venit, seu cognoscitur. Nec Aristoteles 1. poster. c. 2. propositionẽ imẽdiatam distinguit à propositione p se nota. Nec etiã hanc definit esse illam, quam

necesse est habere quemlibet docendum per seipsum; sed describit his verbis solum quasdam propositiones per se notas, quæ dicuntur Maximæ, siue dignitates, & Axiomata scientiarũ. Nec exempla Aureoli ad propositum faciunt. Nam principium illud, quod adducit, Totum est maius sua parte, norunt oñes etiam sine deductione illa syllogistica imperceptibili, ex solis terminis; in quo rectè consentiunt S. Thomas, & Scotus loc. cit. Certè multi reperiuntur, qui etiam multo studio in eam rem impenso, nec possunt qdem eiusmodi deductionẽ syllogisticam facere, aut inuenire, quibus tamen ea propositio est notissima.

8 Et quomodo deductio illa syllogistica est imperceptibilis, si est vera syllogizatio mentis & operatio intellectus? Certò operationes suas quoad substantiam facile quisque nouit, si mentem velit aduertere.

Deniq; si vel maximè etiam id genus propositionis per se notæ admittendum esset, tamen ne tunc quidẽ rectè talis esse diceretur hæc propositio, *Deus est*: quia non est nota per deductionem syllogisticam neminẽ latentem; cum permulti reipsa eiusmodi deductionem syllogisticam, qua euidenter ꝓbetur, Deum esse, negent & ignorẽt. Neq; Damascenus, Anselmus, & alij, qui cum his citati sunt, senserunt, eam propositionẽ esse per se notã, vt pluribus Durandus cit. d. 3. q. 3. sed quædam principia eius cognitionis nobis naturaliter insita; atque etiam accurata cogitatione rei, quæ per vocem Deus significatur, veniri necessariò in cognitionem Dei, sed mediante tamen discursu, vt dicemus dub. seq.

Assertio II. Propositio illa, Deum esse, est & rectè dicitur nota per se, secundum se. Ita cõmunis Doctorũ sententia, cum Schola S. Thomæ locis cit. Eamq; ex mente S. Thomæ optimè declarasse mihi videtur Suarez in Metaph. cit. dis. 29. sect. 3. à num. 23. Vbi rectè notat, frustra, in controuersia de nomine, Scotũ, & reliquos contra eam S. Thomæ sententiam depugnasse; cum Aristoteles, alijq; veteres Philosophi nusquã explicatè cõmunem & adæquatã notionẽ ꝓpositionis p se notæ ttadiderint: ex mente vero S. Thomę, ꝓpositionem imediatam, & p se notam, idem esse. Cum igitur prædicatum in ipsa re non habet mediũ, seu causam, per quam conueniat subiecto, erit propositio per se nota secundum se; cum verò simul etiam non indiget medio ex parte nostra, vt à nobis subiecto inesse cognoscatur, quia videlicet quidditas, seu ratio & conceptus obiectiuus extremorum est per se omnibus notus, vt fit in principijs communissimis, tum erit propositio per se nota etiam nobis, seu secundum nos. Quo fit, vt diuisum in hac propositione propriè non sint ipsi concept⁹ nostri formales, quod videntur supposuisse Scotus, & alij, sed obiectiui; adeoq; res ipsæ significatæ, non signa; vt rectè post Capreolũ, Molina, & Suarez loc. cit. Quia ergo in hac propositione, *Deus est*, ipsum quidem Esse, siue existentia est de intrinseca ratione subiecti, nimirum ipsius Dei, ac proinde secundum se caret medio, siue causa, per quam conueniat subiecto, est quidem illa propositio per se nota secundum se, siue ex se cognoscibilis sine alio medio; attamen quia ex parte nostra indiget medio, quo subiecto inesse cognoscatur; eò scilicet, quia hæc propositio ex solis terminis non innotescit; proprium verò & quidditatiuum conceptum Dei non habemus; non est ea propositio per se nota nobis.

9 Et confirmatur. Quia quodlibet in tantum est cognoscibile, in quantum est; si quod ergo prædicatum à parte rei non requirit, nec habet mediũ, per quod conueniat subiecto, rectè illud dici poterit secundũ se cognoscibile, sine medio: quandoquidẽ eo ipso, omnes qui habent quidditatiuũ & adæquatũ conceptum vtriusq; extremi, assentiuntur ei propositioni ex sola notitia terminorũ, sine vllo alio extrinseco medio: Ergo talis propositio rectè dici poterit per se nota secundum se; hoc est, cognoscibilis secundum se, sine medio. Non enim sermo est de notitia actuali, sed aptitudinali, vt quoad hoc rectè dixit Scot⁹; etsi in aliũ sensum intellexisse videatur S. Thomam.

Atque eandem doctrinam ita explicatam intendit etiam Heruæus cit. d. 3. q. 2. vbi ait: *Per se notum dicitur, illud, cuius cognitio non acquiritur ex aliquo præcognito sui generis; sicut propositio per se nota dicitur, quæ absque hoc, quod per aliam prius notam probetur, est nota intellectui.* Et Durand⁹ cit. q. 3. n. 4. *Non excluditur*, inquit, *à propositione per se nota, necessaria præcognitio incomplexi* (siue terminorum;) *sed complexi; quia illa est per se nota, cui assentitur absque hoc, quod probetur per aliam propositionem prius & magis notam.*

10 Deniq; Scotus ipse loco cit. fatetur, eam propositionẽ, *Deus est*, esse per se notam, quia *ista extrema*, inquit, *nata sunt facere euidentiam de ista complexione cuilibet apprehendenti perfectè extrema istius complexionis; quia Esse nulli perfectius conuenit, quam huic essentiæ. Sic ergo intelligendo per nomen DEI aliquid, quod nos non perfectè cognoscimus, nec concipimus, vt hanc essentiam diuinam, sic hæc est per se nota, Deus est.* Ita Scotus, qui mox subijcit, non esse tamen eam per se notam, prout Deus à nobis imperfectè concipitur. Plane igitur fatetur Scotus, eam propositionem esse per se notam obiectiuè; cum tamen à nobis imperfectè Deum apprehendentib⁹ non statim ex se, & suis terminis cognoscatur: quod est dicere, esse notã p se secundũ se; sed nõ nobis: vt ꝓinde Scot⁹ re ipsa à S. Thoma nihil, aut parũ videatur dissentire.

Sed contra eam S. Thomæ doctrinam, ac declarationem ꝓpositionis per se notæ, obijcitur: Si illa solum est propositio per se nota, cuius prædicatum includitur in ratione subiecti, tunc sequ-tur, ꝓpositiones sequentes ordine referendas nõ esse per se notas: quod tamen est absurdum. I. Omne totũ est maius sua parte. II. Quodlibet est, vel non est. Homo est equ⁹, vel non equ⁹; est albus, vel non albus. III. Homo non est lapis, non est equ⁹; seu est non lapis, non equ⁹. IV. Est mot⁹; est natura; quorũ vtrũq; tamẽ esse p se notũ, docet Aristot. 2. Phys. tex. 6. V. Nix est alba; Ignis est calid⁹; & cætera eiusmodi quę inductione nituntur: cum Aristot. 2. Top. dicat, eum, q dubitat, vtrũ nix sit alba, *sensu indigere*. VI. Terra est, cœlũ est; aliasq; similes ꝓpositiões, quæ ipso sensu ñotes-

scunt

ſcunt. VII. Deniq; ſequitur, nullã propoſitionem eſſe p ſe notam, in qua propria paſſio, etiam imediata, ꝑdicatur de ſubiecto: eo ipſo quòd tales ꝓpoſitiones habent mediũ per quod à priori demonſtrentur; nempe definitionẽ ſubiecti; adeoq; non ſunt propoſitiones immediatæ; quarum prędicatum includatur in ratione ſubiecti.

11 Reſpondetur primò generatim, plæroſq; Interpretes S. Thomæ in hoc conuenire, S. Thomã cit. q. 2. a. 1. docuiſſe quidẽ, propoſitionem per ſe notam eſſe illam, cuius prædicatum includitur in ratione ſubiecti; id quod ad propoſitum etiam ipſius ſuffieiebat; non tamen dixiſſe, nec ſenſiſſe, ſolam talem eſſe per ſe notam. Ita Capreolus in 1. d. 2. q. 2. art. 2. Ferrarienſis lib. 1. cont. gent. c. 10. & 11. Caietanus hic. q. 2. a. 1. Vaſquez cit. d. 19. num. 6. alijq́ue recentiores: etſi contrarium doceant Ægidius 1. d. 3. part. 1. q. 2. & nõnulli alij. Quomodo autem ea doctrina ſit amplianda, & quænam ſit adæquata ratio propoſitionis per ſe notæ, non eodẽ modo explicant.

Quidam vniuerſim ſentiunt, eſſe illas omnes, quæ ſunt ita immediatæ, vt inter ſubiectum & prædicatum earum nihil reipſa medium intercedat, per quod prædicatum conueniat ſubiecto: qua de cauſa etiam docent, propoſitiones quoq; illas, in quibus paſſio immediatè prædicatur de ſubiecto, eſſe propoſitiones per ſe notas. Ita Ferrarienſis, Caietanus, Vaſquez locis cit.

Sed rectius docuiſſe videntur Heruæ[9] cit. diſt. 3. quæſt. 2. & Durandus q. 3. num. 4. Capreolus cit. art. 2. & Suarez loc. cit. ex mente S. Thomæ, & ſecundum rei veritatem, id non ſufficere ad propoſitionem per ſe notam; ſed requiri, vt ita ſit immediata, vt à priori nullo modo ſit demonſtrabilis: ſiue vt nullum medium habeat à priori, quo demonſtretur. Quo modo vniuerſim dixerunt Heruæus & Durandus loc. cit. propoſitionem per ſe notam eſſe illam, quæ non probatur per aliam propoſitionem prius & magis notam, ſiue interim ex ſolis terminis innoteſcat; ſiue non. Nam ſi quæ propoſitio à priori demonſtrabilis èſt, iam eo ipſo non eſt per ſe nota; ſed per medium demonſtrationis: eſto aliquando poſſit etiam experimento ſenſuum, ſine demonſtratione euidenter cognoſci: quia hoc ipſum experimentum ſenſuum non eſt illi per ſe, & intrinſecum; ſed extrinſecum, & per accidens; ac proinde denominatio cogniti ab eodem experimento ſumpta, non eſt illi per ſe, ſed per accidens: præſertim cum nulli rei creatæ neceſſario conueniat exiſtentia; quam tamen experientia ſenſuum ſupponit.

12 Hoc poſito, iam ſecundò in ſpecie ad ſingulas propoſitiones ſiue exempla obiecta Reſpondetur. Ad primum Reſpondeo, eam ꝓpoſitionem, Omne totum eſt maius ſua parte, in omni ſententia, ac ſine vlla controuerſia eſſe ꝓpoſitionem per ſe notam; quam etiam S. Thomas hic cit. q. 2. a. 1. ſatis perſpicuè propoſitionibus per ſe notis, etiam nobis, accenſet his verbis: *Sicut*, inquit, *patet in primis demonſtrationum principijs, quorum termini ſunt quædam communia, quæ nullus ignorat; vt Ens, & non ens; Totum & pars, & ſimilia.* Quocirca etiam iuxta notionem ſiue deſcriptionem propoſitionis per ſe notæ, à S. Thoma allatæ, dicenda eſt propoſitio per ſe nota, vt rectè etiam Capreol[9] loc. cit. Quia vti magnitudo includitur, & eſt de ratione cuiuſlibet ſubiecti quanti, qua tale eſt; ita etiam maior magnitudo, quam ſit partis, eſt de ratione Totius quanti; vt pote ex ſua intrinſeca ratione includentis magnitudinem partis, ac inſuper aliã, qua veluti Totũ excedit partem. Atq; de hoc ſolo toto quanto ꝓpriè procedit ea ꝓpoſitio; non autem de toto Metaphyſico; ſeu alio quolibet toto integro, vel compoſito, niſi impropriè, & ſecundum aliquam proportionem.

Ad ſecundum Reſpondeo. Quodlibet eſt, vel non eſt, cum ſit primum principium indemõſtrabile, & ex ſuis terminis notũ, ex omni itidem ſententia eſſe ꝓpoſitionem per ſe notã: ſiue quis dicat, ꝑdicatum eſſe de ratione ſubiecti; ſiue nõ. Idẽ dico de ꝓpoſitionibus illis particularib[9] in eo principio vniuerſali contentis; quæ ex vniuerſali illo principio, ſolũ per modũ conſequentię, non autem per verã argumentationem à priori deducũtur, vt mox iterum dicetur. 13

Ad tertium Reſpondetur, propoſitiones illas eſſe imediatas, modo explicato; ac proinde per ſe notas: non enim habent mediũ p quod à priori probentur; ſed innoteſcunt ex ſuiſmet terminis.

Ad quartum, Capreolus loc. cit. negat, eas ꝓpoſitiones, *Natura eſt*, *Motus eſt*, eſſe per ſe notas. *De nulla enim creatura*, inquit, *poteſt dici, quod eam eſſe ſit per ſe notum. Commentator autem & Ariſtoteles dicunt; eas eſſe per ſe notas, quia non indigent demonſtratione, ſed cognoſcuntur ſenſu aut experientia.* Sed Capreolus accipit eo loco propoſitionem per ſe notam pro ea, cuius prædicatum includitur in ratione ſubiecti. Iuxta eam verò rationem, quam nos antea aſſignauimus, Reſpondeo, *Naturam eſſe*, eſſe propoſitionem per ſe notã, abſolutè quidem, ſi *Eſſe* accipiatur proaptitudine ad exiſtendum; ex hypotheſi verò, & ſuppoſita ipſius naturæ exiſtentia, ſi accipiatur pro actuali exiſtentia: quandoquidem propoſitio vtroque ſenſu explicata caret medio à priori, quo demõſtretur; & ſi ſubiectum adæquato conceptu (in priori ſenſu quidditatiuo, in poſteriori etiam intuitiuo, iuxta ſuperius dicta) concipiatur, impoſſibile eſt, eam non eſſe perſpectam. 1

Aliter ſentio de illa propoſitione, *Motus eſt*: hęc enim licet nobis ſit notior, quam prior; eſt tamen à priori demonſtrabilis per illam, *Natura eſt*; cum motus ſit paſſio naturæ. Neq; Ariſtoleles dixit, p ſe notum eſſe, quod motus ſit: ſed quod natura ſit. Verba eius ſunt cit. lib. 2. Phyſic. textu. 6. *Quod autem ſit natura, tentare demonſtrare ridiculum eſt, manifeſtum enim eſt, quod huiuſmodi entia ſunt multa; demonſtrare autem manifeſta per immanifeſta, non potentis iudicare eſt, quod per ſeipſum, & non per ſeipſum notum eſt.* Dices. In ipſa definitione naturæ includitur motus. Reſpondeo, includi oblique, ſed non in recto; ac proinde dum cognoſcitur naturã eſſe, non cognoſcitur ſimul directè motum eſſe; ſed hoc ex illo poteſt demõſtrari: perinde vt ex rationabili riſibile:

Ad

14 Ad quintũ Respondeo cum Capreolo, loc. cit. *ignem esse calidum, niuem albam*: & similes propositiones, quæ inductione per sensus cognoscuntur, non esse propositiones per se notas; cum prædicata non nisi per medium aliquod prius & natura notius conueniant subiectis: neque oppositum dixit Aristoteles loc. cit. sed sensu indigere, qui de ijs dubitet: quod verum est; quia ipso sensu sunt manifestæ: sed hoc ad propositionem per se notam non sufficit, vt superius dictum.

Ad sextum, Cœlum esse, Terram esse; Respondeo eas propositiones esse per se notas (suppositâ subiectorũ existentia) quia prædicatum Existentiæ non habet medium, per quod à priori demonstretur de huiusmodi subiectis, sed suppositâ intuitiua cognitione subiecti, eo ipso statim innotescunt. Capreolus tamen loc. cit. negat, esse propositiones per se notas; quia alio sensu ibidem accipit propositionem per se notam, vt superius in simili dictum ad 4.

Ad Septimum iam superius responsione generali dictum est, eas propositiones non esse per se notas: quia habent medium quo à priori demonstrentur; etsi alio sensu dici possint immediatæ, quia non habent medium reipsa diuersumà subiecto & prædicato, vt ibidem dictum.

DVBIVM III.

An, & qua ratione demonstrari possit, Deum esse.

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 2.

1 SVpponunt quidem alioqui scientiæ existentiam sui subiecti; iuxta Aristotelem lib. 1. poster. ca. 1. sed quando ea per se satis nota non est, vt in proposito contingit, ex dictis dub. præced. necesse est, vt ipsum, *An est subiecti*, ante omnia inquiratur, & quidem ab illa ipsa scientia, si superiorem non habeat.

Sunt autem hac de re tres Doctorum sententiæ Prima simpliciter & absolutè negat, demonstrari posse Deum esse. Ita Petrus de Aliaco in. 1. q. 3. a. 2. Ioannes de Bassolis in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. & dist. 3. q. 1. art. 3. Maior. dist. 2. q. 1. Caspar Cassalius lib. 1. de quadripartita Iustitia, & Rabbi Moyses apud S. Thomam q. 10. de verit. art. 12. Omitto hoc loco atheos, qui prorsus negant, Deum esse, dequibus infra. Fundamentum præcipuum est; quia putant, solui posse omnes rationes, quibus probatur, Deum esse: præsertim cum omnes niti videantur impossibilitate infiniti, vt existimauit Bassolis; quam putant euidenter non posse probari.

Secunda sententia in altero extremo versatur, quæ docet, etiam à priori demonstrari posse, Deum esse. Indicant quidam recentiores; & fauent ex parte Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. Ockam in 1. dist. 3. q. 44 Gabriel ibid. q. 4. Rubion. d. 2. q. 1. art. 2. qui etsi fateantur, secundum legem Dei ordinariam, ac iuxta modum cognitionis, quem nunc habemus de Deo, non posse eam positionẽ demonstrari à priori, & per demonstrationẽ propter quid, dicũt tamẽ, posse ita demonstrari, si Deus alicui infunderet notitiam euidentem eorundem terminorum, vel saltem ipsius termini Deus, quæ posset inseruire loco definitionis. Fundamentum est; quia demonstratio passionis per definitionem subiecti, est à priori; tametsi à parte rei & obiectiuè definitio à definito non differat.

Tertia sententia est media inter priores duas extremas, quæ docet, eam propositionẽ, Deus est, demonstrari quidem posse à posteriori, & per demonstrationem Quia; non autem à priori, & per demonstrationem propter quid. Ita S. Thomas hic quæst. 2. art. 3. & quæst. 3. art. 5. & lib. 1. cont. Gent. cap. 12. Albertus in sum. tract. 3. quæst. 17. Henricus in sum. a. 22. q. 1. & 4. Bonauentura in 1. d. 2. part. 1. a. 1. q. 2. Richardus dist. 3. a. 1 quæst. 3. Heruæus quodlib. 6. q 3. & in 1. dist. 3. q. 2. Marsilius in 1. q. 5. art. 1. Durandus in 1. d. 3. q. 3. & 4. Aureolus in 1. dist. 2. q. 2. art. 6. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 12. Caietanus & Thomistæ hic q. 2. a. 2. Molina ibidem, Gregorius de Valentia hic q. 2. p. 1. Suarez Metaph. tom. 2. disp. 29. sect. 3. & hic lib. 1. de Deo, cap. 1. Gabriel Vasquez disp. 20. cap. 1. Fundamenta inferius exponentur. 2

Assertio I. Deum esse, non potest demonstrari à priori. Est communis sententia Doctorum, vt vidimus. Probatur Quia nullum prædicatum essentiale potest de subiecto demonstrari à priori, & demonstratione propter quid: at verò esse, siue existentia, respectu Dei, est prædicatum essentiale; vt patebit dub. 5. Ergo &c. Secundo si posset demonstrari à priori Deum esse, id maximè fieret per definitionem, seu quidditatiuum conceptum ipsius Dei, vt dixit opposita sententia: at hoc est impossibile: Quia per definitionem subiecti non potest à priori demonstrari ipsa ratio essentialis in definitione inclusa: nihil enim per seipsum demonstratur: at verò Esse, siue existentia Dei, est ratio quædam essentialis ipsius Dei; quæ proinde intrinsecè includitur in definitione seu quidditatiuo conceptu Dei.

Quæ ratio probat, non solum non posse à priori demonstrari Deum esse, si vocula, Deus, in conclusione sumatur ex ipsa, seu pro ipsa natura & essentia diuina; sed etiam si desumatur ab aliquo attributo; licet nonnulli recentiores aliter sentiant. Nam in propositionibus de secundo adiacente, subiecta concreta conclusionum accipiuntur materialiter, non formaliter: aut si formaliter accipiuntur, includunt tamen etiam significatum materiale, vt sensus sit, id quod est tale, & vt est tale, est. &c. Itaque etiamsi dicas, Causa & primum principium rerum omnium est; aut Ens necessarium & immutabile est; aut substantia Omnipotens est; &c. nec sicquidem fieri potest, vt eiusmodi conclusiones demonstrẽtur à priori: esto ex conceptu quidditatiuo Dei, demonstrari fortasse posset, Deum esse Omnipotentem, esse ens necessarium, & immutabile; esse causam & primum principium rerum omnium. 3

Atque ex his etiam solutum est fundamentum contrariæ sententiæ, quam secundo loco retulimus. Aliter enim se res habet cũ passione,

quæ

quæ in definitione aut ratione subiecti non includitur; ipsamque proinde definitionem subiecti, veluti terminũ minimè identicum recipit pro medio demonstrationis.

Assertio II. Deum esse demonstrari potest à posteriori. Ita communis sententia Doctorum, quos pro secunda & tertia sententia retulimus, estque ita certa, vt multi non imeritò oppositam sententiam graui censura perstringant. S. Thomas quidem lib. 1. cont. gent. cap. 12. eam appellat *errorem*. Gregorius de Valentia loc. cit. punct. 2. ait: *Quæ sententia meritò à Theologis existimatur erronea*. Suarez in 1. p. lib. 1. de Deo cap. 1. num. 13. dicit, *valde consentaneum fidei esse, posse naturali discursu demonstrari Deum esse, & hoc*, inquit, *negare temerarium esset, & erroneum*. Vasquez cit. disp. 20. cap. 1. num. 7. ait: *Opinionem S. Thomæ adeo veram existimant recentiores Thomistæ, vt priorem meritò censeant temerariam.*

Probatur assertio primo ex scriptura; quæ non obscurè docet, Deum, veluti Creatorem, ex creaturis euidenter posse cognosci. Sapient. 13. v. 1. dicitur: *Vani autem* (q. d. vecordes) *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex*. Et ibidem ver. 3. *Quorum* (operum Dei) *si specie delectati, deos putauerunt, sciant* (certa notitia) *quantò his dominator eorum specioſior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.* &c. Et ver. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Visio sane ex suo genere certam & claram notitiam significat: Et v. 8. 9. *Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, vt possent existimare seculum, quomodo huius Dominum non facilius inuenerunt?* Non ergo latens admodum & obscura Dei cognitio est, quæ adeo facile occurrit quærentibus. Et Rom. 1. v. 19. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.* Vbi rursum vocula, *conspici*, claram notitiã significat. Huc etiam spectat illud psal. 18. v. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Et Actor. 14. v. 16. *Non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.*

Secundò idem significant Sancti Patres, Dionysius cap. 7. de diuin. nomin. Iustinus in lib. de Monarchia Dei, Tertullianus in Apologet. cont. gent. cap. 17. & lib. ad Scapulã cap. 2. Irenæus lib. 2. cap. 5. Cyprianus de idolorum vanitate, Clemens Allexand. orat. ad gent. Eusebius lib. 7. de præpar. Euang. cap. 2. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theologia, Athanasius orat. contra idola, Basilius in Isai. 1. & 5. Gregorius Nyssenus orat. 11. in Cantica, & disp. de anima & resurrect. Chrysostomus homil. 4. in cap. 1. Genes. & homil. 22. in Matth Hieronymus, & alij comentatores in cap. 1. ep. ad Rom. Augustinus libro de spir. & lit. cap. 12. Damasc. lib. fid. cap. 3.

Optimè S. Basilius orat. de Verbi Incarnat. *Si quis pietatis*, inquit, *sectator est, is quid sit Deus, curiosè non inquirat; verum ex ijs, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogitet, illud certò apud se statuat: siquidem ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine, illarum molitor & opifex certa quadam ratione dignoscitur & spectatur.* Et Gregorius Nazianzenus loc. cit. *Nimis*, inquit, *absurdus & præposterus est, qui argumentis naturalibus non cedit & inficiatur, Deum esse.*

Tertio probatur ratione. Quia omnes effectus proprij alicuius causæ, si cognoscantur, ex sua ratione, apti sunt perducere intellectũ nostrum in cognitionem ipsius causæ: at verò in hoc mundo cernuntur multi effectus proprij ipsius Dei, qui nisi à Deo esse non possent; vt vel maximè est totum vniuersum creatum, vt mox dicemus; Ergo &c. plura dub. seq.

DVBIVM IV.

Quibus rationibus demonstretur, Deum esse.

S. Thom. 1. p. q. 2. art. 3.

ALiud est, rem aliquam posse demonstrari, aliud reipsa demonstrari, aut demonstratam esse. Postquam igitur docuimus, posse demonstrari, Deum esse, restat inquirendum, an & quibus rationibus reipsa demonstretur, Deum esse. De quare statuo hanc assertionem vnicam. Deum esse, à posteriori reipsa pluribus rationibus euidenter probatur. Hæc est mens S. Thomæ hic q. 2. a. 3. aliorumq; quos dub. præced. citauimus contra impios Atheos veteres & recentiores, qui vt est in psal. 13. & 52. v. 1. *dixerunt in corde suo; Non est Deus.*

Tales autem fuerunt olim post Protagoram, qui primus de existentia Dei dubitauit, Diagoras Milesius, Theodorus Cyrenæus, Euemerus Tegeates, quos referunt Cicero lib. 1. de nat. Deor. Plutarchus lib. 1. de placitis Philosoph. c. 7. Lactanti9 lib. 1. diuin. Instit. c. 2. Eusebius lib. 4. de præpar. Euang cap. 6. Augustinus lib. 3. cont. lit. Petiliani c. 21. & Theodoret9 Græca affect. l. 2 & 3.

Tales etiam nostro tempore sunt multi Pseudopolitici, qui omni interna fide, cultu, & religione Dei abiecta, omnia (etiam ipsam cuiuscunque religionis simulatam speciem) ad solam externam Reip. gubernationem, propriumque commodum referunt, vt videre est apud Stanislaum Rescium lib. 1. de Atheismis Euangelicorũ cap. 20. & Lindanum in Dubitantio. *Hac de re*, inquit, Gabriel Vasquez hic disp. 20 c. 1. *non multis ante annis librũ edidit quoque Machiauellus, qui statim publico edicto Inquisitorum, iure optimo interdictus fuit; in quo illud maximè contendit, hæresum in Regnis tolerantiam esse inprimis vtilem ad maiorem Reip. pacem, & Regnorum amplificationem. Verum enimuero experimento compertum est, eam principum commentiam non confirmare regna, sed potius vastare crudeliter, atque in seipsa diuidere; vt vel inde sibi persuadeant*

politici, quam parum prosit, imò quantum noceat atheismus temporali paci & gubernationi regni, quam solam ad hominum felicitatem sufficere arbitrantur Ita Vasquez.

Cæterum ad existentiam Dei probandam S. Thomas hic cit. q. 1. art. 3. vt & in 1. d. 8. q. 1. a. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 13. & opusc. 3. cap. 3. & de verit. q. 1. a. 4. 7. & de potentia q. 7. art. 2. & 7. quinque rationes adducit. Prima, quā ipse *manifestiorem* vocat, desumitur à motu rerum naturalium, ex Aristotele lib. 7. physic. cap 1. & 2. Videmus enim quædam in hoc mundo moueri. Quicquid autem mouetur, ab alio mouetur, vt ibidē probat Aristoteles: Ergo vel datur aliquod primum mouens, quod à nullo mouetur; aut in mouentibus procedendum erit in infinitum. Posterius dici non potest: quia si nullum est primum mouens; nec erit aliquod aliud mouens, *quia mouentia secunda non mouent, nisi per hoc, quod sunt mota à primo mouente; sicut baculus non mouet, nisi per hoc, quod est motus à manu.* Ergo fatendum est prius, dari videlicet primum mouens, quod à nullo mouetur; & hoc omnes intelligunt esse Deum.

Secunda desumitur à subordinatione causarum efficientium, ex eodem Aristotele 1. Metaphysic. t. 5. & 6. Videmus enim in rebus istis sensibilibus, esse quendam ordinem causarum efficientium: Aut igitur in hoc ordine datur prima aliqua causa, à nulla alia producta: aut admitti rursum debet processus in infinitum; posterius est impossibile: quia in omnibus causis efficientibus ordinatis, primum efficiens est causa medij; & medium est causa vltimi, ergo vbi non est prima causa, non est etiam media, nec vltima causa: remotis autem omnibus causis efficientibus, remouetur effectus. Si primū conceditur, dari videlicet primam aliquam causam à nulla alia productam; ergo datur prima causa efficiens simpliciter improducta; quandoquidem à seipso produci nihil potest. Talis autem causa alia esse non potest, quam Deo. Similia habet Anselmus in Monologio cap. 3.

3 Tertia ratio sumitur ex conditione & gradu rerum contingentium, siue, vt S. Thomas vocat, possibilium & necessariarum. Aut enim omnia, quæ sunt in hoc mundo, sunt tantū contingentia; aut quædam sunt necessaria. Prius dici non potest: Si enim omnia sunt contingentia solum; ergo fatendū, ea omnia aliquando nihil fuisse; contingentia enim ex se, nisi à causa necessaria sustententur, non possunt esse æterna: at illud est impossibile: si enim omnia aliquando nihil fuerunt: ergo nec esse etiam vnquam potuerunt; quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est. Quod si in his rebus est aliquid necessarium, aut illud habet causam suæ necessitatis, aut non habet. Si prius; aut procedendum erit in infinitum, in eiusmodi necessarijs habentibus causam suæ necessitatis; aut in aliquo sistendum, quod nullam suæ necessitatis causam habeat: Prius dici non potest; vti in simili de causis efficientibus dictum, si posterius dicitur, habetur intentum. Quia Ens necessarium, quod nullam suæ necessitatis causam habet, aliud esse non potest, quam Deus. Similem rationem habet Richardus Victorinus lib. 1. de Trinit. parte 1. cap. 7. & 8.

Quarta sumitur ex vario gradu rerum secundum dignitatis & perfectionis ordinem. Vbi enim est magis & minus bonum, siue perfectum, aliquo perfectionis genere; illic etiam est aliquid, in eodem genere perfectissimū; quandoquidem magis & minus tale dicitur, per respectum ad aliquid in eo genere perfectissimum; prout quodq; magis vel minus ad eius perfectionem accedit: sed secundum quamcunq; perfectionē, datur aliquid magis & minus bonum, siue perfectum: Ergo etiam necesse est, aliquid in eo genere esse perfectissimū. Est ergo aliquod Ens perfectissimū in ratione boni, veri, Entis &c. quodque ideo etiam est causa cæterorum eiusdem generis; iuxta Aristotelem 2. Metaph. tex. 4. Hoc verò non est aliud, quam Deus. 9

Similem discursum habet S. Anselmus Monolog. cap. 1. 2. & 4. vbi ita ait: *Si quis intendat rerum naturas, velut, nolit, sentit, non eas omnes contineri vna dignitatis paritate: sed quasdam earum distingui graduum imparitate. Qui enim dubitat, quod in natura sua ligneo melior sit equus, & equo præstantior homo, is profecto non est dicendus homo. Cum igitur naturarum aliæ alijs negari non possunt meliores, nihilominus persuadet ratio, aliquam in eis sic supereminere, vt non habeat se superiorem. Si enim huiusmodi graduum distinctio sic est infinita, vt nullus sit ibi gradus superior, quo superior alius non inueniatur; ad hoc ratio deducitur, vt ipsarum multitudo creaturarum nullo fine claudatur. Hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. Est igitur ex necessitate aliqua natura, quæ sic est alicui vel aliquibus superior, vt nulla sit, cui ordinetur, inferior.* Ita Anselmus. Qui mox pluribus probat, eam naturam non posse esse nisi vnam: quod vel ex eo probatur; quia alioquin vna earum deberet esse ab altera; quo ipso iam non essent pares dignitate & perfectione. Denique concludit: *Restat igitur, vnam & solam naturam aliquam esse, quæ sic est alijs superior, vt nullâ sit inferior: Sed quod tale est, maximum & optimum est omnium, quæ sunt. Hoc autem esse non potest, nisi ipsa sit per se id, quod est; & cuncta, quæ sunt, sint per ipsum id, quod sunt.* Atque hunc ipsum discursum Aureolus citatus dub. 2. existimauit esse *imperceptibilem* illum *syllogismum*, neminem latentem, quo propositio illa *Deus est*, per se nota sit omnibus.

Quintam probationem desumit S. Thomas ex ordinatione rerum ad finem. Omnia enim entia naturalia, etiam inanimata & cognitionis expertia, operantur propter finem: vt vel ex eo patet, quod semper, aut frequentius eodem modo operantur, vt consequantur id, quod est optimum; quo fit, vt non casu, sed ex intentione pueniant ad finē: At verò ea, quæ cognitionis expertia sunt, non possunt tendere in finē, nec operari propter finem; nisi directa ab aliquo intelligente; sicut sagitta à sagittante: Ergo est aliquod Ens intelligens, à quo omnes res naturales ordinantur ad finem: & hoc dicimus Deum.

Hoc

Digitized by Google

6 Hac demonstratione etiam vtitur Cicero lib. 2. de natura Deorum, & S. Athanasius in orat. contra idola, & S. Gregorius Nyssenus in disput. de anima & resurrect. & S. Dionysius cap. 7. de diuin. nom. vbi ait: *Ipsa (diuina natura) ex omnibus noscenda est; cum sit effectrix omnium & semper cuncta coaptans, ipsiusque omnium indissolubilis conuenientiæ atque ordinis causa; semper priorum fines sequentium initijs coniungens, vnamque mundi conspirationem & congruentiam decentissimè moliens.*

Quæ verò contra has rationes S. Thomæ præsertim tres priores, quæ fundantur in impossibilitate infiniti, obijci possunt, expendit & dissoluit Gregorius de Valentia hic quæst. 2. punct. 3. prudenter tamen simul annotans, etiam si nulla huiusmodi rationum concluderet, tamen pro certo nihilominus habendum esse demonstrari posse, quod sit DEVS: posse enim alias rationes esse, quæ id euidenter concludant. Ego verò quia S. Thomæ Commentatorem ex instituto non ago, non existimo operæ pretium, in his immorari: præsertim cùm & Caietanus earum examen prætermittat.

Omitto etiam alias aliorum rationes, qui hoc argumentum eruditè prosecuti sunt; ex Ethnicis Aristoteles 2. & 8. Physic. & lib. 2. Metap. à tex. 4. & lib. 12. Metaph. & Cicero lib. 2. de nat. Deorum. Ex antiquis Patribus Clemens Alexandrin⁹ orat. ad gent. Tertullian⁹ in Apologet cont. gent. cap. 17. Athanasius orat. contra Idola, Gregori⁹ Nyssenus disp. de resurrect. & anima. Augustinus lib. 8. de ciuit. Dei cap. 6. Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 3. Richardns Victorinus lib. 1. de Trin. part. 1. Anselmus in Monolog. cap. 1. & seqq. Ex Scholasticis præter S. Thomam locis citatis, Albertus in sum. tract. 3. q. 18. Alensis 1. part. quæst. 3. memb. 1. Henricus in sum. art. 22. q. 4. Scotus in 1. d. 2. q. 2. Durandus dist. 3. part. 1. q. 1. Capreolus dist. 3. q. 1.

Ex recentioribus præter Scholasticos, Augustinus Eugubinus perenn. Phil. lib. 2. 6. & Leonardus Lessi⁹ de prouid. Dei cont. pseu dopoliticos.

7 Adducam ipse hoc loco solum tres eius rei probationes, hoc ipso saltem planiores, minusque calumnijs obnoxias, quod ab impossibilitate infiniti abstrahunt: vnam moralem; & duas metaphysicas. Morialis sumitur ab authoritate; siquidè moraliter euidens est, eam rem falsam esse nō posse, quæ omniū gentium & populorū, doctorum pariter & indoctorū constantissima asseueratione & testificatione comprobata est: Talis autē est hęc veritas, Deū esse, loquendo in genere, & abstrahendo à particulari Numinis & Deitatis ratione. Ergo saltem moraliter euidens est, hanc rem falsā esse non posse. Minor probatur. Nam perūestigāti omnes historias, veteres, & nouas, sacras & prophanas, nusquam occurret facilè populus, aut gens aliqua, quæ non Deum aliquem agnouerit & coluerit. Et qaumuis Athei, cum Aristotele, mundum fuisse sempiternum existiment, nullam tamē historiam antiquiorem, aut certè antiquioris temporis testem, proferre possunt, quam Moysem: ex eo verò constat, Adamum à Deo creatum, mox à suo ortu Creatoris Dei notitiam hausisse, eamque suis posteris tradidisse: qui licet postea per varias terras & prouincias dispersi, magna ex parte à veri DEI cultu defecerint, semper tamen aliquod Numen agnouerunt; vt de ijs, qui in Chaldea, Mesopotamia, Ægypto versabantur, constat ex eadem Moysis historia; adeo vt notitia Dei alicuius, sub ipsa naturæ lege, toto orbe fuerit propagata.

Hinc à Moyse viro sapientissimo, eadem Dei notitia etiam scriptis libris prodita, non solum in tota synagoga plurimis portentis diuinis confirmata, & constanter retenta; sed etiam apud Ethnicos, Israelitarū hostes, eâdē Moysis, aliorūq; scriptorū sacrorū vti & profana historia teste, Madianitas scilicet, Idumæos, Moabitas, Chananæos, Assyrios, Aegyptios, Babylonios, Medos, Persas, Græcos, Romanos, aliosque populos: & quidem etiam apud viros Philosophos, ingenio, omnique doctrinarum genere præstantissimos, vbique terrarum fuit recepta.

Postremo non solum veri Dei notitia à Christo & Apostolis rursum nouis miraculis roborata; ab innumeris sanctissimis & sapientissimis viris fœminisque comprobata; ipsaque etiam sanguinis profusione ad mortem vsq; contestata, in Ecclesia tota Christiana vel maximè efflo ruit: sed etiam extra Ecclesiā Christi, apud Iudæos, Mauros, Turcas, Persas, Indos, vbiuis gentium, atq; qua cuiuscunq; Numinis agnitio semper extitit; & quidem adeo firmiter omnium gentium animis impressa, vt planè impij ac scelerati, imò & insipientes haberentur, ac publicis plerumque Iudicum sententijs punirentur, qui Deum esse negarent. 8

Hæc autem tanta consensio omnium gentium, quanta in re alia nulla, quæ pendet ab humana fide, reperitur, aliunde nata esse non potest, quam vel à natura, vel ab ipso Deo: vtrouis autem modo non potest non esse verissima. Natura enim per se ad falsum non inclinat; cuius obiectum naturale est verum. Si verò à Deo est, iam hoc ipso demonstrat, Deum esse; quæ non alium, quam ipsum Deum habet auctorem.

Accedunt miracula pene quotidiana, quæ & olim copiosè facta, & passim in Ecclesia supra naturæ vires etiamnum fiunt: quæ siue auctorem spectes, alium habere non possunt, quam Deum: quis enim mortuos excitare; cœcos à natiuitatè illuminare, cœlorū motus inuertere demones imperio pellere potest, nisi qui supra omnem naturam & creaturam est Deus? siue finem ob quem fiunt; si alium non spectant, quam confirmationem veræ religionis; quæ in veri Dei fide & notitia fundatur.

Qui verò Deum negarunt, aut etiam hodie negant ex viris doctis sunt pauciſſimi; ex communi populo non nisi sceleratissimi: inter gentes Indorum non nullas, portenta hominum potius, quam homines; certè quoad viuendi modū bestijs similiores, quam hominibus. Etiamsi igitur nullū aliud suppeteret argumentum, præter hanc tanti consensus authoritatem, omnium seculorum, omnium gentium, omnium populorum, omniū ordinū, omnium proborū & sapientū omnis sexus 9

& ætatis, omnium prope hominũ, hoc vnicum planè sufficeret, non solum ad assensum huius veritatis firmissimum concipiendum, sed ipsos etiam atheos illos & insipientes, qui dixerunt in corde suo, *non est Deus*, de impietate conuincendos, & ab errore retrahendos. Quia vt S. Augustinus ait lib. de vtilit. eredendi cap. 16. *sola est authoritas, quæ commouet stultos, vt ad sapientiam festinent.*

Eleganter etiam Tertullianus apologet. cont. gent. cap. 17. hanc quasi à natura insitam omnibus de existentia Dei præconceptionem animi vrget. *Hæc*, inquit, *summa delicti, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur: vultis ex anima ipsius testimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumscripta, libidinibus & concupiscentijs euigorata, licet falsis Dijs exancillata, cum tamen resipiscit, vt ex crapula, vt ex somno, vt ex aliqua valetudine, & sanitatem suam potitur, & DEVM nominat solum, quia propriè verus hic vnus DEVS, bonus & magnus; & quod DEVS dederit omnium vox est. Iudicem quoq; contestatur illum, DEVS videt; & DEO commendo; & DEVS mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Denique pronuncians hæc non ad Capitolium, sed ad cælum respicit. Nouit enim sedem DEI viui; ab illo & inde descendit.* Ita Tertullianus.

Quocirca prudenter etiam Suarez Metaph. tom. 2. d. 29. sect. 3. num. 34. ait: *Quamuis in rigore non sit nobis (per se) notum, Deum esse, tanquam omnino euidens; esse tamen hanc veritatem adeo consentaneam naturali lumini, & omnium hominum consensioni, vt vix possit ab aliquo ignorari*: Et infra num. 36. ipsam etiam fidem humanam huius rei, quæ habetur ex generali fama apud omnes gentes, ait, esse *coniunctam cum quadam euidentia practica & morali.* Omitto hoc loco alia argumenta à moribus hominum, & prouidentia diuina desumpta; de quibus disp. seq. aliquid dicetur. Atque hæc est prima demonstratio quasi moralis.

10 Secunda demonstratio Metaphysica est hæc. Euidens est, esse in hoc toto Vniuerso Ens simpliciter & absolutè necessarium; de cuius nimirum essentia, & ratione intrinseca, est ipsa existentia: Ergo euidens est, Deum esse; Consequentia patet; quia Ens, de cuius essentia & intrinseca ratione est existentia, non potest non esse Deus. Antecedens probatur. Quia si nullum est in hoc toto vniuerso Ens simpliciter necessarium, modo explicato, absolutè possibile fuit, vt nullum planè Ens existeret; quia eo ipso quod de nullius Entis essentia & ratione est existentia, potest hæc vtique, & potuit iam antea ab ipsa essentia cuiusque Entis abesse: sed hoc fuit impossibile, vt nullum aliquando Ens existeret: Ergo. &c. Minor hæc probatur. Quia si non fuit impossibile; Ergo ponamus factum. Ex hac hypothesi, si non est impossibilis, vt dicitur, non debet sequi impossibile: at si sequitur impossibile, iam ea hypothesis hoc ipso est impossibilis; quia ex possibili nunquam sequitur impossibile: sequitur autem planè ex ea hypothesi impossibile.

Si enim nihil prorsus aliquando extitisset, ex rebus omnibus, quæ sunt & fuerunt in mundo, iam eo ipso etiam nihil fuisset possibile existere: ac proinde hæc ipsa entia, quæ sunt, aut fuerunt in mundo, non fuissent natura suâ entia possibilia: sed hoc est impossibile, & implicat contradictionẽ in adiecto. Ergo &c. Maior huius syllogismi probatur. Quia iuxta principiũ illud naturaliter euidẽs, Ex nihilo, & à nihilo nihil fit; nec quicquã incipit esse, nisi per id quod est, vt rectè etiam dixit S. Thomas supra ratione tertia; itaq; si nihil planè aliquandõ existitisset, nihil etiã esse potuisset; ac proinde nullũ Ens esset vllo modo possibile. Hoc autem implicare in adiecto patet. Quia Entia hæc, quæ reipsa nunc sunt in mundo, sunt vtiq; entia sua natura possibilia; alioquin enim nec possibile fuisset vnquam, vt essent; nec adeo iam reipsa essent: quia ens impossibile nunquã est, nec esse potest: Ergo implicat in adiecto, vt hęc Entia fuerint impossibilia; sic enim Entia possibilia essent impossibilia. 11

Nec video quid contra hanc demonstrationem obijci possit, nisi quis dicat, tametsi non sit de ratione & essentia vllius Entis in sensu distributiuo existentia, esse tamen eam de ratione & essentia horum Entium adeoque totius Vniuersi in sensu confuso, & disiuncto. 12

Sed hæc responsio nihil habet momenti. Quia prædicatum hoc, de ratione essentiæ esse existentiam, est prædicatum alicuius naturæ singularis; quandoquidẽ sicut existere nõ est nisi singulariũ, ita etiam hic vel ille modus existendi per se, non potest esse nisi singularium; ac proinde non potest verificari, nisi ratione alicuius singularis & particularis naturæ, quæcunque illa sit; siue à nobis determinatè cognoscatur, siue non. Ergo si non est de ratione & essentia vllius Entis, in sensu distributiuo, existentia; non poterit etiam esse de ratione alicuius Entis in confuso; adeoq; etiam nec totius Vniuersi. Impossibile siquidẽ est, totum aliquod vniuersum esse Ens ita necessarium, vt de ratione & essentia eius sit Existentia, si partes singulæ eius Vniuersi possunt non esse. præsertim cum de ratione huius vniuersi sint non tantum partes istæ secundum rationem specificam sed etiam indiuiduam. si enim spatio quatuor dierum hæc ipsa numero elementa, & corpora simplicia, cum suis compositis, deficerent, iam non esset idem numero Vniuersum, sed aliud: ac proinde hoc ipso, quod singulæ eiusmodi partes ipsius principales deficerent, ipsũ etiam totũ vniuersum deficeret, adeoque deficere posset. Accedit, quod si de ratione & essentia huius ipsi9 numero Vniuersi esset existentia; iam hoc ipsum totũ vniuersum esset Deus: quia, vt dictũ, nõ potest non esse Deus, de cuius intrinseca ratione & essentia est existentia. Nam hoc ipso est Ens ex se, adeoq; Ens illimitatum, infinitum &c. Ac proinde hæc ipsa responsio, dũ vult effugere existentiã Dei, ponit; in Pythagoricam simul, aut Stoicã inclinans sectam; quæ mundum ipsum, seu mundi

potius

potius animam Deum constituit, vt refert Virg. lib. 4. Georg. & 4. Æneidos:

13 *Principio cœlum, & terras, camposque liquentes,*
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra;
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Tertia demonstratio Metaphysica, à causa efficiente de sumpta, & ab impossibilitate infiniti itidem abstrahens, in hunc modũ conformatur. Aut totũ hoc Vniversũ quod vel oculis cõspicitur, vel mente cogitatur, adeoque omnia copulatim sumpta, in eodem vniverso, sunt facta; aut non omnia, copulatim sumpta, sunt facta. Si non omnia huiꝰ Vniversi copulatim sumpta, sunt facta; ergo saltem aliquid indefinite in eodem Vniverso factum non est; quod est Deus. Si verò omnia copulatim sumpta, sunt facta; tum aut facta sunt ab aliquo extra numerum seu censum omnium eorum, quæ facta sunt, constituto: quod proinde factum non est: aut facta sunt à seipsis, seu ab aliquo, aliquibusue eorum omnium, quæ in eodem Vniverso facta sunt. Posteriꝰ hoc est impossibile; quia nihil potest fieri à seipso; nec vlla multitudo tota, ab aliquo, seu aliquibus, in ea ipsa multitudine comprehensis: quia hoc ipso aliquid inter ea multa comprehensum, esset à se factum; vtpote contentum in ea multitudine, quæ tota ab eo facta dicitur: Ergo concedendum est prius; dari nimirum aliquid, extra numerum & censum eorum omniũ, quæ facta sunt constitutum; quod proinde factum non est, & à quo cætera facta sunt; quod est Deus.

14 Hanc demonstrationem, ex vniversitate rerum creaturam ex seipsa non producta, desumptam, indicat sæpe scriptura, præsertim locis ad secundam assertionem supra citatis; & Apostolus Act. 14. v. 15. *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad* DEVM *viuum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Et rursum idem Apostolus contra Athenienses disputans Act. 17. vers. 23. *Quod*, inquit, *ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit dominus, non in manu factis templis habitat; nec manibus humanis colitur, indigens aliquo cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant; quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus &c.*

Eandem rationem passim indicant SS. Patres. Grauiter Tertullianus apologet. cont. gent. cap. 17. *Quod colimus, Deus vnus est, qui totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit; de nihilo expressit, in ornamentum Maiestatis suæ; vnde & graci nomen mundo κόσμον accommodauerunt.*

15 Et de Platonicis Philosophis S. Augustinus lib. 8. de ciuit. Dei. cap. 6. *Viderunt*, inquit, *isti Philosopi quos cæteris non immeritò fama atque gloria prælatos videmus, nullum corpus esse Deum; & ideo, cuncta corpora transcenderunt, quærentes Deum. Viderunt, quicquid mutabile est, non esse summum Deum; & ideo omnem animam, mutabilesque spiritus transcenderunt, quærentes summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacunque mutabili, qua est, quicquid illud est, quoquomodo, & qualiscunq; natura est, non posse esse nisi ab illo, qui verè est; quia & incommutabilis est. Ac per hoc siue vniuersi mundi corpus, figuras, qualitates, ordinatumque motum, & elementa disposita à cœlo vsque ad terram, & quæcunque corpora in eis sunt, siue omnem vitam; vel quæ nutrit & continet, qualis est in arboribus; vel quæ & hæc habet, & sentit, qualis est in pecoribus; vel quæ & hæc habet, & intelligit, qualis est in hominibus; vel quæ nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet, sentit, intelligit, qualis est in Angelis, nisi ab illo esse non posse, qui simpliciter est. &c.* Et tandem concludit: *Cum igitur in eorum conspectu, & corpus, & animus magis minusq; speciosa essent, & si omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt esse aliquid, vbi prima esset incommutabilis species, & ideo nec comparabilis; atque ibi esse rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent. Ita quod natura est Dei, ipsa manifestauit eis, cum ab eis inuisibilia eius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspecta sunt &c.* Similia habet S. Damascenus lib. 1. fid. orthod. cap. 3. Sed de hac re satis.

DVBIVM V.

Quæ sit ratio essentiæ diuinæ; & an formaliter includat etiam existentiam.

S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1. & q. 3. a. 4.

NOn tractat quidem S. Thomas his locis ex instituto priorem huius disputationis partẽ, nec posteriorem, quæ ad Existentiam Dei pertinet, exponit q. 2. vbi aliàs de Existentia diuina, sed q. 3. art. 4. vbi de simplicitate Dei disserit. Verùm quia res hæc tam ad ipsam Essentiam diuinam, formalemque eius conceptum; quàm ad Existẽtiam Dei pertinet, necessariò hoc loco, priusquam rationem diuinorum attributorum explicare aggrediamur, expedienda est.

Et primùm quidem nulla dubitatio est, quin 1
& Deus essentialiter sit Ens, ac substantia completa: & perfectiones illæ diuinæ, quæ respondẽt gradibus illis Metaphysicis, rationem substantiæ completæ comprehendentibus & contrahentibus, sint de ratione & formali conceptu essentiæ diuinæ, vt sunt esse substantiam, incorruptibilẽ, incorpoream, viuentem, intelligentem. Quanquam cum nulla sit, aut esse possit substantia incorporea non viuens; aut non intelligens; rationes hæ posteriores non sunt ita propriè distincti gradus Metaphysici substantiæ incorporeæ subordinati; sed habent se potiùs, vt ratio-

nes partiales & inadæquatæ, in substantiâ incorporeâ inclusæ; adeoq; simul quodamodo cum ratione Incorporei contrahentes rationem communem substantiæ ad rationem substantiæ spiritualis; qualis nomine substantiæ incorporeæ intelligitur. Sicuti tamen in Angelo, & qualibet substantia spirituali, sunt de ratione & conceptu ipsius essentiæ, ita sunt vtique de ratione & conceptu essentiæ diuinæ, etiam iuxta imperfectum nostrum concipiendi modũ: quicquid nonnulli negent, rationem intelligentis, & viuentis, prout dicunt gradus substantiales, distinctos ab actuali intellectione & vitâ, esse in Deo; quos refert & refellit Gilli⁹ lib. 2. Tract. 2. cap. 4. præter ea, quæ dicentur à nobis inferius quæst. 8. dub. 1. & in simili quęst. 11. dub. 5.

2 Sed neque dubium est, quin præter hæc prædicata essentialia communia Deo & creaturis, sint etiam alia solius Dei propria. Primò enim tale prædicatum Dei est, *Ens increatum*, seu non productum: licet enim hæc ex vi nominis significent negationem, reipsâ tamen, & ex mente ac vsu loquendi, significant rationem positiuam essentialem, & intrinsecam Deo, ipsumque adeo positiuum essendi modum Deo proprium; quem quia distinctè ac prout in se est non intelligimus, explicamus per negationem, quæ ad illum ratione nostra quasi consequitur.

3 II. Tale prædicatum, imò formaliter idem cum præcedenti, est etiam istud, quo Deus dicitur *Ens ex se*, vel à se, vel per se. Neque enim hæc verba ita positiuè intelligenda, quasi Deus à se, vel ex se positiuè procedat vel dependeat; aliquo nimirum causalitatis seu originis genere; licet impropriè ita locuti sint Lactantius lib. 1. Instit. cap. 7. & ferè S. Hieronymus in epist. ad Ephes. 3. vbi ait: *Deus sui origo est, suæque causa substantiæ*: Sed negatiuè; quia non est ab alio vt declarant & probant Anselmus in Monologio cap. 5. & Bernardus lib. 5. de consideratione cap. 6. quia nihil sibijpsi potest esse causa essendi, vel etiam aliquo modo positiuè, secundum rationem quasi formæ, nostro modo intelligendi: ita vt quia in ipsa ratione Deitatis includitur existentia, Deus dicatur esse à se, tanquam à ratione formali. Quo modo intelligendus Henricus Gandauensis art. 30 q. 1. Atque hoc ipsum prædicatum Dei essentiale esse, significauit etiam S. Gregorius Nyssenus, lib. de hominis opificio cap. 16. vbi ait: *Quid igitur, in quo natura diuinæ, & eius, quæ ad diuinam est conformata, discrimen perspici potest? Illud verò in eo perspicies, quod DEI natura existit increata, hominum verò per creationem orta; hoc deinde discrimen alia quædam consequuntur.*

1 III. Tale prædicatum DEI est etiam *Ens necessarium* possibili oppositum: cui videlicet intrinsecè repugnat non esse: quodque adeo absolutè & simpliciter loquendo, non potest non esse, idque ex hoc ipso ratione nostra sequitur, quia Deus est ens ex se, non ab alio, vt declarat Henricus Gandauensis quodlib. 8. quæst. 9. & Scotus tract. de primo principio cap. 3.

IV. Tale item prædicatum est, *Ens per essentiam*, prout distinguitur contra Ens non solum 4 per accidens, sed etiam per participationem. Idque aliud non est, quam id, quod quicquid est, à seipso & seipso est, ita nimirum vt sit totum quod est; nec sit in ipso aliud quod est, & quo est, vt declarant S. Thomas lib. 2. contra gent. cap. 15. & 22. Ferrariensis ibidem, Heruæus in 1. d. 8. quæst. 1. art. 2. Caietanus 1. p. quæst. 44. art. 1. Nec dissentit Scotus in 1. d. 2. quæst. 3. Et quanquam hac ratione prædicatum hoc etiam videatur inuoluere attributum simplicitatis & infinitatis: ratione tamen ad huc ab vtroque distinguitur, tum alijs modis; tum quod Ens per Essentiam, eo ipso, quod seipso totum est, quod est, secundum nostram rationem consequenter excludit compositionem & limitationem, in quorum negatione consistit attributum simplicitatis & infinitatis, vt dicetur. Atque eam rationem Entis per Essentiam speciatim quod totum Esse modo possibili includat, Deo tribuit etiam S. Dionysius cap. 3. de diuinis nominibus, vbi ait: *Nam Deus non quoquo pacto est ens, sed simpliciter & incircumscriptè totum in se Esse pariter ambit, & præambit superapprehendens.*

V. Tale prædicatum Dei est etiam *Forma non formata*. Rationem enim formæ Diuinitati seu naturæ diuinæ tribuit Apostolus Philip. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset*: quod etiam propriè accipiendum, eo communi ac recepto loquendi vsu, quo docti omnes, tam Philosophi, quam Theologi, formas etiam separatas, & subsistentes vocant & agnoscunt. Et Rupertus lib. 1. in Exodum cap. 14. *DEI*, inquit, *substantia forma simplex est, sine vlla materia, ac proinde est, quod est.* Vocatur autem forma non formata, seu non formabilis; quia DEVS & natura diuina, non potest vllo modo compleri aut perfici; quia est totum quicquid est per essentiam. vt dictum, non per participationem: cum è contrario omnis forma creata habeat aliquam informitatem & imperfectionem, & ita perfici & formari possit; quin hoc ipso etiam formata sit, quod ab extrinseco, nimirum ab ipso Deo facta & formata est. Vnde S. Augustinus lib. 15. de Trint. cap. 16. *Sed forma*, inquit, *neque informis, neque formata, ipsa ibi æterna est, incommutabilisque substantia.* Et serm. 38. de Verbis Domini in Euang. S. Ioannis ait: *Est enim forma quædam, forma non formata, sed forma omnium formatorum, forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu.* Et lib. 2. de lib. arbit. cap. 17. *Conficitur itaque, vt & corpus, & animus, formâ quadam incommutabili & semper manente formetur.*

VI. Tale denique prædicatum, & quidem cum priore ferè coincidens est; *Actus purus*. Est enim 5 actus, prout distinguitur hoc loco contra potẽtiam passiuam: forma, qua aliquid actu & formaliter est, vt colligitur ex Aristot. lib. 9. Metaph. tex. 11. Actus autem purus, est forma expers oñis potentiæ passiuæ, seu potentialitatis, vel perfectibilitatis. Cum ergo Deus sit forma expers

omnis

Digitized by Google

omnis potentialitatis & perfectibilitatis, rectè dicitur actus purus. Quo modo etiam prædicatum hoc Dei proprium esse docent Henricus in sum. art. 28. q. 6. & Abulensis qu. 8. in cap. 28. Deuteronomij. Eodemque sensu Richardus Victorinus lib. 2. de Trinitat. cap. 17. ait: *Quicquid in summo bono est, verè & summè vnum est; nec ibi aliud & aliud esse potest; sed idem ipsum est totum quod est.*

Atque ad ea quæ retulimus prædicata diuina, referri etiam possunt alia quædam similia; vt quod Deus dicitur *Ens primum*, aut summum: item *Ens entium*. Licet enim hæc prædicata videantur comparatiua; simul tamen ipsam quoque essentialem Dei perfectionem denotant, qua fit, vt Deus omnibus alijs entibus antecellat.

Quod si inter eas ipsas rationes proprias & essentiales Dei, comparationem instituerimus, deprehendemus, priorem cæteris omnibus esse, rationem Entis increati, siue Entis ex se, modo explicato; hinc enim ratione nostra fit, vt DEVS sit etiam Ens necessarium; item Ens per essentiam; forma non formata, & actus purus. Quia quod est Ens ex se, non potest non esse, cum à nullo dependeat; nec potest etiam esse Ens per participationem; cum à nullo participet esse; ab ipso verò cætera omnia suum participent esse; denique non potest vllo modo esse Ens perfectibile seu in potentia; quia non est à quo perficiatur; nec potest etiam esse Ens vllo modo imperfectum.

6 Quamuis autem disputent aliqui quænam sit ratio per se primò & completè, adeoque etiam vltimò quasi constitutiua essentiæ diuinæ, asserentibus quibusdam, esse ipsam intellectionem diuinam; alijs verò affirmantibus, esse infinitatem; quod sentit Argentina, quæst. 1. prolog. verius tamen videtur, esse ipsam rationem Esse diuini actualis interminati, seu actualitatem essentiæ diuinæ interminatam; seu ipsam actualitatem substantialis esse diuini, vt pluribus declarat Gillius lib. 2. Tractat. 1. cap. 12. 13. & 14. & Tractat. 2. cap. 4. Nam & hoc ipsum est actus quasi actualissimus omnis perfectionis diuinæ: continet item & transcendit omnia, quæ ad essentiam DEI obiectiuè pertinent; estque non solum primum inter diuina prædicata essentialia, quatenus ipsum, cum Ens ex se, & actus purus concipi non possit sine Esse; sed etiam vltimum: quia omnium prædicatorum quasi actus est & perfectio: eademque etiam ratio diuini Esse continetur in omnibus prædicatis essentialibus ipsius DEI hactenus explicatis, nimirum Entis increati, Entis ex se, Entis necessarij, Entis per essentiam, formæ non formatæ & actus puri. Et licet in rebus creatis Esse existentiæ supponat esse Essentiæ; (quo modo etiam imperfectè admodum quandoque à nobis concipitur ipsa quoque diuina essentia, vt dicemus,) In Deo tamen reuera non supponit Essentiam, sed est ipsa essentia subsistens.

Quod si ratione nostra abstrahere velimus rationem attributorum ab essentia, tum actualitas illa Esse substantialis diuini erit ratio vltimo constitutiua ipsius Essentiæ, non prout afficit quasi totum Esse diuinum, seu totum id quod est Deus: sed formaliter ac præcisè, prout afficit, ipsum quasi gradum substantialem Intelligentis in Deo: qui vt sic non dicit rationem attributi, sed rationem essentialen Dei, nondum tamen omnino cõpletam; sed quasi ratione nostra complendam per ipsam actualem Existentiam Dei.

Cæterum quia hæc doctrina supponit Existentiam esse de ratione & conceptu Essentiæ diuinæ, 7
quod tamen ab aliquibus in controuersiam vocatur, est idipsum etiam, vti posterior huius dubitationis pars requirit, diligentius inquirendum. Neque verò controuersia est de hoc, an Existentia identicè idem sit cum essentia diuina; quando etiam in rebus creatis Existentia identificatur cum essentia, imò ex veriori & communiori Philosophia, à parte rei planè idem est cum essentia actuali; nec ab ea plus quam ratione distinguitur: sed de duobus alijs est controuersia. Primum an Existentia Dei à parte rei saltem modaliter distinguatur ab Essentia diuina; etiam supponendo, quod ita distinguatur in rebus creatis. Alterum an secundum rationem nostram Essentia diuina præscindi & abstrahi possit ab existentia; ita vt formaliter non sit de ratione & conceptu Essentiæ diuinæ.

Prius enim illud significant Mayron in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. Bargius eadem dist. & Trombeta, quem ibidem citat; & nescio an alij apud Bassolem in 1. d. 8. art. 2. Idem iuxta mentem Mayronis defendit Picus Mirandulanus Conclus. 8. Hi docent, Existentiam non esse de essentiali ratione seu quidditate Dei; sed modum eius intrinsecum; addunt alij, excepto Bargio, conuenire Deo in secundo modo dicendi per se, non in primo.

Alij verò quidam authores, etsi sentiant, existentiam à parte rei spectare ad essentiam Dei, & in ea reipsa includi, existimant tamen, non esse de conceptu formali essentiæ; ac proinde docent, diuinam essentiam, nostro concipiendi modo, non includere existentiam, sed posse abstrahi ab existentia, vti de alijs attributis docebimus quæst. seq. Ita Heruæus in 1. d. 3. quæst. 2. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 12. & significat S. Thomas in 1. d. 19. q. 2. a. 1. vbi docet, essentiam diuinã secundum intellectum esse priorem suo Esse. Fundamentum est. Quia in creaturis, à quibus sumimus cognitionem Dei, essentia est perfectio distincta ab existentia.

Assertio I. Existentia obiectiuè & reipsa est de 8
intrinseca ratione Essentiæ diuinæ; nec est à parte rei inter hæc duo vlla distinctio. Ita ex communi Theologorum docent S. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 4. & lib. 1. cont. Gent. cap. 22. Albertus in sum. tractat. 4. quæst. 19. & in 1. d. 2. art. 13. & d. 8. art. 3. Bonauentura in 1. d. 8. art. 1. quæst. 2. Henricus in sum. art. 21. q. 4. & art. 24. q. 3. Richardus in 1. d. 22. a. 1. q. 6. & d. 23. a. 1. q. 3. Scotus quodlib. q. 1. Bassolis in 1. d. 8. quæst. 1. a. 2. & 3. & cõmentatores. S. Thomæ in citat locis. Et videtur assertio certissima, quam nemo sine

erroris periculo negare possit. Quam inprimis indicat ipsa scriptura Exodi 3. v. 14. *Dixit* DEVS *ad Moysen: Ego sum qui sum*; & mox ibidem proprium Dei nomen vocatur, *Qui est*. Et alias quoque scriptura peculiari ratione Deo tribuit existentiam. Iob. 14. vers. 4. *Nonne tu, qui solus es?* Et cap. 23. vers. 13. *Ipse enim solus est*; nempe per ipsam suam essentiam. Idem sæpe docent SS. Patres. Optimè S. Athanasius orat. contra idola, post med. *DEVS autem*, inquit, *qui est ipsa essentia, nullis partibus coalescit: quapropter & eius ratio ipsum esse est.*

9 Probatur etiam ratione. Primo. Si enim existentia à parte rei vllo modo differret ab essentia diuina, nec esset de ratione intrinseca essentiæ, sed ea aliquo modo posterior, tunc essentia diuina nullo modo posset habere existentiam: Non à se: quia in illo priori naturæ, quo antecedit existentiam, nondum habet existentiam; Ergo nec potest esse principium & radix, ex qua existentia quodammodo emanet. Nec aliunde; quia tunc DEVS esset Ens creatum: nec verò existentia diuina formaliter ex se ipsa est, si ab Essentia distinguitur: quia si Essentia diuina ex seipsa non est, nec Existentia erit, quæ in illa fundatur, velut modus, vt authores isti dicunt: nec vllus modus rei à seipso est, sed vel ab essentia, vel aliunde Secundo si existentia à parte rei vllo modo esset distincta ab essentia diuina, tunc Deus caussaliter, non formaliter esset à seipso. Nam & ipse per essentiam esset causa siue origo existentiæ: si vllo modo admittamus DEVM nihilominus existere; & interim id, per quod formaliter est, non esset ipse Deus, sed aliquid ab eo reipsa distinctum.

Tertiò. Quia alias essentia DEI, secundum se & à parte rei, esset Ens potentiale tantum; cui proinde secundum se non repugnaret non esse: quia omne ens, de cuius essentia non est Esse, potest non esse, vt etiam dub. præced. dictum: id verò est impossibile. Si enim ponamus aliquando non esse Deum, implicat contradictionem, vnquam esse Deum: quia non potest à non esse reduci ad esse; nec à se, quia ponitur nihil esse: nec ab alio: tum quia si Deus non est, tum nec aliud quicquam erit; quicquid enim est, à DEO est; cum hic ex sua communissima notione, sit prima causa rerum omnium, vt sup. dub. 1. & 4. dictum. Tum quia implicat contradictionem, vt DEVS dependeat ab alio: hoc ipso enim non esset ipsa causa prima independens. Si ergo existentia à parte rei non est de essentia Dei, tunc DEVS, cum nequeat esse Ens possibile, erit Ens impossibile, adeoque figmentum, vti Chimæra. Nec est vlla ratio alicuius momenti, quæ hanc assertionem impugnet.

10 Assertio II. Existentia est de ratione intrinseca essentiæ diuinæ, etiam iuxta nostrum concipiendi modum. Ita Henricus in sum. cit. art. 21. quæst. 4. & art. 26. quæst. 1. Richardus in 1. cit. d. 23. art. 1. quæst. 3. Aureolus in 1. d. 8. quæst. 1. art. 4. Bassolis quæst. 1. & alij communiter, qui docent, hanc propositionem *Deus est*, esse per se notam nobis, quos retulimus supra dub. 2. Probatur. Primò. Quia existentiæ ratio intimè includitur in ratione Entis increati, Entis ex se, Entis necessarij, Entis per essentiam, Actus puri; qui tamen omnes sunt formales conceptus Essentiæ diuinæ; quibus Deus essentialiter differt à creaturis, vt dictum. Secundò; quia Essentia diuina nostro etiam modo concipiendi, aut concipi debet vt Ens potentiale, quemadmodum essentiæ creatæ; aut vt Ens actuale: primum est impossibile, ex dictis: Ergo verum posterius. Tertio Essentia diuina ita concipi debet, vt existentia cum ea reipsa saltem coniuncta esse possit; sed si abstrahat ab existentia, non est vnde coniungi possit: quia ab illa secundum se (cum vt sic nondum ponatur esse) non potest vllo modo ratione nostra sequi existentia. Secus accidit cum alijs attributis. Quartò. Si existentia diuina ratione posterior esset essentia, tunc illa ex hac posset à priori demonstrari; sicut cætera attributa DEI: Sed hoc est impossibile: quia id, quod vt sic non est, non potest esse ratio ipsius Esse.

Neque contrarium reipsa sentit S. Thomas, alijque citati; loquuntur enim de Essentia diuina non adæquatè, sed prout præcisè respondet Essentiæ creatæ; seu prout habet communem rationem Essentiæ, non huius Essentiæ. Fundamentum etiam nihil concludit. Quia peculiaris ratio est existentiæ, cur sit de ratione Essentiæ diuinæ, vt dictum: Præsertim cum alioqui etiam in substantijs creatis, non sit extra prædicamentum substantiæ; nec Essentiæ diuinæ conceptus vllo modo resolui possit, in aliquod Esse aptitudinale, in quod necessariò resoluitur ratio Essentiæ creatæ, vt dictum. Est ergo plane de ratione & Essentia diuinitatis ipsum Esse; ita vt DEVS sit suum Esse non solùm identicè, sed etiam formaliter; nec verus & formalis conceptus diuinæ essentiæ concipi à nobis possit sine existentia; esto nihilominus ratione inter se differant, tanquam includens & inclusum: perinde fere vti homo & rationale: siue Ens particulare & transcendens; cum reuera existentia sit de ratione omnium perfectionum diuinarum, vt superius dictum.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

De Attributis diuinis in genere.

S. Thomas 1. p. q. 2. & seqq.

ABsoluetur hac quæstio septem dubijs. I. Quid nomine attributi diuini intelligatur; & quæ sit attributorum diuinorum partitio. II. An diuina attributa tàm ab Essentia diuina, quàm inter se, à parte rei distinguãtur. III. An attributa diuina inter se, & ab Essentiâ distinguantur ratione, ac etiam virtualiter; & quo fundamento. IV. Vtrum perfectiones diuinæ distinguantur solum per respectum ad creaturas, ac ratione nostra; an etiam ratione suæ intellectionis Dei, & beatorum. V. An diuina attributa positiua sint de ratione, quidditate, & conceptu diuinæ Essentiæ. VI. Vtrum essentia diuina sit de ratione attributorum; & hæc omnia, & singula de ratione, & quidditate singulorum. VII. An, & qua ratione attributa tàm de diuina Essentia, quàm hæc de illis, atq; etiam illa de se mutuo prædicari possint in abstracto.

DVBIVM I.

Quid nomine attributi diuini propriè intelligatur; & quæ sit generatim diuinorum attributorum partitio.

Ad S. Thom. 1. p. initium q. 3. & ad q. 13.

1 DIsputat quidem S. Thomas de diuinis nominibus infrà q. 13. sed de rebus ipsis per nomina significatis, hoc est, de perfectionibus, & attributis diuinis in genere, in sua summa ex instituto non tractat; etsi sparsim quædam attingat ad eam rem spectantia, sed res ipsa exigit, vt priusquàm ad diuina attributa sigillatim explicanda progrediamur, ea quæ generatim omnibus communia sunt; cum nec per se admodum liquida, nec indigna scitu sint, exponamus.

2 Et quod ad nomen attinet, etsi quidem ex cõmuni notione nominis, attributum diuinum generatim significet quidquid Deo attribui, ac de eo verè prædicari potest: vt rectè notauit Molina 1.p.q.28.a.2.disp.2.quo modo etiã Ockam quodlib.3.q.2.& Gabriel in 1.d.2.q.2.dicunt, attributa vocari nomina diuina, de quibus S. Dionysius celebrem tractatum edidit: qua ratione prædicata etiã essentialia cõprehendit; v.g. esse substantiam, vitã, spiritũ; vt docent etiã Ægidius in 1.d.6 q.1.& Petrus de Alliaco q.6.art.2. Ppriè tamẽ & cõmuni loquendi vsu, attributa diuina cõtra perfectiones, & prædicata, quæ formaliter, ac nostro etiã concipiẽdi modo, ipsã essentiã, seu rationẽ aliquã essentiæ diuinæ significant, distinguũtur; ita vt diuinã essentiam qua talis est, & secundum conceptũ essentiæ quasi supponant, eidemq; ratione nostrã, veluti quædã proprietates, seu affectiones superueniãt, vt ex cõmuni rectè notauit Molina cit. q. 28.art.2.disp.2.& Vasquez ibidem disp. 116. c.1.

Qua ipsa tamen notione, non eodẽ modo semper, sed tribus præcipuè modis vsurpari attributi nomen solet, vt videre est apud citatos.

3 Primò, generatim, vt significat quidqd de Deo per modum alicuius prædicati, ipsi naturæ diuinæ secundum rationẽ nostrã quasi superadditi, prædicari potest; quo modo oñia prędicata diuina, nõ solũ absoluta, sed etiã relatiua, itemq; tàm positiua, quàm negatiua; atque etiã ipsæ denominationes extrinsecæ attributa Dei dicuntur.

Secũdò strictè, prout ea solùm prædicata ratione nostra diuinæ essentiæ quasi superaddita complectitur, quæ Deo ipsi secundũ se, vt vnus est, cõueniunt; quo pacto excluduntur relatiua; nimirum realia, & ad intra. 4

Tertiò strictissimè, prout significat ea solũ prædicata absoluta (hoc est, quæ Deo, vt secundũ essentiã vnus est, conueniunt) quæ formaliter sunt veræ, & reales pfectiones in Deo; qua ratione prædicata negatiua, & quæ solùm per denominationẽ extrinsecã de Deo dicuntur; vt esse Dominũ creaturarũ, esse vnitũ naturæ humanæ, esse imutabilẽ, infinitũ, incõprehẽsibilẽ, ineffabilẽ, esse cognitũ, itẽ creare, gubernare, sanctificare res, & similia, à diuinis attributis excludũtur; nõ autẽ cognoscere, & velle res creatas, neque ꝓuidere, & prædestinare, vti dixit Molina loco cit. nisi hoc sensu, quod cũ actus solũ speciales diuinorũ attributorũ positiuorum nimirum intellectus & volũtatis diuinæ significent, non vendicent sibi proprium ac peculiarem inter attributa diuina locũ; alias enim formaliter etiã pfectionẽ aliquã diuinã significare disp.seq.videbimus; neq; etiam negat Molina.

Atque hac ipsa notione & vsu nominis, Theologi cõmuniter ad rationẽ attributi diuini requirũt vt sit pfectio simpliciter, & nõ respõdeat perfectionib9 essentialibus substãtiæ creatæ sed accidentalib9; vt videre est apud Henricũ Quodlib.5. q.1.& in sum.a.32.q.1. Richardũ in 1.d.36.a.2.q. 6. Scotũ in 1 d.8.q.3.vel 4. Durandũ d.2.q.3 n.6. & 8. Aureolũ d.8.q.3.a 2.& d.43.q.vn.a.1. Capreolũ in 1.d.8.q.4.& alios. Addũt Henric9, Durand9 & quidã alij etiã hanc conditionẽ, vt sit perfectio secundũ rationẽ analogicã cõmunis Deo & creaturis; sed quę à Richardo, Aureolo, Capreolo, & recẽtioribꝰ cõmuniter, ac meritò reijcitur; cur.n.potẽtia potiꝰ quàm omnipotẽtia sit attributum Dei?

Hoc autẽ loco de attributis diuinis iuxtà secũdã acceptionẽ potissimũ sermo est; eoq; etiã sẽsu nos ipsi hoc loco ea voce vtemur; nisi vbi speciatim aliud monebimus: vt vel latiùs, vel contractiùs,

pro

prore nata, iuxta primum, aut tertium nominis significatum attributi nomen accipiendum sit.

Hinc verò cũ nomen attributi diuini significet
4 aliquid quod per rationem, ac intellectum nostrũ Deo attribui potest, & quidem etiã propriè id solũ quod secundũ rationẽ nostrã per modũ quasi proprietatis diuinã naturã cõsequitur; Colligitur formalẽ rationẽ attributi diuini esse per intellectũ, sicuti subiectũ, prædicatũ, genus, species, & similia: vt post Scotũ Quodl. q. 5. Ægidiũ in 1. d. 42. p. 1. q. 2. ad 5. rectè cũ recentioribus alijs notauit Vasquez hic dis. 31. n. 7. quia scilicet intellectus noster Deo aliquid attribuit ad modum passionis: licet ratio obiectiua per attributum significata, seu attributum ipsum materialiter acceptum, & de quo etiã ratio formalis attributi denominatiuè prædicatur, vtique sit realis (in attributis realibus) & à parte rei existens.

Quod autẽ ad partitionẽ diuinorũ attributorũ attinet, facile itidẽ ex dictis colligi potest, ea variè diuidi posse, pro variâ acceptione nominis attributi. Et omissa illa distinctione, qua Nominales circa attributum tria hæc distinguunt. 1. Attributum ipsum, quod dicunt esse ipsum nomen attributi. 2. rationem attribuibilẽ, siue attributalẽ, quam dicunt esse cõceptum formalẽ per nomẽ significatum. 3. perfectionem attributalem; quã dicunt esse rem significatam per nomen, & expressam per conceptum attributi, siue ipsum conceptum obiectiuum respondentem formali; quam distinctionem auctoribus suis relinquimus: attributum diuinum generatim acceptũ, iuxtà ea, quæ diximus diuidi potest, primum in absolutum, & relatiuum; absolutum, quod etiam essentiale vocatur; hoc loco dicitur: quod nullã relationẽ realẽ ad intra significat, seu quod ipsi Deo, prout vnus est secundũ Essentiã, cõuenit: etiãsi fortè significet aliquã relationẽ rationis. Relatiũ (quod & notionale dicitur) est, quod significat in Deo relationẽ realẽ ad intra, vt est paternitas, filiatio, seu pater, filius, spiratio actiua, passiua &c. de quibus hoc loco ex instituto non disputatur, vt dictum, sed in materia de Trinitate.

Attributa absoluta, de quibus hoc loco ex instituto agimus, alia sunt negatiua, quæ formaliter solũ negationẽ significãt: qualia tamẽ in attributis plura nõ numerãtur, quã necessariũ sit ad remouendã à Deo oñẽ imperfectionẽ: & vniuersim, numerãtur octo: videlicet esse increatũ, incorporeũ, infinitũ, imẽnsum, imutabilẽ, incõprehensibilem, inuisibilẽ, ineffabilẽ. Alia sũt affirmatiua, quę aliquid Deo attribuũt, seu de ipso aliquid affirmant. Hæc rursum aut formaliter solũ sunt denominationes extrinsecæ, siue prædicata rationis, significãtia videlicet solũ respectũ rationis ad creaturas, vt esse Dominũ, aut patrẽ respectu creaturæ, iuxta S. Thomã hic q. 13. a. 7. ad 1. quæ tamẽ ipsa, vt & cætera, quæ ex tẽpore de Deo dicũtur, priùs inter attributa diuina nõ solẽt recẽseri: vti nec à S. Thomâ, vel ab alijs inter attributa tractãtur. Alia attributa affirmatiua sũt positiua, & realia in ipso Deo, quæ videlicet formaliter positiuã aliquã Dei perfectionẽ significãt: vt esse oñipotentẽ, omniscium &c. in quibus ipsis tamẽ speciales actus diuinæ mẽtis inter attributa seorsim nõ numerantur: sed cõprehenduntur sub cæteris, seu velut actus earum, seu perfectiones indiuiduę sub aliqua perfectione & attributo communiori, vt de diuina prouidentia, & prædestinatione dictum.

Vtraque attributa diuina, tàm negatiua, quã affirmatiua, aut respiciũt ipsã substantiã Dei secundũ se, aut aliquã eius operationẽ: siue vt loquitur S. Thomas hic initio q. 14. *aut pertinẽt ad diuinã substantiã, aut ad operationẽ ipsius.* Posterioris generis sũt intellectus seu sciẽtia, volũtas, & potẽtia Dei: quo spectãt etiã varij actus diuinę mẽtis. Prioris generis sunt alia. Vtriusque generis alia sunt transcendentia, vt esse Vnũ, verũ, Bonũ: alia sunt particularia; eaq; vel communia etiã creaturis, vel Dei propria: qua tamẽ cõsideratione, attributa diuina inter se, priùs nõ distinguũtur. Communia enim sunt, esse intelligentẽ, siue sapientẽ, volentẽ siue amantẽ, & potentem ad agendũ extra se. Propria verò sunt esse omniscium, omnipotentẽ, &c. quæ tamen minimè sunt attributa à prioribus distincta; sed rationes tantũ explicatiores eorundem: quales in singulis attributis, si prout in Deo sunt, adæquatè aliquo modo spectẽtur, cõcipi, & formari possũt.

Atque hæc partitio attributorũ est ex mente S. Thomæ hic q. 3. initio, & q. 13. ad quã etiã ipse suã doctrinã accomodat. Primò enim à q. 3. vbi speciatim de diuinis attributis agere incipit, considerat attributa, & perfectiones Dei secundũ se, quæ nõ sunt operationes, sed ad substantiã ipsius pertinẽt, vsq; ad quæst 11. Secundo q. 12. & 13. Deũ, easdemq; perfectiones cõsiderat, prout à nobis cognoscuntur, vel nominãtur: quo ipso tamẽ rursus alia duo quædã attributa Dei, quæ à nobis ipsis denominationẽ habẽt, explicat; scilicet incõprehẽsibilitatẽ & ineffabilitatẽ Dei. Tertio vsq; ad q. 27. considerat perfectiones Dei constitutas in operatione imanenti, siue vt loquẽtẽ S. Thomã vidimus initio q. 14. quæ *pertinent ad operationẽ ipsius*, immanentẽ scilicet & absolutã. Quarto à q. 27. vsq; ad q. 45. agit de perfectionibus & attributis Dei relatiuis, quæ nimirũ conueniũt Deo quatenus Trinus est in personis, ac simul ibidẽ cõsiderat operationes, quæ sunt productiones intra Deum. Postremo agit de Deo creatore, adeoque de operationibus diuinis productiuis ad extra. Quam distributionẽ & methodum nos etiam circa initium huius disputationis sequendam proposuimus.

Distinctionem verò illã attributorum, seu nominum diuinorum, in affirmatiua, & negatiua sæpe etiam tradunt SS. Patres, qui idcirco docent, duplicẽ esse viã, ad Deũ, diuinasq; pfectiones cognoscendas; vnã per modum negationis, negando scilicet de Deo imperfectiones rerũ creatarum: Secundo per modũ affirmationis, tribuendo Deo, secluså omni imperfectione, quidquid perfectionis est in rebus creatis, vt videre est apud S. Dionysiũ c. 1. de myst. Theolog. & cap. 2. de cælesti hierarch. S. Aug. in Psalm. 85. & tract. 23. in Ioan. Damascenũ lib. 1. fid. orthod. cap. 2. & 4. & alios.

Qui etiam priorẽ illũ modũ cognoscendi Deum dicunt esse perfectiorẽ, nimirũ quantũ ad notitiæ claritatẽ, & prædicati proprietatẽ, cum per eã adęquatè & distinctè cognoscamus prędicatum ipsum,

quod

quod negamus de Deo, idque proprijssimè, sine vllâ analogiæ æquiuocatione Deo tribuamus, non ità verò cum aliquid de Deo affirmamus, huiusmodi enim prædicati rationē, prout in Deo reperitur, distinctè ac proprio cōceptu nullo modo cognoscimus, sed solum quodam conceptu cōmuni, & analogico; quandoquidem de Deo & creaturis nihil cōmune vniuocū prædicare possumus, vt dicetur infra dub. 7. & q. 7. Licet interim posterior ille modus cognoscēdi Deū, ex parte obiecti cogniti perfectior sit; cū per eū cognoscatur positiua aliqua perfectio in Deo; priori modo nō item. Qua de causa etiā hic nō immerito simpliciter cēseri potest perfectior, vt indicat etiā Suarez li. 1. de Deo, c. 3. n. 3. ita vt prædicata, siue attributa negatiua nobis quidem apertius, affirmatiua verò secundum se & simpliciter propius ac perfectius diuinum Esse declarare videantur: id quod satis etiam perspicuè docet Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theolog. post initiū. Plura de diuinorū nominum varietate, & modo, quo illa de Deo prædicantur; dicētur infra q. 7. vbi ex instituto de diuinis nominibus agetur.

DVBIVM II.

An attributa diuina tàm ab Essentia Dei, quàm inter se à parte rei distinguantur?

S. Thom. 1. p. q. 3. a. 6.

SErmo est de attributis diuinis, non relatiuis & notionalibus, sed absolutis ac positiuis. Et supponimus ex communiori philosophia, quā ex Durando in 1. d. 2. q. 2. & alijs tradunt etiā Vasquez 1. p. tom. 2. d. 116. c. 5. & Gregorius de Valent. hic q. 13. pun. 3. veluti cōmunē S. Thomæ, & oīum aliorū ante Scotū, duo vniuersim esse distinctionis actualis genera; *Distinctionē* nimirum *realem* latè sumptam, prout cōprehendit omnem eam distinctionem, quæ à parte rei existit, sine operatione intellectus: quam Scotus infrà cum suis vocat distinctionem *ex natura rei*: & *distinctionem rationis*, quæ est per solā operationem intellectus. Realis illa, alia est realis strictè sic dicta, quâ distinguūtur aliqua vt res à re; alia est *Modalis*, siue vt Scotus loquitur, *formalis*; etsi sæpe formaliter distincta etiā vocentur illa, quæ sola ratione distinguuntur.

Distinctio rationis alia est *rationis ratiocinatæ*, quæ habet fundamentum in re; qualis à multis solet assignari inter gradus metaphysicos eiusdem substantiæ indiuiduæ; Alia solius *rationis ratiocinantis*, vbi sola ratio, sine fundamento in re, facit discrimen; qualis cernitur inter definitum, & definitionem; inter Socratem, vt est prædicatum, & vt est subiectum, &c. iuxta ea quæ tradit S. Thomas in 1. dist. 2. q. vn. art. 3. etsi Vasquez 1. p. tom. 2. d. 117. c. 3. reijciat illā distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ; ratus nullam distinctionem rationis carere fundamento in re; quod est contra cōmunē philosophorum & Theologorū sententiā, vt dictum.

Hoc posito, triplex referri solet Doctorum de proposita quæstione sententia. Prima cuiusdam Gualteri, & quorundam, nescio an aliorū, apud Nyphum lib. 12. Metaph. disp. 13. c. 3. qui dixerunt, attributa diuina ab essentia, & inter se distingui realiter, nimirum vt communiter intelligi solet, etiam strictè. Fundamentum erat: quia quæcūque distinguuntur prædicamētis diuersis, aut etiā genere, vel specie, distinguuntur realiter: talia verò sunt attributa diuina, siue cum Essentia, siue inter se conferantur: Ergo, &c.

Secunda sententia est, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina distingui ante omnem operationem intellectus, non quidem realiter strictè; sed ex natura rei formaliter. Ita Scotus in 1. d. 8. q. 3. & oēs ferè Scotistę, nominatim Lychet, & Bargi ibidē, Bassolis in 1. d. 22. q. 3. a. 2. & q. 4. a. 2. & 3. Nicolaus de Nysse tract. 1. p. 3. Guilielmus Vorilong. in 1. d. 8. q. vn. a. 2. Franciscus Mayron d. 8. q. 3. 5. & 7. Petrus de Aquila q. 4. & 5. 2

Et quamuis Guilielmus de Rubion in 1. d. 8. q. 3. a. 2. & Iauellus lib. 12. Metaph. q. 19. a. 3. interpretari conentur Scotū, quasi nō senserit, dari distinctionē actualē diuinorū attributorū inter se, & ab Essentia diuina, ante omnē operationē intellectus, sed tantum virtualē, id tamen post Gregorium Ariminensem in 1. d. 8. q. 1. a. 1. cōmuniter ac meritò refellunt alij; sunt enim verba ipsius satis clara. Sic enim loquitur loc. cit. *Ad quæstionem respondeo, & dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantū differentia rationis: hoc est, diuersorū modorū concipiendi idē obiectū formale; talis enim distinctio est inter sapiēs & sapientiam; & vtiq; maior inter sapientiam & veritatem: nec est ibi tantū distinctio obiectorū formaliū in intellectu; quia vt argutum est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiua, nisi sit in obiecto intuitiuè cognito &c. Est ergo ibi distinctio tertia, præcedēs intellectū omni modo; & est ista, quod sapiētia est in re, ex natura rei, & bonitas est in re, ex natura rei, sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re.* Ita Scotus; qui proinde etiā has propositiones defendebat, Deitas nō est sua bonitas, aut sapiētia ex natura rei, & ante intellectum; etsi negaret hāc, Deus non est sua bonitas, &c. quem eodem sensu sequuntur Scotistæ superius citati. 1

Tertia sententia est, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina non nisi ratione distingui. Hæc est communis Thelogorum, quos mox citabimus.

Assertio I. Attributa diuina inter se, vel ab Essentia diuina nō distinguuntur realiter strictè. Ita habet consensus cōmunis Doctorum, vix vno obscuri nominis scriptore excepto, vt dictū, q respectu totius multitudinis p nihiló haberi potest. Estque assertio de fide certa, adeò vt Suarez 1. p. lib. 1. de Deo c. 10. oppositā dicat esse *hæreticā, & contra omnē rationē*. Et probatur à fortiori omnibus ijs argumentis, quæ pro sequenti assertione afferentur. Ratio specialis esse potest. Quia si, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina realiter distinguerētur, tunc aut essent in Deo plures substātię absolutæ cōpletæ, quarū vna nō esset alia; aut certe essent in Deo vera accidētia realia, ab entitate substātiæ diuinæ realiter distincta: cōsequens est impossibile: Ergo. Maior probatur. Quia singula attributa, quæ dicūtur inter se, & ab essentia diuina realiter distincta; cū sint absolutę quædā, & cōpletæ entitates, & nō modi solū intrinseci, & transcēdentales; qua de causa etiam ab illis authoribus in prædicamentis collocātur; aut eruut essentialiter 3

substan-

ſubſtãtiæ, aut vera accidentia: ſi primũ, ergo erunt plures ſubſtantiæ abſolutæ in Deo: ſi ſecũdũ, ergo ſunt in Deo vera, & realia accidẽtia, ab ipſa entitate ſubſtãtiæ diuinæ realiter diſtincta. Minor probatur, qa ſi ſunt plures ſubſtãtiæ cõpletæ, & abſolutę realiter diſtinctæ in Deo; ergò erũt plures ſubſtãtiæ diuinæ cõpletæ, adeoq; plures Dij. Si autẽ, vt authores illi poſuiſſe videntur, ſunt vera, & realia accidentia in Deo, & à Deo realiter diſtincta; ergò Eſſentia diuina ſecundũ ſe, eſt ens potentiale, imperfectũ, & ſaltẽ in ſuis operationib⁹, etiã imanentib⁹, dependẽs à creatura; quando q dẽ ſine attributis illis, Deus nec velle, nec intelligere, nec agere quicquam poteſt; nec vero attributa illa in hac ſententia aliud eſſe poſſunt, quàm creaturæ; tum quia ponuntur à Deo realiter diſtincta; tum quia nullum accidens eſſe poteſt Deus.

4 Vnde probatur ſecundo eadem aſſertio. Quia attributa diuina iuxtà hanc ſentẽtiam, aut re ipſa ſunt entia ex ſe, aut ab alio; ex ſe eſſe non poſſunt; quia tunc eſſent Deus: Quicquid enim ex ſe eſt, nõ poteſt nõ eſſe ens illimitatum, infinitum, independens, adeoq; Deus; hæc verò ſententia negat ea eſſe Deum: ſi ſunt ab alio, puta Deo; ergò erunt creaturæ; cum oñis entitas, extra eſſentiã Dei poſita, ſit creatura; præſertim quando ſimul etiam eſt entitas ſolum accidentalis, vt antea dictum.

Nec verò quicquam valet fundamentum oppoſitæ ſententiæ ſuperiùs relatum: vt pote, in quo & propoſitio maior, & minor eſt falſa. Nam nec omnia, quæ prædicamentis, aut genere, vel ſpecie differunt, ſtrictè realiter diſtinguuntur; vt patet in figura, & quantitate; in ſeſſione, & ſedente; & in actione & paſſione; in motu & termino; & alijs plærisque. Nec eſſentia, aut attributa diuina ponuntur in prędicamentis, aut ſub vllo genere collocantur, vt dicetur quæſt. ſeq.

5 Aſſertio II. Attributa diuina nec inter ſe, nec ab eſſentia diuina diſtinguuntur ex natura rei formaliter. Hæc eſt omnium Doctorum extra ſcholã Scoti, nominatim verò ita docent Magiſter in 1. d. 8. Altiſiodorenſis lib. 1. cap. 2. q. 1. & c. 4. q. 2. S. Thomas hic q. 3. a. 6. & de potentia art. 6. & in 1. d. 2. q. 1. a. 2. & 3. & diſt. 22. q. 1. a. 3. Albertus in ſum. tract. 4. q. 20. & tract. 14. q. 59. & in 1. d. 8. a. 3. Alenſis 1. p. q. 23. memb. 4. ad 1. Bonauentura in 1. d. 34. q. 2. Henricus in ſum a. 28. q. 4. & a 51. q. 1. Richardus in 1. d. 3. a. 1. q. 2. 3. & 4. Ægidius d. 2. q. 3. Durandus q. 2. Heruæus Quodlib. 1. q. 2. & quodlib. 3. q. 3. a. 1. Aureolus in 1. d. 8. q. 3. a. 5. & 6. & d. 45. q. vn. a. 2. & 3. Ockam in 1. d. 2. q. 1. Marſilius q. 12. a. 3. Rubion d 8. q. 3. art. 1. & 2. Bacon d. 2. q. 1. ar. 3. Ariminẽſis d. 8. q. 1. a. 2. Argentina d. 6. q. 1. a. 2. Alliacus q. 6. a. 2 Capreolus in 1. d. 8. q. 4. a. 1. Gabriel in 1. d. 2. q 1. a. 2. Ferrarienſis lib. 1. contra gentes cap. 24. Caiet. de ente & eſſentia quæſt. 12. Bartholomæus Torres in 1. partem S. Thomæ q. 28 a. 2. diſp. 1. Gregorius de Valentia hic q. 13. p. 3. Molina 1. p. q. 28. a. 2 diſp. 2. Suarez 1. p. cit. tract. 1. de Deo lib. 1. cap. 10 Vaſquez 1. p. tom. 3. diſp. 116. cap. 4 alijque recentiores; è quibus etiam Molina eam Scoti ſententiam non ſatis tutã iudicat. Et Gillius lib. 2. tract. 5. cap. 6. num. 12. ait: Vnde merito Adam in 1. d. 6. q 1. concluſ. 3. Ioannes de Bachone d. 2. q. 2. art. 3. initio, Marſilius q. 12. a. 3. 1. p. conc. 3. & Dionyſius Carthuſianus d. 2. q. 2. opinionẽ Scoti reijciunt, *Vt omnino contrariam communi ſententiæ patrum, quam negare non eſt tutum: & ob hanc cauſam contraria ſententia male audit apud nonnullos Theologos, quorum aliqui eam abſurdam, vel erroneam appellant, inter quos eſt Gerſon.* Eadem fuit communis ſententia inter meliores philoſophos; nominatim Ariſtotelis lib. 12. Metaph. t. 39. Auerrois ibid. Parmenidis, Epicteti, Plotini apud Eugubinũ lib. 6. de perenn. phil. c. 10. & alios.

Probatur hæc aſſertio primo ex Scriptura, quæ 6
ſæpe Deum nominibus abſtractis appellat, vt dicetur q. ſeq. Inde enim colligitur, ſi Deus ſaltem à parte rei formaliter eſt ſapientia, charitas &c. non eſſe inter ea diſtinctionem vllam à parte rei, alias enim propriè vnum de altero prædicari non poſſet, ſicut propriè & abſolutè dicere non poſſumus quantitas eſt figura, vel è contra.

Secundo probatur authoritate SS. Patrum. Apertè S. Auguſtinus lib. 8. de ciuit. Dei c. 6. *Quia non aliud illi eſt Eſſe, aliud viuere, quaſi poſſit eſſe non viuens: nec aliud illi eſt viuere, aliud intelligere, quaſi poſſit viuere non intelligens: nec aliud illi eſt intelligere, aliud beatum eſſe, quaſi poſſit intelligere & non beatus eſſe: ſed quod eſt illi viuere, intelligere, beatum eſſe, hoc eſt illi eſſe.* Et lib. 5 de Trinitat. cap. 8. *Non eſt aliud Deo eſſe, & aliud magnum eſſe. ſed hoc idem illi eſt eſt eſſe, quod magnum eſſe.* Et lib. 6. de Trinitat. cap. 7. *Eadem magnitudo eius eſt, quæ ſapientia, non enim mole magnus eſt, ſed virtute: & eadem bonitas, quæ ſapientia, & magnitudo, & eadem veritas quæ illa omnia.* Et lib. 7. cap. 1. *Eadem eius magnitudo, quæ virtus, & eadem eſſentia, quæ magnitudo.* Et lib. 15. de Trinit. c. 5. & 6. ait: *Non eſt aliud ſapientia eius, aliud eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quod ſapientẽ eſſe.* Similia habet lib. 5. c. 10. & 11. & lib. 6. c. 6. & 7. & lib. 10. c. 10.

Et S. Gregorius lib. 10. moral. cap. 20. *Deus hoc eſt, quod habet, æternitatem quippe habet, ſed ipſe eſt æternitas: lucem habet, ſed lux ſua ipſe eſt: non eſt ergo in in eo aliud eſſe, & aliud habere.* Similia habent Marcus Victorinus lib. 1. contra Arium, Boetius lib. 1. de Trinitat. Anſelmus in Monolog. cap. 15. Bernardus lib. 5. de conſid. cap. 13. Plura videri poſſunt apud citatos.

Tertio probatur authoritate Eccleſiæ. Licet e- 7
nim Scoti ſententia nuſquã apertè hactenus fuerit damnata ab Eccleſia, in concilio tamen Rhemẽſi, ab Eugenio Pontifice congregato, dãnata fuit ſententia Gilberti, qui etſi fateretur, inter eſſentiam, & attributa abſoluta nullam à parte rei eſſe diſtinctionem, vt refert S. Bernardus ſerm. 80. in Cantica, & lib. 5. ad Eugenium, aſſeruit tamen, attributa diuina nõ prædicari de Deo in abſtracto, ſed in concreto, quaſi Deus non eſſet ſapientia, ſed ſapiens; ratus nimirum, naturã diuinã & attributa abſoluta à ſuppoſito, ſeu attributis relatiuis à parte rei, ante omnem operationem intellectus, eſſe diſtincta. Sed hoc poſterius etiam docet Scotus in 2. d. 2. quæſt. 7. prius verò ſequitur ex eius ſententia, vt ſuperius dictum, & rectè notarunt Molina cit. diſp. 2. & Vaſquez cit. diſp. 116. n. 16. & 18. & diſp. 120. cap. 2. Video tamen, reſponderi poſſe, Gilbertũ eo ipſo quod ſimpliciter, & omni-

modo

modo negaret, Deum esse sapientiam, videri suppositum, seu attributa relatiua ab essentia & attributis absolutis etiam realiter, non tantum modaliter distinxisse. Quod tamen non satisfacit, cum etiam Scotus attributa absoluta de se mutuo prædicari neget; licet ea nonnisi formaliter distinguat. Accedit, quod ab Ecclesia cap. *Firmiter*, & cap. *damnamus*, de summa Trin. & fid. Cathol. definitum est, naturam diuinam esse omnino simplicem, ac proinde à parte rei omnis pluralitatis secûdum prædicata essentialia expertem.

8 Vnde probatur eadem assertio etiam ratione. Primo. Attributa diuina inter se, & ab essentia non magis distinguuntur, quam relationes distinguantur ab essentia, vt etiam Scotus ipse fatetur loco cit. Sed hæ non plus ab essentia distinguuntur, quam ratione, vt ex Concilio Rhemensi dictum, & habetur in Concilio Florentino sess. 18. & 19. non quidem per modum definitionis, sed per modum disputationis, approbatæ ex tacito consensu græcorum, & Latinorum: Ergo, &c.

Secundo. Si sapientia ex natura rei differt ab essentia diuina, aut illa sapientia, prout ab ea ante intellectum differt, est aliquid, aut nihil: hoc dici non potest, quomodo enim tunc ante intellectum reipsa differret à natura? Si est aliquid, aut est quid superius natura diuina, aut æquale, aut inferius. Primum dici non potest, quia nihil diuina natura superius est. Si est aliquid æquale ipsi, erunt plures essentiæ diuinæ, adeoque plures Dij, quicquid enim est æquale diuinitati, siue naturæ diuinæ, Deus est: si est reipsa inferius, ergo formaliter erit creatura, & sic Deus erit sapiens per creaturam; quod est absurdissimum. Atque hac ipsa ratione, circa suppositum diuinum, & attributa, contra Gilbertum vsus est S. Bernardus cit. serm. 80. in Cantica.

9 Tertio. Si attributa diuina ante operationem intellectus, adeoque reipsa differrent inter se, & ab essentia: Deus non esset planè simplex: Consequens est contra fidem, vt superius dictum. Ergo, &c. Vtitur etiam hac ratione S. Bernardus contra Gilbertum lib. 5. de consid. vbi inter cætera ait: *Nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.* Et infra: *Tam non est simplex, quod vel vni fuerit obnoxium formæ, quam nec virgo, vel vni cognita viro.* Et S. Isidorus lib. 5. de sum. bono, cap. 1. *Ideo Deus dicitur simplex, siue non admittendo quod habet, siue quia non est aliud ipse, & aliud, quod in ipso est.*

Quarto. Ex eadem Scoti sententia sequitur, Deum non esse actum purum; quia essentia diuina cum à parte rei distinguatur ab attributis, necesse est, vt à parte rei formetur, & perficiatur attributis: id verò est absurdû & cõtra rationem Dei, ac Deitatis: Ergo.

10 Assertio III. Attributa diuina inter se, & ab Essentia nullo modo distinguuntur à parte rei, siue ante operationem intellectus. Ita omnes pro præcedenti assertione citati, & est non minus certa, quam assertio præcedens. Colligitur ex dictis, & probatur ijsdem argumentis, quibus præcedens assertio fuit comprobata. Quia distinctio à parte rei alia nulla est, quam realis strictè accepta, aut formalis, siue modalis: cum ergò attributa nullo horum modorum inter se, vel ab essentia diuina distinguantur; sequitur, nullo modo à parte rei distingui inter se, vel ab essentia posse.

Contra has verò duas assertiones, pro sententia Scoti, obijcitur primo. De eadem re ex natura rei, seu quod idem est, à parte rei prorsus distinctâ, non possunt verè enuntiari prædicata realia contradictoria; iuxta illud principium; Non contingit idem simul de eadem re affirmare & negare: sed de essentia, & attributis diuinis, adeoque vniuersim de perfectionibus diuinis, affirmantur prædicata realia contradictoria: Ergo non possunt à parte rei prorsus esse indistincta. Minor probatur pluribus exemplis. 1. Intellectus enim diuinus est principium producendi filium, voluntas non est principium producendi filium. 2. Deus intellectu intelligit, & voluntate non intelligit; voluntate vult, intellectu non vult. 3. Deus iustitiâ punit, non miseretur; misericordiâ miseretur, non punit, &c. 4 Sapientia non est bonitas, intellectus non est voluntas.

11 Responsio communis & vera est, de eadem re non posse affirmari contradictoria, nisi eadem illa res sit virtute multiplex, atque adeò in seipsa virtualiter distincta; ita vt ob eminentissimam suam perfectionem, æquiualeat pluribus reipsa distinctis. Tunc enim quia prædicata eiusmodi contradictoria non affirmantur de eadem re secundum idem, siue secundum eandem rationem, imo nec termini etiam in vtraque affirmatione, & negatione sunt ijdem; idcirco non est in eiusmodi prædicatione vera & formalis contradictio. Quomodo autem virtualis illa distinctio sit intelligenda, dicetur dub. sequent.

Secundo obijcitur. Sapientia, & bonitas in genere, differunt ex natura rei, cum habeant diuersas definitiones: Ergo etiam hæc sapientia & bonitas, quæ in Deo infinita est.

Respondetur cum Heruæo quodlib. 1. q. 2. & Argentina in 1. dist. 6. q. 1. art. 2. & Suario 1. p lib. 1. de Deo, cap. 13. Vasquio cit. disp. 116. cap. 6. negando antecedens. Quia sapientia, & bonitas in genere, aliæque eiusmodi rationes communes analogicæ, non necessario vendicant, nec distinctionem, nec identitatem ex natura rei; sed abstrahunt ab vtraque, & admittunt vtramque, iuxta naturam suorum analogatorum; scilicet distinctionem in creaturis, identitatem in Deo; sicut etiam ratio practici & speculatiui, respectu potentiæ intelligendi, non sunt reipsa rationes distinctæ; respectu habituum, & actuum sunt à parte rei, imò realiter distinctæ. Prout tamen eiusmodi rationes communes per intellectum abstractæ sunt, non ex natura rei, sed solum formaliter per rationem, & intellectum differunt; ita vt verissimum sit, formalem rationem seu conceptum vnius, non esse rationem alterius; quod etiam de attributis diuinis dici potest, vt dicemus.

12 Tertio obijcitur. Inter passionem demonstrandam, medium terminum, ac subiectum, debet esse distinctio ex natura rei; alioqui termini erunt synonymi: at Theologi demonstrant de Deo vnum attributum per aliud; ergo attributa inter se, & ab essentia distinguuntur ex natura rei.

Respondetur negando maiorem. Nam de definito per definitionem rectissimè demonstratur passio, iuxta Aristotelem lib. 1. Metaph. cap. 6. Eodem modo negatur id, quod probationis causa additum est: neque enim ideò sequitur, terminos esse synonymos;

nymos; alioquin definitio, & definitum, quia à parte rei nullo modo differunt, essent termini synonymi; quod est contra Aristotelem ibidem, & communem philosophiam. Itaque etiamsi voces aliquæ rem eandem significent, si tamen eam significent sub diuersis conceptibus, non erunt synonymæ: sicut etiam ratio inferior & superior non sunt synonyma, licet eandem prorsus à parte rei vim intelligendi significent.

Quarto obijcitur. A summè perfecto abesse debet confusio; vbi autem nulla est distinctio, necessario datur confusio, quæ distinctioni opponitur: Ergo in summè perfecto debet esse distinctio.

Respondetur negando minorem; quia in summa identitate non potest esse confusio, quæ necessario supponit plura. Confusio enim non est, nisi in aliqua multitudine inordinatâ plurium. E contrario distinctio summa entium esse potest, cum summa confusione, vt in lapidibus, vel granis hordei, milij, arenæque temerè in vnum cumulum congestis cernitur. Quanquam prout attributa diuina ratione plura sunt, eatenus vtique etiam sunt distincta distinctione confusioni opposita, hoc est, ordinem quendam inter se rationis, & nexum habentia; ita vt in Deo concipiamus prius essentiam, deinde potentias, denique actus; & in his ipsis intellectionem ante volitionem, &c.

13 Quinto obijcitur. Singula attributa seorsim sumpta, magis sunt idem sibi, quam comparata reliquis; ita vt v.g. sapientia magis sit idem secum, quam cum bonitate, vel amore, hoc autem fieri non potest, nisi eidem quatenus comparatur cum bonitate, vel amore, desit à parte rei aliquis modus identitatis ex natura rei, quem habet respectu suiipsius.

Respondetur cum Capreolo loc. cit. maiorem esse veram, latè loquendo de identitate; non autem si loquamur solum de identitate à parte rei, siue ex natura rei. A parte rei enim omnia attributa, & sibiipsis singula, & cum alijs æquè sunt idem, vt dictum. Quia tamen secundum nostram rationem inter se distinguuntur, cum fundamento in re; quomodo vnum, & idem attributum, seu perfectio à seipso non distinguitur, ideò rectè dici potest, attributa inter se plus (nimirum ratione) distingui, quam singula à seipsis; ac proinde etiam singula secum ipsis maiorem identitatem habere (secundum rationem) quam cum alijs comparata. Idem dicendum de distinctione virtuali, quæ reipsa & actu non est, nisi distinctio rationis, cum fundamento in re, vt dicetur dub. seq.

Sexto obijcitur. Quæuis perfectio absoluta non minus est in Deo, secundum propriam rationem ab alia distinctam, ante omnem actum intellectus, quàm paternitas, ac filiatio: istæ verò in Deo sunt verè, & propriè, ante omnem actum intellectus distinctæ: Ergo & illæ.

Respondetur maiorem esse ambiguam. Nam si verba illa, *ante omnem actum intellectus*, denominent terminum distinctum, falsa est: Quia vna perfectio non est ab alia ante omnem actum intellectus distincta: si autem denominent verba illa, esse in Deo secundum propriam rationem, vera est maior: vera etiam minor; sed consequentia nulla: quia sunt quatuor termini; nimirum 1. perfectio absoluta. 2. esse in Deo ante omnem actum intellectus, secundum propriam rationem ab alia distinctam. 3. paternitas, & filiatio. 4. esse in Deo propriè ante omnem actum intellectus distinctas. Aliud enim est esse in Deo ante omnem actum intellectus, secundum propriam rationem, qua nempe ratione ab alijs singula attributa distinguuntur; & esse in Deo distincta, ante omnem actum intellectus.

DVBIVM III.

An attributa diuina inter se & ab essentia diuina distinguantur ratione, ac etiam virtualiter; & quo fundamento.

S. Thom. 1. p. q. 13. a. 4.

Vnt ex Scholasticis nonnulli, qui contra Scotum adeo negant, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina ex natura rei distingui, vt negent etiam, distingui ratione: idque eo fundamento, quod vniuersim existiment, distinctionem rationis inter terminos seu obiecta realia nullam esse; non minus, quam inter entia rationis, nulla potest esse distinctio realis. Ita docent Nominales, speciatim Ockam in 1. d. 2. quæst. 2. Gabriel quæst. 2. artic. 2. Gregorius Ariminensis in 1. d. 8. quæst. 2. art. 1. Maior d. 8 quæst 1. Petrus de Alliaco quæst. 6. a. 2. Mayron d. 8. q. 4.

Alij verò etsi fateantur, attributa diuina inter se, & ab essentia diuina distingui ratione; negant tamen distingui plus, quam ratione ratiocinante, iuxta ea, quæ diximus initio dub. precedenti. Ita quidam relati apud Nyphum lib. 12. metaph disput. 13. cap. 3. asserentes, omnia nomina Deo attributa esse synonyma. Idem significant Magister in 1. d. 8. & author Comment in Boet. lib. 1. de Trinit. dum aiunt, attributa diuina distingui solum *secundum nomina*. Fundamenta huius sententiæ inferiùs refellentur. Qui verò docent, distingui plus quam ratione ratiocinante, adhuc tamen in fundamento distinctionis non conuenient, vt dicetur.

Assertio I. Attributa, & perfectiones diuinæ distinguuntur inter se, & ab essentia diuina ratione. Ita communis Doctorum, quorum aliquos citabimus assert. 3. & traditur à SS. Patribus. Optimè S. Augustinus epist. 102. *Legitur quidem & spiritus sapientiæ multiplex, sed rectè dicitur etiam simplex: Multiplex enim, quoniam multa sunt quæ habet; simplex autem, quoniam non aliud, quam quod habet, est.* Ratio est. Quia de re, nullo modo, nec ratione quidem distinctâ, non possunt prædicari termini contradictorij, vt fieri in proposito inferius patebit, & dictum dub. præcedente. Fundamentum Nominalium nullum est. Quia etsi quidem re distingui non possint, nisi realia; hæc tamen etiam, præsertim si virtute multiplicia sint, distingui possunt ratione, eo ipso quod diuersa ratione concipi, adeoque diuersis conceptibus subsare possunt.

Assertio II. Attributa diuina non distinguuntur solum vocibus, seu materialiter, velut nomina syno-

synonyma. Ita communis Doctorum, qui negant, attributa diuina esse synonyma, vt dicetur q. 7. Probatur. Tum quia iuxta scripturam, & SS Patres, quędam prædicata realia tribuuntur vni attributo, quæ non attribuuntur alijs, vt intellectus intelligit, non voluntas. Tum quia vnum attributum demonstratur ex alio; quorum neutrum in synonymis fieri potest, vt patet. Plura assert. seq.

2 Assertio III. Attributa, & perfectiones diuinæ non distinguuntur solum ratione ratiocinante, sed etiam ratiocinata. Ita communiter Doctores, dum asserunt, eam distinctionem habere fundamentum in re, etsi complementum habeat ex operatione intellectus. Quod docet S. Thomas opusc. 72. ad q. 4. & in 1. d. 2. q. 1. a. 2. Henricus in sum. a. 52. quæst. 2. & 3. Ægidius in 1. d. 2. p. 1. q. 3. a. 1. Bacon in 1. d. 2. q. 2. art. 3. Capreolus d. 8. q. 4. art. 1. & 2. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 35. Caietanus de ente, & essent. quæst. 12. Torres 1. p. q. 28. a. 2. d. 1. Gregorius de Valentia hîc q. 13. p. 3. Molina 1. p. q. 28. a. 2. disp. 2. Bannes, Zumel, & alij recentiores Thomistæ ead. q. 28. Suarez 1. p. lib. 4. de Deo, cap. 4. Verba S. Thomæ in 1. d. 2. q. 1. a. 2. sunt ista: *Quia vnum quodq; attributorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, & ratio sapientiæ non est ratio bonitatis in quantum huiusmodi, relinquitur, quod sunt diuersa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* Et ibidem art. 3. *Respondeo*, inquit, *quod sapientia, & bonitas, & omnia huiusmodi, sunt omnino vnum re in Deo, sed differunt ratione: & hæc ratio non est tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.*

Probatur assertio primò. Illa distinguuntur inter se ratione ratiocinata, quæ ratione distinguuntur, cum fundamento in re: perfectiones diuinæ ita inter se dištinguuntur, vt patebit assertionibus sequentibus: Ergo, &c. Secundo Significata omnium nominum simplicium (rationem aliquam realem, non secundam intentionem significantium) quæ non sunt synonyma, distinguuntur minimum ratione ratiocinata: Nomina perfectionum diuinarum sunt simplicia, & significantia perfectiones reales in Deo, nec tamen synonyma, vt dictum assert. 2. Ergo significata eorum nominum distinguuntur ratione ratiocinata. Minor constat. Maior probatur; quia eo ipso non tantum nomina, sed etiam formalia significata nominum differunt. Quomodo etiam intelligendi Magistet, & alij superiùs relati, qui dixerunt, attributa diuina solùm differre secundum nomina: loquuti enim sunt de significatis formalibus nominum, non de solis nominibus materialiter.

8 Assertio IV. Attributa diuina inter se, & ab essentia distinguuntur virtualiter, siue eminenter; non autem solum connotatione extrinseca rerum creatarum. Primam partem expresè docent Durandus in 1. d. 2. quæst. 3. num. 15. Henricus quodlib. 13. quæst. 1. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 35. Goffredus apud Aureolum in 1. d. 8. q. 3. a. 1. Caietanus de ent. & essent. q. 12. Torres 1. p. q. 28. art. 2. disp. 2 part. 2 Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 6. q. 6. sect. 3. Gregorius de Valentia cit. q. 13. p. 3. Molina, Bannes, Zumel loc. cit. Suarez 1. p. lib. 4. de Trin. cap. 4. Albertinus tom. 1. princ. 7. coroll. 1.

Differunt tamen: quia Henricus, Torres, & ferè Ferrariensis distinctionem virtualem eandem faciunt cum fundamentali, qua nimirum res aliqua actu potest causare plures conceptus simplices, non synonymos; quomodo distinctio virtualis conuenit omnibus distinctis ratione ratiocinata; quandoquidem hæc omnis habebit fundamentum distinctionis in reipsa, vt dictum. At verò Durandus, Goffredus, Caietanus, Fonseca, Molina, Valentia, Suarez, Albertinus, strictiùs, ac magis propriè eo nomine vtuntur; pro ea, quæ conuenit perfectioni simplici, æquipollenter, seu eminenter continenti perfectiones in rebus alijs actu ex natura rei distinctas. Qua de causa etiam vocatur à nonnullis *virtualis ex natura rei*; quo sensu etiam nos in præsenti eo vocabulo vtimur.

Probatur assertio ex dictis. Quia essentia, & attributa diuina, licet reipsa vnum sint, ob suam perfectionem, tamen æquipollent pluribus perfectionibus à parte rei distinctis in rebus creatis; nimirum essentiæ creatæ, eiusque perfectionibus accidentalibus omnibus, quæ secundum communem saltem rationē in Deo reperiuntur. Quod optimè etiam docuit S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 17. vbi ait: *Nec distent in eis* (personis diuinis) *ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligentia, aliud dilectio, siue charitas; sed vnum aliquid sit, quod omnia valeat.* Nec tamen ideò necesse est, omnes omnino perfectiones diuinas, etiam quasi partiales, & quæ ratione nostra quasi integrant vnam quandam perfectam, & integram Dei perfectionem, vel etiam attributum, hoc modo strictè virtualiter inter se differre. Quia ratio entis & substantiæ, item ratio substantiæ & vitæ substantialis (ex communiori philosophia) item vis actiua producendi Angelum, animam, & materiam primam (qualis in rebus creatis nullo modo reperitur) propriè non respondent pluribus perfectionibus, quæ in vnâ, & eadem re creata ex natura rei sint distinctæ; etsi quidem hac cōmuni ratione dici possent, omnes diuinæ perfectiones inter se virtualiter distingui: quia terminare possunt diuersos conceptus simplices, non synonymos, adæquatè repræsentantes eandem rationem obiectiuam: sicut etiam è contrario quædam perfectiones diuinæ partiales virtualiter strictè in Deo distinguuntur; vt vis producendi hominem, & equum, Intellectio rerum naturalium, & supernaturalium, &c. vt rectè Gillius lib. 2. tract. 6. c. 8. quæ omnia magis ex sequentibus patescent.

Et confirmatur assertio. Quia etiam in rebus creatis rectè subinde dici potest, vnam, & eandem perfectionem simplicem virtute continere perfectiones plurium, atque adeò virtualiter respectu diuersorum obiectorum distingui; sicut sensus internus virtute quasi æquipollet sensibus externis singulis re distinctis: Intellectus tam sensui interno, quam externo; sol quoque vna perfectione indiuisibili continet virtute calorem, & siccitatem, iuxta S. Thomam lib. 1. cont. gent. c. 31. Eadem ferè ratione in eodem intellectu humano, ratio superior, & inferior; item intellectus practicus, & speculatiuus, sicut etiam voluntas vt natura, & vt libera est, virtute quasi æquipollent pluribus eiusmodi rationibus, & perfectionibus, quæ saltem in actibus diuersis eiusdem hominis reipsa distinctæ reperiuntur. Propriū tamen est Dei vna entitate simplici perfectiones adeò diuersas eminēter

continere, quæ in quolibet ente creato non possint nonà parte rei esse distinctæ, vt est perfectio substantiæ, & veri accidentis; subiecti, & passionis; potentiæ actiuæ, & actus secundi

6 Secunda pars assertionis, diuinas perfectiones distingui inter se, non solum connotatione extrinseca rerum creatarum, est contra Aureolum in 1. dist 8. q. 3. a. 6. & d. 45. q. vn. a. 3. Ariminensem in 1. d 8. q. 2. a. 2. Maioremq. 1. Petrum de Alliaco q. 6. a. 2. sed communis Doctorum, quos citauimus, speciatim S. Thomæ in 1. d. 2 q. 1. a. 2. vbi ait: *Quidam dicunt, quod istæ attributa non differunt nisi penes connotata in creaturis; quod non potest esse.*

Declaratur. Nam vt aliqua distinguantur propriè ratione ratiocinatâ, adeoque cum fundamento in re, absque eo, quod à parte rei, adeoque sine operatione intellectus, inter ea vlla sit actualis distinctio, triplex vniuersim esse potest fundamentum, seu ratio fundamentalis. Prima est perfectio rei æquipollentis pluribus, actu ex natura rei etiam in eodem subiecto distinctis; secunda perfectio rei, apta terminare plures conceptus sub rationibus obiectiuis separabilibus, saltem in diuersis subiectis; tertia est intelligibilitas obiectiua rei, sub alia, atque alia connotatione & respectu ad plura, actu, vel virtute distincta. Prior ille modus distinctionis vocatur virtualis strictè; secundus dici potest virtualis paulò latiori significatu; tertius, absolutè distinctio rationis penes connotata. Asserimus igitur, attributa, à toto genere loquendo, non distingui sola eiusmodi cõnotatione creatarum rerum, siue interim necessariò ita omnia distinguantur, nec adeò distingui possint, sine respectu ad creaturas, siue non; de quo agemus quæst. seq. Nam etiam potentiæ dicuntur distingui per ordinem ad obiecta; & tamen non distinguuntur formaliter solâ connotatione extrinseca obiectorum, sed formali quadam ratione intrinseca.

7 Probatur nunc ea pars assertionis, primum ex dictis. Quia iam antea, circa partem priorem assertionis, ostẽsum, perfectiones, & attributa diuina saltem plæraque differre virtualiter strictè; nimirum essentiam, ac prædicata omnia essentialia, ab attributis omnibus; vt & hæc à se inuicem; v. g. sapientiam à bonitate, bonitatem à potentiâ, potentiam à iustitiâ, iustitiam à misericordia, &c. & sic de cæteris totalibus attributis; partim etiam de quibusdam partialib. loquendo, vt dictum: alias vero perfectiones quasi partiales eiusdem essentiæ, & attributi, vt rationem entis & substantiæ, rationem substantiæ & viuentis, &c. constat itidem, distingui virtualiter secundo modo; quia rationes formales earum perfectionum saltem in diuersis subiectis à se mutuo reipsa separabiles sunt: ratio enim entis à ratione substantiæ reipsa separata inuenitur in accidente; ratio substantiæ à viuente, in substantia inanimata, &c. Ergo cum hoc etiam fundamento attributa diuina inter se distinguãtur, non possunt dici distingui solum penes connotata extrinseca. Secundo. Si attributa diuina solum differrent penes extrinseca connotata, & non secundum proprias rationes illarum perfectionum per nomina significatas; tunc attributa ipsa formaliter constituerentur solum ea connotatione extrinseca; quo enim aliquid constituitur, eo ipso distinguitur; & è cõtrario: at hoc non videtur posse dici; quia tunc attributa diuina non propriè essent in Deo; cum cõnotatio illa, qua intrinsecè illa cõstitui dicuntur, non sit formaliter in Deo. Itaque si sapientia diuina, v. g sola cõnotatione differt à iustitia, Deus in se non habebit propriam, & intrinsecam rationem iustitiæ, & sapientiæ; & sic de cæteris attributis loquendo. Tertio. Quanto maior est ratio distinguendi perfectiones in Deo, salua summa ipsius simplicitate, & identitate à parte rei, tanto magis est Deo tribuenda; tum quia maiorem arguit perfectionem diuinæ entitatis & simplicitatis; tum quia facilius, & melius defendi possunt contradicentes propositiones de eadem simplicissima entitate diuina, vt ex dictis colligitur: at verò ratio distinguendi perfectiones diuinas, absque sola connotatione illa, est maior, quam per solam connotationem, vt patet; nec tamen repugnat perfectissimæ simplicitati diuinæ, quam habet à parte rei; cum ea sit solum distinctio realis cum fundamento in re maiori, quam sit solum connotatio extrinseca: quorum prius quidem necessarium omninò est ad simplicitatem perfectam; hoc autem potius facit ad perfectionem simplicitatis, quam vt ei quoquo modo deroget, vt inferius dicetur: Ergo, &c. Addit S. Thomas loc. cit. etiam hanc rationem: *Quia ab æterno, creaturæ non existentibus, etiamsi nunquam futuræ fuissent, fuit verum dicere, quod Deus est sapiens, bonus, & huiusmodi:* de qua re dub. sequent. 8

Cæterum contra hanc doctrinam, qua docuimus, perfectiones diuinas distingui ratione ratiocinata, obijcitur primò. Omnis distinctio rationis ratiocinatæ minuit vnitatem, ac simplicitatem Dei, & perfectionum diuinarum; quia magis vnum sunt illa, quæ solâ ratione ratiocinante, quam quæ etiam ratione ratiocinata distinguũtur; magis etiam simplex est illud, quod à pluralitate & distinctione entium remotius est: ergo cum Deus sit maximè vnus & simplex, non potest esse capax eiusmodi distinctionis.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem quantum ad vnitatem respondeo, eam veluti proprietatem consequi ens, ita vt tanto perfectius quodque sit vnum, cæteris paribus, saltem intensiuè, vt ita dicã, quanto est perfectius ens: cum ergo Deus sit perfectissimum ens, & quidem tanto perfectius, quanto, salua vnitate à parte rei, pluribus perfectionibus reipsa distinctis æquiualet (in quo distinctio virtualis rationis ratiocinatæ consistit, vt dictum) sequitur ea distinctione non minui, sed augeri quasi intensiuè perfectionem vnitatis in Deo; esto extensiuè ea ratione diminuatur, vt nonnulli loquuntur, quatenus id, quod sola ratione ratiocinante distinguitur, habet plures negationes diuisionis, nimirum secundum rem, & secundum rationem, quæ per se nihil facit ad perfectionem, cum etiam in rebus imperfectissimis cernatur, v. g. in quolibet indiuisibili. Idem dicendum de simplicitate, quæ eo perfectior est, quo res aliqua à parte rei vndiquaque simplicissima, pluribus, ac distinctis æquiualet, vt dictum; quam proinde simplicitatem minimè impedit pluralitas secundum rationem; alioqui punctum, aut instans habebit perfectiorem simplicitatem, quam Angelus, quod est absurdum. 9

Obijcitur secundo. Simplicitati perfectæ aduer-

satur

satur omnis compositio: sed vbi est vnum ex pluribus distinctis ratione, non potest non esse compositio saltem secundum rationem: ergo etiam pluralitas, & distinctio illa secundum rationem aduersatur simplicitati diuinæ.

Respondetur negando maiorem. Quia perfectæ simplicitati non aduersatur, nisi compositio secundum rem, siue à parte rei: compositio autem secundum rationem Deo, eiusque perfectæ simplicitati minimè repugnat; sed pertinet ad eius perfectionem, & ex ea prouenit, vt ex dictis colligitur: quam proinde compositionem Deo rectè concedunt Suarez 1. p. lib. 1. de Deo, cap. 4. num. 8. Vasquez d. 22. c. 2. Gillius lib. 2. tract. 4 cap. 14: & tract. 6. c. 6. vt pluribus dicetur quæst. 3. dub. 1.

10 Obijcitur tertio, Si diuinæ perfectiones ratione ratiocinata distinguerentur, tunc non possunt verè ac formaliter in abstracto de se inuicem prædicari; sicut ob eandem causam in rebus creatis, non possumus in sensu formali dicere, rationalitas est animalitas, vegetabilitas est sensibilitas, item ratio superior est ratio inferior; tametsi gradus metaphysici secundum multos, vt & ratio superior, ac inferior, nonnisi ratione ratiocinata distinguantur.

Respondetur, concedendo loquendo de prædicatione formali, loquendo saltem de attributis, quorum vnum secundum rationem nostram non pertinet intrinsecè ad rationem formalem alterius. Non enim veræ sunt hæ propositiones in sensu formali, sed solum identico, sapientia est iustitia, iustitia est misericordia, misericordia est sapientia; & sic de cæteris eiusmodi attributis; vt dicetur quæst. vltima.

Obijcitur quarto. Res omnino simplex, & à parte rei indiuisibilis, non postulat ex se diuersis conceptibus, ac sub diuersis rationibus formalibus concipi; sed potius ex se postulat, eo modo cognosci, quo est; Ergo si sub diuersis rationibus formalibus, propter imperfectionem intellectus alicuius concipiatur, id non fiet cum fundamento ex parte rei, sed solum ex conditione intellectus cognoscentis, adeoque substernentis quodammodo, & affingentis rei simplici plura, vbi plura non sunt.

Respondetur, negando consequentiam. Licet enim res simplex ex se præcisè non postulet ita imperfectè, & inadæquatè concipi, tamen ob suammet perfectionem, ab intellectu imperfecto, non potest aliter concipi; ac proinde ex se, & ratione suæ perfectionis obiectiuæ sufficit, & apta est terminare plures conceptus simplices, etiam primo intentionales, non synonymos. Et hoc ipsum est habere fundamentum distinctionis actualis per rationem; adeoque distingui ratione ratiocinata, siue ratione cum fundamento in re.

11 Sed in contrarium obijcitur quinto. Intellectus nihil distinguit, vbi non habet fundamentum distinctionis, saltem quo res ipsa simplex concipiatur relatè ad alia à parte rei distincta; alias enim cognoscit rem, vt est: Ergo inanis est illa distinctio rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Et hoc est argumentum Vasquij loc cit. ex quo reijcit distinctionem illam rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis.

Respondetur, negando antecedens: loquendo de proprio fundamento distinctionis. Quando enim vnus, & idem Socrates per rationem de seipso prædicatur; distinguit vtique intellectus Socratem per modum subiecti, ab ipso, in quantum est prædicatum; & tamen ratio illa subiecti, & prædicati, respectu Socratis, nullum habet à parte rei fundamentum distinctionis, per quod vt sic referatur ad alia realiter distincta. Item quando eadem essentia hominis primo concipitur confusè, per modum definiti, postea distinctè per modum definitionis; nullum est peculiare fundamentum eiusmodi distinctionis, quo res eadem concipiatur, relatè ad alia realiter distincta; & tamen illa distinguuntur ratione: Ergo non omnis distinctio rationis habet verum eiusmodi, & proprium fundamentum in re; nisi hoc ipsum vocemus fundamentum quasi generale, quod ipsa potest, etiam in quantum à parte rei vna, & simplex est, à ratione aliter, atque aliter (secundum rationes saltem intentionales secundas) aliquo modo concipi, licet perfectionem huiusmodi obiectiuam non habeat, qua possit terminare plures conceptus simplices primò intentionales, non synonymos. Plura de hac re dubijs sequentibus.

DVBIVM IV.

An attributa, & perfectiones diuina distinguantur tantum per respectum ad creaturas; idq; solum ratione nostra, an etiam intellectu diuino & beatorum.

S. Thom. 1. p. q. 13. a. 4. ad 3.

DVo requiruntur ad distinctionem actualem rationis ratiocinatæ; nimirum fundamentum distinctionis, & actualis distinctio per rationem. Fundamentum explicatum est dub. præced. modus verò actualis distinctionis inter attributa, & perfectiones diuinas, hoc dubio explicandus est. In hac autem re tria sunt controuersa. Primum, vtrum attributa diuina possint distingui ratione, sine actuali respectu ad creaturas, quibus æquipolleant; nam vtrum aliqua esse, & distingui possint sine respectu ad creaturas veluti obiecta, siue terminos, quos respiciunt; vt est omnipotentia, omniscientia, ratio ideæ; quæst. 6. dicetur. Secundum, vtrum attributa, & perfectiones diuinæ ratione distinguantur, etiam per intellectum Dei, & beatorum; an solum per intellectum nostrum seu Viatorum. Tertium, an perfectiones diuinæ fuerint ab æterno ratione distinctæ: quæ omnia sequentibus assertionibus explicabimus. 1

Assertio I. Perfectiones, & attributa diuina distingui possunt ratione, sine respectu actuali ad creaturas actu distinctas, quibus æquipolleant. Ita docet S. Thomas in 1. d. 22. q. vn. art. 3. vbi ait: *Quædam nomina dicuntur proprie de Deo, quæ quantum ad significata prius sunt in Deo, quam in creaturis, vt bonitas, sapientia, & huiusmodi. Et horum diuersitas non nascitur per respectum ad creaturas, imo potius è conuerso. Quia ex hoc, quod ratio sapientiæ, & bonitatis differt in Deo, diuersificatur in creaturis bonitas, & sapientia, non tantum ratione, sed etiam re.* Idem docet Capreolus in 1. d. 8. q. 4. a. 2. qui etiã plura loca S. Thomæ adducit; vt proinde credibile non sit, quod dixit Palatius in 1. d. 2. disp. 2. 2

Digitized by Google

S. Thomam suam illam sententiam in summa mutasse; quando nec Caietanus, nec alij Thomistæ id notarunt; & S. Thomas facilè secum ipse potest reconciliari, iuxta sensum sequentis assertionis. Eandem assertionem primam tradunt Bacon in 1. d. 2. q. 2. a. 3. & 4. Torres 1. p q. 28 a 2. disp. 2. dub. 3 Molina 1. p. q. 28 a. 2. d. 3. concl. 5. Gilliusl ib. 2. tract. 6. cap. 10. num. 3. & 4. vbi citat Hispalensem, & alios, etsi quidam absolutè dicant, attributa, & perfectiones diuinas, non posse distingui ratione, sine respectu ad creaturas; quos citabimus assert. seq.

Probatur assertio. Quia vt perfectiones, & attributa diuina distinguantur ratione, satis est, vt & ipsa formaliter sint in Deo secundum proprias rationes; puta scientia, sapientia, bonitas, amor, iustitia, intellectus, voluntas, &c. & vt à nobis secundum proprias etiam eiusmodi rationes, distinctè pluribus conceptibus inadæquatis concipiantur: sed vtcumque esse, & fieri potest, sine respectu actuali ad creaturas: Ergo etiam ratione à nobis distingui possunt, sine respectu actuali ad creaturas Maior est manifesta; quia attributa diuina per hoc distinguuntur ratione; quod à nobis secundum proprias rationes diuersis conceptibus distinctè cognoscuntur; ita vt conceptus & ratio formalis vnius non sit alterius.

3 Minorem quoad primam partem expresse docet S Thomas in 1. d. 2. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. vbi contra Auicennam, & Rabbi Moysen docet, rationes attributorum diuinorum esse verè ac propriè in Deo. Et in 1. p. q. 13. a. 3. ait, perfectiones significatas per nomina attributorum, propriè competere Deo, & magis propriè, quam ipsis creaturis. Eadem est communis sententia Doctorum, vt dicetur quæst. 7.

Secunda pars minoris probatur. Quia propriæ, & formales rationes attributorum, ac perfectionum diuinarum, nec secundum se habent respectum actualem ad creaturas, quibus à quipollent, vt patet; & à nobis hoc ipso concipiuntur distinctè, quod de ijs formemus proprios, & distinctos conceptus, similes ijs, quos sub ijsdem nominibus formamus de creaturis; at isti conceptus non inuoluunt actualem respectum ad creaturas, à quibus sunt abstracti: nec enim ratio siue conceptus formalis sapientiæ, bonitatis, intellectus, voluntatis, dicunt eiusmodi respectum. Quod etiam experientia patet. Nos enim distinctè, ac proprijs, diuersisq; conceptibus concipimus in Deo sapientiam, bonitatem, intellectum, ac voluntatem, etiamsi actu, & explicitè de creatura vlla, aut perfectionibus creatis nihil planè cogitemus.

4 Secundò, ad distinctionem rationis inter aliqua, quæ reidem sunt, in genere loquendo, sufficit, vt fieri de illis possint prædicationes diuersæ & cõtradictoriæ; at verò de attributis, & perfectionibus diuinis fieri possunt, & fiunt eiusmodi prædicationes diuersæ, & contradictoriæ, sine actuali respectu ad creaturas; vt quod diuinus intellectus intelligat, & generet, non voluntas. Ergo possunt hæc inter se ratione distingui, ac reipsa etiam ratione distinguuntur, sine respectu actuali ad creaturas.

Assertio II. Perfectiones, & attributa diuina non possunt à nobis ratione distingui, sine respectu ad creaturas actu distinctas, quasi virtuali, seu habituali. Ita à fortiori sentiunt illi, qui absolutè docent, attributa in Deo à nobis non posse distingui, sine respectu ad creaturas distinctas; speciatim Suarez lib. 1. de Deo, cap. 13, num. 9. vbi ait: *Vt nos aliqua distinguamus ratione, duo sufficiunt iuxta doctrinam D. Thomæ q. 7. de potẽtia, art. 6. & in 1 d. 2. q. 1. a. 2. & 3. Vnum est, quod non concipiamus rem, prout in se est; aliud est, quod concipiamus illam per habitudinem, aut comparationem ad res alias distinctas.* Consentit Gabriel Vasquez 1. p. tom. 2. disp. 117. cap. 3. vbi ait, *consentire de hac re Doctores, quos ipse legere potuerit*; & in specie refert S. Thomam in 1. d. 2. q. 1. a. 3. & opusc. 6. q. 1. 2. & 3. & q 7. de potent. art. 6. Durandum in 1. d. 2. q. 3. num. 10. Capreolum d. 8. q. 4. a. 1. concl. 4. & art. 3. in fine. Augustinum Niphum lib. 12. Metaph. disput 13. cap. 4. Gotfredum quodlib. 7. q. 1. Et quidem ita expresè loquitur Durandus loc. cit. num. 15. vbi consequenter etiam asserit, differentiam attributorum secundum rationem, non posse habere sufficiens fundamentum in natura diuina absolutè accepta, nisi comparetur ad realem diuersitatem, quæ in creaturis est, vel esse potest. 1

S. Thomas verò, & Capreolus non ita absolutè 5
loquuntur, nec aliud intendunt, quam quod in assertione dictum. Etenim S. Thomas q. 7. de potent. art. 6. ita loquitur: *Diuersitatis ergo, vel multiplicitatis nominum causa est ex parte intellectus nostri, qui non potest pertingere ad illam Dei essentiam videndam secundum quod est, sed videt eam per multas similitudines eius deficientes, in creaturis, quasi in speculo renitentes.* Et hic 1. p. quæst. 13. art. 4. ad 3. ait: *Intellectus noster multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentat.* Non ergo dicit S. Thomas, ad perfectiones diuinas ratione nostra distinguendas, necessariam esse actualem relationem, siue comparationem Dei ad creaturas: sed vt cognoscamus Deum imperfectè, & per multas similitudines in creaturis relucentes; hoc est, per multas, ac diuersas rationes formales à creaturis abstractas. Eodem modo loquitur S. Thomas in 1. d. 2. art. 3. quæst. 4. & ex eo Capreolus cit. quæst. 4. art. 1. concluſ. 4. vbi ait: *Istarum rationum pluralitatis causa, est Dei plena perfectio, & nostri intellectus limitatio.* Quam mox ibidem verbis S. Thomæ ita declarat: *Intellectus enim noster non potest vna conceptione diuersos modos perfectionis accipere; tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diuersi modi perfectionum secundum diuersas formas, tum quia hoc, quod est in Deo vnum & simplex pluraficatur in intellectu nostro, etiamsi immediatè à Deo reciperet.*

Ex quibus sumitur ratio assertionis. Quia ad 6
hoc, vt perfectiones diuinæ ratione à nobis distinguantur, per respectum quasi virtualem, seu habitualem ad creaturas, satis est, vt cognoscantur à nobis distinctè secundum proprias rationes formales, per species, & conceptus communes, quos ex rebus creatis, ac similibus perfectionibus in rebus creatis reipsa distinctis abstraximus: atqui hoc prorsus necessarium est, vt perfectiones diuinas, & concipiamus, & distinguamus; quandoquidem quicquid de Deo intelligimus, nonnisi per species rerum creatarum intelligimus: Ergo etiam perfectiones necessariò distinguimus per respectum saltem virtualem ad creaturas. Maior sumitur ex S. Thomâ loc. cit. & probatur. Quia hoc ipso, quod species, quibus distinguimus perfectiones in Deo,

sunt

sunt à creaturis acceptæ, easque adeò habitualiter respiciunt, tum ut effectus ab ijsdem causati, tum vt similitudines, & causæ repræsentationis earundem, iam hoc ipso perfectiones diuinæ distinguuntur à nobis, per respectum quasi virtualem, seu habitualem, ad creaturas; etiamsi actu nullam comparationem inter Deum, & creaturas instituamus. Non nego tamen, ad hoc, vt eam distinctionem rationis quasi reflexè cognoscamus, necessarium esse, vt Deum cum creatis perfectionibus actu comparemus; ad eum modum, quo multi sentiunt, naturam fieri vniuersalem per notitiam abstratiuam directam; etsi non cognoscatur vniuersalis, nisi per comparatiuam, & reflexam. Quo sensu intellige illud, quod S. Thomas in 1. d. 22. cit. q. 1. a. 3. post verba citata assertione præcedente immediatè subijcit: *sed verum est, quod diuersitas talium nominum* (seu distinctio attributorum) *prout prædicantur de Deo, innotescit nobis ex diuersitate eorum in creaturis.*

7 Vtramque vero simul conclusionem tradidisse mihi videtur S. Thomas in 1. d. 2. q. 1. art. 3. quæstiuncula 4. vbi ait: *Pluralitas nominum venit, ex hoc, quod ipse Deus nostrum intellectum excedit. Quod autem Deus excedit intellectum nostrum, est ex parte ipsius Dei, propter plenitudinem perfectionis eius, & ex parte intellectus nostri, qui deficienter se habet ad eam comprehendendam, &c. Qui ergo dixerunt, quod pluralitas ista est tantum ex parte intellectus nostri, vel ex parte effectuum, quodammodo verum dixerunt, & quodammodo non: si enim hoc referatur ad causam multiplicationis, sic verum dicunt, quod est ex parte intellectus nostri, & effectiuè quodammodo, ex eo, quod intellectus noster non potest concipere diuinam perfectionem vna conceptione; sed pluribus: cuius vna ratio est ex hoc, quod est assuefactus ad res creatas. Si autem referatur ad modum, quo istæ rationes attribuuntur Deo, falsum dicunt, non enim ex hoc, quod bona facit, vel quia ad modum bonorum se habet, bonus est: sed quia bonus est, ideò bona facit, & alia participando eius bonitatem, ad modum eius se habent. Vnde si nullam creaturam fecisset, nec facturus esset, ipse in se talis esset, vt posset verè considerari secundum omnes istas conceptiones, quas habet nunc intellectus noster, ipsum considerando.* Vbi expresè docet S. Thomas, causam distinguendi attributa diuina ex parte intellectus nostri, esse imperfectionem nostri intellectus, qua fit, vt perfectionem diuinam non possimus sine pluribus conceptibus concipere & intelligere; eo quod cognitionem ex rebus creatis acceptam habeamus: tametsi attributa hæc verè Deo conueniant, sine respectu actuali ad creaturas, &c.

Assertio III. Intellectus Dei, & beatorum, non distinguit attributa, & perfectiones diuinas, licet eas, vt à nobis distinctas cognoscat. Primam partem expresè tradunt Capreolus in 1. d. 8. q. 4. art. 3. in fin. Suarez 1. p. lib. 1. de Deo cap. 13. num. 7. & lib. 4. de Trinit. cap. 4. num. 17. Vasquez 1. p. tom. 2. disp. 118. cap. 2. Idemque supponit S. Thomas loci antea citatis, in quibus vbique distinctionem eam perfectionum diuinarum refert ad imperfectum nostrum intelligendi modum: Etsi contrarium sentiant Henricus quodlib. 5. q. 1. Item Varro apud Aureolum in 1. d. 8. q. 3. a. 1. Torres 1. p. q. 28. a. 2. disp. 2. dub. 3. & Molina ad quæst. 28 a. 2. disp. 3. conc. 5. qui docent, intellectu diuino, & beatorum distingui posse diuinas perfectiones, sine vllo respectu ad creaturas, ac imperfectum nostrum intelligendi modum. Durandus verò in 1. d. 2. q. 3. num. 20. vt & recentiores quidam, concedere videntur, Deum distinguere ratione, diuinas perfectiones, saltem per respectum ad creaturas, siue ad nostrum imperfectum intelligendi modum.

Probatur assertio primum authoritate S. Bernardi lib. 5. de consideratione ad Eugenium, vbi ait: 8
Visus sum protulisse plura; sed vnum est: vnus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Diuisus est hic, non ille; voces diuersæ, semita multæ, sed vnum per eas significatur, vnus quæritur. Et paulo post: *Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum: facit hoc speculum, & ænigma, per quod solum videre datur: cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, dissilietue in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabitque vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei.* Quem locum bene expendit Vasquez loc. cit.

Deinde probatur ratione. Quando enim directè vnum à parte rei simplicissimum, per vnum simplicissimum conceptum, seu cognitionem, videtur, sicuti est, non est vnde in eo plura ratione distinguantur: non ex parte obiecti, quia simplicissimum est; & licet æquiualeat multis, vnum tamen esse est, quod omnibus respondet: non ex parte cognitionis; quia vnica simplicissima esse ponitur; sed Deus à parte rei est vnum simplicissimum obiectum, quod Deus, & beati visione beatifica (de hac enim loquimur) vident vno simplicissimo actu, sicuti est: Ergo non est, vnde per eam cognitionem in Deo plura ratione distinguantur. Præterea ad hoc, vt per intellectum plura, in re simplicissima, ratione distinguantur, necesse est, vt ea res simplex pluribus inadæquatis conceptibus cognoscatur, quorum vnus vnam rationem, alius aliam rationem obiectiuam cognoscat: Sed hoc est impossibile in Deo, & beatifica visione, vt dictum, Ergo, &c. Adhæc; si Deus, & beati visione beatifica plura attributa, & perfectiones in Deo ratione distinguerent, tunc etiam ipsi eâdem illa cognitione facerent Ens rationis, cum ipsamet illa distinctio rationis, sit relatio, adeoq; ens rationis: sed consequens videtur absurdum: vt Deus, & beati eiusmodi figmenta rationis efficiant, vt dicetur q. 8. Ergo.

Denique huc etiam S. Thomas in 1. d. 2. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4. refert quendam scripturæ locum, 9
cum ita ait: *si intellectus noster Deum per semetipsum videret, illi rationi posset imponere nomen vnum, quod erit in patria. Et ideo dicitur Zachar. vltimo: In illa die erit Dominus vnus, & nomen eius vnum. Istud autem nomen vnum non significaret bonitatem tantum, nec sapientiam tantum, aut aliquid huiusmodi, sed significata omnium istorum includeret.* Vbi tamen simul rectè concedit S. Thomas, beatos extra visionem beatificam, alia cognitione, ac per plures conceptus posse plura in Deo ratione distinguere: de quo non est controuersia. Id enim etiam expresè docent Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 56. Capreolus in 1. d. 27. q. 2. a. 3. & Vasquez 1. p. disp. 48. num. 8.

Digitized by Google

Secundam partē assertionis expresè tradunt non solum Henricus, Torres, Molina, sed etiam S. Thomas 1. p. q. 15. a. 2. ad 3. & 4. Item Capreolus, Suarez locis cit. & Vasquez ibidem cap. 3 num. 10. & est res adeò certa, vt non videatur posse negari. Probatur. Quia Deus intimè, & perfectissimè intuetur imperfectum nostrum modum intelligendi, & quicquid cum eo coniunctum est. Ergo optimè etiam videt, nostro modo intelligendi attributa diuina ratione distingui. Idē seruata proportione beatis etiam potest accommodari, saltem indefinitè loquendo, & abstrahendo à modo cognitionis; quia etiam beati nos, nostrasque intellectiones etiam circa Deum intelligunt, non omnes omnia; sed alias alij: siue id fiat per visionem beatificam, siue per proprias species, & reuelationes. De qua re quæst. 6. agendum.

Assertio IV. Perfectiones, & attributa diuina, propriè & formaliter non fuerunt ab æterno ratione distincta. Colligitur ex dictis præcedenti assertione; & supponunt citati pro eadem; etsi contrarium sentiant Henricus, Torres, Molina, & quidam recentiores, qui concedunt etiam, Deum facere entia rationis. Ratio assertionis est. Nam si fuissent ab æterno ratione distincta, aut fuissent ita distincta intellectu diuino, aut creato. Non primum; quia intellectus diuinus ea non distinguit, vt dictum. Nec secundum; quia ab æterno nullus fuit creatus intellectus, qui ea distingueret. Quanquam interim Deus ab æterno vidit, ea per intellectum humanum fore aliquando distinguenda; quod est videre, distinctionem futuram; non autem factam. Idem in simili accidit cum alijs entibus rationis, quæ propriè, & formaliter non sunt, nisi cum ab intellectu creato efficiuntur; licet eam intellectus conceptionem Deus ab æterno viderit.

Vbi etiam obseruandum discrimen inter virtualem distinctionem, & distinctionem rationis, si formaliter, & propriè loquamur. Quia virtualis distinctio, qua præcisè talis est, cum non sit aliqua distinctio vera, & actualis, seu formalis, sicut quod eminenter, seu virtute tale est, verè actualiter, & formaliter tale non est, significat tantum fundamentum, quod est in re ipsa ad distinctionem rationis faciendam; vnde etiam est ante operationem intellectus, non minus, quàm ipsum fundamentum, quod est, vt diximus, singularis eminentia ipsius rei, quæ vnitè continet ea, quæ, in creaturis diuisa sunt. Rationis autem distinctio, cum sit actualis distinctio per rationem facta, propriè non est ante operationem intellectus, vt pluribus Vasquez d. 118.

10 Cæterum contra has duas assertiones posteriores obijcitur primò. Deus, & beati intelligunt omnem perfectionem, & rationem quidditatiuam? quæ est in essentia diuina. Ergo etiam intelligunt in Deo rationem intellectus, & voluntatis; rationem iustitiæ, & misericordiæ; quia hæc omnia sunt in ipso, vt superius ex S. Thoma dictum: hæ autem perfectiones distinctæ sunt; ergo intelligunt eas distinctas; ac proinde ipsi attributa reuera distinguunt.

Respondeo concedendo, Deum, & beatos hæc omnia intelligere; sed nego idcirco intelligere vt distincta (nisi per rationem nostram) aut suo intellectu distinguere; quia hæc omnia intelligunt vnico simplicissimo conceptu, & vti à parte rei sunt vnum simplicissimum esse diuinum, quod omnia, & singula attributa intimè, & quidditatiuè includit, vt dicetur dub. seq.

Obijcitur Secundo. Qui cognoscit aliqua, vt distincta secundum rationem cuiuscunque intellectus cognoscentis, is eo ipso distinctè illa cognoscit; Ergo distinguit. Deus cognoscit attributa diuina, vt distincta cognitione nostra: Ergo distinguit. 11

Respōdetur negādo primū cōsequēs. Quia aliud est habere pro obiecto distinctionē siue cognoscere distinctionē rationis ab alio factā; aliud distinguere: sicut aliud habere pro obiecto discursū, & cognoscere illū; aliud est discurrere. Sicut ergo Deus cognoscit quidē discursus nostros, nec tamē discurrit, ita etiam cognoscit nostras distinctiones, & entia rationis, nec tamen ideò sua ratione distinguit, aut facit entia rationis. Ratione enim distinguere aliqua, non est distinctionem, aut distinctè cognoscere, sed suomet intellectu, ea, quæ à parte rei vnum planè sunt, secundum rationes diuersas inadæquatè cognoscere; ita vt ab ipsa cognitione multiplici, denominari etiam res ipsa possit ratione, siue secundum esse intellectum multiplex, qua ratione etiam inferius quæst. 8. dicemus, Deum etsi cognoscat entia rationis, non tamen facere entia rationis.

DVBIVM V.

An Attributa Dei positiua, sint de ratione, quidditate, & conceptu Diuinæ Essentiæ.

S. Thom. 1. p. q. 3. a. 5. & q. 6. a. 3. & q. 13. a. 6. 1

TAmetsi quidem ex dictis satis constet, attributa diuina omnia, etiam positiua, esse ratione distincta ab essentia; adhuc tamen est quæstio, annon saltem hæc in ratione, & conceptu adæquato essentiæ includantur, seu ad eam quouis modo pertineant: quia etiam inter ratione distincta, vnum potest esse de ratione, & conceptu alterius; sicut definitio de ratione definiti, superius de ratione inferioris.

Quam ob causam quatuor etiam sunt Doctorum hac de re sententiæ, prima absolutè affirmat, eiusmodi attributa, etiam iuxta nostrum concipiendi modum, esse de essentia, & conceptu Diuinitatis. Ita Bartholomæus Torres 1. p. q. 28. a. 2. disp 2. dub. 1. Molina 1. p. q. 28. art. 2. disp. 4. & disp. 6. concl 3. & 4. Suarez 1. p. lib. de Deo, cap. 11. & lib. 4. de Trinit. cap. 5. Franciscus Zumel 1. p. q. 28 art. 2. d. 3. & 8. Bannes eodem art. 2. alijque recentiores plures.

Citatur etiam S. Thomas q 27. art 2. ad 3. vbi ait: *In perfectione Diuini esse omnia contineri, quæcunq; ad eius perfectionem pertinent.* Item S. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap 7. vbi ait: *Non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Et lib. 7. de Trinit. cap. 1. *Quid enim*, inquit, *aliud dicimus, cum dicimus, hoc est illi Esse, quod sapere, nisi eo est, quo sapiens est.* Et rursū. *Eadē enim magnitudo, quæ virtus; & eadē Essentia, quæ magnitudo.* Et in fin. *Eadē ibi sapientia est, quæ essentia.* Plura citantur à Torre ex lib. de cognitione veræ vitæ, sed qui existimatur nō esse Augustini. Similia habēt Boetius lib. 2. de Trinit. & Anselmus in Monolog. cap. 6. qui docēt, attributa eiusmodi substātialiter, & in quid de Deo, siue diuinitate prædicari. Rationes inferi exponētur.

Secunda sententia negat, attributa etiam à parte rei esse de essentia Dei, siue Diuinitatis. Ita Scotus in 1. d. 8. q. 3. cum suis, quos citauimus supra dub 2. qui non solum docent, attributa ab essentia ex natura rei distingui, sed etiam hæc, veluti passiones essentiæ non esse de ratione essentiæ; cum tamen alioqui etiam in ijs, quæ ex natura rei differunt, unum possit esse de ratione alterius; vt corpus de ratione totius hominis, & secundum aliquos gradus Metaphysicus superior de ratione inferioris: & substantia de ratione corporis, aut animalis, &c.

2 Tertia sententia est, formaliter, ac iuxta nostrum concipiendi modum, attributa diuina etiam absoluta, non esse de ratione, seu conceptu essentiæ diuinæ: quare si in propositionibus seruetur sensus formalis, de essentia in abstracto formaliter non prædicari: esto alioquin obiectiuè, & à parte rei includantur in Essentia Dei. Ita docent Alensis 2. p. q. 49. Albertus in 1. d. 8. a. 3. & 4. Richardus d. 3. a. 2. q. 1. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 24. Ariminensis in 1. d. 8. q. 2. a. 3. Capreolus in 1. d. 8. q. 4. a. 2. resp. ad argum. 16. Aureoli, Abulensis q. 1. in cap 6. Exodi, Caietanus in cap. 21. Genes. Vasquez 1. p. tom. 2. disp. 119. cap. 2. & significat Gregorius de Valentia q. 13. punct. 5. adeò ut hæc sit communis sententia veterum Scholasticorum.

Quarta sententia est quorundam recentiorum, qui in attributis diuinis singulis distinguunt has duas rationes, nimirum rationem substantiæ, siue substantialis perfectionis; & rationem propriam, ac specialem cuiusq; attributi; nimirum rationem formalem, & abstractam sapientiæ, qua præcisè sapientia est, &c. Ex his dicunt, essentiam diuinam, etiam vt à nobis concipitur per modum naturæ substantialis, & formæ constituentis Deum, qua Deus est, includere essentialiter perfectiones absolutas, quoad priorem illam rationem perfectionis substantialis; non autem quoad propriam, ac specialem cuiusque attributi rationem, quatenus nimirum attributa præcisè concipiuntur sub perfectionibus, quæ in creaturis accidunt substantiæ

3 Assertio I Attributa diuina omnia, & singula, identicè, & à parte rei prorsus idem sunt cum essentiâ diuinâ. Est certa, & communis Doctorum, neque hac de re hoc loco est quæstio; & patet ex dub. 2. vbi ex instituto oppositam Scoti sententiam, quoad distinctionem ex natura rei inter Essentiam, & attributa, refutauimus; quanquam nec Scotus neget, attributa identicè vnum esse cum essentia; sicut etiam in creatis rebus, quantitas cum figura, sessio cum sedente, modi itidem intrinseci rerum cum modificatis rebus, identicè idem, ac res eadem sunt; cum strictè realiter non distinguantur.

Assertio II. Entitas obiectiuè respondens singulis attributis, est de intrinseca ratione, & conceptu Essentiæ diuinæ. Est itidem certa, & sequitur ex præcedenti assertione. Cum enim attributa à parte rei idem planè sint cum essentia; non potest entitas attributis singulis obiectiue respondens alia esse, quam ipsa entitas essentiæ diuinæ, quæ proinde non potest non esse de intrinseca ratione, & conceptu essentiæ diuinæ.

4 Assertio III. Omnia attributa, omnesque perfectiones Dei reales absolutæ, etiam secundum proprias suas rationes, obiectiuè, & à parte rei, sunt de Essentia, & quidditate ipsius Dei, ac Diuinitatis. Hæc est communis doctrina Scholasticorum contra Scotum, & eius asseclas supra relatos; speciatim autem hanc assertionem tradunt Magister in 1. d. 8. Altisiodorensis lib. 1. cap. 5. q. 5. Albertus in 1. d. 8. art. 3. & 4. & in sum. tract. 14. q. 57. Durandus in 1. d. 3. q. 3. num 8. Heruæus q. 1. & 2. Ockam in 1. d. 2. q. 1. Marsilius in 1. q. 12. a. 3. Capreolus & Ferrariensis locis citatis. Caietanus de ente & essentia q. 12. Gregorius de Valentia, Torres, Molina, Vasquez num. 11. alijque citati pro prima, & tertia sententia.

Idem expressè docet S. Thomas, non solum in locis à Torre pro prima sententia relatis, sed etiam in pluribus alijs. Sic enim 1. p. q. 3. art. 6. sentit, attributa non prædicari de Deo per accidens, nec per se secundo, sed *per se primo*. & q. 6. art. 3. ait: *quæ de aliis dicuntur accidentaliter, Deo conueniunt essentialiter, vt esse potentem, sapientem, & alia huiusmodi.* Et q. 13. non solum art. 1. ait; nomina istorum attributorum significare *substantiam Dei*, dicique de Deo *substantialiter*; sed etiam ibidem art. 6. ait; *hæc attributa prædicari essentialiter de Deo.* Eadem est doctrina communis non solum S. Augustini loc. cit. sed aliorum etiam SS. Patrum. Basilius lib. de Spirit. sanct. cap. 9. ait: *Cui bonitas est ipsa essentia.* Gregorius Nyssenus apud Cyparissiotam decad. 10. cap. 6. *Cuius essentia sapientia est.* Leo epist. 91. vel 93. ad Turibium: *de Deo quidquid dignè vtcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Et similia plura retulimus supra dub. 2.

Probatur assertio primo. Quia in ipso Deo, à parte rei, cum sit actus purus, & ens per essentiam; vt dictum q. præced. dub. 5. nullum prorsus est accidens, nec prædicamentale, nec prædicabile, vt magis patebit q. seq. at vero si attributa diuina positiua obiectiuè, & quatenus à parte rei in Deo sunt, non essent de essentia, & ratione ipsius Dei, ac Diuinitatis, essent plane in ipso Deo à parte rei quædam accidentia diuinæ naturæ: Ergo, &c.

Secundo. De ratione, & quidditate essentiæ diuinæ, prout obiectiuè à parte rei existit, est, intrinsecè, adeoque essentialiter includere omnes perfectiones absolutas simpliciter simplices: sed attributa diuina absoluta sunt quædam perfectiones absolutæ simpliciter simplices, vt magis suo loco patebit q. 4. Ergo sunt obiectiuè saltem de ratione, & quidditate essentiæ diuinæ. Maior probatur. Quia essentia diuina ex ipsa est Ens perfectissimum, & simpliciter infinitum, in seipso intrinsecè includens omnes perfectiones modo possibili, & optimo. 5

Tertio. Quia iuxta oppositam Scoti sententiam, fatendum esset, quidditatem attributi diuini, à parte rei non esse quidditatem essentiæ diuinæ; & è contra: hoc vero est impossibile: sic enim & plures à parte rei essent quidditates absolutæ in Deo; & necessario in Deo admittenda esset aliqua compositio ex essentia, & attributis Dei; conuenirent enim, & vnirentur ad vnum aliquid, scilicet Deum, constituendum, etiam vt distinctæ quidditates à parte rei, ante omnem operationem intellectus.

Quarto. Si non essent à parte rei, vt in Deo sunt, de Essentia Dei, tum illa quidam à parte rei essent proprietates diuinam essentiam consequentes; se

quoquo

quoquo modo ea posteriores: sed hoc est impossibile. Implicat enim contradictionem, quicquam absolutum in Deo esse productum, seu ipsam essentiam diuinam ullis proprietatibus reipsa perfici: esset enim planè tunc Ens potentiale, &c. Ergo. Plura contra Scoti sententiam attulimus supra cit. dub. 2.

Assertio IV. Attributa sunt de ratione, & Essentia Diuinitatis, iuxta ipsum intelligendi modum Dei, ac beatorum. Ita sentiunt citati pro præcedenti assertione. Ratio est: Quia isti vident Deum sicuti est: Ergo cum à parte rei attributa sint de ratione diuinitatis, erunt etiam iuxta istorum concipiendi modum. His accedunt dicta superius dub. 4.

6 Assertio V. Iuxta nostrum tamen imperfectum concipiendi modum, attributa non solum respectiua, sed etiam absoluta, sunt extra conceptum essentiæ diuinæ; ita vt secundum eundem imperfectum concipiendi modum, in abstracto, nec essentia de attributis, nec attributa de essentia formaliter prædicentur. Ita sentio cum Auctoribus tertiæ sententiæ.

Pro cuius declaratione obseruandum, aliam Deum, ac beatos, de substantia, siue Esse diuino, notitiam habere; aliam nos viatores. Illi enim propriam, & velut adæquatam esse diuini notitiam habent; idque per proprios, non alienos, seu analogicos conceptus intelligunt. Quo fit, vt vno simplici intuitu totum illud Esse quodammodo exhauriant, nullâ penitus facta distinctione Essentiæ, personalitatis, relationum, aliorumque attributorum, in Deo, ab ipsa essentia, vt dictum dub. 4. Nos vero quamdiu, Deum, vt est in se, non intuemur, res diuinas non intelligimus, nisi conceptibus communibus à creaturis abstractis, ac per analogiam ad res creatas; ideoque necessariò vnicum illud, & simplicissimum Esse ratione nostra, per varios conceptus, ad similitudinem rerum creatarum, distinguimus, non quidem errore aliquo intellectus, cogitantes, seu affirmantes, esse distincta, quæ non sunt distincta; sed abstractione præcisionis; dum vnum cogitamus, Deoque tribuimus, aliud eidem per notitiam nostram, seu eundem illum conceptum formaliter non tribuendo. Sic ergo Deum ipsum in se concipimus, velut substantiam viuentem, intelligentem, spiritualem, increatam, seu velut Ens, quod est à se, super omnia existens; quodque est intrinseca vi principium omnium, & remotum ab omnibus, iuxta S Thomam q. 13. a 8. & 2. & ea, quæ diximus quæst. præced. dub. 5. Ipsam verò essentiam in abstracto concipimus, veluti formam completam, non formabilem, omni aliâ naturâ superiorē; attributa verò, vt perfectiones substantiales quidem, & diuinæ naturæ connaturaliter debitas; at non essentiales, sed essentia secundum rationem quodammodo posteriores. Quo circa etiam ex conceptu essentiæ diuinæ attributa, & in his vnum attributum ex altero demonstramus. Relationes deniq; seu proprietates personales concipimus, quasi modos quosdam substantiales ipsius essentiæ; non quod tales à parte rei sint; verè scilicet perficientes naturam; sed quod instar talium seu proprietatum seu modorum à nobis concipiantur, omni imperfectione seclusâ

7 Quibus positis, probatur assertio primum auctoritate. Nam vniuersim attributa, iuxta nostrum concipiendi modum esse, vel potius concipi, extra essentiam Dei, indicat S. Dionysius lib. de myst. Theolog. cap. 1. vbi de natura Diuina ait: *cum ipsa existimanda sit multo prior, & antiquior priuationibus, cum omni & negationi, & affirmationi antecellat.* Et ibidem cap. 5. ait: *Profitemur, nec esse, eius affirmationem omnino nec negationem; sed eorum, quæ illa sequuntur, affirmationes, negationesq; facientes, &c.* Idem clarius docet Basilius lib. 1. cont. Eunomium, vbi ait, nomina attributorum *ponere aliquid eorum, quæ Deo insunt, & circa eum inspiciuntur.* Similia habet Gregorius Nyssenus lib. de Trinit. sub finem.

Idem tradit S. Damascenus lib. 1. de fid c 4. vbi ait: *quæcunq; per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturā eius, sed ea, quæ sunt circa naturam, insinuant; Nam etsi bonum, si iustum, si sapiens, si quidnis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea, quæ circa naturam,* Et eodem lib. 1. cap. 12. *Par est igitur,* inquit, *unumquodq; eorum, quæ de Deo dicuntur, non quid est secundum substantiam arbitrari significare, sed quid non est, ostendere; aut habitudinem quandam ad aliquid eorum, quæ ab eo distinguuntur, aut eorum, quæ assequuntur naturam, aut operationem.* Hactenus Damascenus. Quod tamen adeo vniuersim ab eo pronunciatum, etiam de ipsis nominibus *Deus*, & similibus, an & qua ratione admittendum sit, inferius, q. 6. dicetur.

Interim Damascenum priori assertioni minimè 8
aduersari, sed eidem potius etiam astipulari, ipsemet ibidem lib. 1. cap. 12. satis declarat, dum de Deo ait: *Totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum Esse, velusi quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminum.* Et initio eiusdem capitis: *Deus*, inquit, *simplex est & incompositus; quod autem ex multis, & differentibus coaluit, compositum est: si igitur increatum, non initiatum* (siue initij expers) *incorporeum, immortale, æternum, bonum, conditorem, & id genus substantiales differentias, differentesq; substantias dixerimus in Deo, ex tot coalitum, minimè simplex erit, sed compositum, quod quidem extremæ impietatis est.* Idem quod de attributis absolutis hac assertione dictum, de relationibus, seu attributis relatiuis, multò frequentius testantur SS. Patres. S. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. ait: Relationes non prædicari de Deo, *secundum substantiam, neq; etiam secundum accidens*, &c. vt suo loco pluribus dicetur.

Ratio generalis assertionis sumitur ex dictis. Quia singula ista, propter imperfectum nostrum concipiendi modum, quo diuina cognoscimus, habent in nobis conceptus formales distinctos; quorum vnus non includit alium, vt dictum. Obijces primo Non est maior ratio, cur in conceptu formali Essentiæ diuinæ includatur existentia, quam cætera attributa diuina, vt sapientia, potentia, &c. Ergo si hæc non includuntur, nec existentia in conceptu formali Essentiæ includetur; contra ea, quæ dicta sunt assertione prima.

Respondeo negando assumptum. Tum quia existentia non addit ad essentiam alium conceptum, seu rationem formalem, præter actualitatem, quæ in Essentia diuina non potest non includi. Tum quia si existentia diuina cum Essentia idem esset solum identicè, formaliter autem in ea non includeretur, iam eoipso abesse posset ab Essentia: sicuti à rebus creatis, eorumque essentijs

abesse.

abesse potest, tametsi cum illis identicè, ac realiter idem sit, vt ex veriori supponimus, & dicetur quæst. seq. dub. 1. Non ita quidem, vt tam essentia rei creatæ, quam eius existentia, seorsim ac separatim, vnaquæque actu esse possit: sed quia existentia rei perire potest, essentia rei secundum se abstractè spectatà non pereunte.

9 Objicitur secundo. Si Essentia diuina in suo conceptu non includit etiam formaliter attributa, sequitur, Essentiam diuinam, vt sic formaliter, non esse vere infinitam, aut saltem non concipi à nobis infinitam: cum vt sic non habeat, nec includat omnes perfectiones simplices, siue possibiles in ente simpliciter infinito: consequens est absurdum.

Respondeo. Aut loquimur de perfectionibus diuinis secundum Esse, quod habent à parte rei, & hic cessat disputatio; non enim sunt plures respectu essentiæ, seu vt cum ipsa identificantur, sed vna simplicissima Entitas, & quidditas, & perfectio; quæ procul dubio omni modo est infinita, obiectiuè & à parte rei includens modo perfectissimo omnes perfectiones simplices, & possibiles in ente infinito & vndequaque perfectissimo.

Aut loquimur de Essentia, & perfectionibus diuinis, prout à nobis intelliguntur, & ratione distinguuntur; & sic necesse non est, singulas esse, seu potius apprehendi infinitas, in omni ratione entis possibilis, in Deo, iuxta eundem nostrum concipiendi modum; sed infinitas secundum eam tantum rationem Entis, sub qua formaliter apprehenduntur, vt etiam in simili benè respondet Suarez lib. 3. c. 10 n. 8.

Qua ratione essentia diuina à nobis formaliter concipitur, vt immensus, & infinitus fons, & origo infinitæ perfectionis, etiam attributalis: Sapientia vero, vt scientia infinita, omni termino & fine carens, ex parte obiecti intelligibilis, ipsiusque modi intelligendi: voluntas autem, vt vis infinita volendi tam ex parte obiecti voliti, quam ex modo volendi: potentia, seu virtus operatiua ad extra infinita, tum ex parte obiecti operabilis seu possibilis, tum ex modo & ratione operandi; & sic de cæteris.

10 Neque satis est, vt dicamus, de ratione essentiæ esse attributa diuina, etiam iuxta nostrum concipiendi modum, quod ex vno attributo diuino, seu Essentia ipsa, siue etiam Entitate obiectiuè respondente cuilibet perfectioni diuinæ, cæteræ omnes Dei perfectiones inferri possint; aut quod ipsa entitas diuina, quolibet attributo formaliter significata, reipsa omnem perfectionem includat; cum etiam in rebus creatis attributa colligantur ex essentijs, & nonnunquam cum Essentia rei identificentur, vti figura cum quantitate, & secundum aliquos potentiæ animæ cum ipsa anima: sed videndum, sub qua ratione entitas ipsa diuina formaliter hoc vel illo attributi nomine significetur. Si enim sub certa quadam, & contracta solum ratione perfectionis, siue attributi alicuius, nostro concipiendi modo significetur, tunc etsi quidem ipsa obiectiuè simpliciter in omni genere entis sit infinita, nostrâ tamen concipiendi ratione formaliter non erit eo modo infinita, sed infinita solum secundum certam rationem huius, vel illius perfectionis, siue attributi, modo explicato.

Objicies tertio. Si attributa non sunt de ratione, & formali conceptu Essentiæ, sequitur esse vnum cum Essentia solum identicè, eo modo, quo in rebus creatis essentia & existentia, quantitas & figura vnum sunt identicè: consequens est falsum, quia in his existentia potest abesse ab essentia; vti & figura à quantitate.

Respondeo, negando sequelam, ob eam ipsam causam, quæ obiecta fuit. Quia attributa ita cum essentia diuina identificantur, vt sicut Essentia diuina ex sua ratione essentiali, qua talis est, etiam nostro concipiendi modo, sit quasi fons necessarius, & essentialis attributorum, adeoque immutabili, & absoluta necessitate sibi, etiam iuxtà nostrum concipiendi modum, adiungi deposcat attributa ipsa diuina: quod tamen de existentia ad diuinam essentiam comparatà dici non potest: nam si in quocunque rationis signo concipiamus Essentiam sine existentia, impossibile est, vt ab ea secundum rationem nostram quasi emanet existentia; cum non ens non possit vlla ratione esse fons entis, seu existentiæ, vt superius argumentati sumus quæst. 1. dub. 5. Accedit quod attributa diuina sunt de ratione, & conceptu Essentiæ diuinæ obiectiuè, siue prout & à parte rei existit, & à beatis, ac ipso Deo cognoscitur, vt in Assertione 2. & 4. dictum.

Objicies Quarto. Eo ipso, quod nos Diuinitatem ita constitutam esse cognoscimus, vt de eius essentia reipsa etiam sint attributa, vt dictum, sequitur hæc esse de ratione essentiæ, etiam iuxta nostrum concipiendi modum. 11

Respondeo distinguendo sequelam. Sunt enim quidem, etiam iuxta nostrum concipiendi modum, attributa de ratione essentiæ obiectiuè, vt dictum, sed non secundum eum conceptum formalem imperfectum, & inadæquatum, quem nos de Essentiâ formamus.

Objicies quinto. Nostra notitia, & concipiendi ratio, debet conformis esse obiecto, saltem ex parte rei cognitæ; aut non est vera: sed non potest dici conformis obiecto cognito, si ita essentiam diuinam apprehendat, & declaret, vt attributa non sint de conceptu Essentiæ, cum tamen obiectiuè sint de essentiâ; sicuti quia rationale est de essentia hominis, falsus esset ille conceptus formalis, & essentialis hominis, quo non includeretur etiam rationale: neque adeò etiam rectè diceretur rationale, vel quicquam aliud non esse de Essentia, & ratione hominis, iuxta nostrum concipiendi modum, quod tamen obiectiuè est de ratione, & essentia hominis.

Respondeo ex mente S. Thomæ 1. p. q. 13. art. 12. ad 3. maiorem hoc solum sensu veram esse; vt ne nostrâ notitiâ, aut attribuamus rei, quod ei non conuenit, aut denegemus ei, quod ipsi conuenit; aut omnino etiam sub falsa quapiam, & repugnante ratione, quæ rei non conuenit, rem apprehendamus, v. g. apprehendendo Deum, corpus, &c. Non est autem vera maior, quasi positiuè, hoc sensu, quod notitia nostra, & concipiendi ratio, debeat semper totum id, quod obiectiuè rei alicui, siue essentiæ rei alicuius conuenit, apprehendere & exprimere, alioquin enim nullus erit locus siue abstractionibus, siue conceptioni imperfectæ, & inadæquatæ rebus cognitis, earumque essentijs. 12

Neq; exemplum illud ad propositum facit. Quia

cùm

cum nos habeamus proprium, & adæquatum conceptum essentiæ hominis; nec vero etiam possimus ullum proprium, formalem, & essentialem conceptum hominis formare, quo non includatur rationale; nec denique sit ullum fundamentum, propriam essentiam hominis absque propria differentia concipiendi, non possumus negare rationale esse de ratione, & conceptu hominis, etiam iuxta nostrum concipiendi modum. Secus se res habet cum Essentia diuina, quam nec adæquatè intelligimus; & in qua idipsum, quod intelligimus, imperfectè intelligimus, ac per analogiam solum ad res creatas; quæque etiam sine formali conceptu attributorum à nobis, qua talis est, concipi potest; & in qua denique, iuxta imperfectum nostrum concipiendi modum, est fundamentum concipiendi Essentiam sine attributis; eo quod attributa concipiantur per modum passionum, quæ in rebus creatis reipsa sunt, extra essentias ipsarum: hoc enim sufficit, vt saltem ratione nostra, non solum attributa ab Essentiâ diuinâ distinguamus, sed etiam ita concipiamus diuinam Essentiam, vt in eo conceptu attributa non includantur; licet reuera obiectiuè, & à parte rei sint de Essentiâ.

DVBIVM VI.

Vtrum Essentia diuina sit de ratione Attributorum; & hæc omnia, & singula de ratione vniuscuiusq; eorum.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 4.

1 IN hac re eadem est sententiarum varietas, quam in præcedente dubio retulimus. Primo enim Scotus vna cum suis asseclis negat, attributa etiam à parte rei aut includere essentiâ; (sicut nec proprietates rei includunt essentiam, nec ab ea includuntur) aut se inuicem.

Secundo alij docent, attributa omnia, & singula, etiam nostro concipiendi modo, includere, & essentiam, & se mutuo. Ita expresè Torres cit. 1. q. 28. a. 2. disp. 2. dub. vlt. Molina eod. a. 2. disp. 4. Bannes, & Zumel ibidem, Suarez lib. 1. de Deo cap. 12. & 13. qui docent, attributa quidem absoluta non tantum includi in conceptu Essentiæ, sed etiam vicissim in suo conceptu includere essentiam, eandemque proinde etiam esse rationem attributorum inter se; ita vt quodlibet respectu alterius sit quasi transcendens, nec vnum possit definiri perfectè, nisi cætera omnia in definitione ponantur, imo vt loquitur Molina disp. 4. Cætera *sint ratio, & essentia cuiusque aliorum*; ac proinde quodlibet de quolibet formaliter etiam in abstracto prædicetur. Idem de diuina Essentia, quod scilicet in ratione formali attributorum singulorum includatur, docent Henricus in sum. art. 32. q. 4. Ariminensis in 1. d. 8. q. 2. a. 2. Maior q. 1. Aureolus d. q. 5. q. vn. a. 3.

Tertio alij communiter docent, reipsa quidem attributa singula includere tam essentiam, quam attributa cætera omnia, at nostro tamen concipiendi modo, non item.

Assertio I. Attributa omnia, & singula obiectiuè, & à parte rei essentialiter includunt essentiam diuinam. Ita communis Doctorum, quos pro secunda sententia citauimus, quibus accedunt Capreolus in 1. dist 8. q. 4. a. 2. Marsilius in 1. q. 12. art. 3. Ockam. in 1. d. 2. q. 2. Gabriel. d. 2. q. 1. art. 2. & alij. Idemque significat S. Thomas locis cit. dub. præced. Probatur. Attributa enim singula essentialiter sunt entitates increatæ, vt omnes fatentur; sed reipsa non est alia entitas increata, quam ipsa essentia diuina, ex dictis dub. præced. & infra q. seq. dub. 1. Ergo attributa singula reipsa essentialiter sunt ipsa essentia diuina; ac proinde hæc reipsa est de essentia singulorum.

Assertio II. Attributa diuina singula obiectiuè, & à parte rei essentialiter includunt cætera attributa omnia. Ita præter citatos pro secunda sententia; docent Durandus in 1. d. 2. q. 2. num. 7. Heruæus quodlibeto 3. q. 3. Ockam, & Gabriel locis citatis. Qui duo dicunt attributa ita esse idem cum alijs, vti cum seipsis, &c. Probatur. Quia omnia attributa diuina reipsa includuntur in essentia, vt dictum dub. præced. ac rursũ essentia diuina includitur in attributis omnibus, & singulis ex assert. præced. Ergo & attributa omnia, & singula includuntur in attributis omnibus & singulis. Consequentia patet. Quia quicquid includit aliquid, in quo includuntur plura, idipsum includit etiam hæc plura. Vtramque assertionem sæpè tradunt SS. Patres, vt colligi potest ex his, quæ retulimus dub. præced. & supra dub. 2. 2

Easdem pluribus confirmat Gillius lib. 2. tract. 1. cap. 1. qui tamen num. 8. & 12. rectè notat, magis propriè dici in Deo esse vnicam rationem essentialem significatam inadæquatè nominibus singularum perfectionum, eamque secundum se, & prout abstrahit ab hoc, vel illo nomine, essentialiter esse omnem perfectionem, quã attributa, & perfectiones diuinas se mutuo includere; quia hæc ipsa inclusio iam supponit distinctionem earũdem: quia vbi non est propriè distinctio, nec propriè etiam inclusio esse potest: prout verò attributa ratione nostrâ distinguuntur, se mutuò non includunt, vt dicemus.

Assertio III. Attributa diuina, secundum imperfectum nostrum concipiendi modum, Essentiam formaliter non includunt. Ita Albertus in 1. d. 8. art. 32. & 4. Alensis in 1. p. q. 49. & q. 51. m. 1. Richardus d. 3. a. 2. q. 1. Capreolus d. 8. q. 4. a. 2. Ægidius d. 2. p. 1. q. 3. a. 2. Vasquez 1. p. disp. 119. c 2. Gillius lib. 2. tract. 2. cap. 7. num 7. Probatur. Quia tametsi quidem attributa positiua singula formaliter, ac nostro etiam modo concipiendi, dicant rationem substantiæ diuinæ, vt dicetur q. 7. non tamen rationem essentiæ; sed potius, iuxtà communem notionem attributi ab omnibus concessam, dub. 1. rationem quasi proprietatis, ratione nostra in Essentia radicatæ; ita vt proinde etiam singula, quatenus formaliter ab essentia diuina ratione nostra distinguuntur, vendicent sibi infinitam perfectionem, non simpliciter, sed in suo genere, vt sæpius dictum, præsertim dub. 3. & 5. Alias, iuxta eundem nostrum concipiendi modum, attributa includerent rationes pugnantes, nimirum & rationem essentiæ, & rationem proprietatis quasi superadditæ ad essentiam. Idem sentiunt SS. Patres, qui docent, attributa non

3

significare ipsam essentiam, sed aliquid circa ipsam essentiam, quos retulimus dub præced.

4 Assertio IV. Attributa diuina, secundum imperfectum nostrum concipiendi modum, non includunt formaliter se mutuo. Ita S. Thomas opusc. 72. resp. ad q. 4. & 1. p q. 13. a. 4. & lib. 1. cont. gent. cap. 35. Bonauentura in 1. d. 8. a. 1. quæst. 1. Albertus, Richardus, Capreolus locis citatis, Gregorius de Valentia 1. p. q. 13. p. 5. Vasquez cit disput. 119. c. 2. Gillius lib. 2. Tract. 1. cap. 8. num. 4. qui rectè notat, hanc esse communem sententiam veterum Theologorum.

Probatur assertio ex dictis supra dub. 3. & 5. Primo. Quia attributa diuina singula id solum formaliter, secundum imperfectum nostrum concipiendi modum, includunt, quod exprimitur conceptu formali, quem sub nomine cuiusque attributi de Deo formamus: at vero conceptus formales cuiusque attributi, cum sint à rebus creatis desumpti, non exprimunt omnes alias aliorum attributorum perfectiones, sed tantum singulas singuli; quales nempe sub eodem nomine formaliter, in rebus creatis, respondent ipsis diuinis perfectionibus: Ergo attributa formaliter, iuxta imperfectum nostrum concipiendi modum, non includunt omnes omnium attributorum perfectiones, sed solum propriam singula.

5 Secundo. Si attributa omnia, & singula, etiam iuxta nostrum concipiendi modum, essent de ratione intrinseca vniuscuiusque, tunc & nomina attributorum omnia essent synonyma; nec etiam analogicè quidem Deo, & creaturis essent communia: Vtrumque est absurdum: Ergo, &c. Sequela maioris probatur. Quia nomina attributorum significant formaliter id, quod nostro concipiendi modo est de ratione, & essentia vniuscuiusque attributi; Ergo si nostro etiam concipiendi modo, attributa omnia sunt de ratione singulorum, nomina attributorum singulorum formaliter significabunt omnia attributa: esto alioquin ex communi notione, & prima impositione, ea omnia non significent; quod non obstat synonymiæ: Satis enim est, quod ex vsu, & accommodatione ad hanc materiam diuinam, eandem planè significationem habeant; quia in significatis nominum non attenditur vnde, sed ad quid significandum formaliter vsurpentur. Vocabulum enim Hebraicum, *El*, & Græcum θεὸς, & Latinum *Deus*, sunt synonyma, licet primum à fortitudine, secundum ab intuitione, tertium à dando appellationem sortiantur. Neque propterea, quod ex vi, & etymologia nominis, magis aperte Hebraicum quidem fortitudinem, Græcum prouidentiam, Latinum beneficentiam significant, idcirco ea nomina desinunt esse synonyma. Quod si formaliter, & directè singula nomina attributorum significant omnia attributa; Ergo nec analogicè sunt communia creaturis: quandoquidem significatio talis nominis, sapientiæ v. g. qua formaliter significatur bonitas, iustitia, misericordia, &c. nec analogicè quidem communis est creaturis.

6 Alia ratio est nominis concreti, & abstracti, v. g. Dei, & Deitatis; definitionis, & definiti; quia concretum habet duplex significatum, materiale, & formale; quale non habet abstractum. Definitio sub duplici conceptu significat; definitum sub vno: at vero simplicia nomina abstracta, si in formali significatu nō differūt, nullo modo possunt differre; nam quod explicitè vnum magis, quam alterum significare dicuntur, si directè alioquin, & ex mente, ac vsu loquendi, æque directè omnia significent, solam diuersitatem indicat ex parte Etymi, seu primę impositionis vniuscuiusque nominis, non ex parte significationis, aut proprij modi significandi, quem hîc, & nunc, seu in tali materia habent: quæ diuersitas significandi non obstat synonymiæ, vt dictum.

Neque verò attributa diuina tantum distinguimus ratione, sicut abstractum à concreto eiusdem formæ aut sicut definitionem à definito; aut sicut transcendens ab ente particulari; sed planè vt formas, seu perfectiones formaliter distinctas.

Quis enim cogitans de sapientia diuina, simul habet conceptum iustitię, aut huius conceptum existimat, esse velut prioris explicationem, vel conceptum transcendentalem, aut aliquid huiusmodi?

Eadem est doctrina SS. Patrum; nominatim S. 7
Bernardi, quem citauimus dub. 4. & Basilij lib. 1. cont. Eunomium: *Quæ contra* (nomina diuina) *si ad vnum tendunt significatum, necesse est, vt inter se idem valeant, sicut fit in multiuocis; sicuti cum Simonem, Petrum, Cepham, eundem dicimus: quare si quis audit inalterabilem esse Deum, ad innascibilitatem subducetur; & qui audit impassibilem, ad creandi virtutem deferetur; quâ confusione quid vnquam absurdius fiet, quam si cum propriam cuiusque nominis potestatem abstuleris, contra communem consuetudinem & doctrinam Spiritus leges ponas?* Qui autem aliter quandoque locuti videntur, iuxta sensum primæ, & secundæ assertionis accipiendi sunt.

Quæ verò contra has duas posteriores assertiones, obijci possunt, soluta sunt dubio præcedenti: Vnum solum adhuc superest. Nam substantia in Deo formaliter est essentia: Attributa formaliter includunt substantiam: Ergo formaliter etiam essentiam. Respondetur maiorem esse falsam, si vniuersaliter accipiatur, vti debet. Substantia enim in Deo non tantum formaliter est essentia; sed etiam suppositum, item relatio, & attributum ac prædicatum quodlibet Deo intrinsecum, vt dicetur dub. 7. Ergo etiam si attributa formaliter includant rationem substantiæ, non tamen rationem Essentiæ.

DVBIVM VII.

An, & qua ratione attributa tam de diuina essentiâ, quam hæc de illis, atq; etiam illa de se mutuo prædicari possint, etiam in abstracto.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 3. & 12.

POsset quidē hęc dubitatio differri ad quęstionem 1
septimam, vbi agitur de diuinis nominibus; sed quia in identitate, & distinctione diuinorū attributorum fundatur; ac prædicati etiam propriè non tam est nominum, quam rerum, idcirco rectè hoc loco expenditur.

Notandum autem attributa diuina vel compara-

Digitized by Google

ri posse cum Deo, seu essentia diuina, vel ad se inuicem: & vtrumque horum vario prædicationis modo; nimirum vt vel concreta de concretis, vel de concretis abstracta, vel de abstractis concreta, vel abstracta de abstractis prædicentur; idque vel in sensu identico solum, vel formaliter, vel etiam reduplicatiuè. Et quamuis tum in hac ipsa materia, vbi de terminis diuinis agitur, tum etiam in materia creata, non vsquequaq; conueniant Authores, quænam propositiones vniuersim sint veræ in sensu formali, quænam in sensu solum identico; consectari tamen studebimus probabiliora.

Assertio I. In diuinis concreta, tàm absoluta, quam connotatiua, de concretis absolutis vero, & formali sensu prædicantur Ita S. Thomas q 13. a. 3. & 12 & communis Scholasticorum. Exempla sunt. Deus est ens per se, est substantia intellectiua; est Spiritus; est omnipotens, bonus, iustus, misericors; vt de prædicatis relatiuis hoc loco taceam. Ratio est. Quia significatum nominis concreti, tam formale, quam materiale verè conuenit subiecto concreto, & unum est cum illo; nec tamen nomina ipsa, vt supponimus, planè sunt synonyma: Ergo verè & formali etiã sensu cõcreta de concretis absolutis, siue substantiuis prędicantur; & quidem etiam directè: secus quando de connotatiuis, & adiectiuis prędicantur concreta absoluta. v.g. Omnipotens est Deus, vel omniscius est spiritus; tunc enim quia id, quod se habet quasi per modum formæ, subijcitur; id verò quod se habet per modum quasi subiecti, prędicatur, propositiones fiunt indirectæ. An verò istæ, omniscius est omnipotens, & similes, in quibus adiectiua de adiectiuis prędicantur, sint directæ, & naturales, an prętematurales, disputant in simili Dialectici de illis propositionibus, Album est dulce, dulce est album.

Nec his obstat S. Dionysius c. 12 de cæl. hierarchia, vbi dicit, negationes in diuinis esse veras; *affirmationes* autem *incomparatas*, siue *incompactas*, vel vt habet melior versio, *inconuenientes ineffabilium obscuritati*; græcè *αἱ καταφάσεις ἀνάρμοστοι τῇ κρυφιότητι τῶν ἀπρήτων*. Id enim intelligendum, non de re significata, sed de modo significandi; siue quoad terminos simplices, qui cũ analogicè tantum Deo conueniant, & in modo significandi, tam secundum rationem abstracti, quam concreti, aliquo modo deficiant; hîc consignificando quasi compositionem, illic non significando subsistentiæ perfectionem; non exprimunt diuina sicuti sunt: siue quoad propositiones, inuoluentes compositionem concomitanter ex parte nostri intellectus, non significatiuè ex parte obiecti: significamus enim ita nos quidem diuina cõponendo, sed non significamus ea ipsa à parte rei esse composita. Atq; ita etiam fere respondent S. Thomas in 1 d. 4. q. 2. a. 1. ad 2. & q. 13 art. 3. ad 2. & a. 12 ad 1. & Ferrariensis lib cont gent c. 36. & alij.

Assertio II De concretis absolutis connotatiua, voce quidem tenus, seu quoad modũ significandi, prædicãtur in quale; reipsa tamen in quid. Prior pars patet ex dub 5. assert. 5. Quia prædicantur adiectiuè, & quidem instar passionum. Posteriorem tradit S. Thomas q. 6. a. 3. & q. 13. a. 6. & apertiùs Alensis 1. part. q. 48. memb. 4. a. 2. Ockam in 1. d. 35. q. 1. Ratio est, Quia in Deo reipsa idem est concretum, & & abstractum; sed abstractum nominis connotatiui prædicatur in Quid; ergo ego etiam concretum. Qua ratione etiam sensus huiusmodi prædicationis, cum Deus dicitur iustus, sapiens, &c. propriè non est, Deus est habens iustitiam, sapientiam, sed est existens ipsa iustitia, siue sapientia, vt post Anselmum in Monolog. cap. 16. notauit Ockam loco cit.

Assertio III. In diuinis, de concretis absolutis verè etiam prædicantur attributa, aliæque perfectiones in abstracto; dicendo, Deus, siue Ens primum, &c. est sapientia, iustitia, diuinitas, siue essentia, existentia, &c. Ita S. Thomas in 1 p. q. 3. a. 3. & 3. p. q. 17. art. 1 & communis Doctorũ. quicquid dixerit Henricus Gandauensis in sum. art. 75. q. 2. quam etiam contra Gilbertum fuisse definitam, referunt S. Bernardus serm. 80 in Cant. & Otho Frisingensis lib, 1. hist. 1. cap. 57. & pluribus declarat Gab. Vasquez 1. p tom. 2. disp. 120. cap. 2. Eodem modo sæpe loquũtur SS. Patres, & ipsa Scriptura, vt dicetur q. seq. dub. 1. Ratio est: Quia in Deo, cum sit ens simplicissimum, & actus purus non differunt concreta, & abstracta; & si in creaturis transcendentia abstracta verè prædicantur de concretis, dicendo ens est entitas, cur non etiam in Deo abstracta quælibet de concretis?

Assertio IV. Eiusmodi propositiones, in quibus prædicantur abstracta de Deo in concreto, secundum imperfectum nostrum modum concipiendi, sunt veræ in sensu identico, non formali; nisi quædam ex propria, & speciali ratione possint etiam formaliter de concretis prædicari. Posterior est ex mente omnium. Nemo enim dubitat, quin transcendentia, ijsque similia, de Deo, sensu formali prædicentur, etiam in abstracto, vt, Deus est entitas, est actus purus, &c cum id in rebus etiam creatis locum habeat. Priorem partem de perfectionibus saltem attributalibus, tradit etiam Gillius lib. 2 tract 7. cap. 14. num. 13. de omnibus autem ita à potiori sentit Henricus loc. cit. Probatur. Quia secundum nostrum concipiendi modum, differunt etiam in Deo concretum & abstractum, quod illud, v.g. Deus, apertè connotet etiam suppositum; abstractum, vt Deitas, non item; quo fit, vt concreta se habeant veluti tota, hæc veluti partes: pars autem per modum partis de toto sensu formali non prædicatur. Accedit quod alias valeret hæc illatio: Deus generat: Deus est Deitas; ergo Deitas generat; cum tamen maior sit de fide; conclusio contra fidem ex cap. *Damnamus*, de summa Trinit. & fid. Cathol. Denique propositio illa, Deus est Deitas, nostro modo concipiendi habet se quoad significationem formalem, sicut ista, homo est humanitas; quæ non est vera sensu formali.

Nec obstant SS. Patres, quando abstracta de Deo magis propriè significant prędicari, quàm concreta; in quibus S Bernardus serm. 80. in Cantica: *Si quid*, inquit, *de Deo proprie dici posit, rectius, congruentiusq; dicetur, Deus est magnitudo, bonitas, iustitia, sapientia, quam Deus est magnus, bonus, iustus, aut sapiẽs.* Et infra contra Gilbertũ ait: *sed verius, sanctiusq; per contrarium ita dixisset; pater est verus, id est, veritas, &c.* quã nimirum, vti Gilbertus dixerat, pater est veritas, id est, verus. Id enim verũ quidẽ est, ex parte idẽtitatis significatę per propositionẽ; pleniùs enim, & perfectiùs significatur illa identitas, de qua tunc erat controuersia, per

nomina

Digitized by Google

nomina abstracta, quàm concreta; sed non ex parte rei formaliter vtrisque terminis significatæ. Alioquin iuxta nostrum concipiendi modum magis formalis esset hęc propositio, Deus est paternitas, quàm Deus est pater; Deus est intellectio, quàm Deus est intelligens; quod non est concedendum.

4 Assertio V. In Deo verè etiam prædicantur de abstractis concreta; dicendo, diuinitas, seu diuina essentia est Deus; sapientia, seu iustitia diuina est Deus, est sapiens, est omnipotens. Est communis Doctorum, contra Henricum Gandauensem loc. cit. & contra Gilbertum, definita in Concilio Rhemensi can. 1. vt refert Otho Frisingensis lib. 1. de rebus gestis Friderici cap. 57. vbi dicitur: *Credimus, & confitemur simplicem naturam Diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas*: Esto non omnes alioqui canones eius concilij sint de fide, vt refert Otho ibidem. Eodem modo loquuntur SS. Patres. Ratio est, quia hæc omnia sunt vnum identicè.

5 Assertio VI. Eiusmodi propositiones, iuxta nostrum concipiendi modum, videntur esse solum veræ in sensu identico, non formali: nisi quando prædicata concreta talia sunt, vt ex propria suâ ratione de eiusmodi quibusdam abstractis verè ac formaliter prædicentur. Posterior pars huius assertionis est communis: quia omnes concedunt, prædicata, saltem transcendentia, posse de abstractis quibuslibet in sensu formali prędicari, etiam in concreto; v. g. Deitas, aut bonitas diuina sunt Ens; & quidnî etiam diuinum, &c.

Sed & ob eandem causam, existimo de Essentia diuina similiter prędicari etiam, quod sit spiritus, viuens, substantia; item quod sit sapiens, iusta, potens, æterna, & cætera attributa: quia hæc, aut similia prædicata non postulant verum suppositum, & rectè etiam prædicantur de anima rationali, quanto magis de naturâ diuinâ, quæ secundum nostram etiam rationem rectè concipitur affecta eiusmodi perfectionibus attributorum.

Secus est, quando de abstractis prædicantur concreta quædam, quæ suppositum inuoluunt, vt Deitas, vel iustitia est Deus: hoc enim nomen, saltem in confuso, connotat suppositum, vt suo loco dicetur. Talia sunt etiam, Deitas est creator, est persona diuina; quia hæc concreta respectu Deitatis, & aliorum abstractorum, habent se iuxta nostrum concipiendi modum, veluti tota ad partes; de quibus totum in sensu formali non prædicatur. Secus est etiam, cum dicitur, sapientia est sapiens, Iustitia diuina est iusta; quia hæc significant aliquid affectum sapientia, vel iustitia; quod de sapientia, & iustitia diuina non magis dici potest, quam de sapientia, & iustitia humana. Secus item est, quando de abstractis attributorum perfectiones disparatæ in concreto prædicantur: vt iustitia est misericors; misericordia est iusta; nisi forte solum ab operatione fiat quasi extrinseca denominatio, ita vt iustitiæ diuinæ operationes dicantur contemperatæ misericordiæ.

Ex quibus etiam patet prior pars assertionis Neque enim prædicatio vera in sensu formali consistit, aut fundatur in sola connexione formalis significati cum subiecto; nec adeò vniuersim est talis, quando formale significatum prædicati habet se per modum quasi formæ respectu subiecti, aut est idem cum subiecto; sed plura alia requiruntur, vt dictum. Alioquin hæ propositiones erunt veræ in sensu formali; essentia diuina est sapientia, est suppositum, aut quantitas est figura; sessio est sedens. Accedit quod si in sensu formali vera esset hæc propositio, Deitas est Deus, tum valeret hic syllogismus, Deus est homo; Deitas est Deus: Ergò Deitas est homo.

6 Sed contra hanc assertionem Vasquez 1. p. tom. 2. disput. 136. num. 12. indicat, hanc propositionem, Deitas est sapiens, solum esse veram sensu identico: è contrario non nemo ex recentioribus existimat, eiusmodi prædicationes esse veras etiam in sensu formali, quando concreta aut prædicantur de suis abstractis, v. g. Deus de Deitate, sapiens de sapientia; aut de abstractis subordinatorum; vt Deitas est Spiritus, viuens, substantia, ens; secus quando prædicantur concreta de abstractis rationum formalium disparatarum; vt sapientia est iusta, misericors, omnipotens. Ac prima pars ex eo etiam probatur; quod in Concilio Rhemensi cit. can. 1. definitum est, in nullo sensu Catholico propriè negari huiusmodi propositionem, Deitas est Deus: posset autem negari, si solum esset vera sensu identico, non formali.

Respondeo, negando minorem huius syllogismi: non solum, quia negatio absolutè posita malignantis naturæ est; & ita retentis ijsdem terminis, omni vero sensu negat prædicatum de subiecto; cum tamen ad veritatem propositionis sufficere identitatem, significet quoq; S. Thomas 1. p. q. 39. a. 5. ad 4. & 5. sed etiam, quia in diuinis est peculiaris ratio, cur perfectiones absolutæ, sine addita expressa limitatione, negandæ non sint de natura diuina, siue in concreto, siue in abstracto, quandoquidem hæc non solum identicè, sed à parte rei etiam essentialiter includit omnes perfectiones absolutas, vt dictum supra dub. 5. Illas verò propositiones, Deitas est spiritus, viuens, substantia, ens, iam antea concessimus esse veras, etiam sensu formali, sed ob aliam causam.

7 Assertio VII. In terminis diuinis, tum attributorum, tum aliarum perfectionum absolutarum, rectè, ac verè prædicantur etiam abstracta de abstractis, v. g. Deitas est sapientia, bonitas, &c. Bonitas est Deitas, sapientia, &c. Ita S. Thomas opusc. 9. quæst. 1. Bonauentura in 1. d. 33. q. 3. Grabriel d 4. q. 1. a. 1. Heruæus quodlib. 1. q. 2. Capreolus d 8. q. 4. omnesque recentiores. Eadem est doctrina SS. Patrum, quos citauimus dub 2. & 5. Ratio sumitur ex dictis ibidem, & dub. 6. quia non solum identicè planè idem sunt, sed etiam, quia obiectiuè, & à parte rei vnum est de essentia alterius. Idem etiam in terminis relatiuis, quando cum absolutis iunguntur, verum esse, contra Scotum suo loco dicetur.

Assertio VIII. Hæ prædicationes, iuxta nostrum concipiendi modum, non sunt verę in sensu formali, sed solum identico. Ita Henricus in sum arr. 75. q. 2. Caietanus hic q. 14. art. 5. Vasquez, & alij citati dub. 5. pro tertia sententia, & dub. 6. assert. 3. & 4. Ratio sumitur ex dictis ibidem; quia attributa diuina, iuxta nostrum concipiendi modum, nec includunt se mutuo, nec essentiam, neq; etiam includuntur ab essentia; etiâsi à parte rei hæc omnia sint vna simplicissima essentia Dei, Deusq; ipse, vt ibidem dictum.

Digitized by Google

Qua de causa etiam Caietanus loc. cit. dixit, hanc propositionem, esse Dei est intelligere Dei, esse formalem secundum se, non verò quoad nos: quanquam Gillius lib. 2. Tract. 6. cap. 6. num. 12. putat, has esse formales, Diuinitas est sapientia, iustitia, misericordia, &c. non autem, sapientia est iustitia, iustitia est misericordia; eo quod omnes perfectiones includantur in essentia; non autem in vnoquoque attributo: sed vide quæ diximus dub. 5. & 6.

8 Assertio IX. Propositiones reduplicatiuæ, etiam in terminis diuinis, sunt falsæ, nisi terminus, cui apponitur reduplicatio, secundum nostrum concipiendi modum, contineat aliquo modo rationem, ob quam, aut secundum quam prædicatum conueniat subiecto: quò fit, vt sæpè propositiones reduplicatiuæ sint falsæ, etiamsi absolutæ, siue simplices sint veræ. In hoc generatim conueniunt omnes; & patet ex regulis Dialecticorum: tametsi in particulari sit dissensio; eò quod non semper satis inter omnes constet, quandonam reduplicetur ratio, secundum quam prædicatum subiecto conueniat. Inde vero colligitur, has reduplicationes esse veras, Deus quatenus sapiens intelligit, & gubernat mundum. Deus quatenus Deus, est viuens, iustus, sapiens, intelligens, misericors, potens, vel omnipotens, infinitus, &c. vt rectè etiam Heruæus Quodlibet. 1. quæst. 2. Torres 1. p. quæst. 28. a. 2. disp. 2. dub. 5.

Item Deitas, qua Deitas, est natura infinita, immensa, omnipotens: Sapientia diuina, est infinita, substantialis, per se existens, &c. Item Deus, qua volens (hoc est, secundum voluntatem) est iustus, misericors, &c. Item Deus, quatenus pater, generat; Christus secundum quod homo est creatura, aut incipit esse, iuxta S. Thomam 3. p. q. 16. a. 10. de quibus suo loco agendum.

9 E contrario autem hæ propositiones sunt falsæ: Deus quatenus Deus est homo; Deus quatenus sapiens, miseretur, amat, est immensus, omnipotens, iustus: Deus quatenus est immensus, aut quatenus vult, intelligit; quatenus intelligit, vult; quatenus iustus, est misericors, aut miseretur. Item intellectus diuinus, qua diuinus, vult, est iustus, misericors, omnipotens. Voluntas diuina, qua diuina, intelligit, est sapiens, &c. vt colligitur ex Ægidio in 1. dist. 5. 1. p q. 2. a. 1. & dist. 6. quæst. 1. Heruæo, & alijs.

Istæ verò reduplicatiuæ veræ quidem sunt, sed in sensu solum identico, Bonitas, aut misericordia diuina; qua diuina, est iustitia, omnipotentia, &c. Intellectus diuinus, qua diuinus, est voluntas, & è conuerso, &c. Deus quà Deus est iustitia; iustitia diuina, quà diuina, est Deus; intellectus diuinus, qua diuinus est essentia diuina, ex dictis supra assert. 4. & 6. Eodem sensu secundum aliquos Thomistas apud Torrem 1. p. q. 28. a. 2. disp. 2. dub. vlt. admitti potest ista: Intelligere Dei, in quantum intelligere Dei, est velle eiusdem; & è conuerso, &c.

Assertio X. Idem obseruandum in quibusdam propositionibus, quæ habent vim reduplicatiuarum. Falsæ enim sunt hæ propositiones, Deus intellectu vult, voluntate intelligit, misericordiâ punit, iustitiâ miseretur: Deus est magnitudine siue sapientia Deus; est bonitate sapiens; æternitate iustus, iustitia misericors, &c. vt habet communior Doctorum sententia, apud Henricum Gandauensem in sum. art. 75. q. 2. Gabrielem in 1. d. 2. q. 1. a. 3. dub. 4. Ægidium in 1. d. 6. q. 1. Torrem cit. disp. 2. dub. vltim. Suarez lib. 1. de Deo cap. 14. Vasquez 1. p. d. 119. cap. 2. & alios. Etsi contrarium dixerint Petrus de Alliaco in 1. q. 6. art. 2. Ariminensis d. 8. q. 1. art. 2. & dubitauerit Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 22. secus est, quando ablatiuus est terminus quasi transcendens neutralis: quia iuxta Augustinum quæstiunc. de Trinit. *Deus eo ipso, quo est, viuit, intelligit, & eo quo intelligit, potest, & eo quo potest, est*; vt rectè etiam Gillius lib. 2. tract. 7. cap. 15. num. 5. 10

Similis cum prioribus est, ratio harum propositionum: Essentia diuina generat; diuina voluntas intelligit; intellectus diuinus vult; iustitia miseretur; misericordia punit: quia tametsi alioquin subiectum accipiatur materialiter, tamen quando prædicatum continet actum vitalem, seu etiam aliam actionem, accipitur formaliter, adeò vt propositiones, in quibus prædicata significant actiones, semper sint accipiendæ in sensu formali; secus quando significant aliam formam: vt cum Caietano 1. p. q. 32. a. 2. Torre ibidem p. 4. notauit Vasquez 1. p. tom. 2. disput. 136. cap. 3. & Suarez cit. cap. 14. num. 10.

Assertio XI. A præmissa vera solum in sensu identico, ad conclusionem in sensu formali, non valet argumentatio. Ita communis apud Suarez cit. cap. 14. num. 10. Vasq. disp. 119. num. 4. & alios. Et patet ex regulis Dialecticorum; quia variatur appellatio. Vnde non est bona illatio. Iustitia diuina est misericordia; sed misericordia miseretur; Ergo iustitia miseretur: Aut, iustitia diuina est misericordia; iustitia diuina punit; Ergo misericordia punit. Intellectus diuinus intelligit; intellectus diuinus est voluntas: Ergo voluntas intelligit. Item velle Dei est eius esse; sed Deus in quantum vult operatur; Ergo in quantum est, operatur. Plura exempla retulimus assert. 4. & 6. Atque hæc de attributis diuinis in genere; ex quibus non pauca etiam deseruire possunt, tum pro materia de Sanctissima Trinitate; tum ad rationem diuinorum nominum cognoscendam, de quibus quæst. 7. pluribus agendum.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

De Simplicitate, Perfectione, & Bonitate Dei.

S. Thomas 1. p. q. 3. 4. 5. & 6.

ABsoluetur hæc quæstio tribus dubijs. I. An Deus omnimodo sit simplex, & incompositus: II. An & qua ratione Deus sit Ens vndequaque perfectissimum. III. An & qua ratione Deus sit summum Bonum. Quamuis enim simplicitas, perfectio, & bonitas Dei, sint tria distincta attributa; quia tamen prolixam Tractationem non exigunt, commode à nobis vna quæstione comprehenduntur, iuxta methodum initio huius disputationis propositam.

1

DVBIVM I.

An Deus omni modo sit simplex, & incompositus?

S. Thomas 1. p. q. 3. articulis 8.

INcipit hoc ipso loco S. Thomas explicare in specie perfectiones & attributa, ac veluti passiones, & proprietates Dei; ea methodo, quam quæst. præced. dub. 1. exposuimus. Quod verò ad hoc præsens, ac primum Dei attributum, nimirum simplicitatem attinet, notandum, nomine simplicitatis generatim aliud nihil significari, quam negationem compositionis: quæ quidem in rebus creatis ratione tum extremorum, tum vinculi connectentis extrema, vniversim duplex est: Substantialis videlicet, & accidentalis. Illa rursus quadruplex; prima ex materia, & forma; secunda ex suppposito, & natura; tertia ex natura, siue essentia, & existentia; quarta ex genere & differentia. Accidentalis tametsi quidem diuidi possit in tot genera, quot sunt prædicamenta accidentium; præcipuè tamen, & quæ hic seorsim considerari possunt, sunt duæ; nimirum compositio ex subiecto, & quantitate, seu trina dimensione; qualis in substantia corporea cernitur; quo spectat etiam compositio ex partibus integrantibus: Altera ex subiecto, & passione, seu proprietate aliqua in re distincta ab ipso subiecto. De quibus singulis, an Deo conueniant singulis assertionibus agendum; prius tamen de ijs, quæ corporum sunt propriæ; deinde de alijs.

2 Assertio I. Deus est incorporeus, ac proinde minimè compositus ex materia, & forma. Ita S. Thomas hic quæst. 3. art. 1. & 2. cui consentiunt omnes Doctores Catholici. Et est de fide, tum contra Philosophos quosdam antiquos è gentilibus, qui dixerunt, Deum esse hunc mundum, qui sensu percipitur: In quibus fuisse Thelem, refert Eusebius lib. 4. de præparat. Euangelica cap. 6. & plures huius generis referunt Aristoteles lib. 4. Phys. tex. 52. & 57. & Cicero lib. 1. de Natura Deorum: tum contra Sadducæos, atque etiam veteres in Ecclesia Anthropomorphitas, Audianos, seu vt Augustinus infra vocat, Vadianos; qui temporibus Arij, authore Audio Monacho, Deum dixerunt esse corporeum, ac membris, & figuratione corporis nostri similem; eò referentes illud Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; apud Epiphanium hæresi 70. Theodoretum lib. 4. hæret. fab. cap. 13. & lib. 4. hist. cap. 19. Augustinum lib. de hæres. cap. 50. & Damascenum lib. de hæresibus. In eodem errore versatos fuisse multos simplices Catholicos, atque etiam Monachos, referunt S. Augustinus lib. 1. de moribus Eccles. cap. 10. & Cassianus collat. 10. cap. 2. 3. & 5. Nec multum ab hoc errore abit Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem cap. 16. Tribuitur etiam Melitoni Sardensi; sed quem meritò ab hoc errore vindicant Sixtus Senensis lib. 5. biblioth. annot. 18. & Gabriel Vasquez hic disp. 21. cap. 1.

Probatur assertio primo ex innumeris scripturæ locis, in quibus Deus vocatur, & dicitur esse spiritus, præcipuè Ioan. 4. v. 24. *Spiritus est Deus*, Actor. 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis*. 2. Corinth. 3. v. 17. *Dominus autem Spiritus est. Spiritus autem carnem, & ossa non habet*. Lucæ 24. versu 39. Huc etiam spectant illa Esai 40. v. 18. *Cui similem fecistis Deum; aut quam imaginem ponetis ei?* Et Actorum 12. v. 29. *Non debemus existimare sculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum esse simile*. Et Romanorum primo, versu 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*: quod directè contra Anthropomorphitas pugnat.

Secundo probatur assertio ex SS. Patribus, locis cit. qui illum Anthropomorphitarum errorem tanquam Scripturæ aduersarium damnant; licet Damascenus loc. cit. dicat. *Audianorum schisma, & dissensio est, non hæresis*; forte quia existimabat, errorem ab illis simplicitate potius & ruditate, quam pertinacia fuisse defensum; alias hæreticum esse, dubitari non debet, vt rectè Gregorius de Valentia hic q. 3. p. 6. & Vasquez disp. 21. num. 2. 3

Tertio probatur ratione; quam triplicem affert S. Thomas cit. quæst. 3. art 2. Prima. Actus purus non potest esse compositus ex materia, & forma; de essentia enim materiæ est, esse in potentia: Deus secundum suam naturam est actus purus; omnis potentialitatis, vti & imperfectionis expers: Ergo, &c. Secunda. Omne compositum ex materia & forma est bonum per participationem, nimirum per suam formam à materiâ participatam: Deus cum sit primũ bonũ, non est bonũ per participationem, sed per essentiã: Ergo, &c. Tertia. Quanto agens quodq; perfectius est, tantò magis ad formæ actualitatẽ accedit, & à potentialitate recedit; cum omne agens

agat per suam formam, & in quantum est actu: quod igitur primum est, & per se agens, necesse est vt sit primò, & per se forma. Deus est primum agens, ex dictis quæst. præced. dub. 4. Ergo, &c. Hæ rationes benè concludunt; neque opus est in tertia defendenda, si ad modum dictum proponatur, laborare, vti faciunt Caietanus hic q. 3. a. 2. & Gregorius de Valentia q. 3. p. 2. & 6.

4 Addo præcedentibus istam, ex conceptu essentiali ipsius Dei petitam. Nullum ens ex se potest esse substantiale corpus, seu compositum ex materia, & forma. Deus est Ens ex se, vt patet ex conceptu essentiali ipsius Dei, quæst. 1. dub. 1. & 5. Ergo, &c. Maior probatur. Quia si compositum tale, esset Ens ex se, id esset ratione formæ; quæ nimirum & ipsa ex se esset, & ex vi, cuius etiam esset materia: cum materia alioqui secundum se, essentialiter Ens in potentia, non possit esse ens ex se: at verò id est impossibile: si enim talis forma esset ex se, & ex vi eius materia, iam hoc ipso, ipsa per se forma esset Ens primum, ac independens ab omni materia; nulloque modo Ens imperfectum, & ad materiam informandam idoneum. Ergo fieri non potest, vt compositum ex materia, & forma sit Ens ex se.

Assertio II. Deus, suâ naturâ, etiam non est Ens compositum ex subiecto, & quantitate, siue trina dimensione; ac proinde nec ex partibus integrantibus quantitatiuis. Ita speciatim S. Thomas hic q. 3. a. 1. vbi seorsim quærit, vtrum Deus sit corpus; cum art. 2. inquirat, an sit compositus ex materia & forma; vel quia aliqui putarunt, dari corpus substantiale, nimirum cælum, sine compositione ex materia & forma, vt notauit Vasquez eod. art. 1. vel quia per corpus generatim intellexit corpus quantitate affectum. Consentiunt verò etiam in hac assertione omnes Catholici Doctores; & est itidem de fide certa, ex citatis scripturæ locis, ac Patrum testimonijs; contra infideles, & hæreticos in præced. assertione recensitos; quibus meritò annumerari potest quidam huius temporis stolidus Nouator, qui docuit, Deum esse diuisibilem, & quantitate præditum; cuius tamen nomen ob imperitiam, & impietatem doctrinæ, cæteris etiam Nouatoribus exosam, non existimaui huic libro inserendum. Ratio sumitur ex præcedenti assertione. Quia ex vera Philosophia, quam hoc loco suppono, nulla substantia spiritualis, siue quæ ex materia & forma non est composita, est quanta; cum quantitas sit connaturalis proprietas materiæ: Deus est substantia spiritualis, & expers compositionis ex materia, & forma, &c. Accedit quod Deus nec finitam potest habere quantitatem, cum sit infinitus; nec infinitam, quia hæc & informis est, & impossibilis, vt dicetur quæst. 4. dub. 2. Multò verò etiam euidentius est, Deum non esse corpus de prædicamento quantitatis, seu corpus Mathematicum, separatum à materia, & forma, quia tale corpus est accidens: Deus autem cum sit Ens ex se, & quidem perfectissimum, impossibile est, vt sit accidens, &c. Ergo.

5 Ex quibus etiam sequitur, Deum non esse compositum ex partibus integrantibus. Quia partes propriè integrantes sunt partes quantitatiuæ, seu quantæ alicuius totius quanti.

Quæ autem ex scriptura obijci possunt, in qua subinde Deo attribuuntur membra corporea; item actiones quædam, siue attributa corporum, vt videre, audire, sedere, stare, item magnitudo, & quantitas; item anima, ac passiones animæ sensitiuæ, vt ira, &c. facilem habent solutionem apud S. Thomam hic cit. q. 3. a. 1. & Gregorium de Valentia q. 3. pun. 6. summa est: hæc omnia Deo tribui per quãdam metaphoram, & analogiam; adeoq; impropriè, ob quandam similitudinem, siue proportionem rerum eiusmodi corporearum, quam habent ad vim actiuam, certasque perfectiones, & operationes Dei, vt in specie eleganter declarat S. Thomas hic q. 3. a. 1. & 2. v. g. Iob. 11. v. 8. in persona Sophar tribuitur Deo trina dimensio metaphoricè, ita vt profunditas vim eius cognoscendi occultæ; altitudo excellentiam virtutis eius super omnia, siue potentiam Dei omnia gubernantis, & conseruantis; longitudo durationem; latitudo affectũ dilectionis ad omnia denotet; vel vt profunditate incõprehensibilitas Dei, longitudine processus virtutis eius ad omnia penetrantis, latitudine protectio ei9 omnia continens significetur; vt notat S. Thomas ad 1. ex S. Dionysio c. 9. de diuin. nom. Eodem modo oculis Dei, eius scientia, & prouidentia; brachio, & manibus eius potẽtia operatiua ad extra; pedibus amor, & affectus, vel etiã operatio transiens designentur, &c. Eodem modo dicitur Deus sedens, propter suam immobilitatem, & auctoritatem; stans propter suam fortitudinem, ad debellandum omne, quod ipsi aduersatur. Nec aliter ad Deum acceditur, vel ab eo receditur, quam affectibus mentis, iuxta S. Thomam ibidem ad 3. 4. 5.

Atq; hæc ipsa etiam vocatur à S. Dionysio Theologia mystica, siue simbolica de qua propriũ librum scripsit, & rectè S. Damascenus lib. 1. fid. ortho. cap. 14. de hac re agens: *At verò*, inquit, *quia plurima de Deo corporaliter in sacra scriptura symbolicè, mysticè, & significatiuè dicta comperimus, scire nos decet, cum nos ipsi simus crasso carnis indumento circumdati, nos minimè posse diuinas, & subtiles & immateriales Dei operationes intelligere, aut eloqui, nisi imaginibus, & formis, & significatiuis nostro more vtamur signis, &c.* Quod ibidem in specie fusius persequitur. 6

Neq; imago, & similitudo hominis, ad Deum corpus concernit; vti Antropomorphitæ existimabant, sed animam, siue rationem, vt rectè etiam S. Thomas hic a. 1. ad 2. post S. Augustinũ lib. 1. de doct. Christ. & in Psal. 48. vbi ait: *Imago Dei non est in corpore, non est in auribus istis, quas videtis, & oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus; sed est facta, vbi est intellectus, vbi est mens, vbi ratio inuestigandæ veritatis, vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi charitas vestra: ibi habet Deus imaginem suam.* Atque hæc de compositione propria corporum; nunc de ijs, quæ etiam spiritibus possunt esse communes.

Assertio III. Deus non est compositus ex natura, & supposito. Ita S. Thomas hic q. 3. art. 3. & communis omnium Doctorum, ac de fide certa, contra Gilbertum Porretanum, qui cum assereret, non eandem rem in Deo significari nominibus concretis, & abstractis, suppositum à natura, & attributis in Deo, à parte rei, si non planè strictè realiter distinxit; cuius error damnatus fuit in Concilio quodã Rhenensi 7

sub

Digitized by Google

sub Eugenio III. vt testatur S. Bernardus serm. 80. in Cant. Eidem sententiæ affinis est illa Scoti in 1. d. 8. q. 3. qui ea saltem ex natura rei formaliter esse distincta docuit, vt dictum q. 2. dub. 2.

Probatur assertio primo ex scriptura, quæ sæpè Deum nominibus abstractis, ipsam essentiam, siue attributum aliquod absolutum significantibus appellat, ipsasque perfectiones diuinas in abstracto affirmat de Deo; vt Prouerb. 8. v. 12. *Ego sapientia* (increata, seu filius Dei) *habito in consilio.* Et rursum de increata sapientia dicitur, Sap. 7 v. 25. & 26. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius:* quod ad increatam sapientiam refertur Heb. 1. v. 3. Item Ioan. 14. v 6. *Ego sum via, veritas, & vita.* 1 Cor. 1. v. 24. *Prædicamus Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Hæc autem ita absolutè de se prædicari non possent, si natura, & suppositum à parte rei essent distincta.

Secundò probatur assertio ex SS. Patribus. Iustinus quæst. 144. *Neq; enim,* ait, *more naturæ creatæ est Deus; vt esse in ipso, & habere, in concretione, siue concreta intelligantur: sed vt natura exstans, sic & esse ipsum, & habere, omnem superant concretionem.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri, cap. 8. *Non est aliud natura Dei, aliud etiam ipse Deus. Simplex enim atq; incompositus est.* Similia habent S. Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 10. & lib. 12. cap. 2. Anselmus in Monologio cap. 55. & alij passim; præterquam quod S. Bernardus cit. serm. 80. in Cant. & lib. 5. de consid. ad Eugenium, ex instituto refutauit Gilbertum, quem etiam retractasse errorem scribit.

Ratio particularis est. Quia si à parte rei subsistentia in Deo differt à natura, & essentia, tum natura diuina secundum se, & à parte rei, etiam in genere substantiæ, esset adhuc incompleta, & ens perfectibile, ac in potentiâ: consequens est impossibile: Ergo, &c. omitto rationem S. Thomæ, quæ supponit, substantias materiales indiuiduari per materiam, de quo in Metaphysica agitur. An vero in Deo, præter tres subsistantias relatiuas, detur aliqua substantia absoluta, dicetur suo loco de Trin. Hîc satis est scire, vtrumuis dicatur, veram esse assertionem.

8 Assertio IV. Deus non est compositus ex natura, siue essentia, & existentia. Ita S. Thomas hîc q. 3. art. 4. omnibus Doctoribus consentientibus; & est itidem de fide certa, vt rectè notauit Gregorius de Valentia hîc q. 3. p. 4. Probatur. Quia si existentia in Deo reipsâ differret ab eius essentia, tunc esset aliquid causatum; quicquid enim in aliquo est reipsâ distinctum ab eius essentia, est causatum in illo: Sed hoc est impossibile. Aut enim existentia diuina esset causata ab ipsâ essentiâ diuinâ, vel ab aliquo principio exteriori. Non primum; quia nulla res sibiipsi potest esse causa existendi Nec secundum; quia sic Deus non esset prima causa efficiens, contra ipsam notionem nominis Dei, declaratam q. 1. dub. 1. & 5. Atque hæc ipsa est prima ratio S. Thomæ loc. cit. qui præterea duas alias addit; vt quod alias natura diuina esset ens potentiale, atque ens siue existens per participationem; quæ ex dictis colligi possunt.

Accedit, quod ex probabili philosophia, etiam in rebus creatis, essentia, & existentia reipsâ non differunt, vt cum Henrico Gandauensi quodlib. 1. q. 9. & Herueo quodlib. 7. q. 9. Durando in 1. d. 8. q. 2. & Gabriele in 3. d. 6. q. 2 docet Gregorius de Valentia cit. q. 3. p. 4. Etsi contrarium supponant & doceant S. Thomas hîc q. 3. art. 4. & lib. 2. contra gent. cap. 52. & in opusc. de ente, & essent. cap. 5. Capreolus in 1. d. 8. q. 1. Caietanus, & Bannes hîc, vti & Scotus in 3. d. 6. q. 1 de qua re alibi. Quomodo autem nihilominus Dei solius proprium sit, quod existentia non tantum sit identicè idem cum essentia, sed etiam sit de ratione intrinseca ipsius essentiæ, dictum supra q. 1. dub. 5.

Assertio V. Deus non est compositus ex genere, & 9
differentia. Ita S. Thomas hîc q. 3. art. 5. & communis Theologorum, cum Magistro in 1. d. 8. nominatim Alberti ibidem art. 3 2. Bonauenturæ art. 1. q. 4. Richardi art. 4. q. 2. Scoti q. 3. Argentinæ q. 1. art. 1. Ægidij art. 1. q. 3. Durandi in 2. d. 3. q. 1. num. 12. Ockam in 1. d. 8. q. 1. & consentiunt omnes interpretes S. Thomæ veteres, & recentiores, Capreolus in 1. d. 3. q. 2. art. 1. Ferrariensis 1. cont gent. cap. 25. Gregorius de Valentia hîc q. 3. p. 5. Suarez lib. 1. de Deo, cap. 4. Gabriel Vasquez hîc disp. 22. cap. 3. etsi non defuerunt, qui Deum sub aliquo genere collocantes, reipsâ talem compositionem Deo tribuerunt, in quibus Holcoth in 1. q. 6. Ariminensis in 1. d. 8 q. 3. art. 2. Marsilius in 1. q 12. art. 2. & ferè Gabriel in 1. dist. 8. q. 1. qui simul etiam docent, nomina aliqua de Deo, & creaturis vniuocè prædicari. Ratio verò huius assertionis est; non quod vniuersim Deo repugnet compositio secundum nostram rationem, vt rectè contra Aureolum in 1. d 1. q 1. a. 2. 1
& d. 8. q. 4. art. 1. Mayronem q. 7. a. 1. Soncinnatem lib. 12. metaph. q. 29. & ferè Capreolum in 1. d. 2. q. 3. in solutionibus argum. Aureoli ad 4 docent Suarez lib. 1. de Deo, cap. 4. num. 8. Vasquez 1. p. disp. 22. cap. 2. & disput. 121. cap. 3. & alij communiter, iuxta S. Thomam 1. p. q. 13. art. 4. ad 3. vbi ait: *Deus est vnus re, & plures secundum rationem:* nec quia compositio ex genere, & differentia sit compositio quædam realis, seu ex pluribus à parte rei distinctis; hoc enim aut falsum, aut incertum est; licet id supponere videatur S. Thomas hîc cit. q. 3. art. 5. sed quia Deo non conuenit ratio speciei, quæ ex genere & differentia constituitur; tum quia implicat, esse plures specie, aut numero Deos, de quibus ratio nominis vniuocè prædicetur; tum quia alias Deus sola specie differret à substantijs creatis; cum tamen ab his vtique plus differat, quam quælibet res creatæ inter se; tum quia nihil potest vniuocè de Deo, & creaturis prædicari, vt dicetur q. 7.

Nec verò Deus est in vllo prædicamento iuxta S. Thomam cit. q. 3. art. 5. ad 1. & communem Doctorum, ob eandem causam quicquid & Nominales in contrarium dixerint; & nonnulli recentiores apud Vasquez cit. disp. 22. num. 12. tam Deum, quam res omnes, ad vnum genus, & prædicamentum entis reuocare conati sint: cum tamen ens, quia non est ita abstractum à suis inferioribus, quin in singulis eorum differentijs ratio entis intrinsecè includatur, non possit esse genus, vt rectè S. Thomas hîc cit. art. 5. & pluribus suo loco docetur.

Et quamuis Gregorius de Valentia cit. q. 3. p. 5. 10

Digitized by Google

dicat, hanc controuersiam non tam esse de re, quàm de nomine; non est tamen à communi modo loquendi recedendum, sicut nec recedi etiam vllo modo potest, sine manifesto abusu nominum.

Dices. Deus prædicatur essentialiter, & in quid de pluribus personis diuinis solo numero differentibus; Ergo est species. Respondetur negando consequentiam; quia deberet prædicari de pluribus secundum idem Dei nomen; hoc est, de pluribus Dijs; quod est impossibile: quia natura diuina in personis diuinis non multiplicatur, vt suo loco dicetur.

Assertio VI. Deus item non est compositus à parte rei ex subiecto, & passione, siue accidente. Ita S. Thomas quæst. 3. art. 6. & est de fide, si de accidentibus prædicamentalibus Deo verè inhærentibus, sermo sit; definita à Leone I. epist. 91. vel 93. ad Turibium cap. 5. Si autem loquamur de accidente solum prædicabili, in Deo existente, adhuc est res certissima, ac communis omnium prope Doctorum, contra Scotum, eiusque asseclas quosdam, quorum sententiam retulimus, & refutauimus supra q. 2. dub. 2. ex Concilio Rhemensi can. 1. & alijs rationibus; quibus consentiunt istæ, quas S. Thomas hîc cit. a. 6. pro eadē assertione affert, & rectè expendit. Prima est; Quia Deus non est Ens in potentia; sed purus actus ex dictis supra q. 1. dub. 5. Secunda. Deus est ens per essentiam, non per participationem alicuius esse extrinseci, vt dictum ibidem. Tertia. Deus est primum ens; & prima causa, in quo proinde nihil potest esse causatum; omne autem accidens in subiecto ab aliquo causatum est: sicut & id, quod est per se, prius est eo, quod est per accidens.

11 Obseruandum tamen, tametsi in Deo nulla sit à parte rei compositio ex subiecto, & accidente, seu prædicamentali, seu etiam prædicabili; hoc tamen esse discrimen inter accidens prædicamentale, & prædicabile: quod illud in Deo locum nullo modo habere possit; cum tamen non repugnent Deo aliqua accidentia, vt vocant prædicabilia; hoc est, quæ de Deo secundum nostrum concipiendi modum accidentaliter prædicentur, tum extrinseca, tum etiam intrinsecâ denominatione: quamuis secundum esse, quod in Deo habent, ac significant, sint aliquid substantiale, imo intrinsecum Deo. Talia sunt, cum Deus dicitur Creator, Redemptor, Dominus, &c. item cum dicitur velle, & cognoscere creaturas existentes; ijs prouidere, ac easdem prædestinare; Quare si est aliquod prædicamentum accidentis, quod per extrinsecum solum respectum de substantia dicitur, tum id etiam de Deo enuntiari, ratione quidem solius simplicitatis, non repugnabit, vt rectè notauit etiam Vasquez hîc q. 3. art. 6. Plura infra q. 7. 8 & 9.

12 Assertio VII. Deus nullo modo est compositus à parte rei; sed omnino, & vndiquaque simplex Ita S. Thomas hîc q. 3. a. 7. & communis Doctorum, contra varios errores antea relatos, vt & contra Gilbertum, Scotum, & eius asseclas; idque veluti de fide certum colligitur ex definitione Leonis I. epist. 91. vel 93. ad Turibium cap. 5. vbi dicitur: *Solus Deus nullius participationis est indigens: de quo quicquid dignè vtcunq; sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Item ex definitione Eugenij in Concilio Rhemensi vt dictum supra q. 2. dub. 2. Denique ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III cap. *Firmiter*, de summa Trinit. & fid. Cathol. vbi expresè his ipsis verbis definitur. *Tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino.*

Idem euidenter demonstratur à S. Thoma hîc cit. q. 3. art. 7: Primo inductione; quia nullus compositionis modus in Deo locum habet, ex dictis. II. Quia omne compositum est posterius suis componentibus, & dependens ex eis: Deus autem est primum ens independens. III. Omne compositum causam habet, quæ coniungat extrema: Deus autem causam non habet, sed est prima causa. IV. In omni composito necessariò est potentia, & actus, in Deo nulla est potentia, cum sit actus purus. VI. In omni composito est aliquid, quod non est ipsum: Deus autem cum sit actus purus, & ens per essentiam, est totum id, quod est; nec in eo est quicquam, quod ipse non est.

Idem confirmatur etiam hoc discursu. Quia si in Deo esset vlla vera compositio, tum à parte rei esset aliquid in Deo, quod non esset Deus, sed imperfectius Deo, adeoque creatura; quia inter Deum, & creaturam à parte rei nihil datur medium; & quicquid reipsa Deus non est, creatura est: consequens verò est absurdum. Tum quia sic Deus non esset ens per se, nec actus purus, nec ens infinitum; sed ens per accidens, potētiale, limitatum, ac per participationem. Quod si dicatur, ipsa hæc creatura spectare ad essentiam Dei, necesse est, factam esse ab alio; quia nihil seipsum secundum essentiam potest producere; ac proinde Deus non erit ens primum, & independens: quæ omnia manifestè repugnant rationi Deitatis, vt dictum q. 1. dub. 5.

Obijcies. Deus est vnus in tribus personis: Ergo 13
Deus est ens compositum ex multis. Respondetur negando consequentiam. Quia tres personæ in Deo, seu in essentiâ diuinâ, non sunt vt vnitæ; sed vnum quiddam, sine omni distinctione reali earum ab essentiâ: ac proinde Deus, & essentia diuina non constituuntur ex tribus personis, tanquam partibus aut extremis componentibus, sed est vna simplicissima entitas, quæ identificatur cum tribus personis. Quod rectè etiam docuit S. Damascenus lib. 1. fid. orth. cap. 15. vbi ait: *Non enim composita res est Deitas, sed in tribus perfectis vnum perfectum, & indiuisibile & incompositum.* Idem ex instituto differit Gregorius Nazianzenus in scripto ad Euagrium monachum, de Diuinitate.

Obijcies secundo. Christus est compositus ex duabus naturis, vt suo loco docetur: Christus est Deus: Ergo Deus est compositus. Respondetur distinguendo maiorem, & conclusionem. Christus enim, adeoque Deus, est compositus non secundum naturam præcisè diuinam, vt est Deus, sed vt est subsistens in duabus naturis. Nos autem hic loquimur de Deo secundum se, & vt secundum suam præcisè naturam consideratur.

Assertio VIII. Impossibile est, vt Deus vna cum 14
re alia veniat in compositionem alicuius, velut pars naturaliter componens, seu per modum formæ, seu per modum materiæ, aut alio quouis modo. Ita S. Thomas hîc q. 3 art. 8. & communis ac certa omnium Doctorum; & est de fide, contra varios errores, tum veterum quorundam philosophorū; tum hæreticorū: ex illis n. Democritus apud Eusebiū lib 4. de præpar. Euang. c. 6. Itē Stoici quidā apud Epiphaniū

Digitized by Google

lib. 1. hæresi 5. & Damascenum lib. de hæresibus. Denique Pythagoras apud Ludouicum Viuem in cap 12. lib 4. de Ciuit Dei, docuerunt, Deum esse animam mundi; quod etiam de Spiritu S. tradidisse Abailardum, refert S. Bernardus epist. 190. sed & Priscillianistæ hæretici olim docuerunt, animam hominis diuinam esse substantiam, vel partem illius; vt constat ex Concilio Toletano I. & Leone I. cit. epist. 91. vel 93. ad Turibium cap. 5. Simili insania postea Almaricus apud Turrecrematam lib 4. sum. cap. 35. asseruit, omnia esse Deum; huncque adeò esse rerum omnium essentiam: quem errorem damnauit, ac simul etiam assertionem hanc ex parte definiuit Innocentius III. cap. *Damnamus*, de sum. Trinit. & fid. Cathol. vbi dicitur: *Reprobamus etiam, & condemnamus peruersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem sic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina, non tam hæretica, quàm insana sit censenda.* His adiungit S Thomas hic cit. art. 8. Dauidem quendam de Dinando: *Qui*, inquit, *stultissimè posuit, Deum esse materiam primam.*

15 Eandem assertionem rectè reprobat S. Thomas ibidem tribus rationibus. I. Quia Deus est prima causa efficiens rerum omnium; cuius non est intrinsecè componere, sed extrinsecè efficere composita. II. Deus est primò, & per se agens: quod autem venit in compositionem, non est primò, & per se agens; sed potius compositum III. Deus est ens primum: nulla autem pars potest esse ens primum: non materia, aut quæ se habet per modum materiæ; quia hæc est ens in potentia, quod necessario, & simpliciter posterius est ente in actu. Neque forma; quia forma, quæ pars est compositi, non potest non esse forma participata, adeoque ab Ente alio per essentiam. His accedit, quod Deus est ens vndiquaque completum, & perfectum, adeoque etiam purus actus per se subsistens: quale ens neque sua natura sibi vendicat compositionem, seu vnionem formalem cum alio: neque etiam naturaliter, hoc est, iuxta naturas rerum creatarum, admittit vllam eiusmodi rei creatæ vnionem.

An verò Deus, seu persona diuina supernaturaliter possit venire in compositionem, pertinet ad materiam de Incarnat. 3. p. q. 2. a. 4. vbi communiter cum S. Thomâ ibidem ex pluribus concilijs docetur, personam Christi verè ac propriè esse compositam ex duabus naturis, diuina, & humana, seu ex Verbo, & natura humana; non ita quidem, vt hæc propriè sit compositio totius ex partibus, sed vnius perfecti ex pluribus; vt rectè etiam Gregorius de Valentia hîc q. 3. p. 8. & Molina art. 7 disput. 1. & fusius docemus tomo 4. disp. 1. q. 3 dub. 3.

16 Assertio IX. Simplicitas hactenus explicata Dei solius adeò propria est, vt non possit vlli rei creatæ communicari. Ita S. Thomas hîc q. 3. a. 7. ad 1. Gregorius de Valentia q. 3. p 7. Molina q. 3. a 7. & communis. Eadem est doctrina Aristotelis lib. 12. metaph cap. 7. Probatur. Quia nullum ens creatum est, quod non habeat saltem sua accidentia, seu modos quasi accidentales existentiæ, extensionis, intensionis, vbi, hæceitatis, durationis, &c. variabiles, & separabiles ab essentia rei.

Obijcies, tandem deueniendum ad vltimum modum, qui non modificetur amplius; ne detur progressus in infinitum. Respondeti potest primum, hic propriè de rebus veris, non de modis rerum esse sermonem, sicut etiam S. Thomas de rebus existentibus, non de existentia loquitur. Respondeo secundo, ipsos modos rerum à se mutuò modificari; v. g. quantitatem à qualitate; & hanc vicissim ab illa: item hæceitatē naturæ ab existentia; & existentiam ab hæceitate; & vtramque à duratione; ac proinde nullum esse modum non modificatum aliquo modo. Nec tamen ideò procedendum est in infinitum; cum sit reciprocatio inter ipsos modos existentes, qui numero finiti sunt.

Assertio X. Attributum simplicitatis formaliter non est perfectio positiua, nec adeò propriè perfectio simpliciter simplex; nisi ratione fundamenti, sed solum negatio. Ita Bassolis in 1. d 8. q. 2. a. 3. Caietanus opusc. de ente, & essent. cap. 2. comment. 2. Molina 1. p. q. 3. art 7. d. 2. Gregorius de Valentia q. 3. p. 3. Suarez lib. 1. de Deo, cap. 4. num. 1. & cap. 9. num. 4. & est expressa doctrina S. Thomæ in 4. d. 1. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. & hic initio quæst. 3. vbi ait: *per simplicitatem non indicari quomodo Deus sit, sed quomodo non sit.* Etsi contrarium dixerit Scotus in 1. d. 8. q. 1. ad 1. & apertè Lichetus, & Bargius ibidem q. 1.

Ratio est. Quia simplicitas, prout tam ab essentia diuina, in quantum est actus purus, quam ab alijs attributis secundum rationem nostram differt, nullum ingenerat conceptum affirmatiuum, sed solam negationem compositionis: licet vtique connotet aliquid positiuum, nimirum in præsenti ipsam essentiam diuinam, sub ratione actus puri, veluti quoddam quasi subiectum, seu subiecti rationem: alioquin enim etiam de non entibus dici posset. Quomodo intelligendus videtur Caietanus hîc q. 11. a. 1. dum docet, simplicitatem esse modum essentialem, & non attributum.

DVBIVM II.

An, & qua ratione Deus sit ens vndiquaq; perfectissimum.

S. Thom. 1. p. q. 4. a. 3.

NOn accipitur hic perfectio latè, ac generatim, pro omni eo, quo Deus iuxtà nostrum concipiendi modum perficitur, sic enim quodlibet prædicatum, atque attributum diuinum, saltem positiuum, est quædam perfectio Dei: sed accipitur strictè, pro peculiari quodam attributo, ea notione, qua Aristoteles lib. 5. metaph. cap. 6. dixit, perfectum esse quodlibet in suo genere, *quod in nullo deficit.* Et Gregorius Nyssenus lib. de vita Mosis: *Perfectum dicitur quod finem suum, atq; terminum ita consecutum est, vt nihil sibi desit, nihil deficiat.* Et denique S. Thomas hîc q. 4. a. 1. *Perfectum*, inquit, *dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis, &c.* perfectissimum autem in suo genere est, quod habet omnem perfectionem possibilem, quam res in eo genere habere potest, seu quod attigit vltimum perfectionis in eodem genere, vt colligitur ex Aristotele loco cit. Vnde licet secundum Etymologiam nominis, perfectum dicatur, quasi totaliter factum; tamen secundum verum,

Digitized by Google

& formale significatum, etiam de rebus non factis, verè dicitur, vt rectè S. Thomas q. 4. art. 1. ad 1.

Assertio I. Deus est ens, siue substantia simpliciter perfecta. Ita S. Thomas hîc quæst. 4. art. 1, est de fide, & extra controuersiam, vt magis patebit ex sequentibus. Probatur, tum ex Scriptura Matth. 5. v. 48. *Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est*; tum ratione; quia cum Deus sit prima causa efficiens, est ens maximè in actu: nec verò ei quicquam deest, secundum modum suæ perfectionis; & quamuis potuisset quidem Deus plura operari ad extra, quam fecit: ea tamen operatio transiens non est perfectio Dei; sed rei creatæ, in qua est, cui Deus operando suam perfectionem aliquo modo communicat.

2 Assertio II. Deus habet omnes omnium rerum perfectiones modo optimo, & excellentissimo; ac proinde est ens perfectissimum, non tantum in certo genere; sed etiam secundum ipsam communissimam rationem entis. Ita S Thomas art 2. & est extra controuersiam. Probatur primo ex Scriptura Ioan. 1. v. 3. *Quod factum est, in ipso vita erat*, iuxta lectionem, & interpunctionem S. Augustini ibidem; etsi res non sit certa, & Rom. 11 v 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Et Psal. 49. v. 11. *Pulchritudo agri mecum est*. Et Psal. 93. *Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* Denique Exodi 33. v. 19. Deus appellat seipsum omne bonum: *Ego ostendam omne bonum tibi*. Idem docent passim SS. Patres, optimè S. Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus notat, Deum in sua existentia præhabere omnia.

Secundo idem rectè probatur à S. Thoma cit. art. 2. duabus rationibus, ex ipsa notione, seu conceptu essentiali ipsius Dei: si quidem omnis causa principalis efficiens debet aut formaliter, aut eminenter continere perfectionem sui effectus: Deus autem est principalis causa efficiens omnium rerum: Ergo aut formaliter, aut eminenter debet continere omnium rerum perfectiones. Quam rationem etiam attigit S. Dionysius cit. cap. 5 de diuinis nomin. cum de Deo ait: *Non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est, vt omnium causa*.

Deinde Deus est ens per essentiam, & non per participationem: (S. Thomas ait: *Est ipsum esse per se subsistens*) Ergo illimitatè habet omnem perfectionem essendi. Quod etiam significat S. Dionysius ibidem, cum ita de Deo loquitur: *Non quodam modo est existens, sed simpliciter, & incircumscriptè totum in seipso formaliter esse præaccipit*. His accedit, quod Deus est summum, & infinitum bonum; de cuius ratione est, omnes omnium rerum perfectiones optimo, & excellentissimo modo in se continere, vt inferius dicetur.

3 Assertio III. Deus non habet in se eodem modo omnes rerum perfectiones; sed illas quidem omnes, quæ sunt perfectiones simpliciter, habet in se formaliter; alias verò quæ sunt perfectiones solum in certo genere, siue secundum quid, solum continet eminenter. Ita communis Doctorum ex S. Anselmo in Monolog. c. 14. speciatim Scotus in 1. d. 8. q. 1. ad 1. Caietanus de ente & essentia c. 2. comment. 2. & recentiores omnes, à quib. perfectio *simpliciter*, (quam nonnulli recentiores vocant *simpliciter simplicem*) cũ eodem Anselmo ita describitur: *Est perfectio, quæ in vnoquoq; melior est ipsa, quam non ipsa*. E contrario verò perfectio secũdum quid, seu in certo genere, dicitur, quæ non est in vnoquoque melior ipsa, quam non ipsa. S. Anselmi loc. cit. verba sunt: *Equidem*, inquit, *si quis singula diligenter intueatur, quicquid est, præter relatiua, aut tale est, vt ipsum omnino melius sit, quam non ipsum; aut tale est, vt non ipsum in aliquo melius sit, quam ipsum*. Sensus est: perfectio simpliciter est talis, quæ secundum suam propriam, & formalem rationem, nullam inuoluit imperfectionẽ, nec excludit à subiecto, siue eodem ente, in quo est, aliam se meliorem, aut etiam æqualem; quam proinde cuilibet enti melius est habere; quam non habere. Talis est v g. sapientia, bonitas, veritas, vita, &c. Item ratio, siue gradus substantiæ viuentis, intelligentis, spiritualis, Deitatis, actus puri, &c. omnes enim istas, aliasq; similes perfectiones cuilibet enti, in quo sunt, melius est habere, quam non habere; eo ipso, quod non excludunt alias se meliores, aut etiam æquales. Et quamuis sapientia in rebus creatis sit accidens; ac proinde etiam rationem quandam adiunctam habeat, quæ vtiq; non est melior ipsa in vnoquoq; ente, quam non ipsa; tamen quod secundum suam formalem rationem abstrahit ab ea ratione accidẽtis, dicitur perfectio simpliciter.

E contrario verò corpus, planta, animal, homo, equus, leo; item quantitas, figura, calor, color, accidens, &c. & similes perfectiones, quæ in suâ formali ratione imperfectionem inuoluunt, adeoque excludunt ab eodem ente perfectiones alias se meliores, puta perfectionem spiritus, aut substantiæ incorporeæ, actus puri, &c. non sunt perfectiones simpliciter, sed in suo genere. 4

Ob eandem ferè causam, ex sententia S Anselmi loc. cit. & communi Doctorum, à numero perfectionum simpliciter excluduntur relationes quælibet particulares, etiam diuinæ, vt paternitatis, filiationis, &c. quia licet non excludant ab eodem ente, nimirum supposito, alias perfectiones se meliores, excludunt tamen æquales, nimirum paternitas in patre filiationem; filiatio in filio paternitatem; cum tamen filiatio sit æqualis perfectionis cum paternitate; quo fit etiã, vt non sit in quolibet ente melior ipsa, quam nõ ipsa, vt suo loco docetur. Quanquam aliqui ideò dicunt esse perfectiones simpliciter, quia sunt meliores ipsæ, quam non ipsæ, non quidem in quolibet ente simpliciter; prout etiã includit quodlibet suppositum naturæ; sed in qualibet natura, cum singulæ earum à natura diuina non excludant perfectiones alias, aut meliores se, aut æquales; quandoquidem omnes, & singulæ eidem naturæ diuinæ insunt, licet non eidem supposito, de qua re agitur inferius disp. 4 q. 3. dub. 4.

Multò minus, iuxta sententiam Anselmi loc. cit. & communem Doctorum, ad censum perfectionum simpliciter pertinent negationes, priuationes, denominationes extrinsecæ, vt sic, aut entia rationis: quandoquidem istæ propriè nec perfectiones quidem sunt eius, quod denominant; cum aut sint non entia, aut entia solum secundum quid; nec reale quicquam ponant in subiecto, quod denominant, etiamsi de Deo verè prædicentur; vt rectè Molina 1. p. q. 4. art. 2. disp. 2. 5

Hoc posito, facilè probatur assertio. Quia perfectiones simpliciter, eo ipso, quod in sua ratione formali

Digitized by Google

mali nullam inuoluunt perfectionem, quodque in omni ente meliores sunt ipsæ, quam non ipsæ, vt dictum, non possunt ab ente perfectissimo, qualis est Deus, etiam secundum se, ac formalem suam rationem abesse: si enim abessent, iam eo ipso Deus non esset vndiquaque perfectus, vtpote carens aliqua perfectione, qua melius esset non carere. Cæteræ verò perfectiones, quia in sua formali ratione imperfectionem inuoluunt, nec adeò meliores in quolibet ente sunt ipsæ, quàm non ipsæ, non possunt in ente perfectissimo formaliter esse; quia eo ipso ens illud foret imperfectum: quia tamen nihilominus Deus est illarum causa principalis, necessario in ipso esse debent eminenter.

6 Assertio IV. Deus est ens simpliciter, & absolutè perfectissimum, adeò vt nullum ens aliud par illi perfectione esse possit. Ita S. Thomas cit. art. 2. & 3. Et est de fide, ac extra controuersiam. Patet ex Scriptura Psalm. 34 v. 10. *Domine quis similis tibi?* Isai. 44. v. 7. *Quis similis mei?* Et cap. 46. v. 5. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?* Ratio sumitur ex assertione 2. & 3. Quia illud, quod in ratione entis est perfectissimum, perfectius est eo, quod in certa tantum, & contracta quadam ratione entis perfectum est: illud enim in omni genere entis, hoc vero in certo duntaxat genere entis est perfectum: at verò Deus secundum ipsam rationem entis est perfectissimus; res autem cæteræ creatæ omnes in certo tantum genere, puta substantiæ corporeæ, vel spiritualis creatæ, hominis, equi, caloris, aut alterius accidentis, vel substantiæ creatæ, sunt perfectissimæ: Ergo, &c.

Deinde illud est ens simpliciter, & absolutè perfectissimum, quod habet omnes perfectiones entis possibiles optimo modo possibili: Deus est talis, vt constat ex præcedenti assertione: nulla verò res creata est, aut esse potest talis; quia eo ipso esset ens à se, actus purus, adeoque Deus: quandoquidem, & istæ sunt perfectiones simpliciter, quæ formaliter esse debent in ente perfectissimo: Ergo Deus est ens simpliciter, & absolutè perfectissimum, cui nulla creatura par esse potest. Accedit denique, quòd ad perfectionem Dei, cum sit ens necessarium, & immutabile, nulla fieri potest accessio perfectionis per vllam potentiam: cum tamen rei creatæ cuilibet accedere aliquid perfectionis, saltem accidentalis possit.

7 Assertio V. Rectè tamen nihilominus res creatæ in suo quælibet perfectionis genere dicuntur esse similes Deo, non tamen è conuerso Deus similis creaturæ. Ita S. Thomas hîc cit. quæst. 4 art. 3. in corp & ad 4. & communis Doctorum. Prima pars patet ex Scriptura Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Matth 5. v. 48. *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* 1. Ioan. 3. v. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Accedit ratio. Quia omnis similitudo est secundum conuenientiam, seu communicationem in forma; ac proinde vbi est aliqua eiusmodi conuenientia, seu communicatio in aliqua forma, illic est similitudo; sed creaturæ omnes, in quantum sunt entia, communicant secundum formam, siue rationem ipsius esse, quod habent, cum Deo, non quidem secundum eandem rationem, & modum, siue intensionem formæ: vti accidit in duobus æqualiter albis; quorum etiam est perfectissima similitudo: nec etiam secundum eandem rationem, cum diuerso modo, siue gradu intensionis & perfectionis; qualis similitudo est inter minus album, & magis album: nec etiam per communicationem in forma secundum eandem rationem specificam, aut genericam quomodocunque; quarum prior cernitur in agentibus, & effectis vniuocis; vt quando homo generat hominem, leo leonem, &c posterior in agentibus, & effectis creatis æquiuocis; vt quando sol generat ranam, murem, &c. sed secundum formam in vtroque (Deo, & creatura) eandem analogicè: quandoquidem Deo, & creaturæ nihil potest esse commune vniuocum. In quem sensum etiam S. Dionysius cap. 9. de diuin. nom. *Eadem*, inquit, *& similia sunt Deo, & dissimilia: similia quidem communione, quæ esse potest eius, qui communicari potest cum nemine: dissimilia porrò, quod effecta à causis distant, infinitisq; ac non comparandis mensuris ab illis vincuntur.*

Quo fit etiam, vt quo quæque res est in suo esse perfectior, quoque etiam in pluribus gradibus, aut perfectionibus entis, cum Deo communicat, eò etiam magis ad similitudinem Dei accedat; aliæ nimirum, quia sunt, vt substantiæ corporeæ inanimatæ; aliæ, quia sunt, & viuunt; vti plantæ; aliæ, quia sunt, viuunt, & intelligunt, vt homines; aliæ denique, quia sunt substantiæ, viuentes, intelligentes, spirituales, vti Angeli: ex quibus vtrisque rursum alij magis, vel minus, etiam quoad esse, & ordinem gratiæ, Deo assimilantur.

Altera pars assertionis colligitur ex Scriptura Isa. 8
40. v. 18. *Cui similem fecistis Deum?* Et sumitur ex S. Dionysio cap. 9. de diuin. nom. vbi dicit: *In his, quæ vnius ordinis sunt, recipitur mutua similitudo; non autem in causa, & causato: dicimus enim, quod imago sit similis homini, & non è conuerso: & similiter dici potest aliquo modo, quod creatura sit similis Deo, non autem quod Deus sit similis creaturæ.* Ita refert S. Thomas cit. art. 3. ad 4. Verba S. Dionysij sunt: *Hæc quidem similia Deo dicenda sunt, & ad diuinam imaginem, similitudinemq; ficta: neq; enim eis Deus similis dicendus est; quod ne homo quidem similis est suæ imagini. Nam ea quidem, quæ sunt eiusdem ordinis, fieri potest, vt & inter se similia sint, & vtrinq; reciprocetur similitudo; & sint ambo similia æquè ex principali specie. In causa autem, & effectis non approbabimus reciprocationem.* Ita S. Dionysius.

Vnde etiam sumitur ratio. Quia similitudo inter plura, non dicit relationem æqualis comparationis; nisi quando in ipsis est forma eiusdem rationis, secundum quam dicuntur similia; seu quando in ea re sunt eiusdem ordinis; quo casu etiam reciprocè similia dicuntur. At verò cum id non accidit, sed vnum alteri simile dicitur, quia hoc imitatur aliquo modo alterum, tanquam suiipsius mensuram, sicut imago prototypum, & effectus causam æquiuocam; tum similitudo dicit relationem disquiparantiæ, seu inæqualis comparationis; vt proinde altera res non vicissim similis, sed imitatione expressa dici debeat. Non enim rectè dicitur prototypon imagini simile, sed imago prototypo similis, vt rectè exposuit Molina cit. art. 3.

Neque

9 Neque verò dubium videtur, quin ratio huius attributi formaliter sit aliquid positiuum, vtpote rationem consummati, & absoluti in ratione entis, secundum rationem nostram, diuinæ naturæ superaddens, & veluti sibi propriam, ac ab omnibus attributis distinctam vendicans. In quem sensum etiam Caietanus hîc q. 4. a. 1. dicit, perfectionem hoc loco significare modum optimum essendi Dei, cui videlicet nihil desit perfectionis, quæ tali enti sit accommodata. Et quanquam ex hac ipsa ratione perfectionis, etiam cæterorum attributorum perfectiones inferri possint; eas tamen formaliter non includit; sed ab ijs abstrahit. Quod ex eo etiam colligi potest, quod cognitio huius attributi haberi potest, alijs etiam necdum cognitis. Quo verò modo nihilominus bonitas propriam quandam, ac specialem attributi rationem sibi vendicet, dicetur dub. seq.

DVBIVM III.

An, & qua ratione Deus sit summum bonum.

S. Thom. 1. p. q. 5. & 6. a. 10.

1 Disputat S. Thomas q. 5. de ratione Boni in genere, postea primum de Bonitate diuinâ q. 6. sed quia prior illa tractatio tota Metaphysica est; ad præsens institutum, ex doctrinâ S. Thomæ eodem loco, & meliori Philosophia, hoc solum annoto. Bonum in genere duplex est; Primum naturale, seu entitatiuum, seu in ratione entis; Alterum morale, seu in genere moris. Prius illud rursum, vel est tale absolutè, ac in se; vel relatè, & per respectum ad aliud. Bonum absolutè, & in se nihil aliud est, quam perfectum essentialiter, cui videlicet nihil deest, quod sit de eius ratione. Bonitas autem ipsa formaliter, vt sic, est ipsa essentialis perfectio, & integritas rei in genere entis; ita vt bonum in hoc sensu nihil aliud addat supra ens quam rationem perfecti per suam entitatem; quo sensu etiam est, & dicitur passio entis, non quod à parte rei differat ab ente, & ex eo realiter emanet; sed quia ratione nostra posterius quiddam est ente, atque ad ipsum entis conceptum necessario consequens. Atque ita docent Heruæus quodlib 3. quæst. 2. art. 2. Molina hîc quæst. 5. disp. vnic. Vasquez disput. 23. cap. 5. & ferè consentit Suarez metaph. d. 10. sect. 1. num. 17. & 18. & hîc lib. 1. cap. 8.

Quæ videtur etiam expressa sententia S. Anselmi in illud Psalm. 102. *Qui replet in bonis, &c. Omnes creaturæ*, inquit, *habent quoddam bonum suum, bonum integritatis suæ, & perfectionis naturæ suæ.* Idem docet S. Thomas hîc cit. quæst. 5. art. 1. 3. & 5. vbi sæpius repetit, bonum dicere *rationem perfecti*. Idipsum etiam Molina loc. cit. rectè probat ex eo, quia alias rectè defendi non posset, malum esse priuationem boni; itemque Deum esse bonum per essentiam: vtrumque enim nonnisi ratione perfectionis, boni nomine significatæ, verum esse potest.

Bonum relatè consistit in ratione conuenientiæ. Ea vel generalis est, & eadem in quolibet ente; terminata, vel ad ipsam totius naturæ vniuersitatem; vel ad appetitum ipsius Dei tanquam auctoris naturæ; cui omne ens, vt ens, placitum est; iuxta illud Genes. 1. v. 31. *Viditq; Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Et Sap. 11. v. 2. *Diligis omnia, quæ sunt.* Vel est specialis, respiciens duntaxat rem aliquam particularem, qua ratione dicitur frigus aquæ bonum, igni non item, è contra calor igni bonus, aquæ non item. Et hoc posteriori modo vèrius existimo contra Durandum in 2. d. 34. quæst. 1. num. 22. bonum non esse passionem entis; cum aliqua sint entia, quæ aut nulli rei particulari, propriè ac per se bona sunt; aut certè pluribus, ac potius mala, quam bona; cum tamen in ratione entis sint perfectissima, vt Dracones, Crocodili, aliaque venenata, & nociua animalia, etiamsi interim cuilibet rei sua ipsius natura, suæque proprietates bonæ sint.

Priori autem modo multi post Capreolum in 2. d. 34. quæst. 1. sentiunt, conuenientiam esse passionem entis, eodemque ferè sensu ipsum etiam *appetibile*, entis passionem appellant, vt videre est apud Gregorium de Valentia quæst. 5. p. 1. Alij verò absolutè negant, bonum, hoc sensu esse passionem entis, siue quia pro absurdo habent, denominationem extrinsecam, aut etiam relationem, siue realem, siue rationis, esse passionem entis, siue quia appetibile est aliquid ratione posterius ipsa bonitate, & conuenientiâ: non enim quia res appetibilis est, bona est, sed quia bona est, appetibilis est; cum appetibilitas videatur solum denominatio extrinseca ab appetitu, cui res conuenies est: quod verum est, si appetibile passiuè accipiatur, secus si actiuè, prout est obiectum motiuum voluntatis, vt in simili dictum supra disput. 1. q. 3. dub. vlt. de visibili, audibili, &c.

Ego verò nihil video obstare, quominus denominatio extrinseca constituat, aut saltem compleat quasi rationem formalem passionis entis: cum omnium sententiâ, passiones entis veræ, & propriæ passiones ab ente realiter emanantes, & distinctæ non sint: quod etiam supponit S. Thomas hoc loco quæst. 5. art. 1. nec video, cur non etiam appetibile respectu vniuersalis quasi appetitus naturæ, siue auctoris naturæ, queat esse passio entis, idemque etiam dici bonum, saltem secundaria quadam ratione. Si quidem ipsemet etiam S. Thomas hîc quæst. 5. art. 1. ait *bonum* (in quantum est passio entis) *dicere rationem appetibilis, quam non dicit ens.* Et resp. ad 1. ait: *bonum dicere rationem perfecti, quod est appetibile.* Et art. 2. ad 1. ait, bonum *habere rationem appetibilis.* Et art. 3. ad 1. bonum *addere super ens rationem tantum appetibilis, & perfectionis, quod conuenit ipsi esse, in quacunq; natura sit.* Et denique art. 5. docet *rationem boni* (saltem aliquam) *consistere in perfectione:* ita vt S. Thomas vtrumque coniunctim asserat, bonum, & sub ratione perfecti, & sub ratione appetibilis, esse passionem entis: quod non est absurdum, cum omnes rationes sint subordinatæ, nimirum ratio entis, perfecti, conuenientis, & appetibilis, quod enim ens est, in ratione suæ essentiæ, siue quidditatis perfectum est; quod perfectum est in ratione suæ entitatis, naturæ toti est conueniens; quod conueniens est, ab eadem naturâ, seu auctore naturæ appetibile est.

Quod etiam indicat S. Thomas ead. quæst. 5. art. 2. & a. 3. vbi consequenter hæc tria enumerat, ratio-

nem

nem entis, perfecti, & appetibilis; sub appetibili vtique rationem etiam conuenientiæ comprehendens, cum hæc secundum rationem nostram sit quasi proximum fundamentum appetibilitatis: Quo modo etiam Molina cit. disp. vnic. sub fin. ait S. Thomam, cum dicit appetibile esse passionem Entis, loqui de ratione boni extrinseca, & quæ se habet ad Bonum, vt passio ad suum subiectum, quod *aperte*, inquit, *innuit idem D. Thomas ad initium primi Ethicorum.*

Neque tamen ideò dixerim, relationem, siue realem, siue rationis, formaliter esse passionē Entis; quia relatio realis cum ipsamet etiam intrinsecè sit ens, non potest esse passio Entis: relatio verò rationis cum pendeat à conceptione nostra, non necessario, ac semper conuenit enti. Licet Vasquez cit. dist. 28. cap. 7. ipsammet integritatem seu perfectionem entis quam vna cum eo passionem Entis esse diximus, dicat esse relationem, seu realem in compositis, seu rationis in simplicibus; quod non probatur. Sicut & Durandus loco cit. rationem illam conuenientiæ dicit esse relationem realem, quā Capreolus itidem docet esse relationem rationis. Ego existimo esse relationem solum secundum dici; sicut esse capitatum. &c. His positis, an, & qua ratione Deus sit bonus, tùm in genere Entis, tum moraliter; quaque ratione bonitas sit proprium attributum Dei, facilè sequentibus assertionibus declarabitur.

Assertio I. Deus est summum bonum in genere entis, tum bonitate absoluta perfectionis; tum etiam respectiua couenientiæ, & appetibilitatis. Ita S. Thomas hic quæst. 6. a. 1. & 2. & est de fide, ac extra controuersiam, & passim asseritur in Scriptura, & à Patribus. psalm. 117. v. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus*, &c. S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 2. dicit, *Trinitatem diuinarum personarum esse summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur.* Et prima pars patet ex dub. præcedent. Vbi probauimus, DEVM esse ens omnium perfectissimum.

Secundam partem tradit S. Dionysius cap. 4. de diuin. nomin. vbi docet, Deum esse *omnium bonum, sicut ex quo omnia subsistunt.* Eandem bonitatem per respectum ad creaturas intelligentes, præsertim iustas, sæpe exprimit Scriptura, vt psam 71. vers. 1. *Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde.* Thren. 3. vers. 25. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Ratio est. Tum quia in tantum quodque est bonum bonitate entis, in quantum est Ens: sequitur enim passio naturam subiecti: Deus autem summum, ac præstantissimum est Ens, ex dictis quæst. 1. dub. 5. Ergo & summum bonum. Tum quia Deus veluti causa prima & vniuersalis modo excellentissimo continet omnem perfectionem, & bonitatem cuiusque entis creati, vt inferius patebit.

Nec obstat, quòd iuxta S. Augustinum lib. de natura boni capit. 3. boni ratio consistat in modo, specie, & ordine; vt etiam docet S. Thomas hic quæst. 5. art. 5. quod tamen in DEO locum non habet; id enim pertinet ad rationem boni creati, non autem increati, nisi causaliter; vt notat ipsemet sanctus Thomas quæst. 6. art. 1. ad 1.

Quem etiam illis terminis trifariam vsum fuisse notat Caietanus hic quæst. 5. art. 5. Hic enim per modum intelligit commensurationem principiorum efficientium, seu materialium; per speciem, formam; per ordinem, inclinationem ad aliquid. In quæstione autem 20. de veritate, per speciem intelligit formam; per modum, commensurationem ipsius esse ad essentiam, cuius est; per ordinem verò respectum perfectiui, finaliter in ratione boni inclusum. Verum in 1. 2. quæst. 85. artic. 4. per speciem intelligit formam absolutè; per modum mensuram ipsius formæ; per ordinem verò respectum ad aliud. Quæ quomodo reipsa consentiant, explicat Caietanus ibidem.

Assertio II. Deus quoque est summum bonum in genere moris, seu virtutis, & sanctitatis. Est itidem de fide, & extra controuersiam. Patet ex Scriptura Matth. 19. vers. 17. *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei; quid me interrogas de bono? vnus est bonus DEVS.* Et Luc. 18. vers. 19. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus DEVS.* Vbi constat, solum, aut potissimum de bonitate moris esse sermonem. Idem patet ex multis Scripturæ locis, in quibus DEVS vocatur *Sanctus*, vt Leuit. 11. vers. 44. *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Et vers. 45. *Sancti eritis, quia Ego sanctus sum.* Isai. 6. vers. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant; Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus DEVS exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Et rursum Apocalyp. 4. vers. 8. *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas; & in circuitu, & intus plena sunt oculis; & requiem non habebant die, ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEVS omnipotentes, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Idemque sancti nomen innumeris quasi locis DEO in Scriptura passim tribuitur.

Ratio est. Quia perfecta bonitas moralis, adeoque sanctitas, in creaturis intelligentibus speciatim consistit in singulari quadam participatione naturæ diuinæ per gratiam; qua fit, vt anima DEO grata reddatur; tum in virtutum perfecta possessione: id autem quod per essentiam tale est, perfectius est in eo genere, quam quod solum per participationem: nec dubium, in DEO omnes virtutes morales esse modo optimo; nempe aut formaliter, eas, quæ in ratione formali non inuoluunt imperfectionem, vt est charitas, misericordia, prudentia, &c. aut eminenter cæteras, vt est fides, spes, temperantia, obedientia, humilitas, &c. prout in simili de perfectionibus naturalibus dictum dub. præced. & docet etiam S. Thomas 1. p. quæst. 21. art. 1. ad 1. Qua de causa sæpe etiam in Scriptura Deo virtutum perfectiones tribuuntur. Plura de hac re q. 10. dub. 2.

Assertio III. DEVS est per essentiam bonus vtraque bonitate: idque Dei solius proprium est. Ita S. Thomas hic quæst. 6. art. 3. cæterique Doctores, qui etiam vna cum S. Thoma ibidem art. 2. ad 2.

Digitized by Google

2. ad 2. huc referunt illud, *Nemo bonus nisi solus* DEVS: licet assertionem ipsam non eodem modo omnes explicent, nec plane mens, & explicatio ipsius sancti Thomæ difficultate careat, vt videre est apud Caietanum ibidem, Gregorium de Valentia quæstio. 6. punc. 2. Molinam quæst. 6. disput 2. Vasquez disput. 24. Breuiter dico, solum DEVM esse bonum per essentiam, bonitate quidem transcendentali, tres ob causas. 1. Quia solus bonus est bonitate per essentiam; cætera omnia per participationem, vt dictum in simili quæstione 1. dubio 5. Quæ est explicatio Caietani, sed non adæquata menti sancti Thomæ loco citat. 2. Quia sola bonitas DEI essentialiter habet, quod sit realis, & actualis bonitas; adeoque solus DEVS est bonus per essentiam bonitate necessariò existente, vt bene Molina loco. citat. & Suarez lib. 1. de DEO, capit. 8. numer. 4. & patet ex quæst. 1. dubio 5. 3. Quia omnes res aliæ bonitatem aliquam accidentalem habent extra essentiam, Quod optimè declarat Sanctus Thomas citat. artic. 3. *Vnumquodque enim dicitur bonum, secundum quod est perfectum, perfectio autem alicuius rei (in quantum scilicet est actu) triplex est. Prima est ipsa actualis existentia, secunda sunt qualitates, & potentiæ naturales ad operandum necessariæ. Tertia est consecutio finis propry, vti quies in loco, aut operatio circa optimum, &c.* Quæ omnes perfectiones sunt extra essentiam rerum cæterarum; cum tamen sint de essentia Dei: cuius solius essentia est suum Esse, ex quæstione 1. dubio 5. Et cui intrinsecè non adueniunt vlla accidentia; ita vt quæ de alijs dicuntur accidentaliter, Deo conueniant essentialiter, vt esse potentem, sapientem, ex quæst. 2. dubio 2. & 5. & hac quæst. dub. 1. Neque etiam ipse ordinatur ad vllum finem alium, sed ipse est finis vltimus rerum omnium; in quo proinde etiam ipse seipso, & absque medio conquiescit.

7 Significat quidem præterea Sanctus Thomas in respon. ad 1. cæteras res nullam habere bonitatem præcisè secundum essentiam; sed hoc Molina benignè, & commodè intelligit de bonitate actuali: alias dubium non est, ipsas etiam rerum essentias secundum se, & secluſa etiam existentia, ita transcendentaliter bonas esse, vt sunt entia; cum bonum sequatur rationem entis. Qua de causa etiam sanctus Dionysius capit. 5. de diuin. nomin. ait, bonum se extendere *ad existentia, & non existentia.*

Idem multo clarius est de bonitate moris, seu virtutis, & sanctitatis; hæc enim nulli creaturæ naturalis, aut essentialis est, nec etiam re idem est, cum natura ipsius: sed obtingit ei solum ex gratia, vt docetur cum sancto Thoma in 1. 2. quæst. 109. DEO autem plane essentialis est. Siquidem bonitas eius moralis in actu quidem secundo est voluntas Dei libera benefaciendi, aut rectè operandi, iuxta rationem cuiusque virtutis; quæ quidem voluntas, quatenus in DEO est, non distinguitur ab ipsa essentia diuina; vt suo loco inferius docetur q. 9. In actu verò primo est ipsa substantialis sanctitas Dei, ac rectitudo naturalis voluntatis diuinæ, secluſa omni perfectione etiam secundum rationem superaddita Essentiæ, & voluntati diuinæ, quæ nimirum respondeat, aut habitui gratiæ, aut virtutis alicuius operatiuæ; cum DEVS suamet naturali entitate sanctus sit, nec vllius habitus operatiui etiam secundum rationem ac modum nostrum intelligendi indigus; vtpote vi naturali suæ voluntatis ad operandum promptissimus, & expeditissimus.

Eandem assertionem indicat sanctus Dionysius cap. 1. de diuin. nomin. cum ita de DEO loquitur: *Vt bonitatis essentia, hoc ipso, quod est, eorum quæ sunt, causa est omnium.* Et capit. 4. *Theologi ipsam, vt opinor, diuinam essentiam bonitatem appellant; hoc ipso, quod bonum est, vt bonum per se, & essentia sua, in ea quæ sunt, omnia, bonitatem diffundat.* Vnde recte etiam docet sanctus Thomas quæst. 6. art. 4. res creatas omnes denominatiuè bonas esse bonitate diuinâ, sicut primo efficienti, exemplari, & finali totius bonitatis; formaliter autem bonas esse similitudine quadam diuinæ bonitatis sibi inhærente; quæ est etiam propria, & formalis rei vniuscuiusque bonitas.

Assertio IV. Attributum bonitatis transcendentalis absolutæ, non est distinctum ab attributo perfectionis diuinæ dub. præced. explicato. 8
Significat hoc ipse S. Thomas relatus initio huius dubij, & est ex mente aliorum, qui agnoscunt eam rationem bonitatis. Ratio est manifesta. Quia bonitas absoluta entis, est ipsa perfectio cuiusque entis secundum essentiam, vt superius dictum; quæ perfectio vtique in exacta, & omnimoda perfectione rei cuiusque includitur; ac proinde ab ea nullum attributum diuersum constituit. Quam ipsam etiam causam assignat Caietanus, q. 5. art. 1. cur S. Thomas statim post attributum perfectionis, de bonitate tractauerit; cum alioquin per se statim de infinitate DEI tractandum fuisset. *Quæstio de Deo*, inquit, *dupliciter ordinari potest. Vno modo secundum se, & sic non debetur sibi iste locus, vt obijciendo deductum est; sed quæstionem de perfectione statim quæstio de infinitate sequitur, quærens de quantitate perfectionis diuinæ. Alio modo, vt est pars tractatus de perfectione, & sic in capitulo de perfectione ordinanda est: & hoc modo in litera ordinatur. Et hoc insinuauit litera iam in principio quæstionis quartæ, vbi tractatus de perfectione inchoatur, & dicitur; & quia vnumquodque secundum quod perfectum est, sic dicitur bonum, primo agendum est de perfectione diuinâ; secundo de eius bonitate. Quasi diceret, quod propter perfectionem, de bonitate tractandum est simul: Quoniam in principio quæstionis septimæ, vbi aperiens, quod de bono per accidens, id est, ratione perfectionis tractauit, dicit, post considerationem perfectionis diuinæ, de infinitate, &c. nulla facta mentione de bonitate, de qua fecerat duas quæstiones, &c.* Ita Caietanus.

Et sanè quidem fatendum, sanctum Thomam potuisse etiam alio non minus conuenienti ordine pertractare diuina attributa; primum

Digitized by Google

à transcendentibus incipiendo, consueto in ijs, & naturali hoc ordine seruato, vt primum de vnitate, deinde de veritate, denique de bonitate ageretur: deinde prosequendo alia magis particularia DEI attributa; idque nos ipsi etiam, quamuis à sancto Thomâ neglectum, obseruare in hac nostra tractatione potuissemus; sed quia res magni momenti non est, noluimus hac in re à methodo, & ordine S. Thomæ sine causa vrgente recedere.

Assertio V. Bonitas transcendentalis respectiua DEI, tùm conuenientiæ, tùm appetibilitatis, constituit proprium attributum DEI, distinctum ratione à perfectione, cæterisque attributis diuinis. Ita Capreolus, Gregorius de Valentia, Molina loco citat. & alij, qui eam rationem bonitatis agnoscunt; & est mens sancti Thomæ hic, quando in duabus proprijs quæstionibus, de bonitate Dei, velut proprio vtique, & speciali attributo agit. Ratio est manifesta. Quia ratio conuenientiæ, & appetibilitatis, cum suo quodam modo sit communis omni enti, tùm Deo secundum gradum excellentissimum propria est, ac simul tamen ratione distincta ab eius perfectione, quam etiam secundum rationem nostram consequitur, vt ex dictis patet.

10 Assertio VI. Probabilius existimo, etiam bonitatem Dei moralem constituere proprium, ac speciale DEI attributum, tum à bonitate Entitatiua, & perfectione diuina, tum à cæteris omnibus diuinis attributis distinctum. Hanc assertionem indicat Scriptura, cum inter omnia DEI nomina, & attributa, sancti nomen, DEO potissimum, ac frequentissimè tribuit, vt dictum assert. 2. Idem colligitur ex illo Trisagio diuinitus reuelato; *Sanctus DEVS, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis.* Vbi sancti attributum non minus distinctè, quàm fortis, & immortalis DEO attribuitur. Idem indicat sanctus Dionysius capit. 12. de diuin. nomin. Vbi inter propria etiam DEI nomina, *Sancti* nomen recenset, *DEVS*, inquit, *qui infinita habet nomina, vt sanctus sanctorum, vt rex regnantium, & regnans in sæculum, in æternum & vltra, vt Dominus Dominorum, & Deus Deorum nobis laudandus est. At primum quidem dicendum est, quidnam sanctitatem ipsam putemus, quid dominatum, quid diuinitatem, quidque declarare velint scripta diuina, geminatione nominum. Sanctitas quidem est, vt nostra ratione dicam, & sententia, ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas,* Sed & sanctus Damascenus lib. 1. capit. 19. *iustum*, & peccati expertum esse, inter alia DEI nomina & attributa commemorat. Ratio sumitur ex dictis. Quia ratio bonitatis moralis, siue sanctitatis, est perfectio simpliciter, & ratione distincta tam ab essentia diuina, quam ab eius perfectione, ac bonitate etiam transcendentali, ex dictis; nec includit etiam vllum cæterorum attributorum diuinorum, vt mox patebit: Ergo est proprium, & distinctum attributum Dei.

Contrariam tamen sententiam tradunt Suarez lib. 1. de DEO cap. 8. num. 18. & Vasquez disp. 23. num. 11. Rationem addunt; quia attributa non secundum rationem genericam, sed secundum rationem specificam assignanda sunt: ratio autem bonitatis moralis generica est, quæ in pluribus virtutibus reperitur; ex quibus aliquas DEO tribuimus, vt veracitatem, fidelitatem, iustitiam, misericordiam. 11

Verum respondeo, bonitatem moralem in præsenti, absolutè & simpliciter dictam, non esse rationem genericam, sed specificam, complectentem videlicet omnes omnium virtutum perfectiones; ita vt earum respectu sit aliquid vniuersale, non per modum prædicationis, sed per modum totius quasi integri. Neque enim absolutè bonus est moraliter, qui vnam solum virtutem moralem habet, sed qui habet omnes; adeò vt qui vel vna virtutis bonitate destituitur, non sit bonus, sed malus; quia iuxta S. Dionysium; bonum est ex integra causa; malum autem ex quolibet defectu.

Qua de causa etiam rationes particulares virtutum non constituunt singulæ propria, & specialia attributa diuina; sicuti etiam nec à sancto Thoma, alioue Doctore, inter Dei attributa, cum alijs Dei attributis, v. g. perfectione, bonitate, infinitate, immensitate, scientia, voluntate, sapientia, &c. ex æquo connumerantur; imo nec vspiam ex instituto S. Thomas enumerat virtutes formaliter in Deo existentes; sed de amore quidem, iustitia, & misericordia Dei tractat. 1. p. q. 20. & 21. velut de actibus diuinæ voluntatis, quam inter attributa diuina antea quæst. 19. tractauerat; non autem veluti totalibus attributis: alias oporteret etiam in intellectu diuino, pro numero virtutum intellectualium, quæ in Deo formaliter reperiuntur, attributa ipsa multiplicare. Accedit, quòd sanctitas Dei substantialis, respondens quadam propotione sanctitati gratiæ sanctificantis, in ipsa animæ essentia immediatè positæ, non habet rationem vllius virtutis; vt vel hac etiam de causa, sanctitas peculiare Dei attributum constituendum videatur. 12

Fateor tamen, S. Thomam, vbi de attributis DEI agit, nullam specialem mentionem facere bonitatis moralis; siue quia eo loco DEVM secundum rationem Entis solummodo considerat; siue quia bonitatem DEI moralem ad entitatiuam bonitatem eiusdem censuit pertinere; sicut reuera DEO plane etiam à parte rei substantialis, & essentialis est, nec extra entitatem eius naturalem posita; vt supra dictum.

Assertio VII. DEVS ita per se primum bonum est, vt non possit ipse vna cum creatura dici aliquid melius, aut maius bonum. Ita contra Durandum in 1. dist. 44. quæst. 3. Molina quæst. 6. disp. 1. Eadem est sententia S. Thomæ in 1. 2. quæst. 34. artic. 3. ad 2. & 13

in 3. sentent. distinct. 6 quæst. 2. artic. 3. ad 1. & indicat S. Augustinis lib. 6. de Trinitat. cap. 8. vbi ait: *Cum creatura adhæserit creatori, illa fit maior, quam erat, non ille.* Ratio est. Quia melius bonum, & maius bonum, intensionem perfectionis, & bonitatis, non solam pluralitatem significant; cum tamen diuina bonitas qualibet accessione, aut coniunctione creatæ bonitatis, intendi nullo modo possit, nec ex vtraque simul bonitate intensius bonum constitui; tum quia sunt diuersissimæ planè rationis, ac generis; tum quia bonitas creata habet se ad diuinam vt punctum ad lineam, quæ accessione puncti non fit maior, vt rectè S. Thomas cit. dist 6. Tum quia DEVS eminentissimè habet rationem, & perfectionem omnis boni creati, cui proinde nihil addi potest perfectionis, quod non in seipso antea habeat. Plura igitur quidem illa sunt bona; sed non maius bonum; alias admittendum esset CHRISTVM DEVM & hominem esse quid melius, & perfectius Patre, & Spiritu sancto; quod ne dicam impium, certè temerarium, ac periculosum esset asserere, inquit Molina loc. cit.

QVÆSTIO IV.

De infinitate ac immensitate Dei.

S. Thomas 1. p. q. 7. & 8. a a. 8.

ABsoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. An, & qua ratione Deus sit infinitus secundum essentiam; & in quo hæc infinitas Dei consistat. II. Vtrum possibile sit infinitum actu, siue secundum multitudinem & numerum; siue secundum magnitudinem & extensionem. III. An, & qua ratione Deus sit immensus, & vbiq; præsens. IV. Vtrum Deus sit etiam in spatijs aliquibus extra cælum.

DVBIVM I.

An, & qua ratione Deus sit infinitus, secundum essentiam; & in quo hæc infinitas DEI consistat.

S. Thomas 1. p. q. 7. a. 1. & 2.

1 NOn est hic quæstio de infinitate molis, seu quantitatis corporeæ, qualis in Deo nulla est; nec de infinitate incomprehensibilitatis, aut æternitatis, vel immensitatis, aut etiam potentiæ, aut cuiuslibet attributi diuini, quamuis singula in suo genere, & sua quadam ratione infinita sint; sed de infinitate perfectionis DEI in essendo; quæ dicitur infinitas per essentiam, siue secundum essentiam: de qua quærituran & qua ratione Deo conueniat, & in quo proprie ac formaliter consistat.

Assertio I. Deus est infinitus actu in essendo, siue secundum essentiam. Ita S. Thomas q. 7. art. 1. ac cæteri Doctores in 1. dist. 43. & est de fide, ac extra controuersiam; etsi S. Bonauentura in 1. dist. 43. art. 1. quæst. 2. solum dicat, id esse magis consonum fidei. Patet ex Psalmo 144. vers. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Baruch 3. vers. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Idem passim docent SS. Patres. S. Damascenus lib. 1. orthod. fid. cap. 4. attributa & perfectiones diuinas commemorans ait, Deum esse, *infinitum & æternum, & incircumscriptibilem* Et lib. 1. cap. 12. ait, Deum esse quoddam *pelagus substantiæ infinitæ.* Sed & omnes antiqui Philosophi dixerunt, primum principium esse infinitum; licet quidam vt in ratione speciali primi principij errarunt, ita etiam errarunt circa infinitatem, quam tribuerunt primo principio, *dicentes aliquod corpus infinitum, esse primum principium,* vt notauit S. Tho. ibidem. Idem colligitur ex cap. *Firmiter,* de sum. Trinitat & fid. Cathol. vbi tamen expresse non ponitur attributum infinitatis, sed immensitatis; quæ se mutuo consequuntur.

Rationes adducuntur apud Aristotelem lib 3. physic. c. 4 t. 30. ex mente etiam Anaxinandri, & naturalium Philosophorum: item apud S. Thomam 1. cont. gent c. 43. Scotum in 1. dist. 2. q. 1. Nyphum in lib. de infinit. primi motoris, alioſque Metaphysicos lib. 12. Metaph. quos etiam ex parte examinat Molina hic q. 7. vbi addit, *plerosq; credere, infinitatem diuinæ essentiæ nondum rationibus naturalibus esse demonstratam, sed tantum fide, vt rem certam teneri.* Verum multo verius est, rem hanc quoque euidenter demonstratam esse, non quidem singulis quæ afferentur rationibus (nam & eam, quam affert S. Thomas hoc loco, plerique esse euidentē ac firmam, negant) sed indefinite hac vel illa.

2 Mihi quidem optimæ videntur illæ, quæ petuntur ex ipso conceptu diuinæ essentiæ. Prima. Deus est ens per se ac per suam essentiam: Ergo ens illimitatum, adeoque infinitum. Consequentia probatur. Quia quicquid limitatur, à sua causa efficiente limitatur, à qua esse determinatum ac limitatum accipit; vt non solum inductione patet, sed etiam ipso lumine naturali: limitare enim

enim causalitatem dicit causæ efficientis; nec vlla ratione fieri potest, vt aliquid seipsum quoad essentiam limitet. Secunda. Deus est primum ens, & prima causa effectiua in actu primo, ac independens, rerum omnium, tam existentium, quam possibilium: Ergo in sua essentia eminenter continet perfectiones rerum omnium, tam existentium quam possibilium; adeoque totum Esse rerum omnium: Ergo in omni genere Entis est infinitus: adeoque simpliciter infinitus. Tertia. Deus est actus purus, expers omnis potentialitatis: atqui si Deus esset finitus, iam hoc ipso non esset actus purus, sed ens aliquo modo potentiale, vtpote capax vlterioris perfectionis; quia ad finitum semper fieri potest accessio. plura apud citatos.

3 Vnde colligitur, non audiendos illos, qui apud S. Bonauenturam in 1. dist. 43. art. 1. quæst. 2. dixerunt, vel Deum non esse infinitum secundum essentiam & potentiam; vel DEVM esse quidem nobis infinitum, sed secundum veritatem, ac sibi ipsi non esse: qui tamen, vt apparet, potiùs in modo loquendi, quam re ipsa errarunt; respicientes duntaxat vel ad modum infinitatis, ex parte comprehensionis, vel ad actualem rei multitudinem, siue extensionem.

Assertio II. Infinitas hæc Dei propriè ac formaliter non consistit, primo in eo, quod DEVS caret principio & fine durationis; quodque nullo loco sibi adæquato concludi potest; vti significat Albertus in 1. disp. 43. art. 1. hæc enim infinitas est æternitatis & immensitatis, non essentiæ.

Nec secundo, quod propriè non definiatur, nec collocetur sub genere; quamuis inde eam explicet S. Thomas lib. 1. contra gent. cap. 43. & quidam alij: alioqui omnia prima genera essent infinita essentialiter, & maxime ipsum Ens vt Ens.

4 Nec tertio, quod Esse ipsius Dei in nullo recipiatur: quamuis inde eam infinitatē comprobent S. Thomas hic quæst. 7. art. 1. & lib. 1. contra gent cap. 34. Ferrariensis ibidem, Caietanus, alijque recentiores Thomistæ hic, vt & Richardus atque Ægidius in 1. dist. 43. non solum quia nec Esse primæ substantiæ vt sic, in aliquo verè recipitur: imò nec Esse siue existentia aliarum rerum; cum ab essentia ex veriori philosophia non nisi ratione differat, vt suppono: Sed etiam quia esto certo modo explicata illa negatio receptiōnis præbeat argumentum infinitatis, quod voluisse solum videtur S. Thomas loc. cit. eodemque sensu defenditur à Caietano, & Ferrariensi loco cit. non tamen est ipsa ratio, siue conceptus infinitatis secundum essentiam, vt non solum post Scotum loc. cit. docent Molina hic, quæst. 7. Suarez lib. 2. de Deo c. 1. Vasquez disp. 25. cap. 2. & alij, qui negant, eam S. Thomæ probationem esse demonstrationem; sed etiam Thomistæ citati eodem a. 5.

Nec quarto, quod in Deo sint infinita attributa & perfectiones simpliciter, vt quidam recentiores dixerunt: non solum, quia in DEO nulla est pluralitas talium perfectionum; cum sit vna ipse simplicissima perfectio ex quæst. præcedenti dub. 1. sed etiam quia certum non est, posse in infinitum plures semper ac plures in Deo perfectiones simpliciter simplices concipi, ac ratione distingui, vt rectè Suarez lib. 2. cap. 1. num. 3. Vasquez disp. 25. c. 1.

Nec quinto etiam propterea Deus formaliter infinitus est, quia est à se, & à nullo accepit Esse, vt existimauit Vasquez ibidem cap. 5. cuius sententiam meritò refellit Suarez loc. cit. quia licet inde efficaciter probetur infinitas DEI, vt dictum; ea tamen non est ratio formalis infinitatis, aut attributi vllius, sed essentiæ diuinæ, ex quæst. 1. dub. 1.

Assertio III. Deus ergo est formaliter infinitus secundum essentiam, quia adeo essentialiter excellens est, vt careat in sua essentia vllo termino & limite perfectionis; qualis in cæteris rebus est certus quidam gradus entis, excludens alios formaliter & eminenter; eo modo, quo aliqui possibiles sunt in perfectissimo ente. Ita Gregorius de Valentia quæst. 7. punc. 1. Suarez lib. 20. cap. 1. num. 5. Probatur tum ex dictis; quia alia ratio huius infinitatis assignari non potest: Tum quia infinitum ex ipsa nominis ratione significat negationem termini; ac proinde infinitas secundum essentiam aliud esse non potest, quam negatio seu carentia termini in perfectione essentiali; nec terminus alius in præsenti fingi potest, quam eiusmodi gradus quidam entis, limitans, vt dictum, perfectionem Essentiæ diuinæ.

Assertio IV. Attributū hoc formaliter est negatiuū; etsi fundamentaliter supponat continentiam formalem, aut eminentialem, omnis profectionis possibilis, seu cogitabilis, omniumque sine vllo termino, quæ quocunque modo perfecta cogitari possunt, etiamsi in infinitum in eis procedatur, in gradu maioris semper ac maioris perfectionis sine termino. Prima pars est communis Doctorum, ac extra controuersiam; & patet ex dictis, quia infinitum formaliter dicit negationem termini. Alteram partem recte tradit Suarez l. c. Probatur, quia infinitas hæc non est pura negatio; sed quasi in subiecto; alioqui pariter de non ente dici posset; deinde quia significat negationem termini in perfectione essentiali, necessario supponit continentiam illam omnis perfectionis possibilis; adeoque talis ac tantæ, vt nulla maior, imo nec æqualis perfectio in vllo Ente extra Deum sit cogitabilis.

Assertio V. Infinitas hæc secundum essentiam ita Dei propria est, vt contradictionem implicet, eam vlli creatæ naturæ communicari. Ita S. Thomas hic quæst. 7. artic. 2. ex communi omnium. Probatur; quia implicat contradictionem, vt ea perfectio, in qua fundatur hæc infinitas Dei, vlli naturæ, seu Enti extra DEVM communicetur, vt dictum quæst. præcedenti dub. 2. Quo fit etiam, vt Deus alium nullum, seu perfectione superiorem, seu parem habere possit, vt magis patebit quæst. 5. Cum quo tamen non pugnat, quo minus res aliquæ creatæ habeant quandam infinitatem in essendo,

Digitized by Google

quasi respectiuam, siue secundum quid, siue in recipiendo, siue in actuando, vel agendo, vt declarat S. Thomas cit. art. 2. vbi ait: *Lignum* v. g. *est finitum secundum suam formam; sed tamen est infinitum secundum quid, in quantum est in potentia ad figuras infinitas*, &c. Item; *Si sint*, inquit, *aliquæ formæ creatæ, non receptæ in materia, sed per se subsistentes, vt quidam de Angelis opinantur, erunt quidem infinita secundum quid in quantum huiusmodi formæ non terminantur, nec contrahuntur per aliquam materiam*, &c. *sednon infinitæ simpliciter*. Ita quælibet natura superior respectu inferiorum, dici potest infinita, seu infinite præstantior; quia licet inferiores perficiantur, aut multiplicentur in infinitum, nunquam tamen possunt ad præstantiam superioris naturæ pertingere. Sed de hac infinitate non est quæstio.

DVBIVM II.

Vtrum possibile sit infinitum actu, siue secundum multitudinem & numerum, siue secundum multitudinem, extensionem, aut etiam intensionem.

S. Thomas 1. p. q. 7. a. 3. & 4.

1 NOnest quidem hæc quæstio Theologica, sed philosophica, & ex principijs philosophicis dijudicanda: sed quia tamen S. Thomas eam hoc loco ex instituto pertractat, ac simul ab eius resolutione multa passim etiam in Theologia dependent, operæ pretium iudicani, eam breuiter discutere. Sicuti autem in præcedenti dubitatione, non erat quæstio de infinito in certo genere, sed de infinito simpliciter in essendo, siue secundum communissimam rationem entis; ita hoc loco non est quæstio, nisi de infinito in certo genere, quod tamen non sit solum infinitum quasi respectiue, siue secundum quid in eo genere, prout in fine præcedentis dubij dictum, sed quod absolute, sit infinitum.

Suppono autem infinitum absolute, in vnoquoque genere esse, quod in eodem genere termino caret; ac proinde secundum multitudinem infinitum est, quod nullo numero seu multitudine finitur ac terminatur. Notionem autem infiniti in quantitate continua, seu magnitudine, non existimo formaliter esse desumendam ex multitudine partium; tum quia ea formaliter est ratio multitudinis; non magnitudinis; tum quia, cum controuersum sit, an & qua ratione magnitudo partes habeat, melius in notione nominis ab ea controuersia abstrahitur. Rectius ergo & planius infinitum in magnitudine dicitur, absolutè quidem & secundùm omnem dimensionem, quod nullo termino magnitudinis secundum vllam dimensionem clauditur. Quo modo etiam Aristoteles lib. 3. phys. cap. 1. tex. 43. ait, quod infinitum est absque vllo termino extensum esse, & corpus infinitum omni ex parte in immensum esse extensum.

2 Infinitum hoc in vtroque genere quantitatis, aliud est infinitum actu, aliud infinitum potentia. Infinitum actu, de quo solo præsens mouetur quæstio, est, cum eiusmodi multitudo, aut magnitudo actu simul tota est; ita vt tam multitudinis partes illæ innumeræ actu sint omnes, non tantum materialiter ac per modum vnius, sed etiam formaliter vt multæ, ac inter se distinctæ; quam magnitudo illa nullo incrementorum ac noua adiectione egeat, qua interminabilis illa extensio compleatur, aut actu constituatur. Sicut etiam contrario sensu Vasquez hic disput. 26. cap. 1. dicit; Infinitum in potentia, dici illud, ex quo, si id tantum accipitur, quod actu existit, finitum quidem est, & terminum habet; si verò respiciantur ea, quæ adhuc ei possunt adiungi, infinitum est, iuxta Aristotelem 3. physic. cap. 6. text. 57. Vbi simul etiam consulto abstineo à ratione infiniti successiui; quod cum suas partes omnes actu non habeat, non potest propriè dici infinitum actu; licet ob aliam fortassis causam impossibile sit, vt vnquam præterierit, vt suo loco Deo volente videbimus. Solum ergo de infinito actu entis permanentis hoc loco quæstio est; eaque procedit non tantum de potentia D. I. ordinaria, sed etiam absoluta.

3 In hac autem quæstione generatim duæ sunt Authorum sententiæ. Prima est, quæ admittit eiusmodi infinitum actu tam in magnitudine, quam in multitudine esse possibile. Ita Ariminensis in 1. dist. 43. quæst. 4. Bassolis quæst. vnica art. 2. Petrus de Alliaco disput. 42. quæst. 13. art. 3. Mayron in 1. dist. 43. Bacon in 2. d. 1. quæst. 6. Maior & Almain in 3. dist. 13. quæst. vnic. Argentina in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 4. & probabilem censet Gabriel in 2. dist. 1. quæst. 3. Ockam verò saltem in multitudine rerum spiritualium; sicut & Auicenna & Algazet, quos refert S. Thomas hic art. 4. in quouis genere, multitudinis per se non ordinatæ, infinitum actu esse possibile admittunt. Cum prioribus Authoribus sentit Vasquez hic d. 26. cap. 2. & 3.

Secunda sententia negat, eiusmodi infinitum actu siue in magnitudine, siue in multitudine, esse possibile. Ita S. Thomas hic quæst. 7. art. 3. & 4. & quodlib. 9. art. 1. & quodlib. 12. art. 2. Bonauentura in 1. dist. 43. artic. 1. quæst. 3. Richardus quæst. 1. & 6. Durandus quæst. 2. Scotus in 2. dist. 1. quæst. 3. Marsilius in 1. quæst. 42. art. 3. Capreolus & Hispalensis in 1. dist. 43 quæst. 1. Batgius in 1. dist. 8. quæst. 2. Aureolus in 1. dist. 44. quæst. 1. art. 1. 2. & 3. Ferrariensis 1. cont. gent. cap. 81. Caietanus, & Thomistæ omnes hic q. 7. a 3. & 4. Albertinus tom. 2. de prædic. quant. d. 4. q. 4 5. & 6. Gregorius de Valentia q. 7. punc. 3 Equibus Aureolus, Gregorius de Valentia, & Thomistæ communiter, idem etiam aperte sentiunt de infinito secundum intensionem; tametsi aliter sentiat Albertinus.

Digitized by Google

4 Eiusdem sententiæ, teste Gregorio de Valentia, sunt omnes ferre Peripatetici cum Aristotele 3. Physic. c. 8. & lib. 1. de cœlo c. 6. quidquid hic alias de æternitate mundi dixerit; qui licet expresse non negauerit infinitum actu esse possibile, per Dei potentiam absolutam, satis tamen indicat, id simpliciter esse impossibile, vt recte Aureolus l. c. Gregorius de Valentia ibidem, & Albertinus q. 3. Et quamuis Vasquez cit. disp. 26. e. 2. nu. 9. dicat, Aristotelem ideo præsertim docuisse, infinitum esse non posse, quod existimarit, hanc rerum vniuersitatem non voluntate Dei, sed necessario ita ab æterno extitisse; ex quo etiam probat, aliud vniuersum esse non posse: tamē ex hoc ipso sequitur, Aristotelem sensisse, infinitum actu simpliciter esse impossibile; cum iuxta hanc explicationem Aristotelis, præter hoc ipsum vniuersum; simpliciter impossibile censuerit existere aliud vniuersum.

c Nec obstat, quod Aristoteles mundum posuit ab æterno; ex quo sequi videtur infinitus numerus animarum: quia Aristoteles etsi negauerit transmigrationem animarum Pythagoricam, nimirum de corpore humano in corpus bruti; non tamen aperte negauit transmigrationem Platonicam, de corpore humano in aliud corpus humanum, vt recte Albertinus cit. q. 3.

Atque hæc ipsa etiam sententia negatiua mihi semper visa est longe verior. Primo propter autoritatem; quia est multo communior, & pluriū, & grauiorum Philosophorum ac Theologorum; è quibus si Nominales excipias, cæteri prope omnes, quamuis alioqui scholis integris diuersi, in eandem conspirant, vt dictum.

Secundo, est multo planior & solidior ad 5 multa declaranda, quæ in Theologia passim occurrunt. I. Nam si infinitum actu secundum multitudinem & magnitudinem est possibile, nulla ratio est, cur non etiam sit possibilis gratia & charitas infinita secundum intensionem; id enim necessario sequitur ex doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 24. a. 7. asserentis, charitatem secundum se, nullum habere terminum intensionis, sed quantum est per se & ex se, posse intendi in infinitum: hoc vero posito, nulla plane potest assignari ratio, cur Christus Dominus secundum humanam naturā, non habuerit gratiam infinite intensam: decebat enim vel maxime, naturæ infinitæ verbi, & vnionis hypostaticæ dignitate donatæ, infinita etiam munera & ornamenta gratiæ adijci: hoc vero licet admittant Maior in 3. dist. 13. q. 9. & fuse Almain q. 1. est tamen contra communem.

II. Iuxta oppositam sententiā, nulla potest sufficiens reddi ratio, cur cum Christi merita secūdum rationem valoris moralis fuerint infinita, simpliciter, non fuerit à Deo illis destinatum æquiualens præmium, itidem infinitum simpliciter, v. g. redemptionis infinitorum hominum.

III. Si gratia sanctificans infinite intensa possibilis est, vix potest reddi ratio, cur non potius homo purus expers peccati, cum infinita eiusmodi gratia, ad satisfaciendum pro peccatis hominum fuerit missus; præsertim cum iuxta communiorem & veriorem sententiam Doctorum, peccati malitia non sit simpliciter infinita.

IV. Non facile est explicatu, cur pœna sensus in inferno, non potius secundum intensionem, quam extensionem infinita fuerit à Deo decreta; præsertim cum id & diuinæ bonitati, & bono vniuersali creaturarum, & demerito ipsius peccati, quod nullam continet malitiam infinitam secundum intensionem, fuisset conuenientius.

V. Eneruantur multæ rationes, quæ vel ad existentiam Dei, vel ad inceptionem mundi comprobandam, ab infiniti impossibilitate, passim à grauissimis Doctoribus petitæ adferūntur.

VI. Eo deuenitur, vt tantam multitudinem rerum à Deo, in omni genere Entium possibiliū, affirmetur effici, ac re ipsa effectam dari posse, vt Deus nihil amplius producere possit, vt videre est apud Vasquez cit. c. 3.

VII. Sequitur ex oppositā sententia, æternitatem & immensitatem Dei, rerum creatarum duratione & magnitudine adæquari quodammodo posse; ita vt nec Deus, sua potentia excedat creaturas; nec duratione re ipsa antecedat creaturas.

VIII. Si possibile est eiusmodi infinitum actu, cur quæso Deus ad demonstrandam magis suam sapientiam & potentiam, non produxit mundum infinitum? cur æternitate tota ante productum mundum ab opere quieuit? Hæc & similia plura, quæ iuxta nostram sententiam facilem & planam habent explicationem, consulendo etiam ipsum per se solum lumen rationis naturalis, iuxta aduersam sententiam difficillimam habent solutionem. Vt hic etiam prope dici possit, quod in simili genere scripsit Guielmus Parisiensis antiquus & grauis Theolog⁹ tract. de fide c. 2. *Ponere infinita huiusmodi, esse destruere credulitatem eorum, quæ sunt fundamentum religionis, & propter hoc religionem infundabilem facere; quare & inædificabilem* &c.

Sed & tertio eadem sententia optimis rationibus, meo quidem iudicio euidenter comproba- 6 tur; ego tres solum ad feram, easque directe primum applicabo ad euertendum infinitum actu secundum multitudinem. Prima est hæc: si enim possibile esset eiusmodi infinitum, tum id vel esset vnum tantum infinitum secundum multitudinem, vel multa: neutrum dici potest. Ergo &c. Maior patet, quia vnum, vel multa talia, passio est communissima entis cuiusque, quod tale ens dicitur; eaque inter se (virtute saltem) contradictorie opponuntur. Si enim aliquid est tale ens, aut est diuisum in plura talia; aut non est diuisum in plura talia; si primum; Ens illud erit multa talia: Si secundum, erit solummodo vnum tale.

Minor probatur; vnum enim tantum esse non posse, ita demonstratur. Si enim datum illud infinitum, esset vnum tantum infinitum secundum multitudinem, tum esset infinitum, seu infinita multitudo vnitatum tantum, nō autem binariorum, aut ternariorum, aliorumue maiorum numerorum. &c. sed consequens est impossibile. Ergo & antecedens. Maior huius syllogismi patet.

Digitized by Google

Quia sola multitudo infinita vnitatum, est vnum tantum infinitum: omnis autem multitudo infinita binariorum, aut ternariorum, est duplicata vel triplicata multitudo infinitæ vnitatum; adeoque hoc ipso iam non est vna tantum multitudo infinita, sed duplex vel triplex; sicut sola decas vnitatum, est vna decas; binariorum vero aut ternariorum decas, est duplicata, vel triplicata decas, adeoque simpliciter non vna, sed plures decades.

7 Minor huius eiusdem syllogismi, nimirum impossibile esse, vt detur infinitum actu secundum multitudinem, quod sit infinitum, seu infinita multitudo vnitatum tantum, non etiam binariorum aut ternariorum, euidenter quoque probatur; quia si infinitum hoc non est etiam infinita multitudo binariorum & ternariorum, continens videlicet infinitos binarios & ternarios, tum continebit binarios siue ternarios solũ finitos; seu, quod idem est, finitam tantum multitudinem binariorum vel ternariorum; quia inter finitam & infinitam multitudinem ternariorũ (posita ternariotum multitudine) non datur medium: at vero impossibile est, infinitum vllum secundum multitudinem continere solum finitã multitudinem binariorum vel ternariorum, aut etiam cuiuscunque numeri finiti possibilis, aut imaginabilis; quia nulla finita multitudo numerorum potest constituere vllum infinitum secundum multitudinem. Ergo impossibile est, vt detur vllum infinitum secundum multitudinem, quod sit infinitum, seu infinita multitudo vnitatum tantum, non etiam binariorum aut ternariorum, seu cuiuscunque numeri finiti possibilis.

8 Sed nec positum illud infinitum secundum multitudinem, posse esse multa infinita secundũ multitudinem, quæ in primo syllogismo erat altera pars minoris probandæ, ex priori parte, atque ex dictis euidenter itidem deducitur. Quia omnia multa talia constant ex pluribus vnitatib⁹ talium: ergo etiam multa infinita secundum multitudinem constare debent ex multis vnitatibus iufinitorum secundum multitudinem, adeoque ex pluribus infinitis secundum multitudinem: atqui iam antea probatum est, impossibile esse, vt detur infinitum secundum multitudinem vnũ tantum, prout nimirum vnum contra multa distinguitur: Ergo etiam impossibile est infinitum illud secundum multitudinem, esse multa infinita secundum multitudinem. Atque hoc argumẽtum mihi semper visum est euidens & magni roboris; neque etiamnum video, quid ad illud solide possit responderi.

9 Altera ratio est hæc. Illa multitudo est impossibilis, etiam secundum absolutam Dei potentiam, cuius pars necessario esse aut cogitari debet æqualis suo toti; sed in multitudine actu infinita, pars aliqua necessario esse aut cogitari debet æqualis suo toti: Ergo impossibilis est talis multitudo actu infinita, etiam secundum absolutam Dei potentiam. Maior propositio patet; quia implicat contradictionem, vt in vlla multitudine rerum pars adæquet suum totum; quia totum continet partem, & aliquid supra partem, in quocunque genere quantitatis, vt supponit etiam Euclides lib. 1. Elementorum.

Minor propositio probatur: Sit enim multitudo aliqua actu infinita, tum hæc necessario cõtinet infinitam multitudinem vnitatum, binariorum, ternariorum, decadum, centenariorũ, millenariorum, & cuiusuis numeri finiti, vt etiam in præcedenti demonstratione ostensũ. Hoc posito, ita argumentor. In hoc infinito secundum multitudinem, infinita vnitatum multitudo est veluti pars quædam respectu infinitæ multitudinis decadum; & eadem tamen infinita multitudo vnitatum, est æqualis infinitæ multitudini decadum: Ergo necessario in hoc infinito secundum multitudinem, pars est æqualis suo toti: Eademque est ratio cuiuslibet alterius infinitæ multitudinis actu.

Maior propositio huius syllogismi patet; quia 10
sicut se habet vnitas ad vnam decadem, & mille vnitates ad mille decades; ita infinitæ vnitates, ad infinitas decades; pari enim proportione decas quælibet cuiusuis multitudinis & numeri nouem partibus vnitatem eiusdem ordinis excedit, vt patet: aut vero vnitas se habet ad vnam decadem veluti pars ad totum, adeoque est pars decadis, vt patet: Ergo etiam infinita multitudo vnitatum, est veluti pars quædam infinitæ multitudinis decadum.

Minor propositio eiusdẽ syllogismi, nimirum eandem multitudinem infinitam vnitatum esse æqualem infinitæ multitudini decadum, probatur. Quia eadem infinita multitudo vnitatum est, & continet etiam in se infinitam multitudinem decadum: Ergo est æqualis infinitæ illi multitudini decadum, cuius est pars. Consequentia patet. Quia infinita multitudo decadum ad aliam infinitam multitudinem decadum, habet se sicut vna decas ad vnam decadem, & decem decades ad alias decem; & ita de quauis multitudine decadis, ad similem multitudinem decadis comparata, loquendo: in quibus vtique vnum extremum alteri comparatum est æquale.

Antecedens huius argumenti probatur ex dictis præcedenti demonstratione. Quia impossibile est, vt infinitũ vnitatũ non sit etiã infinitũ binariorũ, ternariorũ, & cuiusuis numeri assignabilis. 11

Qua de causa etiam non valet obiectio; etiamsi quidem infinita multitudo vnitatum sit, & contineat infinitam multitudinem decadum, tamen diuersam esse rationem infinitæ multitudinis decadum, cuius infinitas illa vnitatum pars fuit designata, ab ea infinita multitudine decadum, quæ in ipsa infinitate vnitatum continetur; illam enim semper adhuc nouem partib⁹ excedere, & maiorem esse istâ: nam ego continuo illas ipsas nouem partes accipio, & euidenter cõuinco, etiam in hac infinita multitudine vnitatũ (quæ in altera illa infinita multitudine decadum veluti pars continebatur) contineri debere: quia est infinita multitudo cuiuscunque numeri assignabilis seu cogitabilis; ac proinde etiamsi, non dico decies, sed decies millies, & millies millies, & quidquid demum adhuc numeri cogitari potest, decadem multiplices, nihilominus

tamen

tamen infinita illa multitudo vnitatum, vti continet infinitam multitudinem decadum, ita pariter etiam continebit infinitam multitudinem quamuis millies, & millies millies multiplicatarum decadum; alias enim eo ipso iam non esset infinita multitudo nec decadum, nec vnitatum.

12 Idem argumentum apertius declaratur hac hypothesi facta, quam opposita sententia non potest negare esse possibilem. Ponamus igitur infinitam multitudinem hominum esse productam; quorum singuli duobus oculis fuerint prediti, vti consuetus naturæ cursus postulat. Tum in hac infinita multitudine tam oculorum, quam hominum, vtique multitudo oculorum erit dupla ad multitudinem hominum; quandoquidem cum singuli homines habeant duos oculos, necessario illa multitudo infinita oculorum continet multitudinem hominũ conduplicatam: hinc sequitur eam multitudinem hominum habere se ad multitudinem oculorum, veluti vnum ad duo, adeoque veluti partem ad totum; & nihilominꝰ tamen multitudo infinita hominum, quia est & continet etiam infinitam multitudinem binariorum, vt dictum, non potest non esse æqualis infinitæ multitudini oculorum; quæ & ipsa alia non est infinitas, quam infinitas binariorum, ex hypothesi.

13 His addo tertiam hanc rationem. De ratione actu infiniti secundum multitudinem est, vt actu & formaliter contineat omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine infinita; sed impossibile est, vt detur eiusmodi infinitum actu secundum multitudinem, de cuius ratione sit, in se actu & formaliter continere omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine infinita. Ergo impossibile est dari infinitum actu secundum multitudinem, seu multitudinem actu infinitam.

Maior propositio probatur primo ex notione infiniti actu, quæ significat aliquid secundum se totum actu existens, quod in eo genere, quo infinitum est, nullo termino clauditur & finitur; atqui si multitudo quæpiam non actu contineret omnem multitudinem possibilem in eadem multitudine, iam hoc ipso in suomet genere multitudinis clauderetur & finiretur aliquo termino; vt pote non continens formaliter omnem perfectionem formaliter possibilem in eodem genere: Ergo de ratione actu infiniti secundum multitudinem est, vt actu & formaliter contineat omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine.

14 Secundo probatur eadem maior à simili. Sicut enim se habet infinitum actu secundum essentiam, siue secundum communissimam rationem Entis, ad omnem omnino perfectionem Entis; ita se habet infinitum actu in certo genere, puta secundum multitudinem, ad ipsam multitudinem Entis; nulla enim ratio disparitatis potest assignari: sed de ratione infiniti actu secundum essentiam est, vt actu & formaliter contineat omnes perfectiones, quæ sunt possibiles formaliter in tali Ente, nimirum perfectissimo & simpliciter infinito secundum essentiam, vt patet ex dubio præced. & supra quæst 2. dub. 2. Ergo etiam de ratione actu infiniti secundum multitudinem est, vt actu & formaliter contineat omnem multitudinem formaliter possibilem in ea multitudine.

Minor propositio superioris syllogismi probatur. Quia si quod esset tale infinitum actu secundum multitudinem, de cuius ratione esset, actu continere omnem multitudinem possibilem in eo genere multitudinis, v.g. hominum; tunc non solum etiam de potentia Dei absoluta, nullus hominum præterea eidem multitudini noua productione adijci posset; quod aduersarij facile concedent; sed & simul vel vnico homine, aut binario hominum ex ea multitudine subtracto, ea statim hoc ipso desineret esse actu infinita; eo vero binario denuo per nouam productionem diuinam adiecto, rursum redderetur actu infinita; quandoquidem & facta illa subtractione, non amplius contineret totam multitudinem possibilem, & reparata subtractione, denuo haberet ex hypothesi: sed vtrumque aperte est impossibile, manifestamque inuoluit contradictionem; subtractio enim finiti numeri ab infinito, non potest tollere infinitum; nec etiam additio numeri finiti ad finitum, potest facere ex finito infinitum: quandoquidem ex duobus numeris finitis non potest fieri infinitum, vt patet: Ergo impossibile est dari infinitum actu secundum multitudinem, de cuius ratione sit, actu continere omnem multitudinem possibilem in eo genere multitudinis. Et vero procedit hæc ratio, etiamsi dicatur, satis esse, vt infinita multitudo actu contineat omnem multitudinem possibilem in eo genere multitudinis, v. g. omnes numeros secundum speciem: quia nihilominus subtracta vnitate, aut binario, mutatur numerus ac species numeri. Omitto plura.

15 Quemadmodum vero demonstrationes Arithmeticæ possunt accommodari etiam ad magnitudines, seu quantitatem continuam, ita etiam hæ ipsæ demonstrationes, quas contra infinitum actu secundum multitudinem produximus, facile etiam ad refellendum infinitum actu secundum magnitudinem accommodari possunt. Prima quidem in hunc modum. Detur enim quælibet eiusmodi magnitudo infinita actu, tum vtique fatendum erit, eam continere infinitam multitudinem cuiuslibet mensuræ seu magnitudinis finitæ, v. g. infinitam multitudinem pedum, quia ex multitudine finita pedum, aut vllius magnitudinis finitæ non potest constitui infinitum, vt patet. Tum ita argumentando progredior. Aut ea multitudo infinita pedum erit vna tantum; vel plures: neutrum potest dici: non vna tantum; quia continet infinitos etiam binarios, ternarios &c. pedum. Nec plures; quia omnia plura talia constant ex vnitatibus pluribus talium:

cum

cum ergo impossibile sit, dari multitudinem infinitam pedum vnam tantum, seu quæ sit infinitas vnitatum pedum tantum, non etiam binariorum, vel ternariorum &c. sequitur, impossibilem esse talem magnitudinem constantem ex pluribus infinitatibus, seu multitudinibus infinitis pedum: Ergo simpliciter impossibile est, dari magnitudinem actu infinitam; seu infinitum actu secundum magnitudinem.

Secunda ratio hoc modo accommodabitur ad infinitum actu secundum magnitudinem; supposito primo syllogismo, qui communis est. Sit enim magnitudo aliqua actu infinita, tum hæc necessario continebit infinitas vnitates, binarios, ternarios, decades, centenarios, millenarios pedum, vt antea dictum. Hoc posito; cum infinitæ vnitates pedum se habeant, ad infinitas decades pedum sicuti pars ad totum; & nihilominus tamen eædem infinitæ vnitates pedum, necessario sint etiam infinitæ decades pedum, vt antea dictum, euidenter sequitur, in eiusmodi magnitudine partem esse æqualem toti, vt pluribus in eodem argumento secundo superius diximus.

16 Tertia ratio itidem ad idem institutum facile accommodatur. Quia de ratione infiniti actu secundum magnitudinem est, vt actu ac formaliter contineat omnem magnitudinem formaliter possibilem in eo genere magnitudinis, vt antea in simili probatum est: atqui impossibile est, dari tale infinitum secundum magnitudinem, de cuius ratione sit, actu ac formaliter continere omnem magnitudinem formaliter possibilem in eo genere magnitudinis; quia tunc sublatâ solummodo magnitudine vnius v. g. pedis, iam desineret esse infinita magnitudo; adiectâ vero rursum magnitudine eiusdem pedis, iam efficeretur iterum infinita magnitudo: quorum vtrumque tamen est impossibile; quandoquidem ex duabus magnitudinibus finitis, non potest fieri magnitudo infinita, vt dictum.

Sed & eædem rationes omnes, pariter etiam contra infinitum actu secundum intensionem, facile applicari possunt. Prima quidem hoc modo. Detur enim quælibet eiusmodi qualitas actu infinita secundum intensionem; tum vtique fatendum erit (supposita communi philosophia) eam continere infinitam multitudinem non solum graduum simplicium, sed etiam duplicatorum, triplicatorum &c. quia si duplicatos, aut triplicatos gradus solum finities contineret, iam non posset in qualitate illa esse infinitas graduum; adeoque nec ipsa esset infinita secundum intensionem. Hoc posito; aut ea multitudo infinita graduum erit vna tantum, aut plures: non vna tantum; quia est infinitas graduum multiplicatorum, vt duplicatorum & triplicatorum &c. vt dictum: nec plures; quia vbi non est vna tantum infinitas graduum, nō possunt etiam esse plures infinitates graduum; quandoquidem omnis multitudo constat ex vnitatibus: Ergo simpliciter est impossibile, esse vllam multitudinem graduum intensionis actu infinitam, siue qualitatem infinite intensam.

Secunda ratio contra infinitatem intensionis ita explicatur; supposito primo syllogismo, qui communis est. Sit enim qualitas aliqua infinitum intensa, tum hæc necessario continebit infinitas vnitates, binarios, ternarios, decades, centenarios, millenarios graduum, vt antea dictum. Hoc posito, cum infinitæ vnitates graduum ad infinitas decades graduum se habeant velut pars ad totum, & nihilominus tamen eædem infinitæ vnitates graduum, necessario sint etiam infinitæ decades graduum, vt antea dictum, manifeste sequitur, in eiusmodi qualitate infinite intensa, siue in multitudine illa infinita graduum, partem esse æqualem toti, vt superius est declaratum. 17

Tertia ratio ita ad intensionem accommodatur. Quia de ratione infiniti actu secundum intensionem est, vt actu ac formaliter contineat omnem intensionem graduum formaliter possibilem in eo genere intensionis, vt antea in simili dictum: sed est impossibile, vt detur tale infinitum: tunc enim sublato quolibet minimo gradu, aut certe finito numero graduum, desineret esse infinitum; eo vero denuo reparato, rursus constitueretur infinitum: quorum vtrumque est impossibile; quandoquidem ex duabus intensionibus finitis, non potest fieri intensio infinita, vt antea in simili dictum. 18

Cæterum contra hanc doctrinam, & demonstrationes, quæ pro ea adferri solent, tria potissimum obijciuntur, quæ paucis ac breuiter dissoluenda sunt. Primum est; quod rationes eiusmodi applicari etiam possunt contra infinitum in potentia, cogitationum v. g. in omnem æternitatem futurarum; quale infinitum tamen constat non esse impossibile, vt patet etiam apud Aristotelem 3. physic. cap. 6. Ergo cum contra hoc nihil probent, nihil etiam concludent contra possibilitatem infiniti actu. Respondeo distinguendo antecedens; procedunt enim quidem contra infinitum in potentia, ita vt probent, eiusmodi infinitum in potentia nunquam posse fieri infinitum actu, v. g. vt cogitationes in omnem æternitatem futuræ, actu simul existant in rerum natura: at non procedunt tamen contra infinitum in potentia, ita vt probent, illud ipsum in suo genere impossibile esse: quia non est absurdum, nec impossibile, vt detur aliqua multitudo actu finita, ad quam semper quidem in infinitum fieri possit accessio partium; sed solummodo vt infinitæ illæ partes omnes actu existant: sicut enim implicatio contradictionis respectu alicuius totius, v. g. Hircocerui, recte quidem probat, totum illud simul existere nunquam posse; at vero nunquam probat, partes illius totius, v. g. Hircum & Ceruum per se aut successiue existere non posse; ita etiam implicatio con-

tradi-

contradictionis respectu infiniti, velut cuiusdam Totius, probat quidem totum illud secundum omnes suas partes simul actu existere non posse; at vero non probat, partes etiam ipsas per se & successiue, infinitâ quadam progressione, existere non posse; etsi, quia implicat dari infinitum actu, implicet itidem contradictionem, eiusmodi partes omnes simul existere, tunc enim esset infinitum actu: cum iam actu quidem sit infinitum in potentia; sed infinitum actu nec sit quidem in potentia.

19 Secundo obijcit speciatim Vasquez disput. 63. cap. 2. hoc argumentum. In ea multitudiue, quam Deus simul in conspectu habet, siue ea sit rerum possibilium, siue futurarum, nulla habita ratione aliarum, quæ illi multitudini addi possent, non possumus assignare primam & vltimam; ergo est actu infinita. Respondetur negando consequentiam; quia hæc non est ratio adæquata Infiniti actu, sed vt præterea partes eius omnes re ipsa existant, vt dictum. Nec obstat, quod actu, & simul, omnes eæ cogitationes Deo obijciantur; quia à conditione seu modo ipsius Esse obiectiui ad conditionem seu modum Esse subiectiui aut formalis, non valet argumentatio, vt patet. Et vero magnum est discrimen inter productionem infiniti, & eius cognitionem. Productioni enim infiniti, cum sit actio externa DEI, non repugnat aliquo modo esse imperfectam; ita nimirum vt per eam, infinitum ad actum, potentiæ adhuc permixtum, deducatur; imò ob ipsius infiniti repugnantiam, impossibile est, eiusmodi productionem finiri, & ad completum omnino actum terminari; quo fit, vt semper aliqui supereſſe debeat potestati producentis, quod necdum sit productum: at cognitio infiniti cum sit actio immanens Dei, vndique completa & inuariabilis esse debet, adeoque actu tendere in omnia, in quæ potest, vt suo loco inferius dicetur.

Quod si dicas; Infinitum actu cognoscitur à DEO velut possibile: Ergo Infinitum actu est possibile. Respondeo distinguendo antecedens, id enim verum est, si vocula *actu* denominet verbum seu prædicatum, *cognoscitur*; at vero si denominet subiectum, nimirum *Infinitum*: falsum est: vnde negatur consequentia. Ad quem modum recte etiam ad hoc argumentum respondet Gregorius de Valentia loco cit. & fuse Albertinus tom. 1. princip. 4. q. 5. punc. 8. & tom. 2. de quant. disp. 5. quæst. 2.

Neque pro se merito Vasquez citatus allegat S. Thomam, Bonauenturam, Richardum, Caietanum, Ferrariensem; quasi Deo tribuant cognitionem futuræ multitudinis actu infinitæ: quandoquidem S. Thomas alijque citati expresse negant infinitum actu esse possibile; neque eam voculam vspiam addiderunt ad terminum infiniti; sed indefinite dixerunt, Deum cognoscere infinita, seu infinitum, nimirum in potentia, modo explicato.

Tertio multos torquet communis ratio & conditio cuiuslibet continui quanti permanentis: in quo re ipsa & actu infinita multitudo partium seu terminorum inesse videtur. Primo enim in quolibet continuo permanente (successiuum enim, quia partes suas actu existentes non habet, non facit ad propositum;) sunt infinita cuiusque generis indiuisibilia, nimirum puncta, lineæ, superficies. Secundo in vnoquoque eiusmodi continuo sunt infinitæ partes proportionales & communicantes. Tertio sunt etiam infinitæ partes æquales vnicertæ, non communicantes inter se. Nam in corpore quadrato, vel etiam columna aliqua, est linea spiralis, ab imo ad summum ascendens, continens infinitas lineas æquales, vt præter Conimbricenses lib. 6. Physic. cap. 2. quæst. 1. art. 3. fatetur etiam Suarez in Metaph. disputat. 40. sec. 5. num. 48. In quolibet itidem angulo rectilineo, continentur infiniti anguli contingentiæ inter se non communicantes, & vni certo æquales, vt colligitur ex lib. 3. Euclidis propos. 16. Denique partes æquales continui non possunt vllo numero finito definiri; quia quotcunque assignatæ fuerint, plures possunt assignari, si vnaquæque rursum in duas partes æquales diuidatur. Ergo infinitum actu non solum possibile est, sed etiam re ipsa datur. 20

Hoc argumento illi, qui admittunt tam indiuisibilia, quam partes constituentes, seu aliquotas, seu aliquantas, actu esse in continuo; & quidem etiam plures & distinctas, non quidem actu diuisionis realis; sed distinctionis entitatiuæ; atque interim tamen negant Infinitum actu esse possibile; fateor admodum premuntur; & meo iudicio à difficultate argumenti extricare se non possunt. Aiunt enim, esse quidem multitudinem infinitam indiuisibilium, partiumque etiam diuisibilium in continuo, eamque multitudinem actu existere totam; non tamen esse Infinitum actu; quia omnia constituant quantitatem seu magnitudinem solum finitam; vtpote quæ nihilominus seu puncto primo & vltimo, seu superficie extima terminetur & finiatur: in multitudine vero non implicare contradictionem, multitudinem infinitam partium actu existentium, quando illæ non sunt actu diuisæ, sed per modum vnius constituunt vnum aliquod ens continuum. Omitto illos, qui dicunt, in multitudine non esse impossibile infinitum actu in entibus incompletis, vel etiam substantijs spiritualibus: qui argumentis superius propositis aperte refelluntur. 21

Ad priores vero quod attinet, licet ea ratione, vtcunque defendatur, in permanenti continuo locum non habere infinitum actu secundum magnitudinem; non tamen video, qua ratione defendi possit, non esse illic infinitum actu secundum multitudinem; cum Authores isti fateantur, indiuisibilia omnia, vti & partes communicantes, ac non communicantes 22

continui,

continui, actu esse in continuo; ac simul etiam esse actu non solum multas, sed etiam infinitas. Sic enim argumentor. Infinitum actu secundum multitudinem, est multitudo quædam nullo termino alicuius numeri definiti concluſa, cuius partes innumeræ actu omnes existunt, non tantum materialiter ac per modum vnius, sed etiam formaliter vt multę sunt, ac inter se quacunq; demum ratione distinctæ; etiamsi actu non sint separatæ ac diuisæ: Ergo in vnoquoque continuo permanente datur actu infinitum secundum multitudinem. Et confirmatur argumentum. Quia adest actualis multitudo ac pluralitas partium actu existentium, & non finita; ergo infinita multitudo actualis partium simul existentiũ: Ergo infinitum actu.

23 Respondeo igitur ad argumentum aliter; & in hærendo, vt opinor, antiquæ Aristotelis Philosophiæ dico: in corpore quanto, seu in magnitudine, præter vnam forte superficiem corpus ambientem, cætera indiuisibilia realiter ac physicè non esse, sed solum consideratione mathematica, vt recte docuit inter alios Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 13. quæst. 6. cuius sententiam etiam velut probabilissimam defendunt Conimbricenses lib. 6. Physic. cap. 2. quæst. 1. art. 4. Idem fuse prosequitur Albertinus tom. 2. de quant. disp. 3. quæst. 7. qui vlterius etiam progressus, dicit superficiem illam pure terminatiuam, non esse positiuam & realẽ, quod docuit etiam Durandus.

1 Eodem modo respondeo: partes continui seu proportionales & communicantes, seu non communicantes, formaliter & actu non esse in continuo; ita nimirum, vt sint actu plures, & à parte rei distinctæ, sed solum in potentia, etsi quidem ibi sint actu materialiter & secundum entitatem suam, quatenus idem materialiter sunt cum ipso toto continuo: quo fit vt in continuo non sit actualis vlla partium multitudo seu numerus, nec finitus, nec infinitus, nec indiuisibilium, nec partium componentium, siue communicantium, siue non communicantium, sed solum in potentia. Plura Albertinus cit. tom. 2. disp. 3. de quant. q 6. Optime etiam Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theol. post med. ait: Euclidem de lineis tractare nusquam existantibus.

Et ratio est; quia ad pluralitatem entium requiritur diuisio siue disterminatio eorundem, continuum autem homogeneum est vnum quoddam totum plane indiuisum & indisterminatum, nec est vllum in eo à parte rei principium distinctionis actualis partium: Ergo nulla est in eo actualis distinctio seu pluralitas partium; adeoque nec actu & formaliter partes, vtpote quæ sine multitudine actuali esse non possunt; sed est vnum totum continuum vniforme; quod tamen & intellectu per designationem, vel etiam actuali diuisione & separatione diuidi potest in partes, & quidem in infinitum syncategorematice; ita tamen, vt per rationem solum pluralitas partium secundum rationem; per actualẽ vero & realem diuisionẽ actualis pluralitas partiũ constituatur. Accedit, quod si in continuo essent actu partes, tunc illę ipsę vtiq; essent, quæ post actualẽ separationẽ existunt: at hæ in ipso continuo actu antea non erant: quia nõ erant termini, quib⁹ in ratione talis partis constituuntur: non solum quia secundum eam, quam antea asseruimus sententiam, in ipsa profunditate magnitudinis nulla sunt indiuisibilia realia actu; sed quia secundũ cõmunem etiã aliorũ sententiã, diuisibilia terminantia primum per actualem diuisionem continui generantur: cum ante diuisionem, vnum & idem punctum esset principium vnius dimidiæ partis, & finis seu terminus alterius, vt perspicue docet Aristoteles lib. 8. Physic. text. 68. vbi docet, eum qui dimidium in cõtinuo numerat siue distinguit, necessario numerare vnum punctum vt duo.

Dices, in ipso continuo, etiam ante omnem diuisionem, tota entitas realis partium iam antea erat; ita vt entitas vnius partis non esset entitas alterius, nec adeo pars vna esset altera: Ergo ante omnem designationem vel diuisionem, erat ibi aliqua pluralitas partium. Respondeo, negando consequentiam; quia ex negatione identitatis partium inter se, non recte infertur positiua positio & distinctio partium: sicut ex negatione identitatis hircocerui cum ceruo, non sequitur positiua positio & distinctio vtriusque extremi: propterea enim non erat identitas illarum partiũ, quia ipsæ partes illæ actu non erant. 24

Si dicas; ante omnem diuisionem in continuo, entitas vnius partis erat in continuo, & tamen re ipsa erat distincta realiter ab entitate alterius partis: Ergo erat pluralitas partium, ante omnem diuisionem. Respondeo distinguendo antecedens: erat enim ibi quidem ante diuisionem entitas vnius partis, vt & cæterarum omnium, in quas postea facta est diuisio, quasi materialiter, in quantum idem sunt cum continuo, absque vlla actuali multitudine & numero partium: sed non formaliter, in quantum erat entitas huius vel illius partis, quæ primum ex designatione vel diuisione enata fuit.

Eadem ratione dicendum est, multo minus 25 in continuo actu esse illas figuras angulorum, triangulorum, circulorum spiralium, linearum &c. non magis, quam in cœlo actu & realiter sunt circuli illi cœlum describentes, & figuræ syderum, puta Zodiacus cum suis signis, linea ecliptica, æquinoctialis, Tropici &c. item figuræ Canis, Serpentis, Vrsi &c.

Atque hæc plane est doctrina Aristotelis in multis locis. Vt quando lib. 7. Physic. tex. 37. ait: *Namque in toto nulla pars inest, nisi potestate*: quanquam cum hic loqui videatur etiam de parte aliqua totius per aggregationem, vt est granum milij respectu modij; hic locus non ita conuincit. Apertius lib. 8. Physic. tex. 68. *In continuo autem*, inquit, *insunt quædam infinita dimidia, non actu, sed potestate; quod si actu fuerint, continuum non facient.* Et inferius ad Zenonis argumentum respondens, ait. *Quare ad interrogantem, si infinita aut in tempore, aut in lon-*

gitudine

gitudine possint transiri, dicendum est, partim posse, partim non posse. Quæ enim actu sint, non posse; quæ autem potestate, posse. Item lib. 3. Metaphys. cap. 5. vel 10. tex. 17. docet, superficiem esse in solido, sicut Mercurius in rudi lapide. *Et ad hæc*, inquit, *eodem modo ineſt in solido quælibet figura. Quare si neque in lapide Mercurius est, nec in cubo dimidium cubi, ita vt determinatum sit, profecto nec superficies: nam si quæcunque esset, & ea profecto esset, quæ dimidium determinat.* Eadem autem ratio est in linea, puncto, & vnitate. Et lib. 5. Metaph. tex. 31. *Continuum autem & finitum, cum vnum quid constat ex pluribus, quæ insunt, maxime quidem potestate; sin minus actu.* Et similia multa passim habet alibi, speciatim lib. de animal. motu c. 2. & lib. 3. de anim. c. 6. tex. 25.

Et consentit S. Augustinus lib. quant. anim. cap. 11. vbi docet, longitudinem sine latitudine in corpore non inueniri; sed sola mente cogitari. Et lib. 7. de genes. ad lit. cap. 21. ait, lineas, quæ per longum secari non queunt, in corpore non posse inueniri.

26 Eandem sententiam Aristotelis, quoad partes continui, aperte tradunt Themistius, Simplicius, Aphrodisæus, Auerroes, alijque antiqui Aristotelis interpretes; inprimis S. Thomas in cit. tex. 37. Physic. vbi ait: *Pars in toto non est in actu, sed in potentia, maxime in continuis. Sic enim aliquid est ens, sicut & vnum: vnum autem est, quod est in se indiuisum, & ab alijs diuisum: pars autem, prout est in toto, non est diuisa actu, sed in potentia tantum. Vnde non est actu ens, neque vna, sed in potentia tantum*, &c. De qua re plura Conimbricenses loc. cit. Albertinus citata ca. quæst. 6. & 7. Qui recte etiam notant, quando Aristoteles in prædicamentis, & alibi subinde de punctis & lineis, tanquam de entibus positiuis actu existentibus in rerum natura loquitur, id vel non vt ex proprio, sed aliorum sensu, ac veluti recepta suppositione, siue postulatione Mathematicorum, vt colligitur ex 8. Physic. tex. 14. vel secundum designationem rationis accipiendum esse. Cuius generis est illud, quod cap. 5. de quant. & lib. 5. Physic. cap 3. tex. 26. ait; *Continuum esse, cuius partes communi termino copulantur*: hoc est, copulari cogitantur: cum fundamento in re, quod est ipsa actualis indiuisio partium. Manauit enim ea definitio ab antiquis Geometris, qui ad suas demonstrationes conficiendas, vti in corpore varias figuras linearum, planorum, atque etiam corporum; nonnunquam etiam lineas in infinitum protensas, quadam suppositione posuerunt; ita etiam indiuisibilia eiusmodi non realia & positiua, sed imaginaria constituerunt.

Vnde etiam non placent illi, qui dicunt, partes quidem in continuo non esse actu separationis, esse tamen actu existentiæ: nusquam enim ita loquitur Aristoteles, & S. Thomas: & si essent ibi actu existentiæ, non potuissent illi absolute negare, esse ibi actu; quia quodlibet est, vel non est actu, secundum actum existentiæ; & qui dicit esse ibi actu existentiæ, quid aliud dicit, quam ibi habere actum existentiæ, adeoque actu existere? Aristoteles autem, & Sanctus Thomas negant actu existere, nimirum secundum formalem rationem huius & illius partis; licet entitas eorundem existat, vt dictum; cuius rei rationem & iam antea assignauimus, & ipsemet Sanctus Thomas ibidem explicauit.

Obijcies. Si in continuo non sunt actu partes componentes continuum; ergo nos male superius; cum infinitum secundum magnitudinem & intensionem oppugnaremus, in nostris rationibus assumpsimus, in eiusmodi continuo esse infinitam multitudinem pedum, siue graduum &c. ex qua denique infinitate secundum multitudinem, deduximus etiam impossibilitatem infiniti, secundum magnitudinem, & intensionem. 27

Respondeo, nos vere supposuisse, in quolibet continuo secundum magnitudinem infinitam multitudinem pedum; & in infinito secundum intensionem, infinitam multitudinem graduum intensionis; non quæ re ipsa & actu esset in vtroque continuo; sed potentia: ita tamen, vt secundum eam sententiam, quam oppugnabamus, plane in actum posset reduci. Ea enim sententia ponebat, actu infinitum secundum mulitudinem & magnitudinem esse possibile; tum ergo nos recte assumpsimus in quolibet infinito secundum magnitudinem, potentia esse infinitam partium non communicantium multitudinem: quæ proinde in actum à Deo sine vlla difficultate vtique possit reduci: item in quolibet infinito secundum intensionem potentia esse infinitam multitudinem partium seu graduum intensionis, itidem non communicantium: quæ proinde etiam à Deo in actum possit reduci. Quamuis enim Deus non possit reducere in actum partes omnes, quæ in continuo potentia sunt communicantes & proportionales, potest tamen non communicantes determinatæ magnitudinis; & quidem etiam infinitas, si infinitum secundum multitudinem, contradictionem non implicet. Itaque nos solide processimus, argumentando ex hypothesi, quam aduersarij non negant, neque negare possunt: supponendo in quolibet infinito actu infinitam multitudinem partium non communicantium, quæ ex potentia in actum possit reduci, vt dictum. 1

Obijci etiam præterea possent infinita spatia extra cœlum; vt & infinitus valor moralis operum Christi: quæ cum non sint entia successiua, nec successionem includant, non possunt non esse infinita actu in suo genere. Sed respondeo, spatia extra cœlum non esse: vt dicetur dub. 4. adeoque esse non Ens, cuius nullæ sunt proprietates; quodque proinde nec infinitum est, nec finitum. Valor etiam operum Christi solum habet esse morale, non physicum: in quo etiam nulla est realis 28

Digitized by Google

multitudo aut infinitas; nec secundum numerum, nec secundum magnitudinem, aut intensionem. Et licet in eo destingui possint ratione quidam quasi gradus Valoris; re ipsa tamen illic nulla est multitudo eiusmodi graduum. Cum igitur in hoc infinito nou sit vlla actualis & realis multitudo vel magnitudo; non continet id vllam implicationem contradictionis, qualis in reali multitudine vel magnitudine actu infinita cernitur.

DVBIVM III.

An, & qua ratione Deus sit immensus, & vbiq; præsens; & an ex operatione Dei hoc colligatur.

S. Thom. 1. p. q. 8. a. 4.

1 TRriplex est quidem hæc quæstio, an & qua ratione Deus sit immensus; & an sit vbiq; præsens; & an ex operatione Dei hoc probetur: Sed quia quæstiones connexæ sunt, ad eas omnes sequentibus assertionibus respondebimus. Prius tamen notandum ex Alensi 1. part. quæst. 6. memb. 1. etsi quidem vocabulum *immensitatis* generatim significare possit infinitatem DEI, siue quoad Esse, seu essentiam secundum se; quo modo simpliciter & absolute dicitur infinitas, de qua actum dub. 1. siue quoad Esse diuinum in ordine ad intellectum; quo modo dicitur incomprehensibilitas, de qua agendum quæst. 6. siue in ordine ad durationem, quo modo dicitur æternitas; hoc loco tamen proprie atque absolute significare infinitatem Esse diuini in ordine ad locum, quo modo etiam dicitur Incircumscriptio, seu potius *Incircumscriptibilitas.*

Assertio 1. Deus simpliciter & absolute est immensus, seu incircumscriptibilis in ordine ad locum. Est de fide ex Concilio Lateranensi capit. *Firmiter* de sum. Trinitat. & fid. Catholic. vbi distincte definitur & dicitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus DEVS, immensus, æternus, & incommutabilis, incomprehensibilis.* Idem habetur in Symbolo S. Athanasij; & in Scriptura, Baruch. 3. v. 25. *O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Et Psalm. 144. v. 3. *Et magnitudinis eius non est finis.* Idem passim asserunt SS. Patres; & probat euidens ratio, vt dicemus.

2 Assertio II. Deus secundum suam substantiam ita immensus est, vt huius mundi ambitu, seu quibuslibet finitis spatijs nequaquam concludatur vel definiatur, aut definiri vllo modo possit; siue loquamur de vi eius replendi loca plura ac plura in infinitum in actu primo, siue etiam de actuali eius existientia, quæ proinde nullo loco terminatur aut concluditur. Est extra controuersiam apud Scholasticos Doctores; nec potest sine errore negari; Patet ex Scriptura, quæ hoc aperte asserit 3. Reg. 8. vers. 27. *Si enim cœlum, & cœli cœlorum, te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui.* Iob. 11. vers. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terrâ mensura eius, & latior mari.* &c. Quæ verba tametsi non sunt ipsius Iobi, sed Sopharis Naamathitæ; sunt tamen ab Ecclesia & Ecclesiasticis Doctoribus passim recepta, & adhibentur ad idem institutum comprobandum. Similia sunt illius Eliphaz Themanitæ Iob. 22. vers. 12. *An non cogitas, quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur.* Item Isaiæ 40. vers. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera?* Vbi Deus quasi extra omnem substantiam rei creatæ positus describitur. Idem canit Ecclesia: *Quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.*

Idem expresse docent SS. Patres. Optime Sanctus Dionysius cap. 9. de diuin. nom. ait, Deum omnia penetrare, & *super omnem magnitudinem se diffundere.* Et in eundem sensum eleganter S. Augustinus lib. 7. Confess. c. 5. *Constituebam*, inquit, *in conspectu Spiritus mei vniuersam creaturam, & feci vnam massam grandem, distinctam generibus, sane finitam; te autem Domine ex omni parte ambientem eam & penetrantem, sed vsquequaque infinitum, tanquam si mare esset vbique & vndique, per immensa spatia, infinitum solum mare. & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam, tamen piena esset spongia illa ex omni parte sua immenso mari. Sic creaturam tuam finitam, te infinito plenam putabam, & dicebam: Ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus, & ecce quomodo ambit, & implet ea?*

Idem euidenter probatur ex infinitate DEI. 3
Nam immensitas Dei, seu magnitudo virtualis, siue quod idem est, vis Dei existendi in rebus ac locis omnibus, non minus infinita est, quam ipsa eius essentia secundum se, ex qua secundum rationem nostram quasi profluit: Sed essentia DEI secundum se est simpliciter infinita, ex dub. 1. Ergo & immensitas seu magnitudo Dei virtualis, seu vis existendi in rebus omnibus, itidem simpliciter infinita est: Ergo nec vis eius existendi in locis, nec actualis eius existentia (à locis vtique in dependens) vllo finito spatio seu loco terminari ac definiri potest.

Assertio III. Deus re ipsa intime per essentiam, adeoque substantiam & entitatem suã, præsens est rebus & locis omnibus; ac proinde est vbique. Ita Scholastici omnes, cum S. Thoma hic quæst. 8. art. 1 & 2. & in 1. dist. 37. quæst. 1. & 2. & in lib. 3. cont. gent. cap. 68. contra quosdam Iudæos, & ex Christianis

nonnullo

Digitized by Google

nonnullos, quorum illi Deum templo Hierosolymitano claudebant, apud Sanctum Hieronymum in illud Isaiæ 66. *Cœlum mihi sedes*: isti vero cœlo; apud Anastasium Synaitam lib. 2. de rect. fid. dogmat. tom. 1. Bibl. Patrum, & apud Hugonem Victorinum lib. 1. de Sacram. part. 3. cap. 17. & in sum. trac. 1. cap. 4. Quos secutus est Augustinus Eugubinus in illa verba Psal. 138. *Si ascendero in cœlum*: vbi docet, Deum substantiali sua præsentia solummodo in cœlo esse, sicut sol secundum substantiam in cœlo tantum est, etsi luce sua collustret omnia; ànulla re inquinatus.

Cui sententiæ, præter Anthropomorphitas, & recentem quendam è Caluini schola ministrum, admodum fauet etiam Aristoteles, non sosum lib. de mundo ad Alexrandrum, quem multi Aristotelis esse negant; sed etiam lib. 1. de cœlo cap. 9. Eandem, aut non longe diuersam secuti sunt Manichæi apud Sanctum Augustinum lib. cont. epist. fund. cap. 16. vt & Stoici apud Tertullianum apolog. cont. gent. cap. 47. denique Auerroes disp 14. contra Algazelem, vbi pueros vocat eos, qui dicunt, Deum esse in rebus omnibus.

4 Sed est error manifestus, vt omnes Theologi recentiores notant, & aperte refellitur ex Scriptura Iosue 2. vers. 11. *Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum.* Psalm 138. vers. 7. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Isai. 66. vers. 1. *Cœlum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorum.* Ierm. 23. vers. 24. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus. Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Sap. 1. vers. 7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Item Act. 17. v. 27. *Quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.*

Idem docent SS. Patres. Cyprianus lib. de vanit. Idol. *Deus est totus vbique diffusus.* Hilarius lib. 1. de Trinit. *Nullus sine Deo locus est.* Augustinus epist. 17. ad Dardanum. *Deus vbique præsens est, & vbique totus.* Similia habent superius citati. Idem ex Philosophis docuerunt Thales, qui dixit *Omnia Deorum esse plena*, apud Aristotelem lib. 1. de anim. cap. vlt. tex. 86. Item Heraclitus apud Aristotelem lib. 1. de part. anim. cap. 5. alijque Platonici, & Peripatetici apud Ciceronem lib. 1. Acad. qq. Ratio sumitur ex immensitate, & seq. assertione.

Recte tamen notat Sanctus Thomas cit. q. 8. art. 1. ad 4. Cum per Dæmones intelligamus Angelos malitia deformatos, non esse absolute dicendum, Deum esse in dæmonibus; sed cum addito, in quantum sunt res quædam. Verba S. Thomæ sunt. *In dæmonibus intelligitur & natura, quæ est à Deo; & deformitas culpæ, quæ non est ab ipso. Et ideo non est absolutè concedendum, quod Deus sit in dæmonibus, sed cum hac additione, in quantum sunt res quædam. In rebus autem, quæ nominant naturam non deformatam, absolutè dicendum est Deum esse.* Sed & Deus secundum effectum, peculiari quandoque ratione in loco vno potius, quam in alio, vt in cœlo esse dicitur; quia in vno loco magis, quam in alio ostendit suam gloriam; ac speciatim quia in cœlo proprie seipsum clare videndum exhibet, non alibi communiter. Qua ratione dicimus *Pater noster, qui es in cœlis.* Quò spectat quod S. Thomas cit. quæst. 8. art. 3. notauit, Deum *per modum obiecti* operationis speciatim esse in *rationali creatura, quæ cognoscit & diligit illum actu vel habitu*; eo modo, *quo cognitum est in cognoscente & desideratum in desiderante.*

Assertio IV. Omnipræsentia Dei recte & efficaciter probatur ex operatione Dei in rebus 5 omnibus. Ita S. Thomas hic quæst. 8. art. 1. & lib. 3. cont. gent. cap. 68. Ferrariensis, Caietanus, & omnes Thomistæ ibidem, Altisiodorensis lib 1. cap. vlt. quæst. 1. Albertus in 1. dist. 37. art. 1. Alensis 1. part. quæst. 9. m. 2. Bonauentura d. 37. 1. p. art. 1. quæst. 1. Ægidius, Durandus quæst. 1. Richardus art. 1. quæst. 1. Aureolus quæst. vnic. art. 2. Capreolus quæst. vnica concl. 1. Argentina art. 1. Marsilius quęst. 39. Maior q. 1. Henricus in sum. art. 30. quæst. 5. Gregorius de Valentia hic quæst. 8. punc. 1. Suarez Metaph. tom. 2. d. 30. sec. 7. & hic lib. 2. cap. 2. n. 7. Molina hic quæst. 8. art. 1. dub. 2. vbi contrariam sententiam vocat non solum falsam, doctrinaéque Aristotelis aperte contrariam, sed etiam parum tutam in fide; cum videatur repugnare quibusdam Scripturæ locis, vt dicetur.

Sed omissa hac censura, nihilominus eam ipsam contrariam sententiam tradunt Scotus in 1. dist. 37. quæst. vnica. Bassolis art. 3. Mayron quæst. 1. art. 2. Aquila art. 1. Rubion. q. 2. Lychetus, Bargius, Ockham q. vn. Gabriel quæst. vn. art. 2. dub. 1. & fere Vasquez hic d. 28. n. 13. dum ait; *hactenus id eo medio non fuisse efficaciter probatum; & difficulter posse eo medio probari.*

Probatur tamen assertio ex Scriptura, in qua ratio diuinæ præsentiæ redditur ex operatione. psal. 138. v. 10. *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Et Apostolus Act. 17. vers. 27. & 28. *Non longe est ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Vbi hoc idem etiam indicant SS. Patres.

Ratio esse debet; non quidem quasi vel ipsa 6 præcise transiens operatio, Deo, alijsque Spiritibus sit ratio existendi in rebus, vt indicat S. Thomas hic. quæst. 8. art. 1. & 2. & cum Caietano, & Ferrariensi loc. cit. docent Thomistæ recentiores; quod suo loco de Angelis refellimus. Nec quasi realis præsentia sit vniuersim, aut conditio prærequisita ad operandũ, seu efficiẽdã rẽ aliquã; aut hoc loco vllo modo naturâ prior operatione: sic enim Deus naturâ prius existere debuisset in

Digitized by Google

mundo, quam crearet mundum; qua in re consentiunt etiam Caietanus, Ferrariensis, & Thomistæ alij, qui docent, præsentiam huiusmodi non requiri, quasi quid necessarium ad operationem, sed consequenter, vt effectum ipsius. Nec quasi vniuersim de ratione agentis immediate immediatione suppositi sit, realiter esse præsentem passo; adeoq; contradictionem implicet, actionem hoc sensu fieri in distans, vt Molina, & ex parte Suarez indicant; quod bene refellit Vasquez cit. cap. 5. sed tum quia est de ratione agentis perfectissimi, adeoque primi & infiniti, qualis Deus est, vt eius essentia, non minus quam virtus, sit infinita & immensa, adeoque realiter præsens vbique, vt recte Gregorius de Valentia loc. cit. & Suarez hic n. 7. Tum quia si agens esset limitatum ad certum aliquem locum, hoc ipso finitum esset, adeoque impotens ad operandum in distans. Tum quia si Dei potentia est infinita, non minus præsentia erit infinita: qua ratione ipse etiã Vasquez tandem concedit num. 16. ex potentia & operatione, immensitatem Dei in rebus recte probari: quidquid Bassolis in 1. dist. 37. quæst. vn. art. 1. & 3. dixerit; sola fide probari posse præsentiam Dei ad res omnes; nec rationes, quibus alioqui probatur, esse euidentes.

Atque ad prædictum etiam sensum fatendum est, Deum si per impossibile alicubi non esset, eo loco operari non posse: licet alio sensu, id meo iudicio verisimilius negetur; nimirum si ponamus, Deum, quamuis à loco aliquo absentem, nihilominus habere ac retinere vim & potentiam suam infinitam in operando. Tunc enim, quia operari in distans, adhuc esset quædam perfectio in agendo, vendicans independentiam à contactu quantitatiuo, & illimitationem virtutis actiuæ, non video, qua ratione infinito agenti possit denegari: præsertim cum re ipsa nunc etiam actualis Dei præsentia agentis, ad rem, seu locum vbi agit, non sit conditio prærequisita ad agendum, sed aliquid consequens ad actionem, vti dictum.

7 Atque ità præter Vasquium, & alios citatos contra positam assertionem, docet etiam Suarez Metaph. loc. cit. etsi contrarium asserat Molina, & alij quidam recentiores, rati, non minus implicare contradictionem, vt aliquid immediate agat in distans, quam vt aliquid immediate agat, non existens eo tempore, quo est actio: cum tamen hæc inter vtrumque sit aperta disparitatis ratio; tum quod non existentia agentis tollit ipsam quoque vim agendi, non autem distantia localis; tum quod coexistentia cum actione immediate agentis, est conditio necessario ad eam prærequisita, non autem præsentia localis ad effectum siue actionem, vt dictum. Cum ergo per distantiam localem ab effectu seu actione, in nostro casu, nec tollatur vis actiua, eademque infinita Dei; vt supponimus; nec desideretur vllum aliud principium, aut vlla conditio prærequisita ad agendum; quidni dicendum sit, Deum ex prædicta hypothesi nihilominus agere posse.

8 Assertio V. Deus non est in loco circumscriptiue, nec definitiue, nec omnino proprie, sed improprie. Ita Magister in 1. dist. 37. Alensis 1. p. quæst. 9. m. 1. Albertus in 1. dist. 37. art. 7. Bonauentura ead. dist. 1. p. art. 1. quæst. 2. Durandus ibid. quæst. 2. Gabriel quæst. vn. art. 2. Argentina art. 1. & consentit S. Thomas quæst. 8. a. 2. ac communis Doctorum. Eodemque sensu SS. Patres quandoque absolute dicunt, Deum nusquam esse, vt Chrysostomus hom. 5. in cap. 2. Coloss. & alij. Ratio sumitur ex notione terminorum; nam circumscriptiue esse in loco, est commensurari loco, ita vt totũ locatũ toti loco, & pars parti respondeat; quod de Deo non potest dici, vt patet. Definitiue esse in loco est loco definiri, ita vt existentia locati non excedat locum, adeoque locatum contineatur & includatur loco; quod Deo non conuenire patet ex assert 2. Vnde sequitur etiam, proprie non esse in loco, quia conditiones loci, quas ex Aristotele 4. Physic. recenset Bonauentura in 2. d. 2. art. 1. q. 3. nimirum continere, mensurare, & seruare locatum, non conuenit Deo. Sed hæc ratio solum procedit de loco naturali rerum naturalium. Ratio igitur vniuersalis est; quia de ratione omnis loci est, continere aliquo modo locatum, & terminare, vbi locale intrinsecum locati: quorum neutrum Deo conuenit: non primum; ex dictis: non secundum; quia Deus nullam habet habitudinem realem ad creaturam, vt q. seq. dicetur. Et quamuis ob hanc quidem causam recte negetur de Deo, esse locabilem, vel locatum, & similia, quæ vsu loquendi Doctorum non sunt recepta; non tamen simpliciter & absolute dicendum est, non esse in loco, vt notauit Alensis loc. cit. m. 1. quia contrarium vsu est receptum, & negationes sunt malignantis naturæ.

Assertio VI. Deus est in loco repletiue, totus in toto, totus in qualibet parte loci. Ita S. Thomas hic quæst. 8. art. 2. Alensis 1. p. quæst. 9. m. 1. & 3. Altisiodorensis lib. 1. cap. vlt. quæst. 1. Bonauentura, Durandus Gabriel, loc. cit. & alij communiter. Et posterior pars patet ex quæst. 2. quia Deus est plane simplex; adeoque indiuisibilis, multo magis quam anima, vel Angelus. 9

Prior pars sumitur ex citatis Scripturis, Sap. 1. *Spiritus Domini replesit orbem terrarum.* Hierem. 23. *Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Eodem modo sæpe loquuntur SS. Patres; in quibus Damascenus lib. 1. de fide cap. 16. & 18. *Cuncta*, inquit, *substantia implet, omnia continens, mundumque substantialiter replens.* Ratio est; non solum quia Deus effectiue res omnes & singulas replet ijs, quas habent perfectionibus, conseruando eas in suo Esse quod habent: sed etiam quia per indistantiam præsentiæ suæ terminat capacitatem cuiusque rei, quam habet ad coexistendum Deo: tametsi alioqui hæc repletio sit solum impropria & metaphorica. Qua metaphora etiam creaturæ dicuntur aliquando plenæ donis gratiæ. &c.

Assertio VII. Deus recte dicitur esse vbique 10 *per essentiam, præsentiam, & potentiam.* Ita S. Thomas hic quæst. 8. art. 3. & communis Doctorum

rum in 1. distinct. 37. ex sancto Gregorio homil. 8. in Ezech. quidquid Aureolus in 1. distinct. 37. quæst. vnic. art. 3. negare videatur, hos tres modos existendi in rebus, esse inter se (ratione nostra) distinctos.

Probatur & declaratur ex Sancto Thoma ibidem, omissis varijs aliorum explicationibus. Quia in rebus creatis substantia intelligens tripliciter esse potest: primo, ratione suæ virtutis & operationis, siue potestatis, quomodo Rex est in suo regno: secundo, ratione intuitus, quo modo omnia, quæ in cuiusque conspectu sunt, dicuntur ipsi esse præsentia; v. g. omnia, quæ etiam in aliena domo sunt, etiamsi quis secundum substantiam non sit in qualibet parte domus: tertio, ratione substantiæ vel essentiæ; quo modo res est in eo loco, in quo substantia eius existit: Iam vero Deus est in rebus omnibus, his omnibus modis; nimirum per potentiam, in quantum omnia eius potestati subijciuntur, & quatenus ipse operatur in omnibus: per præsentiam, in quantum omnia nuda sunt & aperta oculis eius: denique per essentiam, quia per suammet substantiam intime præsens est rebus omnibus, vt superius dictum.

11 Quod quidem ita defendendum est, contra triplicem errorem; primum Manichæorum, qui spiritualia solum & incorporea diuinæ potestati subiecta esse dicebant; inuisibilia vero & corporalia potestati principij contrarij: secundum eorum, qui dicebant, inferiora hæc non esse subiecta diuinæ prouidentiæ, iuxta illud Iob. 22. vers. 14. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat*: tertium eorum, qui docebant, non omnia immediatè à Deo fuisse creata, qui proinde Deum secundum substantiam à rebus quibusdam abesse indicabant: de quibus erroribus suis locis sigillatim agendum. Præter hos verò tres modos, sunt adhuc duo alij, quibus Deus est in Creatura rationali; nimirum vel per donum gratiæ, vel per subsistentiam terminando naturam, sicut Verbum est in natura humana Christi, vt notauit Sanctus Thomas ibidem, de quibus suis locis agendum.

Assertio VIII. Attributum immensitatis Deo necessariò, & ab æterno conuenit: prædicatum vero Omnipræsentiæ siue vbiquitatis actualis absolutè loquendo, libere, & solum ex tempore. Ita Sanctus Thomas in 1. dist. 37. quæst. 2. artic. 3. Alensis 1. p. quæst. 9. num. 4. Albertus dist. 37. artic. 4. Bonauentura distinct. 37. 1. p. artic. 2. quæst. 2. Ægidius quæst. 3. Argentina quæst. 1. artic. 1. Gabriel quæst. vnic. artic. 3. Suarez 1. p. lib. 2. cap. 2. num. 5. Vasquez 1. p. quæst. 8. art. 4. Probatur & declaratur. Quia immensitas in Deo dicit quasi actum primum, hoc est, vim existendi infinitam in ordine ad res, & loca alia; ita vt formaliter & vltimate in diuina existentia significet negationem termini, seu terminabilitatis, ex parte loci, seu rerum, in quibus Deus existit, aut existere potest: quocirca formaliter non includit coexistentiam creaturæ.

At verò Omnipræsentia & Vbiquitas dicit aliquid positiuum, & quidem quasi actum secundum, siue actualem præsentiam DEI in rebus & locis omnibus, ex immensitate ortam; quo fit, vt existentiæ DEI formaliter superaddat, non quidem modum aliquem intrinsecum ipsius Vbi, vti in rebus creatis accidit: aut quicquam omnino reale intrinsecum Deo; sed certe tamen denominationem extrinsecam, seu relationem rationis, ex eo ortam, quod simul cum DEO coexistunt res aliæ creatæ: quæ quia simpliciter non esse potuissent, fit vt hoc prædicatum formaliter & complete acceptum, in Deo, sit liberum, & ex tempore Deo conueniens, non necessariò & ab æterno: etsi fundamentaliter dici possit necessarium; quia nimirum DEVS vi immensitatis suæ, tantam in existendo perfectionem habet, vt contradictionem implicet, eum non intime præsentem esse rebus & locis omnibus, posità existentiâ eorundem: sicut absolute liberum erat Deo, cognoscere existentiam creaturarum; at hac tamen suppositâ, necessariò eam cognoscit; quia, si non cognosceret, iam terminata & finita foret eius scientia. 12

Sunt tamen interim quidam, in quibus Alensis & Bonauentura loco citat. Hugo Victorinus in sum. sentent. tractat. 1. capit. 4. qui dicunt, Deum ab æterno fuisse vbique; quia fuit in seipso, & quasi in sua immensitate, quæ æquipollet omni loco: sed quæ locutio impropria est.

Assertio IX. Attributum siue prædicatum vtrumque, tam Immensitatis, quam actualis Omnipræsentiæ, ex vi propria & necessitate naturæ, est Deo ita proprium, vt nulli creaturæ possit esse commune. Ita Sanctus Thomas hic quæst. 8. artic. 4. & in 1. dist. 37. quæst. 2. art. 2. Alensis 1. p. quæst. 9. mem. 5. Albertus in 1. distinct. 37. artic. 8. Bonauentura 1. p. dist. art. 2. quæst. 1. Argentina quæst. vn. art. 1. Maior quæst. 1. Et est communis Doctorum, ac SS. Patrum. Probatur. Tum quia implicat contradictionem, aliquam creaturam secundum extensionem esse infinitam actu, ex dictis dub. præcedent. Tum quia etiamsi aliqua creatura ob suam infinitatem magnitudinis corporeæ haberet vim existendi vbique, ac etiam in infinitis locis; non tamen esset vbique per se primo, ac secundum se totam, sed solum secundum partes. Tum quia, esto etiam posset esse vbique secundum se totam, non tamen id fieret ex vi propria & necessitate naturæ, sed ex dono ac voluntate Dei. Plura assert. 11.

Assertio X. Nihil tamen interim obstat, quo minus actualis Vbiquitas seu Omnipræsentia, generali quadam ratione, communicetur etiam creaturæ. Ita Sanctus Thomas ead. quæst. 8. art. 4. ex communi. Probatur & declaratur ex sancto Thoma ibidem. Quia vbiquitas actualis dupliciter alicui conuenire potest; nimirum primo & per se; deinde ratione alicuius partis, & per accidens. Primo esse vbique dicitur illud, quod secundum se totum, & non solum secundum aliam & aliam sui partem est 13

Digitized by Google

vbique: per se vero, cui non conuenit esse vbique per accidens, nimirum ratione alicuius suppositionis. Iam ergo licet hoc modo nulla creatura naturaliter possit esse vbique, potest tamen esse alio illo modo. Quia si ponamus, materiam primam esse eiusdem rationis in omnibus creaturis, tum illa, ratione diuersarum partium, erit vbique etiam naturaliter, vt indicat S. Thomas ibidem ad primum. Si etiam supponamus, nullum aliud corpus esse, præter vnum aliquod granum milij, iam illud erit vbiq; per accidens, etiam sine alio nouo miraculo, vt fatetur etiã S. Thomas eod. a. 4. in Corp.

Sed & supernaturaliter, ac per absolutam Dei potentiam, nihil obstat, quo minus etiam stante hoc toto vniuerso; imo etiam crescente eius magnitudine, res aliqua creata, præsertim incorporea, secundum se totam sit vbique in toto vniuerso, non quidem ipsâmet illa vbiquitate & Omnipræsentia DEI, quam eius propriam esse diximus, sed aliqua participata vi longe inferioris ordinis, vt recte docent Scotus in 4. d. 10. quæst. 2. art. 3. Sotus 4. Physic. quæst. 2. art. 3. Rossensis lib. 1. de Eucharistia contra Oecolampadium cap. 33. Suarez 1. p lib. 2. de Deo cap. 2. n. 12: & 3. p. d 37. sec. 4. & probabile censet Gregorius de Valentia hic quæst. 8. p. 4. Ratio est; quia nulla adferri potest ratio, quę ostendat hac in re implicationẽ contradictionis.

Assertio XI. Reipsa tamen, & de facto, nulla creatura pura est vbique totaliter; Ita cum Sancto Thoma loc. cit. habet communis Doctorum sententia: contra Durandum in 1. d. 37. p. 2, quæst. 1. & 2. qui Angelum docet esse necessario vbique præsentem, eo modo, quo præsens alicui loco dici potest; de qua re ex instituto agendum disp. 5. Probatur ex Scriptura & SS. Patribus, qui tum Angelis, tum etiam cæteris rebus omnibus creatis tribuunt motum localem, qui repugnat subiecto existenti vbiq;. Ratio contra Durandum est. Quia proprietates rei cuiusque respondent ipsi essentiæ eiusdem rei: cum ergo essentia cuiusque rei sit finita, etiam Esse in loco, quæ eius proprietas est, necessario finita est; ita vt detur determinatus aliquis & finitus locus, quo maiorem occupare res naturaliter non possit.

Addit tamen Durandus cit. quæst. 1. num. 33. *Angelum non idcirco esse vbique, sicut Deus est vbique. Quia vel nullus Angelus potest omnia corpora mouere localiter: vel quia Deus est vbique, sicut causa replens omnem locum suis effectibus: & sicut causa conseruans omnem locum, & omne locatum; & sicut causa, cuius prima operatio non supponit entitatem loci, vel locati, ad hoc, vt agat; sed totum producit. Angelus vero nullo istorum modorum est vbique; sed solum sicut illud, quod ex ordine naturæ habet habitudinem ad mouendum quodlibet corpus: propter quod ex eodem ordine habet, quod sit cuilibet corpori præsens quia sine præsentialitate non potest mouere.* Ita Durandus. Dixi vero *puram Creaturã*; quia Christum secundum humanitatem non esse vbique, ex instituto probandum est contra Vbiquistas tom. 4. de Incarnatione c

DVBIVM IV.

Vtrum Deus sit etiam in aliquibus spatijs, extra cœlum & mundum; & quid sentiendum de vacuo.

Ad S. Thom. 1. p. q. 8. a. 2. & 2.

RES hæc etiamnum admodum controuersa est inter Theologos, etiamsi à S. Thoma ex instituto non pertractetur. Nam quod ad spatia imaginaria extra cœlum attinet, affirmatiuam sententiam tuentur Maior in 1. d. 37. quæst. 2. & in 2. dist. 1. quæst. 1. Palatius in 1. dist. 37. disput. 2. Marsilius Ficinus lib. 2. de immort. anim. cap. 6. Caietanus in Ioann. capit. 12. Sotus lib. 4. Physic. quæstio. 2. Fonseca lib. 5. Metaphysic. cap. 15. quæst. 9. sec. 4. Molina hic quæst. 8. art. 1. disp. 3. Gregorius de Valentia quæst. 8. punc. 1. Zumel ead. quæst. 8. art. 2. Suarez tom. 2. Metaphys. disp. 30. sec. 7. à num. 30. Idem senserunt Plato, Aristoteles, & alij Philosophi apud Eugubinum lib. 4. perenn. philos. cap. 1. & 2. Et citatur pro eadem S. Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 5. quasi id eo loco expresse senserit. Fauet etiã S. Thomas quodl. 11. a. 1. vbi dicit, *Deum nõ tantum esse in his quæ sunt, sed etiã quæ possumus imaginari.*

Negatiuam autem sententiam tradunt Richardus in 1. dist. 37. a. 1. quæst. 4. Scotus, Lychetus, Bargius ibid. quæst. num. Marsilius quæst. 39. art. 2. Capreolus d. 37. quæst. vn. ad 4 Scoti, & communis Thomistarum, qui cum asserant, Deum non esse in aliquo aliter, quam per operationem, consequens est; Deum, ex eorum sententia, in vacuo, aut spatijs illis imaginarijs esse non posse. Eandem sententiam magna contentione propugnat Vasquez hic disp. 29. cap. 2. & de spatijs illis imaginarijs sequitur Gillius l. 2. tract. 9. c. 18. num. 5.

Equidem semper existimaui, hac de re vix posse controuersiam esse, nisi de nomine & modo loquendi, vt etiam notarunt Gregorius de Valentia, Molina, & Suarez; cum hæc duo, quæ ad rem ipsam pertinent, apud omnes sint in confesso. Primum est. Dei existentiam & immensitatem mundi huius ambitu non contineri, definiri., aut concludi, vt patet ex dub. præced. Alterum est. Deum non ita esse extra mundum, vt illic sit, tanquam in aliquo vero, reali, ac positiuo loco; aut quasi illic habeat realem in seipso extensionem, per infinita quædam, seu vera, seu imaginaria spatia; quia nec vllus illic est realis locus, aut reale spatium: nec etiam vlla in Deum cadere potest extensio, qui summè spiritualis est. Dubium nunc manet de modo loquendi potius, quam de re ipsa; an vere ac proprio quodam sensu dici possit, Deum esse in spatijs quibusdam extra mundũ, vel alicubi extra mundum, aut simpliciter extra

mun-

mundum : cum quo connexa est etiam similis quæstio; An Deus esset etiam in vacuo, si eiusmodi vacuum daretur ; ad quas quæstiones sequentibus assertionibus respondeo.

3 Assertio I. Deus simpliciter & absolutè loquendo, non est in spatijs imaginarijs, seu vllis spacijs, aut spatio extra mundum. Ita Authores secundæ sententiæ ; & consentiunt Patres, dum docent, ante mundum conditum, Deum nusquam fuisse, nisi in seipso: in quibus Tertullianus lib. cont. Praxeam capit. 5. vbi ait: *Ante omnia DEVS erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Idem docent S. Augustinus in Psalm. 122. vers. 5. *Qui habitas in cælis.* Bernardus lib. 5. de consid. capit. 6. vbi ait : *Alias verò vbi erat antequam mundus fieret, ibi est: non est quod quæras vltra, vbi erat ; præter ipsum nihil erat : ergo in seipso erat.* Quibus concinunt antiqui illi versiculi quos recitat Dionysius Carthusianus in 1. dist. 37. quæst. 1. dudum à Theologis hac in re vsurpati, quos inferius referimus assert. 4. Eandem fuisse sententiam Augustini in eo ipso loco, qui pro opposita sententia fuit citatus, paulo post ostendemus. Omitto aliorum Patrum testimonia, quæ videri possunt apud Vasquez l. c.

Probatur assertio primo. Quia nemo vere, & proprie dici potest, esse in spatio solum ficto & imaginario, quod plane non ens, seu ens mere fictitium est ; sed spacium illud extra mundum est spacium solummodo fictum, reipsa vero plane nihil, & non ens: Ergo vere & propriè dici non potest DEVM esse in illo spatio extra cœlum. Maior probatur ex Aristotele 4. Physic. text. 18. vbi ait : *Semper id quod alicubi est, & ipsum esse aliquod, & aliud aliquid extra ipsum.* Vbi aperte docet, nihil dici posse esse in eo, quod penitus nihil, ac non ens est. In quem sensum etiam Bonauentura in 1. distinct. 37. punc. 2. artic. 1. quæst. 2. ait : *Stultum esse dicere, DEVM esse in eo quod nihil est.* Nec verò quisquam negaret absurdum esse dicere, Deum esse in Hircoceruo, aut Hippocentauro. Et ratio est; quia cum aliquid dicitur esse alicubi, significatur habitudo quædam ad illud, & denominatio realis, saltem extrinseca ab illo : at verò ab eo, quod nihil est, non potest fieri vlla denominatio realis, vt patet: Ergo, &c.

4 Minor propositio probatur. Quia si spatium illud non esset merum nihil, & non Ens, saltem esset verum aliquod spatium : nihil enim aliud, extra mundum vniuersum, & rem omnem creatam fingi potest : sed non est verum aliquod spatium. Tum quia ab omnibus vocatur spacium *imaginarium*; quod autem solum imaginarie est tale, vere non est tale. Tum quia, si verum aliquod spatium esset, infinitum esset; quod est absurdum ex dub. 2. Tum quia spatium propriè dictum non est, nisi capacitas & intercapedo, seu interuallum aliquibus terminis interceptum, vt patet ex communi notione vocabuli, & vsu loquendi : extra mundum verò nulli sunt eiusmodi termini, sed mera ac nudissima negatio creati entis: Ergo non est ibi verum aliquod spatium, sed merum nihil & non ens.

Secundo. Si DEVS esset in spatijs extra mundum, tunc in illis fuisset etiam ante mundum conditum : Sed hoc non potest dici : Ergo, &c. Maior patet ; quia Authores contrariæ sententiæ dicunt Deum semper & necessariò, ac ex vi suæ immensitatis, esse in illis spatijs. Minor probatur. Quia spatia illa, ante mundum conditum, eodem modo se habebant, sicut tempora imaginaria ante eiusdem mundi conditionem, vt docet sanctus Augustinus lib. 11. de ciuitat. Dei capit. 5. & satis agnoscit Suarez loco citat. Sed non recte dici potest, Deum fuisse in tempore, ante mundum conditum : Ergo nec verè dici potest fuisse in illis spatijs imaginarijs, ante mundum conditum.

Tertio. Vbi Deus est per essentiam, ibi est etiam per præsentiam, & potentiam, iuxta S. Thomam hic quæst. 8. art. 3. & communem: sed in spatijs extra mundum non est Deus per potentiam; cum ibi nihil operetur ad extra: Ergo nec est ibi per essentiam. 5

Quarto. Eadem est expressa sententia Sancti Augustini lib. 11. de ciuit. Dei cap. 5. qui proinde immerito pro contraria sententia citatur. Rem non satis à Vasquio explicatam ita declaro. Disserit enim illic Sanctus Augustinus contra Philosophos, asserentes, mundum fuisse ab æterno, & non primum in tempore à DEO creatum ; eo quod alias fatendum esset, Deum infinito tempore otiatum fuisse ; quod illis absurdum videbatur : quos Sanctus Augustinus ita redarguit : Si infinita admittenda sunt tempora, ante creatum mundum, in quibus DEVS fuerit otiatus, vt ipsi dicebant, tum etiam infinita admittenda esse loca seu spatia, extra hunc mundum, in quibus DEVS ab æterno fuerit, atque etiamnum sit. Tum facta hac suppositione, ita quasi ad hominem argumentatur : Aut Deus in illis spatijs operatus est aliquid ; aut nihil : Si operatus est aliquid ; ergo necesse erit dicere, ab eo factos infinitos mundos : quod ipsimet tamen aduersarij velut absurdum negabant. Si nihil operatus fuit in illis spatijs, tum etiam absurdum illis videri non debet, DEVM in tempore illo infinito nihil fuisse operatum. Quod si verò dicant aduersarij, extra mundum nulla esse spatia locorum, & homines falli, imaginantes sibi talia loca, in quibus sit Deus; tum etiam pariter illis respondetur, eos non minus inaniter ante mundum cogitare infinita tempora, quibus DEVS vacauerit. Hic est discursus sancti Augustini ; ex quo patet, ipsum infinita illa spatia extra mundum, Deumque in illis existentem, nequaquam ex sua posuisse sententia; sed solum facta suppositione, ex mente aduersariorum, vt eos ad absurdum deduceret, atque pariter obiectam ab eis absurditatis speciem amoliretur.

Digitized by Google

6 Verba S. Augustini loco cit. sunt ista, *Si (Philosophi illi) infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videatur DEVS ab opere cessare potuisse; similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum: in quibus si quisquam dicat, non potuisse vacare Omnipotentem, nonne consequens erit, vt innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogatur? &c. An forte (potius) substantiam DEI, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed eum sicut de DEO sentire dignum est, fatentur interporea præsentia vbique totum, à tantis locorum extra mundum spatijs* (quæ nimirum Philosophi illi ex hypothesi admittere coguntur) *absentem esse dicturi sunt, & vno tantum, atque in comparatione illius infinitatis, tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatum? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros* &c: facta nimirum suppositione, quam ex mente aduersariorum præmiserat, dari videlicet extra mundum eiusmodi locorum spatia. Et denique in fine capitis concludit: *Quod si dicunt, inanes esse hominum cogitationes; quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum: respondetur eis, isto modo* (etiam) *inaniter homines* (ipsos nimirum illos Philosophos) *cogitare præterita tempora vacationis Dei; cum nullum tempus sit ante mundum.* Vbi aperte vides, tantum à mente Sancti Augustini abesse, vt existimaret, infinita locorum spatia extra mundum esse, in quibus Deus existeret, vt potius hoc non minus pro absurdo haberet, quam quod Philosophi illi asserebant, fuisse infinita tempora ante mundum, & Deum in illis.

Neque vero huic sententiæ aduersatur Sanctus Thomas cit. quodlib. 11. art. 1. Solum enim vult dicere, imaginationem cuiuscunque rei existentis, secum etiam necessario trahere imaginationem præsentiæ DEI; nec fieri posse, vt res aliqua cogitetur existere, quin etiam DEVS in ea existere cogitetur, ex hypothesi.

Neque item huic assertioni obstat illud, quod quidam recentiores dicunt, Deum realiter existere in spatio extra hunc mundum, etsi desit relatio seu habitudo ad ipsum spatium, in quo est. Nam præterquam quod habitudo illa (quę vniuersim in præsenti solum est rationis) sequitur existentiam DEI in aliquo; hoc ipso, quod nulla est habitudo ad spatium, nec vlla denominatio realis à spatio (quam tamen alioqui etiam præter absolutam præsentiam significari dicunt, cum aliquid dicitur esse in loco) non potest verè dici, Deum esse in spatio extra hunc mundum.

7 Assertio II. Non recte etiam simpliciter dicitur, Deum esse alicubi, seu alibi extra mundũ. Ita communis Authorum, quos citauimus pro secunda sententia, & consentiunt Bonauentura, & Richardus citandi assert. 3. Probatur ex dictis. Quia *alicubi* vel *alibi* sunt aduerbia loci; ac proinde in præsenti significant aliquid extra mundum, à Deo distinctum, in quo sit DEVS, iuxta citatum locum Aristotelis; sed non est locus extra mundum, imo nihil est extra mundum à Deo distinctum, in quo sit Deus; Ergo. &c.

Assertio III. Non vere etiam sine addito dicitur, Deum esse extra mundum, si quouis modo indicetur, esse in alio, quam in seipso. Est itidem communis apud citatos. Ratio est eadem. Quia extra mundum aliud nihil est, in quo sit Deus. Et sane in rigore verborum, & iuxta proprietatem sermonis, *Extra* & *Intra* ad locum relata, ex communi loquendi vsu non priuatiue aut contradictorie, sed contrarie sibi opponuntur: Ergo vbi nihil positiuum est, proprie & stricte *Extra* non est, adeoque nec aliquid extra.

Assertio IV. Deus tamen est non solum in hoc mundo, sed etiam in seipso, & quidem ab æterno, ac independenter ab omni mundo. In hac re conueniunt Authores vtriusque sententiæ: & est communis doctrina SS. Patrum, qui dicunt. Deum in seipso fuisse, & esse ab æterno, independenter à mundo, vt dictum supra asserc. 1. Præclare S. Augustinus in Psal. 122. *Dicet*, inquit, *aliquis, ante quam faceret Deus Sanctos vbi habitabat?* In se habitabat: *Deus apud se habitabat; & apud se est Deus.* Eundem hac in re sequuntur omnes Theologi, speciatim etiam Alensis 1. p. quæst. 9. m. 4. Albertus dist. 37. art. 4. Corp. & ad vltimum, Bonauentura, Ægidius, Argentina, Gabriel cit. dist. 37. dum aiunt, Deo ab æterno minime conuenire, vbique esse, quatenus hoc loquendi modo significatur alibi esse, quam in se; secus si accipiatur pro eo, quod est in seipso esse. Idem habent versus antiqui, quos recitat Carthusianus d. 37. q. 1.

Dic vbi tunc esset, cum præter eum nihil esset?
Tunc, vbi nunc; in se; quoniam sibi sufficit ipse.

His consentit eriam Vasquez loco c. nu. 6. Ratio patet, Quia existentia Dei vtique æterna est, ac independens à mundo: Ergo Deus ante mundum, & independenter à mundo existebat: non in alio; Ergo in seipso tantum. Eandam vero existentiam Dei, cum absoluta, necessaria, & immutabilis sit, vtique necesse est, etiamnum perdurare. Ergo Deus etiamnum est in seipso independenter à mundo.

Vnde sequitur etiam non esse tantum in hoc mundo; si enim in seipso quoque existit, inexplicabili quadam immensitate, & quidem independenter à mundo, certe non in mundo tantum existit, eo præsentiæ modo, qui iuxta vltimum sui complementum (quod est denominatio extrinseca, seu respectus rationis) dependet à mundo, vt dictum dub. præced. Quod etiam docuit S. Thomas 1. dist. 37. quæst. 2. art. 3. vbi ait: *Deo non conuenire ab æterno vbique esse; non defectu sui; sed defectu rerum, quæ ab æterno non fuerunt, vt alicubi Deus esset.* Nec tamen illa Dei existentia, ab hac respectiua simpliciter alia dicenda est; sed eadem: illic absolute & secundum se spectata, hic cum respectu rationis, & denominatione extrinseca. Neque vero vocula *In se*, in præsenti significat locum,

sed

sed independentiam, ab alio loco; & illam, vt ita dicam, perfeitatatem existentiæ Dei.

Assertio V. Recte quoque dici potest, Deum esse extra mundum, si vel addatur in seipso tantum, vel certe vocula *Extra* solum accipiatur negatiue pro eo, quod est, non intra tantum. Ita præter Authores primæ sententiæ Richardus in 1. distinct. 37. artic. 1. quæst. 4. vbi ait: *Respondeo, quod DEVM esse extra mundum dupliciter potest intelligi: vno modo ita, quod immensitas eius excedit mundum; & sic verum est, DEVM extra mundum esse. &c. Alio modo potest intelligi, DEVM esse extra mundum ita, quod sit dare spatium extra mundum, in qua sit DEVS; & sic falsum est. Hoc enim ponere, esset confirmare opinionem illorum, qui opinantur, vltra vltimum cœlum esse spacium infinitum, quæ opinio falsa est.* Item Bonauentura dist. 37. punc. 2. artic. 1. quæst. 3. *Extra*, inquit, *vno modo dicit situm & positionem; & sic impossibile est, DEVM esse extra omnem locum. Alio modo, Ante & Extra dicunt excessum, & superexcellentiam diuinæ immensitatis, & æternitatis, respectu temporis & loci: & sic concedendum est, quod DEVS est ante tempus, & extra omnem locum.* Eodem sensu Bannes hic quæst. 8. artic. 2. ait, DEVM non esse actu in loco extra cœlum; esse tamen extra cœlum in seipso; si particula *Extra* accipiatur pro eo, quod non est *intra* limitate. Idem absolute & simpliciter asserit Gillius loc. citat. capit. 20. vbi ait: *Certa sententia est, DEVM existere actu & realiter extra mundum, & super omnes cælos*: quod accipiendum iuxta explicationem dictam.

Sed nec cæteri Auctores, pro secunda sententia citati, alieni sunt ab hoc modo loquendi. Quamuis enim Vasquez loco citat. numer. 14. & 22. simpliciter negare videatur, Deum esse extra cœlum, tamen numer. 16. concedit, cum dicta explicatione. *DEVS*, inquit, *aut alius Spiritus esse non potest extra cælum in alio, quam in seipso.* Imo etiam citat. numer. 14. paulo antea dixerat: *Si corpus extra cœlum non dicitur esse in aliquo spatio, nec in alio, quam in seipso, nulla ratione dici potest, DEVS, aut Angelus extra cœlum in alio, quam in seipso esse.* Ratio est; tum quia hoc loquendi modo non significatur aliquid aliud, quam DEVM non circumscribi hoc vniuerso, sed habere existentiam in seipso, independentem ab hoc mundo; quod verum esse patet ex assert. præcedent. tum quia negari non potest, posse à DEO extra hunc mundum creari vel constitui, tum corpus, tum Angelum; qui reuera hoc sensu extra mundum esse dicentur; saltem in seipsis, si non in aliquo loco, vel spatio.

Dices. Imo etiam isti recte dicentur esse in aliquo spatio extra cœlum. Respondetur primo; & hoc ipsum de vtroque negari à Vasquez citat. numer. 14. quia nec tum quidem esset aliqua vera intercapedo seu interuallum intra terminos reales, ab illis substantijs distinctos, interceptum. Responderi potest secundo, cum eodem Vasquez numer. 16. & 24. aliam esse rationem DEI, siue spiritus, aliam corporis; nam hoc cum sit in seipso extensum, secum ipso fert extensionem in spatio, in quo est, ita vt saltem intra extimam eius superficiem, recte & vere concipiamus aliquod spatium interceptum; in quo proinde ipsum corpus esse dici potest: atqui DEVS in se minime extensus est, ac proinde nec per se aliquam spatij extensionem facere potest. Idem cum Vasquio numer. 16. dico de Angelo, qui & ipsa quantitate, & extremis caret.

Assertio VI. Non est negandum, Deum esse in spatijs loci etiam vacuis, atque etiam intra illa, si quæ dentur. Negare hoc quidem videtur Vasquez loc. cit. num. 12. vbi negat, Deum aut Spiritum intra superficiem vacuam esse posse, & ipsam replere. Idem dicit; Si cœlum aliquod medium annihilaretur, aut nouus mundus hunc ambiens relicto in medio interuallo, conderetur. Quod quidem dupliciter asseri potest, nimirum vt sit vel quæstio nominis tantum, vel etiam rei. Rei quidem erit, si quis dicat, existentiam Dei finiri & terminari illa superficie ambiente vacuum, adeoque Deum extra superficiem; intra illud vacuum, nullo modo existere, nec in se quidem; sed prorsus excludi ab illo spatio. Et hoc videtur incredibile, & plane alienum ab immensitate Dei, in Scriptura ac Patribus ita prædicata, vt negent Deum eiusque existentiam vllis locis aut spatijs locorum terminari posse, vt dictum dub. præcedent. Et cum spiritus in tali vacuo esse ac permanere possit, annihilato v. g. corpore quod antea erat in illo spatio, cur non etiam Deus? Accedit, quod hac ratione præsentia Dei futura esset discontinua, vtpote aliquo spatio interrupta & intercepta. Neque vero existimo Vasquium, & alios Authores eam assertionem hoc sensu negare.

Nominis autem quæstio erit, si tantum de vocibus, *spatium replere*, aut *in spacio esse*, quæstio sit. In qua etsi Deus non dicatur spatium hoc proprie replere, cum quantitate careat, & spacium illud nihilominus simpliciter vacuum dicatur, suamque capacitatem continendi aliquod corpus, retineat, vt dictum etiam dub. præced. assert. 6. non tamen video, cur negetur illic, siue in eo spatio Deum esse. Cum enim vacuum iuxta Aristotelem 4. Physic. sit locus carens corpore, & locus sit aptus capere corpora, non quia iam antea plenus est, sed potius, quia carens est alio corpore; nec sane illa ratione negari possit, si quod datur vacuum adæquatum alicui corpori, id vel maxime aptum fore, vt corpus infra illud existat; cur negabimus, in eo, seu intra illud, existere posse Spiritum, adeoque etiam Deum? Quod si potest, fatendum etiam pariter erit, reipsa ac necessario tunc in eo existeturum esse Deum si daretur.

Atque eadem est sententia non solum Auctorum primæ sententiæ, sed etiam Bonauenturæ cit. dist. 37. punc. 2. artic. 1. quæst. 2. vbi ait: *Obijcit autem aliquis sic Intelligamus, corpus egredi à loco, nullo intercedente; tunc remanet vacuum. Aut ergo ibi est DEVS, aut non. Si sic: ergo in eo est, quod nihil est; quod stultum est dicere; Si non est; & ibi prius fuit; ergo videbitur esse mutatus, solet per accidens. Ad hoc respondeo,*

inquit,

inquit, *quod si per impossibile ponatur, locum euacuari, tunc remanere intelligitur capacitas loci priuata: capacitas aliquid est, & in illa DEVS est, priuatio autem nihil est; & in illa DEVS esse non potest.* Vbi videtur duo distinguere in illo loco, videlicet ipsam priuationem corporis, seu vacuitatem per se nude spectatam; secundo, vacuum in concreto, seu capacitatem illam superficiei ambientis, vt apta est continere locatum: in illa vt sic, negat Deum esse; in hac affirmat. Idem cum eadem distinctione video nunc etiam tradi à Gillio lib. 2. tract. 9. cap. 19. num. 3.

Idem plane supponit S. Augustinus l. c. nimirum absurdum esse, vlla ponere locorum spatia, in quibus Deus præsens non adsit. Idem significat S. Thomas hic q. 8. a. 2. cum docet, Deum esse vbique, adeoque in omni loco, etiam vt locus est; hic autem de quo loquimur, locus est, Ergo.

Neque verò contra hanc assertionem procedunt argumenta superius facta contra spatia imaginaria: istud enim est verum & reale spatium; imo & verus locus: recte ergo dici potest, ibi & in illo aliquid esse. Atqui, dices, etiam illa vacuitas intra superficiem contenta, est merum nonens, adeoque vel negatio pura, vel certe priuatio. Ergo in illa nihil est, aut esse potest, vt supra argumentabamur. Respondetur, aliud esse vacuum, aliud vacuitatem: nos dicimus in vacuo, & intra vacuum esse Deum, non in vacuitate, vti loquuntur etiam Bonauentura & Gillius loc. cit. quanquam & hæc non potest esse, nisi nominis quæstio.

13 Assertio VII. Deus absque omni sui mutatione reali, & omnia, si quæ de nouo dantur spatia & loca replet; & priora, si desinant esse, deserit, per solam ipsarum rerum immutationem. Est extra controuersiam apud cit. & asseritur à Iustino Martyre dial. cont. Tryphonem, & à S. Augustino lib. 7. de ciuit. Dei c. 30. & l. 16. cap. 5. Ratio sumitur, tum ex dictis dub. præcedent. vbi docuimus, præsentiam Dei, in loco aut rebus creatis nihil reale superaddere, Dei existentiæ in seipso, sed solam denominationem extrinsecam; tum ab immutabilitate DEI, de qua quæst. seq. Vnde patebit, erroneum esse dicere, Deum in se ideo mutari, quod in his, aut illis rebus, seu locis esse primum incipiat. Secus est, si loquamur de mutatione relationis rationis, siue denominationis extrinsecæ, qua nempe respectus quidam extrinsecus præsentiæ variatur, vt rectè Vasquez loc. cit. num. 28. Idem fit in denominationibus, quæ sumuntur ab actione DEI transeunte.

Vnde colligitur, etiamsi totum hoc vniuersum localiter moueretur, secundum lineam rectam, (quod negant fieri posse Bannes hic artic. 2. & alij quidam recentiores, nisi ponatur extra hoc vniuersum realis quidam terminus, vnde sumi possit distantia noua, per motum acquirenda, à quibus dissentit Vasquez à numer. 25.) aut etiamsi Deus nouum mundum crearet, hoc destructo, tamen Deum nequaquam de loco in locum motum iri: quidquid sit de extrinseca denominatione in priore casu; in quo etsi concedant nonnulli, Deum per accidens, & extrinseca denominatione motum iri, ita vt in DEO solum respectus quidam extrinsecus præsentiæ & distantiæ varietur; rectius tamen negat Vasquez à num. 25. quia DEVS cum sit non solum vbique, sed etiam extra mundum in seipso, à re nulla distare potest. Præclarè hac de re S. Bonauentura citat. quæst. 2. *Cum res*, inquit, *priuatur* (seu desinit esse) *auferetur comparatio eius ad Deum: sed cum res mouetur, DEVM non dimittit, nec ad DEVM accedit: nec DEVS ad eam reuenit; quia sic est in re, vt sit extra rem idem. Ideo nec res eum dimittit, nec nouum inuenit. Et hoc est intelligibile, si quis potest intelligere, quod DEVS sit immensus, simplex, & infinitus. Quia enim est immensus, ita est intra, quod extra: quia simplex, secundum vnum & idem, est intra & extra: quia infinitus, ideo nec dimittitur, nec acquiritur aliud in re: nec ab ipso itur ad ipsum, cum dimittitur, vt alibi & alibi inueniatur.*

QVÆSTIO V.

De Immutabilitate, Æternitate, & Vnitate DEI.

S. Thomas 1. p. q. 9. 10. 11.

HÆc tria itidem attributa paucis expediri possunt; quæ proinde vna quæstione complectimur. Absoluetur verò hæc quæstio tribus dubijs. I. An & qua ratione proprium Dei attributum sit esse immutabilem. II. In quo consistat attributum æternitatis; & qua ratione sit proprium Dei. III. An & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse vnum.

DVBIVM I.

An & qua ratione proprium DEI attributum sit, esse immutabilem.

S. Thomas 1. p. q. 9. a. 2.

DVplex mutabilitas in præsenti distingui potest; vna physica & realis, qua quid à parte rei, ac in se ipso aliter se habet nunc, quam antea; altera moralis, in quadam animi inconstantia, & propositi mutatione consistens; etiam omni physica & reali mutatione secluſa: de vtraque breuiter agendum. 1

Digitized by Google

Assertio I. DEVS prorsus est expers & incapax omnis physicæ seu realis mutationis, adeoque hac ratione simpliciter & absolutè immutabilis. Ita sanctus Thomas hic quæst. 9. artic. 1. & in 1. dist. 8. quæst. 3. artic. 1. & Opusc. 3. capit. 4. omnibus Theologis consentientibus: & est de Fide definitum in Concilio Lateranensi capit. *Firmiter*, de Summa Trinitat. & fide Catholic. Probatur apertis Scripturæ testimonijs Psalm. 101. v. 26. *Initio tu Domine terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt cœli: Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Vbi DEVS quoad immutabilitatem opponitur cœlo & terræ adeoque toti creaturæ. Malach. 3. vers. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.* 1. Timoth. 6. vers. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Iacob. 1. vers. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quæ loca cum absolutè negent, Deum mutari posse, intelligenda in primis sunt de mutatione omni reali & physica, seu substantiali, seu accidentali.

Secundo idem passim & apertè docent SS. Patres. Optimè Augustinus lib. 1. de Trinitat. capit. 1. & lib. 5. cap. 2. vbi hoc ipsum probat ex illo Exodi 3. *Ego sum, qui sum. Quod mutatur*, inquit, *non seruat ipsum Esse: & quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest, quod fuerat, non esse: ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissime dicatur Esse.*

Tertio idem probatur euidenter à sancto Thoma citat. quæst. 9. artic. 1. tribus rationibus. Prima, quidquid quocunque modo mutatur, est aliquo modo in potentia eo ipso quod aliter & aliter se potest habere: DEVS autem nullo modo est Ens in potentia; cum sit purus actus, ex dictis supra quæst. 1. dub. 5. Ergo nullo modo est mutabilis. Secunda. Quicquid mouetur, aut mutatur, habet aliquam compositionem; vel quia secundum aliquid manet, & secundum aliquid transit, vt inquit S. Thomas; quod saltem in motu magis proprie dicto verum habet; vel certè quia hoc ipso, quod mutatur, non potest esse Ens per essentiam: atqui in Deo nulla planè compositio habet locum ex quæst. 2. dub. 1. Ergo, &c. Tertia. Si Deus moueretur, vtique moueretur motu aliquo, seu mutatione perfectiua, non corruptiua, nimirum acquirendo aliquid, quod prius non habebat, seu extendendo se ad aliquid, ad quod antea non extendebatur: sed hoc est impossibile; cum Deus sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius Esse, ex quæst. 7. dub. 1. Ergo, &c.

3 His addi potest hæc quarta ratio; quia nullum ens vndiquaque necessarium potest esse mutabile; id enim non potest aliter se habere vnquam; quod autem mutatur aliter & aliter se habet: Deus est ens vndiquaque necessarium, ex dictis quæst. 1. dub. 5. Ergo non potest esse mutabilis. Præterea has verò generales rationes specialis ratio immutabilitatis secundum locum sumitur ex Dei immensitate; vt dictum quæst. 4. dub. 4. immutabilitas secundum durationem, ex æternitate; immutabilitas secundum accidens, ex simplicitate. Quas ob causas etiam plerique veteres Philosophi, quasi ab ipsa veritate coacti affirmarunt, primum principium esse immutabile, vt notauit S. Thomas ibidem a. 1.

Quod verò contra hanc assertionem ex Incarnationis mysterio, quo DEVS homo factus est, cum antea non esset homo, obijci posset, pertinet ad 3. partem. Interim vno verbo dicitur, Deum, absque omni reali & intrinseca sui mutatione, hominem esse factum; quia terminatio humanæ naturæ nihil reale nouum ponit in ipso Verbo Incarnato, sed solum in humana Christi natura, vt ibidem declaratur.

4 Assertio II. DEVS itidem planè expers & incapax est omnis mutationis moralis; etiamsi hæc in Deo alioqui per se nullam inuoluerent mutationem physicam. Est itidem communis, & certa apud sanctum Thomam ibidem, & extra controuersiam; & colligitur ex citata definitione Ecclesiæ, & allatis Scripturæ locis: quæ cum simpliciter & absolute loquantur, omnem veram mutationem in ipso DEO excludunt. Speciatim autem de hac etiam loquitur illud Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor*, nimirum etiam quoad proposita & promissa, quibus posteritatem ac semen Iacob se perpetuo seruaturum promiserat; vt mox ibidem subsequentibus verbis significatur: *Et vos filij Iacob non estis consumpti.* Idem apertissimè patet ex illo Numer. 23. vers. 19. *Non est DEVS quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo & non faciet? locutus est, & non implebit?* Item 1. Reg. 15. vers. 29. *Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo est, vt agat pœnitentiam,* Et Prouerb. 19. vers. 21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.*

De qua re optime sanctus Augustinus lib. 12. Confess. cap. 15. ait se ab ipsa veritate edoctum: *De vera æternitate Creatoris, quod nequaquam eius substantia per tempora varietur; nec eius voluntas extra eius substantiam sit: vnde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel & simul, & semper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum, neque nunc illa, nunc ista; nec velle postea, quod nolebat; aut nolle quod prius volebat; quia talis voluntas mutabilis est; & omne mutabile æternum non est: DEVS autem noster æternus est.*

5 Idem probat euidens ratio; quia mutatio voluntatis ac propositi, relati ad omnes suas circumstantias, secundum quas aliquid volitum, & postea non volitum est, arguit planè aliquam imperfectionem cuiusdam mobilitatis animi & inconstantiæ, eo ipso, quod repudiatur & abijcitur, irritumque ac inefficax redditur prius voluntatis decretum: esto hæc mobilitas animi in hominibus, vitio, virtuti alicui opposito non detur; quādo quis omisso min⁹ bono, postea vult melius, iuxta S. Thomā in 2.2.q.53.a.5.& q.138.a.1.

at verò

Digitized by Google

at verò à Deo ab esse debet omnis imperfectio. Ergo, &c. Quæ ratio probat, eiusmodi mutationem à DEO necessariò abesse, etiamsi ea per se nullam inuolueret in DEO mutationem physicam, vt recte Suarez lib. 2. de DEO cap. 3. n. 4.

Quamquam absolutè loquendo, verius est, si ea mutatio ita in tempore accideret, futurum, vt simul etiam inuolueret mutationem physicam & realem in Deo: quamuis enim Deus ab æterno sine vlla mutatione physica potuisset id non velle, aut oppositum velle, tamen postquam id semel voluit, ad oppositum transire non potest, nisi mutatione physica & reali in ipso Deo interueniente; saltem ob eam causam, quia tunc hoc ipso voluntas Dei non futura esset infinite perfecta, adeoque nec eam perfectionem habitura, qua sine omni mutatione sui intrinseca, ab vno & eodem obiecto secundum omnes circumstãtias spectato, possit terminari, & non terminari.

Quo sensu intelligo cõmunem Doctorum sententiam, qui docent, Deum realiter intrinsecè mutatum iri, si eiusmodi quædam varietas daretur in actibus diuinæ voluntatis: in quibus sunt Ferrariensis lib. 1, cont. gent. cap. 83. Bassolis in 1. d. 45. q. 2. a. 3. Lychetus q. vn. concl. 2. De qua re plura inferius de scientia & voluntate Dei libera. Quando verò subinde Deo tribuitur pœnitentia, aut aliqua retractatio voluntatis, intelligendũ id est impropriè, & secundum effectum, iuxta S. Thomam infra q. 19. art. 7.

6 Assertio III. Potest tamen Deus aliter se habere, secundum denominationes extrinsecas, seu respectus rationis, absque vlla sui mutatione. Ita cõmunis Doctorum, cum S. Thoma. 1. p. q. 13. a. 7. & q 7. de potent. a. 8. & in 1. d. 30. q. vn. a. 1. post Anselmum in Monolog. c. 24. & Augustinum li. 5. de Trinit. c. 16. licet olim hac de re dubitauerit, vt videre est li. 12. de ciuit. c. 15. Ratio est. Quia denominationes extrinsecæ, vti & respectus rationis, nec pro fundamento supponũt mutationẽ aliquã in ipso Deo, sed solum in creaturis; nec per se sunt, aut ponũt aliquid reale in Deo, vti patet: nihil ergo obstat eas de nouo DEO aduenire, & circa Deũ variari; vt est denominatio siue relatio Creatoris, Domini; item relatio cogniti, præsentis secundũ indistantiam localem, & similes; idq; citra vllam Dei mutationem; quia vera mutatio non accidit, nisi per veram receptionem, aut amissionem formæ realis in ipsa re existentis. Vnde etiam colligitur, eiusmodi relationes Dei ad creatutas, solum esse rationis, non reales, vt docet S. Thomas loco cit. & 1. p. q. 13. a. 7. Alensis 1. p. q. 4. m. 1. Richardus d. 30. q. 4. ad 6. & communis Theologorum ac Philosophorum, vt suo loco pluribus dicetur.

7 Assertio IV. Immutabilitas hoc modo explicata, ita propriè solius Dei est, vt per nullam potentiam vlli creaturæ possit esse cõmunis. Ita S. Thomas hic 1. p. quæst. 9. a. 2. & in 1. d. 8. q. 3. a. 2. cum Magistro ead. d. 8. ex communi omnium Doctorum consensu. Et colligitur ex citatis Scripturæ testimonijs: idemque passim docent SS. Patres. Optimè Augustinus lib. 2. de moribus Manich. c. 1. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 23. & lib. de recta fid. ad Theodosium, Gregorius Nyssenus lib. de hominis opificio capit. 16. Gregorius Magnus lib. 12. Moral. capit. 17. in illud Iob 15. *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis.* Anselmus in prosologio capit. 22. & in Monologio cap. 28.

Idipsum ratione optimè etiam probat & declarat S. Thomas cit. q. 9. a. 2. Primo enim omnia sunt mutabilia extrinsecè ab ipso Deo, etiam quoad substantiam suam; quia secundum suum esse, & cõseruari perpetuò ac necessariò pendẽt à Deo, iuxta S. Augustinum lib. 4. in Genes. ad lit. cap. 12. adeo vt etiam implicet contradictionem, hac ratione non esse mutabilia; alias enim nec Deus esset Deus; nec ipsæ essent creaturæ: quibus nimirum intrinsecum est dependere in suo Esse à primo Ente. Deinde omnia etiam aliquo modo sunt mutabilia intrinsecè; aut secundum substantiã, vt sunt entia natura sua corruptibilia; aut secundum varia accidentia, præcipuè secundum locum; aut secundum operationem immanentem: priori modo mutabiles sunt cœli; vtroq; modo Angeli, &c. Neque hanc intrinsecam mutabilitatẽm tollere possunt dona gratiæ; etsi possint impedire actũ secundũ, vt pluribus declarat Alensis. 2 p. q. 13. n. 4.

Assertio V. Attributum Immutabilitatis formaliter est negatiuum; etsi pro fundamento habeat perfectionem Entis necessarij. Est communis iuxta S. Thomam 1. p. initio quæstionis tertiæ; & patet ex dictis assert. 1.

DVBIVM II.

In quo consistat attributum æternitatis; & qua ratione sit proprium Dei.

S. Thomas 1. p. q. 10. aa. 6.

SVpponenda est hoc loco definitio æternitatis, ex Boetio lib. 3. de Consolat. prosa. 2. à S. Thoma hic q. 10. a. 1. & in 1. d. 8. q. 2. a. 1. & d. 19. q. 2. a. 1. ac omnibus Scholasticis ibidem recepta: *Est interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio*; quasi dixerit: Est constans & immutabilis, seu independens ac successionis expers permansio siue duratio vitæ, nullo principio aut fine terminabilis, vt declarat S. Thomas hic q. 10. a. 1. In qua definitione, in obliquo ponitur *Vita* (nimirum actualis & substantialis) tanquam proprium subiectum huius quasi passionis; perinde ac si describatur simitas, curuitas nasi: neque enim æternitas hæc vllius alterius rei esse duratio potest, quam viuentis, & quidem perfectissimi, vt dicetur. Hoc posito, quæ ad hoc attributum pertinent, in quibus non pauca sunt inter Scolasticos controuersa, sequẽtibus assertionibus explicamus. 1

Assertio I. Deus verè propriè ac simpliciter est æternus. Ita S. Thomas hic q. 10. art. 2. & in 2. d. 2. q. 1. a. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 15. & de potent. q. 3. a. 17. & opusc. 3. à cap. 5. & consentiunt omnes Doctores; & est de fide ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, de Summa Trinit. & fide Catholic. & ex Symbolo Athanasij. Probatur 2

aperte

apertè ex Scriptura. Prouerb. 8. v. 23. *Ab æterno ordinata sum.* Ecclesiast. 18. v. 1. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Isai. 40. v. 28. *Deus sempiternus Dominus.* Et cap. 57. v. 15. *Excelsus & sublimis, habitans æternitatem.* Michææ 5. v. 2. *Egressus eius ab initio, ab itineribus æternitatis eius.* Rom. 16. v. 26. *Secundum præceptum æterni Dei.*

Huc spectant illa, quæ significant excessum durationis Dei, respectu omnium rerum creatarum, vt Psalm. 89. v. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à sæculo & vsq; in sæculum tu es Deus.* Psalm. 101. v. 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Item Exodi 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum, & vltra;* quod quasi per auxesin dicitur, vt significetur etiamsi quæ duratio vltra æternitatem esset, adhuc in ea futurum Deum; aut certè æternitatem Dei superare omnem durationem creatam, quæ æterna nuncupari possit; eo quod sit tota simul, & per se talis, non per participationem, vt intelligit S. Thomas hîc quæst. 10. art. 2. ad 2.

2 Eandem assertionem passim tradunt SS. Patres. S. Dionysius cap. 10. de diuin. nom. inter alia ait: *Sæculi,* (hoc est, æternitatis) *proprietas est antiquum & immutabile, & totum impartibiliter, secundum totum esse metiens.* Augustinus quæst. 39. in Genes. & quæst. 43. in Exod. & in Psalm. 101. conc. 2. vbi ait: *Æternitas Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit: sed non est ibi, nisi Est.* Et S. Gregorius lib. 16. Moralium, cap. 21. ait: *Æternitatem* (Dei) *nec initio incipi, nec fine terminari, sed esse vnum, quod semper Esse est.* Similia habent Anselmus in Monologio cap. 17. Richardus de S. Victore lib. 2. de Trinit. cap. 2. & Boetius lib. 5. de consolat. prosa vlt. vbi addit: *Deum esse æternum, cunctorum ratione degentium, commune esse iudicium.* Sanè id expresè tradit Aristoteles lib. 8. phys. & lib. 12. metaph.

Idem euidenter probat S. Thomas hîc quæst. 10. art. 2. & lib. 1. cont. gent. cap. 15. ex ipsa immutabilitate Dei, velut radice proxima ac fundamento quasi quodam æternitatis, vt rectè etiam notarunt Suarez lib. 2. de Deo cap. 4. num. 2. Vasquez disp. 31. num. 2. Id enim quod prorsus est immutabile, semper ac necessario est idem, absque vlla varietate & successione, nec potest non esse; ac proinde est propriè æternum. Deus autem est prorsus immutabilis, ex dubio præcedenti. Ergo Deus est propriè æternus, hoc est, absque initio & fine, ac sine omni varietate & successione durationis. Idem probari etiam potest ex eo, quod Deus est Ens necessarium, & ex se, ac per essentiam. Tale enim Ens initium sui Esse habere non potuit; nec habere finem potest: cum sit ens vndiquaque necessarium, vt dictum supra q. 1. dub. 5.

3 Assertio II. Æternitas est vera duratio realis & intrinseca ipsius Dei. Ita S. Thomas hîc quæst. 10. art. 2. cum Caietano, & omnibus Commentatoribus, Alensis in 1. p. quæst. 12. m. 5. Albertus in 1. d. 8. art. 8. Henricus in summa art. 31. quæst. 1. 2. & 3. Richardus in 1. d. 19. art. 2. quæst. 1. Durandus quæst. 2. Scotus quodlib. quæst. 6. art. 1. Capreolus in 1. d. 9. q. vn. art. 2. Gregorius de Valentia hîc quæst. 10 p. 1. Molina quæst. 10. art. 1. disput. 2. Vasquez d. 33. num. 20. adeoque communis Theologorum, contra Aureolum in 1. d. 9. quæst. 2. art. 2. qui ratus, de ratione durationis esse successionem, negauit in Deo formaliter & intrinsecè esse durationem aliquam; etsi concederet, in eo intrinsecè æternitatem, tanquam vim quandam, qua Deus attingit omne tempus, seu omnem durationem imaginabilem; quin etiam fateretur, Deum realiter durare denominatione durantis (sicut & creantis, & conseruantis) desumpta ab aliquo extrinseco.

Probatur assertio. Quia permanentia existentiæ, seu quod idem est, ipsa existentia permanens cuiusque rei est vera & intrinseca duratio ipsius rei, adeoque non magis esse potest extrinseca rei, quam ipsa existentia: Æternitas formaliter prout à cæteris omnibus attributis ratione distinguitur, est permanentia existentiæ ipsius Dei; hæc enim ratio nulli alteri attributo diuino conuenit; & tamen Deo denegari minimè potest: Ergo æternitas est vera & intrinseca duratio Dei, siue ipsius Esse diuini. Fundamentum autem Aureoli in Philosophia velut absurdum ex communi refellitur.

Assertio III. Æternitas, siue intrinseca Dei duratio, per se ac formaliter non includit respectum coexistentiæ ad tempus, etsi verè coexistat tempori, cæterisque rebus creatis. Prima pars est communis apud Gregorium de Valentia, Molinam, & Vasquez locis citatis, & colligitur ex S. Thoma, aliisque citatis, contra Gabrielem in 2. dist. 29. aliosque Nominales; qui docent, Deum formaliter æternum esse, quia coexistit infinito tempori actu vel potentia; quasi formalis conceptus æternitatis inuoluat respectum ad tempus: qui simul etiam supponunt, attributa in Deo inter se & ab essentia formaliter non distingui, nisi per connotationem alicuius extrinseci, quod supra quæst. 1. ex communi refutauimus. 4

Probatur eadem prima pars ex præmissa, & ab omnibus admissa definitione æternitatis, in qua eiusmodi respectus siue coexistentia ad nostrum tempus nusquam exprimitur; ac per se notum est, durationem Existentiæ diuinæ principio & fine carentem, in quo ratio formalis æternitatis consistit, non inuoluere respectum coexistentiæ ad vllum tempus, seu verum seu imaginabile. Vnde etiamsi per impossibile nec tempus vllum fuisset, nec futurum esset, adhuc Deus esset æternus.

Dices 1. Ipsa permanentia existentiæ connotat & supponit existentiam in aliquo tempore, aut saltem durationem priorem: Ergo intrinsecè inuoluit coexistentiæ respectum ad tempus, aut certè durationem aliquam priorem. Respondeo negando assumptum; loquendo de conceptu & ratione permanentiæ, in qua consistit æternitas; hæc enim non est positiuè explicanda, sed solum negatiuè, per negationem inceptionis, quasi videlicet existentia Dei cœperit: qua ratione nullus inuoluitur respectus ad præcedens tempus, vel durationem.

Dices 2. Sicut immensitas se habet ad locum, ita æternitas ad tempus, seu durationem creatam: sed immensitas Dei, iuxta nostrum concipiendi

Digitized by Google

modum, necessario inuoluit respectum saltem potentialem ad locum, seu res creatas: Ergo etiam æternitas ad tempus, seu durationem creatam. Respondeo concedi posse totum: nec enim id negat conclusio; sed solum includere respectum coexistentiæ ad tempus verum, aut imaginarium; siquidem etiam immensitas non includit respectum coexistentiæ ad locum, aut res creatas: sed solum dicit vim in actu primo replendi omnia loca, vt dictum q. 4. dub. 3.

5 Secundam partem tradunt Altisiodorensis lib. 1. cap. 15. quæst. vlt. Alensis 1. p. quæst. 12. m. 6. 9. & 10 Henricus quodlib. 5 quæst. 13. Ægidius in 1. d. 8. p. 2. quæst. 2. art. 4. Scotus quodlib. quæst. 6. art. 1. & in 1. d. 9. quæst. vnic. Durandus in 1. d. 38. quæst. 3. Richardus quodlib. 3. art. 1. quæst. 1. Caietanus, alijque Thomistæ 1. p. quæst. 10. & recentiores loc. cit. ex communi, contra Aureolum in 1. d. 9. quæst. 2. art. 2. & d. 36. quæst. vnic. art. 1. vbi dicit, non esse absolutè dicendum, Deum coexistere tempori, aut alicui rei creatæ: quod significat etiam Anselmus proslog. cap. 19. Probatur ea pars assertionis ex Scriptura Prouerb. 8. vers. 27. vbi de æterna & increata Dei Sapientia dicitur: *Quando præparabat cœlos, aderam; quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Ratio est; Quia vt aliquid verè dicatur coexistere alteri, non est necesse, vt durationes se inuicem exæquent, aut vt illud mensuretur ab altero: aut sub eo contineatur; sed satis est, vt simul existant, ita vt quando vnum est, etiam sit alterum; sed Deus etsi propriè non sit in tempore, quia non mensuratur, nec continetur tempore, quod omnes fatentur; simul tamen cum tempore, alijsque rebus creatis existit; quamuis interim infinitè excedat durationem seu existentiam cuiuslibet rei creatæ: Ergo verè coexistit tempori, alijsque rebus creatis; etiamsi horum coexistentia cum Deo non sit adæquata, sed inadæquata.

6 Eodem modo loquuntur SS. Patres, speciatim Augustinus tractat. 99. in Ioann. Nec contrarium sentit Anselmus loc. cit. satis enim ibidem & cap. 22. se explicat ad eum modum, quem habet Richardus Victorinus lib 2. de Trinitate, cap. 23 vbi ait: *Sicut in omni loco est præsentialiter, in nullo localiter; sic in omni tempore est æternaliter, in nullo temporaliter: sicut enim per loca non distenditur, qui summè simplex & incompositus est; sic nec per tempora variatur, qui æternus & incommutabilis est.*

Assertio IV. Æternitas differt ratione ratiocinata non solum ab immutabilitate, sed etiam ab existentia, seu vita diuina, cuius est duratio. Ita communis; & sumitur ex Boetio, & S. Thoma, alijsque citatis, qui non solum æternitatem pro attributo ab immutabilitate distincto habent; sed etiam æternitatem constituunt quasi proprietatem, seu modum ac mensuram existentiæ, vt dicemus, ipsamque æternitatem definiunt per vitam Dei in obliquo; quod rectè non fieret, si solum ratione ratiocinante distingueretur à vita, seu existentia diuina.

Ratio primæ partis est; quia æternitas formaliter significat durationem realem & immutabiliter ac necessario permanentem, omnique successione, principio & fine carentem; non ita immutabilitas. Ratio secundæ partis est: Quia in diuinis, quæ respondent perfectionibus creatis distinctis prædicamento, distinguuntur ratione, cum fundamento in re; adeoque ratione ratiocinata, vt dictum etiam q. 2. dub. 3. At verò existentia substantiæ creatæ pertinet, aut reuocatur ad prædicamentum substantiæ; Duratio verò ad prædicamentum Quantitatis, aut Quando, &c. Omitto eos, qui dixerunt, æternitatem esse modum ex natura rei distinctum ab essentia diuina; quod docet Mayron in 1. d. 8. q. 5. & probabile censet Scotus quodlib. q. 6. quod refutauimus vniuersim cit. q 2. dub. 2.

An verò æternitas distinguatur etiam virtualiter ab ipsa existentia, seu vita diuina; an verò solum per negationem terminabilitatis, & successionis; aut etiam connotationem alicuius extrinseci v. g. temporis, &c. ex eo pendet, an in rebus creatis duratio à parte rei differat ab existentia, siue tempus à motu, cuius est duratio. Si enim hæc ita differunt, tum quia diuina existentia & æternitas respondent rebus, quæ in creaturis sunt à parte rei distinctæ, etiam ipsa virtualiter distinguuntur; sin autem, quod docent Nominales, Ockam in 2. quæst. 10. & 12. & Gregorius in 2. d. 2. quæst. 1. art. 1. Gabriel quæst. 1. a. 1. & communior habet Philosophorum & Theologorum sententia: duratio rei creatæ solum ratione differt ab existentia; ita vt aliud non sit, quam existentia ipsa cum negatione desitionis, vel simul etiam cum suppositione præteritæ inceptionis; sunt æternitas nihil addet existentiæ, seu vitæ actuali Dei, nisi negationem terminabilitatis & successionis, & vt quidam dicunt, etiam aliquam connotationem ad aliquid extrinsecum; ac proinde non distinguetur propriè virtualiter ab existentia diuina; cum non respondeat perfectionibus creatis reipsa distinctis: quæ etiam communior est Doctorum sententia, vt dictum. 7

Assertio V. Æternitas habet quidem aliquo modo mensuræ rationem (improprie) tum respectu omnis durationis creatæ, tum etiam respectu ipsius existentiæ & durationis, seu vitæ diuinæ, tamen ratio eius intrinseca non consistit in ea ratione mensuræ. Prior pars vtraque est communis Doctorum, post S. Dionysium cit. cap. 10. de diuin. nom. vbi æuo seu æternitati tribuit *totum secundum totum esse metiri.* Eam speciatim de mensura omnis creatæ durationis tradunt S. Thomas in 1. d. 19. q. 2. a. 1 & 2. Albertus in 1. d. 8. a. 8. 9. 10. Alensis 1. p. q. 12. m. 9. a. 3. & 4. Capreolus d. 9. q. vn. a. 2. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 66. 8

De mensura verò ipsius durationis seu vitæ diuinæ tradunt id S. Thomas hîc q. 10. a 4. & in 1. d. 8. quæst. 2. a. 1. Albertus, Alensis locis cit. Ferrariensis loc. cit. cap. 15. Ægidius dist. 8. p. 2. quæst. 2. Henricus in sum. art. 31. quæst. 2. Richardus in 1. d. 19. art. 2. q 1. Carthusianus in 1. d. 8. q. 3. Caietanus hîc q. 10. art. 5. Gregorius de Valentia q 10. p. 1. Molina q. 10. a. 1. disp. 3. Suarez metaph. d. 50. à num. 9 & seqq. etsi quoad vtrumque membrum contrarium asserant Durandus in d. 19. q. 2. Ockam in 2. q. 13. Gabriel in 2. d. 2. quæst. 1. a. 3 qui non agnoscunt in 9

Digitized by Google

æternitate rationem mensuræ, quos sequitur Vasquez disput. 31. cap 5. vbi docet æternitatis conceptum compleri quidem per aliquid rationis; at non mensuræ; sed negationis mensuræ: cum tamen certè negatio entis rationis, propriè non sit aliquid rationis, vt rectè Suarez cit. num 9.

Probatur ea pars assertionis, quoad primum membrum. Quia iuxta Aristotelem lib. 10. metaph. cap. 2. primum in vnoquoque genere, est mensura cæterorum: æternitas verò in genere durationis est prima, vt patet. Deinde æternitas est duratio maximè vniformis, simplex, æquipollens durationi cuilibet creatæ, illi iqúe homogenea, saltem secundum rationem communem analogicam (quod sufficit;) est item reipsa distincta à duratione qualibetcreata, sua natura etiam notior illâ, & comparabilis cum duratione creata; ita vt quo quæque magis ad illam accedit, adeoque à principio aut fine recedit, magisque simplex & stabilis est, eo etiam sit perfectior, longior, &c. Ergo nulla conditio ad mensuram requisita ab Aristotele lib. 10. metaph. cap. 2. & 3. deest æternitati, comparatæ cum durationibus creatis.

9 Nec obstat, quòd æternitas non sit minima in genere durationis; quod tamen requirit Aristoteles ibidem. Id enim solum verum habet de mensura, quæ per repetitionem planè adæquare debet mensuratum; cum interim ipsemet Aristoteles 4. Physic. cap. 12. text. 116. tempore mensurari doceat breuissimum etiam quemque motum, adeoque ea, quæ à tempore exceduntur. Fatendum tamen, æternitatem nobis quidem in actu secundo non solere esse mensuram & regulam cognoscendæ durationis rerum inferiorum; quia actu & reipsa nobis non est notior; quod ad actualem mensuram requiritur.

Probatur eadem pars assertionis quoad alterum membrum. Quia concipiendo rationem æternitatis, eamque applicando ipsi Deo, quatenus existit, seu quod idem est, existentiæ ac vitæ ipsius, aut etiam durationis in confuso acceptæ; cognoscimus, quanta sit duratio, siue existentia Dei. Ergo secundum rationem nostram rectè dici potest æternitas, mensura quasi quædam intrinseca, siue Dei, nimirum vt existentis, siue vitæ ac existentiæ ipsius: promiscuè enim ac sensu eodem ita loquuntur Doctores. Et confirmatur idipsum ex Aristotele lib. 10 metaph. cap 2. vbi ait, mensuram esse, qua cognoscitur quantum, latè nimirum acceptum, etiam pro virtualiter extenso, &c.

Et hoc est, quod dixit S. Thomas hîc q. 10. a. 2. ad 3. *accipi in æternitate rationem mensuræ, secundum apprehensionem nostram tantum.* Quia tamen æternitas ipsa infinita est, non propriè habet rationem mensuræ; sed solum improprie, vt expresè docet Capreolus loco cit. idque multo verius est respectu ipsius existentiæ, siue durationis diuinæ; tum quia ab ea nullo modo à parte rei distinguitur: tum quia ea ipsa etiam infinita est; mensurari autem cum idem sit, quod mensurâ definiri & determinari, propriè non potest, nisi quod finitum est, iuxta S. Thomam in 1. d. 19. quæst. 1. art. 1. ad 4. quod recte etiam notauit Gregorius de Valentia loco cit. idque ipsum in assertione indicauimus, addendo nomen *improprie.*

Posterior pars assertionis est contra Ferrariensem 10
lib. 1. cont gent. cap. 15. Gregorium de Valentia hîc q. 10. p. 1. qui docent, ad rationem formalem æternitatis pertinere aliquid reale, videlicet durationem sine principio, & fine; & aliquid rationis, nempe mensuram diuinæ substantiæ, seu durationis ad eum modum, quo tempus dicitur numerus motus. Cui sententiæ non parum etiam fauent S. Thomas eodem art. 1. & a. 2. ad 3, & a. 4 in corp & ad 1. & 3, & in 1. d. 19, q. 2. a. 1. item Albertus in 1. d. 9. a. 8 Henricus in summa artic. 31. quæst. 2. & ex parte Caietanus hîc quæst. 10. art. 1. Huc spectant etiam alij recentiores quidam Thomistæ, qui rationem mensuræ saltem in obliquo connotari docent conceptu æternitatis.

Nostræ verò assertionis partem præter Durandum, Ockamum, Gabrielem & Vasquez, qui absolutè negat, æternitatem habere rationem mensuræ, tradunt Molina hîc q. 10. a. 1. disp. 3. Suarez metaph. disp. 50. à num. 9. Gilliuslib 2. tract. 10. cap. 9. num. 4. & communiter recentiores; nec dissentit Caietanus loc. cit. si bene expendatur. Probatur. Quia nec in definitione æternitatis exprimitur ratio mensuræ; nec sub eo nomine, iuxta communem modum concipiendi, formari solet conceptus mensuræ; nec duratio, vt sic in genere includit rationem mensuræ, quod opposita sententia supponit. Accedit, quòd æternitas propriè non habet rationem mensuræ respectu substantiæ seu existentiæ, & durationis diuinæ, vt dictum; denique Deus propriè & formaliter esset æternus, quamuis eam rationem mensuræ, quæ nonnisi per intellectum illi aduenit, vt dictum, nemo conciperet, aut concipere posset.

Nec obstat, quòd de ratione temporis est mensura; nam & hoc ipsum probabiliter multi negant: deinde est diuersa ratio temporis, quia iuxta vsum loquendi Aristotelis, & Philosophorum, tempus, vt est mensura motus, non dicitur ipsa per se sola duratio intrinseca cuiusque motus; sed solum duratio primi mobilis; æternitas autem, vt ex definitione, & modo communi concipiendi patet, dicit ipsam intrinsecam durationem ipsius vitæ, seu existentiæ diuinæ, sine relatione mensuræ.

Assertio VI. Ratio æternitatis tota est realis; 11
pro materiali significans vitam seu existentiam Dei; formaliter autem durationem, cum negatione successionis, & termini etiam potentialis; qua negatione vltimatè completur. Ita sentiunt Caietanus hîc quæst. 10. artic. 1. Molina, Suarez loco citat Gillius cit. tractat. 10 cap. 10. & colligitur ex citata definitione Æternitatis ab omnibus admissa, quam re ipsa etiam tradit & quasi explicat Anselmus in Monolog. cap. 24. vbi ait: *Cum diuina substantia non sit aliud, nisi vita sua; nec æternitas sua, sit aliquo modo terminabilis, nec nisi simul & perfectè tota, quid aliud est vera æternitas, quæ soli illi conuenit, quam interminabilis vita, simul & perfectè tota existens?* Idem tradunt S. Augustinus, & S. Gregorius initio citati.

Probatur & declaratur. Primo enim æternitas reipsa non distinguitur vllo modo ab ipsa substantia, & vita seu existentia Dei; cuius etiam veluti subiecti passio quasi quædam, vel modus est.

Secundo formaliter esse durationem ipsius vitæ diuinæ, patet ex assert. 2. Tertio includere negationem successionis, patet ex illa particula definitionis. *Tota simul;* qua ratione etiam differt essentialiter à tempore. Quarto includere negationem termini, non solum actualis, sed etiam potentialis, patet ex vocula *Interminabilis*. Denique hac ratione vltimatè compleri rationem æternitatis, ex eo probatur, quia per negationem successionis, contrahitur duratio solum ad rationem quandam communem æternitati, & alijs quibusdam durationibus creatis, vt sunt æuum, & instans temporis discreti, &c. Per negationem autem termini actualis, solum excluditur duratio quælibet actualis finita; non autem duratio creata infinita, qualis, & si quæ creaturæ potest communicari; nam infinitam à parte post esse æuum Angelicum, omnes concedunt; à parte etiam ante infinitam durationem creaturæ communicari posse, multi existimant; de quo alibi.

Per solam verò negationem termini, etiam potentialis, ex vtraque parte, distinguitur æternitas ab omni alia duratione; qualis nulla esse potest nisi increata; omnis autem creata duratio est intrinsecè terminabilis, saltem per respectum ad potentiam Dei: qui & quolibet momento quamlibet rem creatam potest annihilare, & si quam creaturam etiam produxisset ab æterno, potuisset tamen non producere; quo ipso iam finita & limitata fuisset duratio ipsius creaturæ. E contrario verò duratio Dei non potest vllo termino, seu principij, seu finis vlla potentia definiri, aut claudi, ac proinde simpliciter & absolutè est interminabilis; Cum ergo hac negatione æternitas seu duratio diuina vltimatè distinguatur ab omni duratione creata, sequitur, rationem æternitatis ea ipsa negatione vltimatè compleri.

Et confirmatur assertio. Quia ratio æternitatis nec includit intrinsecè respectum rationis ad tempus, vt dictum assert. 3. nec rationem siue relationem mensuræ, vt dictum assert 5. Ergo tota est realis, sic tamen, vt eius ratio supradictis negationibus modo explicato compleatur.

12 Assertio VII. Æternitas Dei extendit se ad omnia, quæ intra Deum sunt. Est extra controuersiam, & patet tum ex simplicitate Dei; tum quia de ratione rei simpliciter æternæ est, vt nulla sit in ea variatio & successio: ea proinde etiam ad operationes Dei immanentes liberas pertinet; prout secundum suam entitatem spectantur, vt bene declarat Suarez 1. p. lib. 2. de Deo cap. 4. num. 5. & infra suo loco pluribus dicetur.

Assertio VIII. Æternitas perfecta, modo explicato, est attributum Dei ita proprium, vt per nullam potentiam vlli creaturæ possit communicari. Ita S. Thomas hîc q. 10. a. 3 & est de fide 1. Tim. 6. v. 16. *Qui solus habet immortalitatem*, hoc est immutabilitatem: ex qua adæquatè sequitur æternitas, vt dictum, & rectè S. Thomas ibidem. Rationes aliæ constant ex dictis: solius enim Dei duratio est planè interminabilis: solius etiam Dei duratio est planè independens; quod significari in definitione æternitatis per vocula *perfecta* notarunt Henricus in summa art. 31. q. 1. Scotus quodlib. q. 6. Lychetus ibidem, & alij: etsi alij aliter explicant.

13 Assertio IX. Secundum analogiam tamen quandam, & impropriè, ac per participationem, etiam res creatæ quædam rectè dicuntur æternæ. Ita S. Thomas hîc q. 10. cit. a. 3. ex communi omnium. Probatur & declaratur ex S. Thoma ibidem. Quia æternitas fundatur in immutabilitate: quæ proinde, prout magis vel minus participatur à creaturis, ita etiam ipsæ magis, vel minus accedunt ad rationem æternitatis; iuxta ipsius etiam Scripturæ consuetam phrasin. Primo enim quædam ideo solum in Scriptura dicuntur æterna, quia licet secundum ipsam etiam substantiam obnoxia sint mutabilitati, vtpote entia corruptibilia, ac forte etiam aliquando finem habitura, actu tamen ac reipsa, vel semper, vel certè longissimo tempore durant, aut durarunt, sicut inquit S. Thomas in *psalmis* (Psalm. 75. v. 4) *dicuntur montes æterni;* & Deut. 33. v. 15. in benedictione Ioseph fit mentio de *pomis collium æternorum;* & eodem modo intelligitur illud Ecclesiast. 1. v. 4. *Terra in æternum stat:* & illud Matthæi 25. v. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et Psalm. 76. v. 6. dicitur: *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Et Rom. vlt. v. 25. mysterium conuersionis gentium, dicitur *tacitum temporibus æternis*. Eodemque sensu passim in Scriptura vocantur præcepta seu mandata Dei æterna, fœdus sempiternum, pactum Sacerdotij sempiternum, vt videre est Num. 25. Genes. 9. & 17.

Secundo quædam dicuntur æterna, eo quod secundum substantiam suam natura sua non sunt obnoxia corruptioni, ac reipsa carent fine durationis, vti cœlum, & Angeli, ad quos etiam refert S. Thomas illud Psalm. 75. v. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*. Quod ab alijs ad Patriarchas & Prophetas refertur. 14

Tertio, perfectiori participatione quædam dicuntur æterna, præter durationis perpetuitatem, quod etiam secundum vnum saltem operationis modum & genus, expertia sunt mutationis, & mutabilitatis, vt sunt Angeli, & anima, seu homines beati: quia quantum ad illam visionem Verbi, *non sunt in Sanctis volubiles cogitationes*, vt dicit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 16. Qua de causa etiam videntes Deum, dicuntur habere vitam æternam, secundum illud Ioan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, &c.*

Denique huc spectat, quòd essentiæ rerum dicuntur æternæ, siue prout obiectiuè sunt in mente diuina, vt explicat S. Thomas eod. a. 3. ad 3. siue quia sunt æternæ veritatis, quoad conuenientiam prædicatorum essentialium ac necessariorum, quæ abstrahunt ab existentia, vt exprimit Vasquez eod. art. 3. ex communi. Plura de hac re habent S. Dionysius cap. 10. de diuin. nom. Damascenus lib. 2. fid. cap. 1. Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 4. Alensis 1. part. q. 12. m. 1. a. 1. & 2.

Assertio X. Nulla tamen res creata de facto est æterna, ea participatione æternitatis, quæ principium simul & finem durationis excludat: ac licet aliquo sensu dici possit, res omnes esse præsentes realiter Deo in æternitate; non tamen simul, aut semper, aut ab æterno. Prior pars est extra controuersiam, & de fide: & patet ex illo Genes. 1. v. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Vnde constat, mundum non fuisse ab æterno, sed in tempore incepisse, 15

Digitized by Google

pisse, vt omnes Christiani contra Aristotelem consentiunt; de quo alibi plura.

16 Secundam partem tradit S. Thomas lib. 1. cont. gent. cap. 66. & 1. p. q. 14. a. 13. & in 2. d. 7. q. 2. a. 2. & omnes Thomistæ, nominatim Ferrariensis eod. cap. 66. & 67. Capreolus in 1. d. 36. q. vn. a. 2. Caietanus 1. p. q. 14. a. 13. item Richardus quodlib. 3. a. 1. q. 1. a. 2. & 3. & in 1. d. 38. q. 5. Marsilius in 1. q. 40. a. 2. Corduba q. 55. dub. 8. Molina hîc q. 14. a. 13 d. 13. & recentiores communiter; eodemque modo expresse loquitur Anselmus in Monolog. cap. 22. & in prosol. c. 20. etsi Deo omnia præsentia esse in æternitate negent Alensis 1. part q. 23. m. 4. a. 3. Bonaventura in 1. d. 35. in com. dub. 6. & d. 39. a. 2. q. 3. & d. 41. a. 2. q. 1. Scotus cum suis in 1. d. 39 q. 1. Durandus d. 38. q. 3. Aureolus d. 36. q. 1. a. 1. & d. 38. q. vn. a. 1. Ariminensis d. 38. q. 2. a. 2. Gabriel q. vn. a. 2. & fauet S. Augustinus lib. 12. de ciuit. c. 25. vbi ait: *Antequam fierent* (creaturæ) *non fuerunt; sed ante deo, æternitate, non tempore.* Sed in re non est dissensio, vt inferius dicetur.

Probatur ea pars assertionis. Quia verbum *Est* aut *existit*, non semper dicit respectum ad tempus præsens, seu instans præsentis temporis, quo aliquid affirmatur Esse vel existere, sed quando coniungitur cum aliqua duratione complectente non solum tempus præsens, sed etiam præteritum, aut futurum, significat aliquando existentiam pro aliquo tempore præterito, aut futuro, comprehenso intra eam durationem, cui coniungitur, præcipuè si hæc duratio adhuc perseueret. Ita enim dicimus, Hoc anno dies Paschæ v. g. est 19. Aprilis; dies S. Matthiæ est ante Quadragesimam; sunt sex Eclypses: idque sæpe etiam dicitur toto Anni decursu, etiamsi dies S. Matthiæ, Paschatis aut vna alteráve Eclipsis iam præterierint; solum enim volumus dicere, ipsum Annum totum secundum diuersas sui partes complecti sex Eclipses, item diem Paschatis incidere in diem 19. Aprilis, &c.

Simili ergo etiam modo, & ratione maiori, quia æternitas semper eadem, & tota simul inuariabiliter existit, resque omnes, & omnia tempora complectitur, non solum præsentia, sed etiam præterita, & futura; verè dici aliquo sensu potest, in æternitate verè & realiter existere omnia, quæ sunt, præsentia, præterita, & futura; ita vt dici possit; Romulus coexistit æternitati, Antichristus coexistit æternitati, &c. non quidem cum respectu ad tempus præsens, quo dicimus eos coexistere æternitati; sed cum respectu ad illud tempus, seu pro illo tempore, quo existunt, seu quo habent, aut habuerunt, vel habituri sunt existentiam. Et hoc est, quod Caietanus, Ferrariensis, & Molina fatentur, propositiones eiusmodi esse falsas, si vti communiter fieri solet, verbum consignificet tempus; veras autem, si consignificet *Nunc æternitatis.*

17 Vnde colligitur tertia pars, quam non solum tradunt authores citati contra præcedentem partem, sed etiam recentiores plærique, adeoque communis Doctorum sententia. Et probatur. Quia qui dicit, res creatas semper, aut simul, aut ab æterno realiter esse præsentes Deo, significat res easdem omni tempore, ac simultanea duratione & existentia, atque ante initium temporis, coexistere Deo, seu realiter esse præsentes Deo; quæ tamen omnia falsa sunt; vt rectè Gregorius de Valentia q. 14. p. 5. Vasquez disp. 64. cap. 5. Suarez cit. opusc. 2. lib. 1. c. 7. Gillius lib. 2. tract 10. c. 17. etsi quidam, præcipue Thomistæ recentiores, pro se citantes S. Thomam locis citatis, aliter loquantur, in quibus Abulensis in cap. 11. Iosue q. 21. Capreolus cit. d. 36. q. vn. art. 2. Molina q. 14. d. 13. dicunt res creatas simul esse præsentes, aut coexistere Deo. Idem verò Abulensis loc. cit. Richardus cit. quodlib. 3. a. 1. q. 1. art. 3. Ferrariensis cit. cap. 66. Caietanus cit. q. 14. a. 13. dicunt, eas semper esse præsentes Deo; denique res esse præsentes Deo ab æterno, vel ex æternitate, concedunt etiam Richardus, Capreolus, Caietanus, Molina locis cit.

Contra quos etiam multi non secus disputant, tanquam si de re ipsa esset controuersia. Sed vt rectè aduertit Vasquez c. 2. & perspicuum est legenti Caietanum hic, auctores isti in re aliud non volunt, quam creaturas omnes in quolibet *Nunc* aut instanti, non temporis, sed ipsius æternitatis, quæ tota simul est, tunc, quando sunt, esse præsentes & coexistere æternitati ipsius Dei; quod in re, iuxta modum antea explicatum, verissimum est.

Potius igitur improbandus loquendi modus, cum de re inter omnes constet: quia de fide est, mundum, adeoque res istas ab æterno non fuisse creatas ac productas: nec verò aliud Esse reale ac proprium habere, quam creatum & productum; nec aliunde, quam per creationem seu productionem, vt antea dictum. S. Thomas verò locis cit. aut solum loquitur de præsentia obiectiua, vt post Heruæum in 1. d. 38. item Ægidium, Syluestrum, Dezam (Thomistas omnes) intelligunt Valentia & Vasquez cap. 5. aut loquitur iuxta sensum secundæ partis antea traditæ, vt post Capreolum, Ferrariensem, Caietanum, Catharinum, Hispalensem existimat Gillius loc. cit. cap. 16. num. 6. An verò res aliqua creata potuerit produci ab æterno, inferius dicetur disp. 6.

DVBIVM III.

An, & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse vnum.

S. Thom. 1. p. q. 11. aa. 4.

NOtandum primo, dupliciter aliquid vnum dici posse; primo absolutè ac præcisiuè; qua ratione dicitur passio (simplex) entis, & à S. Thoms hîc q. 11. a. 1. alijsque communiter in negatione diuisionis (scilicet in plura talia, quale ipsum est) posita esse censetur, non tamen simul negando, seu excludendo consortium siue coexistentiam aliorum similium, seu plurium entium eiusdem rationis; quomodo Socrates dicitur vnus homo; cum tamen interim vtiq; plures sint homines eiusdem rationis cum Socrate. Secundo dici potest aliquid vnum exclusiuè, quatenus videlicet simul excludit consortium, siue coexistentiam aliorum similium, seu alterius entis eiusdem rationis, secundum quam dicitur vnum; quo modo res aliqua propriè vnica dicitur, vti sol est vnus in terris, non tamen vnus homo, vnus equus; quia licet quilibet homo, & quilibet equus sit vnus tantum, absolutè tamen sunt plures in terra homines, plures equi. Obseruat autem S. Thomas eadem quæst. 11. artic. 2. ad 4. iuxta nostrum concipiendi

cum ratio indiuisionis in se ipso illi vel maximè conueniat. Nec verum est, vnitatem transcendentaem, quicquid sit de prædicamentali, aliquod accidens superaddere Enti, vt ex communi dictum. Nec vnitas illa dicitur priuatio strictè, quasi aptitudinem ad oppositam formam in subiecto supponat; sed latè, quia supponit subiectum. Neque Deus dicitur sua vnitas, aut ipsa vnitas, si hæc sumatur formaliter, pro negatione; sed fundamentaliter, quatenus priuatio etiam inuoluit fundamentum.

Assertio IV. Deus non est vnus indiuidualiter secundum suppositum, seu vnitate suppositi. Est de fide, ex materia de Trinitate; vnde constat, in vna & eadem singulari natura diuina esse tria supposita, siue tres personas. Neque verò rationes, quas contra pluralitatem seu diuisionem indiuidualem naturæ diuinę attulimus, pugnant contra pluralitatē personarū in vna & eadem natura diuina, vt partim consideranti patebit, partim suo loco magis declarabitur.

10 Assertio V. Etsi quidem Deus non sit proprie vnus numero, iuxta vsum vocabulorū magis receptum; nihil tamen obstat, quo minus dicatur vnus numero, si numerus paulo latiori acceptione extendatur ad transcendentem. Primam partem tradunt S. Thomas hic q. 11. a. 3. ad 2. & in 1. d. 24. q. 1. a. 1. & q. 9. de potentia a. 7. cum suis ibidem, Bonauentura in 1. d. 24. a. 1. q. 1. Richardus a. 1. q. 1. Scotus q. vn. Bassolis q. vn. a. 2. Aureolus a. 4. Henricus in Sum. art. 29. q. 7. qui posteriores, excepto S. Thoma, absolute negant, Deum esse vnum numero. Quo modo sæpe loquuntur etiam Patres, Ambrosius lib. 8. in cap. 18. Lucæ, Basilius epist. 14. Bernardus lib. 5. de considerat. Item Ruffinus in exposit. Symboli, in illa verba, *In vnum Deum.*

Ex quibus etiam sumitur ratio I. Quia vnum numero, iuxta vsum vocabulorum magis receptum, est principium numeri, seu multitudinis existentis, aut saltem possibilis, secundum idem nomen; ita enim dicimus Socratem esse vnum numero hominem; quia sunt plures secundum idem nomen; quorum numerandorum principium esse potest Socrates; at verò Deus nullo modo est multiplicabilis; non ergo ita propriè dicitur; Deus est vnus numero. Et hanc rationem habent Ruffinus & S. Bernardus locis cit. qui propterea etiam dicunt, Deum vnum dici, non numero, sed vniuersitate. II. Quia apud Philosophos recepto loquendi vsu, numerus est multitudo non quælibet, sed in quantitate discreta, quæ constat vnitatibus quantitatiuis, vt patet ex Aristotele in prædicamento Quantitatis: talis autem vnitas numerica non conuenit Deo, vt patet. Quo sensu etiam Basilius loc. cit. dixit, Deum non esse vnum numero, quia numerus est *corporalis naturæ.*

Secundam partem tradunt Alensis 1. p. q. 13. m. 3. Ariminensis d. 24. q. 1. a. 2. Marsilius q. 27. a. 1. Mayron. q. 4. prolog. & videtur communis. Probatur. Quia omnis multitudo entium constituit numerum saltem transcendentalem: sic enim etiam dicimus esse tres personas diuinas; item duas naturas & voluntates Christi; iuxta ipsius Scripturæ & Ecclesiæ doctrinam: atqui ex omni vnitate multiplicata coalescit multitudo; ergo etiam ex omni vnitate multiplicata coalescit numerus. Ergo cum Deo propriè conueniat vnitas transcendentalis, ea simul iuncta cum alijs entibus creatis, quibuscum in ratione saltem analogica entis conuenit, constituet numerum: ac proinde rectè hoc modo dici poterit, Deus vnus numero, hoc est, qui cum & in se sit indiuisus, & diuisus ab alijs entibus, vna cum ijsdem possit numerum constituere. Accedit quod etiamsi Deus secundum rationem Deitatis, non possit dici vnus numero positiue; quasi nimirum connumerabilis alijs sub ratione eiusdem nominis; potest tamen dici vnus numero negatiue; non quia sit vnus ex aliquo numero secundum idem nomen, sed quia in se ipso caret numero; quo modo etiam Solem dicimus vnum numero Solem. Neque contra hanc sententiam hoc modo explicatā vim habent argumenta, quę ab oppositæ sententiæ authoribus adferūtur.

Assertio VI. Deus secundum essentiam est maximè vnus; adeo vt nulla res creata, vlla potentia ad vnitatis ei⁹ perfectionem possit pertingere. Ita S. Thomas hic q. 11. a. 4 & in 1. d 24. q. 1. & communis omnium Doctorum; quam sæpe etiam tradunt Patres, maximè cum Deum vocant ipsam *Vnitatem*; in quibus sunt Ambrosius in Symbolum Apost. cap. 1. Marius Victorinus libro 1. contra Arrium, Anselmus in prosolog. cap 18. post antiquos Philosophos, apud Eugubinum lib. 3. perenn. Phil. cap. 5. 6. 7. 11

Probatur & declaratur ratione S. Thomæ. Quia vnū, idem est, quod Ens indiuisum: ac proinde id est maximè vnū, quod est maximè Ens, & maximè indiuisū: sed De⁹ est maximè Ens, vt patet ex dictis, & maximè indiuisū, quod probatur. Quia tametsi indiuisio, prout formaliter est priuatio diuisionis rei cuiusque in se, siue in se ipsa, excludens scilicet pluralitatem sub eodem nomine & ratione, non recipiat magis ac minus; recipit tamen absolutè spectata, secundum quod & vndecunque maiorem vel minorem indiuisionem & simplicitatem coniunctam habet; & ipsa diuisio, quam negat, est minor; vel magis etiam (non solum secundum actum, sed etiam secundum potentiam) diuisionem eiusdem generis negat. Quo modo vnum specie magis vnum est, quam vnum genere; & vnum numero magis, quam vnum specie: & rursum vnum numero magis hoc modo vnum est, cui repugnat omnis multiplicatio numerica, etiam in sua specie, quam id, quod solum habet actualem indiuisionem numericam; & rursum vtrouis modo illud, quod magis simplex est, ac minus habet in se compositionis.

Iam verò natura diuina, siue Deus secundum naturam ita vnus est indiuiduâ vnitate, seu indiuisione non solum actuali, sed etiam potentiali, vt implicet contradictionem, esse plures numero Deos; quod nulli naturæ creatæ conuenit. Deinde etiam non habet in se, siue in sua essentia, pluralitatem vllam, etiam secundum quid, seu in quocunque genere entis, ob summam simplicitatem, vt dictum quæst. 2. dub. 1. Est ergo Deus maximè vnus. Et confirmatur. Quia vnum opponitur diuisioni & multitudini; Ergo vbi est maior indiuisio, & minor pluralitas, est etiam maior vnitas; in Deo est maior indiuisio, & minor pluralitas, quam in re vlla creata esse possit, vt dictum, Ergo, &c.

Nec obstat, quod in Deo sint plures personæ. Nam ea pluralitas non est in ipsa natura, siue secundū naturā; sed in personis, in quibus non est in Deo vnitas,

vt

vt dictum, sed Trinitas. Dices. Hinc saltem consequi, maiorem esse vnitatem vnius cuiuslibet personæ diuinæ, quam naturæ: quia hæc admittit pluralitatem personarum; quam illa excludit. Respondeo, negando assumptam sequelam. Cum enim ratio summæ vnitatis consistat in negatione omnis diuisionis, seu multitudinis realis, tam actualis, quam potentialis, iam verò & Deus, siue natura diuina, & persona quælibet, ex æquo careant omni diuisione & diuisibilitate à parte rei, non potest vnitas perfectior & maior esse vnius, quam alterius. Nec pluralitas impedit vnitatem rei, nisi quæ vel rem ipsam à parte rei diuidit, vel constituit, vel saltem, cum ea compositionem facit: quorum nihil Trinitati personarum conuenit, respectu naturæ diuinæ; neque enim vel natura diuina ea Trinitate diuiditur, aut plurificatur: neque constituitur; neque vna cum ipsa compositionem ullam facit; sed cum tribus personis ipsa, in se vna & simplicissima existens, perfectissimè identificatur, vt dictum supra quæst. 2. dub. 1. de simplicitate Dei, & magis patebit in materia de Trinitate. Vnde etiam S. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 7. & 8. ait; inter omnia, quæ vna dicuntur, *arcem tenere vnitatem Trinitatis*, qua tres personæ in vna substantia sunt.

QVÆSTIO VI.

De Visione, ac Incomprehensibilitate Dei, seu modo cognoscendi Deum.

S. Thomas 1. p. q. 12. aa. 13.

1 *ABsoluetur hæc quæstio duodecim dubitationibus. I. An Deus clarè & intuitiuè ab intellectu creato videri possit; & an etiam oculis corporeis; ac in hac vitâ. II. An Deus videatur, aut quidditatiuè videri seu cognosci possit, per aliquam similitudinem vel speciem creatam, seu cognitione abstractiuâ; seu intuitiuâ; etiam secundùm potentiam absolutam. III. An intellectus creatus videre Deum possit, naturalibus viribus; an potius indigeat ad hoc supernaturali aliquo lumine & habitu, etiam secundùm absolutam Dei potentiam. IV. Vtrùm visio effectiuè procedat ab intellectu beati; & quodnam in eâre sit proprium munus luminis gloriæ. V. An, & quânam ratione, videntium Essentiam Dei, vnus alio perfectius Deum videat. VI. Vtrum Deus etiam comprehendi possit ab intellectu creato; & in quo hæc Dei Incomprehensibilitas consistat. VII. Vtrum videns Essentiam Dei necessariò videat etiam relationes, seu personas; & omnia, quæ sunt formaliter in Deo. VIII. An à beatis, in Deo, seu Verbo, videri possint etiam creaturæ, & decreta liberæ diuinæ voluntatis. IX. Quânam ratione & modo in Verbo videantur creaturæ; & vnde oriatur diuersitas visionis creaturarum in Verbo X. Quæ, & quandonam à beatis singulis in Verbo videantur creaturæ. XI. Vtrum saltem per absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri possit Deus, non visâ vllâ creaturâ. XII. Vtrum per absolutam potentiam fieri possit, vt in Deo, seu Verbo videantur omnia, quæ in Deo eminenter continentur. Ex quibus quatuor priores dubitationes pertinent ad causam efficientem visionis Dei; quinta verò & sexta ad ipsam per se visionem, seu modum visionis; sex postremæ ad obiectum visionis.*

DVBIVM I.

An Deus clarè & intuitiuè, seu quidditatiuè ab intellectu creato videri possit; & an etiam oculis corporeis; atq; in hac vita.

S. Thomas 1. p. q. 12. a. 1. 3. 11. 12. & 13.

2 S. Thomas initio huius quæstionis 12. hanc quæstionem de Visione & Incomprehensibilitate Dei, seu de modo cognoscendi Deum, cum præcedentibus ita connectit, vt significet, in eâ non explicari peculiare aliquod attributum Dei; sed solùm, quòd cùm de perfectione Essentiæ diuinæ actum fuerit hactenus, consequens sit, vt inquiratur etiam, an & quomodo à nobis ea perfectio cognosci possit. *Quia in superioribus*, inquit, *consideratum est qualiter Deus sit secundum seipsum; restat considerandum, qualiter sit in cognitione nostrâ; id est, quomodo cognoscatur à creaturis.*

Sed quia reuerà etiam Deus passim in Scripturis, & à SS. Patribus vocatur *Inuisibilis* & *Incomprehensibilis*; non immeritò potest hæc quæstio ad peculiaris attributi tractationem referri; latiori nimirum aliquo significatu attributi, vt dictum supra initio huius disputationis, & quæst. 2. dub. 1.

Ad quem etiam modum Gregorius de Valentia hîc initio quæstionis 12. hanc quæstionem referri putat, ad explicandam de Deo passionem illam Entis, quæ dicitur *Verum*; cum alioqui S. Thomas de veritate, prout Deo competit, speciatim ac ex instituto vix agat; licet agat de vero q. 16. in quantum est obiectum diuinæ scientiæ.

Vt &c.

Digitized by Google

Vt autem quæ in hac materiâ deinceps dicenda sunt, intelligantur, Notandum est, vocabulum *videre*, licet primâ nominis impositione oculis solùm corporeis conueniat, in quibus est visus, seu potentia videndi; id tamen etiam ad intellectum traductum esse; & quidem vsu loquendi adeo recepto, vt videri iam propemodùm etiam possit propria vtraque significatio: quemadmodum ex S. Augustino epist. 112. rectè notauit Suarez 1. p. lib. 2. de Deo cap. 6. num. 1.

Et licet ea intellectûs visio in Scripturâ nonnunquam latè accipiatur, pro quâlibet cognitione rei certâ, quamuis obscurâ, iuxta illud 1 Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate*; vbi de fidei cognitione sermo est: propriè tamen, & hoc loco, videre dicitur intellectus illud solùm, quod non per medium creatum priùs cognitum, & quasi per speculum, & in ænigmate, seu per quandam priùs cognitam imaginem, similitudinem, vestigium, aut effectum quendam; sed veluti præsens in seipso, absque alio medio cognito (esto intercedant species, tanquam ratio cognoscendi, vti etiam in visione oculorum accidit) clarè conspicitur & intelligitur.

3 Quod ipsum est etiam videre seu cognoscere aliquid *quidditatiuè*, seu *per suam essentiam*; vt hîc q. 12. a. 1 loquitur S. Thomas; non vt vocula, *Per essentiam*, dicit rationem videndi; de hoc enim agit ipse a. 2 & nos dubio sequenti; sed vt dicit ipsum obiectum primarium, & rem immediatè atque in seipsâ visam, vt rectè notarunt Caietanus hîc eodem a. 1. & Molina disp. 1. Eadem cognitio vocatur etiam *intuitiua*; quia rem quasi præsentem, & coràm existentem, in seipsâ intuetur; ad differentiam abstractiuæ: quâ res veluti absens, aut certè velut à præsentiali existentiâ abstrahens cognoscitur; qualem cognitionem Viatores de Deo habent; de quâ re plura dub. seq.

Hoc posito, de propositâ dubitatione varij fuerunt olim quorundam errores. Primò enim quidam absolutè negârunt, Deum à creaturâ, seu ab intellectu creato vnquam videri posse. Tribuitur hic error Armenis apud Armacanum lib. 14. qq. Armen. cap. 1. Guidonem Carmelitam de hæresibus, Castro V. *Beatitudo* hæres. 1. & Prateolum V. *Armeni*: licet nec Nicephorus lib. 18. cap. 53. hunc inter eorum errores connumeret; & Sanderus lib. 7. Visibilis Monarch hæresi 118. eos de tempore solùm iudicij diem præcedente locutos existimet. Eadem sententia tribuitur Abaillardo, & eius socio Arnaldo, apud Castro loco citato; item Almarico apud Prateolum ibidem, & apud Turrecrematam lib. 4. de Eccles. cap. 35. & fuit iam olim absque authoris nomine relata & impugnata à S. Gregorio lib. 18. Moralium. c. 38. Tribuitur etiam multis SS. Patribus, præsertim Græcis; sed immeritò, vt dicemus.

4 Secundò alij, in altero extremo versati, dixerunt, Deum etiam in hac vitâ, & quidem secundùm ordinariam Dei legem, videri posse. Ita Begardi & Beguinæ, damnati Clement. *Ad nostram*, de hæreticis; præter veteres Anomæos, qui etiam à se in hac vitâ comprehendi essentiam diuinam dicebant, vt dicetur dub. 6.

Tertiò quidam existimârunt, Deum etiam oculis corporeis videri posse. In quibus fuerunt Anthropomorphitæ; de quibus dictum supra q. 3. dub. 1. Et dubitauit etiam nonnihil aliquando hac de re, alio tamen sensu, vt dicetur, S. Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 29.

Assertio I. Potest Deus, seu essentia diuina, ab intellectu creato quidditatiuè & intuitiuè cognosci ac videri; ac reipsâ à beatis ita videtur. Ita S. Thomas hîc q. 12. a. 1. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 1. & lib. 3. cont. gent. cap. 50. 54. 57. & de verit. q. 8. a. 1. & omnes Scholastici suis locis ibidem: & est de fide, vt dicemus. Probatur primò apertis Scripturæ testimonijs. Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Ioan. 14. v. 21. *Manifestabo me ipsum illi.* 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* 1. Ioan 3. v. 2. *Charissimi, nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Apocal. 22. v. 3. *Et serui eius seruient illi. Et videbunt faciem eius, &c.* Vbi non solùm ex ipsis verbis, sed etiam ex adiunctâ sæpius antitheſi, satis patet, sermonem esse de clarâ visione.

Secundò probatur ex definitione Ecclesiæ. Nam Euaristus Papa epist 1. diserte affirmat, Dei substantiam à beatis videri. Concilium Francofortense epist. ad Episcop. Hispaniæ ait: *Prædicemus Christum vnum Deum & vivum, & verè filium Dei; vt ad eius beatissimam visionem peruenire mereamur, in qua est æterna beatitudo.* Item in Extrauagante *Benedictus*, quam referunt Maior in 4. q. vlt. & supplementum Gabrielis in 4. dist. 49. quæst. 2. a. 3. & Alphonsus à Castro loco citato ait Pontifex: *Videbunt diuinam essentiam immediatè, se bene, clarè, & aperte illis ostendentem.* Et infra, vocatur hæc visio *facialis & intuitiua.* Denique in Concilio Florentino sess. vlt. in decreto Eugenij dicitur; *Beatas animas clarè intueri Deum Trinum & Vnum, sicuti est.* Vnde licet S. Thomas hîc q. 12. a. 1. plus non dicat, quàm *priorem opinionem* (à nobis superiùs primo loco relatam) *inconuenienter defendi*, tamen ibidem art. 2. eam meritò vocat *erroneam*, & quæst. 8. de verit. a. 1. *hæreticam.* 5

Tertiò probatur assertio ex communi doctrinâ SS. Patrum, qui ita expressè docent: speciatim Dionysius cæl. hier. cap. 4 Martialis epist. ad Tolosanos cap. 27. Origenes 1. Periarchon. cap. 1. Irenæus lib. 18. cap. 58. Gregorius Nazianzenus orat. 25. in fin. Epiphanius hæresi 70 Gregorius Nyssenus orat. 6. de beatudinibus, Ambrosius lib. 1. in Lucam, super illa verba, *Apparuit ei Angelus Domini.* Augustinus lib. 12. super Genes. ad lit. cap. 34. & epist. 111. & 112. & lib. 14. de Trinit. cap. 8. & lib. 22. de civit. cap. 29. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 36. & Bernardus serm. 31. in Cantica. 6

Nec obstat, quòd multi SS Patres, vt & complura Scripturæ, quæ inferiùs referentur, testimonia, negant Deum à Creaturâ videri. Hæc enim aliquo horum modorum intelligenda sunt, vt vel 1. significent tantùm, Deum non posse oculis corporeis cerni: vel 2. non posse naturaliter videri: vel 3 non posse in hac vitâ videri: vel 4. denique non posse ita videri, vt comprehendatur. Quo modo in specie ad

Chry-

Digitized by Google

Chrysostomum homil. 14. in Ioann. hac in re durius aliquanto (dum contra Anomœos in altero extremo constitutos liberius differit) locutum rectè respondet S. Thomas hic q. 12. a. 1. ad 1. quem alij Theologi communiter sequuntur.

Etsi Vasquez 1. p. disp. 37. cap. 3. & 5. non illum solum, sed & Theodoretum, Basilium, Epiphanium, Cyrillum, Alexandrinum, & Hierosolymitanum, Euthymium, Theophylactum; imò & Ambrosium, ac Hieronymum, maiori, quàm par est, studio, de eo errore suspectos reddat. *Hos Patres*, inquit num. 11. *si sinceri loqui velimus, vix possimus in bonum sensum interpretari.*

Sed rectè Suarez loc. cit. *Non est*, inquit, *verisimile, tam apertum errorem, & scripturæ manifestè contrarium, communi sensu tantorum Patrum receptum fuisse. Fuisset enim intolerabilis lapsus: nec in eis inueniuntur verba, quæ dictam piam expositionem admittunt.* Et Gregorius de Valentia hic q. 12. punc. 1. *Cum sint*, inquit, *alioqui expressa testimonia scripturæ, quæ asserunt, Deum ab hominibus & Angelis videri posse, vt Epiphanium præsertim, & Ambrosium, & Augustinum, & Gregorium loco cit. agnoscunt, nullo modo putandum, aliquem Orthodoxorum voluisse id omnibus modis negare.*

Quarto probatur assertio ratione, fidei principio nixa. Quia procul dubio finis creaturæ intellectuali diuinitus præfixus non est impossibilis: sed in clara visione Dei consistit finis naturæ intellectualis, siue adæquatè, siue inadæquatè, vt tomo 2. disp. 1. q. 2. dub. 3. suo loco docetur. Ergo, &c. Addit S. Thomas hic q. 12. a. 1. aliam rationem, petitam ex appetitu naturali (elicito) visionis Dei: sed quę ratio magnas patitur difficultates, & cit. tom. 2. disput. 1. quæst. 5. dub. 1. examinabitur. Interim ipse Caietanus ibidem fatetur, eam ex solis principijs naturæ non esse efficacem.

Imo verius est, non posse naturali ratione probari possibilitatem huius visionis, vt rectè docent Suarez loc. cit. n. 12. Molina hic q. 12. a. 1. dub. 1. & supra q. 1. a. 1. dub. 3. post Gabrielem in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. etsi quidam recentiores contrarium sentiant; qui etiam pro se adducunt S. Thomam hic, & lib. 3. cont. gent. cap. 51. & Scotum in 4. dist. 49. quæst. 8. Ratio est. Quia vniuersim rerum intrinsecè supernaturalium, eo ipso, quod supernaturales sunt, existentia, vel possibilitas, nullum habet naturale medium, ex quo probetur; ac proinde sine reuelatione sciri & cognosci non potest. Plura loco citato.

7 Assertio II. Deus, siue Essentia diuina, oculis corporeis videri nullo modo potest, etiam secundum absolutam Dei potentiam. Ita S. Thomas hic q. 12 a. 3. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 2. & communis omnium Theologorum ibidem; ac planè certa sententia, etsi diuerso gradu. Nam vt rectè notauit Suarez 1. p. lib. 2. de Deo cap. 6. num. 3. tripliciter intelligi potest, Deum esse visibilem corporalibus oculis. Primo tanquam obiectū ex se sensibile, ac proportionatum corporali visui; & hoc modo de fide certum est, Deum inuisibilem esse corporalibus oculis, contra Anthropomorphitas, apud Epiphanium hæresi 70. & contra veteres Idololatras, apud Athanasium orat. cont. Idola, & apud Cyprianum lib. de Idolorum vanitate. Ratio est, Quia Deus Spiritus est, non corpus, vt dictum supra quæst 3. dub. 1.

Secundo potest Deus corporalibus oculis visibilis existimari, non tanquam per se corporeus, & naturaliter proportionatus potentiæ visiuæ; sed quia hæc certè supernaturali Dei munere & concursu, ad visionem obiecti spiritualis eleuari possit. Et hoc sensu non est quidem res de fide certa; cum ipsemet S. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei cap. 29. ea de re dubitauerit, vt dictum; & quidem in sententiam affirmantem magis propendendo, an non id reipsa in Beatis eueniat, vt notauit etiam S. Thomas hic quæst. 12. a. 3.

Sed & Gregorius de Valentia hic q. 12. punc. 8. *Non satis*, inquit, *constare videtur, implicare contradictionem, vt potentia aliqua sensitiua sic à Deo condatur, vt vel natura sua, vel saltem dono aliquo gratuito superaddito, valeat non solum obiecta sensibilia corporalia, sed etiam aliquod obiectum spirituale, atq; adeò Deum ipsum percipere.*

Verum nihilominus sentiendum est, assertionem, 8
etiam hoc sensu, esse quasi Theologicè certam; ita vt Suarez num. 5. dicat, non posse quidem dici dogma fidei, *proximè tamen ad illud accedere*. Et Vasquez disp. 40. num. 2. ait: *Tametsi neque scripturæ, nec Conciliorum, nec Patrum testimonijs expressè definitum sit, non posse Deum oculo corporeo videri; id tamen adeò efficaci ratione naturali probatur, vt oppositum error manifestus debeat indicari.*

Probatur primo ex Scriptura, absolutè asserente, Deum esse inuisibilem; id quod in primis propriè, vt sonat, adeoque de oculis corporeis vel maximè intelligendum est. Sic autem habetur 1. Timoth. 1. versu 17. *Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria.* Et ibidem cap. 6. versu 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest.* Hebr. 11. versu 27. *Fide* (Moyses) *reliquit Ægyptum, non veritus animositatem Regis. Inuisibilem enim tanquam videns sustinuit.*

Secundo idem docent SS. Patres, præcipuè Athanasius loco citato. Ambrosius sermo. octauo in Psalm. 118. & consentit Augustinus Epistola sexta. 111. & 112. etsi, vt vidimus, alibi dubius.

Tertio idem probatur naturali ratione euidenti; quia nulla potentia ferri potest extra latitudinem sui obiecti adæquati, cum ab eo specificetur: Incorporeum Ens autem est extra latitudinem obiecti cuiuslibet potentiæ corporeæ; & inprimis etiam visus; cuius obiectum adæquatum est color latè sumptus: Ergo, &c. Quo argumento etiam S. Thomas hic probat, nec interno quidem sensu videri, aut cognosci Deum posse; & apparitiones his sensibus factas semper in aliqua forma sensibili accidisse.

Et confirmatur. Quia alioqui multò magis dici posset, secundum absolutam Dei potentiam, à visu percipi posse sonum, aut odorem; aut etiam à lapide hæc omnia; cum oculus corporeus æquè parum proportionis habeat ad cognoscendum obiectum incorporale; quàm lapis ad cognitionē vllam.

Ex quibus etiam tertius modus refellitur, quō aliquis dicere posset, Deum esse visibilem oculo 9
corporeo; videlicet non quidem per eum visum, quem de facto Deus creauit, sed quem facere posset,

alterius ordinis, habentem vniuersalius obiectum, sub quo etiam immaterialia comprehendantur; quam etiam opinationem tanquam non omnino improbabilem, vidimus insinuari à Gregorio de Valentia loc. cit.

Verùm & hoc fictitium videtur, & *chimericum*, vt loquitur Suarez loc. cit. num. 6. quia hoc est confundere intellectum cum sensu; & præcludere viam, ad distinguendum intellectum à sensu; & ad probandum intellectum intrinsecè esse spiritualem facultatem. Cùm enim potentia quælibet specificetur ab obiecto; certè si sensus idem obiectum habet, aut habere potest cum intellectu; non erit, vnde ab intellectu distinguatur: & si potentia aliqua corporea potest tendere in obiectum spirituale; nullum ex rei natura suppetet argumentum, quo directè probemus, intellectum esse intrinsecè spiritualem potentiam. De quâ re præter citatos plùra etiam Albertinus tom. 1. Princip. Phil. 1.

10 Assertio III. Tametsi quidem secundùm absolutam Dei potentiam nihil obstet, quo minùs Essentia diuina etiam in hac vita à pura creatura intuitiuè videatur; secundum ordinariam tamen Dei legem id fieri nullo modo potest. Vtraque pars est S. Thomæ hîc q. 12. a. 11. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 7. & de verit. q. 10 a. 11. & 3. cont. gent. cap. 45. & communis omnium Doctorum ibidem suis locis.

Et prior pars ex eo patet; quia cùm intellectus creatus beati, ac viatoris, sit eiusdem naturæ ac rationis; certè si vnus à Deo eleuari potest ad intuitiuam visionem Dei, etiam poterit alter: cùm in hoc nulla sit repugnantia peculiaris; nec etiam vllum promissum, aut vniuersalis lex diuina obstet, quin id absolutè loquendo fieri posset, in aliquo casu particulari, vti in alijs etiam sæpe materijs, leges & ordinationes Dei generales, non impediunt exceptiones Dei particulares.

Secunda pars assertionis contra Anomæos, & Beguardos superius relatos, est de fide ex Clementina *Ad nostrum*, de hæreticis, vt rectè Suarez lib. 2. cap. 30. num. 3. Probatur apertè ex Scriptura Exod. 33. v. 20. *Non videbit me homo & viuet.* Ioann. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam; Vnigenitus ipse enarrauit.* Ioan. 6. v. 46. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.* 1. Tim. 6. v. 16. *Quem nemo hominum vidit: sed nec videre potest.* Quæ loca inprimis de ordinaria potentia Dei loquuntur. Idem docent SS. Patres, Epiphanius hæresi 70. Chrysostomus homil. 14. in Ioann. Ambros. lib. 1. in Lucam cap. 1. & serm. 8. in Psal. 118. Gregorius Nazianzenus Tract. de fide sub fin. Augustinus epist. 112. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 36.

11 Idem probat ratio S. Thomæ. Quia modus cognoscendi sequitur modum essendi: cùm ergo anima nostra in hac vita habeat esse in corpore, non potest cognoscere quicquam, nisi ministerio sensuum; ac proinde non nisi entia corporea, & quæ ex his discurrendo colligi possunt; adeoque & Deum quidem ipsum, & entia Spiritualia; sed nonnisi per species alienas rerum creatarum sensibilium; quod non est videre essentiam Dei, aut rerum eiusmodi incorporearum, vt ex notione nominis initio explicata patet.

Et confirmatur idem signo à posteriori. Quia anima nostra, quantò magis in somno, aut alienatione mentis, à sensibus abstrahitur, eò capacior fit ad cognoscenda spiritualia, & reuelationes ac præuisiones futurorum percipiendas: nimirum secundùm notitiam apprehensiuam, non iudicatiuam, vt rectè notarunt Caietanus hîc q. 12. a. 13. & Gregorius de Valentia pun. 7. contra Scotũ in 4. dist. 45. q. 2. vbi immeritò eam S. Thomæ doctrinam fugillat, quasi sapiat doctrinam Mahometicam: Ergo signum est, vitam hanc sensibilem non esse idoneam, secundum ordinariam Dei legem ad videndum Deum.

Quod autem dicebat Iacob Genes. 32. v. 30. *Vidi Deum facie ad faciem*, aliaque similia, referenda sunt ad figuram, seu imaginem aliquam sensibilem, vel imaginariam, in quâ se Deus repræsentauit, vt ex S. Dionysio cap. 4 cœl. hier. rectè notauit S. Thomas eodem art. 11. ad 1.

Assert. IV. An autem extraordinario priuilegio, saltem ad breue tempus, alicui homini puro in hac vitâ concessa fuerit intuitiua cognitio, seu visio Essentiæ diuinæ, planè incertum est; & vti de Moyse, & Apostolo Paulo, ac imprimis de B. Virgine Dei matre, id videri potest probabile; ita de cæteris non est admittendum. 12

Probatur & declaratur assertio. Nam affirmatiuam quidem sententiam tradunt S. Augustinus lib. 12. super Genesin ad lit. cap. 26. 27. & 28. & epist. 112. & S. Thomas hîc q. 12. a. 11. ad 2. & 2. 2. q. 174. 3. art. 3. & 4. Ité Caietanus, & recentiores Thomistæ ibidem, cum paucis Scholasticis, & pluribus Commentatoribus Scripturæ, nominatim de Moyse & Paulo; quibus maiori ratione adiungi possit Mater Dei; vt rectè Vasquez disp. 56. cap. 2. num. 5. ex consequenti ratiocinatur.

Sed negatiuam sententiam vniuersim tradunt Euaristus Papa epist. 1. Dionysius cæl. hier. cap. 4. & Epist. 1. ad Caium, Irenæus lib. 4. cap. 97. Tertullianus lib 2. Periarchon cap. 4. Nazianzenus orat. 34. siue 2. de Theolog. Gregorius 18. Moralium cap. 27. Beda qq. in Exod. quæst. 42. & plures alij, quos absolutè & vniuersim sequuntur Molina hîc q. 12. a. 11. d. 2. & Vasquez d. 55. & 56. vbi rem hanc accuratè examinat. In eam sententiam quoque magis propendet Suarez loc. cit num. 15. simul existimans n. 8. visionem hanc ex naturâ rei non impedire officia sensuum, etiam in corpore corruptibili; contra Augustinum, & S. Thomam locis citat. Vtramque verò sententiam velut probabilem tuetur Gregorius de Valentia hîc punc. 7.

Sanè affirmatiua nec ex Scriptura sacra, nec ex Ecclesiæ authoritate, vel sensu satis probatur; vt proinde nullum sit firmum fundamentum, faciendi hoc loco exceptionem à generali lege Dei, ac testificatione ipsius S. Ioannis Euangelistæ, & Apostoli Pauli, etiam post raptum Pauli, solum Christum ab ea lege excipientium, vti superiùs relatum. 13

Illud quidem Exodi 33. v. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum*, non ad statum huius vitæ, sed futuræ pertinet, vt ex consequẽtibus colligitur. Illud Num. 12. v. 8. *Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras, Dominum videt*; refertur ad apparitionem Dei sensibilem in humanâ formâ valde familiari; vt

in

in simili dicitur Exodi 33. v. 11. *Loquebatur Dominus ad Mosen facie ad faciem; sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Neq; verò ibi *facies* significat claram Dei visionem, cum hoc sensu ea Moysi ibidem v. 20. denegetur.

S. Pauli verò raptus 2. Cor. 12. v. 2. & 3. intelligitur de singulari aliqua reuelatione; siue ea contigerit in triduo illo statim post conuersionem, Actor. 9. vt nonnulli volunt; vel aliquot annis post, vt alij existimant.

DVBIVM II.

An Deus videatur, aut videri, seu quidditatiuè cognosci possit, per aliquam similitudinem & speciem creatam, seu cognitione intuitiua, seu abstractiua; etiam secundum potẽtiam absolutam.

S. Thomas 1. p. 12. a. 2.

DVplex hic controuersia Scholastica excutienda proponitur; vna communis; anne Deus ab intellectu beati per aliquam speciem, siue similitudinem creatam intuitiuè videatur, aut saltem videri possit; altera particularis cum Scoto; anne possibilis sit species impressa, qua Deus cognitione quidditatiua, non quidem intuitiua, sed abstractiua clarè cognoscatur. 1

Et quod ad primã controuersiã attinet. Notandũ est, quadruplicem distingui posse similitudinẽ creatam, de qua quæri potest, an per eã Deus clarè & intuitiuè videatur; Prima dici solet impressa, quia imprimitur intellectui; & est species intelligibilis: secunda dicitur expressa; tum quia per intellectũ quasi exprimitur & formatur; tum quia actualis & expressa similitudo est rei visæ; & est ipsa notitia, vt qualitas, seu verbum mentis, per actionem intellectus expressum: tertia vocatur obiectiua, quæ per modum imaginis prius ipsa obijci & cognosci debet, quam in ea, aut per eam aliud cognoscatur; vnde etiam vocatur medium cognitum: quarta est similitudo quædam Dei, seu intellectus diuini, non in repræsentando, sed inessendo, per participationem & conuenientiam in virtute intelligendi; quæ se tenet non ex parte obiecti, sed subiecti, siue potentiæ, vim ei conferens videndi essentiam diuinam; quam S. Thomas hic q. 12. a. 2. docet esse ipsum lumen gloriæ.

Hoc posito, in præsenti non est controuersia vlla de similitudine obiectiua, seu per modum medij cogniti; hanc enim ad videndum Deum, nec reipsa concurrere; nec in visione Dei intuitiua, etiam de absoluta potentia Dei, possibilem esse fatentur omnes: cum hoc ipso, quod res aliqua per medium cognitum, saltem creatum, cognoscitur, non cognoscatur intuitiuè in seipsa. Et hoc minimum probant rationes S. Thomæ quæst. 12. a. 2. vt fatetur Vasquez disp. 39. cap. 2. & disp. 38. cap. 4. vbi etiam num. 24. rectè addit; si quod tale medium, etiam solo numero distinctum sit ab obiecto cognito, habens alioqui eandem perfectionem specificam cum obiecto, (quod ipsum tamen respectu Dei impossibile est) non posse hoc in eo intuitiuè videri. 2

Neque etiam in proposito quæstio est, de similitudine quasi inessendo, ex parte intellectus; de hac enim agitur apud S. Thomam art. 5. & à nobis dub. 3. Et ad vtramque etiam prædictam similitudinem excludendam in titulo diximus, an videatur Deus per similitudinem & speciem creatam; hoc est, per similitudinem, quæ sit species. Solum ergo quæstio est de duplici alia similitudine, nimirum de specie expressa, & impressa, de qua quæritur, non solum an de facto detur, sed etiam an sit omninò possibilis.

In qua quæstione, prima sententia simpliciter negat, in visione Dei, aut reipsa interuenire, aut etiam possibilem esse speciem Dei creatam, siue impressam, siue expressam. Ita docent Henricus quodlib. 3. q. 1. & quodlib. 4. q. 8. Caietanus 1. p. q. 27. a. 1. Zumel, & recentiores Thomistæ hic q. 12. a. 2. vel quæst. 27. a. 1. & citant pro se S. Thomam cit. a. 2. Eandem sententiam, quoad speciem expressam, problematicè defendit Torres 1. p. quæst. 27. a. 1. disp. 5 dub. 4. certus interim, speciem impressam Dei nullo modo esse possibilem. Adducuntur autem præcipuè in eam sententiam; quia non satis defendi posse existimant, speciem Dei impressam in visione non esse possibilem, si detur species eiusdem expressa. 3

Secũda sententia est altero extremo; quę docet, reipsa visionem Dei fieri per speciẽ Dei tã impressam, quam expressam. Ita Vasquez 1. p. disp. 43. n. 4. 32. 33. vbi etiã docet, speciem impressam esse ipsum lumen gloriæ; ac simul d. 39. multis conatur S. Thomam q. 12. art. 2. & alijs in lõcis, in eandem sententiam pertrahere: sed frustra; contradicentibus non solum tam Sectatoribus, quam S. Thomæ aduersarijs omnibus; sed etiam ipsis apertissimis verbis, & toto contextu orationis, vt pluribus ostendit Suarez lib. 2. de Deo cap. 13. num. 5. vbi eam explicationem velut incredibilem, & quæ apertam vim inferat verbis S. Thomæ, aliaque etiam plura & grauiora absurda imponere eidem cogatur, fusè refellit; vt in re tam manifesta minimè opus sit pluribus laborare. 4

Huic sententiæ, visionem Dei fieri per speciem impressam, fauet etiam Richardus in 3. dist. 14. a. 1. q. 3. vbi sentit, eam sententiam esse probabiliorem, posito, quod visio fiat ab intellectu; idemque refert etiam alios sensisse. Fauet etiam Scotus infra, & in 4. dist. 49. q. 11. vbi ait, rationes, quibus probari solet, non dari talem speciem, nihil probare; quamuis interim ipse non dicat dari.

Citatur quoque in eandem sententiam Aureolus ex Capreolo in 4. dist. 49. q. 5. a. 2. Sed Aureolus in libris sent. de hac re nihil habet. In quodlibetis, quæ citat Capreolus, quodlib. 18. a. 1. solum dixit; *si deberet tolli species, à beatifica visione, hoc non facere, nec rationem facialis & claræ notitiæ; nec finitationem seu limitationem creatæ speciei, propter opinionem* (S. Thomæ) *quæ tres rationes assignat, &c.* Quocirca in specie eiusdem rationes refellit; non tamen ideò sentit, dari speciem; imo art. 2. expressè docet, non videri Deum, per aliam creatam similitudinem, aut speciem, quam per ipsum actum visionis, & vniuersim in nulla intellectione vel cognitione dari speciem distinctam à cognitione.

Digitized by Google

Addit Suarez lib. 2. c. 12. n. 2. multos Theologos idem sensisse, & Zumel q. 12. a. 2. d. 2. ait, esse plurimos Theologos, ita docentes; quos referat Capreolus; cũ tamen nec iste, nec Aquarius in additionibus ad eundẽ, plures referat quã Aureolũ & Scotum; & hoc ipsum tamen non rectè, vt dictũ. Vnde plane videtur ea singularis esse sententia; cum nullus ex citatis eam absolutè & simpliciter vt veram defendat præter Vasquez. Multò minus quisquam dixit, speciem intelligibilẽ esse ipsum lumẽ gloriæ, vt dicetur dub. seq.

Tertia sententia est, reipsa quidẽ visionẽ non fieri per speciẽ, nisi expressam; secundum absolutã tamen Dei potentiã, etiã impressã non esse impossibilẽ: Ita præter Scotũ, Aureolũ, Richardũ l. cit. docẽt Gregorius de Valẽtia hic q. 12. pun. 2. Molina a. 2. d. 1. Suarez lib. 2. c. 13. quos alij quidã recẽtiores sequuntur.

6 Quarta sententia est, visionẽ fieri quidẽ per creatã speciem expressam; impressam autẽ etiã secundũ absolutam Dei potentiã esse impossibilem. Ita sentiunt Marsilius 3. q. 10. a. 2. Durandus 4. d. 49. q. 2. Capreolus 1. d. 27. q. 2. a. 3. Sotus 4. d. 49. q. 2. a. 3. Ferrariensis 1. cont. gent. c. 63. eiusdemq; posteriorẽ partẽ sequitur; priorẽ verò problematicè defendit Torres l. c. & est sententia S. Thomæ, quoad vtramque partem, vt inferius dicemus.

Iam verò quod attinet ad alterã controuersiã, est sententia Scoti 2. d 3. q. 9. & in quodlib. q. 6. & 7. vbi diuidit cognitionẽ Dei quidditatiuam in *abstractiuã*, quæ abstrahit ab existẽtia: quaq; adeò Deus non cognoscitur, vt præsentialiter existens: & *intuitiuam*, qualis est visio beatifica; & docet, posse dari speciem propriã & quidditatiuã Dei, qua Deꝰ ab homine seu Angelo, etiam manente statu puri viatoris, clarè, & quidditatiuè cognoscatur cognitione abstractiua, non tamen intuitiua.

7 Assertio I. Reipsa, Deus à beatis videtur per speciẽ expressam, seu per notitiã ac verbũ mentis, productum velut terminũ actionis, qua à Beatis producitur visio Beatifica. Ita contra Henricũ, Caietanum, Zumel, aliosq, recentiores Thomistas, relatos pro 1. sent. docent, Scotus 4. d 49. q. 2. a. 3. Ferrariensis, Capreolus, Sotus citati pro 4. sent. item Suarez lib. 2. cap. 11. Vasquez disp. 38. cap. 2. & probabiliorem censet Torres loco citato.

Eadem est sententia S. Thomæ, qui non solum indefinitè ac generatim asserit, intellectione produci verbum 1. p. q. 27. a. 1. & q. 9. de potentia a. 5. & lib. 4. cont. gent. c. 11. & 12. sed etiã expressè ait q. 4. de verit. a. 2. in omni intellectione. etiã illa, quę est visio, procedere verbũ, seu conceptionẽ: *quod*, inquit, *vniuersaliter verum est de omni, quod à nobis intelligitur, siue per essentiam videatur, siue per similitudinem.*

Eadem est expressa sententia S. Augustini lib. 15. de Trinit. c. 16. vbi de beatifica visione loquens ait: *Tum quidem verbum nostrum non erit falsum; quia neq; mentiemur, neq; fallemur.* Similia habet lib. 9. de Trinit. c. 7. 10. 11. & lib. 14. c. 16. & 17. Ratio est. Quia omnis realis actio habet realem terminum productum, cum quo identificatur, vt ex veriori Philosophia suppono: actio intellectionis, est vera & realis actio, vt fatentur omnes: Ergo habet realem terminum, qui non potest esse alius, quam verbum, seu notitia ipsa; non vt actio est, sed vt qualitas.

Cõfirmatur primo. Quia hæc ipsa notitia est qualitas producta in intellectu, vtique per actionem intellectionis: Ergo est terminus huius actionis: Ergo est verbum, seu species ac similitudo expressa: quia hæc nihil aliud est, quam intrinsecus terminus intellectionis, vt actio est.

Confirmatur secundo. Aut enim intellectio ipsa 8
est vera actio prædicamentalis, aut solum grammaticalis; ac proinde formaliter qualitas: si primum, vt plerique autores contrariæ sententiæ volunt, habebit suum terminum, eumque non alium, quam verbum, quod est ipsamet species expressa. Si secundum, vt vniuersim docent Scotus quodlibet. q. 8. Durandus in 1. dist. 27. q. 2. Gabriel ibidem, Heruæus quodlib. 2. q. 8. Capreolus in 2. dist. 1. q. 2. a. 3. ad 2. Ferrariensis 2. cont gent. cap. 9. & 82. Caietanus. 1. p. q. 79. a. 2. Ergo ipsamet est verbum, & terminus actionis intelligendi, adeoque similitudo actualis rei cognitæ.

Ex quo sequitur, non solum reipsa dari speciem expressam, sed etiam ita necessariam esse, vt sine ea, secundum absolutam quoque Dei potentiam, visio Dei esse non possit, vt rectè Suarez sup. n. 9. qui addit num. 4. oppositum defendi non posse, nisi declinando in opinionem illam, Deum videri per visionem Dei increatam, seipsâ formaliter vnitam intellectui creato; quod tamen citati authores communiter negant, & inferius dub. 4. improbabitur. Neque etiam in contrarium sunt vlla argumenta, nisi quibus illi probare ex S. Thoma solent, non dari speciem Dei impressam, de quibus infra.

Assertio II. Visio reipsa non fit per aliquam speciem impressam: sed ipsa Dei essentia per seipsam sufficit ad sui repræsentationem, adeoque ad causandam visionem ex parte obiecti. Ita S. Thomas q. 12. a. 2. vti verba eius clarè sonant, & ab omnibus (excepto Vasquio) intelligitur; item Alensis 1. p. 7. m. 2. & in 2. p. q. 24. m. 1. Henricus quodlib. 3. q. 1. & quodlib. 4. q 7. & in sum. art. 33. q. 2. Ægidius in Castig. art. 1. Durandus in 4. dist. 49. q. 2. à num. 13. Argentina q. 2. a. 2. Paludanus q. 1. a. 2. Capreolus q. 5 a. 1. Sotus q. 2. a. 3. Marsilius in 3. q. 10. art. 2. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 49. Caietanus, Bannes, Zumel, omnesque Thomistæ hic q. 12. a. 2. Gregorius de Valentia q. 12. p. 1. Molina a. 2. disp. 1. Suarez lib. 2. cap. 12. Nec dissentiunt Richardus, Scotus, Aureolus, vt superius dictũ; quo fit, vt hæc cõmunis DD. sententia meritò dici possit. 9

Ratio est. Non quia vniuersim visio fieri non possit per impressam speciem; hoc enim falsum est, vt ex dictis liquet; sed quia præter ordinarias diuinæ prouidentiæ leges est, plura adhibere actionis principia, vbi ad connaturalem eius modum pauciora sufficiunt. Neque verò vnquam datur species impressa intellectionis, nisi quando obiectum per se immediatè non est sufficiens ad causandam ex parte obiecti cognitionem, vt inductione patet: hic autem Deus ipse abunde sufficit, vt concurrat per modum obiecti immediatè, sine vlla specie impressa: Ergo non est opus vlla tali specie.

Minor declaratur. Quia species intelligibiles, vt & sensibiles, tres tantum ob causas ponere necesse est: prima, vt obiectum coniungatur potentiæ, ne fiat actio in distans: secunda, vt obiectum, quod ob materialitatem suam est improportionatũ potentiæ,

fiat

fiat mediante specie proportionatum; seu potius, vt quia ipsum obiectum materiale per se non potest proportionatum potentiæ reddi, species eius loco obiecti repræsentet: tertia, vt velut instrumentum connaturale obiecti efficiat vna cum potentia, loco obiecti, cognitionem, vt docent S. Thomas 1. p. q. 5. 6. a. 1. & 1. cont gent. cap. 51. & seqq. Scotus in 1. dist. 3. quæst. 7. & in quodlib. q. 15. Albertus in sum. de hom. part. 2. tract. 1. de sensibus, & Capreolus 1. dist. 35. q. 1. Suarez lib. 2. cap. 12. n. 11. & quanquam non pauci sentiant, species impressas tantum materialiter & dispositiuè, non instrumentaliter concurrere; quam communem esse Græcorum, testatur Picoliminius; & sequitur Toletus lib. 2. de anima quæst. 12. de sens. extern.

Præter hæc verò munera speciei impressæ; nullum potest excogitari aliud, quod ad prædicta non reuocetur. Nam informare potentiam, eique inhærere, per accidens est, vt patet tum in Dei intellectione, tum Angeli, seipsum per suam substantiam intelligentis Repræsentare item obiectum, & determinare potentiam ad certam speciem actus, spectant ad secundum, & tertium officium superius relatum; siquidem id species hoc ipso facit, quod cum debitâ habeat cum potentia proportionem ex parte immaterialitatis, ac connaturale quoddam obiecti instrumentum sit, ex parte obiecti effectiuè concurrit ad certam speciem actus ab obiectu desumptam, non ad aliam.

Iam verò ex tribus istis, nulla est causa, ob quam Deus specie egeat, vt se intellectui ereato, alioqui sufficienter ad visionem instructo repræsentet. Primò enim est intimè coniunctus & vnitus potentiæ, per localem indistantiam: secundò est summè immaterialis, adeoque secundum se vel maximè intelligibilis, non solum potentiâ, vt de substantia materiali loquitur Aristoteles 3. de anima t. 18. sed etiam actu: tertio est per seipsum sufficientissimus, vt effectiuè, vna cum potentia, per modum obiecti concurrat ad visionem, adeoque seipso eidem est sufficienter vnitus, etiam per modum principij & causæ: quid ergo deest, quò minus absque specie concurrat ad visionem?

Dices; etiam tunc, cum obiectum est nimis immateriale, dandam esse speciem, vt proportionetur potentiæ. Respondetur, cum hoc accidit, ex parte obiecti defectum non esse, cum ex se sit vel maximè intelligibile: sed ex parte potentiæ; quæ proinde altiori lumine seu virtute confortanda erit; alioquin nec si detur quidé species, videre poterit obiectum; cum eius intelligibilitas per speciem non reddatur inferioris ordinis Atque hoc ipsum etiam argumentum probat, hunc solum esse connaturalem modum videndi Deum: quandoquidem species non dantur, nisi ex defectu obiecti principalis, vt dictum.

Qua de causa etiam in hac materia, non propriè dicitur, Deus in visione *supplere locum speciei intelligibilis*, vt quidã Theologi loquuntur; & vniuersim nostræ sententiæ auctoribus tribuit, & hoc ferè solo sensu, eandé sententiam impugnat Vasquez disp. 43. passim, præsertim c. 3. sed potius dicendum, Deum absq; specie intelligibili, & eius vicario concursu, ex proprio quasi officio & authoritate, ex parte obiecti, seipso immediatè concurrere ad visionem; quia, vt dictum, speciei per se non requiritur, ad cognitionem, sed tantum ex defectu obiecti; cuius alioqui est per se concurrere.

Hinc species dicitur *vicaria obiecti*, cùm id seipsum non potest immediatè repræsentare potentiæ; obiectum autẽ non est dicendum vicarium speciei, cum id per se potest facere. Sicut Rex per seipsum regium munus obiens, non dicitur id facere, loco, aut vice sui ministri; sed cum id Rex per seipsum non facit, dicitur Legatus aut Vicerex id facere loco Regis. Atque in hanc sententiam optimè intelliguntur Richardus & Scotus apud Vasquez disp. 43 n. 26. dum negare videntur, Deum loco speciei concurrere: cum interim Scotus ibidem apertè fateatur, lumen gloriæ sine specie ad visionem sufficere. Rectè tamen nihilominus dici potest, Deum *per modum formæ intelligibilis*, seclusis imperfectionibus, seipso immediatè vniri intellectui Beati, vt cum S. Thoma omnes communiter loquuntur.

Assertio III. Probabilius videtur, implicare contradictionem, vt detur species impressa, per quã Deus videatur. Est expressa doctrina S. Thomæ hic q. 12. a. 2. vbi ait; *Dicere, Deum per similitudinem videri, est dicere, diuinam essentiam non videri.* Eodem tẽdunt tationes, & totus discursus S. Thomæ: quem ita communiter intellexerunt omnes eius interpretes, & Antagonistæ, vt in specie de Scoto & Aureolo dictum; quicquid Vasquez cit d. 39. aliò verba eius trahere nitatur; tanquã si loquatur solũ de verbo mentis, quod veluti medium prius cognitum, intercedat in visione; ipsum verò lumen gloriæ sentiat esse speciem impressam, per quam re ipsa Deꝰ videatur: quę, vt dictum, non solũ est noua & singularis interpretatio, sed etiam à verbis S. Thomæ prorsus aliena, vt prolixè ostendunt Suarez loco citato, & Zumel hic quæst. 12. a. 2. d 1.

Eandem sententiam tradiderunt Henricus, Ægidius, Marsilius, Durandus, Capreolus, Sotus, Ferrariensis, Caietanus locis assert. præced. citatis, Zumel quæst. 12. a. 2. d. 3. Bannes d. 2. alijsque Thomistæ recentiores omnes; quam proinde sententiam communiorem inter Theologos rectè dixeris: etsi contrarium sentiant post Scotum, Aureolum, Richardum, superius citatos, Gregorius de Valentia, Molina, Suarez citati pro tertia sententia; item Vasquez disp. 43. num. 4. 32. 33.

Hæc verò Assertio probatur à S. Thoma hic tribus rationibus, quas Thomistæ variæ confirmare nituntur. Sed cum pariter etiam militare videantur contra similitudinem expressam, quam ideò quidam etiam ipsorum reijciunt, vt dictum; vix aliquid efficiunt, vt de singulis speciatim ostendunt in contrarium citati.

Aliter ergo probo eandem assertionem. Primò ex natura ipsa speciei intelligibilis; cuius proprium & intrinsecum munus est, esse vicariam obiecti, per modum naturalis cuiusdam similitudinis seu instrumenti, cum id ex se non est proportionatum potentiæ; seu propter absentiam; seu ob materialitatem; seu ob defectum efficientiæ naturalis, seu ob hæc omnia: adeò vt munus eius sit connaturali modo obiectum proportionatum reddere potentiæ, cum id antea non est proportionatum: atqui verò, vt dictum assert. præced. Deus per modum obiecti,

iecti, & ex sua parte, iam antea est optimè proportionatus potentiæ; modo huius vis intelligẽdi, ex ipsius quoq; parte cõpleatur ac perficiatur lumine gloriæ, aut simili auxilio, vt dicetur dub. 3. & 4. Ergo non potest respectu Dei locum habere proprium ac intrinsecum munus speciei intelligibilis.

Maior patet ex dictis assert. præced. nec ab alijs etiã authoribus negatur. In quem sensum speciatim Suarez cit. lib. 2. c. 12. n. 21. ait; *Species solum poni ad supplendam absentiam, vel impotentiam subiecti.* Et c. 13. n. 14. *Species, non dari ad eleuandum obiecta ad superiorem ordinem; sed solũ, vt suppleant vicem eorũ, vel reddãt illa accommodata personis intelligẽtibus.* Dicet aliquis. Quod Deus potest imẽdiatè per se facere, potest etiã facere per aliquod instrumentũ. Respondeo; sed non semper connaturaliter, & per instrumentũ connaturale.

14 Vnde desumitur secundũ argumentũ. Species intelligibilis debet verè obiecti esse instrumentũ connaturale intellectionis: atqui non est possibile instrumentũ connaturale visionis Dei: Ergo, &c. Maior ab omnibus conceditur, speciatim à Suarez c. 13. n. 15. & patet tũ inductione; tũ quia propterea etiã dicuntur species, naturales similitudines obiecti. Minor probatur primò, quia si esset possibile connaturale eiusmodi instrumentũ, tum reipsa daretur; quia connaturalis quasi, & ordinarius diuinæ prouidẽtiæ modus est, vt quoad fieri potest, omnia fiãt per subordinata connaturalia instrumenta ac principia; vt patet inductione, in omni rerum genere.

Secundo probatur eadem Minor. Quia nunquam idẽ effectus adæquatè spectatus connaturaliter æquè procedit, & ab ipsa principali causa immediatè, & ab instrumento naturaliter subordinato: sed potiꝰ vbicunq; datur instrumentũ connaturaliter subordinatũ principali causæ, illic per se imẽdiatè, saltem æquè connaturaliter, principalis causa eũ effectũ non producit, & è cõtrario: quod fundatur in illo principio; *Deus & natura nihil faciunt frustra.* Itẽ, *natura determinata est ad vnũ.* Exemplũ videre licet, in forma aquæ, quæ cũ per seipsam restituat se frigori, non est credibile, eã ad hoc habere connaturale instrumẽtũ, quo idipsum facere possit: & è cõtrario, cũ eadẽ aqua subiectũ à se distinctũ frigefacit, per qualitatẽ à se distinctam; non est credibile, posse id etiã per seipsam, seu per suã formã imẽdiatè modo coñaturali facere. Deniq; vbicunque in rebus creatis obiectum ex se est sufficienter proportionatum potentiæ, illic non datur naturalis eius species; vbi verò datur, obiectum ex se non est satis proportionatum.

15 Atq; hoc sanè argumentũ apud me plurimũ momenti habet. Nec video, si nõ minus possibilis sit habitualis qualitas, ex parte obiecti coñaturaliter producens visionẽ, quã habitus cognoscitiuus supernaturalis, ex parte intellectus ad eandẽ concurrens, cur non æquè etiã illũ Beatis habitũ indiderit Deꝰ, ac istũ; aut non potius, quã istũ: cũ illud instrumentũ obiectiuum teneat se ex parte Dei visi; hoc tantũ ex parte potentiæ; in cuius operandi modo quendam quasi defectum fuisse relictum, solo concursu actuali Dei supplendum, minùs inconueniens foret.

Vnde quidã apud Suarez c. 12. n. 21. non male dixerũt, an de facto detur species in visione Dei, id pẽdere ex eo, an sit possibilis. Et Vasquez l. c. speciatim n. 32. & 34 ex possibilitate præcipuè infert existentiã talis speciei: quę argumẽtatio in hac quidẽ materia nõ est parui ponderis, vt dictũ. Quod si Deus rem quãpiam adhiberet, velut instrumentum ad visionem producendam; id arbitrarium quidem ac supernaturale Dei instrumentum esset, ad hunc effectum; sed non connaturale; ac proinde nec species, vt dictum.

Tertio probatur assertio hac etiam probabili argumẽtatione. Omnis species ab obiecto producta, producitur ab eo naturaliter & necessariò: sed impossibile est, vt Deus aliquid extra producat naturaliter & necessario, vt omnes fatẽtur: Ergo. Maior probatur, tũ inductione, tũ ratione. Quia species est naturalis imago obiecti, ab eoq; procedit in quantũ cognoscibile (effectiue) est; quãdoquidẽ reddit obiectũ ex sua parte cognoscibile. Ergo, pcedit ab eo in quãtũ Ens, & nõ vt liberũ Ens est, ac per volũtatẽ operãs. Respõdet quidẽ ad hoc argumentũ Suarez & Vasquez; sed ei suã, pbalitatẽ nõ adimũt. Atq; hæc argumẽta saltẽ, pbabiliorẽ mihi reddũt S. Thomę sẽtẽtiã, quę communiori calculo Scholasticorũ hacten⁹ fuit cõ, pbata.

His accedit etiã tertia ratio S. Thomę, hica. 2, quę ad 16
sequentẽ modũ formata, non est spernẽda. Si quę daretur species claré Deũ videndũ exhibens & repręsentãs, ea deberet esse simpliciter infinita, in ratione repręsentãdi; vt pote idonea ad repręsẽtãdũ Deũ, & omnia, quæ potest Deus repræsẽtare: at hoc est impossibile; quãdoquidẽ in nullo alioqui genere Entis creati absoluti aliquid simpliciter infinitũ est possibile, vt dictũ q. 4. Ergo, &c. Alia ratio est speciei expręsę, seu verbi mẽtalis; quod cum sit actualis notitia, non debet esse adæquata obiecti, secundum omnem vim repræsentandi, quam id in actu primo habet; sed solum ex ea parte, qua reipsa & actu terminat visionem; qua ratione solum est finita.

Assertio IV. Nec est, nec esse potest species vlla Dei propria, qua Deꝰ cognoscatur claré & quidditatiuè, cognitione abstractiua. Ita communiter Doctores, nominatim Heruęus quodlib. 2. q. 5. post S. Thomã hic q. 12. a. 2. vbi generatim de specie Essẽtiæ diuinæ loquitur; vti & citati pro præcedenti assertione: contra Scotũ l. c. cui fauet Aureolus q. 2. pprolog art. 4. vbi docet, posse in viatore puro dari distinctam, claram, & quidditatiuã Dei notitiã, ex qua, vt initio quęstionis dixerat, omnes veritates de personis & attributis, & alijs intrinsecis sciẽtificè possint concludi, quę sit abstractiua tantũ, nõ intuitiua: quãquã de specie ppria ipsius Dei nihil ibidẽ asserat; nec planè etiã cũ Scoto & Heruęo (quos idcirco ibidẽ refutat) cõueniat, in descriptione cognitionis abstractiuæ & intuitiuæ.

Probatur assertio. Quia quocũq; modo sumatur & declaretur quidditatiua Dei cognitio, ea sanè postulat, vt essentia diuina, & attributa ac perfectiones essentiales Dei omnes, clare & distincte cognoscãtur; sed inter alia Dei attributa essentialia, est ipsa etiã existẽtia Essẽtię, ex dictis q. 1. Ergo impossibile est, vt per quidditatiuã Dei cognitionẽ nõ cognoscatur Existẽtia, adeoq; vt quidditatiua cognitio Dei, seu species ppria essẽtiæ diuinę abstrahat ab existẽtia, adeoq; sit abstractiua, put à Scoto fuit definita & nõ intuitiua.

Sed quia respõdet Aureolꝰ, non esse de ratione cognitionis abstractiuæ, ita abstrahere ab existẽtia, vt p eã existentia non cognoscatur, quandoquidẽ datur mathematica demõstratio & sciẽtia, quę directè probet ipsã Eclipsis existentiã; sed & per phantasiã (*cuius* 17

cognitio, inquit, *nō potest nō esse abstractiua*) sæpe imaginamur ipsā rē vt existētē & præsētē, etiāsi fortè reipsa præsens non sit: addēdum est, non tantum non posse dari cognitionem Dei quidditatiuā, quę ab existētia Dei penitus abstrahat, eamque plane non cognoscat; sed etiam nec posse vllo vero sensu esse abstractiuā, si verè sit quidditatiua, & per propriam speciem Dei fiat; quia quomodocunq; definiatur abstractiua notitia, prout ab intuitiua distinguitur, ea ita saltem abstrahere debet ab existentia rei, vt non ferat immediatè (sine medio cognito) & formaliter ac perspicuè in ipsam rem vere ac præsentialiter existentem, vt existentem, clarè scilicet, ac immediatè per propriam rei existentis vt existentis speciem, aut modo equiualente, cognoscendo eius præsentialem existentiam; quæcunq; enim talis cognitio, intuitiua, non abstractiua est: vt ex communi vocabuli notione à visu desumpta patet: sed si datur species propria Dei, essentiam eius adeoq; Deum ipsum clarè & quidditatiuè repræsentans, impossibile est, quin per eam, immediatè (sine medio cognito) clare, & distinctè cognoscatur Deus & præsentialiter existens: quandoquidem & existentia eius, & immensitas ac omnipræsentia (ex hypothesi) est de ratione diuinæ Essentiæ: Ergo impossibile est, vt talis species quidditatiuè, & non intuitiuè Deum repræsentet. Vnde colligitur etiam, falsum esse, quod docuit Scotus in 2. d. 3. q. 9. & ferè Gabriel ibidem q. 2. Angelos naturaliter per speciem inditam, cognitione abstractiua, Deum quidditatiue, prout in se est, cognoscere; de quo plura infrà de Angelis.

18 Quod verò Aureolus ibidem contra Scotum & Heruæum docet, dari posse intuitiuam rei cognitionem, etiam re non amplius existente; & ad propositum non facit, & propriè loquendo verum non videtur. Neq; tamen interim nego, posse de Deo etiam secundum Esse ac veritates supernaturales, v. g. quod sit Trinus & vnus, Deus & homo, &c. haberi cognitionem euidentem abstractiuam, euidentiâ reuelationis nixam, quæ dici solet euidentia in reuelante: hęc enim non habetur per propriam speciem, sed similis est ei, qualis etiam de naturalibus perfectionibus Dei, per alienas rerum creatarum species habetur, ab eo, qui demonstrationem de ijsdem habet.

2 Vti nec etiā scientia infusa ipsius Dei, etsi per infusas species habeatur, est per propriā Dei speciem, sed per species alienas creaturarum, vt suo loco docetur. Quod si tali solum modo aliquo putauit Aureol⁹, in viatore esse posse claram Dei notitiam abstractiuam, in re non erravit; sed non rectè tamen eam cognitionem vocauit quidditatiuam, cum ijs cognitionibus nullus proprius & adæquatus conceptus essentiæ Dei habeatur, sed Deus per alienas solum rerum creatarum species cognoscatur, vt dictum.

Obijci potest. S. Paulus ex probabili sententia, etiam in hac vita, quasi in raptu, vidit diuinam Essentiam; eiusq; visionis etiam postea retinuit memoriam euidentem: Ergo signum est, retinuisse speciem, qua etiam aptea Deū viderat. Respondeo cū S. Thoma i. p. q. 12. a. 9. ad 2. in simili, negando consequentiam. Solum enim sequitur, Paulum ex ipsa visione Essentiæ diuinæ formasse in se similitudinem quandam tū ipsius visionis Dei, saltem secundū rationem quādam communem; tū eorū, quæ in Deo per eam visionem vidit; quæ species etiam remāsit post eiusmodi raptū, sic tamē, vt Deū quidditativè per eā nullo modo amplius cognosceret, sed solū abstractiuè.

DVBIVM III.

Vtrum intellectus creatus videre Deum possit naturalibus viribus; an vero indigeat ad hoc supernaturali habitu luminis gloriæ; idq; etiam secundum absolutam Dei potentiam?

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 4. & 5.

1 SVnt hac in re varij partim hæreticorum errores; partim Catholicorum sententiæ. Primo enim fuerunt quidam hæretici, qui docuerūt, hominem suis naturalibus viribus posse videre Deum. Ita enim refertur de Bēguardis, & Beguinis in Clementina *Ad nostrum*, de hæreticis, dixisse eos inter alia, quod quælibet intellectualis natura in seipsa *naturaliter est beata; quodq; anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum.* Huc spectant etiam Anomœi veteres hæretici, qui duce Eunomio docuerunt, Deum ab intellectu nostro virtute propria in hac vita comprehendi posse; vt videre est apud Nazianzenum orat. 42. & apud Chrysostomum homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, Basilū lib. 1. cont. Eunom. Theodoretū lib. 4. hæret. fab. Hieronymū in illud Matth. 11. *Nemo nouit filium*, & apud Theophylactum in illud Ephes. 3. *in gentibus Euangelizare.*

Secundo ex Scholasticis quidam, saltem sub conditione & hypothesi, in quā tamen ipsi etiam magis inclinabāt, luminis gloriæ necessitatē negarūt; si nimirū dicatur visio, pduci à solo Deo. Ita Scot⁹ in 3. d. 14. q. 2. & disp. 3 1. q 1. & in 4. d. 49. q. 11. idēq; in simili de amore & fruitione Dei docuit in 3. dist. 12. q. 4.

Tertio alij nonnulli, tametsi plane faterentur, aliquod gratuitum Dei auxilium ad Deum videndū requiri, dixerūt tamen, sufficere extrinsecum, & quasi negatiuū; remouere scil. impedimenta intelligendi: posse enim naturaliter Deū ab homine videri, si modo & Deus vellet extrinsecè se eidem repræsentare; & impedimentum constitutum in modo cognoscendi Deum, per sensus exteriores, seu per creatum medium, remouere. Ita Durandus in 4. d. 49. q. 2. n. 24.

Quarto vero circa explicationem & naturam luminis gloriæ, etiam ex illis, qui eius necessitatem alioqui profitebantur, ita quidem variarūt, vt reipsa parum ab ijs, qui eius necessitatem denegarunt, aut diminuerunt, recederent.

Quinto denique; etiā illi, qui necessitatem veri luminis gloriæ agnoscūt; non tamen consentiūt, an de absoluta quoq; Dei potentia sit necessarium ad visionem, vt magis ex sequentibus assertionibus patescet.

Assertio I. Impossibile est, vt per vires naturę De⁹ ab intellectu creato, seu humano, seu Angelico, intuitiuè & quidditatiuè videatur. Ita S. Thomas hic q. 12. a. 4. & in 4. d. 49. q. 2. a. 6. & de verit. q. 8. a. 3. & 3. cont. gentes c. 50. cū quo hac in re consentiūt omnes Scholastici; quidquid de Angelis dubitauerit Maior in 4. d. 49. q. 4. Estq; de fide, saltē quoad intellectū humanū, cōtrā Anomœos & Beguardos superi⁹ citat. ex Cōcilio

Viennensi cit. Clem. *Ad nostrum* de hæreticis. Probatur apertè ex Scriptura. Psal. 83. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, Matth. 11. v. 27. *Nemo novit filium, nisi pater, neque Patrem quis novit, nisi filius; & cui voluerit filius revelare.* Ioan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum* Rom. 6. v. 23. *Gratia autem Dei vita æterna.* 1. Cor. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus illis, qui diligunt illum.* Et ibidem versu 11. *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Quæ testimonia partim suamet vniuersalitate, partim communi Doctorum explicatione, & ob ipsam quoque paritatem rationis, etiamad Angelos pertinere iure censentur. Idem habet vnanimis consensus SS. Patrum, qui illum Anomæorum errorem damnarunt, vt su perius relatum.

3 Accedit optima ratio S. Thomæ hic eodem a. 4. Quando enim obiectum secundum modum suum essendi, excedit modum essendi subiecti ac potentiæ cognoscentis: tum hæc non potest illud per vim suam naturalem perfectè & quidditatiuè cognoscere: atqui modus essendi Dei infinite excedit modum essendi omnis creaturæ ac potentiæ creatæ: Deus enim est actus purus, & ipsum suum Esse: omnis autem creatura, & omnis creata potentia, aut habet esse in materia, saltem mediate (mediãte anima) aut certè est in potentia ad non esse: Ergo Deus non potest perfectè & quidditatiuè naturali virtute intellectus creati cognosci, ac proinde nec videri. Maior probatur: Quia cognitio naturalis adæquate sequitur naturam cognoscentis; seu quod idem est: naturalis modus cognoscendi vel agendi, in virtute, seu causa principali, sequitur modum essendi, eidemque proportione quadam respondet. Quod principium contra Scotum, & alios fusè tuentur Caietanus hic. q. 12. a. 4. Capreolus in 4. d. 49. q. 4. Ferrariens. lib. 3. cont. gent. cap. 53. Sotus in 4 d 49. q. 2. a. 2. & prolixe Albertinus tom. 1. princip. 1. qui hoc ipsum extendit ad omne genus operationis, tum moralis, tum physicæ; tam transeuntis, quam immanentis: in specie vero idipsum principium applicat ad propositam materiam coroll. 1. punct. 2.

Et confirmatur. Quia nec per fidem quidem cognoscere Deum possumus sine auxilio gratiæ, vt in Concilijs definitur, & alibi ex instituto probatur; quanto minus per claram visionem? Denique cum obiectum visionis tam materiale, quam formale, quod, planè supernaturale sit, consequens est, ipsam quoque visionem esse actum intrinsecè supernaturalem, etiam quoad substantiam, vt ex communi recte docent Caietanus in 2. 2. q. 171. a. 2. Sotus in 4. d. 49. q. 2. a. 4. Suarez lib. 2. de Deo cap. 9. num. 7. & significat S. Thomas 1. 2. q. 5. a. 5. ad 3. Ergo impossibile est haberi viribus naturæ.

Obiicitur. Aut Deus clarè visus, seu visibilis, continetur sub obiecto naturali intellectus; aut non: si continetur, ergo poterit naturaliter videri: si non; ergo nullo modo videri potest: quia naturalis potentia non potest ferri extra latitudinem sui obiecti naturalis. Respondetur, naturale obiectum intellectus creati dupliciter dici posse: primò quod solis naturæ viribus attingi potest, etiam actu perfecto: & tunc Deus vt visibilis, seu etiam vt Ens est supernaturale, non est obiectum naturale intellectus creati, nec sub eo continetur. Secundò naturale dici potest, quod etsi sub obiecto adæquato intellectus (quod est Ens vt Ens) aliquo modo comprehendatur, adeoque tale sit, vt intellectus natura in illud ferri possit, seu proprijs viribus, seu adiutus altiori lumine; non potest tamen vt sic actu perfecto & proportionato, ob excellentiam suam attingi, ex solis naturæ viribus: & hoc sensu conceditur, esse naturale obiectum intellectus, vel sub eo comprehendi; sed nullum sequitur absurdum.

Assertio II. Impossibile est, vllam dari seu produci naturam intellectualem creatam, cui secundum se connaturalis sit ea visio Dei beatifica, seu ipsum etiam lumen gloriæ. Ita post S. Thomam hic q. 12. a. 4 & a. 5. ad 3. Scotum in 2. d. 5. q. 9. Sotum cit. q. 2. a. 4. & ferè Durandum ibidem, ex communi docent Suarez lib. 2. de Deo c. 9. Vasquez d. 44. n. 3. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 2. & 3. Gregorius de Valentia, nonnihil tamen dubius, hic q. 12. p. 3. licet in contrariam sententiam inclinet Maior loco cit. Molina hic q. 12. a. 4. & art. 5. disp. 2. Ratio est. Primò; quia accidens supernaturale non ob aliam causam dicitur, quam quia perficit subiectum creatum supra id, quod ipsum, aliaque creata subiecta omnia, ex suis principijs & constitutione naturali postulant; ac proinde supernaturalitas eius desumitur ab excessu & improportione essentiali ad subiectum omne possibile; cuius respectu supernaturale dicitur: Ergo si alicui substantiæ naturale esset, eo ipso non esset intrinsecè supernaturale, vt tamen esse diximus lumen gloriæ. Antecedens probatur: quia accidens intrinsecum & essentialem habet respectum ad subiectum; ergo etiam supernaturalitas eius debet sumi per ordinem excessus ad subiectum; & non solum per excessum ad vnum aliquod, vel aliqua subiecta; alioqui multæ proprietates naturales essent supernaturales qualitates: Ergo per excessum ad omnia subiecta creata. 4

Secundò; qualitas seu accidens intrinsecè supernaturale non potest esse connaturale nisi substantiæ itidem supernaturali: subiectum enim, & accidentia eius naturalia, sunt eiusdem ordinis: atqui impossibile est, etiam secundum absolutam Dei potentiam, vt detur substantia creata intrinsecè supernaturalis: Ergo etiam impossibile est, vt lumen gloriæ, aut visio beatifica sit connaturalis vlli substantiæ creatæ. Minor probatur. Quia supernaturalitas substantiæ non potest desumi ex comparatione ad aliquod subiectum, vt patet; nec ex eo, quod à nullo principio creato fieri possit naturaliter; alias enim omnes Angeli & animæ, imò etiam ipsa materia prima essent supernaturales substantiæ: nec ex eo, quod cæteras creatas substantias quantumuis multas superet; vt etiam clarum est: alioqui Angelus, saltem supremus, esset supernaturalis substantia: Ergo aliunde non potest desumi, nisi ex eo, quod sit actus purus; talis autem substantia præter Deum nulla est, nec vllo modo esse potest, vt patet. 5

Tertio. Contradictionè implicat, vt modus essendi Dei ipsi, velut obiecti visionis, non infinitè excedat modũ essendi cuiuslibet creaturæ ac potẽtiæ. Ergo impossibile est, vt hæc connaturaliter attingat perfecto

actu,

actu, qualis est visio, Deum: iuxta ratiocinem S. Thomæ, pro præcedenti assertione allatam. Denique alias consequens esset, dari posse substantiam intellectualem creatam, naturæ suæ sanctam, adeoque filiam Dei, beatam, & impeccabilem: cum visio beatifica non sinat hominem vllo modo peccare, &c. id vero est absurdum & contra SS. Patres, vt alibi suis locis docetur; Ergo, &c.

6 Ex quibus etiam efficitur primò, non tantum impossibile esse, vt alicui substantiæ creatæ visio beatifica sit connaturalis, tanquam causæ principali; sed etiam vt instrumento. Quia vt rectè notauit Albertinus supra coroll. 2. num. 7. si tali substantiæ esset connaturalis visio, tum esset quoque illi connaturale lumen gloriæ; quia lumen proportionatur actui, tanquam connaturale eius principium; hoc ipso vero talis substantia iam esset principale agens, & non tantum instrumentale.

Colligitur secundò, non posse etiam creari substantiam, cui sit connaturalis scientia seu cognitio infusa, intuitiua mysteriorum gratiæ: quia hæc obiecta sunt eiusdem ordinis supernaturalis cum ipso Deo, vt rectè deducit Albertinus cit. coroll. 2. num. 8. apud quem plura. Eademque est ratio fidei, & aliorum actuum, siue habituum supernaturalium.

Dixi vero in assertione; *naturæ intellectuali secundum se* non posse connaturalem esse visionem; secus enim est, si loquamur de intellectu instructo dono supernaturali luminis gloriæ: huic enim reipsa connaturalem esse visionem, non est negandum, vt benè docet Ferrariensis lib. 3. cont. gent. c. 54. Caietanus hîc q. 12. a. 5. ad 2. Molina a 4. Vasquez d. 45. c. 1. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 1 num. 11. & denique Suarez lib. 2. c. 7. num. 4. etsi neget Scotus in 4 d. 49. q. 2. a 4. de quo quidem sola videtur nominis quæstio. Et ipsemet Vasquez num. 6. rectè notat, visionem solum, dici connaturalem intellectui prædito lumine gloriæ, vt principio ipsam elicienti, non vt subiecto, in quo recipitur: hoc enim esse intellectum secundum se nudè spectatum. Vnde quæstio illa, an visio beatifica possit alicui naturæ creatæ esse connaturalis, eadem ferè est, cum illa, an lumen gloriæ possit esse connaturale alicui substantiæ creabili; quod pendet ex alia quæstione, an creabilis sit aliqua substantia supernaturalis, vt antea deduximus. Quæ causa etiam fuit, cur cum visione iungeremus lumen gloriæ.

7 Assertio III. Ad visionem Dei reipsa non sufficit lumen naturale intellectus; neque sufficit quodcunque Dei auxilium extrinsecum, aut negatiuum; sed planè requiritur supernaturale lumen gloriæ. Ita S. Thomas hîc q. 12. a. 5. & in 4. d. 49. q. 2. a. 7. & 3. cont. gent. cap. 51. 52. & 55. & de verit. q. 8. a. 3. & omnes Scholastici ibidem suis locis, contra Durandum, & Scotum superius citatos; qui non rectè hac de re sunt locuti: & est de fide sub his generalibus terminis, vt rectè Capreolus in 4. d. 49. q. 4. a. 3. Ferrariensis lib. 4. cont. gent. cap. 54. Argentina in 4. d 49. q. 2. a. 1. Gabriel q. 2. a. 3. Marsilius in 3. q. 10. art. 2. Soto in 4. d. 49. q. 2. a. 4. Caietanus hîc q. 12. art. 5. Gregorius de Valentia q. 12. punct. 3. Probatur ex Scriptura, quæ sæpius mentionem facit luminis, velut specialis doni Dei, quo Deus nunc à beatis reipsa videatur. Psal. 35. v. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.* Isai. 60. v. 19. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* 1. Ioan. 3. v. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; scilicet in participatione luminis, vt explicat S. Thomas hîc q. 12. a. 2. & 5. Apocal. 21. v. 23. Claritas Dei illuminauit eam* Ex quibus etiam Scripturis desumpserunt Patres, & Scholastici eam denominationem *luminis gloriæ*, ad visionem Dei requisiti. Idem apertè definitur in Concil. Viennensi cit. Clement *Ad nostrum*, vbi contra Beguardos damnatur hic error, quod anima non indigeat *lumine gloriæ, ipsam eleuante ad Deum videndum.* Ratio patebit ex assertione 4. & dub. seq.

Atque ob eam causam non immeritò Gregorius de Valentia cit. p. 3. Vasquez d. 41. num. 8. & d. 42. cap. 1. Albertinus tom. 1. princ. 1. coroll. 1. punct. 2. erroris notâ dignam censent sententiam Durandi superius relatam: licet eam vtcunque excusare & interpretari conetur Molina hîc q. 12. a. 5. disp. 1. Caietanus quoque hîc cit. a. 5. sententiam Scoti superius relatam, qui sub conditione negauit habitum luminis gloriæ, putat esse damnatam. Quanquam an lumen gloriæ verè sit habitus, minus certum est, vt mox dicemus.

Assertio IV. Lumen illud gloriæ ad visionem 8
Dei requisitum, nec est 1. Deus ipse, seu increatum eius lumen: nec 2. ipsa visio beatifica: nec 3. concursus Dei actualis: nec 4. supernaturalis quædam animæ potentia, & quasi intellectus supernaturalis, animæ immediatè infusus & inhærens: nec 5. species intelligibilis Dei: sed qualitas creata, habitualis, intellectui beati inhærens; & eum quocunque demum modo perficiens, ad habendam visionem. Ita quasi expressè, quoad omnes partes docet S. Thomas hîc quæst 12. art. 2. & 5. & alijs locis præced. assert. citatis; & est sententia communis, & quasi certa, vt patebit.

Etenim prima pars est contra quosdam, qui prædictam Concilij Viennensis definitionem interpretantur de lumine increato: sed quæ interpretatio, tanquam falsa, meritò ab omnibus reijcitur; teste Suarez lib. 2. cap. 14. num. 5. Tum quia Concilium loquitur de lumine gloriæ, iuxta modum loquendi Theologorum: omnes autem eo nomine lumen aliquod creatum intelligunt, vt videre est etiam apud S. Thomam hîc a. 5. vbi de creato lumine quæstionem proposuit. Tum quia Concilium loquitur de lumine eleuante intellectum, quod Deus propriè & formaliter per seipsum non facit, sed quatenus in ipso intellectu aliquid operatur, supra naturam eius. Tum quia Beguardi non negabant, necessario interuenire Deum in visione beatifica, sed lumen creatum, quale à Theologis poni solebat.

Secunda pars non esse ipsam visionem à Deo infusam, est æque communis & certa; contra quosdam apud Capreolum relatos. Probatur, tum ex dictis: omnes enim Theologi distinxerunt lumen gloriæ à visione, vt notauit Vasquez d. 42. num. 1. neque vel Beguardi; nec quisquam sanæ mentis negare potuisset, visionem requiri ad videndum Deum: tum quia Concilium requirit lumen ad videndum; distinguit ergo lumen à visione.

Tertia pars, non esse concursum Dei actualem, est 9

Digitized by Google

contra quosdam apud Sotum in 4.d.49.q.2.a.4. dicentes, per lumen gloriæ in Concilio generatim intelligi auxilium Dei supernaturale; siue sit actualis concursus; siue non. Quæ expositio placet etiam nonnullis recentioribus, teste Suarez cit. cap. 14. num. 7. Sed est falsa & improbabilis, vt rectè citati; tum ob dictas causas: *indubitatum enim est*, inquit Vasquez *cit.d.42. Scholasticis lumen gloriæ esse habitum quendam*, aut saltem qualitatem; quod ipsum etiam nomen luminis significat: tum quia Concilium distinctè damnat vtrunque; & quod visio eliciatur naturaliter; & quod non requiratur lumen gloriæ.

Quarta pars, non esse qualitatem per modum potentiæ, & intellectus naturalis, &c. est contra Sotum & Capreolum loco cit. & quosdam alios, qui dicebant, visionem beatificam effici à solo lumine gloriæ, non ab intellectu beati, vt dicetur dub. seq. & refert etiam Suarez cap. 10. num. 9. Sed est non solum noua, sed etiam falsa & improbabilis sententia: quia actio vitalis, saltem secundum ordinariam Dei legem, elici non potest, nisi à principio ac potentia vitali animæ; cuius ratio in hoc consistit, quod sit potentia naturalis, & necessario emanans ab anima, vt anima est. Plura dub. seq.

Quinta pars, non esse speciem intelligibilem, est contra Vasquez disp. 43. cap. 7. suppositis etiam ijs, quæ de hac re differit disp. 38. & 39. Sed quæ sententia procul dubio non minus noua est, & improbabilis, vt rectè Suarez c. 14. num 8. & cap. 15. num. 14. 15. 16. quamuis pro ea immerito citentur S. Thomas, Richardus, & Argentina, vt dictum dub. 2. & paulo post magis patebit. Probatur. Tum quia ex communi & vera sententia, non datur species intelligibilis Dei, ex dub 2. Tum quia species non datur ad confortandum intellectum, nec omnino se tenet ex parte potentiæ, sed obiecti quæcunque tandem in particulari sit eius vis & efficacia; de qua re actum eodem dub. 2. Tum quia alias fatendum esset, intellectum creatum ex sua parte esse sufficienter instructum ad eliciendam visionem; si modo ex parte obiecti debitus concursus non desit: perinde ac si præter speciem intelligibilem obiecti supernaturalis, non daretur habitus supernaturalis, aut auxilium eiusdem efficaciam supplens, v. g. ad credendum, amandum Deum, &c. Tum quia hac ratione Beguardi negantes lumen gloriæ, hoc est, speciem intelligibilem, vt Vasquez interpretatur, non fuissent damnandi; sed iuxta communem Theologorum sententiam laudandi: nisi quis dicat, damnatam à Concilio communem Theologorum sententiam, speciei impressæ vsum, in visione Dei denegantem; quod est absurdissimum. Plura dub. seq.

Sexta pars, esse qualitatem, colligitur ex probatione tertiæ & septimæ partis.

Septima pars autem, esse habitum, est communis itidem Doctorum sententia. Imo Ferrariensis 4. cont. gent. c. 54. Caietanus hîc q. 12. a 5. Capreolus in 4.d.49.q.4.a.3. Argentina q.2.a.1. Gabriel suppl. q. 2. a. 3. & quidam alij putant, hoc esse de fide certum, & in illa Clementina definitum. Sed verior est contraria, eademque communis recentiorum sententia; quam tradunt Molina a. 5. d. 1. Vasquez disp. 42. num 3. Suarez lib 2. cap. 14. num. 4. & 9. Gregorius de Valentia q. 12 p. 3. qui tamen ait, contrarium esse *valde temerarium, & probabiliter reipsa contra fidem*: quo sensu etiam Molina ait: *temerarium ac periculosum videri, post definitionem illam Ecclesiæ discedere à sententia D. Thomæ: quæ meritò*, inquit, *communis est hodie inter omnes Doctores.* Probatur tum ex nomine luminis gloriæ, quod qualitatem permanentem significat. Tum quia ad alios actus supernaturales dantur habitus proportionati. Tum quia id planè necessarium est, vt à potentia vitali, modo connaturali, efficiantur tales actus: præsertim si actus ipse naturâ suâ perpetuus, & non interruptus sit, vt est visio Dei.

Octaua pars, esse habitum intellectus, non apertè quidem habetur ex verbis Concilij; quia solum dicit, dari animæ; hancque à lumine gloriæ elevari ad videndum Deum, & eo beatè fruendum. Vnde etiam Gabriel loco cit. & in 3. d. 2. q. 2. a. 3. & Cardinalis Zabarella in citatam Clementinam affirmant, eundem esse habitum luminis gloriæ, & Charitatis; sicut etiam existimant, esse eandem realiter facultatem intellectus & voluntatis. Sed est improbabilis sententia; & contra communem aliorum omnium Scholasticorum, vt rectè Vasquez cit. d. 42. num. 2. quia habitus debent esse proportionati actibus, ad quos dantur; & in eodem subiecto: cum ergo habitus iste detur immediatè ad videndum Deum, (ex consequenti verò etiam ad fruendum, iuxta citata Verba Concilij) fatendum est, esse habitum intellectus, adeoque distinctum à charitate.

Assertio IV. Secundum absolutam tamen potentiam Dei, potest esse visio absque habitu luminis gloriæ: Deo nimirum vel per solum actualem concursum, vel probabiliter etiam per aliam qualitatem, tam ab habitu luminis gloriæ, quàm à visione distinctam, supplentem eius efficaciam siue defectum. Primam partem docent Paludanus in 4. d. 49. q. 1 a. 3, Argentina q 2. art 1. Maior q. 4. Gregorius de Valentia q. 12. p. 3. Molina a. 5. d. 1. Suarez lib 2. de Deo cap. 16. Vasquez d. 46. cap. 2. & est communis recentiorum Thomistarum; nil etiam repugnante S Thoma hîc a. 5. & 2. 2. q. 175. a 3. ad 2. qui solum de potentia Dei ordinaria locutus est. Idem à potiori tradunt Scotus, Durandus & alij, qui docent, visione etiam à solo Deo productà beatos videre posse Deum, vt dicetur dub. seq. tametsi circa præsentem assertionem oppositum sentiant Ferrariensis, Caietanus, Sotus locis cit. Probatur assertio quoad primam partem primò. Quia Deus seipso immediatè potest omnem concursum & efficientiam, saltem principij non vitalis, supplere, ex certa & communi: lumen autem gloriæ est principium quidem efficiens visionis, vt suppono ex dub. seq. attamen cum sit qualitas aduentitia, & supra naturam intellectus ac animæ, non est principium vitale visionis: Ergo eius concursus potest à Deo suppleri.

Secundò. Lumen gloriæ non est tota virtus & potentia, qua beati eliciunt visionem; sed ipse quoque intellectus seipso influit, vt dicetur dub. seq. & supponit S. Thomas hîc a. 5. Ergo etiam sublato lumine gloriæ, adhuc poterit influere, modo defectus ipsius, tanquam partialis alterius causæ, aliunde suppleatur.

Tertio. Actus charitatis, & aliarum virtutum supernaturalium, possunt ab homine effici, Deo per

suum concursum immediatum supplente concursum habitus; imo ex veriori, quam suppono, reipsa ita efficiuntur tunc, quando actus ipsi primum disponunt ad habitus acquirendos; cum tamen actus illi non sint minus supernaturales, quoad substantiam, quam visio; vt habet itidem communis sententia; quicquid Sotus hoc argumento conuictus, eo tandem deuenerit, vt negaret, actus eiusmodi Theologicos esse supernaturales quoad substantiam. Neque verò propterea Deus denominabitur à tali visione videns; quia actiones immanentes non denominant efficiens, nisi in quo inhærent, vt rectè Vasquez loc. cit.

Vnde probatur etiam secunda pars assertionis, suppleri nimirum luminis gloriæ defectum posse per actualem concursum Dei; quæ ab omnibus quoque pro præcedenti parte citatis asseritur, excepto Capreolo in 4. d. 49. q. 4 qui putat suppleri non posse solo eo concursu, absque alia qualitate saltem transeunte eius loco substituta: sed quæ sententia vtraque ratione præmissa efficaciter refellitur.

13 Tertia pars asseritur à Gregorio de Valentia, quam etiam supponunt Molina & Vasquez post Capreolum loc. cit. Probatur. Quia nihil videtur obstare, quo minus detur qualitas supernaturalis transiens, per modum quasi actus secundi, quæ possit esse principium visionis: sicut quidem Molina hîc, & multi alij existimant, etiam motiones vocantis gratiæ esse principia effectiua actuũ supernaturalium, ad quos dantur: similemque aliquam qualitatem (quam etiam lumen gloriæ vocant per modum actus transeuntis communicatam) putant reipsa quidam communicatam S. Paulo in transeunte illa visione Dei: id quod expresè etiam docet S. Thomas 2. 2. q. 175 a. 3. ad 2. qui hanc ipsam etiam qualitatem vocat lumen gloriæ, vtique tamen ab habitu luminis gloriæ essentialiter distinctam. Vnde minus probatur sententia Suarij loc. cit. num. 4. qui contra Capreolum disputat, non posse dari lumen, quantũuis transiens, specie distinctum ab habitu luminis gloriæ; ac proinde eam Capreoli sententiam, aut coincidere cum sententia Caietani; aut esse minus probabilem: quod tamen ab eo non video firma aliqua ratione probari.

His addo, de quo tamen hoc loco nulla propriè est controuersia, posse quamlibet aliam rem assumi, quæ per modum instrumenti supernaturalis, sit cum intellectu creato comprincipium visionis. Nulla enim est hac in re implicatio contradictionis: & quicquid Deus in subiecto potest per seipsum, potest etiam per instrumentum creatum, saltem iuxta potentiam eius obedientialem elevatum, vt suo loco ex veriori docetur. Etsi quidem interim hoc casu intellectûs vis & efficientia tali instrumento connaturaliter non compleatur, nec ex illo & intellectu constituî possit totalis & completa ac principalis causa visionis; ac proinde nihilominus Deus suo peculiari concursu vtriusque principij siue instrumenti inefficaciam & defectum supplere debeat.

DVBIVM IV.

Vtrum visio effectiuè procedat ab intellectu beati: & quodnam in ea re sit proprium munus luminis gloriæ.

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 4. & 5.

TAmetsi quidem hactenus explicatum ac definitum sit, habitum luminis gloriæ necessarium esse ad visionem: nondum tamen declaratum est, quisnam sit in ea re proprius eius concursus, seu proprium munus: quod ipsum tamen definiri etiam non potest, nisi prius constet, an visio effectiuè ab intellectu creato beati procedat: quorum vtrumque proinde hac dubitatione exponendum est. Et verò quod attinet ad efficientiam intellectus creati, circa visionem, est prima sententia multorum & grauium Theologorum, qui docent, visionem à solo Deo produci, intellectu beati solum materialiter & subiectiuè ad eam concurrente, recipiendo visionem. Ita docent Nominales, nominatim Ockam in 1. d. 1. q 2. & in 4 q. 13 a. 5. dub. 8. Gabriel in 3. d. 14. q. 1. Marsilius in 3. q 10. a 2. Idem ferè sentiunt Richardus in 3. d. 14 a. 2. q. 3. & 4. & in 4 d. 49. a. 3. q. 5. Scotus in 4. d. 49. q. 11. & in 3. d. 14. q. 1. a. 2. Durandus ead. dist. q. 1. num. 9 & in 4. d. 49. q. 2. Paludanus ibid. q. 2.

Secunda sententia est quorundam Thomistarum, qui significant, visionem aut nullo modo immediatè produci ab intellectu beati, sed à solo lumine gloriæ; in quibus Capreolus in 4. d. 49. q. 4. a. 3. & Sotus q. 2. a. 4. vbi intellectum præditum lumine gloriæ respectu visionis comparat aquæ calidæ in ordine ad calefactionem; vel certè non totam eius rationem fieri ab intellectu beati; vt indicat idem Capreolus loc. cit. Fundamenta sunt. Tum quia actus adeò supernaturalis non potest physicè produci à potentia naturali. Tum quia visio producitur per creationem, vt aiunt. Tum quia non potest vero aliquo sensu dici, hominem seipsum beatificare, nec efficienter quidem; formaliter enim vel obiectiuè id fieri non posse clarum est, & extra controuersiam.

Tertia sententia est, visionem ab intellectu beati verè ac physicè produci; seu quod idem est, effectiuè procedere. Authores inferius referemus: qui tamen rursum variant. Alij enim tribuunt eam efficientiam intellectui creato secundum suam virtutem naturam; atq; iuncto simul lumine gloriæ, etiam vt principio quo principali; alij solum secundum potentiam obedientialem; & vt instrumento Dei, seu luminis gloriæ.

Eodem modo quod ad alteram dubitationis partem attinet, admodum variè à varijs Doctoribus explicatur munus & causalitas seu concursus luminis gloriæ circa visionem; prout nimirum variè ipsi sentiunt, vel de principio efficiente visionis ex dictis; vel de natura & ratione luminis gloriæ, iuxta dicta dub. præcedent. vt in specie magis inferius declarabitur.

Assertio I. Intellectus beati verè ac physicè producit visionem beatificam. Ita S. Thomas hîc q. 12. art. 5.

Digitized by Google

art 5. resp. ad 1. vbi ait, lumen creatum esse *necessarium ad videndum Dei essentiam, non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat, quæ secundum se intelligibilis est; sed ad hoc quod intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum.* Idem supponit S. Thomas generatim, vbicunque agit de actibus supernaturalibus, vt in 1.2.q.3.a.2.3.4.& in 2.2.q.23.a.2. Idem docent Caietanus & alij recentiores Thomistæ hîc q. 12.a. 5 item Molina ibidem d.1. Gregorius de Valentia q. 12. p. 3. Suarez de Deo lib. 2. cap. 10 num. 5. & 8. Vasquez disp. 42. cap. 1. & d. 43. cap. 6. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 1. num. 14. & 15. quæ proinde hoc tempore est communis sententia Theologorum.

Probatur primò ex Scriptura simpliciter asserente, beatos Deum videre, vt patet ex dub. 1. Videre autem vel est formaliter actio videntis, aut certè terminus ab actione videntis productus, vt ex Philosophia constat. Secundò certum est, ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & can 4. actum charitatis, & alios actus supernaturales, etiam quoad substantiam, produci à potentia vitali hominis: cur non ergo etiam visio: cum vtrique ex sua ratione sint actus vitales & intrinsecè supernaturales?

3 Tertiò accedit ratio. Quia vel de ratione actus vitalis est, simpliciter & absolutè loquendo, vt producatur à principio vitali intrinseco; vt videtur supponere Vasquez d. 46. num. 4. ex 1.2.q. 3.a.2. vocans eam sententiam magis communem Theologorum: vel certè non potest in subiecto exercere munus actus vitalis, adeoque subiectum constituere seu denominare videns, aut amans, nisi ab eo verè producatur, vt magis inclinat Suarez loc. cit. num. 7. & significat Molina loc. cit. post Capreolum, Ferrariensem, Caietanum, Sotum, apud Vasquez loc. cit. num. 2. etsi quoad vtramque partem contrarium sentiat Gregorius de Valentia hîc q. 12. p. 3. Aut denique, quicquid sit de absoluta Dei potentia, hîc tamen certè eius producendæ modus connaturalis est, vt à principio vitali intrinseco procedat, vt constat ex Aristotele lib. 2 de anima & lib. 9. metaph. text. 5. & communi omnium Philosophorum sententia. Cum ergo minimè dubitandum sit, visionem Dei, vtpote perfectissimam omnium operationum vitalium, ac status beatorum perfectissimi propriam, modo etiam perfectissimo & rerum naturis maximè connaturali elici; non est dubitandum, eam effectiuè procedere ab intellectu beati: quicquid Nominales superius citati, alijque in contrarium dixerint: esto sententia illa hactenus erronea censeri non possit; etsi quidam ita censuerint apud Suarez loco citat. num. 6.

4 Assertio II. Intellectus beati producit visionem non tantum remotè, & quasi per accidens, recipiendo ac sustentando lumen gloriæ, à quo solo immediatè visio producatur; sed etiam immediatè ac per seipsum suamque entitatem, vna cum lumine gloriæ, influendo in visionem. Ita citati omnes pro præcedenti assertione contra secundam sententiam superius relatam, & colligitur ex citatis verbis S. Thomæ: nam & alij actus ad quos habitus, seu naturales, seu supernaturales dantur, non procedunt immediatè à solo habitu, sed etiam à potentia vna cum habitu. Idem probatur omnibus rationibus pro præcedenti assertione allatis.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondetur, omnia & singula illa quæ assumuntur, esse falsa. Ac nominatim quod ad postremum attinet, non esse absurdum dicere, hominem seipsum beatificare efficienter: patet ex scriptura in simili, vbi dicitur homo seipsum sanctificare & viuificare, 1. Ioan. 3. v. 3. *Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Eccles. 2. v. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Ezech. 18. v. 27. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit, &c.*

Assertio III. Intellectus, accedente lumine gloriæ, influit in actum visionis, per suam virtutem natiuam, habentem partialem saltem efficacitatem ad videndum Deum; & non per solam virtutem obedientialem. Ita sentiunt Molina 1. p. q. 12. art 4. Vasquez d. 43. à num. 11. Albertinus tom. 1. princ. 1. coroll. 1. num. 11. & habetur ex dictis dub. præced. assert 2. in fin. vbi diximus visionem esse connaturalem intellectui instructo lumine gloriæ; quod etiam docent præter citatos, Ferrariensis, & Caietanus ibidem citati; tametsi Suarez loc. cit. num. 14. & in 3. p. tom. 1. d. 31. sect. 6. edit. vlt. contrarium sentiat, ratus intellectum ad visionem, & vniuersim omnes potentias ad supernaturales actus solum concurrere per potentiam obedientialem.

Ratio est. Quia vt rectè Molina dixit, coniuncto ex intellectu & lumine gloriæ, ita est connaturale elicere visionem, vt miraculum esset, si non eliceret; & tamen solum gloriæ lumen connaturaliter non efficit, ex dictis assert. 2. Ergo etiam intellectus, & non solum lumen gloriæ, habet connaturalem vim (partialem tamen & incompletam) eam efficiendi. Secundo. Aliter vtique intellectus beati concurrit ad visionem, quam aqua ad iustificationem in baptismo: aut quam concurreret eadem aqua ad visionem, si à Deo velut instrumentum visionis producendæ assumeretur. Ergo intellectus concurrit ad visionem, non merè per potentiam obedientialem. Tertio. Visio est actus vitalis: Ergo à principio vitali (supposito lumine gloriæ) quà tali, adeoque connaturaliter procedit: alias perinde esset, ac si ab intellectu effectiuè procederet supernaturalis actus dilectionis. Quartò. Deus vt visibilis continetur aliquo modo intra latitudinem obiecti naturalis ipsius intellectus, quod est Ens vt Ens; vt dictum dub 2. Ergo per vim naturalem intellectus, adiutam tamen ab auxilio & lumine supernaturali, potest attingi. Quintò. Si intellectus natura sua non haberet etiam vim aliquam partialem & incompletam ad visionem, tunc accessione luminis gloriæ non constitueretur maior vis, seu principium perfectius ad visionem eliciendam, quam si Deus solo lumine gloriæ efficeret visionem in intellectu: sed hoc videtur absurdum: Ergo. Idem vniuersim existimo probabilius esse, circa alios actus vitales supernaturales, à potentijs vitalibus elicitos; quandoquidem potentiæ se ad eos liberè determinant; tametsi alioquin eadem de illis sit controuersia, vt videre est apud Suarez ibidem.

An verò intellectus vna cum lumine gloriæ sit 6

pr

principium, quo principale visionis, vt vult Vasquez loc. cit. n. 14 & 15. an verò solum instrumentale, vt docent Suarez & Albertinus locis cit communis est controuersia cum omnibus actibus supernaturalibus à potentia naturali & habitu supernaturali procedentibus, de qua alibi agendum. Hic solum dico, neque lumen esse instrumentum intellectus, velut principij principalis, vt pater; cum id sit altioris ordinis; neque intellectum esse instrumentum luminis, licet ita quidam loquantur: cum tantum se habeat ad intellectum velut habitus ad potentiam; nec in cæteris actibus supernaturalibus, intellectus aut voluntas, sit instrumentum habitus supernaturalis: alioqui voluntas seipsam non determinaret ad actus, sed determinaretur ab habitu; cum tamen habitibus eiusmodi liberè vtamur, quando volumus.

Assertio IV. Lumen gloriæ 1. non datur ad recipiendam propriè ipsam essentiam diuinam, per modum speciei intelligibilis: nec 2. propriè & principaliter ad recipiendam visionem beatificam: nec 3. vt per modum speciei intelligibilis, ex parte obiecti, cum intellectu beati concurrat ad visionem: nec 4. est mera conditio, sine qua non, ex parte intellectus, ad visionem requisita: sed 5. ad hoc propriè confertur, vt intellectus defectum in eliciendâ visione suppleat; adeoque vt vna cum ipso, per modum aliorum habituum supernaturalium, effectiuè concurrat ad visionem. Hæc assertio quoad omnes partes (primâ solum exceptâ, de qua controuertitur, vt dicemus) est quasi in terminis S Thomæ hîc quæst. 12. art. 5. vbi lumen gloriæ vocat *virtutem intelligendi superadditam potentiæ*: Et in resp. ad 1. dicit, per lumen gloriæ fieri intellectum potentem ad intelligendum, ad eum modum, quo per habitum potentia fit potentior ad operandum, vt etiam assert 1. dictum. Et rursum ibid. art. 6. ait: *Intellectus vnius Beati habebit maiorem virtutem seu facultatem ad videndum Deum, quam alterius.* Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriæ. Et ibid. ad 3. diuersitatem visionis confert in diuersam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed glorioſam. Vnde perspicuè habetur, per lumen gloriæ conferri vim & virtutem intellectui ad eliciendam visionem. Eadem est communis recentiorum sententia; in specie Gregorij de Valentia quæst. 12. p. 3. Molinæ art. 5. disput. 2. Suarij lib. 2. de Deo cap. 15. num. 1. Albertini cit coroll 1. & aliorum. Probatur & declaratur assertio sigillatim quoad singulas partes. 7

Etenim prima pars ponitur propter Capreolum in 4. d. 49. quæst. 4. art. 1. & 3. Sotum quæst. 2. art. 4. Ferrariensem in 3. cont. gent. cap. 54. Caietanum hîc quæst. 12. art. 5. & alios recentiores Thomistas, qui docent lumen gloriæ requiri, velut dispositionem passiuam, seu materialem, ad eam vnionem (quam *ineffabilem* dicunt) quæ fit inter diuinam essentiam, & intellectum in Esse intelligibili. Quod colligunt ex S. Thoma hîc quæst. 12. artic. 5. vbi ait: *Omne quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam. Sicut si aër debeat accipere formam ignis, oportet, quod disponatur aliqua dispositione ad talem formam. Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia fit forma intelligibilis intellectus. Vnde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc, quod eleuetur in tantam sublimitatem.* 8

Quæ quidem doctrina dupliciter potest intelligi. Primo, vt significetur, lumen gloriæ esse immediatè dispositionem passiuam, ad aliquam formalem & realem vnionem inter Deum, & intellectum Beati: & hoc sensu falsa est; quia neque necessaria est talis vnio; neque explicari potest, qualis sit, vt pluribus Vasquez disput. 43. à cap. 3. vsque ad 8. & Suarez cit. cap 15. num. 21. Secundò potest intelligi de vnione effectiua seu obiectiua, in eo sita, quod Deus obiectiuè, seu per modum obiecti, quasi connaturali quodam debito ordinetur & concurrat cum intellectu instructo lumine gloriæ, ad visionem; sicque adeo vniatur intellectui videntis: ita vt sit dispositio ad essentiam diuinam, in ratione obiecti; quia nimirum actiuitas illius obiecti, & concursus non est debitus, nec connaturalis intellectui, nisi eleuato lumine gloriæ: & hic sensus est verus; sed non est aliquid in re distinctum ab eo, quod est intellectum lumine gloriæ proximè aptum reddi ad videndum, adeoque lumen fiat cum intellectu effectiuè concurrere ad visionem; vt rectè Suarez citat. num. 21. & ex ipsomet S. Thoma intelligi potest; quando post verba antea citata, mox subiungit: *Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet, quod ex diuina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi*, nimirum per lumen gloriæ. Idem ergo est S. Thomæ, intellectum per lumen gloriæ disponi ad hoc, vt ei essentia diuina fiat (in actu secundo) forma intelligibilis, & sua peraccrescere ei virtutem intelligendi ad videndam Dei essentiam per lumen gloriæ: quod etiam ex resp. ad 1. ibidem magis patescit, vt dictum. 9

Secunda pars est contra Maiorem in 3. dist. 14. quæst. 2. dub. 2. & in 4. d. 49. quæst. 4 qui cum fateatur visionem effectiuè procedere ab intellectu, dicit tamen, lumen gloriæ solum dispositiuè concurrere ad visionem recipiendam: quod multo magis asserere debent illi, qui admisso lumine gloriæ, dicunt, visionem à solo Deo produci; ex quibus Gabriel, Durandus, & alij, initio huius dubij citati. Sed est sententia falsa: tum quia in Concilio Viennensi cit. Clement. *Ad nostrum.* de hæreticis, absolutè definitur, lumen gloriæ esse necessarium ad Deum videndum: videre autem non est tantum pati, sed agere: tum quia plus est producere visionem, quam recipere: cum ergo intellectus non solum recipiat, sed etiam producat visionem, vt dictum assertione 1. ad producendam potius, quam recipiendam visionem necessarium erit lumen gloriæ.

An verò simul etiam aliquo modo lumen gloriæ dici possit dispositio ad visionem recipiendam; ita vt mediante lumine recipiatur visio in intellectu Beati, saltem ex consequenti, & absque eo, quod ipsum lumen gloriæ sit potentia receptiua, non est quæstio magni momenti; & disputatur in vtramque partem probabiliter apud Suarez à num. 22. Rectius tamen Gregorius de Valentia quæst. 12. p. 3. Molina art. 5. disput. 1. conc. 3. & Vasquez cit.

Digitized by Google

d. 43. cap. 1. cum alijs simpliciter negant, concurrere ad visionem in genere causæ materialis, & dispositiuæ ad recipiendum. Sicut enim intellectus potest per potentiam passiuam obedientialem immediatè recipere ipsum lumen gloriæ; ita etiam visionem beatificam, cum vtrumque sit æque supernaturale. Et si ad actus charitatis, aliarumque virtutum supernaturalium, quantumuis supernaturales recipiendos, non prærequiritur quædam dispositio passiua, cur ad recipiendam visionem? Neque verò S. Thomas fauet oppositæ sententiæ, quam refutauimus. Non enim docuit, lumen gloriæ esse dispositionem ad visionem recipiendam, sed potius ad efficiendam ipsam, vt superius dictum; & rectè etiam quoad hoc notauit Sotus in 4. d. 49. q. 2. art. 4.

10 Tertia pars, non concurrere per modum speciei intelligibilis, est contra Vasquez cit. disput. 43. cap. 7. satisque probata manet ex dubio præcedent. assert. 4. Quibus addo, oppositam sententiam planè confundere efficientiam ex parte potentiæ, cum efficientia ex parte obiecti: cum vtriusque sit ratio diuersissima, vt videre est tam in habitibus voluntatis, quam intellectus. Aliud enim est species intelligibilis, ex parte obiecti supplens actuitatem obiecti; aliud habitus operatiuus, ex parte potentiæ, supplens defectum virtutis operatiuæ ipsius potentiæ: hoc facit lumen gloriæ, vt expresè etiam docet S. Thomas q. 12. a. 5. non illud.

Neque propterea, quia Deus per modum speciei concurrit ad visionem, consequitur, lumen gloriæ non esse necessarium, vt ratiocinatur Vasquez: quod perinde est, ac si quis dicat, ad actum fidei dari in intellectu speciem creatam; Ergo non opus esse habitu fidei. E contrario verò si lumen gloriæ per modum speciei intelligibilis, siue impressæ, concurreret ad visionem, tunc sanè fatendum esset, intellectum cum solo lumine gloriæ, non esse integrum principium efficiens (per modum causæ secundæ) ipsius visionis: quod tamen ibidem cap. 6. contendit Vasquez: sed adhuc vlterius defectus principij efficientis particularis à Deo supplendus foret; non minus quam si in intellectu esset quidem species intelligibilis repræsentans veritatem diuinitus reuelatam, non tamen esset in eo habitus supernaturalis fidei, intellectum perficiens adcredendum.

Quarta pars, non esse solam conditionem, est contra quosdam apud eundem Vasquez d. 43. num. 24. Probatur. Tum quia non potest explicari, cur requiratur talis conditio, si non habet propriam causalitatem. Tum quia si lumen gloriæ solum est conditio, sequitur, intellectum etiam accedente lumine, nondum sufficienter esse instructum ad eliciendam visionem, vt mox dicetur.

11 Vnde probatur Quinta & vltima pars. Quia de fide certum est, naturales animæ potentias non esse per se, etiam in actu primo, ita instructas & perfectas, vt sufficientem & completam vim & efficacitatem habeant, ad eliciendos actus intrinsecè supernaturales, qualem esse diximus visionem beatificam, vt suo loco docetur de Gratia 1. 2. quæst. 119. Vt ergo ad id connaturaliter, ac in actu primo sufficientes ac potentes reddantur, debent aliquo auxilio supernaturali superaddito eleuari ac perfici: tales sunt supernaturales habitus, seu in voluntate, seu in intellectu; ac in proposito ipsum lumen gloriæ: qui proinde etiam ipse est habitus supernaturalis operatiuus, & quidem omnium præstantissimus, vt alibi docetur.

Ex quo fundamento etiam facillimè soluuntur omnia argumenta, quæ contra necessitatem luminis gloriæ, etiam supposito concursu Essentiæ diuinæ, per modum speciei intelligibilis, à Vasquio, & alijs obijciuntur; vt opus non sit in illis soluendis inhærere. Quomodo autem, cum ad visionem nulla concurrat species impressa creata, intellectus agens, prout à possibili re vel ratione distinguitur, nullum ad visionem concursum habeat, ac proinde etiam ex sua parte opus non habeat auxilio luminis gloriæ, vt vim ipsi vllam aut efficacitatem in ordine ad visionem Dei conferat, rectè & facilè post Capreolum in 4. dist. 49. artic. 3. quæst. 2. explicat Vasquez disput 45. cap. 2. quicquid in contrarium dixerit Richardus d. 49. art. 3. quæst. 2.

DVBIVM V.

An, & quanam ratione, videntium essentiam Dei, vnus alio perfectius Deum videat; num ob solam etiam maiorem perfectionem naturalem intellectus.

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 6.

PRocedit hæc quæstio non solum de animabus, seu hominibus beatis, sed etiam de Angelis; siue inter se, siue cum hominibus conferantur. Nec est fere nisi cum hæreticis controuersia quoad quæstionem An est; sed de modo tamen & ratione seu causa eius diuersitatis Scholastici etiam hodie inter se disceptant, vt inferius patebit.

Assertio I. Beati non æquali perfectione omnes diuinam essentiam contuentur; sed alij perfectius, quam alij. Ita S. Thomas hîc quæst. 12. art. 6 & in 4. d. 49. quæst. 2. art. 4. & in 3. cont. gent. cap. 56. alijque Scholastici omnes ibidem singuli suis locis. Et est de fide contra Iouinianum apud S. Hieronymum lib. 2. contra eundem, qui docuit, paria esse omnia Beatorum præmia & merita. Idem ferè docuit Lutherus in sermone quodam de Natiuitate B. Mariæ Virginis: quem communiter sequuntur huius temporis sectarij ex eo fundamento, alibi refellendo, quod homines formaliter sint iusti, per ipsam iustitiam Christi: quos refellit Bellarminus lib. 3. de iustificat. cap. 16.

Probatur assertio ex Scriptura Ioan. 14 v. 2. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, 1. Corinth. 15 v. 41. *Stella differt à stella claritate: sic & resurrectio mortuorum*, 2. Cor. v 6. *Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Qui-

Digitized by Google

Quibus locis etiã SS. Patres ſpeciatim S. Hieronymus loco citat. & S. Auguſtinus lib. de ſancta virginit. contra Iouinianum vſi ſunt; proinde iam olim etiam à SS. Patribus ob eum quoque errorẽ damnatum. Idem definitur in Concilo Thelenſi ſub Siricio Papa, vel vt exiſtimat Suarez lib. 2. de Deo Cap. 20. in alia quadam Synodo Prouinciali Italicâ, cuius eſt epiſtola 81. ad eundem Siricium inter epiſt. S. Ambroſij. Idem habetur in Concilio Florentino ſeſſ. vlt. decreto vnionis, vbi definitur, defunctos ſeu defunctorum *animas* (ſatis) *purgatas in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipſam Deum trinum & vnum, ſicuti eſt; pro meritorum tamen diuerſitate, alium alio perfectius.*

2 Idem probatur optima ratione S. Thomæ ibidem. Quia vbi principium videndi eſt perfectius, illic etiam eſt perfectior viſio: ſiquidem perfectio effectus reſpondet perfectioni cauſæ: ſed lumen gloriæ, quod eſt immediatum principium viſionis, in vno perfectius eſt quam in alio, pro diuerſitate charitatis & meritorum huius vitæ; ergo & viſio ipſa in aliquibus Beatis perfectior erit, quam in alijs. Quæ ratio efficaciter concludit, ſaltem ſi cætera ſint paria. Plura inferius. Qua de cauſa etiam non audiendus Durandus in 4. d. 49. q. 2. n. 27. qui etſi Catholicam doctrinam de inæqualitate viſionis Dei fateatur veriorem & tutiorem, contrariam tamen ſignificat eſſe probabilem.

Denarius vero ille vniformis Matth. 20. v. 10. qui pro oppoſita ſententia obijcitur, nihil aliud ſignificat, quam idem obiectum beatitudinis Deum; ſeu eandem beatitudinis æternitatem, ſeu vt loquitur Apoſtolus 2. Cor. c. 4. v. 17. *æternum illud gloriæ pondus*; minimè vero æqualem perfectionis modum in ipſa viſione Dei; v SS. Patres communiter, ſpeciatim Hieronymus & Auguſtinus loc. cit. item S. Thom. 1. 2. q. 5. a. 2. & alij Theologi ibidem & in 4. d. 49. interpretantur, & recte defendit Suarez lib. 2. de Deo cap. 20. à num. 8. contra nouam & ſingularem quãdam expoſitionem Ianſenij in Concord. cap. 101. & Vaſquij diſp. 47. c. 4. qui totam illam parabolã longe aliter, & ingenioſè quidẽ, ſed vt exiſtimo parũ ad textũ accomodatè, interpretantes, ad ſolã diſtributionẽ gratiæ diuinæ, quã Deꝰ diuidit ſingulis, prout vult, referũt.

Aſſertio II. Non tamen ideo omnes homines inæquales futuri ſunt in beatitudine: de Angelis res eſt incerta. Ita ex communi Suarez li. 2. c. 20. n. 7. contra Paludanũ in 4. d. 4. q. 1. qui ſine fundamento dixit, omnes homines, & multò magis Angelos, futuros inæquales in beatitudine. Siquidem de hominibus contrariũ conſtat, in infantibus ſtatim poſt baptiſmũ mortuis; qui cũ in æquali gratia ex hac vita deceſſerint, æquali vtique gloria potientur. Idem eſt probabilius de multis adultis. De Angelis res eſt incerta ideo, quia non conſtat, an omnes & ſinguli ſpecie inter ſe differant; vt ſuo loco dicetur: ſi enim non omnes ſpecie differant, credibile eſt, aliquos gloriâ pares eſſe.

3 Aſſertio III. Diuerſitas illa viſionis Dei, ſeu perfectionis videndi Deum, non ſe tenet ex parte obiecti primarij per ſe viſi; quaſi ex ijs, quæ in Deo formaliter exiſtunt, plura videat vnus, quam alius; ſed ex parte ipſius viſionis; eo quod vna ſit perfectior & clarior alterâ, etiam reſpectu eiuſdem obiecti primarij. Ita S. Thomas cum commentatoribus omnibus hic quæſt. 12. art. 6. ad 3. & communis Doctorum in 4. d. 49. Ratio primæ partis eſt. Quia cum in Deo omnia, quæ in ipſo ſunt formaliter, ſint vna ſimpliciſſima entitas & eſſentia ipſius Dei, impoſſibile eſt, eſſentiam videri & non omnia illa videri; itaque aut totum quod in Deo eſt videtur, aut nihil: ſecus quam in rebus corporalibus & compoſitis accidit, vt rectè Vaſquez d. 47. num. 43. & magis patebit contra nonnullos Scolaſticos dub. 7.

Altera pars ſequitur ex præcedenti; quia in viſione ipſa Dei per ſe (ſeclusis obiectis ſecundarijs, quæ ad rem non ſpectant) duo tantũ ſpectari poſſunt; nimirũ obiectũ ipſiꝰ primariũ, quod eſt Deꝰ; & modus ipſe, ſeu intrinſeca perfectio actꝰ videdi, quæ generali nomine dici poteſt claritas viſionis: vti accidit in viſu corporali, cũ alij alijs perfectius & clarius eandẽ rem corporalibus oculis intuentur, ſeu ob diuerſitatem luminis in obiecto, ſeu ob maiorem perfectionem ac perſpicaciam oculorũ.

Aſſertio IV. Diuerſitas illa perfectionis, ſecundum quam in diuerſis beatis variatur viſio, non eſt eſſentialis ſiue ſpecifica; ſed ſolum indiuidualis, poſita in maiore vel minore intenſione ipſius viſionis: ac proinde viſio Angeli non eſt ſecundũ ſpeciem perfectior, quam hominis. Ita poſt Durãdum in 3. d. 14. q. 1. num. 8. & in 4. d. 49. quæſt. 6. Marſilium in 3. quæſt. 10. art. 2. Sotum in 4. d. 49. q. 3. artic. 2. ex communi docent Suarez lib. 2. de Deo cap. 19. Vaſquez diſput. 47. Idem ſupponit in hac tota quæſtione S. Thomas, præſertim a. 6. vbi generatim docet, inæqualitatem viſionis ſolum oriri ex diuerſa perfectione luminis gloriæ, quæ proinde inæqualitas non poteſt conſiſtere in aliqua differentia ſpecifica; nec oriri ex diuerſitate ſpecifica naturarum intellectualium, à quibus elicitur viſio. Idem docent etiam cæteri Thomiſtæ, vt mox dicetur. 4

Contrarium tamen ſentit Maior in 4. d. 49. q. 11. qui vniuerſim aſſerit, viſionem Angeli, ex ipſa ſua ratione ſpecifica ſemper eſſe perfectiorem, quam ſit viſio hominis; etiamſi vterque & paria merita, ac gratiam in via habuerint, & æquale lumen gloriæ habeant. Probat. Quia viſio humana, & viſio Angelica neceſſario inter ſe ſpecie differunt, tanquam effectus, qui à diuerſis ſpecie principijs poſtulant produci: non ſecus quam intellectio naturalis, aut etiam ipſa potentia intellectiua eiuſdem hominis & Angeli: Ergo neceſſariò viſio Angelica eſt ordinis ſuperioris, & ex ſua ſpecie perfectior, quantacunque quoad intenſionem fiat humanæ viſioni acceſſio. Addit nihilominus Maior, non ideo tamen etiam viſionem in ratione beatitudinis eſſe maiorem & perfectiorem. 5

Sed hæc ſententia falſa eſt, & improbabilis, & contra communem Theologorum, vt dictum. Probatur aſſertio. Tum quia aliàs, cum in viſione conſiſtat beatitudo, quiuis Angelus quouis homine, adeoque etiam CHRISTO,

esset beatior; quia fieri non potest, vt perfectior visio ipsius essentiæ diuinæ, non sit etiam perfectior beatitudo; iuxta commune illud axioma; sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; quicquid Maior dixerit: atqui hoc est *erroneum*, vt ait Sanctus Thomas 1. part. quæst. 108. artic. 8. & in 2. distinct. 9. quæst. 1. artic. 8. & lib. 3. cont. gent. capit. 53. & 57. cum in beatitudine homines futuri sint æquales Angelis Matth. 22. vers. 30. & Luc. 20. vers. 36. Tum quia habitus gratiæ & charitatis, tam in Angelis, quam in hominibus sunt eiusdem speciei; vt cum S. Augustino lib. de correptione & gratia cap. 11. & lib. 12. de ciuitat. Dei cap. 9. & Anselmo de casu diaboli capit. 1. & seq. habet communis & certa Theologorum sententia. Ergo & lumen gloriæ, vt argumentatur etiam Sanctus Thomas quæst. 9. de verit. art. 1. ad 17. Ergo & visio. Quia vt rectè referunt Sotus & Vasquez loc. cit. specifica diuersitas effectus desumi debet à diuersitate principij non generalis, sed particularis & specifici: principium autē specificum visionis constituunt, tū ipsamet essentia diuina per modum obiecti, & speciei; tum lumen gloriæ: quæ duo vniuersalem & indefinitam intellectus efficacitatem ad specificam rationem actus visionis determinant: Ergo si hæc species non differunt in visione Angeli & hominis, nec ipsæ visiones inter se specie different. Quæ argumentatio pariter etiam procedit de actibus charitatis & virtutum supernaturalium. Addit Suarez n. 10. quod mihi etiam probatur; probabile esse, nec posse quidē de absoluta Dei potentia esse in visione Dei creata diuersitatem specificam; propter vnā & eandem rationē inuariabilem obiecti.

Ad fundamentum Maioris respondetur, posse à diuersis specie causis eūdē effectū specie produci; & visionem Angelicā ac humanā non requirere specie diuersa principia, ex ratione sua specifica & essentiali, sed indiuiduâ tantū, seu accidentali: nimirū ratione subiecti; quia in Angelo est alia specie natura; &, ex consequenti, alius specie intellectus, vt suo loco dicetur, quā in homine; cū tamē etiāsi alius nō esset, nihilomin⁹ idē qui nūc est, in vtroque esset effectus, ac essentialis ratio visionis.

Assertio V. Diuersitas visionis Dei, secundum maiorem perfectionem intensionis, per se nō oritur ex maiori perfectione naturali intellectus: ac proinde intellectus beati naturaliter perfectior, cū æquali lumine gloriæ, nō perfectius ac intensi⁹ videt Deū, quā intellect⁹ imperfectior. Ita S. Thomas hic q. 12. a. 6. in corp. & ad 3. vbi ait, attendēdum esse diuersam visionem secundum diuersam facultatem intellectus *non naturalem, sed gloriosam*. Idem docent Henricus quodlib. 10. q. 6 Ferrarien. lib. 3. cont. gent. cap. 55. & 58. Sotus in 4. d. 44. q. 3. a. 2. Barthol. Medina in 1. 2. q. 3. art. 2. Bannes, Zumel, alijque recentiores Thomistæ hic quæst. 12. art. 6. item Molina a. 6. d. 2. Gregorius de Valentia q. 12. p. 4. Suarez l. 2. cap. 21. n. 4. Vasquez d. 47. cap. 6.

7 Etsi contrarium docuerint Scotus in 3. d. 12. q. 3. & in 4. d. 50. q. 6. Richardus dist. 49. art. 2. q. 8. Gabriel in supplem. eadem d. q. 2. a. 3. Maior q. 10. Durandus, Paludanus in 3. d. 14. Holcoth in suis determinationibus q. 8. ar. 1. ad 4. quos sequitur Caietanus in 3. p. q. 10. a. 4. in eandem sententiā referens S. Thomam ibidē ad 2. sed sine caussa. Fundamentum huius sententiæ est. Quia quandocunque crescit actiuitas principij, siue caussę adæquate sumptæ, siue principalis illa sit, siue instrumentalis, simul crescit etiā perfectio operationis, vt inductione patet, & ratione; quia perfectio effectûs, non minus quam ipse effectus, dependet à caussa adæquatè sumpta nō solū à partiali: sed in nostro proposito, quādo cæteris paribus, ex vni⁹ parte intellectus videntis naturaliter perfectior est, crescit actiuitas causę adęquatè sumptę respectu visionis; quæ proinde actiuitas etiā perfectior est: Ergo etiā crescit visio; ac proinde maior est perfectio visionis tanquā effectus. Et confirmatur. Quia nō solū perfectior caussa cū æquali instrumento, vel concausssa, sed etiā æqualis causa cū perfectiori instrumento, perfectius operatur, vt in scribente eodem per calamū meliorē patet. Ergo siue dicamus, intellectū esse causssam principalē, lumē verò instrumentalē; aut è contrario; siue dicamus neutrū esse instrumentum alteri⁹, sed esse duas causssas subordinatas ad eundē effectū per modū vnius concurrentes, semper fatendū erit, ab intellectu perfectiori, cū æquali lumine perfectius Deum videri. Accedit quod simile quiddā nunc reipsa videtur accidere, in actibus fidei; qui cæteris paribus perfectius eliciuntur ab intellectu perfectiori.

Sed contraria sententia S. Thomæ est verior, vt 8
dictum, & retinenda. Fundamentum Theologicum & à posteriori est. Quia alioqui præmium beatitudinis simpliciter non responderet meritis, & gratiæ huius vitæ. Foret enim beatior intellectus naturaliter perfectior, cum æqualib⁹ meritis: nisi quis dicat, aut Deū miraculosē concursum suum subtracturum, stante æqualitate luminis, ad perfectiorem visionem; si quo casu habens perfectiorem intellectum, non haberet merita maiora; aut lumen gloriæ non respondere meritis & gratiæ huius vitæ: quorum vtrumque est absurdum: primum, quia ea ratione connaturalis agendi modus in beatis, præter consuetum & decentem naturæ ordinem, impediretur: secundum; quia non solum est contra communem Doctorum sententiam; sed etiam quia cum ipsum per se lumen gloriæ sit maximum bonum & ornamentum, ac etiam præmium & perfectio beatorum; cui nulla perfectio naturalis æqui, æquiparari potest; sequeretur, habentē perfectiorem intellectum, eo casu fore deterioris conditionis, & absolute minus præmium recipere, quam recipiat is, qui cum minore perfectione naturali intellect⁹ accipit maius lumen gloriæ.

Rationem eiusdem assertionis à priori rectè mihi exposuisse videtur Suarez loco citato. 9
Quia vel intellectus beati concurrit ad visionem solum per potentiam actiuam supernaturalem, nullam videlicet habens in se actiuitatem naturalem ad visionem, vt quidem sentit ipse Suarez; & tum negatur maiorem esse actiuitatem in intellectu profectiori respectu visionis, si lumen æquale sit; cum potentia

obedien-

Digitized by Google

obedientialis actiua non sit minor in intellectu imperfectiori: vel intellectus creatus concurrit ad visionem per potentiam & actiuitatem naturalem, vt nos docuimus dub. præced. & tum est quidem actiuitas maior perfectioris intellectus, respectu etiam ipsius visionis, sed solum incompleta & imperfecta ex suo genere; ita vt ex se, nisi aliunde perficiatur, nec mediatè, nec immediatè quicquam conferat ad effectum visionis: sed solum quatenus & in quantum eleuatur à lumine gloriæ: qua de causa etiam nihil ipsa conferre potest ad maiorem & perfectiorem visionem, stante æquali lumine. Siquidem vniuersim perfectio operationis seu effectus non crescit, crescēte actiuitate principij, seu causæ adæquatè sumptæ (siue principalis illa sit, siue instrumentalis) nisi causa illa ex se conferat, vel ad partem aliquam effectus, vt est partialis concausa tractionis, vel ad aliquid præuium effectui, à quo perfectio effectus dependet, vt sunt instrumenta artis respectu effectus artificialis. Quod si neutrum accidat, vt fit in præsenti, tum perfectio maior instrumenti nihil iuuat ad perfectiorem effectum. Vt si duo scribæ, quorum alter in ea arte perfectior, non ex se scribant aliquid, sed totum vt moti à manu perfectioris scribæ; tunc enim scripturæ elegantia & perfectio respondebit solum manui regentis, non arti manus, quæ regitur.

10 Atque idem seruatâ proportione, dicendum est de omnibus actibus supernaturalibus, etiam huius vitæ: in quibus tamen hoc est discrimen, quod in hac vita auxilium supernaturale, quo actiuitas intellectus seu potentiæ completur, non solum est habitus præexistens ipsius virtutis, sed etiam auxilium actuale gratiæ; quo fit etiam, vt actus elici possint intensiores ipso habitu præexistente; quod in patria, vbi habitus operatiui crescere amplius nō possunt, iuxta legē à Deo constitutā, non accidit. Quod verò in specie ad fidei actus pertinet, nō sunt ij per se ac in se perfectiores respectu perfectioris intellectus; cæteris paribus: etsi actus qui præsupponuntur fidei, vt est naturale iudicium de credibilitate fidei, item apprehensio terminorum &c. soleant esse perfectiores in perfectiori intellectu: qua ratione etiam per accidens conferre potest perfectior intellectus ad concipiendum perfectiorem fidei assensum, vt recte etiam Suarez & Vasquez lo. cit. E quibus etiam patet Responsio ad fundamentum contrariæ sententiæ.

11 Assertio VI. Diuersitas visionis beatificæ, quoad perfectionem intensionis siue claritatis adæquatè respondet, tum simili diuersitati luminis gloriæ, velut rationi & causæ immediatæ; tum diuersitati meritorum, seu gratiæ & charitatis huius vitæ, velut causæ mediatæ. Ita Sanctus Thomas hic quæst. 12. artic. 6. & omnes citati pro præcedenti assertione. Deducitur ex dictis. Quia cum lumen gloriæ sit causa immediatè effectiua visionis, cui absolutè etiam secundum intensionem proportionatur visio, vt & ipse etiam concursus actualis Dei ad eandem visionem; negari non potest eam esse immediatam causam eius diuersitatis, quæ est in visione secundum intensionem. Et quia rursum essentialis beatitudo, quæ in visione consistit, proportione quadam respondet meritis huius vitæ, sicubi, vti fit in adultis, meritum locum habuit; seu vniuersim tum in illis, tum in ipsis etiam paruulis, qui carent meritis, intensioni gratiæ iustificantis ac charitatis huius vitæ, vt suo loco in 1. 2. docetur; ideo etiam diuersitas visionis beatificæ, secundum intensionem seu claritatem mediatè respondet meritis, seu intensioni gratiæ & charitatis huius vitæ: ita vt qui æqualem gratiam sanctificantem ac charitatem (quæ itidem aut est ipsa gratia sanctificans, aut gratiæ sanctificanti respondet) in hac vita habuerunt, æquale etiam lumen gloriæ, ac proinde etiam æqualem visionem beatificam quoad intensionem & claritatem, habituri sint. Eodemque etiam modo intelligendum est Concilium Florentinum citatum assert. 1. quod vniuersim in meritorum diuersitatem visionis inæqualitatem refert. Quomodo vero visio beatifica etiam variari in beatis possit per respectum non ad principale obiectum, seu ipsam essentiam diuinam (de qua re hactenus actum) sed ad obiecta secundaria, nimirum creata, inferius dicetur dub. 9.

Assertio VII. Non obstante inæqualitate visionis, beati omnes habent appetitum tum naturalem, tum etiam elicitum, respectu eiusdem visionis perfectè satiatum. 12 Est communis, & colligitur ex psalm. 16. v. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ratio sumitur ex dictis. Quia naturalis appetitus, seu capacitas propinqua visionis respondet lumini gloriæ, cui adæquatur visio, vt dictum: elicitus verò tum regulæ diuinæ voluntatis, à qua beati nunquam discisunt, nec omnino possunt discisçere; tum proportioni charitatis, adeoque ipsius luminis gloriæ, vt docet etiam S. Thomas hic quæst. 12. a. 6. plura de hac re in 1. 2.

DVBIVM VI.

Vtrum Deus etiā comprehendi possit ab intellectu creato; & in quo hæc incomprehensibilitas DEI consistat.

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 7.

1 NOtandū primò. Comprehensionis vocabulū à sensibus ad intellectum traductum, duobus modis accipi, vt optimè notauit S. Thomas hic q. 12. artic. 7. ad 1. Primò latè, vt opponitur insecutioni; & aliud non est, quam consecutio seu adeptio rei, quam quis insecutus fuit. Secundò strictè, quatenus significat aliquid includi à comprehendente. Quod ad intellectum relatum, nihil aliud est, quam cognitio rei adeo perfecta, vt sit etiam totalis & obiecto adæquata. Ad quem modum etiam dixit S. Augustinus lib. 12. de ciuitat. Dei capit. 18. *Quidquid scientia comprehenditur, scientis cognitionem finitur.* De compre-

henſione priore modo non eſt hic quæſtio; ſiquidem tam ex fide certum eſt DEVM poſſe comprehendi; quam quod à beatis videri poſſit, imo reipſa videatur; vt dictum dub. 1. cum comprehenſio hæc conſiſtat in ipſa Dei viſione: quo ſpectat illud Philipp. 3. verſ. 12. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam.* Et 1. Cor. 9. v. 24. *Sic currite, vt comprehendatis.*

Quæſtio ergo in præſenti eſt, de comprehenſione ſolum poſteriore modo: quo ſenſu generatim loquendo de quæſtione An eſt, inter Scholaſticos controuerſia non eſt, ſed ſolum de quæſtione quid eſt, ſeu particulari modo ac ratione incomprehenſibilitatis. Etenim qui Deum dicerent ab intellectu creato vndequaque poſſe comprehendi, ſoli fuerunt hæretici, nimirum Anomæi eorumque Anteſignani Eunomius & Aetius, de quibus dictum ſupra. dub. 1. qui etiam dixerunt, non ſolum poſſe DEVM à creatura comprehendi, ſed etiam ſe reipſa Deum ita perfectè comprehendiſſe, vt ipſe ſe; quos idcirco ex inſtituto damnant SS. Patres, vt videbimus.

2 Quod verò attinet ad quæſtionem Quid eſt, ſeu in quo Incomprehenſibilitas illa DEI propriè conſiſtat, varia admodum eſt Scholaſticorum ſententia, quæ varietas vt explicetur.

Notandum ſecundò, duplicem in genere conſtitui poſſe Incomprehenſibilitatem Dei, iuxta illam ipſam rationem & ſignificationem nominis ſuperius loco ſecundo declaratam, vnam ex parte obiecti; alteram ex parte actus ſeu cognitionis. Quæ tamen diuiſio aliter à Sancto Thoma hic quæſt. 12. artic. 7. aliter à recentioribus accipi videtur. Nam Sanctus Thomas ibidem ad 3. ſignificat, id eſſe incomprehenſibile ex parte obiecti, tum quod ſecundum ſe totum cognoſci non poteſt; tum etiam illud, quod non totaliter ex parte modi cognoſcendi: quia videlicet obiecti cognoſcibilitas ex ſe maior eſt, quam vt ab illa creatâ cognitione poſſit exæquari. Ex parte verò cognitionis, indicat generatim eſſe incomprehenſibilem quod ab intellectu non poteſt cognoſci perfectiſſima cognitione abſolutè poſſibili. Recentiores verò Theologi communiter illud ſolum vocant incomprehenſibile ex parte obiecti, quod non poteſt ſecundum ſe totum, & quidquid in ſe, vel formaliter vel eminenter continet (*continentiam* illi vocant *formalem*, & *eminentialem*, ſeu *virtualem*) cognoſci. Ex parte verò ipſius cognitionis Incomprehenſibile vocant, quod non cognoſcitur modo perfectiſſimo, nec ita cognoſci poteſt; ſiue ipſa obiecti cognoſcibilitas adeo perfectam ex ſe cognitionem depoſcat, ſiue non.

Notandum Tertiò, ex his varijs modis Incomprehenſibilitatis, in præſenti nullam quæſtionem eſſe de Incomprehenſibilitate ex parte cognitionis, iuxta modum loquendi S. Thomæ, ſiue etiam aliorum Theologorum, ſecundum quem Incomprehenſibile dicitur intellectui creato, quidquid ab eo cognoſci non poteſt cognitione perfectiſſima abſolutè poſſibili; ſiquidem conſtat, ſolum Deum ita à ſeipſo cognoſci; præſertim cum Incomprehenſibilitas hoc modo accepta reſpectu creati intellectus quibuſlibet etiam rebus creatis communis, adeoque per ſe etiam plane impropria ſit: quandoquidem nulla res creata ab vllo creato intellectu cognoſci poteſt cognitione perfectiſſima abſolutè poſſibili; ſed ſolum ab ipſo Deo, cuius cognitio omnem creatam ſcientiam infinitè ſuperat. Solum ergo controuerſia eſt de incomprehenſibilitate ex parte obiecti, iuxta modum loquendi S. Thomæ; & recentiorum; aut etiam de incomprehenſibilitate ex parte cognitionis, iuxta modum loquendi recentiorum; quando modus cognoſcendi non exæquat cognoſcibilitatem rei, quam res ex ſeipſa habet; quam tamen incomprehenſibilitatem diximus à S. Thoma comprehendi ſub incomprehenſibilitate ex parte obiecti.

His poſitis, ex Scholaſticis aliqui defendunt incomprehenſibilitatem Dei iuxta poſteriorem modum tantum; alij verò iuxta priorem: in quibus tamen rurſum eſt quædam diuerſitas. Quidam enim ſolum dicunt, Deum ex parte obiecti incomprehenſibilem, ſecundum continentiam eminentialem, alij verò etiam ſecundum continentiam formalem, vt mox diſtinctè explicabimus. 3

Prima quidem eſt ſententia Nominalium, qui vt tam ex parte obiecti, quam cognitionis, Deum incomprehenſibilem defendant, ſuo philoſophādi more ad varios, & quoſdam etiam parum ſolidos & accommodatos comprehenſionis modos & ſignificatus confugiunt: quorum nonnulli iam ſunt à præſenti controuerſia excluſi: Notandum inquit Gabriel in 3. d. 14. q. vn. dub. 7. *quod comprehendere accipitur quinque modis, vt dicit Ockam q. 12. quarti. Primo modo eſt videre aliquod viſibile, ita vt nihil eius lateat; & ſic comprehendere eſt diſtinctè videre. Secūdo modo eſt videre aliquod totum, & diſcernere inter partes eius: Tertio modo eſt videre aliquod viſibile perfectiſſima viſione, qua videri poteſt. Quarto modo comprehendere, eſt cognoſcere aliquid ſub omnibus prædicatis ſibi conuenientibus. Quinto modo eſt cognoſcere intellectione habente talem proportionem ad alias intellectiones, qualē habet obiectum ad alia obiecta. Et infra: Primo modo dicitur, quod quicquid videt eſſentiam diuinam, comprehendit eam &c. Secundo modo eſſentia ſeu Verbū à nullo comprehenditur: quia non habet partes inter quas diſcerni poſſit. Tertio modo non poteſt comprehendi niſi ab intellectu ſuo, quia omni cognitione creata perfectior eſt viſio increata. Neq; alia creatura illo modo comprehendi poteſt, niſi à Deo. Quarto modo ſimiliter non poteſt comprehendi niſi à ſeipſo: quia ipſe ſolus nouit omnia prædicata ſibi conuenientia. Sic & quinto modo ſolum comprehendit ſeipſum: quia ſicut cognitio increata infinitè excedit omnem cognitionem creatam, ita obiectū increatum infinitè excedit omne obiectum creatum, &c. His tribus vltimis modis communius accipitur comprehendere, qui ſoli Deo conueniunt reſpectu obiecti increati.* Hactenus Gabriel ex ſua, & aliorum Nominalium ſententia.

Sed de primo modo comprehenſionis nulla eſt hoc loco quæſtio; conſtat enim, Deum hoc modo incomprehenſibilem ſimpliciter non eſſe, vt ſuperius dictum. Secundus modus eſt fictitius, 4

loquen-

Digitized by Google

loquendo de comprehensione in genere; quæ in se comprehensa nullas requirit partes. Tertius modus ad comprehensionem propriè non requiritur; alias enim nec Angelus inferior à superiore; nec ex ijs quilibet à seipso; nec vlla creatura vel ab Angelo, vel ab homine comprehenderetur: quare iam antea etiam monuimus non esse hoc loco quæstionem de incomprehensibilitate huic modo comprehensionis oppositio. Quocirca tribus his modis omissis, solum de duobus posterioribus modis cõprehensionis, seu duob⁹ potiùs oppositis modis incomprehensibilitatis est quæstio; quorum vnus est ex parte obiecti, alter ex parte cognitionis, iuxta modum loquendi recentiorum: Et licet Nominales verbis quibus referunt quartum modum non satis explicent, an Deum eo modo existiment incomprehensibilem ex parte obiecti, secundum continentiam etiam formalem; an verò secundum continentiam eminentialem: tamen de posteriori solum locutos esse colligitur ex primo modo, & referunt Suarez mox citandus & Vasquez. disp. 53. c. 3. eam verò Nominalitũ sententiã plurib⁹ etiam refellunt Vasquez l. c. & Albertinus tom. 1. pri. 1. coroll. 2. p. 3.

Secunda sententia est, Deum propriè dici incomprehensibilem ex parte obiecti, secundum continentiam eminentialem tantum; nimirum quìa non potest ita perfectè videri à creatura, vt ex vi talis visionis cognoscantur & comprehendantur omnia, quæ in Deo sunt eminenter. Ita Suarez lib. 2. de DEO. c. 29. numer. 9. & 13. & fusè in 3. part. d. 26. sect. 2. & 3. & Vasquez 1. parte d. 53. cap. 4. qui tamen hoc singulari fundamento nititur, quòd ex vi ipsius visionis Dei nulla penitus creatura videatur; de quo dub. sequẽti. Refert & refellit hanc sententiam Albertinus loc. cit. p 4.

5 Tertia sentẽtia est Victoriæ, vti refertur, quẽ sequuntur Albertinus cit. coroll. 2. p. 6. & 7. & quidã recentiores; quibus etiam adiungitur à nonnullis Caietanus; & non parum fauet Ferrariensis 1. cont. gentes cap. 56. Deum incomprehensibilem dici, & esse, ex parte obiecti etiam secundum cõtinentiam formalem: quia non cognoscatur perfectio diuinæ essentiæ secundum omnes gradus suos virtuales; ita vt quamuis omnia prædicata intrinseca quæ sunt diuersæ rationis in Deo, cognoscantur à beato; tamen nulla perfectio intrinseca Dei possit ita perfectè cognosci, secundum omnem suum gradum, quin præter gradum perfectionis cognitum, semper alij plures in infinitum supersint, qui cognoscentem lateant: siue quia ad hoc requiratur lumen infinitè intensum; quod impossibile est dari; vt ex his Authoribus recentiores illi cum Victoria dicunt; siue quia ad hoc requiratur cognitio simpliciter infinita, vt docet Albertinus; qui putat, non implicare contradictionem, dari lumen, seu cognitionem infinitè intensam. Exemplo rem declarat Albertinus in visione albi intensi; quod à longè subfuscum apparet, etsi tota albedo videatur. Item exemplo solis; qui licet totus videatur, vix tamen à nobis palmaris conspicitur. Refellit hanc sententiam Vasquez d. 53. n. 2. tanquam planè improbabilem, & absurdam, nec satis fidei consonam. Eandem Suarez lib. 2. cap. 22. n. 16. vocat falsam & improbabilem. Ab his omnibus diuersa est quarta sententia S. Thomæ hìc, & communis Scholasticorum, vt dicemus.

Assertio I. Deus aliquo sanè proprio & vero sensu à creato intellectu penitus incomprehensibilis est, nõ solum secundum ordinariam, sed etiam absolutam Dei potentiam. Ita S. Thomas hic quæst. 12. a. 7. & in 4. d. 49. q. 1. art. 3. & lib. 3. cont. gent. cap. 53. & de verit. q. 8. a. 2. Idem Scholastici in 3. d. 14. & hic cit. q. 12. art. 7. omnes vno ore affirmant: & est de fide, abstrahendo à particulari modo incomprehensibilitatis, vt rectè Sotus in 4. d. 49. quæst. 3. a. 1. Molina hic a. 7. & Suarez lib. 2. de DEO cap. 5. num. 6. & 3. part. Tom. 1. d. 26. sect. 2. licet id de fide esse non agnoscat Vasquez d. 53. num. 3. Probatur primò ex Scriptura sacra, quæ ita de Deo loquitur, Iob. 11. v. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsq; ad perfectum omnipotentem reperies?* Quæ verba licet sint Sopharis Naamathitæ, sunt tamen à sanctis Patribus tunquam fidei consona recepta. Itẽ Ierem. 32. vers. 19. *Dominus exercituum nomen tibi, Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Rom. 11. v. 33. *O altitudo diuitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quam incomprehensibia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* 1. Tim. 6. vers. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* 6

Secundo idem probatur ex definitione Ecclesiæ. Etenim in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Cap. *Firmiter*, de Summa Trinitat. & fide Cathol. ita definitur: *Firmiter credimus, quod vnus solus sit DEVS, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis.* &c. vbi eodem modo Deus incomprehensibilis dicitur, quo incommutabilis; vtique etiam secundum absolutam DEI potentiam: quidquid in contrarium ad eneruandam huius definitionis vim, contra communem glossetur Vasquez d. 52. n. 10. ratus solum dici rationalibus creaturis natura sua consideratis incomprehensibilem; eo quòd ibidem etiam dicatur *ineffabilis*, qui tamen Beatis non est ineffabilis. Sed vt rectè notauit Albertinus tom. 1. coroll. 2. p. 1. Sicut nemo totaliter & perfecte vndequaque Deum intelligere, ita nec eloqui potest: quare etiam Beatis non minus est ineffabilis, quam incomprehensibis. Huc spectat, quod Concilium Basileense sess. 22. damnauit inter alias etiam hanc propositionem Augustini de Roma, dicentis; *Anima Christi videt Deum tàm clarè & intensè, quam clare & intense Deus videt seipsum.* 7

Tertio idem probatur ex SS. Patribus, dum disputant contra Anomæos superius relatos, quos ex instituto damnant Chrysostomus homilijs quinque contra Anomæos, de incomprehensibili Dei natura, Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theolog. Augustinus Epist. 112. capit. 8. Ambrosius lib. 1. in Luc. cap. 1. Optimè S. Dionysius lib. de diuin. nom. cap. 1. *Vt enim*, inquit, *neque ea, quæ ratione intelliguntur, ab ijs, quæ sub sensum cadunt, comprehendi eerui q; possunt; nec ab ijs, quæ ficta figurataq; sunt, simplicia & non figurata; nec ab ijs, quæ corporeæ figuræ effecta sunt, eorum quæ corpore vacant,*

formæ vacuitas, quæ nec tractari, nec figurari potest: sic & essentias vincit ac superat, quæ termino caret immensitas; & mentes quæ mente superior est, vnitas; & vnum quod cogitationem superat, in cogitationem nullam (adæquatam nimirum obiecto, vt antea dixerat) *cadere; & bonum quod orationem vincit, nulla oratione* (adæquate) *exprimi potest.* Et mox vocat Deum, *vnitatem vnitatis omnis effectricem, essentiam essentiâ superiorem, & verbum quod exprimi nequit; verbi, intelligentiæ, nominisque vacuitatem & privationem*; nimirum quia comprehendi, intelligi, & exprimi non potest. Similia habet, cap. 1. de myst. Theolog.

Quæ testimonia, vt & Scripturæ loca superius relata, tametsi itidem ad propositum nihil facere, sed vel viatoribus solum, aut rationalibus creaturis, naturâ sua consideratis, quædam etiam non de ipsa natura diuina, sed tantum de arcanis Dei consilijs a Deo reuelante non manifestatis loqui contendat Vasquez d. 52. cap. 2. 3. & 4. contrarium tamen probant, tum ipsa verba ac sententiæ generatim pronunciatæ; tum communis & recepta Scholasticorum expositio ac sensus. Quocirca tandem ipsemet etiam Vasquez ibidem num. 4. fatetur, iam licitum non esse, sed plane temerarium, absolutè docere, DEVM à Beatis comprehendi posse; cum communis inquit Scholasticorum Schola contrarium doceat. Ratio patebit inferius.

Interim extra controuersiam est, Deum seipsum intelligendo comprehendere; quod asserit etiam S. Augustinus lib. 12. de ciuit. c. 8. quamquam hic ipse loquendi modus negatiuè potius, quam positiuè accipiendus est, iuxta S. Thomam q. 14. a. 3. ad 1. quia reuera sicut diuinum esse in se finem non habet, ita nec cognitione positiuè finiri aut includi potest.

8 Assertio II. Incomprehensibilitas Dei in hoc non consistit, quod seu perfectio aliqua diuina in re, seu virtualis aliquis diuinæ perfectionis gradus, vel modus in Deo formaliter existens lateat videntem Deum. Est expressa doctrina S. Thomæ hic quæst. 12. artic. 7. ad 2. & 3. vbi dicit, non propterea DEVM incomprehensibilem dici ex parte obiecti, *quasi aliquid eius sit, quod non videatur; aut quasi non totus modus obiecti sub cognitionem cadat.* Eadem est communis antiquorum Theologorum, quos referemus, sententia. Quam sequuntur etiamnum Thomistæ recentiores, & alij plerique Theologi, nominatim Gregorius de Valentia quæst. 12 punc. 6. Molina artic. 7. Suarez. cit. lib. 2. cap. 29. & Vasquez d. 53. num 2. adeo vt quamuis oppositam sententiam superius tertio loco relatam nulla grauiore censura notandam existimem; ea tamen merito videri possit noua & singularis.

Probatur assertio; quia nullo modo negari potest, Beatos Deum videntes omnia videre, quæ in ipso sunt formaliter, vt patebit dubio sequenti, & constat ex illo Ioan. 3. vers. 2. *Videbimus eum sicuti est.* & 1. Cor. 13. vers. 12. *facie ad faciem.* Cum igitur virtuales illi perfectionis gradus dicant aliquem perfectionis modum in DEO formaliter existentem, vt docent tertiæ illius sententiæ auctores; nominatim Albertinus, qui propterea dicit, Deum non dici incomprehensibilem, *solum secundum continentiam suam eminentialem, sed etiam formalem*; negari non debet, eos etiam prout sunt in Deo, à beatis singulis videri. Dico, prout in Deo sunt: Sic enim solum in præsenti potest esse quæstio; nam prout ratione nostra inter se distinguuntur, dubitari potest, an à beatis visione beatifica omnino videantur: iuxta ea, quæ in simili diximus supra quæst. 2. dub. 4. an attributa diuina inter se etiam ratione distinguantur à beatis. Deinde si Deus secundum vnum gradum perfectionis posset videri alio non viso, necessario à parte rei deberet inter illos esse distinctio: quando enim aliquid videtur, altero non viso, ea necesse est, à parte rei esse distincta, vt dub. sequenti constabit: at consequens illud est impossibile. Denique si vnum attributum non potest videri absque alio, vt dicitur ibidem; quomodo vnus gradus virtualis eiusdem attributi videri potest, alijs gradibus non itidem visis? Quibus sanè argumentis non videntur satisfacere solutiones Albertini loc. cit.

Neque exempla illa de sole & albo, à longe 9
conspectis, ad propositum faciunt. Hæc enim quia non aptè sensui proposita sunt, non videntur sicuti sunt, sed imperfectè ac vitiosè videntur; eò ipso, quod & albedo illa videtur subfusca, & sol palmaris; quo fit, vt verè nec puritas albedinis, nec magnitudo solis conspiciatur. Deum autem videbimus sicuti est, & facie ad faciem, vti dictum. Certè negari non posset, admodum mancam, imò vitiosam fore Dei visionem, si ex parte obiecti, nec tantæ magnitudinis ipse, nec tantæ puritatis esse conspiceretur, quantæ est à parte rei.

Assertio III. Incomprehensibilitas DEI propriè ac principaliter non consistit etiam in hoc, quod non possit ipsa penetrari vel cognosci secundum omnem suam continentiam eminentialem; siue præcisè ex vi visionis, siue etiam alio quouis modo. Ita S. Thomas hic quæst. 12. artic. 7. alijsque citatis locis, vbi ex instituto declarans rationem formalem incomprehensibilitatis, nunquam eam in ordine ad hanc continentiam eminentialem explicauit. Et quamuis hic art. 8. dicat, ideo non posse omnia cognosci, quæ sunt eminenter in Deo, quia est incomprehensibilis; tamen nec hic, nec alibi in eo constituit rationem formalem incomprehensibilitatis; sed potius hoc ipso distinguit, quod ex hoc illud, tanquam consequens probat. Eadem est communis sententia antiquorum Scholasticorum, quos citabimus, vti etiam Gregorij de Valentia, Molinæ, Albertini loc. citt. Sed & extra visionem posse cognosci omnia, quæ sunt in DEO eminenter, fatentur etiam Suarez & Vasquez citati pro secunda sententia superius relata; cui ex parte hanc assertionem opponimus.

Probatur

Probatur assertio. Quia quæ solum sunt eminenter in DEO, non sunt aliquid ipsius DEI, nec adeò propriè & formaliter pertinent ad cognitionem DEI: imò sicut ab eis natura DEI, ita etiam cognitio Dei independens est: ac proinde si alioqui ipsa secundum se, & continentiam suam formalem comprehenderetur, non propterea simpliciter negandum foret, DEVM comprehendi posse, etiamsi illa, quæ eminenter in ipso sunt non comprehenderentur: at verò secundum assertionem primam simpliciter & absolutè negandum est, DEVM esse comprehensibilem: Ergo in incomprehensibilitate illa eminentialis continentiæ, propriè & principaliter non consistit incomprehensibilitas DEI. Accedit, quòd de fide est, DEVM esse simpliciter incomprehensibilem, vt eadem assert. 1. dictum: non est autem certum, non posse DEVM secundum totam suam continentiam eminentialem penetrari, & cognosci; loquendo de absoluta DEI potentia; cum nonnulli Theologi id affirment; alij dubitent, vt inferius dub. 10. patebit; Ergo, &c.

Assertio IV. Incomprehensibilitas DEI propriè & formaliter in hoc consistit, quod nulla 19
creatura DEVM videre potest adeò perfecta & clara visione, quæ sit intrinsecæ obiecti cognoscibilitati adæquata; quæque proinde talis sit, qualem ipsum obiectum ex se postulat. Est expressè sancti Thomæ hic quæst. 12. artic. 7. in corp. Vbi dicit, DEVM esse incomprehensibilem; *quia nullus intellectus creatus pertingere potest ad illum perfectum modum cognitionis diuinæ essentiæ, quo cognoscibilis est.* Et respons. ad 1. & 2. rursum rationem incomprehensibilitatis DEI assignat; quia non ita perfectè videtur, *sicut visibilis est, & modus obiecti non est modus cognoscentis*; quidquid reluctetur Albertinus loc. cit.

Idem docent Bonauentura in 3. distinct. 14. artic. 1. quæst. 2. Richardus artic. 1. quæst. 4. Scotus quæst. 1. Durandus quæst. 1. numer. 10. Carthusianus in 4. distinct. 49. quæst. 4. Maior distinct. 49. quæst. 15. Scotus quæst. 3. artic. 1. Idem volunt Nominales pro prima sententia relati, circa quintum modum comprehensionis, quando dicunt, solum Deum cognoscere seipsum intellectione habente talem proportionem ad alias intellectiones, qualem habet ipse, velut obiectum ad alia obiecta, &c. Idem ex recentioribus tradunt Caietanus hic q. 12. a. 7. Gregorius de Valentia quæst. 12. p. 6. Molina citat. artic. 7. & recentiores Thomistæ ibidem. Idemque planè ex Patribus indicant Sanctus Augustinus, lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 6. & lib. Soliloq. capit. 31. Epiphanius hæresi 70. Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 6. Gregorius lib. 12. Moral. capit. 7. vel 10. & lib. 18. Moral. capit. 27. vel 28. vbi ait: *Nec tamen videbimus, sicut videt ipse se ipsum: longè quippe disparabiliter videt Creator se, quam videt Creatura Creatorem, &c.*

Probatur & declaratur assertio. Quia quodlibet in tantum ex se cognoscibile est, in quantum ens est: ens enim, & verum, seu cognoscibile, se mutuò consequuntur. Ergo Ens infinitum est ex se infinite cognoscibile: adeoque ex se postulat cognitionem simpliciter infinitam; seu quæ tam perfecta sit in genere cognitionis, quam obiectum est perfectum in genere cognoscibilis, seu entis. Ergo non potest vlla cognitio ipsi esse adæquata, eamque comprehendere, nisi simpliciter infinita: hæc autem est impossibilis creaturæ; ac proinde ob eam ipsam etiam causam, DEVS est incomprehensibilis à creatura. Qui est ipse etiam discursus S. Thomæ hic cit. a. 7.

Et confirmatur. Quia neutrum negari potest, & cognoscibilitatem illam DEI reuera 11
hoc sensu à creato intellectu exæquari non posse; & eandem ipsam etiam repugnantiam exæquationis rectè dici incomprehensibilitatem, respectu creati intellectus; cum comprehensio opposita nihil sit aliud, quam cognitionem rei adeo esse perfectam, vt sit etiam totalis, & obiecto adæquata, eiusque cognoscibilitate non excedatur.

Aliter verò res se habet cum rebus creatis, quæ cum non sint entitatis infinitæ, non postulant etiam ex se cognitionem infinitam (etsi per accidens, & ratione quasi subiecti, eorum quoque cognitio in DEO sit infinita), sed solum finitam, quæ proinde etiam comprehunduntur; modo hæc respectu cuiusque obiecti tam perfecta sit in suo genere cognitionis, quam obiectum ipsum perfectum est in genere entis: sic enim creatura inferior, & æqualis, ab æquali cognoscente comprehendi potest; superior non potest; vt suo loco de Angelis in specie docetur.

Neque vero contra hanc explicationem communem & solidam incomprehensibilitatis, quicdam efficiunt argumenta Vasquij disp. 53. capit. 2. qui potius ipse fatetur num. 6. *Si incomprehensibilitas hoc modo vsurparetur, de fide planè esset, DEVM à Beatis non posse comprehendi.* Sed quid ni hoc modo vsurparetur; cum ipsemet negare non possit, hanc esse communem ac receptum loquendi modum Scholasticorum?

Sed obijcit Vasquez ibidem; Augustinum, & 12
SS. Patres nunquam incomprehensibilitatem DEI ita explicasse; sed comprehensionem semper nihil aliud esse docuisse, quam totum, quod est in re aliqua, ita cognitione complecti vt nihil illius verè lateat, sed appareat sicuti est. Albertinus quoque loco citat. etsi non neget, SS. Patres etiam dictam incomprehensibilitatem agnouisse, adeoque veram & propriè dictam incomprehensibilitatem esse; addit tamen, eos simul etiam aliam ex parte obiecti asseruisse, qua reuera aliquid in DEO lateat. Quod potissimum probatur ex definitione comprehensionis, quam habet S. Augustinus Epist. 112. cap. 9. vbi ait: *Aliud est videre, aliud est totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod præsens vtcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possint.*

Digitized by Google

&c. Ita Augustinus. Cum igitur Deus respectu cuiuslibet intellectus creati, sit incomprehensibilis, necesse est, vt iuxta eam S. Augustini descripnem comprehensionis, necessario aliquid lateat omnem intellectum creatum.

Respondeo, duplicem esse huius loci explicationem. Prima est, quam indicat S. Thomas hic quæst. 12. art. 7. S. Augustinum scilicet ijs verbis sub disiunctione duplicem comprehensionis modum exposuisse; vnum priori descriptionis membro, ex parte obiecti (iuxta sensum recentiorum superius explicatum) quo obiectum totum ita videtur, vt nihil eius lateat videntem; quem non negat Beatis, vt dicemus: Alterum posterioribus verbis, ex parte cognitionis. *Tunc enim*, inquit S. Thomas, *fines alicuius circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem peruenitur.* Clarum enim est fines, de quibus loquitur Augustinus, non de fine ipsius rei cogniex intrinseco accipi posse: alioqui nec Deus, qui infinitus est, seipsum comprehenderet; sed de fine quasi extrinseco, seu terminis cognoscibilitatis, in ordine ad cognitionem; qui tunc attinguntur & quasi circumspiciuntur, quando ipsa cognitio adæquat, adeoque finit quodammodo cognoscibilitatem seu entitatem obiecti; quam & sanctus Augustinus, & sanctus Thomas rectè negant cuilibet creato intellectui.

13 Alia explicatio est, & meo iudicio magis accõmodata verbis & contexui sancti Augustini, nimirũ eõ hoc loco sub vtroq; disiunctionis membro (verbis posterioribus, vti sæpe fieri solet, solum per modum explicationis ad prius membrum, seu priora verba adiectis) solummodo descripsisse comprehensionem rei ex parte obiecti iuxta modum loquendi recentiorum, qua nimirum res tota, & quidquid in re est, videtur, vt notauit etiam Vasquez disp. 52. cap. 1. de qua comprehensione Augustinus in eo orationis contextu hæc quoque asserit, ex mente etiam Sancti Ambrosij, cuius verba ibidem ponderat & expendit. 1. Comprehensionem hanc distingui à visione rei latè accepta, prout videlicet etiam ænigmaticam rei visionem, & in aliena specie comprehendit, de qua ibidem ex eodem Ambrosio multa disseruerat. Et hoc significant verba illa citata Augustini: *Aliud est videre; aliud est totum videndo comprehendere; quandoquidem id videtur, quod præsens vtcunq; sentitur*, &c. 2. Comprehensionem hanc eandem esse, cum visione rei totius in propria specie; *ita vt nihil rei lateat videntem*. 3. Tali visione non quidem in hac vita, sed in altera DEVM à nobis aspectabilem fore. 4. Angelos Beatos reipsa nunc ita Deum videre. 5. In hoc tamen mundo Deum hac visione, vt in seipso est, nec ab hominibus, nec ab Angelis, visum esse, per eam quidem formam & speciem, qua olim diuersis Sanctis apparuit. Vbi etiam eodem modo explicat, quod Ambrosius dixerat: *Nec Angelos quidem Deum vidisse vnquam.*

14 Omnia hæc patescent attentè expendenti totum contextum verborum sancti Augustini: in quibus præcipuè notanda hæc verba sequentia: *Porrò, si propterea*, inquit, *Deum nemo vidit vnquam* (nec Angeli quidẽ) *quia sicut ait Disputator* (Ambrosius) *cuius verba consideramus, plenitudinẽ diuinitatis eius nemo mente cõspexit, nemo aut oculis cõprehendit* (nimirum plenitudinẽ ei⁹ clare conspiciendo, vt antea dixerat) *restat inquirere, quomodo Angeli Deum videant*, &c. *item quomodo nos ita visuri sumus.* Et infra post multa ex mente etiam S. Ambrosij respondet: *Narrante Vnigenito*, &c. *creatura rationalis munda & sancta impletur visione Dei ineffabili, quam consequemur tunc, cum æquales Angelis facti fuerimus.* Et mox: *Quia sicut videntur, inquit, ista visibilia corporis sensibus nota, Deum nemo vidit vnquam: quoniam si aliquando* (Prophetis olim) *eo modo visus est; non sicut ista natura* clare videlicet, & vt in se est) *videtur, sed sola voluntate, visus est, specie qua voluit, apparens, latente natura, atq; in se incommunicabiliter permanente. Eo autem modo, quo videtur sicuti est, nunc fortasse videtur à quibusdam Angelis; à nobis autem tunc ita videbitur, cum eis facti fuerimus æquales*, &c. Ex quibus intelligitur, S. Augustinum in verbis illis superius obiectis, non loqui de ea comprehensione Dei, quam ipse sentiat impossibilem esse etiam intellectui beato; sed solum quæ impossibilis sit Viatori, saltem iuxta consuetum diuinæ prouidentiæ modum, vt dictum. Ex quo tamen colligi non potest, eum non agnouisse alium modum comprehensionis omni creato intellectui penitus impossibilem; à quo proinde DEVS simpliciter & vnidiquaque sit & dici possit incomprehensibilis, vt idem ipse alibi docuit. 15

Vnde etiam patet responsio ad id, quod ibidem disputat. 53. capit. 2. obijcit Vasquez, nec Scripturam, nec SS. Patres nomen incomprehensibilitatis respectu cognitionis DEI, hoc sensu, vti nos ex communi Scholasticorum sententia exposuimus, vsurpasse; imò verò nec alio, quo comprehensionem Dei beatis denegarent. Respondetur enim primò, quidquid sit de nomine, satis est de re ipsa constare, tam ex Scriptura, quam Patribus: cum præsertim negari non possit, hoc, quod huic nomini subesse diximus, ex mente antiquorum Scholasticorum, rectè ita appellari; & verò etiam ius fuisse, hoc ei nomini significatum imponendi, etiamsi in Scriptura, aut apud SS. Patres id nomen hoc significato nunquam fuisset vsurpatum, vt in multis etiam alijs terminis Theologicis, atque etiam aliarum scientiarum accidit. Respondetur secundò, negando quod de Scriptura & Patribus vniuersim affirmat Vasquez, vt partim ex citatis Scripturæ & SS. Patrum testimonijs colligi potest; partim pluribus videre est apud citatos. Certè nemo, quód sciam, alius præter Vasquium, ita generatim de Scriptura & Patribus pronunciauit, aut vniuersim ita interpretatus est, vt eos à recepta Scholasticorum sententia de incomprehensibilitate Dei alienos, certe eius rei non conscios reddere studeret. Obijci denique etiam potest Sanctus Thomas infra quæst. 14. artic. 3. ad 1. vbi aliter de Incomprehensibilitate Dei loqui videtur; sed nos eum locum inferius quæst. 8. dub. 2. explicabimus.

Digitized by Google

DVBIVM VII.

Vtrum videns essentiam Dei necessario videat etiam relationes seu personas, & omnia quæ sunt formaliter in Deo.

S. Thomas 1. p. q. 12. a 6. & 7.

1 COntrouersia celebris est, an secundum absolutam Dei potentiam videri possit essentia diuina sine personis; & vna persona, siue attributũ vnum sine alijs. Affirmatiuam sententiam tuetur Scotus in 1. d. 1. q. 2. posse videlicet essentiam videri sine personis; & vnam personam sine alia, modo vna ad alteram, vt sic non referatur: quo modo v. g. pater vt pater refertur ad filium, & rursum filius ad patrem, neuter vt sic ad spiritum sanctum &c. Idem docent Scotistæ ibidem, Bassolis quæst. 1. Mayron. q. 6. Bargius ead. q. 6. De attributis absolutis nihil quidem expresse asserit Scotus; sed sequitur tamen ex vno & eodem fundamento, quod nimirum iuxta Scotum, aliosque Scotistas, tam personæ, quam attributa alia & inter se, & ab essentia distinguantur formaliter ante operationem intellectus: quod tamen fundamentum superius q. 2. dub. 2. refutauimus. Addit Scotus cum suis, relationes non esse de ratione essentiali obiecti beatifici. Vnde concludit, non solum talem visionem secundum se esse possibilem; sed etiam fore beatificam.

Huic affinis est sententia, quam refert Aureolus in 1. d. 1. q. 1. a. 1. posse quidem essentiam cognosci quidditatiuè à beato absque personis; eam tamen cognitionem seu visionem non fore beatificam. In eandem Scoti sententiam, quatenus loquitur de visione vnius attributi sine alio, referuntur etiam quidam, qui re ipsa ita à beatis videri diuinam essentiam indicant; sed qui reuera non ita sentiunt, vti paulo post in specie referemus. Huc spectat tamen, quod docet Ferrariensis in 3. cont. gent. cap. 56. infinitatem Dei à beatis videri, secundum omnem intensionis gradum, quantum ad quia est; non distincte tamen distinguendo in ipso omnem gradum essendi, nec omnia, quæ in eo distingui (ratione) possunt. Apertius Victoria, Albertinus, & alij citati præced. dub. negant, omnes virtuales gradus perfectionis in Essentia diuina coniunctos à beatis cognosci.

2 Assertio 1. Beati omnes ac singuli re ipsa nunc, & de facto vident non solum essentiam diuinam ac perfectiones, & attributa absoluta omnia, sed etiam relatiua, adeoque totam Sanctissimam Trinitatem, & quicquid est formaliter ac necessariò in Deo. Ita expressè S. Thomas hic quæst. 12. a. 6. & 7. Caietanus & recentiores Thomistæ ibidem, Henricus quodlib. 13. q. 1. Bonauentura in 3. dist. 14. a. 1. q. 2. & in 4. dist. 49. a. 1. q. 6. Richardus art. 2. q. 8. Durandus q. 2. num. 28. Maior quæst. 2 Aureolus in 1. dist. 1. q. 1. a. 2. & apud eundem Varro Præceptor Scoti in quodlib. 11. q. 1. Sotus in 4. dist. 49. q. 3. a. 3. & recentiores communiter citandi assertione sequenti.

Nec in his terminis dissentiunt Capreolus in 1. d. 27. q. 2. a. 3. & Caietanus 1. p. q. 27. a. 1. vt recte notauit Vasquez cit. disp. 48. cap. 1. Multo minus dissentiunt Richardus in 3. d. 14. a. 1. q. 4. ad vltimum, & Bonauentura art. 1. q. 2. quod asserant, beatos aliquid latere de profunditate ipsius Dei. Solum enim docent, Deum non cognosci à beatis omni modo, quo postulat cognosci: id quod ex parte modi cognoscendi, non ex parte rei cognitę intelligunt, vt rectè Vasquez disp. 48. cap. 1. & dictum dub. præced. Eandem assertionem tradunt Scotus & Scotistæ loco cit. Est verò assertio de fide, quoad visionem personarum simul cum visione essentiæ coniunctã, ex Concilio Florentino, sess. vltima, decreto de purgatorio. Et patet ex scriptura Ioan. 17. ver. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum DEVM, & quem misisti Iesum Christum, &c.* Plura assert. seq. & supra dub. præced. assert. 3. Dixi vero, quicquid est necessario in Deo; quia de decretis liberis diuinæ voluntatis, qua talia sunt, alia ratio est, vt dicemus dub seq.

3 Assertio II. Non tamen propterea beati visione beatifica cognoscunt infinitas numero perfectiones, in Deo formaliter existentes. Ita quoad hoc rectè Ferrariensis loco cit. Idem docent Molina hic quæst. 12. a. 8. disp. 3. & Suarez. lib. 2. cap. 22. num. 14. Ratio est; quia à parte rei nulla est eiusmodi perfectionum absolutarum multitudo in Deo: nec intellectus Dei & beatorum eas perfectiones per se ipsi ratione distinguunt, vt dictum supra, quæst. 2. dub. 4. cum tamen illæ ipsæ, quæ à nobis ratione & imperfecto modo concipiendi distinguuntur, non sint infinitæ: nullus enim intellectus infinitas actu distinxit. Quo fit, vt actu etiam plures in Deo non sint, quam re ipsa nunc per cognitionem abstractiuam cognoscuntur & distinguuntur. Accedit quod etsi beati cognoscant attributa & perfectiones illas in Deo ratione nostra distingui, vti diximus; non tamen est simpliciter necesse, à beatis ita videri, vt plures & ratione distinctas, seu cum respectu ad nostram cognitionem imperfectam, quâ solâ distinguuntur; etsi id fieri posse concedat quoque Suarez loco cit. Distinctè ergo beati vident omnia, quæ formaliter sunt in Deo, quia clarè vident totum esse diuinum, adeoque omnia quæ sunt in Deo, vt in eo à pare rei sunt: etsi nec distinctis, nec diuersis cognitionibus, neque necessariò, aut etiam omnia, prout ratione nostra distincta, sed potius vt sunt à parte rei vna quædam simplicissima entitas, vnoque ac eodem actu visionis, cui vnum pariter à parte rei Verbum, seu species expressa respondet, iuxta ea, quæ docuimus supra dub. 5. quicquid vel de verbis quibusdam inadæquatis, aut saltem de negatione verbi adæquati per visionem beatificam expressi, improbabiliter philosophentur Capreolus, Caietanus, & Ferrariensis initio citati, vt videre est apud Vasquez disp. 48. cap. 1. & Suarez cap. 22.

4 Assertio III. Impossibile est, etiam secundum absolutam Dei potentiam, vt essentia diuina sine

attributis

attributis, seu absolutis, seu respectiuis, adeoque sine personis omnibus & singulis; aut vnum attributum, seu persona vna videatur sine alijs. Hæc est mens S. Thomæ hic q. 12. art. 7. ad 2. & 3. & apertè in 2. 2. q. 2. a. 8. ad 3. vbi ait, *DEVM secundum quod intelligitur in se ipso, prout videtur à beatis, non posse intelligi sine Trinitate personarum.* Et 3. p. q. 3. a. 3. ait; *impossibile esse, vt circumscribatur per intellectum cognoscentem Deum, sicuti est, aliquid à Deo, & quod aliud remaneat, quia totum quod est in Deo, est vnum, salua distinctione personarum.* Idem docent Henricus quodlib. 2. q. 7. & quodlib. 3. q. 1. Gabriel referens etiam alios Nominales in 1. dist. 1. q. 5. & Scholastici cæteri communiter in 3. d. 14. & in 4. d. 49. Speciatim Aureolus, & alij relati pro præcedenti assertione (excepto Scoto) quos sequuntur recentiores Thomistæ omnes & fusè Caietanus 2. 2. q. 2. a. 8. item Gregorius de Valentia q. 12. p. 6. Molina, a. 8. d. 4. Suarez lib. 2. de Deo cap. 23. & Vasquez dip. 48. c. 2. & quoad attributa siue prædicata diuersæ rationis Albertinus tom. 1. princ. 1. coroll. 4. pun. 8. n. 24.

Ratio vna & communis ab omnibus desumitur ex simplicate Dei, quam Vasquez & alij plerique censent euidentem. Quia impossibile est, idem in re ipsa videri & non videri, secundum idem: at si essentia diuina, sine attributis, & personis; aut hæc sine illa; aut vnum attributũ, seu vna persona sine alia videretur; tunc idem prorsus simplicissimum ens, & quidẽ etiam secundum idem (eo ipso quod in eo à parte rei nulla est diuersitas) simul videretur, & non videretur; cum omnia sint à parte rei vna simplicissima entitas essentiæ diuinæ: Ergo impossibile est, vt hoc fiat. Vnde etiã Vasquez ibidẽ n. 20. rectè notauit, ad hoc vt vnũ sine alio intueri valeamus, *omnes fatentur*, inquit, *necessariã esse distinctionem ex natura rei.* Neq; dubiũ quin hoc argumentũ cõtra Scotũ efficaciter concludat, saltẽ ad hominẽ; cum ipsemet Scotus satis videatur agnoscere, hęc nõ ita posse seorsim intuitiue videri, nisi supposita distinctione eorundẽ à parte rei.

5 Et cofirmatur assertio primò ex scriptura Ioan. 14. v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrẽ: Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me est?* Vbi Christus ex eo probat, Patrẽ videri (visione beatifica) ab eo, qui se videat: quia ego, inquit, in Patre, & Pater in me est; iuxta cõmuniorem explicationẽ SS. Patrum, quã recte tuetur Suarez cit. c. 23. etsi aliter Vasquez d. 48. c. 3. & quamuis illic solum de facto, ac eo quod re ipsa, ac ex natura rei fit, sermo esse videatur; tamẽ eo ipso discursus verum obtinet etiam de potentia absoluta; quandoquidem argumentatio procedit quasi à causa formali actu informante, ad effectũ formalẽ; nimirum ab identitate omnimoda Patris & Filij in essendo (secundũ essentiã) ad identitatẽ & coniunctionem vtriusq; in cognoscẽdo. Quasi hoc modo modo argumentatus fuisset; Qui videt filium, videt essentiam: Qui videt essentiam, videt & Patrem: Ergo qui videt filium, videt & Patrem: quæ consequentia non esset firma, nisi de quidditate essentiæ, ita esset pater, sicut de quidditate filij est essentia; vt rectè etiam notauit Aureolus loco cit. a. 2. ex Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 8. Qui etiam l. qq. noui test. q. 43. ait; *per id quod vnũ in substantia sunt, qui vnum videt, ambos videt.* Et in psal. 85. *Patris*, inquit, *& filij separari non potest visio, vbi non separatur natura & substantia.*

Confirmatur secundò hac quasi explicatione maiori rationis initio allatæ. Nam quandò in essentiali seu intrinseca ratione alicuius includitur indentitas cum alijs, impossibile est idipsum videre, non visa identitate eius cum ipsis: sicut v. g. impossibile est, videre humanitatem non visa rationalitate, vel animalitate, quæ est de ratione humanitatis, nec verò etiam identitas hæc illius videri potest, nisi visis his, cum quibus illud 1
vnum est: at de ratione intrinseca essentiæ diuine est identitas cum attributis & personis: sicut & de ratione istorum est identitas cum essentia: Ergo impossibile est aliquid horum videre altero non viso. Quæ argumenta procedunt, siue diuina essentia visa absque personis per se sola beatificaret & satiaret, vt vult Scotus, & cũ eo Aureolus loco cit. a. 1. & Suarez c. 23. num. 1. siue non, vt dicunt Caietanus & Thomistæ.

Adducitur etiam à nonnullis pro eadẽ assertione Concilium Florentinum sess. vlt. decreto de purgatorio; quasi ex eadem simplici entitate probet, à beatis videri omnia, quæ sunt in Deo formaliter: sed sanè ibi plus non dicitur, quam clarè videri Deum, Trinum, & vnum, sicuti est: quo probatur quidẽ assertio prima; sed hæc non item. 6

Assertio IV. Etiamsi per impossibile essentia diuina videri posset sine personis, ea tamen visio nõ foret beatifica. Hanc assertionem veluti probabiliorem statuo cum Caietano, & communi Thomistarum, contra Scotum, & Aureolum loc. cit. quos sequitur Suarez c. 23. n. 1. probatur. Quia cognitio illa non est plane beatifica quæ non perfectè satiat appetitum; talis non satiaret: Ergo. Minor probatur. Tum quia talis visio formaliter non esset entis, vndequaq; infiniti, sed solũ infiniti in certo genere, nimirũ in ratione essentiæ, ex dictis supra q. 2. tum quia esset visio entis, vt sic non substantialiter completi: siquidẽ ei, quatenus vt sic obijceretur intellectui, deesset vltimum complementum subsistentiæ siue personalitatis, extra quam in Deo non est alia subsistentia, vt hic contra Suarez suppono, suo loco inferius probandum. Plura tomo 2. disp. 1. q. 2. dub. 4.

Cæterum contra assertionem tertiam eiusque probationẽ, ab identitate essentiæ cum attributis ac personis omnibus ac singulis desumptã, obijcitur hoc argumentum. Essentia & personæ diuinæ non habent maiorem inter se coniunctionem ac necessitudinem, in ordine ad terminandam visionem creatam, qnam in agendo seu producendo ad intra, vel etiam in terminanda natura creata; sed non obstante suma identitate inter essentiam ac personas verè dicimus patrem generare, non item essentiam, vel filium: item filium terminare naturã humanã, non patrẽ: ergo etiã non obstante eadẽ identitate, fieri potest, vt videatur essentia non itẽ filius; aut filius, nõ autẽ essentia, vel pater.

Hoc argumentum fateor est difficile; & agnoscit quoq; Suarez, nonnullã probabilitatẽ conciliare oppositæ sententiæ. Certe qui id euidenter

soluerit

soluerit, non legi: quanquam etiam Scotus cum suis teneatur hoc soluere; quia eo non solum probatur, posse essentiam videri sine personis; & personam vnam sine alia, ad quam vt sic non dicit relationem; sed etiam si formaliter, vt sic vna ad alteram dicat relationem; nimirum Patrem sine filio, & filium sine Patre; cum Pater generet, non filius; filius terminet naturam humanam, non Pater, &c. id quod tamen negat Scotus.

7 Respondetur tamen primo. Sicut ob eandem identitatem & simplicitatem Dei, putaremus etiam illa ipsa, quæ obiecta sunt, esse impossibilia, nisi fuissent reuelata: ita etiam hoc de quo loquimur, iure putamus impossibile, quamdiu contrarium non fuerit reuelatum. Neque enim in his supernaturalibus per se ac vniuersim valet argumentatio à simili. Implicat enim, v. g. in diuinis esse quatuor, vel quinque personas, & non tres: quamuis seclusa reuelatione, putaremus cuiuslibet numeri eandem esse rationem.

Respondeo secundò, visionem claram rei ferri in rem adæquatè, vt est à parte rei, ; ac proinde videri non potest res, nisi etiam visa identitate eius, cum omnibus, quibus cum vna est à parte rei: actio vero seu terminatio non necessariò procedit à re, secundum omnem rationem perfectionis, quam in se habet, sed eam tantum, quæ formaliter vim agendi seu terminandi continet. Quæ discriminis ratio facit, vt persona vna terminare naturam, vel producere ad intra possit, non altera: cum tamen vna non possit videri, sine alia, &c. Quemadmodum etiam suo modo videre est in quantitate & figura; quæ licet sint materialiter idem, tamē quantitas dicitur subiectum accidentium, non figura; & figura dicitur terminus quantitatis, non è contra: cum tamen impossibile sit, etiam corporeis oculis, clarè intueri totam aliquā quantitatem, & non figuram.

Quod vero Sotus in 4. d. 49. q. 3. a. 3. concl. 2. dicit, essentiam diuinam sine personis non posse videri notitia apprehensiua, bene tamen iudicatiua; non est huic doctrinæ contrarium, loquitur enim de iudicatiua notitia à visione distincta: quamuis interim negandum non sit, vt ineque Sotus loco cit. negat, ipsam quoque visionem, simul esse & apprehensiuam, & iudicatiuam, seu habere rationem simplicis apprehensionis & iudicij simul, vt rectè Vasquez disp. 48. cap. 2. num. 6. & Suarez cap. 23 n. 8.

DVBIVM VIII.

An à beatis in Deo, seu Verbo videri possint, ac videantur etiam creaturæ, & decreta libera diuinæ voluntatis.

S. Thom. 1 p. q. 12. a. 8. & 9.

1 EGimus dub. præced de visione ipsius Dei, & eorum, quæ sunt formaliter ac necessario in Deo; nunc agendum de ijs, quæ sunt aut liberè, aut eminenter in Deo, nimirum de creaturis, & decretis liberis diuinæ voluntatis; quatenus eandem visionem Dei beatificam concernunt. Vt verò quæstio huius dubij, & status cōtrouersiæ, quæ circa hanc dubitationē inter scholasticos est intelligatur; Noandū est creaturas duobus modis spectari posse; primù secundum Esse illud increatum, quod in ipso Deo ab æterno habent; iuxta illud Ioann. 1. v. 3. ex multorum interpretatione. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Secundò considerari possunt creaturæ secundùm suum esse proprium, quod in se ipsis extra Deum habent: quo ipso modo variè quæri potest, an videri possint creaturæ in Deo seu Verbo (idem enim vtrumq; in præsenti significat) 1. an videantur in Deo seu verbo causaliter, per visionem seu cognitionem à visione verbi distinctam. 2. An per eandē visionem verbi, saltem concomitanter. 3. An etiam per visionem verbi formaliter; adeoq; ex vi visionis verbi. Multa enim simul videntur eadem visione oculorum, vt album simul ac nigrum; ac membra diuersa vnius hominis; sed non tamen vnum ex vi visionis alterius; ita vt vnum sit ratio videndi alterum; sed ex æquo simul omnia.

Hoc posito certum, & extra controuersiam est primò, videri posse, imo reipsa videri à beatis in verbo creaturas omes secundū esse illud increatū, quod habent in Deo, distinctū ab esse suo proprio & formali: hoc enim modo illas cognoscere, nihil est aliud, quā ipsum esse diuinū, prout est à parte rei, cognoscere; quandoquidē esse illud creaturarum in Deo, est ipsum esse diuinum, prout eminenter continet creaturas. Neq; verò hoc est propriè & formaliter cognoscere creaturas in verbo.

Secundò certū itidem, & extra controuersiā est, creaturas etiā secundū esse propriū à beatis cognosci posse, ac reipsa cognosci in Verbo saltē causaliter, seu effectiuè; hoc est, cognitione quidē distincta à visione Dei, seu Verbi, ex ea tamen profecta & causata, siue per causalitatē & efficientiam physicā, siue potius per moralē. Siquidem negari non potest, beatos etiam aliquo modo cognoscere creaturas; hanc que cognitionem ipsis ratione etiam ipsius beatitudinis esse debitam; seruata tamē debita inter ipsos beatos proportione, vt magis declarabitur dub. 10. Ergo necessario vident creaturas in verbo saltē causaliter, si non formaliter.

Tertiò satis etiam conuenit inter Scholasticos, 2 posse secundum absolutam Dei potentiam, creaturas secundum esse proprium, aliquo modo cognosci per ipsam visionem verbi, aut formaliter ac ex vi ipsius visionis verbi; aut saltem materialiter siue concomitanter, hoc est, eodem actu visionis, etiamsi, interim visio verbi non sit ratio cognoscendi creaturas. Nam & illi, qui negant alioqui creaturas videri posse in verbo formaliter seu ex vi visionis verbi; non tamen negant, videri posse in verbo concomitanter; licet id re ipsa nunc fieri quidam negent, in quibus Vasquez inferius citandus; alij ex ipsis affirmant. E contra nonnulli negant quidem, creaturas visione verbi videri posse concomitanter; sed non negant videri posse visione verbi formaliter, vt dicemus. Excipio Aureolū in 3. d. 14. q. 1. qui licet concedat, in verbo, & ex vi visionis verbi, vt ipse loquitur, cognosci creaturas, negat tamen eodem actu videri verbum & creaturas.

Hæc

Digitized by Google

Hæc tria igitur cum inter Scholasticos certa sint, & ferè indubitata: celebris tamen inter eos controuersia est; An videri possint creaturæ secũdum esse suum proprium eadẽ visione verbi, tum concomitanter, tum & potissimũ quidẽ etiam formaliter, hoc est, ex vi visionis verbi: & procedit quæstio tàm de facto, quàm de potentia etiam absoluta Dei. In qua quæstione, præterquá quod de creaturis per visionẽ beatificã cõcomitanter videdis disceptatur, vt dictũ; de ipsarũ visione ex vi visionis Dei, triplex est scholasticorũ sentẽtia. Prima simpliciter negat, etiam de absoluta Dei potentia posse creaturas videri per ipsam visionẽ verbi formaliter, seu ex vi visionis verbi: etsi concedat, posse videri per visionẽ verbi materialiter seu concomitãter. Ita nominales, Ockam in 4. q. 13. Gabriel in 3. d. 14. q. vn. a. 1. Petrus de Alliaco in 1. q. 12. Maior in 4. d. 49. q. 16. quos cum nonnullis recentioribus sequitur Vasquez 1. p. d. 50. c. 6. vbi refert quoq; Bonauenturam, Scotum, Paludanũ, Marsilium, & fere S. Thomam. Sed qui contrariã sententiam expressè docent, vt dicemus, & rectè notauit Suarez 1. p. lib. 2. de Deo cap. 25. n. 17.

Secunda sententia est, posse quidẽ visione verbi ac ex vi visionis verbi cognosci creaturas secundũ suum esse possibile, non verò secundum actualem existentiã. Ita Henric⁹ Gandauensis quolib. 7. q. 4. & 5. Durand⁹ in 4. d. 49 q. 2. Bassolis q. 4. prologi a. 3. & Goffred⁹ quodl. 6. q. 3. apud Capreolũ infra.

Tertia sententia affirmat, secundũ vtrumq; esse ita in verbo videri posse creaturas: quæ sentẽtia est cõmunis Theologorũ vt videbimus. Quæ verò de creaturis existentib⁹ in verbo ex vi visionis eiusdẽ cognoscendis cõtrouersia est, eadẽ ferè est etiã de cognoscẽdis pari modo decretis liberis diuinę voluntatis, quę sine respectu ad creaturas intelligi non possunt.

Assertio I. Nihil obstat, quo minus creaturæ videri possint visione verbi cõcomitanter, tàm secũdũ actualem existentiã, quã secundũ esse possibile. Ita prętẽr Nominales in prima sentẽtia relatos, docent Vasquez d. 50. n. 44. & recentiores illi qui cũ ipso negant, posse videri creaturas in verbo ex vi visionis verbi; & videntur supponere authores citandi pro sequenti assertione. Excipio Durandum in 1. d. 35. q. 1. n. 14. Suarez 3. p. tom. 1. d. 26. sect. 2. & hic l. 2. c. 25. nu. 45. & Albertinum tom. 1. princ. 1. coroll. 5. n. 4. qui vel absolutè, vel sub dubio contrariũ sentiunt, diuersas tamẽ ab causas; Durand⁹, quia putat plura vt plura non posse æq; principaliter ac imẽdiatè cognosci vno ac eodem actu: Suarez verò, qa simplicẽ, & quoad latitudinẽ extẽsionis indiuisibilẽ visionẽ creatã, ad plura eiusmodi obiecta ex æquo cognoscenda existimat non posse esse sufficientẽ: cõpositãverò ex diuersis partib⁹ quasi gradualib⁹ extensionis, impossibilẽ: prout idẽ author vniuersim alioquidocet, in ipsis etiam habitibus Intellectus nullam dari latitudinem extensionis. Albertinus autem propterea dubitat, an possint concomitanter & merè per accidens videri eadem visione Deus & creatura; *quia diceret*, inquit, *tales cognitio imperfectionem in DEO.* Fauent eidem sententiæ Henricus quodlib. 9. q. 25. & Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 49.

Sed probatus assertio exemplo Angelorum, qui eodem lumine naturali, eademque specie & cognitione, cognoscunt per sẽ primò res plures & diuersas, etiam secundum speciem; V. G. naturam leonis & equi, vt habet cõmunis Scholasticorũ doctrina; Cur ergo non etiam per eandẽ essentiã diuinã, quasi per speciẽ quandã eminentissimã, directè, per se, & imẽdiatè videri possit tã Deus, quã creatura; ita vt nec visio Dei sit ratio videndi creaturam, nec visio creaturæ sit ratio videndi Deum. 4

Nec video, quid hic vel imperfectionis ex parte Dei interueniret; vel implicationis ex parte creaturæ; siue ea visio esset expers latitudinis extẽsiuæ, quod minus refelli posse putat Suarez; siue non: quemadmodũ visione vna oculorũ vtiq; extẽsione quadã auctiori, videre possumus plura, vt albũ & nigrũ; binariũ quoq; ternarium, & quinarium hominũ &c. vt magis dub. seq. dicetur. Multò minus video, cur si hoc contingeret, nõ esset propriè dicta visio creaturæ in verbo, siue Deo: quandoquidem visum verbũ siue Deus, per modum quasi speciei intelligibilis esset ratio videndi creaturas: ita vt quamuis non propriè ex vi visionis verbi viderentur creaturæ, ex vi tamen ipsius verbi viderentur eadem visione qua & verbum videtur.

Quare etiam licet rectè hac ratione diceretur, creatura videri eadeam visione verbi concomitãter, & quasi per accidens; nõ tamẽ rectè dici posset videri in verbo concomitanter & per accidens: quia licet visio verbi haberet se concomitanter ad visionem creaturæ, non tamen ipsum verbum, seu essentia diuina, vt dictum.

Neq; etiam necessarium esset hoc casu dicere, Deum & creaturam æquè principaliter videri eadem visione, vt obijcit Durandus loc. cit. siquidẽ licet imẽdiatè vtrumq; repręsentaretur per eandẽ essentiam Dei, neq; visio vnius esset ratio videndi alterum; nihilominus essentia magis principaliter repræsentaret seipsam, quã creaturã, vt pote maiorem secũ ipsa quã cum creatura connexionẽ habens; quã posset non repræsentare, etiam posito quod seipsam repræsentaret, vt inferius dub. II. patebit; etsi creaturam non repræsentaret, nisi simul seipsam repræsentaret; saltem secundum ordinariam Dei legem. 5

Assertio II. Possunt videri, ac reipsa videntur in verbo ex vi ipsius etiam visionis verbi creaturæ secundũ suum esse possibile. Ita expresè & constanter docet S. Thomas hic q. 12. a. 8. 9. & 10. & q. 58. a. 6. & 7. & 3. p. q. 10. a. 2. & 3. & l. 3. cont. gent. à c. 50. vsq; ad 60. & q. 8. de Verit. a. 4. & in 3. dist. 14. & in 4. d. 49. vt plane i merito faciat, quisquis in dubiũ vocat S. Thomę sententiã; *cum luce meridiana sit clarior*, vt rectè Suarez hic l. 2. c. 25. n. 8 & 9. vbi expendit quæ ex S. Thoma in contrariũ solent obijci nullius momenti. Speciatim notanda verba S. Thomæ hic a. 8. vbi ait: *Manifestum est, quod si aliqua videntur in Deo secundum quod sunt in ipso. Omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa: sic igitur omnia videntur in Deo, sicut effectus in sua causa. Sed manifestũ est, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures eius effectus in ipsa videri possunt, &c.* Et ibid. resp. ad 3. ait. *Ostensum est, quod multitudo cognitorũ in Deo consequitur modum videndi ipsum; vel*

magis

magis perfectum vel minus perfectum. Et a. 9. in corp. ait: *Cognoscere creaturas, prout earum similitudines præexistunt in Deo, est videre eas in Deo &c. Vnde secundum illam cognitionē, qua res cognoscuntur à videntibus Deū per essentiam, in ipso Deo, non per aliquas similitudines alias, sed per solā essentiā diuinā intellectui præsentem; per quā & Deus videtur.* Vbi S. Thomas expresse loquitur de creaturis secundū suum esse propriū quod habent, quia loquitur de illis tanquā effectib⁹ Dei; non sunt autē effect⁹ Dei secundū esse illud increatum & diuinū, quod in ipso Deo habent, vt patet. Loquitur etiam de visione earum in verbo, siue in Deo formaliter, ac per ipsam visionem verbi; quia loquitur de illa visione, quâ creaturæ videndentur non per aliam speciem propriam & creatam, sed per solam essentiam diuinam intellectui pręsentem. Deniq; loquitur de visione earū in verbo, ex vi ipsius visionis Verbi; quia loquitur de visione earum in verbo velut in causa; semper autem quando effectus cognoscitur in causa, ratio cognoscendi effectum est cognitio causæ. Omitto alios non minus perspicuos locos S. Thomæ particulatim referre & expendere.

6 Nec obstat, quod S. Tdomas hic q. 12. a. 9. dicit, creaturas in Deo non videri *in seipsis.* Hoc enim iuxta omnium interpretum sensum & expressam mentem S. Thomæ, ita intelligendum est vt vocula *in seipsis* non dicat rationem obiecti cogniti, sed rationem cognoscendi. Ipsæ enim secundum se & suum esse plane cognoscuntur in Deo, sed ratio & causæ cognoscendi non sunt ipsæ, sed essentia diuina: quare etiam priori sensu rectè Gregorius de Valentia, alijq; Theologi dicunt, in verbo creaturas cognosci etiam *in seipsis.*

Idem in proposito cū S. Thoma, ac ex mente S. Thomæ docent omnes Thomistæ veteres & recentiores, nominatim Capreolus in 4. d. 49. q. 6. Sotus ibid. q. 3. a. 3. Paludanus q. 2. a. 2. & dist. 45. q. 2. a. 3. Ferrariensis 3. cont. gent. c. 56. 59. & 60. item Caietanus, Zumel, Bannes, & recentiores Thomistæ hîc a. 8.

Idem extra Scholam S. Thomæ docent pleriq; veteres & recentiores Theologi nominatim Henricus, Durandus, Bassolis & Goffedus citati pro secunda sententia. Item Bonauentura in 2. d. 4. a. 3. q. 1 & 2. & in 3. d. 14. a. 2. q. 3. Scotus ibidem q. 2. & in 2. d. 3. q. 9. Richardus in 2. d. 4. a. 4. q. 1. & 2. & in 3. d. 14. a. 2. q. 3. & in 4. d. 49. a. 2. q. 3. aperte etiam Marsilius in 3. q. 10. a. 2. p. 2. idem Gregorius de Valenaia hic q. 12. p. 6. Molina d. 5. & Suarez 1. p. l. 2. de Deo c. 25. & in 3. p. tom. 1. d. 26. sect. 2. Albertinus tom. 1. princ. 1. coroll. 4. num. 10:

Probatur Assertio primū ex scriptura. 1. Cor. 13 v. 11. *Videmus nunc per speculum & in ænimate: tunc autem facie ad faciem.* Vbi verba illa, *facie ad faciem,* significant claram visionem Verbi, seu in Verbo. Vnde colligitur ea omnia, quę nunc fide credim⁹, inter quæ sunt multa mysteria & veritates creatæ, nos postea visuros per visionem beatificam. Neque responderi potest, visionem succedere fidei, solum quoad obiectum primarium, quod est Deus; non autem quoad secundarium, quod sunt creaturæ. Hoc enim non solum est contra communem Theologorum sententiam, post S. Thomam 1. p. q. 1. a. 2. Sed etiam nec satis consentaneum videtur menti Apostoli. Loquitur enim Apostolus illic generatim de ijs quæ per speculum videmus, siue de rebus fidei, prout etiam paulo antea de ijsdem loquutus fuerat. V. 2, *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia &c. & si habuero omnem fidem.* Et v. 8. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Hinc. v. 11. subijcit: *Videmus nunc per speculum &c.* Nimirum omnia, quæ nunc per speculum ac fidem videmus, postea visuri facie ad faciem in ipso Deo, vt dicetur etiam dub. 10.

Secundo probatur assertio authoritate. Est enim hæc sententia non solum communis Scholasticorum Theologorum, à qua in re tam graui non facile recedendū, sed etiam grauissimorum Patrū, ac in primis Augustini; etenim omnes Scholastici, vt rectè notauit Suarez hic cit. c. 25. n. 10. & videre est apud citatos, pro comperto habent Augustinum docuisse Beatos videre creaturas in Verbo; simul, ac eadem visione cum Deo; idque præcipuè lib. 4. in Genes. c. 22, 23. & 24. & lib. 11. de ciuit. Dei cap. 7. & 20. vbi distinguit duplicem cognitionem in beatis, præsertim Angelis, *matutinam* scilicet, *& vespertinam*; quarum illa vel sit cognitio creaturarum secundum esse diuinum illud, quod in Deo habent; hæc cognitio earundem secundum proprium esse in Verbo; vt refert, & quod mirum, non reijcit S. Thomas q. 58. a. 7. vel potius vt idem etiam ibidem rectius exponit, & communis ac vera interpretatio habet; quarum prior sit cognitio creaturarum, etiam secundum proprium esse in verbo; altera cognitio creaturarum per proprias species. 7

Et quanquam Vasquez d. 51. cap. 2. prolixè contendat, Augustinum omnibus his locis solum docuisse, creaturas cognosci in verbo secundum esse diuinum, non proprium; tamen hæc expositio non solum est noua & singularis, sed nec verbis ipsis, aut subiectæ materiæ consentanea: quam proinde hoc ipso nomine meritò reijcit Albertinus num. 10. & prolixè refellit Suarez cit. lib. 2. c. 25. n. 10. Peculiariter notentur hæc verba S. Augustini lib 9. de ciuit. cap. 22. vbi de SS. Angelis ait: *Et ideo certissimè etiam temporalia & mutabilia ista nouerūt, quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus,* Et lib. 2. de ciuit. c. 7. ait: *Cognitio quippe creaturæ in seipsa decoloratior est, vt ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte, qua facta est.* Vbi expresse loquitur Augustinus de creatura, quæ facta est in sapientia & arte diuina: Non est autem vtique facta secundum esse suum increatum, sed creatum.

Ad eundem modum loquitur lib. 2. de Ciuit. cap. 29. *Ipsam quoque creaturam,* inquit, *melius ibi, hoc est, in sapientia Dei tanquam in arte, qua facta est, quam in eâ ipsâ sciunt; ac per hoc & seipsos ibi melius, quam in seipsis; Verumtamen & seipsi sciunt. Facti sunt enim* (Angeli) *& aliud sunt, quàm ille qui fecit. Ibi ergo, tanquam in cognitione diurna;* (seu matutina) *in seipsis autem, tanquam in vespertina* 8

Digitized by Google

Et lib. 65. qq. quæst. 26. *Ipsa creatura plus videtur in arte, qua facta est, quam ipsa in seipsa* (siue per propriam speciem) *quæ facta est.*

Idem docet S. Bernardus l. 5. de considerat. ad Eugen. c. 1. vbi ait: *Creatura cœli illa est, præsto habens, per quod potius ista intueatur; videt verbum, & in Verbo facta per Verbū; Nec opus habet ex his, quæ facta sunt, factoris notitiā mendicare: neq; enim vt vel ipsa noverit, ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt, vbi longè melius sunt, quā in seipsis.* Vbi Bernardus *creaturam cœli* vocat Spiritum seu animā beatam; hanc dicit præsto habere ac videre verbum increatum Dei, & per verbum ac in Verbo videre facta per Verbum: quod vtiq; de creaturis secundum esse diuinum accipi non potest; quia secundum hoc esse nec factæ sunt, nec distinguuntur à Verbo; nec habent medium cognitionis ipsum verbū; cum vt sic sint ipsum verbū. Addit melius esse creaturas in Deo quam in se ipsis; quia in Deo sunt eminenter: quam etiam veluti causam rectè assignat, cur in Deo etiam secundum esse proprium videantur.

Idem non obscurè docet Concilium Senonense in Decretis fidei cap. 13. vbi dicitur; *beatis peruium esse vniforme illud diuinitatis speculum, in quo quidquid eorū interfit, illucescat.* Fauet S. Gregorius l. 4. dial. c. 33. *Quid est, quod illi nesciant vbi scientem omnia sciunt?* Plura inferius affert.

Tertio probatur assertio ratione. Si enim hæc cognitio, seu, visio creaturarum in Verbo possibilis est, non est deneganda beatis: sed est possibilis: Ergo, &c. Maior probatur. Tum quia ea cognitio creaturarū eo ipso, quod habetur per principium longè excellentius, nimirū per ipsam diuinā essentiā, multò perfectior & excellentior est, quā cognitio creaturarum per propriasspecies; magis ergò decet & exornat beatos. Tum quia si possibilis est, non potest negari fieri & haberi ea ratione connaturaliter: nullo enim ad hoc opus est nouo miraculo, siquidem Essentia diuina reipsa ac suā natura, in quantum seu species, seu causa eminentissima est creaturārū, potest intellectui creato repræsentare creaturas clarè conspiciendas. Tū quia hac ratione beati magis accedunt ad similitudinem Dei, qui & ipse quoq. in seipso velut ratione cognoscendi, creaturas videt, vt dicetur. Ergo si possibilis est modus iste videndi creaturas in Verbo, valdè credibile est, reipsa in beatis reperiri.

10 Minor probatur. Tum quia nulla potest adferri ratio ostendens implicationem contradictionis, vt ex solutionibus argumentorum patebit. Tum quia Deus ipse cognoscendo se, adeoque in se ipso cognoscit & videt creaturas, vt ex S. Dionysio c. 7. de diuin. Nom. dicetur dub seq. Ergo non implicat ex suo genere talis cognitio; ac proinde poterit etiam seruatā proportione & & in certo gradu creaturæ communicari. Neque enim ex se dicit, aut connotat infinitam perfectionē in cognoscente; sed potius in ipso obiecto principaliter cognito; nimirum in ipsa scientia diuina, quæ tam perfecta est, vt & seipsam ac simul creaturas clare videndas intellectui etiam creato exhibere & repræsentare possit, vt paulo post magis declarabitur,

Secundò probatur assertio. Quia difficillimè explicari potest, quomodo beati clarè & distinctè videant essentiam, & omnia attributa diuina, præsertim simul cum distinctione virtuali, quam inter se habent, ac non simul etiam creaturas videant, saltem in genere: non solum quia attributa inter se virtualiter non distinguuntur, nisi per respectum ad creaturas, vt dictum q. 2. dub. 3. sed etiam quia quædam attributa, vt omnipotentia, immensitas, & ferè etiam æternitas, explicari à nobis non possunt, sine respectu ad creaturas, vt magis patebit dub. II. & dictum suo loco.

Tertio probatur. Quia commune est omni intellectui, maximè creato, in causa, vel ex causa cognoscere effectum, idque eo perfectius, quo causa ipsa & perfectius continet effectum; & ab intelligente clarius cognoscitur: Ergò cum omnes creaturæ contineantur in Deo, velut in causa, perfectissimo & eminentissimo modo, Deusque ipse à beatis clarè & quiddidatiuè videatur, optimè fieri poterit, vt in Deo veluti causa, adeoque ex vi visionis Dei cognoscantur creaturæ; idque eo melius & perfectius, quo clarius videtur Deus: quem discursum etiam habet S. Thomas hic quæst. 12. artic. 8. Et sanè mirum est, quod nonnulli oppositæ sententiæ auctores, pronunciatum illud; Qui cognoscit causam, cognoscit effectum, cōcedunt de causa creata; negant de increata; cum per se incredibile sit, minorem vim ad repræsentandum effectum, habere causam increatam, quam creatam, cum potius quo perfectior est causa, eo melius vtique effectum suum possit repræsentare. Accedit denique quod ipsemet Vasquez alibi, nimirum 1. 2. d. 15. c. 4. n. 20. concedit, visionem Dei videri per ipsam visionem. Vbi visio Dei vtiq; non solū concomitanter se habet ad visionem ipsius visionis, sed planè causaliter, & antecedenter.

Assertio III. In eodem Verbo ac ex vi visionis Verbi, videri possunt, & re ipsa videntur à beatis creaturæ etiam secundum actualem existentiam, saltem illæ, quæ iuxta legem Dei, statim ab initio visionis cognoscuntur, iuxta conditionem cuiusque beati. Hanc assertionem quo ad principale intentum, nimimirum ex vi visionis Verbi videri creaturas, etiam quo ad actualem existentiam, indefinitè loquendo, tradunt apertè S. Thomat præcipuè 3. parte, & cum eo omnes auctores citati pro præcedenti assertione; exceptis Henrico, Durando, Bassole, & Goffredo, supra p secunda sententia relatis. Cæteri omnes aut generatim loquuntur de creaturis, aut expresse etiā subinde de ipsis secundum actualem existentiam, speciatim Augustinus, cum per eiusmodi cognitionem creaturarum, vtiq; creatarum, & aliquādo existentium, distinguit sex dies creationis, lib. 4. de Genes. ad lit. à c. 22. & lib. 65. qq. p. 2. 6. Vnde probatur assertio hæc eodem modo, quo præcedens. Et confirmatur. Quia beati in Verbo cognoscunt decreta Dei libera de rebus factis aut faciendis, saltem aliqua & indefinite loquendo, vt mox dicem⁹: Ergo etiā effect⁹ & obiecta eiusmodi decretorū, quæ sunt ipsę res aliquādo existentes. 11

Dixi verò in assertione, primo saltem illas videri, quæ *ab initio* visionis cognoscuntur à quo-

libet

libet beato. Nam de quibusdam futuris contingentibus particularibus, vt sunt orationes ad vnumquemque sanctorum particulatim aliquando fundendę, specialis difficultas est, an beati in Verbo & ab initio, ac ex vi visionis ea intelligant, de qua re dub. 10.

Dixi secundo iuxta *conditionem cuiusque beati*: quia certum est, non omnes beatos videre omnes & singulas creaturas quandoq; existentes in individuo; sed vnumquemq; plures vel pauciores, pro conditione, aut statu cuiusque, vt declarabitur eodem dub. 10. & rectè etiam docet S. Thomas hic q. 12. a. 8.

12 Assertio IV. Beati in verbo, ac ex vi ipsius visionis Verbi, vident etiam decreta quædam, seu actus liberos diuinæ voluntatis. Ita habet communis sententia omniũ eorum, qui præcedentem assertionẽ tuentur, speciatim Suarez lib. 2. de Deo cap. 24. n. 6. contra Nominales, & relatos pro secunda sententia: qui consequenter etiam hanc assertionem negare coguntur: cum impossibile sit, decreta diuina, qua formaliter talia sunt, & secundum id, quod diuinæ essentiæ superaddunt, distinctè intelligere, non cognito obiecto eorundem.

Probatur assertio primum authoritate SS. Patrum. Primò enim hoc planè significat S. Dionysius de cel. hier. c. 7. vbi cum ex Theologorum traditione dixisset, *inferiores cælestium naturarum ordines à superioribus rite diuinas scientias discere, summos autem à DEO ipso, pro suo captu doceri mysteria*; mox in ferius huius doctrinæ modum explicans, ait: *Ergo prima cælestium spirituum hierarchia, à Deo recta sacro imperio, dum ad eum per se, nullius interuentu, tota animi contentione fertur, referturq; pro suo captu, sanctissimâ ingentis luminis, à prima perfectione profecti perfectione purgatur, illustratur, atq; perficitur; ita vt & nihil submissionis admixtũ habens, & primi luminis plena, & cognitionis ac scientiæ, quæ prima datur particeps, absoluatur suis numeris omnibus.*

13 Et paulò post, *Atque hic quidem est, quantum intelligere possum, primus cælestium naturarum ordo, qui Deum nullius interiectu circumstat simplicique modo, & qui comprehendi non potest, æternam eius scientiam, summa, vt in Angelis, firmitate, quæ sempiterno motu cietur, obit & peragrat; ita vt & multas, beatasq; res purgatis oculis contempletur, & simplicibus, medioq; vacantibus splendoribus illustretur, & diuino cibo, qui multus est, ille quidem primæ largitionis effusione, sed vnus simplici, & vnius effectrice diuini epuli, vt ita dicam, vnitate satietur.* Quibus verbis docet S. Dionysius, superiores Angelos, dum ad Deum ipsum per se feruntur, refertos diuino lumine simpliciq; & incomprehensibili modo, æternam eius scientiam mente peragrando, seu contuendo, ab ipso Deo immediate illustrari; ita vt cum multa quidem (in ea vtique scientiâ diuinâ) etiam a Deo distincta contemplentur, simplicibus tamen medioque vacantibus splendoribus illustrentur, vnoque simplici cibo, ac epulo (diuinæ vtiq; visionis) satientur.

Secundò idem docet S. Augustinus lib. 13. Confess. c. 15. vbi de sanctis Angelis ait: *Non opus habent suspicere firmamentum hoc, & legendo cognoscere Verbum tuum: vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua.* Vbi audis beatos in ipsa facie diuina, eiusque intuitu legere quid Deus velit.

Tertiò idem tradit S. Bernardus lib. 5. de considerat. cap. 4. *Quid ni*, inquit, *ibi* (in cælesti patria) *videatur cor Dei? quid ni ibi probetur, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Bona in se, placens in effectibus; beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil vltra quærentibus. Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, diuitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitas arcana, quæ clausa mortalibus, etiam ipsis electis, suspecta fuit.* Quibus verbis dum S. Bernardus ait, *videri cor Dei*, patere *viscera misericordiæ*, & sic etiam voluntatem & cogitationes Dei patescere, non vtique de notitiâ voluntatis diuinæ per reuelationem extra Verbum accepta loquitur; id enim propriè non est videre cor Dei, sed reuelatione diuinæ voluntatis sensa addiscere.

Ratio assertionis sumitur ex dictis assert. præced. Eadem enim ratio est cognoscendorum eiusmodi decretorum Dei, quæ creaturarum existentium, imò eò maior, quo decreta voluntatis diuinæ, sunt aliquid magis intrinsecum Dei: Præterquam quod Deus, ipse etiam sua eiusmodi decreta libera, in se ipso ac per sui visionem cognoscit, vt suo loco dicetur. Quare etiam modus ea cognoscendi ita explicari debet; non quod beati ea decreta videant solum viso primum obiecto: sic enim non viderentur, nisi velut à posteriore, non autem in se ipsis; nec fortè possent omnia ita videri: sed quia ipsa in se, suppositâ eorundem existentia, ac simul voluntate Dei, qua velit ea cognosci (sine hac enim cognosci non possunt; qua de causa etiam non omnia cognoscuntur, iuxta illud 1. Cor. 2. vers. 11. *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ sunt Dei, nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei*;) etiam citra aliam mutationem vel additionem, in ipso Deo videri possunt; si modo proportionatum lumen adsit; sicut etiam ab eisdem æternis decretis Dei reipsa postea manant creaturæ; cum antea non manassent; quamuis interim Deo ipso ac essentiâ eius secundum se eodem modo se habente: quod tametsi nobis videatur incomprehensibile, non est tamen impossibile; cum præsertim simile quiddam in Angelorum locutione, qua suos sibi mutuo conceptus manifestant, accidat, vt suo loco de Angelis ex S. Thomæ sententia docetur. 14

Assertio V. An per visionem beatam cognosci possint etiam creaturæ in proprio genere, quæstio nominis est; rectius tamen negatur. Probatur, & declaratur: duobus enim modus accipi potest cognitio rei *in proprio genere*; primò pro cognitione rei pro vt in se est; secundo pro cognitione rei per se ipsam, seu per propriam speciem immediate, non in alio; priori modo eam vocem accipit Marsilius in 3. q. 10. a. 2. qui proinde affirmatiuam sententiam tuetur. Posteriori modo, & rectius, accipiunt eam vocem S. Thomas hic q. 12. a. 9. & q. 14. a. 5. item Scotus, & alij, in 3. d. 14. qui negant: qui proinde loquendi modus, vti communior, ac

magis receptus apud Theologos, ita ſimpliciter retinendus, vt rectè etiam notauit Suarez 3. parte tom. 1. diſp. 26. ſect. 2.

Cæterum contra hanc doctrinam, qua diximus creaturas videri in verbo formaliter, tum ſecundum eſſe poſſibile, tum etiam actuale, obijciuntur ab auctoribus contrariæ ſententiæ plura; in quibus hæc potiſſima; Primò; cognitio creaturarum in verbo, aut eſt intuitiua, aut abſtractiua; non primum; quia ea cognitio vniuerſim non eſt cognitio creaturarum, vt exiſtentium, ſed quarundam duntaxat vt poſſibilium; nec ſecundum; quia talis cognitio foret imperfecta.

15. Reſpondeo, de hoc non poſſe eſſe niſi nominis quæſtionem. Et quidem ſi cum Vaſquio 1. p. tom. 2. d. 134. n. 8. cognitionem *intuitiuam* vocare velimus omnẽ illam, quæ eſt propria, & quidditatiua rei in ſe, etiamſi non ſit cognoſcitiua eiuſdem vt actualiter præſentis, & exiſtentis, tum ea cognitio creaturarum in verbo ſimpliciter & abſolutè dicenda erit intuitiua; cui modo loquendi fauent etiam S. Thomas hic. q. 12. a. 8. alijq; Theologi, dum non ſolum aiunt creaturas in verbo vtcunq; cognoſci, ſed abſolutè etiam videri. At verò ſi cõmunẽ rationẽ intuitiuę cognitionis retineamus, tum cognitio illa creaturarum exiſtentium, vt exiſtentes ſunt, propriè quidem dicetur intuitiua, vt poſſibilium verò abſtractiua, ſed ſine imperfectione, ſeu eminenter intuitiua, quia vt rectè notauit Suarez cit. cap. 25. num. 36. non eſt inſtar alterius, ſed quidditatiua & propria creaturarum, non minus, quàm ſi immediate in ſe ipſis, ſeu per proprias ſpecies cognoſcerentur.

Obijcitur ſecundo. Intuitiuæ cognitioni intrinſecè repugnat, vt ſit per medium cognitum, cum immediate terminari debeat ad rem ipſam in ſe viſam: ergò impoſſibile eſt, vt cognitio creaturarum in Verbo, velut medio cognito, ſit intuitiua.

16 Reſpondetur, verum eſſe antecedens, quando medium illud eſt creatum, adeoq; eiuſdem generis & ordinis cum re creata cognita: falſum, quãdo medium illud eſt increatum, adeoq; formaliter, aut eminentiſſimo modo continet totam rationẽ, & entitatem eius, quod cognoſcitur; tunc enim id nil obſtat cognitioni intuitiuæ; vt rectè etiam ſignificauit Scotus quodlib. 14. §. *Ad iſta*, & docet Suarez cap. 25. num. 25. & ferè agnoſcit etiam ipſe Vaſquez diſp. 38. num. 24. Quo ſenſu etiam Vannes, hic quæſt. 12. a. 8. ait, obiectionem procedere de cognitione, quæ habetur in imagine imperfecta; nam cognitio rei, quæ habetur in imagine altioris ordinis, & quæ repræſentat exactè & adæquatè ex parte rei repræſentatę, eſt cognitio perfectiſſima, & intuitiua. Et ratio eſt, quia tale, tamque perfectum medium non ſolum ſe ipſum immediatè clarè intellectui repræſentare poteſt, ſed etiam in ſeipſo aliud, ita vt quamuis hoc mediate videatur in ipſo, nihilonus tamen in ſe videatur, non minus quam ſi per propriam ſpeciem videretur. Taceo quod Vaſquez diſp. 39. cap. 1. fuſè contendit, ipſum etiam Verbum mentis, ſine quo nulla eſt notitia intuitituitiua, ex mente S. Thomæ, eſſe medium cognitum; quod tamen ſuperius dub. 2. reiecimus. Obijcitur tertiò. Vel eſſentia ſecundum ſe, eſt ratio videndi creaturas; vel vna cum relatione aliqua, ſeu reali, ſeu rationis; neutrum poteſt dici. Non primum; tum quia res abſolutè ſecundum ſe ſpectata, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi aliud, vt inductione patet. Nec ſecundum; relatio enim realis ad creaturas in Deo nulla datur, iuxta S. Thomam q. 13. a. 17; Relatio rationis non ſufficit; tum quia hæc ipſa non poteſt cognoſci ex vi beatificæ viſionis, non magis, quam creatura; nec per eſſentiam, vt quid abſolutum eſt, vt vt antea dictum; nec per aliam relationem rationis, ſic enim daretur proceſſus in infinitum. Tum quia relatio non poteſt cognoſci, niſi cognito termino, quem reſpicit, ſed terminus quem reſpicit relatio rationis in Deo, eſt creatura: Ergo non poteſt cognoſci, niſi cognita creatura, ac proinde non poteſt eſſe ratio cognoſcendi creaturam.

Reſpondeo cũm Suarez hic lib. 2. c. 25. n. 23. 17
rationem cognoſcendi creaturas, ex parte obiecti eſſe ipſam eſſentiam diuinam ſecundum ſe, etiam vt quiddam abſolutum eſt. Ad primam inſtantiam negatur aſſumptum vniuerſaliter acceptum; neque verò inductio procedit niſi in rebus creatis, in quibus realis dependentia vnius ad alterum, neceſſario ex vtraque parte includit, aut ſupponit aut certè ſecum trahit relationem realem, ſiue prædicamentalem, ſiue tranſcendentalem; ſecus eſt in Deo & creatura, vbi terminus alter nimirum Deus, eſt incapax relationis realis ad creaturam. Alioqui pari argumentationis forma probaretur, non poſſe à Deo effectiuè manare, aut dependere vllam creatutam; Omnis enim alioqui cauſa, à qua effectiuè procedit aliquis effectus habet relationem realem ad effectum productum; Deus non habet: Ergo &c.

Accedit, quod neque in rebus creatis, relatio ipſa, ſeu relatiuum qua tale, propriè eſt ratio ſeu medium cognoſcendi correlatiuum; ſimul enim vtrumque cognoſcitur; nec eſt cauſa, cur hoc potius propter illud cognoſcatur, quam è contrario: Sed poſito fundamento, & termino, etiam vt abſolutum quid eſt, cognoſcitur vtrumque correlatiuum. Vt igitur obiectum aliquod cognitum ducat in cognitionem alterius rei (etiam ſubinde quiddidatiuè, & ſecundum proprium conceptum eius) non eſt neceſſarium, vt ad illam dicat reſpectum; ſed ſatis eſt, habere cum ea certam connexionem, vel manantis ab illa, vel ex ſe producentis, ſiue continentis illam. Sicut etiam actus, ſeu voluntas creandi, quamuis in Deo abſoluta ſit, tamen ſuo tempore infert ac in eſſe cõſtituit creaturam; atque ipſa etiam imago creata ducit in cognitionem prototypi, non ratione relationis formaliter; realem enim ſæpe non habet; rationis relatio non ſufficit, vt authores illi in præſenti argumentabantur; ſed propter vnitatem, quæ eſt fundamentum relationis. Multò igitur magis in propoſito ſufficit, vt eſſentia diuina ſit fundamentaliter relatiua.

Et confirmatur hæc reſponſio; nam quo argu- 18

mento

Digitized by Google

mento in obiectione propositâ probatur relationem rationis non posse esse ratione cognoscendi creaturas; eodem probatur idem etiam de relatione reali, etiam posito, quod in Deo esset relatio realis ad creaturas. Sic enim accomodatur argumentatio: Relatio realis non potest cognosci, nisi cognito termino quem respicit: Sed terminus quē ex hypothesi respiceret relatio realis in Deo, esset creatura: ergo non posset cognosci, nisi cognitâ creatura; ergo non esset ratio cngnoscendi creaturam. Cum igitur nec in rebus creatis ratio cognoscendi rem vnam ex alia fit relatio, siue rationis siue realis; nec etiamsi in ipso Deo esset relatio realis ad creaturas, ea quicquam faceret ad cognitionem creaturarum: euidens est, ex eo minimè probari, creaturas in Deo non posse cognosci, quia Deus caret relatione reali ad creaturas.

Atque eandem responsionem etiam adhibet Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 5. n. 6. Vbi tamen simul etiam aliam responsionem habet; videlicet non esse absurdum dicere, essentiam diuinam esse formaliter relatiuam, relatione transcendentali ad creaturas; cum hæc relatio dicat ordinem ad terminum, tanquam ad quid posterius naturâ; secus est de relatione prædicamentali, quod etiam docet coroll. 4. n. 10. Sed hæc responsio videtur contra comunem sententiam Doctorum in 2. dist. 30. vt suo loco dicetur; insistendum ergo priori, tanquam communi, & quæ sola ad propositum abunde sufficit.

Obijcitur quartò, si essentia diuina esset ratio videndi creaturas; sequeretur visâ essentiâ necessario videri, aut saltem videri posse creaturas quaslibet (adeoque ipsum etiam extremum iudicij diem) imo etiam omnes: cum essentia diuina vt sic æqualiter se habeat ad omnes, si debita proportione instituatur comparatio, vel ad possibiles, vel ad existentes, singulas in suo ordine.

19 Respondetur, negando sequelam; quia præter obiectum & rationem videndi creaturas in Deo, requiritur ptætetea, tum ex parte Dei, tanquam conditio, voluntas repræsentandi creaturas; Deus enim est speculum voluntarium in creaturis repræsentandis; tum ex parte subiecti, lumen gloriæ proportionatum; vt sequenti dubio fusius explicabitur: hinc ergò fit, vt etiam visâ essentiâ, non necessario videantur, aut omnes, aut etiam aliquæ creaturæ, saltem determinatè & in particulari; vtrum enim aliunde necessarium sit, videre aliquas saltem in genere, ac indeterminatè, dub. vltimo dicetur.

Neque verò sequitur, si essentia diuina clarè visa, est ratio cognoscendi creaturas; ex parte essentię diuinæ, non ex parte luminis gloriæ, causam assignandam esse, cur hæ creaturæ potius videantur quàm aliæ. Quando enim ad effectum aliquem plures causæ necessariæ sunt, satis est ad quandam diuersitatem effectus, ex parte vnius causæ diuersitatem assignare, etiamsi altera eodem modo se habeat; vt patet in calefactione solis, ex qua ob diuersitatem dispositionū diuersioriuntur effectus, etiamsi calefactio secundum se eadem sit. Ita ergo cum in proposito, ad videndas in essentia diuina creaturas, præter essentiam, quæ est ratio videndi ex parte obiecti, requiratur etiam, velut ratio videndi ex parte subiecti, lumen gloriæ, quod saltem secundum rationem indiuiduam variari potest, vt dicemus, non est, vt quidam contra Suarium obijcit, vllus *memoriæ lapsus*, dicere, ob diuersitatem luminis gloriæ, variari ea ratione visionem, etiamsi alioqui diuina essentia, quæ est ratio videndi creaturas ex parte obiecti, eodem modo se habeat.

Obijcitur quinto. Beati progressu temporis multa vident, quæ non viderunt à principio beatitudinis: Ergo non vident illa per ipsam visionē, aut saltem non vi illius visionis: quia visio beatifica circa Deum non augetur vel minuitur progressu temporis, sed semper manet sibi similis, & æqualis.

Respondeo I. Propter hanc causam superius in assert. I I. additam esse limitationem, videri eas creaturas, ex vi visionis, quas beati à principio visionis cognoscunt; de cæteris enim dub. 10. agendum. Respōdetur secundò; si semel concedatur, vt oppositæ sententiæ authores nonnulli concedunt, eâdem visione beatifica, ex sola Dei voluntate, per eandem Dei visionem, incipientis quædam reuelare, quæ antea non volebat, progressu temporis videri quædam à beatis posse, quæ antea non videbantur: facilem esse modum explicandi, quomodo ea non solum per eandem visionem, sed etiam ex vi visionis videantur, etiamsi ab initio visionis non viderentur; nimirum quia tunc oportebit fateri, ad creaturas in Deo, & ex vi visionis videndas, velut conditionem requiri voluntatem Dei, volentis ea per visionem suæ essentiæ reuelare; cuius proinde conditionis defectu, ab initio videri non poterant; licet postea per eandem visionem, & ex vi eiusdem visionis viderentur, ob impletam & subsistentem pro eo tempore conditionem requisitam; eo quod Deus æterna sua voluntate pro illo solum tempore subsequenti vellet creaturas videri, non pro tempore antecedenti. Nam si voluntas illa Dei extrinseca, potest esse ratio, cur per eandem alioqui visionem vno tempore creaturæ videri a beatis possint, non alio; poterit etiam esse ratio, cur vno tempore, ex vi eiusdem visionis videantur, & non alio. An verò sola Dei voluntas extrinseca, ad eiusmodi visionis nouitatem, seu diuersitatem sufficiat, absque alia mutatione intrinseca visionis & luminis gloriæ, siue visio illa sit ratio videndi creaturas, siue non, dicet. dub. sequenti.

Obijcitur sextò. Stante æquali beatitudine & claritate visionis, nihilominus beati diuersi vident alia, & alia, plura, & pauciora; cū singuli videant ea quæ ad suum statum pertinent: Ergò illa inæqualitas non est petenda ex vi visionis Dei; cum illa sit æqualis in vtrisque, vt supponitur, sed potius ex libera DEI ordinatione, qui voluit, & disponit, vt quisque videat ea, quæ ad ipsum pertinent.

20

21

Digitized by Google

Respondeo primo, hoc argumento vt sum̃um hoc solum probari, non ex ipsa per se visione Dei sola petendam esse causam, cur diuersi beati diuersa videant; sed etiam ex Dei ordinatione, tanquam conditione requisita ad hoc, vt per eandem visionẽ Dei, aut etiam ex vi eiusdẽ visionis creaturæ in Deo videantur, vt antea dictum; de quare modo non disputamus. Respondeo secundò, rectè quidem probari diuersitatem illam non esse petendam ex natura & vi visionis Dei, secundú suã rationem specificam, aut etiam rationem indiuiduam claritatis, siue intensionis spectatam; ex qua petenda est inæqualitas beatitudinis essentialis, vt superius dictum; sed non probatur, petendã non esse ex ratione indiuidua visionis, aut luminis gloriæ, secundum extensionẽ; vt dicetur dub. sequenti. Ex quibus etiam patet id, quod circa probationem secundæ assertionis diximus, nullam posse adferri rationẽ implicationis contradictionis, quare in Deo ex vi ipsius visionis, videri non possint creaturæ; quæ proinde potentia, cum alioqui ad maiorem ipsius Dei & beatorũ gloriã cedat, & communi Theologorm sensu comprobetur, non est Deo deneganda: neque in his, præsertim supernaturalibus materijs, veritas ex facilitate sententiæ æstimanda est: sed ex principijs long è grauioribus, vt dictum.

DVBIVM IX.

Quanam ratione, & modo, in Verbo videantur creaturæ, & vnde oriatur diuersitas visionis creaturarum in Verbo.

S. Thomas 1. p. q. 12. a 8. & 9.

1 MOdus quo in Verbo videri possunt creaturæ, dupliciter spectari potest; primo ex parte ipsius Verbi, secundo ex parte beati cognoscentis; de vtroque in proposito agendum. Et quod ad primum attinet; duo sunt modi generales, quibus creaturæ secundum suum proprium esse in DEO seu Verbo, eademque Visione Dei, cognosci posse videantur. Vnus in Deo, velut medio cognito; alter in Deo, velut medio, vt sic non cognito: priori modo V, G. cognoscimus ex vestigio animal, ex fumo ignem, ex causa effectum, & è contra; posteriori modo cognoscimus per Verbum mentis, aut species intentionales, seu sensibiles, seu intelligibiles, earundem obiecta.

In particulari vero alterutro hoc generali cognitionis modo, sex rursus distingui possunt speciales modi, videndi creaturas in Deo. Primus est cognitio creaturæ in Deo veluti causa effectiua, eminenter continente creaturas. 2. Cognitio creaturæ in Deo seu Verbo, vt in causa exemplari & idea. 3. In scientia & conceptu ipsius creaturæ, adeoque in Deo vt cognoscente, quo spectat modus ille quem vocant in *arte & sapientia* Dei, vt cum S. Augustino infra loquitur Molina q. 12. a. 8. disp. 2. 4. In verbo, vt in specie intelligibili repræsentante, siue supplente locum speciei. 5. In libera determinatione voluntatis diuinæ. 6. In Deo velut speculo. Cum enim creaturæ tribus modis sint in Deo, nimirum 1. eminenter velut in causa efficiente. 2. Obiectiuè, velut in intelligente. 3. Repræsentatiuè, vt in idea, siue exemplari, vel etiam specie quasi intelligibili; rectè ab his desumi possunt varij modi, quibus creaturæ videantur in Deo. Et ex recensitis quidem primus & quintus respondet DEO velut causæ efficienti; tertius veluti intelligenti, secundus, quartus, & sextus veluti repræsentanti: licet hoc loco nec dum velimus definitum, an reuera omnes isti modi sint inter se distincti, hoc enim inferius definietur.

Assertio I. Creaturæ tam secundum esse actuale, qnam possibile videntur à beatis in Deo velut causa; siue vt in actu primo, & velut remotè solum causatiua, si creaturæ solum spectentur secundùm esse possibile; siue vt iam determinatâ ad agendum, per liberum decretum diuinæ voluntatis; si creaturæ spectentur secundum esse actuale existentiæ. Prior pars est communis Doctorum, quam expresse tradunt S. Thomas hic quæst. 12. artic. 8. & quæst. 14. artic. 5. & 3. parte quæst. 10. artic. 2. & 3. & quæst. 8. de verit. artic. 4. & 5. & quæst. 20, artic. 4. vbi etiam docet, creaturas potius videri in Deo vt in causa, quam vt in speculo. Consentiunt Durandus in 1. distinct. 35. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. Ferrariensis 1. contra Gentes. c. 49. Caietanus & alij Thomistæ recentiores hic a 8. Greg. de Valentia. q. 12. pun. 6. Molina disp. 2. Albertinus tomo 1. principio 1. Corol. 4. punc. 4. & Cor. 5. pun. 2. & 3. n. 7. item Suarez lib. 2. cap. 25. à num. 20. Etsi cap. 27. n. 12. de creaturis secundum esse actuale, nonnihil ambiguus.

Probatur primo. Nam Deus ipse videt in se, vt in causa eminentissima creaturas; quod aperte docet Dionysius cap. 7. de diuinis nom. ab expositoribus & grauioribus Scholasticis post S. Thomam. 1. p. q. 14. a. 5. & 6. ita vnanimiter iutellectus; quidquid nonnulli recentiores in alienum sensum trahant potius, quam explicent Dionysium. Verba ipsius sunt. *Quare diuina mens omnia continet scientiâ, quæ secreta est ab omnibus quæ per causam rerum omnium in se rerum omnium scientiam anticipatam habet. Ita vt Angelos antequam fierent cognosceret, proferretque in lucem, & quæ sunt omnia ex se, atque ab ipso, vt ita dicam, initio cognita haberet in lucem, que proferret. Idq; diuina scripta tradere existimo, cum aiunt, qui nouit omnia antequam fierent. Neque enim ea quæ sunt, ex ys quæ sunt discere nouit diuina Mens, sed ex se, & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet; non quod per speciem singula consideret, sed quod in causa complexu omnia sciat & contineat; quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet; quod non aliunde quam ex luce tenebras norit. Se ipsam ergo noscens diuina sapientia nouit omnia; sine materia ea, quæ ex materia constant, sine diuisione ea, quæ diuidua sunt; multa coniunctè, dum ipso vno omnia noscit, & protreat. Si enim causa vna Deus rebus*

omnibus

Digitized by Google

omnibus statum largitur, eadem etiam causa una, omnia vt à se profecta, & in se ante constantia cognoscet; nec ab ijs, quæ sunt, ipsorum notitiam accipiet: sed & singulis sui, & alijs aliorum notitiam impertiet. Non igitur propriam sui notitiam DEVS habet, aliam autem quæ communiter ac generaliter ea quæ sunt omnia comprehendit. Ipsa enim se ipsam omnium causa noscens, nullo prorsus modo, ea quæ à se profecta sunt, & quorum causa est ignorabit. Hac ergo Deus ea quæ sunt noscit, non rerum notitia, sed sui. Ita Dionysius; quibus verbis nescio quid vel à disputatore Theologo hodie explicatius in hac re dici possit.

3 Secundo generale est, vt cognita causa cognoscatur effectus; sicut in principijs vel ex principijs cognitis cognoscuntur conclusiones; idque non propriè ob relationem quam habet causa creata ad effectum, sed ob dependentiam huius ab illo, quę est fundamentum relationis, vt dictum dubio præcedenti.

Tertio Angeli re ipsa eodem actu in causa cognoscunt effectum, & in subiecti essentia passiones: ergo & per lumen gloriæ hoc fieri potest; cum sit multo altioris ordinis, quã lumen Angelicum.

Posteriorem partem assertionis, quâ prior pars explicatur, accommodatè ad mentem eorũ, quos pro ea citauimus, recte tradidit Molina hic quæst. 12. art. 8. disput. 2. Ratio patet; quia sicut diuina essentia secundum se nudè spectata, à parte rei, non constituit in esse actuali creaturas, sine libera determinatione diuinæ voluntatis; ita etiã ipsa per se nude spectata non potest esse ratio sufficiens, eas secundum esse actuale cognoscendi: secus est de creaturis secundum esse possibile; quod vti per se etiam necessarium est, ita rationẽ cognoscendi habere potest in Deo naturalem ac necessariam suppositis cæteroqui requisitis conditionibus.

4 Assertio II. Simili etiam modo cognoscuntur creaturæ in Deo, velut in idea & causa exemplari. Ita Henricus quodlib. 7. quæst. 4. & admittunt Suarez lib. 2. c. 25. num. 29. & Albertinus loco citato. Et colligitur ex S. Thoma quæst. 15. art. 3. Probatur; quia Deus per modum ideæ est veluti perfectissimum & eminentissimum quoddam prototypum, ad quod conformantur creaturæ: ergo sicut ex creato prototypo, veluti causa exemplari, cognoscitur imago; ita etiam in Deo, velut exemplari creaturarum, cognosci poterunt, adeoque reipsa cognoscentur creaturæ.

Accedit quod Deus ipse etiam, iuxta nostrum concipiendi modum, reflexo quasi conceptu, in verbo tanquam idea creaturarum intelligi potest creaturas cognoscere. Sicut enim Deus directè cognoscit se & creaturas, ita etiam quasi reflexè cognoscit suum conceptum & notitiam; ac proinde eâdem etiam quasi mentis reflexione, obiecta suorum conceptuum; sine quibus notitia seu conceptus aliquis distinctè cognosci non potest: Cum ergo ideæ diuinæ nihil aliud sint in Deo, quam ipsi conceptus diuinæ mentis, prout sunt imitabiles à creaturis, vt suo loco dicetur, rectè DEVS in se, velut idea, cognoscere poterit creaturas.

Et quia iuxta S. Thomam hic quæst. 15. art. 3. ideæ sunt rerum non solum quandoque existentium, *sed etiam possibilium* (cum exemplar secundum eundem sit rerum existentium, seu futurorum tantum) rectè dici potest, essentiam diuinam per modum ideæ esse rationem cognoscendi res creatas, tum possibiles tantum, & secundum esse possibile; tum etiam adiunctâ cognitione Diuinæ determinationis, actu quandoque existentium, & secundum esse actuale.

Dices. Idea seu causa exemplaris non potest esse ratio cognoscendi creaturas, nisi cognitione abstractiua, & ad instar alterius, non autem intuitiuâ. Respondeo, id verum esse de idea creata, non autem de increata, quæ simul eminentissime continet omnem perfectionem creaturarum; vt vniuersim dictum dubio præcedenti.

Assertio III. Eadem etiam ratione cognoscuntur creaturæ in Deo, veluti verbo, seu conceptu, & scientia creaturarum; *Stat in arte & sapientia DEI.* Ita Gregorius de Valentia quæst. 12. puncto 6. Molina cit. disp. 2. Suarez & Albertinus locis citatis; & videtur communis Doctorum, qui ea ratione dicunt, creaturas videri in verbo; nimirum qua verbum est. Probatur auctoritate sanctorum Patrum. Ita enim S. Dionysius citat. dubio præcedenti assertione 4. ait. cap. 7. cæleſt. Hierarch. *Angelos æternam Dei scientiam peragrare, multasque res purgatis oculis contemplari*; nimirum eam ipsam DEI scientiam obeundo & peragrando. Eodem plane sensu sanctus Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 2. & sæpius alibi docet, creaturã cognosci in Dei sapientia, velut in arte, qua facta est; cuius rei plura testimonia adduximus dubio præcedenti assert. 2. eodem sensu S. Bernardus lib. 1. de Consider. ad Eugeniũ. cap. 1. dixit, à Beatis videri verbum, & *in verbo facta per verbum.* Et capit. 5. *videri cor & viscera DEI, & arcana mysteria*, vt retulimus dub. præcedenti assert. 2. & 4. Idem significat Sanctus Gregorius liber. 4. Dialog. capit. 33. citatus dub. præcedenti.

Ratio est, tum quia Beati cognoscunt creaturas in Deo velut idea: ergo etiam in DEO veluti verbo seu conceptu: cum idea nihil sit aliud, quam conceptus Dei, vt dictum. Tum quia verbum creatum, siue conceptus, est expressa & actualis similitudo obiecti, seu rei intellectæ: ergo ex se aptum est ducere in notitiam obiecti, si cognoscatur: ergo multo magis verbum & conceptus creaturarum in Deo; cum sit longe perfectissima similitudo expressa creaturarum, erit aptum medium cognoscendi creaturas eodem verbo cognitas, si modo ab aliquo distinctè cognoscatur ipsum verbum, & cætera requisita non desint: at vero Beati clare & intuitiuè vident verbum illud, seu conceptum increatum creaturarum in Deo: Ergo optimè & excellentissime etiam poterunt cognoscere creaturas velut obiecta eiusdem; ac proinde etiam sic reipsa cognoscent; cum nihil illis desit ad hoc requisitum, vt inferius dicetur.

Et confirmatur: quia impossibile est, clare & distincte videre aliquem conceptum seu notitiam & verbum mentis, non simul etiam viso obiecto

Digitized by Google

eiusdem cogitationis; sicut impossibile est clare videre motum sine termino intrinseco motus &c. ergo impossibile est etiam videre verbum, seu cõceptum creaturarum in Deo, vt quidem verbum creaturarum est, non viso itidem eiusdem obiecto. Vtrum tamen absolute fieri possit, vt verbum diuinum secundum se videatur non visa vlla creatura, dicetur dubio. 11.

Obijcitur. Verbum non potest esse ratio cognoscendi, nisi ipsi, qui exprimit vel habet verbum in suo intellectu. Beati non exprimunt, nec in suo intellectu subiectiue habent verbũ illud diuinum.

Respondeo distinguendo maiorem; vera est enim quidem si de ratione cognoscendi formali, seu per modum causę formalis loquamur; non autem si loquamur de ratione cognoscendi obiectiua, quæ nimirum per modum obiecti cogniti ratio sit cognoscendi obiectum.

Quis enim neget, vnumquemque etiam cogniturum, quid alter cogitet, seu obiectum cogitationis alienæ, si ipsam eius cogitationem clarè & distinctè cognoscat; vt re ipsa fit in Angelis, dum sibi mutuo loquuntur?

6 Assertio IV. Simili ratione cognoscũtur à Beatis creaturæ in Deo, etiam vt in specie intelligibili, siue supplente locũ speciei intelligibilis. Ita Greg. de Valentia q. 12. p. 6. Suarez cit. lib. 2. c. 25. n. 53. Albertinus tomo 1. principio 1. Corol. 5. p. 1. & 2. vbi etiam n. 4. putat, nil repugnare, quo minꝰ etiam extra verbum Deus obeat locũ speciei intelligibilis, in cognitione creaturarũ, modo potentia sit proportionato lumine instructa. Consentiunt Thomistæ recẽtiores cum S. Thoma hic q. 12. a. 9.

Differunt tamen authores isti nonnihil in modo explicandi. Suarez enim non distinguens hunc modũ videndi à duobus alijs, nimirũ cognoscẽdi creaturas in Deo velut causa, & idea, siue cognoscente; solũ admittit, posse Deũ supplere locũ speciei intelligibilis in creaturę cognitione, vel vt supernam causam, quæ potest se solâ efficere quidquid inferiores formæ possunt, atque ita etiam in quibuslibet sensuum actibus supplere concursum speciei sensibilis; vel per modum supremi obiecti actu intelligibilis, quod per se ipsum etiam potest influere cum potentia, etiam ad creaturarum cognitionem, secundario tamen & consequenter. *Et hic modus*, inquit, *proprie pertinet ad visionem beatam, qua cognoscuntur creaturæ in DEO.* Albertinus autem loco cit. tribuit essentiæ diuinæ proprium munus & causalitatem speciei intelligibilis, etiam in ordine ad cognitionem creaturarum. Quocirca etiam concursum DEI ad visionem creaturarum, per modum speciei, distinguit à concursu eiusdem, vt causæ cognitæ. Quod etiam mihi probatur.

Ratio est, quia Deus cum non solum eminentissime cõtineat perfectionem omniũ creaturarum, ipsarumque adeo etiam specierum intelligibiliũ, sed etiã sit eminentissima similitudo earundẽ, habebit vtique connaturaliter vim excellentissimã in actu primo repręsentandi, ex parte obiecti, ipsas etiam creaturas; quod est propriũ munus speciei intelligibilis; in quo proinde secundum se spectato, nulla inuoluitur imperfectio: informare enim potentiam, eique inhærere; vel ab obiecto effectiuè procedere, per accidens est speciei intelligibili, vt etiam supra dubio 2. dictum.

Assertio V. Possunt etiam à Beatis cognosci 7
creaturę in voluntate diuina, seu quasi simplici actu complacentiæ illas approbante, si de creaturis loquamur solũ secũdum esse possibile; seu etiã per liberum decretum determinatâ ad illas producendas, si de creaturis quo ad existẽtiam actualem loquamur. Hunc modum cognoscendi refert Molina hic q. 12. a. 8. disp. 2. & indicant SS. Patres, præsertim S. Bernardus lo. cit. quando significat, beatos videre *cor Dei*, & *viscera Dei*; & sic etiam cognoscere *occulta mysteria*. Ratio est; quia etiam volitio determinate & distincte cognosci non potest, nisi cognito obiecto: cum ergo beati in cœlis per visionem clarè intueantur voluntatẽ diuinam, ipsaque etiam decreta quædam liberã diuinę voluntatis, singuli seruatâ proportione debita, vt dubio sequenti dicetur, recte simul etiam in ipsa diuina voluntate cognoscere poterunt, adeoque reipsâ cognoscent creaturas: cum hoc tamen discrimine; quod cum Deus creaturas secundum esse possibile necessario simplici complacentiæ actu velit; existentia autem actualis creaturarum necessario requirat efficax & liberum decretum diuinæ voluntatis; creaturæ hoc posteriori modo cognosci non possunt in diuina voluntate, sub ratione simplicis complacentiæ, sed solum priori modo, vt in assertione dictum.

Assertio VI. Recte quidem etiam creaturæ di- 8
cuntur à beatis cognosci in Deo, seu verbo, velut *speculo voluntario*: sed hic modus cognoscendi non est à superioribus distinctus; sed sub singulis comprehenditur. Ita Gregorius de Valentia hic q. 12. punct. 6. Suarez lib. cap. 25. num. 44. Et prima pars sumitur ex Sancto Ambrosio libr. 2. in Lucam, & S. Augustino epist. 112. & Authore lib. de triplici habitaculo capit. vltimò, tomo 9. August. & cõmuniter recepta est à Scholasticis, cum S. Thoma hic quæst. 12. art. 8. ad 2. & quæst. 14. art. 5. & in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ad 1. & quæst. 8. de veritate art. 4. & quæst. 12. art. 6.

Ratio vero assertionis est; quia modus ille loquendi, videri creaturas in Deo, velut *speculo*, metaphoricus est; adeoque metaphoricè solum & confusè significat, quod alijs modis commemoratis proprie & distinctè explicatur. Ratio verò metaphoræ & similitudinis in hoc consistit; quod sicut speculum obijcitur visui, & visus tendendo in illud, transit ad rem aliam in speculo repræsentatam; ita Beatus intuendo essentiam diuinam, per eam transit quodammodo ad cognoscendas creaturas, modo aliquo explicato. *Voluntarium* autem hoc *speculum* dicitur, quia per illud Deus absolute loquendo videtur, quando vult, quantum vult, & quomodo vult, vt mox inferius declarabitur.

Assertio VII. Modus cognoscendi creaturas 9
in Deo, velut causa, idea, verbo, siue scientia, & in voluntate, necessario est per medium cognitũ; vt in specie autem non item. Et communis apud auctores citatos, qui hos modos cognoscẽdi crea-

turas

turas in Deo admittunt, speciatim vero de modo cognoscendi creaturas in Deo velut causa, ita sentiunt S. Thomas q. 8. de veritat. a. 4. & 5. & q. 20. art. 4. & hic quæst. 12. art. 8 & quæst. 14. a. 5. Caietanus & alij Thomistæ recentiores ibidem, Durandus in 4. dist. 49. q. 3. Ferrariensis 1. contra Gentes cap. 49. Greg. de Valentia citato pun. 6. Molina ar. 8. disp. 2. Suarez lib. 2. de Deo cap. 25. num. 20. & omnes citati assert. 1. Ratio est; quia nunquam effectus propriè cognosci potest in causa; nec imago seu effectus in sua idea, siue exemplari; nec obiectum cognitum in verbo, seu scientia alterius; nec obiectum amatum seu volitum in alterius voluntate, nisi ratione prius cognoscatur causa, idea, verbum, & volitio. Igitur quoties effectus videtur in causa (eadem est ratio aliorum trium modorum) ita in ea videtur, vt quamuis re ipsa eadem sit cognitio causæ & effectus, ratione tamen prius terminetur ad causam quam ad effectum; adeo vt visio causæ sit ratio cur eadem visio terminetur etiam ad effectum.

Alia ratio est speciei intelligibilis; cuius, vndecunque demum proficiscatur, atque etiamsi in cognoscente ipso non inhæreat, proprium munus non est repræsentare vt medium cognitum, sed per modum signi formalis non cogniti, vt in hoc proposito etiam sentit Albertinus loco citat. tom. 1. princip. 1. Coroll. 5. punct. 1. & 2. & indicat Gregorius de Valentia hic punct. 6. nec omnino negat Suarez cap. 25. num. 53. quamuis simul etiam addat alium modum, quo creaturæ videantur in Deo, speciei quasi munus obeunte, velut medio cognito, vt dictum etiam assertio 4.

10 Neque id est plane improbabile; cum etiam in rebus creatis mihi certissimum sit species visibiles posse esse medium cognitum, quo saltè abstractiue etiam cognoscatur obiectum, non quidem quãdo in speculo obiectum reflexe videtur, sed quãdo species visibiles per angustum foramen in obscurum locum immittuntur, & chartâ, seu panno albo, debitâ distantiâ, & modo seruatis, excipiuntur. Tunc enim directè non videri obiectum, sed solum species manifesta argumenta conuincunt. 1. Quia si reflexè videretur obiectum per species, tum non videretur in quouis situ oculi ad chartã, seu linteum, quo species recipiuntur, sed solum in certo situ & loco, ad quem iuxta varium incidentiæ radium, species reflectuntur, vt in speculo est videre, & demonstrant optici. 2. Videretur obiectum simul cum modo distantiæ. 3. Melius & clarius videretur obiectum, si species speculo potius, quam alba charta, vel linteo exciperentur; cum illud multò melius, hæc autem vix possint reflectere species: & tamen applicato ad eum modum speculo, vix quicquam videtur. Ipsi oculi eadem species non aliter quam picturam in charta depictam & ibidem subiectiuè existentem contuentur. Quibus rationibus etiam philosophis plerisque video nunc esse persuasum, eo casu, & modo videri species, non obiectũ; quamuis interim obiectũ eo medio simul vtique etiam abstractiuè per intellectũ cognoscatur vti per imaginẽ visã prototypũ.

Cum igitur species etiam sensibiles possint esse ratio cognoscendi obiectũ per modum medij cogniti, cur non etiam intelligibiles; præsertim diuina illa, quę tam eminentis excellentiæ est, vt simul etiam perfectissimo modo contineat omnes perfectiones omnium creaturarum; ob quã perfectionẽ infinitam nihil obstat, quo minus etiã per eã quasi intuitiuè ipsum in se obiectũ cognoscatur; tametsi speciebꝰ creatis hoc ob earũ imperfectionem, non conueniat, vt dictũ etiam assertione 2.

Intelligenda verò sunt ea, quæ hactenus diximꝰ, de creaturis, vt entia sunt, ac Deo auctori siue causæ attribui possunt; quia peccata cum vt sic nec sint Dei causantis, nec volentis, nec vt ideæ, ad quã conformẽtur; nec forte vt species intelligibilis, per modũ supremi obiecti directè ipsas repræsentãtis, ideo solũ videtur in Vrbo per extẽsionẽ visionis ad ipsas, Deo supplẽte locũ speciei, vt rectè Suarez l. 2. c. 27. n. 9. & 12. Nisi quis putet, hæc in verbo formaliter prorsus non videri; quod tamẽ cõsequẽter dici nõ potest; quia sic nec finis, & causa Incarnationis in verbo videretur, quod est contra ea, quæ dicemus dubio sequenti.

Obijcies primò. Modus cognoscendi creaturas in Deo, veluti speciẽ ac medio vt sic non cognito, non fundatur in visione Dei: ergo non est proprie ex vi visionis Dei.

Respondeo, etsi nõ fundetur in visione Dei veluti speciei, tamẽ fundari in visione Dei, veluti obiecti eminentissimi, & infinitè excedentis quodlibet obiectũ creatum. Quo fit, vt consequenter & secundario, ex vi eiusdẽ gradus indiuisibilis intẽsionis, extendi possit eadẽ visio ad creaturas, tanquam obiectũ excessum, vt fusè declarat Albertinus princ. 1. Corol. 5. In quẽ sensum etiã dicit Suarez c. 27. n. 12. Satis esse, quod illa scientia & visio Dei consequenter extendatur ad existentias creaturarum cognoscendas. Respondeti etiam potest esse ex vi visionis Dei, saltẽ moraliter; quia secũdum legem Dei ordinariam, ea functio Diuinę speciei ad creaturas repræsentandas, ratione nostrâ oritur ex visione Dei, sine qua Deus id munus erga creatum intellectum nõ obiret. Et quicquid sit de modo loquendi; saltem de re constat, posse ita etiam videri creaturas in verbo, & ex vi verbi, eadem visione, qua verbum videtur. 11

Obijcies secundò. Multiplex ille modus videndi creaturas in Deo potius videtur impedire, quã promouere clarã earundem visionem, iuxta illud Poetæ *Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.*

Respondeo, nõ impedire, sed promouere: quia modi illi nõ sunt per media re ipsa diuersa, sed per vnam & eandem essentiam diuinam, quæ simplicissimè & intrinsecè continet plures illas rationes repræsentandi, quas cum Beati vno intuitu prout etiã à parte rei in Deo vnũ sunt, clarè intueantur, fateri necesse est, ijs non turbari & distrahi intellectũ, sed potiꝰ quasi iuuari ad ipsas creaturas perfectius aliquo modo intuendas: perinde ac si res eadẽ, ac inuariata, eodẽ modo & actu simul directè, & reflexè, in se & in alio, clarè & perspicuè oculis posset conspici. Et quãuis beati visione beatifica varias illas Dei perfectiones, à quibus varius ille modus cognoscendi creaturas in Deo desumitur, 12

Digitized by Google

mitur, non distinguant, vt suo loco generatim de attributis diuinis dictum; rectè tamen à nobis distinguuntur, sicut & cætera attributa diuina. Neq; verò hæc inter se pugnãt, videri creaturas in Deo, vno modo, velut medio cognito, & simul altero modo, velut in medio non cognito, etiã vnica visione: siquidẽ vnus & idẽ assensus conclusionis scientificæ elicitur, & per species intelligibiles, velut mediũ non cognitũ, & ob mediũ demõstrationis, seu præmissas, velut mediũ cognitũ. Quas rationes tam cogniti, quã incogniti medij, vna & eadẽ indiuisibilis essentia diuina, ob suam perfectionẽ eminentissimè continet. Atque hæc hactenus de modo videndi creaturas in Deo, quatenus consideratur ex parte ipsius Dei, dicta sunto.

Quod verò ad modũ videndi creaturas in Deo, ex parte ipsius Beati cognoscentis attinet, duo cõsiderari possunt ad eam visionẽ creaturarũ in verbo spectantia: ex quib⁹ proinde varius etiam modus eiusmodi visionis desumi potest; nimirum lumen ipsum gloriæ, veluti habitus cõferens vim & facultatem videndi, ex dictis supra dub. 4. & visio ipsa. In quibus singulis cum nulla possibilis sit distinctio specifica, vt dictum supra dubio. 5. solũ ad propositum considerandæ venit differentia indiuidualis & numerica; non ea quidem solum materialis, quo modo vnumquodq; indiuiduũ eiusdẽ speciei differt ab altero, quę ad propositũ, nihil facit; sed differentia indiuidualis secundum intensionem, vel extensionem. Quæ duplex assignari potest. 1. per verum & reale augmentum extensiuum intrinsecum ipsius luminis, aut visionis. 2. Per simplicem qualitatem, non habentem in se vllos gradus extensionis, seu vllam extensionem intrinsecam; sed solum extrinsecam in ordine ad obiecta; ex ipsa tamen ratione sua indiuidua æquipollentem pluribus gradibus extensionis: Ex qua proinde diuersitate indiuiduali, exquirenda erit ratio diuersitatis illius, quæ est in diuersis beatis, respectu visionis creaturarũ in verbo, vti mox particulatim sequentibus assertionibus declaro.

13 Assertio VIII. Vt præter essentiam diuinã beatifica Visione videantur creaturæ, non sufficit sola extrinseca Dei, aut ipsius beati voluntas; absque certa quadam perfectione seu intensiua, seu extẽsiua, intrinseca ipsius visionis. Ita contra Scotũ in 3. d. 14. q. 2. Bonauenturã a. 2. q. 3. Marsilium in 3. q. 10. Ferrariensem 3. cont. gent. c. 59. rectè docẽt Sotus in 4. d. 49. q. 3. a. 3. Molina hic q. 12. a. 8. d. 5. memb. 2. Suarez l. 2. c. 27. n. 16. & est communis Doctorum, quos citabimus: etsi nonnulli quoque recentiores contrarium significent; quasi creaturæ beatifica visione concomitanter videri possint, etiamsi antea non viderentur, ex sola Dei voluntate, per eandem visionem quædam reuelantis, quæ antea non reuelabat. . . .

Ratio assertionis est euidens: quia Deus solâ sua voluntate extrinseca, si nihil interim à parte rei mutationis vspiã interueniat, facere nõ potest, vt causa formalis actu informans, diuerso tempore, alium & alium præstet effectum formalẽ: sed actus videndi est quasi causa formalis, à qua quis videns dicitur, eademque, vt supponitur, actu informat videntẽ: ergo impossibile est, vt pro solo arbitrio Dei, diuerso tempore aliter & aliter videntem constituat; si ipsa in se penitus inuariata maneat, nec vspiam, vt supponimus, aliunde mutatio accidat. Et confirmatur; quia visio creata habet transcendentalem & realem relationem ad sua obiecta: ergo variatis obiectis, variatur ea relatio; adeoq; in se ipsa etiam intrinsecè realiter mutatur.

Assertio IX. Intensio maior vel minor luminis gloriæ, aut visionis Dei immediate nihil facit ad videndas creaturas in Deo; licet in certo genere obiectorum, ad eam mediatè conferat. Prima pars est contra Bannem, Zumel & alios Thomistas recentiores hic q. 12. a. 8. qui docent, posse tam remissum esse gradum luminis & visionis Dei, vt per eam nulla in Deo creatura videri possit; è contra verò generatim tantò plus videri aiunt, quantò lumen est intensius. Sed hoc meritò refellunt Vasquez hic disp. 50. n. 17. Suarez lib. 2. cap. 26. n. 20. & 3. p. tomo 1 disp. 26. sect. 2. & Albertinus. tom. 1. princ. 1. Corol. 5. punct. 1. Vbi ex institutо probat, nihil obstare, quo minus per eundem gradum indiuisibilem intensionis, sufficientem ad videndam essentiam diuinam, videantur omnes creaturæ, quantum est ex vi intensionis præcisè. Et ratio est clara; quia ad pluralitatem obiectorũ per se nihil facit intensio actus. Et potest absolute fieri, vt beatior, aut æquè beatus, cum intensiore, aut æquè intensa visione Dei, pauciora in Deo videat obiecta creata, quam alius æquè, aut minus beatus, vt dicetur dubio sequenti. 14

Secundam partem tradit S. Thomas hic q. 12. a. 8. vbi dicit eorum *quæ DEVS facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt.* Et ad tertium ait: *multitudo cognitorum in Deo consequitur modum videndi ipsum, vel magis perfectum, vel minus perfectum.* Eadem est doctrina communis Theologorum, qui docent, in certo rerum genere quemq́ue Beatum, quo beatior est, eò plura in Deo videre, vt patebit dubio sequenti. Neque enim S. Thomæ doctrina vniuersaliter accipienda, vt satis patet ex responso eiusdem ibidẽ ad quartum. Vnde probatur ea pars assertionis: quia cæteris paribus, semper ille qui beatior est, plura in Deo videt è rebus creatis, vt patebit dubio sequenti; atqui maior beatitudo consistit in maiori intensione visionis, vt dictum dub. 5. Ergo, &c. Cum autem illa maior intensio imediatè nil faciat ad visionem creaturarum, aut pluralitatem obiectorum visionis, vt dictum; necesse est mediatè ita ad eam conferre, vt Deus iuxta proportionẽ eius, in eodem certo genere obiectorum, attemperet ipsum lumen glorię, adeoque visionẽ Dei secundũ suam certã rationẽ indiuiduã, qua ad plura eiusmodi obiecta extendi possit, vt dicemus.

Assertio X. Ratio propria & adæquata, cur aliq̃ & aliæ plures, vel pauciores creaturæ videantur in Deo; est certa quædam perfectio indiuidualis extensiua, tum ipsius Visionis, tum luminis gloriæ; eamque verius est per se esse simplicem qualitatẽ & expertem graduum extensionis. Ita Suarez cit. cap. 25. n. 49. & cap. 26. num. 22. & c. 27. nu. 29. Albertinus cit. Corol. 5. n. 7. & indicat Molina q. 12. a. 8. disp. 6. qui rectè docent, eam diuersitatem visionis creaturarum in Deo accidere immediatè 15

Digitized by Google

diatè quidem, ob rationem indiuidualem extensiuam cuiusque visionis, eam perfectionem habetis, vt ad tot, & non plura, hæc & nō alia obiecta creata possit ferri; siue ratio illa indiuidua consistat in certa quadam extensione intrinseca graduali ipsi⁹ visionis, vt absolute fieri posse rectè sentit Albertinus, (addens n. 9. gradus illos extensionis esse homogeneos, si fiat visio ex vi causæ; secus si, vt ipse loquitur, speciali modo, ex vi visionis.) etsi neget Suarez c. 27. n. 9. & c. 25. n. 45. ratus vniuersim, eiusmodi gradus seu partes extensionis in habitibus, seu actibus esse impossibiles; cum tamen contrarium etiam in philosophia videatur verius, vt dicetur tom. 2. d. 3. q. 1. dub. 4. atque etiam supra d. 1. q. 4. dub. 2. de vnitate Theologiæ obiter indicauimus: siue ratio & perfectio illa indiuidualis sit simplex entitas, vt vult Suarez, & approbat Albertinus Corol. 5. num. 7. & indicat Molina q. 12. a. 8. d. 6. mihique etiam magis probatur; tum quia hac ratione melius saluatur modus videndi creaturas ex vi eiusdem indiuisibilis entitatis secundum extensionem; tum quia cum creaturæ non videantur in Verbo successiuè, vt patebit dub. sequenti, nulla est ratio cur assignentur eiusmodi gradus extensionis. Secus fortè, si successiue viderentur, vt rectè Albertinus ibidem. Tum quia id magis decet perfectionem visionis, quæ quo simplicior est, eo magis accedit ad scientiam diuinam; cum præsertim alioqui expers sit compositionis mentalis, adeoque notitia plane incomplexa, simul & apprehensiua simplicium, & iudicatiua complexorum, vt ex communi Molina ibid. d. 6. cit. Tum quia cum & anima Christi, ex communi doctrina S. Thomæ 3. p. q. 10. a. 2. & anima cuiusuis Beati, secundum eundem S. Thomam 3. cont. gent. c. 60. cognoscat infinita, fatēdum esset, aut necessariam esse gradualem extensionem infinitam in visione; quod tamen est impossibile; aut additione sola vnius gradus extensionis, tam in visione, quā in lumine, fieri, vt intellectus possit videre infinita, cum alias non posset; quod licet in simili concedat Molina d. 5. mem. 7. tamen plane videtur improbabile: sic enim nulla seruaretur proportio inter gradus extensionis ex parte visionis, & inter obiecta videnda.

Mediatè verò ratio eius diuersitatis referenda est, ad similem diuersitatem indiuiduam luminis gloriæ, vt rectè etiam indicat Bannes hic a. 3. ad 2. Molina lo. cit. & Suarez c. 24. n. 13. & c. 26. n. 22. non enim videtur credibile, existente alioqui sufficiente virtute ex parte intellectus, ad videndum omnia obiecta creata, Deum solo suo arbitratu, denegando concursum, restringere actum visionis secundum extensionem, ad certa duntaxat obiecta creata: id enim esset contra suauem dispositionem diuinæ prouidentiæ, & consuetum naturę ordinem; quod tamen nescio an sentiat Albertinus. Vltimatè verò omnino referenda est hæc diuersitas ad Deum, qui pro ratione meritorum, vel statu cuiusque Beati, vt dicetur dubio sequenti, hoc vel illud lumen impertit; ex quo postea secūdum proportionem hæc, & non alia sequitur visio. Neque contra eam efficiunt quicquam obiectiones Vasquij cit. disp 50.

Fateor tamen interim, probabiliter etiam dici posse, ipsam per se essentiam diuinam, ob suam infinitam & eminentissimam vim repræsentandi, esse liberè repræsentatiuam, tam decretorum liberorum, quam eorum, quæ in ipsa continentur eminenter, etiam supposito lumine gloriæ, atque intellectu per id ipsum sufficienter in actu 1. instructo, ad creaturas quaslibet in Deo videndas: ita vt quemadmodum Angelus aliquis non potest alteri⁹ Angeli cogitationes naturaliter cognoscere, nisi hic velit eas fieri manifestas; ipsis interim cogitationibus quæ cognoscuntur, & lumine naturali, quo cognoscuntur, eodem modo se habentibus; ita etiam creaturæ non possint cognosci in Deo, nisi quas, & quot ipse Deus velit, etiam supposita ex parte intellectus, sufficienti virtute cognoscendi; idque non per subtractionem quasi præternaturalem debiti & ordinarij concursus, sed ea voluntate diuina, tanquam conditione ad ea videnda naturaliter requisita, vt in simili de Angelis docetur. Quod idcirco etiam ob similitudinem rationis, in primis de actibus liberis diuinæ voluntatis videtur probabilissimum, idemque indicat Bannes loco cit. 16

Et alia quo ad hoc est ratio luminis gloriæ quā visionis, de qua assert. 8. actum est; quia lumē gloriæ non est causa formalis, sed efficiens visionis: Nec absurdum est, stante sufficiente vi ex parte causæ efficientis, eam pro arbitrio extrinseco alterius in actum reduci, aut secus, vt de locutione Angelica dictum. Neque etiam contra hoc pugnant, quæ disserit Suarez c. 24. n. 9. Atque eodem sensu admitti potest, quod dixit Scotus in 3. d. 14. q. 2. per visionem Dei, videri omnia in actu primo non autem in actu secundo: quamuis isti potius ad arbitrium videntis, quam ipsius Dei diuersitatem visionis in actu secundo reijciant, vt dicetur dubio sequenti. Eodemque modo intelligi potest illud ex Augustino, & alijs assert. 6. pronunciatū, essentiam diuinam esse *speculum voluntarium*.

Obijcitur 1. In lumine fidei, & intellectus, differentiæ indiuiduantes non efficiunt, vt Iacobus credat alios articulos, quam Ioannes, aut cognoscat alias res naturales; potest enim fieri, vt non obstantibus differentijs indiuiduantibus, ambo credant eosdem articulos, & intelligant easdem res naturales: Ergo etiam fieri poterit, vt beati omnes, non obstantibus differentijs indiuiduantibus ipsius luminis gloriæ, de quibus dictum, videant easdem creaturas in Deo. 17

Respondeo, negando consequentiā: est enim diuersa ratio luminis gloriæ, & luminis fidei, ac intellectus. Nam vel per lumen naturale intellectus intelligitur vis ipsa naturalis potentiæ intellectiuæ; & hæc cum sit eiusdem rationis specificæ, nec in se augeri vel minui possit; in hominibus habet idem obiectum adæquatum, à quo specificatur; ac proinde non habet aliam latitudinem extensiuam in vno homine, quam in alio. Aut intelligitur vis intelligendi habitus alicuius naturalis & acquisiti; & tunc est aliqua paritas inter habitum illum, & lumen gloriæ; paritas quidem in eo, quod ex probabiliori philosophia, quam suppono, naturalis habitus habet aliquam latitu-

dinem

dinem non solum intensiuam, sed etiam extensiuam, in ordine ad obiecta; ita vt habitus eiusmodi perfectus esse possit in ordine ad quædam obiecta sui generis, non autem ad omnia: sic enim sæpe videmus Physicum, aut Mathematicum habere habitualem scientiam vnius conclusionis, & non alterius.

Qua ratione etiam suo modo visio & lumẽ gloriæ habent aliquam perfectionem extensiuã, saltẽ simplicem & indiuisibilem, vt dictum. Disparitas est, quod non obstante certâ & determinatâ eiusmodi latitudine habitus naturalis, is qui prædito est eo habitu, potest vi naturali intellectus, etiam sine præsenti concursu habitus, vltra latitudinem extensiuam, & obiectiuam præsuppositi habitus ferri: sicut etiã ab initio poterat naturali vi intellectus, ipsum habitum per actus comparare: at vero Beatus in gloria non potest vltra perfectionẽ seu intensiuam, seu extensiuam luminis gloriæ videndo progredi; sed necessario intra limites perfectionis ipsius luminis, tam intensiuæ, quam extensiuæ continetur.

18 Et ratio diuersitatis est; quia habitus naturalis non confert facultatem operandi simpliciter, sed solum faciliter; quo fit, vt potẽtia agendo superare possit efficaciam habitus: habitus auẽ supernaturales, in quibus est lumen gloriæ, conferunt vim operandi simpliciter; vt in 1. 2. cõuniter docetur: quo fit, vt nisi efficientia & concursus habitus supernaturalis aliunde supleatur, nunquã possit actus perfectionẽ habitûs præexistentis excedere. Quia tamen in hac vita, iuxta ordinationem Dei, homo ipsos etiam habitus supernaturales per actus dispositiue acquirere & augere potest, hinc fit, vt possit etiam vltra vires & perfectionem habitus supernaturalis præsuppositi operari, Deo tunc supplente efficientiam habitus, vt ex 1. 2. suppono.

At vero in Patria, vbi iuxta legem Dei, non est locus profectui in gratia, & habitibus supernaturalibus, nunquam actus excedunt efficientiam & perfectionem præsuppositi habitus; adeoque nec visio perfectionem, seu extensiuam, seu intensiuam luminis gloriæ. Quæ ipsa etiam ratio disparitatis est inter habitum Fidei, & lumen gloriæ; cum nimirum habens fidei habitum non restringatur in credendo, absolute ad latitudinem seu perfectionem extensiuam habitus præsuppositi; beatus autem in videndo restringatur ad perfectionem tam extensiuam, quam intensiuam ipsius luminis, vt dictum.

Obijcitur secundo. Si certa quædam indiuidualis perfectio extensiua necessaria est ad videndas creaturas, tum ex parte luminis gloriæ, tum præcipue ex parte visionis Dei, sequitur, creaturas nõ videri in Deo proprie, & formaliter, & ex vi ipsius visionis: quia creaturæ non videntur eo ipso, quod Deus videtur; alias enim eædem ab omnibus, & eodem modo viderentur.

Respondeo, negando sequelam. Quia planè videntur vt repræsentatæ per ipsum Verbum, seu Essentiam diuinam; & ex vi eiusdem visionis, qua ipse videtur, non quidem præcise in genere, aut etiam secundum rationem suam specificam acceptæ, sed huius, vel illius, quatenus in indiuiduo est talis visio verbi; quod satis est; vt inter alios rectè etiam docuit Gregorius de Valentia q. 12. p. 6. Neque enim S. Thomas, & qui cum illo defendunt visionem creaturarum, ex vi visionis Verbi, alio sensu eam defendunt, aut explicant, quandoquidẽ ex eius sententia constat, pro varia perfectione visionis, alia & alia, plura vel pauciora in verbo videri, vt dicetur dub. seq. Ex quo inferre velle, S. Thomam, & qui cum illo sentiunt, non docere visionem creaturarum in Verbo formaliter, aut ex vi visionis absurdum est. Cæteras vero obiectiones, quę contra propositam doctrinam obijci possent, dissoluimus dub. præcedenti.

DVBIVM X.

Quæ, & quandonam à Beatis singulis in Verbo videantur.

S. Thomas 1. p. q. 12. a 8. & 10.

HAc de re, omissis ijs, qui negant creaturas proprie & formaliter videri in Verbo, generatim loquendo, sunt quinque Doctorũ sententiæ. 1

Prima est, quam refert Durandus in 4. d. 49. q. 3. beatos visione beatifica videre in Verbo omnia, quæ Deus ipse videt.

Secunda est, à quolibet beato in Deo videri creaturas omnes, tam in specie, quam indiuiduo, secundum esse possibile; non vero secundum esse actualis existentiæ; etiam loquendo de ijs, quæ aliquando existentiam actualem habeant, vel habuerunt. Ita Durandus loco cit. Bassolis q. 4. prolog. Goffredus quodlib. 6. q. 3.

Tertia sententia est, quam refert S. Thomas q. 20. de Verit. a. 4. & Durandus loco citat. omnes beatos videre in Deo particulatim omnia, quæ aliquando fuerunt, vel futura sunt; quæque adeo Deus scit scientia visionis. Certe omnia eos videre, quæ fiunt, apertè sentire videtur Basilius lib. de vera Virgin. non longè post initium: *Virgo se ipsam primum, conscientiamq; suam reuerebitur, etiamsi valde sit sola: deinde astantem sibi Custodem Angelum, &c. Quid per singula pergam? ipsas Angelorum infinitas multitudines, & vna sanctorum Patrum beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula vbique consideret.*

Quarta sententia est, à beatis in vtrouis genere rerum tam existentium, quam possibilium cognosci omnia, adeoque infinita in actu primo, nõ autem in actu secundo; ita nimirum, vt quamuis nullus beatus infinita simul cognoscat, aut cognoscere possit in Verbo, eo quod ad hoc requireretur infinita attentio, quæ est impossibilis creaturæ; habitualiter tamen adeoque successiue, siue per idem lumen gloriæ, siue etiam per eandem visionem (vt Scotus indicat) posset quilibet cognoscere creaturas omnes & singulas, adeoque ex infinitis quamlibet pro arbitrio. Ita Scotus in 3. dist. 14 quæst. 2. Bonauentura artic. 2. quæst. 3. Marsilius in 3. q. 10. a. 2. Guilielmus Varro, quem citat. Gabriel in 3. d. 14. q. 1.

Digitized by Google

Quinta sententia est, à beatis singulis in Verbo cognosci, tum omnia mysteria fidei, tum genera & species rerum omnium existentium, adeoque ordinem totius Vniuersi; tum quæ præterea ad statum vniuscuiusque speciatim pertinent. Ita S. Thomas partim hîc q. 12. art. 8. ad 4. & 3. cont. gent. cap. 59. partim in 3. p. q. 10. a. 2. & in 2. 2. quæst. 83. art. 4. ad 2. & in 4. dist. 45. quæst. 3. art. 1. quam sententiam assertionibus sequentibus ita sigillatim exponimus, & tuemur.

Assertio I. Beati non vident, nec videre possunt, secundum ordinariam Dei legem, simul & distinctè omnia, quæ in Deo continentur eminenter; adeoque nec omnes creaturas. Ita contra primam sententiam S. Thomas hîc quæst. 12. art. 8. & in 3 p. q. 10. art. 2. & communis sententia omnium Scholasticorum; qui idem pariter de anima Christi asserunt, contra Arnaldum quendam, cuius opposita sententia in Hispanico Directorio Inquisitorum q. 12. refertur vt erronea; sed forte non tam secundum se, quam vt procedens ex falso principio, de indistinctione naturarum in Christo, vt dicit Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 4. n. 24. Certe oppositum huius assertionis, si de beatis in genere loquamur, non est tutum.

Probatur assertio; tum quia in ipsa scriptura quandoque Angeli beati referuntur quædam ignorantes, vt patet Isai. 63. v. 1. Daniel. 10. v. 13. Matth. 24. v. 36. Tum quia Deus, sicut alias perfectiones suas, puta æternitatem, omnipotentiam, omnipræsentiam, actualiter, & adæquatè non communicauit puræ creaturæ, etiam quoad Esse participatum; ita par erat, ipsam etiam scientiam diuinam totam & adæquatè non communicari; præterquam quod forte id etiam fieri nulla ratione potuit; de qua re dub. 12.

3 Assertio II. Beati non vident, nec videre etiam possunt, secundum ordinariam Dei legem, simul & distinctè omnes creaturas, nec secundum Esse possibile, nec secundum Esse actualis existentiæ. Ita contra secundam & tertiam sententiam S. Thomas cit. quæst. 12. art. 8. & in 3. p. quæst. 10. art. 2. Scotus in 3. dist. 14. Henricus quodlib. 7. quæst. 4. & 5. Capreolus in 4. dist. 49. quæst. 6. Sotus ibidem quæst. 3. art. 3. Paludanus quæst. 2. a. 2. & d. 45. quæst. 2. art. 3. Ferrariensis 3. contra gent. cap. 59. 60. Caietanus, & recentiores Thomistæ hîc q. 12. a. 8. Gregorius de Valentia quæst. 12. p. 6. Molina art. 8. disput. 5. Vasquez disp. 50. cap. 8. & 9. Albertinus tom 1. princ. 1. coroll. 5. Suarez hîc lib. 2. cap. 26. num. 10. & cap. 27. num. 3. adeoque communis Theologorum; qui tanquam peculiare priuilegium tribuunt animæ Christi, videre in Verbo omnia, quæ Deus scit scientia visionis, vt docetur 3. p. q 10. art. 2. Excipio Scotum, & qui cum illo sentiunt, qui necanimæ Christi quidem hoc concedit, vt infinita, adeoque hæc omnia simul videat.

Ratio primæ partis potissima esse videtur; quia nullum suppetit eius rei argumentum. Addunt multi, & significat S. Thomas art. 7. & 8. quia ad hoc necesse foret comprehendere Dei essentiam, vel potentiam; quod tamen quam firmum sit, dubio vltimo dicetur. Addit Zumel hîc quæst. 12. art. 8. oppositam Durandi sententiam esse *errori proximam*: quod tamen durius videtur; Molina disp. 5 memb. 2. dicit esse *falsissimam*.

Secunda pars probatur primò ex Scriptura; in qua etiam beati Angeli introducuntur aliquando ignorantes quædam decreta, & ordinationes Dei, de rebus aliquando futuris; vt quando Isai. 63. vers. 1. quærunt Angeli: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Item quando Daniel. 10. v. 13. vnus Angelus restitit alteri etiam bono Angelo, vt habet melior interpretatio, ob ignoratam scilicet Dei voluntatem, circa dispositionem populi Israelitici. Denique Matth. 24. v 36. dicitur: *De die autem illa, & hora, nemo scit, neq; Angeli cælorum; nisi solus Pater*. Secundo eadem est expressa doctrina SS. Patrum, speciatim S. Dionysij cap. 7. Cœlestis Hier. vbi docet Angelos inferiores illuminari à superioribus. Tertio nulla est auctoritas, vel ratio id asserendi.

Etsi verò nonnulli recentiores contrariam sententiam, ob adducta testimonia Scripturæ, damnent vt *hæreticam*; id tamen neque S. Thomas, neque Durandus, dum eam sententiam referunt & recensent, fecerunt: & merito hæc censura tanquam iusto rigidior reijcitur à Suarez cap. 27. num. 3. cum oppositum nec sit definitum, nec citatis Scripturis satis conuincatur. Si enim aliquo loco conuinceretur, maximè illo Matth. 24. sed hic non ita conuincit, vt explicatio, quæ ei pro opposita sententia adhiberi potest, sit hæretica; cum simili modo etiam Marci 13. v. 31. legamus: *De die autem illa, vel hora nemo scit, neq; Angeli in cælo, neq; Filius, nisi Pater*. Et tamen negari non potest, Christum etiam secundum humanitatem sciuisse diem iudicij, vt suo loco docetur. Esset tamen satis temerarium, hac in re, contra communem Doctorum sententiam pugnare; & vt Molina loquitur disp. 5. memb. 2. *plusquam periculosum*.

Assertio III. Beati nec successiue quidem in 4
Verbo vident, aut videre possunt omnes, seu quoslibet creaturas. Ita ex communi contra Scotum, alioſque in quarta sententia citatos; S. Thomas, alijque citati pro præcedenti assertione, excepto Scoto. Probatur. Nam si ea Scoti, aliorumque sententia intelligatur, vt à multis intelligitur, de eadem numero, & vndequaque inuariata visione; tunc est planè impossibilis; vt dictum dub. præcedenti asserit. 1. & 8. & rectè Suarez loco cit. & Molina cit. disput. 3. membr. 7. argument. 5. contra Scotum; si autem intelligatur solum de eodem lumine gloriæ, ipsa tamen interim visione variata, tametsi impossibilis non sit, parum tamen est probabilis. Tum quia visio beatifica semper est eadem; & inuariabilis in Beatis, iuxta S. Augustinum communiter receptum lib. 15. de Trinitate, cap. 16. vbi de visione beatifica loquens: *Fortasse*, inquit, *volubiles non erunt nostræ cogitationes; ab aliis in alias euntes, atq; redeuntes; sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus*. Quod idem asseuerantèr docet lib. 12. Confess. cap. 13. Tum quia beatifica visio est operatio naturalis; & non libera; adeoque à libero arbitrio beati independens. Tum quia cum visio beatifica eodem semper modo se habeat, saltem erga Deum; vt fatetur Scotus; creaturæ autem videantur in Deo; adeoque ex vi visionis Dei, non est verosimile, lumine gloriæ eodem modo se habente, pro solo arbitratu ipsius beati; modo plura, modo

Digitized by Google

pariora ex vi ipsius visionis Dei cognosci: & multo conuenientius est, vt supposita vi sufficienti videadi in beato, per lumen gloriæ, in ipsius potius Dei arbitratu positum sit, quid in se velit ipse à beatis cognosci; quam in arbitratu beati, quid velit in ipso Deo è rebus creatis cognoscere, vt dub. præced. dictum. Tum quia non est æquum, vt in perfectione videndi creaturas omnes, beati exæquentur Christo; quod tamen ex Scoti sententia consequens videtur.

5 Assertio IV. Beati singuli in Verbo vident omnia mysteria fidei, in se, vel alijs, in Ecclesia militante credita; saltem quoad rationes specificas singulorum, vbi plura numero eiusdem rationis multiplicantur. Ita sentit S. Thomas supra 1. p. quæst. 1. art. 2. & 1. 2 quæst 4 art. 3 & 2. 2. quæst. 1. art. 1. & communis antiquorum Scholasticorum in 4. dist. 49. ac Thomistarum omnium, præsertim recentiorum hic, & locis citatis: quibus consentiunt Gregorius de Valentia quæst 12 p. 6. Molina quæst. 12. artic. 8. disput. 5. Suarez lib. 2. cap 28. num 2. & est conclusio magis pia, & satis certa, præsertim supposita visione creaturarum in Verbo.

Probatur assertio ex Scriptura 1. Corinth. 13. vers. 9. *Ex parte cognoscimus; & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Et vers. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*; de quo loco plura dub. 8. Item 2. Corinth 3. vers. 18. *In eandem imaginem transformamur à claritate* (fidei) *in claritatem* (scilicet visionis, seu *contemplationis æternæ*, vt loquitur Augustinus epistol. 112. Qui etiam lib. 20. de Ciuit. cap. 21. ait: *Ibi videbimus, & gaudebit cor nostrum. Nec expressit, quid videbimus; sed quid, nisi Deum, vt impleatur in nobis promissum Euangelicum* (Matth. 5.) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: & omnia illa, quæ nunc non videmus; credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longe minus, quam sunt, atq; incomparabiliter cogitamus? Et videbitis*, inquit, *& gaudebit cor vestrum. Hic creditis, ibi videbitis, &c.* Ratio est; quia huiusmodi visio est valde consentaneum præmium fidei, nec enim est quicquam, quod in Deo præmij loco rectius videatur, quam id, quod credendo, visionem Dei promeriti sumus. Accedit, quod mysterium Incarnationis, alias clarè, & perfectè videri non posset, si in ipso Deo non videretur; cum ex parte vnius termini, inuoluat Verbum diuinum; quod propria & creata specie videri in se non potest, ex dictis dub. 2.

Dixi tamen, *quoad rationes specificas, &c.* Quia illa mysteria fidei, quæ sub se continent plura individua eiusdem rationis, vt est sacramentum Eucharistiæ, Resurrectio mortuorum, &c. non est necesse videri in omnibus individuis, vt rectè Suarez num. 7. sed iuxta rationem specificam, vna cum aliquibus earum individuis, quæ vel præcipua fuerint, vel magis credita; vel magis ad statum beatitudinis spectantia: vt est v. g. omnibus his nominibus eximia, & singularis Resurrectio ipsius Christi; & sacramentum Eucharistiæ, ab ipsomet celebratum in vltima cœna. Etsi Molina infra ex simili facilè concederet, simul etiam omnia hæc individua videri, vt dicemus.

Assertio V. Singuli etiam Beati in Verbo vident totam Vniuersi machinam, saltem secundum rationem specificam, eiusque adeo compositionem & ordinem, omnesque species rerum, ex quibus constat, vel quæ in ipso factæ fuerint, in quacunque temporis differentia. Ita S. Thomas hîc quæst. 12. num. 8. ad 4 & lib. 3. contra gentes, cap. 59. Ferrariensis ibidem, Sotus in 4. d. 49. quæst. 3. art. 3. Gregorius de Valentia cit. quæst. 12. p. 6. Molina a. 8. d. 5. memb. 5. Suarez, & Thomistæ recentiores locis citatis. Idem sentit S. Augustinus supra dub. 8. citatus, asserens, ab Angelis cognitione intuitiua, adeoque in Verbo videri, omnia opera sex dierum. Ratio est; tum quia hanc cognitionem homo naturaliter appetit, & planè pertinet ad perfectionem hominis, vt rectè S. Thomas cit. art. 8. Tum quia hoc decet perfectionem eius status, etiamsi cognitio creaturarum, vt sic non pertineat ad rationem obiecti beatifici; nec etiam beatiorem reddat cognoscentem, vt iuxta communem notauit S. Thomas ibidem ad 4. ex S. Augustino lib. 5 Confess. cap. 4. vbi ait: *Infelix homo, qui scit omnia illa,* (scilicet creaturas,) *se autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiamsi illa nescit. Qui vero te, & illa nouit, non propter illa beatior est, sed propter te solum beatus.* 6

Addit S. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 60. Beatos singulos videre in Verbo infinitas species figurarum, numerorum, & proportionum; quæ in infinitum possunt multiplicari. Quod verum est de cognitione quasi implicita, sita in ipsa quantitatis tam continuæ, quam discretæ, ac capacitatis vtriusque intima penetratione: at de distincta cognitione infinitarum eiusmodi specierum videri potest dubium; non solum quia numerorum eiusmodi proportiones entia potius sunt rationis, quam realia: sed etiam quia beati non cognoscunt omnes omnino species rerum, sed eas solum, quæ aliquando existentiam habent, quales non sunt infinitæ illæ species numerorum.

Neque tamen interim negat S. Thomas hîc quæst. 12. artic. 8. ad 4. vt putauit Scotus in 3. distinct. 14. quæst. 2. aut vllo modo negandum est, beatos simul etiam individua vlla cognoscere; vt rectè etiam aduertit Molina cit. disput. 5. membr. 3. & patet apud S. Thomam alijs locis citatis; sed fatendum potius, beatos ex individuis simul visuros tot & tanta, quanta sufficiunt ad naturam specificam, eiusque varietatem perfectè cognoscendam, vt rectè Suarez à numero 12. quidquid aliqui simpliciter negent, videri individua in Verbo. Imò Molina disput. 5. membr. 8. dicit, Beatos videre etiam infinita individua eius speciei, quam in Verbo cognoscunt; quod tamen non satis probatur.

Assertio VI. Singuli etiam beati in Verbo formaliter vident omnia contingentia, pertinentia ad suum statum, quæ quidem ab initio visionis cuiusque existentiam habent, aut habuerunt: cætera contingentia futura, in quibus sunt etiam preces, quæ ad vnumquemque Sanctorum progressu temporis funduntur, probabilius existimo, à beatis singulis, nisi forte excellentia beatitudinis aliud postulet, in Verbo videri solum causaliter, ac per cognitionem à visione Verbi distinctam. 7

Prio-

Digitized by Google

Priorem partem ex communi tradunt S. Thomas in 2. 2. quæst. 83. art. 4. ad 2. & in 3. p. quæst. 10. art. 2. & in 4. d. 45. quæst. 3 art. 1. Ferrariensis lib. 3. cont. gent. c. 59. Gabriel lect. 31. in Canonem. Capreolus, Paludanus, Maior in 4. d. 45. Sotus d. 49. quæst. 3. art. 3. Gregorius de Valentia hîc quæst. 12. p. 6. Molina art. 8. disput. 5. memb. 3. Suarez lib. 2. cap. 28. num. 15. omnesque Thomistæ recentiores hîc quæst. 12. art. 8. Idem significat Concilium Senonense in decretis fidei, cap. 13. vbi dicitur; *Beatis peruium esse omniforme illud diuinitatis speculum; in quo quidquid eorum interfit, illucescat.* Et S Gregorius lib. 2. Moralium cap. 3. vbi ait: *Quid enim de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt?* Cui simile est illud 4. Dialog. cap. 33. *Quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia, sciunt?* Quod vulgo ita referri solet: *Quid est quod non videant, qui videntem omnia, vident?* Ratio est; quia hæc cognitio possibilis est, & maxime decet perfectionem status beati.

8 Secundam partem tradunt Durandus in 4. d. 45. quæst. 4. art. 2. Sotus cit. d. 49. quæst 3. art. 3. Caietanus 3. p. quæst. 10. art. 2. Bannes hîc quæst. 12. art. 10. cum alijs quibusdam Thomistis; etsi post S. Thomam in 2. 2. & in 4. locis citatis contrarium doceant Gabriel, Capreolus, Paludanus, Maior, Ferrariensis, Gregorius de Valentia locis cit. Molina d. 6. Suarez num. 18. & Caietanus in 2. 2. quæst. 83. art. 4. qui tamen postea, vt dictum, suam sententiam mutauit; quod & mihi quoque accidit. Licet enim quandoque oppositum docuerim, idque etiamnum probabile existimem; nunc tamen aliter sentio, ob rationes non parui momenti. Primò quia S. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 15. & Hieronymus lib. contra Vigilantium, vbi ex instituto de orationibus Sanctorum agunt, nunquam docent, eas videri à Beatis in Verbo, sed alios modos referunt: Augustinus quidem istos 1. relationem hominum, seu animarum ex hac vita decedentium. 2. relationem Angelorum. 3. peculiarem Dei reuelationem. S. Hieronymus vero quod animæ ipsæ *mira quadam celeritate naturæ præsto sint vbiq;* quod tamen non multum ad rem videtur facere, vt notauit Vasquez disput. 50. num. 58. Quod autem ex S. Gregorio lib. 12. Moralium, capit. 12. antea relatum, pro conditione subiectæ materiæ, intelligi potest de visione in Verbo causaliter.

9 Deinde si Sancti vident eiusmodi futura contingentia per visionem Verbi, aut vident statim ab initio visionis omnia; aut successiue alia, & alia; posterius asseritur quidem à Molina quæst. 12. art. 8. disput. 6. sed est aperte contra S. Thomam hîc quæst. 12. art. 10. & contra rationem; quia visio Verbi non est variabilis, vt antea dictum: prius etiam non est verosimile; tum quia nullus vnquam Sanctorum ab initio visionis vniuersim, ac in particulari, asseruit, beatos scire orationes futuras, quæ aliquando toto huius mundi decursu ad se essent effundendæ. Tum quia nec etiam est mens fidelium; quasi videlicet beati ipsorum orationes intelligant prius, quam fiant. Quidni enim alioquin putent ordinariè exaudiri etiam priusquam fiant, atque ita etiam tardent ad Deum suas preces in necessitate effundere? Tum quia Daniel. 10. vers. 13. Angelus ille præses regni Persarum, plane refertur ignorasse, quæ circa statum futurum regni Persarum sibi commissi Deus disposuerat. Alias enim resistere alteri Angelo non potuisset. Tum quia vt rectè dixit Molina, disput. 6. durum est admittere, S. Petrum, & alios summos Pontifices iam nunc conspicere (& ab initio visionis, tot iam annis antea præteritis conspexisse) totum decursum Ecclesiæ militantis. Hoc enim dato, quanam ratione negari potest, eos à principio suæ beatitudinis scire, quando futura sit dies Iudicij?

Deinde si beati nunc vident omnes preces ad se aliquando fundendas, videbunt etiam preces illas, quas ad ipsos fundent iusti, in igne extremæ conflagrationis positi: ac proinde cognoscent rursum, quando futura sit dies extremi Iudicij. Præterea durum est, inquit idem Molina, admittere, beatos præscire, qui Viatorum ex ijs, cum quibus etiam alioquin ratione status aliquam coniunctionem habent, sint prædestinati, & quibus auxilijs atque operibus perducendi sint in vitam æternam; aliaque similia videre, quæ ad decursum Ecclesiæ pertinent, & circa quæ decursu temporis Angeli inferiores illuminari solent à superioribus, qui tunc immediatè notitiam illorum accipiunt. Multo minus existimandum, Angelos omnes ab initio mundi sciuisse, quibus hominibus essent addendi Custodes; quidque circa singulos esset euenturum. Tum enim pariter etiam scirent diem Iudicij extremi. Denique facilius hac ratione explicatur, quomodo beatiores plura ex ijs, quæ sunt eminenter in Deo videant, quam alij.

Probabilius ergo videtur, beatos eiusmodi futura contingentia, adeoque & preces ad se fundendas non cognoscere per visionem beatificam, sed per proprias & speciales reuelationes Dei; supposita tamen visione Dei, iuxta legem diuinam, quasi debitas, vt dictum: etsi fatear, etiam oppositam sententiam videri posse probabilem; in qua consequenter nihilominus dicendum, beatos aut non scire ab initio visionis omnia, quæ ad suum statum pertinent, vt sentit Molina; aut non scire cum omnibus circumstantijs, à quibus particularis cognitio diei extremi iudicij dependet. Dixi tamen in assertione *nisi excellentia beatitudinis*, nimirum essentialis, *aliud postulet*; non est enim negandum, etiam de contingentibus futuris eo quemque beatum ab initio beatitudinis plura nosse, quo beatior est, vt dicetur assertione 7.

Nec improbabile est, beatos, si attendere velint, 10
posse etiam naturaliter cognoscere, quæ hic in terris exterius geruntur, vt rectè Suarez cit. cap. 28. num. 14. vbi etiam ita interpretatur illud S. Hieronymi contra Vigilantium, animas *mira celeritate posse esse vbiq;* videlicet per cognitionem; etsi id neget Durandus loco cit. Ratio est; quia distantia obiecti non impedit cognitionem, si principia cognoscendi adsint: adsunt autem, quia credibile est, animas sanctas habere species insitas omnium istarum rerum naturalium, sicut habent Angeli, maxime post statum beatitudinis; vt etiam supponere videtur S. Gregorius lib. 12. Moralium, cap. 12. vbi ait; *beatos ita Dei claritatem videre intus, vt quod*

Digitized by Google

extra est, non ignorent foris: etsi hoc fortasse olim in sinu Abrahæ non habebant animæ sanctæ, iuxta S. Augustinum loco citat. & colligi potest ex quibusdam testimonijs veteris testamenti apud eundem, vt rectè Suarez ibidem. Atque in eundem sensum etiam videtur loqui S. Thomas 1. p. quæst. 89. artic. 8. vbi agens de cognitione naturali animarum, distinguit cum S. Gregorio inter animas beatas, & alias. Excipi debent cogitationes cordis, quas nulla ratione sibi manifestatas, nec Angeli, nec Sancti naturaliter & per se cognoscunt.

11 Assertio VII. Quantum ad cætera, diuersa ab ijs, quæ vel à beatis omnibus in commune, vel ab vnoquoque pro conditione status, particulatim cognoscuntur in Verbo, vt dictum, seu sint illa entia possibilia tantum, seu contingentia etiam futura, eò plura quisque cognoscet in Verbo, ex vi visionis, quò est beatior; quoque adeo perfectius & intensius videt Deum. Ita S. Thomas hîc quæst. 12. art. 8. & 3. p. quæst. 10. art. 2. & de veritate quæst. 8. art. 12. alijque citati omnes, ex communi. Ratio est: tum quia cæteris paribus, conuenit, sanctiores etiam hoc accidentali præmio reliquis antecellere: tum quia per se loquendo, quò melius penetratur causa, eò plures in ipsa causa cognoscuntur effectus; id quod tamen iuxta dicta superius dub. 9. intelligendum; vt nimirum non ex ipsa intensione visionis immediatè sequatur ea extensio visionis ad obiecta creata, sed ex ipsa perfectione indiuiduali visionis & luminis. In specie verò talia sunt, tum naturæ, & res variæ possibiles; tum etiam multa indiuidua rerum præsentium, præteritarum, ac futurarum; vt expressè S. Thomas de verit. l. cit. etsi de cogitationibus cordis, & complexionibus contingentibus negare videatur Molina q. 12. a. 8. disp. 5. memb. 6.

Assertio VIII. Beati omnia, quæ vident per visionem beatificam, vident simul, & ab initio visionis. Ita S. Thomas hîc quæst. 12. art. 10. & quæst. 10. art. 5. ad 1. & 2. 2. quæst. 83. art. 4. ad 2. & 3. p. quæst. 10. art. 2. & in 4 distinct. 45 quæst. 3. art. 1. & quæst. 8. de verit. art. 12. vbi simul dicit, respectu illius visionis perinde esse, quod res sit facta, vel futura. Idem docent Capreolus, & Paludanus eadem d. 45. Caietanus, Zumel, Bannes, alijque Thomistæ hîc quæst. 12. artic. 10. item Gregorius de Valentia punct. 6. Suarez lib. 2. de Deo, cap. 27. etsi contrarium doceant Bonauentura in 3. d. 14. art. 2. quæst. 3. Scotus eadem distinct. quæst. 2. Marsilius in 3. quæst. 10. artic. 2. & ex Thomistis, Ferrariensis 3. contra gentes, cap. 59. qui docent, futura contingentia, tum primum à Beatis in Verbo cognosci, cum fiunt; quod etiam de contingentibus, quæ ad vniuscuiusque statum pertinent, sentit Molina q. 12. art. 8. d. 6.

Probatur assertio primò, ex S. Augustino, qui ita apertè videtur sentire, tum alibi, tum lib. 15. de Trinitate, cap. 16. licet quasi sub dubio: *Fortassis*, inquit, *volubiles non erunt cogitationes nostræ*, vt superius citauimus assert. 3. Secundo probatur ratione. Tum quia omnia illa videntur, non per diuersas species, sed per eandem Dei essentiam, sufficientissimam ad omnia simul repræsentanda, quæ est ratio S. Thomæ hîc quæst. 12. artic. 10. Tum quia si per visionem successiuè alia viderentur, aut fieret hoc per visionem in se interim penitus immutatam; aut fieret interueniente aliqua mutatione visionis: neutrum dici potest: non primum, licet asseratur à Ferrariensi loco citat. quia impossibile est, per eandem visionem vndique immutatam aliquid videri, quod antea non videbatur, vt dictum dub. 9. assertione 8. Nec secundum; quia id non decet perfectionem visionis beatificæ. Neque in contrarium sunt argumenta alicuius momenti. Vbicunque ergo S. Thomas docet, Angelis, & animabus aliquid de nouo reuelari, id de reuelationibus extra Verbum accipiendum est; præterquam quod aliquando etiam de naturali solum cognitione agit, vt 1. p. quæst. 89. artic. 8. de quo etiam loquitur hic, quæst. 12. artic. 10. ad 2.

Ex quibus denique etiam colligitur, quidnam cognoscant beati per peculiares reuelationes. Talia enim sunt pleraque contingentia futura; & in ijs etiam preces aliquando ad ipsos effundendæ, item modi quidam particulares rerum, quæ ad beatitudinem accidentalem beatorum pertinentia, ab ijs successiuè cognoscuntur, vt rectè Bannes cit. a 10. & ex parte Suarez lib. 2. c. 27. num. 18.

DVBIVM XI.

Vtrum per absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri possit Deus non visa vlla creatura.

Ad S. Thom. 1. p. q. 12. a. 8.

DE hac re sunt quinque Doctorum sententiæ. 1
Prima est, necessariò videri in Deo omnes creaturas secundum Esse possibile; cum vt sic necessariò repræsententur per essentiam diuinam; non item Esse actuale. Ita Bassolis quæstione quarta, prolog. articulo tertio. Goffredus quodlib. 6. quæst. 3.

Secunda sententia est, quam refert S. Thomas quæst. 20. de veritate, artic. 4. & Durandus in 3. distinct. 14. quæst. 2. omnes beatos videntes Deum necessariò videre omnia, quæ aliquando fuerunt, vel futura sunt, quæque adeo Deus scit, scientia visionis.

Tertia sententia docet essentiam quidem diuinam, vt essentia absoluta est, posse videri sine omni creatura, etiam in communi: at verò eandem, vt Idea est creaturarum, non posse videri, quin simul videantur creaturæ possibiles, quà tales. Ita Henricus quodlib. q. 4. & 5.

Quarta sententia est, Creaturas saltem in genere, & sub conceptu communi entis creabilis, vel possibilis, necessariò videri à videntibus diuinam essentiam; quandoquidem quædam perfectiones sunt formaliter in Deo, quæ non videntur posse concipi sine habitudine ad creaturas, saltem in genere: quales sunt, non solum ratio Ideæ, vt existimâsse videtur Henricus, sed etiam Omnipo-

tentia,

tentia, omniscientia, omnipræsentia, &c. item decreta de his aut illis rebus faciendis. Ita sentiunt Molina hîc quæst 12. art. 8. disp. 3. in fin. & disput. 5. memb. 1. item Suarez (rem tamen incertam, & dubiam asserens) lib. 2. de Deo cap. 26. num. 13. & 14. vbi citat etiam Capreolum in 4. dist 49. quæst. 5. art. 3. Sotum ibidem q. 3. a. 3. & modernos Thomistas, in quibus est Zumel hîc q. 12. a. 8. & ex parte Bannes infra.

Quinta sententia est, nullam creaturam etiam in communi necessariò (saltem de absoluta Dei potentia) videri, ex vi visionis essentiæ diuinæ. Ita præter Nominales, & alios, qui absolutè negant creaturas videri in Verbo, per visionem beatificam relatos dub. 8. (in quibus Vasquez disput. 50. cap. 6.) sentiunt Henricus loco citat. & Durandus in 3. d. 14. quæst. 2. & in 4. d. 49. quæst. 3. qui docet, ex natura quidem ipsius visionis necessariò sequi visionem omnium creaturarum possibilium, quà possibiles sunt, tamen de absoluta Dei potentiâ posse hanc visionem impediri, ita vt nulla videatur creatura. Eandem quintam sententiam teste Vasquio citat disput. 50. num. 6. sequuntur recentiores quidam, etiam ex ijs, qui alioqui concedunt, in Verbo formaliter videri creaturas. In quibus etiam videtur esse Bannes hîc quæst. 12. artic. 8. dub. vnic. vbi hanc ponit quintam conclusionem: *Per absolutam DEI potentiam fieri posse, vt aliquis beatus clarè intueatur diuinam essentiam, & tamen nullam in ipsa creaturam cognoscat*: quam dicit esse communiter receptam, fere ab omnibus discipulis S. Thomæ. Et quamuis inferius addat, hoc intelligendum de cognitione particulari & distincta creaturarum, cum in communi necessarium sit, cognoscere omnes creaturas possibiles, iuxta quartam sententiam; tamen hoc solum intelligere videtur ex suppositione, posito videlicet, quod eiusmodi attributa dicentia ordinem ad Creaturas, sub ea formali ratione cognoscantur. Inferius enim respons. ad 2. ait, non esse necesse illa Dei attributa formalia, quæ intrinsecè (iuxta nostrum modum concipiendi) important actualem respectum ad creaturas, vt est v. g. ratio Ideæ, cognosci visâ diuinâ essentiâ, vt proinde planè cum Henrico consentire videatur.

3 Assertio I. Visâ diuinâ essentiâ, non necessariò cognoscuntur creaturæ omnes, nec possibiles, quà tales, nec aliquando existentes. Ita contra primam & secundam sententiam communis & certa Theologorum, vt dictum dub. præcedent. assert. 1. & 2. vbi vtramque illam refutauimus, & simul notauimus, secundam illam sententiam esse periculosam in fide. Ratio à priori patebit inferius assert. 2. Nec verò maior ratio est, cur essentia diuina repræsentet necessariò creaturas secundum Esse possibile, quam facta semel suppositione determinationis diuinæ, repræsentet easdem secundum Esse actualis existentiæ: si ergo etiam facta hac suppositione, non necessariò repræsentantur creaturæ omnes secundum Esse actuale; etiam non necessariò repræsentabuntur omnes secundum Esse possibile.

Assertio II. Probabilius videtur, secundum absolutam Dei potentiam, videri posse essentiam diuinam, non visâ vllâ creaturâ etiam in communi. Ita sentio cum authoribus quintæ sententiæ. Probatur. Primò, quia Essentia diuina & ea, quæ in ea formaliter insunt, nullum planè ordinem seu relationem realem habent ad Creaturas, iuxta communem Doctorum sententiam; sed sunt res quædam absolutissima ab omni respectu reali; Ergo cognoscens Essentiam, & ea quæ in ea sunt, vti sunt à parte rei, quod fit per visionem beatificam, non necessariò cognoscit illam habitudinem ad creaturas, & per consequens nec creaturas.

Secundo iam supra quæst. 2. dub. 4. & hac quæst. dub. 7. dictum est, videri quidem omnia, quæ sunt formaliter in Deo, prout in ipso sunt; sed nec ipsos beatos distinguere attributa, & perfectiones diuinas ratione, prout nos distinguimus; nec necessariò videre, vt distincta per habitudinem, ad nostrum modum intelligendi, & rationem; atqui respectus ille ad creaturas tantum conuenit illis, per modum nostrum intelligendi, & rationem: ergo nulla ratio est, cur dicamus ab ipsis necessariò cognosci creaturas, ad quas secundum nostrum modum concipiendi, diuina quædam attributa necessarium dicunt respectum rationis. 4

Tertio, Essentia diuina non minus necessariam dicit habitudinem rationis ad creaturas secundum existentiam actualem, easque etiam in specie, ac indiuiduo acceptas, præsertim sub ratione gubernantis, conseruantis, aut scientis scientiâ visionis, &c. quam ad possibiles & in genere acceptas: sed non obstante illa habitudine, potest videri essentia, non cognita vlla creatura, vt actualiter existente, vel etiam in specie, vt rectè agnoscit quarta sententia: non est enim ratio, cur hæc potius, quam illa, aut cur non omnes ita necessariò cognoscantur. Ergo, &c. Denique lux solis de facto videtur visione corporali & intuitiua, & tamen nulla creatura seu effectus in ea virtualiter contentus videtur, non solum sub ratione particulari, sed nec generali.

Assertio III. Secundum absolutam Dei potentiam, videri potest diuina essentia, non viso etiam vllo eius consilio, seu decreto libero, qua formaliter tale est. Ita præter authores relatos pro assertione præcedenti, docet etiam Suarez lib. 2. capit. 34. num. 4. Probatur. Quia est eadem ratio singulorum, quæ omnium; cum nullum ex ijs formaliter cognosci possit, non cognito obiecto; nec vllum ex ijs quicquam superaddat diuinæ essentiæ, nisi respectum rationis ad obiecta, quem non est necesse videri viso Deo, vt dictum. 5

Nec obstat his ratio quartæ sententiæ: quia omnipotentia, & similia attributa, non dicunt intrinsecum ordinem ad creaturas, vt sunt à parte rei, sed solum secundum rationem, & nostrum modum concipiendi: Etsi ergo cognoscantur vt sunt formaliter in Deo, & secundum totum illud Esse, quod habent in Deo, tamen cum à parte rei nullam habeant relationem ad creaturas, non necessariò cognoscuntur relatè ad creaturas: esto cognoscantur sub ratione infinitæ cuiusdam potentiæ actiuæ, vel virtutis, &c. Quare etiam necesse non est, omnipotentiam à beatis visione beatifica-

Digitized by Google

cognosci formaliter, prout à nobis significatur nomine omnipotentiæ, aut sub eo conceptu, quem de ipsa formamus; & sic de alijs. In quem sensum etiam Bannes art. 8. dub. vn. ad 2. ait, *non esse necesse quod illa Dei attributa formalia, quæ intrinsecè iuxta nostrum modum concipiendi important actualem respectum ad creaturas, vt est v.g. ratio Ideæ, cognoscantur visâ diuina Essentia*: intellige sub ea formali ratione, quam iuxta nostrum concipiendi modum habent.

6 Dices. Aut secundum eam ipsam formalem rationem, qua à nobis concipiuntur, sunt in Deo formaliter, aut non: si non sunt; cum tamen esse nos concipiamus, falsæ erunt conceptiones nostræ: si sunt; ergo ita etiam necessariò à beatis concipi debent; à quibus proinde etiam non sine respectu ad creaturas concipi vllo modo poterunt.

Respondeo, non esse adæquatè secundum omnem rationem formaliter in Deo; quia dicunt etiam respectum rationis, qui vtique in Deo formaliter non est: neque tamen propterea falsa est conceptio nostra; quia etsi concipiendo illa attributa necessariò formemus & concipiamus illum respectum rationis, non tamen conceptione nostra respectum illum Deo ita attribuimus, vt in Deo formaliter esse concipiamus, vtpote quem extrinsecè solum ei applicamus. Nec aliud inde demum efficitur, quam nos non habere proprios & adæquatos conceptus essentiæ, & attributorum diuinorum; quod verissimum est, & à sanctis Patribus sæpius decantatum; qui propterea sæpius dicunt, Deum à nobis cognosci & enuntiari verius negando, quam affirmando, vt dictum quæst hac. dub. 1. & magis patebit quæst. seq.

DVBIVM XII.

Vtrum secundum absolutam Dei potentiam ab intellectu creato videri possint omnia, quæ in Deo sunt eminenter.

S. Thom. 1. p. q. 12. a. 7.

1 HAc de re sunt quatuor sententiæ. Prima vniuersim negat, ab intellectu creato distinctè videri posse omnia, quæ sunt in Deo eminenter, siue sermo sit de cognitione extra Verbum, siue de cognitione in Verbo. Ita Ockam in 3. d. 14. quem sequuntur alij Nominales ibidem. Idem videtur sentire S. Thomas hîc quæst. 12. art. 2. & 8. item Caietanus, Bannes, Zumel ibidem, Molina art. 8. disput. 2. Huc etiam spectant Scotus, Bonauentura, Marsilius, & Varro citati dub. 10. in 4. sententiar. qui negant, posse vllo modo à creato intellectu simul infinita cognosci.

Secunda sententia negat, posse videri ex vi visionis in Verbo; alio verò cognitionis modo concedit. Ita Suarez lib. 2. de Deo c. 29. num. 8. Vasquez disp. 49. cap. 2. & disp. 53. num. 17.

2 Tertia sententia ad propositum distinguit triplicem cognitionem creaturarum omnium, siue omnium, quæ insunt in Deo eminenter. Primam vocat cognitionem creaturarum in Verbo *extensiuam tantum*; quæ videlicet non oritur ex vi Causæ, intensiùs & clarius penetratæ; sed absolutè habetur per extensionem visionis ad omnes creaturas possibiles. Secundam vocat cognitionem creaturarum in eodem Verbo *intensiuam*, quam etiam peculiariter vocat *ex vi visionis Verbi*; quæ nimirum fit per maiorem penetrationem Dei, tanquam Causæ. Tertiam constituit adeò perfectam, vt per eam non solum cognoscantur perfectiones intrinsecæ creaturarum, sed etiam distinctè omnes rationes, ac modi possibiles earum, seu quos Deus potest facere in ipsis. Primam & secundam concedit esse possibilem secundum potentiam absolutam; esto requiratur ad eas lumen creatum infinitum, seu quoad extensionem, seu intensionem. Non enim putat implicare contradictionem tale infinitum, in quo partes non sint actualiter separatæ, seu actu vna extra aliam, & ab alia diuisa; quanquam ad primam illam cognitionem reipsa putat sufficere lumen & cognitionem finitam, etiam simplicem, & cuiusuis minimæ intensionis, æquiualentem infinitis gradibus extensionis. Tertium verò Cognitionis modum in creato intellectu, simpliciter docet implicare contradictionem, quod ad eum requiratur increata perfectio. Ita docet Albertinus tom. 1. princip. 1. corollar. 4. p. 9. 10. & 11. & corollar. 5. punct. 1. & 3.

Quarta sententia simpliciter affirmat, de potentia Dei absoluta videri posse à creato intellectu omnes creaturas possibiles, seu in Verbo, seu extra Verbum. Ita præter Arnaldum relatum dub. 10. sentiunt apud Durandum in 4. d. 49. quæst. 3. & Bonauenturam in 3. d. 14. artic. 2. quæst. 3. illi, qui id de facto tribuerunt, aut omnibus beatis, aut saltem animæ Christi; quibus nonnihil fauet Gabriel in 3. d. 14. quæst. vnic. art. 2. concl. 1. & referuntur etiam à Suario in 3. p. tom. 1. d. 26. sect. 3. in eandem sententiam Magister & Albertus in 3. d. 14. & Altisiodorensis lib. 3. sum. tract. 1. quæst. 5. Gregorius autem de Valentia hîc quæst. 12. p. 6. licet illam auctorum sententiam, quatenus de facto loquitur, censeat esse temerariam; tamen loquendo solum de absoluta Dei potentia, non est alienus ab ea sententia, quæ concedit id posse fieri. Et fateor quidem cum Bannehîc quæst. 12. art. 8. Suario cit. 3. p. d. 26. sect. 2. & Albertino loco cit. hoc sensu esse rem parum certam; dicam tamen quod mihi probabilius videtur.

Assertio I. Per visionem extra Verbum non possunt creaturæ omnes possibiles simul cognosci. Ita auctores primæ sententiæ, contra secundam, tertiam, & quartam sententiam. Probatur. Quia aut visio hæc fieret per lumen & visionem infinitè extensam, aut intensam, vel per lumen, & visionem altioris ordinis, quam sit modo lumen gloriæ, & visio beatifica: sed nihil horum potest dici. Non primum, vel secundum; quia infinitum actu non minus implicat in graduali extensione, vel intensione qualitatis, quoad partes non communicantes, quam in quantitate, vel numero, vt dictum supra quæst. 4. & supponit S. Thomas hîc quæst. 12. art. 7. & passim alibi.

Nec tertium: quia omnium sententiâ lumen glo-

riæ &

riæ & visio beatifica, est altissimi ordinis specifici, ob rationem suam, & obiectum formale eminentissimum. Quod si videri possent distinctè omnes perfectiones intrinsecæ creaturarum possibiles; nihil obstaret, quo minus distinctè videri possent omnes etiam rationes ac modi possibiles earundem; seu quas Deus facere potest in ipsis; quicquid tertia sententia dixerit: non solum quia illi ipsi modi possibiles pertinent ad censum, seu numerum creaturarum omnium possibilium: ita quidem vt etsi respectu aliarum creaturarum v. g. substantiarum, sint perfectiones extrinsecæ, in se ipsis tamen intrinsecè, sint perfectiones quædam creatæ; sed etiam quia si ad ipsam infinitatem naturarum possibilium sufficit lumen & cognitio creata, est o infinita secundum extensionem vel intensionem, qualem esse possibilem sententia illa fatetur; cur non sufficiet, ad illos etiam modos possibiles alia adhuc perfectior saltem secundum individuam rationem.

Assertio II. Probabilius videtur etiam implicare contradictionem, omnium creaturarum, seu existentium, seu possibilium visionem in ipso Deo seu Verbo. Hæc est aperta, & indubitata sententia S. Thomæ hic q. 12. a. 8. & communis aliorum, quos citauimus pro prima & secunda sententia, contra tertiam & quartam sententiam. Rationem quasi a priori adfert S. Thomas; quia ad hoc vt omnes effectus cognoscantur in causa, necesse est causam ipsam totaliter cõprehendere; adeoq; cognoscere tã perfecta cognitione, quam ipsa est ex se cognoscibilis: siquidem eo plura cognoscuntur in causa, quo causa perfectius cognoscitur, & è contrario: Ergo etiam ad hoc, vt omnes effectus, qui in Deo eminenter continentur, cognoscantur, necesse est, Deum comprehẽdere: at hoc est impossibile creato intellectui; requireretur enim lumen & visio infinita, vt probatum est dub 6. Ergo etiam impossibile est ipsi, omnes effectus, seu creaturas possibiles, quæ in Deo eminenter continentur, cognoscere.

Et sanè firmum hoc esset argumentum; si vel incomprehensibilitas Dei in eo consisteret, quod non possint omnia cognosci ab intellectu creato, quæ sunt in Deo eminenter; vel si creaturæ in Deo cognosci non possent, nisi vel per extensionem, vel intensionem formalem & intrinsecam ipsius visionis & luminis. At quia nos supra dub. 9. docuimus, neutrum esse necessarium, ideo Albertinus loc. cit. & alij quidam simpliciter asserunt, id argumentum non concludere. 6

Ego verò existimo, ita rectè posse confirmari. Nam si aliqua visio Dei creata, non comprehensiua ad hoc sufficeret; ea vel deberet esse infinita secundum intensionem, vel extensionem, vt fatetur Albertinus; aut finita altioris ordinis, & diuersæ speciei, vel saltem summè perfecta, iuxta eam rationem & perfectionem individuam, ex qua oritur extensio visionis Dei ad obiecta creata: sed nihil horum est possibile; vt de prioribus tribus partibus iam antea dictum; de quarta probatur. Tum quia per se incredibile videtur, visionem & lumen tam immensæ perfectionis solo numero differre à reliquis. Tum quia, qualibet data visione, potest dari perfectior individualiter, etiam secluſa eius intensione vel extensione; alioqui exhausta esset quodammodo potentia Dei, in hoc ordine rerum. Tum quia perfectio hæc individualis imitatur extensionem gradualem, qualis nulla suprema possibilis dari potest; Ergo nulla visio ad id sufficit, nisi increata & comprehensiua; quæ solius Dei propria est Ratio à posteriori est; quia si talis visio esset possibilis, tũ reipsa fuisset communicata Christo; nulla enim erat causa, cur ei negaretur, si possibilis est, vt rectè Suarez 3. p. loc. cit.

QVÆSTIO VII.

De Ineffabilitate, ac Nominibus Dei.

S. Thomas 1. p. q. 13. aa. 12.

ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. An & qua ratione Deus sit ineffabilis; & quænam sit diuinorum nominum distributio & varietas. II. An & quænam nomina de Deo dicantur substantialiter, & ab æterno, vel ex tempore. III. An communia Deo & creaturis nomina, de vtriusque vniuocè, an solum æquiuocè vel analogicè prædicentur. IV. An & Deus possit aliquo nomine significari quidditatiuè. V. Quodnam nomen sit maximè proprium Dei, cæterisque præstantius; & vtrum nomen Dei Tetragrammaton idem sit cum Dei nomine, Qui est. 1

DVBIVM I.

An, & qua ratione Deus sit ineffabilis; & quænam sit diuinorum nominũ distributio & varietas.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 1. 3. 4. 11.

QVemadmodum Incomprehensibilitatem præcedenti quæstione diximus constituere proprium ac peculiare Dei attributum; ita hoc idem pariter etiam sentiendum est de Ineffabilitate, quæ incomprehẽsibilitatem sequitur; sicut nomina rerum conceptib⁹ ac notitia earundem sunt posteriora. Ad hanc ineffabilitatem Dei explicandam, & vt vniuersim cognoscatur, qua ratione Deus nominari possit, aut non possit, sequentes statuo assertiones.

Assertio I. Deus verè est aliquo modo nobis, omnique creaturæ ineffabilis. Ita S. Thomas, q. 13.

Digitized by Google

2 a, 1. ad 1. & consentiunt omnes Theologi; & est de fide ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate & fide Cathol. vbi dicitur, *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, Omnipotens & ineffabilis.* Idem indicat Scriptura sacra, Gen. 32. v. 29. *Cur quæris nomen meum?* & Iud 13. v. 18. *Cur quæris nomen meum quod est mirabile?* scilicet vtroque loco suum Deus nomen homini abscondit, vt significaret, se ab eo perfecte vndiquaque nominari non posse. Vnde Prouerb. 30. v. 4. *Quod nomen est eius, quod nomen filij eius, si nosti?*

3 Idem docent veteres Theologi. Celebre est illud Hermetis Trismegisti ac Platonis dictum apud Cyrillum Alexandrinum lib. 1. contra Iulianum, & Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Theolog. *Deum intelligere quidem difficile esse, loqui autem impossibile.* Et Prosper in lib. sent. ex Augustino sent. 61. *Verius*, inquit, *cogitatur Deus, quam dicitur; & verius est, quam cogitatur.* & Augustinus ipse in Psal. 85. *Quæris quid sit Deus? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit. Quid quæris, vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?* Vnde etiam sumitur ratio assertionis. Cum enim Deus sit vero aliquo modo intellectui creato incomprehensibilis, multo magis etiam creaturæ cuilibet ineffabilis erit. Neque enim aliquid dici aut explicari magis potest, quam cognosci; cum dictio supponat cognitionem.

3 Assertio II. Deus non ita est, aut dicitur ineffabilis, vt nominari à nobis nullo modo possit; vel vt nec à beatis quidem ipsis mutuo quidditatiuè aliquo nomine significari possit: sed tum quia à nulla creatura vi & cognitione naturali potest quidditatiuè significari; tum quia nullo modo potest ab vlla creatura comprehensiue significari; saltem nomine ab ipsa creatura imposito. Priorem partem tradit S. Thomas hic quæst. 13. art. 1. & est extra controuersiam ex Scriptura, & SS. Patribus: non solum quia alias homines frustra de Deo loquerentur; imo nec omnino quicquam loquerentur; sed etiam quia frequenter nomina Dei ab ijsdem explicantur. Exod. 3. v. 14. *Ego sum, qui sum.* Exod 6. v. 3. *Nomen meum Adonai, non manifestaui eis.* Exod 15. v. 3. 1 *Omnipotens nomen eius:* quo vtroque loco in Hebræo est nomẽ Dei Tetragramaton *Iehoua.* Exod. 34. v. 14. *Dominus Zelotes nomen eius.* Iudith. 9. v. 10. *Dominus est nomen tibi.* Hierem. 10. v. 16. *Dominus exercituum nomen illi.*

Sed & Dyonisius ex instituto proprium scripsit librum de diuinis nominibus: quod argumentum tractant etiam Clemens Alexandrinus lib. 5. strom. Cyrillus Hierosol. Catech. 6. Greg. Nazian. orat 2. & 4. de Theolog. Hieronymus tom. 3. lib. de locis & nominibus hebraicis Scripturæ sacræ, & Damascenus lib. 1. c. 13. & 19 fid. orth. optimè S. Augustinus lib. 1. doct. Christ. c. 6. *Ne ineffabile quidem* (omni modo) *dicendus est Deus: quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur; & fit nescio quæ pugna verborum. Quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest: quæ pugna silentio cauenda potius, quam voce pacanda est.* Ex quibus etiam sumitur ratio eiusdem partis.

Secunda pars est itidem communis ex mente Theologorum. Ratio est. Quia significare aliquid alicui nomine aliquo, est notitiam alicuius rei, siue conceptus nostri, nominis alicuius expressione alteri ingenerare, siue repræsentare: cum ergo beati quidditatiuè Deum cognoscant, vt dictum quæst. præced. possunt etiam ipsi sibi mutuo quidditatiuam Dei cognitionem nominis alicuius expressione repræsentare: ac proinde Deus non ita est ineffabilis, vt nec ipsi quidem beati sibi inuicem Deum aliquo nomine quidditatiuè repræsentare possint. 4

Tertia & quarta pars itidem communis, colligitur ex dictis quæst. præced. dub. 3. & 6. vbi probauimus, Deũ à creatura nec naturali vi quidditatiue; nec vlla omnino vi comprehensiuè vndiquaque cognosci posse. Cum ergo Deus à creatura non magis aut facilius nominari & significari possit, quam cognosci, sequitur etiam non posse ita vllo nomine à creatura significari quidditatiuè, aut comprehensiuè, modo explicato.

Dixi tamen, *nomine ab ipsa creatura imposito;* quia non desunt auctores, quos dub. 4. referemus, qui nominis significationem metiendam rati, solum ex eo, qui nomen imponit vel vsurpat, dicunt Deum solum sibi posse nomen imponere, eum comprehensiuè significans, quibuscunque demum ipse loquatur; quod suo modo etiam sequi videtur ex eorum sententia, qui docent, significationem nominis metiendam ex conceptione & notitia audientis; cum enim Deus se ipsum vtique comprehensiuè cognoscat; quidni saltem ipsi Deo, siue à nobis, siue ab Angelis loquentibus significari aliquo nomine Deus comprehensiue possit? Sed quamuis disputatio hæc modum loquendi potius, quam rem ipsam concernat, neutrum tamen probatur; tum quia fundamentum vtriusque sententiæ minus probabile esse inferius cit. dub. 4. dicemus; tum quia Deo ipsi, qui renes & corda intuetur, cuique adeo conceptus nostri per voces ac nomina innotescere nullo modo possunt, propriè nihil vllo nomine significatur, vt rectè Vasquez hic disp. 57. n. 23 Quo fit, vt nullum planè sit nomen, quo Deus comprehensiuè, siue ipsi Deo, siue alijs possit significari. 5

Assertio III. Nomina seu prædicata, quæ Deo tribuuntur, non sunt omnia synonyma. Ita S. Thomas hic art. 4. & communis omnium Doctorum. Nec est vlla difficultas de ijs nominibus, quæ solum negationem in Deo, vel habitudinem diuersam ad res creatas significant, vt optimè etiam notauit S. Thomas; quando constat horum nominum significata planè esse diuersa; sed de ijs solum, quæ aliquid in ipso Deo positiuum, seu quæ ipsam Dei substantiam & entitatem, sub quacunque demum ratione significant: de quibus tamen ipsis probatur assertio, tum ex Scriptura, in qua sæpe plura nomina coniunctim Deo tribuuntur; vt Ierem. 32. v. 18. *Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi:* quod tamen absque negatione fieri non posset, si nomina eiusmodi essẽt synonyma, vt rectè S. Thomas in argum. *Sed contra.* Tum quia synonyma sunt, quæ significant idem secundum eandem rationem; atqui nomina, quæ Deo tribuuntur, ipsamque Dei substantiam siue entitatem significant, rem quidem eandem significant, sed non sub eadem ratione; sed 6

sub

sub eadē ratione; sed sub diuersis cōceptib⁹ formalib⁹, quos per analogiā ad res creatas de Deo formam⁹.

7 Assertio IV. Nominū seu prædicatorum, quæ Deo verè tribuuntur, varia est ratio & distributio. Ita ex communi S. Thomas hac quæst. maximè a. 2. 3. 7. 8. Nos rem totam breuiter hoc modo explicamus. Primò enim, vt notauit S. Thomas a. 3. quædam dicuntur de Deo solum figuratè, ac per metaphoram, seu impropriè; de quibus S. Dionysius lib. de mystica Theologia, & Damascenus lib. 1. fid orthod. qualia sunt, quæ in significato, & conceptu suo formali inuoluunt perfectionem entis materialis, aut finiti; vt est *oculus, manus*, &c. intellige, quando hæc Deo tribuuntur secundum ipsam naturam diuinam. Verbo enim Incarnato hæc, & similia alia propriè tribui non est dubium. Alia de eodem propriè dicuntur, vt Ens, substantia, viuens, intelligens, sapientia, bonitas, &c. quæ nimirum in suo conceptu formali nullam inuoluunt imperfectionem, vt rectè S. Thomas ibidem: esto quidem illa prout de creaturis dicuntur, secundum suum significatum materiale imperfectionem entis creati materialis, aut finiti inuoluant: quicquid etiam sit de modo significandi in concreto, vel abstracto; qua ratione etiam omnia nomina, inter nos Viatores consueta, quandam imperfectionem inuuoluunt; cum eorum altero quædam compositio; hoc verò quædam imperfectio in modo subsistendi connotari videatur.

Ad quæ, vt notauit S. Thomas hic cit. a. 3. respicientes aliquando SS. Patres, speciatim vero S. Dionysius c. 5. de mystica Theolog. Basilius lib. 5. cont. Eunom. c. 13. Augustinus lib. 5 de Trin. c. 10 & Boetius l. de Trin. circa med. negant, quicquā de Deo propriè prædicari, saltem affirmatiuè; sed omnia aiunt prædicari *impropriè*; nimirum secundum quid; cum tamen interim simpliciter verè & propriè quædam de Deo prædicentur; simpliciter enim propriè de aliquo dicitur nomē, ex re formaliter significata, non ex modo significandi, aut materiali significato, vt rectè declarat Suarez lib. 1. c. 9. n. 10. ex mente & doctrina S. Thomę, cit. art. 3 ad 1. & 3. Ad quem modum etiam intelligenda est eiusdem doctrina eodem art. 3. dum quasi cum distinctione solum de hac re loquens ait: *In nominibus, quæ Deo attribuimus, duo considerari posse, nimirum perfectiones ipsas significatas, & modum significandi; & quantū ad primū, propriè cōpetere Deo, & magis propriè, quā ipsis creaturis; & per prius dici de eo; quātum verò ad modum significandi, non propriè dici de Deo.*

8 Addit Vasquez hic art. 3. n 32. beatis nullum nomen significare Deū metaphoricè vllo modo: quod non placet; non solum quia significatio nominum, non pendet ex sola cognitione & conditione audientis, sed etiam loquentis, vt dub. 4. dicetur; verum etiam quia quædam nomina, à quocunque & cuicunq; dicantur, non possunt non metaphoricè, aut figuratè Deum significare; vt quando Deus dicitur pœnitens facti; aut cum eidem tribuuntur manus, pedes, &c. aut cum Christus dicitur leo, petra, &c. Nisi ergo negemus beatis, Deum his nominibus ullo modo posse à nobis significari, non est negandum, posse illis Deum significari à nobis etiam impropriè, maximè secundum cognitionem, quam extra Verbum habent.

Illud potius hoc loco notandum, quando nomen aliquod certæ alicuius speciei Deo solum metaphoricè tribuitur, non continuo etiam eidem tribui posse, nec per metaphoram quidem, nomen generis sub alterni. Vocatur enim V. G. Christus metaphoricè *leo*; & tamen *brutum*, nec metaphoricè quidem, rectè diceretur. Cuius ratio est, quia similitudo cum Christo intercedit leoni, secundum rationem specificam; non genericam illam: quod hac in re imprimis considerandum.

Secundò, omissis improprijs nominibus Dei, ea, quæ propriè de Deo prædicantur, alia sunt negatiua, vt Deus non est lapis, ferrum, brutum, &c. seu est non lapis, non ferrum, non brutum, &c. alia affirmatiua, vt Deus est bonus, sapiens, &c. Illa quidem nobis apertius ac magis propriè; hæc vero secundum se ac simpliciter penitius ac perfectius Esse diuinum delarant. In his enim semper aliqua est in prædicando improprietas, saltem ex modo prædicandi, vt dictum; in illis nulla. Qua de causa etiam S. Dionysius myst. Theolog. c. 1. & 2. cæleſt. hierarch. S. Augustinus tract. 23. in Ioan. & in Psal. 85. & Damascenus lib. 1. fid. orth. c. 4. & 12. propositiones negatiuas de Deo simpliciter veras esse pronuntiant; istas non item: quod iuxta dicta in prima diuisione accipiendum.

Neque enim alias negari potest, veras propositiones affirmatiuas posse de Deo formari, vt ex instituto docet & probat S. Thomas hic q. 13. art. 12. Quia ad veritatem eiusmodi propositionum plus non requiritur, quam vt prædicatum & subiectum significent, vel sint idem secundum rem aliquo modo, & diuersum secundum rationem; quod in Deo locum habere ex dictis liquet: idemque iuxta S. Thomam ibidem aliquo modo accidit tunc etiam, quando idem de se ipso prædicatur; cum etsi idem sit à parte rei subiectum & prædicatum, secundum rationem saltem ratiocinantem differant; quando, vt Dialectici docent, prædicata accipiuntur formaliter, & subiecta materialiter. 9

Obijcitur. Omnis intellectus intelligens rem aliter, quam sit, est falsus: sed intellectus humanus affirmans aliquid de Deo, aliter Deum intelligit, quam Deus est; intelligit enim Deū cum compositione, cū tamen De⁹ cōpositus non sit, sed simplex, Ergo, &c.

Respondet rectè S. Thomas cit. art. 12². ad 3. Maiorem esse veram, si res aliter intelligatur à parte rei intellectæ; ita vt res aliter esse intelligatur, quam res sit: secus si solum ex parte intelligentis, seu modi intelligendi; ita vt alius duntaxat modus sit intellectionis, quam rei intellectæ; hoc enim sæpenumero accidit, atque etiam necessarium est, non solum in Dei intellectione, sed etiam rerum aliarum; quia v. g. modus intelligendi res corporeas, non est corporeus, sed spiritualis, &c. Idem in proposito fit: non enim intellectus humanus Deū per modū cōpositionis intelligens, dicit Deū esse compositū; sed simplicem.

Tertiò omissis prædicatis negatiuis, affirmatiua rursum aut sunt transcendentia, de quibus superius actum; aut particularia, seu non transcendentia. Ista rursum aut sunt propria solius Dei, vt omnipotentia, omnipresentia, &c vt pluribus S. Thomas art. 10 aut creaturis etiam communia, vt Intellectus, sapientia, &c. quæ tamen, qua ratione de vtrisque, Deo scil. & creaturis, prædicentur, dub. 3. videbimus. 10

Quartò

Digitized by Google

Quartò ex vtrisque affirmatiuis, tam transcendentibus, quam particularibus prædicatis, quædam de Deo dicuntur substantialiter; alia non item; quæ diuisio qualis sit dub. 2. dicetur. Quæ substantialiter de Deo dicuntur, rursum prædicari de Deo possunt, aut in concreto ad significandam eius perfectionem subsistendi; vel in abstracto, ad significandam eius simplicitatem, excludentem omnem compositionem; tam ex subiecto & accidente, quam supposito & natura, vt declarat S. Thomas hic a. 1. ad 3. & a. 12. & dictum supra q. 2. dub. 7.

Quintò eadem Dei prædicata affirmatiua, aut sunt absoluta, aut respectiua; siue secundum rem, & ad intra, vt Pater, Filius, &c. quæ tamen huc propriè non pertinent, sed ad materiam de Trinitate; siue solum secundum rationem, & ad creaturas, iuxta S. Thomam art. 7. Hæc rursum vel ab æterno Deo conueniunt; vel solum ex tempore; quam diuisionem, quia peculiarem difficultatem habet, dub. 2. explicabimus.

Sexto, eadem prædicata affirmatiua, aut formaliter, vt essentialia prædicãtur; siue quia directè significant ipsam diuinam naturam; vt est nomen Deus; quamuis fortè impositio ipsius sumpta sit à proprietate quadam Dei, vt rectè S. Thomas art. 8. & dictum disput. 2. q. 1. dub. 1. siue quia formaliter aliquod essentiale prædicatum significant, vt sunt, quæ in recta linea prædicamentali substantiæ posita Deo conueniunt; nimirum hæc quatuor, substantia, viuens, spiritualis, intellectualis: Aut per modum quasi proprietatum Deo tribuuntur: quæ demptis transcendentibus, reducuntur ad tria, scientiam nimirum, voluntatem, & potentiam agendi; de quibus adhuc agendum restat qq. seqq. Plura de hac re supra q. 2. dub. 1. huius disputationis, vbi de varietate attributorum diuinorum egimus.

DVBIVM II.

An & quænam nomina de Deo dicantur substantialiter, & ab æterno; vel non substantialiter, aut ex tempore.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 2. & 7.

1 Assertio I. Nomina quædam de Deo dicuntur substantialiter, ac proinde non solam negationem, aut relationem causæ ad creaturas, veluti effectus Dei, sed positiuam aliquam in Deo perfectionem significant. Ita S. Thomas q. 13. a. 2. & consentiunt Alensis 1. p. 48. m. 4. art. 3. Bonauentura in 1. d. 22. a. 1 q. 4. Richardus a. 1. q. 5. Ægidius q. 4. Durandus q. 2. Marsilius in 1. q. 25. a. 3. post Damascenum lib. 1. de fid. cap. 4. & 12. Augustinum lib. 6. de Trinit. cap. 4. & lib. 7. cap. 1. & 7. & est communis hodie omnium Theologorum contra obsoletas quasdam opiniones Doctorũ à S. Thoma ibidem optimè refutatas; quorum aliqui dixerũt (inter quos ab eodem refertur Rabbi Moyses) omnia nomina Dei, etiam affirmatiua & absoluta magis inuenta esse ad aliquid remouendum à Deo, quam ad aliquid ponendum in ipso: ita vt cum dicimus, Deum esse viuentem, significemus, Deum non hoc mõdo esse, sicut sunt res inanimæ. Alij vero dixerunt, hæc nomina, quando Deo tribuuntur, solum imposita esse ad significandam habitudinem eius ad res creatas; ita vt cum dicimus, Deum esse bonum, sensus sit, Deum esse causam bonitatis in rebus creatis, & sic de alijs.

Quorum vtrumq; rectè refellit S. Thomas tribus rationibus. Primò, quia secundum neutram hanc sententiam assignari potest ratio, quare alia nomina potius ac verius de Deo dicantur, quam alia; v. g. bonum esse potius, quam corpus esse: quandoquidem non minus est causa corporum, quam bonorum; nec minus etiam per hoc, quod dicitur corpus esse, remouetur à Deo aliquid, quod Deo non conuenit, nimirum esse Ens in potentia tantum; sicut est materia prima. Secundo, quia sequeretur omnia nomina, quæ de Deo dicuntur, posterius ac minus principaliter dici de Deo, quam de creaturis: sicut sanum posterius ac minus principaliter dicitur de medicina, quam de animali; eo quod illic solumodo causam sanitatis, hic sanum formaliter significet: id autem falsum esse ex S. Thoma dicetur dub. 3. Tertio, quia hoc est contra intentionem loquentium de Deo. Aliud enim intendimus dicere, cum dicimus Deum viuentem, quam quod sit causa vitæ nostræ; vel quod differat à corporibus inanimatis.

Denique his accedit ratio ostensiua. Quia nomina, quæ Deo tribuimus, ita Deum significant, sicut nos Deum cognoscimus; ita autem cognoscimus, sicuti nobis per creaturas repræsentatur; at vero ex creaturarum repræsentatione non cognoscimus de Deo solum quid non est, nec solam relationem causæ, sed etiam perfectiones quasdam, quæ in ipsis creaturis existentes eminentissimo modo, sed formaliter tamen ipsi Deo, tanquam primo principio omnis perfectionis, insunt; si modo, vt superius dictum, nullam imperfectionem in suo conceptu formali inuoluant: Ergo etiam potest ita Deus secundum perfectiones, quæ in ipso formaliter insunt, adeoque substantialiter à nobis quibusdam nominibus significari.

Nec obstat S. Dionysius cap. 1. de diuin. nom. vbi ait: *Omnes etiam sanctas Theologorum laudes, beneficis diuinitatis progressionibus explicandis, atque laudandis, diuina nomina inuenies fingere.* Nam vt rectè notauit S. Thomas eod. art. 2. ad 2. non negat S. Dionysius, diuinis nominibus aliud significari, quam progressionem seu causalitatem diuinitatis in ordine ad creaturas; sed vult has quidem progressiones simul celebrari cum diuinis nominibus, præcipuè quando ab ipsis hæc nomina Deo fuere imposita; attamen simul formaliter aliquam in ipso etiam Deo perfectionem significari, vt ex ijs, quæ mox subiungit S. Dionysius colligitur. *Et aliud est quandoque*, inquit S. Thomas, *à quo imponitur nomen ad significandum, aliud ad quod significandum nomen imponitur; sicuti lapis*, inquit, *dicitur ab eo, quod ledit pedem; & tamen significat certam speciem corporis, &c.*

Similiter intelligendum, quod ait Damascenus lib. 1. orthod. fid. cap. 4. *De Deo quid est secundum substantiam, dicere impossibile.* Et infra. *Quæcunque per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam significant.* Prior

enim

enim locus loquitur de perfecta & quidditatiua Dei cognitione, vt rectè S. Thomas hic a. 2. ad 1. posterior de attributis diuinis intelligitur, vt mox ibidem subiungendo significat: neque negat Damascenus, hęc significare Dei substantiã, sed negat solũ formaliter significare ipsam naturam Dei; quod verum est ex dictis q. 2. dub. 1. 5. & 6.

Assertio II. Ea nomina substantialiter de Deo dicuntur, quæ formaliter & directè ipsam substantiam siue entitatem Dei, sub quacunque demum ratione, seu absoluta, seu relatiua, significant; non autem quæ formaliter solam negationem, aut solam relationem rationis ad creaturas significant. Hæc est doctrina S. Thomæ cit. art. 2. vbi expresè dicit, *ea quæ dicuntur de Deo negatiuè, vel quæ relationem ipsius ad creaturam significant, substantiam eius nullo modo significare, sed remotionem alicuius ab ipso, vel relationem eius ad alium, vel potius alicuius ad ipsum:* secus esse de nominibus, quæ absolutè & affirmatiuè de Deo dicuntur; sicut bonus, sapiens, & huiusmodi, &c. Eademque est ratio nominum relatiuorum Dei ad intra, seu quæ realem aliquam in Deo relationem significant, vt rectè Vasquez eodem art. 2. etsi nonnulli dubitent, quando S. Thomas nullam eorum fecit mentionem; ideo nimirum, quia hoc loco de attributis Dei solum absolutis, & quæ Deo, vt vnus est, conueniunt, non relatiuis ad intra differit. Quam doctrinam etiam indicauit antea Ioannes Cyparissiotus capite quarto decade 9. vt notarunt Turrianus in scholijs ibidem, & Vasquez hic art. 2. num. 29.

4 Et ratio ita loquendi clara est: quia cum omnia, quæ in Deo intrinsecè existunt, sint vna quædam simplicissima entitas & substantia diuina, imo verò etiam formaliter substantiales quædam, non accidentales Dei perfectiones sint, rectè dicuntur omnia nomina, quæ vlla ratione formaliter aliquam Dei perfectionem seu entitatem significant, ipsam Dei substantiam, adeoque Deum ipsum substantialiter significare. Eadem est doctrina S. Augustini lib. 7. de Trinit. cap. 1. & 7. vbi ait: *Deo hoc est Esse, quod fortem esse, & si quid de illa simplicitate dixeris, quæ eius substantia significatur.*

Fatendum tamen est, abstrahendo à mente S. Thomæ, posse eam partitionem diuinorum nominum etiam aliter accipi, sicut etiam auctores superius citati non omnes eam eodem modo explicant; diuersa quidem, sed non opposita, nec ideo falsum aliquid de ipsa docentes. Duobus autem potissimum modis alijs hæc res potest explicari. Primò nimirũ, vt substantialiter prædicari, distinguatur contra accidens prædicabile, seu quinti vniuersalis. Quo modo omnia & sola illa prædicata, quæ siue ex tempore, siue ab æterno Deo conuenientia, significant ordinem ad creaturas aliquando existentes, de eo prædicabuntur non substantialiter; cætera verò omnia, quamuis relatiua & negatiua, vt Incorporeus, increatus, infinitus, &c. substantialiter. Et quamuis aliqui recentiores Interpretes ita explicent S. Thomam; id tamen ei minimè consentaneum est hic art. 2. & 7. vt ex dictis constat, & rectè notauit Vasquez eod. art. 2.

Secundò etiam accipi potest pro eo, quod vt sic formaliter, & iuxta nostrum modum concipiendi, dicit ipsam diuinam essentiam, & non solum quandam quasi ipsius proprietatem. Quo sensu Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. & 12. negat, nomina attributorum significare formaliter substantiam, siue Essentiam, & quidditatem Dei, vt paulo antea dictum. Sed nec isto modo accipit S. Thomas eam partitionem, vtpote, qui attributum boni, sapientis, &c. dicit substantialiter Deum significare, vt vidimus. Iam verò vt intelligatur, quænam nomina relatiua directè & formaliter dicãt solam relationem ad creaturas, non autem substantiam diuinam, est

Assertio III. Sola quidem, sed non omnia nomina relatiua, quæ ex tempore de Deo dicuntur, significant directè solam relationem ad creaturas; sed illa tantum, quæ de Deo dicuntur, tanquam relatiua secundum Esse; vt Dominus, pater, respectu creaturæ: non autem quæ sunt quasi relatiua secundum dici, vt Saluator, Creator, Creans, &c. hæc enim directè significant ipsam etiam actionem Dei immanentem, adeoque ipsam substantiam & Essentiam Dei, licet ex consequenti importent seu connotent habitudinem ad creaturas. Ita expresè S. Thomas hic quæst. 13. art. 7. ad 1. vbi ita distribuit nomina Dei relatiua ad creaturas; & patet ex simili: nam etiam in rebus creatis nomina hæc, Operans, causans, efficiens, generans, &c. non dicunt solam habitudinem, seu relationem, sed ipsam actionem. Et quamuis in rebus creatis solum dicant actionem transeuntem, in Deo tamen, qui voluntate agit & intellectu, denotant etiam actionem immanentem, iuxta S. Thomam loco citato. Neque verò dici potest, actionem transeuntem iuxta S. Thomam esse in agente; sed solum in passo, vt patet infra quæst. 18. art. 3. ad 1. & ex 1. 2. quæst. 3. a. 2. ad 3. Dices, inde consequi, etiam creationem, quæ videtur abstractum à creante, significare formaliter Dei substantiam. Respondeo negando sequelam; quia *creatio* non est abstractum à creante, sed, vt ita dicam, à *creans*.

Quare non probatur id, quod Suarez lib. 1. cap. 32. num. 5. & Vasquez quæst. 13. art. 2. significans, omnia & sola illa nomina, quæ de Deo ex tempore dicuntur, vt Dominus, Creator, Saluator, &c. (non autem prædestinans, præsciens, &c.) significare formaliter non substantiam Dei, sed solam relationem, adeoque dici de Deo non substantialiter.

Iam verò quod ad alteram partitionem attinet, in titulo huius dubitationis insinuatam; quænam nomina de Deo dicantur ab æterno, vel ex tempore est

Assertio IV. Sola quidem, at non omnia nomina, 6
quę significant relationem Dei ad creaturas aliquando existentes, dicuntur de Deo ex tempore; sed illa tantum, quæ significant, & consequuntur actionem aliquam Dei transeuntem, vt Creator, Saluator, Creans, Saluans, Dominus: quæ verò significant relationem consequentem præcisè actionem Dei immanentem, vt prædestinans, præsciens, &c. dicuntur de Deo ab æterno. Ita S. Thomas hic quæst. 13. a. 7. in corp. & ad 3. & cum Magistro in 1. d. 30. sententia communis Doctorum. Idem fatetur tandem S. Augustinus l. 5. de Trinit. c. 16. & 15. vbi ait: *Dominus non dicitur, nisi cũ dicitur habere seruũ, etiã ista appellatio, & ex tempore est Deo. Non. sempiterna creatura*

est, cuius

est, cuius est ille Dominus; quamuis antea hac de re adeo fuerit dubius, vt lib. 12. de civit. Dei c. 15. planè confessus fuerit, se nescire illius solutionem.

Ratio primæ partis est; quia cætera prædicata, quæ non significant aliquam relationem Dei ad creaturas, aut sunt negatiua; quæ cum vel remoueant aliquam imperfectionem, aut cerrè actualem processionem creaturarum à Deo, non possunt ab æterno Deo conuenire: aut sunt affirmatiua absoluta, quæ cum absolutam aliquam in Deo perfectionem significent, non possunt non etiam ab æterno Deo competere; cũ Deus sit Ens vndiquaq; necessarium & immutabile: aut dicunt habitudinem ad creaturas solum vt possibiles; & cum ad has itidem Deus semper eodem modo sese habeat, tam secundum intellectum, quam voluntatem, aut etiam potentiam operatiuam; sicut & hæ vicissim ad illum; nec ista quidem possunt Deo ex tempore conuenire. Restat ergo, vt sola nomina, quæ dicunt relationem ad creaturas aliquando existentes, Deo ex tempore conueniant; vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentia hic quæst. 13. p. 4.

7 Ratio secundæ partis, quod hæc tamen non omnia ita Deo conueniant, &c, est, quia nomina relatiua tunc verè conueniunt alicui rei, quando adest fundamentum proprium eiusmodi relationum: at verò fundamentum relatiuorum nominum, quæ significant relationem præcisè consequentem actionem Dei immanentem, conuenit Deo ab æterno; cum fundamentum hoc sit ipsa actio immanens Dei, quæ vtique ab æterno est in Deo; aliorum verò fundamentum est non sola actio immanens Dei, quanquam hæc etiam ijs nominibus significatur, vt superius ex S. Thoma dictum, sed etiam actio transiens; imò ipsa etiam relatio realis creaturæ ad Deum; quandoquidem Deus non refertur ad creaturas realiter, sed solum relatione rationis, licet creaturæ referantur ad Deum realiter, adeoque ipsa inter se inuicem relatione non mutua: cuius generis relatiua, ideo ad aliud referri dicuntur; quia aliud realiter refertur ad ipsa, iuxta Aristotelem 5. Metaph. cap. 15. vt rectè etiam notauit S. Thomas cit. art. 7. & 2. cont. gent. cap. 12.

Cuius quidem hæc doctrina, relationes Dei ad creaturas non esse reales, sed solum rationis, communiter est recepta ab omnibus ferè Theologis speciatim à S. Bonauentura in 1. d. 30. q. 3. Richardo q. 4. Scoto ad q. 2. Capreolo q. 1. a. 1. Henrico quodlib. 9. q. 1. Ferrariensi loc. cit. Caietano & alijs Thomistis hic à 7. & rectè defenditur à Gregorio de Valentia q. 14. p. 4. Vasquio hic à 7. & disp. 104. c. vlt. etsi in modo loquendi differant Ockam & Gabriel in 1. d. 30. q. 5. Durandus q. 3. Marsilius in 1. d. 32. a. 1. & Ariminensis in 1. d. 28. quæst. 3. a. 1. qui has relationes reales vocant, non rationis; non quod sint aliquid reale Deo adhærens, sed quia seclusa omni mentis conceptione, Deus realiter creat, & est illud, quod dicitur Creans, aut Creator: quod tamen non sufficit; sed requiritur, vt ratione talis actionis realiter referatur ad creaturas; quod Deo non conuenit: quia alias Deus aliquo modo penderet à creatura, sicut relatio pendet à termino. Quare multo minus audiendi sunt quidam recentiores, in quibus etiam est Albertinus, relatus dub. 8. resp. ad 3. qui concedunt, eiusmodi relationes in Deo esse reales, etiam hoc sensu, quod Deus realiter referatur ad creaturas; ipsæque sint realiter & intrinsecè in Deo: quod tamen Vasquez hic num. 37. merito pro absurdo habet, & pro re hactenus inaudita; saltem loquendo de relationibus ad creaturas, quę vel ex tempore, vel ab æterno liberè Deo conueniunt; quicquid sit de ijs, quæ Deo necessario conueniunt ab æterno.

8 Obijcitur. Si relatio dominij ad creaturas non est in Deo, secundum rem, sed solum secundum rationem; sequitur, Deum non esse realiter Dominum aut Creatorem; quod tamen est falsum.

Respondent benè S. Thomas cit. art. 7. ad 5. negando sequelam: quia satis est vt fundamentum eiusmodi relationum, & ratio ipsa etiam fundandi sint realia, realiterque Deo competant, siue intrinsecè, vt est potentia Dei actiua ad extra, vna cum actione Dei immanente, à qua procedit actio transiens ad creaturas; siue per denominationem extrinsecam, vt est actio transiens creationis, simul cum relatione reali subiectionis & dependentiæ creaturarum ad Deum. Quæ etiam causa est, cur quædam eiusmodi nomina dicantur Deo conuenire ab æterno; tametsi connotent relationem ad creaturam, quæ ab æterno non existit; cum nec Deus eiusmodi entia rationis formet, nec vllus intellectus creatus fuerit ab æterno, qui formaret: satis enim est, quod fundamentum eiusmodi relationum, ea quidem ratione, qua fundamentum est, fuerit ab æterno. Siquidem fundamentum relationis præscientiæ diuinæ v. g. non est creatura ipsa, vt actualiter existens ab æterno; sed vt aliquando existentiam habitura in tempore; quod de creatura ab æterno verificatur.

Ex quibus colligitur creationem absolutè & simpliciter loquendo non esse ab æterno in Deo, vt rectè etiam Aureolus & Ariminensis apud Capreolum in 2. d. 1. q. 1. & sumitur ex S. Thoma hic loc. cit. & 2. cont. gent. cap. 35. & de potent. q. 3. a. 19. ad 2. 6. & 30. Nec dissentit Bannes 1. p. q. 45. a. 3. quicquid Albertus Magnus in cap. 4. Dionysij de cæl. hier. dixerit, Deum quidem ab æterno creare res, sed res non esse ab æterno creatas: quæ inter se non recte cohærent. Plura de hac re disp. 6.

DVBIVM III.

An nomina communia Deo & creaturis de vtrisq; vninocè, an solum æquiuocè, vel analogicè prædicentur.

S. Thomas 1. p. 13. a. 5. & 6.

1 DE hac re optimè docet S. Thomas cit. q. 13. a. 5. cuius doctrina his assertionib⁹ cõprehenditur.

Assertio I. Nomina communia Deo, & creaturis non prædicantur de vtrisque mere æquiuocè. Est communis doctrina, & nunc extrà controuersiam: quicquid olim hic quidam à S. Thoma cõmemorati in contrarium dixerint. Probatur ratione S. Thomæ. Quia alias ob vitium æquiuocationis, nihil ex

creatu-

Digitized by Google

creaturis de Deo posset cognosci vel demonstrari, quod est contra Apostolum Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* & contra Aristotelem l. 8. Phys. & 12. Metaph. Vbi multa de Deo ex creaturis demonstrat. Id vero quod in hac ratione assumitur, limitant Caietanus cit. art. 5. & Gregorius de Valentia q. 13. n. 3. vt intelligatur futurum vt nihil possit de Deo demonstrari ex creaturis, sub eodem nomine; quia tunc in maiori & minori propositione variaretur medius terminus, vt videre est in hoc syllogismo. Omne ens est bonum: Deus est ens: ergo Deus est bonus, &c. Tametsi nihilominus, inquiunt, alia quædam, vt Deum esse incorporeum, esse primam causam, esse Creatorem, &c. ex creaturis possent demonstrari, prout suis proprijs nominibus appellantur, eo ipso quod non sunt entia ex se.

2 Sed non video, cur opus sit limitatione: siquidem si nullum nomen de Deo & creaturis prædicaretur nisi mere æquiuoce, tunc Deus & creatura in nulla plane communi ratione per vllum nomen significatâ conuenirent: si enim talis quædam esset communis ratio, ea vtique aliquo nomine vtrisque communi significaretur, quod proinde vtrisque non pure æquiuoce conueniret: At vero si Deus & creatura in nulla plane ratione per nomen significata conuenirent, nihil planè de Deo cognoscere vel demonstrare possemus: neque hoc ipsum quidem, quod Deus non esset creatura, sed rationis omnino diuersæ à creatura: quandoquidem ipse conceptus negationis, aut rationis ex creaturis desumptus Deo non nisi æquiuoce conueniret. Præterquam quod eorum demonstratio de Deo & creaturis, præsertim ostensiua, mediatè vel immediatè resoluitur in medium terminum aliquo modo communem Deo & creaturis, vt inductione probari potest. Nam in hoc ipso syllogismo: Nullum ens ex se est finitum: Deus est ens ex sese: Ergo non est finitus. Ratio entis, vt & ratio finiti; quarum illa tribuitur Deo in medio termino, hæc remouetur in maiori extremo, communis est Deo & creaturis.

3 Assertio II. Eadem nomina (positiua) non prædicantur de Deo & creaturis vniuoce. Ita cum S. Thoma cit. art. 5. habet communis sententia Doctorum contra Scotum in 1. dist. 3. quæst. 1. & dist. 8. quæst. 2. qui docet, ea nomina de vtrisque prædicari vniuoce. Probatur à S. Thoma tribus rationibus. Prima. Quicquid prædicatur de aliquibus secundum idem nomen, & non secundum eandem rationem, id de eis prædicatur aliquo modo æquiuoce, non vniuoce: sed nullum nomen conuenit Deo secundum illam rationem, secundum quam dicitur de creatura. Nam sapientia in creaturis est qualitas, non autem in Deo: genus autem variatum mutat rationem, cum sit pars definitionis: & eadem ratio est in alijs. Secunda ratio; Deus plus distat à creaturis, quam quæcunque creaturæ ab inuicem; hæ enim inter se distant finitè solum, ille ab his infinite: sed ob distantiam quarundam creaturarum fit, vt nihil vniuocè de eis prædicari possit; vt patet in substantia & accidente; & alijs quæ non conueniunt in aliquo genere: Ergo multo minus de Deo & creaturis aliquid vniuocè prædicatur. Tertia. Ad hoc vt aliquod nomen prædicetur de aliquibus vniuoce, necesse est, vt ratio per nomen significata in vtrisque sit adæquatè eadem; nec adeo in vno eorum intrinsecè & essentialiter plus contineat, quam in altero; at verò hoc non accidit in Deo & creaturis: quia ratio sapientiæ v. g. prout nomine sapientiæ significata creaturæ tribuitur, est aliquid à cæteris omnibus perfectionibus hominis, quæ nomine sapientiæ formaliter non significantur, essentialiter distinctum; puta nimirum ab hominis essentia, potentia, existentia, &c. At verò eadem ratio sapientiæ, prout per nomen sapietię significata Deo tribuitur, non est aliquid obiectiue & à parte rei quidditatiue distinctũ ab essentia, potentia & existẽtia Dei, sed hæc omnia quidditatiue & essentialiter includit, vt superius suo loco dictum q. 2. quare etiam nomen hoc sapientiæ in Deo relinquit rem significatam, vt incomprehensam & excedentem nominis significationem; cum tamen in creatura quasi circumscribat & adæquet rem significatam. Et eadem ratio est de alijs eiusmodi nominibus perfectionem aliquam in Deo & creaturis significantibus.

Ex qua limitatione S. Thomæ colligitur, sermonem hic esse proprie de nominibus communibus Deo & creaturis positiuis, vti in assertione diximus; nam negatiua, vt Incorporeus, Immaterialis, secundum suum formale significatum spectata, cum nihil nisi negationem eiusdem imperfectionis vtrinque significent, nihil obstat de Deo & creaturis, ex parte rei formaliter significatæ, vniuoce prædicari. 4 Neque argumenta Scoti in contrarium obiecta plus probant, quam quòd Assertione 4 dicturi sumus, eandem esse rationem formalem communissimam sapientiæ, prout de Deo & creaturis prædicatur, vt sigillatim videre est apud Caietanum & Gregorium de Valentia loco citato.

Assertio III. Eiusmodi nomina de Deo & creaturis prædicantur analogicè. Ita cum S. Thoma ibidem communis. Probatur tum ex dictis. Quando enim idem nomen prædicatur de pluribus, aut prædicatur pure æquiuoce, aut vniuoce, aut analogicè: sed nomina hæc non prædicantur de Deo & creaturis pure æquiuoce; nec vniuoce, vt dictum; Ergo. Tum quia illa prædicantur analogicè, quorum ratio per nomen significata, nec est omnino eadem vt in vniuocis, nec omnino diuersa, vt in pure æquiuocis; sed aliquo modo eadem: id autem fit in proposito, vbi est quidam ordo ac proportio causæ & causati; item excedentis & excessi; inter Deum & creaturas, secundum rationem per nomen significatam; qualis v. g. est in sano respectu medicinæ & animalis. 6

Assertio IV. Analogia hæc est cuiusdam proportionis, atque eorum analogorum propria, quibus, etsi conceptus obiectiuos, ad quos significandos fuerunt imposita, à parte rei planè diuersos, & plus quam genere differentes habeant, vt dictum, per abstractionem tamen intellectus respondet vnus conceptus formalis, de quibus proinde etiam scientia & vna definitio esse potest, quæque simpliciter & propriè dicuntur de omnibus analogatis. Primam partem expresse tradit S. Thomas hic art. 5. vbi hæc analoga vocat secundum proportio-

nem. Ratio est; quia non sunt analoga per solam attributionem ad aliquid tertium, in quo solo formaliter reperiatur ratio per nomen significata; vt accidit in sano respectu medicinæ & vrinæ: sed tam Deus, quam creatura formaliter habent rationem per nomen significatam; tametsi cum quadam subordinatione creaturæ ad Deum, veluti causam & principium: ob quam solam causam S. Thomas comparat hæc Analoga cum sano respectu medicinæ & animalis, cum tamen hæc in eo differant, quod sanitas formaliter est in solo animali, in medicina vero solum causaliter.

6 Posteriorem partem rectè tradunt Molina hic art. 5. Gregorius de Valentia cit. punc. 3. & fere Suarez hic libro primo capite nono, numero vndecimo, & Disputatione Metaphysica vigesima octaua, idemque probant argumenta Scoti loco citato. Primò; quia potest intellectus esse certus de aliquibus, quod sit Ens, vel sapiens verbi gratia, & tamen vlterius inquirere, num sit Deus vel creatura: Ergo signum hoc est eiusmodi nomina significare vnum conceptum communem Deo & creaturæ. Secundo quia possumus à perfectionibus creaturarum abstrahere vnum aliquem conceptum eiusmodi, qui nullam includat imperfectionem; vt sapientiæ V. G. & proinde illum verè attribuere Deo, etiam absque conceptione particularis modi, quo conceptus ille Deo conuenit. Denique similis est ratio Entis, prout substantiæ & accidenti conuenit, vt ex veriori in Metaphysica traditur.

Assertio IV. Nomina, quæ metaphoricè Deo tribuuntur, prius ac principalius conueniunt creaturis, quam Deo: quæ vero de vtrisque proprie dicuntur, si res significata spectetur, prius & principalius dicuntur de Deo, quam de creaturis; si vero nominum impositionem spectemus, prius de creaturis, quam de Deo dicuntur. Ita S. Thomas hic quæstio. decima tertia articulo sexto ex communi. Et ratio primæ partis est; quia nomina quæ solum metaphoricè Deo conueniunt, de creaturis quidem proprie, de Deo autem non nisi improprie dicuntur; quocirca etiam per similitudinem & ordinem ad creaturas explicari debent. Ratio secundæ partis est; quia ratio per nomen eiusmodi significata, principalius & longe excellentius est in Deo, quam in creaturis. Ratio tertiæ partis; tum quia creaturæ prius à nobis cognoscuntur, quam Deus; illis ergo prius à nobis hæc nomina sunt imposita, quam Deo. Tum quia nomina huiusmodi habent modum significandi in concreto, vel in abstracto; qui propriè creaturis conuenit, non Deo, vt dictum dub. 1.

DVBIVM VI.

An Deus possit aliquo nomine significari quidditatiuè.

S. Thomas q. 13. a. 1.

1 SEnsus dubitationis est, an Deus aliquo nomine vocali, seu ex Impositione significante, significari possit quidditatiuè, & sicut est; seu quod idem, an possit aliquod nomen ingenerare conceptum Dei quidditatiuum, non connotando rem aliam, nec repræsentando Deum instar alterius, sed faciendo vt intelligatur clarè & directè in seipso, sicuti est, ac quasi per propriam, non alienam sui speciem, iuxta ea, quæ de quidditatiua cognitione dicta sunt quæst. præced. art. 1. de qua re sunt quinque Doctorum sententiæ.

Prima est eorum, qui nominis significationem solummodo metiendam rati ex eius cognitione, qui nomen imponit, vel vsurpat, dicunt à Deo quidem & Beatis nomine aliquo significari posse quidditatiuè Deum, non autem à Viatoribus. Ita Capreolus in 1. d. 22. art. 1. quæst. 1. Bassolis quæst. 1. art. 2. Ferrariensis 1. cont. gentes cap. 31. Caietanus hic quæst. 13. artic. 1. cum quibus ex parte consentiunt plures, qui absolutè docent, nominum significationem pensandam esse ex cognitione, quam habet, qui nomen imponit; in quam sententiam Vasquez hic d. 57. cap. 1. refert plerosque veteres Scholasticos, speciatim Antisiodorensem, Alensem, Albertum, Bonauenturam, Richardum, Marsilium, Henricum, Durandum, Argentinam, & ipsum S. Thomam hic art. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 31. sed qui æquè iuxta sensum quartæ sententiæ intelligi potest.

Secunda sententia est aliorum, qui ex sola audientium cognitione, quam audito nomine, de re significata concipiunt, nominis significationem pensandam rati, asserunt, non solum à Deo & Beatis, sed etiam à Viatoribus, posse Deum quidditatiuè, & vt est, nominando significari, non quidem ipsis Viatoribus, sed Beatis. Ita Vasquez cit. Disp. 57. cap. 2. num. 9. qui pro eadem sententia citat etiam Scotum in 1. dist. 22. quæst. vn. & qui eundem sequuntur Ockam eadem d. q. vn. & Gabrielem q. vn. a. 3. Sed hi plus etiam sentiunt, vt mox dicemus. 2

Est igitur tertia sententia eorum, qui nominis significationem, seu vim significatiuam metiendam putant, nec ex loquentis, nec audientis cognitione, quam de re significata habent; sed ex voluntate & intentione directè imponentium nomen, ad ipsam in se subsistantiã rei significandam; esto nec ipsi loquentes nec audientes alij intelligant quidditatem rei; quare absolutè docent, nomen Tetragramaton, item *Deus*, & similia plura, distinctè clarè & quidditatiuè, quantum scilicet in se est, significare Deum, siue essentiam Dei, à quocunque, & ad quemcunque vsurpentur: & addunt, ab ipso etiam homine viatore imponi eiusmodi nomina posse, ad Deum quidditatiuè significandum, tametsi eum quidditatiuè non cognoscat: *Sicut* inquiunt, *nomen lapidis inter homines significat quidditatiuè essentiam lapidis, etsi eam in se quidditatiuo conceptu non cognoscamus; quod ingenuè de me profiteor*, inquit Molina, hic a. 1. etiã Gregorius de Valentia hic q. 13. p. 1. Suarez l. 2. c. 21. & ipsemet S. Thomas hic 1. q. 13. a. 8. ad 2. quod ad hoc exemplum attinet, contrarium profiteatur. Atq; ita hanc sententiam tradunt Scotus, Ockam Gabriel loc. cit. quos ferè etiam sequitur Molina loc. cit.

Quarta sententia est, significationẽ nominis expẽdẽ, dã esse, ex modo cognoscẽdi vtriusq; tã audiẽtis, quã imponẽtis seu vsurpantis nomen; ac proinde quid-

ditatiuè

ditatiuè uon posse Deum significari aliquo nomine, nisi à Deo & Beatis; & quidem inter ipsos solum, seu potius ad ipsos solũ Beatos (cũ Deo propriè nihil per nomina significetur, vt superius dictum dub. 1.) non autem Viatoribus, aut à Viatoribus. Ita Henricus in summa art. 73. quæst. 5.

3 Quinta sententia est, nec istud quidem satis esse, ad vim & significationem nominis constituendam; sed præterea requiri, vt nomen aliquod per se & sua vi propria conceptũ quidditatiuum rei ingeneret audienti: quod quia nullũ nomen facit; cum potius omne nomen per se tantũ abstractiuam cognitionẽ rei menti ingeneret; qua nimirũ res cognoscitur per speciem alienam ipsius nominis, idcirco nullũ omnino nomen vocale, à quocũq;, & ad quoscũq; vsurpetur, esse, aut esse posse nomen quidditatiuũ Dei. Ita Suarez hic l. 2. c. 21. Quod si ita esset, tũ nullum omnino nomen quidditatiuè significaret rẽ illã, ad quam significandam est impositũ; ac proinde nec ipsum vocabulũ *Homo* quidditatiuè significaret hominẽ; quod tamen videtur cõtra communem sensum omnium, & apertè est contra S. Thomam hic q. 13. a. 1.

Breuiter itaq; dico, rem hãc omnẽ esse solius nominis quæstionẽ, quidnã ad quidditatiuã significationẽ nominis alicuius requiratur, vt rectè notauit Vasquez c. 2. n. 6. & facile ex dictis liquet. In qua tamẽ hęc duo distinguo, nimirũ vim ipsã significãdi nominis alicuius in actu primo; & actualẽ significationẽ. Etenim vim significatiuã nominis in actu primo pẽsandã solũmodo existimo ex impositione nominis, adeoq; ex mente & voluntate, seu intentione nomen imponentis, non qualibet tamen, sed morali & prudenti; qua nimirũ in ordine ad cõmunem usum loquẽtiũ, pro quib⁹ ipse nomẽ hoc imponit, velit hoc aut illud eo nomine directè & distinctè significari; siue ipse distinctã eiusmodi cognitionem habeat, siue non. Per impositionẽ a. nominis intelligo, tam primam impositionẽ, quam vsum cõmunem loquendi, habentem vim impositionis. Quod ita cũ tertia sententia sentio. Et ratio est. Quia sicut ipsa nominis significatio absolutè pendet ex imponentis voluntate, ita etiam modus & vis significandi.

4 Dixi tamen, *morali & prudẽti*; qualẽ nimirũ omnes, qui nomina imposuerũt habuisse cẽsendi sunt. Quo fit, vt nemo imponentiũ nomen aliquod, & nec ipse Deus, pro cõmuni vsu Viatorũ (pro quibus nimirũ solis omnis impositio nominũ nobis cognita directè facta est) existimari possit, nomẽ aliquod voluisse ad distinctã rei alicuius, & claram seu quidditatiuã cognitionẽ ingenerandã imponere, quę tamen ipsa cognitio ex se, & suo genere quasi vniuerso impossibilis esset viatorib⁹: quia ita vtiq; voluit imponere nomen, prout vsus eorũ, p quibus nomẽ ipse imposuit, requirebat. In quo proinde ab authoribus tertię sententiæ aliquo modo dissentio, vt mox dicam.

Quod vero ad actualẽ significationẽ nominis attinet, absolutè cęteris probabiliorẽ iudico quartã sententiã, hoc tamẽ sensu, vt existimẽ, nominis significationẽ non solũ ex mente & volũtate imponentis, sed ex cognitione etiã non quidẽ loquentis, sed audientis esse pensandã: ita vt nomen illud quidditatiuè rem aliquã significet, quod & ex mente imponentis impositũ est, ad essentiã rei alicui⁹ quidditatiuè significãdã; atq; etiã hic & nũc, iuxta cõditionẽ & cognitionẽ audientis, quã de re ipsa habet, quidditatiuã ei cognitionẽ ingenerat. Prima pars sequitur ex præcedẽti doctrina; nullũ n. nomẽ potest aliquid in actu secũdo significare, nisi in actu primo vim habeat ita significandi. Secundã partẽ amplector cũ authoribus secundæ sẽtẽtiæ. Ratio est. Quia supposita vi significãdi ipsius nominis in actu primo, ipso vsu loquẽtis vtiq; idipsũ reipsa & in actu secũdo significatur audienti, quod nomen in actu primo significat; si modo vim & significatum nominis ipse probe intelligat.

Et confirmatur. Quia nemo dicere solet, se per vocabula græca, vel hebraica aliquid alteri significasse, quę audiẽs nullo modo intelligit; ac proindè nec dicere absolutè potest, se illi quidditatiuè aliquid significasse, si audiens rẽ significatã quidditatiuè non intelligat: etsi dicere possit se quãtũ in se est, illi ita significasse, aut potius voluisse significare. E cõtrario vero fieri potest vt is qui loquitur, verba distinctè non intelligat, & tamen nihilominus distinctè dicatur audienti rem significasse: vt si rudi internũtio verba quędã hebraica vel græca alteri corã denuntianda commendem, eaq; is coram altero, vti iussus fuerat, voce depromat. Idem accidit cũ Moniales Psalmos, aut alias orationes latinas ad Deum vel Sanctos recitant: quibus distinctè significãt ipsi, quod orationib⁹ illis significatur; etsi ea ipsæ distinctè non intelligant. 5

Et sæpè aliàs fieri potest, vt aliquid alteri audiẽti distinctius significetur, quã à loquẽte fuerit intellectũ. Vt si quis qui nunquã vidit Romã, nec lõca sancta illi⁹, nec vestigia illa antiquitatis, ex relatu solum, aut lectione librorũ, alteri qui omnia vidit referat ac repræsentet; hic certè ea multo melius alteri significat, quæ dicit, quam ipse intelligat; quod est exemplum Vasquij n. 16. Ergo actualis significatio nominũ non tam ex notitia loquentis, quã audiẽtis pensanda est. Neq; refert quod nomina sunt symbola quædã circa loquentem & audientẽ; ita vt per illũ huic significẽt: hinc n. solũ sequitur, loquentis etiã interuentu opus esse, vt nominibus aliquid audienti significetur; non tamẽ sequitur, ex eius notitia per se ac vniuersim dependere significationẽ, aut vim significãdi nominis: esto ex eius mente nonnunquam, quasi per accidẽs, ambigua nominis significatio metienda sit: de qua re in materia de Sacramentis in genere agendum est.

Ex quibus nũc breuiter ad prędictẽ quęstionẽ vnicã assertione respondeo: Nec vocabulo *Deus*, nec vllo alio nomine, nobis cognito, Deũ significari ullis, seu ab vllis quidditatiuè; imo nec illũ tale nomẽ vim habere significandi Deum quidditatiuè. Ita Henricus & Suarez l. c. & videtur mens & sententia S. Thomę hic q. 13. a. 13. vbi ait: *Potest à nobis Deus nominari ex creaturis; non tamen ita, quod nomen significans ipsum exprimat diuinam essentiam secundum quod est.* Quod ita etiã absolutè tradit Greg. de Valentia q. 13. p. 1. Probatur ex dictis. Quia omnia nomina Dei nobis cognita siue ab hominibus siue ab Angelis, aut Deo ipso, directè solũ imposita sunt & instituta, pro vsu Viatorum hominũ; quibus quidditatiua Dei cognitio per se & ex suo genere impossibilis est: ergo nullũ nomẽ directè institutũ est, & impositum ad significandã quidditatiuã Dei cognitionẽ: Ergo nullũ tale nomen vim habet significandi Deũ quidditatiuè: ac proinde nec reipsa Deũ quidditatiuè significat, quæ omnes cõsequẽtię ex dictis sunt manifestę. Quod si Beati à nobis 6

Digitized by Google

audientes nomen Dei quidditatiuo cõcepto Deũ cognoscunt, id tamen non fit per se, & ex significatione nominis, quæ ab ipso etiã imponẽte dependet, vt dictũ; sed per accidẽs, & quasi præter vim ac meritũ nominis. Et cõfirmatur. Quia omne nomẽ Dei nobis cognitũ cũ sit vel concretũ vel abstractũ, habet modũ significandi Deũ aliquo modo impropriũ, adeoq; alienum à modo cognoscendi Deum sicuti est, seu quidditatiua cognitione, vt dictum dub. 1.

7 Non nego tamẽ, quod expresse etiã cõcedit Hẽric⁹ l. c. cũ cæteris authoribus, & Deũ ipsũ sibi, & cæteros beatos, Deo nomẽ posse imponere, quod Deũ quidditatiuè significet Beatis; sed nego, tale nobis nomen esse perspectũ, aut reipsa reperiri inter ea, quæ hactenus nobis iñotuerunt. In quẽ sensũ loqui videtur S. Thomas cit. l. 1. cont. gent. c. 3. vbi cõcedit quidẽ Deũ à Beatis significari posse quidditatiuè, sed non aliquo nomine nobis hactenus cognito, sed alio in beatitudine primũ cognoscẽdo; quo refert illud Zachar. vlt v. 9. *In die illa erit Dominus vnus, & nomẽ eius vnũ.* Imo quãuis vis significatiua nominis depẽdeat non tã ex cognitione, quã mẽte & volũtate rationabili imponẽtis, vt dictũ; nego tn. posse à Viatoribus Deo nomẽ imponi, quod ipsũ essẽtialiter significet; non præcisè quia in viatore nomẽ imponẽte abest cognitio quidditatiua Dei, q. hæc necessaria sit in impositore talis nominis, vt putauit Hẽnic⁹; sed quia vniuersim Viatorib⁹ ,, p quorũ vsu talis impositio fit, impossibile est talis cognitio, ad quã proinde viatorib⁹ ingenerãdã nemo prudẽter velle potest nomẽ aliquod imponere. Neq; est in hac re nõ magni momẽti diuti⁹ inhærẽdũ.

DVBIVM V.

Quodnã nomẽ sit maximè propriũ Dei, cæteris q; præstantius, & vtrũ nomẽ Dei Tetragrammatõ idẽ sit cũ illo Dei nomine Exod. 3. Qui est.

S. Thomas 1. p. q. 13. a. 8. 9 10. 11.

1 QVod ad primum attinet, multa quidẽ tũ de alijs Dei nominibus, tũ particulatim de illo nomine Tetragramãto, quod cõsueto nobis vsu his locis *Ieho, ua* scribere &, pnũciare solem⁹, ab Hebræis, & Hebraizantibus literatoribus, alijsq; scripturæ S. Interpretibus differũtur, sed quæ ad scholasticã Theologiã parũ pertinẽt. S. Thomas q. 13. a. 11. illud solũ quærit, Vtrũ nomẽ *Qui est* sit maximè nomẽ Dei propriũ, vbi tria potissimũ nomina inter se confert: nimirũ nomẽ *Qui est*, nomẽ Tetragramãton, & nomẽ Deus; quod nomẽ esse naturę, non proprietatis, aut effectus diuini, dixerat a. 8. idemq; nomen propriè esse incõmunicabile, etsi impropriè atq; analogicè etiã alijs præterquã vero Deo nonnunquã attribuatur, asserit a. 9. & 10. quod nos etiã superi⁹ hac d. q. d. 1. notauim⁹.

De his igitur nominibus ita inter se collatis cit. a. 11. duo asserit in corp. & ad 1. Primum; inter omnia nomina diuina, nomẽ illud *qui est*, quod habetur Exod. 3. v. 14. triplici ratione, seu quod hic idẽ est apud S. Thomã, ex triplici capite, seu sub tribus considerationib⁹ spectatũ, esse maximè propriũ Dei: primo quidẽ propter sui *significationẽ*, vel potius vt in resp. ad 1. declarat, propter significationẽ eius, à quo nomen hoc impositũ est, scilicet ab *Esse*. Non enim significat formam aliquam, per ipsum Esse, siue per existẽtiam quasi vlterius determinabilem; sed ipsum Esse, quæ est essentia ipsamet, & quasi forma Dei.

Secundo propter eius vniuersalitatẽ, siue vt in resp. ad 1. declarat quantũ *ad modũ significandi. Quanto enim aliqua nomina*, inquit, *sunt minus determinata & magis communia & absoluta, tãto magis proprièdicũtur de Deo à nobis: Omnia a. alia nomina, vel sunt minus communia; vel si cõuertantur cũ ipso, tamẽ addũt aliqua supra ipsum (Esse) secundũ rationẽ, &c. Quolibet n. alio nomine determinatur aliquis modus subsistẽtiæ rei; sed hoc nomẽ* Qui est, *nullũmodũ essẽdi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes; & ideò nominat ipsum pelagus substãtiæ infinitum.*

Quod confirmatur ex S. Damasceno l. 1. orth. fid. c. 12. vbi ait: *Enimuero videtur principalius omniũ de Deo dictorũ nominũ esse, Qui est: quẽadmodũ ipse dãs responsum Mosi in mõte inquit: Dic filijs Israel, Qui est, misit me. Totũ enim in seipso cõprehendẽs habet ipsum esse veluti quoddã substãtiæ infinitũ & interminũ.* Subijcit tamẽ Damascenus: *Quẽadmodũ a. S. Dionysius* (c. 3. de diuin. nom.) *primariũ Dei nomẽ est Bonũ; non n. primũ est dicendũ de Deo Esse, sed ipsũ bonũ.* Vbi S. Damascenus S. Dionysij opinionem sũę videtur opponere, simul tamen etiam postponere: nec omninò sine causa; quia prius ac principalius est in Ente Esse, quã bonũ esse; illudq; huius est quodammodo fũdamẽtũ. In quẽ sensum etiã S. Thom. resp. ad 2. S. Dionysiũ explicans ait, *Bonum esse principale nomen Dei, in quantum est causa, non tamen simpliciter. Nam Esse absolutè præintelligitur causæ.* 2

Tertiò ait S. Thomas nomen *Qui est*, esse maximè proprium Dei, ex eius significatione, seu potius consignificatione, siue vt ipse loquitur resp. ad 1. quantũ ad *modum consignificandi.* Consignificat enim tempus de præsẽti: quod maximè propriè de Deo dicitur; cuius Esse non nouit præteritũ vel futurũ, iuxta Augustinum 5. de Trinit. cap. 2. & lib. 83. qq. q. 17.

Alterum quod docet S. Thomas cit. art. 11. ad 1. 3 etsi non vsquequaq; probetur Vasquio disp. 59. cap. 3. est, his quæ dicta sunt non obstantibus, quantum ad id, ad quod imponitur nomen significandum, esse magis proprium (Dei) hoc nomen *Deus*; quod imponitur ad significandum naturam diuiuam (sub proprio scilicet & incommunicabili conceptu confuso ipsius naturæ diuinæ; cum tamen illud *Qui est*, communi ratione etiam creaturæ propriè sit communicabile:) & adhuc magis proprium nomen esse Tetragammaton: *quod est*, inquit, *compositum ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & vt sic liceat loqui, singularem*: qua de causa etiam nunquam in scriptura absolutè & significatiuè falsis Dijs, aut creaturæ tribuitur. Vnde colligitur, simpliciter & absolutè nomen maxime proprium Dei, adeoque cæteris omnibus præstantius esse, nomen illud Tetragmaton; qualecunque demum sit, & quæcunque sit eius genuina pronunciatio: quia præstantia nominis potissimum & absolutè spectanda est, nec ex eo, ex quo desumpta est eius impositio, nec ex modo significandi, aut consignificandi; sed ex eo, ad quod directè & formaliter significandum est impositum, seu ex formali eius significato, quod in nomine præcipuum est.

Quod verò ad secundum hac dubitatione propositum attinet, non desunt, qui affirment, nomen Dei Tetragramãton, idem esse cum illo nomine Dei he-

braico,

Digitized by Google

braico, quod habetur Exod. 3. v. 14. & latinè redditum est, *Qui est. Pro hac enim sententia*, inquit Pererius in c. 3. Exod. disp. 12. n. 65. *sunt Hebræi, & è nostris linguæ hebraicæ studiosi*; & Vasquez disp. 59. c. 2. & 3. eandem sententiam ex instituto propugnat; pro qua n. 6. citat è veteribus Clementem Alexandrinum l. 5. Strom. vbi ait: *Iehoua esse nomẽ Dei, quod interpretamur Qui est, & Qui erit. Idem*, inquit Vasquez, *expressè tradit Theodoretus in quæstion. super Exodum q. 15.* E recentioribus autem pro eadem sententia citantur à Vasquio loc. cit. Pagninus, & Mercerus in thesauro, Galatinus lib. 2. de arcanis Catholicæ verit. c. 10. Lipomanus in Catena, in illud Exodi 3. loc. cit. Eugubinus in eundem locum, & Genebrardus lib. 1. de Trinit. quibus ferè addi potest Ioannes Drusius lib. de Tetragram. cap. 1.

Eandem sententiã valdè probabilem censet Suarez lib. 2. c. 32. n. 25. vbi citat etiam Bellarminũ lib. 1. de Christo c. 7. Sed qui, vt existimo, hoc non docuit, solum asserens nomen Tetragrammaton ex illo altero *Qui est* esse natum vel deductum; idèq; fortasse sono ac sensu cum persona tertia singulari futuri substantiui à radice היה Haia; ea enim est יהיה Iihie, vel alio coniugationis modo, ac magis ad propositum יהוה Ieheue, & rectè verti potest, *Qui est*: quam lectionem etiam recipere potest nomen Tetragrammaton: ideoque etiam sensu & origine idem dici posse cum nomine Dei *Qui est*; etsi sono ac pronuntiatione simpliciter ab eo diuersum. In quem sensum etiam loquuntur alij à Vasquio citati, vt dicemus.

5 Est enim liquidissimum, ac cuilibet, qui vel hebraicè legere norit, manifestum, id quod S. Hieronymus hebraicè doctissimus tom. 1. epist. 136. & tom. 9. in Psal. 146. apertè docet, & hoc loco a. 11. ad 1. tanquam exploratum supponit S. Thomas, vti diximus, & docent etiam Beda annot. in c. 3. Exodi, Hugo de S. Victore, annot. in Exod. c. 1. Burgensis addit in c. 3. Exod. item Ioann. Drusius c. 1. & 2. de nom. Tetragram. & annot. in opusc. Burgensis de eodem nomine; quibus accedunt alij Hebræi apud Lipomanum in Catena, nomen illud Tetragrammaton voce tenus distingui ab illo, seu nomine, seu descriptione Dei, cit. Exod. 3. *Qui est*. Primò quidem, quia in Hebraico textu, ex quo res hęc diiudicanda, pro illo *Qui est* non legitur יהיה *Iihie* vel יהוה *Ieheue*, nimirum tertia persona futuri, à Verbo substãtiuo היה *Haia*, quę ad verbũ sonat, *Erit*; vt malè supponit Vasquez cit. c. 3. Sic enim nomen Tetragrammaton vtcunq; probabiliter idem dici posset cum nomine *Qui est*, vt vidimus; sicut & plura alia nomina propria apud Hebræos voce tenus ac sono nil aliud sunt, quam tertia persona singularis futuri, eius Verbi seu radicis, ex qua deriuata sunt nomina, vt videre est in nominibus Isaac, Iacob; in quibus proinde litera initialis Iod simul est ex literis איתן *Ethan*, seu formatiuis futuri, & ex literis האמנחי *Heemanthicis* siue seruilibus: sed vt recte etiam notauit Hieronymus loc. cit. & ex ipso textu liquet, in hebraico textu, citato c. 3. Exod. v. 14. vbi Latinus Interpres vertit, *Qui est*, legitur אהיה *Ehie* ad verbum, *Ero*; nimirum prima persona verbi substantiui, quæ & sono, & significatione, & literarum figura manifestè differt, tam à supradicta tertia persona futuri verbi substantiui, quam à Tetragrammato יהוה *Iehoua*, quæcunque demum sit genuina ipsius pronuntiatio; à quo scilicet non vna tantum litera (Iod scil. in Vau conuerso, vt putauit Vasquez) sed duab9 omninò literis, prima scilicet & tertia, quę sunt Aleph & Iod (vt de punctis taceam) discrepat.

Secundò, in eodem ipso loco Exodi 3. v. 15. Dei nomẽ Tetragrammaton, velut à nomine illo, seu descriptione Dei *Qui est* distinctum subiungitur. Cũ enim v. 14. dictum fuisset, *Qui est*, hebraicè *Ehie*, misit me ad vos; mox v. 15. Deus quasi explicatius, magisque propriè suum nomen declaraturus ait, *Hæc dices filijs Israel, Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos. Hoc nomẽ mihi est in æternũ, & hoc memoriale meũ in generationẽ & generationẽ.* Vbi pro nomine *Domini* Græce nõ ponitur ὢν quod significat Existẽs, seu *Qui est*, sed κύριος; hebraicè verò habetur ipsum nomen Dei Tetragrammaton *Iehoua*, idemque eodem modo repetitur v. 16. vt manifestum sit, tam apud Græcos, & quidem in ipsorũ LXX. Interpretum versione, quam apud Latinos & Hebræos vtrumque nomen esse distinctum. 6

Tertiò, genuina pronuntiatio nominis Tetragrammati aut ignota, aut certè prohibita erat vulgo Iudęorum; sicuti ab ijs etiamnum ignoratur, vt colligitur ex Nazianzeno orat. 36. & Iosepho lib. 4. de bello Iudaico c. 12. at pronũtiatio illius אהיה *Ehie*, *Qui est*, nulli Hebræo potuit esse incognita, vel insolita.

Quartò, valdè probabilis est ea multorum tam antiquorum, quam recentiorum sententia, illud *Qui est* propriè loquẽdo, non esse unum aliquod proprium nomen Dei, sed potius quasi periphrasin quãdam & descriptionẽ Dei, ex actualitate & perfectione existẽtiæ Dei petitum; sicut nomen Christi in terris existentis propriè ac sono tenus non erat *Emmanuel*, sed ita vocatur Isai. v. 14. quia res eo nomine significata eidem nobiscum versanti competebat. Atq; ita sentiunt Beda, Hugo, Burgensis, & alij apud Vasquez & Pererium locis cit. Argumento est, non solum, quod Deus nomen illic suum Israelitis denuntiandum vltima resolutione mandans, non sistit in nomine *Qui est*, sed pro illo *Qui est*, nomen Tetragrammaton substituit, vt dictum; sed etiam quia ibidem versu 15. *Ehie* positum videtur pro eo, quod ibidem versu 14. immediatè à Deo fuerat dictum אשר אהיה *Ascher Ehie*, ita vt sub illo nomine *Ehie*, quasi per ellipsin subintelligatur relatiũ *Qui*, vt etiã latin9 Interpres vertit.

Neq; verò citati Patres à Vasquio, alijq; authores oppositũ sentiũt, sed solũ hæc duo docẽt, aut vnũ ex his duobus; primũ est, nomen Dei Tetragrammaton vi & significatione esse idem cum nomine *Qui est*; quod est verum; vtrũq; enim à verbo substantiuo desumptũ, actualissimam illam Dei existentiam significat; quare etiam nonnulli sentiunt, illud ex Exod. esse profectum, & quasi deriuatũ; quod est consentaneũ citato loco Exodi 3. Alterum est, verbum Tetragrammaton idem esse cũ tertia persona futuri verbi substantiui; quod etiam verum est, saltem abstrahendo à punctis & modo pronuntiandi: siquidem tertia persona vno quodam inflexionis modo est יהיה *Ieheue Erit*, quod easdẽ penitus literas habet (seclusis pũctis seu vocalib9) quas nomẽ Tetragrammaton יהוה *Iehoua*. Ex quo tamen minimè sequitur, nomen Tetragrammatõ idẽ esse cũ illo *Qui est*; quia hoc hebraicè nõ sonat *Ieheue*, sed *Ehie*; nec est tertia, sed prima persona futuri verbi substantiui. Sed hęc ad propositũ satis. 7

QVÆSTIO VIII.

De Vita, Intellectu, & Scientia Dei.

S. Thomas 1. p. q. 14. 16. 17. 18.

1 INcipit hic tractatio de attributis diuinis, quæ ad operationem Dei pertinent, vt notauit S. Thomas initio quæstionis 14. Post considerationem eorum, inquit, quæ ad diuinam substantiam pertinent, restat considerandum de ijs, quę pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quædam est, quæ manet in operante; quædam verò procedit in exteriorem effectum, primò agemus de scientia & voluntate; & postmodum de potentia Dei, quę consideratur vt principium operationis diuinæ in effectum exteriorem procedentis: *de quare dictum initio huius disputationis.*

Absoluitur autem hæc quæstio vndecim dubitationibus. I. An & quomodo in Deo sit scientia, vita, & veritas: seu qua ratione Deus sit viuens, intelligens, & verus. II. An & qua ratione Deus cognoscat seipsum. III. An & qua ratione generatim loquendo, Deus cognoscat creaturas; in seipsone, an in seipsis. IV. An & qua ratione Deus cognoscat creaturas, tum existentes, tum possibiles; & num adeò etiam cognoscat infinita. V. An Deus cognoscat omnia futura contingentia, tum absoluta, tum conditionata. VI. Qua ratione Deus cognoscat futura contingentia; an immediatè in seipsis; vel in causis eorum, vel ex reali eorum præsentia ab æterno. VII. An ea potius cognoscat in seipso, & qua ratione; num vt in Idea, aut in decreto suæ voluntatis, &c. VIII. An & qua ratione Deus cognoscat non entia, atque etiam mala. IX. Quotuplex sit scientia diuina; & quisnam in ea sit ordo respectu variorum obiectorum. X. Qualis sit Dei scientia; siue de attributis diuinæ scientiæ; & quenam scientia sit causa rerum, & practica. XI. De concordia diuinæ præscientiæ cum libero arbitrio. Quibus dubitationibus comprehenduntur omnia, quæ ad vitam & scientiam Dei pertinent; quæq. S. Thomas quæst. 14. articulis sedecim de scientia Dei; ac postea quæst. 16. 17. & 18. de veritate & falsitate, ac de vita Dei seorsim disputat.

2 *Et prima quidem dubitatio pertinet ad quæstionem an est, & quid est, in genere: secunda verò, tertia, quarta, quinta, octaua & nona dubitatione explicantur obiecta diuinæ scientiæ. Sexta & septima dubitatio explicant intrinsecam rationem, & quasi propter quid scientiæ futurorum contingentium. Nona vniuersim respondet quæstioni qualis est. Decima quasi per anacephaleosin partitiones omnes & diuisiones diuinæ scientiæ exponit. Vndecima denique declarat peculiarem diuinæ præscientiæ habitudinem & comparationem ad libertatem arbitrij nostri. Et quamuis S. Thomas quæstiones de veritate & falsitate, ac de vita Dei seiungat à quæstione de scientia Dei, illasq; huic subiungat; rectius tamen illæ, quia inter se ipsa connexæ sunt, vt ipsemet S. Thomas initio quæst. 14. fatetur, in ipsa etiam tractatione coniunguntur. Certè cum viuere latius pateat, quam intelligere, non est ratio, cur quæstio de vita Dei, subiungatur quæstioni scientiæ Dei. An autem detur in Deo Intellectus, seu potentia intellectiua per modum actus primi, distincta à scientia Dei actuali, quia difficultas communis est cum voluntate, commodius disputabitur quæst. 11. vbi de potentia Dei agetur.*

DVBIVM I.

An, & quomodo in Deo sit vita, scientia, & veritas; seu qua ratione Deus sit viuens, intelligens, & verus.

S. Thomas 1. p. q. 14. art. 1. & 4. & quæst. 16. 17. & 18.

3 SVnt hæc tria quidem inter se ratione distincta, vita, inquam, scientia, & veritas; sed habent tamen quandam inter se, ac præcipuè ad ipsam Dei scientiam subordinationem; quare etiam simul hoc loco commodè explicantur; vti sequentibus assertionibus facimus.

Assertio I. Vita dupliciter Deo conuenit; primò essentialiter, etiam secundum formalem conceptum; deinde quasi per modum proprietatis & attributi. Est communis Doctorum, iuxta ea, quæ supra q. 1. d. 5. diximus. Probatur. Quia vita vtroque modo est perfectio simpliciter, ac melior ipsa in quolibet Ente, quam non ipsa: Ergo vtroque modo necessariò conuenit enti perfectissimo

Digitized by Google

& infinito, qualis est Deus. Accedit quod in Deo est scientia & volunras; quæ sunt operationes vitales, supponentes vtique naturam & essentiam intellectualem, adeoque viuentem. Idem ex ijsdem principijs docet Aristoteles lib. 12. metaph. text. 51. & S. Thomas hîc quæst. 18. art. 3. accedit Scriptura Psal. 83. v. 3. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; ac passim alibi in Scriptura dicitur: *Viuo ego dicit Dominus*, aut, *viuit Dominus*: vt planè de fide sit, generatim loquendo, Deum viuere, seu vitam Deo propriè conuenire. Quomodo autem creaturæ omnes in Deo vita sint, quod docet S Thomas eadem quæst. 18. art. 4. commodius seq. quæst. de Ideis declarabitur.

4 Assertio II. Vita neutro modo peculiare & distinctum Dei attributum constituit. Videtur communis Doctorum, & colligitur ex S. Thoma q. 18. initio, vbi ipsemet profitetur, se de vita Dei agere non per se, sed solum cum quadam subordinatione ad scientiam Dei. *Quoniam autem*, inquit, *intelligere viuentium est, post considerationem de scientia & intellectu diuino, considerandum est de vita ipsius*. Ratio est. Aut enim vita sumitur pro vita substantiali, & sic propriè non est attributum Dei, sed ipsa eius essentia; iuxta ea, quæ supra quæst. 2. dub. 1 de attributis Dei in genere diximus. Aut sumitur pro operatione seu potentia vitali, quæ in rebus creatis est verum accidens prædicamentale; & sic vita est quidem attributum Dei; sed non peculiare ac omninò distinctum ab intellectu & voluntate Dei: cum sit ratio quædam quasi generica, vtrique tam intellectui, quam voluntati communis: penes rationes autem quasi genericas attributorum, non constituuntur peculiaria Dei attributa.

5 Assertio III. Deus est substantia viuens, intelligens; adeoque Deo proprie & perfectissimè conuenit intellectio & scientia. Ita S Thomas q. 14. a. 1. & est de fide tum ex innumeris alijs Scripturæ locis, inferius referendis; tum ex illo Apostoli Rom. 11. v. 33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*. Neque verò vllus vnquam fuit tam vecors aut stolidus, qui cum Deum aliquo modo cognosceret, negaret eum habere vitam & scientiam: nisi fortè Idololatræ illi, qui vaccas, dracones, aliaque bruta animantia, aut res inanimas pro Dijs colebant: quanquam cum has ipsas votis, sacrificijs, & orationibus colerent, eo ipso etiam vitam illis intelligentiamque tribuerunt.

Idem probatur euidenter ratione naturali. Quia quo substantia quæque est perfectior, & magis immaterialis, eo etiam perfectiorem habet cognitionem; vti patet inductione in omni viuentium rerum genere. Plantæ enim penitus non cognoscunt propter suam materialitatem, iuxta Aristotelem 2. de anim. text. 124. & quia formas sine materia, siue species intentionales nullo modo possunt recipere. Animalia verò quia habent sensum corporeum, receptiuum specierum sine materia, siue specierum sensibilium, habent vim cognoscendi sensitiuam & concretam materiæ. Denique substantiæ immateriales, quia recipiunt rerum omnium species immateriales; (quæ de causa etiam Aristoteles lib. 3. de anim. text. 37. dixit, animam esse *quodammodo omnia*) ideò substantiæ immateriales ex suo genere perfectissimè cognoscunt. Cum ergo Deus sit ens simplicissimum & maximè immateriale, necesse est, perfectissimam habere scientiam. Accedit, quod scientia siue intellectio est perfectio simpliciter, ac melior ipsa, quam non ipsa in quolibet Ente: ergo necessariò conuenit enti perfectissimo, & infinito, qualis est Deus.

Assertio IV. Scientia in Deo non est qualitas vel accidens aliquod, sed ipsa Dei substantia. Ita S. Thomas hîc q. 14 a. 1. ad 1. & art. 4. & est de fide ex dictis supra quæst. 3. dub. 1. de simplicitate Dei, vbi probauimus in Deo nullum esse accidens, ipsaque etiam attributa Dei à parte rei idem prorsus esse cum ipsa essentia diuina. Quod etiam tradit S. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 7. vbi ait; *Deo hoc est esse, quod sapientem esse*. Vnde colligitur, (quod rectè ait S. Thomas art. 4.) *quod in Deo intellectus, intelligens, & id quod intelligitur* (quatenus in Deo est,) *& species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omninò vnum & idem*. 6

Assertio V. Scientia in Deo non est per modum habitus, neque per modum potentiæ passiuæ; sed est actus purus absque vlla potentialitate. Ita S. Thomas q 14. a. 1. ad 1. & 3. & patet ex dictis superius de simplicitate, & perfectione Dei. In Deo enim nulla est potentia passiua. Neque habitus operatiuus naturæ aut potentiæ actiuæ superadditus locum habere potest, vbi substantia aliqua seipsa, ac vi sua naturali, ad faciliter operandum est prompta & expedita. Quod argumentum probat, habitum operatiuum in Deo propriè nullum habere locum; ac proinde eum nec ratione quidem nostra à natura ipsa diuina, seu vi intelligendi esse distinguendum; quæ planè est mens & doctrina S. Thomæ loc. cit. & apertè docet Aureolus in 1. d. 35 a. 3. vbi tamen simul etiam negat, dari in Deo intellectum per modum potentiæ distinctum ab operatione, de quo agemus infrà q. 11.

Addit S. Thomas cit art. 1 ad 3. scientiam Dei non habere etiam *modum scientiæ vniuersalis, vel particularis*: quod intelligendum est, non ex parte obiecti præcise; cum Deus planè hoc modo & vniuersalia & particularia, (quæ seu vniuersaliter, seu particulariter de subiecto negantur vel affirmantur) cognoscat; sed ex parte ipsius scientiæ: quia sicut Deo ipsi propriè non conuenit ratio vniuersalis, puta generis, aut speciei, &c. ita nec scientiæ ipsius, ob eandem causam explicatam supra q. 3. dub. 1. de simplicitate Dei. 7

Assertio VI. Cognitioni diuinæ conuenit quidem ratio intellectus, siue Intelligentia, prout hæc dicit cognitionem principiorum; item ratio scientiæ, sapientiæ, prudentiæ, consilij, & denique artis; sed hæc omnia in Deo sunt indiuisa, adeoque vna simplicissima cognitio, quæ omnes eas rationes, in creaturis alioquin distingui & separari solitas, vnitè continet. Ita S. Thomas hîc q. 14. art. 2. nisi quod artis expresè nullam mentionem facit, cuius tamen meminit infra q. 22. art. 2. Probatur & declaratur. Nam quæ sunt diuisim & multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter & vnitè; & quidem etiam formaliter, si in ratione sua formali nullam includant imperfectionem; vti fit etiam in proposito. Quatenus enim Deus cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam siue intellectum; scientiam verò secundum quod cognoscit conclusiones; li-

Digitized by Google

cet ea scientia ex principijs minimè causetur; sapientiam, quatenus cognoscit causam altissimam; consilium vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia; denique artem, in quantum cognoscit & versatur circa factibilia particularia; quæ aliter & aliter ab eo fieri possunt.

8 Idem confirmatur ex illo Iob 22. *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo, & ipse habet consilium & intelligentiam.* Et sæpius in scriptura Deus & sapientia diuina vocatur *Artifex*, vt Sap. 7. v. 21 *Omnium enim artifex docuit me sapientia.* Sap. 13. v. 1. *Neq; operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex.* Hebr. 11. v. 10. *Exspectabat enim fundamentum habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Neque nouum est, scientiæ, sapientiæ, &c. nomina, paulò aliter hîc vsurpari, quam ab Aristotele sint definita: cum id etiam in plerisque alijs nominibus perfectionum creatarum, prout Deo tribuuntur, cernatur; vt speciatim etiam dictum de scientiâ supra disput. 1. q. 2. dub. 3. Satis est, quod assignare possimus singulorum rationes formales proprias, ita abstractas, vt nullam imperfectionem inuoluant, quemadmodum dictum.

9 Assertio VII. Scientia Dei nec ab obiecto, nec ab vllo alio principio extrinseco dependet; ac proinde Deus non accipit scientiam ab obiecto, vel principio extrinseco. Ita S. Thomas cit. q. 14 a. 1. & art. 5. ad 3. ex communi omnium. Probatur. Impossibile enim est, vt Ens primum, & vndequaque independens, seu in essendo, seu in cognoscendo, ab aliquo dependeat. Et licet hoc inprimis quidem verum habeat de obiecto extrinseco, & creato, vti magis patebit dub. seq. tamen vniuersim etiam respectu cuiuslibet obiecti verissimum est, scientiam diuinam propriè ac reipsâ non dependere, vel causari ab vllo principio vel causâ: nec ab ipso quidem Deo; quia vera causalitas & dependentia inter aliqua, distinctionem à parte rei inter ea supponit, aut inuoluit; qualis inter Deum & scientiam diuinam nulla est, vt dictum.

10 Assertio VIII. Scientia Dei propriè ac necessariò est vera: ac proinde Deo triplex conuenit veritas, nimirum in essendo, in cognoscendo, & in dicendo. Ita S. Thomas q. 16. præsertim art. 5. & communis. prior pars patet; quia falsitas est magnus defectus & imperfectio scientiæ, siue intellectionis: Ergo in diuinâ scientiâ, quæ vtique perfectissima est, locum habere non potest. Plura infra dub. 8. Posterior pars declaratur.

Quia triplex est veritas; prima transcendentalis, seu in essendo, quæ cum Ente reciprocatur; eiusque passio est; ratione quidem prior bonitate, iuxta S. Thomam, Caietanum cit. q. 16 art. 4 Suarez, & alios communiter, etsi contrarium sentiat Vasquez d. 77. num. 55. Sicut prior est intellectus voluntate: sed ratione tamen posterior ente. Et consistere ex probabiliori sententiâ videtur hæc veritas, nec in negatione nec in denominatione extrinsecâ ab intellectu cognoscente; nec omninò propriè in vllâ actuali relatione rationis; sed in eius quodam fundamento; quod à nobis concipitur per modum fundamentalis quasi cuiusdam aptitudinis, secundum quam aptum est Ens, eo ipso quod Ens est, ab intellectu quolibet, vt tale, vel tale, verè concipi & iudicari. Quæ quidem aptitudo nil addit enti reipsâ ab eo distinctum, sed solum ratione ab eo differt, vt fusius declarat Suarez hîc lib. 1. cap. 7. num 8. idemque in simili superius dictum de Bono.

Secunda veritas est in cognoscendo. Tertia veritas est moralis in dicendo; quæ est virtus quædam, quam propriè veracitatem dicimus, quæ supponit veritatem in cognoscendo. Et omnis hæc veritas cum sit perfectio simpliciter, propriè & formaliter conuenit Deo, vt patet. Sed de tertiâ agitur in 2. 2. de fide, de secundâ pluribus agetur dub. 8. vbi de qualitate & proprietatibus diuinæ scientiæ tractabitur. Prima commodius quidem à S. Thomâ explicari potuisset superius, vbi egit de cæteris passionibus entis, *vno* videlicet, & *bono*, quatenus Deo conueniunt; neque enim verum, vt sic maiorem cum scientiâ & intellectu diuino cognationem habet, quàm bonum cum voluntate: attamen ex occasione, quod veritas quædam, nimirum secundo modo accepta, propria affectio est diuinæ scientiæ, ideò omnis de veritate tractatio à S. Thomâ in hunc locum reiecta est. Neque verò præter ea, quæ de modo cognoscendi Deum, eiusque incomprehensibilitate egimus supra q. 6. quò etiam à nonnullis *verum*, vt passio entis, est, referri diximus, opus est de passione entis, cum sit metaphysicæ tractationis, pluribus agere: vti nec de falsitate, de quâ agit S Thomas q. 17. hæc enim veritati contrariè opponitur iuxta eundem S. Thomam ibid. a. 4 ac proinde omnibus modis à Deo remouenda est; eodemque in cæteris modo, seruatâ proportione, de falsitate ratiocinandum est, vti de veritate diximus.

Assertio IX. Scientia proprium ac peculiare 11
Dei attributum est, sicut & verum in essendo; verum autem in dicendo, & cognoscendo, non tam sunt immediata ac propria attributa ipsius Dei, quam virtutis operatiuæ, seu ipsarum operationum Dei; illud quidem dictionis seu reuelationis & attestationis diuinæ, & principaliter ipsius voluntatis; hoc autem intellectûs. Probatur & declaratur. Scientia enim Dei ratione differt ab essentiâ, eidemque secundum rationem nostram quasi superuenit per modum proprietatis: sicut & in rebus creatis cognitio intellectualis intellectuali naturâ reipsâ posterior est. Quare etiam S. Thomas initio q. 14. tam scientiam & intellectum diuinum, quàm voluntatem & potentiam operatiuam ad extra cæteris Dei attributis adnumerat, vt dictum supra initio quæstionis huius; licet Aureolus in 1. d. 35. a. 3. ratus, intelligere in Deo non posse concipi per modum rationis cuiusdam formalis superadditæ ad essentiam, neget scientiam propriè esse attributum Dei, sed absque fundamento, vt quæst. 1. dictum. Eodem modo veritas in essendo, cum non minus sit passio entis, quàm vnum, & bonum; quæ à S. Thoma alijsque Doctoribus inter attributa Dei vtique recensentur; attributum etiam quoddam peculiare Dei erit censendum; sed propriè non ad hunc locum pertinens, vbi de attributis Dei agitur spectantibus ad operationem ipsius, vti diximus; sed potius vnitati Dei subiungendum, cum Ens, vnum, verum, bonum sese consequantur. Veritas autem in cognoscendo affectio est & perfectio immediata scientiæ, quâ fit, vt Deus falli non possit; quare etiam in intellectu immediatè hæc

veri-

Digitized by Google

veritas est; at veritas in dicendo, seu veracitas cum sit virtus quædam voluntatis, quæ in homine quidem facit, vt nolit fallere; in Deo etiam, vt non possit fallere, idcirco immediatè affectio quædam est & attributum diuinæ voluntatis: sicut & cæteræ virtutes morales, quæ in Deo sunt; quanquam si quis minutè & particulatim omnes perfectiones attributales Dei enumerare velit, adnumeratis videlicet ipsorum etiam attributorum subordinatis perfectionibus, absque incommodo etiam vtramque hanc veritatem inter attributa Dei recensere posset.

DVBIVM II.

An, & qua ratione Deus cognoscat seipsum, suaq; ipsius decreta.

S. Thom. 1. p. q. 14. a. 2. & 3.

1 INter obiecta diuinæ cognitionis, primarium ac principale est Deus ipse, de quo proinde meritò ante cætera tractatur.

Assertio I. Deus perfectissimè seipsum intelligit. Ita S. Thomas hîc q. 14. a. 2. & communis omnium; & est de fide, ex scripturâ, Matth. 11. v. 27. *Nemo nouit Filium, nisi pater, neq; patrem quis nouit, nisi Filius, &c.* Ioan. 10. v. 15. *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem*, 1. Corinth. 2. v. 11. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Ratio est. Quia Deus vti maximè est ens, ita maximè intelligibilis est; Ergo vel maximè intelligitur à perfectissimo intellectu, qualis est diuinus intellectus. Accedit, quod vnumquodque eò magis intelligitur, cæteris paribus, quò magis coniunctum est intellectui: nimirum etiam per modum intelligibilis; cum ergo Deus intimè coniunctus sit intellectui; imò idem prorsus sit cum ipso, etiam in quantum intelligibilis est (non enim Deus per speciem à se distinctam intelligibilis est, vt mox dicetur, sed per seipsum) Deus seipsum vel maximè intelligit. Quæ ratio etiam indicatur à S. Thoma cit. a. 2.

Assertio II. Deus seipsum non per speciem vel intellectionem à se reipsâ distinctam intelligit, sed per seipsum. Ita S. Thomas eod. art. 2. in corp. & ad 2. & communis omnium. Probatur ratione S. Thomæ. Quia Deus nihil potentialitatis habet, sed est purus actus, & omninò simplex: Ergo necesse est, vt in eo, cum seipsum intelligit, intellectus, & id quod intelligitur, atque ipsa etiam intellectio, sint vna simplicissima entitas: ita scilicet, inquit S. Thomas in corp. *vt neq; careat specie intelligibili; sicut intellectus noster, cum intelligit in potentiâ, neq; species intelligibilis sit aliud à substantiâ intellectus diuini; sicut accidit in intellectu nostro, cum est actu intelligens; sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus diuinus, & sic seipsum per seipsum intelligit.* Quare etiam in resp. ad 2. negat, intellectum diuinum, siue se, siue alia intelligendo perfici ab intelligibili, vel assimilari ei, nimirum propriè ac reipsâ: *id enim*, inquit, *conuenit intellectui, qui quandoq; est in potentiâ; quia per hoc quod est in potentiâ, differt ab intelligibili, & assimilatur ei per speciem intelligibilem, quæ est similitudo rei intellectæ, & perficitur per ipsam, sicut potentia per actum.*

Sed quod S. Thomas ipsum intellectum diuinum vocat speciem intelligibilem, respectu intellectionis etiam suiipsius; quasi Deus seipsum etiam cognoscat per speciem intelligibilem, quæ sit intellectus diuinus, non videtur positiuè & propriè intelligendum; species enim intelligibilis rei alicuius propriè distinguitur à re, quæ intelligitur; sed negatiuè, vt sensus sit, Deum non intelligere seipsum per aliam speciem intelligibilem, sed per seipsum. Quod ipsum etiam indicat S. Thomas ibid. resp. ad 3. vbi hoc discrimen constituit inter animam seipsam intelligentem, & inter Deum seipsum intelligentem; quod anima, siue intellectus noster intelligat seipsum per speciem intelligibilem, sicut & alia; quemadmodum etiam ex eo, quod cognoscit intelligibile, intelligit ipsum suum intelligere, & per actum cognoscit potentiam intellectiuam: *Deus autem*, inquit, *est sicut actus purus, tam in ordine existentium, quam in ordine intelligibilium, & ideò per seipsum intelligit.* Vbi negare absolutè videtur S. Thomas, Deum seipsum cognoscere per speciem intelligibilem; & Caietanus hîc artic. 2. existimat, S. Thomam locutum de specie intelligibili generatim, prout commune quid est tam speciei impressæ, quàm expressæ; quod tamen vniuersim loquendo non probatur. Quanam autem ratione anima cognoscat seipsam, philosophi disputant, & ad præsens institutum non pertinet.

Assertio III. Deus etiam perfectissimè & ab æterno cognoscit sua ipsius decreta, omnesque actus & liberos, & necessarios, tam intellectus, quàm voluntatis suæ. Est extra controuersiam, ac de fide, ex citato scripturæ loco, 1. Corinth. 2. vers. 11. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei;* vbi Apostolus præcipuè de actibus diuinæ mentis ac liberis decretis loquitur. Ratio est: Tum quia & hæc sunt cognoscibilia; Ergo à perfectissimo intellectu cognoscuntur. Tum quia idem sunt cum ipsâ substantiâ diuinâ; atque etiam intelligenti Deo intimè coniuncta & præsentia; Ergo non possunt latere Deum seipsum perfectissimè cognoscentem. Tum quia nos ipsi etiam nostros actus internos cognoscimus: Ergo multò magis Deus.

Quo fit, vt licet Deus respectu suæ intellectionis, propriè & formaliter non habeat actus reflexos, quandoquidem propria actuum reflexio, pluralitatem actuum reipsâ supponit; habeat tamen quasi virtualiter reflexos; nimirum vnam simplicissimam cognitionem æquiualentem pluribus actibus, directis, & reflexis. Quæ etiam ratio est, cur non detur processus in infinitum in actibus eiusmodi diuinæ cognitionis: quia licet Deus suam etiam cognitionem intelligat, & hoc ipsum etiam cognoscat, se intelligere, non tamen intelligit per cognitionem distinctam, sed per seipsam. Et quamuis rationes nostrâ distinguamus plures eiusmodi intellectiones in Deo, non tamen distinguimus actu infinitas, vt patet.

Assertio IV. Deus adeò perfectè seipsum intelligit, vt etiam comprehendat. Ita S. Thomas hîc q. 14. a. 3. in corp. & ad 2. & communis Doctorum. Probatur duabus rationibus. Primò; quia tunc aliquid dicitur comprehendi, quando peruenitur ad finem cognitionis ipsius; seu quando res cognoscitur ita per-

ita perfectè, sicut cognoscibilis est: Deus autem vtique tam perfectè seipsum cognoscit, quàm perfectè cognoscibilis est; non enim minor est virtus Dei in cognoscendo, quàm perfectio in essendo; Ergo Deus seipsum comprehendit. Secundò iuxta S. Augustinum epist. 112. ad Paulinum cap. 9. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem*: sed nihil est in Deo, quod lateat ipsum. Ergo, &c.

4 Ex his duabus rationibus, prior planè procedit & desumitur à ratione formali comprehensionis, iuxta ea, quæ supra q. 6. dub. 6. docuimus. Posterior autem ratio, etsi non sumatur à formali conceptu comprehensionis, vt ibidem dictum, sumitur tamen à signo, ac velut à posteriori, saltem iuxta ordinariam Dei legem; loquendo nimirum de omnibus, quæ & formaliter, & eminenter sunt in Deo. Licet enim controuersum sit, an secundum absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri in Deo possint omnia, quæ in ipso sunt formaliter & eminenter, satis tamen certum est, reipsâ à nullo ita videri, præterquam ab ipso Deo seipsum comprehendente; adeò vt nec consentaneum sit naturis rerum, omnia videre seu cognoscere, quæ in aliquâ re formaliter & eminenter continentur, nisi res illa tam perfectè cognoscatur, quàm cognoscibilis est, adeoque comprehendatur; vt proinde non malè S. Thomas hinc etiam argumentum sumat ad probandum, Deum seipsum comprehendere. Non loqui autem hîc S. Thomam de ijs solum, quæ in Deo formaliter insunt, patet ex eius quæstione 12. a. 8. & citato loco satis probatum est; cum Beati omnes videant vtique in Deo omnia, quæ formaliter in ipso sunt, licet eum interim ipsi minimè comprehendant, vt loc. cit. diximus. Vbi simul tamen exposuimus, quænam sit vera mens S. Augustini eo loco, quem S. Thomas hîc allegat; vnde patet, loqui ipsum de aliâ quadam ratione comprehensionis, quam non negat Beatis, sed solum viatoribus pro statu huius vitæ.

5 Assertio V. Quando Deus seipsum dicitur comprehendere, locutio hæc non est omninò proprie & strictè accipienda, sed latè & impropriè. Ita S. Thomas hîc cit. q. 14. a. 3. ad 1. Probatur. Quia vt aliquid ab aliquo propriè comprehendatur, requiritur inter ea ipsa à parte rei distinctio; comprehendere enim significat aliquid habens, & includens alterum: quare etiam necesse est, vt omne comprehensum sit finitum; sicut omne inclusum est finitum. In quem sensum etiam S. Augustinus lib 83. qq. q. 14. ait, *id quod comprehendit se, finitum esse sibi*. Intellectus autem Dei non est aliquid reipsâ distinctum à Deo; nec Deus finitur & includitur comprehensione suâ; Ergo, &c.

Quare *huiusmodi locutiones*, inquit S. Thomas ibid. *per negationem sunt exponendæ*. Sicut enim Deus dicitur *esse in seipso*, quia à nullo exteriori continetur; ita dicitur *comprehendi à seipso*, quia nihil est sui, quod lateat ipsum; siue potius, quia perfectio eius in essendo, siue ipsa eius cognoscibilitas, non excedit perfectionem eius in cognoscendo. Et cum iuxta S. Augustini citatum dictum dicitur, Deum esse sibi finitum, *intelligendum est*, inquit S. Thomas, *secundum quandam similitudinem proportionis; quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem sic dicitur Deus sibi finitus, quod ipse intelligat, se esse aliquid finitum*. Hæc S. Thomas.

DVBIVM III.

An, & qua ratione generatim loquendo, Deus cognoscat alia à se, siue creaturas; in seipsone, an in seipsis?

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 5. 6. & 11.

1 LOquimur hîc de rebus extra Deum, siue de rebus creatis indefinitè, abstrahendo in particulari, quasnam creaturas Deus cognoscat: hoc enim sequentibus dubitationibus fit manifestum.

Assertio I. Deus cognoscit etiam alia à se, adeoque creaturas. Ita S. Thomas q. 14. a. 5. omnesque Theologi in 1. d. 35. & est de fide, ex multis scripturæ locis. In præsenti sufficiat ille Hebr. 4. v. 13. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius*. Ratio est. Tum quia scientia Dei est infinita: ergo cognoscit omne cognoscibile. Tum quia Deus creaturas suo arbitratu producit & gubernat, tanquam agens nimirum intellectuale: Ergo eas etiam cognoscit. Tum quia Deus perfectè cognoscit seipsum, ac proinde etiam virtutem suam operatiuam: sed virtus alicuius rei perfectè & adæquatè cognosci non potest, ni si cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit: ergo cum virtus diuina se extendat ad alia extra se, eò quòd ipsa est prima causa effectiua omnium entium, ne cessariò fatendum est, Deum etiam alia extra se cognoscere. Quæ est ratio S. Thomæ cit. art. 5.

2 Assertio II. Deus cognoscit creaturas, non solum secundum Esse, quod in Deo habent, sed etiam secundum suum esse proprium. Ita S. Thomas, cæterique Theologi locis citatis; & est extra controuersiam; ac de fide; idemque probatur adducta scriptura & rationibus. Deus enim creaturas producit non secundum Esse, quod in ipso Deo habent; neque adeo etiam virtus Dei productiua extendit se ad creaturas, secundum illud Esse, quod in Deo habent, sed secundum esse proprium.

Et referunt quidem Capreolus in 1. d. 35. q. 2. & Aquarius ibid. ac refellunt Aureolum, quasi dixerit, scientiam diuinam non terminari ad creaturas secundum esse proprium. Sed reuera Aureolus 1. d. 35. p. 2. a. 4. non videtur aliud velle, quam Deum non cognoscere res creatas in se, sed in Deo, vt inferius etiam cum S. Thoma & communi dicemus. Fateor tamen, eundem ibid. art. 1. & part. 3. a. 1. dum explicat & defendit Auerroem dubiè & obscurè locutum; quasi nihil aliud præter ipsum Deum terminet intuitum diuinæ scientiæ: cum tamen interim idem Aureolus simul eadem distinct. 35. p. 4. a. 2. refellat Auicennam, Auerroem, & Aristotelem, quod negarint, Deum distinctè cognoscere singularia, vt in loquendi modo potius, quam reipsâ videatur erraſſe Aureolus; de qua re plura assert. 8.

Assertio III. Deus cognoscit creaturas distinctè, & propriâ cognitione. Ita S. Thomas hîc q. 14. art. 6.

alij-

Digitized by Google

alijque Doctores cum Magistro loc.cit. & est de fide, tum ex alijs Scripturæ locis, tum ex illo Psalm. 32. v. 15. *Qui fingit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.* Ratio itidem est euidens. Tum quia aliàs scientia Dei non esset infinita; non enim perspicuè & distinctè cognosceret omne intelligibile. Tum quia Deus sigillatim omnibus rebus prouidet, vt disp. seq. dicetur. Tum quia creaturæ sunt & eminenter existunt in Deo, non tantum secundum communem rationem entis, in qua omnes creaturæ conueniunt, sed etiam secundum suum Esse proprium, per quod à se inuicem distinguuntur: Ergo cum Deus seipsum, & omnem suam virtutem, seu continentiam eminentialem perfectissimè cognoscat, fieri non potest, quin Deus cognoscat creaturas distinctè & secundum Esse proprium ac particulare, adeoque propriâ cognitione.

3 Vnde etiam efficitur, Deum cognoscere singularia, vt docet S. Thomas hîc q. 14. a. 11. ex Aristotele lib. 1. de an. text. 80. & lib. 3. metaph. text. 15. idque inde etiam rectè probat, quod Deus suamet scientiâ efficiat & producat singularia. Quocirca vt benè etiam notauit idem eod. art. 6. errarunt illi, qui dixerunt, Deum alia à se non cognoscere, nisi in communi, scilicet in quantum sunt entia. In quo errore videtur fuisse Auerroes lib. 12. metaph. comment. 51. & in opusc. distinct. vbi negat Deo distinctam cognitionem suorum operum. Fauet eidem errori Aristoteles lib. 12. metaph. sum. 2. cap. 4. text. 51. ita non solum ab Auerroe, & quibusdam philosophis, sed etiam à scriptoribus ecclesiasticis, & Theologis quibusdam intellectus; licet vtrunque in meliorem sensum explicare conentur Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 50. & alij. Malè etiam Ockam, & Gabriel in 1. dist 35. dixerunt, hanc assertionem probabili solum, non autem euidenti ratione posse probari.

4 Sed obijcitur obscurus quidam locus S. Hieronymi in illud Abacuc 1. *Mundi sunt oculi, ne videas malum,* vbi ait: *Cæterum absurdum est, ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quot ve moriantur; qua cimicum, pulicum, & muscarum sit in terrâ multitudo; quanti pisces in aquâ natent; & qui de minoribus maiorum præda cedere debeant. Non sumus tam fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nosmetipsos iniuriosi simus; eandem rationabilium, quàm irrationabilium prouidentiam dicentes. Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus, & in hanc similitudinem piscibus quoq; & arboribus, & bestijs vniuersis proprios in custodiam Angelos assignatos.*

Respondeo cum Magistro in 1 dist. 36. c. 4. Hugone de S. Victore in sum sent. tract. 1. cap. 12. item cum Gregor. de Valentia hîc q. 14. p. 4. & Suarez lib. 3. cap. 3. S. Hieronymum minimè in eo errore fuisse, vt negaret, hæc omnia à Deo distinctè quouis modo cognosci; sed loquitur de scientiâ practicâ peculiaris prouidentiæ diuinæ, quâ ex se ipse, & ante prouisionem causarum secundarum, certum, & peculiarem numerum, atque etiam indiuiduas rationes singulorum eiusmodi animalculorum ab æterno præfinierit; atque etiam de singulis peculiarem curam habeat, vti de hominibus, præsertim electis habet; iuxta ea, quæ de hac re disserit S. Thomas hîc q. 22. a. 2. & q. 23. a. 7. in quem modum etiam loquitur Apostolus 1. Cor. 9. *Nunquid Deo cura est de bobus?*

Hanc esse mentem S. Hieronymi, patet tum ex citatis eius verbis, *eandem rationabilium, quàm irrationabilium, &c.* tum ex ijs, quæ ibidem præmiserat: *In cæteris animalibus generalem quidem Dei dispositionem, & ordinem cursumq; rerum intelligere possumus: v. g. quomodo nascatur piscium multitudo, & viuat in aquis: quomodo reptilia & quadrupedia oriantur in terrâ, & quibus alantur cibis.* Præterquam quod idem S. Doctor in c. 10. Matth. apertè Catholicam sententiam tradit: sic enim in illa verba: *Nonne duo passeres asse veneunt, &c* ait: *Si parua animalia absq; Deo authore non decidunt, & in omnibus semper est prouidentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt, vos qui æterni estis, non timere debetis, quod absq; Dei vinatis prouidentia?* Neque hanc expositionem benè refellit Vasquez hîc q. 14. a 6. qui frustra suspicione erroris in supradicto loco S. Hieronymi fouet. Simili modo, quod pro absurdo refert S. Hieronymus, plantis & brutis Angelos custodes præesse, intelligendũ de singulis custodibus singulis eiusmodi rerum indiuiduis præpositis, vti in hominib. accidit: singulis enim speciebus rerum Angelos à Deo præpositos non est absurdum dicere, vt suo loco docetur de Angelis in fine. 5

Assertio IV. Cognitio hæc diuina creaturarum non specificatur, nec dependet vllo modo à rebus creatis. Ita S. Thomas q. 14. a. 5. ad 3. & communis Doctorum; qui propterea etiam notant, obiectũ ad cognitionem creatam dupliciter cõparari: primò vt præcisè terminũ, in quem tendit & fertur cognitio, & hoc etiã obiectis creatis respectu diuinæ scientiæ cõuenit: secundò vt causam, principiũ, & motiuum ipsius cognitionis; quatenus videl. mediatè aut immediatè speciè sui ad potentiam cognoscentẽ transmittit, per quã fit, & causatur intellectio; aut certè per seipsum immediatè concurrit ad cognitionẽ; & hoc obiectis creatis respectu diuinæ sciẽtiæ minimè conuenit. Ratio est. Quia cognoscere Dei est ipsum esse, ipsaq; subsistantia Dei: implicat. a. contradictionẽ, vt subsistãtia siue esse Dei, ab vlla creata re depẽdeat: qua ratione etiã relatio transcẽdẽtalis ad creaturas à diuina cognitione excluditur, vt supra vniuersim dictũ. 6

Addit S. Thomas cit. a. 5. ad 3. ipsum intelligere diuinum *non specificari per aliud, quàm per essentiam diuinam:* quod non est ita intelligendũ, quasi propriè per essentiam diuinã specificetur; sicut enim propriè ab ea non dependet, ita etiã ab ea propriè non specificatur; præsertim quando propriè non est in vlla specie: sed sensus est, rationem ipsius, & essentiam à parte rei eandem esse cum essentia diuina.

Assertio V. Deus non cognoscit creaturas in ipsis creaturis, velut medio cognoscẽdi; sed immediatè in seipso. Ita sentit S. Thomas a. 5. & 6. Neq; est sub his terminis vlla inter Doctores cõtrouersia. Neq; enim illi, qui dicũt, Deũ cognoscere creaturas in seipsis, dicunt cognoscere in seipsis velut medio cognitionis; neq; negant etiã, cognoscere in seipso aliquo modo. Probatur ex præced. assert. Cum. n. diuina scientia sit planè independens à creaturis, non possunt creaturę esse medium, seu principiũ diuinæ cognitionis, vnde sequitur, Deũ cognoscere creaturas absq; alio medio adeoq; per seipsũ, ac in seipso immediatè, vt mox explicabimus. Eadem est doctrina S. Dionysij, vt dicetur.

Et con-

Digitized by Google

Et confirmatur. Quia ad hoc, vt creaturæ à Deo cognoscantur, necesse est, eas ipsi repræsentari: aut ergo à seipsis repræsentantur diuino intellectui, aut ab essentiâ diuinâ. Non primum; tum quia ita scientia diuina penderet à rebus creatis, contra dicta assert. 4. Tum quia se prius repræsentare verâ aliquâ causalitate non possunt, quam sint; repræsentatio enim obiecti propria ad causam efficientem pertinet; Dei autem cognitio æterna est, & earum etiam rerum, quæ nunquam sunt, vt dicetur: Ergo fatendum est, repræsentari eas ab ipsâ essentiâ diuinâ, non in seipsis, tanquam ratione mediâ cognoscendi.

Assertio VI. Deus cognoscit quidem creaturas in seipso, vt in verbo mentis, seu specie expressâ creaturarum: sed cognitione quasi reflexâ, non directâ. Prima pars est extra controuersiam. Omnes enim concedunt, Deum non minus, quàm alium quemlibet cognoscentem, in suamet cognitione, siue in suo verbo mentis, cognoscere aliquo modo obiectum ipsum talis cognitionis, seu verbi. Vnde cum Deus sit sua cognitio, suumque verbum, quo cognoscuntur, seu repræsentantur creaturæ; non potest negari, Deum in seipso, velut in verbo, seu specie expressâ creaturarum, cognoscere aliquo modo creaturas.

7 Secunda pars est contra quosdam recentiores, quibus nonnihil fauet Vasquez hîc disput. 60 cap. 3. qui vt defendant, Deum aliquo etiam modo cognoscere creaturas in seipso, vti S. Dionysius, & communis Doctorum sententia habet, dicunt, Deum cognoscere creaturas in seipso, vt in Verbo mentis, seu specie expressa creaturarum; eo ipso, quod Deus est ipsamet species expressa, seu Verbum mentis, adeoque suamet cognitio, quâ creaturas directè cognoscit in seipsis. Neque enim aliud esse, Deum cognoscere creaturas in seipso, quam cognoscere eas in sua cognitione, tanquam actuali specie expressâ, quæ illas actu cognitas repræsentat. Eademque ratione concedunt, Deum etiam cognoscere creaturas possibiles in suâ ideâ; cum idea in Deo sit ipse conceptus diuinæ mentis, seu species expressa creaturarum possibilium. Vbi semper isti de cognitione directa creaturarum in Verbo loqui videntur: quod ob aliam etiam causam ita necessariò sentire debent, eo quod vniuersim negant, Deum cognoscere creaturas in seipso velut medio cognito, vt inferius dicemus; cum tamen reflexa cognitione in Verbo mentis, seu ipsa cognitione mentali, cognosci nihil possit, nisi vt in medio cognito.

Nostra vero sententia videtur ex mente Doctorum, qui dicunt, Deum cognoscere creaturas in seipso velut specie expressâ, seu Verbo mentis, siue in cognitione ipsa creaturarum; vt fusius declarat Suarez hîc lib. 3. cap. 2. num. 17. & fauet ex parte Vasquez disp. 60. cap. 3. num. 9. vbi ait: *Deum creaturas cognoscere in seipso prius cognito; non quidem prius cognito solum tanquam obiecto primario, & causa; sed tanquam Verbo, quod est etiam creaturarum Verbum, eas repræsentans*: certè cognoscere Deum creaturas in se vt Verbo prius cognito, est cognoscere creaturas in Verbo quasi reflexè, non directè.

8 Sed, quicquid sit de mente Vasquij, probatur hæc pars assertionis. Quia cognoscere creaturas directè per diuinam essentiam, vt Verbum, seu cognitionem creaturarum, propriè loquendo, non est cognoscere creaturas *in Verbo*, seu in cognitione creaturarum; sed cognoscere creaturas *Verbo*, seu cognitione creaturarum. Neque enim si quis sua cognitione directè cognoscat aliquid, dicitur illud cognoscere in sua cognitione, sed suâ cognitione. Sic ergo etiam Deus directè cognoscens creaturas per seipsum, tanquam Verbum & cognitionem creaturarum, non rectè & propriè dicitur cognoscere illas in seipso veluti in Verbo & cognitione creaturarum. Et ratio est. Quia vocula *In* in eiusmodi locutione significat medium inter cognitionem & cognoscentem; ipsa autem directa cognitio rei alicuius, respectu suiipsius, non est vllo modo media; neque secundum rationem quidem, vt patet.

E contrario verò tametsi in Deo nulla sit à parte rei distinctio & pluralitas actuum; qua de causa etiam in Deo propriè locum non habet cognitio reflexa; quod solum probat Aureolus in 1. d. 35. part. 2. a. 1. tamen quia Deus vno à parte rei, & eodem actu, non solum cognoscit obiectum cognitionis, sed etiam ipsam eius obiecti cognitionem; fit, vt ratione nostra posterior hæc cognitio fit quasi reflexa; quo tamen ipso cognitio & notitia creaturæ directa, simul etiam ratione nostra; ratio quasi quædam, ac medium est, denuo quasi, ac reflexè cognoscendi ipsum obiectum eiusdem notitiæ: quandoquidem commune est omni cognitioni reflexæ, quâ quis suummet conceptum reflexè cognoscit, vt eâ simul etiam cognoscatur ipsum obiectum talis notitiæ, iam antea directè cognitum. Deus ergo in seipso veluti Verbo & cognitione creaturarum cognoscens creaturas, si propriè loquamur, non cognoscit illas, vt sic, directa cognitione, sed quasi reflexa. 9

Assertio VII. Deus cognoscit creaturas in seipso, non solum vt in Verbo mentis, seu specie expressa; siue vt in ipsa cognitione creaturarum; sed etiam aliâ ratione. Hæc est communis sententia S. Thomæ hîc q. 14. a. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 53. & communis Doctorum, vt patebit assert. seq. contra recentiores illos præcedente assertione memoratos; qui hunc solum modum agnoscunt, quo Deus cognoscat creaturas in seipso. Probatur duabus rationibus. Prima. Quia Deus cognoscit creaturas in seipso directâ cognitione, non solum reflexa: sed cognitio, quâ Deus cognoscit creaturas in seipso tanquam Verbo, non est cognitio directa, sed quasi reflexa: Ergo datur alia cognitio, qua Deus cognoscit creaturas in seipso, quam vt in Verbo. Secundam propositionem probauimus assert. præcedente. Primam admittunt illi, contra quos disputamus; & hac etiam ratione probamus. Quia cognitio illa creaturarum in Deo quasi reflexa, supponit ratione prius cognitionem earundem creaturarum in ipso directam: non enim Deus haberet cognitionem creaturarum in se, tanquam Verbo, quasi reflexam, nisi illud ipsum Verbum, seu species expressa esset cognitio creaturarum in Deo quasi directa. 01

Altera ratio est. Quia cum Deus non cognoscat creaturas in ipsis creaturis, velut medio cognoscendi, vt dictum assert. 5: idcirco præter vim cognoscitiuam, & ipsam cognitionem creaturarum in Deo, assignari debet aliquid, quod ex parte obiecti sit ra- 11

tio &

tio, & quasi medium cognoscendi creaturas; in quo proinde Deus etiam creaturas cognoscat: sed Verbum mentis seu species expressa non est ex parte obiecti ratio, & quasi medium, in quo Deus cognoscit creaturas, saltem loquendo de directa cognitione creaturarum, vti dictum: multo minus est aliquid distinctum ab ipsa cognitione creaturarum: Ergo præter Verbum mentis, & speciem expressam creaturarum, assignandum est aliquid aliud (ratione scilicet distinctum) in ipso Deo, in quo Deus directè cognoscat creaturas, velut medio & ratione cognoscendi. Maior patet; quia ad cognoscendum aliquid tria requiruntur; quorum singula in suo genere ratio quædam esse possunt cognoscendi: primum est vis cognoscitiua ex parte cognoscentis; secundum est obiectum, tam per modum termini, quam per modum principij repræsentatiui per seipsum, aut mediante specie concurrens ad intellectionem; aut certè aliud quipplam ex parte obiecti eiusmodi concursum sustinens; tertium est ipsa intellectio, seu Verbum mentis, siue ipsa species expressa, tanquam ratio formalis cognoscendi: Cum ergo hæc tria in omni intellectione & cognitione necessaria sint, certè etiam in diuina creaturarum cognitione suo modo requirentur; non ita quidem, vt creatura ipsa causalitatem obiecti in cognitione diuina exerceat: hoc enim impossibile est, vt dictum assert. 1. sed vt in ipso Deo sit aliquid, quod ita ex parte obiecti concurrat, adeoque concursum obiecti creati suppleat. Minor declaratur. Quia Verbum mentis, & species expressa creaturarum, est ipsa cognitio creaturarum in esse completo; cognitio autem non est medium & ratio, ex parte obiecti, cognoscendi obiectum, saltem directè; sed supponit obiectum & concursum ex parte obiecti. Ergo nec Verbum mentis seu species expressa creaturarum, est ex parte obiecti ratio, & quasi medium, in quo Deus cognoscit creaturas, saltem loquendo de directa cognitione creaturarum, de qua etiam authores isti inprimis loquuntur; ac proinde præter Verbum mentis, & speciem expressam creaturarum, assignandum est in Deo aliquid aliud (ratione scil. distinctum) in quo Deus directè cognoscat creaturas, velut, iuxta nostrum intelligendi modum, in ratione & medio cognoscendi.

12 Assertio VIII. Deus cognoscit creaturas in seipso, tanquam in obiecto principali, & medio cognito, tum per modum Verbi ac ideæ creaturarum, tum per modum causæ eminentissimè continentis omnes omnium rerum perfectiones. Non dico creaturas secundum omnem modum & statum sufficienter intelligi à Deo, quouis istorum modorum; hoc enim falsum esse dubitationibus sequentibus patebit, sed indefinitè loquor; ac præsertim de creaturis secundum esse possibile. Ac prima pars, Deum cognoscere creaturas aliquo modo in seipso, velut obiecto principali, & medio cognito, est communis Doctorum, quos pro secunda & tertia parte adducemus: tametsi contrarium asserant Gabriel in 1. d. 35. a. 2. Ockam d. 35. q. 3. quos sequuntur nonnulli recentiores, post Vasquium disp. 60. cap. 2 qui tamen hac de re obscurè & ambiguè locutus est, vt dictum assert. 6. Fauet eidem sententiæ Scotus in 1. d. 35. q. 1. etsi Gregorius de Valentia, & Molina infra existiment, eum in re non differre à S. Thoma.

Refertur etiam pro eadem sententia Aureolus ex Capreolo distinct. 35. quæst. 2. artic. 1. cum is tamen longè aliter senserit; videlicet Deum non solum non cognoscere creaturas in seipso, velut obiecto & medio prius cognito; sed nec scientiam Dei terminari formaliter ad ipsas in se creaturas, sed solum eminenter: tantum abest, vt sentiat, Deum cognoscere creaturas in seipsis, & non in seipso. Sic enim ait in 1. distinct. 35. part. 2. art. 2. *Deum intelligere creaturas, &c. sub vno quidem sensu concedi potest; sub alio verò non potest. Si enim quæratur, an Deus sic intelligat creaturam, quod intuitum ferat super essentiam, & ex hoc procedat vlterius, vsq; ad creaturam; ita quod sint duo intuita, Deus & creatura; &c. sic nullo modo concedi potest, quod Deus intelligat creaturas, &c. Si verò quæratur, an sic intelligat creaturas Deus, quod suum intuitum terminet ad essentiam ibi sistendo, nec vlterius procedendo; sic tamen, quod ibi sistendo, dicatur attigisse eminenter, & pluſquam æquipollenter omne aliud extra se, & omnem creaturam, &c. sic concedi oportet, quod Deus non ignorat, imò perfectissimè & supereminenter nouit omnem creaturam, & omne aliud extra se, &c.* 13

Ratio nostræ sententiæ generalis est; quia talis cognitio creaturarum in Deo, nec impossibilis est, nec vllam includit imperfectionem, vt in simili dictum supra quæst. 6. dub. 8. & 9. & magis patebit ex probatione secundæ & tertiæ partis.

Secunda pars, Deum cognoscere creaturas in se, tanquam obiecto & medio cognito, per modum Verbi; & ideæ creaturarum, patet ex dictis assert. 6. vbi etiam declarauimus, hanc cognitionem in seipso, tanquam in Verbo mentali, & specie expressa creaturarum, esse quasi reflexam. Eadem est ratio ideæ; cum & idea in Deo nihil aliud sit, quam conceptus mentalis, ad cuius similitudinem & imitationem fieri aliquid potest, vt quæst. 2. patebit. Vnde tamen hoc ipsum discrimen nascitur, inter speciem expressam Dei generatim acceptam, & inter ideam; quod cum hæc non sit nisi rerum possibilium; illa verò rerum quarumlibet creatarum, secundum omnem modum & conditionem, idcirco Deus in se, vt in idea, non intelligat nisi res possibiles; in se vero vt specie expressa, res quaslibet, etiam existentes vt sic. 14

Tertia pars, cognoscere Deum creaturas in se, veluti *causa, &c.* est expressa & constans doctrina S. Thomæ in pluribus locis, quicquid refragetur Vasquez disput. 60. num. 10. Sic enim docet hic quæst. 12 artic. 8. vbi ait: *Manifestum est, quod sic aliqua videntur in Deo, secundum quod sunt in ipso: omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa. Sic igitur videntur omnia in Deo, sicut effectus in sua causa. Sed manifestum est, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures eius effectus in ipsa videri possunt, &c. Ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit;* nimirum Deus, vti docet idem S. Thomas quæst. 14. artic. 3. Idem docet hic cit. quæst. 14. artic. 6. vbi ita concludit: *Sic igitur cum essentia Dei habeat in se, quicquid perfectissimè habet essentia cuiuscunq; rei alterius, & adhuc amplius, Deus in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere.* Et ibidem ad 1.

Digitized by Google

ait: *Sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscat res esse in seipso, sed per id, quod in seipso continet res, cognoscit eas in propria natura; & tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodq; in ipso.* Sentit igitur S. Thomas, Deum cognoscere creata omnia in seipso, quatenus in seipso eminenter continet omnia; quod est esse causam in actu primo.

15 Quodipsum apertius declarat lib. 1. contra gent. cap. 49. vbi ait: *Ex hoc, quod Deus seipsum cognoscit primo & per se, quod alia à seipso cognoscat etiam ponere oportet. Effectus enim cognitio sufficienter habetur per cognitionem suæ causæ. Vnde scire dicimur unumquodque, cum causam eius cognoscimus. Ipse autem Deus est per suam essentiam causa essendi aliis; cum igitur suam essentiam planissimè cognoscat, oportet ponere, quod etiam alia cognoscat.*

Eodemque modo & sensu S. Thomam intelligunt, & sequuntur Capreolus in 1. distinct. 35. quæst. 2. art. 1. Caietanus hîc quæst. 14 art. 6. Ferrariensis cit. 1. contra gent. cap. 49 Gregorius de Valentia hîc quæst. 14. p. 3. Molina art. 5. & 6. disput. 7. Suarez lib. 3. cap 2. num. 3 & moderni Thomistæ omnes hîc quæst. 14. art 5. & 6. Ex antiquioribus verò præter S. Thomam, eandem sententiam indicant Alensis 1. part. quæst 23. in 2. art. 1. Henricus quodlib. 9. quæst. 2. Ægidius in 1. distinct. 35. quæst. 3. & apertè docent Argentina ibidem q. 1. & Durandus in 1. dist. 35. q. 2. vt meritò hæc sententia communis dici possit.

16 Probatur primò authoritate S Dionysij, qui eam expressè etiam tradit cap. 7. de diuin. nomin. vbi ait: *Neq; enim ea, quæ sunt, ex iis, quæ sunt, discens nouit diuina mens; sed ex se, & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamq; anticipatam, & ante comprehensam habet: non quod per speciem singula consideret; sed quod vnoc causæ complexu omnia sciat & contineat: quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet; quod non aliunde, quam ex luce tenebras norit. Seipsam ergo noscens diuina sapientia nouit omnia, sine materia ea, quæ ex materia constant; sine diuisione ea, quæ diuidua sunt; multa coniunctè; dum ipso vno omnia & nosci, & procreat. Si enim causa vna Deus rebus omnibus statum largitur, eadem etiam causa vna omnia, vt à se profecta, & in se ante constantia cognoscet: nec ab iis, quæ sunt, ipsorum notitiam accipiet; sed & singulis sui, & aliis aliorum notitiam impartiet. Non igitur propriam sui notitiam Deus habet, aliam autem, quæ communiter & generaliter ea, quæ sunt omnia comprehendit. Ipsa enim seipsam omnium causa noscens, nullo prorsus modo ea, quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hac ergo Deus ea, quæ sunt noscit, non rerum (in se nimirū) notitia, sed sui.* Qui locus, quod ad præsens institutum pertinet, clarior est, quam vt in alium sensum trahi se patiatur: præsertim quando à S. Thoma, & ab omnibus S. Dionysij Interpretibus, alijsque Theologis, ante Vasquium ad eundem planè modum fuit intellectus. Eodem spectat, quod S. Dionysius mox ibidem de Angelis subiungit: *Etenim Angelos quoq; scripta diuina ea, quæ in terra fiunt, scire tradunt, non quod ea sensibus noscant,* (nempe à sensibus, aut rebus sensibilibus sumendo cognitionem) *etsi* (obiecta illa cognita) *sub sensum cadant; sed mentis suæ diuinam speciem præ cæteris vi atq; natura.* Quæ similitudo in hoc consistit, quod sicut Angelis ratio cognoscendi res sensibiles, non sunt sensus aut res ipsæ sensibiles per se mouentes intellectum Angeli, sed species Angelis diuinitus inditæ; ita etiam ratio obiectiua cognoscendi creaturas in Deo, est ipsa diuina essentia.

Secundo accedit ratio. Nam commune hoc est 17
cognitioni intellectuali; vt ex causa, siue in causa cognita cognoscatur effectus; & quo melius cognoscitur causa, quoque causa ipsa perfectius continet effectum, eo etiam perfectius in causa cognoscitur effectus: Cum ergo Deus & eminentissimè contineat omnes perfectiones creatas; seque ipsum veluti earum causam eminentissimè ac perfectissimè cognoscat; fieri non potest, quin in seipso etiam velut in causa perfectissimè, adeoque etiam intuitiua cognitione (quantum fert conditio obiecti cogniti) creaturas ac perfectiones creatas conspiciat.

Atque hoc est, quod dicit S. Thomas hîc q. 14. a. 6. in corp. *Cum Deus in se omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria; vt vnitas ad numeros, vel centrum ad lineas: sed sicut perfectus actus ad imperfectos; vt si dicerem, homo ad animal; vel senarius, qui est numerus perfectus, ad imperfectos sub ipso contentos. Manifestum est autem, quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non solum in communi, sed etiam propria cognitione. Sicut qui cognoscit hominem, cognoscit animal propria cognitione; & qui cognoscit senarium, cognoscit trinarium propria cognitione. Sic igitur cum essentia Dei habeat in se, quicquid perfectionis habet essentia cuiuscunq; rei alterius, & adhuc amplius, Deus in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere, &c.*

Obijciuntur contra hanc doctrinam tria. Primum 18
Deus reipsa nullam habet relationem ad creaturas: Ergo non potest esse ratio per modum causæ ac medij cogniti cognoscendi creaturas. II. In Deo non continentur creaturæ formaliter secundum suum proprium esse: Ergo non possunt in ipso velut medio cognito illa cognosci. III. Ex hac sententia sequitur omnipotentiam Dei esse rationem cognoscendi creaturas; quod videtur absurdum.

Ad primum respondetur, negando consequentiā. Rationem negationis iam supra q. 6. dub. 8. assignauimus: quia minus est, esse rationē cognitionis creaturarum, quam causam realem existentiæ earundem; cum ergo Deus, quantumuis in se absolutissimum Ens, sine vllo respectu reali ad creaturas, possit realiter causare existentiam actualem creaturarum, multò magis poterit sibi esse ratio, per modum medij cogniti, cognitionis earundem. Quibus addo, si quid hoc argumentum probaret, probaturum etiam, Deum nullo modo sibi rationem esse posse cognoscendi creaturas, nec per modum quidē formalis cognitionis earundem; cum alioqui cognitio actualis obiecti alicuius, multò realiorem, vt ita dicam, magisque necessariam habitudinem habeat ad obiectum cognitum, quam id quod est medium cognoscendi.

Ad secundum respondetur, itidem negando consequentiam; satis enim est, quod creaturæ secundum Esse suum proprium in Deo continentur eminentissimo modo; & vt loquitur S. Thomas, *velut actus imperfectus in actu perfecto*: quando nec in specie visibili, nec intelligibili creata, obiectum formaliter continetur, quod per eam cognoscitur.

Digitized by Google

In quem sensum etiam Scotus in 1. dist. 35. quæst. 1. resp. ad argum. ait; *quod eadem ratio intelligendi illimitata, potest esse propria ratio intelligendi quodcunq; eorum, ad quæ est illimitata; sicut si esset limitata ad aliud* (siue illud) *solum: & maximè ratione istius actus, qui est intelligere, in quo non semper requiritur vniuoca ratio, vel assimilatio cum cognito: alioqui nihil posset cognosci per causam; nec conclusio per principium; sed sufficit ratio eminentior continens perfectè similitudinem virtualem cogniti.* Ita Scotus.

Ad tertium Suarez loco cit. admissâ sequela, negat minorem. Ego vero etiam nego sequelam; saltem loquendo de primaria & illimitata ratione cognoscendi creaturas in essentia diuina velut causa: quia aliud est, Deum eminentissimè continere omnes perfectiones omnium creaturarum; quod est esse causam in proposito, nempe radicaliter: aliud habere vim quasi per modum executiuæ potentiæ operandi omnia. Illud formaliter pertinet ad infinitatem seu perfectionem essentiæ diuinæ, iuxta dicta superius; hoc distinctum ab ea attributum constituit, & est quædam perfectio, iuxta nostrum modum intelligendi, non solum superaddita essentiæ, sed etiam infinitate illa ac perfectione eiusdem posterior. Cætera videri possunt superius cit. quæst. 6. dub. 8.

19 Dices; cum Deus etiam clarè cognitus non necessariò repræsentet creaturas intellectui creato, vt supra dictum quæst. 6. quomodo potest sibi ipsi per modum obiecti cogniti repræsentare creaturas, quas tamen non potest non cognoscere secundum suum Esse, quod habent, vel habebunt.

Respondeti potest primò; eatenus cognoscere nihilominus creaturas in se, velut obiecto cognito, quatenus cogitamus prius ratione Deum cognoscere seipsum, vt obiectum primarium, siue per modum causæ, siue per modum Verbi, modo explicato, quam concipiamus scientiam eius extendi ad creaturas. Sed melius respondetur secundò; tametsi diuina essentia non necessariò repræsentet intellectui creato creaturas, ipsam videnti; tamen Deo ipsi, tanquam comprehendenti, necessario repræsentare, quicquid, saluis diuinis decretis, adeoque pro conditione illius Esse, quod creaturæ iuxta diuinæ voluntatis decreta habent, repræsentare potest; etsi non absoluta necessitate respectu omnium, vt inferius dicetur dub. 10. Neque in hac re explicanda est maior difficultas, quam quomodo scientia diuina libere terminari possit ad creaturas existentes: cum tamen à parte rei sit ipsa Essentia diuina, & Ens absolutè ac summè necessarium, de quo quæst. seq.

20 Assertio IX. Deus cognoscit etiam creaturas in seipso, ac in sua essentia, tanquam in specie intelligibili, adeoque velut medio vt sic non cognito. Hanc assertionem indicant Gabriel & Ockam locis citatis, dum docent, creaturas à Deo ita maximè in seipsis videri, vt eas non videat in sua Essentia, tanquam in obiecto primario prius viso: & apertius Scotus cit. d. 35. quæst. 1. dum docet, intellectum diuinum per suam essentiam constitui in actu primo ad intelligendum, non tantum suam essentiam, sed etiam creaturas omnes: itemque Deum cognoscere creaturas per suam essentiam, velut rationem intelligendi. Consentit etiam Molina hîc quæst. 14. artic. 5. & 6. disput. vnic. dum ait, *creaturas elucere* (Deo & beatis) *per cognitionem elicitam per essentiam diuinam, concurrentem instar speciei intelligibilis*: vbi tamen simul addit, non aliter cognosci posse creaturas in Deo, quam vt in obiecto primario cognito. Idem docet Gregorius de Valentia hîc quæst 14. p. 3. vbi dicit, creaturas cognosci à Deo *per speciem diuinæ essentiæ*: quod planè etiam sentit S. Thomas hîc quæst. 14. artic. 5. vbi propterea docet, Deum non cognoscere creaturas *in seipsis*, sed *in seipso*; quia non cognoscit eas per species proprias & adæquatas, sed, vt ex discursu S. Thomæ colligitur, per speciem sui quasi continentis, seu, vt ipse loquitur, *in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*; quod etiam repetit in responsione ad 2. vbi ait: *Ea quæ sunt alia à Deo, intelliguntur à Deo, in quantum essentia Dei continet species eorum.* Et infra artic. 11. *Species*, inquit, *intelligibilis diuini intellectus, quæ est Dei essentia, non est immaterialis per abstractionem, &c. Vnde per eam Deus cognoscit non solum vniuersalia, sed etiam singularia.* Et rursum artic. 12. ait: *Species intelligibilis intellectus nostri non est similitudo hominum, quantum ad principia individualia, sed solum quantum ad principia speciei: essentia autem diuina, per quam intellectus diuinus intelligit, est similitudo sufficiens omnium, quæ sunt, vel esse possunt, non solum, quantum ad principia communia, sed etiam quantum ad principia propria vniuscuiusq;.* Idem admittit Suarez loco citat. num. 13. vbi absolutè eam sententiam vocat probabilem; dummodo alij modi non excludantur.

Ratio est. Quia etiam hic modus cognoscendi in Deo nullam inuoluit repugnantiam vel imperfectionem: neque enim aliud est, Deum per suam essentiam, velut speciem, cognoscere creaturas; quam ipsam essentiam diuinam esse tam perfectam, vt per seipsam possit instar speciei esse ratio obiectiuè repræsentatiua creaturarum: quod certè essentiæ diuinæ, cum in se eminenter contineat omnem perfectionem rei creatæ, denegari non potest. Et quia species, vt sic est ratio cognoscendi obiectum, per modum medij non cogniti, verisimile est etiam, Deum vt sic, eadem ratione sibi repræsentare posse creaturas: quamquam id facere non posset, nisi simul esset causa eminenter eadem continens, vt pluribus Suarez loco cit. Quomodo autem simul Deus videat creaturas in seipso, velut speculo, dictum in simili supra quæst. 6. dub. 9. vbi de hac re plura.

Assertio X. An Deus videndo creaturas, secundum suum esse proprium, in seipso ac in sua essentia, modo explicato, videre dicendus sit creaturas *in seipsis* etiam; an solum *in seipso*; quæstio nominis est; & vtrumque diuerso sensu rectè affirmari potest. Ita Gregorius de Valentia quæst. 14. p. 3. & fere Molina hîc quæst. 14. artic. 5. & 6. disput. vnic. Probatur & declaratur. Gabriel enim & Ockam locis citat. docent, Deum cognoscere creaturas *in seipsis*; quod tribuitur etiam Scoto cit. quæst. vnic. distinctione 35. Idem sequuntur quidam recentiores, qui non alia ratione docent, Deum cognoscere creaturas in seipso, quam

21

vt in ipsa cognitione creaturarum, seu Verbo mentis.

E contrario verò Deum non cognoscere creaturas in seipsis, sed solum *in seipso*, expresè & ex instituto docet S. Thomas hîc quæst. 14. art. 5. quem ita etiam sequuntur Caietanus, & omnes Thomistæ recentiores. Quæ controuersia, stantibus & suppositis ijs, quæ hactenus docuimus, ita facilè conciliari potest. Dupliciter enim intelligi potest creaturas cognosci in seipsis; primò vt vocula, *In seipsis*, dicat solum rationem obiecti cogniti; secundò, vt dicat etiam rationem & medium cognoscendi. Priori modo nihil est aliud; Deum cognoscere creaturas in seipsis, quam cognoscere secundum se, ac suum proprium Esse ac rationem; quod sanè denegari Deo non potest; nec vnquam negat S. Thomas; vt dictum supra assert. 2. Posteriori modo, idem est, Deum cognoscere creaturas in seipsis, quod, creaturas ipsas esse Deo rationem ac medium cognoscendi creaturas; quod de Deo dici non potest, vt dictum assert. 5.

22 Ad quem ferè modum etiam S. Thomas cit. art. 5. ait, aliquid cognosci in seipso, quando cognoscitur *per speciem propriam, adæquatam ipsi cognoscibili*; (formaliter, aut naturaliter, seu directe ita repræsentantem aliquid, tanquam non id solum repræsentet, vt declarat Gregorius de Valentia loco cit.) sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. In alio autem videri id, quod videtur *per speciem continentis: sicut cum pars videtur in toto, per speciem totius. Vel cum homo videtur in speculo, per speciem speculi; vel quocunq; alio modo contingat aliquid in alio videri.* Vbi tamen exempla S. Thomæ examinare nil opus est. Illud nota, multum in ipsis verbis positum esse, vt posteriorem aut priorem sensum referant. Non enim rectè dixeris, Deum cognoscere *alia à se in ipsismet rebus*: ita enim significatur rationem Deo cognoscendi esse res ipsas; etsi bono sensu dici possit, Deum cognoscere *alia in seipsis*, vt dictum.

DVBIVM IV.

An, & qua ratione Deus cognoscat creaturas tum existentes, tum possibiles; & num adeo etiam cognoscat infinita.

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 9 & 12.

1 EXplicanda nunc sunt particulatim obiecta creata, quæ Deus cognoscit; moduſque particularis ea cognoscendi: & incipiendum à facilioribus, quales sunt creaturæ tum reipsa aliquando existentes, tum possibiles etiam, quæ nunquam existent, secundum esse suum possibile spectatæ. Nam & nos cæteris paribus facilius cognoscimus ea, quæ existunt, quam quæ non existunt; & ea quæ non existunt, facilius cognoscuntur secundum esse possibile, quam secundum esse actuale, quod habitura aliquando sunt.

Assertio I. Deus distinctè cognoscit omnes res existentes, adeoque omnia quæ fiunt & sunt in tota æternitate; etiam intimas & secretissimas cogitationes & affectiones, tam hominum, quam Angelorum. Est mens & doctrina S. Thomæ hîc quæst. 14. a. 5. 6. & 12. & Magistri aliorumque Doctorum in 1. d. 35. & de fide, ac extra controuersiam. Probatur apertè ex Scriptura Psal. 32. v. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum; qui intelligit omnia opera eorum.* Prouerb. 5. v. 21. *Respicit Dominus vias hominis; & omnes gressus eius considerat.* Prouerb. 15. v. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Eccles. 17. v. 16. *Omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in vias eorum.* Ecclesiast. 23. v. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem; circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes, in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita; sic & post perfectum respicit omnia.* Ierem. 17. v. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do vnicuiq; iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum.* Apocal. 2. v. 23. *Ego sum scrutans renes & corda; & dabo vnicuiq; vestrum secundum opera sua.* Denique generatim de omnibus rebus creatis, præsertim existentibus, dicitur Heb. 4. v 13. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, ad quem nobis sermo.* Rationes sumuntur ex assertione 1. 2. & 3. dub. præced. eæ enim vel maximè procedunt de rebus existentibus, quæ & à Deo velut agente intellectuali efficiuntur, & à nobis facilius cognoscuntur.

Assertio II. Deus clare, etiam & distinctè cognoscit omnes creaturas possibiles, omneſque modos earum possibiles, qua possibiles sunt, siue secundum esse possibile; etiamsi eæ nunquam actu sint futuræ. Ita S. Thomas hîc q. 14. a. 9. & est extra controuersiam, ac de fide. Probatur ex Scriptura. Rom. 4. v. 17. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Item Ecclesiast. 23. v 29. *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita*, etiam secundum esse actuale, quod aliquando habitura essent; ergo multo magis secundum esse possibile. Ratio est; tum quia etiam hæc eo ipso, quod sunt entia quædam, nimirum in potentia, sunt cognoscibilia; præsertim quando ex eo genere nosipsi etiam multa cognoscimus: ergo cognoscuntur per infinitam scientiam Dei; quæ hoc ipso quod infinita est, necessariò terminatur ad omne possibile: tum quia Deus comprehendit seipsum, omneſque creaturas, totamque vniuersi machinam; ergo cognoscit omnia quę sunt in sua, vel creaturæ potentia. Vnde rectè etiam concludit S. Thomas cit. a. 9. *omnia cognoscere Deum, quæcunq; per naturam possunt fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcunq; ipse facere potest, etiamsi actu non sint.* 2

Assertio III. Deus ea quæ existunt, vel existentiam quandoque habebunt, vel habuerunt, in vlla duratione quomodocunque æternitati coexistente, cognoscit scientia visionis: quæ autem nec sunt, nec erunt, cognoscit scientia simplicis intelligentiæ. Ita S. Thomas hîc cit. q. 14. a. 9. ex communi modo loquendi Doctorum. Cuius hæc est ratio. Quia videri oculis corporeis non possunt, nisi existentia; *& quæ habent esse* (existentiæ) *distinctum extra videntem*, vt loquitur S. Thomas. Intelligi autem, non visionis; sed simplici intelligendi modo, possunt & dicuntur etiam ea,

iam ea, quæ nunquam habent existentiam. De quo modo loquendi plura q. 6. dub 9.

3 Assertio IV. Deus in vtroque genere tam creaturarum, non quidem actu simul existentium, sed habentium existentiam in tota æternitate, quam merè possibilium, adeoque scientia vtrâque, & visionis, & simplicis intelligentiæ, cognoscit infinita. Ita S. Thomas hîc q. 14. a. 12. Caietanus & recentiores Thomistæ omnes ibidem, Ferrariensis cum S. Thoma (etsi quoad scientiam visionis paulò aliter loquente) 1. cont. gent. cap. 69. Consentiunt Bonauentura in 1. d. 39. a. 1. q. 3. Richardus ibidem, Gregorius de Valentia q. 14. p. 6. Molina cit. art. 12. Vasquez hîc d. 63. c. 2. Neque sub his terminis diuersantur Aureolus & Durandus infra. Solus Wicleffus, quia negauit esse infinitam multitudinem eorum, quæ Deus non fecit, & potest facere, consequenter negare debuit, Deum in genere rerum merè possibilium cognoscere infinita; id quod tamen veluti manifestum errorem ex instituto refellit Waldensis to. 1. lib. 1. a. 1. cap. 14. Omitto Auerroem 12. metaph. com. 51. qui ob hanc etiam causam, ne dicendum sit, Deum cognoscere infinita, negauit, Deum distinctè & particulatim cognoscere singularia, de qua re dub. præced.

Probatur assertio. Quia tam merè possibilia, saltem secundum numerum, in vnaquaque specie sunt infinita, quam actualiter quandoque existentia, vt videre est in cogitationibus & affectionibus hominum, & Angelorum, in tota æternitate futuris: quæ omnia Deus distinctè cognoscit, cum scientiam habeat simpliciter infinitam, quæ necessariò ferur in omnia intelligibilia.

Assertio V. Deus distinctè & particulatim cog-
4 noscit non solum infinitam multitudinem cogitationum in tota æternitate futurarum; sed etiam infinitam multitudinem diuisionum possibilium (suppositâ communi philosophia) in continuo; & cuiuscunque numeri rei in infinitum multiplicabilis. Ita docent, & supponunt omnes authores citati pro assertione præcedenti; & expresè tradunt Sonzinnas in 1. d. 35. q. 2. & Gregorius de Valentia loc. cit. contra Aureolum & Durandum in 1. d. 39. quæst. 2. num. 9. qui duo contrarium significant, sed diuersa ratione.

Aureolus enim in 1. dist. 35. part. 4. art. 3. propos. 3. quia negat, creaturas vllas, seu quicquam esse in prospectu diuino, aut in eius præsentia, nisi Verbum, & diuinam essentiam, ideo etiam negat multitudinem infinitam, aut vllam omnino multitudinem poni in diuino intellectu etiam obiectiuè: *Licet*, inquit, *infinita dicantur* (à Deo) *cognita denominatiuè & æquipollenter, cognita Deitate*: de qua re dictum nonnihil dub. præced.

Durandus autem loco cit. docet, ea solum ratione à Deo cognosci infinitam eiusmodi multitudi-
5 nem; quia dato quolibet eiusmodi numero finito, cognoscit posse dari maiorem; *& quia nouit*, inquit, *quod data quacunq; multitudine finita in cogitationibus, quæ erunt, possibile est dari plures; non autem quia nouit totam multitudinem cogitationum, quæ erunt, vt carentem omni finito numero, extra quam non est possibile accipere aliquid de cogitationibus huius creaturæ rationalis; sed intra illam multitudinem continetur, quidquid est possibile in cogitationibus huius creaturæ.* Cuius rei duas rationes affert. Prima est. Si enim Deus hoc posteriori modo nosset infinitam multitudinem cogitationum, pari ratione & modo nosset multitudinem infinitam diuisionum possibilium in continuo; sed istud non est verum: Ergo nec illud. Probatur assumptio: quia si Deus nouit totam multitudinem diuisionum continui, extra quam non est possibile accipere aliquam diuisionem possibilem in continuo, & in qua continetur omnis diuisio possibilis, sequitur, quod per diuisiones, quas Deus intelligit, continuum intelligatur diuisum in indiuisibilia. Quia si per illas non intelligitur diuisum in indiuisibilia, sed diuisibilia, sequitur quod intelligatur, vel possit intelligi amplius diuisibile. Ergo extra diuisiones continui, quas Deus intelligit, possibile est dare aliam, vel alias; quod est oppositum antecedenti, seu contra hypothesin. Secunda ratio Durandi est. Quia res non cognoscitur, nisi sicut est, sed multitudo futurarum cogitationum, tatenus solum habet esse, quatenus aliquæ illarum sunt actu, & aliquæ aliæ restant possibiles: Ergo eatenus solum Deus cognoscit multitudinem illam cogitationum, quatenus cognoscit aliquas illarum (finitas vtique) esse actu, & alias præterea esse possibiles. Addi potest tertio; alioqui consequens esse, Deum plus cognoscere, quam possit facere, aut certè potentiorem esse ad cognoscendum, quam ad faciendum; posset enim simul & actu cognoscere infinitum: quod tamen non potest simul facere.

Sed omissa Aureoli sententia, de qua satis dictum dubio præcedenti, sententia sanè Durandi non videtur tolerabilis, vt rectè censuit Gregorius de Valentia cit. p. 6. Nam ex ea consequens est, aut Deum nunquam distinctè cognoscere omnes & singulas eiusmodi cogitationes futuras, etiam quando existunt; aut in sua cognitione mutari & crescere; quorum vtrumque est erroneum: quod itidem de partibus in quas diuidi potest continuum, omnique numero, & multitudine, locum habet. Accedit, quod nullus potest certus terminus assignari multitudinis earum cogitationum, quas Deus distinctè cognoscit; cum nulla sit ratio, cur non qualibet multitudine assignata, maiorem etiam distinctè cognoscat: nisi quis dicat, eas solum distinctè cognoscere, quæ actu sunt, aut fuerunt; nullam autem earum, quæ erunt; nisi postquam itidem actu sunt aut fuerunt: quod est absurdissimum, & contra fidem; sic enim Deus ab æterno non sciuisset distinctè lapsum Angeli vel Adami, in occulta mente affectione præcipuè situm, vt alia absurda taceam. Denique singulæ illæ cogitationes & partes continui possibiles sunt, entia saltem possibilia: ergo distinctè cognoscibilia, saltem infinito intellectu Dei. 6

Ad primum argumentum Durandi, concessa sequela, negatur assumptum ex dictis. Ad probationem respondetur, negando sequelam. Ad ultimam rationem respondeo, non ipsum quidem continuum intelligi amplius diuisibile, quam in eas partes omnes, in quas diuidi potest, quæque omnes & singulæ à Deo sunt cognitæ; sed quamlibet tamen eius partem adhuc intelligi à Deo, vti à parte rei

est, diuisibilem in plures partes, non quidem extra eas, quæ à Deo sunt cognitæ, sed contentas in ea ipsa multitudine infinita, quæ à Deo sigillatim cognita est; ita vt ob hoc ipsum, quod est infinita, in potentia, eiusmodi diuisionum seu partium diuisibilium multitudo, ad nullam diuina etiam cognitione peruenìatur, quæ diuidi amplius non possit.

Dices. Deus nouit distinctè omnes & singulas
7 diuisiones, seu diuisionis partes, in quas diuidi potest continuum: ergo nouit diuisionem mente absolutam: ac proinde fieri non potest, vt partes illæ ita cognitæ vlterius intelligantur diuisibiles. Respondeo, Deum cognitione sua eiusmodi diuisibilium nullam proprie facere diuisionem, nec inchoatam, nec absolutam; sed ea tamen ratione dici posse diuisionem omnem possibilem eius cognitione absolutam, non quia finita & terminata est eius notitia: est enim infinita & cognoscitur infinita; sed quia eius mente tota comprehensa est; ex quo tamen minime sequitur, partes ita cognitas non cognosci vlterius diuisibiles; sed potius in infinitum adhuc diuisibiles. In quo est aliqua similitudo inter infinitas cogitationes, & partes continui possibiles; non ea tamen ratione, quam notauit Vasquez Disput. 63. num. 14. vt dicemus assert. sequenti.

Ad secundum respondetur cum distinctione minoris; est enim vera si cum respectu ad certam aliquam finitamque durationem loquamur: ita enim cogitationes infinitæ sunt, respectu certæ eiusmodi finitæque durationis, vt aliquæ sint actu, aliæ verò sint adhuc in potentia: at vero respectu totius æternitatis; falsa est, quia in tota æternitate omnes & singulæ sunt actu, adeoque habent suam propriam ac distinctam existentiam: secundum quam proinde etiam à Deo sigillatim & distinctè cognoscuntur.

Ad tertium negatur sequela. Sicut enim Deus potest distinctè cognoscere infinitum syncategorematicè, ita potest etiam facere; diuersitas solum est in modo cognoscendi ex parte cognoscentis; & modo producendi illud; quod nimirum simul illud cognoscat; cum tamen solum successiuè producat: quod etiam in omnibus rebus successiuis accidit; & suo modo in nostra etiam cognitione cernitur. Neque enim idem est modus cognitionis ex parte cognoscentis, & modus essendi ipsius rei cognitæ, vel etiam productionis ad extra. Quare etiam negatur, Deum potentiorem esse ad cognoscendum, quam ad operandum; si propriè & formaliter loquamur; sicut enim scientia Dei in suo genere est infinita; ita etiam potentia operatiua ad extra.

Quamquam modus infinitatis vtriusque, ex parte obiecti, non est planè idem; ad illum enim spectat, simul & actu cognoscere omnia cognoscibilia; ad hanc vero non pertinet simul aut actu facere; imò nec posse facere omne factibile; sed solum posse facere, quæ non dedecent infinitum ens: quo fit vt DEVS cognoscere aliquid possit, quod tamen non potest facere; item vt simul aliqua cognoscat, quæ tamen non possunt simul esse. Et ratio diuersitatis est;
8 quia operari ad extra non est perfectio operantis, sed subiecti recipientis; nec etiam posse operari quidlibet, est perfectionis, sed solum operari posse bene, & quod rectè fieri potest: cum tamen actu cognoscere quidlibet (etiam peccatum) sit perfectionis in ipso cognoscente: qua de causa cognoscere quidem omne cognoscibile, necessarium est ad infinitam Dei perfectionem; facere autem, aut posse facere omne factibile, non item; cum peccatum facere Deus nullo modo possit.

Assertio VI. Deus cognoscendo eiusmodi in- 8
finita, acta quidem cognoscit infinita; at non infinita actu, sed solum infinita in potentia. Ita expresse Durandus in 1. d. 39. quæst. 2. Almain. in 3. d. 14. q. 1. quos sequuntur recentiores communiter, specialim Greg. de Valentia & Molina loco cit etsi contrarium docet Vasquez cit disp 63. cap. .. vbi dicit, Deum ea ratione non cognoscere solum infinitum in potentia, sed etiam infinitum actu; eo quod actu omnis illa multitudo cogitationum futurarum, & aliquando in tota æternitate existentium præsens sit Deo, citatque pro eadem sententia S. Thomam hic, Bonauenturam, Richardum, Waldensem, Caietanum, Ferrariensem locis præced: assert. citatis: sed malè, & sine causa; quia isti solum absolutè docent, Deum actu cognoscere infinita; sed non dicunt ea, quæ ita cognoscit, esse infinita actu: & cum ipsi infinitum actu omnino impossibile esse sentiant, vt suo loco superius dictum, procul dubio intelligunt, ea ratione infinitum in potentia solum à Deo cognosci; vt plane falsum sit, quod Vasquez n. 1. ait, hanc quam secuti sumus opinionem, *nullum aliud ex antiquis Scriptoribus sequi, præter Durandum, & Almain.* Rectius aliquo modo pro Vasquij sententia citari potest Aureolus in 1. d. 35. quæst. 1. artic. 3. vbi propterea etiam negat, vllam infinitam multitudinem, aut quidquam aliud, præter Verbum, seu diuinam essentiam, *esse in prospectu Dei vel præsentia: quia quantumcunque*, inquit, *similitudo sit vnica, si infinita ponantur obiectiuè præsentia, distincta, & in actu, ponetur infinitum in facto esse & in actu; quod*, inquit, *est omnino impossibile.* Quibus verbis non concedit quidem Aureolus infinitum actu secundum multitudinem à DEO cognosci; sed solum futurum, vt infinitum actu cognoscat, si multitudo illa sit *in prospect Dei &c.* 9

Sed ratio assertionis est manifesta. Quia cognitio Dei cum cognoscat rem sicuti est, non mutat rem ipsam cognitam, seu conditionem rei; cum ergo seclusâ cognitione diuina, infinita illa, quæ diximus, sint tantum infinita in potentia, iuxta descriptionem Aristotelis 3. Physic. c. 6. vbi infinitum in potentia docet esse illud *cuius omnes partes non sunt* (nec fuerunt) *actu; sed in quo id quidem, quod actu existit*, (vel extitit) *finitum est; semper tamen aliquid restat accipiendum*; sane dici non potest, id quod ita à Deo cognoscitur, esse infinitum actu. Accedit, quod ipsemet Vasquez nu. 4. ait, infinitum actu, ex mente Aristotelis, *esse multitudinem rerum, quæ simul sunt, in qua non potest prima & vltima assignari*: cum tamen manifestum sit; multitudinem infinitam cogitationum

futura-

futurarum, non esse simul, sed successiuè in tota æternitate existere, vt semper aliquid restet accipiendum siue addendum. Quod suo modo etiam superius quæstione quarta, de partibus continui dictum. Nec valet argumentatio à modo cognitionis, ad modum obiecti cogniti, vt præced. assert. diximus. Licet ergo Deus simul quidem & actu cognoscat eiusmodi infinita; hæc tamen non ideo sunt infinita actu, sed in potentia: etsi rectè dici possit infinitum in potentia actu esse, vt etiam sensit Aristoteles loco citato, nimirum suo modo & successiuè: ex quo tamen minimè sequitur; esse infinitum actu,

10 Dices. Deus distinctè cognoscit eiusmodi infinita: Ergo sunt actu distincta in mente diuina; ergo actu multa in eadem mente: & tamen non sunt actu multa finitè, seu numero finito: Ergo sunt in mente diuina multa actu, multitudine seu numero infinito: Ergo Deus cognoscit multitudinem infinitam actu. Respondetur. Negando vltimam consequentiam; quia procedit ab esse obiectiuo rei, ad esse subiectiuum & reale, ex eo enim quod infinita terminant actu diuinam scientiam, infertur, ea simpliciter & absolute esse actu infinita: cum tamen infinitum actu non dicatur ab existentia obiectiua rei cognitæ: sed ab existentia reali & subiectiua eiusdem à parte rei existentis; quæ vti dictum, per diuinam cognitionem minimè immutatur. Plura de hac recit. quæst. 4. dub. 2.

Quæritur denique hoc loco, an per hoc quod entia possibilia diuinam scientiam terminant, intelligantur habere aliquod esse actuale extra intellectum. Et refertur Scotus 1. d. 36. quæst. 1. sensisse, Deum intelligendo creaturas, produxisse eas ab æterno, in quodam esse intelligibili obiectiuo, quod *esse diminutum vocat*. Quod etiam defendunt cæteri Scotistæ, Malafossius, & Bargius in 1. d. 35. & sequitur Waldensis tom. 1. l. 1. art. 1. cap. 1. 2. & 3. Quod ita referunt & refellunt Gabriel in 1. d. 35. quæst. 1. a. 3. Caietanus quæst. 15. a. 1. Gregorius de Valentia q. 15. p. 2. alijque Thomistæ recentiores, quasi Scotus de esse quodam actuali locutus sit, quod habeant res extra intellectum; eaque de causa eam etiam sententiam seuerius censet. Sed hac de re esto.

11 Assertio VII Creaturæ ab æterno cognitæ à Deo, per hoc præcisè, quod ita cognoscuntur, nullum habent extra Deum esse reale, imo nec ullum verum esse actuale extra Deum; sed solum esse possibile, cum esse obiectiuo in intellectu diuino, seu denominatione extrinseca obiecti cogniti. Ita cum S. Thoma q 14. art. 9. Thomistæ omnes, alijque citati. Item Molina hic q. 14. a. 5. & 6. Suarez lib. 3. c. 2. n. 18. & Metaphys. d. 31. sec. 2. Vasquez disp. 70. capit secund. & disp 114. num 4. ex communi & certa. Ratio est: tum quia aliàs res omnes creatę secundum esse suum proprium & formale, existerent ab æterno extra Deum; quod non est consonum fidei. Tum quia vniuersim intellectio rei per se nullum dat reicognitæ esse reale, vel actuale extra intellectum. Neque verò Scotus licet obscurè locutus, contrarium reipsa sensit, vt rectè Molina & Vasquez loco citato.

Sed obijci tamen pro opposita sententia potest, quòd aliàs entia possibilia non videantur dici posse effectus Dei, qui vt tales in Deo velut causa cognoscantur. Respondetur, negando sequelam. Quia nihilominus etsi non sint effectus actuales, sunt tamē possibiles: non quidem quod ipsum esse possibile, quocunque modo sumptum, præcisè & in se sit per modum effectus posterius, quidam potentiâ diuina, vt dicetur q. 11. & fusè Vasquez d. 204. Sed quia certè hoc ipso, quòd à sua possibilitate extrahi quodammodo, & in actum reduci possunt à Deo, accipiendo ab eodem actualem existentiam, rectè dicuntur effectus possibiles Dei. 9

DVBIVM V.

An Deus cognoscat omnia futura contingentia, tum absoluta, tum conditionata.

S. Thomas 1. p. q. 14. a. 9. & 13.

1 NVlla peculiaris instituitur quæstio apud Theologos, an Deus cognoscat ea, quæ necessario futura sunt. Cū enim quæ talia sunt, habeant suas causas existentes necessarias, quas Deus intimè nouit, vt dictum dub. præced. nullum relinquitur dubiū, quin etiam Deus omnia, iuxta suum quem habent modū necessitatis (ex suppositione scil. causarum necessariarum; siquidem ab ipso Deo, vel aliunde non impediantur) certissimè ac ab æterno præcognoscat. Quæstio igitur solum est, de futuris contingentibus, non quidem cognitis tunc solum, quando existunt in aliquo tempore, vel duratione, æternitati quandoque coexistente; de his enim sub hac consideratione actum est dub. præced. sed de futuris qua futuris; intellige, non solum respectu præsentis temporis, sed indefinite respectu alicuius durationis coexistentis æternitati, qua Deus rerum omnium creatarum existentiam anteceſſit. Ea verò duplicis sunt generis. Quædam enim etsi fiant à causis secundis naturalibus, & secundum se determinatis ad hoc vel illud agendum, ita tamen fiunt, vt quoad suum effectum impediri possint ab alijs causis secundis itidem necessarijs; vt sunt futuræ pluuiæ, ac tempestates, prouentus annonæ, generationesq; animalculorū, suppositā hac vel illa cæli constellatione; quæ ex varia aeris, aquæ, terræ, &c. dispositione impediri possunt. Et de his itidem non est propriè difficultas: cū enim Deus totam complexionem causarum naturalium penitissimè habeat perspectam, scit vtique omnia etiam effecta, quæ & quatenus ab illis, tanquam naturalibus ac necessario agentibus (si nimirum à causa libera non impediantur) producentur. Alia verò contingentia vt sic fiunt ac pendent à causis secundis liberis, quæ maximè propriè & per se contingentia dicūtur, & de his potissimū in præsenti est quęstio.

Hæc autē futura contingentia rursum, aut sunt absolutè aliquādo ac reipsa futura; alia verò reipsa nunquam sunt futura, sed futura solum essent, aut fuissent, (respectu antecedentis æternitatis) si certa quędam poneretur, aut posita fuisset conditio, nūquam tamen reipsa posita vel ponenda; quæ propterea etiam vocantur futura contingentia conditionata. Vbi inter Theologos celebris est cōtrouersia, an Deus ab æterno certa & infallibili notitia præsciuerit, quid quęlibet creatura rationalis & libera fuisset actura, si hæ vel illæ conditiones fuissent positę: v. g. an si alius homo, vt Petrus vel Paulus, cum his vel illis circum- 2

stantijs pro Adamo creatus, ac in paradiso fuisset constitutus, peccaturus fuisset. An si Christus Iudæ loculos non commisisset, nihilominus à eo fuisset proditus. Et similia infinita.

3 Neq; sermo, aut quæstio est de illis propositionibus conditionatis, in quibus conditio posita, absoluta necessitate secũ trahit prædicatum, ita vt prędicatum necessario absulute ac simpliciter connexum sit cum posita conditione, vt videre est in his exemplis; si Deus efficaciter voluisset creare alium mundum, creasset illum; si Iudas fuisset prædestinatus, fuisset saluatus: si Deus voluisset efficaciter Adamum præseruare à peccato, aut si dedisset Adamo gratiam congruam ad peccata deuitanda, Adamus non peccasset, &c. Sed quæstio solum est de illis propositionibus conditionatis, in quibus ipsum futurum conditionatum; quod prædicatur, per se non necessariò connexum est cum conditione posita, sed ad eam nihilominus contingenter se habet; ita vt illa etiam posità, possit adhuc esse, vel non esse futurum, vt in supradictis alijs exemplis videre est. Eademq; ratio est contingentium eorum, quę absolutè futura sunt, si præcisè considerentur vt futura sub conditione, ante omne decretũ absolutũ Dei, vt inferius dicetur.

4 Quæ controuersia quidem nunc recens est inter Scholasticos, & ab antiquis ex instituto nusquam pertractata, magnum tamen habet momentum ad multa explicanda, quæ spectant ad materiam de gratia, & prædestinatione. De qua re tres feruntur Doctorum sententiæ. Prima est, quæ absolutè in Deo negat talem scientiam. Contra quos disserit Molina 1. p. q. 14. a. 13. disput. 18. Secunda est, Deum cognoscere quidem eiusmodi contingentia, sed solum probabiliter, & velut per coniecturam; ad eum modum, (seruata proportione) quo etiam illa à nobis cognoscuntur. Hanc insinuant Catharinus opusc. de prædest. part. 2. & Iansenius cap. 47. Concord. tractans illud, *si in Tyro & Sydone*, & apertè antehac tradiderunt aliqui recentiores Thomistæ, contra quos disserunt Molina loc. cit. Suarez opusc. de scientia Dei l. 2. c. 1. & Vasquez infra. Alterutrum etiam necessariò sequi debent illi, qui docent, vnicam esse Deo, rationem cognoscendi certo futura contingentia, præsentiam eorundem realem in æternitate, qualem contingentia hæc conditionata nusquam habent.

Tertia sententia est, Deum certo & infallibiliter ac ab æterno cognoscere eiusmodi contingentia futura. Ita fusè ac ex instituto, atq; ante cæteros docuit Molina loc. cit. ac passim in sua concord. Idem docent Bellarminus tom. 4. cont. 2. de amiss. grat. l. 2. cap. 17. Gregorius de Valentia hic q. 14. punc. 5. §. 2. Pererius tom. 2. in Genes. l. 15. disp. 7. Stapletonus in Antidoto super c. 9. in epist. ad Rom. annot. 2. Mascarenas l. de auxilijs d. 2. p. 4. num. 27. & 28. & disp. 3. part. 4. num. 8. Vasquez hic disp. 67. Albertinus tom. 1. princip. 4. q. 4. coroll. 3. Suarez cit. opusc. 2. lib. 2. per totum: qui etiam cap. 3. citat Driedonem de concord. grat. & lib. arbit. 1. p. c. 4. ad 3. Ruardum art. 7. Waldensem tom. 1. doctrin. c. 23. non obscurè hanc tradentes sententiam. Et addit Suarez: *Scriptores etiam in 1. part. S. Thomæ frequentius sequuntur hanc sententiam; & quidem contrariam parum tutam; alij errorem fere appellant. Denique Doctores fere omnes Theologi huius temporis, quos ego in Italia & Hispania consului, huic sententiæ adhærent.* Ita ipse. Sed & Mascarenas loc. cit. ait, *eam esse necessariam, ad percipiendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio; ad conciliandas inter se Patrum dicta; ad intelligendam distinctionem gratiæ in sufficientem & efficacem; ad demonstrandam infallibilitatem diuinæ prædestinationis.* Denique Franciscus Zumel etsi de hac re lubrice & obscure locutus sit in 1. p. q. 14. a. 1. disp. vn. tamen inferius art. 13. disp. 8. assert. 1. eam sententiam videtur defendere, cum ait; *Non est tutum negare infallibilitatem, & certam cognitionem illorum contingentium conditionatorum in Deo.* Similia habet in disputationibus varijs in 1 p. de futuris contingentibus disp. 5.

Differunt tamen hi auctores inter se dupliciter. Primo quidem nomine tenus, ac in vocibus: qua ratione nimirum ea scientia in Deo sit nominanda. 6
Quidam enim vocant *naturalem*, quia præcedit omne decretum liberum diuinæ voluntatis, saltem absolutum. Ità olim à se appellatam notat Molina hic loc. cit. disp. 18. memb. 2. Quo spectant etiam illi, qui eam vocant scientiam *simplicis intelligentiæ*, ob eandem causam, & quia est de rebus actu nunquam existentibus; in quibus sunt Gregorius de Valentia, Albertinus, Vasquez locis citatis. Alij eandem vocant scientiam *liberam ac visionis*; in quibus est Suarez cit. lib. 2. cap. 3. Quia non est rei possibilis, vt sic, sed existentis sub conditione; & tametsi ex suo genere sit necessario in Deo, prout tamen versatur circa hoc, vel illud obiectum particulare, potuit absolute non esse in Deo; si nimirum liberũ arbitrium, vti pro sua libertate poterat, etiam supposita hac vel illa conditione, hoc vel illud, de quo sermo est, non esset facturum, &c. Alij eam scientiam vocant *mediam*; nimirum inter scientiam visionis & simplicis intelligentiæ; siue inter scientiam naturalem & liberam. Ita Molina, Mascarenas, ac plerique recentiores, qui hanc scientiam tuentur.

Secundo discrepant authores citati inter se reipsa; quamuis enim in hoc omnes consentiant, Deum infallibiliter scire eiusmodi futura contingentia quando conditio est causalis; dissentiunt tamen de alijs. Quidam enim docent, id solummodo verum esse, quando conditio est causalis. Ita Vasquez loco citato. Alij quando est, vel causalis, vel conditionalis prærequisita: in quibus Albertinus loc. cit. punc. 3. Alij denique etiam quando est plane disparata; modo contingens sit reipsa cum ipsa connexum; vt si Petrus peccabit, Ioannes pœnitebit: Aut si Romæ hodie plueret, Iacobus Ingolstadij disputaret. Ita Suarez loco citato, capite sexto num. 4.

Ad has vero tres sententias hactenus commemoratas, & ab alijs etiã referri solitas, addi potest, quarta sententia Didaci Aluarez libro secundo de auxilijs disput. 7. qui cum assertores scientiæ huius reprehendisset, quasi nec verum quæstionis statum constituissent; nec quæstiones diuersas satis distinxissent; nouum ipse quæstionis statum constituit; quasi nimirum de hoc solum quæstio sit & controuersia; Vtrum Deus ante omne decretum suæ voluntatis prædeterminantis consensum Petri absolutè futurũ, vel ex hypothesi, quod constitueretur in talibus circũstantijs, certò sciat in particulari, an Petrus 7

sit

sit consensurus posita illa conditione, an potius dissensurus, &c.

Ad quam quæstionem respondet ipse negatiuè; nimirum eiusmodi futura conditionata non cadere sub scientiam, vt futura aliquo modo, nec vt sic esse scibilia infallibiliter etiam à Deo; sed solum cognosci ut possibilia fieri: post diuinum autem decretum, saltem conditionatum, etsi quidem concedat inferius in solutionibus argumentorum, futura quædam eiusmodi conditionata cognosci à Deo, per scientiam liberam; vti quædam exempla Scripturæ inferius refenda probant; non tamen satis declarat, quid vniuersim sentiendum sit, an videlicet de omnibus eiusmodi futuris conditionatis, sub quacunque conditione præsuppositа, habeat Deus decretum liberum, quo apud se statuerit, quid suppositа quacunque eiusmodi conditione vellet fieri, aut permittere; ita vt proinde absolute loquendo, Deus saltem post decretum suum conditionatum, omnia eiusmodi futura contingentia, non solum vt possibilia, sed etiam vt futura infallibiliter cognoscat. Refert tamen Vasquez citata disputatione sexagesima septima, numero vigesimo, quosdam recentiores ita sentientes; Deum sub conditione etiam apud se decreuisse omnia; & ex hoc decreto à Deo cognosci omnia futura sub conditione, secundum infinitas causarum combinationes, iuxta quas omnia apud se statuit, quæ facturus esset: in qua sententia etiam videtur esse Zumel in disputationibus varijs in primam partem, dub. 5. conc. 5. quod tamen itidem refutat Vasquez loco citato, & disputatione 80.

8 Fundamentum autem proprium huius sententiæ est; quia existimat, sine præuio decreto, quo Deus apud se, antecedenter ad omnem determinationem liberam causæ secundæ, statuerit ac præ definiuerit, quid fieri ac permittere ipse velit, nihil posse fieri. *Vnde nos* inquit Aluarez, *negantes scientiam mediam, & illam impugnantes, non negamus in Deo esse scientiam futurorum conditionatorum, sed eorum tantummodo, quæ cum nullo modo futura sint, etiam ex hypothesi, asseruntur esse futura conditionata.*

Cæterum, quod ad statum huius quæstionis attinet, non existimo assertores huius scientiæ esse reprehendendos; nec arbitror eum recte ab hoc auctore explicatum; cum ipse potius diuersas quæstiones inter se confundat. Hæc enim sunt inter se distincta; primum, an Deus eiusmodi futura conditionata infallibiliter quocunque demum modo & medio, & in quocunque rationis signo cognoscat; alterum, quandonam, seu in quo signo rationis, quoquo modo vel medio Deus illa cognoscat. Quo spectat illud, quod ab hoc auctore propositum est, an Deus eiusmodi contingentia futura cognoscat ante omne decretum suæ voluntatis, &c.

Ex his duobus, quorum vtrumquè est controversum inter Doctores, primum spectat ad quæstionem, An est; alterum ad quæstionem propter quid, & quando; seu quo modo & medio est. In præsenti autem loco discutitur quæstio an est; quam citatus author, vt dixi, non sufficienter resoluit: de modo autem & medio huius quæstionis ex instituto agemus dubio sequenti, obiter tamen simul etiam hoc loco responsuri ad quæstionem ita formatam, prout ab hoc authore proposita est.

Qua de causa notandum, minimè controuersum esse, an Deus eiusmodi futura conditionata infallibiliter cognoscat, ante omne decretum Dei conditionatum, sed solum ante decretum illud prædefiniens ac prædeterminans, quod natura ac ratione præcedat omnem determinationem causæ secundæ. Alias constat, cum in eiusmodi propositionibus conditionatis, semper supponatur conditionis alicuius existentia, quæ sine Dei voluntate & decreto saltem conditionato esse non potest; necessarium vtique esse, omnem notitiam earundem propositionum posteriorem esse aliquo Dei decreto, nimirum illo; quo ponitur Deum hanc vel illam conditionem aliquo tandem modo esse, aut permittere voluisse. Perinde enim est, si quæras, an posito quod Adamus non peccasset, filius Dei fuisset incarnatus. Item, an si Iudas cum his vel illis circumstantijs externis fuisset ad pœnitentiam vocatus, vti Petrus, fuisset conuersus, &c. ac si quæras, An si Deus voluisset efficaciter, vt Adam non peccaret, vel vt Iudas ita vocarerur, sicut Petrus, ea quæ diximus facta fuissent. Imo præter hoc Dei decretum, inuoluitur etiam in eiusmodi conditionatis propositionibus, aliud Dei decretum conditionatū concurrendi cum eiusmodi causa libera ad hunc vel illum effectum, qui sub conditione de illa prædicatur, vt rectè etiam notauit Vasquez cit. disp. 67. c. 3. n. 22. His positis est. 9

Assertio I. Deus omnia futura contingentia absoluta, ab æterno infallibiliter nouit. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 13. & Doctores in 1. d. 38. & 39. & est de fide, contra Ciceronem l. 2. de diuinat. qui ut defenderet fortunam, & casum, ac libertatem in hominis actionibus, scientiam eiusmodi futurorum Deo denegauit, vt refert etiam & refellit S. Augustinus l. 5. de ciuit. cap. 9. & putant nonnulli, in quibus Vasquez Disputatione sexagesima quarta, numero secundo, post Ariminensem, in eodem etiam errore fuisse Aristotelem lib. 1. de interpet. cap. 8. quem tamen alij illic recte philosophatum de futuris contingentibus sentiunt, vt dicetur dubio 6. Apertius huic errori, saltem in modo loquendi, affinis est Aureolus in 1. d. 39. q. 1. a. 1. & 3. vbi docet, falsum esse dicere, *Deus distinctè & determinatè nouit Antichristum fore.* sed solum, inquit, *nouit fore, aut non fore*, disjunctim & confuse; vbi vniuersim sentire videtur, Deum de futuris contingentibus (eo quod determinate vera aut falsa non sint) nihil aliud scire, quam fore aut non fore disiunctim & confuse; nullam autem illius partem distincte: etsi fatetur interim, Deum omnia, quæ futura sunt, intueri & nosse, vt præsentia, &c. 10

Probatur assertio aperte ex Scriptura Eccli. 23. v. 29. *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita: sic & post perfectum respicit omnia*, Rom. 4 v. 17. *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Idem passim docent SS. Patres. Ratio est euidens. Tum quia futura ista contingentia sunt cognoscibilia aliquo modo (saltem per cōiecturam) etiam ab homine: ergo multo magis à Deo. Tum quia Deus horum ipsorum etiam (si bona sint) causa est per intellectum & voluntatem Tum quia sunt determinatæ veritatis, vt dicetur dub. 6. Ergo necessario cognoscuntur ab infinito intellectu, ad quem pertinet

infalli-

infallibiliter cognoscere omne cognoscibile. Tum denique quia si Deus primum, postquam existunt, cognosceret illa, & non ab æterno, iam scientia Dei, Deusque adeo ipse esset mutabilis, & non purus actus, sed mixtus potentiæ passiuæ.

11 Assertio II. Deus aliquo tandem modo ab æterno nouit contingentia quædam futura conditionata. Ita authores secundæ, tertiæ, & quartæ sententiæ; cum quibus etiam iudico assertionem hanc in his terminis non posse negari absque errore. Probatio patebit ex assert. 3.

Assertio III. Deus horum contingentium habet notitiam non probabilem tantum, sed infallibilem. Ita authores tertiæ & quartæ sententiæ; ex quibus itidem nonnulli recte sentiunt, oppositum esse parum tutum, adeoque temerarium; addo ego, quodam sensu, etiam erroneum. Dupliciter enim intelligi potest, Deum habere eiusmodi contingentium scientiam duntaxat probabilem; primo quasi ipsa Dei scientia de his contingentibus sit incerta & fallibilis; quod tunc foret, si Deus eiusmodi propositionibus absolute ac sine modificatione addita, coniecturali tantum seu probabili assensu assentiretur, nimirum hoc futurum esse, si hoc fiat; & hoc non videtur sine errore Deo posse tribui: quia hoc esset Dei scientiam, Deumque ipsum errori subijcere: si enim falli potest Deus in eiusmodi scientia; ergo nihil obstat illum aliquando re ipsa falli ac decipi: posset autem falli, si hæc scientia Dei incerta solum esset, & coniecturalis. Atque ad idem propositum etiam Vasquez citata disputatione sexagesima septima, capite tertio, numero decimo ait, errorem esse in fide, scientiam Dei fallacem esse posse.

12 Secundo, & alio modo intelligi potest, Deum de his rebus habere scientiam solum probabilem; ita, vt non assentiatur eiusmodi propositionibus hypotheticis, nisi modificatis ipso modo probabilitatis addito; nimirum probabile esse hoc futurum, si hoc fieret: quo modo etiam de bonis Angelis docetur, eos non assentiri propositionibus solum probabilibus, nisi modificatis ipso eiusmodi probabilitatis modo; ita vt obiectum assensus non sint propositiones simplices de inesse, sed modales. Et hac ratione tametsi non sit tam apertus error, Deo tribuere contingentium eiusmodi futurorum conditionatorum cognitionem solum probabilem; quandoquidem hac ratione ipsa Dei scientia fallax ideo, aut incerta minime redditur; cum eiusmodi propositiones modales sint certissimæ, etiamsi propositio de inesse, cui additur modus probilitatis, sit solum probabilis; vt ex dialectica constat, tamen id nec hoc quidem sensu satis Scripturæ, Patribus, & rationi consentaneum est. Siquidem Scriptura, & sancti Patres non solum tribuunt Deo de eiusmodi futuris contingentibus notitiam quasi modalem, sed simplicem; qua nimirum absolutè nouerit, quid tali vel tali conditione posita, futurum esset; non quid probabiliter esset futurum.

13 Exempla plura huius rei refert scriptura. Primum habetur libro primo Regum capite vigesimo tertio versu decimo, his verbis: *Et ait Dauid, Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me, si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus indica seruo tuo: Et ait Dominus, descendet. Dixitque Dauid, si tradent me viri Ceilæ, & vires qui sunt metum in manus Saul? & dixit Dominus, tradent.* Vbi aperte sermo est de futuro contingente solum conditionato; quandoquidem Dauid reipsa nunquam traditus fuit à Ceilanis, sed solum tradendus prædicitur, si in ea Vrbe permaneat. Neque vero Deus respondit solum, probabile esse, Saulem descensurum, & Dauidem tradendum fore; sed simpliciter ait: *Descendet, Tradent*: quæ proinde cognitio non potuit non esse infallibilis.

Secundum exemplum est, tertio Regum vndecimo, versu secundo, vbi dicitur: *Dixit Dominus filijs Israel, non ingrediemini ad eas; neque de illis egredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Vbi itidem sermo est de futuro contingenti conditionato, à Deo infallibiliter cognito.

Tertium exemplum est quarto Regum decimotertio, versu decimo nono. Vbi Elisæus ex diuina & prophetica scientia ad Ioas Regem Israel ait: *Si percussisses (terram) quinquies, aut sexies, percussisses Syriam usque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Vbi iterum sermo est de contingenti futuro solum conditionato, infallibiliter à Deo præcognito, etiam absque addito modo probabilitatis.

Quartum exemplum est Sapientiæ quarto, versu 14
vndecimo. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; & ne fictio deciperet animam illius*: in quibus verbis includitur quoddam futurum conditionatum, à Deo cognitum; nimirum si electus ille non tempestiuè è viuis tollatur, futurum vt in peccatum incidat & damnetur: & tamen illud futurum erat conditionatum tantum, nunquam absolutè futurum.

Quintum exemplum habetur Isai. primo, versu nono. *Nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Vbi prophetice, adeoque ex Diuino spiritu & præscientia prædicitur, Israelitas omnino fuisse perituros, nisi Deus speciali cura aliquos reservasset, aut secundum alium sensum, nullos futuros fuisse pios & electos, nisi Deus Christum & Apostolos, ex Israelis semine, in mundum misisset: & tamen fieri poterat, vt saltem per aliud decretum nihilominus saluarentur.

Sextum exemplum habetur Ieremiæ trigesimo octauo, versu 17. vbi propheta ait: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: si profectus exieris ad principes Regis Babylonis, viuet anima tua; & ciuitas hæc non succendetur igni; & salua eris tu, & domus tua. Si autem non exieris ad principes Regis Babylonis, tradetur Ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni, & tu non effugies de manu eorum.* Vbi vides, vtrumq; contradictorium contingens à Deo certo præuisum.

Septimum exemplum est Matthæi 11. vers. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Idem habetur

betur Lucæ decimo, versu decimo tertio. Quem locum etiam ita declarat & expendit S. Augustinus libro secundo de bono perseuerantiæ, capite nono. Et quamuis Matthæi vndecimo, versu vigesimo tertio in simili addatur particula *forte*; ea tamen non incertitudinem diuinæ præscientiæ, sed solum contingentiam effectus designat, iuxta SS. Patres, & interpretes ibidem. Vide Ambrosium lib. 2. de pœnitentia capite quinto. Hieronymum in illud Hieremiæ vigesimo sexto. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant*: Augustinum, in illud Psalmi secundi *Ne quando irascatur*. Eusebius libro sexto de præparat. Euangel. Simile est illud Ezechiel. 3. v. 6. *Non ad populum profanæ sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, & si ad illos mitteretis, ipsi audirent te.*

Octauum est Matthæi vigesimo quarto versu vigesimo secundo. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur.* Vnde colligitur, Christum certo cognouisse hoc futurum conditionatum, si persecutio Antichristi duraret maiori tempore, ipsi etiam Electi eius temporis deficerent & damnarentur.

15 Nonum est Lucæ decimo sexto, versu trigesimo primo. *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Quæ omnia & singula exempla rem propositam certò demonstrant.

Secundo probatur eadem assertio ex SS. Patribus. S. Gregorius Nyssenus in libro de ijs, qui præmaturè abripiuntur, ait: *Verisimile enim est, eum, qui id, quod futurum est, æque ac præteritum cognouit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod in præscientia malum animaduersum est, in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur, atque ei, qui eâ voluntate, arbitrioque victurus fuisset, vitij nequitiæque materia vita fiat.* In quem sensum etiam loquuntur S. Cyrillus libro tertio contra Iulianum, & Augustinus libro secundo, de Bono perseuerantiæ, capite nono. Vbi ait: *Certe poterat illos Deus, præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* Vbi de ijs, qui ob infidelitatem damnantur sermo est.

Ad hæc S. Chrysostomus Homilia sexagesima quinta in Matthæum docet, S. Paulum & latronem, ideo non prius à Deo vocatos, quia præsciuit ipsos tunc repugnaturos vocationi. *Idcirco*, inquit, *alij mane, alij tertia, alij nona, alij vndecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant. Quod & Paulus apertè significauit, dicens: quando autem acceptauit Deus, qui separauit me à ventre matris meæ. Quando porro Deus voluit, quando certè obtemperaturus erat; nam ipse à primis etiam incunabulis voluisset: sed quia illum renixurum sciebat, tunc voluit, cum animum penetraturam vocationem non ignorabat. Sic & latronem eum postea vocauit: potuisset antea ipsum vocasse; sed vocatus ille non paruisset.* Quibus verbis apertè Chrysostomus scientiam eiusmodi mediam Deo tribuit. 16 An autem ea causa recte sit assignata, cur Deus hoc vel illud disposuerit, dicetur suo loco de causa prædestinationis.

Simile quid docet S. Augustinus in libro de sex quæstionibus paganorum, epistola quadragesima nona, quæstione secunda, vbi ait: *Tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos prædicare suam doctrinam, quando, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Vbi rursum indicat, præsciuisse Christum, homines non fuisse credituros, si alio tempore, & alibi prædicaretur, &c. Vnde rectè generatim colligimus, Deum etiam futura eiusmodi conditionata certò, & infallibiliter cognoscere, ex mente SS. Patrum.

Item libro de corrept. grat. capite octauo dicit Augustinus. *De his, disserimus, qui perseuerantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum, deficiente bona voluntate, moriuntur. Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter, & pie viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne ficta decipiat animos eorum? Vtrum hoc in potestate non habuit: an eorum mala futura nesciuit? Nempe nihil horum, nisi peruersissimè, atque insulsissimè dicitur.* Vbi rursum expresè docet Augustinus; Deum potuisse cognoscere peccata istorum sub conditione futura, etiamsi Deus eos, priusquam peccarent, ex hac vita sustulisset.

In eundem sensum S. Gregorius libro vigesimo tertio Moralium, capite vigesimo tertio. *Suos*, inquit, *Deus aliquando flagellis premit, & oneribus grauat; quia mera potentia præuidet, quod si in tranquillitate persistierent, tentationes ferre aduersarij non valentes, mentis prostrati vulneribus iacerent.* Accedit, quod sæpè aliàs docent, Deum ante omne decretum absolutum cognouisse homines huic vel illi vocationi consensuros; alios, aut aliter non consensuros. 17

Cuius autem miseretur, inquit S. Augustinus libro primo ad Simplicianum quæstione duodecima, *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Et in eundem sensum de reprobis superius dixerat Augustinus: *si vellet* (Deus) *etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Vbi supponit, Deum circa reprobos habuisse scientiam conditionatam eius vocationis, qua & ipsi mouerentur, si Deus eos ita vocare voluisset. Et hanc congruitatem vocationis non consistere in vi quadam physica, qua physicè prædeterminet voluntatem, vt recentiores Thomistæ dicunt, indicat ipse etiam libro de Bono perseuerantiæ capite decimo quarto, vbi ait: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Et Ambrosius super caput nonum ad Romanos: *Hi secundum propositum vocantur, quos credentes præsciuit Deus futuros sibi idoneos; vt antequam crederent, scirentur.* Vbi de conditionata scientia loquitur. Denique communis est hæc Patrum & Scholasticorum doctrina, Deum antequam statueret hominem creare, præsciuisse eum esse peccaturum, si à serpente tentaretur, &c. Et quamuis hæc potissimum concernant ea, quæ re ipsa postea aliquando euenerunt, spectant tamen ad scientiam conditionatam, quam Deus habuit natura prius, quam quidquam eorum re ipsa futurum esset, quamque adeo etiam à Deo per scientiam liberam visionis præscirentur.

Digitized by Google

18 Tertio probatur veritas eadem ratione. Primo. Nam & nos ipsi probabiliter multa eiusmodi futura conditionata nouimus; verbi gratia. Si amicum hoc modo ad cænam inuitauero, veniet; si alio modo, non veniet. Si interceſſero pro hoc reo, liberabitur: alias damnabitur. Item probabiliter existimare possumus, Iudam non futurum fuisse furem ac proditorem, nisi loculos habuisset, quibus ad pecuniæ cupiditatem fuisset stimulabus: hominem in paradiso non fuisse peccaturum, nisi à serpente seu Diabolo fuisset tentatus, &c. Petrum non fuisse negaturum Christum, si non fuisset ingressus impij Pontificis atrium, &c. Vt taceam, quædam eiusmodi per scientiam Theologicam certò etiam cognosci; vt est illud iuxta S. Thomam 3. p. quæst. 1. art. 2. Si Adam non peccasset, filius Dei non fuisset incarnatus; & rursum illud 1. p. quæst. 97. Si homo perseuerasset in statu innocentiæ, esset immortalis. Quidni ergo Deus omnia futura conditionata infallibiliter norit? quandoquidem scientia fallax in Deo locum nullum habet.

Secundo. Ista futura conditionata sunt determinate vera vel falsa: Ergo scibilia; adeoque saltem per infinitum intellectum certo & infallibiliter cognoscibilia. Consequentia patet. Antecedens contra Auctores primæ, secundæ, & quartæ sententiæ probatur dupliciter. Tum quia hæc futura conditionata, suppositâ conditione, ad fore, vel non fore, eodem modo se habent, sicuti contingentia absolutè futura, etiam secluſa conditione: sola enim conditione differunt: sed contingentia absolutè futura non admittunt aliquod medium; sed altera pars est distinctè vera; altera verò distinctè, & determinate est falsa, & non altera; vel vtraque indeterminatè vera; vel falsa vt dicetur dub. 6. Ergo etiam propositiones istæ de contingentibus futuris conditionatis, sunt determinatè veræ, vel falsæ. Tum quia suppositis omnibus conditionibus ad agendum requisitis, etsi quidem nihilominus homo pro sua libertate possit agere, vel non agere; impossibile tamen est, vt maneat re ipsa indifferens, & ab vtroque abstinens, ita ut nec agat, nec non agat; cùm hæc sint contradictoria; inter quæ non datur medium: Ergo alterum necessario, ac determinatè re ipsa verum erit; aut acturum scilicet, aut non acturum his vel illis conditionibus positis: id quod per eiusmodi propositiones significatur, vt inferius in solutione argumentorum dicetur.

19 Tertiò. Postquam Deus decreuit Petrum creare, & permittere, vt in tali rerum ordine constitutus peccet; præscit absolutè illum esse peccaturum: Ergo antequam statuat illum creare & constituere in tali ordine rerum, præscit, quod si crearetur, & constitueretur in illo, peccaret; quod ad scientiam conditionatam pertinet, non ad absolutam visionis; quia non est de re existente, vel absolute futura; nec proprie etiam ad scientiam naturalem vel simplicis intelligentiæ; quia non est de re mere possibili, sed de futura sub conditione.

Eademque est ratio non solum omnium eorum, quæ post decretum diuinum creationis, certæque prouidentiæ ac gubernationis, ab homine libere fiunt; cum vtique Deus omnia illa certo nouerit futura sub conditione, quæ postea impleta conditione reipsa futura erant; sed etiam eorum, quæ absolutè nunquam futura essent. Quod ita ostendo. Quæro enim, an non sint in potentia Dei, præter eos, qui re ipsa nunc sunt, vel etiam erunt, plures; imo infiniti adhuc alij homines, quos Deus posset creare; quosque si certo quodam ipsisque accommodato vocationis modo præueniret, essent consensuri, & salutem consecuturi. Certè hoc diuinæ potentiæ negari non potest: Ergo nec scientiæ, qua Deus idipsum certo & infallibiliter norit. Scit enim non solum omnia, quæ sunt; sed etiam quæ futura sunt, & quo modo futura sint, &c.

Quod autem Auctores contrariæ sententiæ dicunt, hæc quidem esse futura conditionata, non autem ita contingentia, vt sint omnis necessitatis physicæ expertia; eo quod certus ille modus vocationis congruæ & accommodatæ, ex se & sua natura necessario, ac physicè secum trahat assensum; plane falsum est, ac falso fundamento nititur, vt suo loco de gratia dicetur.

Vnde quarto denique ita argumentor. Si necessario tribuendus est Deo is prouidentiæ modus, quo possit hominem ex intentione certo quidem ac infallibiliter, sed salua tamen etiam eius in agendo libertate, per gratiam congruam perducere ad beatitudinem; tum necessario tribuenda est Deo hæc scientia conditionata futurorum contingentium: sed antecedens est verum, vt omnes fatentur, & suo loco patebit: Ergo & Consequens. Maior probatur: Quia stante hac scientia conditionata futurorum contingentium, optime & facillime explicatur, quomodo Deus per gratiam congruam libere & infallibiliter perducat hominem ad consensum, & beatitudinem, vt inferius dicitur dubio vndecimo, & quæstione decima, dubio octauo; sine hac autem necessario deueniendum est ad eum modum gratiæ congruæ asserendum, quo voluntas physice prædeterminetur; vti omnes authores oppositæ sententiæ, recentioresque Thomistæ faciunt; quem tamen non bene cohærere cum libertate hominis inferius citata quæstione vndecima, dubio primo, fusius dicetur. Est ergo hæc scientia conditionata in Deo necessario constituenda. Et hoc ipsum est, quod authores illi tertiæ sententiæ recte dixerunt, eam esse necessariam ad percipiendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio; ad conciliandas inter se Patrum dicta; ad intelligendam distinctionem gratiæ in efficacem & sufficientem; ad demonstrandam infallibilitatem diuinæ prædestinationis.

Assertio IV. Deus habet scientiam infallibilem 21
omnium eiusmodi futurorum contingentium sub conditione; etiamsi absolute nunquam futura sint. Hæc est mens authorum, quos pro tertia sententia citauimus. Ratio est. Quia est eadem ratio omnium: si enim aliqua sub conditione contingenter futura novit, cur non omnia pariter ita futura nouerit: modo reverâ sub conditione

deter-

Digitized by Google

determinatè futura sint; quod neque authores quartæ sententiæ negant; cum fateantur, se non negare Deo scientiam futurorum conditionatorum; sed eorum tantumodo, quæ cùm nullo modo futura sint etiam ex hypothesi, asseruntur esse futura conditionata: quanquam eo ipso, quòd multa negent sub conditione futura, quæ nos futura dicimus, assertioni huic reipsa aduersari coguntur.

Hoc solum obseruandum, hypothesin, quæ in antecedenti ponitur, non debere abstractè & quasi solitariè accipi, sed cum respectu ad determinatum subiectum, & secundum omnes conditiones, à quibus prædicatum dependet. Nam si indefinitè dicas; Homo si hoc vel illo vocationis modo vocabitur, consentiet; non habet definitam & determinatam veritatem; cùm ex hominibus aliqui facilè sint cõsensuri, alij nõ consensuri: Quare nec à Deo hoc modo, prout in abstracto indefinitè ponitur, cognoscitur. Eodem modo si dicas, Iudas si fuisset ob furtum cum Christo crucifixus, confessus fuisset Christum & saluatus, sicut latro tum eodem crucifixus; subintelligendum est, si vti cum latrone accidit, rationis compos, ea signa vidisset, quæ latro vidit, aut saltem recoluisset ea, quæ ante viderat, &c. Et ita in similibus ratiocinandũ; quiá cum causalitas & connexio prædicati cum antecedente conditione, non sit nisi in particulari, & cũ determinatis conditionib⁹, donec ad has descendatur, aut saltẽ sub vna reliquæ subintelligantur, non potest cognosci determinatio futura causæ liberæ, vt benè etiam notauit Suarez cit. opus. 2. lib. 2. c. 6. num. 4.

22 Assertio V. Deus cognoscit eiusmodi futura conditionata, non solum in quibus conditio est causalis, vel necessariò præsuppositа, sed etiam in quibus est disparata; modo prędicatum reipsa cum ea sit connexũ, ipsaque adeo conditio adæquatè, & cum respectu ad cæteras conditiones, quibuscũ connexa est, accipiatur. Ita sentio cum Suarez lo. cit. etsi alij aliter, vt dictum. Probatur & declaratur. Quia copula *si* in eiusmodi propositionibus, dupliciter accipi potest. Primò illatiuè propriè, vt nimirum ex vi conditionis talis reipsa sequatur, aut inferatur hoc prædicatum; & hac ratione futura eiusmodi conditionata, seu potius propositiones illæ, in quibus conditio est disparata, non sunt veræ, nec adeo sic cognoscuntur à Deo. Secundò accipi potest concomitanter, quasi per modum aduerbij temporis, seu quatenus præcisè significat connexionem, seu concomitantiã consequẽtis cũ antecedente, ita vt nil aliud significetur huiusmodi propositionibus, quàm cũ hoc erit, siue hoc existẽte, vel supposito, erit & illud; & in hoc sensu verum habent sensum propositiones illæ, si modo consequens cum antecedente reipsa sit connexum, ipsaque conditio, siue antecedens, adæquatè, cæteris quæ requiruntur, subintellectis, accipiatur.

Ponamus enim v. g. studiosum aliquem in Hispaniá ad disputandum publicè paratum, ac destinatum, cum alio studioso sponsionem fecisse, se non disputaturum nisi eo die, quo Romæ pluat, seu quod idem est, futurum, vt Romæ pluat, eo ipso die, quò Salmanticæ disputabit, id si verè futurum sit, verè de se dicere poterit; Ego Salmanticæ disputabo, si Romæ pluat: nec minus verè de ipso alij dicere poterunt; Hic Salmanticæ disputabit, si Romæ pluat. Idem ferè est, si quocunq; modo futurum ponatur, vt Romæ pluat, cum Petrus Ingolstadij disputabit. Verè enim, licet minus propriè, dici poterit; si Romæ pluat, Petrus hic disputabit; nec alius erit eius propositionis sensus, quam pluuiâ Romæ existente, siue cum Romæ pluet, Petrus hic disputabit. Exemplum habemus in Scriptura 4. Reg. 13. vers. 19. vbi Elisæus ad Ioas Regem Israel ait, *Si percussisses* (terram) *quinquies, aut sexies, percussisses Syriam vsque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Vbi quidem sane percussio illa sæpius iterata, neque erat causa percussionis frequentioris; neque per se ac ex natura rei præsuppositа, sed plane disparata: quia tamen ex vi decreti diuini futurum erat, vt sæpius vinceret Ioas, si sæpius percuteret terram, rectè id à propheta dictum est; etiamsi causa hæc connexionis vtriusque euentus non fuerit expressa; subintelligi enim debet.

Assertio VI. Ad notitiam eiusmodi conditionatam, per se ac vniuersim non præsupponitur decretum in DEO, sub conditione simpliciter & absolutè prædefiniens, quod tale quid sit futurum, adimpleta conditione; sed pleraque ex his cognoscuntur sine præuio eiusmodi decreto prædefiniente. Ita Molina, Suarez, Vasquez, Albertinus, & fere omnes autores tertiæ sententiæ superius relati, contra authores quartæ sententiæ, & recentiores Thomistas omnes; qui sicut ad quemlibet [illegible]ctum causæ secundæ absolutè futurum prærequirunt eiusmodi prædefiniens decretum, sine quo aiunt nihil posse fieri, nec vllã omnino propositionem de futuro contingenti esse determinatè veram, aut falsam; ita etiam ad effectum sub conditione futurum requirunt eiusmodi præuium decretum, saltem conditionatum, vt dictum. Sed nos contrario fundamento nitimur, quod quæstione 10. probabitur: Nimirum nec ad absolutè quidem futurum eiusmodi effectum, requiri decretũ eiusmodi prædefiniens, seu prædefinitionem absolutam, quâ Deus simpliciter & absolutè statuerit eum producere, vel ad eum concurrere; sed sufficere conditionatum decretum ad eum concurrendi, si se causa secunda ad eum determinauerit: esto nonnunquam ratione certæ materiæ, vel in particulari casu, quippiam DEVS ita prædefinierit, non tam ex necessitate & iuxta exigentiam ipsius per se effectus, sed ob maiorem suæ prouidentiæ perfectionem, etiam salua libertate ipsius causæ secundæ. 23

Et ratio breuiter est. Quia ad hoc, vt causa secunda possit agere, plus non requiritur, quam vt eadem causa secunda, in actu primo, sit sufficienter instructa, ad eum effectum,

Deusque ipse per modum causæ primæ, paratus sit concurrere ad eundem: at hoc esse & fieri potest, etiamsi Deus eiusmodi effectum absolutè non prædefiniat; modo paratus sit concurrere si causa secunda se determinet. Ergo, &c. Maior probatur, quia ad ipsum effectum, & actionem causæ secundæ plus non requiritur, quã vt & ipsa in effectum influat, & causa prima debitum etiam concursum præbeat: Ergo vt possit agere in actu primo, sufficit & vis ipsius actiua in actu primo, & paratus concursus causæ primæ. Accedit quod vbi de peccatis agitur, nec potest quidem Deus absoluto decreto statuere & prædefinire, vt sint, aut futura sint peccata, aut peccatorum actus; Et esto, prædefinire possit eorum permissionem; ex hac ipsâ tamen non infallibiliter sequitur in particulari hoc vel illud peccatum, ac proinde nec in eo permissionis decreto cognosci poterit futurum peccatum, vt dub. 7. dicemus. Quod autem oppositæ sententiæ authores ad actionem & effectum quemlibet causæ secundæ requirunt quoque externam eius prædeterminationem, id inferius q. 11. dub. 1. refutabimus, vbi docebimus, eiusmodi prædeterminationem physicam pugnare cum libertate causæ secundæ.

25 Assertio VII. Scientia hæc diuina futurorum contingentium, propriè & strictè loquendo, tam à scientiâ liberâ visionis, quam à necessariâ simplicis intelligentiæ ratione distincta est; ac proinde recte scientia media dicitur. Hæc assertio ad modum loquendi pertinet; de quo etsi non sit magnopere contendendum, siue quis eam scientiam hoc, siue alio modo, ex dictis, velit appellare, vt supra authores variè loquentes retulimus; in omni tamen sententia admitti debet, eam à scientiâ visionis & simplicis intelligentiæ, si strictè accipiantur, distingui; esto possit vtraque etiam ita late accipi, vt eam scientiam conditionatam, seu futurorum contingentium conditionatorum complectatur. Scientia enim visionis, vt ex sancto Thoma dictum dub. 3. propriè & strictè non est, nisi rerum actu quandoque existentiũ; quæ proinde toto suo genere libera est in Deo; scientia quoque simplicis intelligentiæ solum est de rebus consideratis secundum esse possibile; quæ proinde non solum ex genere suo, sed etiam respectu particularis cuiusq; obiecti est necessaria in Deo: scientia autem hæc conditionata, de qua loquimur, nec est rei actu quandoque existentis, vt talis est; qua de causa etiam ex suo genere necessario est in Deo; neque est rei solum spectatæ secundum esse possibile, siue secundum esse essentiæ, sed etiam secundum esse existentiæ contingentis; non quidem absolutæ, sed conditionatæ: qua de causa etiam libera quodammodo est respectu particularis cuiusque obiecti; potuit enim non esse in Deo, si causa ipsa secunda libera, à qua effectus hic dependet, sicut absolutè poterat, oppositũ fuisset factura. Quæ cũ ita sint, iure merito hæc scientia, vtpote de vtroq; extremo participãs, vti dictũ, & nec tam necessaria, quam scientia simplicis intelligentiæ, nec tam libera, quam visionis; dici potest media; quicquid Zumel & Thomistæ recentiores repugnent: cum interim nec ipsi possint negare, adesse fundamentum sufficiens distinguẽdi eam ab vtraque scientiâ, tam visionis, quam simplicis intelligentiæ, si vtraque hæc propriè & strictè accipiatur, vti dictum.

Sed contra doctrinam hactenus traditam, ac 26
præcipuè contra ipsammet scientiam conditionatam, seu mediam obijciuntur varia. Primum est, quod SS. Patres nonnulli videntur apertè hanc scientiam conditionatorum contingentium reijcere. S. Augustinus lib. 1. de prædestinat. Sanct. cap. 14. contra Massilienses, inquit, *Dictum est* (Sap. 4. *Raptus est, &c.*) *secundum periculum vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat; non quod futurum non erat, &c.* Et lib. 1. de animâ, & eius origine cap. 12. *Ipsa exinanitur præscientia omnino, si quod præscitur, non erit. Quomodo enim dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Et in eundem sensum S. Prosper epist. ad S. Augustinum contra Semipelagianos. seu Massilienses: *Sed in tantum*, inquit, *quibuscunq; commentitijs meritis electionem Dei subijciunt, vt quia præterita extant, futura quæ non sunt futura, confingant, nouoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.* Similia contra Arianos, qui & ipsi quoque scientia conditionata aburebantur ad suum errorem stabiliendum, habet Alexander Episcopus Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanũ, quæ habentur in Concilio Nicæno.

Respondetur, S. Augustinum, & Prosperũ reij- 27
cere, ac damnare in Massilienſib⁹ eiusmodi scientiam mediã futuræ cooperationis, quæ fuerit causa & ratio, cur aliqui eligerentur ad fidem, & fidei sacramentum; alij reijcerentur: ac simul cum negant, præsciri quod futurũ non est, &c. apertè loquutos de scientia Dei absoluta; qualis ad verã meriti, vel demeriti imputationẽ requiritur; quæ vtique præuiso euentu nunquam frustratur. Et quamuis Massilienses de conditionata solum scientia loquerentur, rectè tamen illi, & iuxta subiectæ materiæ exigentiam, ad præscientiam absolutam transitum faciunt; hac ratiocinatione tacite suppositа; si præscientia operum quicquam ad hoc conferret, vt Deus aliquibus fidem aut fidei sacramentum tribueret, alijs negaret; tum sanè ea præscientia deberet esse absoluta, qualem suo euentu frustrari absurdum est: conditionata enim illa scientia, seu etiam opera ipsa sub conditione præscita, quæ nunquam erunt, nunquam possunt ad verum aliquod meritum vel demeritum imputari. Alexander autem solam reijcit præscientiam conditionatam operum bonorum, quæ fuerint causa cur CHRISTVS, seu filius Dei, esset filiatione adoptiua à DEO donatus. Neque nouum est, hæreticos bonis etiam subinde principijs abuti ad suos errores stabiliendos: sicuti Lutherani ex eo, quod Christus meritus est omnibus vitam æternam, inferunt bona opera non esse necessaria, nulla esse merita nostra, sufficere solam fidem. Caluiniani ex præscienta DEI absolutâ, inferunt necessitatem absolutam, & negant liberum arbitrium, &c.

Digitized by Google

28 Secundo obijcitur. Nihil est scibile nisi aliqua necessitate necessarium, sed ante omne decretum diuinæ voluntatis, non est aliquâ necessitate necessarium, etiam necessitate consequentiæ, quod Petrus positus in talib⁹ circumstantijs, & cum talibus auxilijs, non applicantibus efficaciter ei⁹ voluntatem ad conuersionem, infallibiliter conuertatur: Ergo non est scibile etiam à Deo, quod conuerteretur. Minor probatur; tũ authoritate Aristotelis l. 1. de interpret. c. 8. vbi docet, ꝓpositiones de futuro contingenti secundũ se non habere determinatã veritatẽ, aut falsitatem; quia contingens in quantũ contingẽs se habet omnino indifferenter ad vtrumlibet. Idem docet S. Thomas 1. p. q. 14. a. 13. vbi ait; contingẽs, vt est in sua causa, consideratur vt futurũ, & vt contingens nondum determinatũ ad vnum; qa causa cõtingẽs se debet habere ad oppositа; & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni; vnde quicunq; cognoscit effectũ contingẽtem in causa sua tantum, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem. Idem docet q. 57. a. 3. & q. 88. a 3. & 4. & 16. de malo a. 7 Accedit ratio. Nam impossibile est, vt aliquis effectus sequatur necessariò, necessitate consequentiæ, seu necessitate infallibilitatis, ex causa defectibili & impedibili per concursum aliarum causarum; nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab aliâ causa superiori, quę deficere non possit, nec impediri per alias causas: sed Deus non determinat causas defectibiles ad particulares effectus, nisi per decretum suæ voluntatis: Ergo ante huiusmodi decretum, non est necessarium necessitate consequentiæ, siue necessitate infallibilitatis, quod voluntas creata, quæ ex suâ natura defectibilis est & impedibilis, consentiet obiecto sibi proposito, si constituatur in talibus circumstantijs.

Respondeo; Maiorem esse veram, loquendo de scibili scientifico, quod nempe ad scientias pertinet; falsam, si vniuersaliter accipiatur de quouis particulari scibili: infinita enim à Deo, nobisque ipsis sciuntur, quæ tamen non sunt necessaria, seu infallibilia, nisi ex suppositione ipsius scientiæ, aut existentiæ, seu futuritionis. Videmus enim, & scimus infallibiliter Petrum ambulantem, stantem, cum ambulat, stat, &c. & tamen Petrum ambulare non est necessarium. Ita etiam Deus omnia contingentia absolutè futura prænouit, quæ tamen non sunt futura necessario, nisi ex suppositione ipsius futuritionis, siue scientiæ; & hanc ipsam necessitatem infallibilitatis, nimirum ex suppositione ipsius determinatæ veritatis, seu futuritionis, seu etiam ipsius scientiæ diuinæ, habent omnia futura contingentia tam absoluta, quam conditionata. Nam posito, quod semel sint determinatè futura, fieri nulla ratione potest, vt non sint futura; adeoque sunt infallibiliter futura, siue absolutè, siue sub conditione. S. Thomas autem solum docet ista contingentia non posse certo cognosci in sua causa; quod cum verum sit, vt sequenti dub. dicetur, repugnat his ipsis authorib⁹, qui hoc obijciunt. Nã si causa ipsa ad vtrumlibet se habet; ergo nulla est præfinitio absoluta effectus, aut saltem nulla prædeterminatio physica causæ secundæ: cũ vtiq; causa physicè iam aliunde prædeterminata, non se habeat indifferenter ad vtrumlibet, vt alibi fusius dicetur. Aristoteles autem falsus est, aut eo demsensu accipiendus, vt dicetur dub. sequenti.

29

Obijcitur tertio. Si eiusmodi propositiones cõditionales essent verę, essent etiã bonæ cõsequentiæ; qa omnes istæ propõsitiones simul sunt etiam consequentiæ; & veritas earũ idẽ est, quod bonitas consequentiæ, vt docent dialectici, & S. Thomas 1. p. q. 44. a. 1. ad 2. & q. 1. de potent. a. 6. ad 3. sed nõ sunt bonæ consequentiæ: tum quia non sunt necessariæ; cum tamen omnis bona & formalis consequentia sit etiã necessaria: in quo sensum etiam S. Thomas opus. 48. trac. de enuntiat. c. 14. docet; omnẽ conditionalẽ verã esse necessariam; & omnem falsam esse impossibilem; ac proinde nullam contingentem. Tum quia in eiusmodi propositionibus, consequens non est scibile in antecedente, vt fit in bona consequentia. Tum quia in bona consequentia non potest antecedens esse verum, & consequens falsum; quod hic accidit.

30

Respondeo, bonitatem consequentiæ duplicem esse, formalẽ vnam, de qua procedit obiectio, cum adductis probationibus; qualem fatemur nõ conuenire huiusmodi ꝓpositionibus. Altera est bonitas consequentiæ alicui⁹ solũ particularis, & quasi materialis; quæ nimirũ solumodo nititur particulari coñexione consequentis cũ antecedente, ex propria subiectæ materiæ conditione, & habitudine desumpta: in quib⁹ proinde etiam particula si non tam illatiuè, quam concomitanter accipitur: Et hæc sufficit in his propositionibus, alioquin omnes istæ propositiones erunt falsæ, quas quotidie formamus: si veneris ad me, si pro me apud Regem intercesseris, dabo tibi equum. Si fuisses heri mecum, impetrasses munus postulatum. &c. Neq; de his consequentijs procedunt adductę probationes; sed de propositionib⁹ conditionalib⁹ scientificis, & vniuersalibus, quales in scientijs vsui esse possunt, vt rectè Vasquez n. 25. Ad horũ autẽ, de quibus agimus, veritatẽ & bonitatẽ sufficit, vt significata per eas concomitantia consequentis cũ antecedente sit à parte rei, atq; adeo hic & nunc posito in Esse antecedente, ponatur consequens, etiamsi liberè ponatur & contingenter.

31

Possunt tamen eiusmodi ꝓpositiones hypotheticæ, si quidẽ antecedẽs earũ nõ absolutè, & nudè secũdũ se, sed respectiuè, & vt ex suppositione cõnexũ est, cũ consequẽte, accipiatur, redigi etiã in consequẽtias formales; quo casu & consequentiæ ipsæ erũt necessariæ, & cõsequẽs nõ min⁹ habebit infallibilitatis necessitatẽ, & hypotheticã, q̃ antecedẽtis; neque etiã stante veritate antecedentis, & in sensu cõposito vnquã poterit cõsequẽs esse falsum. Vt si dicas quãdocunq; duo sunt coñexa, tũc cũ vnũ eorũ erit, etiã alterũ erit: sed ista duo, videlicet antecedẽs & cõsequẽs, sunt, & supponuntur in re coñexa. Ergo cũ aliqd eorũ erit, etiã alterum erit. Atq; si hoc modo antecedẽs accipiatur, prout in se coñexum est cum consequẽte, & nõ absolutè secundũ se tantũ, tunc potest qdem ipsum etiã esse medium cognoscendi consequẽs; sed ipsa tamen connexio aliunde debet esse perspecta.

32 Obijcitur quartò. Deus ante omne decretũ suæ voluntatis, nõ scit quot homines, vel Angelos esset producturus, si crearet alium mundũ: Ergo similiter ante idẽ decretum non scit, quot act⁹, vel quales esset producturus quilibet homo, si crearetur & constitueretur in tali ordine rerũ. Respõdeo. negando cõsequentiã; & rationem, omissis varijs, quas alij assignant, hanc reddo; quia implicat, vt Deus ante decretum suum, prædeterminans quicquã ex ijs, quæ ab ipso solo pendent, operetur ad extra; vel vt horum fiat quicquam, aut futurũ sit, ante decretum eiusmodi diuinum: sed nil obstat, quo minus libera creatura operetur, ante decretũ diuinũ prædeterminans, vt superius dictũ. Iã autẽ creare Angelos, aut nõ creare, etiam posito quod Deus crearet alium mundum, pendet à solo decreto Dei prædefiniente; ante quod neutrum determinatè futurum est.

33 Dices; saltẽ si Deus crearet alium mundũ huic similẽ, adeoq; simul cum Angelis, tũc certũ etiam aliquem Angelorum numerũ creaturus esset; v.g. aut mille tantũ; quo facto cũ inter hæc duo cõtradictoria non detur mediũ, alterutrũ necessario ex ea conditione futurũ esset: Ergo Deus tunc saltem nosse deberet alterutrũ determinatè, milléne tantũ an nõ tantũ mille creatur⁹ esset ex ea hypothesi. Respondetur, negando consequentiam; quia nec tunc quidẽ ex ea conditione alterutrũ determinatè futurũ esset; sed indeterminate alterũ: sicut.n. posito, quod crearet mundũ, à solâ ipsi⁹ volũtate penderet, simul etiã Angelos creare, vel nõ creare; ita quoq; si crearet Angelos, ab eius solius voluntate & decreto penderet, tot numero Angelos creare, vel plures. Quocirca propositiones eiusmodi continent antecedens planè abstractũ & indefinitum respectu consequentis; quo casu iam superius asser. 4. dictum, eiusmodi ꝓpositiones à Deo non cognosci; qa reuera consequẽs ex tali conditione determinatè nec futurũ, nec nõ futurũ est. Perinde est enim dicere; si Deus crearet aliũ mundum, crearet Angelos; aut crearet mille tantum; aut non tantum mille; ac si dicas; si Deus de nouo crearet hominem aliquem in abstracto, tum is foret salu⁹, aut habiturus esset has vel illas operationes &c. quod à Deo sciri ibidem negauimus. Quod si in propositione illâ; si Deus crearet alium mundum, crearet tot Angelos, &c. antecedens tacitâ quadam subintellectione compleatur, adeoq; non ita nudè planè & inadæquatè, sed cum respectu ad ipsum decretum diuinum, cum quo reipsa necessario coniunctum foret, accipiatur; tum vtique etiã à Deo infallibiliter cognoscetur. Erit enim tunc iste sensus; si Deus crearet mundum, simulque, vti necessariò esset futurum, certum numerum Angelorum & hominum præfinisset, sciret vtique quot homines, vel Angelos esset producturus. Vt proinde in genere, & quoad formalem quasi rationẽ, & doctrinam, inter futura contingentia, respectu Dei, & hominum, seu creaturarum; eorumque scientiam, nulla sit differentia; si modo comparatio debito modo instituatur.

34 Obijcitur quinto. S. Thomam, alioſque Theologos duo tantum membra diuinæ scientiæ assignasse; sub quorum neutro tamen hæc contingentium futurorum sub conditione comprehenditur, si stricte & proprie loquamur; signum ergo est, ab eis non fuisse agnitam. Responderi potest primò, negando consequentiam. Quia diuisione illa respexisse illi videntur solum ad obiecta absoluta, non conditionata; cum tamen interim negari non possit, eos pro occasione passim & agnouisse, & docuisse scientiam etiam hanc conditionatam, si de re ipsâ loquamur: nisi quis adeo iniquus erga illos esse velit, vt existimet, eos non intellexisse, aut sciuisse, quæ in scripturis, & Patribus, adeo manifestè sunt tradita, vt vidimus, Accedit, quòd nec Thomistæ quidem recentiores hoc tempore absolutè negare audent, Deum eiusmodi futura conditionata scire; cum saltem fateantur scire, post decretum suũ illud prædetermi, nans; & tamẽ hæc ipsa notitia æquè parũ sub duobus illis mẽbris scientiæ diuinæ comprehenditur, quam si absq; eo decreto diuino præscirentur, vt ex dictis colligi potest. Respõdeo secundò, S. Thomam, & Scholasticos veteres, scientiam hanc mediam comprehendisse, vel sub scientia visionis, vel simplicis intelligentiæ; prout etiamnum Theologi aliqui ad vnam ex his eam reuocant, vti superi⁹ dictum. Interim non obstat, maioris claritatis & perspicuitatis causa, & ad omnẽ æquiuocationẽ tollendam, eam proprio vocabulo *scientiam mediã* dicere; cũ & alij termini disciplinæ causa à Theologis, alijsque scientiarum tractatoribus successiuè plures sint inuenti: quicquid Zumel loc. citat. sine causa eam *scientiæ mediæ* appellationem acrius perstringat.

DVBIVM VI.

Qua ratione Deus cognoscat futura contingentia; an mediate in se ipsis, vel in causis eorum; vel ex reali eorum præsentia ab æterno.

Ad S. Thom. 1. p. q. 14. a. 13.

1 EXpeditâ quæstione An est, de cognitione futurorum contingentium; sequitur vt explicemus etiam quæstionem propter quid, eo modo, quo in actibus diuinis ratio agendi, siue propter quid locũ habere potest. Et vero cum multa sint, de quibus quæri potest, an sint ratio quædam cognoscendi futura contingentia, nimirũ. 1. ipsa futuritio, seu veritas ipsorũ futurorũ contingentiũ. 2. causæ eorundem. 3. realis eorum præsentia ab æterno. 4. Deus ipse, & quidem sub varia ratione eadem repræsentans; siue per modum ideæ, aut causæ, siue vt in decreto diuinę voluntatis; de quibus singulis variæ sunt Doctorum sententiæ; idcirco de his omnibus ſigillatim agendum est: & hoc quidem dubio, de tribus illis rationibus huius cognitionis, quas nonnulli extra Deum ipsum pro ratione futura cognoscendi assignant; sequẽti vero dubio de quarto, qui est Deus ipse. Et quia eadem ratio est in præsenti futurorũ contingentium absolutè, & sub conditione, de vtrisque simul agendum est.

Obser-

Digitized by Google

Obseruandum autem; cum ad quamlibet cognitionem duo concurrant potentia nimirum ipsa cognoscens, seu vis cognoscitiua potentiæ, & obiectum, quod cognoscitur: in quo rursum duo distingui officia debent, ratio videlicet terminandi potentiam, & ratio eandem repræsentatione obiecti, aliquo causalitatis modo mouendi & determinandi ad cognitionem, vt dictum supra dub. 3. assert. 4. in præsenti non esse controuersiam, de ratione cognoscendi futura contingentia, ex parte ipsius potentiæ; hanc enim omnes fatentur esse infinitam in DEO vim cognoscendi, sed de ratione cognoscendi ex parte obiecti.

2 Assertio I. Ratio cognoscendi futura contingentia, seu absoluta, seu conditionata, ex parte obiecti, sub ratione terminantis cognitionem, est quidem ipsa futuritio eiusmodi futurorum cõtingentium. Hæc est extra controuersiam, & patet ex ipsis terminis. Quia illud est ratio cognoscendi sub ratione termini, quod formaliter terminat ipsam scientiam; sed cognitionem futurorum contingentium terminant ipsa contingẽtia futura, vt futura; sub hac enim ratione à Deo cognoscuntur: Ergo ipsa contingentia futura, vt futura, seu quod idem est, ipsa futuritio eorundẽ, est ratio cognoscendi. Et quamuis diuina cognitio nullo modo pendeat à creatura, vt dictum supra dub. 1. requirit tamen terminum, qui vt sic quidem non habet rationem alicuius causæ vel medij cognoscendi; rectè tamen secundum rationem nostram à nobis assignari potest ratio quasi Metaphysica ipsius cognitionis; sicut pro ratione cur aliquis sit pater, assignamus hanc, habere filium.

Et procedit hæc assertio; siue interim dicamus, propositiones eiusmodi de futuro contingẽti esse determinatè veras, aut determinatè falsas, siue non: de quo non existimo inter Doctores esse posse, nisi nominis quæstionem; eius fere generis etiam est illa quæstio, an aliquod nomen significet Deum quidditatiuè, de qua supra q. 7. dub. 4. Certum enim est; non esse determinatæ veritatis, respiciendo ad significata earum, vt præcisè cognoscuntur intellectu humano; siue denominationem sumendo ab ea cognitione, quam nos homines de ipsis habemus, inter quos significant, & à quorum cognitione non parum dependet modus significandi nominum, ex dictis citat. quæst. 7. dub. vlt. si enim nobis determinate verum vel falsum significarent, sciremus vtique determinatè veræ ne essent, an falsæ; cum tamen hoc plane nesciamus.

3 Secundo etiam determinatæ veritatis non sunt, si præcisè spectentur, vt sunt in suis causis adhuc indeterminatis: hæ enim indifferenter se habent ad vtrumlibet, id quod expressè docet Sanctus Thomas hic quæstione 14. artic. 13.

Tertio tamen respectu cognitionis diuinæ, procul dubio sunt determinatæ veritatis; quandoquidem Deus determinatè nouit, vnum eorum futurum, alterum non futurum.

Quarto etiam ex parte obiecti complexi, alterum sane ex ijs determinatè futurum est, alioquin ne sic quidem à DEO cognoscerentur: id quod solum argumenta eorum probant, qui absolute docent, esse determinate veras; tametsi nos interim nesciamus, vtra ex duabus contradictorijs sit determinatè vera. Vbi etiam aduertendum, aliud esse, an aliquid sit determinatè futurum; aliud an significetur vt determinatè futurum; sicut aliud est, rem aliquam secundum se esse certam; aliud, vt certam significari; illud enim respicit rem ipsam, siue obiectum secundum se; quod si quidem omnino futurum est, vtique determinatè futurum est; alias enim nec à DEO quidem, vt dictum, determinatè futurum cognosceretur: *significare* autem, relatiuum est, & respectum habet, tam ad rem significatam, quam ad illum cui aliquid significatur, vt supra supra dictum q. 7. dub. 4. & potest aliquod obiectum habere certum modum veritatis, seu cognoscibilitatis; cùm tamen sub eo veritatis aut cognoscibilitatis modo non significetur.

Quocirca cum quæritur; An propositiones 4
de futuro contingenti (in significando) sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ, responderi potest cum hac distinctione: Aut quæstio est, an determinatè significent verum vel falsum, qua tale est; & tunc commodè respondebitur; nobis quidem, & plerumque etiam Angelis, non determinatè significare verum vel falsum, sed DEO: non enim significatur oratione cuipiam aliquid, nisi quod ab eo cognoscitur, & modo quo cognoscitur, iuxta dicta citat. quæst. 7. dub. 4. à nobis autem determinatè non cognoscitur eorum veritas, vt dictum. Aut quæstio est, an secundum se & à parte rei significatio talis obiecti conformis sit, vel difformis rei significatæ, an non; & tunc dicendum est, esse determinatè veras, vel falsas.

Atque hac ratione fere conciliari poterunt diuersæ, ac in speciem pugnantes hac de re Doctorum sententiæ; quorum aliqui absolute affirmant, esse determinatè veras vel falsas; alij vero absolute negant. Affirmant post Richardum, Bonauenturam, Scotum, Capreolum, Maiorem, Ockamum, Gabrielem, Ariminensem in 1. distinct. 38. vel 39. Sotus in caput. 9. epistol. ad Romanos, Corduba lib. 1. quæst. 55. dub. 2. Suarez opusc. 2. lib. 1. cap. 2. Vasquez hic disput. 66. capit. 2. Conimbricenses, & Rubius in Logica, & alij quidam recentiores. Negant diserte Aristoteles lib. 1. perihermen. capit. 6. eiusque interpretes communiter, speciatim Alexander, Ammonius, Sanctus Thomas, Louanienses, & Toletus ibidem, item Aureolus in 1. distinct. 39. quæst. 1. artic. 1. Carthusianus de veritat. enunt. Molina hic quæst. 14. art. 13. d. 17. (vbi hanc sententiam vocat communem) & disp. 18. memb. 1. Zumelin 1. d. var. dub. 3. & dub. 5. Palatius, & multi Thomistæ recentiores, vt fatentur Vasquez, & Suarez loc. cit. Idem fere habet Gregorius de Valentia hic quæst. 14. p. 5. §. 3. vbi ait,

ad modum explicatum, *verissime pronuntiasse Aristotelem loco citat. Propositionem de futuro contingente non esse determinatè veram aut falsam; sed indifferentem ex se ad vtrumlibet.* His adiungo Albertinum tom. 1. princip. Phil. 4. dub. 1. vbi contra Vasquez, & alios, noua distinctione vtramque sententiam conciliat; & simul Aristotelem hac de re recte philosophatum esse contendit, quem qui volet consulat.

5 Equidem sanè probare non possum, quod quidam recentiores (præeunte Vasquezio loc. citat.) adeo sententiam affirmatiuam firmiter defendant, vt simpliciter & absolutè etiam quasi de fide certam asserant, & contrarium erroris & insipientiæ arguant: cum tamen, vt dixi, inter Catholicos hæc quæstio non videatur esse, nisi de nomine; quicquid sit de mente Aristotelis, quem multi etiam ex auctoribus primæ sententiæ, in bonum sensum interpretantur; nec improbabiliter omnes, vt fatentur Conimbricenses; tametsi alij, in quibus Vasquez & Suarez locis citat. re ipsa errasse existimant, quasi non in se, nec apud Deum sint determinatæ veritatis, de quo non disputo. Et sanè qui tam acri censura oppositam sententiam damnant, in ipsum etiam Sanctum Thomam incurrunt, qui non solum in explicatione Aristotelis, sed etiam in summa sua 2. 2. qu. 171. artic. 3. in corp. Aristotelis loquendi modum retinuit, cum his ipsis verbis ait: *Contingentium futurorum veritas non est determinata.* Sed hæc obiter de quæstione philosophica dicta sunto, quam ex instituto Philosophis ventilandam relinquo. Nos quæ sunt reliqua præsentis dubitationis prosequemur.

6 Assertio II. Ipsa futuritio eiusmodi futurorum contingentium, seu quod idem est, veritas eiusmodi propositionum de futuro contingenti, non est ex parte obiecti adæquata & sufficiens ratio in Deo, eiusmodi futura cognoscendi. Ita Durandus & Richardus in 1. d. 38. & est ex mente Doctorum communiter; qui propterea aliam etiam rationem cognoscendi ex parte obiecti necessario assignandam censent, vt videbimus. Est autem hæc assertio contra Vasquez hic d. 65. c. 4. & 1. 2. d. 189. n. 116. quibus locis ait: se hanc rationem primũ adinuenisse ex Scoto in 1. d. 39. q. 1. à pluribus recentioribus postea approbatam; nimirum ad hanc cognitionem ex parte potentiæ, sufficere infinitatem diuini intellectus; ex parte obiecti, ipsam determinatam veritatem futurorum contingentiũ. Ratio assertionis est manifesta. Quia, vt superius dictum, duplex est officium obiecti, & vtroq; modo obiectum ratio quædam est cognoscendi; primum est terminare cognitionem: alterum est repræsentare seipsum, seu mouere & determinare potentiam: prius quidem abunde præstat ipsa veritas, seu futuritio contingentium futurorum: sed posterius officium, seu concursum per modum causæ mouentis & determinantis potentiam respectu diuinæ cognitionis, non potest vllũ præstare creatum obiectũ: ac multò minime id quod nec dum vllam existentiam habet, vt dictum supra hac quæst. dub. 1. & 2. Ergo aliquid aliud assignandum est, quod hunc obiecti concursum in hac diuina cognitione suppleat.

Assertio III. Etsi rectè quidem aliquo sensu dici 7
possit, futura contingentia cognosci à Deo in se ipsis; non tamen ita vt significetur ea ipsa, seu futuritionem eorundem, esse rationem sufficientem ex parte obiecti, eadem cognoscendi. Posterior pars patet ex assert. præced. prior pars indicatur à S. Thoma hic q. 14. a. 13. vbi ait; *Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout vnumquodq; eorum est actu in se ipso.* Idem ex sua, & S. Thomæ doctrina docet expresse Vasquez d. 64. n. 34 Idem aperte tradunt illi, qui vniuersim docent Deum cognoscere creaturas in se ipsis, licet id quidam negent, vt dictum supra hac quæst. dub. 3. assert. vlt. Vnde etiam sumitur ratio; quia cognosci aliquid in se ipso vno quodã sensu, idẽ est, quod cognosci secũdũ se, siue per se ipsum terminare scientiam; quod de futuris contingentibus respectu diuinæ cognitionis, verissimè dicitur.

Assertio IV. Deus non cognoscit futura cõtingentia libera, seu absoluta, seu cõditionata, in suis causis secundis adhuc indeterminatis, vt futura; sed vt possibilia tantum. Primam partem tradit S. Thomas hic q. 14. a. 13. vbi dicit, *Contingens futurũ, vt consideratum in sua causa, non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicunq; cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi cõiecturalem cognitionem.* Idem docet q. 57. a. 3. & q. 88. a. 3. & 4. & q. 16. de malo a. 7. Idem docent Capreolus in 1. d. 38. q. vn. a. 2. Vasquez d. 64. n. 39. & d. 65. num. 20. & sequuntur Thomistæ, alijque Theologi communiter: licet oppositum teneat Gregorius de Valentia hic qu. 14. punct. 5. §. 2. Vbi concedit Deum non quidem rectè, & infallibiliter vt sic, sed aliquo tamen modo cognoscere futura contingentia etiam vt futura in suis causis, adhuc indeterminatis; idque putat docere S. Thomam hic q. 14. cit. a. 13. vbi dicit; *Deum cognoscere omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis; sed etiam prout vnumquodq; eorum est actu in se ipso.* Sed aliud est cognoscere contingentia prout sunt in suis causis, quod dicit S. Thomas; aliud cognoscere futura in suis causis; quod nunquam dicit, neque sane dici potest. 8

Ratio assertionis est. Quia omnis cognitio futurorum contingentium in suis causis est incerta & fallibilis, non solum negatiuè, & per abstractionem præcisionis, à certitudine & incertitudine, vt putauit Gregorius de Valentia; sed etiam positiuè & simpliciter; quia eo ipso, quod causæ ipsorum indeterminatæ sunt, & ad vtrumlibet indifferenter se habent, non potest ex vi illarum certò & infallibiliter sciri, an aliquid futurum potius sit, quam non futurum: sed si quid per illas cognoscitur futurum, non potest ea cognitio non esse nisi incerta, & coniecturalis, adeoque fallibilis, vt recte dixit S. Thomas loc. cit. sicut omnis cognitio rei per medium incertum, positiuè, vt ita dicã, incerta & fallibilis est: at vero in Deo non habet locum vlla incerta & fallibilis seu coniecturalis cognitio: Ergo nec scientia futurorum contingentium in suis causis.

Dixi vero *contingentia libera*, de quibus hic potis- 9
simum agimus; quia contingentia merè naturalia

possunt

possunt sane infallibiliter à Deo cognosci, etiam in collectione omniũ causarum secundarũ, supposito ordinario concursu ex parte Dei: quia ex tali combinatione & complexu causarum, naturaliter & necessario sequitur effectus eiusmodi naturalis, qui non dicitur contingens, nisi quia interuentu quarundã causarũ secundarũ potuit impediri; ex hypothesi autem supponitur nullam eiusmodi causam interuenire, quæ impediat.

Dixi secundo, *in causis indeterminatis*, quia si loquamur de causis secundis iam determinatis ad vnam partẽ, siue à Deo, siue potius à se ipsis, sic dubium non est, posse à Deo futura cognosci etiam certo & infallibiliter in suis causis, vt quo ad hoc bene docet Gregorius de Valentia loc. cit. post Durandum in 1. d. 38. q. 3. & consentiunt Thomistæ recentiores, speciatim Bannes & Zumel hic; tunc enim non sunt amplius indifferentes ad vtrumlibet. Quia tamen dum causæ secundæ liberæ ponuntur iam ad agendum determinatæ (cum se ipsas suomet influxu seu concursu ad agendum determinent) eo ipso simul etiam ponuntur agere & influere in effectum; idcirco dum Deus ita contingentia futura cognoscit, non tam ea cognoscit in suis causis, seu ex vi causæ, quam simul cum ipsa causa, iam determinata ad agendum, & rectè notauit Vasquez l. cit. disp. 65. num. 20. Qui cum in 1. 2. d. 189. n. 116. ait: *Deum etiam cognoscere effectum contingentem futurum, puta liberam hominis cooperationem ad bonum, ex vi causæ, siue ex vi talis cogitationis contemperatæ cum arbitrio*, ne sibi contradicat, ita intelligendus est, vt vel vocula, Ex *vi causæ*, non appellet ipsum *fieri*, quasi videlicet Deus ex vi causæ, tanquam obiecti cogniti, sciat futurum, sed ipsam effectus futuritionem ex vi causæ; vel certè velit, ex vi talis cognitionis congruæ, non secundum se spectatæ, sed prout per scientiam mediam sub conditione iam coniuncta liberæ determinationi ipsius hominis, certo & infallibiliter cognosci futurum consensum hominis.

10 Secundam partem assertionis tradit S. Thomas hic cit. q. 14. artic. 13. illis ipsis antea citatis verbis cum dicit, *Deum cognoscere omnia contingentia, prout sunt in suis causis*; quia contingens vt est in sua causa, solum est possibile; potest enim esse & non esse. Idem veluti certum & extra controuersiam supponit Gregorius de Valentia loc. cit. nec vllus est, qui neget. Ratio est. Quia in causa etiam contingente necessario continetur effectus, vt possibilis: est enim de ratione talis causæ, vt ab ea possit esse effectus: ergo etiam cognitâ tali causa, certo infallibiliter cognoscitur effectus secundum esse possibile: Deus autem distincte nouit omnes causas contingentes: Ergo etiam effectus contingentes vt possibiles in suis causis. Neque tamen ideo Dei cognitio sumitur & pendet ab obiecto creato. Non enim dicitur cognoscere effectum velut in causa ipsius cognitionis, aut quasi ab eo vllo modo dependeat; sed quia nostro concipiendi modo, cognitio ipsius causæ hac ratione prior est in Deo, quam cognitio effectus futuri qua possibilis; esto alia ratione esse possibile rei prius sit ratione, quam potentia eius producendi, vt quæst. 10. dicetur.

Assertio V. Deus etiam non cognoscit futura contingentia (seu absoluta, seu conditionata) in reali & actuali, seu formali eorum existentia ab æterno: nullam enim talem habent. Ita post Durandum, Scotum, Bonauenturam, Heruæum, & alios in 1. d. 38. vel 39. docent Gregorius de Valentia hic q. 14. punc. 5. §. 2. Suarez opusc. 2. l. 1. cap. 7. Vasquez disp. 64. cap. 3. contra Richardum in 1. d. 38. Capreolum d. 36. Ferrariensem 1. cont. gent. cap. 66. & 67. Catharinum opusc. de præsentia & prouidentia Dei, Caietanum, Bannem, & alios recentiores Thomistas hic q. 14. art. 13. quidocent, res omnes futuras, adeoq; & futura contingentia (absoluta, non conditionata) esse Deo præsentia ab æterno, non tantum secundum esse cognitum seu obiectiuum, sed etiam secundum propriam, realem, & actualem suam existentiam ab æterno; in qua proinde docent eadem futura contingentia absoluta à Deo ab æterno infallibiliter præcognosci. Eandem sententiam tribuunt recentiores Thomistæ S. Thomæ hic q. 14. artic. 13. dum ait: *Omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate. Vnde manifestum est, quod contingentia & infallibiliter à Deo cognoscantur, in quantum subduntur diuino conspectui secundum suam præsentialitatem; & tamen sunt futura contingentia suis causis comparata.* 11

Contra istorum vero sententiam multi non secus disputant, ac si de re ipsa esset controversia; an creaturæ vllæ existant, aut exstiterint ab æterno. Sed vt recte aduertit Vasquez loc. cit. cap. 2. & clarum est legenti Caietanum hic, authores isti in re aliud non volunt, quam creaturas omnes in quolibet nunc, aut instanti non temporis, sed ipsius æternitatis, quæ tota simul est, tunc, cum sunt, esse præsentes, & coexistere æternitati ipsius Dei; quod in re verissimum est. Potius igitur culpandus loquendi modus, cum præterea dicunt, res istas futuras, Deo semper præsentes esse secundum esse suum reale & actuale, item ab æterno esse; item nunc existere in æternitate; seu Antichristum nunc coexistere Deo in æternitate (vt videre est apud Caietanum, & alios recentiores Thomistas. 12

Res interim constat. Quia de fide est, mundum, adeoque res istas, ab æterno non fuisse creatas seu productas: aliud verò esse reale ac propriũ non habent, quam creatum ac productum; nec aliunde, quam per creationem seu productionem: & sicut extrinseca duratione prius non durant, quã, ppria & intrinseca duratione sua durent, seu priusquam propriam durationem habeant; ita nec alteri coexistunt, priusquam intrinsecâ propria & creata existentia existant; quod non fit, nisi per productionem extra suas causas. Cum igitur authores contrariæ sententiæ fateanrur; ab æterno non fuisse productas, necesse est fateri etiam, ab æterno non extitisse seu coextitisse Deo, propria & reali existentia: etsi tunc cum

Digitized by Google

existunt, vere de illis dici possit, eas coexistere Deo in æternitate.

Neque verò ideo, quia coexistent aliquando toti in se, & indiuisibili æternitati, ideo ab æterno, aut semper in æternitate existunt; aut nunc (quando nec dum sunt) in æternitate coexistunt Deo, vt per se notum videtur.

Quod si propterea præcisè Deus habet certam notitiam futurorum contingentium, quia tunc, cum existunt, coexistunt illi in mensura æternitatis secundum illud esse reale, quod habebunt in tempore; tum etiam Angeli itidem cognoscent futura contingentia, quandoquidem & hæc, cum existunt, coexistunt Angelo in æuo, quod itidem totum simul est & indiuisibile, ac mensura superior ad nostrum tempus. Non nego, per consequentiam & remotè, ex futura illa coexistentia cum æternitate, colligi & inferri posse Deum cognoscere non tantum res illas cum præsentes existunt, sed etiam futuras: sic enim argumentari licet. Deus omnia tunc cum existunt, cognoscit. ergo etiam cognoscit futura contingentia, tunc cum existunt: ergo cognoscit etiã ab æterno, antequam existant, adeoque futura; quando quidẽ & scientia Dei, & Deus ipse penitus est immutabilis, neque de nouo cognoscere quidquam potest. Sed negamus ideo, quod aliquando existentiam; in æternitate habent, tunc nimirum cum existunt, ideo ab æterno coexistere Deo; aut eam ipsam ob causam propriè & immediatè etiam ab æterno cognosci à Deo, vt dictum.

13 Nec his obstat S. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 17. vbi ait. *Apud Deum præterita & futura stant.* Et lib. 5. cap. 16. *Apud Deum nec præterita transierunt & futura iam facta sunt.* Et soliloq. cap. 26. *Tu vero nosti, quoniam quod ego per successus dierum & temporum, hinc ad mille annos huius temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ iam factum est, & quod futurum est, iam factum est.* Similia habet idem Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, item S. Gregorius lib. 20. moral. cap. 23. vel 24. Boetius lib. 5. de consol. prosa vlt. Anselmus opusc: de concord. lib. arbit. & præd. cap. 2. Hugo de S. Victore in sum. sent. trac. 1. cap. 12. Primò enim si quid his locis, contra ea, quæ diximus probaretur, illud etiam maximè probaretur, res omnes ab æterno fuisse productas; quod ipsi tamen etiam aduersarij negant. Deinde Patres isti plus non volunt, quam in ipsa æternitate, & scientia DEI nullam esse successionem; & omnia etiam præterita & futura à Deo cognosci perinde vt præsentia; imò etiam plane præsentia Deo esse, sed obiectiue.

Quare etiam S. Gregorius loc. cit. nostræ sententiæ apertè astipulatur cum ait: *Nam & quæcunque sunt, non ab æternitate ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt* (nimirum obiectiue præsentia Deo) *quia videntur*. Eodem modo S. Thomas hic pro contraria sententia adductus, solum loquitur de præsentia obiectiua, & post Heruæum, Sylueſtrũ, Dezam, Thomistas, contra Caietanum, & recentiores Thomistas, rectè declarat Vasquez hic disp. 64. cap. 5. & Gregorius de Valentia q. 14. punct. 5. §. 2. præsertim cum idem S. Thomas quæst. 20. artic. 2. ad 2 diserte dicat, *creaturas ab æterno non fuisse nisi in Deo.* Nec argumenta cætera contrariæ partis quicquam habent momenti, vt videre est apud Vasquez cap. 4. & facile ex dictis colligi potest.

DVBIVM VIII.

Vtrum Deus cognoscat futura contingentia in seipso, & qua ratione; num vt in idea, aut in decreto suæ voluntatis, &c.

Assertio I. Deus cognoscit plane omnia futura contingentia, tam absoluta, quam conditionata in se ipso. Ita vniuersim de rebus omnibus creatis docet S. Thomas hic q. 14. artic. 5. & 6. & est communis Doctorum sententia, vt diximus supra dub. 3. Ratio est; quia cum scientia Dei sit plane independens ab omni obiecto creato; vt ibidem superius dictum, necesse est, vt sibi ipsi sit ratio cognoscendi eadem obiecta, quo fit, vt cognoscantur in ipso Deo tanquam ratione cognoscendi. 1

Assertio II. Deus futura contingentia non cognoscit in se ipso, vt præcisè in Idea. Ita Suarez opusc. 2. lib. 1. cap. 6. num. 7. Molina hic artic. 13. disp. 18. memb. 1. Vasquez disp. 65. post Ariminensem, Ockamum, & Gabrielem in 1. d. 38. Scotũ. d. 39. & videtur esse mens S. Thomæ hic a. 13. vbi ait. *Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia* (nimirum obiectiue) *non solum ea ratione, qua habet rationes* (ideales) *rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt; sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Est autem, vt apparet, assertio contra S. Bonauenturam in 1. d. 39. a. 2. q. 3. Durandum q. 3. num. 8. Caietanum, & quosdam recentiores Thomistas hic cit. art. 13. probatur. Tum quia ideæ formaliter sunt tantum de rebus faciendis non futuris, qua futuris; imo secundum S. S. Thomam hic quæst. 15. art. 9. ideæ sunt etiam de rebus merè possibilibus: qua de causa etiam scientia absoluta futurorum contingentium, supponit quidem rationes ideales; sed ex ijs tamen immediate & adæquate non oritur. Tum quia ideæ rerum sunt simpliciter necessariæ in Deo; scientia autem rerum futurarum, vt sic, est libera: non ergo ideæ ante actum liberum diuinæ voluntatis, adeoque nec per se, & ex natura sua præcisè, repræsentant futura contingentia; siue de absolutis, siue de conditionatis sermo sit.

Assertio III. Deus etiam non cognoscit sufficienter futura contingentia, seu absoluta, seu conditionata, in solo decreto suæ voluntatis. Hanc assertionem fusè probat Suarez cit. opusc. 2. lib. 1. cap. 6. contra Caietanum, & modernos Thomistas hic quæst. 14. art. 13. in quibus nominatim sunt Bannes ibidem, Zumel ibid. disp. 7. quibus in modo loquendi nonnihil fauet Vasquez hic d. 65. c. 2. citans Richardum, Scotum, 2

Durandum

Digitized by Google

Durandum in 1. d. 38. & 39. Differt tamen reipsa a Thomistis illis dupliciter: primo quia Thomistæ illi decretum diuinum, per modum obiecti cogniti, faciunt rationem cognoscendi effectus contingentes; Vasquez autem quia vniuersim negat, in cognitione intuitiua locum habere posse rationē cognoscendi per modum obiecti cogniti, vt dictum supra q. 6. dub. 8. vbi eam sententiam refutauimus, ait, ea solum ratione Deum in suo decreto cognoscere futura contingentia, quatenus decretum illud est causa futuritionis effectus, quæ ipsa denique sit proxima ratio, cognoscendi ex parte obiecti. Secundò, quia Thomistę illi recentiores pro fundamento supponunt, omnes effectus contingentes absolute ac particulatim prædefiniri & prædeterminari à Deo, vt videre est apud Zumel ibidem. vbi propterea ait; *si aliqui effectus contingentes non essent à Deo præordinati, & prædefiniti in particulari, absoluta voluntate, non possent in particulari infallibiliter cognosci in sola prædeterminatione diuina voluntatis; nisi simul cognosceretur & videretur determinatio causæ particularis.* Vasquez autem in liberis actibus nullam eiusmodi prędeterminationē absolutam admittit: & nos hoc loco supponimus, saltem vniuersim ad omnem actionem causæ secundæ eam prædeterminationem neque esse necessariam, neque reipsa dari, quod quæst. 10. dub. 7. & 8. ex instituto probabitur.

Quibus positis, contra Thomistas illos facile probatur assertio. Quia duplex in præsenti decretum Dei distingui potest; vnum absolutum, quo videlicet Deus absolutè, & independenter à concursu causæ secundæ, adeoque ratione & natura prius, quam causa secunda seipsam determinet, aut etiam quam ea determinatio futura cognoscatur, velit rem aliquam fieri, seu esse futurā, quę vocatur absoluta prædefinitio rei futuræ; seu etiam extrinseca prædeterminatio diuina causæ secundæ ad agendum. Et hæc esto per se non impediat libertatem & contingentiam effectus (de qua re suo loco inferius) certum tamen est, ex communi & recepta sententiâ (extra scholam Thomistarum recentiorum) non dari in Deo de quibuslibet effectibus contingentibus, etiam non malis, multò vero minime de malis & peccaminosis, vt ex his quæ dicentur quæst. 10. suppono. Quamobrem licet respectu eorum effectuum contingentium, de quibus datur, sit ratio infallibiliter cognoscendi illa ipsa futura contingentia, vt fatetur etiam Suarez; tamen non potest esse ratio cognoscendi respectu aliorum. Imo nec respectu illorum saltem liberorum effectuum futurorum est totalis ac primaria ratio cognoscendi eiusmodi futura; cum decretum illud in Deo supponat scientiam mediam qua Deus scit, per causam liberam hoc futurum, si tali vel tali modo moueatur; sine qua præscientia mediâ nec posset, quidem Deus quidquam eiusmodi futurum liberum efficaciter & absolutę prædefinire. vt dicetur eadem q. 10. dub. 8.

Alterum Dei decretum est, de exhibendo præcise concursu accomodato huic vel illi causę liberæ, prout illa seipsam ad agendum hoc vel illud determinauerit; & hoc tametsi detur respectu cuiusuis effectus etiam peccaminosi, tamen est quasi conditionatum, si nempe causa libera se determinet ad hunc vel illum actum; præsertim quando est de actione intrinsecè malâ & peccaminosa: Ergo nisi aliunde cognoscatur determinatio libera voluntatis, saltem ex hypothesi futura, non possunt hi effectus in decreto diuinæ voluntatis cognosci; adeo vt Thomistæ illi citati ipsimet fateantur, sublatâ absolutâ illâ prædefinitione Dei, non posse in decreto diuinæ voluntatis præcognosci effectus contingentes, vt vidimus.

Secundo probatur eadem assertio vniuersim & absolutè. Quia inter futura contingentia, sunt etiam peccata, hæc autem futura Deus in nullo suo decreto cognoscit: Ergo non omnia futura contingentia Deus in decreto suę voluntatis cognoscit. Minor probatur: non enim Deus ea cognoscit in aliquo decreto, quo illa fieri velit, & decernat, quia DEVS nullo modo peccata vult & decernit, sed solum permittit. Nec etiam illa cognoscit in decreto permittendi: quia ex sola permissione seu decreto permittendi, secluså præscientiâ Dei mediâ, non potest cognosci peccatum futurum: si enim aliter cognosceret, maxime in negatione diuinæ determinationis ad bonum (sine qua homo labitur in quoduis peccatum) inclusa in ipsa permissione peccati, vt vult Bannes cum alijs Thomistis: sed hoc dici non potest: tum quia hæc determinatio Dei physica ad bonum, in actionibus liberis nulla est, vt dicetur q. 11. dub. 1. tum quia ex subtractione talis determinationis, non necessario sequitur hoc peccatū inspecie & indiuiduo; imo si de determinatione ad bonum sermo sit, quæ habeat rationem gratiæ efficacis, nec omnino vllum peccatū: potest enim facilis aliqua actio bona exerceri, absq; vllo auxilio gratiæ Christi, vt ex 1. 2. & S. Thoma ibidē suppono, & fatentur comunitter Thomistę. Eadem fere est ratio prædeterminationis extrinsecę, seu prædestinationis absolutæ, quam itidem non esse necessariā ad quamlibet actionē causæ secundæ, iam ante diximus. Atque in eundē sensum recte etiam Scotus in 1. dist. 41. quæst. vn. §. *Contra istud*, ait: *sola permissio alicuius actus, & certitudo de permissione, non facit certitudinem de illo actu, quia oportet habere aliquam causam effectiuam. Igitur ex hoc solo quod Deus præscit se velle permittere Iudam peccare, non erit certus de Iuda peccaturo.* Ita Scotus

Neque etiam cognosci à Deo peccata futura possunt in decreto concurrendi ad ipsum actum peccaminosum, in quantum ens est, vt putat Vasquez loco cit. Tum quia non omne peccatum inuoluit eiusmodi actum positiuum, vt hic suppono ex 1. 2. quidquid dicat Vasquez. Tum quia idipsum non sufficit, quamdiu ad eiusmodi actum Deus hominem absolute non prædeterminat, vt ex Thomistis ipsis antea vidimus: atqui non prædeterminat, vt antea dictum: Ergo. Taceo quod vnus & idem actus peccaminosus, secundum omnem suam rationem positiuam intrinsecam, esse potest absque formali malitia morali sola ablatione liberatis, vt suo loco dicetur 1. 2. Quo fit vt in ipso actu peccaminoso futuro, secundum se

non

non possit cognosci ipsum peccatum formaliter futurum, quod sine morali ac formali malitia esse non potest. Atque ob has etiam ipsas causas, superius q. 6. dub. 9. diximus, beatos non videre peccata in decreto diuinæ voluntatis. Interim tamen in omni sententia fatendum est, Deum non in genere tantum, & in confuso, sed etiam in particulari decernere, ad hunc vel illum actum secundum omnes circumstantias, concurrere; alias imperfecte operaretur, nec haberet distinctam prouidentiam singulorum effectuum; quod erroneum est; idque proinde in confesso esse apud omnes Catholicos, recte notauit Suarez loc. cit. num. 3. licet nescio quos in contrarium referat Vasquez loc. cit. de qua re plura quæst. 10. dub. 7.

6 Assertio IV. Deus etiam non cognoscit contingentia futura in sola suæ præscientiæ efficacitate. Hanc fusè etiam probat Suarez. cit. opus. 2. lib. 1. cap. 5. contra singularem quandam sententiam Pallatij in 1. dist. 38. q. 2. disp. 2. dub. penul. Probatur tum ex eo, quod non ideo res futuræ sunt, quia Deus illas scit futuras; sed contra, ideo scit futuras, quia futuræ sunt; adeoque scientia visionis non est causa rerum, vt apertè docet S. Thomas q. 6. de verit. artic. 3. & suo loco dubio 10. dicetur. Tum quia etiamsi hæc scientia visionis esset causa rerum, non magis tamen in ea sciri possent omnia futura contingentia, quam in ipso decreto diuinæ voluntatis, quod itidem est causa rerum; nec tamen est ratio cognoscendi peccata futura, vt pote quorum causa Deus non est, vt dictum antea.

7 Assertio V. Deus itidem non cognoscit omnia contingentia in seipso, præcisè veluti causa. Sequitur ex assertione tertia; quia cum Deus sit causa rerum, non aliter in ipso, vt in causa cognosci possunt futura contingentia, quam in decreto ipsius; in quo per se solo, iam antea diximus Deum non cognoscere omnia futura contingentia, saltem absque præuia scientia media: Etsi hac supposita, & in decreto suæ voluntatis, & in se veluti causa, vtique omnia futura contingentia cognoscat; non quidem velut in causa omnium futurorum contingentium; peccatorum enim, seu malorum culpæ Deus non est causa nec author: sed veluti in causa bonorum, quibus annexa sunt eiusmodi mala culpæ, vt cum S. Thoma hic q. 14. dicemus. Eo ipso enim quod Deus postquam per scientiam mediam vidit, Petrum v. g. si in hoc ordine rerum & auxiliorum gratiæ collocaretur, hoc vel illo modo peccaturum esse, suo decreto eundem Petrum in eo rerum & auxiliorum ordine ponere constituit, nouit vtique etiam in hoc ipso decreto, adeoque etiam in seipso, veluti in causa omnis boni Petrum esse peccaturum.

8 Assertio VI. Deus quidem cognoscit omnia futura contingentia in seipso, veluti in verbo creaturarum easdem repræsentante, non vt mere possibiles tantum, sed vt reipsa quondam futuras. In quibus proinde sunt etiam ipsa futura contingentia; sed hæc cognitio futurorum contingentium non est primaria & directa, sed secundaria, & quasi reflexa; quæ proinde secundum nostrum intelligendi modum aliam priorem cognitionem eorundem supponit, Hæc assertio patet in simili ex ijs, quæ superius q. 6. dub. 9. generatim docuimus, de cognitione creaturarum in Verbo. Loquimur enim de cognitione creaturarum in verbo veluti medio cognito; quæ non potest non esse quasi cognitio reflexa, adeoque priorem cognitionem directam supponens. Quod si loquamur de verbo ipsorum futurorum contingentium, veluti medio non cognito, iam ibidem etiam diximus, quid sentiendum sit; proprie videlicet loquendo, hâc ratione; non tam cognosci creaturas, ipsaque adeo futura contingentia *in Verbo*, quam *Verbo*; & insuper quidquid sit de modo loquendi, necessario tamen assignandam adhuc aliam rationem ex parte obiecti, quæ sit ratio cognoscendi tum creaturas cæteras, tum ipsa futura contingentia, de quibus hoc loco particulatim disputamus; quam ipsam denique sequenti assertione explicamus.

Assertio VII. Ratio cognoscendi futura contingentia, in Deo, generalis, primaria, & adæquata, ex parte quidem ipsius cognoscentis, siue intellectus, est infinitas diuinæ virtutis ad intelligendum; qua intelligere potest omne intelligibile: ex parte vero obiecti per modum principij, est infinitas diuinæ essentiæ tanquam speciei intelligibilis, per quam, suppsita eorundem futuritione, ipsa vt sunt futura, sufficienter repræsentantur: ex parte verò obiecti, per modum termini, est ipsamet rerum contingentium quandoque futurarum futuritio. Hanc assertionem iure tradit, & explicat Suarez cit. opus. 2. lib. 1. cap. 8. eodemque modo intelligitur S. Thomas hic q. 14. artic. 13. vbi ait: *Omnia quæ sunt in tempore* (aliquando nimirum existentia) *sunt Deo ab æterno præsentia* (obiectiue) *non solum ea ratione qua habet rationes rerum* (nimirum practicas, vt sunt Ideæ) *apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, pra vt sunt, in suâ præsentialitate.* Et ibidem ad 3. ait: *Nobis qui cognoscimus futura contingentia; quatenus talia sunt certa esse non possunt; sed soli Deo cuius intelligere est in æternitate supra tempus. Sicut ille qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt: sed ille qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam.* Quorum verborum sensus esse videtur: Nos quorum cognitio pendet à sensibus, non possumus aliam de futuris contingentibus habere cognitionem, nisi quam præsentes causæ eorundem exhibent, vtique homini incertam & fallibilem. At vero Deo cuius cognitio ab obiectis minime dependet, quæque ex sua infinitate excedit omne tempus ipsaque æternitate mensuratur, omnia etiam futura, secundum proprium suum & actuale esse, ab æterno obiectiue præsentia sunt; quæ proinde a Deo ita infallibiliter cognoscuntur, &c. Ratio assertionis sumitur ex dictis. Quia sic tam ex parte obiecti (in quo, vt dictum duplex ratio, principij, & termini potest considerari) quam ipsius potentiæ cognoscentis, nihil deest, quo minus à Deo, distincte & infallibiliter secundum suas proprias ra-

9

tiones,

Digitized by Google

tiones, & quodammodo in seipsis cognoscantur omnia futura contingentia. Adest enim ex parte potentiæ vis intelligendi sufficiens, vt pote infinita; adest intelligibilitas, & ratio terminandi ex parte obiecti, secundum quod futura sunt, quia reuera sunt futura, & quidem aliquo sensu determinate futura, vt superius dictum: adest ratio repræsentandi ex parte eiusdem obiecti, quã præstat ipsa diuina essentia in quantum est species intelligibilis infinitè repræsentatiua omnis intelligibilis.

Ex quibus etiam colligere est, quid sentiendum sit de opinione Nominalium, speciatim Ockami, Gabrielis, Ariminensis in 1. dist. 38. qui docent, fide quidem nos certo scire, Deum hæc futura contingentia cognoscere; impossibile tamen esse intellectui humano, declarare modum, quo illa cognoscit. Nam si sermo sit de cognitione modi illius omnino clara & distincta, in hac vita, verũ est, quod dicunt; eo ipso quod infinitatem diuinę essentiæ & intelligentiæ quidditatiue non cognouimus: si autem de cognitione imperfecta, non sunt audiendi: præsertim quando euidenter etiã demonstrari potest, & Deum habere vim sufficientem ea intelligendi, ac sibi ipsi repræsentandi; & obiecta ipsa futura esse apta sic intelligi, vt ex dictis constat.

DVBIVM VIII.

An, & qua ratione Deus cognoscat non entia; speciatim mala atque rationis entia.

S. Thomas 1. p. q. 14. a 9. & 10.

1 NOn ens, generatim loquẽdo variè dici potest. Primo, quod actu non est, tametsi verè aliquando fuerit; aut futurum sit: & de his nulla est peculiaris dubitatio, præter ea, quæ de futuris cõtingentibus dicta sunt dub. præced. Vnde patet, hæc omnia à Deo cognosci; quanto magis ea quæ fuerunt, & iam non sunt; cum Dei cognitio sit immutabilis, vt vniuersim dictum dub. 4. & 10.

Secundo dicuntur non entia, quæ licet alioqui essentialiter sint aliquid positiuum & reale, tamen nec habent, nec habuerunt, nec habebunt vnquam actualem existentiam; quæ alio nomine dicuntur entia mere possibilia: & de his sub hoc ipso nomine *Non entium* agit S. Thomas hic quæst. 14. a. 9. sed nec de his restat difficultas specialis, præter ea quæ diximus supra dub. 4. vbi etiam dubitationem illam expediuimus, an per hoc, quod entia possibilia diuinam scientiam terminant, intelligantur habere aliquod esse actuale.

Tertio non entia censeri possunt omnes propositiones & complexa falsa, & hæc ipsa vtique etiam Deus cognoscit prout sunt; dissentiendo videlicet vt falsis, non assentiendo vt veris, vt recte declarant Suarez. 1. p. lib. 3. cap. 3. num. 12. & Vuasquez disp. 61. cap. 1. Neque difficultas est magna de modo cognoscendi. Deus enim intelligendo extrema quælibet, per se ac in seipso cognoscit ea vt sunt, adeoque diuisa vt diuisa, connexa vt connexa: eodemque sensu dici potest, Deum cognoscere negationem per affirmationem; quatenus eo ipso, quod cognoscit rem quid sit, cognoscit etiam consequenter, & quasi secundum rationem nostram posterius, quid non sit: etsi Vasquez loc. cit. simpliciter neget, Deum cognoscere negationem per affirmationem; ratus ex æquo ac per se vtramque cognosci.

Præter hæc, duo adhuc sunt genera non entium, de quibus hoc loco difficultas est, an & quomodo à Deo cognoscantur. Quarto enim, non entia dici possunt negationes & priuationes, quæ vt sic non habent esse reale positiuum; sub quibus continentur mala omnia, atque adeo peccata formaliter accepta; de quibus malis agit hic S. Thomas q. 14. a. 10. Quinto denique non entia dici possunt, quæ licet à nobis velut non entia concipiantur, tamen nullo modo sunt, nec esse possunt; qualia sunt entia ficta, vt hircoceruus, chimæra &c. Eodemque pertinent omnia entia rationis propriè dicta; quæ nullum habent esse; nisi obiectiuum ab intellectu; de quo vtroque non entium genere quid sentiendum, sequentibus assertionibus explicabimus. 2

Assertio I. Deus omnia mala, tam naturæ, quã moris, adeoque tam pœnæ, quam culpæ, seu aliquando existentia, seu merè possibilia perfectissime cognoscit. Ita S. Thomas hic q. 14. a. 10. & communis Doctorum in 1. d. 36. & est de fide, ex multis locis scripturæ. Nam mala naturæ, seu pœnæ, Deus ipse facit & immittit, iuxta Amos. 3. v. 6. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*; vtique à se prius cognitum, cum Deus sit agens intellectuale. Prouerb. 15. v. 11. *Infernus coram domino; quanto magis corda filiorum hominum*, Sap. 8. v. 8. *Signa, & monstra scit, antequam fiant; & euentus temporum & sæculorum.* Mala vero culpæ certo consilio ipse permittit, ac cõmissa punit. Iob. 11. v. 11. *Ipse enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne considerat?* Psal. 50. v. 6. *Et malum coram te feci.* Et plena est vndique scriptura, varijs exemplis, è quibus constat, Deum peccata hominum videre, ideoque varias pœnas terris immittere. Quanquam simul etiam in scriptura non nunquam Deus peccata nescire dicitur, Abacuc 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere, ad iniquitatem non poteris.* Quia videlicet hæc non nouit scientia *approbationis*; sed tum scientia quadam speculatiua, qua cognoscit quidquid est, prout est; tum scientia quidem etiam aliquomodo practica, sed nõ causalitatis, aut efficientiæ ipsius peccati, sed solum permissionis & & ordinationis ad bonum finem, vt sequenti disputatione de prouidentia Dei declarabitur. 3

Sed difficultas est, quomodo Deus cognoscat has priuationes, an per essentiam suam, siue vt medium cognitum; siue vt rationem cognoscendi; an per bonum seu formam oppositam; an potius per se, & in seipsis. De qua re hic S. Thomas cit. q. 14. c. 10. dicit; *Per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscere etiam mala; sicut per lucem etiam cognoscuntur tenebræ.* Et ad tertium ait: *Deus cognoscere suos effectus per suam essentiam; & eos cognoscentem* 4

centem, etiam mala opposita cognoscere. Et resp. ad 4. ait: *malum non esse per se cognoscibile, quia de ratione mali est, quod sit priuatio boni;* & sic inquit, *nec definiri neque cognosci potest, nisi per bonum*; In quem sensum satis etiam aperte loquitur S. Dionysius cap. 8. de diuin. Nomin. & sequuntur alij Thomistæ.

Notandum, duobus modis censeri posse malum cognosci per bonum; primo vt per medium cognitum: secundo nudè vt conterminum ipsius mali; qui simul intelligatur cum malo, tanquam altero termino.

Assertio II. Nullum malum formaliter, prout est priuatio boni, vllo intellectu intelligi potest, nisi simul intelligatur bonum, cuius est priuatio; & hoc sensu etiam omne malum à Deo intelligitur per bonum, tanquam conterminum, malo priuatiue oppositum. Hæc est mens S. Thomæ loc. cit. maximè in resp. ad 4. & est extra controuersiam, eiusdemque S. Thomæ ratione optimè probatur. Quia cum hoc modo sit de ratione mali formaliter, vt sit priuatio boni; impossibile est, illud definiri, aut cognosci, nisi per bonum oppositum, nempe velut essentialem conterminum mali. Quod si in confuso ac in genere tantum malum cognoscatur, necesse est etiam, vt bonum saltem in confuso & in genere cognoscatur. Si vero illud distincte cognoscatur, & hoc necesse est distincte cognosci. Dixi tamen malum *formaliter, vt est priuatio boni,* quia malum materialiter, seu denominatiue, cum sit ens reale ac positiuum, non debet cognosci per bonum veluti formam oppositiam; vt per se patet. Quæ tamen forma opposita, etiam in peccati cognitione proprie ac formaliter non est ipsa essentia diuina, quidquid Zumel hic quæst. 14. a. 10. & quidam recentiores Thomistæ dixerint: sed bonitas virtutis, cui priuatio peccati immediate ac directè opponitur, vt expresse docet S. Thomas hic q. 14. a. 10. ad 2. & 3. & sequuntur Suarez lib. 3. capite 3. numero 11. & Vasquez disp. 62. cap. 2. & pluribus doceo in 1.2. siue tomo. 2. d. 2. q. 5. dub. 2. & disp. 4. q. 1. dubio 2. Vbi simul etiam explico, an peccatum formaliter habeat aliam malitiam, præter hanc priuationem.

Assertio III. Deus etiam cognoscit mala per bonum, velut medium cognitum. Hæc est mens S. Thomæ cit. art. 10. in corp. vt ex discursu ipsius intelligitur, & sequuntur communiter Thomistæ ibidem, ac Suarez cit. cap. 3. num. 11. Probatur. Deus enim, dum in se ac sua essentia, siue vt in causa, & medio cognito, siue vt in specie quadam intelligibili, perfecte, ac per se, directè & primario cognoscit omne bonum creatum sicuti est, ex consequenti, seu potius secundario etiam cognoscit defectus ac mala, quæ conjuncta habet, vt recte dixit S. Thomas. Idem tradit S. Dionysius c. 7. de diui. nom. vbi de Deo loquês ait: *Quemadmodum etiam lux per causam* (seu veluti causa) *in se tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet, quod non aliunde, quam ex luce tenebras norit.* Et confirmatur; quia cum aliqua potentia est cognoscitiua tam entis, quam non entis, tum eo ipso quod cognoscit ens, vt est in se, finitum, & imperfectum, videt consequenter etiam priuationes. Secus accidit in oculo (similis est cæterorum sensuum ratio) qui cum non possit videre nisi colorem & lucem, nequit videre tenebras; sed intellectus ex eo, quod apertis oculis nil videtur, colligit & percipit tenebras; vt recte Vasquez d. 61. n. 3. Et quanquam Deus vtroque modo explicato priuationē non cognoscat, nisi etiam cognita forma, seu habitu opposito, non tamen formaliter per conceptum obiectiuum ipsius habitus: quia cum aliud sit habitus, aliud negatio; & Deus intelligat ea quæ sunt, aut non sunt, eo modo quo sunt, nō potest non vnūquodq; in se objici intellectui, vt bene Vasquez cit. d. 61. n. 5. tametsi conceptus formalis à parte rei idem sit vtriusque, nimirum eadem essentia diuina.

Assertio IV. Deus nihilominus, ex probabili sententia, cognoscit eadē mala etiam directe & immediate, ac quodammodo per se, ac in seipsis absque alio medio cognitio. Ita sentit Vasquez d. 61. c. 1. nec aduersatur S. Thomæ, qui dum priorem modum cognoscendi asserit, posteriorē hunc non negat: & verò plures eiusmodi modos intelligendi vnam & eandem rem (videlicet per mediū cognitum, & per medium vt sic non cognitum) inter se non pugnare, iam sæpe diximus. Ratio est: quia sicut apud nos contrariorum eadem est scientia; ita etiam intelligere possumus, essentiam diuinam directe repræsentatiuam esse per modum speciei intelligibilis non solum bonorum, sed etiā malorum oppositorum: præsertim cum nullum malum eueniat, nisi Deò vel causante, vel permittente, vt dictum: Quanquam semper interim simul necesse est intelligere formam priuationi seu negationi oppositam, non quidem hoc cognitionis genere, tanquam medium cognoscendi ipsas priuationes, sed tanquā conterminum, sine quo priuatio non potest intelligi, vt dictum assert. 2. Et iuxta hunc posteriorem modum intelligendi mala, ait etiam Vasquez loc. cit. *Deum non intelligere non ens instar entis.*

Ex quibus denique patet, vt ad hanc difficultatem summatim respondeatur; Deum cognoscere mala per suam essentiam, tum vt per medium cognitum; tum vt rationem cognoscendi; & rursum tamen etiam per bonum creatum oppositum, semper quidem tanquam conterminum; partim vero etiam vt medium cognitum: per se vero ac in seipsis illa non cognoscit, nisi his vocibus nil aliud significetur, quam mala secundum suam propriam rationem, & non per accidens solum; sed quodam cognitionis modo etiam directè, absque alio medio priùs cognito, à Deo cognosci. Sed nunc de quinto genere non entium agendum; de quo duplex est dubium, an entia rationis intellectus diuinus cognoscat; & an etiam faciat.

Assertio V. Deus cognoscit etiam omnia entia rationis, tam illa, quæ mere fictitia sunt, quam quæ habent fundamentū in re, vt rationē generis, speciei &c. Hanc distinctionē entiū rationis, quæ nullum habent esse nisi obiectiuum in intellectu, suppono ex Logica. Assertionem vero hanc generatim tradit S. Thomas hic q. 14. artic. 9. vbi

ait;

Digitized by Google

ait; *Deum cognoscere omnia, quæ sunt in potentia Dei, vel creaturæ, siue in potentia actiua, siue in passiua, siue in potentia essingendi vel imaginandi, vel quocunque modo significandi.* Et infra q. 15. a. 2. ad 3. ait: *Respectus multiplicantes ideas non sunt in rebus creatis, sed in Deo. Non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personæ, sed respectus intellecti à DEO.* Idem de vtroq; entium rationis genere apertè etiam docent Suarez in Metaph. disp. vlt. & hic lib. 1, cap. vlt. & lib. 3. cap. 3. num. 7. Albertinus tom. 1. princip. 1. Coroll. 1. punct. 5. Christoph. Gillius lib. 2. tract. 6. cap. 13. num. 5. & videtur etiam consentire Vasquez hic disp. 61. num. 4. & 5. licet idem tom. 2. disp. 118. num. 11. 12. 13. disertè neget, entia ficta & rationis à Deo cognosci.

Cum enim ibidem num. 11. recte dixisset per intellectum diuinum aut quemlibet cognoscentem res sicuti sunt, proprio & distincto conceptu non fieri ens rationis, sicut neque distinctionem; eo quod cum ens rationis quod rebus tribuimus ipsis re vera non conueniat, nisi tantum in nostra apprehensione; & Deus cognitione sua rebus cognitis nihil addat, sed illas omnino apprehendat, sicuti in se ipsis sunt; neque per intellectum diuinum aut cognoscentem rem sicuti est, aliquid ad aliud referri, quod re ipsa ad aliud non refertur: mox inferius num. 12. recentiores aliquos perstringens, quod dicerent, nihilominus entia rationis à Deo cognosci ait: Cæterum recentiores aliqui, claudicantes in vtramque partem, nec plane vnam aut aliam sententiam sectantes, docent, concipi quidem à Deo ens rationis, & obiectiue Deo præsens esse, sed à Deo non fieri, ne concedant absurdum, nempe intellectum diuinum fingere aliquid sibi &c. Verum Philosophi hi ludunt vocabulis, ne videantur concedere aliquid absurdum Deo; quomodocunque vero loquantur, negare non possunt, diuinum intellectum aliquid fingere, & concipere aliter, quam est. Nam si Deus retinet in mente sua id quod non est, licet non primariè sed quia prius factum est ab intellectu creato, reuera format in intellectu suo figmentū & monstrum, illudque virtute sui intellectus conseruat factum & inuentum ab alio &c. Adde quod si Deus nunc cognoscit ens rationis, quod ab intellectu humano habet esse; cognoscit etiam illud ab æterno antequam creatus intellectus illud effingat. Et infra num. 13. Fieri, inquit, ens rationis & formari, nihil aliud est, quam obijci intellectui vel intelligi, quod idem est; diuinus autem intellectus ex sententia ipsorum habet illud sibi obiectiue præsens: ergo facit illud & format, licet non primariè sed occasione nostri intellectus.

Probatur assertio; tum quia & nos vtraq; illa entia rationis cognoscimus, vt suppono; & Deus eam ipsam etiam cognitionem nostram distinctissime & perfectissime nouit: ergo etiam cognoscit eiusdem cognitionis obiecta, quandoquidem impossibile est, distinctè cognoscere cognitionē creatam, & non simul etiam cognoscere eius obiectū à quo illa essentialiter & intrinsecè dependet. Tū quia vtrumque illud entis rationis genus est aliquod intelligibile: ergo necessario cognoscitur ab infinito intellectu. Consequentia probatur; quia sicut de ratione infinitæ potentiæ est, facere posse omne possibile; ita de ratione infiniti intellectus, vt infinitæ scientiæ est, cognoscere omne cognoscibile. Alioqui enim talis scientia non erit simpliciter infinita. Neq; satisfacit Vasquez loc. cit. dum ait, Deum quidē cognoscere eiusmodi obiectū esse in intellectu hūano: hoc enim, inquit, sine imperfecto conceptu obiectiuo fieri potest, at non cognoscere eo modo, quo est in intellectu humano. Nam etiam nos non dicimus Deum eo modo cognoscere quo intellectus humanus, si modus denominet cognitionem siue potentiam cognoscentem, cognoscere tamē eo modo ex parte obiecti ita vt intellectus diuinus reuera cognoscat, quod humanus intellectus, nempe ens rationis. Addit Vasquez nostrū conceptum formalem non habere respectum realem ad figmentum illud obiectiue existens in mente nostra, & ita non sequi à Deo cognosci, ex eo, quod Deus cognoscat cōceptum nostrum formalem; quia vt habeat illud sibi obiectiue præsens, debet habere in se conceptum formalem, cuius virtute obijcitur nobis. Sed reuera hæc non recte dicuntur, quia constat omnem cognitionem creatam habere relationem transcendentalem ad suum obiectum cognitum. Neq; ad cognoscendum obiectum alicuius cognitionis seu conceptus formalis necesse est, eandem cognitionē seu conceptum formalē in se habere.

Quæ rationes apud me euidenter conuincunt; vt existimem, rem hanc non minus certam esse, 9
quam Deum, propter infinitatem omnipræsentiæ, seu ob immensitatē suā, esse in omnibus locis præsentē; saltē si supponamus, genus illud Entis rationis Logici, non nisi obiectiuè existentis in intellectu, dari in rerū natura: imò etiamsi quis contendat, id esse Ens merè fictitiū, non minus quàm hircoceruus, adhuc tamen negari non poterit, à Deo cognosci: quandoquidē nihilominus illud à nobis aliquo modo intelligitur, cum de illo tam prolixè in vtramque partē disputetur, & verò etiam cætera, vti diximus, entia fictitia, tam à Deo quā à nobis cognoscantur.

Assertio VI. Deus tamen sua cognitione non facit 10
eiusmodi Eus rationis Logicum, aut fictitium. Ita citati aut hores omnes, excepto Gillio loc. cit, qui docet, Deum proprio suo intellectu etiam efficere ens rationis: pro qua sententia citat etiam S. Thomam 1. p. q. 15. art 2. ad 3 & 4. Henricum in sum. art. 68. q. 5. & in quodlib. 5. q. 1. Sed contrarium existimo verius: Ratio est: non solùm quia Ens rationis nec à nobis quidem efficitur quacunque cognitione quasi speculatiua (multoties enim generis, speciei, vel ipsius etiam entis rationis in genere conceptum habemus, de eo velut de alijs rebus speculatiuè ratiocinantes, nullum interim faciendo eiusmodi ens rationis, vt notat etiam contra quosdam recentiores Gillius loc. cit. num. 3. & 4.) sed quia ens rationis non efficitur, nec sequitur, nisi ex cognitione quadam imperfecta, homini propria, V. G. ratio generis, speciei, seu vniuersalis, per cognitionem quandam abstractiuam imperfectam, qua natura quædam à conditionibus individuantibus abstrahatur, & secundum se nudè consideretur; item ratio subiecti, prædicati &c. ex compositione & diuisione intellectus, includente vel supponēte pluralitatem conceptuum, quorum vnus eum 1

alio aliquo modo componatur, vel ab eo seiungatur. Entia quoque rationis mera fictitia ex eo oriuntur, quod intellectus etiam non entia quasi entia fingat & formet; coniungendo ex rebus notis eiusmodi conceptus, qui in vnam & eandem rem conuenire non possunt &c. Quæ omnia à Deo, partim etiam ab Angelis, valde aliena sunt. Neque enim Deus vnum absque alio per cognitionem abstractiuam considerat, qui vno & eodē simplicissimo intuitu necessario videt omnia; neque Deus componit & diuidit; neque ipse confingit entia eiusmodi fictitia & phantastica: quæ proinde omnia, vt & cætera errata intellectus nostri (quæ tamen itidem à Deo cognosci nemo ambigit) nec fiunt ab ipso Deo, nec omnino talia sunt respectu intellectus diuini, sed duntaxat nostri: esto interim, veredicatur, nos dum facimus entia rationis logica, *non fingere monstra & figmenta*. Neque contrarium sentit S. Thomas loco cit. qui plus non dicit, quam relationes rationis cognosci à Deo: neque apud Henricum, aut vllum alium authorem hactenus legi, Deum facere illud ens rationis de quo loquimur.

II Obijcies, qui facit fundamentum proximū entis seu relationis rationis, is etiam facit ipsum ens rationis, quod inde sequitur; non enim aliter id efficitur: sed Deus creando hominem V. G. facit fundamentum proximum relationis rationis, qua Deus veluti creator ad hominē refertur: Ergo &c.

Respodeo, Obiectionem procedere non de ente rationis Logico, aut merè fictitio, de quo in quæstione locuti sumus, sed de alio quodā genere entis seu relationis rationis, quod actionem Dei transeuntem consequitur: quanquam si quis dicat ens rationis formaliter non habere suam existentiam, nisi cum actu cogitatur ab intellectu (nimirum eo ipso, quod non habet aliam existentiam; nisi obiectiuam in intellectu) idq; per modū entis cuiusdam quasi realis, ad quod semper notitia humana respicit, vtpote à phantasia dependens, quæ non nisi ad rem realē terminatur; absque hac verò existentia obiectiua formaliter non esse rationis entia, sed nudas duntaxat denominationes extrinsecas; is facile etiam defendere poterit, nec istud quidem ens rationis à Deo effici, vtcunque effectum à nobis, ab ipso itidem cognoscatur.

DVBIVM IX.

Quotuplex sit scientia diuina, & quisnam in ea sit ordo respectu variorum obiectorum.

S. Thom. 1. p. q. 14. a. 5. & 16.

I QVòd ad primum attinet, tres sunt potissimum diuisiones scientiæ diuinæ, quæ fere ex dictis colligūtur. Prima sumitur ex diuersitate obiectorum; qua ratione alia est, & vocatur *simplicis intelligentiæ*, respectu rerum possibilium, qua tales sunt, siue secundum suam naturam præcisè spectentur, siue secundum varium modum, quo à Deo fieri possunt; & siue hæ ipsæ res aliquando habituræ sint existentiam, siue non. Alia est *visionis*, quæ etiam *intuitiua* dicitur, respectu rerum quandoque actu existentiū qua tales, siue præsentes iam sint, siue præteritæ, aut futuræ. Deus enim omnia, quæ aliquando existunt, eodem modo velut præsentia intuetur, nec eget rei præsentia ad intuitiuā cognitionē: licet aliqui nimis scrupulosè existiment, scientiam visionis non esse appellandam, nisi eam quę formaliter circa res præsentes in tempore versatur: quod significat Gabriel in 1. d. 39. Quæ loquendi ratio etsi solum ad vocabulorū vsum pertineat, est tamen contra cōmunem & receptū loquendi modum, vt rectè Vasquez hic q. 14. a. 8. & Suarez opus. de scientia Dei lib. 1. c. 7. n. 20. Qui etiam hic 1. p. lib. 3. c. 4. n. 2. scientiam simplicis intelligentiæ *abstractiuā* vocat. Sed quæ appellatio diuinæ scientiæ sine explicatione tribuenda non videtur; cum reuera nulla sit in Deo cognitio, quæ à parte rei adæquatè spectata abstrahat ab aliqua obiecti ratione, cum omnia Deus vna simplicissima cognitione cognoscat. Tertia scientia est inter has media, respectu contingentium futurorum sub conditione, vt dictum dub 5.

Ex his secundo nascitur alia diuisio diuinæ scientiæ, penes variā habitudinē eius ad diuinā voluntatē, siue naturā. Sic enim alia scientia in Deo est *necessaria*, alia *libera*, alia inter vtramq; *media*, scilicet partim necessaria, partim libera, vt dictum cit. dub. 5. Libera est scientia visionis respectu creaturarum quandoq; existentium; quæ supponit liberum decretū diuinæ voluntatis. Necessaria est, tū scientia simplicis intelligentiæ respectu earundē, tum scientia visionis seu intuitiua respectu ipsius Dei. Quæ oña patent ex dictis supra dub. 1. & seq.

Tertia diuisio diuinæ scientiæ item sumitur ex 2 diuersitate obiectorum: quo modo alia est *practica*, alia *speculatiua*, iuxta S. Thomam q. 14. a. 16. quā tamē diuisionē dub. seq. cōmodius explicabimus.

Quod ad secundum, nempe ordinē diuinæ scientię attinet, non agit quidem hoc loco S. Thomas de hac re ex instituto: sed quia tamen ipsam Dei scientiam proprie concernit, eiusque cognitio subinde in varijs materijs necessaria est, non est hoc loco prętermittenda. Et suppono, esse quæstionem de ordine prioritatis inter ipsos actus diuinæ intellectionis, non quidem secundum rem (cum nulla à parte rei sit diuersitas inter attributa, & prædicata diuina, vt suo loco superius dictum) sed secundum nostram rationē. Neque hic agimus de ordine, quem habet scientia Dei ad voluntatē; neq; de ordine qui est inter ipsa decreta, seu actus voluntatis diuinæ; de vtroque enim quæst. seq. agendum; sed solum de ordine, quem ipsi actus diuinæ scientiæ inter se habent.

Assertio 1. Est aliquis inter actus diuinæ scientiæ ordo prioritatis secundum rationem. Ita supponunt omnes Theologi in varijs materijs, speciatim de prædestinatione, Trinitate, Incarnatione; vbi inter actus diuinæ mentis, tum ad intellectum, tum ad voluntatem spectantes, varium ordinem signorum, seu instantium rationis assignant; quidquid Nominales in contrarium sensisse videantur, vt suo loco dicetur. Ratio est: quia etiam in diuinis actibus ex parte obiecti secundū rationem nostram, aliqua est velut dependentia & dependentiæ ratio; ita quidem vt secundum rationem nostram vnus actus supponat alium, pro varia ratione ipsius obiecti.

Assertio

3 Assertio II. Omnis ordo prioritatis inter actus diuini intellectus desumitur aliquo modo ex obiecto. In hoc itidem consentiunt Theologi. Et ratio est. Quia abstrahendo ab obiecto, cognitio ipsa diuina est ipsamet essentia diuina, adeoque vna quædam & simplicissima entitas; in qua vt secundum se nulla est distinctio; ita nulla etiam secundum prioritatem vel posterioritatem distinguendi ratio. Et confirmatur; quia ipsæ intellectiones diuinę inter se non distinguuntur, nisi ratione, per habitudinem & comparationem ad obiecta: Ergo neque distinctionem prioritatis admittunt, nisi per comparationem ad eadem obiecta. Idem patebit inductione ex sequentibus.

Assertio III. Ordo prioritatis in actibus diuini intellectus assignandus est, secundum proportionem eius ordinis, quem inter se habent actus humani intellectus. Est itidem communis, & extra controuersiam. Ratio est. Quia nos de rebus diuinis ratiocinari aliter non possumus, nisi secundum analogiam eius notitiæ, quam de rebus humanis & creatis habemus; cum omnis nostra cognitio, quam de Deo habemus capiatur ex rebus humanis & creatis.

4 Assertio IV. Ordo prioritatis secundum rationem alius competit actibus diuini intellectus, ex suo genere vniuerso; alius in vnoquoque genere nonnullis particulatim: seu quod idem est, alius ordo actuum diuini intellectus est generalis, alius specialis. Ita quoad rem ipsam etiam tradunt, & sentiunt omnes, & patebit ex sequentibus.

Assertio V. Generalis ordo inter actus diuinæ scientiæ, ex suo genere vniuerso spectatus, est iste, vt secundum rationem nostram, prior in Deo sit scientia naturalis, ac simpliciter necessaria, siue ipsius Dei, siue rerum naturalium, secundum esse possibile consideratarum; secunda cognitio siue scientia media, quæ partim naturalis est partim libera; tertia, scientia visionis, quæ vndequaque libera est. Hanc etiam facile admittunt omnes. Et ratio est. Quia in omni genere, Ens necessarium prius est ente contingente seu libero; cum illud ab hoc pendeat & supponatur: Ergo etiam in cognitione diuina, quo aliquid magis accedit ad necessitatem, vel ab ea magis recedit, ita etiam prius vel posterius secundum rationem nostram dicendum est: Est autem in diuina scientia ex suo genere vniuerso hæc diuersitas respectu obiectorum, vt aliqua scientia sit absolutè ac simpliciter necessaria in Deo, alia simpliciter & absolute libera, alia vero media, vt paulo antea dictum: Ergo hoc etiam modo prioritas & posterioritas secundum rationem assignanda est.

5 Assertio VI. In vnoquoque genere diuinæ scientiæ, is actus, secundū rationem ex parte obiecti, prior est altero; qui, siue cuius obiectum secundum nostrum modum intelligendi ratio est, cur eadem diuina scientia versetur circa alterum obiectum. Est communis. Probatur. Quia prioritas inter actus diuinæ scientiæ omnis desumitur ex obiectis; & quidem iuxta proportionem & analogiam eius ordinis, quam in simili cernimus in rebus creatis; at verò in rebus creatis actus ille prior est, ex parte obiecti, qui, seu cuius obiectum vt sic, est ratio quædam alterius. Atque hac proinde ratione scientia naturali ipsius Dei prior est scientia, qua Deus seipsum cognoscit, quam scientia creaturarum secundum esse possibile, quia ratio videndi creaturas est ipse Deus, seu visio Dei, ex dictis supra dub. 2. In ipsa vero essentia diuina, prior eadem ratione erit cognitio ipsius Dei, secundum esse absolutum, quam relatiuum; & in vnoquoque esse prior cognitio illius attributi, seu prædicati, quod ratione prius est altero, iuxta ea quæ de attributis diuinis absolutis hactenus dicta sunt, & quæ de relatiuis dicentur suo loco. Quod vero ad res creatas attinet, est

Assertio VII. Inter res creatas, illa prius ordine quodam rationis cognita est à Deo, à qua altera siue ex natura rei, siue secundum ordinationem ac dispositionem diuinam dependet, siue quæ aliquam respectu alterius causalitatem exercet. Hac ratione scientia naturali à Deo prius secundum rationem cognoscitur subiectum, quam passio, V. G. homo, quam risibilitas; prius etiam aliquo modo ordo naturæ, quam gratiæ. A ratione autem contraria, quia multæ sunt res creatæ, quæ nullam ex se dependentiam habent, neque ex natura rei, neque ex ordinatione diuina, vt bos, equus, ceruus, & iumenta omnia, ac pleraque animantia inter se comparata; nulla est ratio, cur ex his siue per scientiam naturalem, siue per liberam (seruata vtrinque proportione) quædam prius ratione à Deo sint cognita, quam alia.

Assertio VIII. Non tamen eo ipso id, à quo alterum aliquo modo, siue ex naturali connexione, siue ex decreto diuino dependet, simpliciter & vndiquaque est prius ratione scitum à Deo, quam id, quod ab eo dependet: sed in scientia Dei practica, ac etiam Visionis, quæ liberum Dei decretū sequitur, duplex actuum ordo ex parte obiecti constituendus est; vnus nimirum secundum ordinē intentionis, alius secundum ordinē executionis, qui duo ordines ita inter se comparantur, vt quod vno quodā ordine prius est, altero sit posterius, siquidem vtrumque à se inuicem in diuerso genere causæ pendent. Ita supponunt omnes. Et patet ex analogia humanæ mentis, in qua etiam duplex hic ordo cernitur. Si quidem ordine intellectionis prius cognoscitur, atque etiam appetitur finis, quam media, & in ipsis medijs prius id, quod propius ad finem conducit, V. G. prius sanitas quam medicina, & in medicinis, prius compositum iam & præparatum pharmacum, quam simplicia, ex quibus destinatum pharmacum componitur, &c. E contrario vero ordine executionis prius appetuntur, atque etiam ab intellectu practico proponuntur media, quam finis; & in ipsis medijs, id quod à fine remotius est; ita vt quod primū est in intentione, postremū sit in executione. Et quia diuerso ordine ac respectu, vicissim vnum ab altero dependet, nimirum ordine executionis, finis à medijs; cum tamen ordine intentionis à fine pendeant omnia media, hinc fieri potest, vt diuerso respectu & ordine, etiam in diuina scientia, vicissim actus vnus sit altero prior, & posterior. Quare etsi, vt dictum, ordo naturæ, ordine quidem executio- 6

Digitized by Google

nis, ac secundum causalitatem subiecti, partim etiam efficientis, prior sit ordine gratiæ; nihil tamen obstat, quo minus ordine intentionis, prior sit in mente diuina ordo gratiæ, quam naturæ, cum hic ordinetur ad illum tanquam finem. Sed hac de re q. 10. dub. 5. & disp. 3. de prædestinat. q. 5. pluribus agendum erit.

DVBIVM X.

Qualis nam sit Dei scientia; siue de attributis diuinæ scientiæ; & quanam scientia Dei sit causa rerum, & practica.

S. Thomas 1. p. q. 14. a 7. 8. 15. & 16.

1 QVatuor potissimum sunt attributa diuinæ scientiæ, quæ cum S. Thoma breuiter explibimus, cum ferè ex dictis omnia colligantur. Primum igitur attributum diuinæ scientiæ est, quod plane sit expers omnis compositionis, diuisionis, ac discursus, vt docet S. Thomas 1. parte quæst. 14. articulo 7. Vbi etiam propterea ad 2. dicit, Deum *non cognoscere effectus ex causa*, sed, *in causa*. Eademque est certa & recepta sententia omnium Theologorum. Et ratio euidens est. Quia tam compositio seu diuisio, quam discursus requirit plures in re actus; illa quidem apprehensiuos, hic verò etiam iudicatiuos: quæ pluralitas à Deo planè abest, ex dictis q. 3. dub. 1.

Secundum attributum est, quod sit prorsus certa & infallibilis, excludens non solum actualem errorem, sed etiam omnem potentiam ad errandum; quæ nunquam est sine imperfectione; neque potest adeo scientiæ infinitè perfectæ conuenire. Et ratio est, quia cum sit infinita, rationemque cognoscendi habeat certissimam, nempe ipsammet suam essentiam, semper fertur in obiectum, vt est à parte rei. Quo spectat etiam, vt nulli veritati assentiatur, solum per coniecturam, & probabiliter, seu ex medio probabili: licet hoc ipsum totum simul, videlicet hoc vel illud esse ex tali vel tali medio probabile, certo & infallibiliter cognoscat, iuxta dicta superius dub. 5. & 6.

2 Tertium attributum est, quod sit prorsus immutabilis & inuariabilis, vt docet S. Thomas cit. quæst. 14. articulo 15. idque non solum secundum suam entitatem, quæ est ipsamet essentia diuina; sed etiam secundum se formaliter, tum ex parte obiecti, quia non potest ex vera mutari in falsam, vel è contrario: tum etiam ex parte cognoscentis, quia non potest de nouo primum acquiri vel deperdi; nec potest successiuè esse clarior, certior, aut perfectior; nec omnino potest aliquando esse in actu, aliquando solum in potentia; cum necessario & inuariabiliter semper sit in actu. Omnia enim eodem modo ab æterno nouit Deus, secundum esse, quod quæque res aliquando habet; eandemque scientiam perpetuo & inuariabiliter retinet.

Obijcitur. Deus ab æterno cognouit Petrum V. G. peccaturum, aut se nasciturum ex Virgine; iam verò non cognoscit, aut illum amplius peccaturum, aut se nasciturum. Idem de Antichristo & similibus dici potest: Ergo Deus non semper scit, quod sciuit: adeoque scientia Dei ex parte obiecti est variabilis.

Ad hoc argumentum respondet S. Thomas cit. artic. 15. ad 3. concedendo, non scire quidquid sciuit, si ad enuntiabilia referatur; negat tamen propterea scientiam Dei esse variabilem. *Sicut enim*, inquit, *Deus absque variatione scientiæ suæ scit, vnam & eandem rem, quandoque esse, & quandoque non esse, ita etiam absque variatione eiusdem scientiæ scit aliquod enuntiabile quandoque esse verum, & quandoque esse falsum.* Ferrariensis 1. contra Gentiles cap. 67. & cum eodem Zumel hic quæst. 14. a. 16. docent, in istis propositionibus, Deus non scit Adam futurum, tempus præsens vel accipi posse, vt se tenet ex parte cognitionis, vel ex parte obiecti: priori modo adhuc veram esse talem propositionem, non autem posteriori.

Addendum cum Caietano hic citat. articulo 15. Gregorio de Valentia q. 14. q. 8. Suarez hic lib. 3. cap. 1. num. 15. has propositiones, Petrum peccaturum, Antichristum venturum, &c. dupliciter considerari posse; primò adæquate & formaliter, vt cadunt sub diuinam scientiam, videlicet cum respectu ad illud tempus, pro quo, & respectu cuius Deus aliquando futuritionem rerum per eas significatarum cognouit; & sic Deus etiánum semper easdem vt veras cognoscit, semperque adeò etiam in his scit, quod sciuit; quia semper cognoscit futuritionem ipsius peccati Petri, & existentiæ Antichristi, pro illo, & respectu illius temporis, pro quo & respectu cuius vtrumque aliquando erat futurum: Sicut etiam ab æterno simul cognoscit præsentiam & præteritionem vtriusque, respectu illius temporis ratione cuius reuera vtrumque aliquando præsens, aut præteritum erit: cum interim respectu ipsius æternitatis præcise, vt quæ omnia tempora ambit & excedit, & in qua nihil est præteritum, vel futurum, nihil Deus vt futurum cognoscat, sed omnia eodem modo velut præsentia intueatur. 3

Secundo spectari propositiones illæ possunt inadæquate, & quasi materialiter, ac secundum se, videlicet non cum illo formali respectu ad illud tempus, ratione cuius aliquando erant veræ, sed respectu huius temporis in quo tales propositiones formantur; & hoc sensu verum est, quod dixit S. Thomas, in his enuntiabilibus, Deum non semper scire, quæ sciuit: quod tamen propterea scientiam Dei nihil variat; quia cum dicimus, Deum non posse aliquid nescire quod sciuit, accipiendum id est adæquate & formaliter, vt sciuit, videlicet priori modo, non posteriori: præsertim cum, si propositiones seu cognita eiusmodi posteriori modo accipiantur, non sint eadem, sed plane diuersa; aliud enim est Petrum V. G. peccaturum respectu illius temporis, quod Christi passionem antecessit; aliud, esse peccaturum respectu huius nunc

præsentis

Digitized by Google

præsentis temporis, in quo propositio illa denuo formatur: huius enim respectu, nunquam vera erat propositio illa; respectu autem illius dudum præteriti temporis, semper vera est, vti dictum.

Quartum attributum diuinæ scientiæ est, quod sit causa rerum, adiuncto tamen decreto libero diuinæ voluntatis, inclinantis efficaciter in obiectum cognitum, ob quam etiam causam talis scientia vocatur *scientia approbationis*, hoc est, quasi accedente voluntatis decreto, ex parte obiecti, quod futurum efficaciter decernitur, approbata, vt docet S. Thomas q. 14. a. 8. Est enim Deus agens intellectuale, quod proinde ratione adeoq; intellectu & voluntate agit; ad eum modum, quo homo seu artifex aliquis agere solet: qui ad agendum non procedit absque cognitione intellectuali practica rei agendæ, & efficaci inclinatione voluntatis in eandem. Idem expresse tradit scriptura Prouerb. 3. v. 19. *Dominus sapientiâ fundauit terram.* Sap. 7. v. 6. *Quis eorum quæ sunt, magis quam illa, est artifex.* Psal. 103. v. 24. *Omnia in sapientia fecisti.* Psal. 135. v. 5. *Qui fecit cœlos intellectu.*

Controuertitur hic, quænam scientia Dei sit causa rerum, illane, quæ vocatur simplicis intelligentiæ, & necessaria est in Deo, an scientia visionis, seu libera. S. Thomas hic quæst. 14. a. 8. ad 1. in explicatione Origenis inferius referenda, sentire videtur, scientiam Dei liberam, seu visionis, qua aliquid libere futurum cognoscit, esse causam rerum. Idem sequuntur Caietanus, Bannes, & alij Thomistæ recentiores ibidem; quod ex instituto pluribus etiam confirmat Didacus Aluarez lib. 2. de auxil. disp. 16. vbi proinde etiam negat, quia res futuræ sunt, ideo cognosci à Deo futuras; cum potius è contrario dicendum sit: quia Deus scientia libera sciuit aliquid esse futurum, ideo futurum esse. Sed & Gregorius de Valentia hic q. 14. p. 8. ex instituto contendit, id etiam de scientia visionis intelligendum; vt quæ vel maxime sit causa rerum.

Idem sentire videtur Magister in 1. d. 38. vbi ait; *neque enim res futuræ causa sunt Dei præscientiæ: licet enim non essent futuræ, nisi præscirentur à Deo; non tamen ideo præscientur à Deo, quia futuræ sunt: si enim hoc esset, tunc eius quod æternum est, aliquid existeret causa ab eo alienum, ab eo diuersum; & ex creaturis penderet scientia creatoris, & creator esset creati causa.*

Fauet eidem sententiæ S. Augustinus tom. 3. lib. 15. de Trinit. c. 13. vbi ait; *vniuersas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo nouit; sed quia nouit, ideo sunt: non enim nesciebat quæ fuerat creaturus. Quia ergo sciuit, creauit, non quia creauit, sciuit.* Quod etiam habet lib. 6. cap. 10. Similia habet S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 24. & fauet Anselmus in Concord. præscientiæ & prædest. cum lib. arbit. q. 1.

Fundamentum præcipuum præter id, quod ex Magistro retulimus, est, quia scientia non est causa rerum, nisi vt determinata & approbata per diuinam voluntatem liberam; sed scientia determinata per voluntatem diuinam liberam, est libera: Ergo scientia Dei libera, non necessaria illa, quæ dicitur simplicis intelligentiæ est causa rerū.

Nihilominus dicendum est, causam rerum esse eam scientiam diuinam, quæ est simplicis intelligentiæ, ac in Deo secundum se necessaria: quatenus nimirum Deus cognoscit res non solum speculatiuè secundum essentiam, sed etiam practicè secundum varium modū, quo fieri & produci ab eo possunt; quamuis, vt dictum, eadem scientia proximè & in actu secundo causa non sit, nisi accedente simul libero decreto diuinæ voluntatis, obiectum eiusdem cognitum efficaciter approbantis, ac esse decernentis: ita vt proinde verè ac propriè dici possit, Deum scientiâ liberâ visionis, ideò præscire res futuras, quia futuræ sunt: non autem futuras, quia Deus futuras præscit; sed quia eas vti possibiles ac à se producibiles, simulque modum eas producendi præcognouit. Ita docent ex instituto Molina hic q. 14. a. 8. Suarez opusc. de auxil. lib. 1. cap. 13. à num. 15. Vasquez hic q. 14. a. 8. & disp. 68. cap. 6. Zumel cit. artic. 8. in append. quidquid antea ibidem art. 1. disp. vn. in contrarium disputare visus sit. Fauent eidem sententiæ Alensis 1. p. q. 24. n. 2. Albertus, Bonauentura, & Gregorius Ariminensis in 1. d. 38. qui concedunt hanc causalem, ideo res futuras à Deo præsciri, quia futuræ sunt.

Probatur primò ex SS. Patribus, qui hoc ipsum frequenter asserunt. Iustinus lib. quæst. à gent. positarum q. 58. ait: *Neo causa est eius, quod futurum est, prænotio; sed quod futurum est, causa prænotionis. Neque enim prænotionem sequitur, quod futurum est; sed quod futurum est prænotio.* Origenes in epist. ad Rom. super illud. *Quos autem prædestinauit* citatus hic a. 8. a. 8. Thomo; *Non propterea*, inquit, *aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat.* Hieronymus in Ezech. cap. 2. super illa verba, *Et dices ad eos*, ait: *Non quia ille ventura cognouit, necesse est nos facere quod ille præscit; sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille nouit futurum, quasi Deus.* Similia habet in illud Ierem. 26. *Forsitan audient.* Similia habent Chrysostomus homil. 60. super Matth. Cyrill. lib. 9. in Ioann. cap. 10. Boetius 5. de consolat. prosa. 3. Beda tom. 8. lib. qq. q. 13.

Neque satisfacit, quod respondet S. Thomas cit. art. 8. ad 1. Origenem (eadem est ratio aliorum dictorum) solum esse loquutum de causa consequentiæ, non de causa seu ratione essendi: *Sequitur enim*, inquit, *si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit: non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus scit:* nam hac ratione etiam dici posset; ideo futurum peccatum, quia Deus præsciuit; quod tamen nemo dixerit; & Patres cite. speciatim Chrys. & Beda, quibus adde August. li. 5. de ciuit. ca. 10. id aperte negant. Accedit, quod hac ratione minimè possem negare ciatres, res ideo futuras, quia futuræ cognoscuntur; & tamen hoc ibidem aperte negat.

Secundo probatur ratione. 1. Quia quæuis scientia supponit suum obiectum, quod cognoscit, ea saltem ratione, qua illud tanquam verum cognoscit; cum ideo sit verus intellectus, quia intelligit aliquid prout est: quo sensu etiam S. Augustinus lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 32. ait: *Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præ-*

dant: Res autem futuræ sunt obiectum scientiæ visionis.

II. Quia Deus æque cognoscit peccata futura, ac bona quælibet futura; & tamen peccatorum non est causa.

III. Quia scientia visionis, & scientia intuitiua, cum terminetur ad res existentes, qua tales, supponit rerum existentiam, non facit. Neque dicas, supponere in quantum intuitiua est, producere autem in quantum practica est: nam impossibile est, vt cognitio quædam saltem ratione suæ veritatis id efficiat, quod ipsa ratione eiusdem veritatis supponit: nisi quis dicat, cognitionem diuinam non esse causam rerum ratione suæ veritatis, sed solum ratione significationis, vt de forma Eucharistiæ suo loco dicetur: quod tamen ad præsens institutum accomodari non potest; cum cognitio illa non sit signum aliquod instrumentale aliquid significans, seu cognitionem aliquam causans.

9 IV. Quia de scientia Dei practica, seu quæ est causa rerum, ratiocinari debemus secundum analogiam alicuius artificis, ad effectum artificialem producendum procedentis, vt supponit etiam S. Thomas citat. artic. 8. at vero in artifice hæc est progressio, vt docet idem S. Thomas in 1. distinct. 38. quæst. 1. articulo 1. Primo scientia artificis ostendit finem; secundo voluntas intendit illum; tertio imperat actum, per quem educatur opus, & tandem circa tale opus scientia artificis ponit formam conceptam. Vbi sane scientia practica finem proponens, vel ostendens (eadem est ratio mediorum) non est scientia visionis, seu futuritionis ipsius finis, seu mediorum sed scientia eorundem veluti possibilium.

V. Scientia, quæ est causa rerum, determinari debet per liberam voluntatem Dei, quæ proinde ad illam adiungi seu accedere debet; vt fatentur contrariæ sententiæ authores; & loquitur S. Thomas hic quæst. 14. citat. artic. 8. qui etiam quæstione 2. de verit. articulo 14. in corp. & ad 2. ait: *Mediante diuina voluntate, præeminunt res scientiæ DEI.* Vbi inter scientiam, quæ est causa rerum, & inter res ipsas mediam ponit diuinam voluntatem: at vero scientia visionis, non determinatur per diuinæ voluntatis liberum decretum, neque hoc ad scientiam visionis accedit: quia nihil determinatur per id, quod prius est; neque id accedere ad alterum dicitur, quod prius est, sed quod posterius: at vero scientia visionis sequitur secundum rationem liberum decretum DEI, non antecedit; quare etiam voluntas non est media inter illam scientiam, & inter rem ipsam, sed potius scientia visionis est media inter voluntatem, & res ipsas, quia cognosci futurum non potest, nisi quod futurum est; at vero futurum non est nisi supposito libero decreto diuinæ voluntatis, vt patet.

10 VI. Quia supposito decreto Dei de re futura, eo ipso iam res futura est, absque alio actu cognitionis secuturæ: cum non possit non esse futurum quod Deus decernit futurum. Ergo cum scientia visionis sequatur liberum decretum Dei de re futura, non potest ipsa esse causa rei futuræ: quia causa non potest esse posterior effectu: neque effectus prius ratione futurus est quam ex vi causæ, adeoque supposita aliquo modo causa.

VII. Quia scientia practica, quæ est causa rerum, debet esse ratio quædam dirigens decretum liberum artificis, adeoque etiam diuinæ voluntatis: intellectus enim ad effectum artificiatum concurrit, in quantum voluntatem dirigit, iuxta Sanct. Thomam 1. parte quæst. 19. articulo 4. ad 4. at vero scientia visionis, cum sit posterior libero decreto Dei, secundum rationem nostram, non potest eam voluntatem Dei dirigere. Ergo scientia visionis non est causa rerum. Verba S. Thomæ loco cita. sunt: *Vnius & eiusdem effectus, etiam in nobis, est causa scientia vt dirigens, quæ concipitur forma operis; & voluntas vt imperans: quia forma vt est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod fiat, vel non fiat in effectu, nisi per voluntatem. Vnde intellectus speculatiuus nihil dicit de operando.* Ita S. Thomas.

Ad locum Sancti Augustini, & Gregorij pro contraria sententia allatum, respondetur, eos duntaxat negare, res ideo cognosci à Deo, quia sunt; quasi videlicet scientia Dei pendeat ab existentia rerum: non autem negant, præsciri futuras, quia futuræ sunt. Significant etiam simul cognitionem Dei esse causam, cur res futuræ sunt: sed non loquuntur de scientia visionis, sed absolute ac indefinite de scientia Dei: quod pro ratione subiectæ materiæ, ad scientiam simplicis intelligentiæ rectè accomodari potest. 11

Ad primam rationem respondetur, non ideo, proprie loquendo, res ipsas futuras, esse causam cognitionis diuinæ, cum solum sint ratio quædam cognoscendi per modum termini, non autem per modum obiecti, mouentis & determinantis potentiam ad cognitionem, vt sæpe superius diximus. Vasquez tamen disputat. 67. cap. 6. numero 46. non veretur etiam dicere, rem futuram esse causam præcognitionis Dei; quo modo etiam loquentem vidimus S. Iustinum: non quod sit causa physica alicuius existentis in Deo realiter, quæ in ipsum Deum reipsa operetur, vel quippiam influat; sed solum quod sit causa respectus, & denominationis, ob quam scientia Dei præscientia nominatur: nam nisi res formaliter essent futuræ, scientia Dei respectu illarum, non haberet rationem præscientiæ. Sed quia scientia libera Dei non dicit solum respectum rationis, vt inferius quæst. 10. dub. 4. dicetur, non probatur ille modus loquendi.

Ad secundum fundamentum respondetur, causam rerum esse quidem scientiam determinatam per diuinam voluntatem; sed eam ipsam tamen esse scientiam simplicis intelligentiæ, non visionis: illa enim est quam voluntas Dei libera supponit, eique adueniens determinat: cum scientiam visionis, vt pote posteriorem, determinare non possit, neque ei superuenire, seu aduenire, vt dictum. Quando autem dicitur, scientia, quæ est causa rerum, eo ipso, quod iam est determinata seu approbata per diuinam voluntatem, esse liberam, negatur assumptum, si de scientia illa 12

secundum

secundum sic loquamur: potest enim approbari per voluntatem liberam etiam illud, quod secundum se necessarium est. Sicut enim volitum esse potest, quod non est voluntarium; ita libera voluntate approbatum, etiam quod necessario fuit volitum. Concedi tamen debet, scientiam simplicis intelligentiæ, per hoc, quod à libera voluntate diuina approbatur, nouam inde denominationem accipere, vt dicatur *scientia approbationis*; secundum quam denominationem etiam fatendum est, eam scientiam esse liberam, ipsamque voluntatem, vtpote formam denominantem, esse ratione priorem ipsa scientia approbationis, qua talis est, seu qua talem sortitur denominationem: sicut omnis forma denominans prior est secundū rationem ipsa denominatione: cum hæc fundetur in illa; non è contrario illa in ista. Exemplum simile est in fide, quæ secundum se & suam substantiam vtique prior est charitate, vt suo loco docetur; at vero nihilominus quatenus à charitate denominationem *fidei formatæ* accipit, vt sic, & secundum hanc denominationem extrinsecam, quæ à charitate velut forma denominante desumitur, est ratione posterior charitate, tanquam forma denominante.

13 Ad Magistrum autem, & cæteros Scholasticos quod attinet, existimat Vasquez citat. c. 6. num. 44. difficultatem solummodo habere Sanctum Thomam; cæteros vero solum negare res futuras, esse causas diuinæ *scientiæ secundum modum essendi*, vt expresse loquuntur Albertus in 1. dist. 38. artic. 3. Bonauentura quæst. 1. & 2. & Gregorius quæst. 2. articulo 3. hoc est, vt ipse declarat, causam propriam ipsius scientiæ diuinæ secundum suam entitatem. Sed & sanctum Thomam fortè nihil aliud voluisse, probabile videri potest: præsertim cum is alioqui secum ipse pugnare videatur, si iuxta oppositam sententiam accipiatur, vt ex ratione quarta & quinta nostræ sententiæ colligitur. Verùm quicquid sit de hac re, ex dictis liquet, nostram sententiam satis & auctoritate, & ratione esse firmatam.

14 Atque ex his etiam intelligitur, simile quoddam attributum diuinæ scientiæ, quod sit *practica*. De qua re agit Sanctus Thomas hic quæst. 14. art. 16. vbi docet, scientiam diuinam aliam esse practicam, aliam speculatiuam: & quidem Deum de seipso habere scientiam speculatiuam tantùm, non practicam; cum obiectum talis scientiæ non sit practicum: de alijs autem rebus partim practicam, partim speculatiuam; hanc quidem de meræ possibilibus, numquam futuris; illam verò de illis, quæ aliquando erunt. Quod etiam repetit quæst. 15. art. 3. vbi tamen S. Thomas de practica scientia loquitur restrictè, & prout est practica in actu secundo; à qua videlicet re ipsa, quandoque manat opus, seu quæ re ipsa & actualiter atque efficaciter refertur ad opus aliquod efficiendum; quam proinde vocat ibidem practicam, etiam *ratione finis ipsius cognoscentis*; eundemque loquendi modum absolutè sequitur Caietanus hic q. 14. a. 16. & Thomistæ alij.

15 Interim loquendo vniuersim de scientia practica, etiam in actu primo, quam videtur sanctus Thomas ibidem quæst. 15. art. 3. ad 2. vocasse *practicam virtute*, dicendum est, eam in Deo non solum esse respectu rerum futurarum, sed etiam merè possibilium; ita vt aliud non sit, quam scientia de rebus, seu merè possibilibus, seu aliquando re ipsa futuris, quatenus hoc vel illo modo possunt fieri; cū interim scientia speculatiua sit de ijsdem rebus, solum secundum se & suam naturam spectatis, vt bene docent Suarez hic lib. 3. caput. 4. num. 12. & 13. & Vasquez disp. 69. n. 3.

Quare minime audiendus est Scotus quæst. 4. prolog. & in 1. disp. 38. asserens, scientiam quidem suiipsius magis, quam creaturarum, in Deo esse practicam; proprie tamen nullam scientiam in Deo, nec suiipsius, nec creaturarum esse practicam: eo quod neutra sit regula diuinæ voluntatis; nec etiam ante liberam determinationem voluntatis diuinæ, præcedat dictamen intellectus. In qua re ipse & vocabulis abutitur, vt dictum supra disp. 1. quæst. 4. dub. & falsum supponit; cum secundum rationem nostram, in Deo, voluntatem liberam verè præcedat dictamen diuini intellectus: è contrario vero scientia Dei, quatenus dictat ipsi amorem sui, verè ac propriè non sit practica: quia amor ille non est liber.

Ad res vero creatas pertinent illa, Prouerb. 3. Ierem. 10. & 15. vbi diuina scientia vocatur *prudentia*; & Sapient. 7. & 8. *artifex* seu artificiosa; quæ sunt propria practicæ scientiæ nomina; vt proinde scientia diuina respectu rerum creatarum, non solum sapientia, & scientia, sed etiam *prudentia*, & *ars* perfectissimè vocetur, vt dictum etiam supra dub. 1. & rectè notant Gregorius de Valentia quæst. 14. punct. 8. Suarez lib. 3. cap. 4. numero 3. & 5. Vasquez disputatio. 69. capit. 1. & 2.

16 Addit Sanctus Thomas quæst. 14. art. 16. mala moralia, seu peccata, licet à Deo non sint operabilia, tamen sub *cognitione ipsius practica cadere, sicut & bona*; *in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea*, *sicut & ægritudines cadunt sub practica scientia Medici, in quantum per artem suam eas curat.*

Ex quibus denique etiam decidendum est, an practica scientia pertineat ad scientiam visionis, an simplicis intelligentiæ; item an sit eadem cum ea, quæ est causa rerum, an ab ea diuersa. De qua re Gregorius de Valentia hic quæst. 14. citat. punct. 8. insistens ei sententiæ, quæ dicit, scientiam visionis esse causam rerum, ad propositum distinguit triplicem scientiam in Deo; primò rerum secundum earum esse possibile; *quæ*, inquit, *scientia simplicis intelligentiæ dicitur*: secundo scientiam earundem, secundum modum, quo fieri & ordinari debeant; *quo posito*, inquit, *vocatur scientia practica*. Tertio scientiam visionis, quam dicit vel *maxime esse causam rerum*.

17 Sed ex dictis colligitur, scientiam practicam non rectè distingui contra scientiam simplicis intelligentiæ; imo practicam scientiam spectare ad scientiam simplicis intelligentiæ; scientiam autem visionis esse speculatiuam, non practicam, nec causam rerum. Colligitur item, eandem

scientiam esse practicam, & causam rerum: non tamen has inter se conuerti; cum scientia practica latius pateat, quam scientia, quæ & quatenus est causa rerum: practica enim est ab æterno, & si de practica generatim loquamur, etiam necessariò; causa autem rerum non est nisi libere: & proprie quidem ac formaliter etiam non nisi in tempore: sicut enim Deo ab æterno non conuenit esse dominum rerum, ita nec esse causam propriè & formaliter, atque in actu secundo. Differt ergo practica scientia à scientia, vt est causa rerum, tanquam continens à contento; practica enim secundum se ac in genere nō requirit adiunctum liberum decretum Dei; ea vero quæ est actualis causa rerum, & dicitur scientia approbationis, vt dictum, qua talis, plane requirit.

DVBIVM XI.

De Concordia diuinæ præscientiæ cum libero arbitrio.

S. Thom. 1. p. q. 14. a. 13.

1 SVppono tanquam de fide certum, esse ac manere, etiam post peccatum, liberum arbitrium, adeoque libertatem non solum à coactione, sed etiam à necessitate, in actionibus humanis deliberatis, tam bonis, quam malis, vt definitur in Concil. Tridentino sess. 6. canon. 4. 5. 6. & ex Scriptura ac Patribus fusè probant Bellarminus lib. 3. de gratia & lib. arbit. & Gregorius de Valentia disput. 6. quæst. 6. punct. 4. vbi etiam ex instituto dissoluunt argumenta hæreticorum contrarium sentientium: in quibus præter Stoicos veteres, Simonum Magum, & Manichæos, fuerunt etiam Wicleffus, vt patet ex artic. 27. inter damnatos à Concilio Constantiensi sess. 8. Lutherus in lib. de seruo arbitrio, & in articulis Schmalcaldicis, Melanchthon in locis, præsertim antiquioribus, titulo seu capit. de lib. arbitrio, Caluinus lib. 2. Institut. cap. 2. sect. 4. & 8. quanquam & hi inter se mutuo variant; & Lutherus etiam, atque Philippus, singuli etiam à seipsis dissentiant; cum postea in Augustana Confessione, eiusque Apologia liberum arbitrium saltem in actionibus ciuilibus admiserint & agnouerint. Optimus locus contra hunc errorem, est ille Eccli. 15. vers. 14. *DEVS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Addidit mandata & præcepta sua: si voluerit mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod voueris, porrige manum tuam: Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

2 Suppono secundò, libertatem formaliter esse in voluntate, quæ ipsa proinde est & dicitur liberum arbitrium, quatenus omnibus positis ad agendum, tam ex parte intellectus, seu obiecti, quam aliunde prærequisitis, potest agere vel non agere; consentire vel non consentire &c. Oppositum verò in 1. dist. 38. q. 1. & alios quosdam Nominales, dum asserunt, ad præsens vt præsens, sicut & ad præteritum, libertatem non esse; ex quo sequi videtur, peccata & actiones quaslibet præsentes; cum præsentes sunt, liberas non esse, rectè explicat Vasquez hic disput. 68. cap. 7. numer. 54. etsi à nonnullis propterea erroris arguantur.

His positis, cum omnino constet, diuinam præscientiam (vti nec quicquam aliud) liberum arbitrium non tollere, nec cum eo pugnare, vt putauit Wicleffus, Caluinus, & Lutherus locis citat. illud solum restat hoc loco explicandum, quomodo concordet liberum arbitrium cum præscientia diuina futurorum contingentium superius dub. 5. explicata. Cui difficultati alia ratione melius satisfieri non potest, quam si argumenta, quæ ex eo contra libertatem arbitrij obijciuntur ab hæreticis, aut porro etiam obijci possunt, dissoluerimus.

Et prima quidem obiectio, seu ratio difficultatis, est ista. Quia quod necessario fit, ex hypothesi antecedente liberum vsum arbitrij, & in nostra potestate non sita, simpliciter & absolute necessariò fit, vt si quotidie sole oriente currendum nobis esset: At si in Deo ab æterno datur scientia certa & infallibilis futurorum contingentium, tunc quicquid à nobis fit, necessariò fit ex tali hypothesi antecedēte liberum vsum arbitrij nostri, ac in nostra potestate non sita: Ergo simpliciter & absolutè necessario fit. Minor probatur. Quia præscientia Dei de rebus etiam quibusque contingentibus futuris, est certa planè ac infallibilis, adeo, vt hac suppósita, verum, adeoque futurum non esse, quod per eam à Deo cognoscitur, impossibile sit. Eadem vero etiam hypothesis, tum quia præterita est, & tota æternitate prior vsu liberi arbitrij nostri; tum quia plane immutabilis est in Deo, vt superius dictum, videtur esse prorsus antecedens liberum vsum arbitrij nostri, & nullo modo in nostra potestate. 3

Hanc difficultatem ex instituto expendit ac dissoluit S. Anselmus lib. de concord. præscient. & prædestinat. cap. seu quæst. 1. vbi distinguit duplicem *necessitatem*: vnam *antecedentem*, quæ etiam simpliciter & absolutè necessitas dicitur, & sæpe etiam vocatur *necessitas consequentis*; alteram vocat *consequentem* seu *concomitantem*, quæ etiam necessitas solum ex hypothesi, seu *consequentia* dicitur, quæ libertatem non tollit nec impedit; quæ doctrina sub his terminis communiter recepta est, eamque fusius explicabimus infra qu. 10. dub. 8. Interim certum est, & inter omnes conuenit, necessitatem solum ex hypothesi esse, ac eam libertate minimè pugnantem, quæ solum sequitur ex ea hypothesi, quæ secundum naturam aut rationem non antecedit liberum vsum arbitrij nostri, sed præcedat tempore. 4

Quo posito, ad argumentum obiectum respondetur, distinguendo maiorem. Nam si hypothesis illa re & ratione antecedat liberum vsum arbitrij nostri, vt videlicet vt nec supponat, nec includat ipsam futuritionem liberi actus, tum

esto

esto maior; quanquam etiam hoc modo limitationem requirat, vt citat. quæst. 10. dicetur. At si hypothesis aliqua tempore solum, non autem ratione ac natura antecedat liberum vsum arbitrij nostri, sed potius hunc ipsum vt futurum supponat, negatur maior; solum enim inde colligitur, & infertur necessitas consequens, quæ vsum liberi arbitrij non impedit, vt dictum. Iam vero quod ad minorem attinet, hypothesis illa præscientiæ Dei, etsi re & tempore præcedat vsum liberi arbitrij nostri, non tamen ratione vel natura: sed potius hic, vt futurus, ratione antecedit præscientiam; quæ proinde supponit liberum actum futurum. Quia vt dictum dub. præced. scientia visionis non est causa rerum, aut vsus liberi arbitrij nostri: neque ideo ista futura sunt, quia DEVS illa præscit; sed potius ideo præscit futura, quia futura sunt. Aliter respondent ad hoc argumentum illi, qui scientiam visionis ponunt esse causam rerum; in quibus est etiam Gregorius de Valentia, & vt apparet S. Thomas ex dictis ibidem; de qua re plura infra q. 10.

5 Et verò quod hypothesis illa, quæ etsi tempore, non autē natura vel ratione antecedit liberum vsum arbitrij, libertatem non impediat, licet ex eà necessariâ consequentiâ sequatur effectus, est extra controuersiam, & concedunt omnes, vt dictum. Exempla manifesta sunt, in prædictionibus propheticis, & quibuscunque prædictionibus veris futurorum; quibus etsi positis, necessariâ consequentia sequatur effectus prædictus; nullam tamen illæ necessitatem absolutam adferunt. Simile quid accidit in visione, qua quis aliquem videt scribentem, vel ambulantem; hac enim visione positâ, etsi necessarium sit necessitate consequentiæ, siue ex suppositione, aut in sensu composito, aliquem scribere vel ambulare; non tamen necessitate absolutâ, quæ libertati repugnat; cum nihilominus simpliciter & absolutè loquendo, is qui scribens vel ambulans videtur, possit non scribere, vel non ambulare. &c.

6 In quem sensum ita loquitur sanctus Anselmus loc. citat. *Denique si quis intellectum verbi propriè consideret, hoc ipso, quod præsciri aliquid dicitur, futurum esse pronunciatur. Non enim nisi quod futurum est præscitur; quia scientia non est nisi Veritatis. Quare cum dico; quia si præscit aliquid, necesse est, illud esse futurum; idem est, ac si dicam, si erit, ex necessitate erit. Sed hæc necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse; aut quia ponuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate: non quia necessitas cogat aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam cum dico, si erit, ex necessitate erit, hic sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit.* Et inferius: *Ortus solis*, inquit, *duabus necessitatibus futurum intelligitur; scilicet & præcedenti, quæ facit rem esse; ideo enim erit, quia necesse est, vt sit: & sequenti quæ nihil cogit esse; quoniam idcirco necessitate futurum est, quia futurum est.*

7 Accedit quod licet absolutè & propriè loquendo, in nostra potestate non sit, facere vt Deus non præsciuerit, aut non præsciat hoc, ob dictam superius causam, & quia ad præteritum non datur potentia; quo modo etiam communiter loquuntur Theologi, speciatim sanctus Thomas hic quæst. 14. articulo 13. ad 1. Molina ibidem disputat 16. Suarez opusc. 2. lib. 1. capit. 9. numero 9. & 20. Vasquez disput. 68. cap. 7. etsi quidam aliter loquantur apud citatos: tamen est in potestate nostra quiddam facere, seu ita agere; quod si faceremus, DEVS id nunquam præciuisset, quod præsciuit, vt omnes fatentur. Aliam responsionem magis generalem ad hanc difficultatem differo ad quæstionem 10. dub. 8.

Secunda ratio difficultatis & obiectio continetur hoc logico argumento: Etenim in omni bona ac formali consequentia, posito antecedenti, necessario absolute, sequitur conclusio item necessaria absolute: atqui in isto syllogismo; Quicquid Deus præsciuit, est futurum; Deus præsciuit, Petrum peccaturum; Ergo Petrus peccabit; Antecedens quoad vtramque propositionem est absolute necessarium, vt de maiori est per se notum; de minori fatetur S. Thomas hic art. 13. ad 2. Ergo sequitur conclusio absolute necessaria.

8 Ad hoc argumentum, quod iactabat etiam, ad suum errorem (omnia absoluta necessitate euenire) stabiliendum, Wicleffus, apud Waldensem tomo. 1. lib. 1. articulo 1. cap. 22. variæ sunt responsiones, vt videre est apud Suarium opusc. 2. lib. 1. cap. 9. & Vasquez hic disput. 68. cap. 2. Præcipuæ vero sunt duæ, non reipsa, sed verbis contrariæ, vt rectè declarauit Albertinus tom. 1. princip. 4. Coroll. 1. punct. 9. Prima est S. Thomæ & Thomistarum hic quæst. 14. artic. 13. ad 2. qui sub distinctione, concessâ maiore, nimirum consequens necessarium esse debere necessitate antecedentis, vel secundum se, vel in sensu composito, vt subest actui animæ ipsius diuinæ præscientiæ in antecedenti posito. Sēper enim quando in antecedenti ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens accipiendum esse, non secundūm Esse quod in se habet, sed secundum quod est in anima, etiamsi id non exprimatur. Quam responsionem contra Ariminensem prolixe defendit Caietanus, Ferrariensis, & Albertinus locis citat. & in re non est mala, nec contraria sequenti.

9 Altera tamen facilior & planior, eademque communis responsio veterum Scholasticorum, Alberti, Bonauenturæ, Richardi, Scoti, Durandi, Gabrielis, Ariminensis, Ockami in 1. d. 28. Marsilij in 1. quæst. 40. Ferrariensis primo cont. gent. c. 67. quam præ cæteris etiam sequuntur & tuentur Suarez, & Albertinus loc. cit. licet à S. Thoma hic quæst. 14. art. 13. ad 2. repudiata, est; propositionem minorem in dicto syllogismo, vere ac propriè loquendo, non esse necessariam absolutè & in sensu diuiso: cum simpliciter & absolute sit veluti contingens, Deum id præsciuisse; si quidem absolute potuit non præscire: sed tantum esse necessariam ex hypothesi, ac in sensu composito, supposita scilicet futuritione ipsius peccati, quæ ratio quædam fuit præscientiæ eiusdem peccati, vt dub. præce. dictum. Qua ratione etiam conclusio,

Petrum

Petrum videlicet peccaturum, necessaria est nimirum in sensu composito, & ex hypothesi ipsius antecedentis, inuoluentis seu potius supponẽtis, vt dictũ ipsam futuritionem peccati, quæ hypothetica necessitas non tollit libertatem, vt in argumento præcedenti dictum.

10 S. Thomas verò loc. cit. *absolute necessarium* vocauit, non quod absolutè, & nulla in re facta hypothesi necessarium esset, sed quod ex ipsismet terminis, absque alio nouo additamento, necessarium est, vt recte etiam notarunt Greg. de Valentia, Vasquez, Albertinus, & alij l. c. Atque hoc eodẽ sensu minorẽ propositionẽ propterea absolute necessariam dixit; quia est propositio de præterito; cuius significatum hoc ipso quod tale est, non subiacet amplius vlli mutationi, seu dispositioni contrariæ, qua in irritum reuocetur, seu qua infectum reddatur, quod factum est: cum ad præteritum hoc sensu nulla detur potentia. Consequens verò necessarium esse admittit eodẽ modo ac sensu, hoc est, sine alio extrinsecus assumpto additamento; qa id per se ac necessario, pro ratione subiectæ materiæ, putauit non aliter posse intelligi, quam vt substat actui animæ ipsius diuinæ præscientiæ in antecedenti posito, adeoq; ex hypothesi ipsius antecedentis, ob dictam superius causam.

11 Tertio obijcitur. Aut ex hypothesi & suppositione factâ, quod Deus præsciuerit Petrum peccaturum, est in potestate Petri contrarium facere, aut non. Si non est, ergo tollitur liberum arbitriũ, ad quod requiritur simpliciter & absolutè, adeoque reipsa & omnibus spectatis, non obstante vlla hypothesi in re existente, posse aliquid facere vel nõ facere. Si est in potestate illius non peccare, poterit ergo etiam stante illa hypothesi reipsa nõ peccare: ponamus ergo factum, quod possibile est; quia quod possibile est fieri, possibile est factũ esse: sane tunc Petrus falsam reddiderit diuinã præscientiam: quæ proinde aut non erit infallibilis & certa; aut necesse est dicere, eâ suppositâ, Petrum non posse facere oppositum eius, quod à Deo præscitum est; adeoque non habere liberum arbitriũ in rebus à Deo præscitis.

Respondetur; simpliciter esse in potestate Petri, non peccare, etiam postquam Deus præsciuit illũ peccaturum, vt recte probat argumentũ: nõ quod in illo sit potestas ad componendum seu coniũgẽdum oppositũ actũ, seu omissionẽ actus, qui est nõ peccare cum illa suppositione præuisionis peccati (qui vocari in proposito solet *sensus compositus*) sic enim esset potestas in Petro ad cõtradictoria simul iungenda, videlicet ad peccãdum simul & nõ peccandũ: sed quia hypothesis illa præscientiæ diuinę non excludit potestatẽ simpliciter ad peccandũ, in sensu diuiso, vt rectè Suarez cit. cap. 3. n. 18.

12 Atque idem respondetur ad idem quæsitũ, sub alijs terminis: An Petrus possit peccare, non obstante præscientia. Reuera enim in sensu diuiso potest nõ peccare, quãtumuis in re existẽte, adeoque reipsa suppositâ præscientia peccati: nõ tamẽ in sensu cõposito; quasi videlicet vtrumq; simul cõponere possit, præscientiã peccati futuri, & peccati præuisi deuitationem. Neq; verò ideò quod peccati præscientia reipsa iã supponitur, si nihilominus ea non obstante Petrus potest non peccare, necesse est, vt Petrus possit idipsum, quod est non peccare, coniungere & componere cum præscientia peccati: quia sensum compositũ nõ facit potestas ad oppositum faciẽdũ eius, quod factũ aut futurũ supponitur; sed quando ex parte obiecti ipsi9 potentiæ, vtrumq; simul copulatur, ita vt coniunctim vtrumq; ponatur, peccatum scilicet esse præscitum adeoq; futurum, & peccatum non esse futurum. Potentia quidem igitur ad oppositum eius quod præscitum est, coniungi & componi potest cum præscientia diuina, sed non ipsum expositum præsciti.

Sicut enim dicimus, possibile est sedentẽ stare, 13
in sensu diuiso, etiam posito quod quis sedeat; nõ tamen in sensu cõposito, ita vt simul iungatur statio cum sessione: ita etiam possibile est præscitum non facere, non quidem quatenus præscitum est, & iungendo oppositum præsciti cum præscientia, sed materialiter id quod est præscitũ, nec cũ præscientia mente formaliter cõiungendo oppositum præsciti. Hæc solũ differentia materialis est inter vtrumq; quod statio reipsa potest cessare ac mutari cũ sessione; præscientia autem Dei cessare non potest, nec mutari, aut transire in oppositũ siue in præscientiã oppositi; ex quo tantũ sequitur, nunquam futurũ esse, vt contrariũ eius fiat, quod præscitum est: nõ tamẽ vt non possit homo intrinseca & expedita potentia facere oppositũ in sensu diuiso. Aliud est enim dicere, posse aliquem facere oppositũ eius, quod præscitum est, aliud fieri posse, vt oppositum fiat ei9, quod est præuisum: sicut aliud est prædestinatus potest damnari, aliud fieri potest vt prædestinatus damnetur; his enim locutionib9 fit sensus compositus; illis verò solum diuisus, vt suo loco pluribus dicetur de prędestin. q. 6. dub. 1. & 3. & q. 7. dub. 5.

Dices: Si statio reipsa nunquã posset cessare, & mutari in sessionem, tunc verè diceremus, impossibile esse stantem sedere: ergo cum in proposito nunquã possit mutari diuina præscientia, & transire in scientiã oppositi, pari modo dicendum est, absolutè impossibile esse, facere oppositum eius, quod præscitum est.

Respondeo, negando consequentiam; quia sessio est aliquid intrinsecum homini, & habet physicam repugnantiam cum statione; & è contra: at verò præscientia futuri est aliquid extrinsecũ homini; nec habet physicã in eo repugnantiam cum oppositio præsciti, sed solum obiectiuam: vnde fit quidem, vt nunquã futurum sit, aut fieri possit oppositum præsciti, suppositâ præscientia, non autẽ vt quis intrinseca potestate libera facere non possit oppositũ. Eodẽ videtur spectare S. Thomas hic q. 14. a. 13. ad 3. vbi cum fuisset obiectum, in formis inseparabilibus non habere locum prædictam distinctionem &c. vt si dicam, ceruum nigrum possibile est esse album, quia in vtroque sensu est falsum. Esse autem scitum à Deo, est inseparabile à re; quia quod est scitum à Deo, non potest esse non scitum. Respondet ipse. *Hæc instantia locum haberet, si hoc quod dico, scitum, importaret aliquam dispositionem subiecti inhærentem: sed cum importet, actum scientis; ipsi rei scitæ, licet semper sciatur, potest ali-*

quid

quid attribui secundum se, quod non attribuitur ei, in quantum stat sub actu sciendi.

Quomodo respondetur etiam ad instantiam superius argumento adiectam. Cum enim in hypothesi facta ipsius diuinæ præscientiæ includatur & supponatur ipsa futuritio peccati, vt dictum, fieri non potest, vt reipsa futurum aut factum ponatur oppositum eius, quod præuisum est; videlicet Petrum non peccare: sic enim staret simul vtrumque contradictorium, videlicet Petrum peccaturum ex hypothesi præuisionis, quæ supponit futuritionem peccati, vt dictum; & non peccaturū ex hypothesi data; atque ita proindè fieret sensus compositus. Secus est, si loquamur de posse non peccare, vt significat intrinsecam potestatem liberam in Petro, ad non peccandum; hac enim etiam stante, non redditur sensus compositus, quo videlicet futuritio peccati cum non futuritione eius coniungatur; quandoquidem etsi possit non peccare, alterum tamen solum cōtradictorium illud, quod præuisum est, infallibiliter futurum est, videlicet Petrum peccaturum. Sensus igitur compositus & falsus est, cum dico, Petrus potest peccare simul & non peccare; sensus diuisus & verus est, Petrus potest peccare, & potest non peccare; siue quod idem est, potest peccare, vel non peccare. Et vero etiam alias sæpe rectè dicitur, aliquid posse Deum aut hominem facere, quod tamen factum poni non potest: nempe quoties ex facto esse, sensus diuisus, in quo solum aliquid facere aliquem posse conceditur, mutatur & transit in sensum compositum, adeoque impossibilem. Dicimus enim, Petrū posse comedere hodie singulos panes huius vrbis, non omnes copulatim; & tamen concedi minime potest, nec verò etiam consequēs est, comedisse singulos: tunc enim etiam comedisset omnes copulatim quod impossibile est; de qua re plura quæst. 11. dub. 4.

Quarto obijcitur. Omne scitum à Deo necesse est esse; quia certitudo & infallibilitas præscientiæ hoc postulat: si ergo Deos præscit futura, necesse est illa esse; ergo sunt necessaria. Respondetur cum Suarez hic lib. 3. c. 3. n. 16. opus. cit. lib. 1. de scientia Dei cap. 9. nu. 21. tam antecedens, quam consequens esse verum, non de necessitate simpliciter, oppositā libertati; sed de necessitate immutabilitatis & infallibilitatis, adeoque compositionis & in sensu composito. Eodem redit solutio S. Thomæ hic q. 14. a. 13. ad 3. vbi ait: *Ea quæ sunt scita à Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt diuinæ scientiæ; non autem absolutè secundum quod in propriis causis considerantur. Vnde & hæc propositio, Omne scitum à Deo necessarium est esse, consueuit distingui; quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est diuisa & falsa; & est sensus, omnis res quam Deus scit est necessaria. Vel potest intelligi de dicto; & sic est composita & vera; & est sensus, hoc dictum, scitum à Deo esse, est necessarium, &c.* Plura Vasquez disp. 68. cap. 5.

Quomodo verò cū libertate concilietur sciētia approbationis, nil attinet hoc loco speciatim declarare: qa cū secundū se accepta, vt est ipsa scientia simplicis intelligētiæ, nō necessario secū trahat vel inferat effectū, nihil parit ea hac in re difficultatis. Prout verò adiunctū habet liberū decretū diuinæ volūtatis, & formaliter scientia approbationis dicitur, sic quidē secum infallibiliter trahit effectū cognitum: sed nō ratione sui præcisè, sed ratione adiunctæ volūtatis liberæ, quæ quomodo cū libertate arbitrij cōcilietur, infra q. 10. dub. 8. dicetur. Atque hæc de diuina scientia satis.

QVÆSTIO IX.

De Ideis Diuinis.

S. Thomas 1. p. q. 15. aa. 3.

ABsoluetur hæc quæstio duabus dubitationibus. I. An & quid sint Ideæ in mente diuina. II. Quot & quarum rerum Ideæ sint in mente diuina. Et poterat quidem hæc reuocari ad quæstionem præcedentem, de diuina scientia; quia Ideæ ad scientiam artificis pertinent: ne tamen nimis prolixa euaderet ea quæstio; & quia ipse etiam S. Thomas hic quæstionem de Ideis, à quæstione de scientia Dei seiunxit, eidemq; postposuit; non inconsulto eam nos etiam à præcedenti seiunximus.

DVBIVM I.

An, & quid sint Ideæ in mente diuina.

S. Thom. 1. p. q. 15. a. 1.

IDea generatim loquendo nihil aliud est, quam exemplar seu forma quædam, ad cuius imitationem artifex liberè quiddam, & ex intentione operatur, iuxta S. Thomam q. 3. de verit. a. 1. Ea duplex est; vna externa, quam oculis intuetur artifex; seu quam extra se à parte rei existentem imitatur artifex: altera interna, & in ipsa mente artificis sita. Hoc posito ad propositam dubitationem sequentibus assertionibus respondemus.

Assertio I. Sunt, & dantur in mente diuina Ideæ. Ita post S. Dionysium c. 5. de diuin. nom. & S. Augustinum l. 83. qq. q. 46. & alibi sæpe, vnanimiter docent Scholastici, cum S. Thoma hic q. 15. a. 1. & de verit. l. cit. & cum Magistro in 1. d. 35. & 36. conformiter Socrati, Platoni, vbi de formis separatis agit, alijsque antiquis Philosophis, vt refert Vasquez hic disp. 71. c. 1. vbi etiam post alios censet, Aristotelem Platoni, in referenda & exponenda hac eius sententia, fecisse iniuriam.

Ratio

Ratio est. Quia omnis artifex & intellectuale agens, respectu effectus artificiati seu liberi, propositum sibi habet exemplar seu formam quandã, ad cuius imitationem effectũ illũ efficit & cõformat; nec vero potest aliter effectũ eiusmodi producere, nisi prius in mente conformet conceptũ, adeoque similitudinẽ effectus eiusmodi producendi. Cum ergo Deus sit agens intellectuale, & perfectissimus artifex omnis rei creatæ, quã ad extra liberè vtiq; producit, necessario fatẽdũ est, eũ in sua mẽte habere Ideas; vtiq; internas sibi & intrinsecas; adeoq; in ipsa mẽte & intellectu diuino, seu obiectiuè, seu formaliter existentes. Quare etiã in Deo ideas esse, tã certũ fuit S. Augustino, vt apud S. Thomã de verit. l. cit. dixerit, eũ qui neget Ideas in Deo, *infidelẽ esse; quia negat filium Dei esse:* cui scilicet, vti & cætera attributa, quæ ad intellectum pertinent, per quandam appropriationẽ tribuitur nomen Ideæ.

3 Assertio II. In Deo non habet locum Idea externa; sed solũ interna, in ipsa eius mente, seu obiectiuè, seu subiectiuè constituta. Ita S. Thomas ci. a. 1. ad 1. omnesq; Theologi loc. cit. Ratio est. Tum qa idea externa imperfectionẽ denotat in operante; vt qui non possit in ipsa mẽte ita facile aut perfectè, absq; subsidio externo, formare sibi formam rei faciendæ. Tum quia Idea externa causalitatem dicit, non solum respectu effectus producendi, sed etiam respectu ipsius operantis; quatenus ad eius similitudinem & imitationem, mentis conceptionem conformat. Vnde sequitur, in Deo solum habere locũ ideas internas; quas etiam in ipsa mente diuina seu obiectiuè, seu formaliter existere nemo negat; & Augustinus loc. ci. ait, *sine impietate negari non posse.*

Assertio III. Ideæ, quatenus quidẽ in Deo existunt, sunt increatæ, æternæ, & imutabiles. Ita docet S. Augustinus cit. lib. 83. qq. q. 46. vbi ait. *Ideæ sunt principales quædã formæ, vel rationes rerũ stabiles atq; incommutabiles: quia ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ diuina intelligentia continentur. Sed cum ipsa neq; oriantur, neq; intereant, secundũ eas tamẽ formari dicitur omne, quod oriri & interire potest, & omne quod oritur & interit.* Idẽ habet sententia cõmunis Doctorũ. Probatur. Si enim creatæ essent, per alias factæ essent; & sic daretur processus in infinitũ, vt ex S. Augustino pluribus deducit Suarez hic li. 3. c. 5. n. 2. Quocirca etiamsi creaturæ obiectiuè in mente diuina existentes, ideæ essent, non tamen vt sic creatæ essent, sed increatæ, saltẽ negatiuè, & secundum Esse obiectiuũ æternæ & immutabiles in Deo.

4 Assertio IV. Ideæ non sunt creaturæ obiectiuè existentes in mẽte diuina; sed ipsa essentia diuina, sub certa aliqua ratione. Ita S. Thomas hic q. 15. a. 1. Albert⁹, Bonauẽtura, Ægidius, Capreol⁹, in 1. d. 35. & 36. itẽ Alensis 1. p. q. 23. mẽ. 4. a. 1. Henricus quodl. 9. q. 2. Ferrariensis 1. cont. gent. c. 54. Caietanus, alijq; Thomistę hic q. 15. a. 1. Suarez l. 3. c. 5. n. 6. & Metaph. d. 25. sect. 1. Vasq. d. 71. c. 2. adeoq; cõmunis Theologorum; etsi contrariũ docuerint Scotus, Ockam, Gabriel in 1. d. 35. & ferè Maior ibid. Richardus, & Durandus in 1. d. 36. Alliacẽsis q. 6. a. 3. Quã sententiã, vt in quæstione potiꝰ philosophia, nec tã rei, quã nominis, nõ rectè quidam temeritatis arguunt, vt rectè Vasquez ibid. n. 6. cũ præsertim nõ pauci vniuersim doceant, intellectus creati ideas, esse conceptus obiectiuos, nõn formales; in quibus sunt etiã ipse Vasquez ci. d. 71. n. 7 & d. 72. à n. 9. Albertinus tom. 1. q. 6. p. 5. n. 24. & Conimbricenses q. 3. a. 2. quibus non parũ fauẽt Aristot. 7. Metaph. tex. 23. & S. Thomas cit. de verit. q. 3. a. 2. Est ergo solũ probabilior hæc assertio.

Probatur auctoritate SS Patrũ, in quib⁹ S. Dionysius, & S. Augustinus lo. cit. Ratio est, Tum quia ipsa essentia diuina est, quæ repræsentat Deo creaturas producendas, earumq; modos &c. Tum qa, sicut nulla creatura Deo est causa cognoscendi, ita nec causa operandi, per modum ideæ. Accedit, quòd alias ideæ non ita propriè dicerentur increatæ, æternæ, immutabiles, &c.

Assertio V. Essentia diuina formaliter habet rationem ideæ, non propriè qua talis est, eminenter continens creaturas, ad cuius, etiam secundũ suã entitatẽ spectatæ, imitationẽ & similitudinẽ oña fiant; nec propriè etiam, vt est species quasi quædam intelligibilis creaturarum. Est cõmunis Doctorum, quos pro sequenti assertione citabimus; speciatim S. Thomæ hic art. 2. etsi quoad priorem partem contrarium videantur sentire Henricus, Caietanus, Ferrariensis locis cit. item Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 2. & alij recentiores Thomistæ, quos refellit Vasquez disp. 72. n. 3. 5

Ratio est. Quia essentia diuina, vti formaliter nõ continet res creatas, qua tales ac secundum pprias earum rationes, ita etiam propriè non est imitabilis in creaturarũ productione. Accedit quod Idea interna formaliter esse debet in intellectu; quod essentiæ non competit. Species vero intelligibilis, esto sit formalis similitudo obiecti, vt sic tamẽ solum habet se per modũ actus primi, quo per se solo non sufficienter in ipsa mente repræsentatur effectus efficiendus.

Assertio VI. Essentia diuina formaliter est Idea, quatenus est ipsum Verbum, seu conceptus formalis creaturæ, cui secundum repræsentationem assimilantur creaturæ. Ita post Bonauenturã, Durandũ, Capreolũ docent Vasquez hic d. 71. c. 2. & quoad rem ipsam Suarez loc. cit. & colligitur ex S. Thoma hic q. 15. a. 2. vbi ait: *Idea operati est in mẽte operantis, sicut quod intelligitur; non autem sicut species, qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu.* Et ibidem ad 1. ait: *Idea non nominat diuinam essentiam, in quantum est essentia, sed in quantum est similitudo, vel ratio huius vel illius rei.* Et ibidẽ ad 2. ait: *Sapientia & ars significantur, vt quo Deus intelligit; sed idea, vt quod Deus intelligit, &c. Deus autem non solum intelligit multas res per essentiam suam, sed etiam intelligit se multa intelligere per essentiam suam: sed hoc est intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas esse in intellectu eius, vt intellectas.* Et similia habet q. 19. a. 4. 6

Probatur primò ex S. Dionysio c. 5. de diu. nom. vbi ait: *Si enim sol hic, quem videmus, eorũ, quæ sub sensum cadunt, essentias & qualitates, quanquã multæ sunt ac dissimiles, tamen ipse quo vnus est, æquabiliter q; lumen fundit, renouat, alit, tuetur, perficit, diuidit, coniungit, fouet, fœcũda reddit, auget, mutat, firmat, edit, mouet, vitaliaq; facit oña, vt vnaquæq; res huius vniuersitatis pro captu suo, vnius atq; eiusdẽ solis est particeps, causasq; multorũ,* 1

quæ

quæ participant in se æquabiliter anticipatas habet; certè maiore ratione in eius, atque omnium causa prius constitisse omnium rerum exemplaria concedendum est, vna, quæ essentia superior sit, coniunctione; quandoquidem essentias etiam in lucem profert, quod secretus sit ab essentijs. Exemplaria autem dicimus, esse essentiæ rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt, quas scripta diuina prædestinationes appellant, diuinasq; ac bonas voluntates, quæ constituunt & faciunt omnia; quemadmodum Deus, qui essentiæ antecellit, ea quæ sunt, & ante statuit, & in lucem protulit. Vbi S. Dionysius apertè docet, Ideas diuinas, quas Exemplaria rerum creatarum rectè vocat, esse rationes rerum effectrices, ac prædestinatiuas, quæ intellectus actum denotant: cui tamen insuper diuinam voluntatem adiungit, quod sine ea ideæ diuinæ ad opus non veniant, vt quæstione præcedenti de scientia Dei, quæ est causa rerum, dictum est.

7 Ratio est, Quia Verbo, seu conceptui diuino creaturæ, conueniunt omnes conditiones ad internam ideam requisitæ; 1. quia est in mente seu intellectu formaliter. 2. est principium quoddam proximum liberè operandi ad extra. 3. est id, quod considerat Deus, dum res producit ad extra. 4. ad eius similitudinem in repræsentando res ipsæ quadam imitatione efficiuntur; & ita quidem accuratè, & examussim, vt res non fiant aliter, nec alio modo, quam quo ab ipso verbo, seu conceptu diuinæ mentis repræsentantur; idque iuxta determinationem liberæ voluntatis diuinæ. Accedit quod multi etiam in creato intellectu, adeoque vniuersim docent, ideam internam nihil aliud esse, quam conceptum formalem in mente artificis, quatenus est imago quædam repræsentatiua rei: in quibus est etiam Suarez loco cit. post Alensem, Bonauenturam, Capreolum.

8 Assertio VII. Conceptus formalis creaturarum in mente diuina, habet rationem ideæ, præcipuè ac perfectissimè, prout reflexa quasi cognitione à Deo concipitur. Ita docet S. Thomas hic q. 15. a. 2. ad 2. vbi ait: *Idea significatur in Deo, vt quod Deus intelligit, &c.* item, *Deus intelligit, se intelligere multa per essentiam suam, & hoc est intelligere plures Ideas esse in intellectu eius, vt intellectas.* Et idem paulo antea etiam dixerat S. Thomas de artifice: *Dum intelligit,* inquit, *formam domus, vt à se speculatam, ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam, vel rationem domus.* Ex quibus intelligitur, iuxta mentem S. Thomæ, conceptum formalem rei faciendæ, habere quidem rationem essentialem ideæ, etiam absque eo, quòd reflexè intelligatur; intelligendo enim non efficitur idea, sed *cognoscitur*, vt inquit S. Thomas; attamen ad perfectionem quandam eius spectare, vt intelligatur, adeoque reflexè concipiatur, ita vt sit exemplar quoddam rerum efficiendarum cognitum.

Vnde quamuis etiam in creato intellectu, ad rationem ideæ necessarium non sit, vt conceptus formalis artificis, tanquam obiectum quod reflexè concipiatur; etsi hoc pertineat ad quandam perfectionem Ideæ, vt rectè etiam docet post alios Suarez in Metaphys. loco citato, concluſ. 3. & consentit Vasquez disput. 72. num. 10. qua de causa etiam cognitio illa creaturarum in Deo, habet essentialem rationem ideæ, licet abstrahamus à reflexa cognitione ipsius cognitionis; cum ipsa etiam per se directa cognitio dirigere possit operantem velut similitudo rei efficiendæ imitabilis: simul tamen re ipsa certum est, ipsam etiam illam intellectionem diuinam, vt cognitam, vel maximè esse ideam: cum Deus eadem cognitione, seipsum, creaturas, & suammet intellectionem necessariò intelligat: præterquam quod nonnulli existiment, etiam in creato intellectu ideam debere concipi, vt obiectum quod; de quo hic non disputo.

Assertio VIII. Ideæ pertinent ad practicam Dei 9
scientiã. Ita Albertus in 1. d. 35. Durandus d. 36. quos etiã sequitur Vasquez disp. 74. n. 3. cũ recentioribus Thomistis; etsi paulo aliter loquatur S. Thomas hic quæst. 15. art. 15. & quæst. 1. de potentia art. 5. vbi discrimen constituit inter Ideam & Exemplar, quod hoc sit rerum futurarum tantum, & pertineat ad scientiam Dei practicam; idea sit etiam rerum possibilium, & pertineat ad speculatiuam Dei scientiam, & non nisi virtute practicam. Quod postremum etiam docent Ægidius in 1. dist. trigesima sexta, & Gabriel d. 35.

Sed suppositis ijs, quæ diximus præcedenti quæstione dub. 11. de scientia Dei practica, patet, scientiam practicam absolutè ac generatim loquendo, non tantum esse rerum quandoque existentium, seu futurarum, sed etiam meræ possibilium: ac proinde cum ideæ etiam practicè versentur circa res, quatenus hoc vel illo modo fieri à Deo possunt, rectè simpliciter dicuntur, ad practicam Dei scientiam pertinere, non ad speculatiuam: in quantum nimirum scientia aliqua in actu primo verè etiam practica dicitur, licet in actu secundo ad opus efficaciter non referatur; quam practicam *virtute* vocauit S. Thomas loco citato. Nec verò discrimen illud allatum, inter Ideam & exemplar, ad modum quidem loquendi duntaxat pertinens, omnes videntur recepisse; nec est quasi certa lege definitum, aut antiquorum Patrum, vel Philosophorum auctoritate firmatum, vt rectè Suarez hic libro tertio capite quinto, numero octauo. Vasquez disput. 73. num. 14. & Gregorius de Valentia quæst. 15. p. 4. vbi propterea etiam admittit cum Banne hic quæstio 15. art. 3. dici posse Ideas, per modum exemplaris, esse rerum merè etiam possibilium.

Assertio IX. Ideæ, & exemplaria, seu rationes Ideales & exemplares, ab æterno conueniunt Deo; & ideæ quidem etiam necessariò. Colligitur ex assert. 3. & seqq. Et est mens S. Augustini & Doctorũ ibidem. Quia cũ ideæ, & exemplaria sint ipsi conceptus formales creaturarum in mente diuina, quatenus aliquo modo imitabiles in earũdem productione, non supponunt existentiam vllius creaturæ; nec adeo significant relationem ad creaturas, quæ consequatur actionem Dei transeuntẽ sed imanentem, qualia nomina Deo ab æterno conuenire dictum est supra q. 7. dub. 2. Et quia Ideę dantur etiam respectu rerũ possibilium tantum; necessariò etiam conueniunt Deo. Idem dicendũ est de exẽplari, si ab idea placeat non distinguere: sec9 est, si recipiatur distinctio supradicta S. Thomę, quod exemplar solũ dicatur respectu rerũ actu quãdoq; existẽtiũ seu futurarũ; hoc ipso n. quod res non necessario, sed pro sola Dei volũtate futuræ sũt, & actu quãdoq; existũt, nõ necessariò, sed liberè, hoc sensu, Exẽplaris ratio diuino cõceptui cõuenit. 10

DVBIVM II.

Quot, & quarum rerum Ideæ sint in mente diuina.

S. Thomas 1. p. q. 15. a. 2. & 3.

1 ASsertio I. Non sunt à parte rei plures, & reipsa distinctæ Ideæ in Deo. Ita S. Thomas hic q. 15. a. 2. & communis Doctorum, & patet generatim ex ijs, quę de simplicitate, & attributis Dei in genere diximus contra Scotum & Gilbertum; nimirum attributa absoluta in Deo à parte rei non esse distincta: sunt autem Ideæ prædicata quædam in mente Dei, & quidem absoluta, quæ nullam habent realem relationem ad alterum; non pertinalia, seu realiter relata.

Assertio II. Possunt tamen ratione distingui, ac reipsa quoque ita distinguuntur plures Ideæ in Deo. Ita S. Thomas eodem a. 2. & communis Doctorum Patet ex S. Augustino lib. 83. qq. q. 46. vbi simpliciter plures Deo ideas tribuit, & ait: *singula propriis rationibus creata sunt.* Ratio est. Quia Idea in Deo non est ipsa essentia diuina sub ratione essentię, sed sub ratione conceptus formalis creaturarum: quales conceptus, per comparationem ad varia obiecta, recte inter se ratione distinguuntur & multiplicantur.

2 Assertio III. Ideæ plures in Deo ratione distinguuntur, non ipsius Dei, vel beati, sed Viatoris tantum; etsi Deus quoq; ratione nostra distincta cognoscat. Ita generatim docuimus de attributis diuinis, & in specie hoc loco tuetur Vasquez disp. 73. etsi nonnulli aliter sentiant; primum ij, qui docent, ideas in Deo solũ distingui per intellectum diuinum, vt vult Thomas Argentina in 1. d. 36. q. 1. a. 1. sed absq; fundamẽto: deinde alij, qui docent, tam ideas, quam cætera attributa diuina, non sola ratione nostra, sed etiam intellectu diuino distingui; in quib⁹ Henricus quod. lib. 9. q. 1. Ægidius, Capreolus in 1. d. 36. & vt appareret S. Thomas hic quæst. 15. a. 2. ad 2. vbi ait; *Deum intelligere plures rationes rerum & plures ideas esse in intellectu suo.* Et clarius ad 3. ait; *dicendũ, quod huiusmodi respectus, quibus multiplicatur idea, nõ causantur à rebus, sed ab intellectu diuino, comparante essentiam suam ad res.* Et similiter ad 4. ait; *Respectus multiplicantes ideas, non sunt in rebus creatis, sed in Deo, Non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personæ.* Idem clarius docet S. Thomas 1. cont. gent. cap. 54. & sequuntur Ferrariensis ibidem, & Caietanus, ac Thomistæ rececentiores hic cit. art. 2.

3 Sed ratio nostræ assertionis est. Tum quia intellectus diuinus, & beatorum, intelligit res, prout sunt à parte rei; neque adeo per se relatè intelligit, quod relatiuum in se non est; sed Ideæ in Deo reipsa non habent relationem ad creaturas, vt dictum, & docet S. Thomas cit. q. 15. a. 2. Tum quia ille solum ratione distinguit id, quod à parte rei vnum & simplex est, qui pluribus conceptibus rem intelligit; non qui nouit solum rem ab alio pluribus conceptibus concipi: hoc est enim ratione distinguere, quod intellectu & intelligendo distinguere, seu per intellectionem distinguere; ita vt intellectus det & faciat distinctionem, detque denominationem distinctionis; quod non potest facere, nisi ipsa intellectio sit multiplex & distincta. Quod si sola pluralitas obiectorum, ad quæ vnus, idemque simplex actus refertur, aut referri ab aliquo potest, sufficit ad distinctionem rationis, tum iam absque omni intellectu ideas cognoscente; erunt distinctæ ideæ in Deo; qui à parte rei versantur circa plura obiecta.

Quia tamen Deus nostram intellectionem intelligit, qua nos, ob imperfectum nostrum cognoscendi modum, ideas distinguimus; ideo Deus vtique etiam Ideas ratione nostra, adeoque per respectum ad nostrum intellectum distinctas esse intelligit. Quo modo etiam admitti potest, plures ideas in Deo esse ab æterno; quia Deus ab æterno eas per respectum ad nostrum intellectum, seu cognitionem futuram, ratione distinctas esse intelligit: præterquam quod earum quoque fundamentum, quod est pluralitas obiectorum, est æternum: cum tamen ne sic quidem Deus ab æterno dici possit creator, vel Domin⁹; cum eius denominationis seu relationis fundamentum sit actio transiens Dei, quæ æterna non est, vt dictum supra q. 7. dub. 2. etsi Vasquez cit. disput. 73. num 9. dicat, non posse dici plures ideas in Deo ab æterno, nisi fundamentaliter.

Assertio IV. Rectè simpliciter & absolutè dicuntur plures Ideæ in Deo. Ita S. Thomas hic art. 2. & communis Doctorum, quæ sumitur ex S. Dionysio, & S. Augustino locis cit. dub. præced. licet Albertus in 1. d. 35. art 9. & Aureolus dist. 36. part. 2. art. 1. putent, commodius dici, vnam tantum ideam esse in Deo plurium rerum, quam plures ideas; sicut & Durandus in 1. dist. 36. quæstiõ. 4. ait; melius dici plures *rationes ideales* in Deo esse, quam plures ideas; si idea sit ipsamet essentia diuina; hæc enim non est multiplex. 4

Ratio tamen assertionis sumitur ex dictis. Quia idea diuina est essentia diuina, sub ratione concept⁹, seu Verbi creaturarum; quod penes diuersitatem obiectorũ, ratione nostra rectè multiplicatur: sicut etiam absolutè sæpe Deo tribuimus plures conceptus & volitiones, videlicet ex parte obiecti, & iuxta nostrum concipiendi modum, seu per distinctionem rationis; quæ limitatio ex subiecta materia per se intelligitur.

Idem dicendũ est de exemplari; siue illud placeat cum S. Thoma distinguere ab idea, siue non: est enim quoad hoc, par vtriusq; ratio. & S. Dionysius citatus dub. præced. assert. 6. absolutè plura Exemplaria in Deo constituit, etsi contrarium dixerit Richardus in 1. d. 36. a. 2. q. 3. Secus est de intellectu, scientia, & arte, in diuinis: quia hæc cum actum quasi primum, aut certe complexionem plurium actuum significent, non multiplicantur penes diuersitatem obiectorum materialium, vt rectè Vasquez cit. disp. 73. c. 3. contra Alensem in 1. part. quæst. 23. memb. 4. art. 1. qui de arte diuina aliter loquitur.

Assertio V. Ideæ rerum possibilium in Deo sunt infinitæ, rerum autem existentium tot sunt, quot sunt res existentes, aut futuræ, habentes in Deo proprias ideas. Ita Suarez hic libro tertio, capite quinto, numero decimo quarto, ex communi, & sequitur ex relata doctrina S. Thomæ, quod ideæ tam sint rerum possibilium tantum, quam existentium: licet Exemplaria tantum sint rerum

futura-

Digitized by Google

futurarum, seu quandoque existentium. Supponitur autem, infinitas res esse possibiles, quibus distinctæ ideæ respondeant, vt mox dicetur.

Assetio VI. Sunt in Deo ideæ propriæ & distinctæ omnium substantiarum perfectarum, seu actualiter quandoque existentium, seu tantum possibilium, secundum rationes indiuiduas: an etiam secundum rationes specificas, & genericas, incertum est. Prior pars est S. Thomæ hic quæst. 15. art. 2. ad 4. & communis Doctorum, contra Henricum quod. lib. 7. quæst. 15. & Platonem, qui posuit proprias & distinctas rerum Ideas solum, secundum rationem specificam, non indiuiduam. Ratio est. Quia ideæ sunt principia operandi ad extra, & pertinent ad cognitionem Dei practicam; quæ versatur circa indiuidua. Actio enim est circa singularia, & id quod per se fit, sunt indiuidua, non species vel genera.

Secunda pars declaratur. De generibus enim & speciebus diuersimode sentiunt Doctores S. Thomas loco citato ad 4. secutus Platonem, ponit proprias & distinctas ideas rerum secundum rationes specificas, non genericas: quia *nunquam genus fit*, inquit, *nisi in aliqua specie*. Suarez libro tertio capite quinto, numero vndecimo, & Vasquez disput. 74. numero sexto, probabiliter negant, dari proprias & distinctas ideas rerum secundum rationem quoque specificam: idque probatur consimili ratione, ei, quam ex S. Thoma de ratione generica attulimus: quia nunquam species fit, nisi in aliquo indiuiduo: nec sane ratio esse videtur, cur non dentur ideæ generum, si dantur specierum.

6 Assertio VII. Materiæ & formæ per se sigillatim, non dantur propriæ & distinctæ ideæ. Ita S. Thomas eod. artic. 3. ad 3. ex communi; consentiente, quoad materiam, etiam Platone. Ratio est; quia ideæ sunt rationes & prototypa rerum faciendarum: adeoque propriæ & distinctæ sunt earum tantum rerum, quæ per se fiunt: at neque materia, neque forma per se fiunt, sed solum composita. Addit S. Thomas ibidem aliam rationem, quod materia secundum se neque esse habet, neque cognoscibilis est; quam omitto: vt & illam Platonis, quod materia non sit creata; adeoq; idea non causa materiæ, sed concausa: sed *quia nos ponimus materiam creatam à Deo, non tamen sine forma, habet quidem materia ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi*, inquit ibidem S. Thomas ad 3. supponendo scilicet materiam non fuisse initio informem, de quo disp. 6.

Assertio VIII. Malorum itidem nullæ sunt in Deo ideæ propriæ & distinctæ Ita S. Thomas cit. art. 3. ad 1. ex communi. Ratio est. Quia mala vti non sunt per se entia, sed tantum defectus entium; nec per se fiunt, sed per accidens; ita nec deposcunt ideas proprias & distinctas ab idea subiecti in quo sunt, & formæ illius, quarum sunt priuationes: quamuis nihilominus distinctè & secundum se à Deo cognoscuntur, vt superius dictum.

7 Assertio IX. Accidentia, quæ inseparabiliter concomitantur subiectum, quia simul fiunt cum subiecto, non habent proprias ideas, an habeant alia accidentia, quæ superueniunt subiecto, quæque adeo non necessariò simul fiunt cum subiecto, incertum est; probabilius negatur. Prima pars est S. Thomæ citata quæstione decima quinta, articulo tertio ad quartum. & communis Doctorum, quam tuetur etiam Gregorius de Valentia hic quæst. 15. punct. 4. Suarez cit cap. 5. num. 13. etsi contrarium doceat Vasquez disp. 74. cap. 3. idque bene probat ratio S. Thomæ in assertione allata; maximè si confirmetur ratione partis posterioris, quam tradunt Suarez & Vasquez loco citato, etsi contrarium doceant S. Thomas, & Thomistæ recentiores, quos sequitur Gregorius de Valentia loco citato.

Ratio est. Quia propriam ideam habere non debet in mente artificis, nisi quod per se fit ab eo: at vero accidentia per se non fiunt à Deo; non solum, quia non habent esse per se; sed etiam quia omnia habent se per accidens respectu eius, quod per se fit; nimirum ipsius compositi, seu substantiæ completæ. Secus fit in artificibus creatis; qui cum per se, arte sua non producant substantiam, sed solum accidentia, puta certam figuram, formam, seu picturam, sonum, &c. propriam accidentium, non substantiæ ideam requirunt. Ex quo soluitur ratio contraria S. Thomæ ibidem ad 4. *Artifex*, inquit, *per formam domus facit omnia accidentia, quæ à principio concomitantur domum: sed ea quæ superueniunt domui iam factæ, vt picturæ, vel aliquid aliud, facit per aliquam aliam formam.*

Et confirmatur assertio 1. Quia materia & forma ideo non habent propriam ideam, quia non per se fiunt, nec per se habent esse: eadem, & maior est ratio accidentium. 2. quia cum accidentium Esse sit inesse, ita saltem vt secundum ordinariam Dei legem nunquam per se existant: nec vero etiam subiecta existere possint sine accidentibus, his vel illis, etiamsi ex sua ratione singula sint à subiecto separabilia, existimandum est, Deum habere omnium substantiarum completarum in indiuiduo, proprios & distinctos conceptus, adeoque proprias etiam & distinctas species, secundum infinitam varietatem, & combinationem omnium omnis generis accidentium. 8

Nec refert, quod sæpè accidentia fiant à Deo, absque noua productione subiecti; idque vtique secundum rationem & paradigma certæ alicuius ideæ: quia nihilominus ad hoc seruire potest conceptus ipsius substantiæ, quatenus tali accidente modificata concipitur: sicut idea figuræ domus sæpè est substantia; cum tamen nonnisi figura domus fieri debeat: imò solius accidentis per se conceptus, non potest sufficienter seruire, ad productionem accidentis cum inhæsione in ipsa substantia; cum de absoluta potentia fieri possit accidens extra substantiam; ipsiusque accidentis essentia non consistat in actuali inhæsione in subiecto, præsertim hoc vel illo particulari, in quo producenda est. Quia tamen, vt recte notavit Vasquez loco citato, hæc res tota ad quæstionem potius nominis pertinet, non est de ea magnopere contendendum.

Digitized by Google

QVÆSTIO X.

De Voluntate Dei.

S. Thomas 1. p. q. 19. aa. 12. q. 20. aa. 4. & q. 21. aa. 4.

1 *ABsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. An, & quarum rerum voluntas sit in Deo. II. Quinam actus voluntatis sint in Deo. III. Quotuplex sit diuina voluntas. IV. Qualis sit diuina voluntas; & quidnam formaliter sit libera Dei volitio. V. An sit aliqua causa, seu ratio diuinæ voluntatis & quisnam in actibus ipsius sit ordo. VI. An voluntas Dei necessitate n quibusdam rebus volitis imponat; & quænam in effectibus creatis sit radix contingentiæ. VII. An, & qua ratione generatim Deus actus liberos, & cætera quæ in hoc mundo fiunt, sua voluntate prædefiniat. VIII. Qua ratione diuinæ voluntatis efficacia, eiusque præfinitiones cum libertate arbitrij concilientur: & an absoluta ac plane antecedens præfinitio actus humani, pugnet cum libertate actus prædefiniti.*

DVBIVM I.

An, & quarum rerum voluntas; quinq; actus voluntatis sint in Deo.

S. Thomas 1. p. q. 19. a. 1. 2. & 9. & q. 20. & 21.

AGit quidem S. Thomas de actibus diuinæ voluntatis, speciatim de Amore, Iustitia, & Misericordia, primum inferius in proprijs quæstionibus, 20. & 21. sed quia res connexa est, & magna ex parte etiam obiecta diuinæ voluntatis concernit, simul hic cum ipsis obiectis à nobis pertractabitur.

2 Assertio I. Esse in Deo tanquam intelligente & viuente perfectissimo voluntatem, & naturali ratione euidens est, & ex fide constat. Ita S. Thomas hic q. 19 a. 1. omnesque Doctores cæteri in 1. d. 45. Fides constat ex innumeris Scripturæ locis: è quibus vn⁹ hic sufficit, Psal. 113. v. 3. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Ratio est. Quia commune est omni substantiæ, vt proportionatũ suæ formæ ac naturæ appetitũ habeat; merè quidem naturalem, substantia expers cognitionis; animalem, sensitiua; rationalem, quæ voluntas dicitur, substantia intelligens: cum ergo Deus sit substãtia perfectissimè intelligẽs, necesse est etiã, vt sit appetitu rationali, seu voluntate præditus.

Assertio II Volũtas Dei reipsa est ipse De⁹, ac essẽtia Dei; à qua, pinde à parte rei nullo modo distinguitur. Ita S. Thom. cit. a 1. & patet ex simili de intellectu diuino ex q. præc. dub. 1. ac ex dictis de simplicitate Dei, atque attributis eiusdem in genere quæst. 2. & 3.

3 Assertio III. Voluntas Dei habet quidem etiam sua obiecta, à quibus terminatur; sed extra se nulla, à quibus mouetur aut causatur; ac proinde est ab omni obiecto creato planè independens. Ita S. Thomas q. 19. a. 1. ad 3. Et patet in simili ex dictis de intellectu q. 8. dub. 1. vbi simul etiam diximus, actum intellectionis diuinæ, nec ab ipso quidem Deo propriè dependere vel causari; cum sit ipse Deus: quod pariter etiam voluntati applicandum est. Hæc de diuina voluntate secundum se ac in genere; nunc de obiectis eius in specie.

Assertio IV. Primarium diuinæ voluntatis obiectum, est ipse Deus: seipsum enim vult ac diligit necessariò; & quicquid extra se diligit, propter se ac suam bonitatem diligit. Ita S. Thomas ead. q. 19. art. 1. ad 3. & art. 2 & 3. ex cõmuni. Et patet ex illo Prouerb. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Ratio est. Quia voluntas quælibet recta tantò aliquod bonum magis diligit, quantò & ipsum per se maius est, & diligenti magis coniunctum: Deus autem summum & infinitum bonum est; nec quicquam est magis coniunctum Deo, quam ipse sibi. Et quia quod in vnoquoq; genere est primũ ac summum, causa est etiam seu ratio cęterorũ, necesse est, vt quicquid Deus vult & diligit extra se, velit ac diligat propter se, tanquã finem ac bonũ principaliter amatum.

Quo sensu etiam dixit S. Thomas art. 1. ad 3. & art. 2 ad 2. *Dei voluntatem* (obiectiuè) *moueri à seipso solo, non ab alio obiecto*: vbi supponit, voluntatem solum moueri ab obiecto, quod se habet per modum finis, non medij: cum ergo Deus omnia velit propter suam bonitatem, vt finem cæterorum, ab ea solum voluntatem diuinam moueri asserit; vt benè etiam notauit Vasquez eod. art. 1. & satis seipsum declarat S. Thomas cit. a. 2. ad 2. vbi etiam propterea ait. *Deum sicut alia à se intelligit, intelligendo essentiam suam, ita etiã alia à se velle volendo bonitatẽ suam*: videl. non formaliter, sed cõsequẽter; quia essentia diuina est ratio intelligẽdi, & volẽdi cætera omnia, modo explicato. 4

Assertio V. Deus tamen etiã vult & diligit quædam alia à se; & quidem res, seu bona creata omnia, quæ aliquando habent existentiam, etiam secundũ suum proprium Esse, quod habẽt, distinctum ab Esse diuino: idq; propter se, tanquã illorũ finem. Ita S. Thomas cit. a. 2. in corp. & ad 2. & q. 20. a. 2. ex cõmuni Doctorum in 1. d. 45. & constat ex Scriptura, Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ sunt.* Psal. 113. v. 3. *Omnia quæcunq; voluit fecit.* Prou. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* 1. Thess. 4 v. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Vnde S. Dionysius c. 4. de diu. nom. *Audebit etiã hoc vera ratio dicere, ipsũ quoq; rerũ omniũ auctorẽ pro singulari bonitate sua, amare omnia, omnia facere, omnia perficere, omnia cõseruare, omnia cõuertere.* Et infra. *Audẽdũ est etiã hoc pro veritate dicere, ipsũ quoq; rerũ omniũ auctorẽ honesto, bonoq; omniũ amore ductũ, pro singulari bonitate amatoria, extra se fieri rerũ omniũ procuratione, & q. bonitate, charitateq; et amore deliniri; atq; ex statu, quo superat omnia, et ab omnib⁹ secretus est, ad eũ, quo in omnib⁹ est, demitti tur ea vi, quæ essẽtiã superat, & omnia extra se rapit, nec interim ab eo discedit.*

Ratio est, quia omne bonum est communicatiuum sui, pro conditione suæ naturæ, vti videre licet etiam in omnibus rebus creatis, quæ cũ perfectę sũt, simile sibi generãt: ac proinde etiã bonũ intellectuale inclinatur ad suã perfectionẽ alijs cõmunicãdã, p appetitũ volũtatis elicitũ; quibus, pinde vult suũ bonũ; quod est amare. Quę tñ cõmunicatio actualis, nõ 5

est per-

Digitized by Google

est perfectio quædam formalis (libera ac voluntaria) in ipso Deo, vt significat Caietanus hic q. 19. art. 2. refutatus à Gregorio de Valentia hic quæst. 19. punc. 2. Sequeretur enim, aliquam perfectionem intrinsecam de nouo Deo aduenire; sed signum & effectus perfectionis ac bonitatis eius, vt magis inferius constabit, quando de libera voluntate Dei agetur. Et confirmatur assertio. Quia amare est bonum alicui velle: Deus autem vult rebus omnibus suum omne Esse, & quicquid in illis bonum est: quandoquidem Deus ipsa sua voluntate, causa est omnis eiusmodi boni; sine qua nihil essent omnia. Velle autem hæc omnia, constat ex assert. 4.

Vbi etiam S. Thomas q. 20. a. 2. optimè notat, discrimen esse inter amorem nostrum, & amorem diuinum. *Quia enim*, inquit, *voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea mouetur sicut ab obiecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius; sed è conuerso bonitas eius, vel vera, vel æstimata, prouocat amorem, quo ei volumus, & bonum conseruari quod habet, & addi quod non habet: & ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus.*

Assertio VI. Deus simplici affectu, seu amore complacentiæ vult etiam ac diligit entia merè possibilia. Ita cum alijs Vasquez disp. 79. c. 2. quam ex communi doctrina Scholasticorũ elicit: etsi contrariũ videatur sẽtire Suarez l. 3. c. 6. n. 10. vbi quoad hæc entia, constituit discrimen inter intellectũ & voluntatẽ. Sed cũ nostra etiam voluntas, in re apprehensa, etiã vt merè possibili possit complacentiæ actũ habere, cur nõ & diuina? Accedit quod res merè possibiles, sicut entia sunt ita etiam sunt transcendentaliter bonæ, quid ni ergõ etiã à diuina voluntate appetibiles? Plura infra dub. 4. vbi de libera & necessaria volũtate Dei agitur.

Assertio VII. Deus nõ vult, nec velle potest malũ, qua malũ. Ita S. Thomas cit. q. 19. a. 9. ex communi. Ratio est. Quia adæquatũ obiectũ volũtatis formale quod (loquendo de actu prosecutionis seu volitionis, non fugæ) est bonũ vt bonũ, vt diximus tom. 2. disp. 2. q. 2. dub. 1. cũ S. Thoma cõtra Ockamũ, & Nominales.

Assertio VIII. Deus non vult, nec velle potest malũ culpæ, seu peccatũ formaliter acceptũ, sub illa ratione. Ita S. Thomas cit. a. 9. ex communi Doctorũ in 1. d. 45. Patet ex Scriptura, Psal. 5. v. 5. *Non Deus volens iniquitatẽ tu es.* Sap. 14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo, impius, & impietas eius.* Abacuc 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatẽ nõ poteris*: nimirum scientia approbationis, quæ adiunctã habeat volũtatem & approbationem obiecti cogniti. Ratio est. Tum quia nullum malũ recta ratione appeti potest, quod opponitur summo bono; cum malum tantũ sit appetibile ratione boni adiũcti: peccatum autem aduersatur Deo ac summo bono. Tum quia alias Deus esset auctor & causa peccati: quod est non solũ contra fidem, vt docetur in 1. 2. sed etiã contra rationẽ: quia Deus peccatũ omne prohibet; nec est vllũ peccatum, quod non sit contra aliquam Dei legem, vt etiam suo loco diximus tomo 2. disp. 4. q. 9. dub. 4.

Assertio IX. Deus tamẽ vult permissionẽ peccati. Ita S. Thomas eod. a. 9. ad 3. ex communi, & patet ex Scriptura passim; præsertim quãdo Deus dicitur *indurare, excæcare, dare in reprobum sensum*; quæ ad permissionem pertinent, vt suo loco docetur. Ratio est. Tum quia si non aliquo modo vellet permittere peccata; non fieret; Tũ quia permittere ex iusta causa malum etiam culpæ, est bonum: est autem iusta causa eius permissionis; tum vt relinquatur sua libertas creato arbitrio; tum vt ex peccato eliciatur maius bonum, non solum Iustitiæ diuinæ erga malos, sed etiam misericordiæ ergo eosdem, dum ad pœnitentiam reuocantur, &c. De qua re plura disp. 3. q. 1. dub. 2.

Assertio X. Malum solius pœnæ, seu naturæ, vult quidem Deus; at non per se, sed solum per accidens, quatenus ei coniungitur aliquod bonum. Ita S. Thomas eod. a. 9. & a. 10. ad 2. ex com. & patet ex Scriptura. Quod enim Deus velit eiusmodi mala, patet ex illo Amos 3. v. 6. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Quod verò malum pœnæ per se ac primaria intentione non velit, sed solum per accidens, & ratione boni adiuncti, patet ex illo Sap. 1. v. 13. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum*, &c. *Impij autem manibus & verbis accersierunt illam*, &c. Ratio est; quia quandocunq; aliquod malũ coniunctum est cum aliquo bono magis appetibili, quam sit bonum, quo priuat malum, tum illud malum rectè appeti potest: tale autem est malum pœnæ & naturæ; cum quo coniungitur bonum Iustitiæ diuinæ, & bonum ordinis naturæ, vt magis patebit cit. disp. seq. de prouidentia Dei. Neque enim de his rebus in præsenti pluribus agendum est. Atque hoc est, quod de vtroque malorum genere sapienter notauit S. Augustinus in Enchirid. cap. 10. & 11. *Ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo: in qua etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, & loco suo positum, eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis.*

DVBIVM II.

Quinam actus voluntatis, atq; etiam virtutum Deo conueniant.

S. Thomas 1. p. q. 20. a. 4. & q. 21. a. 4.

SVpponendum, actus voluntatis quatuor potissimũ modis variari ac distingui posse. Primò communissima illa ratione, qua actus cuiuslibet appetitus, alij quidẽ consistere dicuntur in appetitione seu prosecutione; alij in fuga. Secundò, ea ratione, qua passiones animi, seu appetitus sensitiui, propriè solent distingui: quo modo alij constituuntur in appetitu concupiscibili, vt amor, desiderium, delectatio; & his oppositi, odium, fuga, tristitia; alij in irascibili, vt spes, desperatio, audacia, timor, & ira; iuxta S. Thomam 1. 2. q. 23. a. 4. qui actus seruata proportione etiam ad voluntatem transferuntur. Tertiò diuidi possunt penes eam varietatem actuum, qui voluntatis deliberatiuæ proprij sunt; vti sunt intentio, electio, vsus, fruitio. Quarto distingui possunt secundum diuisionem & varietatem virtutum, quæ in voluntate constituuntur: de quibus nũc sigillatim agendum. Omitto actus vitiosos, vt inuidiæ, acediæ, &c. quos constat in Deo non esse.

Assertio I. Dantur in voluntate diuina actus, non solum prosecutionis, sed etiam fugæ. Ita supponit S. Thomas q. 20. art. 2. ad 4. vbi ait, *peccatores, qua tales sunt, à Deo odio haberi.* Eadem est communis Doctorum sententia. Probatur apertè ex illo Sap. 14. v. 9.

Similiter odio sunt Deo, impius, & impietas eius. Ratio est, quia vti sapientis est, bonum amare; ita etiam fugere seu odisse oppositum malum, qua tale est; cum vtrumque sit eiusdem rationis: nec est vlla voluntas, vel vllus appetitus, qui non etiam suo modo refugiat malum, quo appetit bonum. An autem ipse etiam actus odij sit quædam prosequutio, dixi tom. 2. disp. 2. q. 2. dub. 1.

2 Assertio II. Ex actibus voluntatis, qui passionibus appetitus sensitiui respondent, eandemque cum illis appellationem sortiuntur, sine controuersia propriè ac formaliter in Deo est amor, & gaudium; & ex veriori etiam odium. Prima pars est S. Thomæ 1. par. q. 20. art. 1. & seqq. ex communi omnium Doctorum. Et patet ex adductis Scripturis, & Patribus dub. præced. assert. 3. Apertissimum est illud Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ sunt.* Accedit quod 1. Ioan. 4. v. 3. dicitur; *Deus charitas est.* Quia si amor in Deo non esset, nullus planè voluntatis actus in eo esse posset; remoto enim primo, remouentur alia: est autem amor primus motus voluntatis, & cuiuslibet virtutis appetitiuæ; in cuius actibus hic ordo cernitur. Primũ enim actus prosecutionis, quia circa bonum versantur, priores sunt natura seu ratione actibus fugæ, qui circa malum versantur. Semper enim quod est per se, prius est eo, quod est per aliud: bonum autem principalius & per se est obiectum voluntatis & appetitus, malum autem secundariò, & per aliud, in quantum scilicet opponitur bono. Deinde in vnoquoq; genere, id quod est communius, naturaliter est prius; sicut & intellectus per prius habet ordinem ad verum commune, quam ad particularia quædam vera: at verò amor respicit bonum sub communiori ratione, quã reliquæ passiones, quæ circa bonum versantur, idq; respiciunt sub particulari aliqua conditione seu ratione. Siquidem gaudium & delectatio est de bono præsenti & habito; desiderium autem & spes, de bono nõdum adepto: amor autem abstrahit ab vtroq;, adeoq; respicit bonum in communi, siue sit habitum, siue non habitum. Est ergo amor naturaliter primus actus voluntatis & appetitus.

Quod ex eo etiam probatur, quod omnes alij motus appetitiui præsupponunt amorem, quasi primam radicem. Nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum: neq; aliquis gaudet, nisi de bono amato. Odium etiam non est, nisi de eo, quod aduersatur rei amatæ. Et similiter tristitiam, cæteroſq; eiusmodi motus necesse est in amorẽ referri, velut in primũ principiũ. Ex quibus patet, in quocunq; appetitũ habente necessariò constituendum amorem. Remoto n. primo, vt dictum, remouẽtur alia: cum igitur in Deo sit voluntas, ex dub præced. necessario etiam ipsi amor tribuendus est. Ita ferè S. Thomas cit. art. 1.

3 Qui etiam a. 2. docet, Deũ amare creaturas, ac res omnes, quę existunt, de quo dub. præc. Item a. 3. Deum nonęqualiter diligere omnia: sed ex parte obiecti, magis eos, quib⁹ maius vult bonũ. Vnde colligit a. 4. Deum semper magis diligere eos, qui sunt, aut futuri sunt ipsa dilectione Dei meliores: adeoq; vt notat ibidem ad 1. & 2. Christum hominem, ac humanitatem Christi, plus quam omnes Angelos, & totam vniuersitatem creaturarum: quandoquidem amare Dei est velle bonum; & hoc ipso, quod aliquis est melior, adeoq; maiori bonitate prædituſ, Deus vult illi maius bonum: cum nisi Deus vellet, maiorem bonitatem nullo modo habere posset. Vbi tamen resp. ad 1. notat, pensandam esse bonitatẽ eius, qui amatur à Deo, secũdũ *illud tempus quo dãdũ est ei*, ex bonitate diuina aliquod bonũ. Qua ratione secundum tempus illud, quo peccatori prædestinato dandum est ex diuina voluntate maius bonum (æternæ beatitudinis) *melior est peccator* (quam iustus præscitus;) *licet secundum aliquod aliud tempus sit peior.* Disputat etiam ibidem S. Thomas respons. ad 3. & 4. Vtrum Deus plus dilexerit Petrum, an Ioannem; item an magis à Deo diligantur pœnitentes, an verò innocentes: sed quæ ad hunc locum non pertinent.

Secunda pars assertionis de gaudio, siue delectatione est S. Thomæ eadem q. 20. a. 1. ad 1. & communis Doctorum; quam tradit etiam Aristoteles lib 7. Eth. c. vlt. vbi ait: *Deum vna & simplici operatione gaudere.* Et patet ex illo Psal. 35. v. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*; & alibi passim. Ratio est. Quia gaudium seu delectatio, vt est actus voluntatis, nullam includit imperfectionem; sed significat quietem in bono amato iam possesso; Deus autem in seipso velut summo bono ac intimè possesso, penitus conquiescit; nullius præterea rei alterius indigus: Ergo, &c. 4

Tertiam partem assertionis, de odio, expresè docet S. Thomas cit. q. 20. art. 2. ad 4. quicquid alibi dixerit. Ita enim ait: *Nihil prohibet, vnum & idem secundum aliquid amari, & secundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, in quantum sunt naturæ quædam amat. Sic enim & sunt, & ab ipso sunt. In quantum verò peccatores sunt, non sunt, sed ab Esse deficiunt: & hoc in eis à Deo non est. Vnde secundum hoc ab ipso odio habentur.* Vbi vides, simpliciter asseri ac defendi à S. Thoma, in Deo odium esse erga peccatores. Id quod ex eiusdem etiam sententia ita docent ac tuentur Suarez libro 3. capite 7. & Vasquez disp. 84. cap. 3. contra Ferrariensem 1. cont. gent. capite 96. & Capreolum in 1. d. 45. quæst. 1. art. 1. S. Thomam male expendentem; cum tamen ipse etiam Capreolus tandem ibidem responsio. ad argumentum cont. 8 conclus. concedat; odium & displicentiam non repugnare Deo, respectu aliquorum defectuum.

Et quamuis S. Thomas in 1. cont. gent. cap. 97. videatur contrarium huic assertioni docere, reuera tamen plus non vult, nec probat, quam hæc tria. 1. Deum non odisse quicquam odio peruerso, quæ malum alicui velit, vt malum, idque nulla ratione boni honesti; vt solent facere homines, cum se inuicem peruerso odio prosequuntur. 2. nullam naturam per se odisse, quia bona est. 3. nec odisse etiam vllam substantiam intelligentẽ, aut creatam, etiamsi peccator sit, in quantum est. 4. odium (inimicitię nimirum) proprie solum esse erga personam, non erga malum, quod inimico volumus: cum tamen interim negari non possit, nec ipse S. Thomas ibidẽ neget, sed potius apertè satis fateatur, odiũ abominationis vel maximè esse posse erga peccata, alioſq; defectus, &c. 5

Probatur hæc pars apertè ex Scriptura sacra Sap. 14 versu 9. *Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius.* Et Psal. quinto versu sexto. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, &c. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Zachar. 8. v. 17. *Vnusquisque malum contra amicũ suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc* 6

sunt, quæ odi, dicit Dominus. Malach. 1. v. 3. & Rom. 9. v. 13. *Esau autem odio habui, &c.* Ratio est. Quia odium mali, siue de odio inimicitiæ, siue de odio abominationis sermo sit, nullam includit imperfectionem: & sapientis est, non minus amare bonum honestum, quam odisse malum oppositum; cum vtrumque sit eiusdem rationis. Accedit quod Deus peccatoribus vtique vult malum simpliciter: quod nimirum nullo bono maiori ipsis obuenturo compensetur: velle autem ita malum alicui, est odisse.

Assertio III. In Deo item propriè esse videtur tum desiderium, non quidem respectu boni proprij ac intrinseci, sed extrinseci, maximè nostri: tum fuga mali nostri futuri, aut possibilis. Ita Suarez cit. lib. 3. cap. 7. & Vasquez disp. 84. cap. 1. non contradicente etiam Capreolo loc. cit. Ratio est. Tum quia reuera Deus ardenter vult & cupit nostrum bonum futurum, nimirum vt iustè ac piè viuamus; & refugit oppositum, sceleratam scilicet vitam, quam in nobis videt futuram, iuxta illud 1. Thess 4. v. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Tum quia de ratione desiderij & fugæ plus non est, quam velle bonum absens, & refugere malum futurum possibile, seu sibi, seu alijs: quod sane Deo modo explicato conuenit. Tum quia non est necesse, vt bonum vel malum, quod est obiectum vtriusque actus, sit futurum, respectu ipsius Dei volentis, aut etiam actus ipsius immanentis: sicut etiam ad præscientiam futurorum non requiritur, vt aliquid sit futurum respectu ipsius Dei præscientis; aut præscientiæ interni actus; satis est, quod omnia hæc sint futura respectu alicuius temporis coexistentis Deo, & interno actui ipsius. Accedit quod de ratione desiderij & fugæ non est, vt bonum seu malum, quod respiciunt, re ipsa sit futurum; satis est, quod vtrumque sit possibiliter futurum; adeo vt nihil obstet, quominus etiam in Deo detur inefficax desiderium, aut fuga, boni, vel mali futuri possibilis, vt rectè etiam Vasquez loco cit.

Neque ideo, quod res desiderata sit præsens, cessat ipse actus desiderij in Deo, secundum se, sed solum quoad denominationem extrinsecam; quam à futuritione obiecti sortitur: sicut etiam cum contingens futurum existit, non cessat ipsa per se præscientia diuina, secundum se, sed solum ratione denominationis. Neque S. Thomas q. 20. a. 1. ad 2. negat, in Deo actum desiderij, nisi respectu boni proprij & intrinseci Dei, vt ex ratione, quam subijcit, absentiæ colligitur, & recte Vasquez loc. cit. Si quis tamē diceret, de ratione desiderij esse, vt tendat in bonum futurum, quod futurum est, etiam respectu ipsius desiderantis, & actus desiderij; is probabiliter negare posset, hunc actum esse in Deo. Eadem est ratio fugæ.

7 Assertio IV. In Deo non est propriè tristitia; nec spes; nec desperatio; nec audacia; nec ira: adeoque nullus ex actibus respondentibus appetitui irascibili. Ita S. Thomas q. 20. art. 1. ad 2. ex communi. Probatur ratione S. Thomæ loc. cit. de singulis. *Quia in passionibus*, inquit, *sensitiui appetitus, est considerare aliquid quasi materiale, scilicet corporalem transmutationem: & aliquid quasi formale, quod est ex parte appetitus. Sicut in ira, vt dicitur in 1. de anima text. 15. & 83. materiale est accensio sanguinis circa cor, vel aliquid huiusmodi; formale verò, appetitus vindictæ. Sed rursus ex parte eius, quod est formale, in quibusdam horum designatur aliqua imperfectio. Sicut in desiderio, quod est boni non habiti; & in tristitia, quod est mali habiti. Et eadem est ratio de ira, quæ tristitiam supponit. Quædam vero nullam imperfectionem designant, vt amor, & gaudium. Cum igitur nihil horum Deo conueniat, secundum illud, quod est materiale in eis, vt dictum est, illa quæ imperfectionem important, etiam formaliter Deo conuenire non possunt, nisi metaphoricè secundum similitudinem effectus. Quæ autem imperfectionem non important, de Deo propriè dicuntur, vt amor, & gaudium, tamen sine passione, vt dictum est.* Ita S. Thomas. 8

Et confirmatur particulatim de singulis. Etenim fieri non potest, vt sit tristitia in Deo, quia est molesta, & mali intrinsecè affligentis mentem: nec spes, quia est boni ardui; Deo autem nihil arduum est: nec desperatio, quia impotentiam arguit operantis, dum non potest acquirere bonum concupitum: nec audacia, quia non est nisi respectu obiecti ardui ac periculosi; quale in Deo locum non habet: nec timor, quia est de malo futuro difficulter euitabili: nec ira, quia itidem respicit malum arduum, vt repellendum: licet Suarez loc. cit putet, in suo formali conceptu non includere imperfectionem, sicut nec vindictam Sed contrarium existimo verius cum S. Thoma; quicquid sit de eius ratione.

Assertio V. Actus voluntatis deliberatæ proprij, superius recensiti omnes, nimirum intentio, electio, vsus, fruitio, Deo propriè ac formaliter conueniunt. Ita Suarez lib. 3. cap. 7. num. 10. ex communi vsu loquendi Theologorum, qui passim Deo tribuunt electionem, quæ supponit intentionem; secumque trahit vsum. Idem docet S. Thomas supra dub. 1. citatus, quando asserit, Deum velle bona creata propter se, vt finem. Probatur, tum ex Scriptura, quæ Deo tribuit consilium, quod est de medijs intentioni finis subordinatis. Vt Prouerb. 8. v. 14. *Meum est consilium.* Prouerb. 13. v. 16. *Omnia agit cum consilio* Ephes. 1. v. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Eadem scriptura frequentissimè tribuit Deo electionem. Vt Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* 9

Ratio singulorum est. Quia intentio est voluntas efficax finis obtinendi: iam vero etsi interna Dei operatio propriè non sit propter finem, neque adeo respectu ipsius Esse diuini, causalitas finis locum vllum habeat, habet tamen locum respectu actionis Dei transeuntis, iuxta illud Prouerb. 16. v. 14. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Electio nihil aliud est, quam efficax voluntas medij, & quidem vnius è pluribus: quod itidem nihil habet imperfectionis. Potest enim, vt inquit Paulus, ex hominibus aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam suo arbitratu; vnde alios eligit, alios reprobat. Et in operibus etiam naturæ; ex infinito rerum numero & ordine possibili, hunc solum, quem videmus, delegit, &c. Plura de his disp. seq. quæst. 5. dub. 2. 10

Vsus, est voluntas exequendi media electa; quam hoc ipso vtique Deo denegare non possumus, quòd in tempore omnia exequitur reipsa, prout ab æterno decreuit. *Quæcunque enim voluit fecit, in cælo & in terra.* Psal. 134. v. 6.

Fruitio denique nihil est aliud, quam quies & delectatio in possesso bono, seu fine, qui est Deus ipse,

Digitized by Google

qui se ipso perfectissimè fruitur, non quidem tanquam fine sui ipsius, sed tanquam fine creaturarum, quas voluit esse propter se, tanquam finem.

11 Iam verò quod ad eam varietatem actuum voluntatis attinet, quæ ex virtutum partitione desumitur,
12 agit quidem S. Thomas solum de virtutibus Cardinalibus, quæ in appetitu existunt: supponens, propriè in Deo esse prudentiam, ex quæst. 14. & infra quæst. 22. sed vt doctrina sit planior, dicemus etiam aliquid de virtutibus Theologicis.

Assertio VI. Vti fides propriè non est in Deo, ita nec is actus voluntatis, quem fides supponit: sed nec actus spei in Deo est, qua talis: est tamen in eo tum amor amicitiæ erga seipsum ac rationales creaturas, adeoque charitas; tum amor concupiscentiæ erga res omnes; in nobis alioqui ad eundem spei habitum pertinens. Priorem partem supponit S. Thomas, tum hoc loco quæst. 21. vbi de virtutibus, quæ in Deo sunt, agens, nec mentionem quidem fidei aut spei facit; tum in 2. 2. & 3. par. vbi omnibus beatis, ipsique etiam Christo fidem ac spem denegat. Ratio est. Quia fides est obscura cognitio, & *argumentum rerum non apparentium*, vt loquitur Apostolus Heb. 11. Itaque nec credere, nec velle credere, esse potest in Deo, aut beatis. Spes autem est boni ardui, ex dictis superius.

12 Posteriorem partem de amore concupiscentiæ, & amicitiæ, adeoque de charitate, expressè docet S. Thomas quæst. 20. art. 2. ad 3. & de amicitia fusius docetur in 2. 2. de charitate. Ratio breuiter est; quia ad amorem amicitiæ pertinet, velle bonum alicui propter se, & vt ipsi benè sit; quo quidem modo Deus sibi, & alijs, præsertim iustis, vult bonum. Amor verò concupiscentiæ est erga illud bonum, quod volumus nobis, & amicis nostris: quomodo Deus vult omne bonum sibi, & electis.

Et rectè notat S. Thomas ibidem ad 3. erga creaturas irrationales non posse haberi amorem amicitiæ, sed solum concupiscentiæ: *Amicitia*, inquit, *non potest haberi, nisi ad rationales creaturas, in quibus contingit esse redamationem, & communicationem in operibus vitæ; & quibus contingit bene euenire vel male, secundum fortunam & felicitatem, sicut & ad eas propriè beneuolentia est. Creaturæ autem irrationales, non possunt pertingere ad amandum Deum, neque ad communicationem intellectualis & beatæ vitæ, qua Deus viuit. Sic igitur Deus, propriè loquendo, non amat creaturas irrationales amore amicitiæ, sed amore concupiscentiæ, in quantum ordinat eas ad rationales creaturas, & etiam ad seipsum, non quasi eis indigeat, sed propter suam bonitatem, & nostram vtilitatem. Concupiscimus enim aliquid & nobis, & alijs.* Ita S. Thomas. Vnde colligitur, amorem concupiscentiæ esse etiam erga creaturas rationales, atque etiam erga iustos, quatenus Deus eos vult sibi, ac in suum commodum, seu gloriam, &c. Quod verò honestus hic amor concupiscentiæ in nobis ad habitum spei pertineat, suo loco de spe docetur.

13 Assertio VII. Ex virtutibus Cardinalibus, in Deo propriè ac formaliter non sunt illæ, quæ circa passiones immediatè versantur: vt Temperantia & fortitudo; item mansuetudo, atque aliæ iis adiunctæ: aliæ verò, quæ in voluntate insunt, & circa operationes versantur, vt sunt Iustitia, liberalitas, & magnificentia, aliæque his similes, propriè sunt in Deo. Ita S. Thomas 1. p. q. 21. a. 1. in corp. & ad 1. ex comm. & intelligitur posterior pars non de omnibus virtutibus, quæ Iustitiæ annectuntur, sed quæ, cum nullam specialem rationem imperfectionis formaliter contineant, quoad hoc similes sunt Iustitiæ; vt mox speciatim de misericordia dicetur. Interim Religione, obedientiâ & si quæ sunt aliæ similes, quæ formaliter superiorem respiciunt; vti & studiositatem, quæ studiosam voluntatem discendi & cognoscendi significat, &c. aliasque his similes in Deo non esse, per se satis constat. Ratio assertionis est. Quia virtutes prioris generis, cum ex proprio & formali suo genere, circa passiones moderandas versentur, in Deo locum habere non possunt; quandoquidem Deus est expers passionum.

Iustitia autem, & aliæ similes, quæ circa operationes versantur, cum nec ex obiecto suo, nec aliunde vllam imperfectionem aliquam in sua formali ratione inuoluant, rectè ac propriè Deo tribuuntur; vtietiam scriptura ipsa frequentissimè Deo Iustitiam, liberalitatem, & magnificentiam tribuit, vt psal. 10. v. 7. *Iustus Dominus & iustitias dilexit.* psal. 144. v. 17. *Iustus Dominus in omnibus viis suis; & sanctus in omnibus operibus suis.* Ibidem v. 15. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione:* vbi liberalitas Dei commendatur. psal. 8. v. 2. *Eleuata est magnificentia tua super cœlos.* Exod. 15. v. 11. *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?*

14 Et confirmatur ex S. Dionysio cap. 8. de diuin. nomin. vbi ait; *Itaque hoc vere dici potest, potius esse diuinæ Iustitiæ proprium, vanden mulcere & dissoluere virilem optimi cuiusque animum, terrenorum bonorum largitionibus; nec si quis hoc facere conetur, auxilio, præsidioque desertos esse sinere; sed confirmare eos (aduersitatibus) in præclaro, immutabilique statu, eisque qui eiusmodi sunt tribuere pro dignitate. Hæc etiam diuina Iustitia, vt omnium salus laudatur, quod suam cuiusque, & ab alijs solutam ac liberam essentiam atque ordinem conseruet atque tueatur, causaque sit suæ cuiusque rei actionis.* Et ibidem cap. 9. *Quod si quis diuinum eiusdem, aut Iustitiæ nomen, quo scripta diuina vtuntur, pro aequali accipiat, dicendum est, aequum esse Deum, non solum quod partibus non constet, nec vsquam desectat; verumetiam quod ad omnia, & per omnia æque perueniat; & quod ipsius æqualitatis sit author, qua efficit, & omnium aliorum per alia similem progressionem, & eorij, quæ participant, æqualem communionem, procapax cuiusque & parem largitionem, quæ cuique sit prodignitate; quodque omnem æquabilitatem, eam quæ animo cernitur, eam quæ mentis est, quæ rationis, quæ sensus, quæ essentiæ, quæ naturæ, quæ denique voluntatis, præcipuè & continentem in se anticipatam habet; vt & potentia omnis æqualitatis effectrice, quæ omnibus antecellit.* Quibus verbis ea potissimum diuinæ Iustitiæ functio describitur, qua Deus omnibus rebus, iuxta exigentiam & conditionem suæ naturæ, seruata debita proportione, prouidet, ac sua bona distribuit.

Qua de causa etiam S. Thomas cit. quæst. 21. art. 1. corp. Iustitiam solum distributiuam Deo attribuit: commutatiuam autem, *quæ consistit*, inquit, *in em-*

ptione & venditione, & alijs huiusmodi communicationibus vel commutationibus, Deo negat; cum absolutè ait: *hæc non competit Deo, quia vt dicit Apostolus, Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* In quē sensum S. Thomas etiam alijs quibusdā locis loquitur; & sequuntur Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 93. Caietanus hic q. 21. a. 1. & in 2. 2. q. 61. art. 4. Sotus lib. 3. de Iustit. q. 5. a. 4. Bañes hic q. 21. art. 1. vbi suam sententiam mutat, alijque recentiores Thomistæ communiter.

Alij vero, in quib⁹ Durandus in 4. d. 4. 6. q. 1. Valquez hic disp. 86. & ferè Molina, & Zumel hic q. 21. a. 1. vtramq; in Deo propriè ac formaliter esse negat. Alij in quibus Capreolus in 2. d. 27. ad 1 Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 1. Albertinus tom. 1. princip. 1. corall. 18. à n. 36 Suarez 3. p. disp. 4. sect. 5. edit. antiq. & opusc. de Iustitia Dei sect. 2. n. 2. & 27. & sect. 3. n. 33. (vbi quod in edit. noua. 3. partis aliter ex parte visus est docuisse, explicat) commutatiuam Iustitiam propriè Deo tribuunt: quam certè vniuersim & absolutè Deo denegare, non est consentaneū doctrinæ S. Thomæ in alijs locis, vt in 2. 2. q. 61. a. 4. & q. 108. a. 2. & in 3. part. q. 85. a. 3. ad 3. Quem secum ipso ita conciliat Capreolus loc. cit. vt cum negat S. Thomas, merita nostra per Iustitiam commutatiuam à Deo compensari, asserat id intelligendum de actibus meritorijs, vt præcisè emanant ab arbitrio creato; non vero prout simul oriuntur à gratia; adde & promissione diuina nituntur, vt rectè Gregorius de Valentia hic q. 21. p. 1.

16 Aut planius dici potest, S. Thomā, cum hic docet, in Deo propriè non esse Iustitiā cōmutatiuam, locutū esse de contracta & materiali ratione eius Iustitiæ, prout inter homines est; & necessariò aliquā rerum ac dominij, seu Iuris alienationem inuoluit. hoc enim vt sumum, & non plus probat eius argumentum: distributiuā verò propterea esse, quia distributionis act⁹, seruata debita dignitatis proportione, saltem cōmuni quadā ratione propriè in Deo locum habet; cum tamen stricte & adæquatè ac formaliter spectata, secundū propriā debiti rationem, in Deo non sit, vt ex Durando notauit Molina loco cit. Sed de hæc re ex instituto agendū est in 1. 2. de meritis, & in 2. 2. de Iustitia, & in 3. part. de Incarnatione; vbi satis prolixe de hac re agimus tom. 4. disp. 1. quæst. 2. dub. 6.

17 Assertio VIII. In Deo propriè etiā est Misericordia. Ita S. Thomas hic q. 21. a. 3. vbi ait.: *Misericordia Deo maxime est attribuenda; tamē secundū effectū, non secundum passionis affectū.* Quod ita intelligendū est, vt in Deo sit misericordia (quatenꝰ est actꝰ voluntatis) secundū proprium suū actum & munꝰ, non tamē secundū passionis affectū, qui in nobis per accidens solet esse adunctꝰ, & materialiter solum, ac ratione certi subiecti, non per se ac formaliter ad misericordiā pertinet; vtpote quæ ex sua formali ratione, nihil aliud est, quam affectus, seu voluntas subleuandi miseriam alterius. Quæ etiam causa est, cur omnes Theologi propriè Deo misericordiam tribuant, vt rectè Vasquez hic q. 21. a. 3. & Suarez hic lib 3. c. 7. num 15. Plura de hac varietate actuum diuinæ voluntatis, ex virtutum varietate desumpta, Suarez in Metaph. disp. 30. sect. 16. à num. 37.

Assertio IX. Nulla virtus est in Deo sub ratione habitus; sed actus tantū: esto alioquin detur in Deo potentia actiua voluntatis, & intellectus ab actibus ratione distincta, de quo quæst. seq. Ita Capreolꝰ in 1. d. 45. q. 1. & videtur cōmunis. Ratio est. Quia habitus significat aliquā perfectionē potentijs naturalibus superadditam, respectu eorū actuum, ad quos ipsa naturalis potentia per se non est satis expedita ac prompta: in Deo autē ipsamet voluntas & intellectꝰ, seu natura ipsa diuina, ad omnes actiones sibi conuenientes, est connaturaliter promptissima & expeditissima. Qua de causa etiam superius de scientia Dei diximus dub. 1. non esse in Deo scientiam, sub ratione habitus.

DVBIVM III.

Quotuplex sit diuina voluntas, ac specialim de volūtate signi & beneplaciti; antecedente & consequēte; efficace & inefficace: & an voluntas Dei semper impleatur.

S. Thomas 1. p q. 19. art. 6. 11. & 12.

TRes sunt potissimū diuisiones generales ac celebres diuinæ voluntatis. Prima est, qua voluntas diuina alia dicitur *beneplaciti*, alia *signi*. Ita S. Thomas 1. p q. 19. a. 11. ex cōmuni, ac recepta Doctorū sententia. Circa quam partitionem tria notanda sunt. 1

Primum est, voluntatē signi, iuxta S. Thomam ibidē, & cōmunem Doctorum doctrinam, quatenus voluntas signi est, propriè non esse voluntatē, seu volitionē aliquam Dei; sed impropriè tantū, & per metonymiam sic dictam, quod ex suo genere, ac in nobis (sed & plerumq; etiam in Deo, non tamē semper, vt notauit S. Thomas q. 19. a. 12. ad 2. & inferius contra Durandum dicetur) soleat esse signū talis cuiuspiam voluntatis erga rem, quæ dicitur volita voluntate signi: sicut diuina punitio, seu voluntas puniendi in Deo, vocatur impropriè ira; quia illa in nobis solet esse signū iræ, Voluntas autē beneplaciti, iuxta eundē & cōmunem, est voluntas propriè dicta, per quam videlicet res ipsa sic volita verè in se ipsa placet Deo: de qua voluntate, eiusq; actibus actum est dub. 1. & 2. Deus enim hac ipsa voluntate beneplaciti vult omnia, quæ facit. Vnde patet etiam, hanc diuisionē solum esse analogi in analogata, vt rectè Gaietanus hic q. 19. a. 11. & Gregorius de Valentia q. 19 pun. 2. & alij.

Secundò notandum est, voluntatem signi à S. Thoma cit. q. 19. a. 12. alijsque Theologis in 1. d. 45. rursum quintuplicem constitui; à totidem scilicet signis diuinæ voluntatis desumptam; qualia sunt, præceptum, prohibitio, permissio, consiliū, operatio: quæ apud Durandum in 1 d. 45. & Gabrielem d. 46. & Caietanum hic cit a. 12. isto versiculo comprehenduntur. 2

Præcipit ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Vbi prohibitio dicitur volūtas signi respectu rei prohibitæ, non secundum se; sed cum addito, ne fiat. Permissio quoq; non est signum diuinæ voluntatis erga peccatū ipsū, vt malè loquitur Durandꝰ in 1. dist. 45. q 3 n. 7. reprehensꝰ idcirco à Gregorio de Valentia hic q. 19 pun. 2. sed solū erga non impeditionem

peccati.

Digitized by Google

peccati. Cætera qua ratione sint signa diuinæ voluntatis erga obiecta præcepta, consulta, impleta, seu facta à Deo, per se patet. Et adijci his potuisset diuina *comminatio*, præcepto addita: sed quæ licet sub nullo signo voluntatis diuinæ apertè comprehendatur; reuocatur tamen ad præceptum & prohibitionem, tanquam quiddam accessorium, & vis quædam eorum ac neruus. Accedit, quod ista per se ferè non possit esse signum diuinæ voluntatis, nisi aliunde, ex præcepto scilicet, aut prohibitione constet, quid Deus velit fieri, aut non fieri.

Notandum tertiò ex S. Thoma cit. art. 12. ad 1. & 2. posse quidem aliquando de ijsdem rebus in Deo esse voluntatē, tum beneplaciti, tum etiā signi; idq; non vnam tantum, sed etiam multiplicē, puta simul consilij & præcepti, & operationis, &c. attamē formaliter has voluntates semper inter se distingui. Nam operatio, V. G. consilium, præceptum, de re aliqua, semper in Deo supponunt etiam voluntatem beneplaciti (saltem cuiusdam affectus simplicis complacentię) erga rem, quam operatur, consulit, ac præcipit; tamen nec operatio vt sic, nec consilium, neque præceptum propriè sunt diuina voluntas, seu actus eliciti diuinæ voluntatis; sed tantum signa voluntatis. Præterquam quòd Deus præcepto quandoque significat aliquid se velle, vt absolute faciēdum, cum tamen id non velit absolutè fieri, vt patet in præcepto dato Abrahæ de immolando Isaac. Quo modo etiam Deus sæpe apud prophetas comminando significat, se absolutè puniturum peccatores hos, vel illos; cum tamen comminationes sint hypotheticæ, vtrecte Vasquez disp. 83. c. 1.

4 Secunda diuisio voluntatis diuinæ, admodum celebris etiam & vulgata, est illa, qua diuiditur in voluntatem *antecedentem*, & *consequentem*, iuxta S. Thomam q. 19. a. 6. ad 1 & communem, quæ sumitur ex S. Chrysostomo homil. 1. epist. ad Ephes. vbi sub nomine *primariæ & secundariæ voluntatis*, hanc diuisionem tradit. Eandem habet S. Damascenus lib. 1. de fid. cap. 29. & lib. cont. Manich. finali, qui vtrisque nominibus vtitur. Ex quibus etiam receptū hoc ab omnibus exemplū assignatur, quod nimirū antecedente voluntate Deus velit, *omnes homines saluos fieri*, iuxta 1. Tim. 2. consequētia autē volūtate velit, aliquos ob peccata damnari, ex Matth. 25.

Sed quidnam his nominibus significetur, quodque adeo sit diuisum proximum in hac diuisione, controuertitur; & à varijs variè explicatur. Prima sententia est, voluntatem antecedentem eandem esse cum inefficace quadam voluntate signi, voluntatem autem consequentem eandem esse cum volūtate beneplaciti. Ita docent Bannes hic quæst. 19. art. 6. Zumel art. 6. disp. 1. eandemque omnium commodissimam esse (abstrahendo tamen à fundamento, quo nititur) censet Gregorius de Valentia quæst. 19 pun. 2 vbi etiam pro eadem refert Bonauenturam in 1. d. 47. item Scotum, Ockamum, Gabrielem, Heruæum d. 46. quibus Vasquez disp. 83. cap. 1 addit Alensem in 1. p. q. 36. m. 2. Maiorem in 1 dist. 26. Marsilium q. 45. Driedonem de concord lib. arbit. & prædest. 1. par c. 4 & Caietanum in illud Pauli 1. Tim. 2. *Deus vult omnes saluos fieri.*

Fundamentum huius sententiæ potissimum est; quia putant, Deum sola voluntate signi (exhibendo videlicet omnibus, quantum in se est, sufficientia consequendę salutis media; quæ voluntas signi operatio dicitur) velle omnes homines saluari; non autem voluntate beneplaciti; vtpote quam existimant semper efficacem esse, ac re ipsa impleri. Fauet S. Augustinus in pluribus locis, quem citat, & sequitur Ariminensis in 1. d. 46. quæst. 1. & ex parte S. Thomas hic quæst. 19. cit. art. 6. ad 1.

Sed inprimis hæc expositio ad mentem Chrysostomi, & Damasceni, à quibus initio hanc diuisionem acceptam diximus, non est accomodata. Apertè siquidem Damascenus cit. lib. 1. de fid. ait, Deum neutra voluntate velle peccatum; cum tamen peccatum cadat in voluntatem *signi permissiuæ*: vterque etiam vocat voluntatē antecedentem *primariam & propensissimam* quandam Dei voluntatem, vtendo etiam nomine græco εὐδοκία; quod proprijssimè voluntatem beneplaciti significat.

Deinde etiam fundamentum illud, quo authores illi nituntur, falsum est. Potius enim veluti certum supponendum est, Deum voluntate etiam beneplaciti omnibus velle salutem & gloriam; vt satis constat ex cit. scripturæ loco; qui cum nil obstet, propriè intelligendus est; adeoque etiam de voluntate beneplaciti, quæ sola propriè voluntas est, vt dictum. Idem ex Chrysostomo homil. 1. ad Ephes. Prospero lib 2. de vocat: gent. cap. 19 & 25. (licet hic aliter respons. 8. ad capita Gallorum) & Damasceno lib. 1 de fid. cap. 29. alijsque Patribus, ipsaque ratione post Sotum in cap. 9. epist. ad Rom. Catharinum de prædest. fusè probant Molina hic q. 19 art. 6 disp. 1. Suarez de prædestinat. lib. 4. cap. 2. Vasquez cit. disp. 83. cap. 2. & supponunt Gregorius de Valentia hic q 19 pun. 2. & Suarez lib. 3. cap. 8. num. 5. idemque planè sentit S. Thomas hic cit. q. 19. art. 6 ad 1. item Durandus dist. 47. Chartusianus dist. 46. & alij, idemque probabile fatentur Bannes art. 6. & Zumel ibid. disp. 2. 5

Qualis autem sit hic actus voluntatis, quo Deus vult omnes saluos fieri, non satis etiam consentiunt inter se Doctores. Gregorius de Valentia, & Molina, cum S. Thoma, Soto, & Catharino dicunt, esse actum conditionatum ex parte obiecti; quo videlicet Deus omnes homines velit saluos fieri, si modo ipsi velint debita salutis media adhibere; aut eis certè ab alijs adhibeantur. Quod etiam significant Chrysostomus, Ambrosius, Prosper, Theophylactus, Oecumenius apud citatos. Vasquez autē loco cit. c. 4. docet esse actum etiam, ex parte obiecti, absolutum, complacentiæ tamen cuiusdam simplicis, non efficacis voluntatis; qui virtualiter contineat alium actum efficacem, qui esset, si conditio ex parte obiecti requisita poneretur Mihi vtrumq; verum videtur; nihil enim obstat, duos hosce actus ratione nostra distinctos dari in Deo, vt tandem fatetur Suarez cit. lib. 4. cap. 2 n. 10. Aliud est enim actus simplicis complacentiæ de re quapiam; aliud actus per modum insecutionis, & quasi intentionis conditionatæ: nec vnus repugnat alteri, vt etiam Ariminensis, & alij Theologi supponunt apud Suarez num. 9. 6

Qui addit, n. 7. & 8. hunc actū esse liberū; illum vero actū simplicis complacentiæ non posse nisi necessariū dici. Sed & hoc declaratione indiget. Nam complacentia quidem de beatitudine omnium, vt 7

præuisè

præcisè secundũ remotam quandã potentiam possibilis est, actus est sanè necessarius; necad extra quid, quã ponit aut cõnotat: at verò complacentia simplex de eadẽ beatitudine, vt ppinq; secundũ præsentem Dei ordinationem omnibus possibilis est, seu tanquam finis vltimus, ppositus, non est act9 necessari9, vt patet: & de hoc præcipuè in præsenti termo est.

Ex quib9 etiã colligitur, quid de varijs expositionibus Augustini circa eum locũ sentiendum: Prima est, intelligendũ secundum distributionẽ accõmodam, eo quod null9 saluetur, nisi quẽ Deus velit saluari. Ita explicat lib. 4. contra Iulian. c. 8. & lib. de corrept. & grat. c. 14. & lib. de prædest. sanct. c. 8 & in Enchirid. ad Laurẽt. c. 102 & epist. 107. ad Vitalẽ. Secũda est, voculã *omnes* accipiẽdã esse de generibus singulorũ, non de singulis generũ, vt tradit Enchirid. cit. c. 103. & post eum Fulgentius lib. de Incarnat. c. 31. Beda, & Anselmus in eum locũ. Tertia est, *vult*, eo loco, idẽ significare, quod Facit nos velle. sicut, *spiritus postulat pro nobis*, id est, postulare facit. Ita docet lib. de corrept. & grat. c. 15. Quarta est, intelligi de inefficaci voluntate quadã signi, vt tradit de corrept. & grat. c. 15. & admitt. fallo impos. c. 2. & sequuntur Damascenus, Prosper, &c. ità S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. ad 3. & q. 19. a. 6. vbi etiã admittit primam & secundã expositionẽ Augustini. Sed quamuis omnes istę explicationes verũ sensum habeant, & verò etiã vltima ad mentem sit Apostoli, ea tamen non est adæquata expositio eius loci, vt dictum.

8 Secũdo igitur quidã recẽtiores apud Vasquez loc. cit. num. 14. dicunt, voluntatem antecedentem idem esse, quod voluntatem inefficacem; consequentem autem eandem cum absoluta, & efficaci. Aequa non videtur multum in re ipsa dissentire S. Thomas hic q. 19. a. 6. prout quidẽ cõmuniter solet intelligi, vt dicemus; sed potius in modo loquendi.

9 Est ergo tertia explicatio S. Thomæ hic q. 19. a. 6. ad 1. vbi cum fundamenti loco posuisset, multa secundũ se nudè spectata (quæ consideratio rei antecedit ratione sequentẽ) bona esse; quæ per accidens, & in particulari hîc & nunc considerata (quæ consideratio priorẽ sequitur) adeoq; omnib9 spectatis, bona non sunt, aut minus bona sunt; vt retinere merces secundum se bonum est; at verò in naufragij periculo retinere, non itẽ: hominem itẽ viuere, secundum se bonum est; at eos, cum malefici sunt, viuere, bonum non est &c. hoc, inquã posito, ait; voluntatẽ antecedentẽ esse, de re inadæquatè & secundum se nudè spectata; quæ proinde vt sic tantum sit voluntas inefficax rei, & secundum quid: consequentẽ verò de re, secundum omnes suas circumstantias considerata; quæ proinde sit absolutè & simpliciter talis, ac in Deo semper efficax. Atq; ita rectè etiam intellexerunt hactenus S. Thomã, præter Thomistas cæteros, Gregorius de Valentia, Molina, Suarez. Iuxta quam doctrinam de eadẽ re in Deo esse potest voluntas antecedens & consequens, vt de salute prædestinatorum; quamuis & in his nihilomin9 ratione vtraq; voluntas distinguatur: de alijs solum est antecedens, vt de salute reproborum: de quibusdam solum consequens, vt de damnatione eorundẽ. Et quia hæc interpretatio & in re verã doctrinã habet, & tanti authoris est, & communiter à Thomistis, alijsque recentioribus recepta, speciatim à Banne q. 19. art. 6. Molina, Suarez & ferè etiã à Gregorio de Valentia, non est reijcienda. In modo verò loquendi, præsertim extra scholam, sic imitanda, vt cum opus videbitur, addita declaratione, caueatur æquiuocatio. An vero sit exmentẽ SS. Chrysostomi, & Damasceni, quos auctores esse diximus huius distinctionis, mox dicetur.

Variè siquidẽ etiã istorum mens explicatur à Doctoribus, vt videre est apud Gregorium de Valentia, Suarez, Molinã, & Vasquez locis cit. quorum hi duo posteriores putant, S. Thomæ explicationẽ (quam tamẽ aliter Vasquez explicat) eandẽ esse cum S. Damasceni; illi verò secus. Optimè autem Chrysostomi & Damasceni mentẽ exposuisse mihi videtur Suarez cit. c. 8. n. 6. in hunc sensum. Nimirum Deum antecedente voluntate velle, quicquid ex propensione quasi sua, ppria, & primaria (cuius natura bonitas est, & opus proprium misericordia) vult, siue efficaciter, siue inefficaciter; & rursum siue requisita ex parte nostra aliqua conditione, siue nulla. Et sic, inquit Damascenus, Deum velle non tantum omnes homines saluos fieri, sed etiã cætera bona, quæ nostro arbitrio à nobis ipsa fiunt, hoc ipso proinde à Deo efficaciter volita. *Voluntas antẽ consequens*, inquit Damascenus, *ἐναίσιος ortũ ducit*; qua videlicet Deus vult ea, quæ à natura illa ac primaria suæ benignitatis inclinatione, quod eo modo sunt aliena; vt est, punire peccatores ob malefacta. Atq; ita, inquit idẽ Damascenus loc. cit. *primaria Dei voluntas* (quã alias antecedentẽ dixerat) *bonitatis est; secundaria iustitiæ ipsius*. Eodẽ prorsus modo loquitur Chrysostomus. Et hæc expositio, vt in re verissimã, solutijq; plenã habet doctrinã, & à suismet auctoribus grauissimum authoritatis pondus; ita scholasticorum præsertim antiquorum, loquendi vsu parum recepta; ac proinde in modo loquendi, ad cauendã æquiuocationẽ non facile in scholis, sine expositione, vsurpanda. 10

Ex quibus etiã liquet, exempla, quæ multi voluntatis antecedentis vocant, vt quod naufragus velit seruare merces; quod Iudex velit omnes viuere, iuxta expositionẽ istorũ sanctorũ, qui in hac appellatione ad diuinã solũ voluntatẽ respexerunt, non esse ppriè exempla voluntatis antecedentis; nisi quadam accõmodatione, & secundũ pportionem. Secus est, si loquamur de expositione S. Thomę. Iuxta vtramq; verò hanc expositionẽ, adeoq; simpliciter & absolutè fatendum est, imẽdiatũ diuisũ, in hac diuisione, esse ipsã voluntatẽ beneplaciti, vt rectè Gregorius de Valentia, Suarez, Vasquez, & alij locis cit. 11

Tertia nobilis etiam diuisio diuinæ voluntatis est illa, quam tradit S. Thomas cit. q. 19. art. 6. qua quędam dicitur efficax; quædam inefficax. Quæ itidem est diuisio voluntatis beneplaciti, vt rectè Gregorius de Valentia & Suarez loco citato num. 9. cum alijs; etsi suo modo etiam voluntati signi possit accõmodari, vt patet. Ea verò generatim ex scriptura probatur. Nam ad voluntatem inefficacem pertinet illud 1. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*; & 1. Thessal. 4. *Voluntas Dei sanctificatio vestra*: etsi non desint, qui negent, vllam voluntatem beneplaciti esse inefficacem, vt antea circa præcedentem diuisionem dictum. Ad voluntatem efficacem pertinet illud Psal. 103. v. 3. *Omnia quæcunque voluit fecit.* & Rom. 9. v. 19. *Voluntati eius quis resistit?*

Voluntatem autem efficacem Dei vocamus, vt ex dictis colligitur, non omnem voluntatem beneplaciti; nec omnem ex parte obiecti absolutam; potest enim & hæc esse simplicis complacentiæ, adeoque inefficax; vt antea dictum, & rectè Vasquez cit. c. 4. etsi multi aliter loquantur, vt inferius dicetur: sed qua Deus absolutè & simpliciter, omnibus spectatis, aliquid vult esse aut fieri, vt rectè Suarez hic lib. 3. cap. 8. & lib. 4. de prædest. cap. 7. & colligitur ex S. Thoma cit. art. 6. ad 1.

12 Quo modo, licet iuxta mentem & interpretationem S. Thomæ, omnis voluntas antecedens, saltem qua talis, sit inefficax; omnis consequens efficax, ex communi interpretatione Doctorum; licet Vasquez S. Thomam ita interpretetur, vt nomine antecedentis voluntatis comprehendatur etiam voluntas efficax; tametsi iuxta Chrysostomi & Damasceni mentem superius explicatam, vt voluntas quædam antecedens est efficax; vt rectè Vasquez c. 3. & Suarez hic lib. 3. cap. 8. num. 8. & 9. in quem sensum idem etiam opusc. 1. lib. 2. de auxil. cap. 7. nu. 19. ait, voluntatem antecedentem, *tametsi sæpè non impleatur, tamen non rarò etiam impleri*: ita quædam cõsequens; videtur posse esse inefficax; vt voluntas simplex, qua Deus vult omnes peccatores pro meritis punire, iuxta illud Exod. 32. v. 10. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, &c.* Quod tamẽ Moysis intercessione fuit quasi impeditum, certe in opus non redactũ: etsi post alios contrariũ supponat Suarez hic lib. 3. c. 8. n. 8. & 9. ratus, iuxta dictã eorundẽ Patrum interpretationem, omnẽ voluntatẽ consequentem esse efficacem.

Ex quibus etiam colligitur, qua ratione intelligẽ-
13 di sint authores illi qui docent, & veluti certum tradunt, omnẽ voluntatem Dei absolutã efficacẽ esse, vt indicat S. Thomas hic q. 19. a. 6. ad 1. & sequuntur Gregorius de Valentia cit. p. 3. & Suarez cit. lib. 3. c. 8. & l. 4. de prædest. c. 2 & alij. Imo Zumel hic a. 6. disp 1. dicit, esse *conclusionẽ fidei, voluntatem absolutam Dei semper impleri.* Quæ tamen cum ijs, quæ diximus, facile possunt conciliari. Nam absoluta voluntas, dupliciter dici potest; primò qua quis aliquid vult, quocunq; demũ modo, nulla conditione ex parte obiecti addita: & hoc modo fatendũ est, quod ex Vasquio diximus, dari in Deo absolutum voluntatis actum, per modũ simplicis complacentiæ inefficacem. Secundò absoluta voluntas dici potest per modũ absolutæ intentionis, seu electionis eius rei, quam quis simpliciter omnibusq; spectatis velit esse, aut fieri: & hoc sensu loquuntur S. Thomas, & alij citati. Ad vitandam autem æquiuocationem vtrobique rectè addetur explicatio.

Colligitur secundò, an & qua ratione diuina vo-
14 luntas semper impleatur, de quo ex instituto agit S. Thomas cit. q. 19. a. 6. Breuiter ex dictis hæc colligũtur. I. Voluntatẽ signi, quæ dicitur operatio, semper impleri, alias vero aliorũ signorũ voluntates non itẽ. Quod enim operatur Deus, fit vtiq; quod autẽ præcipit, prohibet, permittit, consulit, non fit semper.

II. Voluntatẽ beneplaciti non omnẽ semper impleri; sed eam solum, qua Deus absolutè ac simpliciter, atque adeo omnibus spectatis, vult aliquid esse, aut fieri; vt paulo antea diximus.

III. Nihil vnquam fieri boni, seu quod sit verũ aliquod Ens positiuũ reale, nisi Deo volente, etiã voluntate beneplaciti; vtpote qua voluntate Deus vult omne bonum ex dictis. Id quod etiã de actibus malis intelligendum, qua entia adeoque bona sunt.

IV. Nec malum, seu peccatũ fieri contra omnem Dei voluntatẽ; peccatũ enim licet fiat contra voluntatem beneplaciti; atq; etiã contra voluntatẽ signi, quæ dicitur præceptũ vel prohibitio; non tamen fit contra voluntatẽ signi, quæ dicitur permissio. Malũ verò pœnæ, licet fiat contra voluntatẽ Dei antecedentem, non tamen contra voluntatem Dei consequentẽ. Quo modo etiam S. Augustinus ait in Enchirid. c. 95. *Nihil fit, quod Omnipotens non velit, vel sinendo vt fiat, vel faciendo:*

V. Nec peccatorẽ igitur, dum peccat, subtrahere se vndiq; posse à voluntate Dei; non solũ quia ipsum peccatũ permittitur à Deo, voluntate signi; sed etiã quia peccator refugiens voluntatẽ Dei antecedentem benignam, incidit in voluntatem eius consequentem iustam & punitiuam.

VI. Semper igitur, & in omnibus rebus ac operibus, aliquo modo Dei voluntatẽ impleri; nec quicquã fieri, quod omni ex parte, omniq; voluntati diuinæ repugnet: quod ex eo etiã rectè probat S. Thomas cit. a. 6. Quia voluntas diuina est causa vniuersalis; cuius ordinẽ & actiuitatẽ nullus potest effectus causæ secundæ vndiquaq; effugere; quanquã cum id solũ propriè velle dicatur Deus, quod vult voluntate beneplaciti, rectè simpliciter dici potest, diuinam voluntatem non semper à creaturis impleri: nam & propterea oramus, vt fiat voluntas Dei; nimirũ ea, quæ propriè talis est, ac beneplaciti dicitur. E contrario verò, si quid fit contra voluntatẽ diuinã beneplaciti solũ inefficacem, seu iuxta phrasin S. Thomæ, contra antecedentẽ; cum tamẽ interim sit secundũ voluntatẽ diuinam beneplaciti consequentẽ, vt est punitio peccati, non autẽ ipsum peccatũ, ex dictis; non simpliciter & absolutè dicendum est esse contra voluntatẽ diuinã; cum id simpliciter velit Deus, quod vult omnibus spectatis; adeoq; voluntate cõsequenti, iuxta modũ loquendi S. Thomæ cit. art. 6. ad 1. Quæ oña ex dictis liquent. Posset hic quidẽ agi de alia diuisione diuinæ voluntatis in liberã & necessariam, sed quam dub. seq. inter attributa diuinæ voluntatis commodius persequemur.

DVBIVM IV.

Qualis sit diuina volũtas; seu de attributis diuinæ volũtatis; & quidnã formaliter sit libera Dei volitio.

S. Thom. 1. p. q. 19. a. 3. 4. 7. 10.

TRia sunt potissimũ attributa diuinæ voluntatis, quæ aliquam explicationẽ desiderant. Primum ac generale attributũ diuinæ voluntatis est, quod sit plane imũtabilis, non tantũ entitatiuè & physicè, siue ex parte subiecti; sed etiã moraliter, & ex parte obiecti; siue secundũ habitudinẽ ad obiecta, adæquatè tamen, & secundum omnes circumstantias spectata, vt ex cõmuni & certa docet S. Thomas hic q. 19. a. 7. & supra q. 5. de Deo vniuersim, ac postea quæst. 8. speciatim de scientia Dei diximus.

Ea-

Digitized by Google

Ea vero diuinæ voluntatis immutabilitas nihil obstat, quo minus Deus interim & velit, & reipsa efficiat eas, quas oculis cernimus, rerum mutationes; quin & sæpe factâ rerum mutatione, res aliquas pro aliquo tempore nolit, quas antea & pro tempore præcedenti volebat: quæ voluntas diuersa, dicitur aliquando *pœnitentia* in Deo, metaphoricè nimirum & impropriè, vt ex communi docet sanctus Thomas hic quæst. 19. art. 7. Vtrumque testatur scriptura. Sapient. 7. vers. 27. *Et cum sit una, omnia potest: & in se permanens, omnia innouat.* Et Genes. 6. vers. 6. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, &c.* Nec eadem immutabilitas diuinæ voluntatis obstat, quò minus in DEO maneat potentia, siue *Virtus logica*, vt loquitur Caietanus hic quæst. 19. articulo 7. Seu vt cum alijs loquitur Vasquez eodem artic. 7. potentia seu *virtus physica*, ad volendum oppositum eius, quod voluit, in sensu diuiso, non composito; vt in simili etiam de scientia DEI quæst. 8. dictum.

2 Secundum attributum diuinæ voluntatis est, quod sit causa rerum; nimirum simul cum intellectu, vt docet sanctus Thomas quæst. 19. art. 4. & dictum supra quæst. 8. dub. 10. Est enim Deus agens intellectuale, & liberum in operando ad extra, seu in actionibus transeuntibus. Quocirca etiam ad extra operari dicitur non per naturam, sed per voluntatem. Hoc est; Principium talis operationis est quidem reipsa natura diuina, sed non immediatè, qua est, vel qua talis est, sed vt vult; vt post Sanctum Thomam citat. articulo 4. notauit Caietanus ibidem, Ferrariensis 2. contra gent. cap. 23. & Vasquez disput. 81. num. 1. Quo sensu etiam doctrina hæc certa est, non solum ratione naturali, sed etiam per fidem ex Scriptura Sap. 11. vers. 26. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.* Psalm. 113. vers. 3. & 134. vers. 6. *Omnia quæcunque voluit fecit.* Ephes. 1. vers. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: quicquid Aristoteles, & Auerroes obscurè & ambiguè hac de re locuti videantur, vt videre est apud Vasquez disp. 81. cap. 1.

Controuertitur hic, voluntásne sit propinquior causa rerum, an intellectus? Posteríus affirmat Caietanus q. 14. a. 16. item Bannes, Zumel, & alij recentiores Thomistæ hic quæst. 19. art. 4. eademque fuit quorundam veterum sententia, apud Durandum in 2. d. 45. q. 2. Ratio est. Tum quia exemplar, cum efficax est, immediatius concurrit ad effectũ, quam causa illud applicãs, vt patet in figillo manu impresso: exẽplar vero pertinet ad intellectum; applicatio ad voluntatẽ, &c. Tũ quia post actũ intellectus directiuũ, & inclinatiuũ volũtatis, sequitur, vt aiunt, etiam in intellectu diuino, alius actus intellectꝰ per modum imperij, deferens impetum voluntatis ad facultatem exequentem.

3 Proximas autem partes voluntati tribuunt Durandus loc. cit Suarez hic lib. 3. c. 9 n. 2. & Vasquez disput. 81. numero 8. Et hæc sententia verior est. Probatur. Sic enim accidit in agente intellectuali creato; in quò intellectus in operando solum dirigit voluntatem; voluntas autem ita directa inclinando immediate mouet ad operandum potentiam executiuam; ita vt inter actum externum potentiæ executiuæ, & actum voluntatis ad hoc inclinantem, nihil medium intercedat.

Ad primùm respondetur. Ideam quà idea est, non imediatius concurrere ad opus, quam voluntatem: quia idea sola imaginem & formã exhibet rei faciendæ; quæ vt reipsa fiat, accedere & subsequi debet voluntas; cum præsertim idea sit rerum etiam, quæ nunquã fiunt, ex dictis q. 9. Sigilli autẽ respectu sigillationis, & intellectꝰ diuini respectu operis externi, nulla est ad propositũ ꝓportio & comparatio: quia sigillum in genere causæ efficientis, est per se & immediata causa sigillationis; manus tantum applicans, & per accidens: Secus est de intellectu ac voluntate, comparatis ad effectum externum ab ijsdem procedentibus; cum non intellectus tantum diuinus, sed etiam voluntas sit per se causa effectus transeuntis ad extra; qui tamen à voluntate, vt dictum, immediatius procedit.

Ad secundum respondetur, nec in Deo, nec in homine, seu intellectu creato, dari imperij actum, qui non sit aliquod iudicium intellectus dirigens voluntatem, vt suo loco 1. 2. dicetur. Sed & imperium, prout est peculiaris actus humanus, iuxta S. Thomam in 1. 2. q. 17. a. 3. ad 1. solum datur respectu potentię executiuæ, quæ tamen ipsa eo imperio ad operandum non mouetur, nisi interueniente alio actu voluntatis impellente, qui vsus dicitur: adeo vt inter imperium, & actionem potentiæ executiuæ, necessario intercedat actus ille voluntatis, qui vsus dicitur, & immediatius proinde ad operandum concurrit, quam imperium; vt docui etiam disput. de actibus humánis in genere, thesi 16. & 17. & fusius tom. 2. disp. 2. q. 3. dub. 3. & 5. Præterquã quod nonnulli distinctum actum imperij simpliciter negent, in quibus Vasquez 1. 2. disp. 49. cap. 4. tamen contra communem Aristotelis 6. Ethic. 10. & 12. & contra S. Thomam 1. 2. q. 17. art. 1. & 2. 2. q. 83. a. 1. nonnulli saltem in Deo negant, in quibus præter Vasquium hic 1. p. disput. 81. numero 9. est Suarez de prædestin. lib. 1. cap. 16. De qua re disp. seq. plura. 4

Tertium atributum diuinæ voluntatis est, quod respectu suorum obiectorum, siue secundum tendentiam & habitudinem ad sua obiecta, partim sit necessaria, partim libera; adeo vt quædam velit naturaliter, ac simpliciter necessario; alia liberè & non necessario, nisi ex suppositione, & quadam necessitate immutabilitatis. Ita S. Thomas q. 19. a. 3. ex communi & certa Doctorum sententia. Siquidem Deus creaturas secundum Esse actuale existentiæ, adeoque efficaci actu voluntatis, vult liberè, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem: naturaliter autem, ac necessario vult & diligit seipsum, vt docet S. Thomas ibidem, & omnes fatentur. Idem dicendũ de creaturis secũdum Esse possibile; nam & has Deum necessariò simplici quodam & inefficaci actu complacentiæ diligere, constat ex dub. 1. & cum Scoto in 3. d. 32. Richardo, & Dionysio in 1. d. 45. & Caietano infra q. 34. art. 3. rectè docet Vasquez disp. 79. c. 2. & disp. 152. cap. 1. 5

Digitized by Google

Nec aduersatur S. Thomas cit. quæst. 19. ar. 3. vbi vniuersim pronuntiat, Deum creaturas liberè velle & diligere: loquitur enim de creaturis, vt actualiter aliquando existentibus; siue de amore ac voluntate efficaci creaturarum, vt satis colligitur ex responsione ad 6. vbi allatum discrimen inter voluntatem Dei, & scientiam, respectu creaturarum, intelligendum est de scientia non visionis, sed simplicis intelligentiæ; vt notauit etiam Caietanus ibid. & satis per se constat: cum tamen alias, si ex æquo, & seruata debita proportione scientia Dei cum voluntate comparetur, nimirũ scientia simplicis intelligentiæ, cũ amore simplicis cõplacentiæ erga creaturas possibiles; scientia visionis cũ efficaci voluntate creaturarum existentium; seu vt existunt, quoad libertatẽ, par vtriusq; sit ratio; cũ actus prior vtrinq; necessarius sit; posterior liber; hoc solo quasi materiali discrimine, quod scientia visionis supponat rerum existentiã; ac proinde saltem ex ea suppositione, non possit non esse in Deo; voluntas efficax nõ supponat rerũ existentiã, sed efficiat; ac proinde quia ex nulla eiusmodi procedit hypothesi, magis quodammodo sit libera, quã scientia, quę saltẽ ex dicta hypothesi necessaria est in Deo. Quo modo fortasse intelligi potest S. Thomas loc. cit. vbi discrimen inter scientiam & voluntatem diuinam creaturarum assignat.

6 Vbi tamen notandum, magnum esse discrimen inter libertatem nostræ voluntatis & diuinæ. I. quia nostra voluntas, tam quoad exercitium, quã quoad specificationem actus, ita libera est, vt possit etiam tam ad malum, quam bonum declinare; Dei autem voluntas ad malum inclinare & flecti nullo modo potest.

II. Nos ita liberi sumus in actibus voluntatis, vt possimus etiam liberè cessare ab actu semel cõcepto; Deus non item: quia voluntas ipsius vti & natura, penitus immutabilis est, ex dictis. Quanquam cum ab æterno potuerit creaturas efficaci voluntate non velle; neque vero etiam præsens hæc volitio creaturarum sit, neque perduret, nisi ex libera determinatione ipsius voluntatis, quæ semper eadem & immutabilis perseuerat, immutabilitas illa diuinę voluntatis nihil obstat eiusdem libertati, quoad exercitium.

7 III. Nos quoad exercitium possumus suspensam penitus habere ac retinere voluntatem, adeoque merè negatiuè nos habere, respectu huius vel illius obiecti voliti: DEVS vero non item; esset enim hoc cuiusdam potentialitatis, adeoque imperfectionis; quando etiam nobis talis negatio non contingit, nisi vel ex incogitantia obiecti; vel imperfectione ac difficultate deliberandi; aut quia certè ad nos ea, quæ talia sunt, vtcumque in rerum natura existant, nihil pertinent; quorum nihil de Deo dici potest. Quod tamen interim non obstat, quo minus per quàndam mentis nostræ præcisionem, recte quandoque diuina voluntas, in aliquo signo rationis, indifferens, & quasi neutraliter se habens possit considerari.

IV. Denique amor creaturæ est liber; etiam quantum ad Esse, non solum quantum ad terminari tali modo, & ad tale obiectum; suppositа eius existentia in particulari: at vero diuinus amor erga creaturas liber est, quantum ad terminari, non quantum ad Esse, vt rectè notauit Suarez Metaph. disp. 30. num. 41 & inferius patebit.

Vtrum autem libera Dei voluntas etiam *contingens* vocari possit, quæstio nominis est. Affirmat Scotus in 1. d. 39. q. vn. quem idcirco reprehendit Caietanus hic q. 19. art. 3. sed non male defendit Vasquez disp. 79. cap. 3. num. 16. eo quod contingentia vniuersim ac necessario non magis includat mutabilitatem, quam libertas.

Ex quibus etiam constat, in Deo esse liberum 8 arbitrium, vt docet S. Thomas q. 19. a. 10. id quod de fide certum est apud omnes, contra Wicleffi articulum 27. damnatum in Concilio Constantiensi sess. 8. Patet ex illo Ephes. 1. v. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius; qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et passim in scriptura Deo tribuitur consilium & electio, qui actus liberum arbitrium, adeoq; libertatem in voluntate supponũt. Ratio est. Quia Deus secundum suum Esse & operari, penitus est independens ab existẽtia actuali creaturarum; seque ipso beatus, ac sibi vndiquaq; sufficiens. Ergo actualẽ existentiã creaturarũ non voluit nisi liberè; sicut etiã nõ fecit, nisi liberè. Accedit, quod liberũ arbitriũ est perfectio simplex, quę, pinde Deo denegari non potest, vt pluribus dicetur dub. 6.

Sed celebris dubitatio & difficultas est, quidnã formaliter sit libera volitio Dei, quidque superaddat essentiæ diuinæ: eademque est ratio scientiæ visionis creaturarum, quam itidem in Deo liberã esse diximus q. 8. dub. 10. Qua in re omisso absurdo & insulso errore cuiusdã recentioris Caluinistæ, q in suo Tractatu de Deo docuit, decreta eiusmodi libera Dei, esse accidentia quædam ab ipsius substantia longè diuersa, nec simpliciter æterna, licet ante mũdi creationem fuerint producta; qui error ex dictis q. 2. dub. 2. & q. 3. du. 1. & q. 5. dub. 1. refellitur: inter Catholicos scriptores prima sententia est, quã referũt Ariminẽsis, & Capreol9 in 1. d. 45. & indicat Altisidorensis 1. p. Sum c. 13. eiusmodi actus nihil in Deo esse, vel dicere, præter relationẽ rationis, seu extrinsecã denominationẽ, ab ipsa actione Dei transeunte circa creaturas.

Sed est sententia falsa & erronea, vt recte cum 9 alijs Suarez Metaph. d. 30. sect. 9. n. 5. Primò quia hac ratione Deus, nõ nisi impropriè diceretur velle creaturas; quod tamen est contra scripturam, ex dictis. Sequela constat: quia nuda relatio rationis ad obiectum volitum, aut cognitum; aut sola denominatio extrinseca ab actione Dei transeunte, circa creaturas volitas, aut cognitas, nõ est vera & propria voluntas; quæ aliquid positiuum, reale, & intrinsecum significat. Secundò, quia non omne velle Dei liberum necessario inuoluit aliquã mutationem, saltẽ realẽ, circa creaturas; & per consequens nec actionẽ transeuntẽ realem. Exemplũ 5 v.g. est in lege Moysis, quã libere voluit Deus validam esse & obligatoriã, vsq; ad mortem Christi; postea vero obligatoriam non esse; cum tamẽ interim circa obiectum hoc volitum legis Mosaicæ nulla realis mutatio, nec adeo etiam actio trãsiens vlla interuenerit. Tertio, amare, scire, ex sua com-

Digitized by Google

munissima ratione, sant actiones vitales; adeoque denominationes reales & intrinsecæ; ac proinde non solæ relationes rationis, vel denominationes extrinsecæ.

10 Secunda sententia est Caietani hic q. 19. a. 2. & 3. vbi docet, has actiones formaliter dicere & superaddere diuinæ essentiæ aliquam perfectionem intrinsecam, liberam tamen & voluntariã, adeoq; *diminutam*, cuius carentia nullam inuoluat imperfectionem; ita vt perfectio illa secundũ se etiam, & suam entitatem libera sit in Deo; adeoque formaliter distincta ab essentia.

Sed & hæc sententia communiter ab omnibus, etiã Thomistis, alijsq; recentiorib⁹, tanquã absurda, malè sonans, & parum tuta in fide merito reijcitur; speciatim à Ferrariensi lib. 1. cont. gent. c. 75. Banne & Zumel hic q. 19. art. 2. Gregorio de Valentia q. 19. punct. 3. Molina q. 19. a. 2. disp. 2. Suario in Metaph. cit. disput. 30. sect. 9. num. 11. Vasquio disp. 80. cap. 1. Ratio est. Quia inde sequeretur, Deum non esse ens vndiquaque necessarium, nec simplex. Illud, quia aliqua intrinseca perfectio & entitas in Deo libera esset. Hoc vero; quia quod formaliter ens positiuum est, & altero manente, secundum se, & suammet entitatem positiuam formalem, potest abesse, necesse est ab eo à parte rei distingui: id vero quod constituitur ex eiusmodi perfectionibus, à parte rei distinctis, non potest esse plane simplex & incompositum.

11 Tertia sententia est, eiusmodi actus liberos formaliter dicere tum ipsam essentiam diuinam, sub ratione actus vitalis, puta volitionis vel intellectionis absolutæ, nullamque adeo realem relationem ad obiecta creata includentis; tum aliquam denominationem extrinsecam, seu habitudinem rationis, secũdum quã vel actualiter, vel quasi potentialiter nostro intellectu referatur, ad hoc potius, quã ad illud obiectum: & hanc ipsam adeo solum relationem rationis, seu denominationẽ extrinsecam, aiunt auctores hui⁹ sententiæ, superaddere actus illos Dei liberos ipsimet essentiæ diuinæ: licet interim actus liberi, non solam hanc relationem rationis, seu denominationem extrinsecam significent, sed simul etiam ipsam diuinam essentiam, vt dictum. Atque ita docet Capreolus in 1. distinct. 45. & videntur sequi Gregorius de Valentia citat. quæst. 19. punct. 3. Molina quæst. 19. articulo 2. disputat. 2. Vasquez disp 80 cap. 2. alijque recentiores communiter.

12 Sed & hæc sententia non exiguas patitur difficultates. Tum quia relatio rationis actualis, non potest esse de ratione actus æterni, & in se penitus absoluti; quocirca etiam suprà diximus, eum qui videt Deum, vt est, non necessariò intelligere eius habitudinem ad creaturas. Tum quia prius est, velle creaturas, quam has ad Deum, aut Deum ad illas actualiter referri; cum ipsa volitio diuina sit causa creaturarum, adeoque & relationum, & denominationum, quæ in ipsis fundantur: scientia autẽ libera visionis etsi non sit causa, nec ratione prior ipsis creaturis existentibus, est tamen ratione prior relatione rationis inde subsequente; sicut & denominatione extrinseca, qua creatura dicitur cognita. Ex quibus plane efficitur, nec relationem rationis; nec denominationem extrinsecam, qua creatura dicitur volita aut cognita, spectare ad rationem intrinsecam liberæ volitionis, aut scientiæ diuinæ.

Quod si quis dicat, relationem rationis fundamentaliter tantum esse de ratione huius volitionis aut scientiæ, tum redit quæstio de ipso fundamento, quid sit. Cum enim non possit esse in creatura, tanquam natura posteriori ipsa volitione libera Dei, vt dictum, fatendum est, esse in ipso Deo, & quidem aliquid reale positiuum; ergo vel liberum, vel necessarium. Si hoc, quomodo potest esse fundamentum liberæ volitionis & denominationis? si illud, tum incurritur in sententiam Caietani, superius reiectam. Vnde Suarez n. 351 & Vasquez lo. cit. oppressi difficultate huius quæstionis, fatentur tandem, scire se quidem, quid non sit hæc libera determinatio, seu liber actus vitalis in Deo: quid autem sit, non satis se scire. 13

Ad hanc difficultatem, quasi melius declarãdo tertiam hanc sententiam, Respondeo breuiter & distinctè. I. Actum liberum tam voluntatis, quam scientiæ diuinæ, essentialiter & in recto esse ac dicere ipsam essentiam diuinam, sub ratione actus vitalis intrinseci: quod est contra primam sententiam.

II. Hunc actum vitalem in Deo, præter entitatem essentiæ diuinæ, nihil superaddere reale & intrinsecum Deo; quod est contra secundam sententiam: etsi præter conceptum essentiæ, dicat tendentiam ac terminationem ad hoc, vel illud obiectum liberè volitum, aut scitum.

III. Tendentiam illam liberam in Deo, includere quidem simul denominationem extrinsecã, 14 secundum quam creatura terminet diuinam volitionem, aut cognitionem liberam; sed ipsam tamẽ per se non esse meram denominationem extrinsecam in Deo, neque relationem rationis; sed realem, intrinsecam, ac vitalem motionem seu exercitium actus vitalis, ad hoc vel illud obiectum libere volitum, vel cognitum tendentis; non tamẽ ab ipsa essentia, seu actu eius vitali, à parte rei distinctam; neque realem relationem ad creaturas volitas, aut cognitas includentem.

IV. Actum vitalem liberũ in Deo, præter essen- 15 tiam diuinam, sub ratione actus vitalis, tendentis ad hoc vel illud obiectum volitum, vel amatum, & denominationem illam ex trinsecã obiecti terminantis, non includere formaliter & intrinsecè vllam aliam denominationem extrinsecam, obiecti voliti vel cogniti, neque etiam vllam relationẽ rationis; licet vtrumq; hoc, tam denominationes scilicet illæ extrinsecæ, quam relatio rationis, ex actu illo vitali libero consequantur.

V. Fundamentum huius relationis, & formã denominantem obiectũ liberè volitũ vel cognitum, esse ipsamet essentiã diuinã, sub ratione actus vitalis liberè tendentis ad hoc vel illud obiectum volitum, aut cognitũ; qui actus tametsi secundũ entitatem suam ens plane necessarium sit, liber tamen est quoad exercitium, seu actualem tendentiam & terminationem ad hoc, vel illud obiectum.

VI. Voluntatẽ Dei liberam determinare ad exer- 16 citium actuale volendi potius creaturas, quã non

Digitized by Google

volendi, seipsam, per volitionem quandam virtualem, in quodam priori signo rationis, antecedentē ipsum exercitium actus, seu actualem tendentiam volitionis in illud obiectum. Hæc declaratio videtur esse ex mente Suarez & Albertini locis cit. & probatur sigillatim quoad singula capita.

Et primum quidem, contra primam sententiā, satis constat ex dictis, in refutatione eiusdē sententiæ. Hoc ipso enim quod libera Dei volitio & scientia dicit aliquid intrinsecū Deo, non potest esse aut dicere aliud, quam ipsam diuinam essentiam; non quidem formaliter, ac iuxta nostrum concipiendi modū, sub ratione essentiæ; ex dictis de attributis in genere; Ergo sub ratione actus vitalis volendi, cognoscendi; qui actus formaliter, illis nominibus significantur.

Secundum quo ad priorem partem patet ex refutatione secundæ sententiæ: quoad posteriorē vero partē, patet ex dictis; quia cū eiusmodi volitio, aut scientia libera dicat ipsam essentiā diuinā, sub ratione actꝰ vitalis in actu secundo exerciti, necesse est, vt formaliter includat rationem tendentiæ, seu (qualisqualis illa sit) terminationis ad hoc, vel illud obiectū volitū, aut scitum: cū id sit cōmune oñi actui vitali volitionis & cognitionis, & de intrinseca ratione cuiusque, vt tendat ac feratur in hoc vel illud obiectum volitum, aut cognitum: quæ tendentia significari etiam potest nomine terminationis actiuæ.

17 Tertiū dictū, quod ad primā partē attinet, probatur; quia actū vitalem tēdere & ferri in obiectū, & obiectū terminare actum, sunt ratione simul, sicut duo relatiua, neq; vnū potest esse sine alio; cū ergo hoc, quod est obiectū terminare volitionem, respectu ipsius volitionis, sit denominatio quasi quædā extrinseca; recte dicitur volitionē, eiusq; vitalē tendentiā in obiectū includere denominationē illā extrinsecā, secundū quā creaturæ terminet volitionem & cognitionem liberā. Secundam partē eiusdem dicti indicat Suarez l. c. vbi distinguit inter actū diuinū volitionis creaturarum, & exercitiū eius; nec per exercitiū actus videtur aliud intelligere, q̄ actualē tendentiā in obiectū. Albertinus to. 1. princ. 6. corol. 2. q. 2. n 33. tendentiā illā vocat *exercitium vitale liberū actus*; quod vtique ab ipso actu re ipsa nullo modo distinguitur. Vnde eadem pars probatur; quia vitale exercitiū actus, quo nimirum actus ipse vitalis actualiter fertur in obiectū; non est sane mera denominatio extrinseca; nec relatio rationis; cum actꝰ plane realiter ac vitaliter in obiectū suum feratur. Qui vero authores dicunt, aut significant, terminationē solū esse denominationem extrinsecā actui; per eā non intelligunt ipsum exercitiū vitale actꝰ, siue tendentiam eius in obiectum, quā terminationē actiuam ad obiectum vocauimus; sed terminationē obiecti, qua actus vitalis ab obiecto terminatur. Tertia pars patet ex secundo dicto. Quarta pars patet ex generali doctrina de relationibus Dei ad creaturas, quas solum esse rationis, diximus supra quæst. 6. dub. 8.

18 Et vero est, quoad hoc vtrumq;, discrimen inter volitionem diuinam, & creatam: huius enim tendentia vitalis in obiectū, & distinguitur re ipsa à natura viuente, nō minus quā ipse actus vitalis, in quo ea tendentia includitur; & simul continet habitudinem realem ad obiectum: quod de diuina volitione, seu actu vitali dici non potest. Neque ideo, quod tendentia diuinæ volitionis & cognitionis in obiectum, est realis, sequitur actum ipsum habere relationem realem ad obiectum; quia tendētia illa non est relatio, sed in Deo vis absoluta vitalis & intrinseca actus: licet sit fundamentum relationis rationis subsequentis: sicut etiam creatio est realis actio diuina, circa obiectum creatum: neque tamen includit, aut supponit relationem realem Dei ad creaturam.

Quartum dictum probatur. Quia in omni actu 19
volitionis & cognitionis, denominatio extrinseca, secundum quam obiectum dicitur volitū aut cognitum, posterior est ipso actu volitionis & cognitionis, tanquam formā denomināte; ac proinde ad essentiam & rationem formalem actus eiusmodi vitalis non pertinet. Multo minus ad rationem intrinsecam actus vitalis pertinet relatio rationis, quæ ipsa etiam denominatione extrinseca quodammodo posterior est.

Quintum dictum, quoad priorem partem, interminis tradit Albertinus comu. princ. 6. corol. 2. q. 2. n. 33. vbi contra Vasquez recte docet, fundamentum huius respectus rationis, quo liber actus volitionis diuinæ liberæ respicit creaturam volitā, seu quo obiectum dicitur & concipitur liberè volitum aut cognitum, non esse, vt existimat Vasquez 1. p. d. 80 ipsas creaturas, sed ipsum exercitium vitale vt liberum, seu tendentiam vitalem, vt liberā, quam diximus esse in Deo. Et ratio est. Quia respectus iste antecedit effectum creatum; quod nō contingit in respectu creatoris, qui subsequitur rem creatam, vt bene aduertit etiam Henricus quodlib. quæst. 1. Posterior pars est communis Doctorum, quos citauimus: qui propterea dicunt, amorem diuinum erga creaturas esse liberū, quantum ad terminari, non autem quantum ad esse, vt speciatim loquitur Suarez, Albertinus, & alij; etsi Vasquez cit. disp. 80. cap. 2 num 3. absolute neget, in Deo esse actum liberum, qui possit in eo non esse.

Esti vero ea pars directè probari aliter non pos- 20
sit, quam ex refutatione aliarum sententiarum, & ne in aliquod eiusmodi absurdum incidatur, vt dicatur, aut volitio Dei libera nulla penitus esse in Deo perfectio intrinseca; aut aliqua intrinseca in Deo perfectio, etiā secūdum suā entitatē esse contingens, aut non necessaria, fatendum est, volitionem diuinam liberam, esse quidem ipsam entitatē diuinæ essentiæ, atq; amoris Dei erga seipsum; quę etiam sub hac ratione Ens sit necessarium: ac vero eandem volitionem in Deo, secundum rationem tendentiæ actualis & terminationis ad hoc, vel illud obiectum creatum, esse liberam.

Quod nō videbitur incredibile cogitanti, essentiam diuinam, ob infinitatē suam, tantę esse perfectionis, vt per seipsā, absq; additione nouæ perfectionis, tantundē possit, quantū si adderetur noua perfectio; atq; ita fieri posse, vt cū entitatiuè quidē sit Ens vndiquaque necessarium, tamē secundum rationem exercitij & tendentiæ actualis & vitalis,

atque,

Digitized by Google

atque habitudinem, ad hoc vel illud obiectum liberè volitum, aut scitum, non sit ens necessarium, sed liberum: quæ tendentia & habitudo, etsi non sit de formali ratione ipsius essentiæ diuinæ, velut entis in se absoluti; necessaria tamen est, & à nobis necessariò concipi debet, ad hoc, vt sub ratione talis vel talis actus vitalis, ad hoc vel illud obiectum concipiatur.

21 Et quamuis nulla forma creata & finita eadem omnino, & omnibus alijs à parte rei imutatis possit alium atque alium effectum formalem dare: tamen eadem infinita entitas Dei, ob suam infinitatem, potest secundū se penitus imutata, imo nulla vspiam reali mutatione in præsenti adhuc interueniente, (esto volitio efficax creaturarum inducat mutationem aliquam in creatura futurā) & volentem hoc obiectum creatum, & non volentē constituere; ita vt ab æterno fuerit in potestate Dei (prius ratione, quam se ipsum determinaret ad alterutram partem) per hāc entitatem indiuisibilē, prorsusq; imutatam tendere in obiectum, & non tendere: quæ res quidem mysterio plena est, sed digna Maiestate & celsitudine diuinæ essentiæ.

Simile quiddam cernimus in sustentatione hypostatica personæ Verbi, cum natura humana; vbi sustentatio hæc vtique non solum est rationis, aut mera denominatio extrinseca; sed vera & realis terminatio Verbi ad naturam humanam vnitā: & tamen in hypostasi diuina nullam penit⁹ de nouo mutationem, aut nouæ perfectionis accessionem significat; quia nimirum Verbum diuinum ob suā perfectionem tantundem potest, quantum si nouā ei quælibet perfectio accederet.

22 Sed & in rebus creatis, tametsi nullū vndiquaq; simile exemplū reperiamus, sunt tamen hæc duo non parum similia, iuxta probabilem multorum philosophiam. Primum est. Quod actus vitalis visionis v.g. poni possit in lapide, in quo tamen vim & exercitium actus vitalis (quæ est tendentia vitalis & actualis in obiectum) in actu secundo non exerceat: qui tamen idem numero actus si ponatur in subiecto vitali, saltem cum emanatione & influxu vitali ipsius subiecti in actum, statim exercitium & officium actus vitalis re ipsa exercebit. Imo sunt, qui existimant, fieri posse (in quibus est etiam Albertinus l. cit.) vt idem actus vitalis à solo Deo constituatur etiam in subiecto vitali, v.g. in homine; & tamen officium & exercitium actus vitalis non exerceat; nisi nouo influxu ipsius potentiæ vitalis conseruetur: & in vtroque hoc casu; actus vitalis secundum entitatem suam ipsi subiecto necessitate ineſt; cum tamen tendentia vitalis in obiectum non sit necessaria; imò in priori casu nec possibilis: multò magis ergo in Deo fieri potest, vt actus vitalis volitionis, aut cognitionis, secundum entitatem suam, aut etiam respectu certi obiecti, sit necessarius; cum tamen secundū tendentiā actualem (quæ ab Albert. & Suarez vocatur actuale exercitiū) respectu alterius obiecti nō sit necessarius, sed liber. Dissimile tamē est, quod ille act⁹ vitalis creat⁹, dū aliter & aliter afficit subiectū, reuera aliquā saltē accidentalē subit mutationē, cū vel in alio & alio subiecto constituitur; vel certe alio & alio influxu conseruatur, &c. quod in actu diuinæ volitionis non accidit.

Aliud exemplum est in relationibus creatis, v.g. 23
relatione paternitatis; quæ cum ex probabili quorundam philosophia nū re, sed solū ratione ratiocinata distinguantur à subiecto, & fundamento, v.g. à natura seu potentia generatiua, adeoq; suam omnem entitatem habeant in subiecto, etiam proxima ratione fundandi, aut termino nondum existente; nihilominus tamen officium & actum relationis actualis non exercent, nisi posita ratione fundandi, v.g. generatione actiua, & termino; qui est filius. Si itaque vna & eadem entitas creata potest in subiecto exercere actum referendi, & non exercere, absque omni mutatione reali intrinseca; cur non multò magis diuina essentia possit liberè terminari in hoc vel illud obiectum; etiamsi quoad entitatem suam sit ens necessariū. Dissimile illud exemplum tamen est, quod in relationib⁹ saltē extrinsecus aliqua mutatio requiratur, & præsupponitur, vt entitas relationis in actum secundum 1
referendi redigatur; cum tamen ad volitionem diuinam (quæ æterna est) nulla eiusmodi mutatio prævia requiratur; nimirum ob infinitatem suæ perfectionis, quæ à nulla re creata dependet.

Atque ita tandem hanc difficultatem dissoluere 24
videtur Suarez Metaph. d. 30. 9. n. 11. & fusius ex eius mente declarat Albertinus loc. cit. qu. 2. Theolog. & fauet S. Thomas hic q. 19. a. 2. ad 4. & art. 5. & præcipuè art. 3. vbi expresse docet, *nihil perfectionis accrescere Deo, ex eo, quod velit alia à se*; quod etiam ex instituto docet 1. cont. gent. cap. 76. idque ipsum præcipuè intendit Scotus in 1. d. 39. & Heruæus quodlib. 1. q. 1.

Sextum dictum tradit Albertinus l. cit. n. 26. & 33. Et probatur. Quia etiam in potentia creata libera, necessariò tandem deueniendum est ad eiusmodi volitionem virtualem, antecedentē ipsum actū liberū, per quā ad actū seu volitionē liberam voluntas determinetur. Neque enim primò determinatur per ipsum actū, seu influxum actualem in actū; quando ad ipsum actū & influxū iam determinatū prævia determinatio necessaria est: neque per actū imperij; qui si necessitatio nō secum trahit actū liberum, de quo sermo est, non potest ad vnū determinare; si autem eum necessario secū trahit, ne tollat libertatem, necesse est, potentiam liberā ad eū, velut actū liberū, aliunde determinari. Ergo ne detur processus in infinitum, aut tollatur libertas: necesse est admittere volitionem virtualē, qua voluntas prior ratione & natura, quam eliceret actum liberum, potuerit tā actum illum, quem postea elicit, quā oppositum, seu contradictoriū illi⁹ elicere, vel facere; vt etiam communiter admittunt Doctores. Igitur etiam in Deo prius intelligitur esse in potestate ipsius, exercere actū volendi, vel non volendi, quam sit ipsum exercitium actus. Quod etiam indicat Aureolus in 1. d. 47. q. 1. art. 1. cumait in potestate Dei esse, velle & non velle; *& ipsum velle non exposcere aliquem actū determinatū, sed plenitudinē perfectionis*; in qua nimirū volitio illa virtualis prævia cōtinetur. Atq; hæc de obscurissima hac, & absurdissima difficultate satis.

Poterant quidem tribus attributis necessitis diuinæ volūtatis, ad hæc alia duo adiungi; nimirum

quod voluntas diuina sit rationabilis & ordinata; item quod quibusdam rebus necessitatem imponat, alijs vero non item: sed quia hæc peculiares suas difficultates habent, seorsim sequentibus dubijs explicabuntur.

DVBIVM V.

An, & qua ratione diuina voluntatis sit rationabilis; seu an sit aliqua causa, vel ratio diuinæ voluntatis; & quisnam in actibus ipsius sit ordo.

S. Thomas 1. p. q. 19. a 5.

1 IN hac re certum est primò, nullam dari causam diuinæ voluntatis propriè dictam; nec finalem quidem, seu in ipso Deo, seu extra Deum, vt ex certa & communi omnium sententia post sanctum Augustinum lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 2. docet S. Thomas hic q. 19. a. 5. Ratio est. Quia omnia quæ in Deo sunt (seclusis relationibus personalibus, quæ ad propositum nihil faciunt) simplicissima quædam entitas sunt: inter causam autem propriè dictam, & effectum requiritur distinctio realis. Nec Deus igitur, nec aliquid quod in Deo est, habet aut exercet rationem & officium causæ finalis propriè, respectu ipsius interni actus volitionis, aut cognitionis diuinæ, secundum se. Nec etiam aliquid extra Deum: quia Deus, secundum suum Esse à nulla re creata, aut quæ extra ipsum sit, dependet, aut dependere potest; eum sit ens primum & independens, vt superius dictum.

Secundò certum est nihilominus, voluntatem diuinam esse ordinatam & rationabilem. Patet Rom. 13. v. 1. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* & Ephes. 1. v. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Vnde patet, Deum omnia quæ exterius operatur, certo consilio facere, adeoque etiam velle facere. Ratio est; non solum quia voluntas non fertur nisi in obiectum cognitum; ac proinde etiam in nobis, aliquam secundum rationem præuiam notitiam intellectus præsupponit: sed etiam quia cum Deus sit infinitè sapiens, & prudens; omnia optima ratione & consilio agit & gerit. Qua de causa etiam Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 82. dixit, voluntatem diuinam *determinari ad actum volitionis à scientia*: licet Henricus opposito loquendi modo vsus, dixerit, voluntatem Dei non determinari ab eius scientia ad operandum, sed potius scientiam à voluntate: quia nimirum, in virtualem saltem aliquam DEI volitionem determinatio ad volitionem liberam vltimate referenda est, à qua ipsius quoque intellectus notitia, quæ & quatenus libera est, aliquo modo dependet, vt dub. præcedent. in fine diximus.

2 Tertiò certum est, rationem quidem & motiuum res creatas volendi, esse ipsam bonitatem diuinam; ita vt hæc per modum finis, non ipsius volitionis, sed rerum creatarum, sit ratio volendi creaturas; vt docet sanctus Thomas 1. part. quæst. 19. articulo 5. ex communi & certa Doctorum sententia; & tradit Scriptura, Prouerb. 16. vers. 4. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Et ratio est: quia vti creaturæ intrinsecè ac necessariò ordinantur ad DEVM tanquam finem; ita etiam ratio volendi illas, in Deo, alia esse non potest, quam ipse Deus, qui omnia eo vult ordine, quem res ipsæ inter se habent.

Id quod imprimis quidem verum est, de volitione creaturarum secundum actualem existentiam; de quibus etiam loquitur sanctus Thomas ibidem: nam quoad creaturas secundum Esse possibile spectatas, alia videri potest ratio; cum vti creaturæ rationem Esse possibilis non habent, quia à DEO fieri possunt; sed è contrario fieri possint, quia possibiles sunt, vti quæst. sequenti dicetur; ita videri potest earum bonitas & volitio simplex, à Dei bonitate, etiam ratione nostra, independens esse. Sed nihilominus quia Deus est summum bonum, adeoque mensura omnis bonitatis, ipsæque creaturæ non aliter possibiles sunt esse, quam propter Deum tanquam vltimum finem, rectè & ipsas quoque velle dicitur Deus propter se, tanquam vltimum finem earum, ob quem esse possunt, & ad quem, in quantum esse possunt, referri debent.

Quartò certum est; & fatentur itidem omnes, cum sancto Thoma ibidem, inter ipsas quoque res creatas volitas, esse ordinem quendam finis & mediorum; ita vt vna quæpiam res, adeoque & effectio ac productio eiusdem, sit propter aliam tanquam finem, cui deseruire debet. Quo modo herbæ sunt propter animalia; animalia item cætera, vna cum alijs rebus inferioribus, propter hominem; homo purus propter CHRISTVM; CHRISTVS vna cum cæteris rebus omnibus propter DEVM. Qui ordo sumitur ex illo Genes. 1. vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* Et vers. 29. *Dixitque DEVS, Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Et 1. Corinth. 3. vers. 22. *Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas* (nempe quoad Apostolicum munus) *siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.*

Quo sensu etiam extra controuersiam propriè dici potest, Deum vult hanc rem esse, vel fieri, aut facere, propter illam: quandoquidem fieri & facere significant actionem Dei transeuntem; quæ cum sit in rebus ipsis creatis, non in Deo; non minus quam res ipsæ creatæ, ad Deum veluti finem ordinatur, vt post S. Thomam cit. q. 19. a. 5. in corp. art. sub finem, & ad 1. habet communis & certa Doctorum sententia, apud Vasquez 1. par. disp. 82. num. 5.

Quintò

Quinto certum est, propter eundem ordinem, quem res creatæ inter se habent, ac iuxta earundem inter se subordinationem, in ipsa quoque voluntate diuina, in res eiusmodi velut obiecta tendente, rectè distingui ordinem quendam signorum, seu instantium rationis, secundum quē Deus hoc prius, quam illud velle dicatur, non re, vel tempore, aut naturâ, seu vero causalitatis ordine; sed ratione, cum fundamento in re, quod est ipsa subordinatio rerum inter se, vt dicetur.

Docet hoc S. Augustinus tum alibi passim, tum lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. vbi inter alia ait: *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio.* Et lib. 1. cont. Iulianum cap. 3. *Ne forte ante constitutionem mundi, ex operibus præcognitis putarentur electi; seruatus est & adiunxit, si autem gratia, iam non ex operibus.* In quorum priori loco S. Augustinus iustificationis decretum electioni, in hoc electionem præcognitioni operum in diuina mente anteponere videtur: quæ duo quomodo inter se cohærent disp. seq. quæst. 5. dicetur. Item supponit S. Prosper in epist. ad Augustinum, vt habetur ante libros eius de prædestinatio. Sanctorum, vbi ait: *An vero vniformiter licet diuidi præscientia à proposito, temporali distinctione* (hoc est secundum ordinem, aut prioritatem temporis) *non possit; ordine tamen vnum aliud supponat, quia scilicet ex eo Deus præscit bona merita, quia propositum habuit ea tribuendi, &c.*

5 Idem supponit passim S. Thomas, præsertim 1. cont. gent. cap. 86. vbi tribus rationibus ex instituto probat, dari rationem diuinæ voluntatis, non causam: vbi penes ipsa etiam obiecta creata, ordinem & rationem aliquam diuinæ voluntatis assignat, cum ait: *Bonum vniuersi esse rationem, ob quam Deus voluit bonum creatum singulare.* Et cap. 87. *Quamuis autem*, inquit, *aliqua ratio diuinæ voluntatis esse possit, non tamen sequitur, quod voluntatis eius sit aliqua causa.* Similem ordinem inter obiecta creata etiam assignat hic quæst. 19. articulo 5. ad 3. vbi ait: *Primi effectus* (Dei) *ex sola diuina voluntate dependent, vtpote fidicamus, quod Deus voluit, hominem habere manus, vt deseruirent intellectui, operando diuersa opera: & voluit eum habere intellectum, ad hoc, quod esset homo: & voluit eum esse hominem, vt frueretur ipsa; vel ad complementum vniuersi. Quæ quidem non est reducere ad alios fines creatos.*

6 Eadem est communis & certa Doctorum sententia, qui tum in materia prædestinationis, tum Trinitatis, & Incarnationis varia assignant instantia rationis, inter actus & decreta diuinæ voluntatis. Idem speciatim tradunt Gregorius de Valentia hic quæst. 19. p. 5. Suarez lib. 3. cap. 7. & in 3. part. tom. 1. d. 41. sect. 4. Vasquez disp. 82. cap. 3.

Neque negant alij, quam Nominales, in quibus Gabriel in 3. dist. 2. quæst. vn. art. 3. dub. 3. contra Scotum ait: *quod illa priorias & signa non sunt ponenda in diuinis, sicut satis deduxit Ockam in 1. dist. 9. q. 3. Vade in nullo signo prædestinauit quoscunque ad beatitudinem, quia in eodem prædestinauit omnes beatificandos, & præscitis omnes damnandos, & præuidit omnia futura. Nec est talis ordo in diuinis; sed ab æterno prædestinauit, quos elegit: præscitis etiam, quos reprobauit; simulque præuidit merita & demerita, pœnas & futura præmia &c.* Vbi Gabriel cum Ockamo generatim ordinem signorum seu instantium in diuinis negat. Ockamum sequitur etiam Aliacusin 1. q. 7. art. 3.

Ratio nostræ doctrinæ est. Quia Deus vult 7
non tantum res ipsas, sed etiam ordinem rerum, quem inter se habent; itemque vult vnum esse propter aliud, vt superius dictum: ergo secundum ordinem, quem res inter se habent, rectè in mente diuina assignantur instantia, seu signa rationis, secundum quæ hoc prius ratione velle dicatur, quam illud. Transfunditur enim ordo rerum, cum certa subordinatione volitarum, secundum rationem nostram, in ipsam volitionem, quatenus in res eiusmodi, ita ordinatas tendit. Neque verò quando eiusmodi instantia, siue signa rationis in diuina mente assignantur, vnumque altero prius ratione dicitur, sensus est, in eo priori, posterius re ipsa nondum esse, vt putauit Ockam loc. cit. Sed nondum cogitari esse, vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentia hic q. 19. p. 5. Eo ipso enim, quod ordo solum rationis est, non excludit simultatem eorum secundum rem, sed solum secundum rationem & cogitationem: sicut etiam cum dicimus, solem esse naturâ priorem luce; non dicimus, solem in aliquo instanti fuisse sine luce, sed in aliquo instanti rationis concipi solem, in quo lux simul non concipiatur.

His igitur tanquam certis suppositis, dubium est primò, an propriè dici possit, inter ipsas etiam res creatas, vnam esse Deo rationem volendi aliam, aut Deum vnam velle propter aliam; sicuti superius comparando res creatas cum Deo, diximus, Deum omnia velle propter se, suamque bonitatem. Negat Vasquez disp. 82. cap. 2. post Alensem in 1. p. q. 28. m. 3. a. 3. & quæst. 35. m. 3. Henricum quodlib. 4. q. 19. Gabrielem in 1. d. 14. q. 1. a. 2. Driedonem de concord. lib. arbit. & prædestinat. 1. p. cap. 4. ad 4. Fauet etiam S. Thomas hic q. 19. a. 5. in corp. vbi ita concludit: *Vult ergo hoc esse propter hoc; sed non propter hoc, vult hoc.*

Sed verior est, sententia affirmatiua, quam tra- 8
dunt, & sequuntur Durandus in 1. d. 41. quæst. 2. num. 5. Antonius Corduba q. 56. Gregorius de Valentia q. 19. pun. 5. Molina q. 19. art. 5. Suarez hic lib. 3. cap. 7. num. 12. & in 3. p. tom. 1. disp. 42. sect. 4. multique Thomistæ recentiores; estque apertè sententia S. Thomæ 1. cont. gent. cap. 86. & 87. in verbis paulo antè relatis; qui cum hic contrarium asserere videtur, excludit solum proprium ordinem causalitatis; eodemque modo sæpe loquuntur SS. Patres apud citatos. Ratio est; quia hoc ipso, quod Deus vult hoc esse propter aliud, ratio aliqua volendi hoc, est aliud; seu quod idem est, ratio, cur voluntas diuina feratur & terminetur ad hoc, est illud aliud, propter quod hoc vult esse: ita vt quamuis illud non sit causa ipsius actus diuini, sit tamen ratio, secundum nostrum concipiendi modum, cur actus diuinus feratur & terminetur ad hoc obiectum. Et confirmatur. Quia ex communi & certa omnium sententia, rectè dicimus, Deum velle res creatas

propter suam bonitatem; cum tamen nec bonitas Dei sit causa volitionis eiusdem, vt antea dictum: Ergo recte etiam dicimus, Deum inter res creatas vnam velle propter aliam: cum non finis tantum, sed etiam media, ratio volendi aliud esse possint.

9 Vnde Suarez loc. cit. ait: *proprissimè dici, Deum velle vnum propter aliud*; quia locutio illa solum dicit ordinem obiectorum inter se. Imo addit, etiã has, vt veras, quodam sensu (si videlicet solum significetur ratio volendi ex parte obiecti, iuxta nostrum concipiendi modum) esse admittendas; *Deus vult hoc, quia vult illud*: vel; *Hoc est volitum à Deo, quia illud est volitum*: quam propositionem etiam concedit Caietanus hic cit. art. 5. etsi parũ consequenter neget priorem. Verius tamen, & magis consequenter Gregorius de Valentia, & Molina vtramque propositionem reijcere videntur; nisi declaratio & distinctio adhibeatur: quia per vtramque significari videtur, in re pluralitas quædam volitionum in Deo.

Secundo dubium est, quanam ratione ordo signorum & instantium in diuina voluntate particulatim assignandus sit: de qua re variè loquuntur Doctores: nos breuiter sequentibus assertionibus rem declaramus.

Assertio I. Inter actus diuinæ voluntatis, vniuersim secundum rationem nostram, priores sunt actus necessarij, quam liberi; adeoque amor Dei erga seipsum prior est, quam amor liber creaturarum. Est communis, & extra controuersiam: quia in omni genere rerum, Ens necessarium prius est, quam contingens seu liberum, vt superius etiam de scientia diuina dictum.

10 Assertio II. Inter actus necessarios diuinæ voluntatis, prior secundum rationem nostram est, amor Dei erga seipsum, quam amor creaturarum secundum esse possibile. Est itidem extra controuersiam. Ratio est: Quia Deus est ratio volendi creaturas, vt paulo superius dictum. Prius ergo secundum rationem Deus vult seipsum, quam creaturas, quomodocunque spectentur.

Assertio III. Inter actus liberos diuinæ voluntatis, generatim loquendo, talis ordo constituendus est, seruata debita proportione, qualis cernitur in consultatione humana rectè ordinata: Ita Scotus in 3. dist. 7. q. 3. & dist. 19. q. 1. & ex communi approbat Vasquez hic disp. 82. cap. 4. num. 13. nemine dissentiente. Ratio est. Quia de diuinis rebus vniuersim loqui & sentire debemus iuxta proportionem & analogiam rerum creatarum. Cum ergo actus liberi diuinæ voluntatis, processum quendam consultationis contineant, hoc ipso, quod alius habet rationem intentionis, alius electionis, &c. rectè generatim loquendo, in ijs talem ordinem secundum rationem nostrã statuimus, qualis in consultationis humanæ processu bene ordinato reipsa seruatur; modo, vt dixi debita proportio seruetur, & æqualia cum æqualibus conferantur.

11 Assertio IV. Omnis ordo eorundem actuum liberorum in Deo, constituendus est, ac desumendus ex ipsorum obiectorum inter se subordinatione, secundum ordinem aliquem causalitatis aut dependentiæ; ita vt quæ obiecta habent inter se ordinem causalitatis, siue dependentiæ; ea quoque in diuinæ cõsultationis processu, seu actibus diuinæ voluntatis rationis ordinem constituant. Ita ex communi omnium, tradunt Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 5. sect. 1. Gregorius de Valentia hic q. 19. p. 5. Vasquez disp. 82. cap. 5. n. 16. Neque potest negari à quoquam, nisi qui ordinem in diuinæ voluntatis actibus penitus auferat. Ratio est. Quia actus diuinæ voluntatis dupliciter spectari possum; primò secundum se, suamque entitatem; siue, quod idem est, ex parte subiecti; secundo ex parte obiecti; priori modo nulla est in ijs pluralitas, nec pluralitatis seu distinctionis ratio; cum omnes illi actus ratione plures, sint vna simplicissima entitas in Deo: Ergo desumi debet ordo actuum diuinæ voluntatis ex obiectis; non vtcunque materialiter diuersis; quia sola diuersitas obiectorum, vti esse potest sine subordinatione; ita etiam per se sola non potest esse fundamentum & ratio ordinis, in actibus diuinæ voluntatis constituendi: Ergo desumi debet ex obiectis, quatenus inter se aliquo modo subordinata sunt.

Cum verò hæc subordinatio, ex parte obiectorum triplex esse possit, prima secundũ ordinẽ dignitatis; secunda secundũ ordinẽ durationis & temporis; tertia secundum ordinem causalitatis & dependentiæ: prima & secunda per se ad propositum nihil facit: potest enim Deus suo arbitratu, etiam priora ordine dignitatis & temporis referre ad aliquid posterius eodem ordine; tanquam ad finem; ita vt id, quod dignitate & tempore posterius est, prius tamen sit in diuina intentione. Ergo ordo actuum diuinæ voluntatis constituendus est ex obiectorum inter se subordinatione, secundum rationem causalitatis & dependentiæ: siue hunc ordinem causalitatis & dependentiæ res suâ natura habeãt; siue ex sola ordinatione libera Dei, vt dicetur assert. 10. etsi contrarium doceat Vasquez disp. 82. cap. 6. 12

Assertio V. Duo igitur requiruntur, & sufficiunt, vt inter actus liberos diuinæ voluntatis ordo prioritatis secundum rationem constituatur, Primum, vt eiusmodi actus respondeant & æquiualeant pluribus actibus creatæ voluntatis, circa obiecta similia versantibus; secundo, vt obiecta eorundem actuum habeant inter se subordinationem & ordinem aliquem causalitatis siue dependentiæ. Ita supponunt citati authores ex communi. Ratio est Quia vt sit ordo prioritatis in actibus diuinæ voluntatis, requiritur primò eorundem pluralitas secundum rationem; quæ aliunde desumi non potest, nisi ex eo, quod quãuis actus illi à parte rei sint vna simplicissima entitas, æquiualeant tamen pluribus actibus creatis re distinctis, circa eadem, aut similia obiecta versantibus. Secundò requiritur fundamentum & ratio proxima ordinis constituendi; ea vero ratio est subordinatio obiectorum, secundum ordinem aliquem causalitatis, siue dependentiæ: Ergo hæc duo & necessaria sunt ad ordinem in actibus liberis diuinæ voluntatis constituendum, & ad hoc etiam sufficiunt; cum nulla ratio esse possit, cur 13

plus

Digitized by Google

plus requiratur; quando ex his duobus & habetur pluralitas actuũ quam ordo supponit; & ratio ac fundamentum proximũ ordinis: ex quo imediate ordo ille rationis inter eosdem actus consequitur.

14 Assertio VI. In processu ordinatæ cuiusq; consultationis, duplex est ordo constituendus; vnus intentionis, alter executionis: qui modo contrario ita inter se comparantur, vt quod est primum in intentione, sit vltimũ in executione; & contra. Ita Suarez, Vasquez locis cit. ex communi & recepta etiam apud Ethicos regula. Probatur & declaratur. Quia ordine intentionis prius volumus finem, quã media; & in medijs prius illud, quod est propinquius fini, quã id quod est à fine remotius: è contrario verò ordine executionis, prius volumus media, quã finem; & in medijs illud, quod est à fine remotius, v. g. in consultatione ægri de sanitate consequenda, & procuranda, secundũ ordinem intentionis, prius expetitur sanitas: deinde media sanitatis consequendæ, & in his prius medicina composita & iam præparata, quã rudis & indigesta materia simpliciũ. Ordine vero executionis, prius expetuntur & conquiruntur simplicia, puta herbæ, ligna, lapides, &c. deinde componuntur, & commiscentur debito inter se modo conquisita iam simplicia; tandem sumitur præparatum pharmacum, & sanitas comparatur.

Vbi etiam notandum, causam efficientẽ, vt sic, comparari ad effectũ, tanquam medium ad finem, ac proinde prius hac ratione in intentione esse effectum, quã causam efficientem, saltẽ quatenus talis est, & secundũ suam efficientiam; non tamẽ ita comparari subiectum ad formã accidentalem, quæ ipsi subiecto inhæret; cum potius se habeat subiectũ p modũ finis cui, respectu accidentis; quod proinde ordine intentionis nequaquã prius esse, volitũ potest, quã subiectũ, vt plusibus Vasquez d. 82. c. 5. Secus se res habet cum meritis & præmio; quod reuera finis rationem habet respectu accipientis præmium; prius proinde secundum intentionis ordinem volitum non ab ipso solum, sed etiam à Deo conferente præmium, vt dicetur disp. seq.

15 Assertio VII. In medijs ad finem ordinatis, vt quandõ prius ratione dicantur à Deo volita, nõ est attendendus ordo propinquitatis ad finem, secũdum rationẽ entitatis, aut dignitatis; sed secundum rationem efficaciæ & causalitatis, per quam vnum mediũ propius & imediatius conducit ad finem, quam alterum. Ita Caietanus, & Thomistæ omnes in 3. p. q. 1. a. 3. Vasquez hic d. 82. c. 4. n. 13. & communis Doctorum sententia, cui in contrarium citetur Scotus in 3. d. 7. q. 3. & d. 19. q. 1. Ratio sumitur ex dictis; quia totus ordo intentionis fundatur in ordine causalitatis, nõ dignitatis, vt antea dictum; esto in rebus quidẽ naturalibus, vt plurimũ, ea quæ sunt digniora, immediatius & propinquius conducant ad finem naturalem, quã minus digna; quod tamen est per accidens, neque etiã vniuersale; quia potest margarita aliqua fuæ gemmæ, cum integra est, ratione suæ figuræ, quantitatis &c. multo pretiosior esse, quã cum est in puluerẽ contusa, ac ad medicinã præparata; cum tamẽ hac ratione propius ad finẽ sanitatis educat.

16 Assertio VIII. Aliunde tamen fieri potest, vt quod vno quodam respectu & habitudine ad certum finem, est posterius intentione, quia remotius videlicet conducit ad eundem finem; nihilominus tamen alia quadam ratione & habitudine ad eundem, aut alium superiorem finem, sit secundum ordinem intentionis simpliciter prius; vtpote propius conducens ad eiusmodi finem. Hanc assertionem nemo negare potest, qui sensum eius perceperit. Probatur & declaratur. Quia sæpe fit, vt aliquid duobus mediis conducat ad eundem finem; primo mediante altero, ad quod suo etiam modo ordinatur; secundo absque tali medio, & quidem principalius etiam, quam alterum illud, ad quod ex parte ordinatur; sed quod vicissim etiam ad ipsum magis principaliter ordinatur. Item fieri potest, vt aliquid ordinetur ad duos fines, quorum vnus sit altero excellentior, & vt ad finem quidẽ minus nobilẽ remotius conducat, ad alium tamen finem digniorem & excellentiorem alia ratione immediatius ac propinquius conducat, quam aliud, cum quo comparatur: quo vtroque casu vtique, cum & finis nobilior, sit principalius intentus quam ignobilior, eumq; id, quod ad eundem finem absolute principalius & imediatius confert, simpliciter & absolute prius sit in intentione, sit, verum & ide secundum rationem causalitatis, qua conducit ad finem ignobiliorem, vel ad eundem finem, altero mediante est posterius intentum; simpliciter tamẽ, & quatenus simili ratione ad finem nobiliorem vel etiam ad eundẽ imediatius aut principalius conducit sit prius, aut certe non posterius secundum intentionis ordinem.

17 Huius rei assigno exemplum quadruplex, naturale, politicum, Ecclesiasticum siue morale, & supernaturale. Exemplum naturale est hoc. Constat cælum ratione sui luminis, ac motus ordinari ad res & actiones inferiores conseruandas, promouendas, & fouendas; res autem has inferiores, etiam animantia bruta, ac bestiolas omnes, ordinari ad hominem, hominem verò ordinari, vt Deo fruatur, eumque collaudet & glorificet, &c. In quo processu, quia cælum remotius conducit ad finẽ postremũ, qui est honor Dei, dici potest, ordine intentionis, secundũ quid posterius esse volitum, quam res creatæ inferiores, ad quas ordinatæ. Nihilominus tamen quia cælum & hominem ipsum etiam imediate suo influxu fouet, & velut præcipua, nobilissimaque pars vniuersi, artificis sapientiam & potentiam per se etiam, & abstrahendo à rebus alijs inferioribus, mirifice commendat, nemo dixerit, cælum simpliciter posteriũ esse in intentione diuina, quam elementa cætera, vel fruges terræ, aut bestiolas minimas, quæ ex putredine solis lumine producuntur: imò verò cælum, secundum ordinem intentionis, prius fuisse in intentione diuina quam res inferiores, præter hominem, multo verius dicitur.

Politicum exemplum est. Habet aliquis, qui sibi diuitias pro fine constituit, gemmam pretiosissimam centum millibus v. g. aureorum æstimatam, quã quia pelli vertiginẽ, aut lassitudinẽ circumferre cunctanter, vt impedita vertigine vel lassitudine, iter ac profectionem vnius diei peragere

possit

possit, ad mille ducatos eo die comparandos ac lucrandos. In quo processu seruatur ordo intentionis, vt primò in intentione sit lucrum mille ducatorum. 2. labor profectionis immediate ad eum finem conducens. 3. depulsio vel prohibitio vertiginis seu lassitudinis. 4. gemmæ gestatio. Vbi licet gemma sit postremum eo ordine intentionis, respectu eius lucri à possessore comparandi; nemo tamen dixerit, in hoc homine, qui sibi diuitias pro fine suarum actionum constituit, gemmam esse simpliciter postremam secundum intentionem; adeoque posterius absolutè volitam, quam profectionem, aut lucrum mille aureorum, quia etsi vno quodá modo remotius ad finem conducat; alio tamen modo excellentius & immediatius ad eundem finem confert, quam profectio, vt patet.

29 Exemplum morale & Ecclesiasticum est. Apostolorum enim & Pastorum, ac Doctorum in Ecclesia officium à Deo ordinatur ad salutem spiritualem ipsius Ecclesiæ, ac singulorum hominum, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, &c. omnia enim vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei*: Quo processu, in diuina intentione prior est Ecclesiæ & singulorum salus spiritualis, quam Apostolorum aut Præsulum officium: & tamen nemo ideo dixerit, absolute ac simpliciter prius in diuina intentione volitam fuisse salutem singulorum in Ecclesia, quam ipsos Apostolos, eorumque salutem ac beatitudinem.

Exemplum Theologicum est. Christus enim venit in mundum, vt peccatores saluos faceret; quod fit exterius, per institutionem sacramentorum, ac mediante prædicatione Christi, Apostolorum, & Pastorum Ecclesiæ; interius verò diuinæ gratiæ inspiratione ac illuminatione mouente ac prælucente; donorumque fidei & virtutum communicatione ac infusione; &c. In quo processu, ordine intentionis posterius quidem omnino volita est Incarnatio Christi, ipsumque Verbum incarnatum, quam salus hominum, & conuersio peccatorum: & tamen hoc non obstante, quia Christus simul per seipsum immediatius, ac principalius conducit ad supremum finem gloriæ diuinæ, rectissimè dicitur, vt suo loco de Incarnatione, Deo bene fauente ex instituto docebimus, simpliciter & absolute loquendo, secundum ordinem intentionis, prius in diuina voluntate fuisse, Christum hominem velut caput omnis creaturæ, quam Angelos, cæteroscque omnes homines; nec tamen ideo venturum, si homo non peccasset, vt etiá inferius d. seq. q. 5. dub. 7. dicemus.

30 Assertio IX. Sicut ordo intentionis non tantum locum habet in actibus internis voluntatis, sed etiam in actibus externis executionis; ita etiam ordo executionis, non tantùm cernitur, & locum habet in actibus externis, sed etiam in ipsa voluntate interiori, eiusq; actibus: ita vt ipsa etiam voluntas finis quædam prior esse possit, ordine intentionis; alia posterior ordine executionis; quod quidé supposita priori illa voluntate, & intentione finis omnino etiam necessarium est, tunc, quando in executionis processu, post omnia media cætera iam adhibita, ad finem denique re ipsa acquirendum, necessaria est peculiaris & spontanea acceptatio, seu applicatio finis, sibi, aut alijs facienda.

Hæc assertio est ex mente S. Augustini, S. Thomæ, & aliorum, qui defendunt prædestinationem ante præuisionem meritorum, vt dicetur, disputat. sequent. quæst. 5. expresse autem traditur à Bellarmino lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 14. & Suarez hic lib. 1. cap. 8. numero 50. & lib. 3 de auxil. cap. 18. n. 4. alijsque recentioribus eiusdem sententiæ assertis, ibidem referendis: est tamen contra Vasquium in 1. p. d. 89. cap. 7. à n. 52. qui cum admittat quidem duplicem ordinem, intentionis vnum, executionis alterum; existimat tamé, non posse vtrumq; constitui in mente artificis aut operantis, sed alterum in mente & consultatione illius, alterum vero in reipsa: quem sequuntur recentiores quidá Theologi, qui putant, doctrinam illam esse nouam; & solum effugij causa, ad defendendam prædestinationem ante præuisa merita, excogitatum fuisse duplicem illum processum intentionis & executionis in mente ac voluntate diuina, duplicemque voluntatem, quá Deus habuit, circa salutem & gloriam prædestinatis conferendam: vnam ad ordinem intentionis, alteram ad executionem spectantem.

31 Sed abstrahendo iam à particulari materia prædestinationis, de qua d. sequenti, quæst. 5. dub. 4. & 5. ex instituto agendum; res est indefinite ac generatim loquendo, in omni ordinata consultatione, certissima & liquidissima, vt ex probatione singularum partium constabit. Primò enim ordinem intentionis etiam cerni, & locum habere in actibus externis executionis; ita nimirum, vt ad ipsos etiam actus externos, velut obiecta internorum actuum, & saltem denominatiue se extendat, apud omnes constat, & patet ex vulgato illo dicto; *Quod primum est in intentione, vltimum est in executione*, & è contrario: in quo supponitur eosdem actus & obiecta spectare simul ad ordinem executionis, & intentionis. Exemplum etiam huius rei ab omnibus communiter adfertur, in sanitatis procurandæ studio; vbi tum ipsa sanitatis recuperatio, tum etiam media externa sanitatis acquirendæ, alia alijs priora, aut posteriora in intentione seu ordine intentionis esse dicuntur; ita quidé vt non solum ipsa voluntas sanitatis, sed etiá actualis ipsa recuperatio ac effectio sanitatis, prout est à parte rei, secundé ordinem intentionis, prior esse dicatur, quá executio proximi medij; & hæc ipsa executio, prior secundú eundé ordinem intentionis, executione remotioris medij: tametsi rursum secundú ordiné executionis ea omnia contrario modo se habeant.

32 Secunda pars, ordinem executionis etiam cerni & locum habere in actibus internis voluntatis, ita vt vnus altero hoc ordine prior esse recte dicatur: patet ex præcedenti parte, & probatione eiusdem; vbi dictum, ordiné intentionis & executionis circa eandem materiam versari. Quare etiam rectè dicimus, voluntatem mediorum ordine executionis priorem esse voluntate finis. Quibus accedit hæc manifesta ratio. Quia ipsi actus externi executionis, tum etiam volsiti, & quidem eo ipso

ordine

ordine, quem ipsi in executione inter se habent: neq; enim qui sanitatis procurandæ studio, media varia adhibet, puta simplicia primum conquirit, deinde ea inter se componit & contemperat, denique sumit & applicat, &c. id facit absque voluntate interiori; sed potius hæc omnia ad finem re ipsa consequendum, deliberatè & certo consilio, eodem ordine vult facere, quo re ipsa postea facit: Ergo sicut ordine executionis prius adhibet media remotiora à fine; ita etiam eodem ordine, prius vult ea adhibere, &c. ac proinde ordo executionis non tantum cernitur in ipsis actibus executionis, sed etiam in actibus internis, seu decretis ordinatæ consultationis, tam humanæ, quam diuinæ mentis.

23 Tertia pars, ipsam etiam voluntatē finis duplicem esse posse, vnam priorem ad intentionis, alteram posteriorem ad executionis ordinē spectantem, si quidē solum de possibili loquamur, manifesta est, in omni consultatione. Nihil enim obstante primâ intentione finis, quæ omnē mediorū applicationem reipsa sæpe, non solo intentionis & causalitatis ordine antecedit, eâq; adeo etiā supposita, fieri vtiq; potest, vt post omnia etiā media adhibita, velimus & acceptemus aut etiā optemus finem, puta sanitatem, ex adhibitis iam medijs; brauium seu præmium ex peracto iam certamine; quæ voluntas nō minus ordine causalitatis, quā temporis à prima finis voluntate, & intentione vtiq; diuersa, eademque posterior est: & quia ad plenam finis consecutionem ordinatur, aut certè ipsi executioni subordinatur, rectè ad executionis ordinem spectare dicitur; esto quidem talis voluntas non semper, ac in omni materia seu processu ordinatæ deliberationis sit necessaria, vt mox dicetur.

24 Quarta pars, eiusmodi voluntatem finis, ordine executionis posteriorē primâ finis intentione, ab eaq; distinctā, necessariam etiam esse, tunc, quando in executionis processu, suppositā illâ priori voluntate & intentione finis, post omnia media cætera iam adhibita, ad finem deniq; reipsa consequendum, necessaria est peculiaris & spontanea acceptatio vel applicatio finis, sibi, aut alijs facienda, ita probatur & declaratur. Quia duplex esse potest finis; vnus merè naturalis, & naturalibus medijs consequendus, qualis est sanitas; quæ adhibitis medijs naturalibus ac debitis, absque vlla alia voluntaria acceptatione vel applicatione, sponte sua ac necessariò consequitur, ad quā proinde, post omnia debita media adhibita, non est necessaria peculiaris voluntas, ad executionem pertinens, quæ in eundem finem feratur; etsi possibilis sit, vt antea dictū, & sæpe reipsa interueniat.

25 Alius finis est moralis, atq; à voluntate dependens; qualis est v.g. brauium seu præmium in certamine acquirendum, hæreditas voluntatē adeunda, & similes alij, in quibus etiam suppositā prima finis intentione, quam habet v. g. pugil, dum ob brauium certamen suscipit; aut hæres, dum precibus aut officijs pinguem hæreditatem ambit; etiam post omnia eiusmodi media finis consequendi iam adhibita, in ordine ad finem optatum, reipsa deniq; consequendū; necessaria est peculiaris & spontanea acceptatio, vel applicatio finis sibi (aut etiam alijs) facienda: in quo sane casu, cum acceptatio hæc, siue applicatio, vtpote voluntaria fieri non possit, absque noua voluntate finem acceptante seu applicante, quæ voluntas vtique ad executionis ordinem pertinet, manifestum est, ad finis huius actualem consecutionem, præter primam finis intentionem, quam præcessisse diximus & supposuimus, adhuc necessariam esse aliam voluntatem finis, ordine executionis posteriorem, atque à primâ distinctam, sine qua finis obtineri non potest. Id quod proinde in omni omninò materia finis alicuius moralis, atque à libera voluntate finem conferentis, dependentis, fieri potest; si finem liberè conferens, hanc conditionem requirat, vt nemo finem etiam alijs medijs adhibitis, consequatur, nisi qui finem sponte denique acceptet, sibique applicet, &c. Idem est, si is ipse, qui finem alijs consequendum proposuit, suppositâ prima finis intentione, noluit in executione finem alijs reipsa obtingere, absque peculiari sua voluntate, finem alijs reipsa applicante & conferente.

Ex quibus etiam soluitur illa obiectio Vāsquij 26
disp. 89. cap. 7, num. 58. vbi ex eo etiam probat, ordinem executionis non habere locum in ipsa mente, seu actibus internis artificis; quia nunquam solemus dicere, aliquem ideo voluisse talem finem, quia media præuidit; sed solum è contrario, ideo talia elegit media, quia voluit finem: possemus verò etiam priori modo loqui; si ordo executionis, quo prius ferimur in media, quam in finem, in ipsa etiam mente artificis locū haberet.

Respondeo primum, antecedens pugnare cum ipso Vasquio, & eius sententia, de prædestinatione ad gloriam: post præuisa media in qua sententia necessario dicendum est, Deum ideo voluisse efficaciter gloriam, quæ est finis, quia præuidit media.

Respondeo secundò, discrimen esse inter fines; quorundam enim consecutio post primam intentionem, & media consequenter adhibita, non requirit aliam peculiarem voluntatem applicantem ipsum finem ex præuisis medijs, qualis est etiam consecutio sanitatis; & in his, quia non est necessaria peculiaris aliqua voluntas finis executiua, dici non solet, ideo aliquem velle finem, quia præuidit media: at verò in nostro casu, id rectissimè dicitur, v. g. Principem voluisse conferre brauium huic pugili, ob conspectam victoriam; Iudicem huic consignasse ius hæreditatis, ob præuisa & prius explorata merita causæ: item pugilem ipsum voluisse voluntate executiua petere, acceptare, & consequi brauium, quia vicit: hæredem voluisse petere & accipere hæreditatem, quia officijs à testatore promeritus est, vt hæres scriberetur. Quanquam in hac ipsa etiam re, ne æquiuocationi sit locus, non plane absolute, sed cum aliqua particula significante voluntatem executiuam loqui conuenit.

An vero particulatim de prædestinatione diuina loquendo, Deus habuerit eiusmodi voluntatē 27
finis, ordine intentionis priorē, qua voluerit nobis beatitudinem, ante præuisionem meritorum; quā proinde suppositā necessario admittenda sit

in Deo

in Deo alia voluntas ratione distincta ac posterior ad executionis ordinẽ pertinens, an potius prior illa finis seu gloriæ intentio, sine præuisione meritorum in Deo non detur, sequenti disput. de prædestinatione q. 5. dub. 4. & 5. explicandum erit. Hic satis sit, quasi fundamenti loco constituisse, si in Deo detur prior illa finis nostri intentio, ante præuisionem meritorum, necessario admittendam in Deo esse aliam ratione distinctã ac posteriorem voluntatem, ad executionis ordinem spectantem, qua Deus reipsa voluerit, ob præuisa & comparata iam merita, nobis eandem gloriam reipsa conferre & applicare; quod ex dictis euidens est; quandoquidem constat, Deum non voluisse gloriam cuiquam reipsa obtingere, absque sua quasi applicatione libera & spontanea, per euocationem illam & acclamationem felicissimam, *Venite benedicti, &c. Effuriui enim, &c.* aliue modo æquiualente faciendo, &c.

28 Assertio X. Præter duplicem ordinem intentionis, & executionis hactenus explicatum, assignãdus est etiam in mente, tam humana, quam diuina, tertius ordo cuiusdam independentiæ; siue secundum subsistendi consequentiam: quo modo prius illud volumus, quod plane independenter volumus ab altero; ita vt etiamsi alterum non esset, adhuc illud vellemus: non autem prius, quod dependenter ab altero volumus; esto illud alioqui sit finis, hoc mediũ; illudq; adeo ordine intentionis prius, hoc posterius volitum. Ita Caietanus 3. p. q. 1. a. 3. idemque ex instituto persequitur Albertinus tom. 1. 6. princip. philos. coroll. 1. Probatur & declaratur. Quia sæpe accidit, etiam secundum ordinatam voluntatem, vt finem non velimus, nisi per vnum aliquod certum medium, adeoque dependenter ab illo; v. g. sanitatem per pharmaca, absq; tetra sectione, vstione, &c. Quo casu, tametsi nihilominus finis ordine intentionis prius sit volitus, quam designatum medium; non tamen ordine independentiæ, seu quoad subsistendi consequentiam; cum potius hoc ordine simul vtrumque, finis scilicet & medium illud, simul sit volitum. Ex quo fundamento suo loco cum Caietano loc. cit. nos etiam docebimus, Christum quidem, seu vnionem hypostaticam, ordine intentionis prius à Deo fuisse volitam, quam Redemptionem humanã, ac liberationẽ à peccato, seu ipsam permissionem peccati; & nihilominus tamen Incarnationem futuram non fuisse, si homo non peccasset, vt habet S. Thomæ sententia.

Atque hæc generatim, quasi fundamenti cuiusdam loco, de ordine actuum diuinæ voluntatis, seu varijs instantibus & signis rationis in eadem diuina voluntate, dicta sunto; ex quibus suis locis, vbi opus erit, propria & specialia corollaria deducemus.

29 Ex quibus etiam colligi potest primò, quid tã in genere, quam in specie de ordine actuum diuinæ voluntatis, quem alij assignant, iudicandum sit: speciatim verò ex dictis facile refellitur ordo, quem Caietanus in 3. p. q. 1. a. 3. assignat; vbi tres constituit ordines rerum in Dei decreto; primum naturæ; secundum gratiæ, & tertium vnionis hypostaticæ; cum tamen neque ordo naturæ sit finis gratiæ; neq; gratia vniuersim sit finis vnionis hypostaticæ: & multa sæpe ordinis naturæ ad ordinem gratiæ extrinsece pertineant, & referantur; & è contrario multa ordinis naturæ, vt tantus piscium aut bestiolarum numerus, per se nullam habeant connexionem cum ordine gratiæ; & peccata quædam, quæad ordinem naturæ pertinere dicuntur, supponant vnionem hypostaticam, vt peccatũ crucifigentium Christum, &c. cuius proinde permissionem impossibile est à Deo fuisse decretam, ante vnionem hypostaticam. Sed de hac re plura de Incarnatione suo loco, & non nihil disp. seq. quæst. 1. dub. 4. & 5.

Secundo colligitur, quænam sit ipsorum actuum intellectus & voluntatis diuinæ inter se subordinatio; supposito hoc certo & ab omnibus recepto fundamento, quod ante quemlibet actum voluntatis, præcedat actus aliquis intellectus, qui eidem actui voluntatis obiectum proponat; quandoquidem nihil est volitum, nisi prius ab intellectu cognitum. Et igitur hic ordo 1. est scientia naturalis, qua Deus seipsum comprehensiuè cognoscit. 2. amor naturalis ac necessarius erga seipsum. 3. scientia naturalis, tam speculatiua, quam practica creaturarum, secundum esse possibile. 4. amor seu affectus simplicis complacentiæ itidẽ naturalis ac necessarius erga easdem creaturas. 5. scientia media, seu conditionata futurorum contingentium. 6. liberum decretum voluntatis de rebus his & non alijs; hoc ordine & modo, non alio faciendis: in quibus tamen rursum varius ordo cernitur, secundum quem res quædam prius, quam allæ à Deo decretæ sunt, vt ex dictis liquet, & suo loco de prædestinatione & Incarnatione sigillatim dicetur. Post quæ deniq; sequitur. 7. libera & absoluta scientia futurorum; in quâ, seruatâ proportione, idem actuum ordo locum habet, qui in ipsis decretis liberis respectu diuersorum obiectorum reperitur; quandoquidem singulis decretis liberis scientia etiam libera subsequens eodem ordine respondet.

DVBIVM VI.

An voluntas Dei necessitatem quibusdam rebus volitis imponat; & quænam in effectibus creatis sit radix contingentiæ.

S. Thomas 1. p. q. 19. a 8.

EX fide certũ est, diuinam voluntatem quibusdã quidẽ rebus volitis necessitatẽ imponere, non tamẽ omnibus, vt docet S. Thomas 1. p. q. 19. a. 8. & consentiunt omnes Doctores; quidquid Ethnici illi, & hæretici dixerint, q liberũ arbitriũ penitus sustulerunt, refutati superius q. 8. dub. 11. Ratio est. Quia alioqui periret liberũ arbitrium, & consilium, legumque humanarum vis & authoritas. Præterquam quod in effectibus etiam naturalibus, quædam cernimus fieri contingenter. & non necessario: vt hoc, vel illo sydere, aut astrorum concursu, pluuiam, serenitatem, &c.

Quia

quia nimirum causæ illæ naturales, licet per se ad vnum sint determinatæ, impediri tamen possunt ab alijs causis.

Secundò certum est, atque inter omnes etiam conuenit, ea fieri necessariò, quibus producendis vel efficiendis Deus aptauit & præparauit causas necessarias; quæ nimirum & sua natura ad vnum sunt determinatæ; & in agendo respectu talium effectuum, deficere non possunt. Qualia sunt V. G. solem lucere, sydera moueri, diem, annum, & varia anni tempora esse &c. Nam etiamsi vti par est, cum Aristotele supponatur, cœlum, & sydera ab Intelligentijs seu Angelis moueri, mouentur tamen ab ipsis, velut agentibus naturalibus, adeo vt in ea re agendo deficere non possint.

2 E contrario verò, etiam suppositâ diuina voluntate, non necessariò (absoluta scilicet necessitate,) sed contingenter, aut libere fiunt ea, quibus efficiendis Deus destinauit causas secundas liberas; vel necessarias quidem ex se, sed defectibiles tamen; quæ videlicet respectu talium effectuum ab alijs causis secundis impediri possunt. Qualia sunt, tum actiones Angelorum & hominum; non omnes, sed quæ ab ijs velut liberè agentibus procedunt; tum varia temporis mutatio, secundum serenitatem aeris, vel pluuiam; tranquillitatem, vel turbationem; fertilitatem terræ, aut sterilitatem; & alia pleraque huius mundi effecta, quæ respectu causarum superiorum, aut particularium, puta huius vel illius dispositionis astrorum, dicuntur contingentia, ac reipsa contingenter eueniunt: quia tametsi astra ex se ad certum quidem ex his effectibus aliquem determinate, & quantum est ex se, necessario inclinent; quia tamen ex dispositione varia causarum secundarum impediri possunt, non necessariò absolutè, sed contingenter eueniunt: quod seruata proportione, etiam alijs causis contingentibus applicandum est; esto interim effectus naturales, saltem plærique, ratione & comparatione omnium causarum naturalium simul sumptarum, seu respectu combinationis omnium causarum naturalium, tam superiorum, quam inferiorum, quatenus secundum se præcisè spectantur, & vt abstrahunt à subordinatione, quam habent ad liberum arbitrium, siue creatum, siue increatum, necessario eueniant: quia suppositâ tali astrorum dispositione, cum tali aeris, terræ, aliarumque causarum secundarum affectione, non potest non esse pluuia, &c. vt dictum etiam superius quæst. 8. dub. 5.

3 His tanquam certis suppositis, controuersia est, quænam sit prima radix & causa contingentiæ, quæ in rebus creatis cernitur. De qua re sunt tres sententiæ. Prima est, quam refert S. Thomas hic cit. quæst. 19. artic. 8. eorum, qui rationem huius rei assignant ex causis medijs; quia ea, quæ Deus producit per causas necessarias, sunt necessaria; ea verò quæ producit per causas contingentes, sunt contingentia. Quam in re Vasquez hic disp. 99. c. 7. n. 46. existimat, notari sententiam, quam tradunt Alensis. 1. p. quæst. 26. mem. 7. artic. 2. ad 1. & Bonauentura in 1. dist. 40. art. 2. q. 1.

Secunda sententia est S. Thomæ, Caietani, & Thomistarum ibidem, Gregorij de Valentia quæst. 19. p. 6. qui reiecta & refutata opinione priori, causam primariam ac radicem contingentiæ esse docent, ipsammet voluntatis diuinæ efficaciam; à qua non res ipsæ tantum, sed etiam modus rerum dependet: quæque has potius, quam alias causas secundas, his, vel illis rebus producendis, & quibuslibet causis ex sua parte debitum ac proportionatum concursum destinauit.

Tertia sententia est Scoti in 1. dist. 8. quæst. 2. & dist. 39. quæst. vnic. qui docet quidem, radicem contingentiæ esse voluntatem diuinam: attamen non sub prædicta ratione efficaciæ, sed propriæ ac intrinsecæ libertatis, quâ seclusâ, putat, contingentiam rerum stare non posse. Quare addit, Philosophos, qui dixerunt, primam causam necessariò agere; & tamen admiserunt contingentiam in quibusdam rebus, contraria docuisse. Idem cum Scoto sentiunt communiter Sectatores Scoti apud Cordubam lib. 1. quæst. 55. dub. 8. & quidam ex modernis Thomistis, vt ait Suarez disp. methaph. 19.

Assertio I. Prima causa & radix contingentiæ ac necessitatis, quæ cernitur in rebus creatis, non sunt causæ mediæ siue secundæ, contingentes aut necessariæ; sed ipse Deus, seu voluntas diuina, tanquam causa prima. Ita S. Thomas, Scotus, Caietanus, Gregorius de Valentia, locis citt. & communis Doctorum. Probatur duabus rationibus S. Thomæ. Prima. Quia diuina voluntas est causa prima, non impedibilis ob defectum vllius causæ secundæ: Ergo diuina voluntas non habet effectum contingentem, vltimatè, propter causam secundam. Probatur consequentia. Quia effectus alicuius primæ causæ (si quidem ipsa per se non est radix contingentiæ,) est contingens, propter defectum aut actionem causæ secundæ; quia nimirum effectus primæ causæ impeditur per defectum secundæ; vt patet de sole & pluuia, respectu fertilitatis. 4

Secunda ratio. Si ratio prima & vltimata contingentiæ essent causæ secundæ, non ipsa diuina voluntas, tanquam causa prima, tunc sequeretur, modum contingentiæ, qui cernitur in rebus, non esse volitum à Deo, nec proficisci à voluntate diuina, sed esse præter intentionem & voluntatem diuinam: si enim esset à voluntate diuina, iam hoc ipso diuina voluntas esset prima radix contingentiæ, non ipsæ causæ secundæ: at verò consequens est absurdum; quia modus contingentiæ & necessitatis, qui in rebus cernitur, per se spectat ad perfectionem vniuersi; ac proinde per se intentus esse debet ab authore vniuersi.

Denique vno verbo; Res omnes, tam secundum suam substantiam, quam modum contingentiæ, aut necessitatis, principaliter & vltimatè pendent à diuina voluntate, non à causis secundis: Ergo prima radix & causa contingentiæ ac necessitatis, quæ est in rebus creatis, non est diuersitas, seu propria ratio causarum secundarum, sed ipsa diuina voluntas, tanquam causa prima. 5

Digitized by Google

Atque hoc ergo sensu; non malè primam illam opinionem superius relatam, cuiuscunq; demum illa sit, reiecit S. Thomas loco citato, immeritò proinde reiectus à Vasquez disput. 99. capit. 7. numero 46.

Assertio II. Causæ tamen mediæ, siue secundæ, necessariæ, vel contingentes, sunt ratio & causa necessitatis vel contingentiæ, proxima & secundaria. Hanc assertionem agnoscunt S. Thomas, & Scotus locis citt. & apertè Caietanus hic quæst. 19. cit. artic. 8. Gregorius de Valentia quæst. 19. punct. 6. Molina quæst. 14. artic. 13 disp. 11. Vasquez cit. disput 99. capit. 7. numero 47. & alij. Probatur. Tum quia causæ secundæ, sicuti sunt proxima & secundaria causa rerum secundum substantiam; ita etiam quoad modum necessitatis vel contingentiæ. Tum quia vniuersim verum est, ea esse contingentia, quæ habent causas secundas contingentes: necessaria verò, quæ habent causas necessarias. Deniq; si causæ secundæ essent ita constitutę, prout nunc sunt; & simul per impossibile Deus nullam exerceret causalitatem in rebus creatis, adhuc tamen maneret modus necessitatis, aut contingentiæ in rebus.

6 Obijcies. Si contingentia sunt, quæ à causis secundis contingentibus siue liberis fiunt; ergo etiam quæ à Deo immediatè facta sunt, erunt effectus contingentes, adeoque entia contingentia: quia & hæc à nulla causa necessaria, sed à solo Deo immediatè, & quidem per liberam voluntatem facta sunt: Consequens autem est absurdum; quia sic cœlum & elementa omnia, ipsiq; Angeli, ac anima rationalis, essent entia contingentia: quod est absurdum. Et confirmatur sequela primò. Quia si radix contingentiæ potissima est causa prima; ergo non minus ad contingentiam alicuius effectus sufficiet libertas diuina voluntatis, tanquam causæ primæ, quam libertas causæ secundæ, quæ sine controuersia sufficit. Confirmatur secundò. Quia contingentia sunt, quæ positis etiam causis, possunt esse & non esse: quod de rebus à Deo solo productis verè etiam potest affirmari, hoc ipso, quod à Deo liberè, non necessariò prodeunt.

7 Respondeo, ens necessarium, prout contingenti opponitur, tribus modis accipi posse; primo strictissimè pro eo, quod absolutè, & citra vllam hypothesin, aut conditionem liberam vel contingentem, necessariò existit; seu quod non potest vllo modo non esse: & hac ratione solus Deus est ens necessarium, cætera verò omnia contingentia; quia absolutè loquendo potuerunt, atque etiamnum possunt non esse, vt rectè etiam probat obiectio, cum secunda confirmatione. Secundò accipi potest strictè pro eo, quod suppositâ semel actuali existentia, non potest per vllam causam seu potentiam naturalem non esse. Qua ratione entia necessaria sunt omnia & sola entia incorruptibilia, vt cœlum, Angeli, anima; contingentia verò omnia corruptibilia. Tertiò accipi potest ens necessarium latè, ex parte significati formalis, restrictè vero ex parte connotati; seu quasi subiecti, pro effectu necessario causæ alicuius secundæ; qui nimirum procedit à causa necessaria; quæ quoad suum illum effectum, nec indifferens aut libera est; nec impediri per alias causas naturaliter potest: contingens autem pro effectu contingenti seu libero causæ secundæ liberæ, vel contingentis, vt dictum. Et de his contingentibus est hoc loco sermo; in quibus tamen obiectio posita vim nullam habet, vt patet.

Nec refert, quod Deus sit causa principalis contingentiæ etiam horum effectuum; nihilominus enim denominationem non habent, nec dicuntur contingentes per respectum ad solam causam primam, sed secundam, vt rectè etiam notauit Vasquez loco cit. 8

Ratum sit igitur, causas secundas non esse primam causam & radicem contingentiæ & necessitatis, quæ cernitur in effectibus creatis; sed diuinam voluntatem, siue Deum ipsum, tanquam causam primam. Quæ etiam est mens S. Thomæ hic cit. quæst. 19. art. 8. cum ait: *Non igitur propterea* (vltimatè) *effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes causas ad eos præparauit.*

Assertio III. Propria & formalis radix contingentiæ, est diuina voluntas, non quatenus formaliter est libera; sed quatenus est efficax causa rerum; ac speciatim eius subordinationis, ac diuersi modi agendi causarum secundarum necessariarũ & contingentium. Ita contra Scotum, & Scotistas cum S. Thoma loc. cit. docent Caietanus, Bannes, Zumel, alijque Thomistæ hic q. 19. a. 8. Palatius in 1. dist. 38. dub. 2. Gregorius de Valentia q. 19. p. 6. Molina q. 14. a. 13. disp. 11. Suarez Metaph. disp. 19. n. 15. Vasquez hic disp. 100. c. 2. & alij communiter. 9

Probatur. Quia ad efficientiam seu efficaciam primæ atque vniuersalissimæ causæ, referri debent, non solum res ipsæ, quæ fiunt, sed etiam modi & gradus rerum per se à prima causa intenti; cum enim prima causa sit efficacissima, imo omnipotens, facit omnia quæ vult, & cum eo modo, quo vult: sed ratio contingentiæ & necessitatis sunt modi quidam rerum, per se à Deo veluti prima causa intenti; quandoquidem per se spectant ad perfectionem vniuersi: Ergo referendi sunt in efficaciam ipsius Dei, seu diuinæ voluntatis, tanquam primæ causæ.

Secundò. Contingentia & necessitas effectuum, in rebus creatis, proximè oritur ex diuersitate & varia conditione ipsarum causarum secundarum, vt dictum assert. 2 quæ proinde vltimatè referenda est in eius potentiam, qui eiusmodi causas disposuit: Deus autem suæ voluntatis efficaciâ est author & ordinator causarum, quæ ad eiusmodi diuersos gradus rerum tum necessariarum, tum contingentium ordinantur. *Ideo enim*, inquit S. Thomas, *quibusdam effectibus aptauit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proueniunt; quibusdam autem aptauit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes eueniant.* Ergo hæc effectuum diuersitas vltimatè referenda est in efficaciam voluntatis diuinæ, tanquam primæ causæ. Vtraque hæc ratio est S. Thomæ cit. q. 19. art. 8. 10

Quibus

11 Quibus accedit ratio tertia. Quia si per impossibile Deus non esset agens liberum, sed ageret ex necessitate naturæ, eo tamen præcisè modo, cum libero arbitrio, & alijs causis secundis ad effectus contingentes influendo, quo re ipsa nunc liberum influit, adhuc tamen staret libertas & contingentia istorum effectuum, vt rectè docet Thomas quæst. 2. de verit. art. 14. ad 5. & quæst. 5. art. 9. ad 10. & Caietanus hic quæstio. decima nona, articulo octauo. Ergo contingentia effectuum non est referenda in libertatem primæ causæ, sed in eius potentiam & efficaciam. Assumptum probatur. Cum enim plures causæ ad vnum actum concurrunt, vt ille sit liber, satis est, quod causa proxima sit libera seu contingens; si modo simul interim illa per concursum alterius causæ non extrahatur à suo naturali modo agendi: at verò etiamsi Deus esset agens necessarium, adhuc tamen, vt supponimus, causæ secundæ essent liberæ & contingentes, suumque naturalem modum agendi retinerent: Ergo etiamsi Deus esset agens necessarium, cæteris interim eodem modo sese habentibus, adhuc staret contingentia effectuum.

12 Atque eodem sensu accipi debet, quod docent Gabriel in 1. d 38. & Corduba libro 1. quæst. 55. dub. 4. si nulla foret causa (secunda) libera, nullam fore contingentiam, nimirum libertatis; etsi posset esse quædam contingentia naturalis effectûs impedibilis, vt rectè cum Henrico quodlib. 8. quæstio. 4 notauit Vasquez cit. disput. 100. cap. 4. Omitto, quod in ipsis etiam effectibus naturalibus, ad omnes suas causas comparatis, nonnulla qnandoque cernitur indifferentia, qua hoc vel illo modo fieri possunt, vt pluribus exemplis probare nititur Molina cit. q. 14. art. 13. disp. 12.

Assertio IV. Duplici tamen alio sensu, institui potest quæstio, in quo iuxta Scoti sententiam, planè aslm ittendum foret, nullam in rebus creatis fore libertatem, si Deus agens liberum non esset: primò si absolutè quæratur, an si nulla penitus in Deo esset libertas; adhuc tamen esse posset in aliqua causa secunda: Secundo, si Deus ex necessitate ageret, creatura vero per impossibile haberet facultatem operandi ex sua natura liberam, an non eo casu concursus Dei talis futurus esset, vt planè impediret vsum libertatis: ad vtramque enim quæstionem respondendum est affirmatiuè. Ita Gabriel, Corduba, Bannes, Zumel locis citatis. Suarez num. 5. 6. 7 Vasquez capite 2. Eodemque modo intelligendi sunt SS. Patres, quiita diuinæ efficacitati libertatem & contingentiam causarum secundarum tribuunt, vt cum ea diuinam etiam sapientiam, & liberam prouidentiam, vel maximè coniungant, vt videre est apud SS. Augustinum libro de prædestinatione & grat. capite decimo quinto, Prosperum ad obiect. Gallorum capite primo & secundo. Cyrillum libro quarto. in Ioannem cap. 7. Damascenum libro 2. de fid. cap. 30.

13 Ratio primæ partis est. Quia cum liberum arbitrium sit perfectio simpliciter simplex, si ea non esset possibilis in Deo, nec possibilis etiam esset in ulla creatura: sicuti si Deus intelligens non esset, nec vlla creatura intelligens esset. Secus se res habet, cum contingentia effectus impedibilis; quia cum hæc non sit perfectio simplex, sed potius imperfectio, nihil obstaret, quo minus effectis creatis conuenire posset, etiamsi tam illa, quam libertas in Deo nulla esset.

Ratio secundæ partis est. Quia si Deus ageret ex 14
necessitate naturæ, ageret quam posset efficacissimè; atqui potest sua efficacitate operandi impedire libertatem, quicquid recentiores quidam Thomistæ dicant, eam solum impediri posse, per concursum obiecti, de qua re quæstione sequenti. Ergo, &c. Sed neque hoc casu, aut sensu necessariò tolleretur contingentia effectus impedibilis. Quia etiamsi vi diuinæ efficacitatis in agendo, singulæ causæ naturales, quantum est ex se, vel maximè determinatæ forent ad suos effectus, vti etiamnum sunt; non tamen ideo tolleretur subordinatio & dependentia earundem inter se; qua fieri nihilominus posset, vt effectus & actio vnius v.g. causæ superioris, impediretur per actionem alterius; vt calor solis æstiui per interspirantes ventos, &c. Quod si iuxta hunc duplicem tantummodo sensum locutus fuisset Scotus, vt putat Corduba loc. citato, non malè sensisset. Sed reuera alium fuisse sensum, quem nimirum assertione tertia refutauimus, recte notarunt Caietanus, Gregorius de Valentia, Molina, Suarez, Vasquez, & alij, & satis colligitur ex eiusdem Scoti verbis & argumentis, quæ nunc sunt dissoluenda.

Primum obijcit Scotus. Causa mouens, in 15
quantum mota, si necessario mouetur, necessario mouet: sed omnis causa secunda est mouens, in quantum mota à prima; quia nulla causa secunda agit aliquid, nisi in virtute primæ: Ergo si causa secunda necessario mouetur, necessario mouet; ac proinde si prima causa non contingenter seu libere causat, nihil in vniuerso contingenter fit.

Respondeo cum Caietano, citata quæstione decima nona articulo octauo, & Molina citata disputatione vndecima, maiorem esse veram, si causa illa, quæ non mouet, nisi mota ab alio, ita ab alia causa moueatur, vt præuio influxu in ipsam causam physicè prædeterminetur ad agendum vel mouendum; seu vt loquitur Caietanus citato articulo octauo, si moueatur *motione præuia propriæ actioni, vt cum baculus mouetur à manu ad verberandum canem*, &c. falsam autem esse, si non moueatur præuio influxu in ipsam causam, sed solum influxu simultaneo in ipsum effectum seu motum; siue vt loquitur Caietanus ibidem, si solum moueatur *motione cooperatiua intrinsecè propriæ actioni*; vti accidit, cum causa secunda, præsertim libera, mouetur à prima, vt pluribus dicetur quæst. seq. dub. 1.

Secundo obijcit Scotus. Prima causa prius na- 16
turaliter respicit effectum, quam quæcunque alia causa: Ergo si necessario causat, omnis effectus in illo priori habet necessariam habitudinem ad ipsam; ac proinde nullus effectus fit contingenter: quia non potest vnus & idem effectus reipsa simul habere habitudinem contingentis & necessarij, etiam respectu diuersarum causarum.

Respondeo, maiorem esse veram, de prioritate, non durationis, aut naturæ, siue causalitatis, sed solum de prioritate dignitatis, & independentiæ; quod ad propositum nihil facit; quando alioqui

causa prima & secunda simul tempore & natura, eodemque influxu, in eundem effectum influunt, vt sentit etiam Caietanus hic, & pluribus contra quorundam recentiorum Thomistarum Philosophiam dicetur cit. quæst. seq. dub. 1.

17 Tertio obijcit Scotus in hunc sensum. Deus se solo potest esse causa contingentium effectuum, etiam vt contingentes sint: quia omnis effectus, qui producitur per causas secundas, potest idem numero produci à solo Deo: at verò eo casu, effectus non possent esse contingentes, si Deus esset agens necessarium: Ergo nec iam, &c. Respondeo negando consequentiam; quia vt rectè notauit Molina citat. disput. 11. ad effectum contingentem requiritur, & sufficit, vt cum duæ causæ ad eundem effectum ita concurrunt, vt neutra sine altera pro ratione talis concursus ad eum sufficiat, saltem altera ex illis sit libera aut contingens; quod nunc quidem in productione effectuum contingentium planè accidit; at verò eo casu, quo solus Deus ex necessitate naturæ aliquem effectum produceret, non fieret.

DVBIVM VII.

An & qua ratione, DEVS generatim actus liberos, atque alia, qua in hoc mundo fiunt, sua voluntate prædefiniat.

S. Thomas 1. p. q. 19. art. 8.

1 AD voluntatem inprimis pertinet, aliquid agendum decernere vel definire, vel etiam prædefinire; quod qua ratione Deo conueniat, præsertim respectu actuum seu effectuum liberorum & contingentium, est hoc loco declarandum: vt hinc tanto melius dubio sequenti concordiam diuinæ voluntatis cum nostra libertate explicare possimus. Quare notandũ primò, definire, statuere, cõstituere, decernere, destinare, moraliter idem esse; atq; hoc loco significare decretum voluntatis efficax, quo quis aliquid à se, aut ab alijs vult fieri. Huc etiam spectat vocula *determinare*, quæ tamen duplicem significatum habet; primò enim significat internum decretum, adeoque immanentem actum voluntatis, de re aliqua ab alio facienda; quo sensu idem prorsus est, quod decernere, definire; secundo accipitur etiam pro actu & determinatione transeunte in ipsam causam secundam; qua nimirum causa aliqua secunda ab alio agente extrinseco actione transeunte intrinsecè determinatur ad agendum. Priori modo determinatio ad diuinam voluntatem relata, dicitur intrinseca DEO, & extrinsecæ causæ secundæ agenti; posteriori sensu dicitur extrinseca DEO, & intrinseca causæ secundæ; in præsenti autem loco solum quæstio est de diuina determinatione priori sensu.

2 Notandum secundo, prædefinire, seu præfinire, vel etiam præstituere, prædecernere, aut prædeterminare, non differre à definire, statuere, decernere, vel determinare, neque adeo etiam prædefinitionem, aut præfinitionem, (quæ in hac materia promiscuè vsurpantur) vel etiam prædeterminationem, à definitione, decreto, aut determinatione, nisi ratione vocularum *Præ*, quæ cum generatim prioritatem significet, duplicem tamen hic potest habere significatum: nam & prioritatem rei siue temporis; & prioritatem causalitatis, siue naturæ ac rationis; vel etiam simul vtrumque significare potest. Eandem vim nonnunquam apud Doctores habet etiam vocabulum prædestinare, & prædestinatio, generatim acceptum. Quo modo S. Anselmus libro de concordia præscient. & prædestination. titulo siue capite secundo ait: *Prædestinatio videtur idem esse, quod præordinatio, siue præstitutio; & ideò quod DEVS prædestinare dicitur, intelligitur præordinare; quod est, statuere futurum esse.* Eandem vim apud Græcos habet vocabulum προορίζειν, seu προορίζεσθαι & προορισμὸς; quod tamen non solum internum animi definientis decretum, adeoque prædefinitionem, aut prædestinationem, sed etiam determinationem, seu prædeterminationem transeuntem significat; sicuti de determinatione siue prædeterminatione dictũ est. Decretũ autẽ Dei solũmodò executiuũ, quod iam priorem aliquam præfinitionem rei, ipsamque præscientiam absolutam eiusdem rei supponit, propriè non est præfinitio, vt rectè Suarez libro primo de concurs. Dei cap. 16. num. 2.

3 Notandum tertiò, prædefinitionem diuinam secundum ordinem causalitatis, aut rationis, comparari posse, vel cum determinatione libera voluntatis creatæ, siue causæ secundæ; vel cum effectu, seu ipso actu in facto esse ab eadem determinatione quasi procedente; vel cum præscientia etiam diuina tam ipsius determinationis nostræ, quam actus seu effectus subsecuti. Et omnibus his modis quæri potest in præsenti, an DEVS prædefiniat ea, quæ in hoc mundo à nobis, aut alijs causis secundus fiunt, natura aut ratione prius, ante nostram liberam determinationem futuram; aut ante futuritionem operis seu effectus prædefiniti; aut ante præscientiam tam ipsius determinationis naturæ ad agendum, quam effectus ex ea subsecuturi; quod si non ante præfiniat, an saltem simul, vel an omnino posterius præfiniat. Hæc enim omnia planè sunt distincta, vt videbimus.

Notandum quarto, cum ea, quæ in hoc mundo fiunt, duplex esse habeant, adeoque dupliciter spectari possint, in se nimirum, vel in suis causis, vtroque etiam modo quæri posse, an & qua ratione à DEO prædefiniantur: siue de effectibus merè naturalibus, & à nostro arbitrio nullo modo pendentibus sermo sit, vt est motus cœli & astrorum; siue de actibus nostris liberis, seu bonis, seu malis, adeoque etiam de peccatis, & quæ ab his actibus liberis dependent, loquamur.

4 His positis, cum inter omnes quidem Catholicos Doctores conueniat; peccata ipsa à Deo non

præfi-

Digitized by Google

præfiniri, vt mox dicetur; de ceteratum tamen rerum prædefinitionibus, ac modo eas prædefiniendi, varie loquuntur Scholastici. Primò enim sunt nonnulli, quos Vasquez disputatione octogesima septima, capite primo, & disput. 99. capite quinto, numero trigesimo secundo, tacito nomine refert, ac ex instituto refellit, qui dixerunt, Deum ab æterno non voluisse, & decreuisse opera nostra sigillatim, sed in genere tantum, & in vniuersum definijsse; paratum cum quouis operari, iuxta ipsius determinationem. Sed quæ sententia defendi nullo modo potest, vt benè Vasquez loco citato, & dicetur assertione secunda.

Secundo sunt nonnulli, qui cum concedant quidem, Deum particulatim opera nostra prædefinire, dicunt tamen, actiones liberas à Deo prædefiniri præfinitione solum subsequente liberam determinationem nostram; in quibus sunt Catharinus opusc. de præscient. cap. vlt. Osorius libro nono de Iustitia, Corduba lib. 1 quæst. 55. dub. 10. & quoad actus malos Marsilius in 1. quæst. 45. artic. 2. post concluf. 4. Quæ sententia à priore reipsa non multum differre videtur, & refellitur quoque à Vasquio cit. d. 99. cap. 5.

Tertio quidam negant, opera saltem mala seu actus peccaminosos, etiam in quantum entia sunt, à 5 Deo prædefiniri. Ita Molina 1. p. quæst. 14. art. 13. disput. 18. memb. 3. & Suarez opusc. libro secundo de concursu Dei, capite quarto. sed qui nomen prædefinitionis sumunt strictè pro præfinitione absoluta, quæ ratione & natura antecedat liberam determinationem nostram, iuxta assert. 3. Eodem modo nonnunquam etiam SS. Patres absolutè negant, opera mala seu peccaminosa à Deo prædefiniri: sed loquuntur aut de eadem præfinitione antecedente; vel de operibus malis adæquatè sumptis, etiam cum ipsa malitia morali, vt dicemus in fine assertionis 2.

Quarto Thomistæ quidam recentiores in altero extremo versantur: dum asserunt, omnes actiones nostras, etiam liberas & malas, qua entia sunt, à Deo prædefiniri prædefinitione absoluta, & natura antecedente cooperationem nostram. Sed verior sententia in sequentibus assertionibus consistit.

Assertio I. Deus peccata seu mala culpæ, nullo 6 modo præfinit, aut decernit. Ita omnes, & patet ex dictis supra dub. 1. præcipuè ex illo Psalmi quinti, versu quinto. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Abacuc primo, versu decimo tertio. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatem non poteris.* Ratio est. Quia quicquid Deus prædefinit, aut decernit, vult fieri; atqui peccata & mala culpæ Deus nullo modo vult fieri; sed solum permittit: Ergo.

In quem sensum etiam S. Augustinus libro de spirit & lit. capite trigesimo primo ait: *Nusquam legimus in sanctis scripturis, non esse voluntas, nisi à Deo; & rectè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum (quod absit) auctor est Deus.* Et in libro de articulis falso Augustino impositis dicitur: *Detestanda & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem; cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra Iustitiam est: vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum, non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire.*

Similia habet author hypognostici sequenti assertione citandus, item Concilium Arausicanum II. can. 25. & Concilium Valentinum sub Lothario capite tertio, & Fulgentius libro primo ad Monymum, vbi inter alia ait: *Præscuit voluntates bonas & malas; prædestinauit autem non malas, sed solas bonas.* Et S. Leo IX. epistola nona ad Petrum Antiochenum, *Credo*, inquit; *Deum prædestinasse solum bona; præscisse vero bona malaque.* Quod si ipsas malas actiones seu voluntates Deus non præfigit, vt citati Sancti dicunt, multo minus peccata.

Assertio II. Planè tamen fatendum est, Deum 7 omnes effectus veros & reales quarumlibet causarum secundarum, adeoque omnes actiones nostras liberas, etiam malas, qua entia sunt, sicut & ipsam peccati cuiuslibet permissionem; atque etiam mala solius pœnæ, ab æterno, adeoque prius tempore, quam fiant, etiam in particulari aliquo modo prædefinire ac præordinare. Ita contra primam sententiam docent S. Thomas 1 p. quæst. 23. art. 1. ad 1. & quæst. 25. art. 5. ad 1. & quæst. 116. artic. 1. 3. & 4. & quæst. 5. de verit. art 5. ad 1. & libro tertio cont. gent cap. 90. & in 2. distinct. 37. quæst. 2. art. 2 & quodlib. 12. quæst. 4. art. 4. vbi ait, *à prouidentia Dei omnia esse determinata.* Idem docent Thomistæ omnes, alijque recentiores, vt & quoad peccati permissionem Molina 1. p. quæst. 14. art. 13. disp. 18. memb. 3. & de actibus peccati expresè etiam Vasquez disput. 99. cap. 8. num. 49. Nec reipsa dissentiunt Molina & Suarez, vt in relatione tertiæ sententiæ dictum.

Probatur assertio primo ex scriptura, quæ ita 8 sæpe loquitur, aut id certè æquipollentibus verbis tradit. Esther decimo tertio versu nono. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; & non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.* Sapient. vndecimo, verso vigesimo sexto. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses:* Adeoque æterno decreto statuisses. Vbi generatim de omnibus rebus creatis sermo est. Ecclesiastici capite trigesimo tertio, versu decimo quarto. *Omnes viæ eius secundum dispositionem eius; sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum.* Esai. 14 versu 24. *Iurauit Dominus exercitum, dicens: Si non vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, sic eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc est consilium, quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extensa, super omnes gentes. Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extensa, & quis auertet eam?* Vbi sigillatim etiam de malo pœnæ sermo est. Actor. 17. v vigesimo sexto. *Definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum* vbi rursum generatim de futuris contingentibus sermo est. Eph. 1. v. 11. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Eph 2. v. 10

Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, (vtique liberis) *quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* In quæ verba S. Athanasius in commentario: *Sciens autem hæc parauit Deus; quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin peragantur; tanquam diuinitus sint præfinita, idque per multam erga nos prouidentiam.* Et Vasquez in paraphrasi, eadem verba ita reddit: *Quæ* (bona opera) *æterna sua prædestinatione ex seipso, & nullo merito nostro prædefiniuit, vt in tempore ea operaremur.* Ad mala pœnæ speciatim spectat illud Eccli. 11. v. 34. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Ex quo, & pluribus alijs locis, idipsum etiam contra Ioannem Erigenam Scotum, ex instituto probat Ecclesia Lugdunensis, tom. 2. auct. Patrum, pag. 1072. Vbi rectè etiam, id quod Sap. 1. v. 13. dicitur, Deum mortem non fecisse, ita explicat, vt hoc ad voluntatem Dei antecedentem, illud ad consequentem pertineat.

9 Ad actus malos speciatim pertinent ista Genes. 45. v. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Gen. 50. v. 19. *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* Luc. 22. v. 22. *Filius hominis secundum quod definitum est, vadit,* nempe tradendus & crucifigendus, &c. Actor. 4 v. 27. *Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus ac populis Israel, facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* Act. 2. v. 23. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.*

Secundo idem probatur ex SS. Patribus, qui eodem planè modo loquuntur. S. Dionysius cap. 5. de diuin. nom. *Exemplaria autem dicimus esse essentiæ rerum effectrices rationes, quæ in Deo coniunctæ ante fuerunt, quas scripta diuina prædestinationes appellant, diuinasque ac bonas voluntates, quæ constituunt & faciunt omnia, quemadmodum Deus, qui essentiæ antecellit, ea quæ sunt, & ante statuit, & in lucem protulit.* vel vt in alia versione apud S. Thomam in commentario ibid. lect. 3. habetur: *Exemplaria autem esse dicimus in Deo, existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates, existentium prædeterminatiuas, & effectiuas, secundum quas substantialis essentia omnia prædestinauit, & produxit.*

10 S. Augustinus in soliloq. cap. 26. *Antequam enim nascerer ego, filius ancillæ tuæ, Domine, spes mea ab uberibus matris meæ, tu præuenisti, præparasti mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in utero, nouisti me, & antequam exirem de vulua, quicquid tibi placuit præordinasti de me. Quæ & qualia sunt in libro tuo scripta de me, in secreto consistorij tui, ego quidem ignoro, vnde & valdè timeo.* Vbi patet, S. Augustinum etiam loqui de permissione peccatorum, quæ pœnam mereantur: & addit: *Tu verò nosti, quoniam quod ego per successus dierum & temporum, hinc ad mille annos huius temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ iam factum est, & quod futurum est, iam factum est.* Et tract. 104. in Ioann. ait, *Omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum.*

Item S. Prosper libro secundo de vocatione gentium, capite trigesimo quarto. *Nec aliter,* inquit, *quicquam procedere potest, quàm Omnipotentis voluntate dispositum est.*

S. Leo serm. 16. *Cum ergo omnia, quæ in Christum Iudaica admittit impietas, tanto ante prædicta sint, vt non tam de futuris, quam de præsentibus sit sermo contextus, quid aliud nobis, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo reseratur; apud quem & discernenda iam diiudicata, & futura iam facta sunt? Cum enim qualitates actionum nostrarum & effectus omnium voluntatum scientia diuina præueniat, quanto magis nota Deo sunt opera sua? Et rectè placuit, quasi facta recti, quæ non poterant omnino non fieri.* 11

Theodoretus Ephes. 1. in illa verba, *Elegit nos in ipso; Ab initio enim,* inquit, *ante mundi constitutionem, ea, quæ ad nos pertinebant, præsciuit & prædefiniuit.*

S. Gregorius lib. 12. Mor. cap. 1. *Cuncta,* ait, *Deus præsciens, ante secula decreuit, qualiter per secula dispositurus.* 12

S. Damascenus lib. 2. fid. orth. cap. vlt. ait: *Nam præscientia* (siue per præscientiam suam) *iam prælegit omnia Deus, secundum bonitatem & iustitiam suam.* & orat. 1. de Imaginibus ita loquitur: *Sunt idem in Deo imagines, & exempla rerum, quæ ab ipso futuræ sunt; nempe consilium eius æternum, quod se habet semper eodem modo. Immutabilis enim est omnino Deus, in quo nulla est commutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Has imagines, & hæc exempla præfinitiones appellat, sanctus ille Dei munere diuinis in rebus considerandis & explicandis, excellentissimus Dionysius. Omnia enim ab illo præfinita, & sine vlla commutatione futura, in eius consilio non aliter, antequam fierent, erant expressa, quam si quis velit domum ædificare, prius imaginem ac formam ipsius in animo effingit, cogitationeq; complectitur.* Quomodo autem intelligendus Damascenus, cum cit. loco de fid orthod. negat, ea, quæ in nostra sunt potestate, à Deo prædeterminari, sequenti dubio dicetur.

Fulgentius quoque lib. 1. ad Monimum cap. 14. & S. Augustinus passim asserunt, Deum ea ab æterno prædestinasse, quæ in tempore voluntate sua facturus erat. 13

S. Anselmus item opusc. de concord. præscient. & prædestin. tit. siue cap. 2 expresè docet, Deum & bona, & mala opera prædestinare: *Prædestinatio* inquit, *non solum bonorum est, sed malorum potest dici, sed bona specialius præscire & prædestinare dicitur, quia in illis facit, quod sunt, & quod bona sunt: in malis autem, nonnisi quod sunt essentialiter, nō quod mala sunt* &c.

His denique adiungo perspicua verba S. Thomæ, qui in 1. part. quæst. 25. art. 5. ad 1. ait: *Deus potest alia facere de potentia absoluta, quam quæ præsciuit, & præordinauit se facturum, non tamen potest esse, quod aliquæ faciat, quæ non præsciuerit & præordinauerit se facturum: quia ipsum facere subiacet præscientiæ & præordinationi; non autem ipsum posse, quia est naturale.* Quis autem neget, Deum non solum facere, seu producere omnia entia, non solum naturalia, & necessaria, sed etiam contingentia & libera; adeoque ipsas etiam operationes nostras liberas, atque actus peccaminosos, qua præcisè entia sunt?

Quia tamen actus malus duo includit, & substantiam scilicet actus, & malitiam, quæ vt dictum, nullo modo præfinitur à Deo; non est simpliciter, ac sine limitatione affirmandum, sed potius negandum,

actus

actus malos à Deo prædefiniri aut prædestinari: quo modo etiam sæpe loquuntur SS. Patres, & Concilia, apud Molinam & Suarez locis citatis; etsi cum explicatione addita, *secundum substantiam*, neque negetur à Patribus, neque à quoquam negari possit, loquendo generatim de præfinitione diuina. Quæ est etiam doctrina S. Thomæ in 2. d. 37. q. 2. art. 2. vbi ait: *Quodcunq; nomen deformitatem simul cum actu significat, siue in generali, siue in speciali, non potest dici, quod hoc à Deo sit simpliciter. Vnde non potest dici absolute, quod peccatum sit à Deo, vt homicidium, aut aliquid huiusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, & in quantum est ens.* Accedit, quod SS. Patres nonnunquam loquuntur de præfinitione absoluta, & quæ ratione antecedat liberam determinationem nostram, vt dicetur assert. sequente.

14 Tertiò probatur assertio ratione. Primo. Quicquid Deus in tempore facit, id ab æterno vult facere, adeoq; præordinat & præfinit, vt paulo antea ex S. Thoma dictū, & per se patet; quia Deus nihil sine consilio & volūtatis suæ decreto facit; cum sit agens liberū & intellectuale: sed Deus velut causa vniuersalis ipsos etiam nostros actus liberos, seu bonos, seu etiam malos, in quantum sunt entia, & quidam effectus causarum secundarum, in tempore efficit: sicut etiam in tempore permittit omnia peccata: Ergo etiam ab æterno voluit & decreuit, tam omnes illos actus, & quæ fiunt, efficere, quam peccata permittere: quod est præordinare ac prædestinare, nimirum prius velle, vt sint, vel fiant, quam fiant &c. Quæ ratio sumitur ex S Thoma loc. cit.

Secunda ratio sumitur ex auctore hypognostici lib. 6 Quia prædestinare, seu prædefinire aliquid, generatim loquendo, nihil aliud est, quam aliquid *prius, quam sit in re, præordinare*, vt dictus auctor rectè notauit: atqui Deus actus nostros omnes, ceteraque omnia quæ sunt, non minus, quam cuiuscuis peccati permissionem, prius quam sint in re, præordinat: Ergo &c.

15 Tertio dum aliquid prædefiniri dicitur, vocula *præ*, dupliciter accipi potest, primo vt significet prioritatem causæ, qua Deus prius aliquid, quam causa secunda ad id se se determinet, aut eam se determinaturam cognoscat, decernit esse aut fieri: secundo vt significet solum prioritatem temporis aut durationis, vt suprà dictum, & benè etiam notauit Vasquius disp. 99. cap. 6. num. 39. iam verò etiamsi dici non possit, Deum omnes actiones nostras liberas prædefinire priori modo, negari tamen non potest, prædefinire modo & sensu posteriore, in scriptura itidem, & Patribus vsitato loquendi modo: qua de causa etiam in assertione diximus, *aliquo modo* prædefinire. &c.

16 Eodem sensu etiam, vt loquitur S. Thomas q. 23. a. 1. fatendum est, res omnes, quæ sunt, fuisse à Deo *prædeterminatas*, loquendo de determinatione Dei intrinseca; quæ idem est, quod præfinitio: sicut enim aliquid prædefiniri potest in se, vel in sua causa; item præfinitione solum tempore antecedente ipsam futuritionem determinationis causæ secundæ, vel etiam prioritate causalitatis; ita etiam ijsdem varijs modis aliquid prædeterminari à Deo dici potest: vt proinde minimè necesse sit ijs, qui negant præfinitionem, aut prædeterminationem liberi actus in se, ante præuisam determinationem, absolutè dicere, Deum non prædeterminare, sed solum *condeterminare*, aut *postdeterminare* actus eosdem liberos, vt recens quidam author existimauit. 17

Assertio III. Nulla eiusmodi præfinitio Dei antecedit scientiam conditionatam liberæ determinationis nostræ, sed omnis præfinitio Dei eandem scientiam mediam siue conditionatam sequitur & supponit. Ita sentiunt omnes Doctores, qui scientiam Dei conditionatam admittunt; speciatim Molina, Suarez, Vasquez, & alij: negant autem solum illi Thomistæ recentiores, qui eiusmodi scientiam conditionatam futurorum contingentium penitus negant & è medio tollunt; quos iam antea refutauim⁹ quæst. 8. dub. 5. Probatur assertio manifestè, supposita existentia scientiæ mediæ. Quia in Deo simpliciter priores sunt actus necessarij, quam liberi, præsertim respectu eiusdem obiecti: atqui scientia conditionata futurorum contingentium in Deo est aliquo modo necessaria, vt ibidem diximus, omnis autem præfinitio Dei saltem efficax, & quæ in effectum deducitur, de qua hic loquimur, est simpliciter & absolutè, modisque omnibus libera, vt dictum dub. 4. Ergo scientia Dei conditionata cuiuscunq; effect⁹ contingentis, ratione prior est in Deo, quā præfinitio eiusdē effect⁹. Quod argumentū conuincit, necessariò, saltē ex parte subiecti, ante præfinitonem quamlibet Dei, ratione præcedere scientiam conditionatam eiusdem effectus præfiniti. An autem id etiam necessarium sit, ad libertatem effect⁹ prædefiniti tuendam, inferius dicetur assert. 7. 18

Assertio IV. Opus peccati, seu actum, qui habet malitiam moralem adiunctam, Deus nullo modo prædefinit, aut prædestinat, nec in se, nec in sua causa, præfinitione, quæ natura antecedat futuritionem absolutam ipsi⁹ determinationis nostrę; sed solum præfinitione comitante: sicut nec pœnam propriè, nisi post præuisionem peccati. Ita quoad primam partem Vasquez loc. cit. eademque est mens Molinæ & Suarez locis citatis, aliorumque Patrum, quos citant; quando eam ob etiā causam simpliciter negant, act⁹ peccaminosos, seu malos, à Deo prædefiniri; accipiunt enim subinde prædefinitionem, pro ea, quæ natura antecedit liberam determinationem nostram; quo modo solos actus bonos vel in se, vel saltem in sua causa prædefiniri docent, vt videbimus. Eadem est sententia communis Doctorum recentiorum, extra scholam S. Thomæ, contra Thomistas recentiores pro quarta sententia relatos.

Probatur assertio. Quia Deus ex seipso, adeoq; antecedenter ad determinationem nostram, ob summam suam bonitatem & perfectionem, qua peccatum omne & impietatem odit nec vult, nec velle potest opus peccati, cui malitia moralis annexa est: cū id potius prohibeat & detestetur; Ergo impossibile est, vt id ptædefinitione eiusmodi antecedente prædefiniat; siue in se, siue in sua causa. Quia etsi Deus præfiniat sine nostro consensu cogitationem (inuoluntariam) ex qua per conditionatam scientiā scit (nisi ab eo extraordinariè impediatur) nos libere peccaturos, non tamen dici potest in eā præfinire, vt in causa, ante nostrum consensum, opus peccati, etiam secundum substantiam; quandoqui-

dem non ea intentione Deus eiusmodi cogitationem præfiniuit, vt fieret opus peccati, neque adeo in ea cogitatione intendit, aut vult opus peccati; nec omnino per se, aut necessario ex vi eius cogitationis sequitur peccatũ. Secus est de opere virtutis, quod in ipsa vocatione congrua, veluti causà, rectè dicitur Deus præfinire; quandoquidem Deus in ipsa eiusmodi vocatione congrua vult & intendit opꝰ virtutis; idque per se, etsi non absoluta necessitate, ex illa sequitur, vt rectè notauit Vasquez cit. disp. 99. cap. 8. num. 49 & dicetur assert. 6.

19 Itaque neque in eo ipso instanti, quo Deus, ante nostrum consensum absolute futurum, præfinit vocationem inefficacem, seu cogitationem illam, ex qua per scientiam mediam sciebat nos libere peccaturos, si proportionatus causæ secundæ concursus accederet, præfinit Deus etiam opus peccati secundum substantiam; quia tunc nondum est futurum opus peccati; (vt pote quod Deus nihilominus extraordinaria prouidentia impedire posset;) nec Deꝰ vult, vt sit opus peccati: sed in sequenti instanti, quo decernit cum voluntate concurrere, sicut ipsa exigit, ad opus peccati: quæ voluntas in Deo non est antecedens, sed comitans nostram voluntatem; sicut & ipsa cooperatio Dei non antecedit naturâ, sed comitatur concursum & determinationem nostræ voluntatis; vt dicetur quæst. 11. dub. 1. vt proinde nulla idcirco voluntate antecedente, etiam in causa, Deus prædestinet opus peccati, secundum substantiam, vt etiam notauit Vasquez ibidem num. 49.

20 Dico autem opus peccati; hoc est, cui ratio formalis peccati, seu malitia moralis adiuncta est; de hoc enim loquuntur authores citati: quia opus peccaminosum, quod defectu libertatis, nullam malitiam moralem, nec adeo rationem formalem peccati annexam habet, nihil obstare videtur, quin Deus sine nostro consensu, & ante illum possit præfinire, vt suo loco dicetur in 1.2. disp. 4. quæst. 9. dub. 5. in fine.

Secunda pars assertionis est certa, & extra controuersiam: quia omnis pœna proprie loquendo, peccati pœna est, iuxta S. Augustinum 1. Retract. cap 9. Qui etiam lib. 3. cont. Iulian. cap. 18. ait: *potest Deus aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Plura de hac re disp. seq. quæst. 7. dub. 3. Eodemque modo intelligi potest illud Hypognost. lib. 6. *Sed non omne quod præscit, prædestinat. Mala enim tantum præscit, & non prædestinat. Bona verò & præscit, & prædestinat.* Nisi forte potius ad sensum in fine precedentis assertionis explicatum loquitur.

Dices primò, Decretum seu voluntas diuina concurrendi cum voluntate creata, sicut ipsa exigit, est voluntas solum indefinita, & quasi conditionata, concurrendi nimirum, si voluntas creata se determinet: Ergo non potest habere vim præfinitionis vllius, seu prædeterminationis, respectu operis peccaminosi: quandoquidem conditionata propositio nihil ponit in Esse; nec adeo ex vi eius decreti, vel etiam eo vtcunque posito, futurum est opus peccati.

21 Respondeo, id decretum quidem per se non habere vim prædefinitionis; habere tamen, vt vnà cum cogitatione præuisa substat scientiæ mediæ; per quam Deus infallibiliter sciuit, si homo tali cogitatione præueniretur, & simul concursus diuinus proportionatus liberæ determinationi ipsius hominis accederet, hominem opus peccati perpetraturum. Vtrâque enim hac conditione in illo secundo instãti iam impleta, infallibiliter futurum est opus peccati, etsi non necessario absolute; tum ob alias causas, tum quia secunda conditio non est omnino antecedens liberam hominis determinationem, sed concomitans, vt antea dictum. Ex quo sequitur, opus peccati præfiniri à Deo non potuisse, nisi supposita præscientia Dei media; neq; enim præfiniri potuit, nisi voluntante comitante futuritionem absolutam determinationis; neque voluntas comitans determinationem, haberet vim seu rationem præfinitionis, nisi præcessisset scientia Dei media.

Dices secundo. Vti posita præcise cogitatione, 22
ex qua futurum est opus peccati, priusquam accedat voluntas Dei concurrendi cum causa secunda, sicut ipsa exigit, nondum infallibiliter futurum est peccatum, atque ideo etiam in ipsa præcise cogitatione seu decreto cogitationis illius non est præfinitum peccatum, ita nec posita cogitatione seu vocatione congrua, nisi accedat concursus Dei proportionatus, infallibiliter secuturus est consensus in opus virtutis; ac proinde nec in cogitatione congrua, veluti causa, rectè dicitur consensus in opus virtutis præfinitus.

Respondeo, negando consequentiam; quia cum cogitationem seu vocationem congruam Deus immittat ea intentione, vt accedente debito concursu sequatur consensus, iam eo ipso, atque in ipso decreto vocationis congruæ, simul virtualiter & implicite vult Deus concursum debitum & proportionatum, liberæ determinationi futuræ, iam antea sub conditione præcognitæ, exhibere: secus accidit in cogitatione incongrua, respectu operis mali, vt antea dictum.

Quæres, an, sicuti dictum est, opus peccati non 23
esse præfinitum, ante futuritionem absolutam ipsius liberæ determinationis; ita etiam dici possit, non esse præfinitum ante præscientiam absolutam eiusmodi futuræ determinationis; item an dici possit, esse præfinitum primùm post futuritionem absolutam eiusdem determinationis, vti quidem loquuntur authores pro secunda sententia relati superius.

Respondeo ad vtrumque negatiue: ideo enim in assertione dictum est, ista præfiniri à Deo præfinitione comitante, non antecedente, aut etiam subsequente liberam determinationem nostram. Quod etiam hac assertione sequenti ita generatim declaramus.

Assertio V. Vti omnis præfinitio Dei ratione an- 24
tecedit absolutam præscientiam rei præfinitæ; ita nulla præfinitio sequitur futuritionem absolutam eiusdem. Ita contra secundam sententiam superius relatam Caietanus 3. p. q. 1. a. 3. & Vasquez cit. d. 99. cap. 5. & cap. 7. num 42. vbi vniuersim docet, præfinitionem Dei non supponere scientiam absolutam rei futuræ, sed solum conditionatam. Et cap. 8. num. 49. ait., voluntatem illam Dei concurrendi cum actu peccati esse comitantem, non antece-

dentem;

Digitized by Google

dentem; nec adeò etiam consequentem ad determinationem nostræ voluntatis. Ratio est. Quia præscientia Dei absoluta, vti supponit rem ipsam futuram, ita etiam supponit præfinitionem eiusdem rei, à qua res habet, vt sit futura. Item nulla res prius potest esse futura, quam præfinita; cum ex præfinitione habeat, quod sit futura, vt dictum: Ergo nulla præfinitio sequitur futuritionem absolutam rei præfinitæ. Accedit, quòd secundum oppositam sententiam, prior est determinatio nostra, quam diuinus concursus, quod in actibus præsertim bonis ac salutaribus dici nullo modo potest, vt magis patebit quæst. sequent. dub. 1. Denique cum opus peccati præfinitum sit eo ipso, quod suppositâ cogitatione illâ, Deus decreuit concurrere cum voluntate humanâ, sicut ipsa exigit, vt antea dictum, non potest primum dici præfinitum, post absolutam præscientiam eiusmodi futuræ determinationis; cum præscientia absoluta cuiuscunque rei futuræ, ratione potesterior sit ipsâ futuritione rei, vt superius quæst. 8. dub. 10. dictum. Quibus etiam de causis, recentiores oppositam sententiam graui censura damnant: Vasquez disp. 99. capit. 5. tanquam falsam refellit: ego probandam nullo modo sentio.

25 Assertio VI. Opus bonum virtutis prædefinit Deus, in suâ causâ, etiam absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Ita sentit Molina cit. q. 14. art. 13. disput. 18. mem. 3. & expresè docet non solum Suarez lib. 1. de concursu Dei cap. 16. sed etiam Vasquez cit. capit. 7. & 8. ex communi, nemine quod sciam repugnante. Et probatur ex dictis. Quia opus virtutis prædefinit Deus in suâ causâ hoc ipso, quod prædefinit vocationem congruam; vt præced. assert. dictum est: at vocationem congruam prædefinit Deus absque nostro consensu, adeoque ante absolutam futuritionem, aut scientiam determinationis nostræ, vt antea ex communi diximus; & magis patebit in materiâ de prædestinat. & gratiâ. Ergo & ipsum actum virtutis prædefinit Deus in suâ causâ, absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Plura superius assert. 4.

Assertio VII. Res & effectus naturales, quæ à nostrâ libertate nullo modo, sed à solo Deo dependent, præfinit Deus etiam in seipsis, ante futuritionem nostræ determinationis seu consensûs. Ita ex communi Vasquez cit. disp. 99. num. 38. & 51. atque in eundem sensum explicat Damascenum loco cit. cum ait, *Deum non præfinire ea, quæ in nostrâ potestate sitâ sunt, sed quæ in arbitrio nostro non consistunt*; vt sensus sit: Quæ à voluntate nostrâ non pendent, ante illam (secundum rationem) præfinit; quamuis non ante concursum causæ naturalis: quæ verò à nostrâ voluntate futura sunt, non ante illam, sed cum illâ decernit: ita vt vocula *præ*, non denotet solam anteceſſionem temporis, nec naturæ, respectu causæ naturalis; sed prioritatem independentiæ, respectu nostræ voluntatis libere consentientis.

26 Vnde sumitur etiam manifesta ratio; quia hoc ipso, quod hæc à nostrâ voluntate minime dependent, prædefinita etiam sunt independenter ab illâ, adeoque prioritate quadam saltem independentiæ ante illam. Tale opus est V. G. creatio cœli & terræ, motus item consuetus cœlorum & astrorum, dispositio generalis partium essentialium vniuersi &c. Dixi verò, præfinire ista ante nostram determinationem; nam vtrum etiam præfiniantur hæc omnia ante determinationem causarum secundarum, à quibus quædam eius generis procedunt, dijudicandum est ex quæst. sequent. dub. 1. & dicetur nonnihil disp. 3. quæst. 5. dub. 3. vbi S. Thomæ doctrina de prædestinatione expendetur.

Assertio VIII. Seclusâ scientiâ mediâ siue conditionatâ, non potest vllum opus liberum à Deo prædefiniri. Ita Molina loc. cit. Suarez cit. opusc. 1. de auxil. lib. 1. cap. 16. Mascarenas disp. 2. part. 4. Vasquez 1. part. disp. 99. capit. 7. numero 42. & est communis extra scholam S. Thomæ, contra recentiores Thomistas citatos. Probatur. Quia vt voluntas Dei habeat vim præfinitionis, respectu operis liberi, necesse est, vt voluntas illa sit efficax, & infallibiliter secum trahat opus præfinitum, absq; præiudicio tamen libertatis: atqui seclusâ scientiâ Dei mediâ impossibile est, vt eiusmodi voluntas diuina simul, & infallibiliter secum trahat opus præfinitum, & libertatem operis præfiniti non impediat: Ergo impossibile est, vt seclusâ scientiâ Dei conditionatâ, detur in Deo eiusmodi voluntas prædefiniens aliquod opus liberum, ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Maior patet. 27

Minor probatur. Quia ad efficacitatem & infallibilitatem illam diuinæ voluntatis omninò requiritur, præordinare, seu in promtu habere aliquod medium, ex quo in nobis infallibiliter sequatur consensus, seu opus præfinitum. Id quod dupliciter fieri potest; vel quia id medium ex se ac suâ naturâ, etiâ seclusâ omni scientiâ conditionatâ, talem vim & efficaciam habet, vt moueat, ac physicè prædeterminet voluntatem, aut sanè sit ipsa prædeterminatio physica voluntatis: vel quia, licet ex se ac suâ naturâ physicè nequaquam prædeterminet voluntatem, nec adeo infallibiliter ex suâ præcisè naturâ secum trahat consensum, tale tamen est, vt Deus per scientiam illam mediam, ab æteruo nôrit, voluntatem infallibiliter consensuram, si tali motione seu medio hîc & nunc adiuuetur, seu præueniatur, debitusque concursus præstetur; & nec fingi quidem potest tertius modus, (vt omnes auctores hactenus consentiunt) quo præfinitio illa habeat infallibilem effectū: atqui iuxta primum modum, quæ seclusâ scientiâ Dei conditionatâ, talis infallibilitas præfinitionis asseritur, prosus tollitur libertas arbitrij, non secus ac per physicam prædeterminationem eius, quam secum adfert, vt dicetur quæst. sequent. dub. 1. Ergo restat, vt admittatur & concedatur primus modus, qui supponit scientiam conditionatam futurorum contingentium; sine quâ perinde stare non potest libertas actûs prædefiniti: idque non solum de prædefinitione ante determinationem nostram verum habet, sed etiam de præfinitione quâcunque actûs liberi, vt expresè docent auctores citati; quia pariter omnis præfinitio diuina infallibili nexu secum trahere debet opus præfinitum, vt assertione tertia dictum: nec verò id 28

aliter

aliter fieri potest, quam altero ex duobus modis supradictis. Vtrum autem, quod iam dicendum restabat, supposita scientia conditionata, possit opus aliquod liberũ prędefiniri etiã in seipso, ante nostram determinationem absolutè futurã, quia longiorem tractationem postulat, dicetur dubio sequenti.

29 Ex his verò sequitur, tametsi quidem res omnes à DEO præfiniantur, non tamen eodem modo prædefiniri omnes; ac in specie quidem differre præfinitionem actuũ bonorum & malorum; quod hi nullo modo præfiniantur (prioritate naturæ seu causalitatis) ante determinationem nostram; illi verò etiam ante hanc præfiniantur saltem in sua causa; & fortè etiam in seipsis, vt dicetur dub. sequenti, & infra disp. 3. quæst. 5. Dub. 6.

DVBIVM VIII.

Qua ratione diuinæ voluntatis efficacia, ac præfinitiones, cũ libertate arbitrij concilientur; & an sola præfinitio Dei interna & immanens, quantumuis antecedens & absoluta, pugnet cum libertate actus prædefiniti.

Ad S. Thom. 1. p. q. 19. a. 8. & q. 22. a. 4. & q. 23. a. 1. ad 1. & art. 6. & 7.

1 COnstat quidem ex dubio quinto generatim, voluntatem Dei non omnibus rebus volitis necessitatem adferre; adeoque non obstante diuina voluntate, stare & in hominibus, & in Angelis, libertatem arbitrij; sed & diuinarum præfinitionum rationem dubio præced. magna ex parte iam explicauimus. Verum qua ratione particulatim libertas arbitrij creati cum diuinæ voluntatis efficacia, ac præfinitionibus concilietur; & quousque demum eiusmodi præfinitiones absque præiudicio libertatis extendi possint, id nunc explicandum restat. Neque hic est sermo de diuina cooperatione, seu concursu externo, ex diuinæ voluntatis decreto consequente, de hoc enim quæst. seq. dub. 1. agendum; sed solum de internis ac immanentibus actibus diuinæ voluntatis secundum se; non quidem inefficacibus, ac per modum simplicis complacentiæ se habentibus; hi enim hoc ipso, quod ineffitaces sunt, non infallibiliter secum trahunt, ac proinde nec impediunt liberam determinationem, seu cooperationem arbitrij nostri; sed solum de efficacibus, præsertim illis, quas præfinitiones diximus.

2 Quo in genere præ oculis habendi tres præfinitionum diuinarum modi, respectu actuum liberorum, qui in nostra potestate sunt constituti; quos præcedenti dubio attigimus. Primus est per modum decreti quasi conditionati, concurrendi nimirum cum arbitrio, si id seipsum libere ad hanc vel illam actionem determinet; seu quod idem est, præstandi vniuersim eum concursum arbitrio creato, quem id sibi iuxta conditionem suæ liberæ determinationis depoposcerit; quam præfinitionem dub. præced. assert. 4. & 5. diximus, neque antecedere, neque subsequi liberam nostræ voluntatis determinationem, sed comitari; vt proinde præfinitio concomitans dici possit. Secundus modus est, præfinitionis actus virtutis in vocatione congrua, velut in sua causa; ante determinationem nostram absolutè futuram; de qua diximus dub præced. assert. 6. Tertius præfinitionis modus est, per modum absoluti & simpliciter antecedentis decreti, quo nimirum Deus absolutè, & ante liberam determinationem nostram absolutè futuram, aliquid non tantum in sua causa, sed etiam in se præfiniat, adeoque esse aut fieri velit ac decernat; qualem præfinitionis modum in rebus quidem merè naturalibus, & ab humanâ libertate minimè pendentibus, locum habere diximus dub. præced. assert. 6. sed an possit etiam locum habere in operationibus liberis, nondum expositimus, sed ad hunc locum explicandum distulimus.

Præter hos tres præfinitionis modos, etiam addi potest quartum quasi genus efficacis volitionis diuinæ, quâ Deus non solum post determinationem nostram liberam absolutè futuram, sed etiam post præuisionem eiusdem ac ipsius operis iam ante prius ratione præfiniti, vult ipsum præfinitionis decretum exequi; quod propriè non esse præfinitionem, licet tempore præcedat actum seu opus decretum, dub. præced. notat. 2. ex Suario diximus: licet quidam vniuersim actus liberos non aliter præfiniri velint, nisi post determinationem nostram liberam absolutè futuram: quos refutauimus dub. præced. assert. 5.

His ita constitutis, certum est primò, voluntatem efficacem, seu præfinitionem, per modum quasi conditionati, aut generalis decreti, nihil impedire libertatem, omnium consensu. Ratio est. Quia istud decretum, eo ipso, quod solum conditionatum, aut generale est, modo explicato, per se, & seclusâ scientiâ conditionatâ non necessariò infert determinationem siue consensum nostrum; conditionata enim absolutè nihil ponunt in Esse: sed solum ratione præscientiæ conditionatæ; per quam nullam voluntati inferri necessitatẽ, ex dictis de diuinâ scientiâ constat. q. 8. dub. 11. & mox rursum inferius dicetur.

Secundo certum est, neque voluntatem illam quasi executiuam, quâ ex suppositione futuræ determinationis nostræ, ac suppositâ eius præuisione absolutâ, absolutè etiam per modum executionis vult Deus cum arbitrio creato ad hanc vel illã actionem in particulari concurrere; (quam rectè etiam Suarez opusc. de concur. Dei lib. 1. capit. 16. numero 2. Deo tribuit) obstare libertati. Ratio est. Quia licet suppositâ hac absolutâ voluntate, necessariò, necessitate consequentiæ & infallibilitatis, sequatur hæc vel illa actio nostra; non tamen hæc necessitas est absoluta, & antecedens, sed solum hypothetica, & consequens; quia supponit absolutam præscientiam, ac futuritio-

turitionem actionis nostræ, vt superius cit. quæst. 8. dub. 11. fusius explicauimus.

4 Tertiò non minus certum est, & indubitatum apud omnes, neque præfinitionem illam antecedentem boni operis in vocatione congrua seu efficaci; neque adeò etiam (quod re ipsa idem est) decretum, seu voluntatem diuinam conferendi, aut denegandi, his vel illis, ad hanc vel illam actionem, auxilium efficax gratiæ præuenientis, per se ac in genere, tollere vel impedire libertatem, aut facultatem etiam ad easdem illas actiones exercendas, vel non exercendas, ad quas dandum & denegandum decernitur; quod cum alij aliter explicent, nos tamen ex materia de gratia, id quod verius est, quasi præsupponendo, ita breuiter declaramus. Quia auxilium illud gratiæ efficacis neq; est necessarium, vt homo hanc vel illam bonam actionem possit exercere; etsi necessarium sit ad hoc, vt homo reipsa eiusmodi actionem exerceat; quo fit, vt etiamsi alicui denegetur, aut denegandum decernatur, adhuc tamen stet facultas, adeoque etiam libertas benè operandi; neque est aliqua eiusmodi vis aut motio, qua voluntas nostra physicè ad operandum prædeterminetur, quicquid Thomistæ quidam recentiores in contrarium dixerint: sed est solum ipsa gratia præueniens, quatenus vt subest scientiæ Dei mediæ, infallibili consequentia, absque vlla tamen necessitate physica, secum trahit consensum seu cooperationem nostram; cum interim voluntas posset eiusmodi vocationi absolutè resistere. Quæ proinde necessitas consensus & cooperationis futuræ, cum solum oriatur ex ipsa præuisione, seu futuritione conditionata nostri consensus, non est necessitas absoluta vel antecedens, sed solum hypothetica & consequens, vt suo loco fusius declarabitur; & ex sequentibus etiam à fortiori patebit, & rectè etiam declarauit Vasquez disp. nonagesima nona, capite septimo, numero quadragesimo secundo, & quadragesimo tertio, & capite octauo, numero quadragesimo octauo.

5 Hæc igitur cum certa sint, & extra controuersiam posita, illud modo inter Doctores controuersum est, an stare etiam libertas creati arbitrij possit, cum absoluto & antecedente decreto, & prædefinitione Dei interna ac immanente, qua Deus absolutè, atq; ante omnem liberam determinationem nostram absolutè futuram, voluerit ac decreuerit aliquid in particulari à nobis fieri; seu quod idem est, aut prædefinitio illa Dei antecedens & absoluta stare possit cum libertate nostræ actionis ita in particulari, etiam in se, non solum in sua causa prædefinitæ. Voco autem eam prædefinitionem immanentem & intrinsecam Deo, ac extrinsecam arbitrio creato; vt distinguatur à prædeterminatione DEI transeunte, ac in ipso arbitrio creato recepta; quæ proinde extrinseca est Deo, & intrinseca arbitrio creato, seu causæ secundæ agenti, de qua non hoc loco, sed quæstione sequenti dub. 1. disputandum est, vt antea monuimus.

6 Sunt autem de proposita quæstione duæ Doctorum sententiæ. Prima absolutè docet, eam prædefinitionem impedire libertatem, respectu earum actionum, quæ ita Deo in seipsis, sunt prædefinitæ: qui proinde negant, vllas actiones liberas creatas ita à Deo prædefinitas fuisse, aut prædefiniri potuisse: etsi fatentur, actiones bonas & salutares, ante præuisionem & futuritionem absolutam determinationis nostræ, fuisse à Deo præfinitas in sua causa vocationis congruæ; quæ tamen ex se nullam necessitatem consentiendi adferret; cum ei voluntas nostra absolutè posset resistere, vt dictum. Ita docent Gregorius de Valentia hic quæstio. 22. punct. 3. & quæst. 23. punct. 4. Molina quæst. 14. art. 13. d. 18. Vasquez hic disput. 89. cap. 10. & disputatione 99. cap. 3. & 7. & in 3. part. tom. primo, disputatione 74. capite 7. & alij nonnulli recentiores: ex antiquioribus vero Scholasticis, qui hanc sententiam apertè tradiderit, neque citant ipsi, neque ego inuenio.

Solum adducunt Anselmum, & Waldensem, 7
mox inferius citandos; qui negant, libertatem stare posse cum necessitate antecedente, vt iam dicemus. Quibus adjcit Vasquez hic citat disput. 99. cap. 6. num. 56. Damascenum lib. 2. de fid. cap. vlt. vbi sic ait: *Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea etiam, quæ in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt; at non ita ea præfinit: neque enim vitium admitti vult; nec rursus virtuti vim affert.* Et addit iuxta Græcum textum, (interpretatio enim Latina corrupta est;) *Quoniam diuinæ præscientiæ iussionis opus est præfinitio. Præfinit autem ea, quæ non in nostra potestate sunt, secundum præscientiam suam.* Idem habet Damascenus libro contra Manichæos, non longè à fine, vbi ait: *Quæ cum ita sint, Deus ea, quæ voluntariè à nobis futura sunt, hoc est, ea quæ in nostra potestate sita sunt, nimirum virtutem ac vitium, præsciens, ea demum præfinit, quæ in arbitrio nostro minimè consistunt.*

Quanquam idem Vasquez ibidem, numero trigesimo octauo non dissimulat S. Thomam hic quæstio. 23. artic. 1. ad 1. hoc ipsum sibi testimonium obiecisse, atque ita dissoluisse, vt diceret, Damascenum prædeterminationem seu præfinitionem nominasse, *impositionem necessitatis, quæ est*, inquit, *in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminata ad vnum; quod patet*, inquit S. Thomas, *ex eo, quod subdit: non enim vult malitiam, neque compellit virtutem.* Sed eam interpretationem S. Thomæ, reijcit Vasquez; nec tamen diffitetur interim eadem disputatione 99. cap. 3. S. Thomam, aliosque Scholasticos veteres complures, ei sententiæ, quæ negat, absolutam illam præfinitionem stare posse cum libertate, etiam ex alio capite parum fauere; dum nimirum in conciliatione voluntatis diuinæ cum libertate nostra, eius sententiæ nusquam meminerunt: sed longè aliam, ac diuersam ab ea sententia, conciliationis rationem tradiderunt: vtcunque demum ipse eadem disputatione, capite septimo numer. 47. quasi dicis caussa, asserat, putare se suam sententiam S. Thomæ, & aliis Scholasticis ab eo cap. 3. relatis non aduersari. 8

Fundamentum autem potissimum huius sententiæ est, Quia quod fit necessario, necessitate antecedente, non fit libere: atqui à Deo hoc modo præfinitum ante nostram determinationem, necessariò fit necessitate antecedente: Ergo non fit liberè: ac proinde impossibile est, liberas 9

actiones

actiones nostras ita à Deo præfiniri. Maior sumitur ex S. Anselmo opusc. de con. lib. arbit. & prædestinat. cap. seu tit. 1. & communiter admittitur ab omnibus, adeo vt Waldensis tomo 1. doctr. art. 1. c. 25. contra quosdam Theologos sui temporis periculosam vocet eam doctrinam, qua illi dicebant, nostra opera fieri necessario necessitate antecedente; non enim cum tali necessitate consistere libertatem arbitrij: *Necessitas ergo præcedens*, inquit, *non compatitur arbitrij libertatem; & ideo ipsa non conuenit humanis affectibus. Periculosè ergo, vt mihi videtur, quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus; etiam & quod fluat voluntate Dei: maximè cum antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possint, cum conantur; & illud quod adducunt, cor Regis in manu Domini, & quocunque voluerit, inclinat illud, ipse textus exponit se, intelligi de necessitate tractionis vel inclinationis; non autem de necessitate illa, quæ præcedit, secundum Anselmum.*

10 Minor eiusdem argumenti probatur. Quia iuxta eundem Anselmum ibidem, & communem, vt aiunt, explicationem, necessitas antecedens vocatur, quæ prouenit ex causa, seu ex aliquo, quod antecedit effectum; quo posito, non potest effectus non sequi: ac proindè, id necessariò fit necessitate antecedente, quod fit necessario ex hypothesi antecedente, non solum re & tempore, hoc enim per se impertinens est; sed etiam natura & ratione, liberam determinationem arbitrij, & ab ea independente; atqui omne prædefinitum à Deo ante determinationem nostram, necessario fit, ex tali hypothesi, ipsius scilicet prædestinationis, quæ cum, vt supponitur, sit causa actus humani, nostræque determinationis ad eundem, simpliciter & absolutè, non solum re & tempore, sed etiam natura ac ratione prior ac independens est ab vsu liberi arbitrij.

11 Secunda, & quidem communior sententia Theologorum, tam veterum, quam recentiorum est, præfinitionem illam Dei internam, qua ante præuisionem absolutam nostræ determinationis, absolutè & efficaciter prædefinit, etiam in se, ac in particulari, aliquam actionem nostram, per se non pugnare cum libertate actionis prædefinitæ; adeoque fieri posse, vt Deus ita absolutè prædefiniat aliquas actiones liberas, seu aliud quippiam, quod est in potestate nostra situm. Hæc est sententia S. Thomæ quæst. 23. a. 8. vbi docet, numerum prædestinatorum, etiam in individuo, certum esse Deo, *non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum principalis cuiusdam præfinitionis.* Quo nomine planè absolutam & antecedentem præfinitionem saluandorum significat; cum tamen interim adulti omnes liberè saluentur. Plura in eundem sensum referuntur inferius disp. seq. q. 5. dub. 3. & 6. Idem indicat 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. & q. 5. de verit. art. 5. ad 1, & 3. cont. gent. cap. 90. Vbi superius allatum dictum S. Damasceni exponens, ait; eum non quamcunque nostrorum actuum prædeterminationem negare voluisse, sed eam duntaxat,

12 *quæ est cum impositione necessitatis.* Idem sentiunt S. Thomas hic q. 19. a. 8. & q. 22. art. 4. Durandus in 1. d. 46. q. 1. n. 7. Dionysius Carthusianus d. 39. q. 2. & d. 42. q. 1. Capreolus d. 45. q. 1. concluſ. 1. Ferrariensis 1. cont. gent. cap. 85. Driedo opusc. de concord. lib. arbit. & prædest. part. 2. cap. 3. ad 1. qui cum diuinæ voluntatis & prouidentiæ efficaciam cum libertate nostri arbitrij conciliant, nullam prorsus, vti res alioqui exigebat, mentionem faciunt, præuiæ aut conconitantis liberæ determinationis nostræ; sed ea solum ratione concordiam hanc & conciliationem explicant; quia non solum ipsæ res secundum se, sed etiam cum suis illis modis contingentiæ vel necessitatis, cadunt sub efficaciam diuinæ voluntatis ac prouidentiæ; quæ proinde rebus contingentibus, causas contingentes; alijs verò necessarias præparauerit, id quod fatetur etiam Vasquez disp. 99. cap. 3. num. 7. vbi idcircò vocat hanc sententiam antiquorum Scholasticorum. In eundem sensum loquitur Anselmus cit. opusc. de concord. lib. arb. & prædest. vti inferius dicemus. Eandem sententiam consequenter ac necessario sequuntur omnes Scholastici, quotquot tuentur prædestinationem adultorum, ante absolutam futuritionem, & præuisionem cooperationis, & meritorum, quos disput. seq. dub. 3. referemus. Cum enim homo adultus liberè saluetur, vt pluribus probat Vasquez disput. 89. cap. 10. certè ij, qui talem prædestinationem statuerunt, non existimarunt, ob illa, quantumuis re & ratione antecedat nostram determinationem, impediri libertatem. Eandem sententiam speciatim etiam indicant Scotus in 1. dist. 39. quæst. vn. & quodlib. 9. art. 14. & cæteri eius discipuli ibidem.

Denique eandem sententiam apertè ac in proprijs terminis ex instituto docent, & fusè tuentur 13 Suarez hic libro primo de prædest. cap. 8. num. 18. & opusc. 1. de auxil. grat. lib. 1. cap. 16. num. 4. & in 3. p. tom. 1. dis. 37. sec. 3. Mascarenas de grat. disput. 2. part. 4. num. 29. Item Bannes quæst. 23. art. 5. Zumel art. 4. disput. 3. ac Thomistæ recentiores omnes. Et addit Suarez, oppositam sententiam sibi nunquam nec probabilem quidem visam esse. Ita enim loquitur l. 3. de auxil. num. 9. *Quod huiusmodi præelectio*, inquit, *non sit impossibilis Deo, salua libertate arbitrij hominis, mihi certissimum est; ita vt licet superiorem sententiam non censeam improbabilem, quatenus declarat modum prouidentiæ, vel prædestinationis, quem de facto Deus habuit, tamen quatenus in eo fundatur, quod alius modus erat impossibilis, & repugnans libertati, nunquam mihi probari potuit, nec verisimilis videri.* Et inferius cap. 29. num. 17. docet, fuisse incognitam antiquis Theologis; *Contraria ratio*, inquit, *apud me est omninò inefficax; & in hoc etiam omninò improbabilis; quod probare conatur, esse impossibile Deo, efficaciter eligere aliquem* (ante præuisa merita) *ad gloriam liberè consequendam: quod nullus antiquorum Theologorum dixit, illorum etiam, qui putant, de facto talem electionem in omnibus saluandis non præcessisse.* Ita Suarez; ex quibus facilè patet, quam sit hæc communis & recepta, ac verè classica Doctorum sententia.

Cum autem in hoc omnes autores consentiant, posse, atq; etiam solere nonnunquam Deum quasdam actiones nostras liberas, seu alia, quę in potestate nostra libera constituta sunt, salua libertate, modo explicato prædefinire; in tribus tamen alijs eandem rē concernentibus discrepāt. Primò quidē, quia Bannes, Zumel, & alij recentiores Thomistæ existimāt, etiā absq; sciētia media, seu cōditionata futurorū contingentiū posse stare & conciliari libertatem

arbitrij nostri, cum infallibilitate & efficacia prædestinationis illius, respectu actuũ prædefinitorũ; at verò Suarez, Mascarenas, & alij dicunt, per scientiam quidem illam mediam posse, at sine illa nõ posse consistere libertatem nostram, quoad actus ita prædefinitos, cũ tali præfinitione. Nos ex præced. dub. assert. 8. supponimus, nullam præfinitionem operis liberi esse posse, absque præuia Dei scientia media, siue conditionata.

14 Secundo ijdem Thomistæ recentiores docent, eiusmodi præfinitionem absolutam & efficacẽ, reipsa interuenire, imò ratione dependentiæ cuiusque effectus à prima causa vniuersalissima prorsus necessariam esse, in omnibus omninò actibus & effectibus causarũ secundarũ, adeoq; in omnibus actionibus humanis, nõ solũ bonis, sed etiã malis, in quãtũ act9 & entia sunt; vt post Bannẽ fusè prosequitur Didac9 Aluarez l. 3. de auxil. grat. d. 22. n. 9. & d. 24. n. 15. Suarez autẽ, & alij negãt, act9 moraliter malos vllo modo ita à Deo, aut reipsa prædefiniri, aut prædefiniri posse; qui proinde addũt, eiusmodi prædefinitionẽ non tam esse necessariã ex parte ipsius effect9 causæ secũdæ, quasi alioquin ille esse non possit sine tali prædefinitione; quã ex parte ipsius Dei, ob maiorem diuinæ prouidentiæ perfectionẽ. Nos itidem hic supponimus, ex eodẽ dubio præcedenti assert. 4. actus malos à Deo ita præfiniri non posse: de bonis solũ disputamus: nõ quidem an absolutè omnes ita prædefiniantur, de hoc enim agendum disp. sequent. q. 5. dub. 6. sed solum an saluâ libertate ita prædefiniri possint.

15 Tertio, Thomistæ recentiores, in actibus humanis, præter prædefinitionem Dei internam, admittunt etiam & requirunt prædeterminationem externam physicam, quâ ita efficaciter à Deo præmoueatur voluntas, siue potentia operatiua, vt supposità eiusmodi motione, non possit non operari, aut consentire. Suarez autem, & Mascarenas, non minus quàm Molina, Vasquez, alijque recentiores, pro priori sententia citati, eiusmodi prædeterminationem physicam in actibus liberis, vtpote cum libertate pugnantem, penitus reijciunt: quod nos etiam hoc loco ex quæstione sequenti dub. 11. supponimus. Quibus positis, ad præsentem dubitationem hac vnica assertione respondemus.

Assertio vnica. Supposita in Deo scientiâ mediâ, rectè consistere potest libertas operis, à Deo etiam ante liberam determinationem nostram absolute futuram, prædefiniti; adeoque potest Deus opus aliquod nostrum bonum, ac liberum, ante liberam determinationem nostram, eiusue præscientiam prædefinire ac prædeterminare; ita vt talis præfinitio, non solum tempore, sed etiam naturâ & ratione præcedat, tam ipsum opus liberum, quàm determinationem nostram liberam, ad idem opus. Ita sentiunt omnes authores pro secũda sententia superius relati: adeo vt hæc sit explorata sententia veterum Scholasticorum, & communis plurimorum recentiorum, quos disp. seq. q. 5. dub. 3. & 6. de prædest. fusius referemus; cũ è contrario ex veteribus Scholasticis, qui contrarium apertè docuerit, quod mihi quidem hacten9 constet, & notauit etiam Suarez antea citatus, ne vnus quidem referri possit: sicut nec Damascenũ, nec Anselmum, nec Waldensem in oppositâ fuisse sententia, inferius ostendemus.

Et omissis hoc loco testimonijs sacræ Scripturæ & SS. Patrum, quibus significatur, re ipsa ac de facto quædã opa nostra, sic à Deo fuisse prędefinita, quæ d. seq. q. 5. dub. 6. adferentur & expendentur; cũ hoc loco nõ agam9 de eo, qd re ipsa faciat Deus, sed quid absolute possit, aut potuerit facere; probatur assertio primo directè hac ratione. Si præfinitio illa necessario impediret libertatẽ actus præfiniti, id faceret aut immediatè per se ipsam, aut per aliquem modum, seu medium executionis subsequens: non enim restat alius modus, quo necessitet voluntatem: sed nec per se ipsam id facit, nec per mediũ aliquod in executione subsequẽs: ergo non impedit necessario libertatem actus prædefiniti. Maior constat: quia quidquid præfinitionẽ illã in mente diuina antecedit, id omniũ sententia rectè cõsistere potest cum libertate actus præfiniti; nec in ipsa mente diuina, ad eiusmodi præfinitionem aliud consequitur, quam & voluntas applicandi potentiam executiuam ad opus, & præscientia absoluta secuturi effectus; quarum posteriorem nullo modo obstare libertati act9 præcogniti aut prædefiniti, omnes consentiunt; voluntas autem executiua, cum supponat præfinitionẽ ac futuritionem ipsius operis præfiniti, non potest etiã per se impedire libertatem; sed si impediat, necessesse est impedire ratione modi, seu medij ipsius executionis, quæ ex illa consequitur, quem modum seu medium, sub altero membro illius propositionis maioris comprehendimus. 16

Minor probatur. Quia impediri nostræ voluntatis in agendo libertas non potest, nisi vel actio eius penitus impediatur, vel in seipsa realiter, siue intrinsece atque antecedenter aliũde, quam à seipsa ad vnam partem determinetur; quamdiu enim ita intrinsecè & antecedenter aliunde determinata non est, vis & modus eius connaturalis agendi in se nulla ratione mutatur vel impeditur: ac proinde manet ei facultas, qua seipsam possit determinare, etiam liberè: at vero præfinitio illa diuina, nec per se, nec ratione executionis subsequentis, aut voluntati omnem operandi potestatem adimit, vt per se patet, nec eam realiter ac intrinsece ad vnam partem determinat: Non per se immediatè ac formaliter, quia est aliquid volũtati mèrè extrinsecum, quod eam realiter nullo modo afficit; nec adeo etiam realiter & intrinsecè ipsam determinat: neque etiam mediatè, vel ex consequenti, ratione executionis, seu medij ad executionem destinati. Quia executio huius præfinitionis, vt hic supponimus, non fit, per internam physicam aliquam prædeterminationem, quæ sua vi, antecedenter ad liberam determinationem volũtatis, intrinsecè ad vnam partem determinet voluntatem: sed solum fit impertitione gratiæ congruæ, quæ suam infallibilitatẽ causandi consensum, seu effectum præfinitum, solum habet ex scientia media, quæ cum posterior sit ipso futuro cõsensu, sub tali cõditione fit, vt nec voluntatẽ physicè ad cõsensum determinet, necvllâ volũtati absolutã necessitatẽ adferat, vt superi9 dictũ: partim 17

Digitized by Google

exhibitione actualis concursus diuini, quo itidem voluntatem antecedenter & intrinsecè non prædeterminari, quæst. seq. contra Thomistas recentiores dicetur: Ergo nulla penitus ratio est, qua per præfinitionem illam extrinsecam, suppositâ scientia media, quam iuxta nostram sententiam supponimus, dicatur impediri libertas actionis ita præfinitæ.

18 Secundo probatur assertio ad hominem, ex ijs, quæ ipsimet aduersæ sententiæ auctores admittunt. Nam vt dub. præced. diximus; Vasquez vna cum alijs, expressè docet disputat. 99. capit. 8. num 48.49. Deum præfinire opera nostra (bona) sine nobis, hoc est; ante nostram liberam determinationem, non quidem explicite, & singulatim in seipsis (vt ipse ait) sed *incongrua vocatione*, quam cum præscientia eius, quod esset factura, nobis prædestinauit. Sicut enim congruam vocationem largitur nobis in tempore, ante nostrã liberam determinationem, ita etiam eam præfinit. Quam doctrinam necesse est admittant omnes, quicunque scientiam mediam admittunt, & simul gratuitam donationem gratiæ congruæ, contra Pelagianos fatentur.

Quo posito, sic argumentor. Si præfinitio illa absoluta & antecedens determinationem nostrã, de qua disputamus, impediret libertatem, id fieret ideo, quia adfert voluntati necessitatem antecedentem ad opus præfinitum: necessitatem vero antecedentem ideo adferret, quia præfinitio, ex qua sequitur infallibiliter opus præfinitum, non solum re & tempore, sed etiam natura & ratione antecedit liberã determinationem nostrã, vt auctores oppositæ sententiæ vno ore dicunt: at vero suppositâ hac eorum doctrina, quam retulimus, dici minimè potest, omnem necessitatem, quæ oritur ex conditione re & natura antecedente liberam determinationem voluntatis nostræ, esse antecedentem, & incompossibilem cum libertate: Ergo absque fundamento, & contra suammet doctrinã astruunt, necessitatem, quæ oritur ex illa præfinitione, ideo esse antecedentem, & impedire libertatem, quia præfinitio illa re & natura præcedit liberam determinationem nostram. Maior constat.

19 Minor probatur. Quia illa ipsa præfinitio nostræ cooperationis in gratia congrua, veluti causa, & præcedit liberam determinationem nostram, vt ex certâ & communi dictum, dub. præced. assert. 6. & simul hoc ipso, quod est præfinitio cooperationis seu determinationis nostræ in ipsâ vocatione illa, velut in causa, infallibili sequela & nexu infert secumq́; trahit cooperationem, seu determinationem nostram ad opus præfinitum: & tamẽ ea ipsa præfinitio, iuxta eosdem, neque adfert necessitatem antecedentem, neque impedit libertatem actus præfiniti; cuius rei Vasquez cit. n. 49. non aliam rationem adfert, nisi quia, *cuiq́ liberum est*, inquit, *vocationi congruæ resistere, vel obtemperare:* Ergo etiam secundum istosmet auctores, verum non est, omnem necessitatem, quæ oritur ex conditione re & natura antecedente liberam determinationem nostram, esse antecedentẽ & libertati cõtrariam. Simile exemplum circa reprobationem adfero inferius disp. 3. q. 7. dub. 5. ex eodem Vasquio disp. 95. cap. 9.

Quocirca etiam, vt in disp. de prædest. thesi 55. monui, argumento illo, quod ex Anselmo obiiciunt, premuntur omnes illi, qui admittentes scientiam mediã, rectè asserunt, Deum ante præuisionẽ cooperationis nostræ, prędestinatis gratis decreuisse eam gratiã, qua cum antea per scientiam mediam præuiderat eos cooperaturos. Hoc enim posito necesse est, fateri, cooperationem prædestinati (vtique tantam, talem, & hanc numero: hæc enim omnia per scientiam cõditionatam pręuiderat Deus) necessario sequi ex hypothesi, re & ratione antecedẽte futurum liberum vsum arbitrij. Necessario enim sequitur ex illo ipso decreto talis gratiæ; supponente quidem scientiam mediã, sed antecedente ipsam cooperationem, seu consensum, & determinationem futuram, velut effectũ; adeoque etiam præuisionem absolutam talis cooperationis seu determinationis; quia quod Deus scientia media præuidit infallibiliter futurum ex aliqua hypothesi, id impleta hac hypothesi, eoipso necessario ac infallibiliter futurũ est, ne alioqui scientia Dei reddatur fallibilis: sed iuxta hos auctores, Deus ante præuisionem absolutam liberæ cooperationis & determinationis nostræ, per scientiam mediam præuidit, hominem infallibiliter cooperaturum, si decerneret illi talem gratiã congruam, etiam seclusâ interim præscientia absoluta eiusdem cooperationis & determinationis; quæ iuxta eosdem indubitate posterior est hoc decreto: Ergo posito decreto gratię illi[9] congruę, quod, vt dictum, ratione antecedit præscientiã absolutã cooperationis, adeoque etiam ipsam cooperationem futuram, necessario sequitur cooperatio & determinatio, opusq́ue à Deo præfinitum. Ex quibus plane conuincitur, oppositam nostræ assertioni sententiam sibiipsi hac in re constare non posse, vt etiam notaui Disp. de Deo & Attrib. Diuin. Thesi 13. & rursum inferius moneo Disput. sequent. q. 7. dub. 5. vbi explico, qua ratione reprobatio cum libertate arbitrij consentiat. 20

Tertio deniq; probatur assertio, directa refutatione eius fundamenti, quod contra nostrã sententiã ex Anselmo obijciunt. Aiunt enim, necessitatẽ antecedẽtẽ, & quæ libertati repugnet, ab Anselmo vocari eã, quæ sequitur ex quauis hypothesi re & ratione ac natura antecedẽte liberam determinationem nostram: quod tamen in Anselmo nusquã legitur; nec ex verbis aut doctrina eius colligitur; Nec apud antiquos Scolasticos reperitur, vt in relatione secundæ sententiæ monui. 21

Etenim duob[9] in locis hac de re Anselmus agit, nimirũ l. 2. *Cur Deus homo*, c. 18. & Opusc. de Cõcord. præscient. & prædest. cap. seu tit. 1. & 2. Ex quibus ordine referemus ea numeris, seu capitib[9] aliquot distinctis, quæ ad præsens negotium faciunt.

I. Priori illo loco, nimirum lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. ita loquitur Anselmus: *Est namq́, necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res; & est necessitas sequẽs, quã res facit: præcedẽs & efficiens necessitas est, cũ dicitur cælum volui, quia necesse est, vt voluatur. Sequens vero, & quæ nihil efficit, sed fit, est, cum dico, te ex necessitate loqui, quia loqueris: Cum enim hoc dico, significo*

nihil

nihil facere posse, vt dū loqueris non loquaris; nō quod aliquid te cogat ad loquendū; nā violētia naturalis conditionis cogit cælum volui: te vero nulla necessitas facit loqui.

II. In posteriori loco opusc. de Concord. præsc. cap. 1. siue tit. 1. hæc ad rem pertinent: Tradens enim primum modum conciliandi libertatem cū diuina præscientia, ait: *Non debes dicere; præscit me Deus peccaturum, vel non peccaturum; sed præscit me DEVS peccaturum sine necessitate, vel non peccaturum: & ita sequitur; quia siue peccaueris, siue non peccaueris, utrumq; sine necessitate erit: quia præscit Deus futurum esse sine necessitate, hoc, quod erit.* Et mox inferius ibidem, cum obiectum fuisset Anselmo: *necessitas videtur fumare coactionē, vel probationem*, lege *Prohibitionem: Quare si necesse est* (suppositâ nimirum præscientia Dei, vti dixerat Anselmus) *me peccare ex voluntate, intelligo me cogi aliqua occulta vi, ad voluntatem peccandi; & si non pecco, à peccandi voluntate prohiberi: qua propter necessitate videor inde peccare, si pecco, vel non peccare, si non pecco.* Respōdet Anselm⁹: *Et ergo sciendū est, quia sæpe dicim⁹, necesse est, quod nulla vi esse cogitur, et necesse non esse, quod nulla prohibitione remouetur. &c. Sic itaq; si dico, necesse est, esse te peccaturū vel nō peccaturū, sola voluntate, sicut Deus præscit; non est intelligendū, quod aliquid prohibeat voluntatem, quæ non erit, aut cogat illam esse, quæ erit; hoc ipsum namq; præscit Deus, qui præuidet aliquid futurū ex sola voluntate. Sed voluntas non cogitur, aut prohibetur vlla alia re; quia sic ex libertate fit, quod fit ex voluntate. Si igitur hæc diligenter intelliguntur, pono, quia & præscientiam Dei, & libertatem arbitrij simul esse, nulla prohibet inconuenientia.* Atque hæc pertinent ad priorem modum conciliandi libertatem cum præscientia, quo vtitur Anselmus; quia nimirum hoc ipsum præscit Deus, hominem libere, & absque necessitate facturum, quod faciet.

III. Huic vero mox etiā subiungit alterū, quod in ipsa præscientia includatur futuritio rei; seu potius respectus ad rem futuram; quia scientia, inquit, *non est nisi veritatis*: vt proinde præscientia diuina nullam antecedentem, sed solam consequentem necessitatem inferat. Vbi hæc inter alia habet. *Quare cum dico, quia si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est, ac si dicam, si erit, ex necessitate erit; sed hæc necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse, aut non esse. Ideo enim, quia ponuntur non esse, dicuntur ex necessitate esse, aut quia ponuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate: non quia necessitas cogat, aut prohibeat rem esse, aut non esse.* Et infra: *necessitate ergo omne futurum, futurum est; & cum futurum dicitur de futuro, si est futurum, futurum est, sed necessitate sequenti, quæ nihil esse cogit.* &c. Id quod exemplo futuræ seditionis demonstrat; & mox subiungit. *Aliquando vero est, vt res sit ex necessitate, qua dicitur futura: vt si dico, cras esse futurum ortum solis, & sedito quidem, qua non erit ex necessitate, sola sequēti necessitate futura asseritur, quia futura de futura dicitur; si enim ortus futurus est, necessitate futurus est. Ortus necessitate donatus necessitatibus futurus intelligitur: scilicet præcedenti, qua facit esse: id enim erit, quia necesse est vt sit, sequens, quia nihil cogit esse; quemādmodū ex necessitate futurum est, quia futurum est.*

IV. Rursum reconciliando libertatem humanam, cum decreto diuinæ voluntatis, ita ratiocinatur, & loquitur Anselmus: *Quoniam enim, quod DEVS vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Et infra: *Verum est, quia si vult homo peccare, necesse est eum peccare, sed ea necessitate, quam supra dixi nihil cogere, vel prohibere.*

V. Denique sub finem docet, an scientia siue præscientia Dei sit rebus cognitis prior an posterior. *Restat nunc*, inquit, *vt consideremus; cum DEVS omnia præscire, siue scire dicatur, vtrum eius scientia sit à rebus, aut res habeat Esse ab eius scientia.* Et mox reijciens priorem partem quæsiti, ait: *Nam si DEVS à rebus habet scientiam, sequitur quod illæ prius sint, quam eius scientia; & sic à DEO non sint, à quo nequeunt esse, nisi per eius scientiam.* Quia vero ex alterâ parte sequi videbatur difficultas, quomodo Deus suâ scientiâ, siue præscientia res futuras causans non sit causa vel author malorum, ideo ad illud respondet, vsque ad finem illius tituli, siue capitis.

VI. In sequenti vero titulo seu capite eiusdem opusculi, de concordia præscientiæ, speciatim agit de concordia prædestinationis cum libero arbitrio, vbi eam summatim his verbis exponit: *Pariter igitur, quamuis necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur; quædam tamen præscita & prædestinata non eueniunt ex necessitate, qua præcedit rem, & facit; sed ea, quæ eam sequitur, sicut supra diximus: Non enim vt DEVS, quamuis prædestinat, facit voluntatem cogendo, & voluntati resistendo, sed in sua illa potestate diminuendo.* Atque hæc sunt, quæ ad præsens institutum docet, & asserit Anselmus.

Ex quibus omnibus colligitur, non solum principium illud, quod authores oppositæ sententiæ obijciunt, nimirum necessitatem omnem, quæ oritur ex quacunque conditione antecedente liberam voluntatis determinationem, impedire libertatem, nusquam expressè apud Sanctum Anselmum reperiri; sed nec ex verbis eius colligi posse; nec omnino esse ex mente ipsius Anselmi. Primò. Quia Anselmus in conciliatione præscientiæ & prædestinationis diuinæ cum libero arbitrio, nusquam eo vtitur. Adhibet enim quidem nonnunquam exempla, in quibus necessitas oritur solum ex conditione subsequenti, aut etiam comitante liberam arbitrij determinationem; vt est illa, quæ oritur ex prædictione, seu fide vera rei futuræ: sed nusquam dicit, hanc esse adæquatam rationem necessitatis consequentis, prout antecedenti opponitur; cum vtraque adæquatè spectatam, longe aliter definiat, vt dicemus.

Secundò. Totus conciliatio præscientiæ & prædestinationis, iuxta Anselmum, in his tribus tribus consistit capitibus. Primum est. Quia DEVS hoc ipsum præuidet, & vult, seu prædestinat, hominem liberè operaturum: Ergo præscientiæ, & prædestinationis infallibilitas non tollit, sed ponit libertatem in operando; vt cōstat ex ijs, quæ ex ipso numero primo & quarto retulimus; eodemque modo de hāc re philosophantur sanctus Augustinus lib. 1. ciuit. cap. 9. & lib.

& lib. 3. de lib. arbit. cap. 4. Sanctus Thomas 1. p. quæst. 22. articulo 4. & quæst. 23. articulo 6. & 7. & communiter Scholastici veteres, vt superius dictum.

Secundus modus conciliationis, est. Quia in ipsa præscientia includitur respectus ad rem futuram; non quia iuxta Anselmum res prius ratione fit futura, quam præsciatur futura; hoc enim apertè repugnat ijs, quæ ex ipso retulimus numero 5. sed quia, vt ipsemet diserte se explicat supra numer. 3. scientia non est nisi veritatis. Quem ipsum planum modum conciliandi præscientiam cum libertate arbitrij, tradit, & ex Anselmo confirmat Gregorius de Valentia quæst. 14. punct. 5. ratione 3. nimirum eam ideo non pugnare cum libertate; quia est connexa cum ipsa operatione nostra futura, quæ est in nostra potestate, per respectum siue habitudinem illam, quam præscientia habet ad eum effectum, velut obiectum. Vbi itidem cum Anselmo supponit, præscientiam esse causam obiecti præsciti, adeoque priorem ipso obiecto præcognito; & tamen nihilominus, quia respectum includit ad effectum præscitum, veluti ad obiectum, per se nihil obstare libertati effectus præcogniti.

Tertius denique modus conciliandi est, quia nec præscientia, nec prædestinatio adfert vllam necessitatem, *cogendo* voluntatem, aut ei *resistendo*, sed *in suâ eam potestate dimittendo*, vt patet ex his quæ retulimus numer. 2. & 6. Vbi rursum vides, nihil ad institutum ac mentem Anselmi facere principium illud, quod obijcitur.

27 Tertiò proinde tantum abest, vt principium illud sit ad mentem Anselmi, vt ei potius apertè aduersetur: Nam, vt constat ex ijs, quæ retulimus ex ipso num. 5. Anselmus sentit, præscientiam diuinam esse causam rei seu effectus præsciti, adeoque eodem effectu esse priorem, & simul tamen aperte fatetur, præscientiam diuinam falli non posse, adeoque eâ posità infallibiliter ac necessario sequi effectum præscitū, salua interim libertate, vt patet ex verbis relatis numero 3. Sentit ergo ipse, non omnē necessitatem, quæ oritur ex conditione, vel causa antecedente liberam determinationem voluntatis, pugnare cum libertate.

Quarto ipsa descriptio necessitatis antecedentis, & consequentis, quam in varijs locis superius relatis tradit Anselmus, satis hoc etiam comprobat. Si enim omnia, quibus Anselmus vtramque necessitatem describit & explicat, conferantur, hæc efficitur descriptio: *Est necessitas præcedens, quæ causa est, vt sit res*, vt ait numer. 1. siue vt inferius ibidem ait, *Quæ facit rem esse*; seu vt ipse sæpius loquitur num. 1. 2. 3. 4. 6. *quæ cogit aliquid esse, vel non esse*: quando nimirum, vt idem loquitur num. 1. & 3. de ortu solis; *ideo res erit, quia necesse est, vt sit*. Quibus locis omnibus indicat Anselmus, ad necessitatem antecedentem, in effectibus causæ secundæ, requiri necessitatem causæ necessario operantis; seu quæ prouenit à causa necessario operante. Quod etiam constat ex doctrina Sancti Thomæ quæstio. 19. articulo 8. vbi nullum effectum agnoscit necessarium, mediante causa secunda productum, nisi ad quem Deus destinauit causam secundam necessariam: & per se notum videtur, effectum respectu nullius causæ necessarium dici posse, absolutè loquendo, nisi causa ad eum necessario concurrat.

Necessitas autem sequens ab Anselmo varie describitur. 1. *Quam res facit*; Quam tamen solum inadæquatam esse, inferius demonstrabitur. 2. *Quæ nihil efficit*; nimirum quia non oritur à causa necessario operante, vt dictum. 3. *Quæ nihil cogit esse, aut non esse*; vt habetur numer. 1. 2. & 3. vbi expresse ait, necessitatem sequentem esse, *Quæ nihil esse cogit*. Vbi vocabulum *Cogit*, vtique non accipit propriè pro violentia; quando nec vis propriè inferri potest voluntati; & absque eâ etiam necessitas absoluta in actu voluntatis esse potest, vt cernere est in amore Beatorum: sed accipit pro transeunte determinatione, ad vnam partem, adimente facultatem oppositum, seu aliter operandi. Quò spectat etiam illud, cum liberam esse voluntatem docet, quæ *non cogitur aut prohibetur*, hoc est, efficaciter ac interna vi non impeditur, vt aliquid faciat, aut ne faciat, vt patet ex verbis eius num. 3. relatis.

Denique ita plane seipsum interpretatur ipsemet Anselmus verbis num. 6. relatis; vbi propterea ait, præscita à Deo & prædestinata non euenire necessitate antecedente, quia Deus ea, quæ prædestinat, *non facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illa* (legendum puto illam) *potestate dimittendo*: quæ ratio nulla esset, si antecedentem necessitatem, intellexisset omnem illam, quæ ex causa, aut conditione antecedente liberam determinationem oritur. 28

Nec obstant verba *Antecedentis*, & *sequentis*, seu *consequentis* necessitatis: quasi his ipsis verbis significetur necessitas quæ oritur ex aliquo quod antecedit, vel consequitur rem, aut voluntatem: esto enim hinc sumpta sit denominatio; alia tamen est vis & significatio genuina vocum: neque nouum est, vim & significationem nominum quandoque latius patere, aliquando etiam angustiorem esse, quam sit etymon nominis, seu illud, à quo nomen desumptum est. Quod ex eo etiam euidens est: nam Anselmus nusquam nominat his locis necessitatem *comitantem*; quæ nimirum oritur ex aliquo, neque antecedente, neque consequente rem, aut liberam voluntatis determinationem, sed comitante; quaque proinde nec propriè sequitur rem, neque rem antecedit; eum tamen, iuxta Anselmi diuisionem, eam sub necessitate sequente comprehendi, omnes conuentiant. Ex quibus etiam patet, illam descriptionem necessitatis cōsequentis (sub qua etiam comitantem comprehendi diximus,) relatam num. 1. quod sit ea, *quam res facit*, tametsi quidem ad institutum Anselmi eo loco sufficeret, absolutè tamen, ac reipsa non esse integram, & vndiquaque perfectam; sed supplendam esse ex alijs Anselmi dictis & locis, vt nos fecimus. Atque hæc de S. Anselmo satis. Quæ insuper etiam confirmantur ex eo, quod S. Thomas, omisso tamen Anselmi no-

mine,

mine, idem prorsus argumentū proponit, eodemque modo dissoluit. 1. p. q. 19. a. 8. vbi in argumẽto tertio ita obijcit: *Illud quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolutè; sicut animal mori est necessarium: quia est ex contrarijs compositum: sed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem diuinam, sicut ad aliquid prius, à quo habent necessitatem; cum hæc conditionalis sit vera: si Deus aliquid vult, illud est: omnis autem conditionalis vera, est necessaria: sequitur ergò, quod omne quod Deus vult, sit necessarium absolutè.*

Ad quod ita respondet S. Thomas: *Dicendum, quod posteriora habent necessitatem à prioribus, secundum modum priorum; vnde & ea, quæ fiunt à voluntate diuina, talem necessitatem habent, qualem vult Deus ea habere; scilicet vel absolutam vel conditionatam tantum; & sic non omnia fiunt necessaria absolutè.* Vbi expressè concedit S. Thomas, quod in minori argumenti propositione obijciebatur, omnes res creatas, adeoq; etiam operationes liberas, comparari ad voluntatem diuinam, tanquam ad aliquid prius; & nihilominus tamen negat, absolutè necessaria esse omnia; non ob aliam causam, quia nihilominus Deus potest velle & facere, vt sint absolutè libera, non necessaria, &c.

29 Sed neque Waldensis, in eodem argumento obiectus, nostræ sententiæ aduersatur. Solū enim hęc tria docet. I. refert & approbat duplex genus necessitatis ex Anselmo; quorum vnum impediat libertatem; alterum non item. II. damnat tanquam periculosam quorundam Doctorum sui temporis doctrinam, qui dicebant, non omnem necessitatē antecedentem impedire libertatem; nusquam autem dicit, necessitatem antecedentem esse, omnē illam, quæ oritur ex aliquo antecedente rem, aut liberā volūtatis determinationē; sed eā ita describit, quod sit illa, *secundū quā voluntas necessario agit, nec potest aliter agere, etiamsi vellet*; seu vt inferius ait; *quæ cogit libertatē.* Et tandē cōcludit, propterea nec præscientiā nec voluntatē Dei impedire volūtatē, quia per illam voluntas *non limitatur*, inquit; hoc est, non ita transeunter determinatur, quo minus possit, & nō possit hoc facere, quod proponit. III. Reijcit etiā ex S. Augustino lib. 5. de ciuit. c. 10. in operibus liberis, necessitatem ab extrinseco; admittit aliam, quæ est, inquit, *intra potestatem nostrā, quæ libertatem non tollit, sed supponit.*

30 Intelligit autē per *necessitatem extrinsecā*, non quæ voluntatem ipsam interius nō afficiat; sed quæ ab aliquo extrinseco ita oritur, vt voluntas ab eo ipso non à seipsa intrinsecè determinetur: quomodo fato & astrorū influxu olim Stoici omnia necessitari dicebāt; cōtra quos ibi. disputat S. Augustin⁹. Quo etiā sensu dici solet, aliquē necessariò cursurū, si sole oriente (atq; suo nimirū influxu ad hoc ipsum determinante) necessariò deberet currere: qualis tamen necessitas in nostro proposito minimè cernitur; cum ab extrinseca illa præfinitione per se voluntas nostra minimè afficiatur; nec eius connaturalis agendi modus vllo modo immutetur: sine quo impossibile est, vt ab extrinseco voluntas nostra absolute & verè necessitetur: vt plane etiā falsum sit, quod noñulli oppositæ sententię authores dicunt, eiusmodi præfinitione voluntati non imponi quidem necessitatem intrinsecam, sed extrinsecam: loquendo de vera, & absoluta necessitate; siquidem libertas, cum sit aliquid intrinsecum homini, impossibile est, vt tollatur, quamdiū voluntas intrinsecè libera est, & non necessitata.

Ex quibus omnibus satis nunc patet responsio, ad fundamentum oppositæ sententiæ initio relatum. Etenim omissa responsione quadam *ininteligibili* ipsius Caietani, qua vtitur quæst. 22. a. 4. quam bene refellunt Gregorius de Valentia, Bannes, Vasquez, & alij: omissa etiam quorundam & veterum Scholasticorum (vt ex Waldensi retulimus) & recentiorum sententiā, qui dicunt, non omnem necessitatem antecedētem tollere libertatem; Respondeo, negando minorem. Ad probationem dico non bene ex Waldensi, & Anselmo, alijsq; veteribus Scholasticis definiri necessitatem antecedentē, vt hactenus demonstratū est. Atque adhunc modum etiā Suarez l. 1. de auxil. c. 16. à n. 12. & l. 3. de auxil. c. 19. à n. 16. Anselmum remq; hanc totam explicat.

Qui tamen vtroque hoc loco etiam aliam solutionē adhibet, nimirū, suppositionē antecedentē quæ tollit libertatē, talem esse debere, *vt non includat respectum ad aliam suppositionē consequentem, quam virtute includat, & in qua nitatur aliquo modo, saltem quantum adhoc, vt ipsa exhiberi possit; alioqui illa suppositio iam non est omnino antecedens, & ille respectus, quem habet ad consequentem, satis est vt non tollat libertatem, vti fit in proposito. Nam licet Deus decretum eiusmodi prædefiniens habeat, antequam videat cooperationem nostram; necessario tamen supponit scientiā conditionatam illius, sine qua, vt dictum, non posset Deus habere illud decretum: quo fit vt suppositio illa antecedens fundetur in suppositione cōsequente, & illam virtute includat.* Ita sane Suarez. Quo fere modo etiam Gregorius de Valentia q. 23. p. 4. §. 6. ait necessitatem actus ex aliqua tali hypothesi, quę neque est ipse actus, neque includit in se certum aliquem respectū ad exercitium eius, esse necessitatem simpliciter: tametsi mox inferius addat, ad libertatem non sufficere respectum solius scientiæ mediæ: quæ qua ratione inter se cohæreant, non est opus hîc fusius discutere: sufficit enim prior responsio.

Ad Damascenū, superius etiam obiectum, quod attinet, cū negare videtur, ea quę sunt in potestate nostra, à Deo prædefiniri; necesse est, eū ab omnib⁹ vel cōmode explicari, vel reijci: cum oppositū planè constet ex dub. præced. assert. 1. Inter varias autem explicationes, placet mihi illa, quam superius ex S. Thoma 1. p. q. 23. a. 1. ad 1. retulimus, & communiter sequuntur Thomistæ; Damascenum solum excludere prædefinitionem illā, quæ *imponit necessitatem*, qualis in reb⁹ naturalib⁹ cernitur, quæ in nostra potestate nullo modo sunt positæ. Quod cōfirmari potest ex nomine græco, quo vtitur, nimirum προορισμὸς, & προορίζει; quod non solum interiorem Dei prædefinitionem, sed etiam determinationem extrinsecam, & transeuntem significat; sicut etiam S. Thomas lo. cit. eum locum sub nomine *prædeterminationis* refertur. Si inter virtutē & vitiū, de quibus ibi loquitur Damascen⁹, volumus discrimen facere, vt ipse in subiuncta ratione facit, dicere debem⁹, Deū opus malū, ex mente

31

Damasceni, ideo non præfinire, quia ex seipso, atque ante determinationem liberam nostræ voluntatis non vult malum. Quo spectat ratio illa Anselmi; *neq; enim vitium admittere vult*: opus autē bonum non prædefinire, vel prædeterminare; nimirum prædefinitione necessitante, ac reipsa determinante ad vnum, *quia virtuti vim non affert*, vt ipse ait. Et consonat hæc explicatio verbis illis Damasceni superius relatis, cum ait citat. lib. 2. de fide cap. vlt. *Quoniam diuina præscientia iussionis opus est præfinitio*, seu potius *prædeterminatio*: vbi nomine *operis*, videtur externum & transeuntem Dei effectum significare, ab internâ Dei iussione seu ordinatione profectum. Eundē sensum habent illa verba, prout à Vasquio disp. 99. cap. 6. numero 39. referuntur: *Quocirca diuina iussio, cum præscientia coniuncta, præfinitionem* (hoc est, determinationem transeuntem) *efficit*. Et mox subiungit: *Nam præscientia* (siue per præscientiam suam) *iam præelegit omnia DEVS, secundum bonitatem, & iustitiam suam*. Vbi vides, intrinsecam Dei præfinitionem in liberis actibus à Damasceno non negari, sed solam prædeterminationem transeuntem, ac necessitantem: vt proinde rectius locus ille vertatur, adhibito nomine *prædeterminationis*, quam *præfinitionis*, vt dictum.

Et confirmatur denique assertio, & tota hæc doctrina, quā pro eius defensione hactenus attulimus: quia communis illa & recepta ex Almaino 1. Moral. c. 2. causæ liberæ definitio, quod videlicet omnibus requisitis ad agēdum positis, potest velle, & non velle, agere & non agere, etiam iuxta nostram sententiam, libero arbitrio, non obstante diuina eiusmodi prædefinitione, planissime cōuenit: non solū quia prædefinitio ad agendū ex parte causæ secundæ prærequisita non est; sed etiam quia illâ positâ intrinsecè, ac in sensu diuiso nihilominus arbitrium creatum æquè potest non agere, ac agere; etsi futurum nunquam sit, vt non agat; cum eâ posita infallibiliter agat. Quo fit, vt omnis, quæ ex præfinitione oritur, necessitas, solū sit *consequens*, nō antecedens; *consequentia*, non cōsequētis; *hypothetica*, non absoluta; in *sensu composito*, non diuiso; *infallibilitatis*, non physica, seu coactionis, seu naturæ. Consentit his scriptura, dum indicat, Deum plane antecedenter posse quolibet inclinare humana corda, etiam saluâ libertate. Prouerb. 21. v. 1. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, & quocūq; voluerit, inclinabit illud*. Et in eundem sensum S. Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 14. *Deus sine dubio habet humanorū cordium, quo placet, inclinandorum, Omnipotentissimam potestatem*. Plura de hac materia disp. seq. q. 1. dub. 5. & quæst. 6. dub. 3. & q. 7. dub. 5. In præsentiarum hæc, quæ diximus de præsenti difficultate, & tota hac quæstione sufficiant.

QVÆSTIO XI.

De Potentia DEI.

S. Thomas 1. p. q. 25. a. 6.

1 *INterponit quidem S. Thomas post quæstionem 19. de voluntate Dei, tractationem de prouidentia & prædestinatione Diuina; sed quia res hæc propriam disputationem exigit, nos continuando attributa Diuina, quæ ad operationem Dei pertinent, post tractationē de scientia & voluntate Dei, subiunximus hanc quæstionem de potentia Dei; quam absolueimus quinq; dubitationibus. I. An sit in Deo, aliqua potentia operatiua ad extra; & quisnā in genere sit modus seu ratio concursus Diuini, quo vna cum causis secundis operatur ad extra. II. Sit ne potentia Dei operatiua ad extra formaliter ipse intellectus & voluntas Dei: an potius perfectio ratione ab vtraq; distincta. III. An Diuina potentia sit infinita & vera Omnipotentia: & quodnam proprie sit obiectum potentiæ Diuinæ. IV. Possit ne Deus facere plura ac meliora, quam fecerit, aut facturus sit, etiam in infinitum. V. An vti ad operationes transeuntes, ita etiam ad immanentes, detur in Deo potentia actiua, ab illis ipsis operationibus immanentibus ratione distincta.*

DVBIVM I.

An sit in Deo aliqua potentia operatiua ad extra; & quisnā in genere sit modus seu ratio cōcursus Diuini, quo vna cum causis secundis operatur ad extra.

S. Thom. 1. p. q. 25. a. 1.

2 NOn est hoc loco quæstio de potentia passiua, quam constat in Deo non esse; cum in eo nulla sit compositio, nec imperfectio; siquidē est ens vndiquaque simplex, perfectum & infinitū, actusque purus, vt superius q. 1. 2. & seqq. diximus, sed quæstio est de potentia actiua, non quidē hoc loco, ad actiones immanentes: etsi de hac, quasi ex occasione nonnihil acturi simus, dub. 5. sed de potentia actiua transeunte; quæ videlicet terminatur ad operationes extra Deum positas; siue & sint operationes positiuæ; siue quasi negatiuæ, aut priuatiuæ; seu potius subtractiones & suspensiones Diuinæ actionis.

Quo posito, de fide certū est primò, esse in Deo potentiā operatiuā ad extra: id quod ex scriptura aliisq; fidei principijs, satis constat, ex quæstione præced. vbi probauimus Deum voluntate agere, potissimum etiam ad extra: quando *omnia quæcunq; voluit Dominus fecit* (& facit) *in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*. *Psal. 134 v. 6.*

Secundo certum est, contra Durandum in 2. d. 1. q. 5. Deum tanquam causam vniuersalem concurrere immediate ad omnem effectum creatum positiuum, quatenus effectus, adeoque ens est, vt ex philosophia suppono, & suo loco de actibus prauis in 1. 2. exinstituto docetur: & satis patet ex scriptura, Ioan. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil.* Item; *In ipso viuimus, mouemur, & sumus, &c.* De qua re plura disput. 6.

3 Tertio proinde etiam certum est, potentiam hanc operatiuam Dei ad extra non solum ratione, sed etiam reipsa distinctam esse, ab ipsis operationibus, quæ ab ea proficiscuntur: quandoquidem operationes istæ sunt transeuntes, & aliquid creatum extra Deum: vt hoc loco suppono contra Caietanum 1. p. q. 25. artic. 1. & Bannem q 45. a. 3. Conclus. 1. ex communi, vt dicetur Disp. 6. quæst. 1. dub. 1. Potentia vero Dei operatiua cum sit in ipso Deo, est aliquid increatum, & quidem à parte rei ipsamet essentia diuina; licet ab ea formaliter ac ratione distinguatur, vt generatim docuimus de attributis diuinis q. 2.

His positis, dubium est hoc loco, quisnam in genere sit modus seu ratio concursus diuini, quo nempe Deus, tanquam causa vniuersalis vna cum causis secundis operetur ad extra: abstrahendo interim à particulari modo causalitatis diuinæ, qua Deus concurrit ad actiones bonas & salutares homini; de qua re in materia de gratia agendum, &c. Et quamquam ea ipsa, quam proposuimus, quæstio, potius est philosophica, quam Theologica; quia tamen sæpe nobis ad eam recurrendum est, multaque in Theologicis materijs ex eius resolutione dependent, vt etiam ex præced. quæst. dubio vltimo constat, vbi propterea eius resolutionem in hunc locum reiecimus: ideo non est hoc loco à nobis prætermittenda; quandoquidē proprie potentiam Dei operatiuam ad extra concernit, einsque modum operandi cum causis secundis explicat.

Difficultas autem potissimum est, an DEVS tanquam causa vniuersalis, concursu prævio physicè prædeterminet causam secundā ad operandum; ita vt prius natura influat in ipsam causam secundam, eam physice mouendo & applicando ad operandum, quam vel ipsa sese ad operandum determinet, vel concursum influxumque suum ad operandum exhibeat; an potius sufficiat ex parte Dei concursus simultaneus, quo simul vna cum causa secunda ad operandum concurrat.

4 De qua re est prima sententia eorum, qui docent, talem concursum Dei prævium in ipsam causam secundam, eamque physicè applicantem ac prædeterminantem ad operandum, ad omnem prorsus actionem causæ secundę necessarium esse, tam naturalem, quam liberam; nec solum moraliter bonam, sed etiam malam, in quantum ens est. Ita quidam Thomistæ recentiores, speciatim Cabrera 3. p. q. 17. art. 4. Disput. 2. §. 3. à. num. 113. Didacus Aluarez. lib. 3. de auxilijs diu. grat. Disput. 18. & 24. Citatur etiam pro hac sententia inprimis S. Thomas in 1. p. q. 2. a. 3. & q. 105. a. 4. & 5. & in 1. 2. q. 109. præsertim artic. 1. & 9. & ibidem quæst. 110. & 111. in quibus locis sæpe docet, necessarium esse, vt Deus tanquam vniuersale agens moueat causas secundas ad suas operationes: quod etiam docet in 2. sent. dist. 37. q. 2. a. 2. & 3. contra gentes cap. 70. & cap. 66. vbi ait: *Complementū virtutis agentis secundi, est ex virtute agentis primi.*

Maxime autem insignis habetur locus ille q. 3. de potentia a. 7. in corp. vbi ait: *Deus operatur in natura, & in voluntate operantibus, & hoc multipliciter. Primo quidem quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt. Secundo in quantum conseruat virtutem naturalem in Esse. Tertio in quantum mouet eam ad agendum: in quo*, inquit, *non intelligitur collatio aut conseruatio virtutis actiuæ, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quod applicat acumen cultelli ad incidendum. Quarto modo*, inquit, *vnum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti, & hoc modo etiam oportet dicere, quod Deus est causa omnis actionis naturalis.* Et ibidem ad 7. docet, Deum quando mouet causam secundam ad agendum, aliquid ei conferre, quo actualiter agat, & ait: *Id quod confert, esse intentionem quandam primi agentis, habens esse incompletum, per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis.* Idem docet Ferrariensis. 3. contra gentes. c. 70. & sequi videtur eum locum referendo, Capreolus in 2. d. 1. q. 2. a. 1. Citatur etiam Caietanus 1. p. q. 45. a. 5. & q. 115. a. 6. sed Caietanum expresse contrarium docere inferius patebit.

Sed & Catechismus Romanus non obscure eandem sententiam tradere videtur part. 1. de primo symboli art. num. 22. vbi dicitur; *Non solum autem Deus vniuersa, quæ sunt, prouidentia sua tuetur, atque administrat; verum etiam quæ mouentur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, vt quamuis secundarum causarum efficientiā non impediat, præsenat tamen; cum eius occultissima vis ad singula pertineat; & quemadmodum sapiens testatur, attingit à fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, &c.*

Secunda sententia est, eiusmodi motionē prævium physice prædeterminantem causam secundam ad operandum, solum interuenire in actionibus bonis, non in ijs, quę sunt moraliter malæ & peccaminosæ. Ita sentiunt alij quidam recentiores Thomistæ apud Molinam q. 14. a. 13. d. 7. & apud Suarez infra. 5

Differunt tamen in eius sententię explicatione Thomistæ inter se. Quidam enim sentiunt, præmotionem illam esse aliquid in ipsa causa secunda receptum & ab ipsa eius operatione distinctum, & à solo Deo effectiue pendens, idque vel qualitatem aliquam, non quidem per modum habitus permanentis, sed per modum dispositionis transeuntis vna cum operatione causæ secundæ; quam sententiam probabilem dicit esse Cabrera loc. cit. vel vt alij docent, *motionem*, vt aiunt, *virtuosam, habentem esse quoddam incompletum, per modum quæ colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis*, vt docet Didacus Aluarez disp. 19. à num. 5. Alij vero sentiunt, motionem illam esse quidem aliquid in causis secundis receptū, at non ab earum

Digitized by Google

operatione distinctum; sed esse realiter ipsam operationem causæ secundæ, quatenus procedit ex influxu Dei, non simultaneo, sed præmouente, & prædeterminante causam secundam ad operandum & influēdum. Omitto eos, qui dicunt, motionem illam præuiam esse ipsum Deum, seu voluntatem diuinam, quatenus parata est & exposita, ad concurrendum simul cum causis secundis, quotiescunq; ipsæ operantur, simul cum ipsa operatione causæ secundæ, quatenus procedit ex concursu Dei simultaneo: quæ sententia à tertiâ & vera sententia mox declaranda, reipsa non differt.

6 Assertio 1. Præmotio aliqua transiens, & in causis secundis recepta, siue concursus Dei præuius, quo causa secunda prius natura ad operandum physice prædeterminetur, quam ipsa in operationem influat, quocunque demum nomine vocetur, & quomodocunque explicetur, vniuersim ad operationem causæ secundæ, seu naturalis ea sit, seu libera, non requiritur. Hanc assertionē ex instituto contra Authores primæ sententiæ tuentur Molina 1. p. quæst. 14. artic. 13. disp. 6. Suarez Metaph. tom. 1. d. 22. à sect. 2. & in opusc. de concursu Dei lib. 1. cap. 4. num. 6. & toto cap. 5. 6. 7. & lib. 2. cap. 6. 7. 8. Lessius de gratia efficaci per plura capita, Vasquez 1. p. tom. 1. disput. 58. cap. 5. & disput. 99. cap 7. numero 40. 45. 48. & cap. 8. num. 5. & ex instituto 3. p. tom. 1. disp. 74. cap. 8. vbi plus etiam docet, videlicet nulla plane opus esse determinatione diuina, qua causa secunda determinetur ad rationem indiuiduam actus; sed causas quidem naturales seipsis, hoc vel illo tempore, determinatas esse non solum ad specificationem, vel etiam exercitium tale vel tantum, ipsius actus; sed etiam ad rationem indiuiduā ipsius actus: causas vero liberas eo ipso, quod se hoc vel illo tempore determinant ad exercitium tale vel tantum huius vel illius actus, ex consequenti etiam sese determinare ad rationem indiuiduam eiusdem actus: eo quod causa secunda in actus exercitio tali vel tanto, hoc vel illo tempore, non sit indifferens ad plures numero actus eiusdem modi ac intensionis, sed determinata ad certum & indiuiduū, vnumque numero actum; de quo tamen in præsenti non disputamus.

7 Eandem sententiam ex antiquioribus Scholasticis tradunt Scotus, immerito pro opposita sententia citatus, in 2. d. 37. q. 1. & in 4. dist. 49. q. 6. vbi non solum docet, eiusmodi determinationem seu applicationem non esse in nobis, sed etiam ex illa nostram libertatem auferri, vt bene notarunt, Suarez loco cit. num. 6. & Vasquez cit. d. 88. cap. 5. post Lychetum in 1. d. 36. & fere Mayronem in 2. d. 43. q. 4. qui ita etiam cum Scoto sentiunt. Idem sentit Gabriel in 2. d. 37. q. 1. a. 1. not. 1. item Caietanus q. 14. a. 13. & q. 19. art. 8. vbi expresse docet, Deum tanquam causam vniuersalem, non præuio, sed simultaneo concursu cum causa secunda concurrere.

Sic enim habent verba Caietani cit. a. 8. in responsione ad quoddam Scoti argumentum, superius etiam à nobis dissolutum quæst. 10. dub. 6. *Dupliciter contingit* (seu intelligi potest) *secundam causam moueri à prima; vno modo motione præuia actioni, sicut baculus mouet lapidem, motus à manu; alio modo motione cooperatiua intrinsece propriæ actioni. Et quicquid sit de maiore in primo sensu; in secundo tamen est falsa: in quo tantum verificatur minor*; (nimirum, omnis causa secunda est mouens in quantum mota à prima) *Non enim oportet, cum aliquis vult aliquid, seu cum sol illuminat, primam causam præuia motione cooperari; sed sufficit & exigitur, eam intrinsece cooperari tali electioni, vel illuminationi.* Et ibidem superius ait: *Prima causa non attingit effectum secundæ causæ in seipsa, sed modificatâ cooperatione sua, iuxta modum ipsius causæ secundæ.* Vt immerito plane Caietanus pro opposita sententia citetur.

Eiusdem sententiæ est Ruardus art. 7. §. *Decima propositio.* 8 Et addit Suarez loco cit. num. 7. *nullum fere autorem antiquum, aliquem modum harum prædeterminationum expresse docuisse.*

Probatur hæc assertio primum authoritate S. Augustini immerito etiā pro opposita sententia citati: Sic enim ait Serm. 13. de verbis Apost. post med. *Tu te vis agere? A te ipso vis agi? &c. Non qui spiritu suo aguntur, sed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Dicet mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Respondeo; imo agis, & ageris: & tunc bene agis, si ab eo agaris.* Vbi expresse docet, quoties à Deo agimur (motione scilicet diuina præuia, vt in actionibus salutaribus accidere suo loco dicetur) cùm agimus, bene nos agere; sentit ergo, in actionibus malis, motione eiusmodi præuia nos à Deo non agi; ac proinde neque vniuersim eiusmodi præmotionem in omni actione causæ secundæ necessariam esse.

Eandem sententiam tradit S. Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. vbi de gratia loquens ait: 9 *Ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps* (liberum arbitrium) *operetur. Ita tamen, quod ab vtroque cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non segillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur; non partim gratia, partim liberum arbitrium opere indiuiduo peragant.* Vbi concursum & cooperationem Dei docet esse simultaneum, non præuium.

Secundo probatur assertio ratione. Si eiusmodi præuia Dei motio necessaria esset ad omnem actionem causæ secundæ, ideo esset; vel quia necessaria est, vt vis agendi seu actiuitas causæ secundæ in actu primo per eam compleatur & perficiatur; tum quia alioqui non posset tribuere suo effectui vltimam actualitatem, & esse quod habet; tum quia omnis forma & virtus operatiua creata, est actus admixtus potentiæ; nec adeo habet tam perfectā actualitatem, quā habet operatio, quæ est actus secundus; vel vt ad agendum in actu secundo applicetur, & determinetur: vel quia ipsamet determinatio, seu influxus causæ secundæ ad agendum, est quidem Dei effectus, qui proinde ab eo per aliam priorem actionem necessario dependet: Sed ob nullam causam ex tribus prædictis asseri potest, motionem eiusmodi præuiam Dei necessariam esse in qualibet actione causæ secundæ. Ergo, &c.

Maior constat; quia nec ab oppositæ sententiæ 10

auctoribus alia causa assignatur, nec alia planè assignari potest; vt inductione patet. Minor probatur quoad primam partem. Quia in hac materia supponimus, causam secundam, aut esse causam principalem; quæ vim sufficientem habeat ad suam operationem; vt est ignis respectu calefactionis, seu ignitionis, &c. aut certè esse ipsam vim causæ secundæ principalis immediatè actiuam; ac seipsa ad hanc actionem determinatam, vt est calor, respectu calefactionis: Ergo ad complendam vim actiuam causæ secundæ, præmotio eiusmodi non est necessaria. Quod si causa secunda sit instrumentalis, quæ producit effectum supra vires suæ actiuitatis, vt quando calor producit ignem; tunc quidem etsi necesse foret, vim eius agendi suppleri, at non eiusmodi præmotione causæ primæ; sed vel ab ipsa causa principali secunda, vel Dei influxu simultaneo; id enim sufficit, vt dicetur. Quare etiam Thomistæ recentiores nonnunquam ipsi fatentur, hanc præmotionem Dei supponere quicquid est necessarium ex parte actus primi, per modum potentiæ, aut operatiuæ virtutis; item præuium eiusmodi influxum non esse necessarium, vt voluntas possit operari actus sibi proportionatos; sed vt operetur: quicquid alias parum consequenter dicant, necessarium esse, vt causæ secundæ compleatur in sua virtute actiua, seu operatiua, per motionem actualem primi agentis.

11 Quare etiam ad propositum nihil facit argumentum, quod ab instrumento artis v. g. securi, comparato ad effectum artis petunt; quasi eodem planè modo opus sit causam secundam moueri à causa prima, quo instrumentum artis mouetur ab artifice: quando non solum id ipsum paulo antea expresse negatum vidimus à Caietano; sed aperta simul etiam discriminis ratio obstat: quia instrumentum ex se & virtute propriæ formæ non habet vim ad producendum eiusmodi effectum principalis agentis; cuius oppositum in præsenti accidit. Alioquin fatendum esset, causas secundas solum esse instrumenta Dei in suis operationibus; non autem propria virtute quicquam agere; quod dici non potest, vt hoc loco suppono.

Nec obstat, quod vis operatiua causæ secundæ sit actus primus, operatio autem eius sit quidam actus secundus; aut quod causa secunda ex se non producit effectum secundum communissimam rationem entis: quasi idcirco debeat à Deo influxu præuio perfici & determinari. Posterior enim ratio benè quidem probat, necessarium simul esse actualem concursum Dei in omni actione causæ secundæ: nulla tamen ratio est, cur ideo præuio concursu debeat præmoueri, quandoquidem nec supposita quidem eiusmodi præmotione, causa secunda suos effectus produceret, formaliter & reduplicatiue, quatenus tales, sed qua tales entia sunt.

12 Prior ratio confutari non potest, cum eò tendat, vt absolutè neget, causam secundam habere vim sufficientem in actu primo ad producendum suum effectum, vel vllam operationem secundam: quod sanè dici non potest; non solum quia non omnis effectus, de quo loquimur, est actus secundus; sed sæpe etiam actus primus; v. g. calor ignis &c. Verum etiam quia dici nullo modo potest, operationem, seu actum secundum, vniuersim loquendo, absolutè perfectiorem esse, aut omnino etiam plus actualitatis habere, quam habet actus primus, à quo naturaliter tanquam à causa principali proficiscitur; cum potius hæc & perfectionem atque actualitatem actus secundi saltem eminenter contineat, & simul etiam propriam perfectionem habeat, qua eiusmodi operationem longè excedat: esto hæc secundum quid maiorem actualitatem habeat. Denique si maximè ob eiusmodi causam necessarium esset, compleri vim actiuam causæ secundæ; non tamen ideo necesse foret, compleri per præmotionem eiusmodi, & concursum præuium; sed sufficeret concursus simultaneus, vt in pluribus equis eundem currum trahentibus accidit, & suo loco fusius de gratia dicetur.

Secunda pars minoris probatur, quia si agens 13
sit naturale, iam seipso ac sua natura est determinatum, positis omnibus prærequisitis ad agendum; Si autem causa libera sit, seipsam determinat; nec opus habet aliquo extrinseco physicè prædeterminante; imò potius physicâ eiusmodi prædeterminationem respuit, vt inferius dicetur. Denique si causa secunda vel maximè indigeret concursu Dei determinante ad agendum; nulla tamen ratione probaretur, opus esse præuia determinatione physica; quandoquidem ipso Dei concursu simultaneo determinari suo modo posset ad agendum, vt inferius dicetur, & in diuerso genere rei ipsi docent quidam nostræ sententiæ auctores; qui existimant, causas secundas indigere determinatione diuina, quo ad rationem individuam actus, vt videre licet apud Suarez cit. lib. 3. cap. 7. num. 4.

Tertia pars minoris probatur; quia vt rectè Molina cit. d. 5 & 6. & Suarez c. 4. n. 7. docent, actio siue influxus, adeoque determinatio causæ secundæ, est quidem à Deo, & late loquendo quidam quasi effectus Dei, & aliquid ab eo dependens, sed non per aliam actionem Dei priorem transeuntem, ne detur processus in infinitum, sed seipsa; sicut etiam seipsa, & non per aliam actionem pendet à causa secunda. Neque verò etiam reipsa est alia actio seu influxus Dei, alia causæ secundæ; sed vna & indiuisibilis actio vtrumque respiciens: quæ qua ratione à Deo pendet, Dei concursus dicitur; vt verò simul pendet à causa secunda, dicitur concursus causæ secundæ. Ex quibus denique efficitur, nullum esse fundamentum constituendi eiusmodi præmotionem Dei præuiam. Plura affert. seq.

Assertio II. Eiusmodi prædeterminatio Dei 14
physica in actionibus peccaminosis (quæ nimirum malitiam moralem adiunctam habent) nullo modo est possibilis; nec Deo vlla ratione tribuenda. Ita auctores pro præcedenti assertione citati, specialim Molina d. 7. Suarez lib. 2. de concursu Dei c. 1. 2. 3. 4. & 5. consentiunt Thomistæ quidam recentiores apud eosdem, vt dictum. Probatur primo ex scriptura, quæ prorsus negat, hominem à Deo incitari, aut impelli, aut moueri ad

peccan-

peccandum, vel etiam ad actum peccati, cui adiuncta sit moralis malitia. Eccli. 15. v. 12. *Non dicas; ille me implanauit; non enim necessarij sunt ei homines impij.* Iacob. 1. v. 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autẽ neminẽ tentat.* Si Deus nõ tentat homines, multo minus ad actus moraliter malos determinat, vel applicat, aut præmouet; hoc enim multo magis alienũ est ab infinita bonitate, vt ... dicetur.

15 Secundò probatur assertio ex SS. Patribus, qui idcirco etiã negant, Deum esse auctorẽ peccatorũ, siue actuũ malorum, aut ad hæc à Deo vllo modo hominem impelli. S. Augustinus lib. 1. de ordine c. 1. *Illud quasi necessarium,* inquit, *is, quibus talia sunt curæ, dimittimus credendum, aut diuinam prouidentiam non vsque ad hæc vltima & ima protendi; aut certe mala omnia Dei voluntate committi. Vtrumque impium, sed magis posterius.* Quomodo enim negari possit, Dei voluntate committi, quod Deo præmouente, & physice prædeterminante fit, non video. Rursum lib. 5. de Ciuit. Dei c. 9. *Mala,* inquit, *voluntates ab illo non sunt; quoniam contra naturam sunt.* Et lib. de spiritu & lit. c. 31. *Nusquam legimus in scripturis sanctis; non est voluntas nisi à Deo. Et recte non scriptum est, quia verum non est. Alioquin & peccatorum, quod absit, autor est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo.* Item lib. de Articulis falsò sibi impositis art. 10. *Detestanda,* inquit, *& abominanda opinio est, quæ Deum cuiusq; malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem.* Huc spectat, quod assert. præced. ex S. Augustino relatum, hominem tunc bene, non male agere, quoties à Deo agitur, præuio scilicet aliquo impulsu. Item Eusebius libro 6. de præparat. Euangelij cap. 5. *Impius profecto,* inquit, *iudicabitur, imò vero pessimus omnium, qui à Creatore vniuersi, alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitratur.* Et infra. *Quare non iure homo, sed creator eius, peccator erit: quo dogmate nihil sceleratius cogitari potest.* Et plura huius generis retulimus q. præced. d. 4.

16 Tertio probatur assertio ex definitione Ecclesiæ. In Concilio Arausicano I I. can. 23. dicitur: *suam voluntatẽ homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet.* Et can. 25. velut propriũ bonis operibus tribuitur, quod Deus ea in nobis incipiat. Item Concil. Trident. sess. 6. canon. 6. dicitur: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita vt bona, Deum operari, non permissiue solum, sed etiam propriè & per se, adeo vt sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, Anathema sit.* Certe si voluntate Dei (nimirũ præuia ac præmouente) non fiunt opera mala; si propriũ est bonorũ operũ, quod ea Deus in nobis incipiat; si propriũ Dei opus non est proditio Iudæ; nec in nobis per se facit Deus mala opera nostra; +1 dici non potest Deum præmouere, physiceq; prædeterminare, & applicare voluntatẽ nostrã ad faciẽda mala opera actusq; peccaminosos eliciẽdos.

17 Quarto probatur ratione ex mente Patrũ, quos citauimus. Si enim Deus physicè prædeterminaret voluntatẽ nostrã ad actus malos, sequeretur planè Deum esse Auctorem tum omnium operũ malorũ, saltem in quantum entia sunt, tum etiam ipsius peccati; sed vtrumq; hoc est plane absurdum, & alienum à SS. Patribus, & communi sensu Ecclesiæ. Ergo &c. Maior probatur quantũ ad primã partẽ, Quia nemo magis Author est alicuius operis, quã qui siue moraliter, siue physice præmouet, incipit, prædefinit, prædeterminat, seu præuio ac principali concursu causat opus aliquod: nõ enim quiuis operando aut cooperando aliquid efficiens, dicitur Author rei, sed qui inceptor est, & principalis machinator rei, quẽ Græci etiã αὐτουργὸν & αὐθέντην vocant. Quo fit vt etsi Deus, velut causa vniuersalis opus malum hominis, in quantũ ens est, efficiat, author tamẽ eius dici minime possit; alioqui deberet, vt rectè etiã notauit Suarez opusc. de concursu Dei l. 2. c. 3. n. 9. & 19. quicquid contra modũ loquendi SS. Patrũ, atq; etiã veterũ Scholasticorũ, recentiores quidã Thomistæ, Deum non solũ effectorẽ, seu cooperatorem mali operis, in quantum ens est, sed etiam authorem dicere non vereantur. 18

Secunda pars eiusdem propositionis itidẽ probatur: quia author peccati optimo iure, & vsitato loquendi modo, dicitur ille, qui est author operis, cui adiuncta est malitia peccati, etiãsi ... malitiã ipsam formaliter non intendat, nec velit, sed bonũ aliquod vtile vel delectabile, quod malo coniunctum, aut ex eo subsequens; vt patet in authore conspirationis ob regnandi cupiditate susceptæ, &c. Cum ergo Deus plane futurus sit author operis mali, si ad hoc ipse præmoueat, negari etiam non potest, eum ex ea hypothesi, peccati quoq; authorem futurum; etsi non intendat, nec velit ipsam per se malitiam, sed solam rationem 11 entitatis, quæ ei malo inexistentem.

Secundo, quicquid agit homo à Deo actus, bene agit, non male; vt superius ex S. Augustino vidimus asseri. Deum enim præmouentẽ sequi, malũ nõ est, sed necessariũ: sed quidquid homo agit prædeterminãte, præmouẽte, & applicante Deo, agit volũtà Deo actus, vt patet: ergo quidquid homo agit prædeterminãte, præmouẽte, & applicante Deo; bene agit, non male: ac proinde ad nullũ malum opus concursu præuio prædeterminatur, præmouetur & applicatur humana voluntas à Deo.

Tertiò. Si Deo physicè, modo explicato, præmouente, prædeterminante, & applicante, fierent mala opera, iam eo ipso, quatenus quidem ab homine fierent, peccata propriè & mala moraliter non essent; sed hoc est plane absurdum, & contra fidem, vt patet. Sequela maioris probatur. Quia ad peccatum & malum morale propriè ac formaliter dictũ, requiritur libertas, vt constat apud oẽs Catholicos; quæ tamen esse non potest, vbi prædeterminatio illa physica locũ habet vt mox dicetur. 19

Assertio II. Prædeterminatio illa Dei physica planè repugnat libertati causæ secundæ, siue volũtati creatæ ac proinde in nulla prorsus actione libera causæ secundæ est possibilis. Ita authores citati ... prima & secunda assertione. Probatur. Primo. Quia causa libera ab omnibus definiri solet, quæ positis oẽibus ad agendũ requisitis, potest absolute agere & non agere: at vero supposita & admissa eiusmodi 21 prædeterminatione physica dici non potest, voluntatem creatam, positis omnibus ad agendũ prærequisitis, posse agere, & non agere: ergo supposita & admissa eiusmodi prædeterminatione physica tollitur libertas creatæ voluntatis.

20 Minor probatur. Quia si datur eiusmodi physica prædeterminatio, & quidem ad omnem actionem causæ secundæ necessaria, vt vult opposita sententia; tunc inter prærequisita ad agendum, est etiam hæc ipsa prædeterminatio ad agendum, seu quod idem est, concursus Dei physice prædeterminans, & applicans ad operandum: at vero supposita hac prædeterminatione physica, voluntas creata non potest non agere, sed necessario plane agit; quia ea secum necessario prorsus, physico etiam nexu trahit actionē causæ secundæ subsequentē, vt fatentur Authores oppositæ sententiæ: Ergo supposita & admissa eiusmodi prædeterminatione physica, dici non potest, voluntatem creatam positis omnibus ad agendum prærequisitis posse agere & non agere.

Secundo. Causa libera non est, nisi priusquam agat, sit intrinsece indifferens ad vtrumlibet, ita vt æque possit agere, ac non agere: sed impossible est, vt voluntas creata priusquam agat, sit intrinsecè indifferens ad vtrumlibet, si quidem priusquam agat, necessario prædeterminatione physica intrinsecè præmouetur à Deo ad agendum: hoc ipso enim antequam agat, iam ad vnum solum, nimirū ad agendū est extrinsecè determinata; ac proinde non est indifferens intrinsecè tam ad agendum, quam non agendum, Ergo &c. Minor patet. Maior probatur. Quia indifferētia illa est de ratione causæ contingentis; maximè verò causæ liberę.

Tertio. De ratione causæ liberæ est, vt seipsam
21 liberè determinet ad agendum; hoc enim differt à causa naturali, & necessaria, quæ sua natura ac necessario ad agendum est determinata, certis conditionibus suppositis: at vero prædeterminatio illa Dei physica tollit omnem determinationem liberam ipsius voluntatis creatæ: quandoquidem determinari non potest, nisi quod antea adhuc erat indeterminatum; nec libera respectu creatæ voluntatis determinatio esse potest, quam præuia prædeterminatio physica, & quidem intrinseca ipsius Dei anteuertit, ac necessario intrinsecoque nexu secum trahit: quorum vtrumque in præsenti accidit, si voluntas creata ad quamlibet actionem suam à Deo intrinsecè prædeterminatur.

Quarto. Quicquid necessario fit, ex conditio-
22 ne, tum natura ac ratione antecedente liberam voluntatis determinationem, tum voluntatem ipsam intrinsecè ac physicè determināte, ac necessitante ad operandū, id simpliciter & absolutè necessariò fit; vt patet in amore beatorum visionem Dei necessario consequente; & colligitur ex Anselmo explicato & expenso quæst. præced. dub. vltimo: & ratio est manifesta, quia tunc reverā voluntas non habet in manu sua agere, vel non agere; quandoquidem in manu sua non habet intrinsecum principium physicum, ex quo intrinseca ac physica necessitate sequitur actio; & quod ad ipsam actionem prærequisitum est: at vero si voluntas creata physicè à Deo ac intrinsece prædeterminatur ad quamlibet suam actionem, tunc quicquid à voluntate creata fit, necessario fit ex conditione non solum natura ac ratione antecedente liberam voluntatis determinationem, sed etiam voluntatem ipsam intrinsecè determinante ac necessitante ad operandum: quandoquidem illa ipsa prædeterminatio diuina præuia, quocūq; nomine vocetur, seu qualitatis ac dispositionis cuiusdam; seu motionis transeuntis, secundum hos authores qui eam asserunt, non solum natura ac ratione antecedit liberam voluntatis determinationem; sed etiam ipsam voluntatem intrinsece determinat ac necessitat ad operandum; nec tamen sine ea quicquam fieri à creata voluntate potest: Ergo si voluntas creata physice a Deo ac intrinsece prædeterminatur, ad quamlibet suam actionem, planè sequitur, quicquid ab ea fit, simpliciter & absolutè necessario fieri; ac proinde ea prædeterminatione posita, tolli libertatem omnem causæ secundæ, seu voluntatis creatæ.

Ad hæc argumēta Authores oppositæ sententię tribus modis respondent. Primo generatim aiunt, 23
eam præmotionē diuinā, iuxta suauē ac simul efficacem dispositionē diuinæ prouidentiæ, esse attemperatā conditioni ac naturæ ipsius causę secundæ; quę proinde modū agendi conaturalē causę liberę seu voluntatis creatæ non tollat, nec impediat, sed potius statuat ac promoueat. Sed hæc responsio minime satisfacit. Cum enim argumenta superius allata conuincāt, hunc modū diuinæ prouidentiæ pugnare cum libertate, nō potest dici eam esse attemperatā conditioni ac naturę ipsius etiam causę liberæ. Multo min⁹ efficacitas diuinę volūtatis ac prouidentiæ facit, vt quidlibet quolibet modo efficiā Deo possit; nō enim v.g. potest facere hominē sine anima; neq; adeo volitionē creatā liberā absque indifferētia; seu sublatā voluntatis indifferētiā: sed videndū est, an non modus, quo aliquid à Deo fieri dicitur, pugnet cum ipso effectu, quod in præsenti accidere demonstrauim⁹. Alias ea ratione in qualibet omnino actione humanæ voluntatis defendi libertas poterit; etiam in ipso beatorū amore; si quis modo dicat, eum mediante visione beatifica à Deo effici consentaneè conditioni & naturæ ipsius voluntatis liberæ, &c.

Secundo respondent, eam necessitatē operandi
24 causæ secundæ, quæ sequitur ex præmotione diuinā præuia, solum esse conditionatam & hypotheticam; adeoq; insensu composito; non absolutam, & in sensu diuiso; seu quod idem est, necessitatem consequentiæ; non consequentis; eo quod sequatur solum ex conditione illius prædeterminationis præuiæ. Sed hæc etiā responsio nihil plane momenti habet. Non enim omnis necessitas, quæ sequitur ex conditione aliqua, est, & dicitur conditionata; sed quæ sequitur ex cōditione aut supponente, aut concomitanter inuoluente, aut certe intrinsece non impediente ac imutante liberā determinationē, seu modū connaturalem operandi causæ liberæ; quà libera est: alias etiam amor beatorum, quia sequitur solum ex conditione præuia visionis beatificæ, erit necessarius nō absolutā, sed solum conditionata necessitate; & in sensu composito, nō diuiso; & necessitate consequentiæ solum, non consequentis; quod est absurdū, & cōtra omnes. Cum ergo nos probauerimus, eam cōditionē præuiæ determinationis physicæ intrinsece pugnare cum libera determinatione, & mo-

do con-

Digitized by Google

do connaturali agendi causæ liberæ, qua libera est, non potest ea necessitas esse & vocari solum conditionata, aut consequentiæ; sed est necessitas plane absoluta & consequentis; & in sensu diuiso, non cõposito tantũ; vt de amore beatorũ dixim⁹.

25 Tertio respondẽt, necessitatẽ absolutã volũtatis solũ oriri ex vnica & certa illa cõditione præuia; quando voluntas ex parte obiecti, hoc vel illo modo ab intellectu propositi, necessitatur ad volendum, vel nolendum aliquid; non autem quando aliunde, vel ex aliqua alia conditione quasi ab extrinseco necessitatur; cum enim voluntas sua natura moueatur ab intellectu obiectum proponente; modum etiam voluntatis, vt libera sit vel necessaria, consequi propositionem obiecti, eiusque modum. Sed & hæc responsio friuola est. Cum enim voluntas moueri possit, non solum ab obiecto, seu intellectu proponẽte obiectum; sed etiam à Deo, vt authores oppositæ sententiæ dicunt, debet non solum modus motionis ipsius obiecti, sed etiam ipsius Dei mouentis, ita cum natura voluntatis contemperatus esse, vt in actionibus liberis liberam huius determinationem non impediat: quandoquidẽ ad hoc, vt voluntas libere non agat, satis est, si ex aliquo saltẽ capite intrinsece ad agẽdum prædeterminetur; etiamsi ex parte obiecti, seu alterius capitis, libertas ipsius non impediatur. Et cum præmotio illa diuina, non minus, imò magis intrinseca sit voluntati, quam certa propositio intellectus ex parti obiecti, certè si hæc libertatem impedit, etiam illa impediet. Præterquam quod ex hac responsione consequens esset, non posse quidem Deum, etiam per absolutam potentiam, circa obiectum alioquin cum indifferentia propositum, ita necessitare voluntatem, vt ea absolutâ necessitate operetur; quod nemo facile dixerit. Deniq; contra hanc responsionẽ aperte facit doctrina Augustini, l. 5. de ciu. c. 10 qui libertati aduersari docet, non solum necessitatem ab intrinseco, sed etiam necessitatem ab extrinseco; si quidem intrinsecum modum operandi causæ secundæ immutet, vt vidimus quæst. præced. dub. 8. sub finem.

26 Quarto obijciet aliquis, nos ipsos etiam antea quæst. præced. dub. vlt. docuisse, prolixeq; defendisse, prædeterminationẽ Dei extrinsecam, quantumuis tempore ac natura priorem libera determinatione nostra, libertatem tamen voluntatis in operãdo non impedire: Ergo nec prædeterminatio hæc physica, quantumuis voluntati intrinseca, eam impediet.

Respondeo negando consequentiam; est enim inter vtramque determinationem euidens discrimẽ; non solum quod determinatio illa, quã superius defendimus, necessaria non est, ex parte causæ secundæ, nec vniuersim etiam ex parte Dei requisita ad agendum, vt ibidem diximus; sed etiam quia determinatio illa, hoc ipso, quod voluntati creatæ extrinseca est, eamq; per se nullo modo afficit; non potest imutare vel impedire modum agendi connaturalem ipsius voluntatis creatæ, adeoq; nec vllam ei veram & intrinsecam necessitatem adferre, eiusue libertatem impedire; siquidem alias secundum præsentes circumstantias in agendo esset libera: at vero prædeterminatio, quã impugnamus, hoc ipso, quod voluntati intrinseca est, eamq; realiter ac physice afficit & determinat, cum tamen eiusdem voluntatis liberam determinationẽ natura antecedat, vti eius propugnatores docent; non potest non impedire intrinsecam facultatem ac indifferentiam, adeoq; libertatẽ eiusdem voluntatis ad vtrumlibet: ita quidem vt per eam ipsam prædeterminationem, voluntas ipsa sit physice ac intrinsece non min⁹ necessitata, quam determinata ad vnum illud, quod ex eius prædeterminationis impulsu agit: quod de prædeterminatione illa extrinseca, à nobis defensa, dici nequaquam potest.

27 Assertio IV. Tametsi prædeterminatio illa physica, in actionibus liberis causæ secundę, plane reijcienda ac impossibilis sit, vt dictum; rectè tamen aliquo sensu admitti potest, causam secundam à prima causa, seu actione primæ causę ad agendum moueri, determinari & applicari. Hæc assertio est ex mente Suarij cit. l. 1. c. 11. n. 4. & 14. & ponitur ad tuendum, siue explicandum modum illum loquendi S. Thomæ admodum vsitatum etiam in Summa, vt superius notauimus in relatione primæ sententiæ: licet Molina l. c. disp. 6. eum loquendi modum S. Thomę absolute videatur reijcere. Probatur tamen & explicatur. Tribus n. modis verè id intelligi potest. Primo de actione Dei non transeunte, sed imanente; siue de actione, vel poti⁹ actu ipsius diuinę volitionis, qua Deus prius saltẽ tempore, quam vel ipse actione transeunte ageret, vel causa secunda ageret, statuit proportionatum suum concursum secundę causæ exhibere; quę actio cum reipsa postea secum adferat etiã concursum actualem, tam ipsius Dei, quam causæ secũdæ, quo ad agendũ ipsa determinatur, vt mox dicetur, rectè dici potest, actione Dei pręuia (saltem secundũ durationem) determinari causam secundam ad agendum, non formaliter, sed efficiẽter. Quo sensu etiam Suarez cit. l. 1. de concur. c. 4. n. 7. concedit, aliquo sensu verè dici posse, actionem creaturę esse effectũ diuinę actionis, generatim vocando effectum; quicquid ab efficiente profluit: *sic enim*, inquit, *etiam actio est effectus agentis*.

28 Secundo intelligi id potest, de actione & concursu Dei transeunte; qui cum sit reipsa vnus & idem cũ actione & concursu ipsius causæ secundę, vt superius dictũ, rectè dici potest, ex ipsa actione diuina formaliter, non efficiẽter determinari causam secũdam ad agendum; non minus quã suamet actione & determinatione, siue cõcursu, causa secunda ad agendũ formaliter determinatur. Neq; n. determinatio illa aliud est, quam actualis influxus; neq; influxus aliud quã ipsa actio, vt recte etiã notauit Molina cit. q. 14. a. 13. disp. 8. Priorẽ modũ applicationis, & motionis, siue determinationis indicat Suarez cit. c. 4. n. 7. posteriorem c. 11. n. 4.

Quanquã ipsemet S. Thomas 1. p. q. 105. a. 5. dũ ait: *Deũ mouere res ad operandũ, q. applicando formas & virtutes rerũ ad operationẽ, sicut artifex applicat securim ad scindendum*; satis indicat, per vocula *Quasi* hanc applicationem ad operandum esse minus propriè dictam; neq; sane aliud eo significatur, quã quod Deus & intimè conseruet vim operatiuam causa-

rum.

rum secundarum, & simul etiã seipso imediatè concurrat ad primæuã quasi emanationẽ ipsius actionis ab ipsa causa secũda, non per influxum præuium influxui causæ secundæ, vt superius dictum.

Tertio intelligi id potest de motione extrinseca & remota ipsius causæ secundæ: quatenus nimirũ Deus non solum dat & conseruat ipsum esse, vimq; operatiuam causæ secundæ; sed simul etiã omnes alias conditiones ad agendũ prærequisitas, vel applicationes, seu motiones etiam locales, quæ ad illam actionem antecedunt, efficit, vt recte Suarez lib. 1. de concurs. Dei cap 15. num. 7.

29 Assertio V. Rectè etiã dici potest, concursus, siue actio Dei velut causæ vniuersalis, prior, concursu siue actione causæ secundæ; non secundum ordinẽ causalitatis aut naturæ; sed tum secundum ordinem dignitatis; tum etiam quoad ordinem independentiæ secundũ subsistẽdi consequentiã; tũ deniq; ppter rationẽ quasi formalẽ in termino actionis spectatã Ita forè Caietanus cit. q. 19. a 8. vbi ait: *Illa propositio* (causa prima pri⁹ naturaliter respicit effectũ, quã causa secũda) *nõ est sic intelligẽda, quasi sit aliqua duratio naturæ, in cuius primo instanti causa prima respiciat effectum, & in secundo causa secunda: puerilis enim hic est sensus &c. sed est intelligenda, quo ad independentiã, & intimitatem. Attingit enim prima causa effectũ secundæ, & imdependentius, & intimius, quã secunda, vt patet in principio libri de causis. Et propterea dicitur respicere prius.* Idem docent Molina quæst. 14. art. 13. disp. 10. Suarez cit. l. 1. de concursu Dei. cap. 4. num. 8. Vasquez 1. p. d. 88. num. 16.

30 Probatur & declaratur. Prima. n. pars ex eo patet. Quia cũ reipsa sit eadẽ actio Dei & creaturæ, nõ potest sibi ipsi esse causa, nec se ipsa à parte rei prior; nec adeo potest inter vtrãmq; actionem, esse vn⁹ aliquis & realis ordo naturæ, siue causalitatis.

Ratio secũdę partis est. Quia cõcursus Dei hoc ipso, quia est vniuersalior magisq; indepẽdens, dignior est & nobilior, quã concursus causæ secundæ: non quasi inter vtrũq; sit realis ordo dignitatis; & aliùs reipsa sit concursus Dei, alius causæ secundæ: sed secundum rationem; quod vnus & idem concursus, quatenus à Deo est, nobilior sit, quam vt est à causa secunda.

Quo sensu etiã patet tertia pars. Quia secũdũ ordinẽ independentiæ, quoad subsistendi consequentiã, illud prius est altero, quod sine altero esse potest; cũ tamen alterũ sine eo esse non possit, quod in proposito accidit. Siquidẽ sine concursu & actione diuina, nullo modo potest esse vlla actio creaturæ, siue causę secũdæ; cũ tamen actio Dei generatim & secundũ se esse possit absq; omni actione siue cõcursu causæ secundæ: etsi quidẽ in particulari ille idẽ numero concursus diuinus, pro vt hic & nũc exhibetur, quia vn⁹ est reipsa cũ actione creaturę, esse nõ possit sine concursu & actione causæ secundæ: qua etiam ratione vtriusque concursus à se inuicem pendet, vt rectè etiam notauit Molina loco citato.

31 Ratio quartæ partis est; quia secundum Aristotelẽ in post prędicamẽtis c. 2. de modis prioris, & l. 1. phys. c. 1. ratione quadã priora sunt vniuersalia, quã particularia: cum igitur causa vniuersalis, eiusq; concurs⁹ pro ratione formali obiecti siue termini, habeãt rationem communissimã entis; causę a particulares certã quandã solũ & determinatã rationẽ huius, vel illius entis, in obiecto seu termino respiciãt (etiãsi interim vtraq; ratio entis à parte rei hic & nũc nihil differãt) vt ex communi, & certa docet S. Thomas 1. p. q. 44. a. 2. & fusius declarat Molina ibidẽ; hinc fit, vt cõcursus siue actio etiã eadẽ, secundum rẽ ipsã, quatenus Deũ respicit, prior sit ratione, quã sit eadem actio, pro vt causam secundã respicit. Quibus proinde modis cum actio causæ vniuersalis prior sit ratione, quam actio causæ secundæ, maluit forte etiã S. Thomas dicere, actione primæ causæ determinari vel moueri causam secundã, quã actione causæ secundæ determinari actionẽ causę primę. Præterquã quod causa prima etiã aliis modis, vero ordine causalitatis antecedit in causando: quatenus nimirũ dat & cõseruat esse causæ secundæ, ac simul omnes alias conditiones, vel applicationes, aut motiones, quæ ad illam actionem antecedunt efficit, vt antea dictum.

Assertio VI. His tamen non obstantibus, rectè nihilominus & vere dici potest, concursum Dei, velut causę vniuersalis, quasi modificari & determinari per concursum causæ secundæ ad speciem actus, ita loquitur Caietanus cit. quæst. 19. art. 8. vbi ait: *Quoniam stat, causam secundam necessario moueri à prima, & cum hoc, ipsum moueri* (causæ primæ) *modificari ex natura causæ secundæ.* Et infra. *Prima causa*, inquit, *non attingit effectum secundæ causæ in seipsa, sed modificata cooperatione, seu iuxta modum ipsius causæ secundæ.* Idem docent Suarez l. 1. de concursu Dei c. 15. n. 5. Vasquez. 1. par. disp. 43. n. 40. & Molina q. 14. a. 13. disp. 6. vbi rem ita declarat: *Deus namq; generali concursu influit, vt causa vniuersalis, influxu quodã indifferente ad varias actiones & effectus; determinatur verò ad species actionum & effectuum, à particulari influxu causarũ secundarũ, qui pro diuersitate virtutis cuiusq; ad agendũ diuersus est: aut si causa libera sit, in ipsius potestate est, ita influere vt producatur potius hæc actio, quam illa: puta Velle, quam Nolle &c. Non secus ac influxus solis, qui etiam vniuersalis est, determinatur ab influxu hominis, vt producatur homo, & ab influxu equi vt oriatur equus.* Ita Molina. 32

Quod tamẽ nõ hoc modo intelligendũ est, quasi à parte rei prius existat cõcursus Dei indeterminatus, qui per concursum causæ superuenientem reipsa determinetur & modificetur; aut quasi ratio specifica rei non sit etiam à Deo & influxu diuino; cum enim sit idem à parte rei concursus, eademque reipsa actio causæ primæ & secundę, non potest vllus realis ordo inter eas intercedere; vt etiam superius dictum: sed quod cũ reipsa quidem vtriusq; causæ actio & concursus vnus & idem sit, & quidem reipsa iam determinatus ad talem speciem, siue rationem actus; formaliter tamen hanc vel illam determinatam speciem aut rationem actus non habeat, prout est præcisè à Deo; Deus n. ex se paratus fuisset exhibere aliũ etiam reipsa concursum, si causa secunda ad operandum aliter fuisset determinata: sed quòd habeat actus speciẽ, pro vt est à causa secunda; per quã fit, vt concursus Dei, quem is ex se quasi indeterminatum afferebat, paratus nimirum vniuersim, iuxta modum & conditionẽ, siue exigentiam causę secũdę cõcurrere, reipsa esset talis pot⁹, quã alius cõcursus, hui⁹ potius quam alterius rationis, non indiuiduæ, (de hac enim non est hic quæstio, imo hanc putant nonnulli pen- 33

dere solum ab ipsa diuina determinatione, de quo non disputo) sed quasi specificæ, vt dictum.

34 Cæterum contra hanc doctrinam, præsertim duabus prioribus assertionibus explicatam, obijcitur primò authoritas Aristotelis lib. 8. physic. tex. 33. vbi docet; primum mouens mouere inferiora mouentia his verbis. *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum: illud enim mouet vltimum; sed hoc non primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit; illud autem sine hoc: vt baculus non mouebit, nisi moueatur ab homine*, &c.

Respondetur, rectè dici inferiora mouentia moueri à primo, nec mouere nisi mota à primo; non quod physicè prædeterminentur ad motum; de hac enim re nullum vspiam verbum habet Aristoteles: sed tum quia Esse ac vim suam motiuam ex prima productione, & perpetua conseruatione accipiunt à primo mouente; tum quia mouere non possunt, nisi simultaneo concursu quasi adiuuentur à primo, non quia in se recipiant modum aliquem præuium, sed quia in ratione agentis constituantur in actu secundo, per simultaneam cooperationem causæ primæ, vt rectè Suarez lib. 1. de concurs. Dei. capite vndecimo, num. 10.

Secundo obijcitur authoritas S. Thomæ, qui in varijs locis eiusmodi prædeterminationem physicam statuere videtur, vt iam superius ante primam assertionem retulimus.

35 Respondetur, nullum locum ex citatis habere difficultatem, præter illum qui relatus est ex quæstio. 3. de potent. art. 7. Vbi quidem concedimus, S. Thomam videri posse eam tradidisse sententiam; sed quam tamen meritò existimamus, ab eo fuisse tacitè saltem & implicitè retractatam 1. p. quæst. 105. art. 5. & in 3. cont. gent. c. 70. quibus locis ex instituto explicans, qua ratione prima causa concurrat ad effectum, seu actionem causæ secundæ; tres solum modos commemorat, nimirum 1. quia dat formam & vim actiuam rebus. 2. quia conseruat illam. 3. quia quasi applicat illam; nimirum suo influxu simul cum causa secunda influendo in effectum; hunc enim influxum neque negare, neque tacere eo loco poterat: illam autem qualitatem seu motionem fluentem & transeuntem, seu intentionem primi agentis, quæ confertur causæ secundæ, dum à prima causa ad agendum mouetur, penitus tacet: quam tamen ijs locis tacere non posset, si veram agnosceret, vt pluribus persequitur Suarez citat. lib. 1. de concurs. cap. 11. à num. 4. Cætera verò loca S. Thomæ quomodo intelligenda sint, patet ex assertione 4.

Tertio obijcitur locus ille superius allegatus, ex Catechismo Romano; in quo dicitur, Deus *intima virtute ad motum atque actionem ita impellere, vt secundarum causarum efficientiam præueniat.*

36 Respondetur, hoc intelligendum de intima virtute conferente & conseruante vim actiuam ipsius causæ secundæ, per quam, mediante & accedente simul concursu ipsius causæ primæ ad effectum causæ secundæ, atque etiam dependentia actionis causæ secundæ à causa prima, impellit quodammodo causam secundam ad agendum, & simul eius efficientiam seu actionem præuenit; quæ explicatio probatur ex ratione subiuncta: *cum eius occultissima vis ad singula pertineat*: ad quam nihil facit præmotio illa & prædeterminatio physica causæ secundæ impressa. Fateor tamen eum modum loquendi minus esse proprium, imo nec vsurpandum, cum de actionibus malis & peccaminosis sermo est; ad quas SS. Patres & concilia expresse negant, hominem impelli, vt dictum assert. 2.

Quarto obijciuntur quædam argumenta ex ratione petita; sed quæ iam in probatione primæ assertionis sunt refutata. Illud solum præterea notandum; quando causæ secundæ vocantur ab Aristotele, vel S. Thoma, vel alijs, instrumenta Dei; aut certe cum instrumentis comparantur; id propriè non esse accipiendum: sed quadam analogia, eo quod causa vniuersalis sit principalius agens, quam causa secunda; quodque omnis vis actiua causæ secundæ sit à prima, &c. Alias patet, etiam causas secundas esse verè & propriè agentia principalia, respectu suorum effectuum naturalium, ad quas vim sufficientem habent. Quare etiam S. Thomas 1. p. quæst. 105. art. 5. vtitur in ea comparatione vocula *Quasi*, diminuente, vt dictum assert. 4.

Addunt etiam ex nostra sententia secuturum, esse plura prima principia; tribuuntque hoc argumentum S. Thomæ in 2. d. 37. quæst. 1. art. 2. Sed hæc, & similia solum pro forma, & dicis causa, atque ad terrendos imperitos obijci videntur; quando manifestum est, & S. Thomam eo loco nec verbo quidem contra nostram sententiam differere; & rationem primi principij Deo vni integerrimam etiam à nobis relinqui; qui planè fatemur, non solum Esse ipsum substantiale, virtutemque actiuam causæ secundæ; sed ipsam quoque actionem eius à Deo intimè ac necessario dependere; non quidem per præmotionem illam causæ secundæ, quam frustra confingunt oppositæ sententiæ auctores; sed quod plus est, immediatè ac per seipsam, vt in probatione primæ assertionis dictum. Cætera leuiora sunt, quam vt referri mereantur.

DVBIVM II.

Sitne potentia Dei operatiua ad extra, formaliter ipse intellectus & voluntas Dei; an potius perfectio quædam ab vtroque distincta.

S. Thom. 1. p. q. 25. a. 1. & 3.

1 STatus quæstionis est, an sicut intellectus & voluntas diuina ratione inter se differunt, duoq; distincta attributa constituunt; ita etiam ab vtrisque

que distinguatur diuina potentia, qua Deus operatur ad extra. Duæ sunt hac de re Doctorum sententiæ. Prima asserit, potentiam Dei immediatè operatiuam ad extra, de qua hic disputamus, esse ipsum intellectum & voluntatem Dei; ita vt potentia hæc intrinsecè & quidditatiuè includat scientiam, aut potius voluntatem, vel vtrumque simul (in hoc enim variant;) addendo tamen respectum & rationem principij, nec ea inter se aliter differant, etiam extra nostrum intelligendi modum, quam vt includens & inclusum. Ita Scotus in prim. dist. trigesima septima, quæstione prima. Bassolis in secund. d. 8. quæst. 1. Ferrariensis libro secundo cont. gent. capite decimo. Caietanus hic quæstione vigesima quinta, articulo primo. Canariensis quæstione 27. articulo 1. disput. 4. par. 2. quos sequitur Gregorius de Valentia quæst. 25. punct. 1. & Vasquez 1. p. t. 1. disp. 102. cap. 3. Fauet etiam nonnihil S. Thomas vt dicemus. Neque tamen negant, aut negare possunt hi auctores, alio respectu intellectum & voluntatem latius etiam patere, quam potentiam; quandoquidem Deus intelligit quædam, & vult, quæ facere actione transeunte nullo modo potest, vt est diuinitas ipsa, relationesque, ac personæ diuinæ; vt de peccatis taceam.

2 Ratio est. Primo, quia existimant, etiam in Angelo, & anima rationali separata, iuxta Aristotelem libro tertio de anima text. 10. potentiam locomotiuam non differre ab intellectu & voluntate; etsi quidem potentia locomotiua corporea, vt in homine, & animali quouis cernitur, tam ab intellectu, quam à volũtate seu appetitu differat. Secundo. Quia potentia executiua nunquam ab appetitu distincta ponitur, nisi ea ratione, vt pareat, & ad nutum illius operetur: quod in Deo locum habere non potest: imo nec in Angelo; in quibus nulla talis est cõpositio. Tertio. Quia in Deo non sunt, etiam ratione nostra, multiplicanda & distinguenda plura attributa, quando ea ratione derogatur perfectioni & efficacitati infinitæ ipsius Dei: constituere autem potentiam exequentem, distinctam ab intellectu & volũtate, derogat perfectioni voluntatis diuinæ: inde enim sequitur, voluntatem concipi à nobis sine virtute perfecta & infinita; cum alia facultas ad exequẽdum ei tribuatur, sicut in nobis accidit. Addi potest quarto; absurdum videri, in Deo constituere potentiam, quæ non sit rationalis, vt in opposita sententia videtur accidere. His accedũt quinto noñulla Scripturæ, & SS. Patrum testimonia: vt quando dicitur Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Psalmo 121. *Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit.* Psalmo 148. *Ipse dixit & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Et S. Leo serm. secundo de Natiuitate, ait. *Deus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia.* Et S. Augustinus libro Meditat. capite 29. inquit: *Cuius voluntas opus, cuius velle posse est.*

3 Nihilominus opposita sententia multo videtur probabilior; videlicet potentiam, siue Omnipotentiam in Deo, esse peculiare attributum, ratione tam ab intellectu & voluntate, quam à cæteris omnibus attributis, distinctum: ita vt formaliter & in recto intellectum & voluntatem Dei, nec adæquate, nec inadæquate, secundum nostrum concipiendi modum, includat: sed intellectus diuinus in operando ad extra sit solum dirigens; voluntas mouens & applicans; potentia hæc immediatè exequens. Ita docet Durandus in prima d. trigesima octaua, quæstion. prima. Suarez metaph. disputatione trigesima, sectione decima septima, & in 1. p. libro tertio de attributis capite nono numero secundo, & probabile censet Caietanus hic citat. quæstion. 25. articulo primo. nec dissentit Ferrariensis loc. cit. &c. Eadem plane est sententia S. Thomæ; non solum quia de potentia Dei velut attributo à cæteris distincto tractat hoc loco; sed quia etiam disertis verbis satis seipsum explicat, vtcunque alias de hac re ambiguè loçutus videatur. Siquidem hic quæst. 25. art. 1. ad 4. ait. *Potentia non ponitur in Deo, vt aliquid differens à scientia, & à voluntate secundum rem; sed solum secundum rationem; in quantum scilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit. Quæ tria Deo secundum idem conueniunt.* Vbi aperte docet, intellectum solum esse causam rerum dirigendo; voluntatem imperandó; potentiam vero immediate exsequendo.

Et quamuis S. Thomas ibidem mox, quasi corrigens quod dixerat, subiungat; *Vel dicendum, quod ipsa scientia & voluntas diuina, secundum quod est principium effectiuum, habet rationem potentiæ*; id tamen eneruat prius dictũm; quia cum ibidem ijsdem illis verbis mox ista subijciantur: *Vnde consideratio scientiæ & voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ; sicut causa præcedit operationem & effectum*; quæ cum secunda illa solutione non cohærent, sed potius cum prima; merito creditur, quod dicit Ferrariensis lib. 2. contra gentes cap. 1. ad 4. priorem solutionem esse ex mente S. Thomæ, ac posteriorem in vetustis codicibus non reperiri. 4

Accedit quod idem S. Thomas hic art. 5. ad 1. rursum priorem sententiam astruit cum ait: *Potentia intelligitur vt exequens, voluntas vt imperans, & sapientia vt dirigens.* Item: *Ideo Deus aliquid facit, quia vult: non tamen ideo potest, quia vult, vel quia talis est in sua natura.* Quod si potentia formaliter esset ipsa voluntas, non posset absolute dicere, DEVM non ideo posse, quia vult. Denique quæstione quinta de verit. articulo primo. *Prouidentia in Deo*, inquit, *includit scientiam & voluntatem, &c. Potentia autem executiua est prouidentiæ. Vnde actus potentiæ præsupponit actum prouidentiæ, sicut dirigentis; vnde in prouidentia non includitur potentia, sicut voluntas, &c.* Hactenus S. Thomas. 5

Probatur hæc sententia. Primo quia attributa diuina, quæ formaliter in Deo existunt, distingui debent secundum proportionem ad res creatas; in quibus potentia executiua plane differt re, aut ratione ratiocinata (secundum communem scilicet modum, quo intellectus & voluntas inter se distinguuntur.) ab intellectu &

voluntate; quod merito etiam de Angelis, & anima separata docent auctores citati pro hac sententia. Secundo. Quia conceptus potentiæ non minus distinctus est à conceptu scientiæ, & voluntatis, quam harum inter se; aliud enim est intelligere, aliud velle (seu posse intelligere, & velle) aliud posse operari ad extra. Tertio. Potentia siue Omnipotentia Dei est vnum quoddam attributum diuinum; non ergo constituitur ex duobus attributis.

Quarto. Tam actus, quã obiecta trium istorum sunt planè diuersa. Scientiæ enim, & voluntatis actꝰ proprij & imediati sunt actus imanentes; potentiæ vero, actus solum transeuntes. Item diuinę scientiæ ac voluntatis obiectum tam est ens increatum, quam creatum; imo potius increatũ quam creatum, vt patet ex q. 9. & 10. potentiæ vero obiectum adæquatum est ens creatum tantum. Quare etiam multa intelligit & vult Deus, quæ tamen efficere non potest, vt superius dictum.

Quinto. Quando dicitur, potentiam esse ipsum intellectum & voluntatem diuinam, aut per intellectum & voluntatem intelligitur vis ipsa, seu potentia intelligendi, quasi in actu primo, aut actualis scientia & volitio Dei: non primũ; quia potentia est imediatum principium operandi ad extra, qualis non est intellectus & voluntas quasi in actu primo; imediatius enim, etiam per modum principij, concurrit actualis scientia & volitio Dei: quandoquidem & hæc non se habent per modum actionis respectu effectus externi, sed per modum principij, vt patet. Neque secundum dici potest. Quia potentia in Deo est necessaria; actus autem plerique scientiæ & voluntatis, præsertim qui maximè operatiui dicuntur ad extra, sunt liberi. Ergo, &c.

6 Ad primum respondetur, etiam in Angelo, & anima separata, potentiam locomotiuam, seu operatiuam ad extra, differre ab intellectu & voluntate. Neque contrarium docet Aristoteles loc. cit. sed solum; intellectum etiam & voluntatem esse principia mouentia, sed mediata; hanc nimirum per modum impellentis, seu inclinantis & applicantis; illum per modum dirigentis, vt dictum.

Ad secundum respondetur, imperare & subijci, esse conditiones solum materiales potentiarum, quæ supponunt realem distinctionem inter illas; qualis in Deo locum non habet; quamuis nihilominus ei conueniat ratio formalis & abstracta eiusmodi potentiarum. Ad hoc enim satis est, quod ratione nostra in Deo executiua potentia subordinetur & sequatur intellectum & voluntatem; sicut etiam intellectum sequitur voluntas.

Ad tertium Respondetur; nihil ideo derogari infinitæ perfectioni & efficacitati intellectus & voluntatis diuinæ; quia vel hæc spectantur, vt sunt à parte rei vna simplicissima entitas; & sic nulla est inter ea distinctio. Aut considerantur abstractè, & secundum imperfectum nostrum modum concipiendi; & sic quamuis vnum non includat formaliter alterum, nihilominus tamen singula sunt infinita, infinitamque efficacitatem habent in suo genere; nimirum intellectus in intelligendo & dirigendo; voluntas in appetendo & quasi applicando; potentia in exequendo.

Ad quartum Respondetur; potentiam hanc etiamsi ratione distinguatur ab intellectu & voluntate, nihilominus rationalem esse, & dici debere, non quidem intrinsece, sed quasi extrinseca ratione, qua etiam voluntas, rationalis potentia dicitur; quia ex sua natura rationis ductui subordinatur, & ad perfectionem naturæ intellectualis pertinet; etiamsi per se intrinsecè non magis intelligens sit, quam potentia, de qua agimus.

Ad quintum Respondet, & fatetur ipsemet Vasquez loc. cit. num. 9. adducta testimonia ad propositum nihil facere. Ea enim probant solum, omnium rerum productionem pendere ex nutu Dei; at non esse potentiam exequentem in Deo à voluntatate distinctam, minimè probant. Nam etiam de homine quolibet rectè dicimus, ambulat quando vult, quo vult, & vbi vult; imo etiam in ijs rebus, quæ subsunt voluntatis arbitrio, sæpe dicimus, hominis posse, esse eius velle; neque tamen interim negare volumus, potentiam ambulandi, vel operandi ad extra, esse à voluntate distincta.

DVBIVM III.

An potentia diuina sit infinita, ac vera Omnipotentia; & quodnam in genere sit eius proprium & adæquatum obiectum.

S. Thom. p. 1. q. 25. a. 2. 3. 4.

AGemus prius de obiecto; deinde de ratione ipsius intrinseca; vtpote cuius explicatio ab obiecti notitia dependet. 1

Assertio I. Obiectum proprium & adæquatum diuinæ potentiæ, est Ens possibile latè sumptum, prout scilicet & Ens, & non Ens possibile includit. Ita colligitur ex varijs locis S. Thomæ, qui de hac re alioqui varie locutus est. Etenim in 2. cont. gent. cap. 22. ratione 2. ait. *Omnipotentiam Dei referri ad omnia, quæ rationi entis non repugnant*: Ex quo colligit, non ens non esse obiectum omnipotentiæ; quia opponitur rationi entis. At vero in 1. dist. 42. quæst. 2. art. 2. & de potent. quæst. 1. a. 3. docet, omne illud, quod potest habere rationem entis vel non entis, esse obiectum diuinæ omnipotentiæ; & solum esse extra illam, quod implicat contradictionem, nimirum simul esse, & non esse.

Eodem modo hic q. 25 a. 3. docet, omnia possibilia contineri sub obiecto diuinæ potentiæ; & infra ait: *Quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens.* Excipit vero solum illud non ens, *quod implicat in seipso & non esse simul.* Et mox concludit his ver- 2

bis: *Quæcunque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus continentur, respectu quorũ Deus dicitur Omnipotens. Ea verò, quæ contradictionem implicant, sub diuina omnipotentia non continentur; quia non possunt habere possibilium rationem. Vnde conuenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere.* Ita S. Thomas. Eadem ratione etiam Caietanus hîc q. 25. art. 3. Suarez 1. p. lib. 3. de attrib. c. 9. Vasquez d. 104. cap 5. docent, potentiam Dei versari circa ens, & non ens; etsi diuerso modo.

Quæ vt probè intelligantur, notandum est primò, non entia variè dici posse; primo quę nec sunt, nec vllo modo esse possunt; quæq; adeo implicant contradictionem, vt sunt chimæra, hircoceruus, homo irrationalis, aliaque eiusmodi entia merè fictitia: alia subiectiue quidem à parte rei non sunt, habent tamen esse obiectiuum in intellectu, cum fundamento in re; vt sunt entia rationis; quæ proinde ab intellectu fieri dicuntur: alia verò tametsi actu non sint, possunt tamen esse per veram existentiam realem; vt rosa in hyeme: alia denique licet existentiam positiuam realem non habeant, nec habere possint, habent tamen suo modo à parte rei existentiam quasi negatiuam: quales sunt tum negationes Entium; tum etiam priuationes, vt sunt tenebræ, cæcitas, &c.

3 Notandum secundò, obiectum potentiæ, seu facultatis operatiuæ ad extra, dupliciter dici posse; primo ita latè, vt comprehendat etiam illud, quod per modum quasi subiecti præsupposiți, seu materiæ, in qua vel circa quam, etiam destruendam, potentia ipsa operatur, aut operari potest; quomodo obiectum fabrilis artis dici potest ferrum, aut lignum; obiectum medicinæ corpus sanabile; vel etiam morbi ipsi per medicinam pellendi; sicut & obiectum pœnitentiæ sunt peccata destruenda. Secundo obiectum potentiæ dicitur strictè, quod fit, aut fieri potest per ipsam potentiam; quomodo obiectum fabrilis artis dicitur figura artificialis in ferrum aut lingnum inducenda.

Hoc vero obiectum potentiæ effectiuæ rursum duplex est: primum, quod per eam directè, ac positiuo influxu efficitur: alterum, quod per eam solũ fit indirecte, siue cõsequẽter, vel quasi negatiue, hoc est, per subtractionẽ aut denegationẽ influx⁹ eiusdẽ.

4 His positis, licet Theologi, quando de obiecto diuinæ potentiæ loquuntur, non satis distinguant, an de obiecto eius loquantur ita late, vt comprehendat etiam id, circa quod saltem destruendum potentia diuina versari potest, tametsi facere illud nullo modo possit; an de eo solum loquantur, quod ab ipsa potentia aliquo modo fit, & fieri potest; quin & ipse Thomas hic quęst. 25. art. 3. 4 5. 6. vbi de hac re agit, obiecti voce nusquam vtatur; sed solum inquirat, quid nam Deus facere possit, aut non possit, possumus tamen ex dictis rẽ ita declarare.

Primo enim ad obiectum diuinæ potentiæ nullo modo pertinẽt entia merè fictitia, vt chimręa, homo irrationalis, vt sentit S. Thomas loc. cit. & consentiunt omnes Theologi. Ratio est manifesta. Quia hæc hoc ipso, quod nullo modo esse possunt, non possunt etiam nec fieri nec destrui à Deo; nec subijci ulli actioni diuinæ transeunti, vt patet.

Secundò obiectum, per modum termini effectibilis propria, directa, & positiua actione diuina, sunt omnia, & sola entia positiua realia possibilia, pro vt abstrahunt ab actuali existentia, eiusue negatione; sola enim, & omnia ista fieri (seu prima productione, seu influxu conseruatiuo) à Deo possunt, per positiuum, & realem influxum diuinę potentię: Vbi proinde etiam ratio posibilis non dicit rationem termini producibilem, (res enim ante omnem productionem est posibilis) sed conditionem pręsuppositam ex parte termini: nisi enim posibilis esset, nec à Deo quidem fieri posset.

Tertiò, obiectum diuinæ potentiæ, per modum termini indirectè, & per accidens effectibilis, sunt non entia trium posteriorum generum, etiam quatenus non entia sunt; non tamen eodem modo. Entia enim rationis neq; per positiuũ influxũ, neq; per subtractionẽ talis influx⁹ à Deo ipso imediatè ac 5 priè vllo modo efficiuntur; quandoquidem Deus per se non facit entia rationis; licet ea cognoscat, vt dictum quæst. 8. dub. 8. possunt tamen dici pertinere ad obiectum diuinæ potentiæ, quasi mediatè; quatenus Deus concurrit ad omnem intellectionem creatã hominis, per quam ea entia naturaliter fiunt.

Non entia verò, quæ sunt meræ negationes entium, vt non homo, non rosa, &c. sunt quidem obiectum diuinæ potentiæ, per modum termini immediatè effectibilis, negatione, seu subtractione diuini influxus, non tamen omnia; sed propriè illa tantum, quæ opponuntur entibus aut iam habentibus actualem existentiam; aut secundum dispositionem causarum naturalium habituris, nisi Deus suâ potentia obstaret. Verbi gratia, rectè dicimus; potentiæ ac virtutis diuinæ est, facere vt homo non sit, qui iam est, aut futurus esset, secundum naturalium causarũ dispositionẽ: at vero propriè non dicimus diuinæ potentiæ esse, vt infiniti illi homines qui non sunt, nec ex dispositione causarum naturalium futuri essent, iam non sint. Item rectè diuinæ potentiæ tribuimus in vere, aut æstate, rosam, aut flores non esse; sed in hyeme rosam non esse, nõ proprie tribuimus diuinæ potentiæ. Est ratio est: quia res creatæ ex se ipsis habent non esse, & sunt non entia, seu nihil actu; ac proinde nisi vel præsupponatur earum esse, vel certè ordo, & cursus naturæ secum ferat earum existentiam, non proprie diuinæ potentiæ tribuitur eorum non esse; etsi quidem id rectè tribuatur diuinæ voluntati; vt recte etiã notauit Suarez. 1. p. lib. 3. de attrib. c. 9. n. 16. licet quidã aliter loquãtur.

Quartò non entia, quatenus significant priuationes propriè dictas, (exceptis peccatis,) rectè etiam nu 6 nerantur inter obiecta diuinæ potentiæ, per modum termini effectibilis, non directa, propria, & positiuâ actione, sed per accidens & indirectè, ac per subtractionem diuini concursus (vt tam de hoc, quam præcedenti non entium genere declarat S. Thomas 1. sent. & de potent. loc. cit.) supposito tamen simul concursu diuino, producente seu conseruante subiectum, in quo sunt. Sicut enim ipsa formaliter sunt non entia, ita propriam ac positiuâ Dei actionem non requirunt: quia tamen sunt negationes in subiecto, adeoque requirunt subiectum, idcirco etiam concursum Dei positiuum, & realem requirunt, quo fiat, aut conseruetur subiectum. Excipio peccata; quia hæc à DEO fieri

nullo modo possunt, vt docet S. Thomas hic quæst. 25. art. 3. ad 2. & consentiunt omnes Theologi, & ex instituto docetur. in 2. 2.

Quintò tamen, si per obiectum diuinæ potentiæ non solum intelligatur, terminus operabilis, sed etiam materia per eam destruibilis, vt dictum, tunc negari etiam non potest, peccatum pertinere aliquo modo ad obiectum diuinæ potentiæ, vt de morbis respectu medicæ artis diximus: similique etiam ratione iam superius diximus, peccata subijci diuinæ prouidentiæ. At vero quia modus ille loquendi parum vsitatus est, & si absolutè proferatur, ad obiectum à potentia operabile referri videtur, non est absolutè dicendum, peccata esse obiectum diuinæ potentiæ, sed solum cum explicatione, & limitatione addita, vt dictum. Ex quibus etiam patet assertio.

7 Assertio II. Ens possibile, prout est obiectum diuinæ potentiæ, non dicitur possibile ab ipsa Omnipotentia Dei; neque à cognitione Dei eam possibilitatem cognoscente; neque etiam à simili cognitione nostra: sed dicitur tale, quia in se ipso non implicat contradictionem: sicut è contrario ens impossibile, quod implicat contradictionem. Ita docent S. Thomas hic quæst. 25. a. 3. Caietanus, & omnes Thomistæ ibidē, Gandauensis quodlib. 6 q. 3. Gregorius de Valent. q. 25. punc. 3. Vasquez cit. disp. 104. c. 5. nec dissentit Suarez cit. p. 1. cap. 9. à num. 12.

Probatur, & declaratur assertio. Prima enim pars, est contra Gabrielem in 1. d. 43. quæst. 2. vbi dicit; Ens possibile, vt est obiectum Omnipotentiæ, dici tale ab ipsamet omnipotentia, quia per ipsam esse, potest. Sed hanc sententiam bene refellit S. Thomas hic art. 3. quia tali explicatione committitur vitiosus circulus: declararatur enim potentia per obiectum, & hoc per potentiam, vt in simili ex Aristotele 5. Metaph. cap. 15. pluribus dictum est disput. 1. quæst. 3. dub. 3. Et quia ratio possibilis, vt dictum, non dicit rationem operabilem ex parte obiecti, sed potius conditionem quasi præsuppositam, ideo aliunde suam denominationem habet, quam ab ipsa potentia.

8 Secunda pars, est contra Scotum in 1. d. 43. q. vn. vbi docet, Ens possibile, vt est obiectum omnipotentiæ, dici tale, ab intellectu diuino cognoscente, illudque sub esse quodam diminuto producente, iuxta dicta quæst. 8. dub. 4. sed non probatur; tum ob dicta ibidem. Tum quia cum Deus cognoscat res vt sunt, adeoq; etiā res tales quia tales sunt; prius est rem esse possibilem, quam vt talem cognosci.

Tertia pars ponitur propter Dominicum Sotum lib. 3. physic. quæst. 4. vbi dicit; illud etiam à Deo fieri non posse, quod statim ac propositum est, intellectus noster respuit; etiamsi non implicet contradictionem. Quod merito refellit Gregorius de Valentia loc. cit. Tum quia prius est, rem esse possibilem, vel impossibilem, quam vt talem à nobis cognosci, vt dictum. Tum quia potentia Dei longè exuperat nostram intelligentiam; vt patet in mysterijs Trinitatis, & Incarnationis; vt proinde, illa modulo nostræ intelligentiæ non sit circumscribenda. Tum quia planè falsum est, aliquid à Deo fieri non posse, quia à nobis concipi non potest, etiamsi contradictionem non implicet: hac enim ratione potentia Dei non esset Omnipotentia, vt dicetur.

Quarta pars partim colligitur ex dictis, ac refutatione aliarum explicationum: partim optimè declaratur à S. Thoma cit. art. 3. ex Aristotele 5. Metaph. t. 17. Duobus enim modis aliquid dici potest possibile; primo solum respectiue, & per comparationem ad certam potentiam actiuam; quo modo aliquid homini dicimus possibile, quod bruto non est possibile; secundò absolutè & in se. Prior ratio possibilis, non est ad propositum: quia vel fit comparatio ad potentiam creatam; & hoc impertinens est; nam potentia Dei non circumscribitur terminis potentiæ creatæ: vel fit comparario ad ipsam increatam Dei potentiam; & tunc committitur circulus, vt dictum. Accipienda est ergo secunda ratio possibilis. At verò absolutè & in se possibile vel impossibile aliquid non est alia ratione, nisi ex ipsa habitudine terminorum; possibile quidem, si prædicatum non repugnet subiecto; impossibile verò, si prædicatum repugnet subiecto: seu quod idem est, si quid vel non implicet, vel implicet in suis terminis, seu in sua ratione, contradictionem. Quo sensu etiā prius secundum rationem est, aliquid esse possibile, quam à Deo posse fieri; quandoquidem obiectum ratione prius est potentia, quæ ad obiectum terminatur. 9

Obijci potest, Ipsemet S. Thomas ibidem, vt dictum assert. præced. docet, Deum facere non posse peccatum; & tamen peccatum vtique est aliquod Ens possibile, latè loquendo de Ente, vt dictum: alioqui nec ab homine fieri posset: Ergo quando S. Thomas docet, Deum facere posse omne Ens possibile, ratio possibilis accipienda est respectiuè, per respectum ad ipsam increatam Dei potentiam.

Ad hoc duobus modis responderi potest; primò vt possibili à Deo factibili addatur exceptio solius peccati; quo modo locutus videtur S. Thomas cit. art. 3. qui cum antea in corpore absolutè docuisset, omne Ens possibile à Deo fieri posse, in responsione ad 2. excipit peccatum. Secundo, vt per Ens possibile intelligatur, quod recte, & sine imperfectione, siue defectu operantis fieri potest. Quod colligi potest ex eadem resp. ad 2. vbi ait, *Peccare est deficere à perfecta actione; unde posse peccare, est posse deficere in agendo; quod repugnat omnipotentiæ. Et propter hoc Deus peccare non potest, quia est omnipotens*; quasi dicat, peccatum non comprehendi sub ratione possibilis, quod Deus facere potest; quia non potest fieri sine defectu operantis; qualem Omnipentia Dei prorsus excludit. Et vtrouis modo res explicetur, neganda est argumenti consequentia, suppositā distinctione antecedentis. 10

Assertio III. Deus tamen non potest peccare: nec facere, vt quæ præterita sunt, non fuerint; nec adeò etiam vt mulier corrupta, non fuerit corrupta. Ita S. Thomas art. 3. ad 2. & art. 4 in corp. & ad 3. Cui cæteri Doctores consentiunt, speciatim Bonauentura in 1. d. 42. q. 3. Capreolus. quæst. 1. art. 3. Ferrariensis 2. cont. gentes. cap. 25. Caietanus, & omnes Thomistæ hic quæst. 25. art. 3. & 4. & prima pars patet ex dictis; vbi simul etiam explicauimus, qua ratione hoc cum priore doctrina S. Thomæ conciliari possit.

Secundam & tertiam partem tradit Aristoteles 6. Eth. c. 2. vbi comprobat hos ex Agathone versu.

Hoc

Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur; Infectum vt faciat, quod factum est, atq; peractũ.

11 Item S. Hieronymus eodem sensu epist. 22. ad Eustochium. *Audenter loquar*, inquit; *cum omnia possit Deus, suscitare Virginem non potest post ruinam.* Nimirum quia licet Deus omnem intrinsecam & permanentem corruptionem mentis & corporis auferre à muliere corrupta possit, restitutâ & mentis sanctimonia, & corporis integritate, vt docet S. Thomas cit. art. 4. ad 3. facere tamen non potest, vt postquam semel fuit corrupta, non fuerit corrupta. Quare etiam amissam semel virginitatem propriè & formaliter restituere non potest, vt communiter loquuntur etiam Theologi. Idem docet etiam S. Augustinus. lib. 26. cont. Faustum cap. 5. vbi ait: *Quisquis dicit, si Omnipotens est Deus, faciat, vt quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere, faciat, vt quæ vera sunt eo ipso quo vera sunt, falsa sint.* Idem habet Anselmus in prosolog. cap. 7. & de concord. lib. arbit. & prædest. cap. 1. Et ratio est manifesta: quia implicat contradictionem in terminis, vt quæ sunt præterita, non sint præterita.

Neque huic doctrinæ reipsa aduersantur Antisiodorensis lib. 1. sum. cap. 11. quæst. 6. Alensis 1. p. quæst. 21. mem. 5 a. 4. Ariminensis 1. d. 42. quæst. 1. a. 2. & Cordubalib. 1. q. 55. dub. vltimo, qui docent, esse nunc in Deo potentiam ad præteritum, vt non fuerit. Loquuntur enim isti in sensu diuiso; nimirum quia Deus retinet eandem potentiam, qua ob initio facere potuit, vt res hæc, quæ modo est præterita, non fuerit; non autem, quia in sensu cõposito facere potest, vt res, quæ est præterita, simul etiam non sit præterita, seu non fuerit. Quo sensu etiam Augustinus, & Anselmus loc. cit. dixerunt, *tam impossibile esse, futurum non fore, quam præteritum non fuisse*: nimirum si supponamus, aliquid esse futurum; tunc non potest non esse futurum: cum tamẽ interim simpliciter & in sensu diuiso, sicut possibile est, eũ qui contingenter sedet, non sedere; & eum qui contingenter sessurus est, non esse sessurũ; ita etiam non sedisse eum, qui contingenter sedit.

12 Solum hæc est inter præteritum, & futurum, ac præsens, differentia; quia cum est sermo de re præterita, subintelligitur facta iam hypothesis sensus compositi, nisi aliud explicetur; & quia hypothesis ipsa non est amplius mutabilis; eum ex præterito non possit fieri non præteritum, ideò rectè absolutè, & sine vlla explicatione dicitur, non esse possibile, vt præteritum non fuerit. At verò quando de præsenti, aut futuro sermo est, non supponitur facta aliqua hypothesis immutabilis, quæ importet necessario sensum compositum; hoc ipso, quod res illa quæ modo est præsens, & existens, fieri potest non præsens. Eodemque modo in futuris contingentibus, quia certum nobis non est, quid futurum sit determinatè, idcirco quando de rebus eiusmodi absolutè loquimur, non solemus supponere certam & determinatam earum futuritionem, sed de rebus ipsis loquimur absolutè ac in sensu diuiso; in quo proinde etiam rectè absolutè dicimus, fieri posse, vt res eiusmodi æque sit non futura, quã futura. Quam doctrinam benè etiam indicauit Anselmus citato. loc. de concord. & clarius exposuit Gregorius de Valentia quæst. 25. punct. 3.

Atque hoc modo concilianda est apparens illa contradictio, quæ est inter Auctores paulo antea citatos, & illos, quos pro assertione nostra citauimꝰ; quorum illi dicunt, esse in Deo potentiam ad præteritum; isti verò negant: illi enim loquuntur de præterito in sensu diuiso, modo explicato; isti de præterito in sensu composito, vt rectè Gregorius de Valentia loco citato, & Vasquez disputatione 105. capite 2. 13

Eodem modo ac sensu concilianda est alia quædam apparens contradictio, quæ est inter Doctores, quorum aliqui dicunt, Deum nunc posse, quæcunque potuit; in quibus Magister in 1. d. 44 & alij contra præcedentem assertionem obiecti; alij verò docent, licet potentia Dei in se non mutetur, & verò etiam rectè simpliciter dicatur, Deum habere quamcunque potentiam, quam habuit; tamen non posse Deum nunc facere, quicquid anteà potuit; ac proinde non habere nunc potentiam cuiuscunque rei, cuius antea habuit; quia potuit suscitare Christum, & modo non potest, &c. vti loquuntur Alensis 1. p. q. 21. memb. 4. Bonauentura in 1. d. 49. q. a. 2 q. 1. & Durandus in 1. d. 44. q 4. Illi enim auctores loquuntur de re absolutè ac secundum se, siue etiam per comparationem ad tempus illud, in quo, seu respectu cuius illa possibilis aliquando fuit; isti verò loquuntur de re, quatenus iam est præterita, & per respectum ad præsens tempus, cuius comparatione ex suppositione facta, possibilis nunquam fuit.

Interim certum est, Diuinam potentiam in se intrinsecè plane immutatam consistere; quandoquidem dum dicitur Deus aliquid posse & non posse pro diuerso tempore, non fit comparatio ad vnum & idem prorsus obiectum, eodemque modo spectatum; sed relatum ad diuersa tempora: & sicut rem illam pro hoc tempore facere non posse verè dicitur, ita etiam nunquam eam pro hoc tempore, suppositis omnibus circumstantijs, quæ reipsa nunc euenêre, facere potuit; & sicut è contrario rem illam pro tempore præterito facere aliquando potuit, ita etiam potentiam eandem intrinsecam, qua illud pro illo tempore poterat, retinet. In modo tamen loquendi, non solum falsitas dicti, sed etiam scandalum vitandum, ne incautis locutionibus, dum aliquid Deus facere non posse dicitur, apud imperitos & infirmos scandalum procreetur; qua in re optima est etiam illa S. Thomæ moderatio, vt de rebus eiusmodi potius dicamus esse impossibiles, adeoque nec à Deo quidẽ factibiles; quam vt dicamus, Deum hoc vel illud facere non posse &c. Plura disput. 3. quæst. 6. dub. 1. 14

Assertio IV. Potentia Dei est vera Omnipotentia. Ita S. Thomas hic quæst. 25. art. 3. & consentiunt omnes Doctores: estque de fide ex scriptura, quæ sæpè Deo Omnipotentiam tribuit Genes. 17. v. 1. *Ego Dominus Omnipotens.* Genes. 35. v. 11. *Ego Deus Omnipotens.* Sap. 8. v. 15 *Omnipotens sermo tuus Domine de cœlo à regalibus sedibus venit.* 2. Cor. 6. v. 18. *Dicit Dominus Omnipotens.* Apoc. 19. v. 6. *Dominus Deus noster Omnipotens*; & alibi passim. Huc spectat illud Luc. 1. v. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum*; hoc est, quicquid mente tanquam Ens possibile cogitari potest. Ratio sumitur ex dictis 15

asserit. 1. & 2. Quia illa potentia est Omnipotentia, quæ omne Ens, absque defectu operantis, ad extra possibile latè sumptum, facere potest: diuina potentia hoc potest, ex dictis. Ego &c.

Dixi absque *defectu operantis*, propter peccatum; neque enim ad Omnipotentiam spectat, vt possit deficere in operando; hæc enim nulla perfectio, sed imperfectio operantis est; verum potius vt non possit deficere. Dixi secundò, *ad extra*. Quia potentia diuina, de qua hic sermo est, solum est potentia operatiua ad extra, non ad intra; ac proinde ad eam non spectat productio diuinarũ personarũ, de qua in materia de Trinitate disp. 4. agendum est.

Assertio V. Potentia Dei quoque in suo genere est simpliciter infinita, tum extensiuè tum quodãmodo intensiuè. Infinitam esse, absolutè docet S. Thomas hic quæst. 25. artic. 2. & consentiunt omnes Theologi. Nec de infinitate extensiua controuersia est: intensiuam in terminis asseuerant Scotus Durandus, Suarez, Vasquez infrà, neq; diffitẽtur alij.

Probatur assertio primò absolutè. Quia potentia, seu vis operatiua ad extra sequitur esse rei, eique commensuratur; vnumquodq; enim agit, in quantum est actu: Ergo cum esse Dei sit infinitum, vt dictum quæst. 2. etiam potentia eius infinita sit, necesse est. Atque hæc est ratio S. Thomæ.

16 Secundò, esse infinitam ex parte obiecti, patet ex dictis: quia nullo termino ex parte obiecti, sine defectu operabilis seu possibilis, limitatur. Sed potest operari & efficere omne Ens possibile modo explicato. Accedit, quod Deus potest ex nihilo rem producere: quod esse potentiæ infinitæ ostendit S. Thomas infra quæst. 45. art. 5. ad 3. liter aduersentur Scotus in 1. d. 2. quæst. 2. & Durandus in 1. d. 43. quæst. 1. de qua re suo loco; item quòd Deus quolibet momento producere potest syncategorematicè infinita indiuidua cuiuscunque speciei, quod nemo negat; & forte etiam infinitas species rerum; tametsi hoc certum non sit; vt dub. seq. dicetur.

Deniq; cum corpus quodlibet ita sit aptum moueri, vt possit velocius & velocius moueri sine termino, requirit etiam potentiam motiuam infinitam actu. quandoquidẽ omnis perfectio effectus, quæ successiua esse potest in effectu, debet in potentia operatiua omnis mutationis experte esse simul; nec dubium tantò maiorem & perfectiorem vim motricem requiri, quantò maior est motꝰ celeritas. Quod argumentum, ex Gregorio Ariminense in 1. d. 43. quæst 3. art. 1. hac de re fusè disserente, probat Vasquez disp. 103. cap. 2.

17 Non probatur autẽ argumentũ illud, quod à sola possibili infinitate syncategorematica, siue successiua indiuiduorũ quorumlibet sumit Durandꝰ in 1. d. 43. q. 1. n. 13. quia hac ratione solum probatur infinitas durationis in agente; & posset etiã cœlum, si infinito tempore staret mutabilis huius mundi statꝰ, infinitas ranas successiuè producere. Nec quod ex Aristotele 8. Physic. c. 10 & 12. Metaph. c. 7. sumitur ab infinitate temporis, qua potest cœlũ à prima Intelligẽtia siue motore primo moueri: quia etiã hac ratione solũ probatur infinitas quoad durationẽ, siue æternitas; qualis etiã Angelis posset competere; vt cum Ariminense, & Scoto locis citt. rectè Vasquez cit. disp 103. cap. 1.

Infinitas quasi intensiua eiusdem potentiæ, sumitur tum ex eo, quod ab alio agente plane independens est, vt benè Scotus & Durandus loc. citt. tum quia habet omnem perfectionem possibilem in ratione potentiæ. Addunt nonnulli, in quibus etiã Suarez lib. 3. de attribut. c. 9. n. 4. ipsam etiam formaliter in se spectatam, in genere entis quoq;, simpliciter infinitam esse; eo quod sit formaliter ipsa essentia; sed hoc non probatur; quandoquidem potentia formaliter est attributum ab essentia distinctum; ac proinde & infinitatem ab essentia nostro intelligendi modo distinctam habet, vt suo loco de attributis diuinis generatim diximus, & rectè etiam notauit Vasquez cit. disp. 103 cap. 2. num. 4. & 5.

Obijcitur contra infinitatem diuinæ potentiæ ex Aristotele lib. 8 Physic. tex. 79 vbi probat, quod si potentia alicuius corporis esset infinita, moueret in instanti: Deus autem non mouet in instanti; sed mouet creaturam spiritualem per tempus; creaturã vero corporalem per locum & tempus, iuxta S. Augustinum lib. 8. super Genesin cap. 20. 21. & 23.

Respondetur cum S. Thoma hic cit. q. 25. a. 2. 18
ad 3. Caietano ibidem, & Vasquez disp. 105. c. 3. n. 12. esse discrimen inter corpus infinitum, & agens intellectuale infinitum. Corpus enim si infinitum esset, infinitamq; potentiam mouendi haberet; quia esset agens naturale & necessarium, necessariò ageret secundum vltimum potentiæ suæ; ac proinde aut in non tempore moueret; aut infinitã vim mouendi non haberet; cum vniuersim alioqui, quò maior est potentia motiua, eò maiori celeritate mouere possit; summâ ergo, vbi est summa & infinita vis motiua: summa autem celeritas motus esse non potest, nisi sit infinita, qualis est in instanti; quandoquidem motus successiuus quilibet in infinitum adhuc potest esse velocior. At vero Deus, quia est agens intellectuale, & liberum, non necessariò agit, vel mouet secundum vltimum suæ potentiæ; sed tum pro capacitate termini, siue mobilis; tum pro arbitratu suæ voluntatis. Plura de obiecto diuinæ potentiæ dub. sequent.

DVBIVM IV.

Possitne Deus facere plura & meliora, seu indiuidua, seu species, quã fecerit, aut facturus sit, etiam in infinitum; idq; secundũ potentiã quoq; suã ordinariã: & an possit facere tantum, quantum potest.

SPectant hæc omnia ad peculiares quasdam difficultates circa obiectum diuinæ potentiæ occurrentes; quæ sequentibus assertionibus breuiter declarabuntur, vna cum mente S. Thomæ loco cit. 1

Assertio I. Deus potest plura facere quàm fecerit, aut facturꝰ sit. Ita S. Thomas hic q. 25. a. 5. & consentiunt oñs Doctores, estq; de fide contra Petrũ Abailardũ, & Wicleffum apud Waldensem, tom. 1.

Digitized by Google

lib. 1 art. 1. cap. 10. qui docent, Deum non posse aliquid facere, præter ea quæ fecit, aut facturus est. Cuius erroris meminerunt etiã, absque authoris nomine, Hugo de S. Victore l. 1. de sacram. part. 2. cap. vlt. Magister in 1. d. 43. & S. Thomas hic cit. a. 5. qui bifariam hunc errorem distinguit; primo enim ita quosdam docuisse dicit, quod existimarẽt, Deum agere quasi ex necessitate naturæ; vti nimirum Wicleffus absoluta necessitate euenire omnia docuit; secundo alios ita ait docuisse, quod potentia diuina licet secundũ se plura facere posset, ad hanc tamen seriem rerum determinetur; propter ordinem sapientiæ & iustitiæ diuinæ, sine quo Deus nihil operatur.

Probatur assertio apertè ex scriptura, quæ Deũ sæpius prædicat Omnipotentem; vt vidimus dub. præcedent. Non esset autem reuera Omnipotens, si non posset plura facere, quam fecisset, aut facit: cum his multo plura sint, absque omni implicatione contradictionis, possibilia, vt dictum. Accedit illud Matth. 26 v. 53. *An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum*? Et Marci 14. v. 36. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt; transfer calicem hunc à me*: qui tamen passionis calix non ideo à Christo fuit trãslatus. Potuit ergo Deus aliquid facere quod non fecit.

2 Idem patet ex definitione Ecclesiæ in Concilio Senonensi, vbi hic Abailardi error cum reliquis damnatus est; idemque Abailardus resipuit. Sicut & Wicleffi error ille, de absoluta rerum omnium necessitate, damnatus est in Concilio Constantiensi sess. 8. Refellit denique eundem errorem præter alios Patres, S. Augustinus Epist. 3. & lib. de spir. & lit. cap. 1. & lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 29. & lib. 4. cap. 4. Ratio sumitur, tum ex infinitate diuinæ potentiæ, vt dictum. Tum quia, cum homo possit plura facere, quam faciat, id Deo negari nulla ratione potest: præsertim quãdo omnia illa, quæ fecit, & facturus est, diuinam potentiam minime adæquant.

Assertio II. Deus potest facere infinita indiuidua rerum; præter ea quæ fecit. Colligitur ex S. Thoma cit. a. 5. & est communis, & certa Doctorum, quam tuetur S. Augustinus lib. 12 Ciuit. ca. 18. contra quosdam antiquos Philosophos, qui dicebant, Deum solum nosse, & posse facere finita; per infinita tamen sæcula semper fuisse operatum, non quidem semper producendo noua, sed eadem iterando. Probatur tum ex resurrectione mortuorum, & durationè æterna alterius vitæ, in qua & Angeli, & animæ seu homines, tam beati, quam damnati, infinitas tota æternitate elicient actiones, Deo semper cooperante. Tum quia eiusmodi multitudo infinita successiua indiuiduorum non implicat contradictionem: & facilius est nouum indiuiduum producere, quam idem de nouo reproducere: hoc enim nulla vi creata fieri potest; illud potest.

3 Assertio III. Potest etiam Deus producere infinitas rerum species, præter eas quas produxit, aut producturus est. Ita S. Thomas hic q. 25. a. 6. in corp. & ad 1 vbi simpliciter & absolute asserit, Deum posse, qualibet re à se facta, *facere aliam meliorẽ*. Idem docent Caietanus, Molina, & Thomistæ recentiores ibidem, Gregorius de Valentia hic q. 25. punc. 3. Suarez hic lib. 3. c. 9. & in Metaph. disp. 3. sect. 17. à numer. 18. & Vasquez disput. 106. cap. 2. ex communi: & si contrarium docuerint Durandus in 1. d. 44. quæst. 2. (qui addit, forte nec plures species esse possibiles, quam sint factæ;) Aureolus in 1. d. 44. art 9. & apud eundem Henricus quodlib. 8. q. 8. & Goffredus quodlib. 15. q. 3. rati impossibilem esse in speciebus processum eiusmodi multitudinis infinitæ; quæ sententia indicatur etiam à Scoto in 3. d. 13. qu. 1. & tametsi quidem minus probabilis est, & minus tuta etiam iudicatur à Molina, nulla tamen grauiore nota digna est, vt rectè Vasquez.

Probatur Assertio. Primò; Quando Prototypon est tantæ perfectionis, vt cum sit quidem imitabile per varias imagines, nulla tamen possit esse imago, quæ adæquatè, & modo perfectissimo Prototypo respondeat, tunc possunt plures semper ac plures aliæ fieri imagines, etiam in infinitum, quarum semper vna sit diuersa ab alia, & vna perfectior quam alia: at vero Deus respectu creaturarum se habet veluti Prototypum, ob infinitatem suam, adeo perfectum, vt à nulla creatura vnquam eius perfectio adæquari possit, non solum in essendo, sed nec in repræsentando quidem: Ergo possunt plures semper ac plures aliæ fieri creaturæ in infinitum, quarum semper vna sit diuersa ab alia: Eadem ratio proponi etiam potest, sub nomine Ideæ. Est enim DEVS Idea rerum faciendarum infinitæ perfectionis: Ergo infinitè imitabilis, tam in numero rerum, quàm in varietate.

Secundò; non implicat contradictionem dari species alias perfectiores semper in infinitum; Ergo. Antecedens probatur. Nam si implicaret, ratio esset ea, quæ ex Scoto & Durando loco citat. desumitur, quod admissa hac multitudine infinita specierum, necesse foret dari supremam, quæ distet infinitè ab infima; adeoque sit infinita secundum essentiam; vtpote eminenter continens aliarum omnium perfectiones; Sicut ob eandem causam, si descendendo, semper in infinitum quælibet posita, dari posset imperfectior, sequeretur, dari aliquam determinatam, quæ perfectior esset infinitis; ac proinde ipsa etiam infinita esset secundum essentiam: sed impossibile est dari creaturam secundum essentiam infinitæ perfectionis, vt constat ex dictis superius de infinitate Dei: Ergo, &c. 4

Verum hæc ratio non concludit. Respondetur enim primò, negando sequelam argumenti: quia in eiusmodi serie infinita specierum ascendendo, hoc ipso, quod est infinita, nulla datur suprema, tametsi quidem daretur suprema, infinite ab aliis distans, si descendendo semper alia & alia imperfectior esset possibilis: quare etiam esto infinitas hæc descendendo sit impossibilis, infinitas tamen illa ascendendo ea ratione non probatur impossibilis, vt notauit etiam Vasquez loc. cit.

Respondetur secundò, vtroque processu, siue ascensus fiat, siue descensus, ab aliqua certa specie designata, non sequitur vllam fore infinitam simpliciter secundum essentiam, sed solum secun-

dura quid, ob perfectionem altioris ordinis, seu gradum essentialem tam perfectum, vt à nulla alia specie possit exæquari. Qua etiam ratione dicimus, præstantiam auri in sua specifica ratione, infinitè quodammodo superare perfectione cætera omnia metalla: quia vtcunque augeantur cætera, ac in sua perfectione crescant, nunquam ad specificam auri perfectionem accedere possent. Neque vero est necesse, vt quod in rebus creatis est alijs perfectius, omnem perfectionem aliorum eminenter aut virtualiter contineat; quando nec homo formicæ perfectionem specificam eminenter continet, vt recte Gregorius de Valentia citat. punct. 3. contra Caietanum.

Addo denique nihil esse causæ, cur in multitudine infinita specierum, semper vna debeat esse alterâ vel perfectior absolutè, vel imperfectior: quando in speciebus etiam reipsa nunc existentibus, non apparet, vnam altera semper esse absolute perfectiorem; quis enim facile dixerit, inter pleraſque brutorum species, v. g. bouem, equum, asinum, canem, ceruum; quænam species alijs simpliciter sit perfectior. Neq; quo ad hoc habent se rerum species sicut numeri, aut diuersæ partes intensionis, vel extensionis: hæc enim omnia additione partis eiusdem rationis crescunt, sicut & ablatione decrescũt; nec vero aliter, secundum speciem quasi, nisi hac ratione multiplicantur; ac propterea necessario alia alijs sunt perfectiora: at verò in naturis rerum, quæ per proprias differentias specificas nihil communicantes inter se, seipsis totis quodammodo & adæquate differunt, non est cur necessario aliæ alijs omnibus simpliciter & absolutè perfectiores, aut imperfectiores esse debeant: satis est, singulas suis proprijs differentijs esse diuersas. Plura huius generis argumenta accuratè dissoluit Gregorius de Valentia cit. punct. 3.

5 Assertio IV. DEVS non potest mutare, aut rem meliorem facere essentialiter, siue secundum essentiam; potest tamen rem eandem meliorem facere secundum accidentia. Ita Sanctus Thomas hic quæst. 25. articulo 6. & consentiunt omnes. Ratio est. Quia rerum essentiæ sunt sicut numeri; quibus si additio fiat, hoc ipso amittunt priorem essentiam: quia tamen eadem res & specie & numero substare potest varijs accidentibus, potest vtique accidentaliter magis vel minus perfici, adeoque melior reddi.

Assertio V. Deus qualibet re facta potest facere meliorem; tam secundum speciem, si de substantialibus naturis agamus, quàm indiuiduum. Ita S. Thomas artic. 6. Caietanus, Molina, & Thomistæ ibidem, alijque citati pro assertione 3. & patet ex dictis pro eadem & 4. assertione.

Excipere tamen ibidem videtur Sanctus Thomas in resp. ad 4. res quasdam, quas negat fieri posse meliores. *Humanitas Christi*, inquit, *ex hoc, quod est vnita Deo; & beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei; & beata Virgo, ex hoc, quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est* DEVS; *ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Sed S. Thomas seipsum satis declarat per adiecta verba, *ex hac parte*, quibus significat nihil his fieri posse melius secundum specificam rationem cuiusque excellentiæ, & in suo genere; tametsi singula ista in suo ordine, saltem accidentaliter, magis perfici possent.

Assertio VI. Deus per absolutam potentiam, 6
non solum aliud vniuersum numero distinctum, sed probabiliter etiam aliud vniuersum essentialiter diuersum ac melius, constans substantijs omnibus diuersis facere potest. Ita cum sancto Thoma, Bonauentura, Gabriele, Maiore in 1. d. 44. & Capreolo disp. 43. docet Vasquez disput. 107. cap. 2. consentiunt citati pro assertione 3. Ex qua etiam sumitur ratio. Hoc ipso enim, quod infinitas rerum species potest producere, diuersas ab ijs, quas hactenus produxit, potest etiam ex illis ipsis proprium ac essentialiter diuersum vniuersum constituere: quicquid Aristoteles 1. de cœlo capit. 9. male existimarit, nullum aliud vniuersum nec numero quidem diuersum esse possibile: quasi ideo terra vnius moueretur ad centrum alterius vniuersi; quod est friuolum.

Prudenter tamen addit Vasquez numero 3. & 4. Etiamsi dicamus, Deum posse aliud vniuersum facere, nihilominus affirmare certo nos posse, aliud non esse; quia ex sacra Scriptura de huius tantum vniuersi creatione nobis constat: neque vero etiam ideo dicendum, posse quoque aliquam creaturam rationalem corpoream specie ab homine distinctam produci: cum rationale sit vltima differentia hominis, quæ vlterius contrahi non potest.

Assertio VII. Potest etiam Deus hoc ipsum nu- 7
mero vniuersum, quoad partes permanentes, quas habet, facere melius accidentaliter. Ita Durandus in 1. d. 44. quæst. 3. & Vasquez cit. disp. 107. num. 6. & videtur ex mente communi Scholasticorum. Ratio sumitur ex assert. 5. si enim rem quamlibet potest meliorem reddere accidentaliter; cur non & totum vniuersum? cum præsertim singulis accidentali bonitate perfectioribus reditis, non possit non ipsum etiã vniuersum melius reddi. Idem patet tum ex statu innocentiæ, in quo procul dubio melior futura fuisset conditio totius vniuersi; tum ex statu alterius vitæ, ad quem ipsæ creaturæ quasi parturientes aspirant, cupientes *liberari à seruitute corruptionis* Rom. 8. v. 22.

Neque his aduersatur Sanctus Thomas articulo 6. ad 3. vbi docet, non posse fieri melius hoc vniuersum, permanentibus partibus, quas habet; *propter decentissimum*, inquit, *ordinem his rebus attributum à Deo; in quo bonum vniuersi consistit: quorum si vnum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis. Sicut si vna chorda plus debito intenderetur, corrumperetur cytharæ melodia.*

Primo enim ipsemet Sanctus Thomas mox ibidem adiungit, posse Deum aliarum rerum adiunctione hoc vniuersum facere melius: *Posset tamen*, inquit, *Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis: & sic esset illud vniuersum melius.* Deinde Sanctus Thomas loquitur de bonitate & ordine essentiali rebꝰ Vniuersi conueniente, vt ex ratione subiecta colligitur. Alioqui enim sicut ipsa bonitas re-

tas rerum individualis, ita & bonitas ordinis, non consistit in indiuisibili, vt rectè Vasquez disput. 107. capit. 3.

Assertio VIII. Deus proinde potest aliquid melius facere, quam fecerit, si *melius* sit nomen: si vero aduerbium sit, potest quoq; melius aliquid facere, quam fecerit, si eadem vocula importet modum ex parte rei factæ, secus si modum ex parte facientis. Ita Sanctus Thomas artic. 6. ad 1 ex Communi. Ratio prioris partis patet ex dictis. Ratio postremæ partis est: quia non potest Deus facere quicquam ex maiori sapientia & bonitate.

9 Obijci huic, & præcedenti assertioni potest etiam Sanctus Augustinus lib. 3. de lib: arbit. capit. 5. vbi sic ait: *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium Conditorem*: quod ab eo fusius ibidem disseritur. Respondetur, melius ibi vocari ab Augustino, non quod secundum se melius est; quando mox ibidem dicit: *recta ratione homini in hoc statu constituto præponi creaturam, quæ nunquam peccat*, qualem etiam Deus hominem condere potuisset: sed *melius* vocat, ex suppositione finis á Deo intenti; ac iuxta suauem diuinæ prouidentiæ dispositionem: qua ratione, par est, omnia optimo modo à Deo facta profiteri: neque fas est nobis, quasi temerè iudicando, dicere; si Deus hoc, vel alio modo res fecisset, melius fecisset. Videri potest S. Thomas art. 5. ad 2.

Assertio IX. Deus non potest hoc vniuersum melius facere, secundum ordinem ad præstantiorem aliquem finem: quamuis in ordine ad eundem finem magis adhuc perfici potuisset. Ita Sanctus Thomas citato articulo 6. ad 4. Durandus, & Capreolus loco citat. Vasquez disp. 107. numero 6. Ratio est; quia finis huius vniuersi Deus est, quo nullus esse potest finis præstantior: potuisset tamen fieri, vt hunc finem plures & perfectius assequerentur; quod nemo potest negare: & ita patet pars vtraque assertionis.

10 Assertio X. Secundum absolutam quidem potentiam, multa facere potest Deus, & ea quidem ipsa, quæ hactenus retulimus, ab eo fieri posse, quæ tamen non facit. Secundum potentiam vero ordinatam, vti nihil potest facere Deus, quod non facit, ita nihil facit, quod non sit de potentia ordinata. S. Thomas cit. quæst. 25. artic. 5. ad 1. & lib. 3. cont. gent. capit. 98. quem sequuntur Thomistæ: tametsi quoad posteriorem partem opposito modo loquatur Scotus in 1. dist. 44. quæst. 1. & Maior dist. 43. quæst. 1. nimirum & secundum potentiam ordinatam posse facere Deum aliquid, quod non facit, & re ipsa nunquam facere aliquid, quod non sit de potentia ordinata. Sed in re non est dissensio. Scotus enim *potentiam ordinatam* accipit pro ea, quæ per legem determinata est; absolutam, quæ lege soluta est, adeoque præter legem operatur. Sanctus Thomas vero *potentiam ordinatam* eam vocat, quæ decreto diuinæ voluntatis determinatur; absolutam vero, quæ à tali decreto soluta est. Quia igitur Deus nonnunquam facit & fecit aliquid præter communem legem; v. g. præseruando beatam Virginem à culpa originali, aut sanctificando in vtero B. Ioannem Baptistam. &c. nunquam tamen facit quicquam, quod non fit decreto voluntatis præordinatum; vterque tam Scotus, quam Sanctus Thomas reipsa verum dixerunt.

Magis tamen proprius est modus loquendi Sancti Thomæ; quia potentia in ordine ad rem communi lege præscriptam, non tam dicitur *ordinata*, quam *ordinaria*: quo sensu verissimum est, Deum multa non solum facere posse, sed etiam reipsa facere per potentiam absolutam, quæ sunt præter potentiam ordinariam, seu quæ non facit de potentia ordinaria.

Quo modo nunc etiam communiter loquuntur Theologi, distinguentes quasi tres modos, seu considerationes diuinæ potentiæ: primam dicunt *absolutam*, quæ omni lege & decreto diuino prior, adeoq; ab ijs independens cogitatur; secundam *ordinariam*, quæ supponit legem DEI communem; cui se conformet in agendo: tertiam *extraordinariam* quæ operatur præter communem legem: tametsi veteres scholastici pro *potentia ordinaria*, dixerint, *potentiam ordinatam*; verbis paulo diuersis, & sensu fere alio, vt dictum.

Assertio XI. Deus non potest facere simul omnia, quæ potest facere: & quamuis possit facere simul omnia, quæ potest facere simul; sicut etiam potest facere omnia, quæ potest facere, non tamen poni potest: hæc omnia facta esse simul; quæ potest facere simul; sicut nec facta esse omnia, quæ potest facere. Videri quidem potest hæc assertio ænigmatica, & partim nugatoria: sed verissima tamen est, ac ex mente omnium, & necessaria ad soluendam quandam difficultatē, quæ contra infinitam potentiam Dei obijci potest. 11

Declaratur. Deus enim (successiuè) facere potest infinita, vt ex assertione liquet, quæ tamen simul facere non potest; quia esset infinitum actu; quod implicat vt suo loco dictum.

Deum autem posse facere simul omnia, quæ potest facere simul; item facere posse omnia, quæ potest facere; cum sint propositiones identicæ, vtique verissimæ sunt, nec priori assertioni contrariæ; vt patet.

Denique non posse tamen poni, aut ea omnia re ipsa facta esse simul, quæ potest facere simul, aut absolute ea omnia re ipsa facta esse, quæ potest facere, ex hoc euidens est; quia si ponamus simul; ac re ipsa nunc à Deo facta esse omnia, quæ simul facere potest, tunc ex ea hypothesi, quæ possibilis ponitur, nihil aliud restabit, quod præter ea, quæ fecit, simul facere possit; fecit enim ea omnia, vt supponitur: atqui impossibile est, vt Deus præter omnia, quæ simul reipsa fecit, non possit facere plura: omnia enim, quæ simul fecit, & actu facere etiam potuit, actu sunt finita; quia infinitum actu implicat contradictionem, vt superius suo loco dictum est 1. cum tamen præter quamcunque multitudinem actu finitam, facere vtique DEVS possit aliam,

& aliam maiorem in infinitum: Ergo cum ex hac hypothesi sequatur impossibile; hypothesis ipsa quoque erit impossibilis.

12 Eodem modo si DEVS absolute omnia fecit, quæ facere potest; ergo nihil potest facere amplius, quam quod fecit: hoc vero est impossibile; tum quia sic exhausta esset diuina potentia; tum quia omnia quæ fecisse DEVS potuit, actu sunt tantum finita, ob dictam rationem; præter quamcunque autem multitudinem finitam rerum, DEVS potest facere aliam & aliam, seu maiorem & maiorem in infinitum: cum igitur ex hac etiam hypothesi sequatur impossibile, necesse est, & ipsam quoque hypothesin esse impossibilem; impossibile est ergo, vt Deus fecerit omnia, quæ facere potest.

Sed contra hanc doctrinam obijci potest hoc argumentum: Posito possibili in esse, non sequitur impossibile; aut si sequitur impossibile, nõ est possibile, vt docet Aristoteles lib. 1. prior. c. 12. Cum ergo possibile sit, DEVM facere omnia quæ potest facere, hoc ipso, quod vt dictum est, facere potest omnia, quæ potest facere; ergo poni potest, eũ re ipsa fecisse omnia, quæ potest facere; neque inde sequetur aliquid impossibile; aut si sequetur impossibile, non erit possibile, quod dicimus possibile.

13 Respondeo, dictum illud Aristotelis intelligendum, nisi per hoc, quod ponitur possibile in esse, mutetur suppositio terminorum: quando enim hoc accidit, non est necesse vt possibile, reipsa ponatur in Esse. V. G. Hæc est vera propositio: Petrus potest hodie comedere omnes panes, distributiuè, seu copulatiue (non copulatim,) qui sunt in hac vrbe; singulos enim potest hodie comedere, vt suppono; & tamen non potest poni in Esse, Petrum comedisse panes omnes (distributiuè) qui sunt in hac vrbe: Si enim comedisset omnes distributiuè, seu copulatiue, tum comedisset singulos, ac proinde etiam vniuersos, atque omnes copulatim: comestis enim singulis, nullus relinquitur panis, quem non comederit: impossibile est autem, Petrum comedere, aut comedisse hodie panes omnes copulatim, qui sunt in hac vrbe, vt supponimus. Quamuis ergo vera sit hæc propositio, Petrus potest hodie comedere panes singulos, seu omnes copulatiuè, qui sunt in hac vrbe; non tamen poni potest in esse, eum comedisse panes singulos, seu omnes copulatiuè; idque non ob aliam causam, nisi quia per hoc quod possibile, ponitur in esse, mutatur suppositio terminorum.

14 Eodem ergo modo dico in proposito, tametsi DEVS possit simul facere omnia, quæ potest simul facere; & possit absolutè etiam facere omnia, quæ potest facere, non tamen poni, vel admitti potest, DEVM simul fecisse omnia, quæ simul facere potest; aut absolutè fecisse omnia, quæ facere potest, ob dictam causam. Quando enim dicitur, DEVM facere simul omnia posse, quæ potest simul facere; intelligitur propositio vera esse in sensu confuso, nam & hoc potest, & illud, & illud, sine termino; nec vnquam rem determinatam & finitam designando, tantum facere simul potest, quin plus possit, atqui totum id quod facit, aut fecit, est determinatum & vndequaque finitum. Eadem est ratio alterius propositionis. Sicut etiam ob similem causam, licet à quolibet toto vitæ tempore, vitari per gratiam possint omnia peccata venialia copulatiue, non tamen ideo concedi potest, quandoque per ordinariam gratiam ita reipsa vitata esse; quia à sensu copulatiuo transitur ad copulatum. Et hoc est, quod etiam Eckius in Chrys. Cent. 4. numero 40. ex Logica recte inculcat; *non semper possibile in re ipsa positum dari oportere; quia subinde mutatur suppositio.*

Atque ex his nunc soluitur argumentum quoddam, contra propositas superius assertiones, quod videri alioqui potest insolubile, quod est hoc: DEVS potest modo reipsa facere tantum, quantum potest modo facere; ponamus ergo iam fecisse, quod possibile est eum facere; quia iuxta dialecticos, posibili posito in esse, nihil sequitur impossibile: Ergo tunc nihil supererit possibile, aut factibile amplius: Ergo Deus non potest quibuslibet rebus factis addere alias.

Respondendum enim est, falsum esse, posse modo facere, quantum potest modo, si vocula, modo, priori loco posita, appellet non ipsum *Posse*, sed, *Facere*; quem sensum deposcit ea hypothesis; quæ ideo etiam est impossibilis. Quod si propositio illa ita formetur, Deus potest tantum facere modo, quantum potest facere modo, ita scilicet, vt vocula modo vbique appellet ipsum *facere*, non potentiam faciendi, tum erit identica, & vera propositio: sed hypothesis non ideo erit concedenda, quia mutatur suppositio ex parte obiecti; ex confusa in determinatam, vt dictum.

DVBIVM V.

An vti ad operationes transeuntes, ita etiam ad immanentes, detur in Deo potentia actiua, ab illis ipsis operationibus immanẽtibus ratione distincta.

S. Thomas 1. p. q. 25. a. 1.

NOn spectat quidem hęc res propriè ad potentiam diuinam, de qua hic agimus; sed potius ad quæstiones, de scientia & voluntate Dei: quia tamẽ S. Thomas hoc loco q. 25. a. 1. ad 2. & 3. aliquã eius mentionem facit; eaq; simul per analogiã ad diuinam potentiam transeuntem, de qua hic disputatur, explicanda est; ideo consulto eã in hunc locum distulimus. Perinde autem est, ac si quæras, dicatne voluntas & intellectus in Deo, formaliter & secundum nostrum concipiẽdi modum, solum actum secũdum, siue actionem; an vero etiã quasi actum primum, & potentiam agendi. 1

De hac re sunt duæ sententiæ. Prima docet, intellectũ & voluntatẽ in Deo nõ esse per modũ potẽtiæ, seu actus primi; sed solũ secundi: ac proinde

actum

actum primum & secundum in ordine ad actiones Dei immanentes, saltem absolutas, & essentiales (quicquid sit de personalibus, de quibus suo loco de Trinitate agendum) in eo nullo modo distingui, nec ratione quidem, siue secundum nostrum modum intelligendi. Ita docent Gabriel in 1. distinct. 35. art. 3. Capreolus dist. 35. art. 2. Ferrariensis lib. 2. contra gent. cap. 10. fauente ibidem S. Thoma, quos sequitur Suarez hîc lib. 3. de attributis cap. 1. num. 1. & in metaph disput. 30. sect. 15. num. 14. & 15. Fundamentum præcipuum est; tum quia potentia agendi, respectu actionis immanentis, est aliquid potentiale perfectibile per actionem, quod Deo tribui non potest; cum in omni genere Entis sit actus purus. Tum quia reuera nullum est in Deo principium eliciens actiones immanentes; quandoquidem nulla est in Deo perfectionum diuinarum à parte rei actualis distinctio.

2 Secunda sententia docet, in Deo esse intellectum & voluntatem, tam per modum actus primi, quam secundi, etiam respectu actionum immanentium. Ita Scotus, eiusque sectatores; qui plus etiam dicunt, scilicet intellectum in Deo distingui ab intellectione, & voluntatem à volitione, etiam ex natura rei, ac non solum per intellectum nostrum, vt vniuersim supra quæst. 2. dub 2. retulimus. Eandem sententiam, sed cum sola distinctione rationis, inter actum primum & secundum, tradit Vasquez 1. p. disp. 102. num. 1. & indicat aperte S. Thomas hîc q. 25. a. 1. ad 2. & 3. vt dicemus.

Supponendum primò, intellectum & voluntatem esse quidem in Deo, per modum potentiæ seu principij productiui, tum respectu actionum transeuntium; tum etiam respectu personarum diuinarum ad intra procedentium: quandoquidem omnes ferè Theologi in hoc conueniunt; intellectum & voluntatem, siue ipsam intellectionem & volitionem diuinam, vt sunt actiones in Deo immanentes, esse quædam principia actionum transeuntium: siquidem Deus ipso etiam intellectu & voluntate sua ad extra agit. Quo sensu etiam iuxta S. Thomam p. 1. q. 46. a. 1. ad 10. rectè dicitur, actionem productiuam mundi, ab æterno fuisse in Deo, non tamen ipsam productionem, vt rectè etiam notauit Gregorius de Valentia hîc q 25. punct 1. & dictum supra q. 7. dub. 2. Eodem modo communis est Doctorum sententia, verè ac propriè in Deo esse potentiam actiuam, seu productiuam ad intra, respectu personæ productæ; quandoquidem persona producta verè ac propriè reipsa ab altera persona procedit, vt suo loco dicetur, cum S. Thoma 1. p. q. 41. a. 4. contra Aureolum in 1. d. 7.

3 Secundo supponendum est, nullam esse controuersiam, an actiones immanentes sint veræ productiones, reipsa ac ex natura rei procedentes ab intellectu & voluntate diuina; quando etiam Scotus, vtcunque ea ex natura rei distinxerit, nunquam tamen asseruit, actiones illas reipsa ac per veram productionem à Deo procedere: alioquin enim processiones etiam essentiales, & per consequens plures personæ siue termini producti, & procedentes in Deo essent distinguendi; quod nemo dixerit. Solum igitur est quæstio, an ad actus immanentes in Deo admittende sint potentiæ quasi agentes nostro intelligendi modo: seu an intellectus & voluntas Dei possint à nobis concipi, per modum quasi agentis & elicientis, tametsi reipsa nihil producant, vt rectè Vasquez to. cit. disp. 102. cap. 1. num. 2. His positis, ad præsentem dubitationem est hæc

Assertio vnica. Probabilius est, intellectum & voluntatem, respectu actionum immanentium esse in Deo, iuxta nostrum concipiendi modum, non solum per modum actus secundi, seu actualis intellectionis aut volitionis; sed etiam per modum actus primi, seu potentiæ quasi operatiuæ: adeo vt intellectus ab intellectione, & voluntas à volitione in Deo ratione distinguantur. Ita sentio cum auctoribus secundæ sententiæ. Neque dubito, hanc esse doctrinam S. Thomæ hîc q. 25. art. 1. ad 2. & 3. vbi expresè concludit, & actionem immanentem, & potentiam ad eandem actionem esse in Deo. Ita enim loquitur resp. ad 2. *Ad secundum dicendum, quod quandocunq; actus est aliud à potentia, oportet quod actus sit nobilior potentia: sed actio Dei* (vtique immanens) *non est aliud ab eius potentia, sed vtrumq; est essentia diuina: quia nec esse eius est aliud ab eius essentia. Vnde non oportet, quod aliud sit nobilius, quam potentia Dei.* Et resp. ad 3. ait: *In Deo saluatur ratio potentiæ, quantum ad hoc, quod est principium effectus; non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis, quæ est diuina essentia: nisi forte secundum modum intelligendi, prout essentia diuina* (*quæ in se simpliciter præhabet quicquid perfectionis est in rebus creatis*) *potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiæ: sicut etiam intelligitur, & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ.* Quo nihil posset dici clarius. 4

Idem non minus apertè docet S. Thomas lib. 2. cont. gent. cap. 10 vbi ait: *Quia potentia respectum ad alterum importat in ratione principij, (est enim potentia actiua principium agendi in aliud, vt patet per Philosophum in 5. metaph.) manifestum est, quod potentia dicitur de Deo, per respectum ad facta secundum rei veritatem, non per respectum ad actionem: nisi secundum modum intelligendi; prout intellectus noster diuersis conceptionibus vtrumq; considerat; scilicet diuinam potentiam, & eius actionem. Vnde si actiones aliquæ Deo conueniant, quæ non in aliquod factum transeant, sed maneant in agente, respectu harum non dicetur in Deo potentia, nisi secundum modum intelligendi, non secundum rei veritatem: huiusmodi autem actiones, sunt intelligere & velle.* Hæc S. Thomas: quibus nihil ab eo dici potuit manifestius; vt planè immerito hic idem locus pro opposita sententia citetur; quando perspicuum est, ex doctrina S. Thomæ, tam intellectum, quam voluntatem, secundum nostrum concipiendi modum, in Deo esse etiam per modum potentiæ; idque non modo respectu actionum transeuntium, sed etiam immanentium, vt sunt intelligere & velle. Id vero quod mox ibidem subijcit S. Thomas: *Intellectus igitur, & voluntas in Deo non sunt vt potentiæ, sed solum vt actiones;* intelligi ex dictis aliter non potest, quam de potentijs reipsa productiuis, respectu actionum immanentium, vt superius dictum. 5

Probatur assertio. Primo: Quia cum non minus alioqui sit de ratione actus secundi, vt realiter procedat ab actu primo, quam de ratione actus primi, vt ab eo realiter procedat actus secundus, non est ratio, cur vnum Deo tribuatur, alterum negetur. Se- 6

cundo. Actus primus, & actus secundus, sunt correlatiua; nec est vllus actus secundus, qui non supponat primum: Ergo si actus secundus in Deo est, etiam primus erit. Tertio. Datur communis quidam conceptus potentiæ, ratione ab actu secundo distinctus, qui verè Deo conuenit; nimirum esse perfectionem, qua quis possit agere; siue potentia & actio reipsa differant; & siue actus secundus verè procedat ab actu primo; siue non. Quarto. Deus reipsa intelligit & vult: Ergo potest etiam intelligere & velle; adeoque habet potentiam intelligendi & volendi; qui conceptus est potentiæ, seu actus primi; non actus secundi. Denique inter omnes ferè Doctores constat, vt dictum, verè ac propriè in Deo esse potentiam actiuam seu productiuam ad intra, respectu personæ productæ; & tamen nulla à parte rei est realis processio actionis notionalis à persona producente; imo forte nec potentia productiua, prout præcisè dicit principium producendi, est aliquid reipsa distinctum ab essentia; ipsisque personis productis, vt suo loco fusius dicetur. Cur non ergo hic etiam, non obstante identitate ipsius intellectus & intellectionis, dicetur non solum ipsa intellectio, sed ipsa etiam potentia intelligendi in Deo esse?

7 Ad fundamentum contrariæ sententiæ vtrumque, Respondetur primo; si quid probaret, etiam probaturum, non esse in Deo actionem, siue actum secundum; cum non minus sit de ratione actionis immanentis, siue actus secundi, vt reipsa eliciatur & perficiat potentiam, quam de ratione potentiæ & actus primi, vt perficiatur & eliciat secundum; vt etiam in prima probatione assertionis dictum.

Respondetur secundo, de potentia & actu dupliciter loqui nos posse. Primo stricte, vt per potentiam significetur principium aliquod verè & proprie effectiuum alicuius actionis; quæ proinde vicissim aliquid etiam significet reipsa procedens à principio; & hoc sensu propriè in Deo, nec est actus primus, nec secundus: nec potentia actiua, nec actio; loquendo de actibus immanentibus: cum in Deo nulla prorsus à parte rei sit inter ea, quæ retulimus, diuersitas. Secundo eadem considerari possunt latè & abstractè, atque communiori quadam ratione; vt nimirum potentia significet præcisè perfectionem, qua quis potest agere; actio vero, id quo quis formaliter agit; siue actio & potentia reipsa differant, vnumque ab altero reipsa procedat, alterumque perficiat, siue non: & hoc sensu verè ac propriè vtrumque Deo tribuimus; nec conceptus vnius, est conceptus alterius, vt patet. Neque ad rationem potentiæ hoc sensu requiritur, vt reipsa sit aliquid perfectibile ab actione immanente; neque vt reipsa producat actum secundum: sed solum vt cogitetur potentia tanquam aliquid, cui secundum rationem nostram aduenire possit ratio actionis, quasi distincta & noua secundum rationem perfectio; item vt actio cogitetur per modum quasi perfectionis superadditæ potentiæ, & ab ea secundum nostrum intelligendi modum quasi procedentis; vt in simili etiam suo loco de proprietatibus & attributis diuinis in genere diximus. Atque hæc de diuina potentia satis.

QVÆSTIO XII.

De Beatitudine Dei.

S. Thomas 1. p. q. 26. aa. 4.

Absoluetur hæc quæstio duabus dubitationibus. I. An, & qua ratione Deus sit beatus. II. An beatitudo sit proprium & speciale attributum Dei; & qua ratione ad alia attributa Dei comparetur.

DVBIVM I.

An, & qua ratione Deus sit Beatus.

S. Thom. 1. p. q. 26. a. 1. 2. 3. & 4.

DOctrina vera, & orthodoxa S. Thomæ, hac de re, in his assertionibus consistit.

1 Assertio I. Deus verè, propriè, ac formaliter est beatus. Ita S. Thomas q. 26. art. 1. nullo repugnante, & est de fide, ex Scriptura 1. ad Timoth. 6. vers. 15. *Quem suis temporibus ostendet Deus, beatus & solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Idem passim docent SS. Patres. Probatur à S. Thoma ibidem. Quia beatitudo nihil aliud est, quam bonum perfectum (& supremum) intellectualis naturæ; suammet sufficientiam cognoscentis in bono, quod habet: quorum vtrumque & perfectum scilicet esse, & intelligentem, excellentissimè Deo conuenit. Secundo, Beatitudo secundum Boetium lib. 4. de consolat. *est status omnium bonorum aggregatione perfectus:* atqui Deus est in statu omnium bonorum aggregatione perfecto; *non quidem quod in Deo sit aggregatio bonorum per modum compositionis: sed per modum simplicitatis:* quia quæ in creaturis multiplicia sunt, in Deo præexistunt simpliciter, & vnitè, vt rectè idem S. Thomas cit. quæst. 26. a. 1. ad 1. Tertio Beatitudo consistit in fruitione aut possessione summi boni: Deus

autem

Digitized by Google

autem dum seipso fruitur, seque ipsum intrinsecè quasi possidet: summum vtique bonum possidet, ac seipso felicissimè fruitur, vt loquitur etiam S Gregorius lib. 32. moral. c. 5. vbi ait: *Ipse gloriosus, qui dum se ipso perfruitur accedentis laudis indigens non est.* Neque refert, quod beatitudo in nobis habet rationem doni, vel præmij, hoc enim per accidens fit; quia non est debita nostræ naturæ, sed operibus acquirenda: eum tamen Deo sit naturalis, & congenita, vt rectè S. Thomas cit q. 26. a. 1. ad 2.

Assertio II. Beatitudo non conuenit Deo formaliter secundum essentiam, sed secundum operationem; & quidem intellectûs, qua seipsum videt. Ita S. Thomas q. 26. art. 2. & communiter Doctores, speciatim Gaietanus ibidem, & Gregorius de Valentia hîc q. 26. punct. 1. Probatur; quia beatitudo consistit in possessione intellectuali summi boni: hæc autem intellectualis possessio includit cognitionem, qua suum bonum, suamque perfectionem quisque cognoscit; absque hac enim stultus esse quidem aliquis potest; sed beatus esse non potest: Ergo beatitudo nô competit Deo formaliter, ac præcisè secundum rationem essentiæ. Item beatitudo consistit in perfectione quadam vltimatâ, & suprema intelligentis naturæ; talis autem est operatio intellectualis, non ipsa essentia, quæ secundum rationem nostram ipsa intellectione quodammodo perficitur. Tertio. Beatitudo est obiectum ipsius voluntatis: Ergo non consistit in actu voluntatis, sed supponitur à voluntate; ac proinde est actus intellectus. Denique in cæteris beatis, cuiusque beatitudo consistit in visione Dei; quia iuxta S Augustinum lib. 12. de ciuit. Dei, c. 29. *visio est tota merces.* Ergo idem proportionaliter de Deo sentiendum; quia beati assimilantur Deo in beatitudine, iuxta illud 1. Ioan 3. v. 2. *Similes ei erimus.*

Assertio III. Deus est summè ac infinitè beatus. Colligitur ex S. Thoma cit. q. 26. a. 3. & 4. nec à quoquam negatur: quia ad summam & infinitam beatitudinem, in Dei visione positam, duo hæc requiruntur; primum vt obiectum ipsius visionis sit summum & infinitum; deinde vt ipsa etiam visio eiusdem sit summa & infinita; alioquin enim nec possessio eius boni erit summa & infinita: id vero vtrumque planè Deo conuenit; cum è contrario in beatitudine quacunque creata, primum tantum illud reperiatur, vt docet S. Thomas cit. art. 3. ad 1. & 2. vbi rectè notat, Deum esse quidem beatitudinem cuiusque beati, sed obiectiuam, non formalem; seu finem vltimum cuius, & vt rem; non finem vltimum Quo, seu vt vsum, aut potius fruitionem rei; de qua distinctione finis Aristoteles in 2. phys. text. 24. & 2. de anim. t. 37. & pluta in 1. 2. & supra quæst. 6. dub. 1. & 4.

2 Assertio IV. In beatitudine Dei eminenter includitur omnis beatitudo creata, seu quidquid est desiderabile in vllâ beatudine alia, seu verâ, seu falsa. Ita S. Thomas cit. quæst. 26. art. 4. omnibus consentientibus: & patet ex præcedenti assertione; quælibet enim diuina perfectio, hoc ipso, quod infinita est, continet eminenter aliam quamuis sibi similem, suique generis, & quidquid in his est bonitatis, seu perfectionis. Accedit ratio ab inductione seu partium enumeratione. Quia, vt sapienter notauit S. Thomas cit. artic. 4. *Beatitudo diuina, de contemplatiua felicitate, habet continuam & certissimam contemplationem sui, & omnium aliorum: de actiua vero, gubernationem totius vniuersi. De terrena verò felicitate, quæ consistit in voluptate, diuitijs, potestate, dignitate, & fama, secundum Boetium in 3. de consol. habet gaudium de se, & de omnibus alijs, pro delectatione. Pro diuitijs habet omnimodam sufficientiam, quam diuitiæ promittunt. Pro potestate omnipotentiam. Pro dignitate omnium regimen. Pro fama verò admirationem totius creaturæ.*

DVBIVM II.

An Beatitudo sit proprium, & speciale attributum Dei; & qua ratione ad alia attributa diuina comparetur.

S. Thomas 1. p q. 26. a. 1.

NIhil S. Thomas hac de re disertè scribit; nisi 1
quod initio quæstionis 26. priusquam de beatitudine diuina agere incipiat, ita præfatur: *Vltimo autem post considerationem eorum, quæ ad diuinæ essentiæ vnitatem pertinent, considerandum est de diuina beatitudine.* Et rursum in fine eiusdem quæstionis, ita concludit. *Et hæc dicta sufficiant, de his, quæ pertinent ad diuinæ essentiæ vnitatem:* ex quibus nihil firmum in vtramuis partem videtur colligi posse; neque ferè etiam alij Doctores hac de re quicquam attingunt; nos tamen rem paucis ita explicamus.

Assertio I. Beatitudo pertinet ad rationem attributalem Dei, non essentialem. Hæc est aperta doctrina S. Thomæ hîc q. 26. art. 2. ad 1. vbi ait: *Deum esse quidem beatum secundum suam essentiam; beatitudinem tamen ei non conuenire secundum rationem essentiæ, sed magis secundum rationem intellectus.* Ratio sumitur ex dub. præced. assert. 2.

Assertio II. Beatitudo propriè est attributum Dei. Est mens S. Thomæ, & aliorum Doctorum, quando cum cæteris attributis diuinis beatitudinem connumerant. Ratio est; quia attributum diuinum propriè, & verò etiam strictè acceptum, plus non requirit, quam vt sit prædicatum diuinum, positiuum, absolutum, non essentiale, sed quasi secundum rationem nostram consequens essentiam; vt supra quæst. 2. fusius explicatum: hoc autem totum conuenit beatitudini diuinæ, ex dictis.

Assertio III. Beatitudo videtur attributum diuinum, ab alijs attributis diuinis, hactenus pertractatis, diuersum. Videtur etiam mens S. Thomæ, & aliorum Doctorum, quando de hac, non minus, quam de alijs attributis seorsim ac distinctè agunt. Et in ipsa illa sua præfatiuncula, superius commemorata, satis apertè indicat S. Thomas, beatitudinem esse quiddam à cæteris, quæ ad diuinæ essentiæ vnitatem pertinent, antea explicatis, distinctum. Ratio est; Quia si non esset distinctum attributum, propterea non esset, quia esset idem cum scientia diuina, in qua beatitudinem collocatam à S. Thoma præcedenti dubio vidimus: sed hoc non est; quia tametsi obiectiuè sit ipsa scientia diuina, qua Deus seipsum comprehendit, est tamen alia ratio formalis beatitudinis; alia scientiæ: quod tum ex declarata ratio-

ne, & conceptu beatitudinis præced. dub. explicato, tum ex eo etiam patet, quia suppositio etiam conceptu beatitudinis, magna adhuc est controuersia inter Doctores, vt in 1.2. docetur, an beatitudo rationalis, seu intelligentis naturæ consistat in actu intellectus, an voluntatis, an alio, &c. Præterquam quod multi, nullam veram Dei scientiam habentes, alijs rebus se beatos prædicant, generali quadam ratione, & conceptu beatitudinis. Est ergo alia ratio formalis scientiæ, alia beatitudinis; ac proinde beatitudo formaliter, & secundum nostrum concipiendi modum, rectè distingui potest tum à cæteris attributis, tum à scientia Dei.

3 Assertio IV. Attributum hoc pertinet ad illa attributa, quæ ad operationem diuinam spectant; non quasi operationem ab alijs distinctam continens, sed rationem distinctam certæ operationi annexam. Colligitur ex dictis: quia beatitudo diuina consistit quidem reipsa in scientia diuina, qua Deus seipsum comprehendit; sed rationem tamen ei formalem distinctam superaddit, vt dictum.

Obijcies. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ergo beatitudo etiam diuina, consistit in aggregatione omnium perfectionum, & attributorum diuinorum: adeoque non est peculiare attributum à cæteris distinctum. Respondeo, Beatitudinem illic non definiri præcisè secundum essentialia, seu conceptum essentialem; sed secundum ea etiam, quæ Beatitudini antecedenter, vel consequenter sunt coniuncta. Alias enim sequeretur, etiam beatitudinem creatam essentialiter consistere, tam in bonis corporis, quam animæ, &c. Atque hæc de Deo & attributis diuinis (exceptis, vt initio monui, prouidentia & prædestinatione diuina, de quibus disput. sequenti agendum) ad laudem magni Dei dicta sufficiant.

FINIS DISPVTATIONIS SECVNDÆ.

INDEX DISPVTATIONIS III.

DE PROVIDENTIA AC PRÆDESTINATIONE diuina.

Quæstio I. De Prouidentia Dei.

Dubium I. *Quid generatim sit prouidentia; an sit actus Intellectus, an voluntatis, & qualis.*

II. *An in Deo sit Prouidentia; cui omnia subijciantur.*

III. *Qua ratione res creatæ subijciantur diuinæ Prouidentiæ; an omnia immediatè; ac etiam veluti subiecta quædam, aut termini, seu effectus diuinæ Prouidentiæ.*

IV. *Vtrum prouidentia diuina sit infallibilis; semperq; consequatur finem, ad quem ordinat & præparat media.*

V. *An & qua ratione diuina Prouidentia conciliari possit, cum libertate arbitrij creati: speciatim ex mente S. Thomæ; & quid de fato ac fortuna sentiendum.*

Quæstio II. De natura & essentia diuinæ Prædestinationis.

Dubium I. *Quid tum in genere, tum hoc loco, per diuinam Prædestinationem intelligatur; deq; eius obiecto, subiecto, & termino in communi: & denique an in Deo sit prædestinatio.*

II. *Quidnam essentialiter & formaliter sit diuina Prædestinatio; actusne voluntatis, an intellectus, & qualis.*

III. *Qua ratione Prædestinatio se habeat ad Præscientiam, Dilectionem, Electionem, Prouidentiam; an sit huius pars & qualis.*

IV. *Quid sit liber vitæ; & quomodo se ad prædestinationem habeat.*

Quæstio III. De Termino seu obiecto Quod, & Effectibus Prædestinationis in specie.

Dubium I. *An dona omnia & bona supernaturalia prædestinati sint effectus Prædestinationis.*

II. *An bona etiam quædam naturalia prædestinati, qualia sunt eius existentia, vita, valetudo, vires, &c. sint effectus prædestinationis eiusdem.*

III. *An mala etiam quælibet eiusdem, tum pœna, tum culpa, aut saltem permissio culpæ, sint effectus Prædestinationis.*

Quæstio IV. De causis Prædestinationis.

Dubium I. *An & quanam sit finalis causa totius Prædestinationis, quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso fine reddi possit ratio eiusdem, tum in genere, tum in specie.*

II. *An & qua ratione detur causa meritoria Prædestinationis ex parte Christi, seu generatim extra ipsum prædestinatum.*

III. *Quanam contra varias hæreses certa sint, circa causam meritoriam Prædestinationis ex parte prædestinati.*

IV. *Quid Scholastici nonnulli de Prædestinationis causa ex parte prædestinati senserint.*

V. *Quænam sit vera sententia de causa Prædestinationis, ex parte prædestinati: & an omninò detur aliqua causa meritoria, vel dispositiua, seu impetratoria, vel causa per accidens, siue occasio, aut saltem conditio, sine qua non totius Prædestinationis ex parte prædestinati.*

Quæstio V. De ordine ac progressu Prædestinationis in mente diuina.

Dubium I. *An & qua ratione ac modo, seu ordine, Deus pro saluandis prædestinet peculiarem quandam gratiam congruam, electorum propriam.*

II. *Sitne in mente diuina secundum rationem nostram aliquis ordo prioritatis, inter prædestinationem, vel præuisionem meritorum, seu mediorum in particulari, & electionem ad gloriam; aliosve actus, quibus Deus saluandis vult gloriam.*

III. *Vtrum in diuina mente Electio seu Prædestinatio ad*

gloriam

gloriam antecedat voluntatem efficacem, & electionem, seu præscientiam meritorum, seu mediorum; vel contra: speciatim quid hac de re tum cæteri Doctores, tum præcipuè S. Augustinus, & S. Thomas senserint.

IV. Quid hac de re absolutè, & secundum rei veritatem sentiendum sit.

V. Qua ratione diluendæ sint obiectiones, contra gratuitam prædestinationem ad gratiam & gloriam.

VI. An etiam certi gradus gratiæ & gloriæ, omnesq; actus & media, quibus prædestinati efficaciter promouentur ad gloriam, in individuo & secundum omnes suas circumstantias sint à Deo prædefinita, ante præuisionem cooperationis seu determinationis, ipsamue cooperationem nostram.

VII. Virum in diuina mente secundum rationem nostram prior sit prædestinatio Christi, an nostra.

VIII. Virum in diuina prædestinatione secundum rationem nostram prior sit peccati permissio, quam electio nostra ad gloriam.

IX. An & quo ordine prædestinatio nostra se habeat ad prædestinationem aliorum, seu hominum, seu Angelorum.

X. Quænam proinde sit series, quisve ordo omnium actuum diuina mente, concurrentium seu affinitatem habentium cum prædestinatione nostra.

Quæstio VI. De Infallibilitate, immutabilitate, & concordia Prædestinationis diuinæ cum libero arbitrio.

Dubium I. An & quomodo prædestinatio sit certa, certusq; numerus prædestinatorum.

II. Quantus & quam conueniens sit prædestinatorum numerus.

III. Virum prædestinatio sit ex nostra potestate, aut saltem cum libertate arbitrij nostri consentiens.

IV. An & qua ratione de nostra prædestinatione certi esse possimus; seu quænam sint diuinæ prædestinationis signa.

Quæstio VII. De Reprobatione diuina.

Dubium I. An, quid, & quotuplex sit Reprobatio, & quo modo ad prædestinationem se habeat.

II. Quinam sint effectus reprobationis.

III. An, & quæ sint causæ totius reprobationis, præsertim ex parte reprobi.

IV. Quo ordine & successu in mente diuina peragatur reprobatio; siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus.

V. An & quomodo reprobatio sit certa, & simul cum libertate arbitrij consentiens.

Anchora animæ Deum timentis, & in profundo diuinæ prædestinationis pelago securè nauigantis; vnà cum breui synopsi totius disputationis de eodem argumento.

DISPVTATIO III.

De Prouidentia ac Prædestinatione diuina.

S. Thom. 1. p. q. 22. 23. & 24.

Magister & DD. in 1. dist. 35. 40. & 41.

Argumentum & ordo Disputationis.

PErtinet quidem etiam hæc res ad materiam de Attributis diuinis; non quod Prouidentia & Prædestinatio diuina sint propria & peculiaria attributa Dei, ex æquo ab alijs condistincta; sed quia certè actus quidam peculiares sunt, aut qualiscunq; portio aliorum quorundam attributorum Dei; Intellectus nimirum, siue scientiæ, & voluntatis diuinæ: qua de causa etiã à S. Thoma 1. p. q. 22. 23. & 24. tractationi de scientia & voluntate Dei mox subiunguntur, & inter ipsa proinde attributa diuina pertractantur. Cuius etiam optimam rationem assignat S. Thomas initio q. 22. vbi ait: Consideratis autem his, quæ ad voluntatem absolutè pertinent, procedendum est ad ea, quæ respiciunt simul intellectum & voluntatem. Huiusmodi autem est prouidentia quidem respectu omnium: prædestinatio vero, & reprobatio, & quæ ad hæc consequuntur, respectu hominum specialiter in ordine ad æternam salutem. *Ita S. Thomas.* 1

Vbi notandum, inter ea, quæ intellectum & voluntatem respiciunt, ac 2

proinde ad eorum etiam tractationem referuntur, à S. Thoma non numerari potentiam, & beatitudinem diuinam: id quod ex initio quæstionis 25. multò adhuc est manifestius; sic enim ait S. Thomas: Post considerationem diuinæ præscientiæ & voluntatis, & eorum, quæ ad hæc pertinent, restat considerandum de diuina potentia. Cuiusmodi verba etiam de beatitudine diuina disp. præced. quæst. vlt. dub. 2. ex S. Thoma retulimus: vt proinde immeritò Vasquez initio quæstionis 22. & 25. existimet, eandem esse diuinæ potentiæ & beatitudinis, cum prouidentia & prædestinatione rationem; neq; ea aliter tractari, quam vt actus & partes scientiæ & voluntatis diuinæ: cum tamen potentia & beatitudinis diuinæ planè sit diuersa ratio à prouidentia & prædestinatione diuina: quia potentia formaliter non est ipse intellectus aut voluntas diuina; neq; etiam communis quidam earum actus, sed perfectio ratione ab vtraq; distincta, vt disp. præced. quæst. 11. diximus: beatitudo verò tametsi quidem reipsa nihil sit aliud, quam scientia Dei, qua seipsum videt, habet tamen conceptum & rationem, tam à voluntate, quam scientia Dei diuersum: ipsumq; Deum immediatè, non autem intellectum aut cognitionem Dei denominat: cum tamen prouidentia & prædestinatio, ipso etiam suo conceptu formali, intellectus aut voluntatis, vel vtriusq; operationem significent, vt magis ex sequentibus patebit.

3 Quæ cum ita sint, meritò quidem S. Thomas tractationem de prouidentia & prædestinatione diuina, explicationi diuinorum attributorum interseruit: neq; nos eam ab his abiunxissemus, si de prouidentia & prædestinatione diuina, plus nobis tractandum non fuisset, quam quod à S. Thoma tribus illis quæstionibus est pertractatum. Sed quia ob graues & varias difficultates, quæ nunc primum ac potißimum inter Theologos agitari cœptæ sunt, materia hæc longiorem tractationem postulat, idcirco eam propria ac peculiari disputatione explicare placuit: id quod sine vllo incommodo prioris disputationis de attributis diuinis ideo facilè fieri potest, quod ea, quæ in illa disputatione tam de scientia, quam voluntate Dei tractata sunt, ab hac materia nequaquam dependeant; cum tamen hæc ab illis vtiq; dependeat.

Septem autem quæstionibus totam hanc materiam de prouidentia & prædestinatione diuina comprehendemus: quarum prima aget de Prouidentia diuina in genere. II. De natura & essentia Prædestinationis. III. De effectibus Prædestinationis. IV. De causis Prædestinationis. V. De ordine ac progressu eiusdem in mente diuina. VI. De infallibilitate & concordia eiusdem cum libero arbitrio. VII. De Reprobatione.

QVÆSTIO I.

De Prouidentia Dei.

S. Thomas 1. p. q. 22. aa. 4.

4 *ABsoluetur hæc quæstio quinq; dubitationibus. I. Quid generatim sit Prouidentia; an sit actus intellectus, an voluntatis, & qualis. II. An in Deo sit prouidentia; cui omnia subiiciantur. III. Qua ratione res creatæ subiiciantur diuinæ prouidentiæ; an omnia immediatè; ac etiam veluti subiecta quædam, aut termini, seu effectus diuinæ prouidentiæ. IV. Vtrum prouidentia diuina semper consequatur finem, ad quem ordinat & præparat media. V. An & qua ratione diuina prouidentia conciliari possit cum libertate arbitrii creati; speciatim ex mente S. Thomæ; & quid de fato ac fortuna sentiendum.*

DVBIVM I.

Quid generatim sit Prouidentia; an sit actus intellectus, an voluntatis; & qualis.

S. Thom. 1. p. q. 22. a. 1.

PRouidentiam & prædestinationem diuinam esse inter se aliquo modo connexa, nemini dubiū est; cum prædestinatio pars quædam sit diuinæ prouidentiæ, vt quæst. seq constabit. Quæ causa etiam est, cur prouidentia Dei priorem sibi tractationis locum vendicet; cum ordine doctrinæ prior sit confusa quædam cognitio Totius, quàm distincta cognitio partium, iuxta Aristotelem 1. Phys. tex. 4. Priusquam autem de prouidentia Dei speciatim agatur, necesse est prius hoc dubio communem prouidentiæ conceptum explicare, quod sequentibus notationibus præstamus.

5 Notandum igitur primo, *Prouidentiam & Prouidere*, ex vi nominis, duplicem habere significatum. Quandoque enim idem est, quod futurum aliquid, priusquam fiat, præuidere; vt idem sit prouidentia, quod *præuidentia*, seu præscientia. Qua ratione tametsi etiam præcognitionem quamcunque speculatiuam rerum complectatur, præcipue tamen futurorum euentuum præscientiam significat, à quibus præsens aliqua rerum faciendarum dispositio pendet. Quo modo Cicero lib. 2. de diuinat. ait: *Medicus morbum ingrauescentem ratione prouidet, ipse dux Imperator, tempestates gubernator: & tamen ipsi sæpe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur.* Nec alio fere sensu, Prouidentia partem quandam prudentiæ significat, rectè prospicientem futura.

Deinde Prouidere idem significat, quod alicui prospicere, vel curam alicuius personæ, vel etiam rei habere; vt sit idem quasi quod *pro aliquo videre*. Qua ratione Cicero dixit, *prouidere rei frumentariæ*: item, *prouidere omnibus, quæ necessaria videbantur*: & Cæsar lib. 5. de bello Gall. dixit, *Prouidere rem frumentariam*, pro eo, quod est, procurare. In præsenti verò accipitur ea vox, pro singulari quadam mentis cura, quam Deus mediante intellectu & voluntate sua, de rebus creatis ad suum finem dirigendis habet: quo modo etiam à S. Thoma hîc a. 1. & 2. definitur, *Ratio ordinis rerum in finem*: seu quod idem est, *ordinatio actuum rerum in finem*, vt loquitur S. Thom. q. 116. a. 2.

Notandum secundò, quia ad hanc nominis significationem pertinet consuetus ille apud Theologos loquendi modus, quo Deus rebus creatis de aliquo, aut aliquid prouidere dicitur, quas hoc ipso etiam in suos fines dirigit; prouidentiam in genere duo includere, subiectum nimirū, cui prouidetur, quod aliquando absolutè etiam obiectum dicitur; & terminum, seu quasi effectum, qui prouidetur; seu de quo alicui prouidetur; seu quod idem est, qui per prouidentiam alicui procuratur. Materia verò prouidentiæ latius patet, quæ comprehendit omne id, circa quod prouidentia aliquo modo versatur, licet ei nec vt subiecto prouideatur, neq; id etiam vt terminus vel effectus absolutè prouideatur, prout de peccatis dicetur dub. seq. 6

Notandum tertio, cum inter omnes constet, Prouidere ac prouidentiam, hoc sensu, intellectus simul ac voluntatis actum inuoluere aut connotare, quādoquidem necesse est, vt ratio ordinis rerum in finem ab intellectu concipiatur; & à voluntate approbetur; controuersum tamen esse, an prouidentia formaliter & directè sit actus intellectus, an voluntatis. Formaliter enim & intrinsecè actum voluntatis esse, docent Bonauentura, Scotus, Arimineñsis in 1. dist. 40. & alij nonnulli apud Vasquez 1. p disp. 87. cap. 3. qui eandem sententiam etiam ipse magis probat. Idem habet Damascenus lib. 2. de fid. cap 29. vbi prouidentiam duobus modis definit; nimirum: *Est rerum procuratio, qua Deus fungitur.* Et rursum: *Prouidentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte congruèq; gubernantur.* 7

E contrario autem formaliter & directè actum intellectus esse, docent S. Thomas, Caietanus, aliique Thomistæ hic q. 22. a. 1. Molina ibidem disp. 1. Gregorius de Valentia q. 22. pun. 1. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 9. item Durandus in 1. d. 41. quæst. 1. num. 9. Capreolus dist. 40. q. 1. art. 1. & 2. Richardus in 1. dist. 39. art. 2. q. 1. Autebius in 1. dist. 40. q. vn. art. 2. & dist. 41. q. 1. art. 3. licet ibidem prædestinationem in voluntate constituat: item Matsilius in 1. q. 41. art 1. & significat Alensis 1. p. q. 28. 8

mem. 1. art. 2. Sed etsi omnis hæc quæstio nominis est, vt rectè notarunt Suarez lib. 1. de prædestinat. cap. 17. num. 12. & Vasquez loc. cit. Magis tamen probatur modus loquendi S. Thomæ, quem tradidit etiam Boetius lib. 4. de consolat. prosa 6. vbi dicit, prouidentiam esse ipsam *rationem diuinam, in summo omnium principe constitutam, quæ cuncta disponit*. Certè ipsa notio nominis Prouidentiæ, directè quidem actum intellectus significat, nō voluntatis, vt dictum.

Vbi etiam contra Aureolum in 1. dist. 40. q. 1. a. 2. notandum, malè ab eo impugnari definitionem prouidentiæ à S. Thoma lo. cit. allatam, quasi cum is dixit, prouidentiam *esse rationem ordinis rerum in finem, existentem in mente diuina*, per rationem ordinis intellexerit, rationem seu conceptum ordinis obiectiuum, in rebus ipsis formaliter existentem, qui prouidetur; cum tamen manifestum sit S. Thomam aliud non intellexisse, quàm internam conceptionem ordinis, seu vt loquitur Aureolus, *ipsum intelligere diuinum*, quo ordo huiusmodi prouidetur; seu vt etiam inferius interpretatur Boetium, ipsam *diuinam intellectionem*, quæ cuncta disponit.

9 Notandum quarto, actum intellectus, in quo formaliter & essentialiter consistit prouidentia, non esse, vt quidam existimant, actum illum Imperij, quo constituunt distinctum ab omni cognitione; qui videlicet non sit intellectio seu cognitio vlla, sed sola quædam intimatio ipsius impetus voluntatis; talis enim actus in Deo frustra ponitur, imò nec in hominibus vel Angelis admittendus est, vt etiam suprà disp. 2. quæst. 10. dub. 4. diximus, & rectè notarunt Suarez hic lib. 1. de prædestin. cap. 16. & Vasquez disp. 87. cap. 3. Est igitur Prouidentia actus quidam cognitionis, quo Deus res omnes ordinat in finem. Et quia actus non merè speculatiuus, sed practicus est, & causa rerum, pertinet non ad scientiam visionis, sed ad scientiam simplicis intelligentiæ; cui adiuncta sit approbatio, seu decretum voluntatis, quo idipsum quod practicè cognitum est, approbetur, & constituatur suo tempore exequendum; & à quo etiam scientia illa iam dicitur non solum practica (hæc enim est de rebus etiam non futuris) sed etiam *approbatiua*, includens videlicet, seu potius supponens, qua talis est, actum voluntatis approbatiuum & decretiuum eius obiecti, quod practicè ita cognitum est, tanquam formam denominantem, à qua extrinsecè talis scientia denominatur approbationis, vt declarauimus disp. 2. q. 8. dub. 10. Supponit autem hæc scientia in Deo, quam prouidentiam esse diximus, aliam scientiam practicam & approbationis, quæ pro obiecto & termino habet ipsam per se rerum, quibus prouidetur, existentiam; quam ipsa etiam prouidentia supponit, vt declarabitur dubit. 3. Ex quibus Prouidentia breuiter & perspicuè definiri potest, Scientia practica approbationis, per quam (mediante simul etiam actu voluntatis) res omnes in suos fines per certa media diriguntur.

10 Notandum quintò, Prouidentiam differre à gubernatione, & partim etiam à dispositione rerum, vt omnes docent. Gubernatio enim absolutè dicta, actio transiens est, & nihil aliud, quàm executio ordinis à prouidentia præconcepti, adeoq; posterior prouidentia: quæ proinde etiam nonnisi ex tempore de Deo dicitur: prouidentia autem est actus immanens, qui Deo ab æterno conuenit, vt docet S. Thomas hic q. 22. a. 1. ad 2. ex communi omnium; & nos generatim suprà disp. 2. q. 7. dub. 2. diximus. Cum quo reipsa non pugnat, quod ait Vasquez hic q. 22. art. 3. num 35. gubernationem actiuam immanentem in Deo non distingui nec re, nec ratione, ab ipsa prouidentia: qui modus loquendi sumitur etiam ex ipso S. Thoma q. 103. art. 6. quanquam si propriè loquamur, gubernatio immanens in Deo non multò rectius dici videatur, quam creatio immanens: cum propriè & absolutè ac secundum consuetum loquendi modum, vtraque in Deo sit actio transiens; vt expressè etiam de gubernatione docet S. Thomas q. 22. a. 3. in corp.

Dispositio verò etsi uno quodam significatu, prout videlicet significat rerum dispositionem actiuam in mente diuina, in ordine ad finem, non differat à prouidentia, vt docet expressè S. Thomas hic q. 22. a. 1. ad 2. passiuè tamen accepta, idem est quod gubernatio; ac proinde non minùs quam hæc à prouidentia distincta. Cætera quæ ad obiectum & terminum prouidentiæ in specie cognoscenda pertinent, declarabuntur dub. seq. 11

DVBIVM II.

An in Deo sit Prouidentia, cui omnia subiiciantur.

S. Thomas 1. p. q. 22. a. 1. 2. & 3.

EXplicato communi Prouidentiæ conceptu, inquirendum restat, an sit in Deo; & qua ratione diuinæ Prouidentiæ subiiciantur omnia; quorum prius hoc dubio, posterius sequenti declarabimus. ?

Assertio I. Est in Deo Prouidentia; non quidem monastica, qua sibi ipsi prouideat, sed quasi politica seu monarchica. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 1. & est extra controuersiam. Probatur & declaratur. Quia iuxta Aristotelem 6. Eth. c. 12. Prudentiæ proprium est, ordinare alia in finem; siue respectu ipsius ordinantis, sicut dicitur homo prudens, qui bene ordinat actus suos ad finem vitæ suæ; & vocatur prouidentia monastica; siue respectu aliorum eidem subiectorum; quo modo in Patre familias respectu familiæ vocatur Oeconomica; in principe seu quouis Magistratu, politico præsertim, respectu ciuitatis, vocatur politica; in Rege respectu Regni vocatur Monarchica. Deus igitur ipse, eiusq; perfectiones, & actiones internæ, prouidentiæ non subiiciuntur; ac proinde neque etiam in Deo est prouidentia Monastica: sicut enim Deus ipse, & quicquid in Deo est, nullum habet finem ad quem ordinetur, vt disp. præced. quæst. 1. dictum; ita nec est capax ordinationis passiuæ ad finem, qualis ad prouidentiam pertinet. Nihilominus tamen quia Deus alia omnia extra se posita, tanquam supremus Dominus & Rector ordinat ad suos quælibet fines, vt dicetur assert. seq. verè ac propriè est in Deo Prouidentia Monarchica, vt rectè etiam Caietanus hic art. 1. Gregorius de Valentia, & alii docent. 1.

Assertio II. Esse in Deo prouidentiam, non modo generalem, sed etiam particularem, respectu re- 2.

rum

rum singularum, tam ex fide constat, quam ratione naturali euidenter demonstratur. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 1. & 2. cui consentiunt omnes Doctores. Prior pars patet ex scriptura, in qua perspicuè particularis Dei prouidentia asseritur. Sap. 6. v. 8. *Æqualiter* (hoc est, sine exceptione) *est illi cura de omnibus.* Et cap. 8. v. 1. *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter; & disponit omnia suauiter.* Sap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, prouidentia cuncta gubernat.* Iob 9. v. 7. *Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo.* Idem colligitur ex Matth. 6. à v. 26. Matth. 10. à v. 29. & Lucæ 12. v. 6. vbi diuina prouidentia etiam circa animantia, resq; alias minimas perspicuè commendatur. Innumera eaque euidentissima exempla particularia diuinæ prouidentiæ, passim in scriptura sunt obuia.

3 Eandem prouidentiam contra Atheos inferius referendos, solide & copiosè propugnant Chrysostomus tribus libris de Prouidentia, & in sermonibus sex de eodem argumento tom. 1. Theodoretus sermonibus decem de prouid. & lib. 6. de curandis affectionibus græcorum, Augustinus libris quinque prioribus de ciuit. Dei. & lib. 1. & 2. de ordine, Boetius lib. 5. de consolat. Gregorius Nyssenus, seu potius Nemesius lib. 8. philosoph. Saluianus libris octo de Prouidentia & iudicio Dei. Et Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum sub initium: *Sunt*, inquit, *quæstiones quædam dignæ, quæ puniantur: cuiusmodi est quærere probationes* (animo scilicet dubitandi) *An sit Prouidentia, &c. cum sit manifesta diuina prouidentia ex aspectu omnium, quæ videntur effectorum; quæ arte & sapientia constant.*

4 Tertio probatur assertio ratione naturali euidente; vnde speciatim constat posterior pars assertionis. Primò. Omne bonum, quod in rebus creatis cernitur, est à Deo effectore: sed ordo rerum creatarum ad finem, præcipue vltimum, qui est bonitas & gloria diuina, est bonũ aliquod in rebus creatis existens: Ergo est à Deo effectore: Et quia cuiuslibet effectus diuini ratio necessariò præexistit in Deo: cum Deus sit agens intellectuale, qui nihil agit non præcognitum: necesse est, vt in ipso etiam præexistat ratio ordinis rerum in finem, quæ est prouidentia; potissima pars prudentiæ, cuius est ordinare alia in finem, iuxta Aristotelem 6. Eth. 12. ad quam aliæ duæ partes ordinantur, scilicet memoria præteritorum, & intelligentia præsentium, prout ex præteritis memoratis, & præsentibus intellectis coniectamus de futuris prouidendis. Atque hæc est ratio S. Thomæ hic q. 22. a. 1.

5 Secundo. Si causalitas primi agentis, ad omnia & singula bona creata se extendit, necesse est fateri singula etiam eiusmodi bona à Deo ordinari ad suũ finem; quandoquidem omne agens agit propter finem, & in ipsis etiam rebus creatis nihil est, ad finem non ordinatum; vt inductione patet: sed verum est antecedens, vt patet ex dictis disp. præced. quæst. 8. 10. & 11. Ergo & consequens; nimirum omnia & singula, quæ quocunque modo habent esse, ordinata esse à Deo in finem; iuxta illud Apostoli Rom. 13. v. 2. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: vnde euidenter sequitur, in Deo etiam particularem esse prouidentiã, quæ est ratio ordinis rerum in finem, vt dictum. Atque hæc est ratio S. Thomæ ibid. q. 22. art. 2. quam ita etiam formare licet: Quia cum omne agens agat propter finem, necesse est, vt non minus late se extendat ordinatio rerum in finem, quam causalitas ipsius primi agentis: hæc autem extendit se ad omnia & singula: Ergo &c.

Tertio. Si Deus non habet prouidentiam singularum rerum, causa erit, vel quia eas sigillatim non cognoscit, vel quia iis prouidere non potest; aut si potest, non vult: sed & sigillatim eas cognoscere patet ex infinita eius scientia, de qua disp. 2. quæst 8. Prouidere posse, patet ex infinita eius potentia, de qua quæst. 11. Prouidere velle, constat ex infinita eius bonitate; de qua actum ibid. quæst. 3. Optimè de hac re S. Ambrosius l. 1. de offic. cap. 13. *Quis operator negligat operis sui curam? si iniuria est regere, nonne est maior iniuria feciſſe? cum aliquid non feciſſe, nulla iniuria sit; non curare autem quod feceris, summa inclementia.* Plura de hac re S. Thomas lib. 3. cont. gent. cap. 64. Nec malè Cicero lib. 2. de natura Deorum. 6

Ex quibus refutantur varii de diuina prouidentia Gentilium errores. Primus eorum, qui eam simpliciter pernegarunt; quales fuerunt Democritus & Epicurus; qui omnia fortuito atomorum concursu fieri asserebant, Prouidentiam *anum fatidicam* appellantes, apud Ciceronem lib. 2. de nat. Deor. Similes atheis illis apud Iob cap. 22. v. 14. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat; circa tardines cæli perambulat.* Secundus error fuit Platonis apud Nemesium lib. 8. philosoph. cap. 3. & apud S. Thomam hic q. 22. a. 3. qui sensit, solas res vniuersales & incorruptibiles cadere in Dei prouidentiam, saltem immediatè; res autem alias generabiles & corruptibiles cadere in prouidentiam substantiarum separatarũ, seu Angelorum, speciatim verò res humanas in prouidentiam dæmonum. Cui similis, si non deterior est error Auerrois lib. 12. Metaph. tex. 51. & 52. & Rabbi Moysis apud S. Thomam hic q. 22. a. 2. & tribuitur etiam à Clemente Alexandrino lib. 5. Stromatum, ab Ambrosio lib. 1. offic. cap. 13. & à Nemesio lib. 8. philosoph. cap. 4. Aristoteli; in quo tamen id non reperitur. Verius adscribitur hic error Plinio, qui sanè impudenter lib. 2. hist. nat. cap. 7. *Irridendum verò*, inquit, *agere curam humanarum illud, quicquid est summum.* Tertius error est quorundam apud S. Thomam lib. 3. cont. Gent. cap. 89. omnia cadere in diuinam prouidentiam, exceptis humanis actibus liberis. Contra quos plura citati.

Assertio III. Omnes ergo res creatæ subiiciuntur diuinæ prouidentiæ; etiam monstra, & defectus naturales omnes: nec in iis quidquam respectu primi agentis casu aut fortuitò accidit. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 2. in corp. & ad 1. & consentiunt omnes Theologi: quicquid Iulius Sirenius lib 2. de fato cap. 25. falsò & absurdè dixerit, monstra ac defectus omnes naturales etiam ipsi Deo fortuitos, ac præter eius intentionem esse: quem meritò redarguit Vasquez hic q. 22. a. 2. Probatur ex scriptura, quæ docet, eiusmodi defectus sigillatim & directè quoque à Deo nonnunquam intentos esse Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Ioann. 9. v. 3. natus esse cæcus dicitur, *vt manifestentur opera Dei in illo.* Et in eundem sensum Eccles. 11. v. 14. generatim dicitur: 7

Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Idem contra Ioannem Erigenam Scotum ex instituto docet Ecclesia Lugdunensis tom. 2. auct. Patrum pag. 1072. & seq. Ratio sumitur ex dictis. Quia Prouidentia Dei ad omnia se extendit, ad quæ se extendit actio ipsius, hæc verò extendit se ad omnia; etiam ad ipsa monstra progignenda: quandoquidem Deus saltem communi concursu applicat causas oppositas, quarum interuentu monstra generantur, & cum illis proposito suæ voluntatis concurrit; *quod hæreticum est negare*, inquit Vasquez loc. cit.

8 Et quamuis aliquid possit esse fortuitum aut casuale respectu causæ particularis, eò quod hæc ad certum tantum aliquem & particularem effectum feratur, qui præter eius intentionem ab alia causa particulari potest impediri; tamen respectu Dei nihil potest esse fortuitum; nec eius vim & ordinem vlla causa particularis potest impedire vel subterfugere: quandoquidem causæ omnes particulares subsunt causæ vniuersali, nec sine hac agere quicquam possunt: nec verò etiam Dei efficientia ad vllum certum ac determinatum effectum restricta aut limitata est; sed quicquid omnino habet rationem Entis, quamuis in specie sua mutilum sit & imperfectũ, diuinæ potentiæ tanquam causæ vniuersali subiacet; vt rectè declarat S. Thomas cit. a. 2. ad 1. Vbi hoc exemplo alicuius heri commodè declarat, qui plures ab se famulos ignaros consilij ita dimisit, vt in via sibi occurrerent: qui occursus etsi sit fortuitus respectu seruorum, est tamen prouisus à Domino.

9 Sunt ergo etiam monstra secundum Dei intentionem, saltem secundariam; adeoque cadunt sub Dei prouidentiam, seu tanquam termini prouisi, seu etiam tanquam subiecta quibus prouidetur. Et quamuis annotet Molina hic q. 22. a. 2. non ideo necessarium videri, dicere, omnes eiusmodi fortuitos effectus esse à diuina prouidentia intentos; satis esse, omnes in particulari esse præuisos, & ob debitum finem permissos; negari tamen non potest, aliquos etiam particulatim à Deo nonnunquam esse intentos ac procuratos, vt ex citatis scripturæ locis satis colligitur; & patet innumeris alijs exemplis, quando iusta Dei vindicta, multa sæpe millia hominum repentina ac violenta morte, aut lepra, alioue morbo, à Deo fuere castigata, vt speciatim in diluuio, in Sodomitis, in Ægyptiis, in Assyrijs, & in ipsis etiam Israelitis, ob peccatum Dauidis male multatis videre est.

10 Assertio IV. Sed & mala culpæ subduntur aliquo modo diuinæ prouidentiæ, non tanquam effectus; sed vel tanquam terminus impediendus vel destruẽdus per diuinam prouidentiam; vel tanquam materia, circa quam, & cuius occasione aliquid faciendũ ordinat Deus; veluti pœnitentiam agendam; aut iustam pœnam subeundam; vel satisfactionem suscipiendam: ita vt circa illa quidem, & de illis prouidere quippiam Deus rectè dicatur; sed non illa absolutè prouidere, licet vtiq; permissionem eorum Deus prouideat. Ita S. Thomas supra q. 14. a. 16. & q. 5. de verit. a. 4. Alensis 1. p. q. 36. mem. 4. art. 1. Durandus in 1. d. 39. q. 3. num. 10. Aureolus in 1. d. 40. q. 1. a. 2. Ferrariensis l. 3. cont. gent. cap. 71. Gregorius de Valentia hic q. 22. pun. 2. Molina, Vasquez, alijq; Thomistæ ead. q. 22. a. 2. Suarez lib. 3. de attrib. c. 10. n. 8. vbi ait, *Deum habere perfectissimam prouidentiam de actionibus liberis, etiam malis; & priusquam fiant, & postquam factæ sunt, tum prohibendo illas, & impediendo, vel permittendo, & de illis, si fiant, iustè vel misericorditer, pro ratione suæ sapientiæ, disponendo.*

Ratio est manifesta. Quia tametsi Deus peccata nõ 11
velit, nec faciat, certo tamen consilio ac fine ea permittit, punit, condonat, delet; ac bona plurima ex iis elicit. Quo sensu ēt Augustin. scripsit in Enchiridio cap. 11. *Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi vsq; adeo esset omnipotẽs & bonus, vt benefaceret ēt de malo.* Et quamuis hæc quoq; prouidentia ad scientiam approbationis pertineat, ea tamen non est scientia approbationis ipsius peccati, sed vel permissionis peccati, vel destructionis & remissionis eiusdem, vel punitionis &c. Quare etiam absolutè dicendum non est, peccata cadere sub prouidentiam approbationis, vti nominauit S. Thomas q. 5. de verit. a. 4. nec ēt peccata à Deo prouisa esse dici debent, sed præuisa & præscita: quia simpliciter prouisum esse, denotat aliquē effectũ diuinæ voluntatis & prouidentiæ, vt rectè Vasquez hic q. 22. a. 2. n 27.

Sed contra hoc ipsum obiicitur hoc argumentũ. 12
Si Deus habet prouidentiã rerum; ergo ad eũ spectat mala omnia, ac præsertim peccata impedire: est enim boni prouisoris, quoad res vel personas suæ curæ subiectas, impedire mala quantum potest.

Ad hoc argumentũ optimè respondet S. Thomas hic q. 22. a. 2. ad 2. aliam esse rationem eius, qui habet curam alicuius particularis rei; aliam prouisoris vniuersalis. *Quia prouisor*, inquit, *particularis excludit defectum ab eo, quod eius curæ subditur, quantum potest: sed prouisor vniuersalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonũ totius. Vnde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularẽ; sed tamen sunt de intentione naturæ vniuersalis, in quantũ defectus vnius cedit in bonum alterius, vel ēt totius vniuersi. Nam corruptio vnius est generatio alterius, per quã species conseruatur. Cũ igitur Deus sit vniuersalis prouisor totius entis, ad ipsius prouidentiã pertinet, vt permittat quosdã defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonũ vniuersi perfectum. Si enim omnia mala impedirẽtur, multa bona deessent vniuersi; non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio Tyrannorũ* Ita S. Thomas, qui addit etiam S. Augustinum superius relatum in eandem sententiam.

Obiicitur secundo. Atqui verò hoc saltem alienũ 13
videtur à diuina prouidentia, quod in hac vita felices sæpe sint mali, infelices boni. Cuius tentationis sensũ commemorãt ēt Dauid psal. 2. v. 2. & ps. 72. v. 16. Iob cap. 21. v. 7. Ieremias c. 12. v. 1. Abacuc cap. 1. v. 13.

Respondetur, alienum hoc minimè esse à diuina prouidentia. Primũ enim hinc solum colligitur, non esse hîc propriè locum, nec tempus remunerationis, sed certaminis, & agonis: in quo pugiles non sine labore & molestia colluctãtur, vt finito certamine pro ratione industriæ, in altera primum vita præmium laboris accipiant; vbi è contrario mali, tanquã otiosi ac delicati spectatores, vel ēt præuaricatores, puniẽtur & vacui contabescent. Quo modo ad hanc difficultatem respondet Dauid Ps. 72. vbi cum v. 16. eam quasi sibimetipsi obiiciens dixisset: *Existimabam vt cognoscerem hoc; labor est ante me*, addit: *Donec intrem in*

sanctua-

sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima eorum. Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos, dum alleuarentur. Et Iob cit. cap. 21. v. 13. ad eandem difficultatem respondens ait: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et rursum v. 30. *Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur.* Eodem modo cum Ierem. 12. v. 1. dictum esset, *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui operantur iniquitatem &c.* mox ibidem v. 3. subiungitur: *Congrega eos sicut gregem ad victimam, &c.*

14 Secundo magnum simul hac re præstatur beneficiũ bonis. Primò enim temporalibus eiusmodi flagellis expiantur illorum peccata, ne grauius in altera vita puniantur. Vt in Dauide accidit ob adulterium à Deo castigato. Secundo, praui habitus vitiorum purgantur. Psal. 138. v. 23. *Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Tertio, virtus illorum probatur, exercetur, ac perficitur. Iud. 3. v. 1. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem &c. vt haberent consuetudinem pugnandi.* Et psal. 25. v. 2. *Proba me, Domine & tenta me, ure renes meos, & cor meum.* Equus generosus quotidie exercetur ad pugnam: & si in stabulo diu otiosus delitescat, perit. Quarto, ab amore huius vitæ refrenantur, ne forte ita delectentur via, vt obliuiscantur patriæ. Vnde S. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 24. *Via quippe est*, inquit, *vita præsens, qua ad patriam tendimus, & idcirco hic occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. &c. Electis ergo suis ad se pergentibus Dominus huius mũdi iter asperum facit, ne dum quisq; vitæ præsentis requie quasi viæ amœnitate pascitur, magis eum diu pergere, quã citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in via, obliuiscatur quod desiderabat in patria.* Quintò ad Deum ardentius quærendum compelluntur. Psal. 15. v. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorũ, postea acceleraverũt.* Sextò præmium eorum in altera vita conferendum his flagellis augetur. 2. Cor. 4. v. 17. *Momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Septimò solatijs spiritualibus etiam in hac vita digniores redduntur. Apoc. 2. v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum.*

15 Et propter hæc Christus ad Apostolos ait Matt. 5. v. 11. *Beati estis* (nimirum etiam in hac vita) *cum maledixerint vobis homines &c. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et Apostolus Iacobus cap. 1. v. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet.* Et Rom. 5. v. 3. *Non solum autem; sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem; spes autem nõ confundit.* Plura de his rebus disserunt S. Ambrosius lib 1. de offic. cap. 13 & 14. S. Gregorius lib 23. Moral. cap. 15. S Damascenus lib. 2. fid. orth. cap. 29. & S Augustinus lib. 1. de ciuit. cap. 8. vbi inter alia: *Placuit*, inquit, *diuinæ prouidentiæ præparare in posterum* (non in hac vita) *bona iustis, quibus non fruentur iniusti; & mala impijs, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala* (huius vitæ) *vtrumq; voluit esse communia; vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur; nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunq; afficiuntur.* Et infra addit, temporalibus huius vitæ flagellis *bonos probari, purificari, eliquari; malos damnari, vastari, & exterminari &c.* Pluribus de hac re disseruí in Amuleto Castrensi cap. 7. & 8. Aliæ obiectiones contra diuinam prouidentiam partim solutæ sunt supra quæst. 8. de scientia Dei; partim hic dub. vlt. dissoluentur.

DVBIVM III.

Qua ratione res creatæ subiiciantur diuinæ Prouidentiæ; an omnia immediatè; an etiam veluti subiecta quædã, aut termini, seu effectus diuinæ Prouidentiæ.

S. Thomas 1. p. q. 22. a. 2. & 3.

MOdus ac ratio diuinæ Prouidentiæ duplicitèr 1
potest spectari; primò ex parte ipsius Dei; quo spectat ea quæstio, an diuinæ Prouidentiæ immediatè subiiciantur omnia; seu quod idẽ est, an Deus per seipsum immediatè prouideat omnibus: secundò ex parte ipsarum rerum, siue obiectorum, quæ diuinæ prouidentiæ subiiciuntur, quæ partim sunt effectus seu termini diuinæ prouidentiæ, de quib⁹ alicui prouidetur, partim subiecta seu obiecta quibus prouidetur. In quibus quidem cum quatuor considerari & distingui ad institutum possint, nimirum primò earum existentia; secundò earum dispositio & coordinatio seu collocatio cum rebus aliis creatis, qua V. G fit, vt ignis sit superius, terra inferius &c. tertiò earundẽ finis, seu assecutio finis, ad quẽ conditæ sunt; quartò media quibus ad eundem finem tendunt; dubium est, an non solum media; sed etiam tria alia, quæ commemorauimus, nimirum existentia, dispositio, & finis, seu assecutio finis cuiusq; rei sint effect⁹ diuinæ prouidentiæ, qua Deus eidem rei prouidet.

Et quod ad primum attinet, non defuerunt ex 2
Ethnicis philosophi quidam, qui docuerunt, Deum non prouidere rebus omnibus immediatè; sed quibusdam solum mediatè. Quæ fuit opinio Platonis, vt ex Gregorio Nysseno lib. 8. de prouid. cap. 3. refert S. Thomas hic q. 22. art. 3. Is enim triplicem prouidentiam constituit. *Quarum prima est*, inquit S. Thomas, *summi Dei, qui primò & principaliter prouidet rebus spiritualibus, & consequenter toti mundo, quantum ad genera, species, & causas vniuersales. Secunda verò prouidentia est, qua prouidetur singularibus generabilium & corruptibilium: & hanc attribuit Dijs, qui circumeunt cælos, id est, substantijs separatis, quæ mouent corpora cælestia circulariter. Tertia verò prouidentia est rerum humanarum, quam attribuebat dæmonibus, quos Platonici ponebant medios inter nos & Deos, vt narrat Augustinus lib. 9. de ciuit. Dei cap. 1. & 2.* Ita S. Thomas. Sed & ex Theologis multi docent, existentiam, itemque dispositionem, ac finem rerum, non comparari ad prouidentiam de iisdem rebus tanquam effectus: quæ, an, & qua ratione sint accipienda sequentibus assertionibus declaramus.

Asser-

3 Assertio I. Deus immediatè quidem per seipsum prouidet rebus omnibus; gubernat autem per media. Ita S. Thomas hic q. 22. art. 3. & infra q. 103. a. 6. licet vtroque loco verbis paulò diuersis & cum quadam distinctione rem eandem explicet. Priori enim loco ita loquitur: *Ad prouidentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum prouisarum in finem, & executio huius ordinis, quæ gubernatio dicitur. Quantum ad primum Deus immediate omnibus prouidet: quantum ad secundum, sunt aliqua media diuinæ prouidentiæ.* Ex quibus postremis verbis Caietanus & Vasquez ibidem hanc conclusionem S. Thomæ tribuit: *Quoad executionem prouidentiæ, non omnibus prouidet immediatè, sed pluribus rebus prouidet mediis secundis causis.* In posteriori autem loco ita loquitur: *Quantum ad rationem gubernationis pertinet, Deus immediatè omnia gubernat: quantum autem pertinet ad executionem gubernationis, Deus gubernat quædam mediantibus aliis.*

4 Sed reuera propriè loquendo hæ distinctiones non sunt necessariæ: quia prouidentia absolutè spectata non dicit executionem prouidentiæ; sed ipsam rationem ordinis rerum in finem, vt sæpius hic art. 1. & 2. docuit S. Thomas; nec gubernatio propriè est ratio ordinis, seu conceptio interna Dei de rerum gubernatione; sed est executio huius ordinis, vt hic expresè etiam loquitur S. Thomas art. 3. verbis citatis; vt proinde rectè & ex mente ipsius, ac communi Theologorum, constituerimus supra dictam assertionem. Quam tradunt & explicant etiam S. Thomas lib. 3. cont. gent. cap. 76. 77. 83. & 94. & opusc. 3. cap. 154. & opusc. 15. cap. 14. Alensis 1. part. q. 26. memb. 5. art. 2. & alii communiter.

Ratio primæ partis est. Quia Deus in suo intellectu habet rationem, tum rerum omnium etiam minimarum; tum etiam ordinis cuiusque rei ad suum finem per certa media; in quo consistit prouidentia; quod satis patet ex dub. præced. Ratio secundæ partis est, quia Deus non quidem propter defectum suæ virtutis, sed *propter abundantiam suæ bonitatis*; inquit S. Thomas hic, vt dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet, inferiora gubernat per superiora, vt experientia constat.

5 Obiicit hic Caietanus art. 3. Deum immediatione virtutis, immediatè non minus gubernare omnia, quam prouidere omnibus, cum vtrunque propria virtute agat; immediatione autem suppositi, sicut non immediatè gubernat omnia, ita etiam immediatè non prouidere omnibus; quia Deus prouidet humanis actibus mediâ ratione & voluntate creata, atque eâdem mediâ eos gubernat.

Ad hoc obscurè respondet Caietanus. Breuiter respondeo cum Vasquez hic & Gregorio de Valentia p. 3. S. Thomam loqui de mediatione & immediatione suppositi; hoc sensu, quia Deus in sua mente concipiens ordinem rerum in finem, seu quod idem est, ordinans res omnes in suos fines, non vtitur vllo alterius consilio; *quis* enim *consiliarius eius fuit?* Rom. 11. v. 34. sed per seipsum omnia ordinat ac disponit: quamuis simul interim rationem etiam habeat mediorum, quæ ex parte effectus conuenire debent, vt res fiat. At vero in gubernatione, seu executione, adhibet aliquando causas alias secundas, per quas ordinem prouidentiæ à se ipso præconceptum, exequitur: qua ratione etiam Deus operari dicitur mediatè mediatione suppositi. Cum quo interim non pugnat, quòminus Deus simul etiam immediatè ac per seipsum, seu quod idem est, immediatè suo influxu influat in effectus omnes; ac proinde hac ratione immediatè operetur omnia, etiam immediatione suppositi, vt cum Cajetano hic loquitur etiam Gregorius de Valentia cit. pun. 3.

6 De qua tamen re malè loquitur Aureolus in 1. d. 40. q. 1. a. 2. propos. 3. vbi ait: *Accipiendo prouidentiam pro executione, subterfugiunt prouidentiam omnia illa, quibus immediatè non prouidet exequendo: & secundum hæc, omnia generabilia & corruptibilia, excepto homine, subterfugiunt diuinam prouidentiam, quia nec aliquid operatur circa illa immediatè, nisi forte manutenentiam: quamuis aliqui dicant, quod Deus coagit actionibus omnium.* Vbi Durandi errorem insinuat, Deum immediatè non concurrere ad omnes actus causæ secundæ, de quo supra disp. præced. q. 11. dub. 1.

Ex quibus etiam obiter resolui potest hæc ipsa quæstio, de qua Philosophi prolixè disputant, An Deus semper agat immediatè immediatione virtutis, & suppositi; quæ sane quæstio de nomine est. Nam si immediatè immediatione virtutis agere idē sit, quod agere virtute sibi intrinseca seu innata solum, & nullo modo per virtutem ab ipso agente profectam, tum quædam agit Deus immediatè immediatione virtutis, V. G. creando animas; quædam non, vt patet. Si autem idem sit, quod propria virtute, & non ab alio accepta seu pendente agere, vt vult Ferrariensis lib. 3. cont. gent. cap. 70. aut virtute sibi innata, non sola virtute ab ipso agente defluente agere, tum Deus procul dubio agit omnia immediatè immediatione virtutis, vt iuxta S. Thomam loc. cit. loquuntur etiam Ferrariensis loc. cit. Petrus Bergomas in Concordantiis locorum S. Thomæ, dub. 504. & Vasquez hic q. 22. a. 3. num. 34.

7 Eodem modo si immediatè immediatione suppositi agere nihil aliud est, quam ipso supposito præsentem esse effectibus omnibus, in eosq; per seipsum immediatè influere, vt loquuntur Caietanus & Gregorius de Valentia locis cit. tum certè omnia agit Deus immediatè etiam immediatione suppositi. Si autem, quod alii volunt, præterea requiritur, vt nullum aliud suppositum in agendo interueniat, vt mauult loqui Vasquez loc. cit. num. 34. tum procul dubio Deus non omnia agit immediatè immediatione suppositi. Et quia hic modus loquendi videtur consentaneus S. Thomæ hic q. 22. a. 3. in assertione antea propositа, idcirco absolutè loquendo, rectius videtur dici, Deum omnia agere immediatè immediatione virtutis; non autem omnia immediatione suppositi. Ad quem modum etiam intelligi debet illud, quod S. Thomas in 1. dist. 12. art. 3. ad 4. & d. 37. q. 1. a. 1. ad 4 absolutè pronuntiat, Deum *magis immediatè agere, quàm quodcunque aliud agens*: cum tamen simul quæst. 3. de Potent. art. 7. asserat, quodlibet agens naturale esse *immediatum suo effectui.*

8 Assertio II. Subiecta seu obiecta diuinæ Prouidentiæ, quibus nimirum Deus prouidet, generatim sunt omnes res à Deo creatæ; magis verò propriè, substantiæ creatæ; propriissimè, substantiæ intelligentes; excellentissimè homines iusti & electi. Su-

mitur

mitur ex S. Thoma hic q. 22. a. 2. in Corp. & resp. ad 4. & 5. Probatur & declaratur quoad singulas partes. Prima quidem probatur. Quia prouidere alicui generatim nihil aliud est, quam illud, iuxta conditionem & capacitatem suæ naturæ, dirigere in suum finem: at verò omnis res creata, hoc ipso, quod certum sibi finem à Deo vel natura præfixum habet, est capax directionis seu ordinationis passiuæ in finem; in quem etiam reipsa à Deo dirigitur: Ergo generatim loquendo rebus omnibus à Deo prouidetur. Alia ratio est ipsius Dei, vt dictum dub. præced.

Secunda pars probatur: Quia accidentia vti per se non habent esse; ita per se etiam non habent finem à substantiis, ad quas ordinantur diuersum; qui per prouidentiam illis procuretur: sed ipsa potius velut media procurantur, vel conferuntur substantiis in ordine ad suum finem, quod bene etiam notauit Aureolus in 1. d. 40. q. 1. a. 2.

9 Tertia pars sumitur ex illo 1. Cor. 9. v. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Ratio est. Quia prouidere alicui strictè, est in proprium alicuius commodum, propria voluntate vtendum aut fruendum, aliquid alicui procurare; seu quod idem est, dirigere in finem propria voluntate acquirendum; quod solum conuenit habentibus dominium sui actus, & capacibus culpæ ac pœnæ, seu virtutis & præmij, vt rectè notauit S. Thomas cit. art. 2. ad 5. & hinc eodem modo declarat Aureolus in 1. dist. 40. q. 1. art. 2. propos. 2.

Quarta pars sumitur ex illo Rom. 8. v. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ratio est, Quia hominum iustorum quodam excellentiori modo Deus habet prouidentiam, quam impiorum, *in quantum non permittit contra eos euenire aliquid, quod finaliter impediat salutem eorum*, vt loquitur S. Thomas loc. cit. ad 4. Id quod de electis intelligendū est.

Et confirmatur assertio quoad priorem partem ex illo Matth. 6. v. 26. *Respicite volatilia cæli, quoniam non seruunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & Pater vester pascit illa. &c. Considerate lilia agri &c.* Vbi prouidentia diuina quam habet de rebus etiam expertibus rationis, apertè commendatur. De qua re pluribus S. Augustinus lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 15.

10 Assertio III. Termini adeoque effectus quidam diuinæ prouidentiæ; qui nimirum alteri prouidentur, seu de quibus alteri in ordine ad suum finē prouidetur, sunt inprimis media, per quæ aliquid dirigitur in suum finem. Ita communis Doctorum, quos paulò post citabo. Ratio est. Quia eatenus alicui prouidetur, quatenus ei procurantur media in ordine ad suum finem consequendum. Media ergo proprijssimè prouidentur; quod est, esse terminum prouidentiæ; subiecto autem prouidetur de mediis.

Assertio IV. Non tamen ideo necesse est, vt quicquid est terminus prouidentiæ circa subiectum aliquod, sit etiam quoad substantiam, adeoq; existentiam ipsam effectus eiusdem prouidentiæ, licet id reipsa sæpius accidat. Colligitur ex S. Thoma q. 22. a. 4. & est ex mente Doctorum, quos citabimus. Probatur & declaratur prima pars. Quia fieri potest, vt res ipsa ex se, aut alio fine principaliori, suam existētiam habeat, & nihilominus tamen velut medium per diuinam prouidentiam aliquo modo conferat ad finem alterius. Sicut cæli & elementa quoad substantiam ab initio propter bonum & perfectionem vniuersi, non tam velut effectus Prouidentiæ, quàm creationis, à Deo condita fuere, iuxta S. Thomam q. 22. a. 4. quæ tamen postea ad vsum mortalis hominis, vti media ad eius finem aliquo modo conducentia, relata sunt. Christus itidem tanquam medium aliquod ad hominis redemptionem diuina prouidentia fuit destinatus, & tamen intentionis ordine quoad substantiam, longè altiori ratione, & ante hominem à Deo fuit prædestinatus, vt suo loco dicetur. Satis est ergo ad hoc, vt aliquid sit & dicatur terminus prouidentiæ, si per modum medii ex diuina dispositione conducat ad finem eius rei, cui à Deo prouidetur, etiamsi quoad substantiam suam iam aliunde, & ex alio fine existat.

Quanquam semper simul accidit, vt eiusmodi res, si non quoad substantiam suam, certe tamen quoad accidens aliquod, siue applicationem & seruitium qualecunque, sit etiam effectus eius prouidentiæ. Quo modo soliditas & motus cælis astrisq; inditus fuit, vt mortali hominum vitæ deseruirent, vt alibi dictum; Verbo Incarnato caro passibilis addita, propter hominem redimendum &c. Qua ratione etiam cum B. Franciscus cum socio forte in viridi colliculo ad fontem, è mucidis aliquot panis frustulis prandium sumpturus consedisset, legitur Dei prouidentiam mirè collaudasse, qui sibi colliculum illum, & fontem tam benignè ad prandii illius opportunitatem præparasset; licet collis ille & fons iam aliunde vtique suam à Deo existentiam haberet. 11

Secunda pars patet in rebus & exemplis quam plurimis. Sic enim herbæ & arbores pro victu animantium ab initio fuere condita; quo proinde fine cessante in fine mundi, ipsa etiam desinent; manente interim cælorum & elementorum substantia. Sic in deserto manna etiam quoad substantiam effectus fuit diuinæ prouidentiæ Israelitis de victu prospicientis. Sic etiam forte nouæ quandoque stellæ, aliaque portenta ex diuina prouidentia sæpe efficiuntur. &c. In eundem sensum Molina hic q. 22. art. 1. disp. 1. ait: [Quod autem non sola gubernatio, sed etiam creatio ipsa (quadam saltem sui parte) executio sit diuinæ prouidentiæ, vel ex eo probari potest aduersus Durandum in 1. d. 39. q. 3. quoniam à prima rerum productione in hominis vtilitatem conditas fuisse tam accommodatè ceteras res corporeas à Deo, totumque vniuersum tam congruè ad ostensionem diuinæ bonitatis, sapientiæ, atque potentiæ fabricatum, & singulas illius partes, & non solum illius, sed etiam cuiusque viuentis, tam aptas ad suas peculiares functiones ac fines, quis non videt effecta esse, atque executionem diuinæ prouidentiæ, vt ex definitione prouidentiæ liquido constat?] 12

Assertio V. Existentia tamen eius rei, cui prouidetur, non est effectus ipsius prouidentiæ, per quam eidem rei prouidetur; licet esse possit effectus prouidentiæ, per quam Deus alteri cuipiam rei prouidet. Ita communiter tradunt Doctores, quos citabimus assert. 7. Ratio sumitur ex ipsa notione nominis. Prouideri enim dicitur solummodo rebus iam existentibus, seu quatenus concipiuntur, vt iam existentes: quo fit, vt prouidentia supponat secun- 13

dum, rationem, tam creationem seu existentiam ipsarum rerum, quibus prouidetur, saltem vt obiectiuè existentem in mente diuina, quam omnes illos actus internos diuinæ mentis, à quibus vt sic pendet existentia rerum, quibus Deus prouidet; non tamen etiam existentiam rerum, quas veluti media seu terminos prouidentiæ aliis rebus prouidet, vt dictum assert. præced. Quia tamen vna & eadem res, V. G. animal, potest simul & subiectum esse prouidentiæ, cui nimirum à Deo pro conditione suæ naturæ in ordine ad suum finem prouidetur, & terminus, qui alteri cuidam rei puta homini, in ordine ad suum finem velut medium prouidetur; idcircò eadem res illa respectu diuersæ prouidentiæ, seu potius respectu diuersi subiecti, cui prouidetur, potest & quoad substantiam ac existentiam suam à prouidentia supponi; & simul effectus esse prouidentiæ, quam Deus habet de alio subiecto.

14 Assertio VI. Sed & dispositio rerum, licet vno quodam sensu à prouidentia secundum rationem differat, eaque prior sit; tamen alio sensu rectè etiam dici potest & actus (si actiuè accipiatur) & effectus (si passiuè sumatur) esse prouidentiæ, eaque posterior. Hæc assertio colligitur ex S. Thoma in variis locis; nec videtur aliena à sensu Doctorum, vt patebit. Speciatim verò primam partem tradit S. Thomas de verit. q. 5. art. 1. ad 9. & in 1. sent. d. 39. q. 2. art. 1. quem sequuntur Durandus in 1. d. 39. q. 3. n. 5. et 6. Capreolus d. 40. q. 1. a. 2. Ferrariensis 3. cont. gent. c. 64. & communiter recentiores. Probatur & declaratur assertio. Dispositio enim diuina rerum dupliciter accipitur; generaliter, & stricte; & rursum vtroque modo actiuè & passiue. De dispositione generatim loquitur S. Thomas hic q. 22. a 1. vbi ait, *dispositionem posse dici tam rationem ordinis rerum in finem, quam rationem ordinis partium in toto*: quod etiam docet citato loco sent. Quo modo dispositio (actiua) commune quiddam est ad prouidentiam, quam includit, vt patet. Stricte verò accepta dicitur *ratione ordinis, quem ponit in rebus, scilicet rei ad rem*, (siue rerum inter se) *secundum quod iuuant se inuicem ad consequendum vltimum finem*, vt loquitur S. Thomas loc. cit. sent. & consentit de verit. loc. cit. Quo spectat etiam, tum quod res in diuersis gradibus collocantur, vt docet idem de verit. ibid. & rectè notauit Durandus loc. cit. tum quod apta inter se collocatione nectuntur. Iam ex his collocatio rerum in certis gradibus, vtique præsupponitur ad prouidentiam, qua Deus iisdem rebus prouidet; cum diuersas hæc gradum immediatè ac necessariò consequatur naturas rerum productarum, vt bene etiam Durandus loc. cit. at verò loquendo de ordine actualis collocationis, quam res vnaquæque habet, in ipso vniuerso, & comparatione ad res alias: eum rectè etiam effectum dici posse prouidentiæ, per quam Deus siue eidem rei siue alijs in ordine ad suũ finem prouidet, probabilius videtur.

Probatur & declaratur. Sunt enim nonnulli, qui absolutè docent, quoniam res simul cum creatione accipiunt certum quendam inter se ordinem collocationis, idcirco prouidentiam, qua Deus eidem rei prouidet, supponere quoq; in mente diuina tum internam Dei ordinationem, seu dispositionem actiuam, pro obiecto habentem hunc ordinem, tum ipsum quoq; ordinem, eo modo, quo de existẽtia dictum: quod sentiunt Molina hic q. 22. a. 1. disp. 1. Suarez lib. 3. de attrib. diuin cap. 3. & indicat Gregorius de Valentia hic q. 22. pun. 1. post Capreolum & Ferrariensem locis citatis. Sed contrariũ, vt dixi, videtur verius: quod satis apertè docet S. Thomas loco citato de verit. q. 5. a. 1. ad 9. vbi ait: *Prouidẽtia differt ab arte diuina, & dispositione. Quia ars diuina dicitur respectu productionis rerum; sed dispositio respectu ordinis productorum; prouidentia autem dicit ordinem in finẽ. Sed quia ex fine artificiati colligitur, quicquid est in artificiato, ordo aũt ad finẽ est fini propinquior, quam ordo partium ad inuicem & quodam modo causa eius, ideo prouidẽtia est quodãmodo dispositionis causa; & propter hoc dispositionis actus frequenter prouidentiæ attribuitur.* Vbi expressè habemus postremã assertionis partem.

Et ratio insuper est, quia ẽt ille ipse ordo actualis rerũ inter se, & certa collocatio, est aliquid superueniens rebus iam existentibus, idq; propter finẽ: cadit ergo ipse etiam sub prouidentiã, & non supponitur. Vnde ẽt per extraordinariã Dei prouidẽtiã, ob certũ finem, nonnunquã hic ipse ordo imutatur; vt quod terra emineat supra aquas, quodq; homo in terra aquis nudata ponit[9] est; quod vtriq;, ac præsertim homini ad suum finem cõmodum fuit: item quod aquę nonnunquã emineant & eleuentur supra aerẽ, ibiq; sistant; vt in rubro mari Israelitis transeuntibus accidit; quod nemo à diuina prouidentia factum negare poterit. Sec[9] est, si loquamur dẽ naturali & intrinseca aptitudine, secundum quã vna res hoc vel illo modo ad alteram se habere apta nata est; hæc enim cum ab ipsis rerum essentiis non differat, non secus per prouidentiam supponitur, quam ipsa actualis existentia rerum, quibus prouidetur.

Assertio VII. Licet prima quidem præordinatio 15
finis ad quem & propter quem vnaquæq; res condita est, non sit actus prouidentiæ; ac proinde nec debitũ ad finem eiusmodi consequendũ propriè sit effectus prouidentiæ, per quã eidem rei prouidetur; ipsa tamen actualis consecutio finis, non minus quam tendentia ac progressus ad eandẽ, est effectus prouidentiæ, per quam eidem rei prouidetur. Hæc assertio antequam probetur, notandum est: cum ordinare rem in finẽ, quod prouidentiæ proprium est, duo includat, nimirum ipsam præordinationẽ finis, & dispositionem mediorum ad eundem finem, certũ & extra controuersiam est, posteriorẽ esse actum prouidentiæ; an verò sit ẽt prior; ita vt ipse etiam finis cuiusq; rei cadat sub diuinam prouidentiam, per quam Deus eidem rei prouidet; an contra potius prouidẽtia hæc supponat eiusdẽ rei finẽ; seu quod idẽ est; an Deus nõ solũ prouideat media, sed ẽt ipsum finẽ rebus, quibus prouidet, dubitari potest. Finem n. nõ prouideri, sed supponi per prouidentiã, eo modo quo de existentia diximus, docẽt Durand[9] in 1. d. 41. a. 1. ad 1. Vasquez disp. 87. n. 18. Suarez lib. 1. de prædestinat. c. 5. n. 17. & cap. 18 à nu. 13. vbi etiam per hoc distinguit prouidentiam à prædestinatione: de quo quæst. seq.

E contrario verò finem etiam ipsum cuiusq; 16
rei subiici diuinæ prouidentiæ, per quam Deus eidem rei prouidet, alii quidam graues authores sentire videntur. Ita enim passim de hac re loquitur S. Thomas non solum dum absolutè docet q. 22. art. 1. 2. & 3. prouidentiam esse rationem ordinis rerum

in finem;

in finem; spectat autem ad rationem ordinis in finem & dispositio mediorum, & ipsa præordinatio seu destinatio in finem; sed etiam dum ipsam quoq; consecutionem finis ad diuinam prouidentiam spectare asserit, quem; etsi hac de re quandoq; aliter locutum refert, & sequitur Caietanus hic q. 22. art. 1. vbi ita ait: [Circa definitionem prouidentiæ dubiũ difficile occurrit, an cum dicitur ratio ordinis rerum in finem, intelligatur & ipse ordo in finem, & peruentio ad finem; & an ordo tantum. Est autem ratio dubitandi, quia expresse in quæstionibus de verit. q. 6. a. 1. dicitur, quod prouidẽtia diuina est ratio ordinis in finem, & non euentus, id est consecutionis ipsius finis. In sequẽtibus autem pluries habetur oppositum: & (*hic*) in sequenti articulo in resp. ad 1. & in art. 4. apertissimè; & in art. 6. sequentis quæstionis, ita vt non sit locus inficiationi. Ad hoc breuiter iudicio meo dicendũ est, quod author mutauit sententiam in melius, & id de mente sua tenendum est, quod hinc & ex tertio cont. gent. cap. 94. habetur, scilicet quod prouidentia est ratio ordinis in finem quoad vtrunque, scilicet ordinationis, & consecutionis &c.]

17 Eodem modo Gregorius de Valentia hic q. 22. pun. 1. docet, ad rationem diuinæ prouidentiæ pertinere, non solum quod res vnaquæque sit in suum finem ordinata; sed etiam quod res assequantur suos fines, ita quidem, vt quando res finem suum assequitur, ipsa quoque assecutio finis pertineat ad prouidentiam, qua res illa in suum finem ordinata est. Eadem ratione Molina hic q. 22. art. 1. disp. 2. etsi quidem asserat contra Caietanum, de ratione Prouidentiæ non esse consecutionem finis, tamen certè supponit, & præordinationem finis, & ipsam quoq; eius consecutionem ad prouidentiam spectare, quotiescunque finis reipsa obtinetur. Idem docet Ferrariensis lib. 3. cont. gent. cap. 94. vbi ait Prouidentiam duo includere, scilicet volitionem finis aliquo modo, & volitionem ordinis rerum ad finem. Sed reuera hi authores non loquuntur de prima præordinatione finis; sed solum tum de tendentia ad finem per media; tum de actuali consecutione finis.

18 Quare probatur prima pars assertionis, quam tradunt Durãdus, Suarez, Vasquez locis citatis, neq; negant alij, vt dictum. Tum quia finis cuiusq; rei prim⁹ est in intentione; ac proinde licet non prius ratione Deus voluerit hominem ordinari ad suum finem, etiam supernaturalem, quam hominem creare; certè tamen voluntas creandi inuoluit hanc præordinationem finis. Cum ergo prouidentia supponat voluntatem creandi ex assert. 6. supponet etiam præordinationem eiusdem finis; ac proinde hæc præordinatio non est actus prouidentiæ. Tum quia destinatio ad hunc vel illum finem, potius pertinet ad dispositionem, qua res in hoc vel illo gradu rerum collocantur, quam ad prouidentiam, qua eidem rei prouideatur in ordine ad suum finem. Tum quia non solemus dicere prouideri rei ipsa designatione supremi finis; sed mediorum.

Ratio secundæ partis, quam tradunt authores posterius relati neque negant alij, est. Quia vsus & applicatio actualis mediorum efficacium ad quemlibet finem consequendum, vtique est effectus prouidentiæ: Ergo etiam actualis consecutio finis, quæ ex illo vsu per se, ac necessariò consequitur: iuxta illud quod est causa causæ, est etiam causa causati.

DVBIVM IV.

An & qua ratione Prouidentia sit infallibilis; & an semper consequatur finem, ad quem ordinat & præparat media.

S. Thomas 1. p. q. 22. a. 2. & 4.

COntrouersia est aliqua inter Doctores, an prouidentia diuina semper consequatur finem, ad quem ordinat & præparat media, vt inferius dicemus. Sed vt doctrina sit plenior, vniuersim nobis explicandum est, qua ratione prouidentia diuina sit infallibilis. 1

Assertio I. Prouidentia diuina eatenus absolutè est, & rectè dicitur infallibilis, quatenus in eo, quod per illam absolutè & efficaciter (adiuncta nimirum voluntate Dei consequente & efficaci) siue circa finem, siue circa media ordinatur, infallibiliter euenit, eo modo, quo ordinatum est. Ita S. Thomas hic q. 22. a. 4. ad 2. vbi ait, *ea quæ ab ipso prouidentur, cuncta euenire ex modo, quo ipse prouidet, siue necessario, siue contingenter.* Et ad 3. ait, prouidentiam diuinam *non deficere à suo effectu.* Et rursum lib. 3. cont. gent. cap. 94. ait, *ordinem diuinæ prouidentiæ esse certum, immobilem, & indissolubilem, quoad effectus consecutionem.* Idem docet Boetius lib. 4. de consol. pros. 6. et Ecclesia in orat. Domin. 7. post Pentecosten, oratione: *Deus cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur &c.* Et est extra controuersiam.

Ratio sumitur ex efficacitate diuinæ voluntatis, quæ cum aliquid absolutè & simpliciter fieri vult, semper est efficax, vt dictum supra disp. 2. q. 10. dub. 3. & 4. Neque verò proprie dici potest falli prouidentia; nisi cum non assequitur id, quod prouisor absolutè & efficaciter vult & intendit. Qua in re plurimum differt prouidentia diuina ab humana: hæc enim sæpissimè & in fine, & in mediis præordinandis, fallitur. Cum enim parens filium v. g. vult creari Doctorem, ideoque pecunias mittit, absoluta etiam, & quantum est ex parte parentis, efficaci quadam voluntate eius finis, ac medii &c. sæpe fit, vt & pecuniæ transmissæ fiat iactura, & filius, etiamsi pecunia suppetat, defectu doctrinæ gradum designatum consequi non possit. &c. Vnde apud Sapientem legitur, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Sap. 9. Non ita in Deo accidit.

Assertio II. Prouidentia diuina quoad dispositionem seu præordinationem mediorum semper habet aliquem effectum. Ita docet Ferrariensis lib. 3. cont gent. cap. 94. vbi generatim pronuntiat, Prouidentiam respectu ordinis rerum ad finem pertinere ad voluntatem consequentem; & sic *semper impleri, quod est præuisum: quia omne quod est præuisum, vt habeat ordinem ad aliquem finem, illum ordinem sequitur: respectu autem finis pertinere ad voluntatem antecedentem, quantum ad aliqua prouisa &c.* 2

Ita Ferrariensis; sed cuius generale dictum illud, vtique limitatione indiget, quando palam est, nec media quidem per diuinam prouidentiam ad beatitudinem consequendam hominibus præordinata; vt sunt applicatio Sacramentorum, prædicatio & auditio Verbi Dei; præceptorum diuinorum obseruatio &c. semper reipsa impleri, & executioni mandari.

3 Intelligendum est ergo, prouidentiam respectu mediorum semper esse aliquo modo efficacem, quatenus Deus sua prouidentia, quantum in se est, generalia & sufficientia salutis media omnibus præparauit, etiamsi interim particulatim ac re ipsa omnibus non applicentur, nec fortè ex accidenti etiam applicari possint: quandoquidem Deus nec quidem, vt hoc reipsa fieret, sua prouidentia efficaciter præordinate voluit, aut debuit. Est ergo hoc solum discrimen inter finem & media; quod prouidentia respectu mediorum, etiam in ordine ad finem particularem, semper habet aliquem effectum, vt dictum, respectu verò ipsius finis particularis, per se et necessariò non requirit actualem consecutionem in vllo subiecto, cui à Deo prouisum ad eum finem dicitur, vt paulò post dicetur. Quo sensu rectè etiam dixit Molina hic q. 22. art. 1. disp. 2. prouidentiam diuinam includere quidem propositum efficax, & voluntatem absolutam exequendi aliqua media, non tamen assequendi finem.

4 Assertio III. Sed & quantum ad finem generalem totius creaturæ, qui est manifestatio gloriæ diuinæ, prouidentia diuina semper consequitur suum finem & effectum. Ita S. Thomas hic q. 19. art. 6. & dictum supra disp. 2. q. 19. dub. 3. neque de hoc etiam est vlla controuersia.

Ratio est; quia siue peccata Deus impediat, siue permittat, siue remittat; siue cum bonos facit & remunerat; siue cum malos tolerat, aut punit; siue cum vtrisque benefacit, semper elucet diuinæ Maiestatis potentia, sapientia, iustitia, bonitas, misericordia &c. vnde & gloria ipsius tam hominibus, quam Angelis, quibus ea diuinæ prouidentiæ ratio cognita est, magis semper ac magis patescit. Neque omnino fieri potest, vt peccatores, etiamsi velint, diuinæ voluntatis & prouidentiæ ordinem effugiant: qui dum peccando subtrahunt se à diuina voluntate præcipiente, incidunt in ordinem diuinæ voluntatis & prouidentiæ punientem, vt ibidem cum S. Thoma dictum.

5 Assertio IV. Quod verò attinet ad fines particulares rerum, quibus à Deo prouidetur, diuina prouidentia non semper ac necessariò consequitur finem, ad quem ordinat & præparat media. Ita aperte S. Thomas in 1. d. 40. q. 1 art. 2. & quæst. 6. de verit. art. 1. Durandus in 1. d. 39. q. 3. & dist 40. q. 1. Capreolus ibidem. Marsilius quæst. 41. a. 1. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 94. Gregorius de Valentia hic q. 22. p. 1. Molina q. 22. art. 1. disp. 2. Suarez lib. 1. de prædestinat. cap. 18. à num. 6. Vasquez disp. 87. cap. 4. & apud eosdem Sylvester, & omnes Thomistæ, contra Caietanum hic q. 22. art. 1. vbi contrarium docuisse visus est, quasi videlicet prouidentia diuina non solum includat rationem ordinis rerum in finem, sed etiam ipsam assecutionem finis: quare etiam vniuersim ait, prouidentiam pertinere ad voluntatem Dei consequentem.

Ex quo deducit Molina, si quando res aliqua finem non assequatur, ex Caietani sententia, eam non fuisse ordinatam in eum finem à diuina prouidentia. In eam verò sententiam Caietanus adducit etiam S. Thomam citatum pro assert. 1. quem proinde vult, priorem sententiam locis hac assertione citatis olim defensam retractasse, vt retulimus etiam ex Caietano dub. præced. Sed immeritò, vt Molina & Vasquez, ex Sylvestro, & alijs Thomistis referunt, qui aiunt, solum Caietanum inter sectatores S. Thomæ, id de S. Thoma affirmare. Gregorius de Valentia autem loc. cit. putat, Caietanum solum existimasse, ad diuinam prouidentiam spectare etiam assecutionem finis, velut effectum quendam, tunc, quando finis reipsa obtinetur, quod nos etiam dub. præced. diximus: eaque ratione putat authores vtriusque sententiæ posse conciliari. Sed Caietanus plus dicit, vt non solum referunt citati, sed etiam ex verbis eius colligitur. 6

Ratio assertionis est. Quia negari nulla ratione 7
potest, multis prouisum esse de mediis ad vitam æternam consequendam, eosque proinde in hunc finem à Deo esse ordinatos, iuxta illud, *Vult omnes homines saluos fieri*: Item, *Docete omnes gentes &c.* qui tamen eum finem reipsa non consequuntur. Cuius etiam rei hæc est causa. Quia licet Deus prouidendo semper aliqua media ex se sufficientia ad finem omnibus exhibeat seu offerat (quo etiam respectu prouidentia pertinet ad scientiam approbationis, & est efficax causa rerum, vt dictum) tamen non semper omnibus re ipsa applicat illa, quæ præsciuit efficacia; nec omnino etiam vult liberum & contingentem agendi modum causis secundis adimere, sed vnicuique subuenire & cooperari, secundum exigentiam suæ naturæ, iuxta S. Dionysium cap. 4. de diuin. nom. vbi ait: *Neque enim prouidentia est, naturam interimere & tollere. Itaque vt prouidentia vnicuiusque naturæ conseruatrix, ea quæ suis appetitionibus vtuntur, vt eiusmodi gubernat; & vniuersos & singulos, accommodare vtrisque, quatenus eorum, quæ prouidentiâ reguntur, natura capit, vniuersa prouidentiæ beneficia, quæ cuique pro captu suo dantur. &c.*

Quò fit etiam, vt talis frustratio finis, non proueniat, vti inter homines fieri assolet, ex defectu, puta ignorantia vel impotentia prouisoris, sed ex libertate diuinæ voluntatis, & suauitate summaque perfectione prouidentiæ summi gubernatoris. Secus esset, si vt Medicus quispiam imperitus, absolutè & simpliciter Deus consecutionem finis intenderet; quem ob impotentiam consequi non posset, vti etiam assert. 1. dictum. 8

Ex quibus etiam patet responsio ad fundamentum oppositæ sententiæ, quasi frustratio finis, etiam particularis, tribui non possit diuinæ prouidentiæ sine imperfectione; cum in humanis finem intendens, & non obtinens, semper imperfectè operari videatur: in quo tamen, vt dictum, manifesta disparitas est, quod DEVS sua prouidentia non semper absolutè intendit consecutionem finis; sed aliquando solùm conditionata, aut simplici voluntate; quantum nimirum in se est, & si cubi libertas & contingentia causarum secundarum non obstet, vt plu-

ribus

ribus Molina loc. cit. & dictum supra disp. 2. q. 10. dub. 5.

9 Quod verò Caietanus addit, prouidentiam Dei spectare ad voluntatem Dei consequentem, intelligendum est, iuxta sensum primæ, secundæ, & tertiæ assertionis: quantum enim ad actualem consecutionem finis particularis attinet, ea aliquando solam voluntatem antecedentem complectitur, vt rectè Ferrariensis loc. cit Eodemq; sensu intelligendus est etiam S. Thomas locis illis, quos pro se citauit Caietanus. Neq; enim S. Thomas locis à Caietano in vtramque partem citatis plus docet, quam hæc duo; primum est, prouidentiam diuinam non falli, quin & finem vniuersalem semper; particularem autem pro arbitrio diuinæ voluntatis, quando & quoties vult Deus, consequi: alterum est, de ratione tamen diuinæ prouidentiæ non esse actualem consecutionem finis; quæ diuersa quidem sunt; sed sibi minimè contraria, vt ex dictis constat.

DVBIVM V.

An & qua ratione diuina Prouidentia concilietur cum libertate arbitrij creati; speciatim etiam ex mente S. Thomæ: & quid de fato ac fortuna sentiendum.

S. Thomas 1. p. q. 22. a. 4.

1 SVppositis iis, quæ disp. præced. quæst. 8. dub. 11. & quæst. 10. dub. 7. & q. 11. dub. 1. à nobis disputata & explicata sunt, facilis est huius rei explicatio. Cum enim diuina prouidentia dupliciter spectari possit; primò secundum se, vt est actus immanens in Deo; deinde etiam quoad executionem, quam esse ipsam rerum gubernationem dictum est hic dub. 1. facilè ex dictis disp. præced. loc. cit. liquet, Prouidentiam diuinam cum libertate arbitrij creati, adeoque & contingentiâ causarum secundarum optimè conuenire. Cum enim secundum se, vt actus immanens est in Deo, formaliter sit actus intellectus, & scientia quædam practica in Deo; simul tamen etiam connotans actum voluntatis, vt dub. 1. dictum, constat, prouidentiam non magis pugnare cum libertate arbitrii, quam ipsam scientiam & voluntatem diuinam; quarum prior qua ratione cum libertate concilietur, exposuimus cit. quæst. 8. dub. 11. Voluntatis autem diuinæ concordiam cum eadem libertate explicauimus cit. quæst. 10. dub. 7. vbi simul etiam diximus, tametsi Deus sua prouidentia actus nostros in particulari quandoque absolutè prædefiniret, id tamen cum libertate arbitrii optimè stare posse.

2 Quod eò etiam pertinet, vt etiamsi diuinam prouidentiam formaliter constitutam esse existimaremus, in efficaci quodam actu Imperii, ab omni cognitione intellectus distincto, nostramque determinationem & libertatem antecedente, vt nonnulli existimant, eum tamen actum Dei internum per se libertati nostræ officere nihil posse intelligamus: quandoquidem eâ ratione plus Deo non tribueretur, quantum ad præsens negotium pertinet, quam præfinitio quædam actuum nostrorum absoluta, & antecedens nostram libertatem; quæ qua ratione per se libertati nihil obstet, ibidem diximus; quanquam eum actum Imperii, ex alio capite, & iam superius dub. 1. reiecimus, & q. seq dub. 3. rursum reiiciemus.

Quod si Prouidentia diuina spectetur secundum sui executionem, quam diximus esse gubernationem, patet itidem ex dictis disp. præced q. 10. dub. 7 & q. 11. dub. 1. eam libertati nostræ nihil præiudicare; quandoquidem executio prouidentiæ consistit partim in auxiliis gratiæ præuenientis, partim in actuali concursu diuino cum actibus liberi arbitrii: neutro autem modo impediri libertatem arbitrii nostri ex eo declarauimus; quia neutro modo physicè ac intrinsecè prædeterminatur liberum arbitrium, nec connaturalis eius agendi modus vllo modo immutatur, vel impeditur; sed auxiliis gratiæ excitatur solum & adiuuatur voluntas, vt possit bene agere, & si efficacia sint, re ipsa bene agat; cum absolutè tamen etiam possit non agere, vt dictum cit. dub. 7. & pluribus etiam in materia de gratia explicandum est: concursu verò diuino mouetur quidem efficacitet voluntas, sed motione solum simultanea, non naturæ & causalitatis ordine antecedente nostram determinationem, vt ibidem dictum.

Atque cum his optimè conuenit, quod de concordia diuinæ prouidentiæ cum libertate arbitrii docet S. Thomas hic q. 22. art. 4. vbi cum docuisset, diuinam prouidentiam quibusdam rebus necessitatem imponere; iis nimirum effectibus, quibus præparauit causas necessarias; non autem omnibus, *vt quidam*, inquit, *crediderunt*; eò quod quibusdam effectibus præparauit causas solum contingentes; qui proinde etiam eueniunt contingenter, secundum conditionem proximarum causarum; de qua re contra Scotum actum est superius, disp. præceden. quæst. 10. dub. 5. mox in solutione argumentorum, diuinam prouidentiam cum libertate nostra ita conciliat, vt ab ipsa efficacitate diuinæ prouidentiæ, concordiæ rationem desumat. Cum enim primò obiectum fuisset hoc argumentum: *Omnis effectus, qui habet aliquam causam per se, quæ iam est vel fuit, ad quam de necessitate sequitur, prouenit ex necessitate, vt philosophus probat in 6. Metaph. tex. 7. sed prouidentia Dei cum sit æterna, præexistit, & ad eam sequitur effectus de necessitate; non enim potest diuina prouidentia frustrari: Ergo prouidentia diuina necessitatem rebus præuisis imponit:* Respondet S. Thomas ad 1. *Effectus diuinæ prouidentiæ non solum est, aliquid euenire quocunque modo, sed aliquid euenire vel contingenter, vel necessariò. Et ideo euenit infallibiliter & necessario, quod diuina prouidentia disponit euenire infallibiliter & necessario: & euenit contingenter, quod diuinæ prouidentiæ ratio habet, vt contingenter eueniat.* Eodem modo loquitur resp. ad 2.

3

Et rursum resp. ad 3. cum obiectus fuisset locus Boetij lib. 4. de consol. pros. 6. asserentis, quod *Fatum* (quo nomine Boetius prouidentiæ executionē, seu diuinam gubernationem intelligere videtur)

4

ab immobilibus prouidentia proficiscens exordiis actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione adstringit: Respondet S. Thomas his verbis: *quòd indissolubilitas illa, & immutabilitas, quam Boetius tangit, pertinet ad certitudinem seu infallibilitatem prouidentiæ, quæ non deficit à suo effectu, neque à modo eueniendi, quem prouidit; non autem pertinet ad necessitatem effectuum. Et considerandum est, quod necessarium & contingens proprie consequuntur ens, in quantum huiusmodi: Vnde modus contingentiæ & necessitatis cadit sub prouisione Dei, qui est vniuersalis prouisor totius Entis; non autem sub prouisione aliquorum particularium prouisorum.* Ita S. Thomas; qui ad eundem etiam modum loquitur q. 19. a. 8. & lib. 3. cont. gent. cap. 94. vbi ex instituto etiam hanc materiam persequitur.

5 Vbi hæc duo notanda. primum est, S. Thomam concordiam prouidentiæ diuinæ cum libertate arbitrii, referre quidem in efficaciam eiusdem prouidentiæ, sed non hoc sensu, quasi quisquis demum sit modus executionis diuinæ prouidentiæ, & concursus eiusdem etiam cum causis liberis, id libertati arbitrii nihil possit præiudicare; hoc enim superius disp. præced. q. 11. dub. 1. refutauimus: sed quia ob ipsam efficaciam diuinæ prouidentiæ, nõ deest modus Deo, quo, salua libertate nostra, effectus prouidentiæ infallibiliter quidem eueniant, & executioni mandentur, sed non necessariò physica & absoluta necessitate: quem modum cit. q. 10. dub. 7. & quæst. 11. dub. 1. explicauimus.

Alterum est, S. Thomam nullo vspiam verbo eam rationem concordiæ prouidentiæ diuinæ cum libertate arbitrii nostri innuere, vt significet, prouidentiam diuinam secundum se, & vt actus quidam in Deo immanens est, non esse priorem ratione & natura libera nostra determinatione (in quo solo tamen recentiores quidam eam concordiæ rationem positam arbitrantur, contra quos disputauimus supra disp. 2. q. 10 dub. 2.) etiamsi optima alioqui occasio fuisset, & causa sufficiens in resp. ad 1. eam solutionem promendi: sed supposita prouidentiæ prioritate, qualis demum illa esset, ad eius efficaciam recurrendum sibi existimauit; vt hinc planè colligere liceat, eam concordiæ rationem à quibusdam recentioribus adferri solitam, S. Thomæ non fuisse cognitam: vti nec antiquioribus Theologis, Durando in 1. d. 46. q. 1. num. 7. Dionysio Carthusiano dist. 39. q. 2. Capreolo d. 45. q. 1. concl. 5. Ferrariensi 1. cont. gent. c. 85. Driedoni opusc. de concord. lib. arbit. & prædest. 2. p. c. 3. ad 1. aliisque pluribus, qui cum S. Thoma, ad explicandam eam concordiam, docent, Dei voluntatem & prouidentiam tantæ virtutis & efficacitatis esse, vt licet ei nulla potentia & libertas creata resistere possit; omnes tamen causas, quibus cooperatur, suauiter moueat, & iuxta cuiusque naturam aut necessariò, aut liberè ad operandum impellat. Quia non solum operatur quod vult, sed modum etiam quem vult, in cooperando tenet, & per varias causas varios quoq; producit effectus, vt benè etiam retulit Vasquez hic disp. 99. cap. 3. Sed de hoc re plura loc. cit.

6 Atq; ex his etiam colligi potest, quid de fato sentiendum, de quo ex instituto agit S. Thomas 1. p. q. 116. & hæc tria rectè docet. Primum art. 1. fatum quidem prout ab Ethnicis philosophis olim accipiebatur, pro certa illa dispositione siderũ, in qua quisq; conceptus est, vel natus, qua etiam hominem ad omnia effecta & euenta necessariò trahi existimabant, nihil esse, & diuinæ prouidentiæ aduersum: quo modo loquuntur tum alii Patres, tum speciatim S. Gregorius homil. 10. Epiph. nihilominus tamen alio sensu fatum dici posse ipsum ordinem diuinæ prouidentiæ; & hac ratione fatum posse rectè concedi cum Boetio lib. 4. prosa 6. de consol. Nec admodum alienus est S. Augustinus lib. 1. de ciuit. Dei cap. 1. vbi ait: *Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.* Et cap. 9. *Quod si fatum*, inquit, *à fando dictum intelligamus, cum Deus omnia immutabiliter sit locutus; quia omnia quæ futura sunt, & quæ ipse facturus immutabiliter nouit; hac vtique ratione possemus fatum à fando appellare.*

Secundum est a. 2. Fatum eo sensu, quem diximus, causaliter quidem esse ipsam diuinam prouidentiam, seu vt Augustinus loquitur, *voluntatem vel potestatem Dei*; at verò formaliter esse ipsam dispositionem seu seriem, siue ordinem causarum, in causis secundis existentem & à Deo ordinatum, iuxta Boetium cit. lib. 4 prosa 6. de consol. *Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus.* Et addit: *Siue famulantibus quibusdam diuinæ prouidentiæ spiritibus fatum exercetur, seu anima, seu tota inseruiente natura, siue cælestibus siderum motibus, seu Angelica virtute, seu dæmonum varia solertia, seu aliquibus eorum, seu omnibus, fatalis series texitur.* 7

Tertium est art. 3. Fatum secundum ipsam per se dispositionem causarum secundarum, non esse prorsus immobile; sed solum, in quantum subest diuinæ prouidentiæ, immobilitatem quandam habere, non quidem absolutæ necessitatis; sed conditionatæ; prout omnia quæ à Deo efficaciter prouisa sunt, infallibiliter, & ex hypothesi, necessariò eueniunt, vt supra locis citatis dictum. 8

Quartum est art. 4. Cum fatum sit vel ordinatio, vel ordo secundarum causarum ad effectus diuinitus prouisos, ea quidem quæ à Deo immediatè fiunt, non subdi fato; sicut est creatio rerum, glorificatio spiritualium substantiarum, & alia huiusmodi: sed ea sola & omnia, quæ subiiciuntur causis secundis. De quibus Boetius loc. citat. *Series fati cælum ac sidera mouet; elementa in se inuicem temperat, & alterna commutatione transformat. Eadem nascentia, occidentiaque omnia per similes fœtuum seminumque renouat progressus. Hac actus fortunasque hominum, indissolubili causarum connexione constringit. &c.* Ita rectè S. Thomas, quem immeritò vellicat Aureolus in 1. distinct. 40. quæst. 1. artic. 3. Ex quibus patet, fatum Christiano loquendi modo esse executionem & effectum quendam prouidentiæ; non omnem quidem, sed eum, qui cernitur in dispositione passiua & ordine causarum secundarum, ex qua suppositâ efficaci DEI prouidentia, seu præuisione, infallibiliter sequuntur effectus.

Colligitur secundò quid de bona fortuna, & veris somniis sentiendum. De qua re breuiter hæc notanda. Primum est, reiecta stulta opinione quorundam Ethnicorum, tum poetarum, tum philo- 9

losophorum, qui fortunam siue Deam, siue Deum aliquem esse confinxerunt, temerè prosperos aduersosque casus inter mortales dispertientem, quos refellunt Lactantius lib. 3. cap. 28. & 29. & Augustinus lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 18. fortunam in genere, prout aliquid commune est ad bonam & malam fortunam, nihil aliud esse, quàm *causam per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem operantur*: iuxta Aristotelem 2. physic. cap. 6. text. 58. Quo fit, vt quia fortuna non est nisi circa effectum per accidens, ab operante non prouisum, respectu Dei Optimi Maximi, omnia & singula quæ euentura sunt prouidentis, nihil casu, nihil etiam fortuitò agi dici possit, vt bene probat Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. & lib. 83. qq. q. 34.

10 Secundò notandum, ab hac fortuna aliquos dici benè fortunatos; alios malè fortunatos; illos quia continuo quasi gaudent felicibus euentis, tum in rebus eligendis, tum in ijsdem perficiendis & exequendis; etiam præter & supra vires humani consilij; cum tamen è contrario vtraque seu alterutra his aduersa accidant. Et verò vti sunt diuersa hominum studia & officia, ita alius in alio officiorum genere bene fortunatus dicitur: nimirum alius in arte medica, seu in medendo; alius in arte militari, seu pugnando; alius in mercatura; alius in arte nauicularia; alius in architectonica, &c. Quo sensu Aureolus in 1. distinct. 40. quæst. 1. artic. 3. bonam fortunam ex sententia Aristotelis libello de bona fortuna definit, *quod bona fortuna continua*, inquit, *& diuina non est aliud, quam sine ratione natura, inclinans hominem, ad sequendum diuinos impulsus, quibus agitur ad prosecutionem boni & fugam mali*. In quâ descriptione illud saltem verum est, & ab omnibus receptum, quod bona fortuna sit sine ratione; quo sæpe fit, vt bene fortunati sint *minus prudentes, & magis insipientes*, nimirum secundum ordinarias regulas humanæ prudentiæ, vt notauit etiam Aristoteles lib. 2. magn. moralium, cap. 9. vbi ait: *Fortuna in eiusmodi esse dicitur, vbi neq; mens vlla, neq; recta ratio est, &c. Idcirco vbi mens plurima ac ratio, ibi fortuna minima: vbi plurima fortuna, ibi mens perexigua.*

11 At verò tertiò, quænam sit propria causa felicium eiusmodi euentuum, seu prosperitatis fortunæ controuertitur. S. Thomas lib. 3. contra gent. cap 11. assignat triplicem causam, Deum nimirum, Angelum, & corpora cœlestia. Henricus quodlib. 6. quæst. 4. damnata Aristotelis sententia, in solum Deum huius rei causam refert. Vtrumque refellere satagens Aureolus loco cit. docet. *Eufortunium*, seu bonam illam fortunam, *esse naturalem vim & dispositionem homini inditam, quæ sequi videatur complexionem, quam quis consequitur ex influentia variæ constellationum.* Quomodo etiam Aristoteles cit lib 2. mag. moral. cap. 9. subiungit: *Est igitur prosperitas rationis expers: natura nam q; fortunatus est, qui sine ratione ad bond impellitur, eaq; consequitur. Id verò naturæ est: nam animæ inest huiusmodi à natura; quo sine ratione impellatur ad ea. Vnde bene habemus, eousq;, vt si quis roget ita habentem. Cur nam id tibi ita libet agere? nescio, inquit, sed libet. Simile propemodum lymphaticis: siquidem lymphatici citra rationem ad aliquid agendum impelluntur.* Addit Aureolus ibidem propositione 2. prosperitatem illam, seu bonam fortunam, quæ videtur quibusdam hominibus naturalis, *reduci debere, vt in pluribus, in occultam quandam industriam, quam habent diuersi homines in diuersis*: quæ appellatur à philosopho in 6. Eth. Eustochia, seu bona coniectura; & in libello de bona fortuna, appellatur virtus diuinatiua.

Cæterum quartò, S. Thomæ doctrinam bene contra Aureolum tuetur Capreolus in 1. distinct. 40. quæst. 1. art. 2. Quare breuiter dico, causam huiusmodi impellentem ad prosperos euentus generalem & supremam, nonnunquam etiam immediatè in voluntatem creatam influentem, esse Deum; nonnunquam Angelum illuminantem & dirigentem, seu bonum, si euentus verè salutaris sit animæ, aut bono communi: seu malum, si euentus solum ad speciem fortunatus sit, reipsa verò noxius; aliquando etiam esse cœlum, dum appetitum sensitiuum commouet. Interim verò ipsam complexionem, ac eustochiam seu industriam naturalem, ad hæc ipsa momentum etiam adferre, non negauerim. In quem denique sensum ferè ipse etiam Aureolus loco cit. proposit. 2. concludit his verbis: *Considerandum, quod licet ista sit ratio generalis, quare homines naturaliter sunt bene fortunati, aut videntes somnia vera, nihilominus aliquando Deus ista immutat: sicut legimus de infortunio Tobiæ, & aduersitatibus Iob. Cursum enim naturæ frequenter Deus impedit, iudicio suo occulto, & causis, quas ipse nouit, & tunc tribuit aduersa vel prospera, sicut placet, secundum suam prouidentiam: nec est inconueniens, quod tunc ministri sint Angeli boni, vel mali; secundum quod Boetius 4. de consol. dicit, quod famulantibus spiritibus seu Angelica virtute, seu dæmonum varia solertia impletur Dei prouidentia, & fatum exercetur. Sed ea quæ dicta sunt, intelligi oportet, vbi Deus relinquit hominem naturæ & industriæ suæ. Non est enim inconueniens, imò omnino expertum, quod aliqui ex naturalibus suis diriguntur in prospera, propter huiusmodi coniecturales virtutes.* Ita Aureolus. Atque ad similem etiam modum de veris somnijs eorumque causis iudicandum est, reiecta erronea his de rebus Auerrois sententia lib. 12. metaph. comment. 36 qui causas rerum istarum in suum illum intellectum agentem & assistentem refert. Atque hæc de diuina prouidentia in genere satis: nunc prædestinationem, præcipuam quandam eius partem, eadem diuina prouidentia feliciter aspirante ac fauente aggrediamur.

12

QVÆSTIO II.

De natura & essentia diuinæ Prædestinationis.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. 2. & 3. & q. 24.

1 *ABsoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. Quid tum in genere, tum hoc loco, per diuinam Prædestinationem intelligatur; deq; eius obiecto siue subiecto, & termino in communi; & deniq; an in Deo sit Prædestinatio. II. Quidnam essentialiter & formaliter sit Prædestinatio; actusne voluntatis, an intellectus; & qualis. III. Qua ratione Prædestinatio se habeat ad Præscientiam, Dilectionem, Electionem, Prouidentiam; an sit huius pars, & qualis. IV. Quid sit liber vitæ, & quomodo se ad Prædestinationem habeat.*

DVBIVM I.

Quid tum in genere, tum hoc loco per diuinam Prædestinationem intelligatur; deq; eius obiecto, siue subiecto cui, & termino, in communi: & deniq; an in Deo sit Prædestinatio.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 1. & 3.

AD Prouidentiam diuinam aliquo modo spectare Prædestinationem, nemo dubitat, qua de causa etiam tum à S. Thoma hîc 1. p. quæst. 23. tum à Theologis in 1. distinct. 40. eius tractatio Prouidentiæ adiungitur, vel subnectitur. Sunt autem quinque potissimum capita, quæ in hoc argumento explicationem requirunt; nimirum 1. ratio & natura Prædestinationis; ex qua simul etiam intelligetur, an in Deo sit Prædestinatio. 2. effectus eiusdem. 3. causæ. 4. ordo ac progressus eiusdem in mente diuina. 5. Infallibilitas eiusdem & concordia cum libero arbitrio; de quibus ordine deinceps singulis quæstionibus disserendum erit; faciendo hac quæstione initium ab ipsa essentia & natura prædestinationis; ad quam declarandam, hoc dubio solummodo Quid nominis ipsius prædestinationis, & communem eius conceptum inuestigabimus; quinque hæc sigillatim declarando. 1. Quis sit vsus huius nominis Prædestinari & Prædestinatio, tum apud sacros, tum apud profanos authores; quodque eius etymon. 2. quid in præsenti his nominibus significetur. 3. quodnam sit subiectum vel obiectum Cui prædestinationis. 4. quisnam sit & dicatur terminus prædestinationis. 5. Verus & absolutus conceptus quid nominis prædestinationis ad hunc locum accommodatus, cum suis synonymis; quæ omnia sequentibus notationibus ordine declaramus.

2 Notandum igitur primò, vocabulum *Prædestinare, Prædestinatus, Prædestinatio*, profanis scriptoribus latinis vix esse in vsu; sed vocem tamen simplicem, *Destinare* ab ijs frequenter vsurpari, idque vario sensu; primò pro eo, quod est deliberare. Quomodo Suetonius in Cæsare cap. 44. dixit: *In hos plura aut maiora de ampliando imperio destinabat.* Secundò absolutè pro decernere, seu constituere. Hinc Cicero in Officijs; *Cum eorum alteri,* inquit, *Dionysius diem necis destinasset.* Et Orat. pro Sestio: *Qui locus orbis terræ tam non erat alicui destinatus?* Et in epistol. *Quod tibi destinaras trapezophoron, si te delectat, habebis.* Eodemque sensu intelligi potest illud Suetonij in Galba, cap. 16. *Statim legationem cum mandatu destinauerunt*; hoc est, decreuerunt: nisi fortè hic simpliciter significet mittere, qui proinde tertius à quibusdam significatus constituitur. Quartò idem significat, quod Deputare seu designare rem quampiam ad aliquem finem.

Ab hoc verbo *Destino*, iuxta secundum maximè & quartum significatum, dicitur tam de re, quam persona verbum *Prædestinare*, Ecclesiasticis maximè Scriptoribus vsitatum, pro eo, quod est prius destinare, vel ante destinare, siue præordinare, prædecernere, prædefinire, prædeterminare: item prædestinatus quasi prædefinitus, præordinatus; & prædestinatio, quasi præordinatio, prædefinitio, prædeterminatio. Quo sensu etiam Æmilius Probus in Eumene: *Primus*, inquit, *Leonatus Macedoniam præoccupare prædestinauit.* Huic verbo, apud græcos, eodem sensu respondet verbum προορίζω vel προορίζεσθαι, quod propriè & ad verbum sonat præfinire seu prædefinire, prædeterminare, prædestinare, vel prædestinari; vnde προωρισμένος prædestinatus, prædefinitus, prædeterminatus, & προορισμὸς, prædefinitio seu præfinitio, prædeterminatio, præordinatio. Tribuitur autem tam apud latinos, quam apud græcos Scriptores Ecclesiasticos Verbum, & actus prædestinandi eo verbo significatus, Deo, æterno, suo decreto non solum personam aliquam ad aliquem finem efficaciter destinanti, sed vniuersim etiam rem aliquam in tempore faciendam decernenti.

3 Quare etiam sine vlla dubitatione certum est, vocabulam *Præ*, siue græcè πρὸ, saltem prioritatem &

4

ante-

anteceſſionem temporis ſeu durationis ſignificare reſpectu rei vel perſonæ prædefinitæ ſiue prædeſtinatæ, vt rectè Vaſquez hic diſput. 87. cap. 5. an verò etiam præterea aliquando ſignificet, aliquam dignitatis aut excellentiæ prærogatiuam, comparatione aliorum, vt vult Catharinus lib. de prædeſtinatione, quem impugnat Vaſquez loco citato, vel etiam aliquam naturæ & cauſalitatis prioritatem, reſpectu noſtræ cooperationis, ſeu vſus liberi arbitrij noſtri, id hoc loco definiri non poteſt; ſed pendet ex ordine & proceſſu prædeſtinationis, quem habet in mente diuina, de quo quæſtione 5. agendum eſt. Satis eſt hoc loco ſcire, eam prioritatem ſiue dignitatis, ſiue naturæ, ad communem & generalem conceptum prædeſtinationis intrinſecè non pertinere: imò etiamſi eiuſmodi quidam ſiue dignitatis, ſiue naturæ ordo in prædeſtinatione diuina interueniret, eum tamen non neceſſariò ideo, per voculam illam *Præ*, ex vi verbi fuiſſe ſignificatum.

5 Notandum ſecundò, Prædeſtinari, ſeu prædeſtinationem paſſiuam, quatuor modis apud Scriptores Eccleſiaſticos vſurpari. Primò enim generatim ac latiſſimè tribuitur tam rebus, ac perſonis omnibus, atque effectibus quibuſcunque à Deo præordinatis & prædefinitis; quales ſunt res creatæ omnes, etiam malum pœnæ; non tamen peccata ſeu mala culpæ, vt ſuperius diſputatione 2. quæſt. 10. dub. 6. dictum eſt. Quo modo S. Auguſtinus lib. 2. de bono perſeuerantiæ cap. 17. ait: *Nam in ſua, quæ falli mutariq; non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quicquam eſt, niſi prædeſtinare.* Et ibidem cap. 18. *Sed prædeſtinaſſe*, inquit, *eſt hoc præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.* Et Eccleſia Lugdun. tomo 2. Auctarij Patrum lib. de tribus epiſtol. Regul. 2. ait: *Nihil omnino eſſe, aut fuiſſe, aut futurum eſſe poſſe in operibus Dei, quæ ſiue in condendis, ſiue in regendis, ſiue in conſummandis, vel finiendis creaturis agit, quod non ipſe in ſuo æterno conſilio atque iudicio & veraciter præſcierit, & immobiliter prædeſtinauerit. Atque ita omne, quod temporale eſt, intemporaliter ſua præſcientia & prædeſtinatione præcedit.* Et regul. 3. ait: *In operibus omnipotentis Dei, non ſunt alia præſcita, & alia prædeſtinata.* Plura in hunc ſenſum adduximus ſupra diſput. 2. quæſt. 10. dub. 6.

6 Secundò, quia in rebus creatis, quæ à Deo præordinantur ac prædefiniuntur, præcipuum quiddam eſt creatura intelligens; & conſecutio ſupremæ beatitudinis, ac oppoſita ei damnatio; idcirco prædeſtinatio accipitur aliquando paulò ſtrictius pro æterna deſtinatione creaturæ intelligentis ad ſupernaturalem beatitudinem, & oppoſitam ei damnationem, & media ad vtrumque conducentia, quæ peccata non ſunt. In quem ſenſum S. Thomas hîc quæſt. 23. artic. 1. ad 2. ait: *Creaturæ irrationales, quia non ſunt capaces illius finis, qui facultatem humanæ naturæ excedit, non propriè dicuntur prædeſtinari; etſi aliquando abuſiuè prædeſtinatio nominetur reſpectu cuiuſcunque alterius finis.* Et B. Proſper ex S. Auguſtino ad Vincentium obiect. 11. ait: *Ad prædeſtinationem eius* (Dei) *nihil aliud referri poteſt, niſi quod aut ad debitum iuſtitiæ & retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem:* quanquam hoc etiam generatim ad omnia bona homini à Deo collata, quamuis ad ſolum creationis beneficium ſpectantia, referri poteſt: ſola enim ibidem peccata à diuina prædeſtinatione excluduntur. Clarius Eccleſia Lugdunenſis lib. aduerſus Ioannem Erigenam Scotum, aſſerentem duas prædeſtinationes non eſſe, Col. 1064. ait: *Prædeſtinationem autem & æterni conſilij, & iudicij Dei, ſiue in remuneratione iuſtorum, ſiue in damnatione iniquorum, & propter vnam ac ſimplicem ſcientiam diuinam, in qua ſimul atque æternaliter de omnibus præordinatum atque præfinitum eſt, vnam veraciter dicimus. Et propter duplicem eius efficientiam, qua alij miſericorditer liberantur, alij iuſtè damnantur, duas dicere non timemus: fideliter cum Pſalmiſta ipſi Iudici vniuerſorum dicentes, Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Et in alio libello de tenenda veritate ſcript. Col. 1221. *Vnam Dei prædeſtinationem tantum dicimus, quæ ad donum pertinet gratiæ, aut retributionem Iuſtitiæ.* Idem ſæpius inculcat in lib. de tribus epiſtolis. Sed & S. Auguſtinus Enchirid. ad Laurentium cap. 100. *Cum Angelica*, inquit, *& humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod Deus, ſed quod ipſa voluit feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt, quod Creator noluit, impleuit ipſe quod voluit, bene vtens & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinauit ad gratiam.* Rurſum Auguſtinus lib. 13. de ciuit. cap. 1. de æterna damnatione & pœna loquens ait: *Societatem malorum prædeſtinatam eſſe, æternum ſubire ſupplicium cum diabolo.* Et Anſelmus opuſc. de concord. præſcient. & prædeſtinat. cap. 2. *Prædeſtinatio*, inquit, *non ſolum bonorum eſt, ſed malorum poteſt dici* Loquitur autem de his, quæ hominem ad vitam æternam promouent, aut ab ea impediunt, in quantum entia ſunt, vt mox ibidem declarat. De qua re plura cit q. 19. dub. 6.

Tertiò accipitur prædeſtinatio paulò ſtrictius, 7
pro deſtinatione efficaci hominum vel Angelorum ad bonum aliquod ſupernaturale, ſeu quod idem eſt, pro deſtinatione alicuius boni ſupernaturalis in noſtram vtilitatem. Ita loquitur S. Paulus 1. Cor. 2. v. 7. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram.*

Quartò accipitur prædeſtinatio ſtrictiſſimè, & accommodatè ad hunc locum, pro deſtinatione efficaci creaturarum intelligentium ad ſalutem; qua nimirum fit, vt in æternum ſaluentur. Ita loquitur idem Apoſtolus Roman. 8. verſ. 29. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Atque hoc ſenſu etiam in præſenti materia, perpetuo quaſi loquendi vſu Scholaſticorum Doctorum, Prædeſtinationis vocabulum vſurpatur, pro æterna ſcilicet & efficaci ordinatione ſeu deſtinatione diuina intelligentium creaturarum, qua fit, vt æternam beatitudinem actu conſequantur. Quo ſenſu etiam ab ipſis abſolutè vocantur prædeſtinati, qui ex decreto Dei ſalutem æternam reipſa conſequuntur; alij verò qui eam reipſa non conſequuntur; quamuis fi-

deles

deles & iusti sint, vocantur reprobi, aut præsciti; nec Deus eos prædestinare hoc sensu dicitur, sed præscire aut reprobare, vt inferius suo loco patebit.

8 Notandum tertio, cum iuxta ea, quæ hactenus dicta sunt, dicatur Deus hominem, aut Angelum, prædestinare ad aliquid; ita vt omnis prædestinatio sit alicuius ad aliquid, ideo conceptu generali prædestinationis, præter Deum prædestinantem, duo comprehenduntur; videlicet primò obiectum quod prædestinatur; & est ipsa persona creata intelligens, quæ dicitur prædestinari; quare sæpe etiam vocatur subiectum cui; nam & aliquid alicui personæ prædestinari, sicut & destinari rectè dici potest, vt loquitur etiam Augustinus lib. de prædestinatione sanct. cap. 17. Secundò res, ad quam fit prædestinatio; qui vocari etiam solet terminus & effectus prædestinationis.

Et obiectum quidem prædestinationis, siue subiectum cui, ex dictis constat esse solam subsistantiam creatam intelligentem, seu angelicam, seu humanam; vt ex communi rectè docet S. Thomas 1. p. quæst 23. artic. 1. ad 2. & 3. & de veritate quæst. 6. artic. 1. Quamuis enim persona etiam diuina (puta Verbum seu filius Dei) dici possit aliquo modo prædestinata ad naturam alienam, iuxta cit. loc. 1. Corinth. 2. sicut & res quælibet ad suum finem, seu perfectionem; hic tamen loquendi modus & minus vsitatus est, & alienus à proposito. Loquimur enim de prædestinatione; quæ fit in ordine ad beatitudinem supernaturalem acquirendam; cuius sola subsistantia creata intelligens capax est, imò principaliter sola persona creata; quamuis etiam natura humana Christi, eo ipso quod ad vnionem cum Verbo prædestinata est, consequenter etiam prædestinata dici possit ad beatitudinem, vt rectè Suarez lib. 1. de prædestinat. cap. 4. numero 8. licet aliqui Thomistæ apud eundem vtrumque negent; Scotus verò in 3. distinct. 7. ad beatitudinem principaliter, ad vnionem verò hypostaticam nonnisi consequenter prædestinatam asserat; de quo alibi agendum est.

9 Notandum quartò. Quod ad terminum prædestinationis, de qua loquimur, attinet, non desunt quidem, qui prædestinationem velint esse præordinationem aut solius gloriæ, vt de Ockamo, Gabriele, Rubione, Osorio refert Vasquez disputat. 89. numero 10. & 58. aut solius gratiæ, vt cum Durando in 1 distinct 41. quæst. 1. sentiunt etiam Vasquez disput. 89. numero 59. & alij quidam recentiores, à Dionysio Carthusiano in 1. distinct. 41. quæst. 1. & Suarez hîc tractat. 2. lib. 1. cap. 5. numero 12. refutati: quibus tamen nonnihil fauet Augustinus lib. 1. de prædestinatione sanct. cap. 10. vbi ait: *Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò iam ipsa donatio.* Et infrà: *Prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.* Et lib de bono perseuerant. cap. 14. *Prædestinatio Sanctorum*, inquit, *nihil aliud est, quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* Addunt præterea aliqui, prædestinationem & electionem ex parte termini, hoc inter se differre, quod illa sit solius gratiæ præordinatio, hæc autem gloriæ. Ita Durandus & Vasquez locis citt. qui etiam pro eadem sententia citat S. Thomam hîc quæst. 23. art. 4. & 5.

Sed reuera hæc vocum distinctio, & tam adstricta prædestinationis notio, non solum aduersatur communi & recepto Theologorum loquendi modo, sed nec vllum habet in Scriptura, aut in sanctis Patribus fundamentum; qui sæpissimè electionis ad gratiam, non rarò etiam prædestinationis ad gloriam meminerunt. In his Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 9. *Ipsi sunt*, inquit, *illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit; ac per hoc nullus eorum è bono in malum mutatus, finit hanc vitam; quoniam* (per ipsam vtique prædestinationem) *sic est ordinatus, & ideo Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vbi ad ipsam etiam vitam æternam tanquam terminum refert prædestinationem. Et libro de prædestinatione Sanct. cap. 19. *Vocat nos electos in Christo & prædestinatos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Vbi tam electionem, quam prædestinationem refert ad huius vitæ sanctitatem, veluti terminum. Et ibidem cap. 17. *Electi sunt*, inquit, *ante mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus id quod prædestinauit, impleuit.* Vbi manifestè pro eodem sumit electionem & prædestinationem: alias enim non rectè diceret Deum elegisse prædestinatione. Sed & contra Pelagianos, gratiæ hostes, diligenter vbique S. Augustinus electionem ad gratiam inculcat. Vid. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. Eodem modo loquuntur alij sancti Patres; quibus accedit Scriptura Rom. 8. v. 29. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*: quod frustra vel ad solam gratiam, vel ad solam gloriam refertur.

10

Idem patet ex illa, quam S. Thomas in 1. distinct. 40 quæst. 1. art. 2. Magistralem prædestinationis definitionem vocat: *Est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Et Magister ipse in 1. distinct. 40. lit. A. ait, *prædestinationem de bonis salutaribus esse, & de hominibus saluandis.* Et infra lit. D. prædestinationem vocat, *& gratiæ præparationem, & diuinam electionem, qua elegit, quos voluit.* Et paulò post ait, effectum prædestinationis illam gratiam esse, *qua in præsenti iustificamur, atque ad rectè viuendum, & in bono perseuerandum adiuuamur, & illam qua in futuro beatificamur, &c.* Eodem modo S. Thomas hîc quæst. 23. artic. 1. ad 3. & quæst. 24 art. 2. & passim alibi prædestinationis ad vitam æternam meminit: vt plane firmum esse debeat, prædestinationem pro termino habere non solam gratiam, seu media ad gloriam, sed etiam ipsam gloriam; ita tamen vt pro ratione subiectæ materiæ, modo soli gloriæ, modo solis medijs, sæpe etiam vtrisque accommodetur. Quod pariter etiam de electione dicendum est, quæ tamen an & quo alio modo à prædestinatione differat, dubio tertio declarandum est.

11

Nec obstat, quod S. Augustinus & S. Thomas locis superius obiectis, vt & alij quandoque Patres, de prædestinatione loquentes, solius gratiæ aliquando meminerunt; id enim ideo factum est, quod vel iuxta Scripturam Roman. 6. ipsam etiam gloriam pro

gratia

gratia habuerunt, quia ex gratia ortum habet; vt suo loco declarabitur; vel quia inadæquatè de prædestinationis aut electionis termino locuti sunt; ita tamen, vt dum vnum exprimerent, alterum non excluderent, multò minus negarent. Plura de hac re quæst. seq. dub. 1.

12 Notandum quintò, ex his omnibus facilè colligi verum, absolutum, & adæquatum conceptum prædestinationis, huic loco accommodatum; nempe quod sit æterna Dei ordinatio, siue decretum, adeoque internus quidam actus mentis diuinæ, quo homines vel Angelos efficaciter destinat non solum ad gratiam, sed etiam ad gloriam reipsa consequendam.

Et fit quidem de hac prædestinatione diuina, seu potius de prædestinatis sæpe in Scriptura, & apud Ecclesiasticos Scriptores sub alijs nominibus mentio, vt sub nomine *præparandi*, vel *parandi*, *Possidete paratum vobis regnum*, Matth. 25. vers. 34. *Creati in Christo IESV, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, Ephes. 2. vers. 10. sub nomine *placiti* diuini. *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Matth. 11. vers. 26. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Luc. 12. vers. 32. Sub nomine *dilectionis* iuxta illud, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, Malach. 1. vers. 3. & Roman. 9. vers. 13. vt interpretatur S. Thomas hîc quæst. 23. artic. 3. argum. *Sed contra.* Item sub nomine *Electionis*, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. vers. 16. & cap. 22. vers. 14. *Propter Electos breuiabuntur dies.* Matth. 24. vers. 22. Marci 13. vers. 20. *Elegit nos in ipso.* Ephes. 1. vers. 4. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret.* Roman. 9. vers. 11. & alibi passim. Item sub nomine *propositi*, *Reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiæ Dei*, Roman. 4. vers. 5. *Qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Roman. 8. vers. 18. & alibi sæpius. Item sub nomine *præscientiæ*, *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Roman. 11. vers. 2. *Quos præscivit & prædestinauit.* Roman. 8. vers. 29. Sub nomine *præordinationis*, *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Act. 13. v. 48.

13 Sed quanquam vt dictum sub nomine Præparationis, Placiti, Dilectionis, Electionis, Propositi, Præscientiæ, Præordinationis, pro ratione subiectæ materiæ, diuinæ Prædestinationis ad gratiam & gloriam, nonnunquam in Scripturis fiat mentio, non tamen propterea hæc omnia inter se, aut cum prædestinatione hac, de qua loquimur, sunt synonyma aut æquipollentia; imò nec absolutè conuertibilia; quia Præscientia, ex vi vocis, & vsu Scripturæ, ac SS. Patrum, etiam peccatis conuenit, & reprobis, imo iam vsu Scholasticorum hi soli absolutè & sine addito vocantur præsciti, vt quæstione 6 dicetur. Dilectio quoque Electio, & Prædestinatio à S. Thoma hîc quæst. 23. artic. 3. apertè inter se distinguuntur, ita vt quamuis in ordine ad æternam beatitudinem reipsa consequendam, inter se conuertantur, non tamen sint synonyma aut æquipollentia. Siquidem & aliarum rerum multa inter se nomina conuertuntur, quæ tamen minimè sunt synonyma aut æquipollentia. De Deo enim conuertibiliter dicitur, quod sit omnipotens, quod omniscius, quod infinitus, quod Ens primum, quod Creator, quod Redemptor; de Christo, quod sit Dei filius, quod sit Virginis filius, quod sit Mariæ filius; de homine, quod sit rationalis, quod admiratiuus, quod risibilis; & tamen termini isti non sunt ideo synonymi inter se, aut æquialentes. Sed & paratus à Deo etiam dicitur ignis æternus diabolo; & placere Deo, ac diligi à Deo, quicquid ipse fecit; præordinare item omnia quæ facit: non tamen simpliciter prædestinare, eo sensu, quo hic de prædestinatione loquimur.

Solum vocabulum *Electus*, absolutè positum, 14
cum voce Prædestinatus, communi vsu Scripturæ, & Ecclesiasticorum Scriptorum, ac Doctorum Scholasticorum, ad conuertentiam dicitur; ita vt omnes & soli electi (qui nimirum simpliciter à Deo electi dicuntur) sint etiam prædestinati, & contra: attamen in cæteris vocibus, vt de prædestinatione aut prædestinatis intelligantur, aliquid ferè declarationis addendum est: esto interim decretum prædestinationis quasi per antonomasiam & excellentiam absolutè quandoque in Scripturis vocetur Bona voluntas Dei, Beneplacitum eius, Dilectio, Electio, & Propositum, vt notauit Suarez hîc lib. 1. de prædest. cap. 8. num. 1.

Et hæc satis de nomine Prædestinationis: de qua illud etiam cum Ecclesia Lugdunensi lib. aduersus Ioannem Scotum Erigenam initio Col. 1063. quasi fundamenti loco constituere libet: *Veritatem æterni iudicij & ordinationis Dei, quæ vocabulo Prædestinationis exprimitur, non esse requirendam à Philosophis, sed ab Apostolis & Prophetis Dei: nec in mundanæ doctrinæ quadruuijs, sed in vna & vera via, quæ dicit de semetipsa: Ego sum via, veritas, & vita. Ad quam nos Beatus Hieremias Propheta hortatur & inuitat, dicens: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.*

Ex quibus denique etiam facilè colligitur; quod 15
ad quæstionem An est, pertinet, & à S. Thoma hîc quæst. 23. artic. 1. ex instituto probatur, esse in Deo prædestinationem, vt ex Scripturis adductis patet. Ratio S. Thomæ est. Quia cum creaturæ intelligenti à Deo præfixus & præpositus sit finis supernaturalis æternæ beatitudinis & visionis Dei, ad quam ex viribus naturæ peruenire creatura non potest, necesse est, vt à Deo eò perducatur & quasi transmittatur; sicut sagitta à iaculante transmittitur ad scopum, ad quem viribus suæ naturæ peruenire non posset; id autem fieri non potest, nisi Deus, cum sit agens intellectuale, ab æterno habeat & concipiat in se rationem eiusmodi transmissionis; quæ est ipsa prædestinatio, vt dictum. Ergo, &c. Quæ ratio cum procedat ex aliquo principio fidei: siquidem per solam fidem cognoscimus, hominem ordinatum ad eiusmodi finem supernaturalem, vt etiam de visione Dei dictum; reddit conclusionem non quidem euidentem; sicut nec vlla ratione naturali euidenter probari potest; sed certam tamen ex fide: cum tamen simul ex Scriptura immediatè longe clarius innotescat, vt patebit.

DVBIVM II.

Quidnam essentialiter & formaliter sit Prædestinatio; actusne voluntatis an intellectus; & qualis.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 2. & 4.

1 COnstat quidem ex dubio præcedente, quantum ad quid nominis attinet, prædestinationis vocabulo in præsenti significari, æternum quoddam Dei decretum, siue præordinationem, seu qualem qualem actum internum mentis diuinæ, quo Deus creaturas intelligentes ab æterno destinat ad gratiam & gloriam consequendam: qua ratione etiam S. Thomas hic quæst. 23. artic. 2. ait, prædestinationem *non esse aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum*: sed quidnam essentialiter & formaliter sit ipsa prædestinatio, nondum constat; sed bifariam controuertitur: primò an formaliter & essentialiter sit actus voluntatis, an intellectus, vel vterque; secundò qualis sit actus intellectus; an is qui dici solet Imperium, an scientia visionis; an alius actus: quæ nos sequentibus assertionibus ita distinctè explicamus.

2 Assertio I Prædestinatio non solum supponit in mente diuina varios actus intellectus, ac voluntatis; sed aliquo modo etiam vtriusque, & intellectus & voluntatis actum complectitur ac inuoluit. Hæc assertio sumitur ex S. Thoma hic quæst. 23. art 4 & est certa & extra controuersiam. Probatur & declaratur. Nam vt colligitur ex ijs, quæ supra disp. 2. quæst. 8. & quæst. 10. de varijs actibus intellectus & voluntatis diuinæ diximus, septem actus diuinæ mentis ad præsens institutum, distingui possunt, qui omnes versantur circa creaturam intelligentem ad supernaturalem beatitudinem perducendam. Primus est scientia quædam speculatiua simplicis Intelligentiæ, de creatura intelligente secundum Esse possibile; & capacitate eius obedientiali, per quam perduci potest ad finem supernaturalem Secundus est actus seu affectus voluntatis simplicis cuiusdam complacentiæ, de eodem obiecto ab intellectu prægnito. Tertius est scientia conditionata seu media de ijs rebus, quas creaturæ intelligentes in ordine ad eundem finem supernaturalem operaturæ essent, si in ordine ad eundem finem, cum talibus vel talibus circumstantijs crearentur, aut his vel illis medijs ac modis præuenirentur & iuuarentur: sine qua quidem scientia non possunt tales creaturæ infallibiliter simul & liberè perduci ad beatitudinem, vt dictum supra disp 2. quæst. 8. dub. 5. & quæst. 10 dub. 8. & fusè persequitur hic Suarez lib. 1 de prædestinat. cap. 7. Ratio ibidem à nobis adducta breuiter est: quia cum prædestinatio diuina sit efficax & infallibilis causa eius effectus, prædestinati; necesse est vt in eius executione efficax & infallibile medium ad eundem effectum consequendum adhibeatur: at vero secluſa scientia conditionata futurorum efficax & infallibile medium esse nullum potest, quod non per se & natura sua infallibiliter ac physice, consensum hominis secum trahat sublata libertate vt ibid. pluribus diximus. Quartus est voluntas simplicis complacentiæ de ijsdem operationibus bonis, atque ad supernaturalem finem çonsequendum accommodatis, sub prædicta conditione futuris, & per scientiam conditionatam præuisis. Quintus est scientia practica de creaturis intelligentibus ad finem supernaturalem creandis, & perducendis ad eundem finem per certa media. Sextus est decretum efficax voluntatis non solum approbans tale iudicium, sed etiam rem ipsam, siue obiectum, à quo iudicium illud terminatur; ita vt voluntas efficaciter velit, ac decernat, idipsum suo tempore esse ac fieri, quod ita cognitum est.

Quæ quidem voluntas pro varietate & diuersitate obiectorum, rursum tres actus voluntatis ratione distinctos complectitur, videlicet intentionem finis, seu ipsius gloriæ, electionem mediorum, & vsum seu voluntatem executiuam, & quasi applicatiuam ipsius potentiæ executiuæ (quam supponimus etiam in Deo ratione distinctam esse ab intellectu & voluntate ex dictis disputatione præcedenti quæst. 11. dub. 2.) ad opus; etsi quidam dum potentiam executiuam in Deo, negant, ratione distinctam esse ab intellectu & voluntate, consequenter etiam negent eum actum voluntatis, qui vsus dicitur, in ipso à cæteris actibus ratione distinctum esse. Septimus actus est scientia visionis, quo Deus secundum rationem nostram, statim post quemlibet actum liberum & efficacem voluntatis, absolutè nouit obiectum illud, seu finem concernat, siue media, reipsa suo tempore futurum, quod per eundem illum liberum & efficacem actum voluntatis approbatum & decretum est, vt fiat. Quæ omnia bene etiam notauit Suarez hîc lib. 1. de prædestinat. cap. 14. & 16. Addunt nonnulli actum Imperij; in quo solo prędestinationem formaliter esse constitutam existimant: sed quem actum in Deo non omnes agnoscunt, vt dicemus.

Ex commemoratis autem, qui necessario admittendi sunt, septem actibus diuinæ mentis; certum 3
inprimis est, quatuor illos priores actus supponi quidem à diuina prædestinatione; quemadmodum etiam respectu cuiuslibet obiecti creati futuri, à scientia & voluntate diuina, quæ est causa rerum, supponi diximus superius disputatione 2. quæstione 8. dub. 9. & quæst. 10. dub. 5. at verò non minus etiam constat, in ijs, aut eorum aliquo prædestinationem formaliter non consistere: non solum quia prædestinatio libera est, actus autem illi in Deo sunt necessarij, ita vt nullum liberum decretum absolutum diuinæ voluntatis supponant vel includant; sed etiam quia ex vi illorum actuum præcisè nihil ad extra efficitur. Quo etiam sensu Doctores communiter absolutè docent, scientiam simplicis intelligentiæ (nimirum secundum se præcisè spectatam) supponi ad prædestinationem.

Nihilominus tamen prædestinationem necessariò ac essentialiter aliquo modo, siue in recto, siue in obliquo, comprehendere seu inuoluere & intellectus, & voluntatis actum, vti in secunda parte assertionis diximus, ex eo perspicuum est, quia prædestinatio diuina est actus quidam internus 4

diui-

diuinæ mentis hominem efficaciter ordinans & perducens ad æternam beatitudinem ex dub. præcedenti est ergo actus aliquis diuinæ mentis, qui sit efficax causa rerum; an verò causa earum necesse intellectus diuinus, siue scientia Dei, & ne voluntate, nec voluntas sine intellectu, ex dictis disputat. 2. quæst. 8. & 10. Ergo Prædestinatio necessario vtriusque & voluntatis & intellectus actum aliquo modo complectitur & inuoluit: siue in recto vtrumque, siue vnum solummodo in recto comprehendat, alterum verò in obliquo connotet; de quo inferius dictum, postquam prius explicauerimus, quinam sint actus illi intellectus aut voluntatis, in quorum vno vel vtroque Prædestinatio essentialiter consistit.

5 Assertio II. Prædestinatio non consistit in actu, quem vocant Imperij, quocunque demum modo hic actus explicetur. Ita docent Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 16. Molina hic quæst. 23. artic. 2. d. 2. & Vasquez disp. 81. num. 9. & disp. 87. num. 13. post Alensem, Durandum, & Marsilium inferius citandos: contra Capreolum in 1. d. 40. quæst. 1. art. 1. & 2. Caietanum hic q. 22. art. 1. & quæst. 23. articulo 1. qui tam Prouidentiam diuinam in genere, quam prædestinationem formaliter constitutam esse docent in actu Imperij, dilectionem seu electionem ad gloriam subsequente. Cui sententiæ non parum fauet Sanctus Thomas de Veritat. quæstion. 6. articulo primo, vbi dicit, *ad prædestinationem suppono dilectionem & electionem eius, qui prædestinatus est.* Et ad 4. ibidem ait, *Prædestinationem addere ad scientiam directionem vel ordinationem in finem.* Et hic quæstion. 23. articulo quarto, ait: *Prædestinatio est pars Prouidentiæ: Prouidentia autem siue ex Prudentia est, ratio in intellectu existens præceptiua ordinationis aliquorum in finem.* Et in 2. 2. quæst. 47. articulo octauo, & quæstion. 51. per totam, & quæstion. 57. articulo sexto, plura in hunc sensum de eodem actu Imperij differit. Eandem proinde sententiam communiter tradunt Thomistæ recentiores, & videtur etiam sequi Bellarminus lib. secundo, de grat. & lib. arbitr. capit. 10. Fundamentum præcipuum est: quia alij actus intellectus aut non sunt liberi, aut non sunt causa efficax rerum: prædestinatio autem actus liber est, & simul efficax causa rerum: vt fatentur omnes.

6 Sed verius est, Prædestinationem in eiusmodi actu Imperij non consistere, vt etiam de Prouidentia generatim quæstione præcedenti dictum. Quod priusquam probetur, aduertendum est ex 1. 2. eum actum Imperij ad præsens institutum tripliciter posse explicari; supponendo, vt cum Sancto Thoma communis habet sententia, actum illum esse intellectus. Primò vt is actus non sit vllum iudicium, nec vlla cognitio intellectus, sed solum insinuatio quædam seu intimatio facta aut ipsi voluntati diuinæ, aut potentiæ executiuæ de eligendis vel exequendis medijs, quibus electi infallibiliter perducantur ad beatitudinem. Et hoc modo ac sensu de Imperio loquuntur Thomistæ citati. Secundò ita explicari potest, vt sit iudicium aliquod intellectus diuini, mediorum electionem antecedens, quo ex varijs medijs occurrentibus, quibus homo perduci posset ad beatitudinem, vnum tantum, seu plura certa ac determinata media assumenda statuuntur, ac voluntati ita efficaciter intimantur, vel voluntas ad hæc ipsa & non alia eligenda prædeterminetur: cuiusmodi Imperij notionem habuit etiam nonnihil Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 17. artic. 5. & 6. Tertiò vt sit iudicium quoddam, seu quicunque demum actus intellectus, non solum dilectionem & electionem ad gloriam, sed etiam mediorum, quibus homo ad eam perducendus est, electionem subsequens, & talem mediorum iam ante delectorum executionem, mediante alio actu voluntatis, qui vsus dicitur, potentiæ executiuæ imperans. Quo modo de imperio, velut peculiari quodam actu humano loquitur Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 3. ad 1.

Iam verò Prædestinationem non esse actum Imperij primo modo explicatum, probatur. 7
Tum quia nullus datur actus intellectus possibilis, qui non sit cognitio, & vel prima, vel secunda, vel tertia operatio intellectus: quandoquidem obiectum eius adæquatum est verum, vt ex philosophia & Aristotele lib. primo de Interpret. cap. 1. suppono. Tum quia nulla est actus eiusmodi constituendi necessitas, aut ratio; quibus de causis verius est, eiusmodi actum Imperij nec in homine quidem habere locum, vt docui tomo 2. q. 3. dub. 5.

Secundò Prædestinationem etiam non esse actum Imperij, prout is dicit iudicium necessariò præuium electioni mediorum, hanc ad huiusmodi actum voluntatem efficaciter præmouens ac prædeterminans, ex eo probatur. Quia actus ille Imperij prædeterminans, vt dictum, voluntatem ad electionem, est etiam liberè voluntarius, aut non: si non, ergo tollitur libertas electionis subsequentis, ad quam voluntas antecedenter & intrinsecè prædeterminatur. Sed nihil liberè voluntarium esse dici potest. Tum quia hac ratione dici non potest, antecedere electionem, cum ex libera potius electione proficiscatur; quandoquidem non potest dici voluntarius, nisi per eum actum, quo voluntas voluerit vnum vel plura certa solummodo media sibi efficaciter ab intellectu intimari; quæ voluntas autem est, aut supponit electionem mediorum. Tum quia si est voluntarius antecedente voluntate, tunc ad eum rursum præcedet & prærequiretur alius actus imperij, & ad hunc rursum alius actus voluntatis, & sic dabitur processus in infinitum; de qua re plura in prima secundæ loco citato.

Tertiò, Prædestinationem non consistere in actu Imperij, subsequente tam intentionem finis, quam electionem mediorum, quibus perducendus est prædestinatus ad beatitudinem, & imperante solum potentiæ executiuæ mediante actu voluntatis, qui vsus dicitur, executionem mediorum electorum ad finem destinatum

natum consequendum, quomodocunque is actus explicetur; Probatur contra Thomistas ita sentientes, apud Vasquez hic disput. 87. cap. 2. Quia etsi non negauerim, hunc actum ratione ab alijs distinctum (vti tamen negat Vasquez disputat. 81. numero 9.) etiam in Deo locum habere, cum nullam imperfectionem inuoluat; & in eo etiam antea admiserimus vsum, qui est actus voluntatis, itidem ad executiuam potentiam mouendam ordinatus; non tamen in eo consistere vllo modo potest Prædestinatio. Quia Prædestinatio consistit in ordinatione efficaci hominis ad æternam beatitudinem per certa media reipsa consequendam; ex dictis dub. præced. at verò actus ille Imperij, de quo loquimur, eo ipso quod supponit in Deo & intentionem beatitudinis homini conferendæ, & electionem mediorum, quibus ad beatitudinem perducendus est, supponit vtique hominem iam antea ad æternam beatitudinem per certa media reipsa consequendam efficaciter ordinatum: Ergo Prædestinatio nullo modo, nec adæquatè, nec inadæquatè consistit in illo actu Imperij, quem diximus; sed hic actus Imperij potius consequenter se habet ad Prædestinationem, eamque secundum rationem supponit; non secus ac ipsa executio mediorum; quomodocunq; alioqui is actus explicetur. Omitto quod Vasquez in 1. 2. d. 49. c. 4. distinctum actum Imperij etiam in hominibus absolutè & vniuersim negat sed contra communem Aristotelis 6. Eth. capit. 10. & 12. & Sancti Thomæ citat. 1. 2. quæst. 17. art. 1. & 2. 2. q. 83. art. 1. de quo alibi. Ad fundamentum autem oppositæ sententiæ inferius patebit responsio.

9 Assertio III. Prædestinatio itidem nec adæquatè, nec inadæquatè consistit in scientia visionis, seu præscientiâ absolutâ mediorum & finis. Est contra Gregorium de Valentia hic q. 23. pun. 2. qui omisso illo Imperij actu, docet, Prædestinationē formaliter consistere in alio quodā actu intellectus, qui sit præscientia mediorum & finis, vt est practica & efficax respectu illorum, adiuncta diuina voluntate; siue qui sit actus præscientiæ ad scientiam visionis pertinens, quo Deus ab æterno nouit, Petrum v. g. per hæc vel illa media supernaturalia consecuturum beatitudinem. Supponit enim, quod iam superius docuerat, scientiā visionis esse causam rerū. Sed nos contrarium tanquam multò verius supponimus ex disp. 2. q. 8. dub. 10. Vndecunq; probatur assertio. Quia scientia visionis non est causa rerum; sed supponit sui obiectum aut existens, aut iam aliunde futurum: Ergo etiam in præsenti, iam ante præscientiam illam, supponitur Petrus à Deo efficaciter ordinatus ad beatitudinem per certa media consequendam, priusquā cognoscatur consecuturus beatitudinē: ac proinde Præscientia illa Prædestinationem iam antea factam supponit, & est ea secundum rationem planè posterior: Ergò impossibile est, vt Prædestinatio in illa essentialiter vllo modo sit constituta. Neque S. Thomas hic, licet à Gregorio de Valentia citatus, vspiam docuit contrarium.

10 Assertio IV. Prædestinatio essentialiter comprehendit tum iudicium practicum, siue scientiam approbationis tam de beatitudine homini reipsa conferenda, quam de mediis certis, quibus ad eam infallibiliter perducendus est; tum voluntatem, eundem hominem per hæc eadem media infallibiliter ac reipsa perducendi ad beatitudinem. Hæc assertio, abstrahendo à termino Prædestinationis, adeoque generatim accepta, videtur certa & fere extra controuersiam. Nemo enim negat Prædestinationem necessario & essentialiter aliquo modo (siue in recto, siue in obliquo) inuoluere vtrumque illum actum tum intellectus, tum voluntatis: solummodo est quæstio, quidnam sit scientia illa approbationis, seu iudicium practicum; & an tam voluntas seu præordinatio ipsius beatitudinis, quam destinatio mediorum ad Prædestinationem intrinsecè pertineat; de quo iam affirmatiuam sententiam supponimus ex dub. præced. Excipio tamen Thomistas recentiores, qui etsi negare non possint, ad Prædestinationem necessariò requiri iudicium eiusmodi practicum, seu scientiam approbationis, dicunt tamen Prædestinationem in ea essentialiter constitutam non esse, sed in actu Imperij, quod assertione secunda refutauimus.

Probatur assertio ex scriptura. Ephes. 1. v. 11. *Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. &c* Vbi ad explicandam prædestinationem, consilium intellectus diuini cum proposito voluntatis coniungitur. Ratio assertionis est. Quia Prædestinatio est actus mentis diuinæ, qui est causa hominem efficaciter perducens ad beatitudinem: sed omnis eiusmodi actus mentis diuinæ, qui est causa efficax rerum, necessario & essentialiter aliquo modo, siue in recto, siue in obliquo, inuoluit iudicium eiusmodi practicum de effectu subsecuturo; tum voluntatem, qua iudicium illud eiusque obiectum efficaciter approbetur; quoque adeo Deus absolutè velit, obiectum illud esse aut fieri, quandoquidem Deus est causa rerum per intellectum ac voluntatem suam, vt constat ex disputat. præcedent. quæstio. 8. dub. 10. & q. 10. dub. 4. Et confirmatur assertio; quia his duobus actibus positis, homo primùm est ordinatus efficaciter ad beatitudinem per certa media infallibiliter consequendam; vtroque autem, aut alterutro non posito, nondum est ita ad beatitudinem ordinatus: Ergo signum est, Prædestinationem vtrumque actum essentialiter aliquo modo inuoluere. 11

Assertio V. Prædestinatio essentialiter & in recto non est actus voluntatis, aut aliquid compositum ex actu voluntatis & intellectus, sed solum actus intellectus, siue practicum illud iudicium, & scientia approbationis, in obliquo connotans actum illum voluntatis; de quibus assert. præced. dictum. 12

Aduertendum, tametsi, vt antea dictū, omnes Doctores consentiant, Prædestinationem vtriusq; potentiæ actum aliquo modo inuoluere vel connotare, dissentiunt tamē in eo, an formaliter & in recto sit actus intellectus an voluntatis, an potius aliquid quasi conflatū ex vtroq;. Primò enim multi

sentiunt, formaliter & in recto esse actum voluntatis. Ita Bonauentura in 1.d. 40. art. 1. quæst. 2. Scotus quæst. 1. Ariminensis quæst. 1. art. 1. Aureolus d. 40. quæst. 1. art. 1. Eckius in Chrysopasso cent. 1. art. 1. num. 18. quos sequitur Vasquez hic disp. 87. cap. 3. qui pro eadem sententia citat, etiam Henricum, Ockamum, Almainum, & Angestum. Idem docet Ecclesia Lugdunensis lib. contra Scotum Erigenam pag. 1071. *In eo nobis placet*, inquit, *quia voluntatem Dei dixit Prædestinationem DEI. Quid est enim aliud prædestinatio DEI, quàm æterna & immutabilis voluntas Dei ad opera sua?* &c. Fauet etiam præter Damascenum quæst. præced. dub. 1. relatum S. Augustinus lib. 1. de prædestinat. sanct. cap. 10. vbi Prædestinationem definit *gratiæ præparationem*; quasi dicat, propositum Dei gratiam præparans. Fauet etiam scriptura, quando de Prædestinatione loquitur sub nomine Beneplaciti diuini; item dilectionis, electionis, & propositi diuini, vt dictum dub. 1.

13 Secundò verò nonnulli docent, Prædestinationem vtrumque actum intrinsecè & in recto includere. Ita videtur sentire Molina hic q. 23. art. 2. disput. 2. qui licet asserat, Prædestinationem præcipue significare actum intellectus, addit tamen, prædestinationem *vtrumque actum coniunctim significare*; adeoque actu intellectus coniunctum cum actu voluntatis, per quam completur. Et infra: *Qua ratione*, inquit, *à multis dicitur Prædestinatio significare actum intellectus, & innuere actum voluntatis. Quod non sic accipiendum est, quasi eum intrinsecè non includat, &c.* Quo spectant etiam illi, qui modo vnius potentiæ, modò alterius actum, nomine Prædestinationis potius ac magis principaliter significari censent. Ita nonnulli, quos refert ac fere sequitur Suarez lib. 1. de prædest. cap. 17. num. 12.

14 Sed in quæstione nominis magis probatur tertia sententia, in assertione explicata, quam tradunt imprimis Sanctus Thomas hic quæst. 23. a. 1. vbi ait, prædestinationem esse *rationem in DEO existentem, transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*. Et ibidem addit, *Prædestinationem, quantum ad obiecta, esse quandam partem prouidentiæ*. Eodem modo articulo 2. *Prædestinatio*, inquit, *est quædam pars prouidentiæ. Prouidentia autem non est in rebus prouisis, sed est quædam ratio in intellectu prouisoris.* Et addit: *Prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existens.* Et ibidem ad 3. ait: *Duplex est præparatio. Quædã patientis vt patiatur: & hæc præparatio est in præparatio. Quædam alia est agentis, vt agat, & hæc est in agente. Et talis præparatio est prædestinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur se præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis fiendi. Et sic DEVS ab æterno præparauit, prædestinando concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem.* Et rursus ibidem articulo 3. *Prædestinatio*, inquit, *est pars prouidentiæ. Prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem.* Et similia habet passim alibi, speciatim de Veritat. quæst. 6. articulo 1. Eundem sequitur Caietanus, & omnes Thomistæ recentiores hic articulo 1. & Gregorius de Valentia punct. 2. Idem docent Alensis 1. p. quæst. 28. memb. 1. art. 2. Richardus in 1. dist. 40. articulo 1. quæstion. 1. Durandus in 1. d. 41. q. 1. n. 9. Capreolus dist. 40. q. 1. a. 1. & 2.

Idem significat Scriptura Rom. 8. vers. 29. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit, &c.* Rom. 11. vers. 2. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit*, hoc est, prædestinauit, vt mox ex Sancto Augustino referemus. Act. 13. vers. 48. *Crediderunt, quotquot erant præordinati* (hoc est, prædestinati) *ad vitam æternam*. Ordinare enim rationis est.

Idem significant SS. Patres. Rectè ex S. Augustino lib. de bon. perseuer. cap. 18. Ecclesia Lugdunensis lib. aduersus Ioannem Erigenam Scotum, pag. 1066. auctor. Patrum ait: [Tamen aliquando ipsam Prædestinationem, quæ nunquam sine præscientia est, etiam nomine præscientiæ significari, idem Doctor Augustinus ita ostendit, dicens: Aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ; sicut ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Hic quod ait Præsciuit, non rectè intelligitur, nisi prædestinauit. Quod circumstantia ipsius lectionis ostendit. Loquebatur enim de reliquijs Iudæorum, quæ saluæ factæ sunt, pereuntibus cæteris, &c. Et mox infra inquit sanctus Augustinus: Quod quærebat Israël hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, cæteri verò excęcati sunt. In hac ergo electione, & in his reliquijs, quæ per electionem gratiæ saluæ factę sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præsciuit, &c. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus. Hoc est ergo prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: sed prædestinasse, est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus.

Et rursum Augustinus lib. de bono perseuerant. 16
c. 14. ait: *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quã Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur.*

Et B. Fulgentius lib. 1. ad Monim. in fin. ex S. Augustino: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia nõ potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus.* Ratio assertionis est. Quia Prædestinatio pars quędam est prouidentiæ, vt inferius dicetur: prouidere autem in recto est actus intellectus, cõnotans actum voluntatis, vt quæst. præced. dub. 1. diximus. Idem significat ipsum nomen prædestinationis, quod præordinationem significat, iuxta S. Thomam in cap. 8. Rom. lect. 6.

Nec obstat, quod aliquando Scriptura & SS. 17
Patres Prædestinationem quandoque exprimunt per actum voluntatis. Hoc enim non ideo fit, quod prædestinatio formaliter & in recto sit actus voluntatis; sed tùm quia eo quasi extrinsecè afficiente & denominante actum illum intellectus, in quo essentialiter & in recto consistit prædestinatio, hæc ipsa quodammodo consummatur, vt inferius patebit. Tum quia is ipse

actus voluntatis non est absque actu intellectus, qui in recto est ipsa prædestinatio. Tum quia denique saltem in effectu idem est electio voluntatis ad gloriam per certa media, cum prædestinatione seu præordinatione intellectus ad eundem terminum. Addit Molina loc. cit. non ipsam prædestinationem in scripturis vocari Electionem, & Dilectionem; sed prædestinatos vocari electos, dilectos, ipsisque adeo electionem & dilectionem tribui: ex quo tamen non sequitur, Prædestinationem esse dilectionem vel electionem.

18 Assertio VI. Practicum illud iudicium, siue scientia approbationis, quam dicimus esse prædestinationem, pertinet quidem ad scientiam simplicis intelligentiæ, velut quidam eius actus; sed non est tamen ipsa scientia simplicis intelligentiæ, secundum se nude spectata, etiam in quantum practica est; sed quatenus iam est à libero decreto voluntatis determinata & approbata: qua ratione etiam Prædestinatio ipsa in DEO simpliciter libera est. Ita sentiunt Alensis prima part. quæstio. 28. memb. 1. articulo 2. Durandus in 1. disp. 41. quæst. 1. Marsilius in 1. qu. 41. articulo. 1. qui expresse docent, Prouidentiam seu prædestinationem esse actum intellectus, qui præcedit voluntatem, & dictat seu proponit, quæ voluntas debet decernere, atque communiter iudicium appellatur, vt bene etiam notauit Vasquez disput. 87. capit. 2. Idem docent Molina & Suarez locis cit.

Ratio sumitur ex dictis supra disp. 2. quæst. 8. dub. 10. vbi docuimus, scientiam illam, quæ est causa rerum, non esse scientiam visionis, sed scientiam simplicis intelligentiæ practicam, non quidem secundum se nudè spectatam, sed prout à libero diuinæ voluntatis decreto est approbata; à quo etiam scientia approbationis dicitur. Cum ergo Prædestinatio diuina, talis DEI scientia sit, quæ est causa rerum, vt ex dictis liquet, necessariò spectat ad scientiam simplicis Intelligentiæ; nec tamen est ipsa scientia simplicis Intelligentiæ secundum se nudè spectata, etiam in quantum practica est; quia talis esse potest, etiamsi nunquam in actum secundum, siue ad opus deducatur, vt ibidem diximus; sed quatenus iam est à libero decreto diuinæ voluntatis determinata & approbata. Quo ipso etiam illa, non quidem secundum se præcisè spectata, sed ratione eiusmodi determinationis & denominationis, quam à libera Dei voluntate habet, & sine qua rationem prædestinationis minimè habet, rectè libera dicitur, vt ibidem explicauimus.

19 Qua ratione etiam tum scientia approbationis vniuersim, tum ipsa prædestinatio non antecedit liberum decretum voluntatis, sed hoc velut in obliquo connotans, & ab eo denominationem habens, vt formam extrinsecè denominantem supponit. Atque hoc sensu admitti potest, quod quidam Doctores subinde asserunt, scientiam necessariam, siue simplicis intelligentiæ, non esse prædestinationem, sed supponi à prædestinatione, vt videre est apud Suarez lib. 1. de prædestinat. capit. 6. numero 5. Reuera enim ratio prædestinationis ei ratione posterius, quam ipsa sit, aduenit, atque accedente primum libero illo Dei decreto supperadditur.

Assertio VII. Prædestinatio, præter scientiam illam approbationis, connotantem actum voluntatis, non requirit, quantum ad suam essentiam, plures alios actus subsequentes: esto hi ad quandam eius perfectionem, atque etiam executionem pertineant. Hanc assertionem constituo propter doctrinam quandam Suarij lib. 1. de prædestinatione capit. 17. num. 14. vbi ait: *Si prædestinatio ponatur in intellectu, tum eam collocandam esse in iudicio practico de medijs* (adde, etiam de fine ex dub. 1.) *per quæ homo electus à DEO ad gloriam perducendus est infallibiliter ad illam, vt approbato & acceptato per voluntatem, atque adeo vt includente etiam scientiam illam approbationis voluntatis: vt isto modo scientia illa approbationis non tantum denominationem ab actu voluntatis, sed etiam aliquid intellectus supperaddat vltra scientiam antecedentem ad illam voluntatem.* Quibus verbis indicat, ipsam quoque scientiam liberam liberæ approbationis seu voluntatis DEI, ad prædestinationem in obliquo spectantis, vt dictum, intrinsecè, essentialiter, & in recto ad prædestinationem spectare. Et ibidem num. 14. addit: *Si prædestinatio tribuatur voluntati, illam ponendam esse in tota præparatione gratiæ & gloriæ, quæ intelligitur in Deo, à primo decreto electionis ad gloriam, vsque ad omnem voluntatem mediorum, & vltimi effectus, quæ est ipsa gloria, vt executioni mandanda.* Vbi indicat voluntatem quoque illam Dei, qui vsus dicitur, & potentiã executiuam immediatè applicat ad executionẽ decretæ prædestinationis, pertinere ad essentiam prædestinationis, si hæc in voluntate constituatur. Ex quo adiungendo prius illud dictũ Suarez ex eius mente colligitur, ipsam quoque scientiam liberam eiusdem vsus, ad rationem prædestinationis pertinere.

Sed verius videtur id, quod in assertione dictum est, neque scientiam liberam voluntatis, vt ita dicam, prædestinantis, neque ipsius etiam vsus, ac proinde nec ipsum etiam vsum, ne in obliquo quidem spectare ad essentiam prædestinationis: sed scientiam quidem voluntatis decernentis homini gloriam & gratiam, spectare ad quandam prædestinationis perfectionem; vsum autem ipsum & scientiam vsus ad executionem. Ratio est. Quia homo iam intelligitur ad beatitudinem per certa media efficaciter consequendam ordinatus per ipsam scientiam illam approbationis, connotantem, vt diximus, liberam illam DEI voluntatem: scientia autem libera eiusdem voluntatis ratione posterior est ipsa illa voluntate à qua terminatur; quandoquidem omnis scientia visionis supponit obiectum, ad quod terminatur, vt dictum citat. disputat. 2. quæstio. 8. dub. 10. Quæ ratio multò magis procedit de actu illo voluntatis diuinæ; qui dicitur vsus, deque eiusdem scientia; vt ex tertia assertione colligitur.

Et confirmatur; quia neque scientia reflexa ipsius scientiæ approbationis, in qua consistit prædestinatio, seu quod idem est, ipsius prædestinationis, pertinet ad essentiam prædestinationis; neque in humanis etiam reflexa

cogniti-

cognitio actus prouidentiæ, seu decreti constituentis media ad aliquem finem consequendum, spectat ad essentiam prouidentiæ. Nihilominus tamen quia cuiusdam perfectionis est, reflexè etiam quasi cognoscere modum ac rationem suæ prouidentiæ, hinc etiam ad perfectionem quandam diuinæ prædestinationis pertinet reflexa illa cognitio voluntatis decernentis & prædefinientis hominem perducere ad beatitudinem per certa media. Qua ratione etiam omnis prouidentia, cum efficax est & perfecta, qualis in Deo esse non dubitatur, consequenter secum trahit actum voluntatis, qui vsus dicitur, & ad actualem executionem prouidentiæ pertinet.

23 Ex quibus denique etiam colligitur vera & essentialis definitio Prædestinationis; quaque ratione variæ eius; quæ à Doctoribus adferuntur, definitiones intelligi debeant. Prima est S. Augustini lib. 2. de bono perseuer. cap. 14. vbi eam definit. *Præscientiam & præparationem beneficiorum DEI, quibus certissimè liberentur, quicunque liberantur.* Vbi nomine præscientiæ non est intelligenda præscientia quasi speculatiua eorum, quæ futura sunt, sed scientia practica & approbationis; quæ est causa rerum; quæ ideo etiam rectè præscientia dicitur, quia non solum duratione, sed etiam causalitate præcedit terminum ita præscitum, tanquam eius quædam causa, vt ex dictis constat. Qua de causa etiam addidit Augustinus, *& præparatio*, nimirum explicationis causa, vt significaret, non esse otiosam scientiam, sed practicam & efficaciter præparantem siue ordinantem diuina illa beneficia: per quæ ex dictis dub. 1. intelligenda sunt non solum gratia, aliaque media ad beatitudinem procurandam à Deo destinata, vt seq. quæst. dicetur, sed etiam gloria; quia & illis homo liberatur à seruitute peccati, omnisque corruptionis, efficienter siue dispositiuè, istâ vero formaliter. Quod si Sanctus Augustinus per præscientiam intellexisset scientiam visionis, non debuisset eam præponere præparationi, sed postponere; quando ea scientia visionis præparationem Dei subsequitur ex dictis.

24 Secunda definitio est eiusdem Augustini lib. 1. de prædestinat. Sanct. cap. 10. Vbi prædestinationem breuiter definit, *Gratia præparationem.* Quo nomine intellexit Sanctus Augustinus internum actum mentis & Intelligentiæ diuinæ, gratiam rationali creaturæ ab æterno præparantem & destinantem. Per gratiam autem non solum intellexit Sanctus Augustinus gratiam huius vitæ, quæ sunt media ad gloriam, sed etiam ipsam gloriam, quæ iuxta phrasin scripturæ Rom. 6. vers. 23. gratia dicitur, quia fundatur in gratia & prouenit ex gratia, vt Sanctus Augustinus ipse declarat epist. 105. ad Sixtum: *Ipsa vita æterna*, inquit, *quæ vtique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur, neque ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Quibus nimirum, vt ait idem S. Augustinus in Enchirid. capit. 107. *cum vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur?*

Tertia definitio est illa, quam veluti communem refert & magistralem vocat Sanctus Thomas in 1. dist. 40. quæst. 1. art. 2. *Est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*; quæ ex præcedentis explicatione patet.

Quarta definitio est Sancti Thomæ hic quæst. 23. art. 1. esse *rationem in Deo existentem transmissiuam* (siue efficacis ordinationis & directionis) *creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Cum qua conuenit alia eiusdem planioribus paulò verbis explicata ibidem art. 2. Esse *rationem ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existentem.* Vbi per rationem ordinis non intellexit rationem obiectiuam ordinis, formaliter & realiter in rebus ipsis, obiectiuè autem solum in mente diuina existentem, vt contra Aureolum notauimus etiam quæst. præced. dub. 1. sed ipsam internam conceptionem, seu notitiam practicam ordinis, in Deo realiter & formaliter existentem, & efficaciter ac reipsa ordinantem aliquos ad salutem & vitam æternam consequendam per certa media. 26

Præter has definitiones classicorum & veterum Doctorum, recentiores etiam varij varias prædestinationis definitiones adferunt, pro ut nimirum variè de natura & essentia prædestinationis, seu actu in quo ipsa essentialiter consistit, sentiunt: quas non est operæ pretium adferre, vel sigillatim expendere. Nos ex dictis hoc dubio, iuxta nostram sententiam ita definimus: *Est notitia Dei practica creaturæ quasdam intelligentes efficaciter ordinans ad vitam æternam, per certa media consequendam.* Dicitur notitia Dei practica, quasi loco generis; differentiæ loco adduntur aliæ particulæ; nam cum dicitur ordinans significatur, non esse quamlibet notitiam practicam, sed eam quæ est causa rerum, & dicitur scientia approbationis, cuius actus in præsenti est ordinare; quod est proprium rationis. Additur efficaciter, vt significetur, eam non frustrari effectu seu termino designato, sed suum finem & terminum semper consequi, secus quam in prouidentia fieri nonnunquam diximus quæst. præcedent. Cæteris particulis explicatur obiectum, siue subiectum Cui, & terminus Prædestinationis; quæ omnia ex dictis liquent. Breuius etiam dici potest: *Actiua vel efficax ordinatio diuina aliquorum in vitam æternam per certa media consequendam.* Vbi diuina breuitatis causa dicitur, pro, in Deo realiter existens. Potest etiam dici: *Decretum efficax DEI de quibusdam ad æternam beatitudinem per certa media perducendi:* siquidem etiam decretum non solum actum voluntatis, sed etiam iudicium practicum intellectus significare potest. Quod si dicas, esse decretum efficax diuinæ voluntatis de quibusdam, &c. iam ex nostra sententia nõ erit vera & essentialis definitio, sed solũ descriptio ab adiuncto desumpta: qa Prædestinatio essentialiter & in recto non est actus voluntatis, sed intellectus ex dictis: quamuis & hæc quoad effectũ, & fere rem ipsam obiectiuè significatã, cũ præcedentibus coincidat. Eodem spectat illa quã Gregorius de Valentia quæst. 23. punct. 1. ponit, definitio: *Æternum propositum seu decretum DEI, quo Deus*

homines quosdam ordinat ac dirigit in beatitudinem supernaturalẽ per media supernaturalia ipsa consequendam. Putat enim ipse pun. 2. Propositum quoq; intellectus actum esse. Sed in qua re nil opus est diutius immorari.

27 Obijci potest. Si Prædestinatio est actus internus diuinæ mentis, vt hactenus explicatum est, ergo verè dici potest, Deus est Prædestinatio; quo modo verè dicimus, Deum esse sapientiam, suumque intellectum & voluntatem, ex disp. 2. quæst. 2. dub. 7. Id autem negat Ecclesia Lugdunensis lib. contra Ioannem Erigenam Scotum tom. 2. auct. SS. Patrum pag. 1068. cum ait: *Nec aliquis vnquam tam absurdè & importune contentiosus fuit, vt Deum omnia disponentem, diceret esse dispositionem; omnia gubernantem diceret esse gubernationem; omnia ordinantem diceret esse ordinationem. Putamus, quod nec omnia prædestinanda prædestinantem, quisquam dixerit esse prædestinationem. Cum hæc omnia, sicut iam diximus, id est dispositio, gubernatio, ordinatio, prædestinatio, magis ad operæ, vel ad operationem creatoris referenda intelligantur.* Respondeo concedendo sequelam, loquendo de rigore verborum præcisè; quia reuera prædestinatio per se solum dicit actum internum in Deo; nec aliquid per se ponit in creaturis, vt expresse etiam docet Sancti Thomas hic quæst. 23. artic. 2. in quo differt à gubernatione & dispositione apud eundem; neque Ecclesia Lugdunensis eum modum loquendi improbat, vt falsum, sed vt nouum, & quo Scotus ille ad quandam sui erroris defensionem abusus est, vt ibidem subiungitur.

DVBIVM III.

Qua ratione Prædestinatio se habeat ad Præscientiam, Dilectionẽ, Electionem, Prouidentiam; & an sit huius pars, & qualis.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. 2. 4.

1 POstquam dubio præcedente naturam Prædestinationis absolutè & secundum se considerauimus, sequitur, vt explicationem eius comparatè etiam, & cum respectu ad alia, cũ quibus non nullam habet affinitatem, instituamus; quando comparata hæc notitia ad distinctam ipsius prædestinationis cognitionem non parum confert. Sunt autem præter librum vitæ, de quo dub. seq. quatuor, cum quibus, ob affinitatem quandam & similitudinem naturæ, comparari potest prædestinatio; quæ ferè etiam attingit S. Thomas hic q. 23. a. 1. 2. & 4. nimirum Præscientia, Dilectio, Electio, Prouidentia, de quibus ordine quod nobis videtur, sequentibus assertionibus, exponim⁹.

2 Assertio I. Præscientia latius patet quàm Prædestinatio; & quamuis vno quodam sensu dici possit genus ad Prædestinationem; alio tamen sensu plane est extra essentiam Prædestinationis; siue vt quiddam præsuppositum ad Prædestinationem; siue etiam vt quiddam ea posterius. Sequitur ex dictis præcedente dubitatione, nec est de hac assertione vlla specialis controuersia. Probatur & declaratur ordine quoad singulas partes. Primum enim frequentissimè tradunt SS. Patres, quando de prædestinatione agunt: qui eandem etiam omnes causam assignant, quod præscientia sit etiam malorum, scilicet culpæ, prædestinatio verò bonorum tantum. S. Leo epist. 9. ad Petrum Antiochenum: *Credo*, inquit, *Deum prædestinasse solum bona; præscisse vero bona malaq;*: Anthor hypognostici lib. 6. *Non omne*, inquit, *quod præscit, Deus prædestinat. Mala enim tantum præscit, & non prædestinat. Bona verò & præscit, & prædestinat.* Similia habent Concilium Arausicanum II. can. 25. Concilium Valentinum sub Lothario, Prosper resp. ad obiect. 14. & 25. Gall. ex S. Augustino lib. 1. de prædest. cap. 10. Fulgentius lib. 1. ad Monimum sub fin. Nec dissentit Anselmus opusc. de concord. præscient. & prædestinat. capit. 2. vbi ait, *Prædestinatio non solum bonorum est, sed malorum potest dici.* Is enim seipsum explicat, loqui de malis, in quantum entia, seu actus positiui sunt, vt dictum disputat. 2. quæstio. 10. dub. 6. Quare etiam Ecclesia Lugdunensis lib. aduersus Ioannem Erigenam Scotum tomo 2. Auctor. Sanctorum Patrum pag. 1066. eiusdem Ioannis propositionem, Præscientiam & prædestinationem vnum idemque esse, damnat his verbis: *Nos autem, repudiato huius nouitatis errore, tenemus certissimam & firmissimam fidei regulam: & DEO adiuuante fideliter discernimus, aliquando dici præscientiam, qua omnino prædestinatio esse non possit.* Id quod ibidem pluribus persequitur & demonstrat.

Et ratio huius discriminis est manifesta. Quia 3
præscire generatim & absolutè solum dicit notitiam, non autem approbationem & causalitatem in cognoscente, respectu obiecti cogniti; prædestinatio autem, cum sit scientia practica & approbationis, respectu termini prædestinati, dicit & includit etiam approbationem & causalitatem eiusdem in prædestinante: DEVS autem peccata omnia ab æterno quidem nouit, adeoque præscit, sed non approbat, neque causat, vt dictum disput. 2. quæst. 8. & 10. cum de obiectis diuinæ scientiæ & voluntatis ageremus: quare etiam peccata ab eo non prædefiniri dictum dub. 6. q. 10.

Atque hæc ratio sufficienter ostendit, præscientiam latius patere, quam Prædestinationem, si præscientia accipiatur pro scientia visionis, quasi speculatiua, qua DEVS ab æterno nouit omnia, quæ futura essent. At verò si præscientia accipiatur pro scientia approbationis, qua Deus bona solum, non autem peccata scire dicitur; iuxta illud, *Nescio vos*, &c. quo modo etiam in definitione prædestinationis accipi diximus dub. præced. ratio illa non procedit; sed est tamen nihilominus alia eiusdem rei ratio: nimirum quod præscientia hoc modo accepta respicit omnem prorsus effectum Dei, qui non potest non esse bonus: Prædestinatio autem eum solum, qui propriè spectat & ordinatus est ad salutem electorum, vt dictum dub. 1. & fusius dicetur quæst. seq.

Secun-

4 Secundo vero Præscientiam aliquo sensu esse genus ad Prædestinationem, patet ex dictis. Potest enim accipi Præscientia pro æterna scientia approbationis; quæ est ad genus prædestinationem: & ita accipi ab Augustino in definitione Prædestinationis diximus dub. præced. in fin. Eodem modo accipi videtur ab Apostolo Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit & prædestinavit, &c.* Et rursum Roman. 11. v. 2. cum ait: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Accipitur enim hic præscientia non pro præscientia visionis; hæc enim etiam ad malos & reprobos pertinet: sed pro præscientia practica approbationis, vt pluribus dicetur quæst. 5. dub. 5.

Tertio. Præscientiam alio sensu esse extra essentiam Prædestinationis, &c. facilè probatur ex dictis dub. præced. Si enim accipiatur præscientia pro scientia conditionata futurorum, hæc planè præsupponitur ad prædestinationem; vt dictum ibidem assert. 1. In quem sensum etiam accipio, quod S. Thomas in 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. ait: *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum.* Si vero accipiatur pro scientia visionis absoluta, ea sequitur essentiam prædestinationis; neutro autem modo est de essentia prædestinationis, vt dictum ibidem assert. 3. & 7. Atque hæc de præscientia; ex quibus multa dicta Scripturæ & SS. Patrum explicari possunt, in quibus variè de præscientia ad Prædestinationem comparata loqui videntur.

5 Assertio II. Prædestinatio diuina secundum rationem nostram supponit tum Electionem, tum Dilectionem; Electio vero dilectionem. Est expressa assertio S. Thomæ hic q. 23. art. 4. vbi ait: *Dicendum, quod Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem; & electio dilectionem.* Idem tradunt Albertus, Vdalricus, Alensis, apud Dionysium in 1. dist. 41. q. 2. qui refert quidem etiam Altisiodorensem & Bonaventuram; sed non ad hoc propositum. Idem etiam docet Durandus in 1. d. 41. q. 1. saltem de Prædestinatione & Electione. Eandem assertionem tradunt omnes Thomistæ, & sequuntur plerique recentiores, speciatim Gregorius de Valentia hic q. 23. punct. 2. Suarez lib. 1. de prædestin. cap. 11. Neque respuit etiam eam doctrinam Vasquez; sed explicare conatur disp. 89. cap. 12. num. 111. Aureolus tamen in 1. d. 41. q. 1. art. 3. nescio qua ratione hunc ordinem potius constituendum censet, vt primum sit electio, deinde destinatio siue prædestinatio, denique dilectio: vbi simul male etiam sentit, hos actus solum dicere & denotare in Deo voluntatem signi, seu denominationem ab operatione externa transeunte præuisa; quod planè est falsum, vt in genere de attributis diuinis q. 2. & speciatim de scientia & voluntate Dei dictum quæst. 8. & 10. Sed nec Molina 1. p. q. 23. art. 2. disp. 2. & art. 4. disp. 1. memb. 2. & 8. eum ordinem à S. Thoma assignatum videtur agnoscere. Verum quia modus hic loquendi ab antiquis Scholasticis communiter receptus est, libenter eum equidem retineo. Neque dubium est, quin per electionem hoc loco S. Thomas, & veteres Scholastici, intellexerint electionem etiam ad gloriam; vt rectè etiam notarunt Gregorius de Valentia, & Suarez, & inferius ex verbis S. Thomæ patebit; licet obsistat Vasquez loc. cit.

De cætero vero, quo modo modus ille loquendi intelligendus sit, varij variè explicant; prout nimirum de ipsa prædestinationis essentia varie sentiunt. Et est hac in re duplex difficultas; prima, quomodo dilectio & electio respectu eiusdem obiecti & termini, tanquam duo distincti actus ponantur; cum potius videantur esse idem actus, sola habitudine & denominatione extrinseca à se inuicem differentes; vt etiam inter homines videre est. Vna enim & eadem amici dilectio in eo, qui sibi ex multis certum quendam amicum deligendum censuit, est etiam electio. Nam dilectio dicit relationem ad obiectum absolutè sumptum; electio vero dicit habitudinem ad idem comparatè spectatum; diligitur enim aliquid etiamsi solum sit; non autem eligitur, nisi vnum ex multis. 6

Ad hoc breuiter respondeo cum Suarez lib. 1. de prædest. cap. 11. n. 9. S. Thomam nunquam dicere, dilectionem & electionem esse plures actus in Deo; sed eas tamen ratione distingui, ad explicandas duas diuersas habitudines eiusdem actus ad obiectum. Ideo vero dilectio prior dicitur secundum rationem, quam electio, quia habitudo cuiuslibet actus ad obiectum secundum se absolute spectatum, est intrinseca & principalior in actu, magisque simplex, ac minus concreta, quam habitudo actus ad idem obiectum comparatè sumptum. Quia ergo dilectio respicit obiectum, siue subiectum cui, absolute, & secundum se; electio vero per comparationem ad alios, quibus dilectus anteponitur; ideirco prior ratione est dilectio, quam electio, etiam in ordine ad eundem terminum, puta gloriam, vt dicetur. Quæ explicatio sumitur etiam ex Alberto, & ipso S. Thoma loc. citato. Atque ita patet posterior pars assertionis. 7

Altera vero & maior difficultas est, quomodo Prædestinatio supponat secundum rationem tam electionem, quam dilectionem, vt in priore parte assertionis dictum. Nam si Prædestinatio est in voluntate, tum vel est illa ipsa electio ad gloriam saltem inadæquatè; aut certe iuxta eos, qui electionem ad gloriam posteriorem faciunt præparatione mediorum, erit posterior prædestinatione. In cuius proinde etiam rei explicatione mirificè se torquet Vasquez loc. cit. Secundum eos vero, qui prædestinationem in intellectu collocant, par videtur difficultas, nisi vel dicatur, Electionem esse de fine, prædestinationem solum de medijs, vt exposuit Durandus loc. cit. aut nisi hæc duo simul admittantur; primum est, Prædestinationem esse actum imperij, qui subsequitur electionem mediorum, quod nos dub. præced. reiecimus. Alterum est, Electionem ad gloriam, priorem esse prædestinatione non solum ipsius gloriæ, sed etiam mediorum. Hac enim ratione Caietanus & Thomistæ hic a. 2. communiter dictum illud S. Thomæ interpretantur, vt per electionem significetur absoluta electio ad gloriam; per prædestinationem actus Imperij, eandem electionem liberamq; voluntatis dilectionem erga electum supponens 8

quam etiam sententiam S. Thomæ hoc loco admodum conformem esse dubio præcedenti diximus.

9 Quod ex ipsius etiam verbis & ratione, quam assertioni subiungit, vlterius confirmatur citat. art. 4. cum ait: *Ratio est. Quia Prædestinatio est pars prouidentiæ. Prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem. Non præcipitur autem aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem. Ad quod pertinet dilectio & electio.* Quibus verbis palam est, S. Thomam per salutem dilectione & electione volitam tanquam finem intellexisse salutem æternam siue gloriam, quicquid reluctetur Vasquez loco citato. Et quia simul indicat, Electionem ad gloriam respectu Prædestinationis habere se per modum intentionis, non obscurè indicat, electionem ad gloriam secundum rationem priorem esse ordinatione mediorum ad eandem.

10 Sed his non obstantibus, breuiter dico, etiam iuxta nostram sententiam, qui Prædestinationem in actu Imperij constitutam non existimamus, rectè dici, eam secundum rationem esse posteriorem Electione. Quia Prædestinatio consistit in illa scientia approbationis, per quam DEVS aliquos efficaciter ordinat ad vitam æternam, per certa media consequendam: scientia autem illa approbationis talis est, & dicitur, per extrinsecam denominationem, ab actu voluntatis efficaciter ipsam, eiusque obiectum approbantis & volentis, vt dictum dubio præcedenti, qui actus voluntatis, cum in præsenti sit ipsa voluntas efficax conferendi gloriam, seu perducendi ad gloriam per certa media, nihil aliud est, quam ipsa dilectio & electio eiusdem ad gloriam. Quoniam igitur omnis denominatio extrinseca supponit formam denominantem, eademque proinde secundum rationem posterior est, rectè dicitur Prædestinatio supponere dilectionem & electionem ad gloriam; & vtraque secundum rationem posterior esse.

11 Obijcies. Scientia simplicis intelligentiæ, non est posterior, secundum rationem, libera Dei dilectione & electione: at vero Prædestinatio iuxta nostram sententiam ex dubio præcedenti spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ: Ergo non potest esse secundum rationem posterior electione & dilectione ad gloriam. Respondetur, maiorem esse veram, si loquamur de scientia simplicis intelligentiæ nudè secundum se spectata, falsam, si sermo sit de illa, prout accedente libera diuinæ voluntatis determinatione & approbatione, est & dicitur scientia approbationis; qua solum ratione formaliter est prædestinatio, vt dictum dubio præcedenti & pluribus explicatum disputat. præcedenti, quæstio. 10. dub. 4.

12 Ex quibus nunc satis probata & explicata manet assertio: cui bene consentiunt ea, quæ de eadem reducet Richardus in 1. d. 41. a. q. 2. vbi quærit, quomodo differant scientia, præscientia, prouidentia, prædestinatio, propositum, dispositio, & electio; & respondet: [Quamuis ista in Deo realiter sint idem, tamen differunt secundum rationem & connotata. Scientia enim Dei est certa cognitio omnium, præteritorum, præsentium, &c. Præscientia verò est respectu futurorum tantum; respectu tamen bonorum & malorum. Prouidentia est præscientia practica respectu futurorum, &c. bonorū principaliter, &c. & malorum propter bona, &c. Prædestinatio vero est prouidentia non respectu quorumcumque futurorum, sed respectu saluandorum in gloria; & Reprobatio est prouidentia respectu damnatorum interminabili pœna. Sic ergo vides, quod præstinatio est prouidentia, & prouidentia est præscientia, & præscientia est scientia, sed non conuertitur, &c. Prædestinatio autem & Reprobatio includunt propositum voluntatis diuinæ, &c. Propositum vero est actus volendi, tam respectu futurorum agendorum, quam permittendorum, &c. Electio vero super propositum addit discretionem electi à suo contrario, &c. Dispositio vero formaliter videtur dicere coniunctim propositum & cognitionem.] *Ita Richardus.*

Ex his vero colliguntur ista. 1. S. Thomam alioſque Scholasticos, quando dixerunt, quod prædestinatio præsupponat electionem, & electio dilectionem, locutos esse de electione & dilectione efficaci ad gloriam. 2. Prædestinationem proinde, Electionem, & Dilectionem ex parte obiecti siue subiecti Cui; vel etiam termini, seu obiecti quod, non differre; quandoquidem eidem personæ eadem bona destinant aut volunt. Sicut enim prædestinatio est ad gratiam & gloriam, ita etiam dilectio & electio; nec nisi respectu prædestinati; loquendo de finali dilectione, de qua hic est sermo. 3. Non ideo tamen esse idem aut eundem actum; sed prædestinationem esse actum ratione distinctum tam à dilectione, quam ab electione; cum Prædestinatio in recto tantum sit actus intellectus; licet in obliquo connotet necessario actum voluntatis, vt superius explicauimus: vterque autem ille (tam dilectio scilicet, quam electio) in recto sit actus voluntatis, præsupponens quidem actum intellectus, essentialiter tamen in suo concepta eundem non magis inuoluens, quam odium, desiderium, aut similes actus voluntatis, inuoluant actum intellectus. 4. Tantum abesse, vt hæc doctrina, quæ prædictam subordinationem inter Prædestinationem, & Electionem, siue Dilectionem statuit, faueat aut patrocinetur prædestinationi ad gloriam ex præuisis meritis, vt potius non sine difficultate cum ea possit conciliari, vt ex S. Thoma ac Thomistis dictum, & apud ipsum Vasquez loc. cit. videre est: nedum vt absolutū decretum dandi gloriam non præuisis meritis idcirco nouum, ac totidem auctoribus aduersarium sit, quotquot docuerunt, Deum prius secundū rationē aliquos dilexisse & 13 ?

elegisse

elegisse ad gloriam, quam prædestinasse, vt suo loco magis patebit.

14 Assertio III. Prædestinatio est quidem pars quædam Prouidentiæ, at non proprie subiectiua; sed potius integralis aut potentialis. Prima pars est communis Doctorum, contra Aureolum in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 3. existimantem, Prouidentiam esse in intellectu, prædestinationem in voluntate. Eandem assertionis partem sæpe tradit S. Thomas hic quæst. 23. præsertim art. 1. vbi ait: *Sic patet, quod prædestinatio, quantum ad obiecta, est quædam pars prouidentiæ.* Et art. 2. *Prædestinatio est quædam pars prouidentiæ.* Et artic. 4. *Prædestinatio est pars prouidentiæ.* Idem docet S. Thomas in 1. d. 40. quæst. 1. art. 2. & de verit. quæst. 6. art. 1. & alij Doctores citat. d. 40. Ratio patet. Quia sicut Prouidentia est ordinatio cuiuscunque rei in suum finem; ita etiam Prædestinatio ordinat creaturas quasdam intelligentes in finem supernaturalem.

15 Secundam partem tradunt Caietanus hic q. 23. a. 1. Suarez lib. 1. de prædest. c. 18. Vasquez disp. 87. c. 5. n. 24 significat etiam Gregorius de Valentia q. 23. punct. 1. & fauet S. Thomas tum hic locis cit. in quibus fere non nisi cum particula diminuente ait, prædestinationem esse aliquam partem prouidentiæ: tum in cit. 1. d. 40. vbi ait: *Prædestinationem esse quendam modum prouidentiæ; sed addere aliqua specialia super eam:* etsi contrarium doceant idem S. Thomas q. 6. de verit. a. 1. Durandus in 1. d. 40. quæst. 1. Capreolus quæst. vn. a. 1. Marsilius in 1. q. 41. a. 1. qui asserunt. Prædestinationem esse partem subiectiuam, & speciem prouidentiæ eo modo, quo species & genus in diuinis perfectionibus locum habere potest.

Et quamuis, vt rectè notat Vasquez, non multum referat, hoc vel illo modo loqui, probatur tamen assertio. Tum quia non solemus absolutè dicere esse plures prouidentias in Deo; sed potius vnam omnibus prouidentem; sicut est vna ars, vna sapientia in Deo, ex dictis quæst. 8. dub. 1. sicut etiam vna dicitur philosophia, complectens plures non species, sed partes quasi integrales eiusdem, vt Physicam, Mathematicam, &c. Tum quia Prædestinatio, licet in plerisque conueniat cum prouidentia, & vero nihil perfectionis sit in prouidentia, quod non etiam habeat Prædestinatio, nihilominus tamen vendicat sibi aliquid proprium, quod non solum est de ratione prouidentiæ in communi, hoc enim habet quælibet species respectu generis; sed quod Prouidentiæ ipsi nullo modo conuenit: quia prouidentia omnis supponit subiectum, cui prouidetur, nec vnquam dici potest, per prouidentiam prouideri existentiam subiecto, cui prouidetur, vt dictum quæst. præced. dub. 2. at vero Prædestinatio ad ipsam etiam subiecti seu personæ prædestinatæ existentiam terminatur, vt dicetur quæst. seq. Idem de prima præordinatione finis dicendum, ex dictis ibidem. Superaddit ergo Prædestinatio aliquid prouidentiæ, quod non tantum est extra rationem communem prouidentiæ; sed quod etiam rationi eius communi, quodammodo aduersatur, eamque in aliam rationem quasi specificam transfert: sicut ternarius addendo aliquid binario, scilicet vnitatem, transfert binarium in aliam speciem numeri.

Et ob priorem rationem vocatur prouidentia 16
pars quasi integralis ex parte obiecti; seu vt loquitur Caietanus, *pars obiectiua* prouidentiæ: ob posteriorem, vocari potest pars quasi eius potentialis: sicuti Iustitiæ pars potentialis est & à Theologis dicitur Religio, Pietas, Obseruantia, &c. nimirum quia etsi in plerisque cum ea conueniant magnamque proinde cum illis affinitatem habeant; ab eius tamen ratione essentiali nonnihil deficiunt. Ita etiam Prædestinatio à ratione prouidentiæ nonnihil digreditur, non quidem propriè deficiendo, sed potius eam vltra capacitatem & exigentiam eius perficiendo. Qua de causa etiam licet Prouidentia simpliciter & absolutè latius pateat, quam Prædestinatio, eamque excedat, quia nimirum est de omni subiecto siue obiecto Cui, de quo est prædestinatio, ac simul de alijs omnibus rebus creatis, de quibus prædestinatio non est: nihilominus tamen ex parte termini seu obiecti quod, vicissim etiam secundum quid à Prædestinatione exceditur: quia nimirum hæc ad ipsam etiam subiecti prædestinati existentiam fertur; quam tamen prouidentia supponit, vt dictum.

DVBIVM IV.

Quid & qualis sit liber vitæ, & quomodo ad Prædestinationem se habeat.

S. Thomas 1. p. q. 24. a. 3.

LIbrum vitæ, de quo sæpe in Scripturis fit mentio, aliquam cum Prædestinatione affinitatem habere, indubitatum est; imo nonnulli ita loquuntur, quasi idem sit, quod Prædestinatio; quare licet S. Thomas peculiari quæstione de hac re agat, nimirum quæst. 24. materiam de Prædestinatione subsequente; commode ea tamen velut appendix quædam & complementum huius quæstionis, in qua de natura & essentia prædestinationis agitur, pertractatur; quam proinde ex ipso S. Thoma sequentibus assertionibus ita breuiter explicamus. 1

Assertio I. Liber vitæ non est ipsa Prædestinatio diuina; sed memoria & cognitio illius, seu notitia, qua Deus firmiter retinet, & nouit, se aliquos ad vitam prædestinasse. Ita S. Thomas citat. quæstion. 24. artic. 1. in corp. & ad 4. & est communis Doctorum: etsi glossa in illud Psalmi sexagesimi octaui, *Deleantur de libro viuentium*, cum prædestinatione confudisse videatur, cum ait, *Liber iste est notitia Dei, qua prædestinauit ad vitam, quos præsciuit*, quæ verba tamen S. Thomas ad 4. pro se citat & intelligit. Ratio est, Quia etsi liber vitæ aliàs etiam in Scriptura significet ipsum librum Scripturæ sacræ, quia tradit modum ac rationem consequendi

vitam

vitam, vt notauit S. Thomas ibidem ad 1. iuxta illud Ecclesiastici 24. vers. 32. *Hæc omnia liber vitæ & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.* Vbi Glossa ait, *Id est, nouum & vetus testamentum*; improprositio tamen metaphoricè accipitur, pro Catalogo seu annotatione & designatione eorum, qui electi sunt ad vitam. Sicut enim inter homines fieri solet, vt illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro, vtpote milites vel Consiliarij, qui idcirco etiam dicebantur *Patres Conscripti*; ita etiam conscriptio seu annotatio, non externa & materialis, sed intelligibilis in ipsa diuina mente, eorum qui prædestinati siue electi sunt ad vitam, dicitur liber vitæ; supponens proinde in eadem diuina mente electionem seu prædestinationem iam factam: quoniam sicut liber, seu scriptura libri, est signum rerum in ea descriptarum; ita etiam tum vniuersim memoria alicuius rei, dicitur quasi quædam tabula, in qua res descripta continetur, iuxta illud Prouerb. 3. v. 1. *Ne obliuiscaris legis meæ; & præcepta mea cor tuum custodiat.* Et mox v. 3. *Describe illam in tabulis cordis tui*: tum speciatim diuina notitia est quoddam signum apud ipsum quidem Deum, non apud alios, eorum qui sunt electi & perducendi ad vitam æternam, iuxta illud 2. Tim. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus, qui sunt eius.* Et consentit Augustinus, lib. 20. de ciuit. cap. 15. vbi docet, librum vitæ esse *præscientiam* (nimirum speculatiuã) *Dei, quæ non potest falli.*

Addit S. Thomas eodem art. 1. ad 2. ex Augustino lib. 2. ciuit. cap. 14. nihilominus etiam vim illam diuinam, qua fiet, vt cuilibet in memoriam reducantur facta vitæ suæ, seu bona, seu mala, dici librum vitæ: *sicut etiam*, inquit S. Thomas, *liber militiæ dici potest, vel in quo scribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum.* Quo sensu Apocal. 20. v. 12. dicitur, *Alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.*

Quare autem non pari modo dicatur in scriptura liber mortis, in quo describantur reprobi, rationem reddit S. Thomas resp. ad 3. quia, inquit, *non est* (ordinariè scilicet) *consuetum, conscribi eos, qui repudiantur* (v. g. à militia;) *sed eos qui eliguntur; vnde Reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ.* Quanquam absolutè nihil obstat, quo minus etiam alter liber reproborum in Deo constituatur; cum inter homines etiam describi soleant, qui morte damnandi sunt, vt bene Vasquez hic quæst. 24. artic. 2. iuxta illud Ierem. 17. *Recedentes à te, in terra scribentur*; & Basilium in cap. 4. Isaiæ, in illa verba, *Erit quod relictum fuit*; & Gregorium Nazianzenum orat. 9. ad Iulianum, vbi ait: *Nisi forte de quodam viuentium, pereuntiumq; libro nihil vnquam audisti: illic omnes scribemur, vel vt rectius dicamus, iam inscripti sumus*: & fauet illud Dan. 7. v. 10. *Libri aperti sunt*; non vn⁹ sed plures.

Assertio II. Liber vitæ simpliciter & absolute dictus, non est respectu solius gratiæ, sed respectu gloriæ; seu quod idem est, non est conscriptio seu notitia eorum qui electi sunt solum ad gratiam, sed qui ad gloriam. Ita S. Thomas cit. q. 24. artic. 2. ex communi; & sumitur ex scriptura; quæ fere semper ita de libro vitæ loquitur, vt videre est Exodi 32. v. 32. psalmo. 39. v. 9. Daniel. 7. v. 10. Philipp. 4. v. 3. Apocal. 3. 6. 13. & 21. licet aliquando etiam referatur ad eos, qui iuxta præsentem solum iustitiam ordinati & deputati sunt ad vitam æternam, secundum illud psal. 68. v. 29. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Qui tamen non simpliciter, sed tantum secundum quid intelliguntur scripti in libro vitæ, vt bene exposuit S. Thomas ibidem. Ratio est. Quia sicut in humanis Electio & inscriptio fit ad aliquem finem, non ad ipsa per se media ordinata in eundem finem: *non enim miles eligitur aut conscribitur ad hoc, vt armetur, sed vt pugnet; hoc enim est proprium officium, ad quod militia ordinatur*: ita etiam in ordine supernaturali liber vitæ simpliciter & absolutè non dicitur, nisi respectu electorum ad ipsum finem supernaturalem, qui est gloria. Quare autem non etiam respectu ipsius vitæ diuinæ, aut vitæ naturalis hominum, detur liber vitæ, optimè rationem reddit S. Thomas eodem artic. 2. ad 1. & 2. quia cum vita illa vtriusque sit naturalis, ad eam propriè non datur electio; ac proinde nec liber vitæ, qui est electorum ad vitam conscriptio, vt dictum.

Assertio III. Absolutè & simpliciter conscripti in libro vitæ, ex eo nunquam delentur: secundum quid autem, & secundum præsentem duntaxat statum Iustitiæ, in libro vitæ conscripti, aliquando ex eo delentur. Ita S. Thomas ead. quæst. 24. artic. 3. ex communi. Et primum patet ex illo Apocal. 3. v. 5. *Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Secundum patet ex illo Exodi 32. v. 33. *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Et psal. 68 v. 29. *Deleantur de libro viuentium.*

Ratio vtriusque est. Quia liber vitæ absolutè & simpliciter est ordinatorum in vitam æternam secundum diuinam prædestinationem, quæ infallibilis est, & immutabilis, vt inferius dicetur; secundum quid autem, etiam ordinatorum ad vitam æternam secundum præsentem iustitiam; seu vt loquitur S. Thomas, eorum, *qui sunt habituri vitam æternam non in seipsa, sed in sua causa*; qui dicuntur deleri de libro vitæ, non secundum ipsam notitiam Dei; quasi hæc in Deo mutetur, & Deus aliquid desinat scire, quod antea sciebat; sed secundum ipsam rem scitam, & effectum gratiæ, qui amitti potest: quo fit, vt etiam Deus nouerit, aliquem prius ordinari in vitam æternam, & postea non ordinari, postquam à gratia excidit; vt rectè S. Thomas ibidem: quamuis citatum illum locum ex psalmo SS. Patres subinde etiam aliter explicent, nimirum vt vel intelligatur solum secundũ spem & opinionẽ humanã qua videbantur alijs, aut sibi, inscripti libro viuentiũ, cum tamẽ non essent; neq; aliud sit, deleri de hoc libro, quã innotescere, eos non fuisse inscriptos eidem; quomodo etiam alias nonnunqnam tunc in Scriptura aliquid fieri dicitur, quando innotescit. Ita Augustinus, Ruffinus, & Glossa ordinaria in eum locum: vel vt idem sit, *Deleantur*, quod,

Non

non scribantur, vel non sint scripti, vt pluribus Vasquez cit. quæst. 24. art. 3.

3 Illud vero Moysis Exod. 32. v. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, vel si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, inter alias explicationes, quas habet Vasquez loc. cit. meo iudicio optimè intelligitur per hyperbolem seu exaggerationem, vt indicat etiam Augustinus in Exod. quæst. 147. ad declarandam vim amoris erga populum; quo modo amantes, cum enixissimè rogare volunt, dicunt, Aut fac hoc, aut occide me, quia sine eo viuere non possum; probè gnari, id quod petitur, nunquam futurum. In quem sensum etiam locuta est Rachel Genes. 30. v. 1. *Da mihi liberos, alioqui moriar.*

Ad eundem modum accipi potest illud Apostoli Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipse Anathema esse à Christo, pro fratribus meis*: quanquam hoc cum S. Anselmo, Caietano, in eundem locum, & Bartholomæo Camerario in dial. cap. 6. rectius item explicet Vasquez, vt Paulus loquatur de tempore, quo adhuc erat in Iudaismo; quo serio plane ipse, zelo Iudaicæ legis, & amore fratrum, à Christo perpetuo separatus esse cupiebat, ratus, Christi doctrinam legi diuinæ contrariam esse.

QVÆSTIO III.

De termino seu obiecto Quod, & Effectibus Prædestinationis in specie.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 2. 4. 5. & 8.

ABsoluetur hæc quæstio tribus dubitationibus. I. An dona omnia & bona supernaturalia Prædestinati sint effectus Prædestinationis. II. An bona etiam quædam naturalia Prædestinati, qualia sunt eius existentia, vita, valetudo, vires, &c. sint effectus Prædestinationis eiusdem. III. An mala etiam qualibet eiusdem, tum pœna, tum culpa; aut saltem permissio culpæ, sint effectus Prædestinationis.

DVBIVM I.

An dona & bona omnia supernaturalia Prædestinati, sint effectus Prædestinationis.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 1. & 2.

1 EXplicata natura Prædestinationis, merito de eius effectibus prius agimus, quam de causis: tum quia tractatio de effectibus facilior est; tum quia cognitio causarum multum pendet ex notitia effectuum, eamque supponit. Et quod in rebus naturalibus accidit, vt ex cognitione effectuum rimemur causas earundem; id etiam in hac materia vsuuenit. Et tametsi S. Thomas nullam inquisitionem peculiarem de effectibus instituerit, sed sparsim solum & incidenter quædam de ijs attingat locis cit. quasi nimirum ij per se satis noti essent, ex natura prædestinationis; nihilominus tamen ob controuersias quasdam inter recentiores Theologos hac de re ortas, necessarium est, eam ex instituto persequi & explicare. Sermo est autem de effectibus Prædestinationis in genere causæ efficientis; non materialis, aut formalis, seu finalis; nisi quatenus internus actus diuinæ prædestinationis est ipse Deus, qui simul est & causa efficiens, & finalis omnium effectuum suorum.

2 Vocatur autem effectus prædestinationis, etiam terminus eiusdem, & obiectum Quod, vt distinguatur ab obiecto, vel subiecto Cui; quæ est persona ipsa, quæ prædestinatur; iuxtà ea, quæ diximus quæst. 1. dub. 1. & quæst. 2. dub. 1. Vbi tamen hoc discriminis est inter prædestinationem & prouidentiam; quod ipsa etiam existentia subiecti prædestinati potest esse obiectum Quod prædestinationis, & effectus; non autem prouidentiæ, vt dicetur dubio sequenti. Possunt autem omnes effectus Prædestinationis in tres ordines distribui, rerum supernaturalium videlicet, bonorum naturalium, & malorum; de quibus ordine singulis dubijs agere proposuimus.

3 Supponimus autem generatim primo, Prædestinationem plane habere aliquos effectus; seu quod idem est, esse causam efficientem quorundam effectuum, qui ex ea consequuntur: siue eos causet per physicam efficientiam, immediatè agendo ad extra; siue potius quasi per moralem & artificiosam, per modum scilicet dirigentis, aut impellentis potentiam executiuam, immediatè ad extra operantem; pro communi scilicet ratione causandi diuini intellectus & voluntatis, de qua egimus disputatione præcedenti, quæstione vndecima. Tradunt hoc fundamentum omnes Theologi in prim. d. quadragesima & quadragesima prima. & S. Thomas hic artic. 2. & est expressa doctrina S. Augustini, de Prædestin. sanct. cap. decimo, & de bono perseuerantiæ cap. 14. & sumitur ex Apostolo ad Romanos 8. versu 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus DEVM omnia*

coope-

cooperantur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & iustificavit, quos autem iustificavit, illos & glorificavit. Vbi effectus prædestinationis in ordine rerum supernaturalium ordine & distinctè referuntur. Et ratio est. Quia Prædestinatio consistit in scientia approbationis seu actibus intellectus, & voluntatis diuinæ, efficaciter aliquid fieri aut esse decernentibus, qui sunt causa rerum, vt dictum quæstione præced. dub. 2. & generatim supra disp. 2. quæst. 8. & 10.

4 Supponendum secundo, ad effectum Prædestinationis, generatim loquendo, plus non requiri, quam hæc quatuor. Primo vt sit effectus Dei; cum enim Prædestinatio sit actus Dei, nihil potest esse effectus Prædestinationis, nisi etiam sit effectus Dei. Id quod aperte etiam docent SS. Patres. Augustinus de prædestin. Sanct. capite 10. *Prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et Fulgentius libro secundo ad Monimum initio: *Prædestinatio nihil aliud est, nisi præparatio operum eius.*

Secundo, vt aliquo modo pertineat ad Prouidentiam Dei supernaturalem; bonum scilicet aliquod supernaturale Prædestinato cupientis aut procurantis, siue intendentis. Siquidem ipsa etiam Prædestinatio cum ad supernaturalem beatitudinem homini efficaciter procurandam tendat, ad supernaturalem vtique Prouidentiam Dei pertinet. Quam ideo etiam Augustinus lib. 1. de Prædest. Sanct. capite decimo, vocauit *gratiæ præparationem*; siue interim hæc gratia sit ex meritis Christi, siue non, de quo inferius quæstione sequenti agendum. Quanquam de facto ex veriori sententia, quam hic supponimus, omnis gratia est ex meritis Christi, si non vt Redemptoris, saltem vt Saluatoris in genere, vt dicetur quæstion. sequent. dub. 2. & 7. & docetur suo loco de Incarnat. & sæpius etiam significat Augustinus libro de prædestinat. sanct. & de bono perseuerant. & epistola 95. vbi ait: Hanc Apostolica doctrina gratiam hoc nomine appellat, qua saluamur & iustificamur, ex fide CHRISTI. Similia habentur in Concilio Milcuitano & Arausicano.

5 Tertio, vt ex particulari & efficaci intentione, perducendi hunc vel illum hominem ad gloriam, proficiscatur. Ex quo sequitur CHRISTI Incarnationem, Passionem, Sacramentorum institutionem, si hæc secundum se, & in genere spectentur, non esse effectus Prædestinationis, saltem particularis, huius, vel illius; sed potius generalis prouidentiæ supernaturalis; prouenientes ex antecedenti voluntate saluandi omnes, vt ex probabiliori rectè Suarez libro tertio de Prædestin. capite secundo numero octauo, & Vasquez disputatione 94. numero 37. licet aliter loquantur, Durandus in 3. dist. 11. quæstion. 3. Molina quæst. 23. artic. 5. d. 2. & Gregorius de Valentia hic quæst. 23. p. 4. §. 1. Secus est, si loquamur de quibusdam peculiaribus Christi operibus, ex speciali Christi intentione efficaciter huic vel illi applicatis; quia hæc applicatio supponebat electionem diuinam eiusdem prædestinati, vt rectè Suarez libro secundo capite 24. numero trigesimo secundo, & inferius magis patebit quæstione sequenti dubio secundo. Secus est etiam de applicatione efficaci generalium illorum remediorum, vt dicetur.

Quarto, vt vel sit ipsa actualis consecutio vitæ æternæ, vel cum effectu, aliquo modo conferat ad salutem æternam consequendam: si enim nihil conferat, Prædestinationis effectus non erit, quæ ideo tota & vnicè tendit, vt homo demique prædestinatus salutem reipsa consequatur, vt constat ex eius definitione: & quicquid extra hunc effectum, qui est actualis consecutio eius finis, operatur, id totum operatur in ordine ad eundem finem efficaciter prædestinato procurandum. 6

His positis, quod ad præsentem dubitationem attinet, in qua de rebus duntaxat supernaturalibus agitur, in quibus præcipue sunt, vocatio congrua, fides, iustificatio, perseuerantia & glorificatio, quinque sunt Doctorum sententiæ; omisso illo, iam dudum damnato, & alibi refutando, veterum Pelagianorum errore, qui vti peccatum originale, & gratiam Vocationis ac iustificationis penitus negarunt, ita nullam agnouerunt prædestinationem ad eiusmodi gratiam, sed solum ad gloriam; vt videre est apud Augustinum lib. 1. de prædest. sanct. c. 18. & lib. de gestis Pelagij cap. 35. & in Concilio Carthaginensi epist. Synodali ad Innocentium I. Prima sententia est Durandi in 1. d. 41. quæst. 1. num. 10. qui significat, solam dari ad finem supernaturalem, non autem ipsam assecutionem Beatitudinis, per se ac proprie esse effectum Prædestinationis: cum prædestinatio sit pars prouidentiæ, versantis tantum circa media. Idem tuentur quidem recentiores, & fauet nonnihil S. Thomas, hic quæst. 23. art. 4. cum ait, *Prædestinationem supponere dilectionem & electionem ad gloriam.* 1

Secunda sententia est Ockami in 1. d. 41. & Gabrielis dist. 40. art. 1. & dist. 41. art. 3. qui docent, Prædestinationis effectum, propriè esse solam assecutionem beatitudinis, non vero media; siue quod hæc communia sint etiam non prædestinatis; siue potius quod Prædestinatio sit solius gloriæ; media autem ad Electionem pertineant. Quo modo Gabriel cit. art. 1. ex Cameracensi Prædestinationem definit, *Propositum diuinum dandi vitam æternam.* 7

Tertia sententia est, Vocationem non esse effectum Prædestinationis, sed Prædestinationem incipere à Iustificatione permanente vsque ad mortem. Quam sententiam Vasquez disput. 93. num. 2. tribuit S. Bonauenturæ in 1. d. 41. art. 1. quæst. 1. Sed bene Suarez hic lib. 3. cap. 5. num. 3. negat, se hanc sententiam inuenisse apud Bonauenturam, vel alium auctorem, saltem expressè. Fauet tamen nonnihil Bonauentura, quatenus *gratificationem*, quam Prædestinationis effectum in hac vita constituit, asserit aliquo modo cadere sub meritum prædestinati.

Quarta

8 Quarta sententia est aliorum, qui distinguunt duplicem Prædestinationem, vnam ad gratiam, alteram ad gloriam; & huius proinde effectum volunt esse gloriam, illius gratiam. Ita Turrianus opusc. de elect. seu prædest.

Ab his omnibus differt quinta, & vera sententia, sequentibus assertionibus explicanda.

Assertio I. Prædestinationis effectus non est sola gratia, sed etiam gloria. Est contra primam sententiam, quæ non solum aduersatur cæteris omnibus Scholasticis antiquis in 1. d. 40. & 41. & expresse etiam S. Thomæ hic quæst. 23. art. 5. vbi gloriam inter effectus prædestinationis refert; sed etiam à recentioribus communiter reijcitur, vt videre est apud Gregorium de Valentia hic q. 23. punct. 3. Molinam hic quæst. 23. art. 2. disp. 3. & art. 5. disput. 1. memb. 6. Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 5. & lib. 3. à cap. 3. Bellarminum libro 2. de grat. cap. 15. Bannem hic quæst. 23. à 2. Zumel ibid. disp. vn. Vasquez disp. 91. cap. 4. & disp. 93. cap. 1. qui licet rectè notet, eam non tam rei; quam vocis quæstionem esse; & vero etiam alias Prædestinationem existimarit, immediatè solum ad gratiam terminari; nihilominus tamen rectè concedit, consecutionem quoque gloriæ, eius quendam effectum esse; non quod vt ipse putat, ad eam immediatè terminetur, sed quia ex immediato eius termino seu effectu, qui est gratia, sequitur: & addit, sententiam Durandi communi modo loquendi Scholasticorum & Patrum aduersari; omnesque cæteros Scholasticos vocare effectum Prædestinationis, ipsam gloriæ consecutionem.

9 Probatur assertio ex Scriptura. Nam de Prædestinatione ad gloriam, veluti effectum, loquitur Apostolus Rom. 9. v. 23. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit* (seu prædestinauit) *in gloriam.* Et rursum Roman. 8. v. 30. inter alios effectus Prædestinationis refert etiam gloriam: *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; & quos iustificauit, illos & glorificauit.* Consentiunt S. Augustinus relatus quæst. præced. dub. 1. B. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. Ecclesia Lugdunensis lib. aduersus Ioannem Erigenam Scotum sæpe, & passim alij SS. Patres. Ratio est. Tum quia ipsa etiam consecutio finis est effectus Prouidentiæ, sicubi hæc ex medijs prouisis re ipsa prouenit, vt quæst. 1. dub. 3. huius disputationis dictum. Tum quia negari non potest, ex præparatione seu prædestinatione gratiæ consequi adeptionem gloriæ: quod autem est causa causæ, est etiam causa causati, vt etiam hic quæst. 1. dub. 1. argumentati sumus. Deniq; ipsa etiam beatitudo habet rationem medij respectu vlterioris finis, qui est gloria Dei. Neque his aduersatur S. Thomas, cum ait, Prædestinationem *supponere electionem & dilectionem*; non enim ideo negat Prædestinationem etiam tendere ad gloriam; neque prædestinationem ab electione distinguit ex parte obiecti, sed actus, vt declarauimus quæstione præcedente dub. 3.

10 Assertio II. Prædestinationis effectus non est sola gloria, sed etiam gratia; adeoque non solus finis, sed etiam media. Hæc assertio, si de re ipsa loquamur, esse nimirum supernaturali Dei ordinatione & prouidentia gratiam homini in hac vita destinatam, tanquam necessarium medium ad salutem æternam consequendam, est de fide ex multis Scripturæ testimonijs, & Concilijs, præsertim ex Concilio Carthaginensi, Mileuitano, & Arausicano II. contra supradictam Pelagij hæresin, quam ex instituto multis libris egregie confutauit & conuicit S. Augustinus, speciatim de natura & gratia libro vno; de gratia Christi, & peccato originali, contra Pelagium & Cælestium, libris duobus; de nuptijs & concupiscentia libris duobus; contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium libris quatuor; contra Iulianum Pelagianum libris sex; de Prædestinatione & gratia libro vno, &c. Sed quia res hæc ad 1. 2. & materiam de gratia pertinet, non est hoc loco, ne materias ipsas confundamus, & ordinem tractandi peruertamus, fusius persequenda.

Si verò, quod ad præsens institutum propriè 11
pertinet, supposita existentia ac necessitate gratiæ, de modo potius loquendi, quam de re ipsa, sermo sit, an gratia sit etiam dicendus effectus prædestinationis, an potius alterius cuiusdam decreti seu ordinationis diuinæ, puta prouidentiæ, electionis, &c. assertio quidem supra dicta ad fidem non pertinet; sed est tamen nihilominus à Theologis tum antiquis, tum recentioribus communiter recepta; speciatim à S. Thoma hic quæst. 23. art. 2. ad 4. & ab alijs, quos pro præcedenti assertione commemoraui; adeo vt opposita sententia quoad modum loquendi falsa, & Scripturæ, ac SS. Patribus, speciatim Augustino, contraria merito pronuntietur; qui libris paulo antea citatis in eo totus est, vt Prædestinationem ad gratiam aduersus Pelagium asserat & defendat; ac propterea frequenter & expresè etiam in descriptione & appellatione Prædestinationis gratiæ meminit; quando & ipsam prædestinationem definit, *gratia præparationem* libro 1. de prædest. sanct. cap. 10. vel generatim *præscientiam beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*, libro 2. de bono perseuer. cap. 14. vt dictum supra quæstione præcedente dub. 3. sub fin. & quæst. 2. dub. 1. vbi plura Sancti Augustini testimonia retulimus. Cui etiam consentiunt Prosper epistola ad August. & Fulgentius lib. 1. ad Monimum.

Idem patet ex Scriptura, Ephes. 1. versu 5. *Qui* 12
prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. Et versu quarto. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati, &c.* Rom. 8. versu 29. *Quos præscijt & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui*: consistit autem hæc conformitas, tum in adoptione per gratiam; tum in acquisitione eiusdem hæreditatis ac felicitatis per gloriam. Et mox ibidem inter effectus prædestinationis numeratur etiam gratia. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit*, &c. Ratio est; tum quia Prædestinatio est pars quædam Prouidentiæ; cuius vel maximè est, prouidere de medijs ad finem, eaque procurare. Tum quia cum Præ-

destinatio sit decretum Dei efficax perducendi hominem ad gloriam, necessario etiam secum trahit executionem mediorum ad eandem; quæ proinde necessario effectus quidam prædestinationis sunt & dici debent; sicut efficax intentio aut destinatio finis semper necessario secum trahit executionem mediorum; nisi hæc ab intrinseco impediatur; quod in præsenti de Deo dici non potest. Accedit, quod Prædestinatio ex vsu loquendi, & spectando etiam proprium ipsius terminum, non est solius gloriæ, sed vel maximè etiam gratiæ, vt dictum supra quæstione 2. dub. 1. Ex quibus etiam patet responsio ad fundamentum oppositæ sententiæ.

13 Assertio III. Prædestinationis effectus non est sola gratia Iustificationis, sed etiam gratia præueniens & excitans; & vniuersim omnia auxilia gratiæ particularia, quibus vnusquisque prædestinatus beatitudinem consequitur: siue ea sint homini prædestinato intrinseca, adeoque veræ qualitates ipsi inhærentes; siue extrinseca; & rursum siue sint intrinsecè supernaturalia, siue extrinsecè tantum, ex fine, ad quem ex diuina voluntate efficaciter referuntur; vt sunt actiones moraliter bonæ, & opportunitates interdum extrinsecæ, ac temporales ad bene operandum, diuina benignitate efficaciter ordinatæ ad salutem hominis prædestinati. Ita contra tertiam sententiam superius relatam communiter Doctores in 1. dist. 40. & 41. & consentit S. Thomas hic q. 23. art. 5. & ex recentioribus Gregorius de Valentia, Molina, Bellarminus, Suarez, Barnes, Zumel, locis citatis asserit. 1. & fere Vasquez disp. 94. cap. 5. vbi docet, non solum vocationem & iustificationem cadere sub prædestinationem nostram, sed etiam signa externa, item prædicationes, & remotiones impedimentorum, quibus nostra vocatio præparata fuit; at vero orationes & merita iustorum, quibus impetrant gratiam alijs, negat pertinere ad effectus prædestinationis eius, cui gratiam impetrant: quod nec satis consequenter dici videtur, & S. Thomæ hic q. 23. a. 8. repugnat, & alijs argumentis refellitur, vt dicemus.

14 Probatur assertio ex Scriptura, Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit.* Vbi expressè inter effectus prædestinationis recensetur non solum Iustificatio, seu gratia iustificans; sed etiam vocatio, seu gratia vocans & excitans. Idem colligitur ex illo Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Et Matth. 24. v. 22. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Idem patet ex doctrina & definitionibus à S. Augustino de prædestinatione tractis, in quibus vniuersim de diuina gratia, & beneficijs diuinis loquitur. Optimè etiam Fulgentius libro primo ad Monimum cap. 8. & 19. *Omnia*, inquit, *& vocationis nostræ initia, & iustificationis augmenta, & glorificationis præmia, in prædestinatione semper Deus habuit.*

15 Ratio sumitur ex notatione siue suppositione secunda, initio præmissa, quia cum prædestinatio sit decretum seu ordinatio, qua per certa & à Deo destinata media homo perducitur ad beatitudinem, negari sanè non potest, omnia eiusmodi media, quibus hic finis obtinetur, ad Prædestinationis effectus pertinere; saltem quæ, vt dictum, vllo modo inter gratię diuinę dona recenseri possunt; qualia vtique sunt omnia auxilia gratiæ excitantis & præuenientis; etiamsi quædam extrinseca sint homini, vt bonorum sociorum consuetudo, prædicatio opportuna Verbi Dei, libri spiritualis opportuna prouisio, aut lectio, opportuna & salutaris administratio siue applicatio Sacramentorum; preces item piorum pro aliquo ad Deum effusæ, ostenti alicuius diuini, seu terrifici euentus salutaris & ad pietatem promouens conspectus, &c. vt suo loco de gratia fusius explicandum est.

Ex quibus etiam actus eiusmodi alteni & prædestinato extrinseci, sæpe vtrique, & huic prædestinato, & ipsi etiam operanti efficacia media salutis, adeoque effectus prædestinationis vtriusque personæ esse possunt, vt bene Suarez hic libro 3. de prædest. cap. 5. num. 17. & apertè Richardus in 1. d. 41. art. 2. quæst. 1. vbi ait: *Sub effectu prædestinationis comprehenditur omnis actus promouens prædestinatum ad salutem, siue sit actus proprius, siue alterius. Vnde oratio vnius, qui iuuat alium ad consequendam salutem, comprehenditur sub effectu prædestinationis illius.* Idem habet Heruæus in 1. d. 41. quæst. 1. art. 1. in fine. Idem docet S. Thomas hic q. 23. art. 8. vbi inter effectus prædestinationis numerat *Orationes* non solum proprias, sed etiam *aliorum*. Et ibidem ait, *prædestinationem iuuari* (nempe quoad effectum) *precibus Sanctorum.* Quod autem obijcit Vasquez loco citato hac ratione dicendum fore, etiam ipsius Christi merita esse effectum nostræ prædestinationis; iam superius dub. prim. satis dilutum est: quia merita Christi non proueniunt ex intentione particulari salutis huius vel illius, sed vniuersim salutis omnium: quare licet suo modo effectus dici possent in communi prædestinationis omnium, non tamè particularis prædestinationis huius aut illius de qua loquimur. 16

Neque vero recipienda est distinctio Gandauensis Quodlib. 4. quæst. 19. & Quodlib 8. quæst. 5. asserentis, actus quidem supernaturales, quoad influxum gratiæ, & ipsius Dei, esse effectum Prædestinationis; quoad cooperationem vero liberi arbitrij non esse. Quia vt rectè S. Thomas hic quæst. 23. art. 5. Suarez libro tertio cap. 5. numero quarto, & alij, ipsa etiam cooperatio nostra est à Deo per gratiam præuenientem, vt suo loco patebit. 17

In particulari autem quærere, an omnis gratia efficax, item an omnia opera etiam mortificata, omnisque gratia sanctificans, etiam semel amissa, sint effectus prædestinationis, id ex eo fere pendet, An & quomodo opera bona mortificata reuiuiscant, de qua re non est hoc loco, sed in materia de pœnitentia disputandi locus. Satis est in proposito, hæc duo scire. Primum est, dari in prædestinatis omnibus adultis peculiarem quandam gratiam Vocationis efficacem, prædestinatorum propriam, quæ respectum habet ad finalem perseuerantiam ipsius prædestinati: de qua Augustinus libro de prædest. sanct. capite decimo sexto. *Non illa vocati sunt, de qua dictum est,* 21

Multi vocati: sed qui vocantur electi. Quam etiam ibidem ait ab Apostolo Rom. 8. vocari; vocationem *secundum Dei propositum*, deque ea multis disputat libro primo ad Simplic. quæst. 5. dub. 1. Alterum est, omnia auxilia gratiæ, omniaque opera bona hominis prædestinati, quæ ipsi efficaciter conducunt & conferunt ad salutem æternam re ipsa consequendam, effectus prædestinationis esse, vt in conclusione diximus: si quæ vero ad eum finem nullo modo conducunt, non esse effectus prædestinationis, sed communis prouidentiæ. Interim quoad opera mortificata attinet, suppositis ijs, quæ in materia de pœnitentia docui, & defendi disputat de eadem thesi 76: dicendum plane est, ea esse effectus prædestinationis: quia, vt ibidem dixi, omnia opera mortificata per pœnitentiam reuiuiscunt, adeoque efficaciter conducunt ad beatitudinem prædestinati; quanquam etiam absque eo, alia ratione conducere possunt, scilicet per modum bonæ dispositionis, habilitantis ad bene operandum alia per modum exempli, aut occasionis adducentis alios, aut ipsum prædestinatum, ad alia opera salutaria peragenda, &c. vt rectè Suarez loco citato.

18

Assertio IV. Distinctio duplicis Prædestinationis, quarum vna sit ad gratiam, altera ad gloriam, neque necessaria est, neque admodum consona Augustino & SS. Patribus; certè Scholasticis antiquis incognita. Ita Suarez hic libro de prædest. cap. 5. numero 14. etsi Vasquez disp. 91. num. 16. probabilem, & nonnullum etiam fundamentum in Augustino habere censeat. Probatur & declaratur. Primo enim absque ea distinctione sufficienter intelligi & explicari possunt omnia, quæ de Prædestinatione aut Scriptura sacra, aut Concilia, Sanctique Patres docuerunt. Plus enim hi non docent, quam Deum prædestinare homines tum ad gratiam, tum ad gloriam, & vero ex parte causæ & modi prædestinandi, aliam esse rationem prædestinationis ad gloriam, quam ad gratiam, vt sequenti quæstione patebit: subinde etiam prædestinationis ad gloriam expresè meminerunt, non ad gratiam; vel etiã è contra: sed hinc plus nõ efficitur, quam prædestinationem habere plures terminos inadæquatos & subordinatos; neque omnium terminorum eandem esse rationem; neque etiam Sanctos Patres adæquatè semper Prædestinationem accepisse, in ordine ad omnes suos terminos, seu effectus: at verò duplicem ideo Prædestinationem modo explicato constituendam esse, non magis conuincitur, quam si quis profectionem seu viam duplicem distinguat à duobus terminis, quorum vnus sit vltimatus & mediatus, alter proximus & immediatus. Quare etiam neque apud SS. Patres, neque apud veteres Scholasticos duplicis eiusmodi Prædestinationis distinctio, neque duæ prædestinationes à prædictis terminis desumptæ, vspiam leguntur. Sola, quod sciam, Ecclesia Lugdunensis in libro aduersus Ioannem Erigenam Scotum tomo secundo auct. Patrum duas Prædestinationes, seu duplicem prædestinationem admittit; at non eo sensu, quem hic impugnamus, sed longe diuerso, desumptum nimirum à terminis plane contrarijs, & inter se minimè subordinatis, salutis æternæ, & damnationis seu supplicij æterni, vt dictum supra quæst. 2. dub. 1.

19

Et ratio assertionis est. Quia, vt superius dictum, tendentia, seu transmissio ad aliquem terminum, non multiplicatur penes terminos subordinatos, sed disparatos tantum, vel oppositos; quia si subordinati sint, iam vnus est propter alium, adeoque in ordine ad tendentiam aut viam, vnum adæquatum cum altero terminum constituit; ex quò proinde vna, non duplex tendentia aut transmissio constituitur. At verò gratia, & gloria, respectu prædestinationis eiusdem hominis, vti in proposito loquimur, & intelligunt etiam aduersarij auctores, cum sit quasi transmissio quædam ad finem supernaturalē, ex dictis q. 2. d. 2. sunt duo termini inter se necessario subordinati, quorum vnus habet se per modum viæ, seu medij respectu alterius: Ergo penes eiusmodi terminos non est distinguenda duplex Prædestinatio, sed vna adæquata, quæ pro adæquato termino habeat & gratiam, & gloriam. Et confirmatur. Quia sola destinatio ad gratiam, si sit absque destinatione ad gloriam, non est prædestinatio simpliciter dicta: alioquí reprobi dici possent prædestinati: Ergo frustra & aliene à consueto modo loquendi Doctorum constituitur, prædestinatio ad gratiam, distincta à prædestinatione ad gloriam. Consequentia probatur. Quia quando aliqua res duplex, velut à duabus speciebus vnum genus diuidentibus dicitur, tum vtrique per se ac seorsim, atque etiam quando est diuisa & seiuncta ab altera, debet conuenire nomen generis: quod in proposito minimè accidit, vt dictum.

DVBIVM II.

An bona etiam naturalia Prædestinati, qualia sunt, eius existentia, vita, valetudo, vires, complexio, &c. sint effectus Prædestinationis eiusdem.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. 4. 5. & 8.

1

BOna eiusmodi naturalia omnia ad duas classes reuocari possunt; vt prima sit eorum bonorum, quæ aduenium primum Prædestinato, iam secundum Esse naturale producto; altera sit existentiæ naturalis eiusdem; cum adiunctis & congenitis potentijs & proprietatibus, seu propensionibus naturalibus, ipsaq; adeo etiam complexione eiusdem, &c. Quo spectant etiam illa, quæ ipsam productionem eius extrinsecè circumstant, vt sunt tempus, locus nativitatis, adeoque parentes & patria; & præcipue qua boni, fideles, &c.

Assertio I. Omnia bona naturalia prædesti-

Digitized by Google

nati extrinsecà & aduentitia, siue prædestinato iam secundum Esse suum naturale producto aduenian, siue eius natiuitatem vel productionem extrinsecè circumstent, quæ Prædestinato efficaciter prosunt & conferunt ad æternæ salutis consecutionem, effectus sunt prædestinationis. Hanc existimo esse communem sententiam Doctorum, quos dub. præcedent. pro assert. 1. citaui, & sumitur ex Sancto Thoma super illa verba ad Rom. 8. *Diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum.* Et hic quæstio. 23. articulo 8. vbi ait: *Sub ordine prædestinationis cadit, quicquid hominem promouet ad salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid huiusmodi, siue quibus aliquis salutem non consequitur.* Idem expresse & à fortiori docent Molina & Suarez pro sequenti assertione citandi. Ratio est. Quia prædestinatio est, aut saltem continet perfectam prouidentiam & ordinationem, seu dispositionem omnium mediorum, quibus aliquis reipsa & efficaciter consequitur vitam æternam: talia autem media sunt hæc, de quibus loquimur. Ergo, &c.

2 Assertio II. Probabilius videtur, ipsam quoque existentiam seu productionem prædestinati secundum Esse suum naturale, vnà cum omnibus adiunctis & congenitis potentijs naturalibus, ac temperamento & complexione naturali, quatenus hæc illi efficaciter conducunt ad salutem æternam, esse effectum prædestinationis. Ita sentire videtur Herueus in 1. d. 40. q. 1. artic. 2. in fin. vbi ait, ipsum etiam *liberum arbitrium, prout natum est tendere in bonum, cadere sub effectu prædestinationis.* Idem expresse docet Suarez lib. 3. de prædest. capit. 7. numero 5. & lib. 1. capit. 18. num. 13. & significat Molina hic quæst. 23. art. 2. disp. 3. vbi ait: *Omnia vniuersim nomine effectuum prædestinationis comprehendi, quæ ad vitam æternam, incrementumue illius, aliquo modo conferunt; de quorum numero sunt, complexio ad probitatem apta, bona educatio, aliorum orationes &c.* etsi contrarium sentiat Vasquez hic disp. 93. c. 4. numero 27. vbi dicit, ipsum Esse naturale hominis, vnà cum adiunctis potentijs naturalibus, naturalem quoq; hominis constitutionem & temperamentum, nullo modo spectare inter effectus prædestinationis: eò quod donum creationis distinctum est à dono prædestinationis. Addi potest, quod prouidentia supponit existentiam subiecti, cui prouidet: est autem prædestinatio pars quædam prouidentiæ.

3 Sed nihilominus assertio posita videtur probabilior; etsi ad modum loquendi hæc controuersia potius, quam ad rem ipsam pertineat. Probatur primum ex scriptura, Sapient. 8. v. 19. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Vbi Sapiens, ex peculiari DEI munere, ad sapientiam diuinam opportunius conquirendam, obtigisse sibi ait peculiares quasdam naturæ dotes; quæ si eidem ad æternam salutem contulerunt, quidni ex prædestinationis munere ei obtigerunt? Huc spectat illud Isai. 43. v. 7. *Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Vbi significatur, ipsam quoque creationem & productionem hominis, ex efficaci intentione beatitudinis eidem conferenda profectam esse. Secundo probatur authoritate Sancti Thomæ, & eorum, quos ille in eandem sententiam citat. Etenim hac quæst. 23. articulo 2. in quo quæritur, *An prædestinatio aliquid ponat in prædestinato*, cum obiecisset sibi S. Thomas obiectione secunda his verbis: *Origenes dicit super illud Rom. 1. Qui prædestinatus est &c.* (seu qui factus est ei secundum carnem) *Prædestinatio eius est, qui non est, sed destinatio eius est, qui est. Et Augustinus dicit in lib. de prædest. sanct.* (vbi tamen hoc non inuenitur) [Quid est prædestinatio, nisi destinatio alicuius existentis? Ergo prædestinatio non est, nisi alicuius existentis; & ita ponit aliquid in prædestinato:] Respondet S. Thomas ibidē ad 2: [destinatio aliquando sumitur pro reali missione alicuius ad aliquem terminum; & sic destinatio non est, nisi eius quod est. Alio modo sumitur destinatio pro missione, quam aliquis mente concipit; secundum quod dicimur destinare, quod mente firmiter proponimus. &c. Et sic destinatio potest esse eius, quod non est. Tamen prædestinatio ratione antecessionis, quam importat, potest esse eius, quod non est, qualitercunque eius destinatio sumatur.] Vbi plane videtur sentire, prædestinationem passiuè etiam eius esse personæ (de hac enim loquebatur obiectio) quæ vt sic in mente diuina Dei prædestinantis non supponitur existere: sicut cum aliquid animo destinamus facere, quod nondum existit, nec in mente proponentis supponitur existere; sed quod ex vi primum propositi nostri existentiam capiet.

Deinde ibidem art. 4. argum. 2. cum obiectum 4
fuisset his verbis: [Electio est eorum, quæ sunt; sed prædestinatio ab æterno, est etiam eorum, quæ non sunt: Ergo prædestinantur aliqui absque electione:] Respondet ipse: [Quando voluntas eligentis prouocatur ad eligendum à bono in se præexistente, tunc oportet, quod electio sit eorum, quæ sunt, sicut accidit in electione nostra. Sed in Deo est aliter, vt dictum est. Et ideo sicut dicit Augustinus (*serm. 11. de verbis Apost.*) Eliguntur à Deo, qui non sunt, neque tamen errat qui eligit.] Vbi rursum de personis prædestinatis sermo est; quæ proinde dum prædestinantur in diuina mente, non supponuntur existere.

Rursum eadem quæst. 23. a. 8. argum. *Sed contra*, ait S. Thomas: [Dicitur Genes. 25. quod Isaac rogauit Deum pro Rebecca vxore sua, & dedit conceptum Rebeccæ. Ex illo autem conceptu natus est Iacob, qui prædestinatus fuit. Non autem fuisset impleta prædestinatio, si natus non fuisset; Ergo prædestinatio iuuatur precibus Sanctorum.] Quibus verbis indicat, Isaaci preces cōtuliſſe ad prædestinationem Iacobi, ex parte effectus eiusdem, qui in præsenti aliis non erat, quam natiuitas seu conceptio eiusdem Iacobi: sentit ergo, conceptionem Iacobi fuisse effectum prædestinationis eius. Denique huc spectat quod ibidem in corp. vt superius dictum, vniuersim pronuntiat S. Thomas, sub prædesti-

nationem

nationem cadere, quicquid hominem promouet in salutem: atqui non dubium, naturalis etiam quandoque complexionis bonitatem, intellectus itidem ac voluntatis individuam perfectionem, multum sæpe hominem promouere in salutem; saltem remote disponendo, inclinando, facilitando ad bona quædam moralia: Ergo ex mente S. Thomæ complexionis naturalis bonitas, ingenij vis ac præstantia, & similia, possunt esse effectus prædestinationis.

3 Idem probatur ratione. Prima sumitur ex prædestinatione Christi hominis; qui cum sit exemplar nostræ prædestinationis, prædestinatus est ad hoc ipsum, vt esset filius Dei naturalis, adeoque vt existeret homo Deus: Ergo existentiam Christi velut Dei simul & hominis non supponebat, sed efficiebat eiusdem prædestinatio.

Secunda ratio sumitur ex modo, quo Deum prædestinasse homines verisimile est. Si enim Deus ex intentione seu voluntate efficaci saluandi eos, qui saluantur, ipsos creauit, & complexionem dotesque naturales ad hoc opportunas concessit & indidit, tunc plane fatendum est, ipsam etiam existentiam cum potentijs & dotibus naturalibus congenitis ipsius prædestinati, effectum esse prædestinationis: sed antecedens admodum verisimile est, & rationi consentaneum. Tum quia Deus in creandis & prædestinandis hominibus volens commendare bonitatem suam erga electos, non potuit id alia ratione melius facere. Tum quia ita solent facere figuli & artifices, quando ob certum & designatum finem vasa conficiunt; vt scilicet, ex ipsa efficaci intentione eiusmodi finis, vas ipsum conficiant, saltem si finis eorum potestati subiaceat, & in particulari respectu huius aut illius effectus determinatus sit: Eodem etiam modo parentes, si in sua potestate filiorum generationem haberent, simul cum fine, quem in filiorum educatione optant & spectant, vtique animo destinarent, hunc filium ad hanc vitæ conditionem & dignitatem, alium ad aliam progenerare, &c. quod tamen ipsi ideo facere prudenter non possunt, quia nec generationem ipsam, neque fines, ad quos filios educant, in sua habent potestate, vt magis patebit quæst. 5. dub. 4.

6 Tertia ratio sumitur ex differentia inter Prouidentiam ac Prædestinationem. Nam illa quidem necessario supponit rem vt existentem, in præsentia æternitatis, seu iuxta conceptionem diuinæ mentis, vt dictum quæstione prima dub. 11. hæc vero non item; quod sumitur etiam ex S. Thoma quæstione sexta, de Verit. artic. primo. Cuius discriminis ratio duplex est. Prima sumitur ex diuerso modo, quo vtraque respicit personam seu obiectum, cui prouidetur, vel quod prædestinatur. Prouidentia enim respicit personam, cui adhibetur, solum tanquam obiectum Cui; & illi vt sic vult & superordinat alterius rei accessionem, velut obiectum Quod. Prædestinatio autem respicit personam, circa quam versatur, etiam vt obiectum Quod: vbi proinde non est necesse illud supponere, quin potius idipsum quoque vt fiat & existat, ad prædestinationis decretum spectare potest: sicut ob eandem causam, quia Prouidentia versatur circa media, vt obiectum Quod (hæc enim prouidet) non supponit media, sed procurat & causat. Secunda ratio est; quia hoc ipso, quod prædestinatio est ordinatio seu destinatio efficax ad ipsum quoque finem æternæ salutis, veluti terminum, vt dictum dubio præcedenti, non debet ipsa supponere, ordine saltem intentionis, rem, seu personam, vt existentem: cum eiusmodi finis sit primum in intentione, adeoque simul eadem voluntate res ordinetur ad Esse propter suum finem primarium, vt rectè etiam notauit Suarez citato capite 18. & pluribus dicetur quæstione quinta, dub. 4. 1

Denique negari non potest, etiam alia sæpe opera creationis vel dispositionis, & gubernationis diuinæ, esse effectus prædestinationis electorum; vt colligitur ex illo cit. Sap. 8. *Raptus est*, &c. & Matth. 24. *Propter electos breuiabuntur*, &c. Cur ergo non etiam ipsa generatio seu productio electi? 7

Ex quibus etiam patet ad secundum fundamentum oppositæ sententiæ. Ad primum respondetur, donum creationis nihilominus satis distingui à dono prædestinationis; non solum in subiectis diuersis, & quia latius patet donum creationis: cum etiam in reprobis locum habeat, & ipsis etiam prædestinatis, quoad eas naturæ seu complexionis proprietates & qualitates, quæ efficaciter nihil conducunt prædestinato ad gloriam, vt sæpe in paruulis accidit; sed etiam in eodem subiecto, quoad formale obiectum vtriusque. Creatio enim vt sic præcisè, respicit ipsum esse naturale secundum se; prædestinatio vero non item; sed vt per modum subiecti, vel etiam medij alicuius, ordinem habet ad consecutionem efficacem beatitudinis.

Obijcies. Sancti Patres, cum de causis Prædestinationis contra Pelagianos disserunt, idque vnicè contendunt, nullam eius causam in nobis dari, nunquam eo confugiunt, vt ipsam etiam primam creationem seu productionem prædestinati velut effectum prædestinationis illis opponant; cuius tamen facile vtique euincerent, nullam causam meritoriam, vel etiam dispositiuam ex parte prædestinati dari. Respondeo, hoc ad ipsorum institutum minimè fuisse accommodatum: neque enim vtcunque contra Pelagianos probandum erat, nullam dari causam prædestinationis respectu omnium effectuum; sed non dari eam, quam Pelagiani ponebant, etiam respectu solius prædestinationis ad gloriam; nimirum bona merita prædestinati, ex solis viribus naturæ & liberi arbitrij profecta, vt dicetur quæstione sequenti. 8 1

DVBIVM III.

An etiam defectus, seu mala Prædestinati, tam pœna, quam culpa, aut saltem permissio

Digitized by Google

culpæ, sint effectus Prædestinationis eiusdem.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 8.

COntrouersia potissimum est de permissione mali culpæ, seu peccati, vt dicetur: sed ob similitudinem tamen argumenti, & vt tractatio sit plenior, vniuersim de malis seu pœnæ, seu culpæ disserendum est. 1

Assertio I. Mala naturæ, seu pœnæ, sæpe sunt, & esse possunt effectus prædestinationis eiusdem: quoties nimirum ea efficaciter prosunt prædestinato ad æternam salutem, eiusue augmentum. Hæc est communis sententia Doctorum, & aperta doctrina S. Thomæ hic quæstion. 23. articulo octauo, vbi ait, *sub prædestinationem cadere, quicquid hominem promouet ad salutem.* Probatur apertè ex Scriptura, Sapient. 4. versu 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Vbi ipsa etiam præmaturæ mors prædestinati, refertur inter effectus prædestinationis eiusdem. Sed & cæcitatem illius cæci nati, quæ obtigisse ei dicitur, *vt manifestentur opera Dei in illo*, Ioann. 9. versu 3. quamque adeo illi etiam ad spiritualem salutem opportunè accidisse; ex Scripturæ historia ibidem liquet: (quod etiam de multis alijs ægris à Christo curatis, & sanatis, satis constat) non dubium est fuisse à Deo efficaciter præordinatam, tanquam medium, ad eius æternam salutem efficaciter procurandam. Huc spectat illud, *Compelle intrare*; pœnis scilicet inflictis, Lucæ decimo quarto versu vigesimo tertio, quod multis ad salutem profuisse, atque etiamnum prodesse, non est dubium, & testantur SS. Patres, præsertim Augustinus epistola 48. ad Vincentium, & 50. epist. ad Bonifacium. Adhæc quis neget, martyriorum passiones fuisse media & effectus Prædestinationis ipsorum Martyrum à Deo ab æterno prædestinatos? Ratio est manifesta. Quia effectus prædestinationis est, quicquid ex efficaci intentione saluandi prædestinatum, à Deo ab æterno præordinatum & decretum est, ex dictis dub. prim. seu quicquid à Deo simpliciter volitum, hominem promouet ad salutem, vt paulo ante ex S. Thoma vidimus: hęc autem mala & à Deo præordinata sunt, vt dictum disputatione 2. quæst. decima dubio penultimo; & hominem efficaciter ad salutem promouent, vt supponimus; Ergo, &c.

Assertio II. Peccata ipsa, seu mala culpæ, nullo modo sunt effectus prædestinationis; siue accipiantur formaliter; siue etiam materialiter, vt sunt actus positiui; habentes tamen reipsa annexam malitiam moralem. Ita ex communi Doctorum in prim. dist. quadragesima, & quadragesima prima. Suarez libro de prædestinat. capite octauo, numero secundo. & Vasquez disputatione nonagesima tertia, numero septimo. neque de hoc videtur controuersia. Ratio primæ partis est: quia omnis effectus prædestinationis est effectus ipsius etiam Dei, vt dictum dub. 1. at vero peccata formaliter non sunt effectus Dei: neque adeo etiam cadunt sub diuinam voluntatem, aut scientiam approbationis, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 7. imo nec omnino prædefiniuntur à Deo, vt dictum supra disputatione secunda quæstione decima, dub. penult. Ergo, &c. 2

Ratio secundæ partis est. Quia licet Deus ad actum peccaminosum, in quantum ens est, concurrat, non tamen concursu specialis prouidētię; nec etiam ex se, ac quasi suapte propēsione illum intendit; nec etiam absolutè vult & prędefinit, vt dictum supra disp. 2. q. 10. dub. penult. & pluribus persequitur Suarez lib. 2. de auxilijs grat. quinque prioribus capitibus, quicquid Thomistæ quidam recentiores dixerint: etsi communi quadam prædestinationis notione dici possint à Deo, qua entia sunt, conditionatè quasi Prædestinari siue præfiniri, vt ibidem dictum. Accedit quod eiusmodi actus peccati, cui malitia moralis adiuncta est, ex se impedimentum salutis est, ac diuinæ voluntati contrarius: quare licet ex altera parte possit esse occasio boni, non potest velut medium & adminiculum salutis à Deo prædestinari.

Consentiunt his SS. Patres, qui plane negant, non solum peccata ipsa, sed etiam actus peccaminosos à Deo prædestinari aut præfiniri, vt dictum loc. cit. & supra quæst. 1. dub. 3. Optimè S. Augustinus resp. ad artic. sibi falsò impositos, articulo 10. [Detestanda, *inquit*, & abominanda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit authorem; cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Adulteria enim matronarum, & corruptelas Virginum non instruere nouit sancta Diuinitas, sed damnare; nec disponere, sed punire. *Et artic. 14.* Ad præuaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunque peccati, nulla est omnino prædestinatio Dei; nec fieri potest, vt per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur.] Quod si ex ipsis etiam peccatis, malisue actibus fructus aliquis salutis in prædestinatos redundat, satis est, Deū & peccata ipsa permittere, & ad actus malos, qua entia sunt, communis prouidentiæ concursu concurrere. Quamuis autem, vt dictum, peccata non possint dici effectus prædestinationis, possunt tamen dici prædestinationis materia circa quam: quia actus prædestinationis, vti sunt, ordinatio diuina paternè castigandi peccata, item remittendi, aut prohibendi peccata, versantur circa peccata veluti materiam subiectam, vti ars medicinæ circa morbos. 3

Illud hoc loco potissimum controuertitur, an saltem permissio peccati, seu proprij, seu alieni, possit dici effectus prædestinationis eorum, in quibus hæc ipsa permissio est occasio maioris, seu constantioris gratiæ; cum finali perseuerantia coniunctæ; vt quidem ex accidenti esse posse, concedunt omnes; & expresè docent Anselmus & S. Thomas in illud ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; vbi Glossa 4

addit

addit, *etiam peccata*. Et quidem Vasquez d. 93. à n. 8. prolixè contendit, permissionem peccati nulla ratione esse effectum gratiæ, aut prædestinationis. Sed nihilominus est

Assertio III. Probabilius videtur, permissionem peccati, tam proprij, quam alieni, effectum esse prædestinationis in ijs, quibus hæc ipsa permissio est occasio maioris, seu constantioris gratiæ, cum finali perseuerantiá coniunctæ. Ita Zumel hic quæst. 23. articulo 2. disput. vnic. Suarez lib. 3. de prædestinat. capit. 8. num. 4. eamque, vt ait, *frequentius hoc tempore sequuntur moderni Theologi*, præcipuè Thomistæ, non solum ij, qui actus malos, qua entia sunt absolutè à Deo præfiniri docent, sed etiam alij. Idem indicant Anselmus & S. Thomas locis citat.

Probatur primò ex Scriptura, quæ significat, Deum quandoque ex singulari intentione salutis electorum, subtrahere gratiam, adeoque, permittere lapsum, seu proprium, seu alienum. Ita 2. Reg. 16. vers. 10. ait Dauid: *Dimitte eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid; & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Et infra vers. 12. *Dimitte eum, vt maledicat, iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum, pro maledictione hac hodierna.* Vbi præceptum Domini dicitur voluntas permittendi maledictionem Semei, efficaciter ordinata, ad salutem ipsius Dauidis. Eodem modo 1. Tim. 1. vers. 20. quidam Satanæ traditur (etiam cum permissione lapsus) *vt discat, non blasphemare.* Certè si Deus vult permissionem peccati ex efficaci intentione salutis, siue eorum, qui peccant, siue aliorum, non potest negari eam esse effectum diuinæ prædestinationis eorum, quibus ea permissio ad salutem æternam confert.

5 Secundò probatur ex SS. Patribus, qui sæpe docent, permissionem eiusmodi peccatorum à diuina voluntate procedere, in salutem electorum ordinatam, vti dictum quæst. 1. dub. 2. Speciatim de proprijs etiam peccatis loquendo, huc spectat, quod ait Augustinus lib. 14. de ciuitat. capit. 13. *Audeo dicere, superbis esse vtile, cadere in aliquod apertum, manifestumq; peccatum, vnde sibi displiceant.* Et lib. de nat. & grat. cap. 28. *Deserit*, inquit, *aliquando Deus, vnde superbis, vt scias non tuum, sed eius esse, & discas superbus non esse.*

Tertio accedit ratio. Nulla enim conditio ad effectum prædestinationis requisita huic permissioni deest: est enim effectus Dei (non tantum secundum quid, & cum addito, vt de actu peccaminoso dictum, sed etiam absolutè & simpliciter) ordinatus ad supernaturale bonum prædestinati, ex efficaci intentione eum saluandi profectus, & reipsa ad eum finem conferens, vt supponimus.

6 Obijcitur primò, Prædestinationem esse præparationem gratiæ, vt ex Sancto Augustino sæpius dictum: at verò permissio peccati non est gratia. Respondeo, per se & physicè quidem non esse gratiam; sed moraliter tamen loquendo, & per accidens hoc loco iure censeri gratiam: vti sæpe beneficium medici est, infligere vulnus, vt aliud grauius curetur.

Obijcitur secundò. Ad hoc, vt aliquid sit effectus prædestinationis, non solum reipsa vtcunque ad beatitudinem conducere debet, sed etiam ex voluntate illius absolutè præfiniri; quod circa permissionem peccati non accidit: alioqui pariter & à potiori, imò prius deberent præfiniri boni illi actus, qui supposito peccato, immediatius conducunt ad beatitudinem, vt sunt actus pœnitentiæ, passio, & mors Martyrum &c. Hoc autem dici non potest; quia inde consequens foret, Deum etiam velle & præfinire peccatum etiam formaliter; quod necessariò supponit pœnitentia. Sequela hæc probatur: quia qui ex se & absolutè aliquid vult, necessariò vult etiam ea, quæ essentialiter ad id prærequiruntur.

Respondetur primò, hoc videri parum consequenter dictum, & consentaneè ei doctrinæ, 7
quam aliàs authores isti defendunt; siquidem merita prædestinati sunt effectus prædestinationis iuxta omnes; & tamen secundum ipsos non prædefiniuntur in se ipsis ante determinationem liberi arbitrij; neque etiam prædefiniuntur ex efficaci voluntate salutis æternæ eorundem; siquidem electionem ad gloriam, seu voluntatem efficacem & absolutam salutis electorum volunt esse ratione posteriorem prædestinatione & præuisione meritorum, vt quæstion. 4. dicetur.

Respondetur secundò, permissionem hanc plane procedere ex intentione efficaci salutis electorum, vt dictum; & vero etiam præfiniri ante præuisionem absolutam peccati: Siquidem ea nihil aliud est, quam negatio gratiæ præuenientis efficacis; cui subinde coniungitur etiam applicatio seu oblatio talis obiecti, vel occasionis inducentis ad peccatum, cum præscientia, quod homo ea occasione sit malè vsurus: cuius DEVS etiam vera causa esse potest, eamque etiam per se ac propriè velle, non quidem intendendo directè lapsum hominis; sed tantum præsciendo, & non impediendo, vt ex S. Augustino lib. 11. in Genes. ad lit. recte declarauit Suarez loc. cit num. 4.

Ad probationem oppositam respondetur, etiam bonum illud ex peccati permissione conse- 8
quens, tanquam aliquid magis principaliter volitum, & immediatius finem attingens, prædefiniri ante præuisionem peccati, si modo non habeat essentialem respectum ad peccatum. Cuiusmodi etiam bonum semper reperire licet in quauis permissione peccati, etiam quæ ad bonum ipsius peccantis accidit: vt est profundior humilitas; maius & firmius odium seu detestatio peccati; ablatio & fuga occasionum peccandi &c. Si vero bonum illud virtutis habeat respectum intrinsecum & essentialem ad peccatum commissum, vt est proprius actus pœnitentiæ; ne tum quidem desunt, qui dicant posse prædefiniri ante peccatum præuisum; eo quod nulla hinc ideo peccati ipsius necessitas, aut in Deo voluntas efficaciter colligatur; idque indicat Heruæus in 1. distinct. 40. quæst. 1. attamen verius existimo cum Suarez loco citat. num. 13.

Digitized by Google

tale virtutis bonum à Deo non prædefiniri ante præuisionem peccati; siquidem talis præfinitio aliàs plane esset interpretatiua quædam & virtualis voluntas ipsius peccati; vt bene probat obiectio, & inferius quæst. 5. dub. 6. rursum dicetur. Et quamuis Sanctus Augustinus sæpius indicare videatur, præscientiam peccati vniuersim priorem esse illo bono, cuius peccatum erit occasio; id tamen vniuersim non de præscientia absoluta, sed conditionata intelligendum; vt pro ratione subiectæ materiæ ex ipso sermonis contextu colligi poterit, & rectè deducit Suarez numero 9.

QVÆSTIO IV.

De Causis Prædestinationis.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. & 8.

1 *ABsoluetur hac quæstio quinque dubitationibus. I. An, & quænam sit finalis causa totius Prædestinationis, quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso fine reddi possit ratio ipsius Prædestinationis, tum in genere, tum in specie. II. An, & qua ratione detur causa meritoria Prædestinationis ex parte Christi, seu generatim, extra Prædestinatum. III. Quanam contra varias hæreses certa sint, circa causam meritoriam Prædestinationis, ex parte prædestinati. IV. Quid Scholastici nonnulli de Prædestinationis causa ex parte prædestinati senserint. V. Quænam sit vera sententia de causa Prædestinationis ex parte prædestinati: & an omnino detur aliqua causa meritoria, vel dispositiua, seu impetratoria, vel causa per accidens, siue occasio, aut saltem conditio sine qua non, totius Prædestinationis, ex parte prædestinati.*

DVBIVM I.

An, & quænam sit finalis causa totius Prædestinationis quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso fine reddi possit ratio ipsius Prædestinationis, tum in genere, tum in specie.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5.

2 EXplicatis effectibus Prædestinationis sequitur, vt eius causas inquiramus; de quibus magna iam olim cum hæreticis; & nunc hodie etiam nonnulla inter ipsos Catholicos est controuersia, vt dubio tertio & quarto explicabitur; postquam hoc & sequenti dubio, iuxta tituli vnicuique præfixi rationem, exposuerimus ea, quæ minorem habent difficultatem, nec admodum controuersa sunt.

Supponendum igitur ex dubio præcedent, cum prædestinatio sit actus immanens in Deo, ac proinde realiter idem cum ipsa essentia diuina; ipsius prædestinationis secundum se, & quoad entitatem suam propriè nullam dari causam: nec efficientem, quia in Deo nihil est factum: nec finalem; quia Deus propriè ad nullum finem ordinatur, nec ad seipsum quidem: nec materialem ac subiectiuam; quia prædestinatio non est accidens; nec in Deo vlla est potentia passiua: nec formalem; quia cum prædestinatio sit ipse Deus, & forma non formata, actusque purissimus, non potest ipsa habere aliam causam formalem. Quo modo etiam Albertus in primum distinctione 41. quæst. prima, ait: *Dicendum cum Augustino & Magistro, quod prædestinatio & reprobatio non habent aliquam causam: quia nec efficientem, nec materialem ex qua* (vel in quâ) *neque finalem.* Idem supponit Sanctus Thomas hic quæst. 23. art. 5.

Supponendum secundò, dari tamen causas effectuum prædestinationis: quia nec effectus quidem prædestinationis essent, nisi causas haberent. 3
Nec est aliqua difficultas de efficiente physica: constat enim, Deum esse causam efficientem primariam omnium effectuum prædestinationis ex quæstione præcedent. dub. 1. An & quænam sit causa efficiens secundaria, ex particulari ratione vniuscuiusque effectus facile poterit esse manifestum, cogitanti. Neque de causa materiali, aut formali, est controuersia; siquidem illæ etiam ex propria ratione cuiusque effectus prædestinationis facilè dignoscuntur & determinantur. Solum ergo est difficultas, tum de causa finali effectuum prædestinationis; tum de meritoria, seu motiua in genere; tam ea, quæ est extra prædestinatum, quam quæ est in prædestinato. Et in præsenti dubio solum agendum est de causa finali; & quanam ratione ex ea reddi possit ratio prædestinationis, tum in communi, tum in particulari quod quidem à nobis se-

bis sequentibus assertionibus declaratur.

4 Assertio I. DEVS, siue gloria diuina, est causa finalis suprema omnium effectuum prædestinationis; secundaria, & immediatè subordinata, CHRISTVS; minus principalis autem, complementum seu perfectio vniuersi. Ita fere Sanctus Thomas hic quæstion. 23. artic. 5. vbi ait: *Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur, vt in finem; & ex qua procedit, sicut ex principio primo mouente.* Et respons. ad 3. ait, *ad completionem vniuersi requiri diuersos gradus rerum, &c. Et vt multiformitas graduum conseruetur in rebus, DEVM permittere aliqua mala fieri.* Et rursum quæstio. 19. articulo quinto, ad 3. ait: *DEVS voluit hominem esse hominem, vt frueretur ipso, vel ad complementum vniuersi: quæ quidem non est reducere ad alios fines creatos vlteriores.*

Ratio primæ partis est; quia DEVS est suprema causa finalis omnium suorum effectuum; iuxta illud Prouerb. 16. vers. 4. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, vt generatim dictum citat. disputat. secunda quæstion. 10. dubio quarto; omnes autem effectus prædestinationis sunt effectus DEI; quandoquidem prædestinatio ipsa est actus DEI. Idem patet ex illo ad Rom. 9. vers. 23. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Et Ephes. 1. vers. 12. *Prædestinati secundum propositum eius, &c. vt simus in laudem gloriæ eius.*

5 Secunda pars colligitur ex simili in Concilio Tridentino sessione 7. capit. 7. vbi dicitur, causam finalem Iustificationis esse *gloriam DEI, & CHRISTI, ac vitam æternam.* Idem patet ex illo 1. Corinth. 3. vers. 23. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, CHRISTVS autem DEI.* Plures Scripturæ adducentur dubio 7. ex quibus planè patet, Christum vt hominem esse causam finalem secundariam omnium effectuum prædestinationis, imò & ipsius etiam prædestinationis relatæ ad suos effectus, tam nostræ, quam Angelicæ; quam esse posteriorem Christi prædestinatione ibidem ostendemus.

Ratio tertiæ partis est; quia gloria diuina eluceſcit ex perfectione vniuersi: & pars cuiusque totius immediatius refertur ad bonum & perfectionem totius, quam ad ipsum finem supremum totius.

6 Assertio II. Ex eo ipso proinde fine reddi potest ratio Prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum in communi, cur scilicet aliqui à DEO prædestinentur, aliqui reprobentur, indefinitè loquendo; desumpta nimirum tum ex perfectione vniuersi; tum ex repræsentatione diuinæ perfectionis, & manifestatione Sapientiæ, bonitatis, & iustitiæ DEI. Ita sanctus Thomas hic quæstio. vigesima tertia articulo quinto, ad tertium, & videtur fere extra controuersiam, si generatim loquamur. In specie autem ita etiam docent Heruæus in primum dist. 40. quæstion. prima, Durandus dist. 41. q. secunda, item Gerson, Ægidius &c. quos sequuntur & referunt Eckius in Chrysopassо centur. 2. numero vigesimo secundo, & Carthusianus in primum distinct. 41. quæstio. prima, & consentiunt Thomistæ omnes, alijque Scriptores recentiores inferius citandi. Solus Aureolus, quod equidem sciam, in primum distinct. quadragesima prima quæstion. prima, articulo primo, Sanctum Thomam impugnat, sed absque nerue. Solum probat, esse etiam aliam causam reprobationis positiuæ, ex parte prædestinati, quod nemo negat. Ratio est manifesta. Quia quicquid ex voluntate DEI fit, vtique fit ad maiorem ipsius gloriam; & vt ex perfectione vniuersi perfectiones DEI magis manifestentur: quæ proinde etiam ratio generalis est omnium operum diuinorum.

Est autem operæ pretium, verba formalia sancti Thomæ, & aliorum quorundam veterum Theologorum, in re tam graui, hic subiungere, præsertim quia sunt nonnulli, qui licet aperte assertionem hanc negare non ausint, subinde tamen doctrinam Sancti Thomæ hac in re velut duriorem vellicare videntur; alij etiam durius fortasse explicant, quam mens Sancti Thomæ exigat. Ita autem loquitur S. Thomas loc. cit. [Dicendum, quod ex ipsa bonitate diuina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim DEVS dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, vt in rebus diuina bonitas repræsentetur. Necesse est autem, quod diuina bonitas (quæ in se est vna & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus, propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem vniuersi requirantur diuersi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in vniuerso. Ea vt multiformitas graduum conseruetur in rebus, DEVS permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur, vt supra dictum est. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum vniuersitatem. Voluit igitur DEVS, in hominibus, quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo; & quantum ad aliquos quos reprobat, per modum iustitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare DEVS quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus ad Roman. 9. dicens, Volens DEVS ostendere iram, id est, vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est, permisit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostendat diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Et 2. Timoth. 2. dicit, In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.] Ita sanctus Thomas.

8 Quæ tamen ita minimè intelligenda sunt, quasi DEVS ante præscientiam absolutam peccati, habuerit intentionem, vel voluntatem absolutam & efficacem, manifestandi suam iustitiam vindicatiuam; siquidem Deus ex se &

propria sua quasi propensione talem voluntatem non habet; vt dictum supra disputatio. 2. quæstio. 10. dub. 3. aliàs enim virtute & interpretatiuè vellet ipsam etiam culpam, vt in simili dictum quæstio. præcedent. dub. 3. & quoad hoc bene etiam docet Aureolus loco citat. etsi contrarium indicet Heruæus in 1. dist. 40. q. 1. sed solum habuit voluntatem illam post præuisam culpam: ante præuisionem hanc autem solum præcognouit, se posse hoc bonum elicere ex peccato, si ab homine fieret; adeoque voluntatem tantùm conditionatam habuit, ita se gerendi cum homine, si ipse peccaret, vt bene notarunt inter alios etiam Molina hic quæst. 23. articulo 5. disputat. 1. memb. 6. & Suarez hic lib. 5. de prædestinat. capit. 5. numero 11.

Ratio ergo S. Thomæ in hoc consistit: quod sicut ad repræsentandam, vt decebat, variè diuinæ naturæ perfectionem, opus erat in genere naturæ, varios gradus & ordines rerum existere, ita etiam ad declarandam maiestatem suam, velut authoris ordinis supernaturalis, voluit conuenienter DEVS, in creaturis intelligentibus, quæ solæ capaces sunt finis supernaturalis, partim directè efficiendo & procurando, partim, quoad malitiam, solum permittendo, varios ordines & gradus esse; vt scilicet in ijs quidem quos prædestinat; suam ostenderet bonitatem, per misericordiam parcendo; in alijs verò quos suppositâ permissione peccati, ob permissum à se & præuisum peccatum reprobat, eiusdem suę naturæ perfectionem demonstraret, per Iustitiam puniendo.

Idem confirmatur ex illo Exodi 9. versu 16. quod etiam refertur ab Apostolo citat. Rom. 9. versu 17. *Dixit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Quo modo etiam de saluatione loquitur psalmus 105. versu 8. *Et saluauit eos propter nomen suum; vt notam faceret potentiam suam.* Ex quo vtroque loco patet; & saluationem bonorum, & damnationem malorum, referri ad demonstrandam Dei perfectionem; hinc quidem Iustitiam; illinc autem potentiam bonitatis diuinæ.

9 Eodem modo loquitur Durandus loco citat. numero 8. vbi ait: [Potest tamen reddi ex perfectione vniuersi, & ex repræsentatione diuinæ perfectionis causa scilicet totius effectus prædestinationis in genere. Ex perfectione vniuersi sic: Ad perfectionem vniuersi pertinet, quod contineat non solum omnes gradus perfectionis in natura, sed etiam omnes gradus bonitatis & perfectionis in moribus, sed vniuersum non contineret omnes gradus bonitatis & perfectionis in moribus, nisi Deus quosdam ex misericordia saluaret, & alios ex iustitia puniret; si enim omnes saluaret, deesset vniuerso bonum Iustitiæ punientis: igitur perfectio vniuersi requirit, quod aliqui prædestinentur & saluentur, alij verò permittantur cadere, & in casu manere, vt sic demum damnentur & puniantur. Idem patet ex repræsentatione diuinæ perfectionis: quia perfectius repræsentant diuinam perfectionem omnes effectus simul sumpti, quam aliquis eorum per se sumptus; & ideo in vniuerso sunt diuersi effectus, vt secundum alium & alium modum diuina perfectio repræsentetur. Et sicut est de partibus vniuersi generaliter, sic est de creatura intellectuali specialiter: nam si omnes saluarentur, aut omnes damnarentur, non tot modis repræsentaretur diuina perfectio. Quosdam ergo prædestinat, repræsentando bonitatem suam per modum misericordiæ: alios verò damnat, repræsentando perfectionem suam per modum Iustitiæ.] Ita Durandus; & addit, [hæc esse, in quibus communiter Doctores concordant.]

Item Gerson lib. 1. de consolat. Theol. *Quid si Deus*, inquit, *vult in magna domo sua manifestare diuitias gloriæ suæ? istis in ostensionem misericordiæ suæ; alijs in manifestationem Iustitiæ; glorificans illos ex misericordia, istos ex iustitia derelinquens; quatenus resultet carmen illud pulcherrimum, ex graui tenore iustitiæ, & molli cantu misericordiæ, de quali profitetur Propheta, misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Ita Gerson. 10

Hæc ergo vt dixi, est communis Doctorum sententia: quæ satis ex dictis declarata & probata relinquitur, & verò procedit etiam, siue præterea dentur alij fines particulares vniuscuiusque prædestinationis, siue non.

Assertio III. Tametsi, vt dictum, ex ipsa causa finali effectuum prædestinationis, in genere assignari possit ratio, cur aliqui prædestinentur à Deo; aliqui reprobentur; tamen in particulari cur isti sint prædestinati ad gratiam & gloriam, alij non item, sed suppositâ præscientiâ peccati reprobati; nulla potest alia ratio reddi, præter diuinam voluntatem. Ita contra Aureolum in 1. d. 41. q. 1. a. & ferè etiam contra Bonauenturam in 1. dist. 41. a. 1. q. 2. cuius verba referemus q. 5. dub. 3: habet communis Doctorum sententia, cum S. Thoma cit q. 23. art. 5. quo loco post verba superius relata mox subiungit: [Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem. &c. Sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio, cum prima materia tota sit in se vniformis, quare vna pars eius est sub forma ignis, & alia sub forma terræ, à Deo in principio condita, vt sit diuersitas speciei in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici diuina voluntate: sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia; quamuis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa.] Ita Sanctus Thomas; quæ refert etiam, nec improbat Richardus in 1. dist. 41. a. 2. q. 2.

Eadem prorsus habet Heruæus in 1. d. 40. q. 1. vbi ait: [Quod in quibusdam inueniatur Iustitia puniens, in alijs misericordia liberans, pertinet ad perfectionem vniuersi. Sed quod iste homo determinatè puniatur, & reprobetur, ille autem saluetur, non pertinet ad perfectionem vniuersi, vel manifestationem diuinæ bonitatis, plus, quam si fieret è conuerso.] Quod mox etiã exemplo temporalis politiæ apte declarat: [In humanis etiam, inquit, ponimus exemplum, Quod si in 11

aliquo

aliquo regno, cui aliquis Rex præsidet, essent omnes alij à Rege æquales in scientia, & virtute, & in omnibus; & nullus eorum haberet Ius in possessionibus, siue rebus regni, nisi de voluntate regis: hoc supposito, bene posset ostendi, quod ad perfectam bonitatem regni requireretur, quod quidam illorum essent coloni, quidam milites, & quidam consiliarij, & quidam regerent vnam partem regni, quidam aliam; sed quare determinatè iste fiat colonus, & ille miles, non potest ostendi ex bonitate regni. Bonitas enim communis non exigit plus, quod iste sit miles, & iste colonus, quam è conuerso; ex quo à principio ponuntur pares in omnibus: sed hoc pendet ex mera voluntate regis. Nec tamen voluntas Regis, qui facit istum militem, & illum colonum, est irrationabilis; licet non inueniatur in isto, quare debeat esse plus miles, quam ille colonus: quia in talibus, in quibus non potest inueniri causa, quare vnum præferatur alteri, non est quærere causam, quare hic præferatur illi, sed pro libitu vti hic illis, illo ad diuersa, prout exigit communis vtilitas, est rationabile. Sic est de reprobandis & saluandis, ita quod potest applicari ad eos, sicut & præcedens exemplum.] Ita Heruæus.

12 Idem habet Durandus in 1. distinct. 41. quæst. 2. numero decimo quarto, vbi exemplo quoque artificioso rem declarat, quo etiam Apostolus vtitur Rom. 9. [Dicendum, inquit, quod non potest in particulari reddi causa prædestinationis; licet possit reddi in vniuersali, modo superius expresso. Non enim pertinet ad perfectionem Vniuersi, vel repræsentationé perfectionis diuinæ magis, quod iste saluetur, & ille damnetur, quam è conuerso. Huius autem ponitur duplex exemplũ, vnum in artificialibus, & aliud in naturalibus. In artificialibus enim videmus, quod bene potest reddi ratio, quare figulus de eadem massa facit vasa quædam in honorem (hoc est, ad honorabiles vsus) alia autem facit in contumeliam, & ad viles vsus; quia hoc requirit perfectio domus, quæ vtrisque indiget: sed nulla causa reddi potest, quare ex hac parte massæ facit vas in honorem, & ex alia facit vas in contumeliam (cum tota massa secundum se sit similis & vniformis) nisi sola voluntas artificis.] Ita Durandus, qui mox exemplum è naturalibus petitum subijcit; sed quod iã ex S. Thoma retulimus. Idem sentiunt & docent citati pro præcedente assertione, & fusè inter alios persequitur, atque ex Augustino probat etiam Pererius in cap. 9. ad Rom. disputat. 12. & 13. neque dissentit quoad hoc Molina hic quæst. 23. art. 5. disput. 1. memb. 6. Opposita autem Aureoli fundamenta partim in fine huius dubitationis, partim quatenus causam prædestinationis ex parte vniuscuiusque prædestinati assignant, dub. 4. dissoluentur.

13 Probatur eadem assertio. Primò ex Scriptura; quæ causam huius rei, cur in particulari vnus eligatur, alius reprobetur, vltimatè ad solam DEI voluntatem, & occulta eius consilia ac iudicia reuocat. Rom. 9. vers. 11. [Cum enim nondum nati fuissent (Iacob & Esau) aut aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori: sicut scriptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? absit. Moysi enim dicit, Miserebor, cuius misereor; & misericordiam præstabo cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni, Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?] Vbi apertissimè vides, in voluntatem Dei huius rei causam referri; idque eodem exemplo ex artificialibus petito demonstrari, quo à Scholasticis ipsis, qui hanc assertionem tradunt, explicari solet.

Eodem spectat illud Apostoli Rom. 11. vers. 33. 14
[O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?] Vbi rursum ad inscrutabilia Dei consilia refertur illud, quare repudiatis ad tempus Iudæis, propter incredulitatem, Dei misericordia, ac veræ fidei cognitio gentibus obtigerit.

Secundò probatur assertio ex Sancto Augustino, qui eam frequenter tradit & repetit. Testimonia illustriora sunt ista. Lib. 1. de prædestinat. Sanct. cap. 8. [Cur ergo, *inquit*, non omnes docet, vt veniant ad Christum? nisi quia omnes, quod docet, misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: sed miseretur, bonum tribuens; obdurat digna retribuens.

Et ibidem capit. 9. [Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes esse in condemnationem, sine dubitatione iustissimam: ita vt nulla Dei iusta esset reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Vnde constat, magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: vt qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis; sed in Domino glorientur. Cur autem istum potius, quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Melius enim & hic audimus, aut dicimus, O homo tu quis es, qui respondeas DEO? quam dicere audeamus, quasi nouerimus, quod occultum esse voluit; qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.] 15

Et lib.

Digitized by Google

Et lib. sequenti de bono perseuerant. capit. 8. ait: [Cum enim iustus esset, etiamsi vtrumque puniret, qui liberatur, habet vnde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat. Sed si iam, inquit, hoc oportebat, vt damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur, ostenderet, atque ita gratius suam gratiam in vasis misericordiæ commendaret, cur in eadem causa me potius, quam illum puniet, aut illum, quam me potius liberabit? Hoc non dico, si quæris, quare: quia fateor me non inuenire, quid dicam. Si & hoc quæris, quare: quia in hac re, sicut iusta est ira eius, sic & magna est misericordia eius: ita inscrutabilia iudicia eius.]

17 Et mox explicans, cur non omnes in bono proposito perseuerent, denique ad diuinæ prouidentiæ dispositionem recurrit: [Adhuc pergat & dicat, cur quibusdam, qui eum coluerunt, bona fide, perseuerare vsque in finem non dedit? cur putas? nisi quia non mentitur, qui dicit, Ex nobis exierũt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Nunquid ergo hominum naturæ duæ sunt? absit. Si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset: nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderentur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseuerantiã vsque in finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseueraturos, certo numero Sanctorum suorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi. Multos enim à pernitiosa elatione reprimit, quod ait Apostolus, Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit: & voluntate Dei stat, qui stat. Potens est enim Deus statuere illum; non ergo ipse seipsum, sed Deus. Veruntamen bonum est, non altum sapere, sed timere. In cogitatione autem sua vel cadit quisque, vel stat. Sicut autem Apostolus ait, quod & in libro superiori memorani, Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quam secutus Beatus Ambrosius (de fuga seculi cap. 1.) audet, & dicit: Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes: quod omnis, qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.] Ita S. Augustinus ex S. Ambrosio; cuius dictum veram etiam assertionis causam continet, vt inferius declarabitur.

18 Et paulò post eodem cap. 8. [Ex duobus, inquit, paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur; inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.]

19 Et inferius eodem lib. de bono perseuer. capit. 11. ait Sanctus Augustinus: [Proinde sicut Apostolus ait, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; qui & paruulis quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subuenit, quos ante constitutionem mundi elegit in CHRISTO, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc est, nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus: & maioribus etiam his, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, non subuenit: de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit: non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: Vniuersæ autem viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia, qua cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis: & inuestigabilis veritas, qua quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis; sed cũ eo cuius miseretur, plerumque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alius relinquitur, dispar est exitus, merita communia. In quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur. Nunquid enim iniquitas est apud Deum? absit: sed inuestigabiles sunt viæ ipsius. Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus: neque inscrutabilia scrutari, neque inuestigabilia vestigare conemur.

Et tandem caput idem concludens, ait sanctus Augustinus: 20 *In eo ergo, quod alijs eam* (gratiam) *dat, alijs non dat, cur nolunt cantare Domino misericordiam & iudicium? Cur autem illis potius, quam illis detur, quis cognouit sensum Domini? quis inscrutabilia scrutari valeat? quis inuestigabilia vestigare?* Quibus verbis breuiter vtramque assertionem nostrã asserit, & quod in genere ratio detur ex parte Dei, prædestinationis & reprobationis; nimirum manifestatio diuinæ misericordiæ & iustitiæ; sed in particulari nulla, vt dictum.

Et rursum tractat. 26. in Ioann. 21 *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare.* Et epist. 105. *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum; sed caueat præcipitium.*

Et lib. 1. ad Simplicianum quæstion. 2. 22 *Sed si hoc monet*, inquit, *quod voluntati eius nullus resistit, quia cui vult, subuenit, & quem vult, deserit; cum & ille, cui subuenit, & ille quem deserit, ex eadem massa sint peccatorum, & quamuis debeat vterque supplicium, ab vno tamen exigatur, alteri donetur: Si hoc ergo monet, Homo tu quis es, qui respondeas DEO?*

Denique lib. de Spirit. & lit. capit. 34. [Iam 23 si ad illam, inquit, profunditatem scrutadam quisquam nos coarctet; cur illi ita suadeantur; vt persuadeatur; illi autem non ita; duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat, O altitudo diuitiarum; &, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptores.]

Idem sæpius repetit S. Prosper, defensor S. Augustini contra Semipelagianos. Etenim lib. ad

excerpta

excerpta Genuensium, resp. ad dub. 7. Cur autem istum potius, quam istum liberet, respondet: *Inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ipsius. Melius enim & hic audiamus, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? quam dicere audeamus, quasi nouerimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit. Hæc omnia si non rectè dicta sunt, scrutabilia sunt iudicia Dei, & vestigabiles viæ eius: nec occultum est, quare ille potius, quam iste saluetur; & in se, non in Domino gloriabitur, qui alijs vitio suo pereuntibus, electione dignus inuentus est: ac sic iustitia quidem erit, quod plurimi damnantur, sed non erit gratia, quod plurimi liberantur, &c.*

24 Et ibidem resp. ad dub. 9. *Quare autem non omnes, aut quare illos potius, quam illos liberat, nec necessarium est quærere, nec possibile reperire: cum omissis discretionis istius causis, scire sufficiat, quod nec misericordia iustitiam, nec iustitia auferat misericordiam apud eum, à quo nemo nisi iustè damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur.*

Denique resp ad dub. 4. acriter reprehendit Pelagianos aliter sentientes: *Inuestigabiles igitur sunt*, inquit, *& misericordia, qua gratis liberat, & veritas, qua iustè damnat. Non est ergo sanarum mentium, ista reprehendere, & inuestigabiles vias Domini, hoc est, dona misericordiæ, & iudicia veritatis, Pelagianorum elationi penetrabilia deputare. Quia secundum ipsis non latet consilium Dei, net in occulto est diuina ratio voluntatis, si erga omnem hominem tam gratia Dei, quam ira merito est.* Similia habent Fulgentius, & alij SS. Patres: quæ quidem hoc loco prolixius referre placuit, vt quasi fundamenti loco deseruirent ad ea, quæ de gratuita Dei prædestinatione inferius dicturi sumus dub. 5. & q. 5. dub. 1. 4. & 5.

25 Ratio verò assertionis ex eo minimè pendet, quod prædestinatio ad gloriam facta sit ante præuisionem meritorum, seu mediorum, quibus prædestinatus quisque saluatur; licet enim hinc etiam assertio rectè deducatur, id tamen nec est necessarium ad assertionem tuendam, & est non paulo incertius, quam ipsa assertio: sed sumitur ex eo, quod & pari hominum conditione existente, & æquali diuinæ gloriæ prouentu, ipsiusque Vniuersi perfectione inde consecutura, nulla causa est, cur Deus det vni gratiam congruam, qua ad finem vsque iustus perseueret, alij non item.

Quod argumentum hoc modo explicatur. Si enim esset causa siue ratio, cur Deus hunc potius, quam alium prædestinasset ad gratiam congruam simul, & gloriam, tum ea ratio vel desumeretur à Deo prædestinante, vel à perfectione Vniuersi, vel ab homine prædestinato: nihil horum dici potest. Non primum. Quia si ratio desumi à Deo posset, ea esset, vel quia non par ad Deum gloria redundasset, si alium potius, quam hunc ad gratiam similiter & gloriam prædestinasset; vel quia non potuit alium similiter ad gratiam & gloriam prædestinare & perducere; tertium enim non datur, nisi quis dicat, rationem esse, quia non voluit; quo ipso iam habemus intentum; hoc ipsum enim est, quod dicimus, præter ipsam voluntatem & beneplacitum Dei, non posse assignari aliam rationem eius rei: at verò ex duabus alijs causis neutra potest habere locum. Non prima. Quia cum gloria Dei ex prædestinatione hominum inde oriatur, quod Deus, pro sua bonitate, hominem, vel Angelum, ex tanta peccati miseria & indignitate, seu ingenita naturæ imbecillitate, ad tantum gradum gratiæ & gloriæ euehat; nihil interest, quis in indiuiduo sit homo, seu Angelus, cui talis gratia obtingit; quando quicquid in vno est ad eum finem obtinendum prærogatiuæ & momenti, pariter etiam ad alium transferri potuit. Neque secunda causa locum habere potest: quia illa impossibilitas vel ex ignorantia prouenisset, vel ex impotentia, seu virium defectu: at verò vtrumque impium est dicere, nimirum Deum aut modum nullum habuisse perspectum, quo alium similiter ad parem gratiæ & gloriæ gradum posset prouehere; aut si modum perspectum habuit, non tamen potuisse in opus redigere; vt supra etiam S. Augustinum differentem audiuimus.

Neque secundum dici potest, rationem videlicet eius rei assignari posse ex perfectione Vniuersi: quia ad perfectionem Vniuersi solum spectat, vt in ordine rerum & effectuum etiam supernaturalium varij sint gradus, & variæ differentiæ, secundum quas, ad finis supernaturalis consecutionem, vel etiam ad diuinæ gloriæ manifestationem, ex hominibus, vel Angelis, varij variè se haberent; vt in alijs præ cæteris misericordia, in alijs iustitia eluceret, &c. sed hoc ipsum æquè etiam accidisset, siue hi, siue alij, pari numero & perfectione fuissent prædestinati, vt patet. 26

Neque tertium dici potest, assignari videlicet rationem posse ex parte ipsius prædestinati. Tum quia nulla ex parte prædestinati est ratio, vel causa, totius prædestinationis, vt dubio 3. & 4. dicetur. Tum quia omnes homines & Angeli, quantum ad hanc rem attinet, paris sunt conditionis; pariqúe conditione Deo prædestinanti offeruntur. Aut enim ponitur prædestinatio ad gratiam & gloriam prior præuisione peccati, aut in homine posterior. Si prior, iam quia Deo prædestinanti obijciuntur omnes homines & Angeli pari conditione innocentiæ, nulla plane ratio ex parte hominum, aut Angelorum esse potest, cur hos vel illos elegerit & prædestinauerit ad gratiam & gloriam potius, quam alios: sicut nulla ratio est, cur ex infinitis alijs hominibus, quos præter Adamum & posteros eius facere potuisset, hos potius, quam alios ex illo meræ possibilitatis nihilo extrahere, adeoque producere voluerit. Si verò prædestinatio hominum facta est post peccati præuisionem, rursus nulla causa est, cur pari existente indignitatis & peccati conditione, hos potius quam illos voluerit gratiæ congruæ largitione ad gratiam remissionis peccatorum ac perseuerantiam finalem prædestinare, quam alios.

Quod si dicas, istos vocationi respondisse, alios non item, redit quæstio, cur non & hos ita vocauerit, vt responderent, sicut sanè poterat. Nam vt ait Augustinus lib. 1 ad Simplic. quæst. 2. *Cum alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademq; res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumq; moueat, alium non moueat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem*

mentem applicaret, voluntatemq; coniungeret, in qua Iacob iustificatus est.

Quod si rursum opponas, alios plus peccasse, quam istos prædestinatos: id inprimis vniuersim verum non est, quia è duobus infantibus, quorum vnus prædestinatus, alter reprobus moritur, neuter peccati conditione altero melior, aut deterior est, vt patet. Deinde etiamsi inter adultos, quoad conditionem peccatorum personalium, vnus sit altero deterior; sæpe tamen accidit, vt maior peccator sit prædestinatus, minor reprobus: item esto, semper minor peccator potius à Deo prædestinetur, quam maior, quod quidem falsissimum est; nulla tamen ratio est, cur Deus maiorem peccatorem non æquè etiam sua gratia à pluribus illis & maioribus peccatis præseruarit, qua præseruauit alterum; cum vtrunque æquè præseruare potuisset, vt superius dictum; & priusquam vterque vllum committeret peccatum, quoad peccati originalis conditionem planè pares essent, & ex æquo Dei misericordiæ & indigni, & indigi.

Si recurras ad alia obstacula, vel impedimenta, 28
quæ vnius saluti, aut prædestinationi potius, quam alterius obsistebant, rursum recurrit quæstio, quare non pari conditione opportunitateque vtrumque constituerit; aut si voluit dispari, cur non illum potius, quam istum, tali conditione locique aut temporis opportunitate gaudere voluerit; aut cum sæpè importunus quodammodo & violentus adiutor ipse interuenerit, vt in Saulo humi prostrato videre est, cur non pari vi & efficacia gratiæ etiam alium fuerit dignatus. Nihil ergo hic potest responderi, præter illud, *O altitudo.* Exemplis autem tum è rebus naturalibus, tum artificialibus, tum etiam politicis eadem assertio iam ex S. Thoma, Heruæo, Durando, satis explicata est.

Ex quibus etiam patet, quid respondendum sit ad 29
Aureoli fundamentum. Ait enim, Deum *nullum reprobare, absq; causa affirmatiua, nec prædestinare absq; causa negatiua*, & hinc reddi posse rationem, cur Deus vnum potius quam alterum prædestinet. Sed hoc friuolum est. Nam præterquam quod dictum illud de causa negatiua prædestinationis planè falsum est, vt dicetur dub. 4. certè etsi Deus nullum positiuè reprobat, nisi ob præuisum peccatum, vt quæstione 7. dicetur, nulla tamen est causa, cur pari existente peccati causa in omnibus, hunc potius, quam alium reprobet, vt dictum.

Obijcitur secundò. Si nulla sit causa, vel ratio, cur Deus hunc potius, quam alium prædestinauerit ad gratiam & gloriam; vel contra hunc potius, quam alium reprobauerit & reiecerit à gratia congrua, & gloria, tunc sequitur, Deum prædestinando homines & Angelos, in pari causa & conditione eorundem, inæqualiter ad eos se habuisse; adeoque apud Deum esse acceptionem personarum; quod cum sit vitium Iustitiæ oppositum, blasphemum est dicere, & contra Apostolum Roman. 2. v. 11. *Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt; & quicunq; in lege peccauerunt per legem iudicabuntur.* Et Ephes. 6. v. 9. *Scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum.* Et Coloss. 3. v. 35. *Qui iniuriam facit, recipiet id, quod iniquè gessit, & non est personarum acceptio apud Deum.* Et 1. Pet. 1. v 17. *Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vnius cuiusq; opus, in timore incolatus vestri tempore conuersamini.*

Respondetur cum S. Thoma hic quæst. 23. art. 5. ad 3. Acceptionem personarum locum habere solum in distributione eorum, quæ ex Iustitia alijs debita sunt, non autem in gratuitis, quæ mera liberalitate donantur, vt sunt dona gratiæ diuinæ. *Neq; enim propter hoc,* inquit S. Thomas loco citato, *est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim esset contra iustitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his verò quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libitu suo dare cui vult, plus vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum,* iuxta illud Matth. 20. *Tolle quod tuum est, & vade.* Eodem modo respondet S. Augustinus lib. de bono perseuerantiæ cap. 8. vbi ait: *Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debitum bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, neminem esse apud Deum iniquitas inuenitur. Sed cur,* inquit, *non solum in paruulorum, verum etiam in geminorum vna atque eadem causa tam diuersum iudicium? Nonne similis quæstio est, cur in diuersa causa idem iudicium? Recolamus ergo illos operarios in vinea, qui tota die laborauerunt, & eos, qui hora vna. Nempe causa diuersa est impensi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Nunquid & hic audierunt murmurantes à patrefamilias, nisi, Hoc volo? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem vtriq; in bonis sunt: veruntamen quantum ad iustitiam spectat & gratiam, potest & de reo, qui liberatur, rectè dici, Volo: potest & de eo qui damnatur, Tolle quod tuum est, & vade: huic autem volo quod non debetur donare. Annon licet mihi facere, quod volo? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hic ille si dicat, Cur non & mihi? merito audiet, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Quam certè in vno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis iniustum. Cum enim iustus esset, etiamsi vtrunque puniret, qui liberatur, habet, vnde gratias agat; qui damnatur, non habet, quod reprehendat.* Hæc Augustinus; quæ in omni hac materia de prædestinatione diligenter semper præ oculis habenda sunt, vtpote sine quibus omnis alioqui humanæ ratiocinationis curiositas, & elatio, in præcipitium fertur.

DVBIVM II.

An & qua ratione detur causa meritoria totius prædestinationis ex parte Christi, seu generatim extra prædestinatum.

S. Thomas 1. p q. 23. a. 8.

IN præsentem considerationē veniunt, tum Christus, tum etiam alij homines, qui ad prædestinationem aliquid cōferre posse existimentur, extra & præter ipsum prędestinatū, de quo agēdū est dub. 3 & 4.

Assertio I. Christus est causa meritoria principalis omnium effectuum prædestinationis nostræ, qui in nobis peraguntur, præsertim qui velut gratuita Dei munera & auxilia naturæ nostræ ac donis 1

natu-

naturalibus accedunt. Ita iuxta S. Thomam 3. p. quæst. 24. artic. 4 habet communis Doctorum sententia, vt testatur Gregorius de Valentia hîc quæst. 23. punct. 4. §. 1. saltem in communi loquendo & abstrahendo à particularibus controuersijs, an hi vel illi effectus, qui ex diuina prouidentia peraguntur, sint effectus prædestinationis; de qua re actum quæstione præcedenti. Certè si quos in nobis constat esse effectus prædestinationis, non est negandum, eos ex meritis Christi prouenire. Quare cum nos superius quæst. præced. dub. 2. & 3. ipsa etiam bona naturalia, & permissionem peccati suo modo, & ex parte dixerimus esse effectus prædestinationis, libenter concedimus, eos etiam ex meritis Christi proficisci; etsi negent tum illi, qui eos effectus esse prædestinationis negant, tum de quibusdam donis naturalibus etiam Molina hîc quæst. 23. art. 5. disp. 2. tametsi alioqui fateatur, eiusmodi naturalia quædam bona esse effectus prædestinationis. Certior verò est assertio de gratuitis illis Dei donis, quæ naturæ ac naturalibus bonis superueniunt, vt dictum. Neque enim vllo modo audiendi Capreolus in 3. distinct. 18. quæst. vnic. artic. 3. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 55. Adamus Sasbout in 1. cap. ad Philipp. sub finem, item Driedo & Sonnius inferius citandi, dum asserunt, fidem, & alias dispositiones ad iustificationem, non ex meritis Christi, sed ex sola Dei voluntate nobis concedi: qui meritò refelluntur à Molina loco cit. & Vasquez disput. 94. cap. 1. & 5. & in materia de Incarnatione ex instituto refutandi sunt.

2 Ratio assertionis est. Quia cum de fide sit, Christum esse causam meritoriam Iustificationis nostræ, atque adeo ipsius etiam consecutionis vitæ æternæ, vt constat ex Concilio Tridentino, sessione 6. cap. 7. & can. 32. nulla est ratio, cur negetur, esse causa meritoria omnium etiam aliorum effectuum prædestinationis minus principalium. Accedit, quod Christus est causa vniuersalis nostræ salutis & redemptionis; ergo etiam effectuum omnium ad nostram salutem speciatim ordinatorum, seu ex efficaci intentione salutis nostræ prodeuntium.

3 Assertio II. Christus est causa meritoria omnium effectuum prædestinationis, etiam eorum, qui extra ipsum prædestinatum peraguntur, saltem exceptis particularibus quibusdam meritis & operibus ipsius Christi, ex speciali eiusdem intentione efficaciter huic vel illi prædestinato applicatis. Sumitur ex S. Thoma 3. p. quæst. 24. artic. 4. Caietano, & Thomistis recentioribus ibidem, Alensi 3. p. quæst. 3. memb. 5. Bonauentura in 3. distinct. 11. art. 1. quæst. 3. Alberto dist. 10. art. vlt. Richardo art. 4. quæst. vlt. Durando quæst. 3. Paludano quæst. 1. art. 3. qui omnes absolutè docent, Christi prædestinationem esse causam nostræ prædestinationis, & loquuntur inprimis etiam de causa meritoria. Eandem assertionem supponunt Suarez lib. 2. de prædestinat. cap. 24. & Vasquez disput. 94. cap 2. & alij recentiores communiter, abstrahendo tamen itidem à particularibus controuersijs, an omnia auxilia seu media extrinseca salutis nostræ sint effectus prædestinationis.

Excipio Durandum in 3. distinct. 11. quæst. 3. Franciscum Sonnium lib. 2 demonst. Euang. tract. 3. cap. 19. Molinam quæst. 23. art. 5. disp. 2. & Gregorium de Valentia hic quæst. 23. punct. 4. § 1. qui cum sentiant, ipsius quoque Christi Incarnationem & merita esse effectus prædestinationis, consequenter negant, Christum promeritum esse nobis omnes effectus prædestinationis, qui extra nos peraguntur; de quo ferè sola nominis quæstio est, vt benè etiam Vasquez disputatione 94 numero 37. Sed quia nos contrarium supponimus ex dictis supra quæstione 2. dub. 1. idcirco rectè vniuersim pronuntiamus, Christum esse causam omnium effectuum prædestinationis nostræ; quod magis consonum est antiquis Theologis. Ratio sumitur ex præced. assert.

Dixi tamen, exceptis saltem particularibus Christi meritis, & c. quia hoc ipso quod cit. quæst. 2. dub. 1. diximus cum Suarez, particularia huiusmodi merita probabiliter esse etiam effectus prædestinationis eius, cui fuerunt à Christo particulatim applicata, fieri non potest, vt Christus omnes omnino effectus prædestinationis sit promeritus; quia ea ipsa merita Christus non est promeritus, vt quoad hoc rectè docent citati Doctores: alioquin & ipsam Incarnationem seu vnionem hypostaticam, ex qua merita Christi suam vim trahunt, fuisset promeritus, quod tamen dici non potest, vt suo loco de Incarnatione docetur. Quocirca necessariò fatendum est, Christum non meruisse omnes effectus prædestinationis respectu talis prædestinati, cui sua quædam eiusmodi opera efficaciter & particulatim applicauit: quod singulare est, & quasi præter communem regulam. 4

Assertio III. Christus non solum promeruit effectus prædestinationis nostræ modo explicato, sed etiam ipsam eiusmodi effectuum prædestinationem; seu quod idem est, liberam determinationem diuinæ voluntatis ad eiusmodi effectus conferendos. 5 Hæc assertio est contra Almainum in 3. d 19. quæst. 1. Maiorem ibid. quæst. 1. Adamum Sasbout comment. epist. ad Ephes in illud cap 1. *Sicut elegit nos in ipso*, item contra Sonnium loc. cit. & Driedonem de capt. & redempt. gen. human. tract. 2. cap. 2. p. 3. a. 4. & tract. 4. p. 2. cap. 8. memb. 3. Sed est ex mente authorum, quos citauimus pro præced. assertione, dum absolutè ferè asserunt prædestinationem Christi esse causam prædestinationis nostræ. Idem expresè docent Vega lib. 4. in Trident. cap. 5. Viguerius Institut. Theol. cap. 20. §. 8. v. 3. Eckius in Chrysopassо centur. 3. num. 34. Suarez hic lib. 2. de prædestin. cap. 22. & 24. num. 12. & 38. & 3. p. tom. 1. d. 41. sect. 4. Gregorius de Valentia hic q. 23. punct. 4. §. 1. Molina q. 23. a. 5. disp. 2. Vasquez disp 91. num. 2. & disp. 94. cap. 2. 3. & 4. præsertim num. 34 qui propterea concedunt, Christum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis, etiam aliquo modo ex parte ipsius actus, non quod promeruerit ipsam entitatem actus prædestinationis, seu etiam ipsum actum æternum prædestinationis absolutè, sed solum quatenus refertur ad creaturas: tametsi plerique Scholastici veteres ita soleant distinguere, vt negent causam prædestinationis ex parte ipsius actus, concedant verò ex parte obiecti, vt videre est apud Albertum & Bonauenturam, Richardum, Durandum, & alios in 1. dist. 41. & Gandauensem quodlib. 4. quæst. 19.

Digitized by Google

6 Quomodo etiam loquitur S. Thomas loco cit. & hic quæst. 23. art 5. vbi ait: *Cum prædestinatio includat voluntatem, vt supra dictum est, sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio diuinæ voluntatis. Dictum est autem supra, quod non est assignare causam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi; sed potest assignari ratio ex parte volitorum; in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter illud. Nullus ergo fuit ita insanæ mentis, qui diceret, merita esse causam diuinæ prædestinationis, ex parte actus prædestinantis. Sed hoc sub quæstione vertitur, vtrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est quærere, vtrum Deus præordinauerit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua.* Ita S. Thomas: quem imitati sunt etiam alij Scholastici, vt dictum.

7 Sed qui reuera positæ assertioni minimè aduersantur. Nam vt benè notauit Suarez loco cit. duobus, aut potius tribus modis intelligi potest, ex parte ipsius actus prædestinantis, nullam dari causam prædestinationis. Primò, vt actus prædestinationis secundum se & suam entitatem absolutam spectetur; quatenus nimirum à parte rei idem planè est, quod essentia diuina: & hac ratione certum est, nullam eius causam dari, nec æternam, nec temporalem, non magis quam ipsius essentiæ diuinæ, quæ penitus, vt ita dicam, infactibilis & incausabilis est; ita quidem vt nec vlla ratio eius obiectiua prior assignari possit, cur sit & quare sit: est enim Ens ex seipso vndequaque necessarium, primum & independens, vt disp. 2. q. 1. dictum.

Secundò ita intelligi potest, vt actus prædestinationis non accipiatur quidem nudè secundum suam entitatem & quasi materialiter, sed potius formaliter, vt per modum actus vitalis, tendit & terminatur ad sua obiecta; causæ tamen vocabulum accipiatur propriè & strictè, pro causa realiter influente: & hoc modo itidem certum est, nullam dari causam prædestinationis; quia nec obiectum diuini actus, nec quicquam siue in Deo, siue extra Deum realiter influit, aut vllam causalitatem veram & realem exercet in actum internum, seu volitionis, seu intellectionis Dei: quia alioquin saltem secundum tendentiam illam suam vitalem in obiectum, esset Ens realiter causatum, & ab alio dependens; ac proinde nec esset Deus; quod tamen repugnat dictis supra quæst. 8. & 10. dub. 1.

8 Tertiò verò accipi potest prædestinatio formaliter secundum tendentiam ad obiecta, & causa latè, prout dicit quamcunque rationem vel conditionem obiectiuam: & sic nil obstat, quo minus detur causa prædestinationis, seu electionis & dilectionis diuinæ, ex parte quoque ipsius actus diuini; non quidem secundum suam absolutam entitatem spectati, vt dictum, sed vt liberè terminatur ad hoc vel illud obiectum: quandoquidem hac ratione vniuersim docuimus supra q. 10. dub. 5. dari aliquam rationem diuinæ voluntatis; & rectè dici, Deum velle hoc, propter illud: tametsi Vasquez, quia vt ibidem vidimus, contrarium docuit, etiam in hac ipsa re locis citt. aliter loquitur, & solum admittit causam & rationem assignari posse actus prædestinationis, secundum relationem rationis, qua refertur ad obiecta, hoc sensu, non vt dicamus merita Christi, aut etiam aliquid, per modum finis, præter ipsius Dei bonitatem, esse rationem, vt velit nos prædestinare, sed solum esse rationem, ob quam esse velit effectus nostræ prædestinationis. Sed nos, vti citata quæst. 10. dub. 5. generatim probauimus, dari rationem aliquam obiectiuam ipsius diuinæ voluntatis, ita in præsenti etiam materia absolutè dicimus, merita Christi esse rationem quandam obiectiuam prædestinationis nostræ, quatenus ad omnes effectus nostræ prædestinationis terminatur, vt dictum.

Fundamentum autem eius assertionis esse debet. 9
Quia merita Christi, saltem vt abstrahunt ab eius passione & morte, sunt priora in diuina prædestinatione, nostra prædestinatione, vt dicemus quæstione sequent. dub. 7. Ergo vt præuisa potuerunt esse, nostro modo concipiendi, causa seu ratio ipsius prædestinationis nostræ: Ergo reipsa ita factum est; cum hoc sit dignitati Christi valde consentaneum. Neque enim adid plus requiritur, quam vt Deus prædestinando respexerit ad Christi merita, veluti secundum diuinam prædestinationem priora nostra prædestinatione. Idem satis expresse docet Apostolus Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.* Quocirca etiam Vasquez cit. disp 94. & quidam alij, non dubitant dicere, hanc esse doctrinam fidei: quod tamen Suario non probatur; maximè si loquamur de prædestinatione nostra respectu omnium effectuum; in quibus, vt dictum, nonnulli ipsa etiam merita Christi collocant.

Assertio IV. Tametsi quidem Christus, modo 10
explicato, sit causa meritoria Electionis nostræ, etiam in particulari spectatæ, vt est absoluta & efficax horum vel illorum dilectio seu destinatio ad gratiam & gloriam: attamen si loquamur de Electione comparatiuè, vt est electio aliquorum præ alijs, seu vt est huius, vel illius potius, quam aliorum; adeoque si loquamur de ipsa libera determinatione diuina ad hos potius, quam ad alias personas prædestinandas, verius est, si propriè loquendum sit, electionis ita spectatæ, causam ex parte Christi nullam assignari posse; sed eam solum referendam in ipsum diuinæ voluntatis beneplacitum. Ita Suarez hic lib. 2. cap. 24. num. 12. & 21. etsi Vasquez disput. 94. cap. 3. & quidam alij quoad posteriorem partem oppositum doceant. Prima pars supposita præced. assert. est extra controuersiam; neque enim quisquam negat, aut negare potest, Christum esse causam meritoriam nostræ electionis absolutè spectatæ, nisi qui negat, esse causam prædestinationis nostræ: cum electio & prædestinatio non solum ex parte effectus, sed etiam ex parte Dei, secundum durationem & entitatem suam idem quodammodo sint, & par sit ratio vtriusque. Idem vel maximè patet ex illo cit. Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, &c.*

Quoad secundam partem, vt dictum, controuersia est: sed rursum solum de nomine & modo loquendi; vt rectè etiam notauit Suarez lo. cit. in quo tamen magis probatur id quod in assertione diximus. Tum quia electio sic spectata ita vnius dilectionem significat, vt simul etiam connotet & includat desertionem

Digitized by Google

alterius; cuius tamen Christi merita causa non sunt. Tum quia, vt fatetur Vasquez num. 21. Christus non fuit causa electionis ita relatè consideratæ Sanctorum veteris Testamenti; quorum tamen in proposito non videtur diuersa ratio à Sanctis noui Testamenti, vt rectè etiam Suarez. Tum quia merita Christi, vt ratione antecedentia nostram prædestinationem, ex se erant causa vniuersalis, & quasi indifferens prædestinationis; nec minus apta ad prædestinationem huius, quam illius, aut omnium, quam aliquorum. Quare ex vi illorum meritorum, potuisset Deus homines ad beatitudinem efficaciter ordinare, nullam electionem inter eos faciendo; sed aut omnes efficaciter prædestinando; aut omnes solum sufficienter ordinando ad gloriam: Ergo determinatio facta est ab ipso Deo, pro eius beneplacito.

Quod etiam declaratur exemplo simili testatoris: qui si præcipiat hæredi, vt centum virgines in matrimonio elocet, clarum quidem est, ipsam elocationem etiam in particulari spectatam, vt est talium virginum, esse effectum testamenti; attamen elocationis harum potius, quam illarum, causa est in sola voluntate hæredis posita. Denique idem est etiam admodum consentaneum doctrinæ S. Augustini & S. Thomæ, dub. præsenti expositæ, cum dicunt, nullam posse rationem reddi, cur hic potius, quam ille sit prædestinatus: posset enim alioqui eius rei reddi ratio saltem ex parte meritorum Christi; quia ipse vni potius, quam alteri promeritus fuisset prædestinationem.

12 Nec obstat, quod Christus efficaciter nonnunquam orauit pro his prædestinatis in indiuiduo; eosque proinde voluit efficaciter, ex vi meritorum suorum saluari, vt colligitur ex Ioan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Tum quia hæc voluntas ex ipsa intentione Christi est posterior electione & determinatione Dei, & ab ea dependens; ideo enim ita efficaciter pro his vel illis orauit Christus; quia hos vel illos iam antea vidit à Deo prædestinatos. Tum quia si in particulari pro quibusdam ita orauit, iam talis oratio est effectus prædestinationis ad gloriam eorundem prædestinatorum, vt dictum dub præcedent. ac proinde tales etiam ex hoc capite prius electi sunt ad gloriam, quam intelligantur menti diuinæ talia merita Christi repræsentata, vt actu quandoque futura, iuxta generalem doctrinam sequenti quæstione tradendam, electionem ad gloriam priorem esse prædestinatione mediorum, respectu vniuscuiusque prædestinati. Qui verò contrarium asserunt, in æquiuoco laborant, ac verbis potius, quam reipsa dissentiunt: nec eorum argumenta plus probant, quam electionem quoque ipsam absolutè factam fuisse ex meritis Christi, etiam singulorum in particulari; sed non ita, vt merita Christi causa essent, cur hi potius, quam illi eligerentur; cum pari ratione, quantum est ex meritis Christi, alij potius, quam isti eligi à Deo potuissent, vt in simili dictum dubio præcedenti.

13 Assertio V. Nullus homo purus secundum legem Dei ordinariam est, aut potest esse causa meritoria omnium effectuum prædestinationis alterius hominis, nec etiam ipsius prædestinationis in se, quoad absolutum decretum dandi gloriam. Hæc est doctrina S. Thomæ hic quæst. 23. artic. 8. vbi ait: *In prædestinatione duo sunt consideranda, scilicet ipsa prædestinatio diuina, & effectus eius. Quantum ad primum, nullo modo prædestinatio iuuatur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit, quod aliquis prædestinetur à Deo. Quantum verò ad secundum dicitur prædestinatio iuuari precibus Sanctorum, & aliis bonis operibus. Quia prouidentia, cuius prædestinatio est pars, non subtrahit causas secundas: sed sic prouidet effectus, vt etiam ordo causarum secundarum subiaceat prouidentiæ.* Et paulò post addit: *Sub ordine prædestinationis cadere, quicquid hominem promouet in salutem, vel orationes proprias, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Quibus verbis S. Thomas posteriorem assertionis partem expresè tradit, priorem verò hoc ipso docet, quod inter effectus prædestinationis vniuscuiusque numerat etiam preces aliorum, quibus ad salutem promouetur. Eadem est sententia Durandi in 1. dist. 41. quæst 3. num. 4. & communis Thomistarum cit art. 8. quam tuetur pluribus Suarez hic lib. 2. de prædestin. cap. 24. num. 2 etsi Vasquez disp. 94. cap. 5. quoad vtramque partem contrarium sentiat, ratus etiam alios posse esse, vel dici causam suo modo, ac seruata proportione, omnium effectuum nostræ prædestinationis, ac ipsius etiam liberæ determinationis diuinæ, ad nos prædestinandos. Quam sententiam Suarez loc. cit. vocat nouam ac singularem: quamuis quoad priorem partem cõtrouersia sit potius de nomine, quam de reipsa, vt benè etiam notauit Vasquez num. 36.

Ratio primæ partis, de omnibus effectibus prædestinationis, &c. sumitur ex dictis: quia ipsa quoque eiusmodi merita seu preces alterius, alicui speciatim applicatæ, sunt effectus prædestinationis eius, cui ita efficaciter prosunt ad salutem, vt dictum quæst. præced. dub. 1, etsi contrarium supponat Vasquez ex dictis ibidem: nec verò iuxta legem Dei ordinariam efficaciter prodesse alijs possunt, saltem ad quosdam effectus prædestinationis, vt est gratia congrua, nisi aliquo modo speciatim applicatæ. Quod si B. Virgo, aut alius Sanctus, efficaciter orasset Deum pro omnibus prædestinatis subsecuturis, aut vnà secum viuentibus, ad gratiam & gloriam illis impetrandam, nec tunc tamen omnium effectuum prædestinationis aliorum causa meritoria fuissent; quandoquidem inter effectus prædestinationis aliorum fuissent illæ ipsæ preces, saltem generatim alijs ita applicatæ. 14

Dices. Deus potuit B. Virginem, aut alium Sanctum ea prærogatiua aut excellentia honoris afficere, vt eius merita vellet esse causam vniuersalem meritoriam omnis boni, omnibus prædestinatis conferendi, etiam sine alia speciali applicatione; quo pacto merita eiusdem Sancti non magis fuissent effectus prædestinationis eiusdem Sancti, quam merita Christi. Respondeo, hoc argumento rectè probari, secundum absolutam Dei potentiam nihil obstare, quo minus ita fieri potuisset: sed ita factum esse, non probatur: etsi piè potius, quam verè ita quidam de B. Virgine loqui videantur, de qua re in 3. parte plura. 15.

Secunda pars de ipsa prædestinatione probatur 16

primum authoritate. Ita enim satis apertè docet S. Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 22. cum ait: *Si qui sunt nondum vocati, proeis, vt vocentur, oremus; fortasse etiam sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur.* Vbi apertè non propter orationes, sed vt orationibus iuuentur, prædestinati dicuntur: sunt ergo orationes effectus prædestinationis aliorum, non causa. Eodem modo loquitur S. Gregorius lib. 1. dialog. cap 8. vbi docet, prædestinationem iuuari precibus Sanctorum; non quia oratio sit ratio vel causa prædestinationis, sed quia, inquit, *ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi pio labore perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Deus ante secula dare disposuit.* Vbi rursum preces inter effectus prædestinationis referuntur.

17 Denique B. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. penult. aliàs vlt. *Deus ergo*, inquit, *ijs quos elegit sine meritis, dat vnde ornentur & meritis. Et frustra dicitur, quod ratio operandi non sit electis, cum ad hoc operentur, vt electi fiant; hoc est, tales, quales per electionem præfiniti sunt.* Et infra: *Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij studium relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei, ita sit præordinatus effectus.* Fauet etiam illud Ephes. 1. *Prædestinati secundum propositum eius*; non ob preces aliorum, &c.

Ratio est. Tum quia nos ipsi non sumus causa meritoria nostræ prædestinationis ad gloriam, vt dicetur dub. 5. & quæst. seq dub. 4. cum tamen interim gloriam ipsam vtique promereamur. Tum quia vniuersim prædestinatio mediorum, quibus quisque iustus saluabitur, non est ratione prior, sed posterior prædestinatione ad gloriam, vt eodem dub. 4. patebit. Cum ergo meritum tale sit effectus prædestinationis illius, cui quis promeretur gratiam, &c. adeoque posterior ipsa prædestinatione, fieri non potest, vt sit causa meritoria eiusdem prædestinationis.

18 Quod autem pro contraria sententia dicitur, ad hoc, vt aliquid dicatur meritoria causa prædestinationis ad aliquem effectum, satis esse, quod sit causa ipsius effectus; seu quod Deus decreuerit conferre effectum tali causa mediante. insuper etiam ex eo refellitur: quia sic quoque B. Virgo, & Patres veteris Testamenti dici possent meruisse, aut impetrasse prædestinationem Christi Domini, & electionem humanitatis illius ad vnionem hypostaticam, ad cuius executionem varijs modis ipsi contulerunt: id quod tamen dici non potest, vt veluti certum supponit S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 24. Requiritur ergò, vt meritum sit causa & ratio quædam obiectiua, prior in mente diuina, ob quam Deus hoc vel illud prædestinauerit.

Dices; Qui meretur, vt aliquis sibi vel alteri quippiam conferat, meretur etiam, vt is velit seu decernat illud conferre. Ergo etiam qui meretur sibi aut alteri vitam æternam, meretur etiam, vt Deus velit siue decernat illam conferre: Ergo meretur prædestinationem eiusdem effectus. Respondeo negando postremam consequentiam. Satis enim est, quod mereatur, vt Deus decreto executiuo velit eum effectum conferre, quod libenter concedimus. Aliud est autem decretum prædestinationis, vt dicetur quæst. seq. dub. 3. 4. & 5.

Assertio VI. Possunt tamen homines etiam mortales suis meritis & precibus conducere efficaciter ad executionem prædestinationis aliorum, respectu quorundam effectuum. Ita S. Thomas cit. quæst. 23. artic. 8. & communis omnium Doctorum; quam expresè etiam tradunt Patres, præsertim Augustinus, Gregorius, Prosper locis citatis assertione præcedenti. Ratio sumitur ex dictis. Quia etiamsi Deus ratione prius prædestinauerit homines, quam præuiderit eiusmodi media, non tamen destinauit exequi sine subordinatis medijs, sed potius per ipsa media, vt ex S. Augustino, Gregorio, & Prospero dictum. Inter hæc vero media ad salutem cuiusque efficaciter conducere posse aliorum preces & merita, non ita quidem, vt quisque alijs etiam de condigno mereri gratiæ auxilia possit, sed de congruo, aut certè etiam sine merito impetrare, suo loco in 3. part. ex instituto docetur, & de fide est, ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & sess 25. decreto de Inuocat. Sanctor.

DVBIVM III.

Quænam contra varias hæreses certa sint circa causam meritoriam Prædestinationis, ex parte prædestinati.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5.

SVpposítis ijs, quæ dubio 1. & 2. de causa Prædestinationis tum finali ex parte Dei, tum meritoria ex parte Christi diximus, grauis nunc est controuersia, de causis prædestinationis ex parte ipsius prædestinati. Nec est controuersia de causa materiali siue subiectiua effectuum prædestinationis. Constat enim ex dictis quæstione præcedenti, ipsum prædestinatum esse subiectum omnium pene effectuum prædestinationis; exceptis nimirum ijs, qui vel sunt ipsamet substantia & existentia prædestinati, vel extra prædestinatum peraguntur. Sed nec de causa efficiente difficultas est; quando similiter ex dictis ibidem constat, prædestinatum esse non quidem omnium, sed plurimorum tamen causam efficientem; vt suis locis in specie de singulis declaratur, & rectè persequitur Gregorius de Valentia hîc quæstione 23. punct. 4. §. 1. Neque etiam de causa finali sermo est; siquidem constat etiam, ipsum prædestinatum esse aliquo modo finem Cui, minus saltem principalem, eorum effectuum, qui Esse naturale ac existentiam prædestinati supponunt: qua ratione etiam inferius dub. 4. dicemus, inter ipsos effectus prædestinationis mutuo vnum esse alterius causam. 1

Est ergo solum quæstio de causa morali aliquo modo mouente, an videlicet ex parte ipsius prædestinati detur causa vel ratio aliqua moralis, vllo modo motiua, seu per modum alicuius meriti, seu impetrationis, seu dispositionis, aut causæ, sine qua non, seu conditionis remouentis obicem, 2

siue

siue ipsius prædestinationis in se, vt terminatur liberè ad omnes suos effectus; aut saltem omnium effectuum prædestinationis: & quæstio quidem propriè solum est de effectibus prædestinationis, supponentibus existentiam & esse naturale ipsius prædestinati, qui propriè ac per se ad ordinem supernaturalem pertinent. Nam quod ad esse naturale ipsius prædestinati attinet, nec Catholicorum, nec hæreticorum vllus asseruit dari eius causam seu rationem motiuam ex parte prædestinati. In ordine autem supernaturali cum primus effectus sit gratia præueniens congrua, electorum propria, cui videlicet infallibiliter annectitur tum cooperatio, tum perseuerantia finalis, idcirco omnis quæstio ad hunc ferè statum reuocatur, detur ne in adultis causa seu ratio prædestinationis ad gratiam congruam, per quam discernuntur electi à non electis.

3 Quæ controuersia partim Catholicis intercedit cum hæreticis, partim etiam est inter ipsos per se Catholicos; sed diuersimodè. Primò enim cum hæreticis controuersia est de prædestinatione tam paruulorum, quam adultorum, vt videbimus: inter Catholicos autem non nisi de adultorum prædestinatione controuertitur. In paruulis enim ipsis fatentur Catholici omnes, non posse vllam causam motiuam prædestinationis quoad vllum effectum assignari.

Secundò cum hæreticis quibusdam controuertitur, an detur meritum etiam de condigno totius prædestinationis, seu omnium ipsius effectuum: cum Catholicis autem non item, vt dicemus.

4 Tertiò quidam hæretici negant, dari vllam omnino causam seu rationem, ex parte liberi arbitrij ipsius prædestinati, illius omnino effectus prædestinationis; quandoquidem liberum hominis arbitrium penitus negant & è medio tollunt, vt inferius dicetur: quod Catholicorum nemo facit. Vt autem ordinatè procedamus, ipsaque tractatio magis sit perspicua, hoc dubio solum agemus de erroribus hæreticorum, qui circa prædestinationis causam aut fuerunt olim, aut nunc etiam existunt; vt eorum refutationè tanquam fundamento suppositio, ea quę cum Catholicis controuersa sunt, dubio sequenti facilius diiudicemus.

Primus igitur error hac in re, fuit olim Manichæorum, seu Genethliacorum quorundam (Venditatorem etenim Astrologiæ fuisse etiam Manetem constat ex Augustino lib. 5. confess. cap. 7.) qui cum negarent in nobis liberum arbitrium, totam causam nostræ prædestinationis & beatitudinis retulerunt in certum corporis temperamentum, ex certa astrorum dispositione prouenientis; quem errorem Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ex Apostolo Rom. 9. v. 10 refutat & damnat. Augustini verba loc. cit sunt: [Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri. Vigilantissimè ait (*Apostolus*) Ex vno concubitu: gemini enim concepti erant, ne vel paternis meritis tribueretur, si quisquam forte diceret, ideo talis natus est filius, quia pater ita erat affectus illo tempore, quo eum seuit in vtero matris; aut ita erat mater affecta, cum eum concepit. Simul enim ambos vno tempore ille se-uit, eodem tempore illa concepit. Ad hoc commendandum ait, Ex vno concubitu: vt nec Astrologis daret locum, vel eis potius quos Genethliacos appellauerunt, qui de natalibus nascentium mores & euenta coniectant. Quid enim dicant, cur vna conceptione, sub vno vtique temporis puncto, eadem dispositione cæli & siderum, vt diuersa singulis annotari omnino non posset, tanta in illis geminis diuersitas fuerit, prorsus non inueniunt: & facilè animaduertunt, si volunt, responsa illa, quæ miseris venditant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicione proferri.

Secundus, & priori non absimilis est error Caluini, lib. 2. Inst. cap. 3. & lib. 3. cap. 21. sect. vlt. & cap. 22. qui similiter sublato libero hominis arbitrio, non quidem in astrorum dispositionem, sed in æternum diuinæ voluntatis decretum, omnem prædestinationis causam ita reiicit, vt nullum libero arbitrio locum, in ordine ad vllum prædestinationis effectum, relinquat; nec adeo admittat vllam causam seu rationem, ex parte liberi arbitrii ipsius prædestinati, vllius effectus prædestinationis. Cui errori modo aliquo affines sunt etiam Lutherani Confessionistæ, qui solum concedunt homini liberum arbitrium, seu libertatem, ad efficiendam ciuilem Iustitiam, & deligendas res rationi subiectas, sed non ad efficiendam Iustitiam Dei, seu Iustitiam spiritualem, vt colligitur ex Confessione Augustana, eiusq; apologia art. 18. Idque etiam multò clarius docent in libro Concordiæ in repetitione & declaratione articulorum, de quibus controuersiæ ortæ sunt inter Theologos Augustanæ Confessionis, art. 2. de libero arbitrio, vbi dicitur: *Contra vtrumque partis errores & corruptelas sinceri Confessionis Augustanæ Doctores asseruerunt, hominem ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus corruptum esse, vt in rebus spiritualibus, quæ ad conuersionem & salutem nostram spectant, talpa sit, vt dicitur, cæcior: ita vt Verbum DEI prædicatum neque intelligat, neque intelligere possit, sed illud vt rem stultam iudicet. Docuerunt etiam, quod homo nunquam à seipso ad Deum appropinquet, sed potius hostili animo aduersus Deum sit, atque eam inimicitiam erga Deum in corde suo foueat, donec virtute Spiritus sancti, per Verbum prædicatum, ex mera gratia, sine omni sua cooperatione* (nota errorem) *conuertatur, fide donetur, regeneretur atque renouetur.* Qui error ex instituto refutandus est in materia de gratia: hic satis est scire ac supponere, eum tanquam hæreticum damnatum esse in Concilo Tridentino sess. 6. cap. 5. & 6. & Can. 4. vbi dicitur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam Iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere, anathema sit.* Perspicua sunt aduersus hunc errorem Scripturæ testimonia. Nam cum Zachariæ 1. v. 3. dicitur: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostra admonemur*, inquit Concilium Tridentinum cit. cap. 5. Nec minus 1. Reg. 7. vers. 3. perspicuè dicitur: *Præparate corda vestra Domino.* Et rursum Prouerb. sedecimo vers. primo. *Hominis est animam præparare: & Domini gubernare linguam.*

Digitized by Google

6 Tertius error fuit Origenis; qui, vt refert S. Thomas hic art. 5. dicit causam prædestinationis fuisse merita, quæ in priore vita, ac in altero seculo præcesserant. *Posuit enim ille*, inquit S. Thomas, *animas humanas ab initio creatas, & secundum diuersitatem suorum operum diuersos status eas sortiri in hoc mundo.* Quo modo etiam Origenis errorem referunt, non solum cæteri Scholastici communiter, sed etiam Epiphanius in Panario, & in epist. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanam.

Apertè quoque S. Hieronymus epist. 59. ad Auitum, vbi Origenem in libris periarchôn scripsisse ait, *rationabiles creaturas per negligentiam ad terrena corpora esse delapsas.* Et rursum: *arbitrari se, sua sponte alios esse in numero Sanctorum & ministerio Dei; alios per culpam propriam de sanctimonia corruentes in tantam negligentiam corruisse, vt etiam in contrarias fortitudines verterentur, rursumq; nasci ex fine principium, & ex principio finem; & ita cuncta variari, vt & qui nunc homo est, possit in alio mundo dæmon fieri; & qui dæmon est, & negligentius egerit, in crassiora corpora relegetur, id est, vt homo fiat. Sicque permiscet omnia, vt de Archangelo possit diabolus fieri, & rursus diabolus in Angelum reuertatur. &c. Ipsasque dæmones ac rectores tenebrarum, in aliquo mundo vel mundis, si voluerint ad meliora conuerti, fieri homines, & sic ad antiquum redire principium: ita duntaxat, vt per supplicia atque tormenta, quæ vel multo, vel breui tempore sustinuerint, in hominum eruditi corporibus, rursum veniant ad Angelorum fastigia. Solem quoque & lunam, & astra cætera, esse animantia; imo quo modo nos homines ob quædam peccata hic sumus circundati corporibus, quæ crassa sunt & pigra; sic & cæli luminaria, talia vel talia accepisse corpora, vt vel plus vel minus luceant; & dæmones ob maiora delicta aereo corpore esse vestitos.* Et mox refert S. Hieronymus, Origenem *innumerabiles mundos* sibi serie quadam continua succedentes asseruisse. &c.

7 Ex quibus satis testatum redditur, Origenem ei, quem diximus, errori reuera fuisse obnoxium, etsi Vasquez hic disp. 91. num. 6. dicat, Hieronymum eum errorem Origeni nullibi tribuere: quin imò etiam ab hoc errore Origenem absolutè liberum pronuntiet Picus Mirandulanus in Apolog conclus. 7. & subdubitet Eckius in Chrysopassо centur. 2. num. 27.

Cæterum *hanc opinionem*, inquit S. Thomas cit. art. 5. (seu potius errorem, cuiuscunque sit) *explodit Apostolus Rom. 9. dicens* (scilicet de Iacob & Esau; hoc reprobo, illo prædestinato) *Cum necdum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia maior seruiet minori.* Accedit quod cap. 1. & 2. Genes. hominis creatio & formatio ex limo terræ, ac simul inspiratio animæ viuentis ita refertur, vt non solum nulla id præuiâ animæ humanæ culpa factum fuisse intelligatur, sed potius magna Dei Creatoris erga hominem beneuolentia ac dignatione; qui hominem protinus velut innocentem, optimo loco paradisi constituit, omnique felicitate perpetuo beaturus erat, nisi per esum pomi, in hac primum vita, se suamque posteritatem inquinasset; vt proinde figmentum illud Pythagoricum Origenis manifestè Scripturis aduersetur, nec opus habeat prolixiori refutatione.

8 Quartus error fuit Pelagii, Cælestii, aliorumque Pelagianorum, qui cum & peccatum originale, & gratiæ Christi necessitatem penitus negassent, & è medio sustulissent, vt videre est ex Concilio Carthaginensi, epist. synod. ad Innocentium I. & S. Augustino lib. de gestis Pelagii, non admiserunt etiam prædestinationem seu electionem ad eiusmodi gratiam, sed solum ad gloriam; quam etiam suppositâ gratia creationis, prædicationis, & præcepti, ex præuisis solius liberi arbitrii condignis meritis, adeoque ob iustitiam solius liberi arbitrii, ex viribus naturæ profectam, ita factam confiniscebantur, vt nullum diuinæ gratiæ locum relinquerent, sed ad præscientiam illam meritorum omnia referrent, vt testatur S. Augustinus lib. de prædestin. Sanct. cap. 18. vbi Pelagium suam hæresin ita exponentem refert: *Præsciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem, in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præsciuit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosque præsciuit; vtique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse præuidit.*

Quem errorem continuò Augustinus ibidem aperto Scripturæ testimonio euidenter reuicit: [Intueamur ergo, *inquit*, verba Apostoli (*Ephes. 1.*) atq; videamus, vtrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus; an vt essemus? Benedictus, inquit, Deus, & Pater Domini nostri IESV Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus. Ita ergo nos benedixit benedictione spiritali in cælestibus, in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum.] 9

Deinde quid adiungat attendite: Secundum placitum, inquit, voluntatis suæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis nostræ. In qua gratificauit nos, inquit, in dilecto filio suo; in qua vtique voluntate sua gratificauit nos. Sic dictum est, gratificauit à gratia, sicut Iustificauit dicitur à Iustitia. In quo habemus, inquit, remissionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nos, in omni sapientia & prudentia, vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ, secundum bonam voluntatem suam. In hoc mysterio voluntatis suæ posuit diuitias gratiæ suæ, secundum bonam voluntatem suam, non secundum nostram: quæ bona esse non posset, nisi ipse secundum bonam voluntatem suam, vt bona fieret, subueniret. Cum autem dixisset, secundum bonam voluntatem suam, subiecit: Quam proposuit in filio, id est, in dilecto filio suo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris in ipso; in quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur secundum consilium voluntatis 10

Digitized by Google

suæ, vt scimus in laudem gloriæ eius. Nimis longum est de singulis disputare.

11 Cernitis autem procul dubio, cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana; tanquam homo aliquid prior det, vt retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorũ, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinauitque vt essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suæ, vt nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur: fecit hoc secundum diuitias gratiæ suæ, secundũ bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum non nostrũ, sed eius, qui vniuersa operatur; vsque adeo vt ipse in nobis operetur & velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. Hinc est autem, quod clamamus, vt nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in seipso; sed qui gloriatur, in Domino glorietur, vt simus in laudem gloriæ eius. Ipse quippe operatur secundum propositum suum, vt simus in laudem gloriæ eius, vtiq; sancti & immaculati, propter quod nos vocauit, prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.] Ita S. Augustinus Pelagianorum errorem debellauit.

Quem & ipse tum pluribus aliis libris insectatus est, vt supra q. 2. dub. 1. dictum, tum ex instituto plura Concilia damnarunt, speciatim Palæstinum seu Diospolitanum, Carthaginense, Mileuitanum, Can. 5. Arausicanum II. & nouissimè etiam Tridẽtinum sess. 6. cap. 1. 6. 7. 8. & can. 2. 3. & 1. in quo dicitur: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.* Sed & vtrumque illud Pelagianorum fundamentum, quod scilicet neque natura per peccatum originale vitiata sit, neq; gratiæ vlla ad piè viuendum necessitas, suis locis in 1. 2. ex instituto refutatur, vt in hoc Pelagianorum errore confutando non sit diutius immorandum. Vide Vasquez disp. 89. cap. 4. vbi errores varios Pelagianorum diligenter explicat.

12 Quintus error fuit Semipelagianorum, qui & *Pelagianorum reliquiæ, & Massilienses* dicuntur, à Massilia Galliæ ciuitate, in qua plures eius sectatores degebant, quorum dux habetur Cassianus tota collat. 13. & lib. 12. de Institutis Cœnob. cap. 11. 12. 13. 14. & assectæ nobiles, tum Vincentius quidam, non Lyrinensis ille Monachus, cuius partus est aureus ille libellus de hæresibus, vt rectè etiam Vasquez d. 91. n. 44. sed alius quidam presbyter Gallus, cuius meminit Gennadius de viris illustribus cap. 80. tum Faustus Regiensis, toto lib. 2. & 1. præsertim c. 17. de grat. & lib. arb. vt bene ostendit Vasquez disp. 91. c 9. à n 50. & disp. 89 cap. 4. quos etiam eo tempore secuti sunt complures Episcopi Gallicani, viri cæteroquin Catholici, & qui nõdũ satis perspectâ Ecclesiæ sententia, rectè ac bona fide se agere existimabãt.

Hi tametsi cum Ecclesia Catholica contra Pelagium conuenirent, quod & peccatum originale, & necessitatem gratiæ ad salutem ac bene operandum agnoscerent; in causa tamen prædestinationis assignanda bifariam errabant. Primum enim cum asserent, saltem initium rectè operandi esse à nobis, ita vt solis naturæ viribus possimus velle credere, vt oportet ad salutem, & velle sanari, velle iustificari, atque ita petendo & pulsando ex naturæ viribus impetrare & promereri de congruo gratiam iustificationis à Deo; consequenter etiam dicebant, in nobis esse rationem seu causam meritoriam de cõgruo omnium effectuum prædestinationis, adeoq; totius prædestinationis quoad omnes effectus. Cum autem probe sciant, S. Augustinum in suis contra Pelagianos libris, ipsis eorumque sententiæ aduersari, ausi sunt etiam S. Augustini sententiam & doctrinam de gratuita Dei prædestinatione, carpere tanquam superuacaneam & nouam, & pietatis ac virtutis studio aduersam. Ita ad S. Augustinum scripsit S. Prosper Regiensis Episcopus: [Multi, *inquit*, seruorum Christi, qui in Massiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis, quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti, &c. Hæc enim ipsorum definitio ac professio est, omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari; vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; vt quicunque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Qui autem crediturí sunt, quiuè in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deũ, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit &c. 13

Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reiiciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eò quod in vtramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definiuit accidere; & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem; aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quam factus sit. Et cum contra eos scripta Beatitudinis tuæ validissimis & innumeris testimoniis diuinarum Scripturarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum aliquid etiam ipsi, quo concludantur, adstruimus, obstinationem suam vetustate defendunt, vt ea quæ de 14

epistola

epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem diuinæ gratiæ, præuenientis electorum merita proferuntur, à nullo vnquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, vt nunc sentiuntur, affirment. Cumque vt ipsi ea exponant, secundum quorum velint sensa, deposcimus, nihil se profitentur inuenisse, quod placeat; & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit. &c.

15 Et mox explicans B. Prosper eorundem errorem, quod naturalibus viribus gratiam regenerationis consequi possimus, ita ait: Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur, [illegible]i meritis redditur, frustra gratia nominetur; ad hi[illegible], conditionem velint vniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, & rationalis gratia Creatoris instituat, vt per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem; atq; ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando, vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, vt ad istam saluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire &c. Ac sic, cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam esse, quam gratiam: vt initium salutis ex eo, qui saluatur, non ex eo credendum sit stare, qui saluat; & voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia humanam sibi subiiciat voluntatem. &c. Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis, non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur, si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit, non ideo quia adiuuetur velit, si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur &c primum quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias: deinde quomodo per istam operantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. &c.

16 Et Hilarius Arelatensis epist. ad eundem Augustinum de eodem argumento ita scribit: [Consentiunt (*Semipelagiani*) omnem hominem in Adam periisse, nec inde quenquam posse libero arbitrio liberari; sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cùm prostratis & nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quenquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita suppliciis voluntate vnumquemq; ægrotum velle sanari. &c. Non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipsa iam valeat. *Et infra*: Ad summum, *inquit*, fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potius querela conuertitur, consentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, vt dicant: Quid opus fuit huiusce modi disputationis incerto, tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus vtiliter sine hac definitione aiunt, tot annis, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis, & aliorum, cum contra alios, tum maximè contra Pelagianos, Catholicam fidem fuisse defensam.

Hic ergo primus fuit error Semipelagianorum 17
circa prædestinationis causam, initium bene operandi esse ex nobis, ac proinde hoc ipsum, veluti meritum quoddã saltem de congruo, causam esse prædestinationis quoad omnes effectus; inter quos scilicet illud ipsum initium bene operandi non recensebant, vtpote non ex gratia Christi, sed solius creationis profectum.

Et tribuitur quidem hic ipse etiam error à Vasquio disp. 91. cap. 8. S. Chrysostomo, multisque aliis Patribus, præsertim græcis; sed quos ex communi sententia meritò ab hoc errore vindicat Suarez lib. 2 de prædestin. cap. 8. Securius quidem aliquantò locuti sunt ante exortam Pelagii hæresin, sed aliud vtique non senserunt, quam quod & Apostolus Paulus ipsis optimè perspectũ docuit, & Ecclesia Catholica contra Pelagium confirmauit; in id solum intenti, vt & in salutis nostræ procuratione, præter gratiam diuinam, libertatem arbitrii, necessitatemque cooperationis nostræ tuerentur, & augmentum siue accessionem nouæ ac maioris gratiæ ex bono vsu liberi arbitrii, à diuina tamen gratia præuenti & adiuti, assererent. Ita Chrysostomus homil. 17. in Ioan. & 12. ad Hebr. ait: *Deus nostras non præuenit voluntates, ne nostram teneret libertatem*: nimirum voluntates nostras ad vnum physicè prædeterminando; prout etiã supra disp. 2. q. 10. dub. 8. Anselmum, & Damascenum cum S. Thoma, interpretati sumus, & bene etiam exposuit Suarez loc. cit. n. 11.

Vnde etiam ipsemet Augustinus epist. 106. circa 18
finem absolutè pronuntiat, Catholicam Ecclesiam semper hanc doctrinam tenuisse: & cum ei obiicerentur Chrysostomus, & quidam alij Patres antiquiores, nunquam admisit, eos suæ sententiæ aduersari; sed potius eos benignè interpretatus est, & aliis eorum testimoniis suam sententiam confirmauit; vt videre est lib. de nat. & grat. cap. 64. & lib. de bono perseuer. cap. 14. 19. 23. & lib. 1. cont. Iulian. cap. 6 & 7. & lib. 2. cap. 6. vbi inter alia dicit, Chrysostomum eo tempore securè fuisse locutum in Ecclesia Catholica, quia Pelagiani nondum erant exorti, & à Catholicis rectè intelligebatur. Et lib. de prædestin. Sanct. cap 14 respondens ad hanc obiectionem ex Patribus: *Quid opus est*, inquit, *vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam hæc hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili quæstione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur, vnde factum est, vt de gratia Dei quid sentirent, breuiter & transitoriè attingerent.*

Certè si Augustini doctrina tot antiquis Patribus 19
aduersa esset, non bene Celestinus Papa in epistola ad Gallos, confirmando Augustini doctrinam, reprehenderet contradictionem Massilienſium, vt *nouitatem pernitiosam & contrariam doctrinæ Patrum*:

neque

Digitized by Google

neque Concilium Arausicanum itidem approbans Augustini sententiam, in principio & fine canonũ diceret, illam sententiã esse *acceptam à Patribus*: quod item confirmat Vincentius Lirinensis, lib. cont. profanas nouit. cap. vlt. Nec facilè denique Concilium Palæstinum, quod refert Augustinus epist. 106. cap. 11. & 12. ita exortam Pelagij doctrinam damnasset, vt etiam sententiam Semipelagianorũ antequã esset exorta, pariter dãnaret, prout notauit ibid. Augustin.

20 Quia verò tam Pelagianorum, quàm Semipelagianorum hic error, de causa meritoria omnium effectuum prædestinationis, inter cætera eo duplici exemplo à S. Augustino efficaciter reuincebatur; primò paruulorum, qui sine vllo suo, sæpe etiam absque omni parentum, vt pote impiorum & infidelium, merito, baptismi compotes facti, ex hac vita vtique prædestinati decedunt; aliis itidem paruulis, quamuis piorum sæpe & fidelium parentum filiis, absque baptismo decedentibus, adeoque reprobatis: altero adultorum fidelium, quibus salutaris fidei prædicatio (effectus vtiq; prædestinationis) itidem obtigit absque omni merito; aliis eiusdem conditionis infidelibus ab eo beneficio exclusis: idcirco Semipelagiani hunc alterum errorẽ priori errori adiecerunt, vt prædestinationem & reprobationem infantum, atque etiam adultorum, quoad illum effectum prædestinationis qui est auditio prædicationis Euangelii, eiusue carentia, referrent ad quædam merita vel demerita conditionata ipsorum seu infantum, seu adultorum: quasi videlicet propterea infantes quidam prædestinentur ad gratiam & gloriam, quia Deus scientia conditionatæ viderit, eos si viuere finerentur, rectè vsuros libero arbitrio; alii verò reprobentur, quia viderit, non rectè vsuros libero arbitrio: eodem modo adultis quibusdam denegetur auditio prædicationis fidei, quia Deus eâdem scientia viderit, eos non acceptaturos fidem; aliis verò offeratur ea gratia, quia viderit Deus, eos per vires liberi arbitrii rectè vsuros ea gratia.

21 In qua re dupliciter errabant; tum quia meritum doni supernaturalis tribuebant operi ex viribus naturæ profecto; tum quia ob merita seu demerita cõditionata, quæ nihil ponunt in re, quæque hominem nec bonum faciunt, nec malum, ac secundum diuersas conditiones ex æquo tribui possunt omnibus, putabant Deum præmia vel pœnas decernere: cum potius ob eiusmodi demeritorum conditionatam præuisionem, sæpe prædestinati vitam abrumpat Deus, ne diutius victurus ex gratia excidat; iuxta illud Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*: & contra prædicatio fidei sæpe non obueniat illis, qui eâ, si obtigisset, rectè fuissent vsuri, vt de Tyriis & Sidoniis testatur scriptura Luc. 10. v. 13. & luculenter pluribus demonstrat S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 12. & 13. ex quo etiam notat Suarez, falsò hunc errorem tribui Pelagio; quem Semipelagianis solum tribuunt etiam Prosper & Hilarius.

22 Ita enim Prosper epist ad Augustinum eum errorem refert & refellit: [Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo obiicitur paruulorum, qui vtique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur, vt ante discretionem boni ac mali, de vsu vitæ istius auferendi, alii per regenerationem inter cælestis regni assumantur hæredes; alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores, tales aiunt perdi, talesque saluari, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuam seruarentur ætatem, scientia diuina præuiderit. Nec considerant, se gratiam Dei, quam conditem, non præuiam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præuentas.

Sed in tantum quibuscunq; commentitiis meritis 23
electionem Dei subiiciunt, vt quia præterita, quæ non extant, futura quæ non sint futura confingant, nouoq; apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint. Hanc sane de humanis meritis præscientiam Dei, secundum quam gratia vocantis operetur, multò sibi rationabilius videntur adstruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis seculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ impietate depereunt, nec vlla eis aut legis, aut Euangelii illuminatio coruscauit: cum tamen in quantum prædicatoribus ostium apertum est, & via facta est, gentium populus qui sedebat in tenebris, & in vmbra mortis, lucem viderit magnam, & qui quondã non populus, nunc autem populus Dei sit; & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur, præuisos, inquiunt, à Domino credituros: & ad vnamquamque gentem ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, vt exortura erat bonarum credulitas voluntatum &c.

Similiter Hilarius epist. ad Augustinum ita de 24
Semipelagianis loquitur: [Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quod aliquando pene omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit; dicunt id præscientiæ esse diuinæ, vt eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & vbi prænuntiabatur esse credenda; & hoc non solum aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur. &c.

Cæterum S. Augustinus vtroque libro de prædestinatione Sanct. & de bono perseuer. quibus epistolæ illæ Prosperi & Hilarii præmittuntur, vtrumq; illum Semipelagianorum errorem acriter refellit, & præter innumera testimonia Scripturæ, quibus probatur, in bonis operibus, gratiam Dei nostras voluntates præuenire, & non solum nos nihil boni agere, sed nec velle posse sine gratia diuina, posteriorem errorem tanquam ab omni ratione alienum damnat. Siquidem lib. de prædest. Sanct. cap. 12. ait: [Quis enim audiat, quod dicuntur paruuli, pro suis futuris meritis, in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita, & ideo alii non baptizati in eadem ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala: non eorum vitam bonam vel malã Deo remunerante, vel damnante? Sed nullũ Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debeat hominis, vt mitiꝰ loquar, suspicio. Ait n. (2. Cor. 5. v. 10.) Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnus-

quisque

quisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Gessit, inquit; non adiunxit, vel gesturus fuit. Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, vt futura quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita paruulorum? *Et infra eodem capite ait:* Iudicari autem quenquam non solum secundum merita, quæ habuit, quamdiu fuit in corpore, sed secundum merita quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore, vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestræ literæ indicant, mirans & stupens reperire non possum: nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem. Sed spero adfuturum Deum, vt commoniti videant ea, quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei iudicium in non baptizatis possunt iure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti.

25 *Et lib. de bono perseuer. cap. 10.* [Falsum est igitur, *inquit*, & secundum ea mortuos iudicari, quæ facturi essent, si ad viuentes Euangelium peruenisset &c. *Et in fin. cap. ait:* Quanquam, vt dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præsciti sunt facturi esse, si viuerent, etiam refellere pudeat; ne videamur & nos existimasse alicuius esse momenti, quam maluimus disputatione cohibere, quam silentio præterire. *Et eodem libro cap. 13.* Nisi forte, *inquit*, illi adhuc absurditati auscultabimus, qua dicitur, nihil prodesse cuiquam, mori antequam cadat, quia secundum eos actus iudicabitur, quos eum præsciuit Deus acturum fuisse, si viueret? Hanc peruersitatem sanitati fidei tam vehementer aduersam, quis patienter audiat? quis ferat? Et tamen hoc dicere vrgentur, qui non fatentur, gratiam Dei non secundum merita nostra dari.] Quibus quidem locis nunquam negat Augustinus scientiam mediam in Deo, sed solum secundum merita aut demerita per eam scientiam præscita, gratiam dari vel negari.

26 Et quamuis ipsemet Augustinus quandoque docuerit, electionem Dei fieri ex præscientia non operum, sed fidei, quasi ex viribus liberi arbitrii possibilis, vt videre est proposit. 61. epist. ad Rom. id ipsum tamen postea expresè retractauit lib. 1. Retract. cap. 22. vbi ait: *Nondum diligentius quæsieram, nec adhuc inueneram, qualis sit electio gratiæ, de qua dicit Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ fient. Quæ vtique non ex gratia est, si ex meritis procedit. &c. Perinde quod continuò dixi, &c. Quod ergo credimus nostrum est, quod verò bonum operamur, illius est, &c. hoc profecto non dicerem, si iam scirem, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, &c.*

Certum sit igitur & ratum, vtrumque hunc Semipelagianorum errorem Catholicæ fidei aduersari: quem non solum Augustinus dictis duobus libris de prædest. sanct. & de bono perseuer. vti & Prosper in variis pro Augustino iam defuncto Apologiis, cõtra Collatorem, ad obiectiones Gallorum, Genuensium, Vincentii, Hilarius item & Fulgentius in suis contra eandem hæresin scriptis, egregiè ac ex instituto confutarunt, sed postea etiam Romani Pontifices, speciatim Cælestinus in epist. ad Gallos, & Gelasius Can. *Sancta Romana*, dist. 15. & Concilium Arausicanum II. approbatum à Leone I. & nouissimè Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 2. 3. & 22. sequendo & approbando simul doctrinam S. Augustini in hac materia, ex instituto velut erroneam infide damnarunt, vt pluribus ostendunt Suarez hic lib. 2. de prædest. c. 6. & Vasquez disp. 91. c. 11. quicquid nonnulli incautè ac imprudenter Cassianum, & Faustum Regiensem, quasi explicando, & in mitiorem partem interpretando, tueantur, vt videre est apud Vasquez disp. 91. c. 9. qui etiam disp. 89. c. 4 & 5. de variis Semipelagianorum differentiis, quibus illi plus minusue errarunt, disserit.

Et quamuis cum Pelagianorum errorem communiter damnent ipsi etiam Lutherani, dum docent, neque initium quidem bene operandi ex nobis, aut vllam causam diuinæ prædestinationis in nobis esse, non tamen negare possunt, quosdam olim suos Symmystas, nempe Lutheranos Confessionistas, in Pelagianæ hæreseos scopulos impegisse. Ita enim in libro Concordiæ Lipsiæ edito Anno 1580. tit. de libero arb. pag. 628. loquuntur: [Hæc disputatio iam aliquot, & quidem multos annos, in Ecclesiis quibusdam Augustanæ confessionis, inter Theologos fuit agitata. Vna pars sensit atq; docuit, quamuis homo propriis suis viribus legem Dei implere, Deo vere confidere, ipsum timere & diligere, sine gratia spiritus Sancti non possit, tamen tantum adhuc ipsi virium naturalium ante regenerationem reliquum esse, vt aliquo modo se ad gratiam Dei apprehendendam præparare & assentiri, infirmè tamẽ possit: sed nisi accedat gratia Dei, nihil illum quale-eunque operum præstare posse, &c. Ex altera autem parte Enthusiastæ, tum veteres, tum recentiores, in alteram partem peccantes docuere, quod Deus hominem sine vllo medio, aut instrumento creaturarum, hoc est, sine externa prædicatione, & absque auditione verbi Dei, per spiritum suum conuertat, & ad salutarem Christi agnitionem adducat. *Quibus tamen erroribus Concordistæ mox subiungunt ex sua sententia:* Contra vtriusque partis errores & corruptelas, sinceri Augustanæ Confessionis Doctores asseruerunt: hominem ex lapsu primorum nostrorum parentum ita penitus corruptum esse, vt in rebus spiritualibus, quæ ad conuersionem & salutem nostrã spectant, talpa sit, vt dicitur, cæcior; ita vt Verbũ Dei prædicatũ neq; intelligat, neq; intelligere possit, sed illud vt rem stultam iudicet. Docuerunt enim quod homo nunquã à se ipso ad Deum appropinquet &c. *Et pag. 648. aiunt:* Reiicimus etiam crassum illum Pelagianorũ errorẽ, quod liberum arbitriũ ex propriis naturalibus viribus, sine Spiritu sancto, sese ad Deum conuertere, Euangelio credere possit. &c. 27

Omitto, quod ipsi mox ibidem de *Papistis*, vt loquuntur, & Scholasticis subiungunt; quasi vniuersim isti, aut communiter senserint, hominem naturalibus viribus suis, initium ad agendum bonum, & ad conuersionem suã facere posse: quod falsum esse ex dubio sequẽti patebit; quicquid priuatà opinatione pauci quidam Scholastici dixerint. Ipsi poti⁹ Lutherani inter se & suos exortas de prædestinatione lites & contentiones componant: speciatim inter Ægidium Hunnium & Samuelem Hueberũ: qui sicut illi visus est hac in re καλβινίζειν, ita ille huic vicissim visus est μαγαυίζειν; nec omnino absq; fundamento, vt constare poterit ex variis vtrorumque hac de re disceptationibus, speciatim ex doctrina, quam 28

tradit

tradit Hunnius de prædestin. tom. 1. pag. 94. 748. 806. 948.

Qualis controuersia etiamnum hodie inter Hollandorum Doctores Caluinianos, Gomaristas scilicet & Armenianos, magnâ contentione agitatur: qui quam vehementer in illis rigidam illam Caluini de prædestinatione & reprobatione sententiam improbant, tam acriter illi in his mollem illâ, vt existimant, & Pelagianis confinem hac de re philosophâdi rationem damnant; adeo vt Gomaristæ seu Contra remonstrantes tit. de grat. diuina pronuntient; *Facile cuiuis patere potest, omnem ouo vix magis esse simile, quâ sit doctrina Demonstrantiũ, Pelagianorũ opinionibus.*

Interim per nos licet, vt Concordistæ Lutherani fuæ, quibus volunt, doctrinæ fidem faciant, quando in eodem libro Concordiæ, titulo de æterna Dei prædestinatione, pag. 781. ita loquuntur: [Falsum igitur est, & cum Verbo Dei pugnat, cũ docetur, quod non sola Dei misericordia, & vnicum sanctissimum Christi meritum, verum etiam aliquid in nobis causa sit electionis diuinæ, propter quod nos Deus ad vitam æternam prædestinauerit.] Quanquã prædestinationis ad gloriam seu ad vitam æternam, longe diuersa est ratio, quam prædestinationis ad gratiam congruam; de qua hoc loco disputamus; de altera controuersia acturi inferius quæst. 5. dub. 3. 4. & 5. Atque hæc de erroribus, & variis opinationibus hæreticorum satis.

DVBIVM IV.

Quid Scholastici nonnulli de causa Prædestinationis, ex parte Prædestinati, senserint.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5.

1 QVæstio est hoc loco, vt dub. præced. exposuimus, an detur ex parte prædestinati causa, seu ratio aliqua motiua prædestinationis, quoad vtrumque illum effectum, tam gratiæ congruæ electorum propriæ, quam gloriæ. Nec verò diffiteri possumus, fuisse olim, & ex parte etiamnum esse inter Scholasticos quoque Doctores varias hac de re sententias; & quasdam sanè à Semipelagianorum errore, præcedenti dubitatione relato, saltem quoad modum loquendi, non multum abludentes; non ob aliam causam, nisi quia Conciliorum & Pontificũ, adeoq; totius Ecclesiæ Catholicæ definitiones ac sensum, pro Augustini doctrina, contra Semipelagianos, nõ satis habebant perspecta. Referam igitur hoc dubio aliorum hac de re sententias; prius quidem illas, quæ causam aut effectuum omnium prædestinationis, aut certè ipsius gratiæ assignant ex viribus liberi arbitrii: deinde illas, quæ causam eiusmodi assignant ex operibus à gratia procedentibus: Hinc verò dubio sequenti veram sententiam aliquot conclusionibus ordine explicabimus.

2 Prima igitur sententia est Aureoli in 1. d. 41. q. vn. a. 1. qui docuit, dari ex parte prædestinati totius prædestinationis, quoad omnes suos effectꝰ, causam per modum remouentis obicem, seu potius per modum carentiæ obicis. Ita enim loquitur loc. cit. propo-

sit. 1. [Deus nullum reprobat sine causa affirmatiua. (*de qua re q. 7.*) nec prædestinat absq; causa negatiua. Vbi considerandum, quod pro primo instanti, quo offertur diuino conspectui omnis homo, vult Deus illi gratiam & salutem; imò & omnes creat ad istum finem, nisi tamen obicem gratiæ reperiat, per quem homo reddatur indignus. Tunc ergo præscientia sumente sub illa generali volitione, offeruntur in Dei præscientia aliqui cum obice gratiæ, & indignitate; vnde reperit in eis præscientia resistentiã gratiæ, vel habitualem, sicut in paruulis, in quibus est originale peccatũ, vel actualem, vt malũ vsum liberi arbitrii in adultis. Alii verò offeruntur in Dei præscientia, non quidẽ cũ aliqua dignitate, aut dispositione positiua; nec illud oportet: sed sufficit, quod sine indignitate & obice offerãtur, & tunc concluditur pro istis finalis gratia, & salꝰ æterna, pro illis verò subtractio gratiæ, & præparatio pœnæ; & per consequẽs illi reprobati sunt iusto iudicio; isti verò sola misericordia liberati, tamen non sine causa negatiua.]

Et ibidem inferius expresè docet, eam carentiam obicis non esse effectum prædestinationis; cum ait: [Tale quid oportet assignari pro causa prædestinationis, quod non sit effectus proueniens ex ipsa prædestinatione, & eam sequens: sed constat, quod nihil aliud potest poni subterfugiens causalitatẽ gratiæ & prædestinationis, nisi quod dictum est; omne n. positiuũ, vtpote bonus vsus liberi arbitrii, aut quæcunq; dispositio ad gratiam est à Deo &c. Potest aũt homo ex puris naturalibus nõ ponere obicem; quia in hoc nullus est actus positiuus, sed mera negatio: vñ hac negatione reperta, Deus qui ad miserandum pronus est, gratiam confert, ex quo oritur omnis bonus vsus liberi arbitrii, & omnis bona dispositio positiua. &c.

Quod si dicatur, quod puer, qui baptizatus est, habet à prædestinatione, quod fuerit baptizatus; & per consequens carentia obicis est effectꝰ prædestinationis, non causa; non valet quidem: quia hoc potius sequitur cursum naturæ. Si enim puer ex complexione mori debeat statim natus, non perueniet ad baptismum; nec erit hoc ex alia reprobatione; sed quia non vult Deus facere propter ipsum nouum miraculum: imò ipsum relinquit naturali cursui. Similiter etiãsi fuerit natus ex parentibꝰ infidelibus, non baptizabitur; si verò ex fidelibus, baptizabitur: hoc aũt non habet alteri imputari, nisi ordini naturali, secundũ quẽ iste nascitur ex istis, ille ex illis: nec propter hoc vt ille baptizetur, Deus debuit ordinare, vt ex aliis parentibus nasceretur.] *Ita Aureolus.*

Secunda sententia est eorum, qui docent, causam prædestinationis seu electionis, quoad omnes eius effectus, esse opera bona moralia prædestinati, antecedentia gratiã. Pro hac sententia Gregorius de Valentia hic q. 23. pun. 4. § 3. & alii referunt Thomam Argentinam in 1. d. 41. q. vn. a. 2. Ockamum ead. dist. & quæst. & ex Thomistis Iauellum in proprio quodam opusc. hac de re edito, & adiuncto primæ parti S. Thomæ edit. Lugdun. Anni 1581. quem speciatim refellit Dominicus Banes hic q. 25. a. 5. 3

His à Vasquez disp 91. c. 10. accensentur Scotus in 4. d. 14. q. 2. Gabriel q. 1. a. 2. & in 2. dist. 27. q. 1. a. 2. & 3. dub. 4. & in 3. d. 27. q. 1. a. 3. dub. 2. & Caietanus tom. 1. opusc. tract. 4. q. 1. qui asserunt posse hominem dolere de peccatis propter Deum, super-

omnia dilectum, ex propriis viribus, & hanc esse vltimam dispositionem ad gratiam habitualem iustificantem, & meritum ad illam, non quidem condignum, sed congruum. Verum Bannes hic q. 23. a. 5. rectè notat, meritum illud Scoti de congruo, si quod est, impertinenter omnino se habere ad prædestinationem: multos enim prædestinatos esse, in quibus non reperitur istud meritum congruum &c. & multos esse, in quibus repertum est eiusmodi meritum congruum, qui tamen non fuerunt prædestinati, &c.

4 Denique pro eadem sententia refert etiam Vasquez loc. cit. omnes illos, quotquot olim defendisse videntur propositionem illam, *Facienti quod in se est, ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam*; qua nimirum impetret à Deo auxilia gratiæ, quibus ad Iustitiam promouetur. In quibus sunt Richardus in 2. d. 28. a. 1. q. 2. Durandus quæst. 5. num. 7. Gabriel in 2. d. 27. q. 1. art. 2. & 3. Caietanus 1. 2. q. 109. Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 3. Driedo opusc. de concord. lib. arbit. & prædest. par. 2. cap. vlt. & de captiuit. ac redempt. gen. hum. tract. 5. cap. 2. par. 2. Ruardus Tapper a. 7. non autem Alensis, Antisiodorensis, Gerson; multò minus S. Thomas, vt videre est apud eundem 1. 2. q. 189. a. 6. ad 2. & bene ostendit Vasquez cit disp. 91. c. 10.

Sed reuera nec isti authores rectè ad hoc propositum citantur. Quia pleriq; ex his ipsis, etsi doceant, aliquid fieri posse per vires naturæ, conducens ad gratiam, simul tamen apertè negant, ex parte prædestinati dari causam seu rationem totius prædestinationis, vt de Richardo, Durando, Driedone, Caietano, Soto, notauit ipsemet Vasquez cit. disp. 91. cap. 10. & 11. Idem speciatim videre licet in Molina, qui licet in Concordia sua, & in disputationibus ex ea selectis, quæst. 14. art. 13. quæst. 14. ex parte cum Caietano, & aliis superius citatis, quoad naturalem Dei dilectionem senserit, tamen hic quæst 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. disertè negat, ex parte prædestinati vllam dari causam, vel rationem, totius prædestinationis, seu omnium effectuum eius; quem ita etiam sequuntur & defendunt nonnulli recentiores, speciatim Lessius de grat. efficaci cap. 10. & append. sequente. Qui etiam rationem huius rei recte assignant: quia authores illi opus illud bonum morale conducens ad gratiam, eo ipso censent effectum esse prædestinationis, iuxta dicta quæst. præced. dub. 1. & 2. & quidem etiam, vt mox dicetur, profectum à specialibus auxiliis ordinis naturalis, quæ spectant ad gratiam præuenientem; cuius proinde effectus ex parte prædestinati, etiam secundum ipsorum sententiam, causa seu conditio alia nulla assignari potest. De qua re fusius egi tomo 2. disp. 6. de grat. q. 3. dub. 7.

5 Addit insuper Vasquez cit. disp. 91. cap. 10 hos omnes, quos ipse pro hac sententia secunda citauit authores, tam à nobis relatos, reipsa impingere in errorem Massilienſium, siue Semipelagianorum. Sed nec istud etiam firmiter probari, aut verè dici existimo, vt ostendunt etiam Suarez opusc. de auxil. lib. 3. cap. 2. num. 6. & hic lib. 2. de prædestin. cap. 6. num. 10. & cap. 7. & cap. 18. num. 3. & Lessius cit. cap. 10. & append. de gratia efficaci. Ratio autem eos explicandi, & ab errore Semipelagianorum defendendi, hæc commodiór, & præ cæteris solidior videtur. Quia tametsi negari nullo modo possit, & ex iis, quæ dub. præced. ex S. Augustino, Prospero, & Hilario de Semipelagianis retulimus, plane constet, Semipelagianorum errorem in hoc potissimum constitisse, quod in salutis procuratione primas libero arbitrio, posteriores gratiæ tribuerint; quodque adeo per bonum vsum liberi arbitrij ex viribus naturæ gratiam obtineri posse senserint, vt etiam ex Concilio Arausicano, & Cælestino Papa ibidem relatis patet; non ideo tamen, si rem ipsam potius, quam verba spectemus, sequitur, eandem Scholasticorum, quos diximus, cum Semipelagianis fuisse sententiam: non solum quia Massilienses simul etiam meritum aliquod gratiæ ex viribus naturæ asseruerunt, non quidem de condigno, vt intellexerunt Vega & Toletus ad Rom. 11. sed de congruo, vt ex communi Suarez hic lib. 2. cap. 6. à num. 26. & Vasquez cit disp. 91. cap. 9. nec ea præcipuè de causa, quia Massilienses simul etiam fortassis actualem concursum Dei, velut causæ primæ in operibus nostris excluserunt, vt probabiliter suadet Lessius, opusc. de grat. efficaci cit. append. cap. 10. Sed eam potissimum ob causam, quia Massilienses planè omnia auxilia specialia Dei, in diuina inspiratione & directione posita, liberi arbitrii vsum antecedentia, negarunt; solam gratiam creationis confessi, vt ex dictis eodem dubio colligitur: cum tamen Scholastici illi, quos retulimus, specialia auxilia Dei ordinis naturalis (quæ re ipsa ad gratiam Vocantem spectant, esto aliter ipsi loquantur) cum de naturæ viribus loquerentur, non excluserint, vt superius dictum: & manifestè etiam patet in Iauello, quem eum vel maximè etiam improbet Bannes hic q. 23. a. 5. hanc tamen ipsam eius conclusionem refert: [Ex parte prædestinati & reprobati datur causa & ratio prædestinationis & reprobationis; hæc autem ratio ex parte prædestinati, est vsus bonus liberi arbitrii moralis, antecedens gratiam, vt dispositio congrua, non tamen condigna ad gratiam; & elicita à libero arbitrio moto à Deo, non solum vt vniuersali mouente, sed etiam influente in hominem particulare auxilium, quo sufficiens est, etiam remota gratia, producere bonos actus morales, vt temperatè viuere, iusta agere, defendere patriam. Iste itaque bonus vsus, vt præuisus à Deo in Iacob, est ratio, quod prædestinetur Iacob, & ex opposito, malus vsus liberi arbitrii moralis moti à Deo, vt vniuersali motore, reddens hominem indignum gratia, est ratio, quod Esau reprobetur. Ita Iauellus. Omitto aliam expositionem Suarez loc. cit. opusc. quasi solum senserint, DEVM non ponenti obicem per id quod ex se facere potest, ex sua liberalitate dare gratiam. De qua re fusius egi tomo 2. disp. 6. quæst. 3. dub. 7. Atque hæ duæ sententiæ spectant ad causas prædestinationis, petitas ex viribus naturæ: quam vtramque referunt etiam, & vehementer impugnant ex antiquioribus Theologis Gregorius Ariminensis in 1. d. 41. quæst. 1. art. 2. & eundem secutus Marsilius in primũ quæst. 41. artic. 2. Et quamuis posterior sententia quoad verba & loquendi modum videatur primâ durior, eoque improbabilior, quod de positiua dispositione; prior solum de negatiua loqui

videa-

videatur, reipsa tamen contrarium accidit; vtrumque ex dictis colligitur, tum quia prior etiam ad paruulos assignatam causam extendit.

6 Tertia sententia est, causam seu rationem, saltem per modum cuiusdam dispositionis seu impetrationis mouentem, non quidem omnium effectuum prædestinationis; sed ipsius tamen gratiæ congruæ, seu prædestinationis ad ipsam gratiam congruam, esse merita ipsius prædestinati, non quidem antecedentia gratiam, sed consequentia, ac per scientiam conditionatam præuisa, tamen re ipsa ac absolutè quandoq; futura; seu quod re ipsa idē est, præscientiam illam conditionatam eiusmodi meritorum, quasi ideo Deus donet, & præordinarit se daturum alicui gratiam, quia præscíuit eum bene vsurum gratia: sicut cum rex alicui militi donat equum, quem scit eo bene vsurum. Quam quidem sententiam differre ab vtroq; illo eri ore Semipelagianorum præcedenti dubio relato constat. Hanc sententiam referunt & refellunt S. Thomas hic q. 23. a. 5. & Durandus in 1. dist. 41. q. 2. eam verò apertè docuit Alensis 1. part. q. 28. memb. 3. art. 3. vbi ait: [Consequenter quæritur, vtrum Reprobatio & Prædestinatio habeant causam ex parte Dei, scilicet præscientiam, id est, vtrum præscientia, qua scit istum bene vsurum gratia sit causa prædestinationis, & præscientia, qua scit, illum malè vsurum, sit causa reprobationis. Ad hæc Augustinus. Voluntas Dei ex ratione est. Similiter Ioannes Damascenus; Voluntas est rationalis appetitus: Ergo maximè voluntas Dei; semper enim quod nobilius, est Deo tribuendum; hinc voluntas operans ex ratione, præferenda est illi, quæ operatur sine ratione Quæritur ergo, quæ sit ratio voluntatis diuinæ. Videtur quod præscientia: voluntatis enim quæ est ex ratione, scientia præcedens ratio est. Cum ergo in prædestinatione intelligam voluntatem, scilicet præparatiuam, erit eius ratio præscientia. Ad hoc facit illud Rom. 8. Quos præscíuit, hos prædestinauit. Ad hoc etiam est ratio; quia præscientia semper est ratio voluntatis operantis ex ratione. Item ad idem patet ratio. Quia si esset aliquis largitor bonorum, & sciret, quod iste non vteretur bene dono suo, sed malè, non esset bonus & rationabilis dispensator, si daret illi, qui malè esset vsurus, & non illi, qui bene esset vsurus: sed ipse Deus præscit omnia: ratio ergò est, vt det illi qui bene vsurus est, & non illi qui malè.

Et mox sibimetipsi obiiciēs Alensis pergit in hunc modum: contrà Augustinus in lib. de prædest. Sanct. Non quia nos tales futuros esse præscíuit, ideo elegit. Item si dicatur, quod meritum in præscientia sit causa prædestinationis & reprobationis: Aut ergo merita in præscientia sunt idem quod Deus, aut nō. Si idem; ergo idem est causa sui: nam prædestinatio etiam idem est quod Deus, Si merita in præscientia vel in causa non sunt idem quod Deus, & merita in suo Esse sunt temporalia, ergo temporale est causa æterni. Item Deus dat gratiam illi, quem scit malè vsurum, vt Iudæ proditori; nec tamen ex hoc dicitur irrationabiliter agere: Ergo à simili non est ratio, quare dicatur agere irrationabiliter, quia non dat illi, qui bene vsurus est gratia: Ergo non est causa vel ratio prædestinationis. Item voluntas Dei est prima causa, & ratio omnium: sed primæ rationis vel causæ non est causa vel ratio: Ergo voluntatis diuinę non est quærenda ratio vel causa.]

Sequitur nunc Alensis responsio. [Secundum rem idē est in Deo præscientia, & prædestinatio, secundū principale significatum; tamen secundum rationem intelligentiæ differunt: & ideo vnum potest dici ratio alterius, non causa. Et hoc voluit dicere Augustinus, cum dixit, Voluntas Dei ex ratione est. Quod ergo obiicitur, Non ideo elegit &c. si Ideo dicit causam, verum est: si rationem, falsum est: quia præscientia meritorum dicit rationem voluntatis: non tamen ex hoc sequitur, quod ipsa merita sint ratio siue causa voluntatis. Ad illud dicendum, quod nihil aliud sunt merita in præscientia, quam præscientia meritorum: præscientia autem meritorum idem est, quod Deus. Non est autem idem ratio sui. Nam etsi quantum ad principale significatum, sunt idem præscientia & voluntas, differunt tamen secundum rationem intelligentię, quantum ad connotata: nam collationis gratiæ & gloriæ potest esse ratio præscientia meritorum. Ad illud quod obiicitur, quod Dominus dat illi, qui non bene est vsurus, dicendū, quod hoc est ex ratione bonitatis; quia dat illi, qui facit quod in se est; sed ratione æquitatis est, quod dat illi, quem scit bene vsurum.] Hactenus Alensis. 7

Quę cum magna ex parte etiam retulisset Dionysius Carthusianus in 1. dist. 41. q. 1. subiungit: [Responsio ista tanti Doctoris; admirationem & timorem ingerit mihi, eò quod apertissimè dicat, præscientiam meritorum esse rationem collationis gratiæ & gloriæ; authoritatemque Augustini prætactam exponit sic, quod præscientia illa, qua Deus præscíuit nos tales, vtpote iustos futuros, non est causa, sed ratio, quod & quare elegit nos. Hæc quippe videntur esse contra intentionem Augustini & Patrum: quia ex his sequi videtur, quod præscientia meritorum sit ratio prædestinationis, non mera ac pura bonitas ac liberalitas Dei: & item quod gratia non detur purè ac penitus gratis, sed intuitu meritorum. Nec videtur ista responsio multum differre ab opinione praua ac condemnata dicentium, quod gratia datur propter merita, saltem futura, & quod merita sint causa prædestinationis. Nempe qui hoc dixerunt, non erant tam rudes, & imperiti, quod opinabantur merita temporalia & gesta creaturarum, esse causam effectiuam aut præcessiuam diuinæ prædestinationis, quæ est ipsemet Deus; ita quod res creata esset realis causa Dei: sed hoc intendisse videntur, quod præscientia, præcognitio, seu præintuitio meritorum futurorum, fuerit ratio prædestinationis, cur scilicet Deus voluerit atque decreuerit, seu præparauerit gratiam dare his, quos præscíuit iustos futuros; quod tamen negatur in litera.] Ita Dionysius. 8

Sed horum opinationem differre ab illa Pelagianorum ac Semipelagianorum, iam ante monui: isti enim pro causa prædestinationis assignabant meritum ex viribus naturæ; hi autem meritum, seu bonum vsum liberi arbitrii ex gratia &c. 9

Posset etiam in eandem sententiam citari Eckius in Chrysopassо centur. 3. num. 16. vbi ait: [Aliquos verò Deus prædestinat cum ratione & causa: præsupponendo semper, quod ab initio articuli dictum est, non intendere sic loquentes, propositum diui-

num quomodocunque causari: sed solum quod illa ratio prædestinationis teneat se ex parte prædestinati, ad istum vel similem sensum: quia Deus ab æterno præuidit, hunc assensurum bonæ motioni & inspirationi diuinæ, propterea vult ei dare gratiam. Et quia Deus præuidet ab æterno, hunc per eandem gratiam multa bona opera facturum, & in ea finaliter permansurum, ideo vult ei & ordinat eũ ad tantam gloriam: & illa præuisio, aut potius illa præuisa sic cognita, seu in esse cognito sunt ratio prædestinationis. Et hoc facit Deus procedendo secundum regulas iustitiæ suæ, ad mentem quarti euidentialis, quodque non vult deesse homini facienti quod in se est, secundum maximam Theologicam.] Ita Eckius. Sed reuera hic author ad propositum non spectat; quia non loquitur de prædestinatione ad gratiam præuenientem congruam: sed tum ad gratiam habitualem sanctificantem, tum ad gloriam; illiusque rationem vult esse dispositionem nostram: huius verò merita præuisa: quod ad propositum non spectat; sed quæst. seq. dub. 5. expendendum erit. Quare etiam idem Eckius cent. 2. num 32. plane oppositum docet, & hoc quartum corollarium statuit: *Non eò quia Deus præuidit hunc bene vsurum gratia, ideo Deus vult illi dare gratiam; & per consequens non eò etiam prædestinat: sed è contra quia Deus vult illi gratiam, & bonum vsum gratiæ, ideo bene vtitur gratia.* Ita Eckius: & addit, hoc corollarium esse, *contra Doctorem solennem*, nempe Gandauensem, de quo paulò post.

10 Sed nec desunt recentiores quidam Thomistæ, qui in eandem sententiam pertrahere conentur omnes illos Doctores, qui asserunt, prædestinationem non esse peractam in Deo, sine præscientia conditionata boni vsus liberi arbitrii. Verum hoc friuolum est, quia non ideo assignatur hæc scientia, vel ipse bonus vsus ita præuisus, vllo modo, vel vt causa, vel vt conditio, siue occasio ex parte prædestinati inuitans seu mouens ad prædestinandum, aut vllum gratiæ donum conferendum: licet præscientia illa sit conditio sine qua non, ex parte DEI prædestinantis; quia videlicet absque ea stare cum prædestinatione non posset libertas arbitrii nostri; nec omnino satis perfecta foret prædestinationis ac prouidentiæ ratio ex parte Dei.

Dices. Si homo posità hac vel illa conditione, non esset cooperaturus, Deus non præsciret cooperationem sub conditione futuram: & si non præsciret, non prædestinaret: ergo cooperatio saltem sub conditione futura est conditio requisita ad totam prædestinationem. Respondetur primò, etiamsi homo hac vel illa certa conditione posita non esset cooperaturus, Deum tamen in sua præscientia habuisse alias conditiones, cum quibus hominem prædestinare posset; imò etiam potuisse prædestinare absque omni cooperatione futura ad vitam æternam; auferendo eum ex hac vita ante vsum rationis. Neque vero prima prædestinatio ad vitam æternam fit post ordinationem particularem, & præuisionem mediorum, sed ante, vt dicetur quæst. sequenti.

Respondetur secundò, hinc solum probari, cooperationem, non vt reipsa futuram; sed solum vt sub conditione futuram, esse conditionem ad prædestinationem adulti requisitam, non veluti rationem mouentem aut inuitantem ad prædestinandum; sed velut terminum ipsius scientiæ conditionatæ, quæ ex parte Dei est conditio ad prædestinationem saltem mediorum in adultis requisita; ita vt etsi nullum adultum Deus prædestinarit, quem non sciret per scientiam mediam & conditionatam rectè vsurum libero arbitrio, si tali gratia præueniretur: minimè tamen idcirco hæc præscientia fuerit causa siue ratio prædestinationis; quando cum simili præscientiâ alios innumeros non prædestinauit.

Quarta sententia est eorum, qui veriti admittere causam prædestinationis meritoriam, aut impetratoriam, seu minimam dispositionem, dixerunt, arbitrium nostrum, eiusque cooperationem absolutè futuram (saltem vt procedit à libero arbitrio) esse causam, siue vt cautius aliqui loqui maluerunt, *conditionem* sine qua non: eò quod totus effectus prædestinationis in nobis non sit sine nostra cooperatione, nec vllus omnino adultus sine propriis meritis saluetur. Pro hac sententia Vasquez disp. 91. cap. 7. inter alios citat etiam Ioannem à Bononia, & Bartholomæum Camerarium, quos equidem non vidi. Ita verò sentit Henricus Gandauẽsis quodlib. 4. quæst. 19. vbi ait: [Prima gratia nullam causam habet in nobis meritoriam sicut habet secunda: habet tamen causam congrui, non propter quam; sed sine qua non conferretur vni prima gratia gratum faciens, quæ alteri denegatur; cum apud Deum non sit personarum acceptio, sicut dicit Apostolus: sed æqualiter fauet omnibus, vt dicit Augustinus in Originali, super illud psalmi 17. In circuitu eius tabernaculum eius. Vnde ex parte vnius istorum respicitur aliquid, sine quo nullo modo alteri esset præferendus. Quod est ratio præferendi ipsum alteri; & hoc non ex parte Dei, & respectu actus eius, vt est ab ipso & in ipso: sed ex parte subiecti in nobis, & respectu actus, vt effectus eius habet recipi in nobis. Sed tale quid sit, omnino nobis inuestigabile est; & est opus clamare cum Apostolo, ô altitudo. Vñ super illud Eph. 3. Vt possitis cõprehendere, Glossa: Quia isti dat, illi non dat, de profundo iudiciorum Dei procedit, quod scrutari nequimus.

11

Exemplũ tamen sit nobis circa habentes vsum liberi arbitrii. Puta, sint duo peccatores, vel infideles, quorum corda aliquo motu gratiæ præueniẽtis stimulet ad aliquod bonũ spirituale credendũ, & vnus respuat, recalcitret statim, & contradicat, alter verò sistat, nec contradicat; non dico, quod aliquẽ motũ in bonum eliciat: nõ est congruum, quod contradicenti & nõ contradicenti æquale fiat: imò contradicens forte mortaliter peccat, & meretur damnationẽ siue reprobationem quoad effectum eius, qui est pœna æterna: alter verò nihil meretur omnino, quia adiutoriũ gratiæ gratũ facientis non habet adhuc. Congruum tñ est, vt diuina liberalitas prouideat ei super adiutorio gratiæ gratũ facientis & condonantis peccata, qua possit salutem suã promereri, super quo nõ est æque congruũ prouideri alteri, eò quod voluntariè à parato liberaliter conferre gratiã se auertit, alter aũt nõ. Et hoc reputatur conuerti, vt sibi peccata cõdonẽtur, iuxta illud quod dicit Augustin. super prænominatũ psalmũ: Oñipotens Deꝰ neq; in misericordia amittit iudicium, neq; in iudicio misericordiam:

12

conuer-

conuersis ad se donat peccata, non conuersis non donat. Misericors est iniustis: nunquid & iudicium amisit, aut non debuit iudicare inter conuersos, & non conuersos? An nobis iustum videtur, vt conuersus, & non conuersus æqualiter habeãtur, vt eodem modo suscipiantur humilis, & superbus? Secundum hoc ergo descendendo ad quæstionem, dico, quod in isto singulari prædestinato quocunque est assignare causam & rationem prædestinationis suæ: non secundum rationem, qua ipsa prædestinatio actio voluntatis est in prædestinante, sed secundum rationem, qua connotat effectum receptum in prædestinato. Non dico causam siue rationem meritoriam, propter quam fit, sed congruentiæ, sine qua non, vt expositum est.

13 Et clarius in eundem sensum loquitur idem Gandauensis quod lib. 8. q. 5. vbi ait: [Hinc dicit Augustinus, Non propter futura quæ præuidit elegit. Vbi ergò sunt merita, vbi opera vel præterita, vel futura, tanquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Non igitur misertus est Deus, quia Iacob voluit & cucurrit; sed ideo voluit & cucurrit, quia misertus est Deus. Est tamen hic intelligendum, quod in volente & currente est tria considerare, & ipsum actum cursus & volentis, & ipsam gratiam, qua liberum arbitrium fit validum ad efficaciter volendum & currendum, & ipsam potentiam liberi arbitrii. Et bene verum est, quod actus siue operatio ab vtroque est, scilicet à gratia & libero arbitrio simul, ita quod à neutro esset per se, & quod plus est à gratia, quam à libero arbitrio; quia plus virium dat gratia libero arbitrio, quã habeat ex se & suis naturalibus. Aliquid tamen agit in opere ex suis naturalibus, licet non nisi cum gratia: vt licet ex se & naturalibus suis non operetur, ex eis tamen cooperatur. Et sic tam ratione gratiæ omnino, quam ratione operis principaliter, bene verum est, quod non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Ratione tamen liberi arbitrii in cooperando, aliquo modo est volentis & currentis; vt saltem hoc, vt est existens in præscientia Dei, sit ratio electionis æternæ, respectu electi, & ita prædestinationis; quia quodammodo non includitur sub prædestinatione, neque sub eius effectu; licet non sit sine eius effectu; nec sit distinctum quod est prædestinationis, ab eo, quod est liberi arbitrii.

14 *Et infra ait*: Et quod talis ratio iustitiæ ponatur in operibus misericordiæ, quæ tamen non mouet dantem, sed sine qua non dat, non sit inconueniens, patet ex eis, quæ fiunt circa opera cõdemnationis, &c. vt sicut ibi ex parte subiecti ratio sit iniustitia, propter quam fit; sic hic ratio sine qua non; vt sine tali iustitia nunquam ponatur Dei misericordia. *Et infra ait*: Et potest dici secundum prædicta, quod licet effectus totus prædestinationis quoad substantiam & habitum gratiæ, & essentiam operationis meritoriæ totius, in quantum totum est effectus gratiæ, totum pertinet ad effectum prædestinationis, tamen in quantum in toto liberum arbitrium cooperatur, & aliquid ex se agit, licet nihil agit, nisi idem agatur à gratia, tamen in quantum fit à libero arbitrio, potest esse totum, secundum quod fit à libero arbitrio, ratio totius prædestinationis, modo præexposito. Nec incidit positio hæc in opinionem Pelagianorum; quia non ponitur hoc op⁹ liberi arbitrii, quin ẽt ponatur gratiæ, qualiter nõ ponebãt Pelagiani. Propter quod totum meritoriũ est ratione gratiæ, ex qua fit, & totũ vt est in præscientia, est prædestinationis ratio.

Similia repetit ibidẽ inferius: citatq; ẽt in eam sententiam S. Augustin. lib. 83. q. 68. vbi ait: *Prorsus cuius vult misereatur, & quẽ vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse nõ põt. Venit n. de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores, cũ propter generale peccatum vnã massã fecerint, nõ tamẽ nulla est inter illos diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatorib. quo quãuis nondũ sint iustificati, digni efficiãtur iustificatione: & itẽ prætedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione.* Ita ex Augustino Henric⁹.

Sed præterquã quod Richardus 1. d. 41. a. 2. q. 1. ad 2. & pleriq; Theologi veteres, vt & Thomistæ recentiores, cũ Magistro in 1. d. 41. existimant, S. Augustinũ hunc locũ in aliis consimilib⁹ retractasse, tametsi quibusdã recentioribus id nõ probetur, certè Augustinus eo loco solum loquitur de collatione gratiæ sanctificantis, & obdurationę; respectu quorũ sanè vtrinq; datur causa ex parte hominis; inde consensus seu bona dispositio, non tamẽ sine gratia Dei præueniente, vt declarauit idẽ lib. 1. Retract. c. 16. hinc verò inobediẽtia & refutatio gratiæ oblatæ, vt declarat in eadem quæstione S. Augustinus. Et falsum est, quod dicit Gandauensis: *sicut particularis vsus liberi arbitrii est ratio partis* (scilicet vnius effect⁹ prædestinationis) *sic totus vsus per totã vitã, est ratio totius, & similiter electionis æternæ: & sicut in vno*, inquit, *sic in toto humano genere; vt secundũ hoc, & hoc modo, assignemus intrinsecã rationẽ, & quoad totũ genus humanũ, & quoad quẽlibet, sed in generali tantũ, quare aliqui saluantur, alii verò dãnantur; & quare iste potius saluatur quã ille, à totius massæ damnatione, in quo æquales sunt; & hoc in adultis. &c.* Sed de falsitate huius doctrinæ inferius agendum. 15

Præter has quatuor sentẽtias hactenus relatas, quæ ad rem ipsam, de qua agimus, propriè spectant, sunt ẽt duæ aliæ, quæ in modo potius loquendi, quam re ipsa à vera & cõmuni sententia inferius explicanda recedunt. Est igitur quinta sententia Ockami & Gabrielis in 1. dist. 41. & tribuitur ẽt Osorio lib. 9 de Iustitia, Catharino, & aliis, qui, vt dictum quæst. præc. dub. 1. cum inter effectus prædestinationis numerent solam gloriæ consecutionẽ, non vero media, simulq; sentiant, prædestinationem ad gloriam saltem communiter fieri post præuisa merita, vt dicetur quæst. seq. consequenter docent, ipsam totam prædestinationem fieri à Deo ex prædestinati præuisis meritis de condigno. Quæ sententia licet in verbis potius, quàm in re erret, tamẽ ob malè sonantem & dissonũ à communi sensu Theologorum loquendi modum, prorsus est repudianda. Accedit quod vtrumq; eius sententiæ fundamentum falsum esse, partim dictum quæst. præced. dub. 1. partim constabit quæst. seq. 16

Sexta sententia est, quæ cum asserat, effectũ prædestinationis incipere primũ à gratia sanctificante, consequẽter docet, dari in adultis causam meritoriã de congruo prædestinationis quoad omnes effectus. Quæ sententia tribuitur ẽt à Gregorio de Valentia q. 23. pun. 4. §. 3. Iauello, & à Vasquez disp. 91. c. 5. Iauello simul & Bonauenturæ in 1. d 41. Sed & hæc sententia in modo loquendi potius, quam reipsa erat: & Iauellus non solum de gratia sanctificante habituali, sed etiam de actualibus auxiliis gratiæ ordi- 17

nis supernaturalis locutus est, vt circa secundam sententiam retulimus, & videre est apud Bannem loco ibidem citato: nec etiam satis constat, an ea fuerit Bonauenturæ sententia, vt dictum cit. q. præced. dub. 1. vbi simul fundamentum eiusdem sententiæ refutauimus.

Omitto eos, qui cum asserant, gratiam efficacem talem formaliter esse & dici solũ ab ipsamet cooperatione, consequenter docent, in nobis esse conditionem, seu potius rationem & causam, vt vocatio prima non quidem nobis prædestinetur & conferatur, sed sit efficax, & pertineat ad prædestinationem, non ad communem prouidentiam: de qua re in materia de gratia differendum, & nonnihil etiam quæst. sequenti; vbi simul expendemus illam sententiam, quæ negat illum effectum, etiam loquendo de prima gratia congrua, fuisse omni ratione priorem ipsa præscientia absoluta cooperationis perseuerantis. Restat nunc, vt de causa totius prædestinationis veram sententiam exponamus; quod dubio sequenti aliquot conclusionibus ordine præstabimus.

DVBIVM V.

Quænam sit vera sententia de causa Prædestinationis, ex parte prædestinati; & an omnino admittenda sit vlla eiusmodi seu causa motiua, seu occasio, seu conditio sine qua non totius prædestinationis, seu omnium effectuum ipsius.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5.

1 VEra igitur & communis Theologorum sententia in his assertionibus consistit, quas ordine subiungemus.

Assertio I. Causa, seu ratio motiua, totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis, siue etiam ipsius gratiæ congruæ prædestinatorum propriæ, ex parte prædestinati non est aliqua eius dispositio, siue conditio ex viribus naturæ profecta; neque positiua, in operibus bonis moralibus; neq; negatiua, in carentia obicis constituta. Hæc est doctrina S. Thomæ hic q. 23. a. 5. & cõmunis Theologorum, quos referemus assert. 5. contra primam sententiam superius relatam, & quoad modum loquendi, etiam contra authores pro secunda sententia adductos, vt ibidem notauimus. Et quamuis forte hæc assertio non sit apertè de fide, vt colligi potest ex iis, quæ supra dub. præced. in relatione secundæ sententiæ contra censuram Vasquez diximus, adeo tamen certa est, vt oppositum non sit tutum, vt communiter censent Doctores recentiores inferius citandi.

2 Probatur hæc assertio primum ex Scriptura, quæ sæpius docet, in iis quæ ad salutem pertinent, hominem nihil præstare, nec peccata etiam vitare, aut ab iis immunem esse posse, sine gratia; neque adeo hanc ex viribus naturæ sibi comparare posse. Cuiusmodi sunt illa Ioan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Rõ 9. v. 16. *Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei.* Rom. 11. v. 5. *Reliquiæ secundum electionem gratia saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Et v. 35. *Quis prior dedit ei?* 1. Cor. 4. v. 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 2. Cor. 3. v. 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Philip. 2. v. 13. *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Iacobi 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Osee 13. v. 9. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Speciatim verò contra Aureolum huc faciunt illa Iob 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo cõceptum semine? nonne tu qui solus es?* Prouerb. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Ephes. 2. v. 3. *Eramus natura filii iræ* Rom. 11. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Ex quibus patet, non esse naturæ hominis, aut virium naturalium, peccati obice carere, aut quicquam facere, quo à reprobis discernatur.

Secundò probatur ex S. Augustino, aliisq; Patribus, qui vt inferius videbimus assert. 5. omnem causam motiuam prædestinationis, ex parte prædestinati, excludunt. Optimè de hac re Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 6. *Electio*, inquit, *ipsa gratiæ est, non vtique meritorum. Superius enim dixerat* (Rom. 11.) *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratia saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio: non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo enim saluos fecit eos.* Idem habet Prosper ad excerpta Genuens. dub. 4. Et multa in hunc sensum definit Concilium Arausicanum II. Quibus accedunt illa, quæ ex Scriptura & SS. Patribus adduximus dub. 1. ad probandum, nullam in particulari dari causam, cur hic potius eligatur aut prædestinetur, quam alius. Plura assert. seq. 3

Ratio generalis est. Quia omne medium particulare salutis, est effectus prædestinationis, siue sit ordinis naturalis, siue supernaturalis, vt dictum quæst. præceden. Ergo etiam tam carentia obicis, quam opus bonum morale, esto ex viribus naturæ profectum ad salutem quicquam conferre posset, est effectus prædestinationis. 4

Ratio particularis contra Aureolum est. Quia iuxta ipsum, obex gratiæ & æternæ prædestinationis, est etiam peccatum originale; vt dictum dub. præceden. ob id enim ait, ex infantibus quosdam à Deo fuisse reprobatos: at verò hunc obicem peccati originalis habent omnes; ac præcipue quoad hoc pares sunt omnes infantes, vt ex dictis patet; tum ex illo Rom 5. v. 12. manifestum est: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et v. 18. *Igitur sicut per vnius delictũ in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti-*

constituentur multi. Ergo carentia obicis inter homines, maximè inter infantes, non est causa totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis.

5 Vnde secundò sic argumentari licet. Carentia obicis est carentia peccati etiam originalis, vt docet loc. cit. Aureolus; aut ergo prædestinandi offeruntur præscientiæ diuinæ tanquam à peccato originali præseruati, eiusque penitus expertes, aut tanquam ex viribus naturæ ab eo liberati; aut per gratiam Christi ab eo liberati: duo priora dici nullo modo possunt, sine manifesto Pelagianismi errore: si tertium dicatur, impossibile est, vt carentia obicis dicatur causa totius prædestinationis, seu omnium eius effectuum: Ergo. Minor probatur quoad priorem partem, quia Pelagianum est dicere, homines peccatum originale non contrahere; hoc enim est negare peccatum originale; siquidem nulla est ratio, cur id tribuatur solum reprobis, & non prædestinatis: & si hoc maximè verum esset, idipsum tamen præcipuum quoddam diuinæ gratiæ erga prædestinatos opus, adeoque effectus prædestinationis esset. Nec minus contra Pelagianos damnatus in Concilijs error est, dicere, hominem sine gratia Christi à peccato originali liberari posse, vt patet ex omnibus fere Concilijs contra Pelagianos celebratis, speciatim ex Mileuitano, Arausicano, Tridentino, &c. Tertia pars itidem patet. Quia si ipsi etiam prædestinati non nisi per gratiam Christi à peccato originali liberantur; ergo ea ipsa carentia peccati originalis est effectus gratiæ diuinæ, adeoque prædestinationis; Ergo impossibile est, vt sit causa seu ratio motiua totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis.

6 Tertiò rursum. Si carentia obicis, seu peccati originalis, esset causa totius prædestinationis, necesse foret, vt ipsa non esset effectus prædestinationis, vt fatetur Aureolus: sed planè falsum est, eam carentiam non esse effectum prædestinationis: cum sit effectus baptismi, quem effectum esse prædestinationis sæpe sæpius contra Pelagianos, eorumque reliquias inculcat Augustinus, maximè lib. de prædest. Sanct. & de perseuer. & satis patet ex ijs, quæ de effectu prædestinationis dicta sunt quæst. præced. Est ergo manifestè absurdum, quod ait Aureolus, baptismi collationem & occasionem non esse effectum prædestinationis, quasi tantum ex dispositione cursus naturalis, & causarum secundarum, sine speciali & particulari decreto diuinæ prouidentiæ accidat, vt ex infantibus vnus baptizetur, alter non baptizetur.

Quartò, loquendo speciatim de adultis, obex in his est malus vsus liberi arbitrij, vt ait Aureolus, ac proinde carentia obicis in hoc consistit, vt non malè vtantur libero arbitrio, adeoque non peccent: at verò impossibile est, vt homo adultus, sine gratia longo aliquo tempore, aut ad finem vsque vitæ à peccato etiam mortali immunem se præstet: *non est enim homo, qui non peccet*, 3. Reg. 8. v. 46. vt in materia de gratia fusius docuimus to. 2. disp. 6. q. 3 dub. 4. & 5.

7 Quod si Aureolus dicat, satis esse pro illa carentia obicis, vt homo adultus breui aliquo tempore non peccet; id omnino falsum est, siquidem multi sunt reprobi, qui cum longo etiam aliquo tempore mortaliter non peccarint, nihilominus tamen quia semel tandem aliquando peccant mortaliter, & cum eo peccato decedunt, damnantur: neque satis est diuturna vlla mora temporis sine peccato transacti quamdiu homo viuit, quæ hominem securum aut certum de sua prædestinatione & salute reddere possit: semper enim adhuc fieri potest, vt peccet, & ob peccatum damnetur, vt constat etiam ex definitione Concilij Tridentini, sess. 6. can. 22. & 23. E contrario verò sæpe accidit, vt homo prædestinatus in fine tandem vitæ conuertatur & pœnitentiam agat, & ita cum gratia decedat, vt in bono latrone accidit: Ergo falsum prorsus est, carentiam peccati personalis, quomodocunque explicetur, esse rationem & causam totius prædestinationis, seu omnium effectuum prædestinationis.

Ratio particularis contra eos, qui bona opera moralia constituunt causam & rationem gratiæ & prædestinationis, est. Tum quia sine præuia motione gratiæ nullum opus salutare fieri à nobis potest; ac proinde motio gratiæ præuenientis antecedit bonum ac salutarem vsum liberi arbitrij, vt in materia de gratia ibidem docetur dub. 3. non sequitur; nec ad ipsam gratiam sanctificantem homo satis se disponere per vires naturæ vllo modo potest, vt definitur in Concilio Tridentino sess. 6. can. 1. 2. & 3. Tum quia fieri potest, vt homo quantumuis in bonis operibus moralibus ante finem vitæ se exercuerit, adhuc tamen gratiam congruam prædestinatorum propriam non sit consecutus: è contrario fieri potest, & sæpe fit, vt qui nulla eiusmodi bona moralia exercuerit, in fine tamen vitæ per diuinam gratiam subitò conuersus saluetur, vt dictum. Ergo vanum est, eiusmodi bonis operibus moralibus prædestinationem attribuere. 8

Nec video vllum argumentum, quo opposita sententia corroboretur; quia Deum in prædestinatione non habere se æqualiter ad omnes, etiamsi Deo prædestinanti æquali conditione omnes offerantur, quod hæc sententia pro absurdo habet, ex Scriptura & Patribus notissimum est, ex dub. 1. Illud autem axioma, Deus facienti quod in se est, non denegat suam gratiam; non intelligitur de faciente per vires naturæ, sed per auxilia actualia præuenientis gratiæ, vt suo loco de gratia doceo tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 7 & rectè exposuit S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 6. ad 2. & q. 112. a. 2. & 3. Denique falsum est, inter auxilia diuinæ gratiæ solum numeranda esse ea, quæ sunt intrinsecè supernaturalia, vt ibidem de gratia docetur q. 1. dub. 2. & 3. 9

Assertio II. Causa & ratio motiua prædestinationis siue totius, siue etiam ad gratiam congruam prædestinatorum propriam, non sunt bona opera moralia prædestinati, gratiam sanctificantem antecedentia, quamuis ex particularibus auxilijs Dei profecta. Hæc assertio directè est contra secundam sententiam superius relatam, & contra Iauellum alioſque authores ibi relatos, prout à nobis expositi sunt; & sumitur itidem ex S. Thoma q. 23. a. 5. & est communis Doctorum, apud Bannem loc. cit. & Gregorium de Valentia q. 23. p. 4. §. 3. Et quamuis Bannes contra Iauellum dicat, eam Iauelli sententiam *refutari non minus, quam errorem Pelagianum*, certè tamen ea sententia ab errore Pelagiano abest, vt superius dictum: satis est dicere, eam & malè sonare, & improbabilem esse, nec satis in fide tutam. 10

11 Probatur primò ex Scriptura & Concilijs, ex quibus colligitur, in rebus ad salutem & pietatem spectantibus, non solum hominem nihil posse sine auxilio speciali Dei, ad ordinem naturæ spectante, & naturales solummodo vires lapsæ naturæ quasi restituente, vt intellexit Iauellus, sed etiam sine auxilio gratiæ diuinæ per Christum, nihil posse facere; sic enim sonant illa: *Sine me nihil potestis facere. Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Gratia Dei sum id quod sum.* Et in Concilio Arausicano II. can 6. dicitur: *Si quis sine gratia credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri, non autem diuinitus vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; aut humilitati, & obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens & humillimus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, Quid habes, quod non accepisti? &c; Gratia Dei sum id, quod sum. 1. Cor. 4. & 15.* Quod si ergo omne bonum ad pietatem & salutem spectans est effectus gratiæ, necesse est, vt sit etiam effectus prædestinationis, cum gratia hominis prædestinati vtique sit effectus prædestinationis ex quæst. præced. dub. 1. Ergo impossibile est, vt sit causa eiusdem gratiæ, siue prædestinationis ad eandem.

12 Huc etiam secundò spectant alia loca Scripturæ, & Conciliorum quam plurima, quæ docent hominem ad gratiam sufficienter non disponi per sola opera bona moralia; sed necessariò prærequiri dispositionem supernaturalem fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ; vt videre est etiam in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. 6. & can. 1. 2. 3.

Tertiò huc spectant illa loca Scripturæ & Conciliorum, quæ vniuersim negant, gratiam ex operibus naturæ, seu naturalibus viribus dari: vt est in primis citatum illud Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.* In quem sensum paulò antea etiam S. Augustinum & Prosperum pluribus differentes audiuimus. Optimè etiam S. Augustinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Vocantis est ergo gratia, pertipientis verò gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim vt feruear calefacit ignis, sed quia feruet: nec ideo benè turrit rota, vt rotunda sit, sed quia rotunda est: sic nemo propterea benè operatur, vt accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest iustè viuere, qui non fuerit iustificatus? &c. Prima est igitur gratia, secunda, opera bona, &c.* Et infra: *Non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cælorum, &c.*

13 Quartò huc spectant illa loca Scripturæ, quibus vniuersim probabitur inferius, nullam esse causam seu rationem motiuam in prædestinato totius prædestinationis: quibus etiam superius dub. 1. probauimus, nullam esse causam, cur hic potius, quam alius à Deo prædestinetur.

Quintò idem probat ratio. Quia vel Auctores illi sentiunt, opera bona moralia naturalia ante gratiam sanctificantem facta, esse causam & rationem gratiæ ac prædestinationis ad gratiam electorum propriam, si modò aliqua breui aliquo tempore fiant; vel requirunt, vt longo aliquo tempore exerceantur, absque nouo peccati mortalis lapsu; neutrum dici potest. Non primum. Quia falsissimum est, ad gratiam sanctificantem certò conciliandam sufficere, si bona opera moralia & naturalia breui solum aliquo tempore exerceantur, vt à fortiori ex insinuatis Scripturæ locis patet. Neque secundum dici potest: quia ex materia de gratia apud S. Thomã q. 109. a. 4. & 8. certum est, hominem extra gratiam sanctificantem cõstitutum non posse longo tempore à nouo peccato mortali immunem se præstare; siue impotentia hæc sit physica & intrinseca, siue solum moralis & quasi extrinseca, de quo ibidem egimus.

Denique bona eiusmodi opera moralia sæpe gratiam sanctificantem non præcedunt; nonnunquam reprobis cum prædestinatis communia sunt; vt etiam assert. præced. dictum: Ergo nulla ex his ratio prædestinationis desumi potest. 14

Nec vllum est oppositæ sententiæ fundamentum, præter id, quod iam antea refutauimus, petitum tum ex homine faciente quod potest; tum ex æqualitate diuinæ beneuolentiæ ad omnes, in quibus nulla est inæqualitas, quod fundamentum falsissimum esse patet ex dub. 1. & 2.

Certè Iauellus ipse, quasi præfando, hac in re fatetur, suam sententiam nulla authoritate muniri, cum ait: *Vtrum sit assignanda aliqua ratio, pro qua Iacob est prædestinatus, & Esau reprobatus, à nullo adhuc decisa est. Nam si ab aliquo, à D. Paulo decideretur in epist. ad Rom. à cap. 9. vsque ad 11. sed ille reliquit totum inscrutabile, dicens: O altitudo diuitiarum, &c. In cuius confirmationem adduxit Apostolus illud Isa. 40. Quis cognouit sensum Domini. Præterea neq; Augustinus hanc quæstionem determinauit, neq; D. Thomas, neq; Scotus, neq; alius quisquam; sed quilibet illorum illum sensum secutus est, qui sibi rationabilior videbatur.*

Quod autem Iauellus ibidem nihilominus subiungit, *quod illam opinionem nos sequi decet, quæ rationabilior appareat, & apertius seruet rectitudinem diuinam, sustentet spem fidelium, occasiones desperationis tollat, defenset prædestinationis certitudinem cum libero arbitrio*; quasi liberum ei sit, à S. Pauli, Augustini, & S. Thomæ vestigijs in hac re discedere, non immeritò reprehendit Bannes cit. q. 23. a. 5. *Quis non rideat*, inquit, *maximam temeritatem auctoris huius cum arrogantia coniunctam? Nam quæstionem, quam neq; Paulus, neq; Augustinus, neq; D. Thomas definiunt, hic auctor vult definire; & assignare nobis rationem sufficientem huius differentiæ, quare hunc Deus prædestinauerit, & non illum, ex quibusdam meritis parui momenti præscitis à Deo, cum tamen Apostolus solum assignauerit rationem quandam congruentem huius differentiæ in communi, ex parte omnipotentiæ Dei, qui voluit ostendere maximè misericordiam & iustitiam suam vindicatiuam. Cæterum in particulari, quare istos homines, istum populum elegerit, & alium reprobauerit, rejcit omnino in abyssum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Eandem doctrinam secutus Augustinus, gratia Dei testis insignis & prædicator, dixit nobis, Quare istum trahat, illum non trahat, noli velle inuestigare si non vis errare. Eandem doctrinam secutus fuit D. Thomas, & sequuntur omnes, qui humilitate progrediuntur in via Dei.* Ita Bannes cõtra Iauellum. Vide quæ de hac re diximus dub. 1. 15

Neque tamen ideò negamus, aut ex consequenti negandum est, aliquibus operibus moralibus gratia Christi factis, antequam aliquis cognoscat mysteria supernaturalia, obtineri à Deo rerum illarum notitiam, & 16

tiam, & vlterius mediâ illa notitia hominem consequi posse iustificationem; quod ex communi rectè asserit Vasquez disp. 91. num. 113. & nos suo loco dicemus: etsi nonnunquam repugnare quoad priorem partem videatur Augustinus: sed hoc solum negamus, operibus bonis moralibus sine omni gratiæ Christi auxilio factis, prædestinationis gratiam, aut vllam omnino Christi gratiam obtineri posse, vti sentiebant authores, quos impugnamus: qui auxilia quidem Dei specialia, sed non auxilia gratiæ Christi, in eiusmodi operibus admittebant, vt dictum. Plura de hac re tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 7.

17 Assertio III. Causa seu ratio motiua prædestinationis, siue totius, siue ad gratiam congruam prædestinatorum propriam, non sunt etiam bona opera prædestinati ex gratia profecta, seu ipsa præuisio eiusmodi bonorum operum, siue considerentur, vt ex ipsa etiam gratia, siue vt ex libero hominis arbitrio procedunt. Ita expresse S. Thomas hic cit. q. 23. a. 5. & communis Doctorum, quos citabimus, sententia; & quidem adeo certa contra tertiam sententiam superius relatam, vt oppositum non sit probabile. Probatur ex Scriptura, quæ vniuersim docet, prædestinationem esse gratuitam; & simul negat, in prædestinato esse aliquam causam prædestinationis, saltem ad gratiã; vt partim ex testimonijs pro prima & secunda assertione allatis patet, partim magis patebit assert. 5. Ratio est. Tum quia ipsemet ille bonus vsus gratiæ est effectus prædestinationis, etiam prout procedit à libero arbitrio: Ergo impossibile est, vt sit causa totius prædestinationis, seu omniũ effectuum prædestinationis, vt rectè etiam argumentatur S. Thomas eius. 5. Tum quia ipsis etiam reprobis à Deo prædestinari potuisset gratia congrua, quam si accepissent, ea proculdubio rectè fuerant vsuri: Ergo falsum est, rationem & causam prædestinationis ad gratiam congruam esse præscientiam boni vsus eiusdem gratiæ, seu cooperationis cum eadem gratia. Denique ipsa gratia congrua causa est boni vsus liberi subsequentis; non contra.

18 Notauit id optimè etiam S. Augustinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. vbi ait: *Illud autem nescio, quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet, vt velimus. Deus enim est, qui operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Nam si quaramus, vtrũ Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquã audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò tribui non potest, quod vocamur.* Quibus verbis expresse docet Augustinus, nullam in nobis esse causam, cur à Deo congruè vocemur; sed hanc potius vocationem esse causam omnis bonæ operationis nostræ.

19 Et ibidem infra: *Non potest*, inquit, *effectus misericordia Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri* (donatione videl. gratiæ congruæ) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neq; contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamuis vocati. Item verum est, Non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei; quia etiamsi multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum est, vt sequantur. Falsum est autem, si quis dicit, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atq; currentis est hominis; quia nullius Deus frustra miseretur. Cuius autẽ miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat. Hic dicet aliquis, Cur ergo Esau non sic est vocatus, vt vellet obedire. Videmus enim alios aliter, ijsdem rebus demonstratis, vel significatis, ad credendum moueri, &c. Cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademq; res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, aliumq; moueat, alium non moueat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocãdi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemq; contingeret, in qua Iacob iustificatus est?* Ita Augustinus.

Neque verò par est ratio gratiæ congruæ, quæ est 20
equi alicuius, quem rectè sæpe donat dominus seruo suo, qui eo bene vsurus est; negat alteri, qui otiosè illum habiturus; quod exemplum obijciunt contrariæ sententiæ authores. Quia equus licet sit materia & concausa boni vsus; non tamen per se efficit, & infallibiliter causat bonum vsum: at verò gratia congrua & concausa est boni vsus per modũ gratiæ adiuuantis, & causa infallibilis boni vsus, per modum gratiæ præuenientis; in quocunq; reperiatur; ita vt reipsa & effectu secuturo ea nemo abuti, nemo non bene vti possit. Quod si par etiam ratio esset equi, vt non solum facultatem boni vsus, sed etiam ipsum bonum vsum infallibiliter præstaret, cuicunque obtingeret, tum planè nulla etiam ratio motiua ex bono vsu futuro assignari posset, cur huic potius, quam alteri donaretur, vtpote omnibus ex æquo vsui futurus, quibusuis demum obtingat.

Assertio IV. Bonus vsus gratiæ, & cooperatio nostra absolutè futura, non est etiam vllo modo causa seu conditio sine qua non, siue totius prædestinationis, siue donationis ipsius gratiæ congruæ. Colligitur itidem ex S. Thoma hic q. 23. a. 5. & est communis Doctorum ac certa, contra quartam sententiam superius relatam, vt videre est apud Vasquez ibidem citatũ, & inferius patebit assert. seq. Colligitur & probatur ex dictis assert. præced. Siquidem ipsa cooperatio nostra, etiam vt est à libero arbitrio, est effectus prædestinationis: Ergo impossibile est, vt sit conditio sine qua non, ad omnes effectus prædestinationis; alias enim cõditio sine qua non esset etiã ad seipsam.

Deinde eadem cooperatio nostra est effectus gra- 21
tiæ congruæ, eaque posterior, vt antea dictum; Ergo non potest esse conditio sine qua non ad donationem gratiæ congruæ: quia conditio sine qua non, respectu alicuius effectus, est aliquid prius eodem effectu, non posterius. Denique Deus cuilibet etiam reprobo posset donare eam gratiam, qua rectè ipse vsurus esset: Ergo eius donatio non requirit hanc cõditionem in suscipiente, vt ea rectè vsurus sit; sed facit. Huc etiam spectat authoritas S. Augustini eadem assert præced. citata, & alia, assertione seq. citanda. Quare esto opposita sententia grauiorem notam non mereatur, certè tamen improbabilis est.

Neque ex eo, quod prædestinatio non sit sine nostra cooperatione, sequitur, cooperationem esse cõditionem sine qua non; quia etiam sol nunquam est sine lumine, seu illuminatione: neque tamen ideo lumen seu illuminatio est conditio sine qua non respectu solis; ob eam nimirum ipsam causam, quia est

aliquid

aliquid posterius sole: ita etiam se res habet cum cooperatione respectu gratiæ congruæ, vel prædestinationis ad eandem in adultis, &c.

22 Assertio V. Ex parte hominis prædestinati nulla penitus datur causa meritoria, seu ratio, siue occasio, vel conditio vllo modo motiua, seu dispositiua, seu impetratoria, aut etiam sine qua non, siue totius prædestinationis, siue omnium effectuum prædestinationis. Hæc est expressa sententia S. Thomæ hic q. 23. a. 5. vbi ait: *Impossibile est, quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra.* Idem docent S. Thomas lib. 3 cont. gent. c. 161. & 163. Ferrariensis ibidem, Caietanus, Bannes, Zumel, & omnes Thomistæ hic cit. art 5. Magister in 1. dist. 41 quem sequuntur Bonauentura ibid. a. 1. q 1. & 2. Scotus q. vn. Richardus a. 2. q 1. Durandus in 1. dist. 28. q. 5 Marsilius in 1. q. 41. a. 2. Ariminensis dist. 41. q. 1. Heruæus dist. 40. q. vn. art. 3. Driedo de concord. lib. arb. & prædest. part. 1. cap. 3. Sotus in epist. ad Rom. cap. 9. Corduba lib. 1. q. 56. Gregorius de Valentia hic q. 23. p. 4. §. 4. Molina a. 5. disp. 1. memb. 11. Bellarminus lib. 2. de grat & lib. arb. cap. 9. Suarez lib. 2. de prædest. cap. 24. Vasquez disp. 91. cap. 11. & seqq. Lessius de prædest. hominis sect. 1.

23 Probatur primò ex Scriptura. Ita enim expresse docet S. Paulus Rom. 9. à v. 11. longo orationis contextu, his verbis: *Cum enim nondum nati fuissent* (Iacob & Esau) *aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi cum ait, non ex operibus, sed ex Deo vocante, & vt secundum electionem propositum Dei maneret, Iacobum à Deo fuisse dilectum, Esau verò non item, sed respectiuè quasi odio habitum (reprobatione scil. negatiua, vt dicetur q. 6.) apertè indicat, nullam causam ex parte prædestinati esse, cur secundum diuinam prædestinationem Iacobus fuerit præpositus Esau: siue interim hoc loco directè agatur de diuina prædestinatione ad vitam æternam; vti quidem communiter Augustinus, alijque Patres & Theologi intelligunt: siue directè solum de prædestinatione seu præordinatione diuina Iacobi ad bona & beneficia, seu prærogatiuas quasdã temporales sit sermo, vt vult Vasquez in paraphrasi, & cit. disp 95. c. 8. nihilominus enim hoc saltem quasi paradigmatis seu exempli loco, ac velut quoddam simile diuinæ prædestinationis ad gratiam proponitur, vt omnes SS. Patres & Doctores vnanimiter testantur, & ipsemet Apostolus eo loco apertè indicat.

24 Pergit Apostolus ibidem eodem orationis contextu à v. 14. *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor, cuius misereor: & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neq; currentis* (hoc est proprijs naturæ viribus satagentis) *sed miserentis est Dei, &c. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Vbi rursum apertissimis, ac sæpius iteratis verbis, in solam Dei misericordiam diuinæ prædestinationis consilium refertur.

Et quia mox hinc oriri videbatur alicuius ergà Deum querelæ occasio, quasi Deus frustra de hominum malitia ac interitu queratur; cuius auferendæ vel impediendæ efficaciter penes eum solum originaliter est & potestas, & arbitrium, mox hanc obiectionem, ibidem retundit, & rursum assertionem illam suam de gratuita Dei dilectione & prædestinatione, ratione & exemplo cõfirmat Apostolus v. 19. *Dicis itaq; mihi; quid adhuc queritur* (Deus?) *voluntati enim eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Quasi dicat: Nil est, cur homo aduersus Deum idcirco murmuret. Deus enim est absolutus Dominus vitæ & mortis vniuscuiusque, non minus quam figulus vasorum, quæ facit. Sicut ergo iste suo arbitratu, absque vlla iniuria, vnum quidem vas destinat ad honestos vsus, aliud verò ad sordidos; ita etiam Deus alios quidem homines eligit ad gratiam, alios relinquit, seu etiam post præuisum peccatum ad pœnam & supplicium destinat. Quare ex toto eius orationis contextu manifestum est, ex mente Apostoli, prædestinationem Dei ad gratiam congruam, electorum propriam, plane esse gratuitam, nec vllam eius ex parte hominis esse rationem motiuam seu inductiuam: simulque indicat etiam eandem esse rationem reprobationis negatiuæ, vt dicetur q. 6.

Similis est locus 1. Cor. 4. v. 7. *Quis autem te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Discretio hæc inter iustum & peccatorem, atque etiam inter prædestinatum & reprobum, fit tum per gratiam congruam, tum per diuinam electionem; cuius proinde nulla ratio in homine potest assignari: siquidem Deo soli discretio hæc tribuitur. Vtroque autem loco frequenter in suis contra Pelagianos & Semipelagianos libris vtuntur Augustinus, & alij Patres, ac Doctores. Huc spectant cætera Scripturæ loca, quibus superius dub. 1. probauimus, nullam dari causam, præter solam Dei voluntatem, cur Deus hunc potius, quam alium prædestinet.

25 Secundò probatur assertio ex SS. Patribus. Augustinus quidem vtroque libro de prædest. Sanct. & de bono perseuer. hoc vel maximè ac potissimum agit, vt ostendat, prædestinationem Dei esse gratuitam, nec eius in nobis vllam esse causam, sed in sola voluntate, misericordia, & gratia Dei; quem ita etiam sequuntur Prosper, Hilarius, & Fulgentius: quorum plura testimonia in eundem sensum etiam superius dub. 1. & 3. retulimus. Optimum inter alia est illud eiusdem Augustini lib. 1. ad Simplic. q. 2. cum ait: *Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei: quandoquidem nec velle, nec currere, nisi eo mouente atque excitante poterimus. Quod si electio hic fuit aliqua, vt sic intelligamus quod dictum est, Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt; non vt iustificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed vt eligantur, qui iustificentur; certè ita occulta est hæc electio, vt in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit. Aut si apparet quibusdam, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittar; nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque; addamus etiam, si placet, honestas vtilesq; doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atq; maculatus; nam nullis quis potest? & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam.*

Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma 26

mundi elegit, vt confundat fortia, & stulta mundi, vt confundat sapientes, vt eum intuens, pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus eruditores. Nonne aduertimus, multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorundam hæreticorum, sed etiam minorum? Item non videmus quosdam homines vtriusq; sexus, in coniugali castitate viuentes sine querela, & tamen vel hæreticos, vel paganos, vel etiam in vera fide & vera Ecclesia sic tepidos, vt eos miremur meretricum & histrionum subitò conuersorum, non solum patientia & temperantia, sed etiam fide, spe, charitate superari?

Restat ergo, vt voluntates eligantur, sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atq; inuitet animum, moueri nullo modo potest. Hoc autem vt occurrat, non est in hominis potestate. Quid volebat Saulus, nisi vt inuaderet & traheret, vinciret, & necaret Christianos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam caca, qui tamen vna desuper voce prostratus, occurrente vtiq; tali viso, quo mens illa & voluntas refracta, sæuitia torqueretur, & corrigeretur ad fidē, repente ex Euangelij mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est. Et tamen quid dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum? exigentem à quo placet, donantem cui placet; qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum. Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Quare tamen & huic ita, & huic non ita? Homo tu quis es? debitum si non reddis, habes quod gratuleris; si reddis, non habes quod queraris. Credamus tantum, etsi capere non valemus, quoniam qui vniuersam creaturam & spiritualem, & corporalem fecit, & condidit, omnia & numero, & pondere, & mensura disponit; sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Dicamus Halleluia, & collaudemus canticum, & non dicamus, quid hoc? vt quid hoc? Omnia enim in tempore procreata sunt. Hactenus Augustinus.

27 Huc spectat canon 6. Concilij Arausicani II. superius relatus, & Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore cap. 3. vbi ait: *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum.* Rationem eiusdem assertionis deduximus supra dub. 1. & hic assert. 1. vbi probauimus, nullam esse rationem, cur Deus hunc potius, quàm alium prædestinet; neque ex carentia obicis seu peccati, vllam posse rationem assignari prædestinationis ad gratiam congruam.

Assertio VI. Datur tamen in homine prædestinato causa etiam meritoria aliquorum effectuum prædestinationis, adeoque prædestinationis, ex parte aliquorum effectuum: sed & inter ipsos effectus prædestinationis vnus est causa alterius; imò etiam mutuo ac vicissim in diuerso genere causæ, alter alterius est causa. Ita S. Thomas hic q. 23. a. 5. Richardus in 1. d. 41. a. 2. q 1. Ægidius Romanus ead. dist. q. 2. a. 1. Durandus ibidem, num. 6. Heruæus in 1. d. 40. q. vn. a. 1. Eckius in Chrysopassо cent. 2. num. 15. & 17 & sequuntur omnes recentiores; adeo vt hæc sit res extra controuersiam apud Catholicos. Probatur & declaratur. Quia de fide est, hominem iustum bonis operibus ex gratia Christi factis de condigno mereri vitam æternam, vti & augmentum gratiæ; nec adultum absque meritis saluari, vt docetur in 1. 2. de gratia: vtraque autem, & merita scilicet illa, & gloria, effectus sunt prædestinationis: Ergo per vnum effectum prædestinationis homo promeretur alterum.

Et nihilominus tamen gloria est causa finalis meritorum, vti & gratiæ: hæc verò est semen quasi quoddam, seu instrumentum gloriæ acquirendæ; ita vt gloriæ causa quædam efficiens sint merita; meritorum gratia: contra finis gratiæ in adultis sint merita, meritorum gloria: Ergo inter ipsos effectus prædestinationis vicissim ac mutuo vnus est causa alterius in diuerso genere causæ, vt dictum: sicut etiam in rebus naturalibus accidit, vt vicissim ac in diuerso genere causæ vna alterius sit causa. Idem sumitur ex Augustino lib 1. ad Simplic. quæst. 2. Ex quibus rectè etiam Gregorius de Valentia hîc quæst. 25. punct. 4. §. 1 refutat Caluinum, qui lib. 3. Institut. cap. 22 sect. 9. reprehendit S. Thomam, eò quod hic art. 5. asseruerit, merita esse causam prædestinationis, quoad effectum gloriæ; cum potius gloria dicenda sit causa finalis prædestinationis, &c. Quasi verò non simul vtrumque optimè stare possit: cum & in agone seu stadio certantibus (cum quibus homines adultos in hac vita comparat Apostolus 1. Corinth. 9. v. 25.) præmium seu corona sit causa finalis certaminis, & certamen causa meritoria coronæ seu præmij, &c. 28

Assertio VII. An ipsius etiam in se prædestinationis ad gloriam, causa seu ratio sint bona opera meritoria prædestinati, ex eo pendet, an præuisio meritorum in Deo prædestinante, ratione antecedat prædestinationem seu electionem ad gloriam. Hæc assertio patet ex dictis dub. 2. Neque enim vt dicamus, aliquid esse causam meritoriam seu rationem ipsius prædestinationis ad aliquem effectum, satis est, si sit causa meritoria effectus eiusdem prædestinationis, vt Gregorius de Valentia loc. cit. §. 1. Vasquez, & alij nonnulli existimarunt; sed necessarium præterea est, vt in mente diuina antecedat ratione prædestinationem ad eiusmodi effectum: qua ratione quæst. seq. dicemus, prædestinationem ad gloriam non esse factam propter præuisa merita. Neque verò S. Thomas hic cit. q. 23. a. 5. alterutram partem determinat; solum enim assignat rationem seu causam prædestinationis ad gloriam, ex parte effectus, non ex parte actus, seu ipsius prædestinationis. Quare in resolutione etiam ita loquitur: *Dicendum, quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Vno modo in particulari; & sic nihil prohibet, aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius: posteriorem quidem prioris, secundum rationem causæ finalis; priorem verò posterioris, secundum rationem causæ meritoriæ; quæ reducitur ad dispositionem materiæ. Sicut si dicamus, quod Deus præordinauit se daturum alicui gloriam ex meritis, & quod præordinauit se daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam, &c.* Vbi vocula, *Ex meritis*, idem est quod per merita; & non denominat verbum præordinauit, sed quod antea immediatè præcesserat. *daturum alicui gloriam*, qui est effectus seu executio illius præordinationis. 29

Hæc de causis prædestinationis satis.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De ordine ac progressu Prædestinationis in mente diuina.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. 5. 7.

1 NOn parum hæc quæstio facit ad rationem & magnitudinem beneficij prædestinationis cognoscendam. Et verò sermo est de prædestinationis ordine, quem habet in mente diuina, secundum rationem nostram; facta comparatione prædestinationis nostræ, siue cum ijs, quæ non sunt effectus prædestinationis particularis singulorum; vt sunt 1. prædestinatio Christi. 2. permissio peccati. 3. prædestinatio aliorum, tum hominum, tum Angelorum: siue prædestinatione vniuscuiusque effectus comparata cum prædestinatione alterius effectus; puta gratiæ ipsius congruæ, cum nostra cooperatione, seu cursu rerum & occasionum, quæ cum ipsa coniuncta sunt: aut gloriæ, cum meritis, alijsve salutis medijs; aut denique ipsorum etiam graduum gratiæ & gloriæ in indiuiduo, cum eadem cooperatione nostra, einsve præuisione.

2 Secundum quam varietatem comparationis hæc quæstio decem dubitationibus absoluetur. I. An, & qua ratione ac modo, seu ordine, Deus pro saluandis prædestinet, ac seligat peculiarem quandam gratiam congruam, electorum propriam. II. Sitne in mente diuina, secundum rationem nostram, aliquis ordo prioritatis, inter prædestinationem vel præuisionem meritorum, seu mediorum in particulari, & prædestinationem ipsius gloriæ. III. Vtrum in diuina mente, Electio seu prædestinatio ad gloriam, antecedat voluntatem efficacem & præscientiam meritorum seu mediorum, vel contra; speciatim quid hac de re tum cæteri Doctores, tum præcipuè S. Augustinus, & S. Thomas senserint. IV. Quid hac de re absolutè & secundum rei veritatem sentiendum sit. V. Qua ratione diluendæ sint obiectiones, contra gratuitam prædestinationem, ac selectionem ad gratiam & gloriam. VI. An etiam certi gradus gratiæ & gloriæ, omnesque actus & media, quibus prædestinati efficaciter promouentur ad gloriam obtinendam, in indiuiduo, & secundum omnes suas circumstantias, sint à Deo prædefinita, ante præuisionem nostræ cooperationis seu determinationis, ipsamve cooperationem nostram. VII. Vtrum in diuina mente, secundum rationem nostram, prior sit prædestinatio Christi, an nostra. VIII. Vtrum in diuina prædestinatione, secundum rationem nostram, prior sit permissio peccati, quam electio nostra. IX. An & quo ordine prædestinatio nostra se habeat ad prædestinationem aliorum, seu hominum, seu Angelorum. X. Quænam proinde sit series, quisve ordo omnium actuum diuinæ mentis, concurrentium, seu affinitatem habentium cum prædestinatione nostra.

DVBIVM I.

An, & qua ratione ac modo, seu processu, Deus pro saluandis prædestinet & seligat peculiarem quandam gratiam congruam, prædestinatorum propriam.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 4.

3 CONstat quidem ex dictis quæst. 3. & 4. nullam ex parte prædestinati dari causam motiuam, ad conferendam primam gratiam congruam, electorum propriam, hoc est, quæ iuxta præscientiam Dei mediam, infallibilem habeat cõnexionem cum perseuerantia finali, & salute æterna ipsius prædestinati: sed an & qualis omnino ea sit gratia, & quo modo & ordine respectu cursus rerum, & occasionum, ad cooperationem nostram conducentium, à Deo pro electis ipsis prædefiniatur, nondum satis constat: & est tamen in hac re (certè non paulò magis, quam in ea contrõuersia, an Deus prædestinarit gloriam, ante præuisionem meritorum) plurimum momenti; tum vt intelligamus quo affectu Deus erga electos feratur; tum vt tantò clarius fiat, eam primariò & radicaliter ex sola gratuita Dei misericordia, non ex aliqua ipsius prædestinati cooperatione, vel causarum secundarum dispositione, potissimum

proue-

prouenire: præsertim quando etsi Catholici Doctores, euidentia veritatis conuicti, in eo iam omnes conueniunt, nullam ex parte prædestinati causam esse prædestinationis ad primam gratiam congruam; nonnulli tamen, bonis, vt existimant, rationibus ducti, in eo admodum sibi laborandum esse censuerunt, ne diuinæ prædestinationi vndequaque primas in distributione gratiæ congruæ tribuisse videantur, antecedenter & independenter à causarum secundarum dispositione, ipsiusque hominis cooperatione.

4 Et vt status controuersiæ intelligatur, animaduertendum est, tribus modis intelligi posse, Deum prædestinasse gratiam saluandis. Primo, vt illis solum destinauerit gratiam, qua saluari possent; non qua infallibiliter saluarentur. Secundo, vt destinauerit quidem illis gratiam, per quam, suppositâ scientia conditionata, infallibiliter saluarentur, sed non propriè secernendo & seligendo pro illis gratias congruas ab incongruis; sed absolutè destinando eas, quas cursus rerum, & circumstantiarum opportunitas secum ferrent, aut postularent. Tertio, ex peculiari affectu & amore erga saluandos, etiam consulto seligendo & secernendo gratias congruas ab incongruis; itáque cursum rerum consulto temperando, prout ad gratiæ congruitatem, vsumque ac prædestinati salutem opportunum fore perspexerat: ita vt non propterea gratia congrua saluandis prædestinaretur, quia sic cursus rerum vel circumstantiarum opportunitas postularet; sed cursum rerum ita temperandum, occasionesque ita temperandas statueret Deus, quia ea ratione gratia saluandis congrua esset futura.

5 His positis, fuit ea olim Massilienſium hæc desententia, seu potius error, vt refert etiam Vasquez disputatione 98. cap. 4. & disput. 101. numero 3. prædestinatis non fuisse à Deo præfinitam peculiarem gratiam operantem ad perseuerandum, qua certo Deus cognosceret eos perseueraturos, sed omnibus prouidisse communem gratiam, qua perseuerare possent, & non perseuerare. Ideoque in præfinitione auxiliorum gratiæ operantis, incertum & indefinitum numerum prædestinatorum Deo esse putabant.

Colligitur id ex Hilario Arelatensi epistola ad Augustinum, quæ habetur ante librum de prædestinat. sanct. vbi contra Augustini doctrinam refert murmurationem Massilienſium his verbis: [Deinde molestè ferunt, ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perseuerantiam, non qua fieret, vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset; nunc vero Sanctis, in regnum per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseuerantiæ detur; sed tale, vt eijs perseuerantia ipsa donetur, non solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possent, verum etiam vt per hoc donum nonnisi perseuerantes sint. His verbis Sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicant, quandam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adiutus est, vt stare posset in iustitia, & à iustitia declinare, & nunc ita Sancti iuuantur, vt declinare non possint (siquidem eandē acceperunt volendi perseuerantiam, vt aliud velle non possint) vel sic quidam deseruntur, vt aut nec accedant, aut si accesserint, & recedant; ad illam voluntatem (*Adami*) pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis vtilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle iustitiam, ineuitabili necessitate coniunctum est. *Et infra*: Vnde & in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, vt illum integrum viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, sine qua perseuerare non poterat; his autem amissis & perditis viribus, credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes, Verum quicquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate, contendunt.] Ita de Massilienſibus Hilarius.

Conuenire cum Massilienſibus videtur Ægidius Hunnius, Lutheranus, de prædest. fol. 948. vbi negat, definitum esse electorum numerum, nisi ratione προγνώσεως ac præscientiæ: & fauent eidem doctrinæ nonihil Lutherani in libro Concord. tit. de lib. arbit. & de æterna prædestin. vt dictum quæst. 4. dub. 3. 6

Secunda sententia est quorundam recentiorum, (vide Lessium disput. de prædest. hom. sec. 5. à numero 51.) qui non negant quidem, prædestinatis eam à Deo gratiam decerni, cum qua infallibiliter perseueraturi cognoscantur; & reprobis aliam, qua infallibiliter non perseueraturi præsciantur; sed addunt tamē, Deum in gratiarū destinatione pro electis & reprobis, non discernere & seligere gratias congruas ab incongruis, illas deputando electis, has reprobis: sed dare suam gratiam, qualem fere cursus rerum & opportunitas circumstantiarum postulat; non curando, sitne congrua, vel incongrua. Qui etiam negant, Deum in electione mediorum circa saluandos hoc obseruare, vt procuret eis media efficacia, vt talia sunt, vt per illa infallibiliter salutem consequantur. Non enim Deus, inquiunt, in distributione gratiarum, hoc potissimum spectat, sintne habituræ effectum, annon. Neque eas, quas videt habituras effectum, secernit pro electis, eo potissimum nomine, quia effectus sequetur; alioqui eas non daturus; neque quas videt frustrandas secernit pro reprobris, &c.

Inducti sunt autem in hanc sententiam, tum alijs rationibus inferius refellendis dub. 5. tum ne fateri cogerentur, prædestinationem ad gloriam factam esse ante præuisionem meritorum seu mediorum, si gratia efficax, qua talis, selecta est à Deo pro electis, peculiari amore, vt dicetur dub. 4. Contra quam sententiam disserit Suarez libro 3. de auxil. cap. 19. num. 3.

Huc spectant etiam illi, apud Suarez hic libro primo de prædestin. capite decimo, qui docent, ipsa media siue auxilia gratiæ, tanquam infallibiliter profutura (seu qua efficacia sunt) non prædefiniri ante præuisionem cooperationis nostræ, in particulari; sed in confuso & indeterminatè, hoc vel illud, ita vt si vnum non habeat effectum, alterum habeat: quod à nonnullis et- 7

iam tribuitur S. Thomæ quæstione sexta, de Verit. artic. 3. Sed reuera non ita sentit; & contrarium docet 1. 2. quæst. 112. articulo quarto, vt dicemus.

Ex eo verò sententia sequi videtur, prædestinationem gratiæ congruæ nec supponere in Deo dilectionem efficacem prædestinati, nec præcedere futuritionem absolutam circumstantiarum & occasionum, quas naturalis rerum cursus secum adfert, & ex quibus accidit, vt ab effectu ipso secuturæ cooperationis vna dicatur congrua & efficax, alia incongrua & inefficax.

8 Tertia sententia est, quæ tametsi fatetur, Deum ex peculiari amore erga electos, ante omnem præuisionem aut futuritionem absolutam earum occasionum, quas cursus rerum secum adfert, atque etiam ante cooperationem ipsius hominis, & ab ea independenter, præ definire pro electis eam gratiam, cum qua antea eos scientia media seu conditionata infallibiliter cooperaturos esse cognouerat, ac proinde etiam ex eodem amore pro electis secernere gratias congruas ab incongruis, asserit tamen, gratiam congruam & efficacem formaliter talem non esse, nec dici, nisi ab ipso euentu secuturæ cooperationis: quo fit etiam, vt quamuis Deus illam gratiam, quæ efficax est, præfinierit ante futuritionem cooperationis nostræ, gratiam tamen efficacem, qua formaliter efficax est, non prædefinierit ante secuturam cooperationem, à qua denominatur: cum denominatio supponat formam denominantem. Ita docet Molina hic quæstione vigesima tertia, articulo quarto & quinto, disputat. 1. memb. 6. Vasquez disput. 95. numero 6. & 7. & disput. 95. num. 63. & alij nonnulli recentiores. Et consentiunt vtriusque huius sententiæ authores, in nobis esse conditionem, seu potius rationem & causam, vt vocatio prima, quæ connexionem habet cum perseuerantia finali, non quidem nobis prædestinetur vel conferatur, sed sit efficax, & pertineat ad prædestinationem, non ad communem prouidentiam, vt videre est apud citatos ibidem, & alios.

9 Quarta sententia est Gregorij de Valentia quæstione vigesima tertia, punct. 4. §. 4. Versu, *Secundo obseruandum*, vbi negat, adulti prædestinationem, quoad vllum effectum, etiam loquendo de prima gratia congrua, fuisse omni ratione priorem ipsa præscientia absoluta cooperationis perseuerantis; sed potius hanc ait, fuisse quadam ratione simul cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis, qua talis. Sed hanc sententiam quia simul etiam gloriæ prædestinationem concernit, commodius dubio sequenti expendemus.

Assertio I. Deus reipsa omnibus prædestinatis præfinit peculiarem gratiam congruam ad perseuerandum, qua Deus certo & infallibiliter cognoscit, eos perseueraturos. Hæc est certa, & indubitata omnium Catholicorum sententia, contra primum illum Massilienſium errorem superius relatum; quem merito etiam refellit Vasquez citata disputatione nonagesima octaua capite quarto. Probatur ex Scriptura, adiuncta Augustini explicatione; qui contra Pelagianos ex eadem Scriptura sæpius probat, ex diuinæ voluntatis ac gratiæ dispositione potissimum pendere, quod homines ad Deum conuertantur, & perseuerent, Deumque in cordibus hominum non solum operari, vt possint bene operari, sed etiam vt reipsa operentur, & velint. Ioannis sexto, versu quadragesimo quarto. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* In quem locum Augustinus libro contra duas epistolas Pelagianor. cap. decimo nono. [Trahitur ergo, *inquit*, miris modis, vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.] Vide plura in eundem sensum ibidem. Et ad Romanos nono, versu decimo octauo. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Vbi rursum Augustinus epistola centesima quinta. [Cur autem, *inquit*, ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiant, & si miraculum in eorum conspectu fuit, ambo idem videant, altitudo est diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, dum cuius vult miseretur, & quem vult indurat.] Et libro primo ad Simplici. quæstione secunda. *Si vellet*, inquit, *ipsorum etiam misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et paulo post: *Illi electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi non electi, quia non secuti; quamuis vocati.* Et inferius: *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* 10

Huc etiam spectat illud Apostoli ibidem versu decimo sexto. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* In quæ verba rursum Augustinus libro 1. ad Simplic. quæst. 2. *Non igitur ideo dictum, est putandum; Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus: sed ideo potius, quia nisi eius vocatione non volumus.* Et infra: *Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, vt sequantur.* Plura assertione sequenti.

Idem colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. capite 13. & can. 16. vbi definitur, actualem perseuerantiam vsq; ad finem, electorum propriam, *esse peculiare donum gratiæ diuinæ; quod aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat, statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit, restituere.* Datur igitur à Deo omnibus vsque in finem perseuerantibus peculiaris gratia ad perseuerandum; & quia quod Deus in tempore facit & operatur, etiam ab æterno præfinit, nec intentio ac propositum Dei frustrari vnquam potest, consequens est, omnibus prædestinatis à Deo præfiniri peculiarem gratiam ad perseuerandum non tantum qua perseuerare possint, sed etiam qua infallibiliter perseueraturi sint, suppositâ saltem scientia media seu conditionata, quam Deus ante omnem actum liberum suæ voluntatis de conditionatis omnibus habet, vt dictum disputatione præcedenti quæstione octaua, dubio quinto. 11

Vnde

Vnde etiam petitur ratio. Deus enim in thesauris potentiæ & sapientiæ suæ reconditos habet infinitos modos & media, quibus per scientiam conditionatam nouit, hunc vel illum hominem infallibiliter perseueraturum, si ei applicarentur: Dum ergo eiusmodi media nonnullis prædefinit, peculiarem eis gratiam congruam prædefinit, qua infallibiliter cognoscit, eos perseueraturos. Plura assert. 2. & 3.

12 Assertio II. DEVS ex singulari dilectione & cura erga prædestinatos, non ex præscientia absoluta occasionum, quas ipse per se rerum cursus exhibet, pro prædestinatis secernit & seligit, adeoque seligendo prædestinat eam gratiam operantem seu præuenientem; quam eis congruam & efficacem esse futuram, si daretur, ante perscientiam mediam seu conditionatam præuiderat; volendo & prædefiniendo eis efficax id auxilium speciali cura & prouidentia, ob hoc ipsum etiam, vt sit efficax. Hæc assertio est contra secundam sententiam superius relatam; & sumitur primum ex S. Thoma hic quæstio. vigesima tertia, articulo quarto, vbi ait: [Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, & electio dilectionem. *Et rationem subiungit:* Quia prædestinatio est pars prouidentiæ. Prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam, præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem.] Vnde manifestè colligitur, iuxta S. Thomam, prædestinationem ad gratiam electorum propriam, supponere dilectionem, & electionem efficacem ad gloriam; ac proinde pro obiecto habere gratiam congruam quâ efficax medium est salutis prædestinatorum, vt inferius dicetur.

13 Et clarius ibidem respons. ad prim. ait Sanctus Thomas. [Si consideretur communicatio bonitatis diuinæ in communi, DEVS absque electione bonitatem suam communicat, in quantum scilicet nihil est, quod non participet aliquid de bonitate eius. Sed si consideretur communicatio istius vel illius boni, non absque electione tribuit; quia quædam bona dat aliquibus, quæ non dat alijs. Et sic in collatione gratiæ & gloriæ attenditur electio. Vbi Sanctus Thomas expresse docet, DEVM ex peculiari electione prædestinationis conferre gratiam.

Et rursum in 1. 2, quæst. 112. artic. 4. de præparatione ad gratiam ex parte hominis, loquens ait: [Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diuersitatis (*quare in vno sit maior gratia, quam in alio*:) quia præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium eius præparatur à Deo. Vnde prima causa huius diuersitatis accipienda est, ex parte ipsius DEI, qui diuersimodè suæ gratiæ dona dispensat:] vtique consilio & electione.

14 Huc etiam spectat, quod Sanctus Thomas hic quæst. 23. articulo octauo, his verbis docet [Sed aduertendum, quod numerus Prædestinatorum certus Deo dicitur, non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit, quot sint saluandi; sic enim Deo certus est etiam numerus guttarum pluuiæ, & arenæ maris; sed ratione electionis & definitionis cuiusdam. *Et infra*: Vnde certus est, *inquit*, Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reproborum, &c.] De qua re plura quæstione sequenti. Certè hic aperte docet Sanctus Thomas, numerum certum & determinatum electorum, etiam in indiuiduo, esse à Deo per se præordinatum & prædefinitum: quod fieri non posset, nisi etiam specialis illa gratia congrua per se à Deo præfinita esset.

Idem communiter sentiunt alij Theologi; 15
quando docent, dilectionem efficacem supponi à prædestinatione, vt dictum quæstione secunda dubio vltimo, item quando aiunt, electionem ad gloriam priorem esse prædestinatione mediorum; vt dicetur dubio tertio, quo fit, vt ipsa etiam gratia efficax, qua efficax, electis fuerit à Deo prædestinata & selecta: denique dum docent, inexplicabilis esse consilij diuini, cur vnus fuerit prædestinatus ad gratiam congruam, alter non item, vt dictum quæstione præcedenti, dubio primo & quinto. Quas ob causas etiam existimo, oppositam sententiam esse nouam & singularem, nec probabilem. Ad quem modum etiam Suarez libro tertio de auxilijs capite decimo nono numero tertio eam refellens, censet esse *alienam à doctrina Augustini, & Scripturis non consonam.* Consentit his Vasquez disputatione 89. capite 13. qui etiam disputatione 98. capite 3. & 4. fusè communem illam sententiam tuetur, omnes qui vocationi respondent, maiori antecedentis gratiæ beneficio fuisse excitatos, quam eos, qui gratiæ præuenienti resistunt. Et numero vigesimo quinto ait. [Habemus igitur ex sententia Augustini, Cælestini, & Innocentij, in eo, qui perseuerat, speciale donum perseuerantiæ reperiri; ac proinde maiori gratia (in ratione beneficij) semper excitari, quam eum, qui vocanti non respondet; & oppositam sententiam, quã nonnulli Scholastici sequuntur, Massilienfibus quondam placuisse.] Certè Massilienfium error fuit, vt in sua epistola ad Augustinum refert Hilarius, quod nollent *ita perseuerantiam prædicari, vt non vel supplicite emereri* (merito infallibili) *vel amitti contumaciter possit.* Nec dissentit à posita assertione Molina hic quæstione vigesima tertia, articulo quarto & quinto, disputatione prima, membro sexto, & vndecimo, & est communis omnium Thomistarum.

Probatur assertio primo ex Scriptura, quæ varijs modis eam indicat. Primo quidem, quando rationem diuinæ electionis vnius præ altero ad inscrutabilia DEI iudicia refert, plenamque admirationis esse testatur, vt est illud Apostoli: *O altitudo*, &c. & plura similia relata quæstione præcedenti, dubio primo. Nullam autem haberet ea res admirationem; 16

si Deus, quantum est ex se, suam gratiam indifferenter communicaret omnibus, qualem cursus rerum & oportunitas circumstantiarum postulat, non curando, sit ne congrua, an incongrua.

Secundò, quando prædestinationem ad gratiam, peculiari Dei misericordiæ & beneuolentiæ erga electos tribuit. Vt sunt illa præcedent. assertio. citata, Rom. 9. vers. 15. *Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Non esset autem singularis gratia & misericordia erga electos, si Deus ex sua parte omnibus ex æquo talem offerret gratiam, qualem cursus rerum & opportunitas circumstantiarum postulat; neque gratiam congruam, quatenus & quia congrua est, pro electis secerneret. Sicut etiam à Principe nulla singularis gratia erga vnum aliquem ostenderetur, ex ijs, quibus pari affectu singulis singulos sine discretione equos, vti occasio & cursus rerum ferret, dono daret; esto vnus eorum equo bene vteretur, alij malè.

Quod si quis dicat, in hoc ipso tamen maiorem Dei erga prædestinatos elucere amorem, quod eos in ea serie rerum collocauit, in qua illis gratia accederet congrua & opportuna. Respondeo: Aut Deus in hac ipsa serie ordinanda attendit adhanc opportunitatem, eiusq; rationem habuit; aut non: si habuit, ergo hoc ipso selegit gratiam congruam electis, ob quam hanc potius, quam aliam seriem præordinauit: si nullam eius rationem habuit, certè nullus in hoc cernitur peculiaris beneuolentiæ affectus, quando quasi præter intentionem dantis, donum ipsum aliunde opportunum accidit accipienti.

17 Tertiò idem indicat scriptura, quando discretionem inter prædestinatos & reprobos tribuit gratuitæ electioni Dei. Vt Rom. 9. vers. 12. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est; quia maior seruiet minori.* Rom. 11. versu 5. *Reliquiæ secundum Electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Item 1. Cor. 4. versu 7. *Quis enim te discernit? quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Secundum oppositam autem sententiam, discretio inter prædestinatum & reprobum, partim cooperationi ipsius prædestinati, partim cursui rerum & opportunitati circumstantiarum, ex communi DEI prouidentia constitutæ, non peculiari electioni Dei esset tribuenda.

Quartò huc specialiter faciunt omnia loca & exempla Scripturæ, quibus testatum fit, Deum ex peculiari consilio, & voluntatis suæ proposito, & amore, electos præordinasse ad gratiam congruam, seu alia præuenientis gratiæ beneficia, quæ ad gratiam congruam pertinent. Vt quando Genes. 39. versu 39. de Iosepho dicitur: *Dominus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.* Dicat, qui volet, ea quæ Iosepho obtigerunt peculiaris gratiæ adminicula, ex consueto cursu rerum & opportunitate circumstantiarum accidisse. Certè aliter loquitur Iosephus de seipso, Genes. 45. numero 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et capit. 50. versu 19. *Num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me.* Huic similis est locus Tobiæ capit. 13. versu 4. vbi Tobias senior ait: [Quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus Omnipotens, præter eum. Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam.]

Similiter specialem Dei curam & prouidentiam erga gentem Israëliticam, præcipuè verò erga electos ex ea gente, declarat Moyses Deuter. 4. versu 32. [Interroga de diebus antiquis, qui fuerant ante te, ex die, quo creauit Deus hominem super terram, à summo cælo vsque ad summum eius, si facta est aliquando huiusmodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vixisti: si fecit Deus, vt ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam & robustam manum, extentumque brachium, & horribiles visiones iuxta omnia, quæ fecit pro nobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis: vt scires, quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum. De cœlo te fecit audire vocem suam, vt doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis, quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. &c.] Equidem negari non potest, signa illa & portenta, quæ filijs Israel acciderunt, tum in Ægypto, tum in egressu ex Ægypto, pertinuisse ad gratiæ congruæ auxilia, eorum respectu, quibus ea fuerunt efficax salutis obtinendæ causa; & vnde hæc profecta? an ex consueto rerum cursu & ordine? Non certè, sed quia *Deus dilexit Patres* Israelitici populi, *& elegit semen eorum post eos.* Electio ergo præcedebat; & hinc profecta est illa tam stupenda gratiarum diuinarum distributio. Quod clarius patet ex Deuter. 7. versu 6. [Te elegit Dominus Deus tuus: vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis vobis iunctus est Dominus & elegit vos; cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus. *Et quid clarius isto Ierem 31. versu 3.* In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.] Vides tractionem gratiæ congruæ ex charitate & singulari dilectione Dei profiscisci. 18

Idem præcipuè patet ex illo Sap. 6. v. 17. vbi dicitur: *Quoniam dignos seipsa* (diuina Sapientia) *circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.* Vbi non est sermo de dignis secundum præsentem dispositionem, hos enim non quæreret sapientia, vtpote iam antea sibi coniunctos; sed de ijs, qui prædestinati sunt ad hoc, vt sint & fiant digni: hos quærit sapientia, & in omni prouidentia 19

seu

seu negotio occurrit illis, vt eos ad finem vsque feliciter perducat.

Idem patet ex Actorum vigesimo secundo, versu decimo quarto, vbi ita ad Saulum loquitur Ananias: *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, vt videres iustum, & audires vocem ex ore eius.* Item ex historia Apostolatus Philippi, & conuersione Eunuchi Candacis Reginæ, Actorum octauo, versu vigesimo sexto, vbi dicitur: [Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens, surge & vade contra meridianum, ad viam, quæ descendit ab Hierusalem in Gazam; hæc est deserta. Et surgens abijt. Et ecce vir Æthiops, eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Hierusalem, &c. Dixit autem, Spiritus Philippo; Accede & adiunge te ad currum istum. *Et rursum versu 39.* Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.] Quis non videt, hæc ad peculiarem Dei curam, non ad consuetum ordinem cursus rerum pertinere? Et quid illud Actor. 16. v. 6. quod Paulus & Timotheus, [transeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu sancto loqui Verbum Dei in Asia. Cum autem venissent in Mysiam, tentabant in Bythiniam, & non permisit eos Spiritus Iesu. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum & dicens, transiens in Macedoniam adiuua nos.] An vero hic quisquam dicet, à cursu rerum occasionem euangelizandi oblatam: & non potius ad conciliandam occasionem à Deo cursum rerũ fuisse attemperatum? Denique generale est illud Ephes. 1. v. 11. In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius (*non iuxta cursum rerum*) qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ (*non iuxta exigentiam occasionum*) vt simus in laudem gloriæ eius, qui ante sperauimus in Christo.

20 Certè vocatio Pauli, aliorumq; Apostolorum, vti & Moysis ac Prophetarum, imò & Abrahæ ac Patriarcharum, aliorumq; Sanctorum, longè fuit excellentior, quam vt eam cursus rerum ordinarius, ex ordinaria & communi diuinæ prouidentiæ dispositione adportare posset: cum in ea multa sæpe præter naturæ ordinem, & supra consuetum diuinæ prouidentiæ modum, etiam miraculose gesta sint. Ex quibus ipsis etiam colligitur, etiamsi in alijs cursus rerum non ita semper immutetur, eam tamen ipsam seriem & dispositionem rerum peculiari consilio & amore ita fuisse à Deo ordinatam ac dispositam, vt oblata electis vocatio congrua & efficax esset; seu quia iuxta eam dispositionem illis congrua erat futura.

Huc deniq; spectat illud Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Vbi præmatura etiam mors, seu ablatio ex hac vita, eo consilio ad ueniisse prædestinato dicitur, ne irrita esset eius vocatio. Et quod de electis dicitur Matth. 24. v. 22. *Propter electos breuiabuntur dies illi*: præscindendo vtique, non sequendo cursum rerum.

Secundo probatur assertio ex S. Augustino, 21
qui sæpissime docet, Electos à Deo peculiariter à Deo vocari, nimirum vocatione *secundum propositum*, non reprobos: idque esse inscrutabilis iudicij diuini, vt dictum quæstione secunda dubio primo. Item electos à Deo esse *altiori iudicio* à perditionis massa gratiæ prædestinatione discretos, eamque esse causam, cur hi credant & saluentur; alij non item. Sic enim loquitur libro secundo de bono perseuer. cap. 14. [Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamen si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent. *Et infra*: Sed nec illis (*Tyrijs & Sydonijs*) profuit, quod poterant credere; quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ: nec istis (*Iudæis*) obfuisset, quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.]

Huc spectant complura alia testimonia Augu- 22
stini, apud quem res hæc est certissima, vt bene Suarez loco citato, nec omnino dissimulant aduersarij; dicentes, eum nonnunquam durius locutum. Igitur II. Augustinus libro 5. contra Iulianum capitete tertio. [Nouit, *inquit*, Dominus, qui sunt eius, & omnia cooperantur in bonum, sed his, qui secundum propositum vocati sunt. Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum sunt vocati. Multi enim vocati, pauci vero electi. Qui ergo electi, hi secundum propositum vocati.] Audis non ex cursu rerum, sed electione procedere vocationem secundum propositum. Idem autem est electum esse aliquem ad gratiam congruam & selectam alicui esse gratiam congruam.

III. Lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. circa medium de non electis loquens: [Si vellet, *inquit*, etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt mouerentur & intelligerent, & sequerentur. *Et paulò post.* Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat. *Et infra*: Non igitur ideo dictum, est putandum, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus; sed ideo potius, quia nisi eius vocatione non volumus. Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiamsi multos vocat, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, vt sequantur.] Vbi rursum peculiari misericordiæ Dei, non cursui rerum, propria electorum vocatio tribuitur.

IV. Rursum libro de prædest. sanct. cap. 6. in- 23
quit Augustinus: [Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti, nolunt autem illi: quis hoc ignorat? Sed cum alijs præparetur voluntas, alijs non præpa-

Digitized by Google

præparetur, discernendum est, quid veniat de misericordia, quid de iudicio. *Eadem repetit Prosper lib. ad excerpta Genuens. dub. 3.* Nunquid, *ait*, dubium est, cum verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? Sed cum illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est, quid veniat de misericordia, quid de iudicio.]

V. Eodem libro de prædest. sanct. capite decimo sexto, ita ait: [Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, &c. sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus 1. ad Corinth. 1. dicens. Ipsis vocatis Iudæis & Græcis prædicare se CHRISTVM, &c. Sciens (*Apostolus*) esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt, quos præsciuit & prædestinauit conformes imaginis filij sui.]

24 VI. Eodem libro de prædest. sanct. capite 18. apertissimè: [Ipse quippe operatur, *ait*, secundum propositum suum, vt simus in laudem gloriæ eius, vtique sancti & immaculati: propter quod (propositum) nos vocauit, prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.] Quem locum referens etiam Ariminensis ita expendit in 1. dist. 41. artic. 2. [Quos enim prædestinauit, illos vocauit, ipsa scilicet vocatione secundum propositum; non ergo alios: sed quia prædestinauit, ipsos & vocauit; nec alios: sed quos vtique vocauit, ipsos & iustificauit, nec alios: sed quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos & glorificauit, illo vtique fine, qui non habet finem, &c.]

25 VII. Rursus Augustinus libro de bono perseuer. cap. 8. [Hæc, *inquit*, gratia, quæ occultè hominis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur (*audis intentam cooperationem*) vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & docet, vt veniatur vt filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis, & vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Christum? nisi quia omnes quos docet, misericordiâ docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, &c.] Certe hic rursum discriminis causa non reijcitur in rerum cursum, sed in specialem DEI misericordiam, &c.

26 VIII. Eodem libro de bono perseuer. cap. 8. infra, de reprobis loquens ex mente S. Ioannis Augustinus: [Vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant, veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non auertamus aspectum: Clamat Scriptura diuina, adhibeamus auditum Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati, &c. non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent, &c.] Discretio ergo hæc inter electos & reprobos ad specialem Dei vocationem, hæc ad prædestinationem, non ad cursum rerum reuocanda est.

IX. Ibidem capite duodecimo, ne opportunitas diuinæ gratiæ, aut etiam inopportunitas quasi fortuito casui, siue soli rerum cursui, & non speciali prouidentiæ Dei adscriberetur, ita loquitur Augustinus, cum de paruulis, quorum aliqui baptismum consequuntur, alij non consequuntur, agit: [Neque etiam fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire; cum sit vtrisque causa communis: aut res humanas in paruulis non diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate patris nostri, qui in cælis est: aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quod paruuli sine baptismo moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia: tanquam ipsi, qui hoc modo male moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint.] *Hactenus Augustinus.* 27

Rationes pro eadem assertione ferè ex dictis colliguntur. I. Quia secundum oppositam sententiam, non tam DEVS per suam gratiam, & specialem prouidentiam, quam cursus rerum & opportunitas circumstantiarum, ipsaque cooperatio, prædestinatos à non prædestinatis discerneret. II. Cessaret admiratio Apostoli, *O altitudo*: atque ita vt argumentatur etiam Prosper resp. ad excerpta Genuens. dubio septimo. *Scrutabilia essent iudicia Dei, & vestigabiles viæ eius; nec occultum esset, quare ille potius, quam iste saluetur*, contra dicta superius quæstione quarta, dubio primo, assertione tertia. III. Nulla singularis charitas & misericordia DEI in dispensanda gratia erga prædestinatos cerneretur. IV. Grauissimum prædestinationis negotium originaliter subijceretur non speciali proposito & electioni miserentis Dei, sed cursui rerum & opportunitati circumstantiarum. V. Si DEVS ante prædestinationem gratiæ quosdam efficaciter dilexit, & ordinauit ad gloriam, tunc necesse est, vt pro eis etiam decreuerit adeoque selegerit gratiam congruam, qua congrua, & quia congrua est: intendens enim efficaciter finem, necessario eligit media efficacia, qua talia sunt; sed verum prius, vt ex Sancto Thoma, & communi Doctorum dictum; & patebit magis dubio quarto, Ergo, &c. VI. Si DEVS non singulari consilio discernit gratias, sed res cursui rerum permittit, frustra petimus à DEO gratiam perseuerandi, quæ non est alia, quam gratia efficax ad finem vitæ continuata; fru-

ſtra petimus liberationem à ſubitanea & improuiſa morte, à morte perpetua, ab inſidijs diaboli, &c. quia hæc ordinario rerum curſui relinquuntur.

29 Quibus denique accedit hoc argumentum quaſi à priori. Si Deus priuſquam gratias ſuas diſtribueret, & diſtribuendas deſtinaret, habuit ſcientiam conditionatam ſeu mediam omnium ſub cõditione futurorum, ac per eam diſtinctè prævidit infinitos modos & media, quorum alijs omnes & ſinguli homines peruenturi infallibiliter eſſent ad gloriam, ſi eis obtingerent; alijs non peruenturi; ac ſimul certa ſcientia & deliberata voluntate, ſpecialique amore, ex innumeris eiuſmodi modis, præordinauit ac prædeſtinauit pro ſaluandis eos modos & media gratiarum & auxiliorum, quibus cum, ſi darentur, eos infallibiliter perſeueraturos & gloriam conſecuturos præſciuit; alijs verò eos modos & media deſtinauit, quibus cum infallibiliter prævidit, eos non cooperaturos finaliter, aut gloriam non conſecuturos; tũ ſanè illos quidè hoc ipſo ſpeciali amore dilexit, ac ex eo ſingulari amore, deliberato animo, & ſecundum ſpeciale propoſitum ſuæ voluntatis, pro eis diſcreuit ac ſelegit gratias congruas ab incongruis; pro his verò non item: quandoquidem aliàs ex æquo pro vtriſque, & quæ congruæ, & quæ incongruæ eſſent futuræ, prænouerat; nec minus vni, quam alteri, tam has, quam illas prædecernere potuiſſet; nec aliud eſt ſeligere gratias congruas, quam ex innumeris alijs, & relictis alijs, ex peculiari amore, pro ſaluandis eas præfinire, quas congruas futuras nouerat: nec aliud eſt ſingulari modo amare aliquem, quam ſingulare bonum ei velle; ita quidem vt hoc ipſo magis amet Deus eos, quibus maiora bona vult, vt docet S. Thomas 1. p. q. 20. artic. 3. & 4. ſed verum eſt antecedens, vt partim fatentur oppoſitæ ſententiæ authores; partim colligitur ex dictis de ſcientia Dei diſp. 2. quæſt. 8. dub. 5. Ergo & conſequens. Thomiſtæ recentiores aliam adhibent rationem, petitam ex intrinſeca vi & efficacia gratiæ congruæ ad effectum infallibiliter producendum: ſed quæ ratio nobis non eſt neceſſaria, vt alibi dictum.

30 Et confirmatur aſſertio primò ex duobus antiquis Theologis, qui dum diſputant contra Aureolum in 1. d. 41. ſentientem, conſecutionem baptiſmi prouenire ex curſu naturali, præſertim in paruulis, vt retulimus ex eodem ſupra quæſtion. præcedent. dub. 4. non ſolum conuincunt, eam ex diuina prædeſtinatione prouenire, ſed etiam multa ſimul interſerunt, quæ ad hanc aſſertionem confirmandam valent. Primus eſt Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 41. quæſt. 1. art. 2. vbi ait: [Ad hoc reſpondent, qui tenent huius concluſionis oppoſitum, dicentes, quod puer non habet à prædeſtinatione, quod baptizatur; ſed hoc potius eſt ſecundum curſum naturæ. Nam ſi puer ex complexione mori debeat ſtatim natus, non peruenit ad baptiſmum: non erit autem hoc ex aliqua reprobatione; ſed quia non vult Deus propter ipſum facere nouum miraculum; imò ipſum relinquit curſui naturæ. Similiter ſi natus fuerit ex parentibus infidelibus, non baptizabitur: ſi verò ex fidelibus, baptizabitur: hoc autem non habet alteri imputari, niſi curſui naturali, ſecundum quem iſte naſcitur ex iſtis, ille ex illis; nec propter hoc, vt iſte baptizetur, debuit Deus ordinare, vt ex alijs parentibus naſceretur.

Ad quæ Gregorius: [Iſta, inquit, ſolutio non 31
continet veritatem. Primò quidem quia contradicit manifeſtè authoritati Apoſtoli iam inductæ, dicentis, quod ſecũdum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per baptiſmum: & per conſequens, ex eius miſericordia eſt, quod ſumus baptizati: non ergo hoc prouenit ex opere tantum & curſu naturæ. Et mirum eſt; de iſto Doctore, qui præfatam contra ſe inducit authoritatem, nec vllum verbum reſpondet ad ipſam: imò certè mirandum non eſt, quia nihil ad ipſam ſecundum veritatem dicere poteſt.]

Et infra: [Quicquid ſit, inquit, de hoc, vtrum 32
ſcilicet ex ſolo curſu naturali, & non ex ſpeciali prouidentia Dei, aliquis prædeſtinatus naſcatur de parentibus fidelibus: at quod eius parentes velint, aut faciant ipſum baptizari, non ex curſu naturali, aut libero arbitrio ſolum hoc prouenit, ſed ex ſpeciali gratia Dei, quæ in eis operatur illud bonum velle & perficere, pro ſua, ſcilicet Dei, bona voluntate, vt dicit Apoſtolus.]

Et infra argument. 6. ait: [Præterea ſequitur, ſecundum hanc reſponſionem, quod ex ſolo curſu naturali, ſtante communi ordinatione diuina, quis ſit determinatè prædeſtinatus & ordinatus ad vitam æternam, illamque conſequatur; quod vtique non dubium eſt aduerſari Catholicæ fidei. Tunc enim non ſecundum electionem eſſet DEI propoſitum, ſcilicet prædeſtinatio ſaluandorum: nec ſecundum electionem gratiæ, reliquiæ ſaluæ fierent; nec electi eſſent vaſa miſericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriam: & innumerabilia dicta Scripturæ eſſent falſa. Sed conſequentia patet: quia ſecundum reſponſionem, ex ſolo curſu naturali prouenit, quod aliquis baptizetur; & ſicut ex complexione naturali dicunt prouenire, quod aliquis moriatur ſtatim natus, ſic etiam oportet dicere, quod ex complexione naturali proueniat, quod aliquis modicum viuat poſt baptiſmum: hoc autem poſito, ſequitur, quod fuit prædeſtinatus, & conſequatur vitam æternam, intercedentibus tantum his, quæ ſecundum naturalem curſum proueniunt, & diuina ordinatione communi, ſcilicet quod quilibet baptizatus mundetur à culpa, & ſuſcipiat gratiam, in qua ſi decedat, habebit vitam æternam.] Ita Ariminenſis.

Qui mox ſubiungit: [Non videtur bene dictũ, 33
quod Deus ſic electorum ſuorum curam negligat, vt quos ordinauit ad gloriam, quam eis non ſine baptiſmo dare propoſuit, relinquat naturali curſui, vt baptizentur, non potius ipſe ſuæ miſericordiæ prouidentia id eis tribuat, per quod ſuum propoſitũ impleatur. Quomodo enim dicit Apoſtolus, Omnia procedunt in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti, &c.] Hactenus Ariminenſis.

In eundem sensum Marsilius Ariminensem secutus, in 1. d. quæst. 41. articulo 2. cum sibi obiecisset in hunc modum: [Forte dicetur, sicut dicit contraria opinio, quod paruulus non habet à prædestinatione, quod baptizetur, sed potius quasi ex fortitudine naturæ. Si enim debilis in vtero moritur, vel statim natus non peruenit ad baptismum, non attingit deletionem culpæ originalis; & hoc est, quia Deus puerum relinquit cursui naturali, nolendo facere nouum miraculum:] mox ipse ibidem his verbis respondet: [Sed reuera nimis est hæc grossa responsio apud fideles: quia istud est ponere, quod salus huius pueri in ordine ad Deum procuratur sine Domini directione, & quasi respectu DEI in ordine casuali: respectu cuius tamen nec pullus moritur à casu, si placeret philosophiam naturalem & primam bene videre. Vnde enim venit ei naturalis fortitudo nisi à DEO? vnde venit pueri conseruatio, si non à Deo, vsque ad baptismum, & vtique liberè? vnde venit baptizantibus voluntas baptizandi si non à Deo? vnde prohibentur impedimenta, quæ diabolus videns puerum statim moriturum, interponeret, si non à Deo? Dicere enim quod omnium horum ordo casu combinatur, & non Deo dirigente hæc ad pueri salutem, non habet rationem: & est manifestè contra authoritatem Apostoli iam inductam, & contra B. Augustinum in lib. de prædest. Sanct. circa medium, dicentem, quod gratia Dei maximè apparet in paruulis, quorum cum alij baptizati, alij non baptizati vitæ huius terminum sumunt, satis indicant misericordiam & iudicium: misericordiam quidem gratuitam, iudicium debitum, &c.] Ita Marsilius.

34 Confirmatur assertio secundò ex ijs, quæ nonnulli, quibus cum disputamus, quasi aliud agendo, ad commendandam scilicet peculiarem diuinæ prouidentiæ curam erga electos, & specialia beneficia Dei deprædicanda scripserunt; vt cum aiunt: *Valde credibile esse, nos tam paruis præsidijs* (legis naturæ aut Mosaicæ) *fultos, & tot machinis impulsos, lapsuros, & communis consuetudinis æstu abreptos, in exitium præcipitandos. Præscijsse autem hoc DEVM, & præueniisse nos ab æterno misericordiæ suæ benigno proposito, ex infinita hominum multitudine nos seligendo* (non vtique cursui rerum relinquendo) *ac nostros natales vitaque cursum in tempus gratiæ reseruando, &c.*

Item particulare beneficium Dei esse, [quod nati à parentibus Christianis, & Christianè educati sumus. &c. Neque putandum ex naturæ cursu potius, quã ex diuinæ prouidentiæ decreto & designatione prouenire, quod hic ex illo, iste ex alio parente nascatur, tali dispositione corporis talem animam, non aliam, postulante. Nullã enim dispositionẽ in embryone, nullam qualitatẽ syndromẽ in corpusculo animando esse, cui non sint aptæ infinitæ animæ, ex ijs, quæ in thesauris diuinæ sapientiæ & potentiæ sunt reconditæ.]

35 [Imò valde verisimile esse, quamuis dispositionem corporis humani completam in vtero, cuiuis animæ rationali aptam esse, & posita tali dispositione quamuis infundi posse. Cum ergo omnes animæ creentur à solo DEO, nulla creatura cooperante, formato in vtero materno corpusculo, posse Deum quamuis animam creare, & illi infundere; neque ad hanc vel illam animam creandam potius, quam ad aliam, à dispositione corporis, sed à suo beneplacito determinari. Beneficium ergo ingens in eo recognoscendum, & misericordiæ diuinæ imputandum, quod non ab infidelibus, sicut alij innumerabiles, sed à fidelibus, & inter fideles nati sumus; vbi & baptismum, & Christianam institutionem consecuti, & viam salutis ab infantia edocti sumus, &c. Neque solum quod ab infidelitate, sed etiã quod ab alijs innumeris peccatis præseruati, in quæ, nisi diuina misericordia singulari cura & prouidentia nos præueniisset, & custodisset, eramus prolapsuri.] Hæc isti: quæ sane existimare neminem sinunt, Deum suas gratias non peculiari delectu seeernere pro electis, sed iuxta cursum rerum & exigentiam occasionum omnibus distribuere. De physicis interim placitis hic relatis non disputo.

Obijcitur primò, Deum in gratijs suis Angelicę naturæ conferendis, non consideraſſe, quænã essent habituræ effectum, quæ non; sed eas distribuisse accommodatè naturalibus, iuxta sanctum Thomam 1. part. quæst. 62. articulo 6. Ergo nec in hominibus eam regulam ordinariè sequitur. Respondeo negando priorem partem antecedentis; est enim eadem ratio quoad hoc Angelorum & hominum, vt ex dictis liquet. Neque gratiam præuenientem, secundum rationem congruitatis, distribuit accommodatè naturalibus; alioquin soli Angeli infimi ordinis cecidissent; sed gratiam sanctificantem, spectatam secundum intensionẽ, iuxta S. Thomam loc. cit. 36

Obijcitur Secundò. Si in Deo non esset præscientia conditionalis, nemo dubitaret, quin gratiæ præstantia ex intrinseca intensione & præstantia esset dimetienda; non ex euentu futuro; sed hæc præscientia non minuit affectum DEI erga eos, quibus intensior gratia, non tamen congrua confertur, nec reddit illum minus sincerum & serium. Ergo idcirco non est censendum beneficium minus, quicquid sit de euentu futuro.

Respondeo 1. hoc argumentum, si quicquam probet, eò spectare etiam, vt probet, non semper in ratione beneficij maiorem gratiam accipere prædestinatos, quam reprobos; quod non est satis tantũ asserere, vt supra ex Vasquio communi dictũ. 37

Respondeo 2. Si Deus non haberet scientiam illam conditionatam, tunc nec potuisse quidem infallibiliter & liberè homines perduci ad beatitudinem, vt suo loco dictum; quare etiam ex euentu & congruitate, seu opportunitate futura, non posset æstimari magnitudo beneficij in electos collati: at vero iam quia DEVS supposità illâ scientiâ, prudens & sciens confert gratiam congruam saluandis, alijs negat, planè efficitur, absolutè loquendo, maius in illos beneficium, quam in istos conferri; quando beneficij magnitudo non parum vniuersim ex opportunitate præuisa dependet, vt quotidie videmus. Neque

tamen.

tamen ideo scientia illa media minuit affectum Dei erga reprobos quasi intrinsecè & absolutè. sed solum comparatiuè; quatenus eâ suppositâ fit, vt absolutè longè maior Dei amor & affectus erga saluandos eluceat, quam erga alios. Cætera argumenta, quia simul etiam electionem gratuitam ad gloriam impugnant, dissoluentur dub. 5.

38 Assertio III. Tametsi Deus, vt dictum, gratias congruas secernat & seligat pro electis; non tamen ideo incongruas seligit pro reprobis; neque formaliter præfinit, siue intendit pro ijs gratiam incongruam, qua talis est; volendo, vt illa gratia, quam dat, non sit congrua. Ita optimè Suarez hic lib. 3. cap. 4. num. 8. Ratio est. Tum quia incongruitas illa vel ad culpam hominis pertinet, malum scilicet vsum gratiæ, & resistentiam liberi arbitrij; vel certe (in paruulis) ad impedimentum salutis; quorum neutrum Deus directe vult & intendit; cum potius ex se velit omnes saluos fieri. Tum quia cum ex aliquo cumulo rerum, pro aliquibus seliguntur meliores, non ideo pro alijs, quibus relinquuntur cæteræ; seligi dicuntur minus bonæ, sed relinqui, &c. Vult ergo quidē Deus, & præfinit pro ijs, qui non saluantur, gratias incongruas materialiter; sed hoc directè & formaliter non vult, nec intendit, vt sint incongruæ; quare etiā eas non seligit pro illis, sed simpliciter tribuit, & quasi relinquit, vt rursum dicetur dub. 5. Nec obstat, quod Deus aliquos obdurare dicitur: non enim ideo vult, vt gratia sit incongrua, sed solum vult dare gratiam, quam nouit esse incongruam, simulque negare congruam, vt dicetur q. 7. dub. 2. & 3.

39 Assertio IV. Gratia congrua seu efficax prædestinatorum propria, talis propriè non est, nec dicitur, ab ipso euentu, hoc est, cooperatione, seu perseuerantia finali existente, seu absolutè futura; sed à vi producendi & causandi cooperationē infallibili, quam habet, vt subest scientiæ Dei mediæ seu conditionatæ; ac proinde ex hac parte nihil obstat quo minus ea etiam qua talis, prædestinari possit ante præuisionem seu futuritionem absolutam cooperationis nostræ. Hanc assertionem ex instituto docui in materia de gratia, cum Bellarmino lib. 1. de Iustificat. cap. 12. Suario lib. 3. de auxil. grat. cap. 6. & in resolut. de grat. effic. Mascarena de gratiæ auxilijs, & Thomistis omnibus; contra Vasquium; aliosque recentiores. Et quamuis fortè ad modum potius loquendi, quàm rem ipsam pertinet, multum tamen facit ad rerum ipsarum intelligentiam.

40 Probatur breuiter. Si enim gratia, quæ efficax dicitur, ante omnem præuisionem seu futuritionem absolutam cooperationis seu perseuerantiæ nostræ, vim infallibilem habet ad inducendum effectum, seu cooperationem nostram, & perseuerantiam, tunc sanè fatendum est, eam prius ratione propriè & formaliter efficacem esse, quam cooperatio seu perseuerantia nostra absolutè præuisa aut futura sit; ac proinde ex hac parte etiam qua talis est, ante eam futuritionem seu præuisionem à DEO pro electis prædefiniri potuisse: Sed verum est antecedens: Ergo & consequens.

Maior patet. Quia gratia efficax proprijssimè est ac dici potest illa, quæ vim infallibilem habet ad inducendum effectum; siue nimirum cooperationem absolutè, si de gratia efficaci generatim sermo sit; siue ipsam etiam perseuerantiam finalem, quando de gratia congrua & efficaci, prædestinatorum propria, loquimur. Minor probatur. Quia Deus ante omnem futuritionem, aut præscientiam absolutam cooperationis, iam antea per scientiam mediam seu conditionatam præsciuerat, hominem, si ea gratia præueniretur, infallibiliter cooperaturum & perseueraturum: Ergo hoc ipso, quod gratia illa à Deo decernitur, etiam ante omnem absolutam præscientiam aut futuritionem cooperationis seu perseuerantiæ, quæ ad gratiam illam primam veluti effectus consequitur, necesse est, vt quatenus subest eidem scientiæ Dei mediæ, habeat vim quandam infallibilem inducendi cooperationem & perseuerantiam; quandoquidem gratia ipsa in facto Esse producta, non potest non esse talis, qualem Deus antea futuram esse præuiderat, si decerneretur vel produceretur. Ergo hoc ipso, etiam ante omnem absolutam præscientiam aut futuritionem cooperationis seu perseuerantiæ, est efficax; ac proinde ex hac parte nihil obstat, quo minus etiam qua talis est, à Deo pro saluandis ante eam cooperationem prædefiniatur.

Accedit, quod minus consonum videtur S. Augustino, & gratuitæ prædestinationi Dei quæstio. præcedent. explicatæ, dicere, à nostra cooperatione absolute futura pendere, vt vocatio prima, quæ connexionem habet cum perseuerantia finali, non quidem nobis prædestinetur vel conferatur; sed sit efficax, & pertineat ad prædestinationem, nō ad communem prouidentiam; seu quod idem est, vt sit effectus ipsius prædestinationis, nō diuinæ prouidentiæ, vt cōsequenter admittunt, & admittere debent, oppositæ sententiæ authores, vt dictum: cum hoc ipso ratio quædam diuinę prædestinationis, quoad ipsum etiam primum effectum gratiæ, qua formaliter & vltimatè prædestinationis effectus est, ex nostra cooperatione futura assignari videatur. 41

Dices. Idem etiam iuxta nostram sententiam dicendum: cum ipsa etiam nostra cooperatio sub conditione præuisa, sit ratio, cur Deus scientia conditionata eam efficacem, seu potius efficientem, futuram esse præuiderit. Respondeo, aliud esse cooperationem absolutè futuram, aliud sub conditione futuram: illam nego esse rationem, cur gratia Dei, quam prædestinauit electis, re ipsa & absolutè sit aut dicatur efficax, cum ratione prius sit talis, quàm cooperatio nostra absolutè sit futura, vt probauimus: hanc verò libenter concedo esse rationem, cur Deus eam sub conditione præsciuerit fore efficacem, seu potius reipsa efficientem: neque hac ratione gratiæ diuinæ prædestinationis quicquam adimitur; quandoquidē hæc ipsa conditionata futuritio efficientiæ seu cooperationis, supponit veluti conditionem ipsum gratuitum decretum eiusdem gratiæ conditionatum; siquidem non aliter sub conditione productura cooperationem præscita ponitur, quam sub conditione, si à Deo decerneretur, seu diuino de- 42

Digitized by Google

creto daretur, quo proinde vltimatè nititur conditionata illa futuritio.

43 Dixi vero in assertione, nihil obstare, quò minus gratia efficax, qua efficax est, ex hoc capite prædestinari possit ante cooperationem nostram: nam vtrum ordine intentionis absolutè definiatur ante cooperationem nostram, ad quam veluti finem ordinatur, dicetur dub. 6. Quod si quis non neget, gratiam efficacem, seu congruam, ante futuritionem & præuisionem absolutam cooperationis nostræ, habere vim infallibilem, siue ex se & natura sua, siue vt subest scientiæ Dei mediæ, producendi effectū, solum verò neget, eam hinc propriè efficacem dici, quasi efficax gratia idem sit quod efficiens, is quidem solū de nomine contendet; sed in hac ipsa tamen re à proprietate vocum recedet. Quia reuera secundum vim nominis, & communem vsum loquendi, non est idem efficax quod efficiens, sed illud vim agendi in actu primo, hoc actualem efficientiam in actu secundo significat. Dicimus enim proprijssimè, hoc medicamentum, seu hoc vinum aut acetum esse efficax, etiamsi ad vsum necdum sit applicatum. Ita ergo etiam gratia efficax dicenda est propriè & formaliter, non ab actuali efficientia, sed ab illa vi infallibili, quam habet vt subest scientiæ DEI mediæ. De qua re pluribus in materia de gratia agendum erit.

DVBIVM II.

Sitne in mente diuina secundum rationem nostram ordo aliquis prioritatis, inter prædestinationem, vel præuisionem meritorum, seu mediorum in particulari; & prædestinationem ipsius gloriæ, aliosue actus, quibus Deus saluandis vult gloriam.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. & 7.

1 TRia quidem sunt, quæ inter se, hac & sequenti dubitatione, præcipuè comparantur; nimirum. 1. Electio seu prædestinatio ad gloriam. 2. Prædestinatio meritorum. 3. præscientia meritorum, quæ prædestinationem meritorum consequitur: Sed horum actuum occasione, simul etiam de quibusdam alijs actibus diuinæ voluntatis, quibus Deus saluandis vult gloriam, agendum est Neque verò inter hos actus certus ordo rationis prius constitui potest, quam constet, an sit inter eos aliquis ordo rationis. Dum autem de meritis sermo est, quæ in adulto prædestinato ad gloriam comparantur, tanquam media ad finem, subintelliguntur simul hic etiam alia media: cum sit reipsa ad præsens institutum par ratio omnium mediorum, respectu cuiuscunque demum prædestinati, si comparentur ad gloriam eiusdem; adeo vt quæstio procedat tam de paruulis, quam adultis, an videlicet in Deo, secundum rationem nostram, sit aliquis ordo prioritatis inter electionem ad gloriam, & prædestinationem vel præscientiā mediorum, puta baptismi, gratiæ, vel meritorum &c. quibus vnusquisque prædestinatus reipsa saluatur.

2 Et est sententia quorundam Theologorum, qui docent, nullum esse ordinē inter prædestinationē, vel etiam præscientiam meritorum, seu mediorum, & electionem ad gloriam; sed Deum vnico simplicissimo decreto, absque vllo instantium aut signorum, etiam secundum rationem nostram, ordine, seu absque omni prioritate rationis, consummare prædestinationem; quo nempe alicui velit & destinet seriem aliquam mediorum, quibus per scientiam conditionatam cognouerat, eum peruenturum ad gloriam. Ita absq; authoris nomine refert Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 8 n. 3. expresse vero ita docuit Gabriel in 3. dist. 2. q. vn. a. 3. dub. 3. vbi contra Scotum ait, *quod illa prioritas & signa non sunt ponenda in diuinis, sicut satis deducit Ockam in 1. dist. 9. q. 3. Vnde in nullo signo prædestinauit quemcunq; ad beatitudinem, quin in eodem prædestinauit omnes beatificandos, & præsciuit omnes damnādos, & præuidit omnia futura* (in quibus vtique sunt etiam adulti merita) *Nec est talis ordo in diuinis, sed ab æterno prædestinauit quos elegit; præsciuit etiam quos reprobauit, simulq; præuidit merita & demerita, pœnas & futura præmia.* Ita Gabriel. Idem docuit Ockam, ab eodem citatus.

3 Et refert pro eadem sententia Eckius in Chrysopassocent. 2. n. 11. cæteros Nominales, quos vocat *Recentiores & Neotericos*; cum pro opposita sententia retulisset Scotum, his verbis: *Huic dicendi modo* (Scoti) *Neoterici repudium dant, vt valens ille Gregorius Arimmensis, Petrus de Candia, Cardinalis Cameracensis, Guilermus de Ockam, Dominus Præpositus, Ioannes Maioris, amœnis ingenij Doctor. Verum rationes eorum nō sunt verosa, & facile excutiuntur. Non enim quispiam imaginari debet, Doctorem subtilem tam pauperis fuisse ingenij* (non dico tam hebetis) *vt existimaret talem ordinem fuisse in intelligentia diuina cuiusdam successionis; ita quod non omnia simul ab æterno intellexerit; quis hoc vellet, bone Deus, non dico asserere, sed ne credere quidem? Voluit tamen Doctor subtilis, non obstante eo, quod DEVS omnia simul intelligat, adhuc ex natura rei* (seu potius secundum rationem) *esse talem ordinem intelligibilium & intelligendi, qui simultatem temporis non excludit. Et hoc bonus Metaphysicus facilè intelligit, quando rerum sensibilium phantasmatibus abstractis, ipsas purissimas quidditatum rationes intuetur, &c. Et quod iuniores* (qui ita obstrepunt) *idem senserint in re, & sentire cogantur, ex his facilè accipi potest.* Ita Eckius; qui mox pluribus probat, nec ipsos quidem istos Nominales reipsa ordinem quemdam rationis inter eiusmodi actus diuinæ mentis negasse.

4 Eandem sententiam, quam ex Suario retulimus, expressē sequitur Molina hic q. 23. a. 5. disp. 1. memb. 7. vbi ait: *Denique cum Deus vnico simplicissimo actu suæ voluntatis, præuiaq; plenissima deliberatione, seu cognitione, circa res omnes, voluerit ex æternitate quicquid voluit, sane exterminanda omnino videntur instantia Scoti, & aliorum, in quibus in statuenda incarnatione, prædestinando Christo, cum cæteris beatis, aut re-*

probandis cæteris hominibus, DEVS vnum voluerit ante aliud, aut per scientiam liberam præuiderit vnum ante aliud: quæ certè instantia adeò obscuram reddunt quæstionem hanc, vt vix, ac ne vix quidem intelligi queat. &c. Et infra ibidem ait: *Ad fundamentum illud, cui Scotus & alij in eiusmodi instantium designatione innituntur, dicendum est, si velint, eum qui ordinatè, hoc est, ordine quodam vnum post aliud, vult finem & media, prius debere velle finem, quam media, verum quidem esse: Deum tamen non ita se habere, præsertim in re, de qua disputamus, sed simul velle finem ac media. Si verò velle ordinatè idem sit, ac non præposterè, siue indecenter, respondendum est, nihil indecens & præposterum in eo cerni, quod Deus, qui vnico actu intellectus omnia comprehendit, vnicoque actu voluntatis vult media omnia & fines, velit simul medium & finem, atque adeo per scientiam liberam non præcognoscat vnum eorum ante aliud.*

5 Et ibidem membr. 8. declarat, se non vniuersim quidem omnem prioritatem rationis inter actus diuinæ voluntatis reijcere, sed in tribus solum casibus seu euentibus. Primus, quando ordines aliqui inter se ita sunt complicati, vt quænam in vno determinatè sint futura, mutuo pendeant ex ijs, quæ in alio, aut alijs futura sunt. Secundus, quando fines aliqui voliti sunt; vnus dependenter ab alio, aut non sine alio. Tertius, atque ad præsens institutum pertinens est, quando finis neque volitus, neque proinde cognitus est absolutè futurus, nisi dependenter à medijs. Quomodo cum Deus non velit adultis beatitudinem, nisi tanquam præmium, non vult etiam eis beatitudinis consecutionem, nisi per media &c. Idem repetit Molina infra ead. disputat. 1. memb. 13.

6 Præter hos est pecularis quædam sententia Gregorij de Valentia, hic quæstion. 23. punct. 4. §. 4. vers. *Secundo obseruandum.* Vbi licet admittat, esse aliquem ordinem prioritatis inter prædestinationem meritorum & gloriæ, si vtraque hæc secundum se spectentur, nec verò etiam in prædestinato vlla detur causa meritoria, vel ratio, seu conditio totius prædestinationis, aut omnium effectuum ipsius, ait tamen, nec adulti prædestinationem quoad vllum effectum, etiam loquendo de prima gratia congrua, fuisse omni ratione priorem, ipsa præscientia absolutâ cooperationis perseuerantis; sed potius hanc fuisse quadam ratione simul, cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis, qua talis: *hoc est*, inquit, *vt habet certam habitudinem ad salutem æternam.* Fundamentum est; quia quisque effectus prædestinationis qua talis, habet infallibilem respectum ad salutem æternam ipsius prædestinati, vt colligitur ex definitione prædestinationis, ex Augustino adferri solita: atqui verò in adultis non habet sine respectu ad cooperationem & perseuerantiam perdestinati, velut absolutè futuram. Ergo &c.

7 His tamen non obstantibus, opposita sententia, esse nimirum secundum rationem nostram aliquem prioritatis ordinem inter electionem ad gloriam, & prædestinationem meritorum seu mediorum, multoque magis præscientiam eorundem, communis & vera est Doctorum sententia, vt inferius demonstrabimus.

Pro cuius explicatione, præter ea, quæ de duplici ordine intentionis & executionis, atque etiam generatim de ordine prioritatis, inter actus diuinæ voluntatis, docuimus supra disput. 2. quæst. 10. dub. 5. Notandum est, varios actus diuinæ voluntatis efficacis, de qua sola in præsenti loquimur, distingui posse, quos Deus circa electorum beatitudinem, veluti ipsorum finem, & media ad eundem conducentia habet, aut habere potuit.

Primò enim, vt in humanis actibus, intentio directè versatur circa finem, non nisi obliquè verò & indirectè circa media; quod est velle finem per media; è contrario verò electio directè fertur in media, obliquè autem & indirectè fertur in finem, quod est velle media certa & determinata propter finem; iuxta Sanctum Thomam in 1. 2. quæst. 12. articulo 4. ad 3. cuius verba inferius referemus: ita etiam DEVS efficaciter vult electis conferre gloriam, per merita seu media; qui actus quasi instar intentionis se habet; & simul media seu merita propter gloriam; qui electionis actui assimilatur.

Neque dubium est, vtrumque eiusmodi actum verè ac propriè DEO conuenire; cum neuter vllam inuoluat imperfectionem; & reipsa à Deo electis gloria conferatur & obtingat per merita, seu media, & media propter finem. Sicut enim medicus ægro vult sanitatem per media, per modum quasi intentionis; & rursum alio actu voluntatis certa quædam media eidem vult & eligit propter sanitatem eidem reipsa procurandam, per modum electionis, ita etiam ijdem actus in DEO hominem ad beatitudinem perducente necessario admittendi sunt.

Deinde verò loquendo vniuersim de voluntate diuina, quæ directè versatur circa gloriam, 8
obliquè verò solum & indirectè circa merita seu media, varij adhuc diuinæ voluntatis actus distingui possunt; quorum alij propriè ad ordinem intentionis, alij ad ordinem executionis spectant, vt inferius declarabitur. Primus est generatim & quasi abstracte ita aliquibus beatitudinem velle, vt nihil adhuc eo quidem actu secundum rationem nostram de medijs definiatur; nec adeo etiam omnino eo rationis instanti decernatur, an proprijs meritis, an solis CHRISTI meritis, per applicationem baptismi, &c. sint saluandi. Secundus est actus voluntatis, quo DEVS homini vult gloriam definitè etiam per propria merita. Tertius est actus voluntatis, quo Deus vult homini gloriam propter præuisa merita, seu, quod idem est, ex præuisis meritis, aut post præuisa merita: vbi sermo est de præuisione seu præscientia meritorum non conditionata seu media, sed de præscientia absoluta quo spectat etiam actus ille, quo DEVS vult homini conferre gloriam non solum post præuisa merita, sed etiam post exhibita iam merita: qui actus in DEO non-

nisi

nisi denominatione extrinseca à priori differre videtur.

9 Et quamuis de primo illo actu quasi abstracto dubium esse possit, an in Deo constituendus sit, vt inferius dicetur, eò quod quandam imperfectionem nonnullis videatur inuoluere; nullum tamen est dubium, nec esse potest, quin tres posteriores actus propriè ac formaliter in Deo sint constituendi, & quidem inter se ratione nostra planè distincti, atque etiam subordinati &c. Secundum enim actum ab æternitate habet Deus, etiam antecedenter ad futuritionem, aut præscientiam absolutam meritorum; quandoquidem est ratio & causa futuritionis meritorum: neque merita salutis vnquam futura essent, nisi Deus per merita etiam in particulari præordinasset hominem saluare: nihil enim facit Deus in tempore, quod ab æterno non prædefinierit; cum igitur Deus in tempore hominem per merita saluet, vtique etiam voluit & decreuit ab æterno hominem per merita saluare.

10 Tertius actus Deo etiam denegari minimè potest; cum certissimum sit, Deum ob præuisa, seu post præuisa merita homini adulto conferre gloriam: Ergo etiam ab æterno voluit homini adulto post præuisa merita conferre gloriam. Differt autem ratione nostra hic actus à præcedenti; quia hæc voluntas ratione nostra supponit præuisionem, adeoque etiam futuritionem absolutam meritorum, eo ipso quod Deus post merita præuisa, adeoque post præuisionem meritorum homini vult gloriam; ersi per se non supponat actualem existentiam seu quasi præteritionem actualem meritorum; sed solum inquantum ille actus postea nouam sortitur denominationem à præteritione meritorum; seu quatenus hac suppositione facta, est actus conferendi gloriam ob merita reipsa exhibita. Qui actus itidem Deo certissimè ac indubitatè conuenit, cum ex fide constet, Deum in extremo iudicio singulis, ob vitam bene aut malè actam, sua præmia, vel supplicia sua voluntate designaturum: Ergo rursum cum omnia, quæ Deus in tempore facit, ab æterno velit facere, necesse est, Deum ab æterno habuisse voluntatem, qua voluerit homini conferre gloriam ob exhibita, seu quod idem est, post exhibita iam merita; non ita quidem, vt voluntas illa conferendi gloriam, primum post exhibita iam merita à Deo conciperetur, sed vt in DEO esset voluntas æterna gloriam conferendi, post exhibita merita. His positis, sententiam veram & communem Theologorum de hac re sequentibus assertionibus exponimus; comparando voluntatem efficacem conferendi gloriam primum cum prædestinatione seu voluntate meritorũ siue mediorũ in particulari; deinde cum præscientia eorundẽ, cum hæc duo inter se sint diuersissima, vt patebit.

11 Assertio I. Voluntas illa, qua Deus electis vult gloriam per merita, & merita seu media specialiter designata propter gloriã, licet re ipsa sit vna simplicissima voluntas, secundum rationem tamen nostrã sunt actus distincti, habentes inter se quendam ordinem prioritatis vel posterioritatis: quod proinde pariter etiam de electione seu prædestinatione ad gloriam, & prædestinatione meritorum seu mediorum dicendum. Hæc est vetus & communis sententia Sancti Thomæ & Scholasticorum (exceptis Nominalibus, *Neotericis* ab Eckio appellatis, vt superius dictum) qui communiter omnes docuerunt, hominem prædestinari siue eligi ad gloriam, aut post præuisa merita, aut ante præuisa merita; seu quod idem est, ex præuisis meritis, vel non ex præuisis meritis: quos sequenti dubio longa serie referemus; & videre est etiam apud Vasquez disput. 89. cap. 1. & 2. & Suarez lib. 1. de prædest. cap. 8. Bellarminum lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 15. & ex parte etiam, apud Gregorium de Valentia hic q. 23. pun. 4. §. 1. & ipsummet Molinam cit. q. 23. a. 5. disp. 1. memb. 7. Nec dissimulat etiam ipse ibidem memb. 8. 13. quantas eius sententia, cum hac in re noua videretur, passa fuerit difficultates, & contradicentium obiectiones. Speciatim autem huc pertinent S. Thomas hic quæstio. 23. artic. 3. & omnes illi, qui docent, ordinem quendam secundum rationem nostram esse inter Dilectionem, Electionem, & Prædestinationem, quos retulimus supra quæst. 2. dub. 3. Eadem est Sancti Augustini & Patrum sententia, vt dicemus eodem dub. sequent. Nec verò ex antiquis Scholasticis vllum pro se citat Molina, nec vllus etiam pro ea sententia ante *Neotericos* illos verè citari poterit; vt planè falsò *veteribus Patribus & Theologis* ea sententia à nonnullis tribuatur. Vide speciatim Heruæum, Scotum, Durandum, sequenti dubio referendos.

12 Probatur assertio primo. Si enim actus ille diuinæ voluntatis, quo Deus hominibus efficaciter vult gloriam per media, & media propter gloriam, quamuis reipsa vnus ac simplicissimus, intrinsecè tamen æquiualet pluribus actibus creatis, inter se, iuxta consuetum operandi modum, realiter distinctis, verumque & realem ordinem causalitatis & prioritatis habentibus, tunc necesse est etiam, secundum rationem nostram, & pluralitatem quandam, & ordinem prioritatis cerni in prædictis actibus diuinæ voluntatis & prædestinationis, prout efficaciter modo supra dicto terminatur ad eiusmodi obiecta; puta ad gloriam & certa media hominum saluandorum: sed verum est antecedens.

Maior patet. Quia pluralitas & ordo in diuinis actibus aliter non potest constitui, nisi per comparationem ad actus nostros, vt generatim dictum disputatio. 2. quæstion. 10. dubio 5. Nisi ergo omnem ordinem rationis, & pluralitatem actuum diuinorum, etiamsi actus voluntatis non inter se, sed cum actibus etiam intellectus comparemus, è medio tollere velimus; quod tamen Molina loco citat. à se planè alienum profitetur; non possumus id fundamentum negare.

13 Minor, de qua solum controuersia est, probatur. Quia actus ille diuinæ voluntatis, quo electis vult gloriam per merita, & quo vult certa media, seu merita propter gloriam, æqui-

ualet apud nos intentioni finis, & electioni mediorum, vt omnes fatentur; quandoquidem gloria est finis, non quidem ipsius DEI, sed electorum, ab ipso etiam DEO per priorem illum actum efficaciter volitus & intentus; merita autem aliaque quæ DEVS adhibet & præordinat, ad gloriam electis efficaciter procurandam, habent se veluti media ad comparandam gloriam, quæ proinde etiam DEVS electis vult & præordinat propter gloriam: atqui vero intentio finis & electio mediorum, saltem moraliter, & iuxta consuetum modum operandi humanum, apud nos sunt duo actus inter se realiter distincti, verumque & realem ordinem causalitatis & prioritatis habentes: Ergo actus ille diuinæ voluntatis, licet reipsa vnus & simplicissimus, quo electis vult gloriam per merita, quoque rursum eisdem vult certa media seu merita propter gloriam, necessariò æquiualet pluribus actibus creatis inter se, necessariò distinctis, verumque & realem ordinem causalitatis & prioritatis habentibus. Maior huius syllogismi est extra controuersiam; & satis patet ex ipsis terminis.

14 Minor probatur, non solum quia Intentio & Electio differunt ex parte obiecti Quod, directè & expressè voliti: illius enim obiectum Quod, expressè & directè volitum est finis, seu bonum propter se expetibile; huius autem obiectum Quod, directè & expresse volitum, sunt media, quæ non nisi propter finem expetuntur: sed etiam quia Intentio, esto appetat finem per media, abstrahit tamen à medijs in particulari; & sua natura communiter etiam tempore antecedit certorum mediorum designationem & electionem; vt mox ex Sancto Thoma, & communi Doctorum vberius declarabitur: Sunt ergo duo isti actus, saltem moraliter loquendo, inter se realiter distincti; & quia Electio causatur ab Intentione, eamque supponit, necesse est, inter eos ordinem esse prioris & posterioris; vt apertè etiam sentiunt, & ex communi docent Heruæus, Scotus, Durandus, Maior; referendi dub. 3.

15 Eademque est non solum expressa sententia Ariminensis in 1. distinct. 1. quæstion. prima, articulo secundo, & Marsilij in 1. quæstione 4. articulo primo, dub. 2. quos ex instituto tuetur Vasquez 1. 2. disputat. 33. capit. 2. qui vniuersim docent, Intentionem & Electionem esse actus inter se realiter distinctos; sed est etiam planè doctrina Sancti Thomæ in 1. 2. quæstion. 8. articulo tertio, & quæstion. 12. articulo 4. & quæst. 13. articulo tertio; nec dissentiunt Thomistæ & Theologi cæteri, vt explicauit Vasquez citat. capit. 2. & 3. saltem loquendo de communi & consueto modo operandi humano, vt bene etiam notauit Gregorius de Valentia tom. 2. disputat. 2. quæst. 3. punct. 3. vbi ex Caietano addit, Sanctum Thomam, cum citat. quæstion. 8. articulo 3. ait, eundem esse actum quo volumus finem, vt rationem volendi media, & quo volumus media, non loqui de actu quo volumus explicitè & formaliter finem, sed quo volumus finem virtualiter. Certè ex Sancti Thomæ sententia, Intentionem & Electionem inter nos moraliter & ordinariè esse actus realiter distinctos, facilè potest demonstrari.

Primò enim Sanctus Thomas in 1. 2. locis citatis de Intentione & Electione agit, tanquam de diuersis actibus voluntatis. Postquam enim quæstion. 11. & 12. ex instituto egisset de fruitione & intentione, tanquam de actibus voluntatis, qui circa finem versantur, mox initio quæstionis 13. progressum faciens ad electionem, alioque actus, qui circa media versantur, ita præfatur: *Consequenter* (secundum ordinem quendam posterioritatis accommodatum rebus ipsis) *considerandum est de actibus voluntatis, qui sunt in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem, & sunt tres, eligere, consentire, & vti.* Vbi ab actibus voluntatis, qui circa finem versantur, non minus distinguit electionem, quam consensum, & vsum; qui omnium sententia sunt actus reipsa ab intentione distincti. Nec verò Sanctus Thomas vspiam dixit, Intentionem & electionem esse vnum reipsa actum. 16

Secundo idem Sanctus Thomas quæstion. 8. articulo tertio, ita loquitur: [Respondeo dicendum, quod cum finis sit secundum se volitus, id autem quod est ad finem, in quantum huiusmodi, non sit volitum nisi propter finem, manifestum est, quod voluntas potest ferri in finem, in quantum huiusmodi, sine hoc, quod feratur in ea, quæ sunt ad finem: sed in ea quæ sunt ad finem, in quantum huiusmodi, non potest ferri, nisi feratur in ipsum finem. Sic ergo voluntas in ipsum finem dupliciter fertur, vno modo absolutè secundum se, alio modo sicut in rationem volendi ea, quæ sunt ad finem. Manifestum est ergo, quod vnus & idem motus voluntatis est, quo fertur in finem, secundum quod est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem, & in ipsa, quæ sunt ad finem. Sed alius actus est, quo fertur in ipsum finem absolutè, & quandoque præcedit tempore: sicut cum aliquis primo vult sanitatem, & postea deliberans quomodo possit sanari, vult conducere medicum, vt sanetur. Sic etiam & circa intellectum accidit; nam primo aliquis intelligit ipsa principia secundum se, postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus, secundum quod assentit conclusionibus propter principia.] 17

Ex quibus verbis habetur. 1. Voluntatem posse ferri in finem, etiam *in quantum huiusmodi*, vt loquitur expressè Sanctus Thomas, sine hoc, quod feratur in ea, quæ sunt ad finem. 2. Hunc actum, quo fertur in ipsum finem absolutè, quandoque tempore esse priorem electione mediorum. 3. Intentionem seu voluntatem illam efficacem finis, ad electionem habere se, sicut assensum principiorum præuium ad assensum conclusionis per principia; quos assensus constat esse diuersos. Quæ omnia & singula probant, voluntatem efficacem finis etiam, qua finis est, iuxta Sanctum Thomam esse actum distinctum à subsequente electione mediorum; licet voluntas simul & per eundem actum feratur in finem, qua 18

ratione finis est ratio volendi media; sed diuersimodè; aut directè scilicet, in finem per media; aut directè in media propter finem, quod non negamus.

19 Tertiò idem Sanctus Thomas quæst. 12. artic. 4. vbi quærit, vtrum intentio finis sit idem actus cum voluntate eius, quod est ad finem, ita respondet: [Dicendum quod motus voluntatis in finem, & in id quod est ad finem, potest considerari dupliciter. Vno modo secundum quod voluntas in vtrumque fertur absolutè & secundum se; & sic sunt simpliciter duo motus voluntatis in vtrumque. Alio modo potest considerari secundum quod voluntas fertur in id, quod est ad finem, propter finem: & sic vnus & idem subiecto motus voluntatis est tendere in finẽ, & in id, quod est ad finem. Cum enim dico, Volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi vnum motum voluntatis. Cuius ratio est, quia finis ratio est volendi ea, quæ sunt ad finem: idem autem actus cadit super obiectum, & super rationem obiecti: sicut eadem visio est coloris, & luminis: &c.]

20 Vbi rursum habetur, 1. finem secundum se (etiam formaliter vt sic, ex dictis loc. præced.) appeti posse absque eo quod velimus media. 2. Illo quidem actu, quo volumus media propter finem, simul ferri voluntatem in finem & media, sed diuersimodè, in hæc scilicet vt obiectum directum Quod, in illum autem solum vt rationem volendi. 3. Finem habere se ad media, sicut lumen ad colorem; potest autem lumen conspici absque colore, etsi vicissim color videri non possit, quin simul videatur lumen; sicut nec media formaliter qua media sunt, appeti possunt, nisi simul etiam feratur voluntas indirectè in finem, velut rationem volendi. Quod si viso colore necessariò simul videtur lumen, etiam vt obiectum Quod, cum tamen velimus media propter finem, absque eo, quod simul directè velimus finem, vt obiectum Quod, ratio diuersitatis est, quia sensus non est potentia ita abstracta, vt intellectus, ac proinde quando ratio motiua obiecti vna cum obiecto simul etiam sensibilis est, velut obiectum Quod, fieri non potest, vt sensus eliciat sensationem quasi abstractam, qua solum feratur in obiectum illud vt Quod, nisi simul etiam feratur in rationem obiectiuam vt Quod, quandoquidem, vt supponimus, vtrumque simul tanquam obiectum Quod potentiæ sufficienter proponitur: at verò voluntas, cum sequatur propositionem & abstractionem intellectus, quoad obiectum propositum, potest ferri in medium vt medium velut obiectum Quod, & in finem solum velut obiectum Quo & rationem volendi, vti accidit in illo actu, quando vult medium propter finem, iuxta Sanctum Thomam loco supra citato.

21 Quarto idem ibidem quæst. 12. art. 4. ad 3. cum in argumento obiectum fuisset, non esse idem electionem & intentionem, Sanctus Thomas minimè respondet, intentionem & electionem esse idem, vti sanè debuisset, si id verum esse existimasset, sed aliam responsionem adfert, quæ contrarium non obscurè indicat. Ita enim ait: *Ad tertium dicendum, quod motus qui est vnus subiecto, potest ratione differre, secundum principium & finem: vt ascensio & descensio, sicut dicitur in 3. physic.* (text. 21.) *Sic igitur in quantum motus voluntatis fertur in id quod est ad finem, prout ordinatur ad finem, est electio: motus autem voluntatis, qui fertur in finem, secundum quod acquiritur per ea, quæ sunt ad finem, vocatur intentio: cuius signum est, quod intentio finis esse potest, etiam nondum determinatis his, quæ sunt ad finem, quorum est electio.*

Vbi perspicuè habemus 1. non omnem voluntatis motum erga finem esse intentionem, vti nec omnem motum voluntatis erga media esse electionem; sed vtrinque necessarium esse, illic quidem, vt finis qua finis, hîc verò vt media qua media sunt, velut obiectum Quod directè appetatur, prout superius dictum est. 2. Intentionem finis etiam tempore priorem esse posse electione mediorum. 3. Intentionem & electionem habere se vt ascensionem & descensionem in motu, qui procul dubio à parte rei differunt; vt rectè Vasquez; etsi Sanctus Thomas subiecto idem esse, & ratione differre dixerit, quia motus localis cum mobili realiter identificatur; & solum ab eo modaliter & ex natura rei, seu vt Sanctus Thomas loqui solet, ratione ratiocinata differt: quod tamen de actibus voluntatis siue inter se, siue cum subiecto comparentur, dici non potest, cum à subiecto strictè realiter differant, ex omnium sententia. Similia habet Sanctus Thomas ibidem quæstion. 13. articulo 3. Ex quibus omnibus, mea quidem sententia, manifestè deducitur, intentionem & electionem, iuxta mentem Sancti Thomæ, propriè, & saltem moraliter loquendo, non esse eundem actum, sed realiter diuersum, vt proinde firma maneat superius allata probatio assertionis. Plura de hac re tomo 2. disput. 2. quæst. 3. dub. 4. 22

Quæ secundò etiam probatur, abstrahendo à nominibus Intentionis & Electionis. Quia actus ille, quo sanitas v. g. efficaciter appetitur, absque eo, quod vel de medijs quicquam omnino, aut saltem particulatim aliquid definitum est, est actus necessariò distinctus, & reali quadam subordinatione prior eo, quo particulatim seliguntur & appetuntur media; vt ex S. Thoma loco cit. constat: sed efficax voluntas gloriæ tanquam finis beatorum, & voluntas particularis mediorum, adeoque meritorum in Deo æquiualent & respondent actibus illis creatis realiter distinctis: Ergo cum voluntas diuina virtute continens duos actus realiter distinctos ac inter se subordinatos, necessariò sit etiam ratione nostra distincta, & inter se subordinata; necessariò fatendum, etiam efficacem voluntatem gloriæ tanquam finis beatorum, in Deo, esse ratione distinctam à voluntate particulari meritorum seu mediorum. 23

Tertiò. Si Deus vult merita propter gloriam; necessarium est, voluntatem meritorum esse ratione distinctam, & subordinatam volitioni, qua directè vult gloriam; cum feratur in obiecta plura cum quodam ordine, ita vt vnum 24

velit

velit propter aliud; sed verum est antecedens ex dictis supra disputat. 2. quæstion. 10. dub. 5. vbi docuimus, Deum propriè vnum obiectum velle propter aliud; & retulimus Caietanum etiam asserentem, rectè dici, *hoc esse volitum à DEO, quia illud est volitum*; quod tamen ad præsens institutum non est necessarium dicere. Ex quibus proinde planè efficitur, voluntatem illam, qua Deus vult gloriam per media generatim spectata, ratione distinctam esse à voluntate directa seu electione meritorum: & vtramque voluntatem habere quendam inter se ordinem prioritatis secundum rationem; quod proinde pariter etiam de prædestinatione ad gloriam, & meritorum seu mediorum dicendum est; & multo magis de prædestinatione ad gloriam, & præscientia absoluta meritorum: quandoquidem præscientia hæc supponit prædestinationem meritorum, vt mox dicetur.

25 Assertio II. Impossibile est, vt secundum rationem nostram, præscientia absoluta meritorum seu mediorum sit simul cum prædestinatione, seu electione ad gloriam: ac proinde etiamsi voluntas efficax, seu prædestinatio gloriæ & meritorum esset re & ratione simul; nihilominus tamen præscientia meritorum esset actus à voluntate illa, seu prædestinatione gloriæ & meritorum, ratione necessariò distinctus, eaque posterior. Ita sentiunt authores pro præcedenti assertione citati, & est proinde communis Doctorum, contra Nominales illos, alioſque nonnullos, qui eodem modo hac in re loquuntur de prædestinatione & præscientia meritorum seu mediorum; quasi hæc, non minus quam illa, simul ratione sit cum electione ad gloriam: quomodo etiam Gregorius de Valentia supra citatus docuit, præscientiam absolutam cooperationis perseuerantis, esse quadam ratione simul cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis.

26 Probatur assertio. Quia præscientia absoluta meritorum, est actus consequens & supponens futuritionem absolutam meritorum; præscientia enim absoluta non est causa rerum; neque res ideò futuræ sunt, quia Deus præsciuit esse futuras, sed ideo præscit futuras, quia futuræ sunt, vt dictum supra de scientia Dei disput. 2. quæst. 8. dub. 10. futuritio autem absoluta meritorum consequitur & supponit voluntatem & prædestinationem meritorum, tanquam effectus causam, vt generatim dictum ibid. & dub. 4. quæst. 10. Ergo etiam ipsa præscientia meritorum secundum rationem subsequitur & supponit voluntatem & prædestinationem meritorum: ac proinde etiamsi voluntas & prædestinatio meritorum esset simul ratione cum volũtate & prædestinatione gloriæ, nihilominus tamen præscientia meritorum necessariò erit voluntate & prædestinatione meritorum posterior. Consequentia patet. Quia quod est ratione posterius aliquo, est etiam ratione posterius eo quod cum illo altero ratione simul est; ea enim, quæ re & ratione absolutè & simpliciter simul sunt, respectu nullius possunt habere ordinem prioritatis & posterioritatis. Gregorius autem de Valentia supponit ipsam præscientiam absolutam meritorum, seu scientiam visionis, esse causam obiecti præsciti, quod refutauimus cit. q. 8. dub. 10. vt inferius assert. 6. rursum dicetur.

Assertio III. Datur in Deo secundum rationem nostram distinctio & ordo prioritatis, etiam 27
inter ipsos quosdam actus diuinæ voluntatis, quibus homini efficaciter vult gloriam. Colligitur ex sancto Thoma quæst. 23. art. 4. vbi docet, Electionem ad gloriam supponere dilectionem: idem multò magis sentiunt omnes illi, qui docent, electionem ad gloriam esse ratione nostra priorem electione meritorum, quos sequenti dubio referemus. Probatur ex notatione superius præmissa. Si enim datur in DEO voluntas efficax, & quasi prædestinatio gloriæ, per merita seu media conferendæ; item voluntas efficax conferendæ gloriæ ex præuisis, seu post præuisa merita, sed nondum reipsa exhibita; vti etiam voluntas conferendæ gloriæ, post merita ipsa actu exhibita, tum necesse est fateri, esse in DEO plures actus voluntatis ratione distinctos, ac inter se quodam ordine prioritatis subordinatos, quibus DEVS efficaciter homini vult gloriam: sed verum est antecedens, vt ostensum est: Ergo & consequens.

Assertio IV. Necessariò admittenda est in 28
actibus diuinæ mentis, quatenus efficaciter fertur in gloriam, & meritum electorum, duplex prioritas; vna nimirum secundum ordinem intentionis, altera secundum ordinem executionis: siue prædestinatio meritorum secundum ordinem intentionis simul sit, secundum rationem nostram, cum prædestinatione gloriæ, siue hæc sit prior illa. Ita sentiunt omnes illi, qui secundum ordinem intentionis electionem ad gloriam priorem faciunt prædestinatione & præscientia meritorum; quos suo loco referemus; speciatim Bellarminus libr. secundo de grat. & lib. arbitr. capit. 14. & Suarez hic lib. primo capit. 8. numero 50. & libr. 3. de auxil. capit. 18. numero 4. Idem etiam, nolint velint, necessariò sentire debent illi, qui secundum ordinem intentionis nullam prioritatem rationis agnoscunt inter electionem seu prædestinationem ad gloriam, & inter prædestinationem seu præscientiam meritorum.

Probatur assertio secundum authores prioris 29
sententiæ. Si enim in DEO datur gratuita voluntas seu decretum conferendi gloriam per merita, secundum ordinem intentionis prior prædestinatione & præuisione mediorum; & simul alia voluntas ratione distincta conferendi gloriam ob præuisa merita, ordine executionis posterior præuisione & prædestinatione mediorum; tunc necessariò fatendum est, secundum hanc sententiam, in actibus diuinæ mentis, quatenus efficaciter fertur in gloriam & merita, esse duplicem ordinem prioritatis, secundum ordinem intentionis nimirum, & executionis; quandoquidem secundum eundem ordinem eadem voluntas gloriæ non potest absolutè simul esse prior & posterior eiusdem respectu: sed verum est antecedens quoad posteriorem partem, ex dictis notatione initio præmissa: priorem

Digitized by Google

autem hi authores supponunt: Ergo & consequens in eadem sententia verum est.

30 Iuxta posteriorem autem sententiam probatur assertio hac ratione. Si enim præter actum diuinæ voluntatis, & quasi intentionem conferendi gloriam per merita, etiam iuxta hanc sententiam fatendum est, dari insuper in DEO actum voluntatis distinctum, & ratione posteriorem, quo nimirum DEVS vult electis in ipsa executione conferre gloriam post merita tum præuisa, tum reipsa exhibita, tunc necessariò etiam secundum hanc sententiam admittendus est in DEO duplex ordo intentionis, & executionis, & duplex voluntas conferendi gloriam, vna simul ordine intentionis cum ipsa prædestinatione meritorum, altera ordine executionis posterior prædestinatione meritorum: sed verum est antecedens: Ergo & consequens.

31 Maior propositio probatur. Quia voluntas illa conferendi gloriam per merita, item conferendi gloriam post præuisa merita, sed nondum exhibita, vel etiam post merita iam reipsa exhibita, sunt actus in DEO ratione distincti, & inter se subordinati, ita vt posterior priorem supponat, eumque subsequatur, ex dictis in notatione præmissa: Ergo si primus ille actus simul ratione est cum prædestinatione meritorum, posterior necessariò prædestinationem meritorum subsequetur: & quia primus ille actus conferendi gloriam per merita, vtique ad ordinem intentionis pertinet, imò est ipse quasi actus intentionis conferendi gloriam prædestinatis, posteriores verò ad executionem intentionis illius diuinæ iam præsuppositæ pertinent; quibus nimirum exequendum decernitur, quod iam antea per actum illum diuinæ quasi intentionis constitutum est, necessariò dicendum est, posteriorem actum esse ordine executionis posteriorem illo actu quasi intentionis, quem hæc sententia ordine intentionis simul esse dicit cum prædestinatione meritorum: præsertim quando eodem ordine intentionis non potest voluntas efficax gloriæ absolutè & simul, & posterior esse prædestinatione meritorum: sed si quidem simul, & posterior est, necesse est in diuerso ordine, intentionis, & executionis, simul, & posteriorem esse, eadem prædestinatione meritorum.

32 Minor patet ex dictis in eadem notatione. Illic enim perspicuè ostendimus, hos actus esse ratione distinctos, & habere inter se ordinem quendam prioritatis, Deoque necessario in omni sententia tribuendos.

Assertio V. Necessariò etiam proinde in Deo admittenda est duplex voluntas efficax conferendi gloriam; vna gratuita per modum electionis ad gloriam; altera secundum debitum ex præuisis meritis: siue electio ad gloriam secundum ordinem intentionis prior sit prædestinatione meritorum, siue vtraque simul sit secundum rationem nostram. Sequitur ex præcedenti assertione. Et quidem si Electio sit prior secundum rationem prædestinatione meritorum, patet assertio ex dictis assertion. præcedent. quia electio ad gloriam esto sit per merita, non tamen est ex præuisis meritis, seu propter merita: Ergo est gratuita hoc sensu, quia gratis à Deo, & non propter merita præuisa concipitur; etsi onerosa dici possit alio sensu, quia est voluntas conferendi gloriam sub onere: altera autem illa executiua voluntas simpliciter debita & onerosa est, quia est ex præuisis meritis, & non gratuita.

Idem dicendum, si Electio ad gloriam ponatur simul cum prædestinatione meritorum. Nam cum actus ille, conferendi gloriam per merita, nondum supponat merita futura, multò minus præuisa, cum sit causa meritorum, vt superius dictum, necesse est, vt hæc sententia fateatur, voluntatem illam primam conferendi gloriam per merita, esse gratuitam, & non ex debito: cum tamen posterior illa voluntas conferendi gloriam ob præuisa merita, vel post præuisa, seu exhibita merita, non sit gratuita, sed debita, & ad Iustitiam vtique pertineat. Plura de hac re inferius dub. 5. & supra disput. 2. quæst. 10. dub. 5. assert. 9. 33

Assertio VI. Præscientia absoluta meritorum, seu cooperationis perseuerantis, non fuit simul cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis, qua talis; cum planè sit posterior non solum decreto gratiæ congruæ, sed etiam ipsa prædestinatione meritorum & cooperationis perseuerantis. Hæc assertio est contra nouam quandam sententiam Gregorij de Valentia superius relatam, quam ex communi refellit etiam Vasquez 1. p. d. 92. numero 9. Probatur, primò, quia gratia congrua etiam secundum se & suam substantiam absolutè spectata, qua ratione est causa cooperationis, est effectus prædestinationis, iuxta Sanctum Paulum Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis*; & Augustinum in Enchiridio capite 32. & lib. de bono perseuerant. capite 6. aliosque Doctores, qui etiam propterea dicunt, DEVM incipere prædestinationem in nobis, sine nobis liberè cooperantibus. Neque enim vt sic est effectus communis prouidentiæ; quandoquidem secum consequenter trahit cooperationem & perseuerantiam finalem; & tamen vt sic est prior ipsa cooperatione, vt fatetur etiam Gregorius de Valentia. Imò vocatio congrua est initium prædestinationis passiuæ, seu primum donum gratiæ, à quo inchoatur in ipso prædestinato (supposito Esse naturali) prædestinationis executio, non quatenus actu cooperatur cum libero arbitrio, nec quatenus coniungitur perseuerantiæ finali, sed prout præcedit omnem arbitrij assensum, vt bene etiam Vasquez loco citat. Ergo præscientia meritorum non fuit simul cum decreto gratiæ congruæ.

Secundò, quia aliàs homo esset causa, aut saltem concausa totius prædestinationis, respectu omnium effectuũ ipsius, qua effectus prædestinationis sunt: est enim causa seu concausa cooperationis perseuerantis, sine qua ista sententia nullum ait effectum prædestinationis perfici 34

qua

qua talis, hoc est, qua prædestinationis effectus est.

Tertiò, quia præscientia absoluta DEI non est causa rerum, ex dictis supra disputat. 2. quæstion. 8. dub. 10. ac proinde nec præscientia meritorum est causa meritorum, vt supponit hæc sententia; sed potius vti præscientia absoluta cuiusuis effectus diuini, ratione posterior est ipsa præfinitione seu decreto practico, ipsaque futuritione eiusdem effectus, ita etiam præscientia absoluta meritorum ratione posterior est prædestinatione & futuritione eorundem meritorum.

35 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur primò, negando antecedens: si sensus sit, quemlibet effectum prædestinationis secundum se seorsim spectatum, qua præcisè talis est, & abstrahendo à scientia DEI media, habere infallibilem respectum ad salutem æternam ipsius prædestinati: certa enim liberatio & assecutio vitæ æternæ, quæ in definitione prædestinationis ponitur, non est proprietas singulorum per se effectuum prædestinationis, etiam qua tales sunt, sed omnium simul donorum gratiæ, seu totius collectionis eorundem, prout inter se subordinantur. Quod etiam cernitur in partibus domus, quæ dici potest structura habitationi hominum destinata, & idonea ad arcendas cœli iniurias; & quamuis singulæ partes domus sint effectus, ad eum quem diximus finem constructæ, non tamen ideo singulæ per se seorsim arcent cœli iniurias, neque ideo etiam simul ab artifice intentæ sunt aut perfectæ, sed certo quodam inter se ordine.

Respondetur secundò, negando consequentiam. Quia etiamsi singuli effectus prædestinationis habeant respectum infallibilem ad salutem æternam prædestinati, adeoque ad ipsam etiam perseuerantiam prædestinati, certò & infallibiliter futuram, non tamen est consequens, singulos decretos esse, cum præscientia ipsius perseuerantiæ, tanquam ratione simul existente in mente diuina; quandoquidem ante præscientiam absolutam, quæ prædestinationem sequitur, respectum eiusmodi infallibilem habent ex ipsa scientia media, seu vt subsunt scientiæ Dei conditionatæ, quæ procul dubio prior est prædestinatione.

36 Restat nunc, vt eorum etiam argumenta soluamus, qui censent, nullum esse prioritatis ordinem inter electionem ad gloriam, & prædestinationem, aut etiam præscientiam meritorum: quanquam, vt deinceps patebit, nullum fere argumentum eò spectat, vt probet, ipsam etiam præscientiam meritorum simul ratione esse cum prædestinatione ad gloriam; cum tamen de hoc potissimum sit controuersia, vt dignoscatur, an prædestinatio ad gloriam fuerit gratuita, an ex debito.

Primùm ita nonnulli argumentantur: Omnis voluntas efficax & finis intentio, licet obliquè & minus principaliter, necessariò tamen & essentialiter includit etiam media: atqui Scoti absolutum decretum dandi prædestinatis gloriam, ante præuisa merita, non potest dici alius diuinæ voluntatis actus, quàm Intentio supernaturalis finis, vt plerique etiam sponte fatentur, speciatim Suarez lib. 1. de prædestinat. capit. 7. & 8. & alibi passim: cogitari igitur & attribui DEO contemplatione nostra non potest, quin simul complectatur media illa, per quæ decernebatur idem finis consequendus, eaque non confusè, siquidem talis cognitio diuinam maiestatem dedecet. Ergo fieri nulla ratione potuit, quod Scotus docet, vt Deus ab æterno efficaci quodam decreto solam beatitudinem cuiquam prædestinatorum intenderet, non præuisis gratiæ meritis & medijs, per quæ in tempore foret obtinenda. Huius argumenti forma dicitur esse optima. Minor probatur authoritate, experientia, seu inductione, & ratione duplici.

Respondeo negando maiorem, & consequentiam vtramque. Maior enim falsa est, si Sanctum Thomam audimus in 1.2. quæst. 8. articulo tertio, vbi expresse ait: *Cum finis sit secundum se volitus, id autem quod est ad finem, in quantum huiusmodi, non sit volitum, nisi propter finem, manifestum est, quod voluntas potest ferri* (nimirum efficaciter etiam) *in finem, in quantum huiusmodi, sine hoc, quod feratur in ea, quæ sunt ad finem: sed in ea quæ sunt ad finem, in quantum huiusmodi, non potest ferri nisi feratur in ipsum finem.* Et rursum quæstione 12. articulo 4. ad 3. inquit Sanctus Thomas: *Intentio finis esse potest, etiam nondum determinatis his, quæ sunt ad finem, quorum est electio*; vt etiam superius retulimus. Falsum est igitur, efficacem voluntatem finis consequendi necessariò & essentialiter includere media, præsertim in particulari; quod proinde etiam de intentione finis dicendum: quia voluntas efficax finis seu boni per se expetibilis consequendi, non potest esse nisi Intentio. Quò fit vt finis etiam formaliter concipi possit, absque hoc quod actu & explicitè referatur ad media, nimirum ita, vt fit bonum propter se expetibile; tametsi medium vt medium concipi non possit, nisi cum respectu ad finem, vt planè docet Sanctus Thomas cit. quæst. 8. art. 3. 37

Consequentia prima negatur; quatenus infert, DEVM in nullo instanti rationis cogitari posse, vllam habuisse voluntatem circa media in obliquo spectata, quin simul in eodem rationis instanti distinctè eadem voluerit: quasi alias confusa DEO cognitio tribuenda sit, quæ diuinam maiestatem dedecet. Primo enim non est hic de cognitione sermo, sed de efficaci appetitione; & potuit Deus omnium mediorum distinctam cognitionem saltem simplicis intelligentiæ (quæ sola practica est) simul in eodem instanti aut potius ante illud rationis instans habere, sicut etiam reipsa habuit; quamuis voluntas efficaciter in eodem instanti solum ferretur in media generatim; sicut etsi omnium mediorum possibilium simul distinctam cognitionem haberet Deus, potuit tamen aliqua solum, non omnia efficaciter velle: præsertim cum ipsemet etiã Molina q. 23. a. 4 & 5. d. 1. memb. 8. in fine, distinguat in Deo duplicẽ voluntatẽ prædestinãdi homines, 38

vnam generalem & necdum determinatam ad certas personas; alteram particularem singulorum; quarum illa sit prior prædestinatione Christi, hæc posterior. *Etenim*, inquit, *licet Christi prædestinatio non antecedat voluntatem absolutam redimendi genus humanum per Christum, & per consequens prædestinandi in genere homines aliquos in Christo, antecedit tamen singulorum prædestinationem, qui ab ipso sunt redempti.* Secundò non ideo confusa Deo tribuitur cognitio, quamuis in vno instanti rationis secundum nostrum intelligendi modum solum asseratur habuisse cognitionem rerum aliquarum generalem, non particularem: quando præcisio hæc rationis non facit, quò minus interim Deus reipsa simul eademque cognitione distinctè cognouerit omnia. Alioquin pari ratione dici posset, Deum in nullo instanti rationis habuisse cognitionem quasi abstractiuam rerum possibilium tantum, priusquam haberet scientiam intuitiuam existentium: quod tamen est contra omnes Theologos, & apertam rationem, cum illa scientia sit necessaria in Deo, hæc libera, vt suo loco dictum. Vide etiam de hac re infra dub. 7.

39 Consequentia secunda, à qua tamen omne ferè momentum pendet, manifestè falsa est; ideo, quia assumit nouum terminum, qui nec formaliter, nec virtualiter continebatur in antecedenti, nimirum intendere beatitudinem *non præuisis meritis & medijs*: quasi idem sit intendere beatitudinem non per merita, qui terminus in antecedenti ponebatur; & intendere beatitudinem non præuisis meritis; cum tamen hæc sint distinctissima; nec à negatione illius ad negationem huius, vlla sit consequentia: siquidem falsum esse potest, Deum intendere beatitudinem non per merita & media, & nihilominus verissimum Deum intendere beatitudinem non præuisis meritis & medijs, nimirum præscientiâ absolutâ, de qua solum in præsenti loco est sermo: cum præscientia absoluta meritorum & mediorum subsequatur prędestinationem eorundem; & prædestinare per merita non significet merita esse causam seu rationē prædestinationis etiam ad gloriam; quod tamen significant verba illa, prædestinare ex meritis, vt dictum supra assert. 2.

40 Secundo obijcitur. Finis formaliter appeti non potest, nisi per idonea media; sicut nec media, nisi cum ordine ad suum finem: Ergo cogitari ab humana ratione nec debet, nec verè potest, primum aliquod instans ac signum, quo Deus electis suis solam gloriam intenderit, neque secundum quo sola media gratiæ ac bonorum operum.

Respondeo diuersam esse rationem finis & mediorum: finis enim formaliter aliquo modo (prout scilicet absolutè etiam concipi potest) expeti potest absque vlla expressa & actuali cogitatione & volitione mediorum etiam in genere; at verò media non item, nisi simul obliquè etiam appetatur finis, vt ex S. Thoma in 1. 2. quæst. 8. art. 3. in solutione argumenti præcedentis diximus. Neque Scotus, vel alius Theologorum vllus, in secundo instanti ita à Deo expeti docuit media, quin simul in obliquo expetatur etiam finis; sed hoc dicunt, in primo instanti directè solum finem, in secundo directè sola media expeti, vt superius exposuimus.

Tertiò obijcitur. Quamuis in humanis actibus alius sit Intentionis, quam Executionis ordo, quo nimirum prius intenditur finis, quàm eligantur media, electaque executioni mandentur, talis tamen ordo & progressio humanæ cognitionis imperfectione nititur: Ergo in Deo locum non habet. 41

Respondeo ad consequentiam, non habere locum prout imperfectionem inuoluit, imperfectæ cognitionis, itemque realis pluralitatis & successionis actuum, qualis in Deo nulla est: sed non sequitur, secundum rationem nostram non posse, per comparationem ad actus humanos, pluralitatem eiusmodi quandam & ordinem actuum in Deo constitui. Alias enim in Deo omnis plane secundum rationem pluralitas actuum & subordinatio esset è medio tollenda; cum non nisi per respectum ad actus creatos, prout supposita subiecti creati imperfectione, realiter multiplicantur & subordinantur, distinguantur, vt supra dictum, & fusius disp. 2. q. 10. dub. 5.

Quartò obijcitur. Etsi quidem homines, pro intellectus sui imbecillitate & ignorantia, plerunque soleant peculiari quodam actu fines intendere, ac postea ad distinctam specialemque mediorum inquisitionem, cognitionem, & vnius præ alijs electionem, deliberando progredi, tamen si eam cognitionem vel ante, vel simul ac finem cœpimus intendere, habere possemus, vt Deus, & Angeli, tum prætermisso deliberationis labore, pluriumque actuum exercitio & discursu, vno primoque statim actu finem cum medijs satis distinctè cognitis appeteremus. Ergo cum in Deo, in quolibet rationis instanti sit perfectissima & distinctissima cognitio (ad simplicem intelligentiam spectans) omnium mediorum, fatendū est, eum vnico primoque statim actu finem cum medijs appetere, sine vlla nimirum pluralitate & subordinatione actuum intentionis & electionis, etiam secundum rationem nostram. 42

Respondeo negando consequentiam, ob duas causas, Primùm, quia procedit ex hypothesi falsa & impossibili, ex qua non mirum, si sequatur falsum. Certè si alia esset ratio & ordo operandi in humanis, quam modo est, aliter etiam in Deo rationem & ordinem actuum secundum rationem nostram constitueremus: at verò respiciendo, vti par est, ad eum modum & ordinem operandi, quem in nobis reiipsa cernimus, vtcunque ex imperfectione nostra prouenientem, merito etiam eum, quem diximus, ordinem, non quidem re ipsa (quod imperfectionis esset) sed secundum modum tantum nostrum intelligendi, Deo, omni imperfectioue secluså, tribuimus. 43

Secundò. Etiam posito antecedenti, tamen non sequeretur, ideo in homine non fore re ipsa distinctos proprios & formales actus Intentionis & electionis, sed ex hypothesi illa hoc solum sequeretur, fore vt homo simul & vnico reipsa actu intendat finem per media, etiam particulatim cognita; qui tamen est actus propriè directè & expressè solius intentionis, non electionis: quan-

doqui-

doquidem eo actu solus finis directè, media autem solum obliquè appetuntur. Quare actus ille non obstaret, quo minus etiam homo habere posset alium actum realiter distinctum, & saltem ordine naturæ, si non temporis posteriorem, quo directè appeteret media propter finem; qui est actus electionis. Multo minus igitur concludi potest, in Deo non posse secundum rationem distingui Intentionem quasi beatitudinis, & electionem mediorum, & hanc illi aliquo modo subordinari, quia ad hanc distinctionem rationis sufficeret realis distinctio similium actuum in homine, cum subordinatione eorum inter se ex natura rei: præsertim quando; Deo vtraque voluntas efficax & finis, & mediorum modo perfectissimo tribuenda est.

44 Quinto obijcitur. Electio gratuita ad gloriam, qualem constituunt illi, qui eam ratione priorem faciunt præscientia meritorum, contradictorie opponitur electioni ex præuisis meritis, qualem statuunt tum alij Theologi, tum illi, qui ratione simul dicunt esse prædestinationem gloriæ & meritorum præscientiam: Ergo non potest simul constitui Electio gratuita ad gloriam, & aliud decretum diuinum ratione posterius, (ad ordinem executionis pertinens) quo Deus decreuerit conferre gloriam ex præuisis meritis, vt docuimus assertione 4. &c.

Respondeo negando consequentiam. Quia decretum illud, quo Deus decernit gloriam ex præuisis meritis, cum sit posterius electione ad gloriam, atque ad ordinem executionis, non intentionis pertineat, propriè & strictè loquendo non est electio ad gloriam, sed executiuum decretum conferendi gloriam ijs, qui iam antea priori decreto sunt electi. Electio enim ad gloriam propriè dicit segregationem saluandorum ab ijs, qui saluandi non sunt, quæ segregatio propriè non fit decreto illo executiuo, sed supponitur. Quare esto, electio ex præuisis meritis, & electio gratuita, propriè & strictè loquendo, sibi contradictoriè opponantur, certè tamen qui statuunt electionem ad gloriam ante præuisa merita, non statuunt aliam electionem ex præuisis meritis, vt obiectio supponit, qualem oppositæ sententiæ authores constituunt.

45 Quod si dicas, Electio ad gloriam gratuita contradictoriè opponitur cuilibet decreto conferendi gloriam, ex præuisis meritis, etiam executiuo; sicut conferre alicui gloriam gratis, & non gratis, contradictoriè opponuntur. Ergo hæc duo decreta non possunt simul stare in Deo. Respondeo falsum esse antecedens. Quia electio dicitur gratuita, non quod per eam Deus statuat conferre gloriam gratis, sed quia Deus gratis, hoc est, absque prouisione meritorum, statuit conferre gloriam, quocunque demum medio interueniente sit conferenda, ita vt vocabulum *gratis* denominet & appellet verbum statuit, non autem verbum conferre. Quo fit, vt eiusmodi electio gratuita minimè pugnet cum decreto conferendi gloriam non gratis, sed ex præuisis meritis: sicut etiam cum eo non pugnat ipsa actualis collatio gloriæ ex præuisis meritis.

Et vero posse primam ordinationem seu intentionem conferendi aliquibus præmium esse gratuitam, cum tamen actualis collatio præmij, seu decretum ipsum executiuum conferens præmium non sit gratuitum, patet quotidiano exemplo Regis, qui liberali solum & gratuita benignitate, adeoque gratis destinat & proponit præmia certantibus & vincentibus, cum tamen postea vti ea in executione gratis non confert, ita etiam decretum ipsum executiuum, quo præmium re ipsa confertur, non sit gratuitum, sed ex præuisis meritis. Quod miror tandem ab authoribus quibusdam contrariæ sententiæ non animaduerti.

Dices. Hoc ipso, quod Rex ille decreuit 46
præmia nonnisi decertantibus & vincentibus, non decreuit præmium vllis conferre, nisi mediante certamine & victoria obtinendum: Ergo non fuit gratuita illa ordinatio. Respondetur negando consequentiam: quia certamen illud & victoria non erat medium ad ordinationem illam faciendam, quæ solum gratuita, vt dictum, beneuolentia Principis facta est, sed solum est medium ad conferendum re ipsa præmium. Quare etiam hæc admodum distincta sunt, velle conferre gloriam per merita, & velle conferre gloriam ex præuisis meritis: prior enim voluntas potest esse gratuita, posterior non item.

Omitto quod in Antecedente quinti huius argumenti supponitur, simul esse præscientiam meritorum & prædestinationem gloriæ, & nihilominus prædestinationem ad gloriam esse ex præuisis meritis; quæ tamen duo manifestè implicare contradictionem supra assertione secunda & quinta ostendimus; neque vero idem est præscientia meritorum, aut prædestinatio gloriæ ex præuisis meritis, cum prædestinatione meritorum, aut cum prædestinatione gloriæ per merita, vt sæpius dictum.

Sexto obijcitur. Iuxta veteres Patres & Theologos, prædestinatio tota in mente diuina ita 47
peracta & plane consummata est, quod nimirum Deus, supposita tam scientia absoluta omnium rerum possibilium, quam conditionata futurorum contingentium, statuit cum vnoquoque saluando, omnium mediorum seriem exequi, quibusdam certo & infallibiliter, si talia ipsi salutis media conferret, prænouit, æternæ beatitudinis gloriam consecuturum: Ergo secundum rationem nostram nec prius gloriam, quam gratiæ merita, nec vicissim gratiam ante gloriam, sed vtraque simul decreuit.

Respondeo primum: Vtinam Antecedens ex veteribus Patribus & Theologis ab obijcente tam probatum redderetur, quam confidenter eis tribuitur; equidem nos eum prædestinationis modum, mediante scientia media peractum, libentissimè amplectimur, & defendimus disput. 2. quæst. 10. dub 5. vbi de scientia media egimus, sano tamen modo intellectum. Primum, vt Deus in vnoqnoque saluando non omnium plane mediorum seriem delegisse dicatur, quibuscum eum, si darentur, gloriam consecuturum præuidit, vidit enim in vnoquoque prædestinato adhuc

infinita alia media possibilia, quibuscum, si darentur, saluatum iri præuidit, neque hoc modo loquuntur Theologi; sed vt ea certe media, quibuscum vnumquemque saluatum iri præuiderat, delegerit. Secundo vt prædestinatio tota formaliter non censeatur peracta sola illa selectione mediorum, quia negari non potest, prædestinationem simul etiam formaliter includere directam & expressam voluntatem gloriæ, seu electionem ad gloriam, vt dictum quæst. 2. dub. 1. sed interueniente tamen ea scientia media, selectioneque illorum mediorum, quæ diximus, consummatam fuisse prædestinationem, omnino concedimus.

48 Quo posito, respondetur secundo, negando consequentiam; quia cum prædestinatio diuina non complectatur solum ordinationem illorum mediorum, sed directam etiam & expressam voluntatem gloriæ, quæ quidem etiam voluntatem illam efficacem mediorum ratione anteceſſit, vt dubio sequenti dicetur, negari nullo modo debet, diuinam prædestinationem, secundum rationem nostram, complecti plures actus diuinę mentis, eosque ordine quodam prioritatis inter se subordinatos, vt dictum. Quod ipsum tamen etiam pariter dicendum esset, tametsi prædestinatio solam mediorum voluntatem complecteretur, quia nihilominus ipsa media, prout propius aut remotius fini coniuncta sunt, quendam inter se ordinem habent, ob quam pluralitatem & subordinationem, etiam pluribus actibus ratione nostra & quodam ordine eligi à Deo dicendum foret, vt inferius suo loco magis patebit quæst. 5. dub. 6.

DVBIVM III.

Vtrum in diuina mente Electio seu prædestinatio ad gloriam, ratione prior sit, tam prædestinatione, quam præscientia meritorum, seu mediorum, vel contra: Speciatim quid hac de re tum cæteri Doctores; tum præcipuè S. Augustinus, & S. Thomas senserint.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. 5. & 7.

1 COnstituto iam antea præcedenti dubitatione hoc principio, esse secundum rationem nostram in diuina mente ordinem aliquem prioritatis inter Electionem seu prædestinationem ad gloriam, & inter prædestinationem, multoque magis præscientiam meritorum seu mediorum, restat vt ordinem hunc particulatim ac distinctè explicemus; quod sequenti demum dubitatione faciemus, postquam hoc dubio varias hac de re Doctorum sententias, ac præsertim quænam fuerit hac de re S. Augustini, & S. Thomæ sententia exposuerimus.

Sunt igitur hac de re vniuersim tres Doctorum sententiæ. Prima vniuersim docet, voluntatem efficacem, seu prædestinationem atque etiam præscientiam meritorum, seu mediorum, seu quod eodem spectat perseuerantiæ finalis, ratione priorem esse electione seu prædestinatione ad gloriam. Hanc sententiam ex instituto prolixè sequitur & defendit Vasquez 1. p. tom. 1. disputat. 89. cap. 2. & seqq. & quamuis eodem capite 2. à numero 10. ex instituto eam authoritate Doctorum confirmare nitatur (in qua re etiam ipse alias solet esse diligens & accuratus) plures tamen pro ea non citat ex ijs, qui sua scripta in lucem dederunt, quam Bartholomæum Camerarium in dialog. cap. 5. Osorium lib. 9. de Iustitia, Turrianum opusculo de electione, & Guilelmum de Rubione in 1. d. 41. quæst. 1. art. 1. & 2. concluſ. 3. quibus adde Argentinam in 1. d. 41. quæstion. 1. art. 2. Pighium lib. 8. de lib. arb. cap. 2. Stapletonum in cap. 9. Rom. & orat. sing. Addit Vasquez: Idē sensisse videtur Maior in 1. d. 40. q. 2. sed quem inferius apertè pro opposita sententia adducemus. His ex parte idem Vasquez subiungit Ockamum & Gabrielem; sed quos ipsemet notat non esse huius primæ sententiæ, sed eius quam secundo loco referemus.

His à nonnullis adduntur Albertus, & Henricus Gandauensis: sed quos merito prætermisit Vasquez; cum potius oppositum sentiant, vt bene etiam notauit Henriquez lib. vlt. c. 11. §. 3. lit. O. Eandem sententiam sequuntur Gregorius de Valentia q. 23. punct. 4. §. 3. 4. 5. 6. alijque nonnulli recentiores: è quibus non nemo, solam B. Virginem excipiens, quoad cæteros, hanc etiam censuram edito libro vulgatam addidit his verbis: *Opposita sententia mihi semper visa est à veritate, & doctrina sacræ Scripturæ, & SS. Patrum aliena; nec pietati & moribus satis consona, &c.* 2

Solent etiam à nonnullis pro hac sententia adduci ex antiquis Scholasticis omnes illi, qui falsò quidem & improbabiliter senserunt, dari ex parte prædestinati causam siue totius prædestinationis, siue prædestinationis ad primam gratiam, saltem ex parte effectus; quos superius quæst. præced. dub. 4. retulimus, & quos solos etiam refert Eckius in Chrysopasso centur. 3. n. 29. Sed qui tamen ad præsens institutum vniuersim non spectant; quia etsi quidem illi docuerint, ex parte prædestinati dari causam primæ gratiæ, seu etiam prædestinationis ad primam gratiam congruam ex parte effectus; simul tamen plerique apertè negarunt, dari causam seu rationem ipsius per se prædestinationis, vt ibidem retulimus, & speciatim videre est in Alense, Bonauētura, Gandauēse; & notauit ipsemet Vasquez cit. disp. 91. c. 10. n. 65, adeo vt ex illis, præter Argentinam, & eos, quos iam antea retulimus, vix alios inuenias.

Tametsi vero authores superius citati præcipuè de adultis loquantur, tamen seruata proportione idem de paruulis sentiunt; nimirum eos ad gloriam prædestinatos non esse, nisi post præuisionem applicationis salutaris eorum mediorum, quibuscum gratiam ad finem vsque perseuerantem erant consecuturi. Quocirca etiam Vasquez disp. 90. cap. 2. omnium prædestinatorum 3

eandem

eandem esse rationem docet, & disputatione 89. numero 86. expresè hoc extendit ad paruulos, seruata proportione; asserens videlicet, eos non fuisse efficaciter electos ad gloriam, nisi ex præscientia iustificationis. Idem citata disputatione 89. capite secundo ait, hanc sententiam non paucis, nec indoctis Theologiæ Professoribus in Germania, Gallia, & Hispania hoc nostro seculo probatam. Argumenta huius sententiæ dubio 5. referemus & dissoluemus.

4 Secunda sententia priori affinis est, à toto quidem genere, & in plerisque saluandis, præscientiam meritorum, seu mediorum, ratione priorem fuisse prædestinatione ad gloriam, nihilominus tamen quosdam eximiè à Deo dilectos, fuisse prædestinatos ad gloriam, ante præuisionem meritorum, vti nimirum B. Virginem, Ioannem Baptistam, Apostolos, aliosque his similes. Ita docent Ockam in 1. d. 41. quæst. 1. Gabriel ead. dist. quæst. 1. art. 2. Catharinus opusc. de prædest. Dei lib. 1. cap. vlt. & lib. 3. cap. 1. & 2. & videtur sequi Eckius in Chrysopasso centur. 2. numer. 94. vbi asserit, Deum *aliquos sine ratione prædestinare*, in quibus recenset eos, quos diximus; aliquos verò *cum causa & ratione*. Quam sententiam quoad posteriorem partem, saltem vt magis piam & benignam, ac populari captui magis accommodatam approbat, vt videre licet centur. 2. num. 58. & centur. 3. à num. 25. Eandem sententiam ex parte sequitur Lessius, quatenus saltem vnam B. Virginem ante præuisionem meritorum prædestinatam asserit, vt dictum in relatione præcedentis sententiæ. Eandem ex Catharino refert, & olim secutum se fuisse testatur Sixtus Senensis libro 6. Biblioth. numero 248. & seqq. [Eam, *inquit*, per decem annos prædicaui in multis & præcipuis Italiæ vrbibus; sed tamen postea cum animaduertissem, huiusmodi assertionem difficultatibus & angustijs non paucis premi, & ob id plerisque doctis & pijs Theologis non probari, satius duxi, ab eius prædicatione desistere, quam pio eruditorum iudicio improbata docere.]

5 Tertia sententia vniuersim docet, prædestinationem seu electionem ad gloriam, respectu omnium tam hominum, seu adultorum seu paruulorum, quam Angelorum, factam esse ante prædestinationem & præuisionem meritorum, seu mediorum in particulari, quibus ijdem saluandi erant, ac proinde Deum absoluto decreto præfinitiuo, omnes, qui saluantur, prædestinasse seu elegisse ad gloriam. Ita præter S. Thomam, de quo infra, significat Magister in 1. distinct. 41. qui cum initio hæc verba præmisisset: [Si autem quærimus meritum obdurationis & misericordiæ, obdurationis meritum inuenimus, misericordiæ autem meritum non inuenimus,] mox absolutè negat meritum ex parte nostra tam prædestinationis, quam electionis: [Opinati sunt quidam, *inquit*, Deum ideo elegisse Iacob, quia talem futurum præsciuit, qui in eum crederet, & ei seruiret: quod aliquando Augustinus se sensisse dicit in libro Retract. (1. cap. 23.) vbi apertè ostendit, quod si propter futura merita electus esset, iam non ex gratia esset electio. Non ergo ideo electus est à Deo, quia talis futurus erat, sed ex tali electione talis est factus, &c.] Et in eundem sensum loquitur tota illa dist. nusquam vel verbo indicans, electionem ad gloriam factam esse ex meritis.

Idem sentit Albertus in 1. dist. 41. artic. 3. vbi 6
ait: [Distinguendum est in prædestinatione; quod quiddam est ibi æternum, vt propositum; & quoddam determinabile ad tempus, vt collatio gratiæ; & ex parte æterni nec causam finalem habet, nec rationem propriè loquendo; quia ratio etiam aliquo modo elicit opus: merita autem futura nullo modo eliciunt propositum Dei: ex parte autem effectus, in quo determinabilis est prædestinatio & reprobatio ad tempus, habent rationem meriti (hoc est ipsum meritum) non tamen causam finalem.] Vbi simpliciter negat, merita esse rationem prædestinationis secundum se; licet esse possint ratio prædestinationis ex parte effectus; quod inprimis de gloria accipiendum.

Idem sentit Richardus in 1. d. 41. articulo se- 7
cundo quæst. prima vbi ait: [Videtur ergo mihi dicendum, quod si consideremus effectum prædestinationis in particulari, quod præscientia vnius effectus bene est ratio, quare Deus præordinauit se daturum saluando alium effectum; vt quia præsciuit se daturum aliquibus finalem gratiam, ordinauit eis (nimirum decreto executiuo) se daturum interminabilem gloriam, & è conuerso: (hoc est, quia præordinauit se daturum aliquibus interminabilem gloriam, ideo præsciuit se daturum aliquibus finalem gratiam) secundum quod gloria est causa gratiæ, secundum rationem causæ finalis; & gratia causa gloriæ, secundum rationem meritoriæ causæ.] Quibus verbis Richardus apertè sentit, non solum præscientiam gratiæ finalis (eadem est ratio meritorum) esse rationem ordinationis ad gloriam, sed etiam ordinationem ad gloriam in genere causæ finalis, esse rationem præscientiæ finalis gratiæ seu meritorum: è quibus posterius dictum vtique de ordine Intentionis, qui ex causa finali desumitur, prius autem de ordine executionis, quò spectat causalitas efficientis, adeoq; meriti in ordine ad gloriam, necessario accipiendum est, vt sequenti dubio magis declarabitur. Vnum enim & idem decretum non potest esse prius præscientia meritorum, & posterius, eodem ordine.

Et eodem articulo secundo, quæstione secun- 8
da ad 2. apertissimè: [DEVS, *inquit*, non tenebatur ex debito aliquem prædestinare, sed ex mera liberalitate aliquos prædestinauit ad vitam æternam, & aliquos illorum ad altiorem gradum vitæ æternæ: nec propter hoc iustè potest DEVS reprehendi de inæqualitate, quia hoc faciendo nulli denegat debitum. In his enim, quæ ex mera liberalitate dantur, potest dans aliquibus dare, & alijs non dare secundum plus & minus, absque præiudicio iustitiæ.] Ita Richardus.

Idem

Idem indubitatè sentit Ægidius, quando efficacem dilectionem, qua Deus efficaciter saluandis vult gratiam & gloriam, atque etiam electionem ad eosdem terminos, priorem facit prædestinatione, qua per certa media saluandi diriguntur ad vitam æternam; vt agnoscit etiam Vasquez citat. disput. 89. capit. primo. Verba illius in 1. d. 41. quæstio. 1. artic. 2. sunt. Cum enim dixisset, dilectionē hoc loco non esse aliud, *nisi secundum quod Deus suis amicis vult bonum gratiæ & gloriæ*: hancq; esse posteriorem dispositione, subiungit: [Deus prius diligit, quàm eligat, quia cum diuina voluntas non inclinetur ad volendum ex exteriori bono, & quia res est bona, Deus eam diligat; sed magis quia rem diligit, bona existit; cum eligibile habeat rationem boni, secundum modum intelligendi, Deus prius vult nobis bonum, quàm nos eligat; quia cum non simus boni, nisi quia vult nobis bonum, nec simus eligibiles, nisi quia simus boni, Deus nos non eligit, nisi quia vult nobis bonum: Ergo ipsum velle bonū, siue ipsum diligere in Deo secundum modum intelligendi electionem præcedit. Electio autem præcedit librū vitæ &c. Hic autem liber vitæ præcedit prædestinationem Dei, Deus enim cum aliquem velit destinare ad vitam, prius eos eligit &c. *Et resp. ad 4.* Electio, *inquit*, non est idem quod prædestinatio, sed præcedit eam.] His consentiunt ea, quæ docet idem auctor ibidem q. 2. artic. 1. vbi de causa prædestinationis agit.

9 Item Vdalricus de Argentina, Alberti Magni Auditor, in Summa sua lib. 2. apud Dyonisium Carthus. d. 41. q. 2. docet, [quod consilium, electio, & consimilia quædam, quæ aliquid imperfectionis includunt, competunt Deo, secundum id, quod perfectionis in ipsis est, omni imperfectione secluſa: & item quod sicut dilectionem sequitur electio, ita electionem prædestinatio; quæ præcedentia non est, nisi secundum rationem & ordinē intelligendi.] Cum ergo præscientia mediorum & meritorum sequatur prędestinationem, aut certè ea prior non sit, necesse est electionē & dilectionem etiam efficacem saluandi, priorem esse prædestinatione & præscientia meritorum.

Idem apertè docet Heruæus in 1. dist. 41. q. 1. a. 1. [Tertiò, *inquit*, sciendum est, quod ita se habent per ordinē, scilicet voluntas cōmunicandi finem, electio aliquorum, quibus finis & bonum cōmunicetur, & conceptio eorum, quæ conferēda sunt electis ad assequendum finem, & propositum conferendi ea. Prius enim est velle communicare bonum & finem, quàm eligere, quibus communicetur: qua electione præacceptatur vnus alij, vt cui cōmunicandus est talis finis: prius est etiam eligere aliquos, quibus est finis conferendus, quam præconcipere media conferenda, & quam propositum conferendi. Et quia prædicta præconceptio est formaliter prædestinatio, habet secum concomitantem triplicem actum voluntatis, scilicet duos antecedentes, videlicet voluntatem communicandi finem, & electionem eorum, vel illorum, quibus conferatur; & vnum sequentem, scilicet propositum media conferendi, quibus electi finem consequantur.] Vbi simul expressè habes, actum Intentionis esse priorem electione ac volitione mediorum, vt dub. præced. probauimus.

Idem docet Scotus iuxta eam, in quam magis inclinat sententiam in 1. dist. 41. q. 1. [Volens, *inquit*, ordinatè finem, & ea quæ sunt ad finem, prius vult finem, quàm aliquod entium ad finem: quia propter finem alia vult. Ergo cum in toto processu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis vltimus sit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid istius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finem, & quasi posterius vult sibi alia, quæ sunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem: scilicet gratia, fides, merita, & bonus vsus liberi arbitrij, omnia ad istum finem sunt ordinata; licet quædam remotius, & quædam propinquius: Ergo primò isti vult Deus beatitudinem, quam aliquod istorum,; & prius vult ei quodcunque istorum, quam ipsum præuideat habiturum quodcunque istorum; igitur propter nullum istorum præuisum vult ei beatitudinem.] Scotum sequuntur & tuentur Scotistæ cæteri, speciatim Bassolis dist. 41. q. n. a. 4. Tartaretus ead. dist. 41. q. vn. Lychetus ibidem. Franciscus de Mayronis ead. dist. 41. q. 4. Bargius dist. 12. q. 2. & dist. 41. q. vn. 10

Huc etiam spectat Durandus in 1. d. 41. q. 1. a n. 6. [Sciendum est, *inquit*, quod inter electionē, & cæteros actus intellectus & voluntatis in Deo. non est ordo prioris & posterioris secundum rem, sed tantum secundum rationem. &c. Et hunc debemus considerare ex reali ordine, quem habent actus tales in nobis, in quibus differunt secundū rem. &c. Actus autem voluntatis de fine præcedit (*in nobis*) actum intellectus practici, quo consiliatur de his, quæ sunt ad finem &c. Hunc autem actum intellectus practici sequitur electio, quæ est appetitus præconsiliati. &c. In Deo autem est similis ordo secundum rationem.] Vide totū locū inferius relatum dub. 10. Sane Durandus, nihil pro hac sententia apertius dicere potuisset; tametsi quod prædestinationem solum ad media refert, non ad gloriam, iam superius q. 1. & 2. refutatum est. 11

Idem sentit Gregorius Ariminensis in 1. d. 41. q. 1. art. 1. vbi cum definisset prædestinationem, quod sit propositum dandi vitam æternam, mox a. 2. conclusione 3. ait, [quod quemcunq; Deus prædestinauit, gratis tantum modò & misericorditer prædestinauit.] Et infra, in probatione primæ conclusionis, cum adduxisset authoritatem S. Augustini, siue Fulgentij de fide ad Petrum, c. 3. vbi ait: [Illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinauit ad regnum; quia enim eos tales prædestinatio præparauit, vt in regno Dei essent, præparauit vtique secundum propositum vocandos vt obediant; præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant; præparauit & glorificandos, vt Christi cohæredes effecti, regnum cœlorum sine fine possideant; *subiungit Ariminensis*: Ex hac auctoritate patet manifestè, quod quia prædestinatio præparauit aliquos ad regnum æternum, id est, quia Deus proposuit, & suo proposito ordi- 12

nauit

nauit aliquos ad æternum regnum, ideo etiam præordinauit eos vocare & iustificare, &c.] Vbi aperte hic author docet, ordinationem ad æternum regnum in diuina mente priorem esse præordinatione vocationis & iustificationis, adeoque mediorum. Gregorij sententiam cæteris præfert etiam Petrus de Alliaco in 1. quæstione 12. articulo 2.

13 Similiter Marsilius in 1. quæstione 41. articulo 1. hanc ponit tertiam conclusionem: *Quod omnis prædestinatus est ex sola gratia prædestinatus, & misericordi dispositione diuina, non ex aliqua causa actuali vel priuatiua reperienda in eo cum viuit.* Vbi initio articuli iam antea declarauerat, non esse intentionem eius articuli inuestigare, vtrum in prædestinato sit aliqua causa illius rei, quæ est prædestinatio, &c. sed intentionem articuli esse, inquirere, vtrum in prædestinato sit aliquid, quod est causa, propter quam Deus ab æterno prædestinauit ipsum, vel proposuerit ei dare gloriam & gratiam, &c. Nec vim facit hic author in vtroque coniuncto, quod est prædestinatio gratiæ & gloriæ, sed promiscuè & indistinctè loquitur.

14 Sed & Gerson part. 3. operum libro 1. de consolat. Theolog. prosa 3. eandem plane sententiam tradit, dum in persona Volucris ita loquitur: [Quid si vult Deus in magna domo sua manifestare diuitias gloriæ suæ, istis in ostensionem misericordiæ, alijs in manifestationem suæ iustitiæ, glorificans illos (NB. de glorificatione; non solum iustificatione sermonem esse) ex misericordia, istos ex iustitia derelinquens, quatenus resultat carmen illud pulcherrimum, ex graui tenore iustitiæ, & molli cantu misericordiæ, de quali profitetur Propheta, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Quod si pauciores sunt, qui saluantur, manifestior est in hoc gratia Dei, quemadmodum inter surdos & claudos, mutos & mortuos, pauciores sunt qui miraculo curantur, quàm qui propriæ conditioni relinquuntur. Verum dum ad singularia fit descensus, & inquisitio, cur videlicet Petrum vel Paulum Deus elegerit ad salutem, Iudam vero, & diuitem epulonem dereliquerit, oportet vt humana garrulitas apponat digitum ori suo, hoc vnum profitens, quod iustus est Dominus in omnibus vijs suis, &c. Neque confugiendum est ad illorum merita vel opera, quos ab æterno prædestinat Deus, quia si ex operibus, iam non ex gratia, &c. *Et infra prosa 4. ait*, quod ad beatitudinem pura liberalitate & gratia Deus ab æterno quosdam prædestinat & eligit.] Ita Gerson; ex quo plura sub finem huius disputationis.

15 Idem docet Capreolus in 1. dist. 41. articulo 1. concluf. 7. vbi ait. *Sola diuina voluntas est ratio, quod istos reprobet, & illos eligat, in gloriam.* Et citat pro eadem assertione Sanctum Thomam 1. p. quæst. 23. artic. 5. ad 3. Si autem Deus ex meritis præuisis eligeret in gloriam, vtique merita præuisa essent ratio, quare hos, & non alios eligeret in gloriam.

Item Maior, non rectè à nonnullis pro opposita sententia citatus, in 1. dist. 40. quæstion. 2. ad probationem conclusionis primæ ait:] Præterea ordinatè volens, prius vult finem, & postea media ad illum finem; Deus est agens ordinatum, beatitudo est finis creaturarum; Ergo Deus prius natura vult beatitudinem, & postea gratiam, fidem, bonum vsum, liberi arbitrij; Ergo quos Deus prædestinat, merè gratis prædestinat, &c.

Præterea Eckius in Chrysopasso, licet problematicè etiam secundam sententiam tanquam, vt ait, *magis piã* tueatur; hãc tamen non obscurè præferendam indicat. Quare centur. 2. num. 9. hanc ponit conclusionem. [Prædestinationis in communi non est aliqua ratio ex parte prædestinati, nisi voluntas diuina. Vnde quia Deus vult huic vitam æternam, ideo ipsum prædestinat. Et quia Iudæ non vult vitam æternam, ideo eum reprobat. *Et infra num. 58. vocat eandem opinionem* celebrem & solennem; quam ego, *inquit*, ita pacto ex tot Doctorum officinis & suffragijs defendendam ac intelligendam existimo. *Et mox iterum ait*: eam ita rationibus validissimis, authoritatibus sacræ Scripturæ efficacissimis fulcitam; ita adamantinis vinculis colligatam, vt temerarium cui videri posset, velle ad aliam opinionem, more transfugæ, commigrare, nisi, &c.] Speciatim autem pro eadem sententia refert Eckius centur. 1. numer. 91. & cent. 2. à numero 10. inter alios etiam Magistrum, S. Thomam, Albertum, Richardum, Ægidium Romanum, Petrum de Tarantasia (omnes Scoto antiquiores) Heruæum, Capreolum, Marsilium, Ioannem Gersonem, Petrum Alliacensem, Clementem de terra salsa, Conradum Wimpinam, Sultonem, Adamum Goddam, Stephanum Brulefer, Franciscum Mayronis, Henricum Gorcheim, Guilielmum Vorrilang, Petrum de Aquila, siue Scotorellum, Paulum Scriptoris, Franciscum Pium in Theorematibus de fide, Iodocum Gartnerum, Alphonsum Toletanum, Paulum Cortesium, è quibus nonnullos nos etiam superius retulimus. 16

E recentioribus vero eandem sententiam tuentur Driedo lib. de Concord. lib. arb. & prædest. 1. p. cap. 2. & 4. ad 1. argum. Ruardus art. 7. Palatius in 1. dist. 41. disp. 1. Alphonsus à Castro V. *Prædestinatio*, Corduba lib. 1. quæst. 56. opin. 5. & lib. 3. quæst. 14. Sotus in Recognit. ad 4. sent. & digressione in cap. 9. ad Rom. quos refert etiam Vasquez d. 89. cap. 1. item Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 15. Henriquez de fine hom. cap. 11. num. 3. Suarez opusc. de auxil. l. 3. cap. 16. à num. 9. & hic libro 1. de prædest. capite 8. à num. 32. Caietanus, Bannes, & Thomistæ recentiores hic quæst. 23. art. 4. Zumel art. 2. disp. 2. Cabrera in 3. p. q. 1. art. 3. d. 1. à num. 172. Item Pererius in cap 8. ad Rom. disput. 12. 13. 22. Salmeron disput. 20. & 21. Guilielmus Estius in 1. dist. 41. Philippus Diez V. *Prædestinatio.* §. vlt. & Benedictus Iustinianus in cap. 9. ad Rom. Lorinus in 2. Pet. 1. v. 10. Quos omnes ex Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Germania, Belgio, eo consilio adduxi, vt manifestum fiat, quantus sit, non in opposita, sed in hac sententia, omnium pœnè Doctorum consensus: vt bene etiam notauit Henriquez, qui & hos fere omnes, & plures alios pro eadem sententia adducit 17

loco

Digitized by Google

loco citato. Omitto Doctores magni nominis & doctrinæ, eos qui adhuc in viuis supersunt, & tum alibi, tum præcipuè Romæ in præcipuo totius Societatis Collegio, magno numero, & complu-ribus annis continua quasi serie, non aliam de-prædestinationis ordine doctrinam in publicis Scholis tradiderunt, vt testantur ij, qui proximis annis superioribus Romæ vixerunt, ac in eodem Collegio ibidem Theologiæ operam dederunt.

Illud denique addo, Cardinali Bellarmino, doctrina pariter & pietate admirabili viro, adeo insedisse hanc, quam retulimus sententiam, vt eam etiam moriens videatur contestatam facere voluisse. Ita enim de eo scribit R.P. Andreas Eudæmon Ioannes in suis, quas Anno 1621. Tusculo de obitu Bellarmini dederat literis: *Nec omisit in extremo spiritu profiteri eam fidem, & qua ratione posset, orbi terrarum contestari, quam scriptis dum viueret, tam luculentis defenderat. Itaque cum ad expedienda alia quædam negotia aperire oculos, & nescio quæ dicere coactus esset, atque ego propius accessissem, vt eius me precibus abeuntis, pro veteri necessitudine, commendarem, prolixè pollicitus se facturum, mandauit, vt testarer literis, se per Dei misericordiam in Ecclesia Catholica, atq; in ea fide decedere, quam ad eam diem & sincere coluisset animo, & suis voluminibus defendisset; ac ne de diuinis quidem auxilijs* (quo spectat prædestinationis eorundem ratio) *aliter morientem sentire, vel vnquam sensisse, quam in controuersiarum libris docuisset.* Hactenus de cæteris plerisque Doctoribus actum.

18 De S. Augustino, & S. Thoma controuersia est: licet enim communiter tertiæ sententiæ, præsertim ab antiquioribus Theologis, adscribantur, Electionem scilicet ad gloriam priorem esse prædestinatione & præuisione meritorum, seu mediorum, sunt tamen nonnulli recentiores, primæ vel secundæ sententiæ authores, qui omnibus modis nituntur Augustinum in suam sententiam pertrahere: in quibus speciatim sunt Gregorius de Valentia hic quæst. 23. p. 4. § 5. Vasquez disputatione 89. capite octauo, & alij post Stapletonum in peculiari quadam oratione de hac re habita.

Sed mihi plane certum est, siue ex præiudicijs externis, siue ex proprijs eorum libris res diiudicanda sit, vtrumque docuisse prædestinationem ad gloriam ante præuisionem meritorum, vt de singulis nunc seorsim, sed breuiter ostendam. Quod igitur ad Sanctum Augustinum attinet, magnum vtique pro ea sententia præiudicium est, primò, quod Scholastici omnes eiusdem sententiæ authores, grauissimi & antiquissimi Theologi, in quibus ipsemet Sanctus Thomas, vt dicemus, item Albertus, Ægidius, Scotus, Durandus, &c. quos antea magno numero recensui, S. Augustinum tanquam suæ sententiæ potissimum Patronum & Ducem citant, & sequi se profitentur, vt inprimis etiam apud recentiores antea citatos videre est. Dicere autem, hos omnes Augustinum aut non legisse, aut non intellexisse, durum mihi videtur; nec verum.

19 Secundo etiam ex ijs, qui oppositam, nimirum secundam & tertiam sententiam sequuntur, auctoribus, nonnulli palam & ingenuè profitentur, S. Augustinum suæ sententiæ aduersari: in quibus Catharinus opusc. de Prædest. Bartholomæus Camerarius in Dialog. cap. 5. Osorius libro 9. de Iustit. vt fatetur etiam Vasquez disputat. 98. capite 8. quibus adde auctorem reuelationum B. Amadei, dub. sequenti referendum: cum tamen ex ijs, qui docent electionem ad gloriam ante præuisionem meritorum, ne vnus quidem ostendi possit, qui dixerit S. Augustinum in opposita esse sententia: certè præiudicium hoc à tanto numero testium, & ipsorum etiam aduersariorum non leui confessione petitum, magni est momenti.

Tertium præiudicium est, quod ita etiam S. Augustinum intellexisse videntur, non solum Prosper, & Hilarius, asseclæ & defensores S. Augustini, eidemque coæui, sed etiam ipsi Massilienses; qui propterea ijsdem plane modis & argumentis Augustini sententiam, tanquam pietati parum consonam, Iustitiæ & bonitati Dei aduersam, desperationis & desidiæ causam & altricem traducebant; aduersus quos etiam Augustinus non aliter se suamque sententiam defendebat, quam ad eum modum, quo nunc ipsi etiam contra authores oppositæ sententiæ nostram sententiam tuemur, vt inferius dubio quarto & quinto patebit. 20

Quartum præiudicium est, quod eandem doctrinam apertè defenderunt illi, qui post Augustinum, aut simul cum ipso, Catholicam fidem contra Pelagianos, eorumque reliquias defenderunt, vt auctor hypognostici, Prosper, Fulgentius, & alij seq. dubio citandi.

Quinto his accedunt aperta testimonia S. Augustini pro eadem sententia. Primus locus est libro 5. contra Iulianum capite tertio, vbi ait: [Ipsi ergo electi, & hoc antè mundi constitutionem, ab eo, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint: sed electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor & de Israel; Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est & adiunxit; si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia. Ex isto numero electorum & prædestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam, per DEI benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, vt ostendatur & ipsis, & alijs cohæredibus eorum, de quam profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim, vt prædestinatus ad vitam, sine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam.] 21

Audis ab Augustino electos dici electos *electione gratiæ*, hoc est, gratuita; item non ex *operibus præcognitis* electos. Et vero Sanctum Augustinum loqui non solum de electione ad gratiam congruam, vti respondere solet Vasquez disputatione octuagesima nona capite octauo, manifestè patet multis argumentis. I. Quia Sanctus Augustinus absolutè loquitur de Electione & Prædestinatione: nec ullo 22

verbu-

verbulo indicat, se restrictè de sola prædestinatione ad gratiam loqui. II. Quia loquitur de electione, prout accipitur in illo Matth. 22. *Multi vocati, pauci verò electi*; quem locum paulò antea præmiserat: hic autem etiam de electione ad gloriam, & quidem potissimum sermonem esse, nemo negauerit. III. Quia accipit prædestinationem, prout accipitur ab Apostolo ibidem citato Roman. 8. *Quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius*: hîc autem non de sola prædestinatione ad gratiam congruam sermo est; quia perfecta conformitas cum Christo non consistit solùm in consecutione gratiæ, sed etiam gloriæ. IV. Loquitur de electione, de qua Apostolus Roman. 4. *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* Non est autem hic sermo de sola electione ad gratiam, sed absolutè; quia nemo absolutè & simpliciter saluus est, nisi per gloriam. V. Denique expresè loquitur Augustinus de prædestinatione *ad vitam*, quæ non permittit sine Sacramento Mediatoris finire hanc vitam. Prædestinatio autem ad vitam simpliciter dicta, dicit prædestinationem ad vitam æternam. Cæteræ responsiones, quibus nonnulli conantur hunc, & sequentes locos Augustini à se amoliri, inferius hoc dubio refellentur.

23 Secundus locus est apud eundem Augustinum lib. de bono perseuerant. cap. 8. vbi ait: [Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum, qui de pectore Domini bibebat hoc secretum, mansissent vtique nobiscum. Nonne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit; Omnem flatum ego feci, vnius eiusdemque naturæ animas acceperant? nonne postremò vtrique vocati fuerant, & vocantem secuti? vtrique ex impijs iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? Sed si hoc audiret ille, qui sciebat proculdubio quod dicebat, respondere posset & dicere. Verasunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant, veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Quænam tandem est ista discretio? Patent libri Dei, non auertamus aspectum. Clamat Scriptura diuina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi: non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.]

24 Quo loco expresè docet Augustinus, ex duobus æqualiter vocatis, æqualiter respondentibus & consentientibus, vnum perseuerare, alterum non perseuerare, quia hic, iuxta phrasin Apostoli, secundum aliam quandam discretionem non erat ex nobis: quæ est autem illa alia discretio, nisi æterna Dei prædestinatio tam ad donum ipsum perseuerantiæ, quam ad vitam æternam? quid aliud, Non erat ex nobis, nisi, Non erat ex prædestinatis? Quod ipsemet etiam S. Augustinus subsequentibus verbis amplius declarat, cum ait: *Non erant secundum propositum vocati*: quod propositum; nisi æternæ electionis & prædestinationis ad finalem perseuerantiam & vitam æternam? Item cum ait: *Non erant in Christo electi*; qua electione, nisi ad donum perseuerantiæ & ipsam vitam æternam? Item cum ait: *Non erant in eo sortem consecuti*: quam sortem, nisi sortem diuinæ prædestinationis, ex qua est peculiaris illa vocatio, prædestinatorum propria, de qua Apostolus Ephes. 1. vers. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: & de qua sorte rursum Apostolus Coloss. 1. vers. 12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Rursum cum Augustinus ait: *Non erant prædestinati secundum propositum eius*, id est, non erant absolutè loquendo prædestinati; etsi fuerint prædestinati ad aliquam gratiam congruam: prædestinatus autem absolutè in Scripturis, & apud Augustinum non dicitur, nisi qui ad vitam æternam, seu finalem perseuerantiam prædestinatus est: cæteri enim absolutè non prædestinati, sed reprobi dicuntur. Denique cum ait Augustinus: *Nam si hoc essent*, inquit, *ex illis essent, & cum illis mansissent*: quod non potest, nisi iuxta prædestinationem diuinam, non ad solam gratiam congruam, sed ad perseuerantiam finalem, adeoque & ad ipsam vitam æternam accipi. Nam si alijs quibuscunque modis essent ex eis, illo tantum modo non essent, non ideo ex illis essent, & cum illis mansissent.

Cum ergò S. Augustinus his verbis, toties & tot modis, causam cur ex illis duobus alter perseueret, 25
alter non perseueret, seu, quod idem est, cur vnus finaliter cooperetur, alter non; referat in diuinam illam discretionem, in diuinum illud propositum, in diuinam sortem, in æternam Dei electionem, in prædestinationem, quæ omnia vnum & idem significant; nec vel vnico verbulo hanc prædestinationem vel electionem restringat ad solam primam gratiam congruam, imò iuxta circumstantias loci ex causis dictis, restringi non possit, clarum videtur, iuxta mentem & sententiam Augustini prædestinationem ad donum perseuerantiæ, atque adeo ad ipsam etiam vitam æternam, antecedere ratione determinationem humanæ voluntatis, & cooperationem ipsam finalem, qua homo perseuerat. Fruſtra enim & præposterè alias in diuinam prædestinationem causa referretur, si ea nostra determinatione & cooperatione posterior esset, aut ad eam solum concomitanter se haberet: perinde enim esset tunc, ac si quis diceret, istos non perseuerare, quia Deus scientia absoluta non præuidit cooperaturos; aut quia isti non erant accepturi remunerationem: quo sanè modo nemo congruè loqueretur, non ob aliam causam, nisi quia præscientia & remuneratio illa sequuntur perseuerantiam. Quod si prædestinatio ad perseuerantiam finalem antecedit ipsam cooperationem finalem; ergo & prædestinatio ad gloriam eandem antecedit: tum quia par est vtriusque proportio: tum quia perseuerantia finalis absolutè & secundum se prædestinari non potuit,

nisi ex efficaci voluntate & intentione conferendæ gloriæ.

26 Obijcitur. Si in solam voluntatem Dei ratio discriminis referenda esset, tunc rationem eius rei non fore occultam; quia hanc ipsam facilè esset & assignare, & intelligere. Quomodo etiam Bonaventura in 1. distinct. 41. artic. 1. quæst. 2. ait: *Si non esset alia ratio, quare Deus istum elegit, & illum non, nisi quia placet, certè iam non occulta dicerentur diuina iudicia, sed manifesta; cum quilibet hanc rationem capiat; nec dicerentur mirabilia, sed potius voluntaria.* Non est ergo illa mens Augustini.

Respondeo verba Augustini esse perspicua. Ad obiectionem respondetur, eam non solum impugnare gratuitam electionem ad gloriam, sed etiam ad primam gratiam congruam, electorum propriam; cuius tamen nullam aliam posse assignari rationem certum est, ex quæst. 4. dub. 3. & 4. Dicuntur ergo hæc iudicia Dei occulta & admirabilia hoc ipso, quod nulla eorum potest assignari ratio alia, præter voluntatem Dei operantis: quæ, loquendo de speciali ratione, non tam est ratio, quam rationis exclusio. Quod itidem ad S Bonauenturam respondetur: præsertim cum is hac in re, dum etiam huius complexi, quare Deus hunc potius elegerit, quàm illum, rationē aliam assignari posse insinuat, à communi & recepta Doctorum sententia recedat, vt dictum quæst. 4. dub. 1.

27 Tertius locus est eiusdem S. Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 7. vbi ait: [Quicunque ergo ab illa originali damnatione ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsque in finem perseuerant: & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerint, redeunt, & nonnulli accepta gratia in qualibet ætate, periculis huius vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Non enim sic sunt vocati, vt non essent electi, propter quod dictum est, Multi sunt vocati, pauci verò electi: sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, vt dictum est, gratiæ non præcedentium meritorum suorum; quia gratia est illis omne meritum.

28 De talibus dicit Apostolus, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt: quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autem prædestinauit, illos & vocauit; quos autem vocauit, ipsos & iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. Ex istis nullus perit, quia electi sunt omnes. Electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt; propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi dicit, vt secundum electionem propositum Dei maneret, & non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori: & alibi, Non secundum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum & gratiam.

Cum ergo audimus, Quos autem prædestinauit, illos & vocauit, secundum propositum vocatos debemus agnoscere, quoniam inde cœpit, dicens: Omnia cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt; ac deinde subiunxit, Quoniam quos ante præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Atque his præmissis subdidit, Quos autem prædestinauit, illos & vocauit, Eos itaque vult intelligi, quos secundum propositum vocauit, ne putentur in eis esse aliqui vocati & non electi, propter illam dominicam sententiam, Multi vocati, pauci electi. Quicunque enim electi, sine dubio etiam vocati: non autem quicunque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, vt sæpe dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quispiam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quispiam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorū perit, quia nulla re vincitur Deus. 29

Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus, cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui nouit bene vti etiam malis, vt & per opus eius damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus, Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabol⁹ est, illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.]

Et infra: [Qui verò perseueraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat, procul dubio nec illo tempore, quo benè pieque viuunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi; sed in eis vocati, de quibus dictū est, Multi vocati, & non eis, de quibus dictū est, pauci verò electi. Et tamen quis neget eos electos, cum credunt & baptizantur, & secundū Deum viuunt? &c] In quo posteriori loco vim habet, quod rursum Augustinus causam, cur aliqui non sint computandi in numero eorum, qui perseuerant, reddit, quia non sunt à massa illa perditionis præscientia & prædestinatione Dei discreti; non secundum propositum vocati; ac per hoc nec electi: nimirum simpliciter etiam ad vitam æternam; licet sint electi ad fidem, ad baptismum, & vitam piè aliquamdiu actam, vt ibidem subditur: Ergo iuxta Augustinum præscientia (practica) prædestinatio, & electio Dei (vt hoc loco de vocatione secundum propositum nihil dicam, de quo dub. 1. actum est) præcedit cooperationem nostram, vt præcedenti loco argumentati sumus. 30

Prior autem locus hac ratione ad propositum facit, quia disertè illic docet, ac sæpius repetit Augustinus, saluandos eligi à Deo per electionem gratiæ, seu gratuitam, non ex operibus, seu præcedentibus meritis suis. Loqui verò Augustinum de electione etiam ad gloriā, patet multis argumentis. I. Quia sæpi⁹ absolutè istos vocat electos, præscitos, prædestinatos. II. Quia dicit eos prædestinatos esse cōformes 31

fieri

fieri imaginis filij sui, quod perfectè solum fit in gloria, vt superius dictum, III. Quia docet istam electionem (per seipsam vtique, & non tantum per scientiam mediam, de qua nullam hic mentionem habet Augustinus) secum infallibiliter trahere gloriam & salutem æternam. IV. Quia apertissimis verbis, ijsdemque repetitis ait: eos electos *ad regnandum cum Christo*, & ad *obtinendum regnum suum*: loquitur ergo Augustinus præcipuè de electione ad gloriam: quæ proinde iuxta Augustinum gratuita est, & non ex præuisis meritis. Denique verbis illis, *Ex istis nullus perit, quia electi sunt omnes*, apertè rursum indicat Augustinus, electionem esse causam & rationem, cur nullus pereat; sentit ergo electionem priorem esse nostra cooperatione & perseuerantia, vt superius dictum.

32 Hi tres loci, vt alios, & quod maximi momenti est, perpetuam in Augustino symmetriam nostræ huic sententiæ consonam, vt ex dub. 4 & 5 patebit, hoc loco præteream, meo quidem iudicio sufficienter & apertè demonstrant, iuxta Augustini sententiam, prædestinationem ad gloriam priorem esse meritorum præuisione, ac etiam futuritione: quicquid Vasquez disputatione 89. cap. 7. numero 49. sanè hyperbolicè dixerit, S. Augustinum *nunquam id vellenter insinuasse*. Id verò, quod diximus, clarius fiet, si paucis ad opposita testimonia, quæ ex Augustino obijciuntur, respondemus, & simul responsa, quibus nonnulli adducta à nobis testimonia eneruare conantur, refutauerimus: qua in re satis ferè erit Vasquio respondere cit. disput. 89. cap. 6. 7. & 8. quem nunc cæteri recentiores potissimum sequuntur.

33 Primò igitur obijcitur locus Augustini ex lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. cum ait: [Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio; id est, non quia inuenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis, sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum: nam si non esset electio, non essent electi: nec rectè diceretur, Quis accusabit aduersus electos Dei? Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur nisi iam distans ab illo, qui reijcitur: vnde quod dictum est, Elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem quod ait, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, &c. non electione meritorum, quæ post iustificationem gratia proueniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.] Vbi vim habet, quod Deus dicitur inuenire opera, quæ eligat ad regnum cœlorum; quodque electio iustificationem præcedere dicitur.

34 Respondeo, in Deo duplicem esse voluntatem efficacem conferendi gratiam, vel gloriam, vni præ alijs; qualem nomine electionis generatim, etsi minus propriè hoc loco intelligit Augustinus: vnam spectantem ad ordinem intentionis, alteram ad ordinem executionis, vt generatim dictum disputatione 2. quæstione 10. dub. 5. & suprà hac quæstione dubio 2. Ex quibus S. Augustinus hoc loco solum loquitur de posteriori; non de priori; eo quod hic supponat, non posse esse electionem inter æquales, vt iam antea expresè etiam docuerat in expositione quarundam propositionum epistol. ad Roman. cap. 60. & hoc loco rursum repetit, *neminem eligi, nisi iam distantem ab illo, qui reijcitur*. Quod ad modum quidem loquendi solum pertinet, sed ab ipso Augustino sæpius postea aliter dictum fuit; ita vt Dei electionem etiam inter æquales constitueret; eaque non inueniret, sed faceret dignos, vt fatetur etiam Vasquez citata disputatione 89. cap. 6. numero 47. ordinem autem illum Executionis non solum in re ipsa, sed etiam in mente artificis, eiusque actibus internis necessariò, in omni bona philosophia & Theologia, admittendum esse contra Vasquium hic capite 5. numero 53. efficaciter demonstrauimus locis antea citatis, ex quibus etiam facilè patet responsio ad ea, quæ in contrarium obijcit Vasquez.

Sed & præter hanc voluntatem conferendi gloriam ex præuisis meritis, ab Augustino agnosci aliam priorem ratione, absque præuisis meritis, ex ipso Augustino luculenter antea testatum fecimus; vt proinde immeritò nonnulli recentiores cum Vasquio loco citato, numero 52. eam distinctionem & Augustino non consonam, & tantum ad eludendum excogitatam asserant: cum, vt citatis locis ostensum, firmissimis certissimisque fundamentis nitatur, nec vel probabili etiam ratione negari possit: & præter ea, quæ ante retulimus, colligatur etiam ex Augustino sermone 7. de verbis Domini secundum Matthæum; cum ait: *Elegit autem Deus, sicut inquit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum Iustitiam*. Vbi indistinctè loquitur de Electione ex parte termini; ita vt sensus esse videatur, Elegit Deus ad gloriam & secundum gratiam; loquendo de prima & propriè dicta electione; & secundum illorum iustitiam, loquendo de electione seu voluntate executiua, licet hæc minus propriè dicatur electio. 35

Atque hac ratione omnia optimè concordant & consonant; nimirum 1. Electionem hac ratione posteriorem esse proposito diuinæ prædestinationis, non solum ad gratiam sanctificantem, de qua ibidem expresè loquitur Augustinus; sed etiam ad gloriam, quam non excludit. 2. Item non efficere, sed supponere bona opera, seu præuisionem bonorum operum, quæ aliunde ex ipso proposito diuinæ prædestinationis oriuntur. 3. Electionem hanc non esse priorem Iustificatione, seu Iustificationis decreto, sed hoc potius esse prius ea electione. 4. Illud Apostoli, *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, iuxta acceptionem quidem huius Electionis, non posse intelligi nisi suppositâ præscientia dignitatis seu Iustitiæ. 5 Illud autem, *Non ex operibus, sed ex vocante, &c.* intelligi non de hac electione, sed liberali proposito & prædestinatione Dei. Quæ cum ita sint, negari tamen minimè potest, S. Augustinum in alijs libris posterioribus, quos multo post tempore de materia diuinæ prædestinationis perscripsit, longè aliter de electione diuina fuisse locutum, vt nempe idem sit, quod diuina prædestinatio, seu propositum; quod non supponat, sed faciat dignos. Quo modo Augustinus epistola 105.

la 105. vocat electionem, *qua eligendos facit ipse, non inuenit.* Et in eundem sensum epistola 106. docet hanc electionem diuinam non supponere disparitatem in electis, sed facere, vt antea etiam ex Vasquio dictum.

37 Objicitur secundò à Vasquio disput. 89. cap. 9. numero 76. Augustinus lib. de prædestinatione Dei, cap. 3 vbi ait: *Ex præscientia igitur offensionis, vltionem iustus iudex prædestinauit: sicut ex præscientia virtutis prædestinatio solet fieri remunerationis.*

Respondeo, hunc librum non esse Augustini, vt rectè cum Louaniensibus censet Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Ex vtroque verò hoc loco (in quibus Vasquez potissimum vim facit) animaduertere est, quàm parum opposita sententia ex Augustino probari possit: quando pro ea non adferuntur nisi paucula quædam, vel ex antiquioribus Augustini scriptis, in quibus si non rem ipsam, modum tamen loquendi emendauit Augustinus; vel ex Apocrypho, non Augustini, sed incogniti authoris libro: cum nostra testimonia ex probatissimis nouissimisque Augustini libris deprompta sint.

38 Objicit quidem sibi Suarez lib. 3. de auxil. cap. 16. numero 5. alia etiam quædam Augustini testimonia, ad quæ respondere conatur cap. 18. numero 6. sed quæ in omni sententia diluenda sunt; cum non tam Electionis ad gloriam, quàm etiam ad gratiam, rationem ex nostris operibus assignare videantur: vt cum sermon. 7. de verbis Domini ait: *Ego illos elegi* (ad constantem fidem) *quia vidi mentes eorum de me præsumentes, non de se.* Quod itidem de electione executiua intelligendum videtur. Illud de prædestinat. Sanct. cap. 19. *Cum ergo Deus nos prædestinauit, opus suum præscivit, quod nos sanctos & immaculatos facit*; non de præscientia absolutâ, sed simplicis intelligentiæ, seu media, intelligendum est, de qua sæpe eodem toto lib. à cap. 10. mentionem facit. Item sermon. 233. cum ait: *Multi scire volunt, quare illum ad se vocat Dominus, & illum non vocat; vni subuenit, & vni non; hunc dignum habet, & illum indignum: istum honorat, & illum cruciat & affligit. Audi, o homo. Hunc dignum habet pro bonis operibus suis; illum habet indignum pro operibus suis malis*: loquitur de dignitate saltem congruitatis ad vberiora gratiæ dona accipienda. Denique aliquando Deum in prædestinatis eligere fidem & merita seu opera, dicit Augustinus; non quia eos propter merita aut fidem elegerit, sed quia eos elegerit ad fidem & merita. Quo sensu Augustinus lib. de prædestinat. Sanct. cap. 17. ait: *Elegit Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erant.* Et rursum: *Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis fiat eos elegit.* Reliqua ipsis locis bene inspectis, non habent difficultatem.

39 Præter citata testimonia Augustini, insuper ad eneruanda testimonia, ex Augustino pro gratuita prædestinatione allata, objicitur tertiò, S. Augustino nullam fuisse controuersiam cum Pelagianis, aut Semipelagianis de prædestinatione ad gloriam, sed solum ad gratiam, quam ille gratuitam, isti autem ex meritis seu operibus factam esse docuerunt. Vt autem ostenderet Augustinus, gratiam seu in tempore sine meritis dari, seu ab æterno gratis itidem decerni & prædestinari, parum referebat, quod Deus gloriam ante omnia merita, tanquam finem dare decreuisset: Ergo non est existimandum, Augustinum docuisse, prædestinationem ad gloriam ante præuisa merita. Exponit, & vrget hoc argumentum Vasquius multis disp. 89. cap. 4. & 8. præsertim à num. 60.

Respondeo primum, hoc argumentum repugnare ipsis obijcientibus. Nam si ex eo, quod Augustino cum Pelagianis nulla erat controuersia de prædestinatione ad gloriam, inferri potest, Augustinum de prædestinatione ad gloriam ante præuisa merita nihil docuisse, licebit pariter, imò maiori ratione inferre, eundem nihil occasione quidem eius controuersiæ docuisse, de prædestinatione ad gloriam ex præuisis meritis: quia ad intentum illud Augustini gratiam sine meritis fuisse prædestinatam, multò minus referebat, quod DEVS gloriam post præuisa merita prædestinasset. 40

Respondeo secundò, negari posse & antecedens, & consequentiam. Illud quidem, quia Augustinus ipse lib. 2. de bono perseuerant. cap. 16. aliud testatur, cum ait: *A Pelagianorum porro hæretica peruersitate tantum isti remoti sunt* (Massilienses) *propter quos hæc agimus, vt licet nondum velint fateri prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant, iam tamen fateantur, quod eorum præueniat voluntatem, quibus datur hæc gratia, &c.* Vbi vides, non tantum de prædestinatione ad primam gratiam congruam, sed etiam ad perseuerantiam, adeoque vitæ æternæ consecutionem, cum Massiliensibus fuisse controuersiam.

Consequentia verò nulla est. Tum quia passim videmus & experimur, etiam hodie, ratione controuersiarum, quæ nobis cum hæreticis intercedunt, sæpe à Catholicis Doctoribus progressum fieri ad eas etiam difficultates & dogmata enodanda, quæ ad controuersiam quidem ipsam & rem totam vberius declarandam non parum faciunt, attamen propriè ac per se in controuersia non versantur, neque etiam vlla ex parte fidem attingunt. Verbi gratia. Controuersia est cum Sectarijs, an definitio Pontificis vnà cum Concilio generali sit infallibilis; sed ea occasione sæpius etiam simul explicandum est, an solus per se Pontifex infallibiliter definiat, &c. Tum quia etsi de ea re propriè cum Pelagianis non esset controuersia, tamen ipsi Pelagiani ac Semipelagiani satis clarè diuersam in ea re ab Augustino sententiam sequebantur, & velut antiquis etiam Patribus probatam obiecerunt, vt sequenti dubio dicemus, quicquid in contrarium obtendat Vasquez capite 8. numero 62. 41

Denique quia res ipsa hanc quasi tacitam consequentiam aduersus Augustinum Semipelagianis videbatur suggerere: Si prædestinatio ad gratiam facta est ante præuisa merita; cur non & prædestinatio ad gloriam, cuius, veluti finis, intentionem supponere videbatur prædestinatio ad gratiam: necesse profecto erat, vt de ea re suam Augustinus sententiam non dissimularet, sed disertè explicaret. Quod si contrarium de gloriæ prædestinatione sensisset, oportebat sanè quam clarissimè, maximè in 42

libris,

Digitized by Google

libris, quos postremo contra Semipelagianos Augustinus scripsit, discrimen illud explicasse: vt inuidiam & odium plurimorum Catholicorum, qui Semipelagianorum errore tenebantur, & Augustino alioqui grauiter aduersabantur, aliqua saltem ex parte mitigaret.

43 Obijcitur quartò, causam, cur multi authores decepti sint in Augustini sententia, pro gratuita prædestinatione ad gloriam adducenda, esse, tum quia electionem ad vitam æternam cum prædestinatione confundebant; cum hæc sit præparatio solum gratiæ, illa gloriæ; tum quia putabant Græcos Patres in hac re Augustino contraria docuisse; cum tamen reuera Patres Græci & Massilienses, qui eorum testimonio nitebantur, id contra Augustinum impugnare nunquam somniarint; de gratia tantum solliciti, &c. Ita Vasquez disputat. 89. cap 8. à numero 58.

Respondeo, hos esse prætextus, non veras causas. Primum quidem, quia Augustinus pro hac sententia relatus, non solo nomine prædestinationis, sed etiam Electionis, propositi, diuinæ sortis, & discretionis, &c. vtitur, vt videre est in citatis testimonijs. Deinde falsum est, prædestinationem esse solius gratiæ, non etiam gloriæ, vt superius quæst. 1. & 2. contra Vasquium ostendimus; qui potius ipse hac in re deceptus videtur. Tertiò quia mens Augustini non ex ea solum obiectione Græcorum Patrum, sed ex ipsis etiam verbis eiusdem apertè colligitur. Quartò quia verissimum est, Massilienses in ea re oppositum etiam contra Augustinum docuisse, & pro eadem quoque sententia Græcos Patres adduxisse; vt dubio sequenti dicetur; & verò gratiæ & gloriæ prædestinationem habere inter se non exiguam affinitatem, iam superius diximus obiect. præced.

44 Obijcitur quintò, Augustinum, cum docet, prædestinationem siue electionem ad gloriam ante præuisionem meritorum factam, intelligendum vel de sola prædestinatione ad gratiam; vel de præuisione meritorum, quæ ex viribus naturæ fiant, de his enim solis cum Pelagianis & Semipelagianis fuisse controuersiam, &c. vel certè de prædestinatione ad gratiam simul & gloriam.

Respondeo; primam explicationem Augustino minimè consonam esse, patet ex adductis testimonijs, eorumque singulorum expositione: nam & verba generalia sunt, & Augustinus non semel expresse etiam meminit electionis *ad regnum cœlorum*, vt dictum. Et certè si ita quasi pro arbitratu liceret restringere eius generis sententias, defendere vix possemus, in ipsa etiam Scriptura, nedum in Augustino, mentionem fieri electionis ad gloriam, cum tamen hæc vtique ratione termini sit principalior, de qua inprimis etiam docere oportebat.

45 Secunda verò responsio verbis & menti Augustini multò minus satisfacit: non solum quia Augustinus absolutè excludit opera & merita, prædestinationem antecedentia; sed etiam quia nonnunquam Augustinus generatim loquitur de prædestinatione tum ad gloriam, tum ad gratiam congruam, imò gratuitam prædestinationem ad gratiam illam, sæpius & acrius vrget contra Pelagianos, quam ad gloriam: constat autem prædestinationem ad primam gratiam congruam factam esse absque omni præuisione omnium meritorum, vt dictum quæstione præcedent. dub. 2. 3. & 5. Accedit quod Augustinus etiam alijs verbis, quam quibus de meritorum seu operum præuisione loquitur, gratuitam eiusmodi prædestinationem ad gloriam docet, vt præcipue in secundo testimonio superius adducto videre est. Plane autem falsum est, cum Semipelagianis nullam fuisse controuersiam de operibus ex gratia factis; aut hac de re non potuisse esse controuersiam, nisi fortè cum Patribus, quando disertè S. Augustinus, inter alia, etiam hanc Semipelagianorum sententiam refellit, cum dicerent, ob præuisam bonam aut malam cooperationem liberi arbitrij, concessam aut negatam à Deo fuisse gratiam congruam, vt dictum quæst. 4. dub. 3.

46 Tertia responsio est pro nobis: nam si Augustinus, quando de gratuita prædestinatione agit, loquitur de prædestinatione tam ad gratiam, quàm ad gloriam; Ergo gloria etiam ipsa iuxta S Augustinum gratis, adeoque ante præuisionem meritorum est prædestinata. Certè si alterum tantum gratis, alterum verò ex meritis fuit prædestinatum, non rectè dici potuit ab Augustino, vtrumque gratis, & ante præuisionem meritorum fuisse prædestinatum: præterquam quod Augustinus distinctè nonnunquam agit de prædestinatione ad regnum cœlorum, vt vidimus. Hactenus de Augustino.

Quod verò ad S. Thomam attinet, multò adhuc euidentius est, eum constanter prædestinationem ad gloriam, absque præuisis meritis factam, docuisse. Primum quidem, quia omnes discipuli & Interpretes S. Thomæ, imò & cæteri Theologi, vix paucis recentioribus exceptis, ita S. Thomam hactenus intellexerunt: quod non est leue hac in re præiudicium; vbi de sola mente veteris ac celebris, & toties lecti atque relecti Scriptoris & authoris agitur. Certè Vasquius ipse, licet vtcunque ad S. Thomam pro ea sententia obiectum respondere conetur, vt dicemus, nunquam tamen ausus fuit, eum pro sua sententia constanter & absolutè allegare, vti nec ex Scriptoribus fere, quod sciam, quisquam alius.

47 Secundò quia extant apud S. Thomam huius rei complura, nec obscura testimonia; quæ paucis referam. Primum testimonium est in 1. p. quæst. 23. artic. 4 in corp. vbi hæc S. Thomas: [Respondeo dicendum, quod prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, & electio dilectionem. Cuius ratio est; quia prædestinatio est pars prouidentiæ; prouidentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam, præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem; ad quod pertinet electio & dilectio: Dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ; nam diligere est alicui velle bonum: electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus præ alijs vult, cum

quosdam reprobet, &c.] Et ibidem resp. ad 1. de eadem electione loquens: *Et sic*, inquit, *in collatione gratiæ & gloriæ attenditur electio.*

48 In quibus verbis S. Thomas apertè docet, prædestinationem ad salutem æternam, quæ saltem præcipuè consistit in ordinatione mediorum, quibus vnusquisque saluandus perducitur ad beatitudinem, posteriorem esse tum dilectione, tum electione ad idem bonum salutis æternæ; nec dubium, S. Thomam loqui de dilectione, & electione, seu voluntate efficaci, qua Deus illorum velit salutem; quandoquidem, inquit S. Thomas, Deus ea voluntate *id bonum vult aliquibus præ aliis*: quod nonnisi de voluntate efficaci intelligi potest: præterquam quod ipsum Electionis vocabulum voluntatem efficacem significat. Euidens est ergo, ex mente S. Thomæ, Electionem ad salutem æternam in mente diuina, secundum rationem nostram, priorem esse ordinatione seu prædestinatione mediorum seu meritorum.

Respondet Vasquez disputatione 89. cap. 12. numero 111. nomine *salutis æternæ*, hoc loco S. Thomæ, *non opus esse, vt intelligamus beatitudinem alterius vitæ; sed intelligere possumus iustificationem & perseuerantiam in gratia, ad quam Deus elegerit quosdam præ aliis, & ad hunc finem præparauerit singula auxilia per prædestinationem.*

49 Verum respondeo, id gratis dictum esse. Primò enim ipsa verba, *salutis æternæ*, non aliquam huius vitæ, sed alterius vitæ salutem significant, quæ sola *æterna* est. Deinde ipsemet S. Thomas respons. ad 1. explicans, quid per salutem æternam, seu per Electionem intelligat, quam priorem esse prædestinatione in corpore docuerat, refert eam ad *gratiam & gloriam*. Tertiò loquitur de salute æterna, quæ per modum finis sit intenta; qualis est gloria. Denique res in idem redit, etiamsi dicamus, S. Thomam per salutem æternam intellexisse iustificationem & perseuerantiam in gratia. Tum quia inde sequitur, ipsam saltem perseuerantiam ante præuisionem mediorum & meritorum, adeoque etiam nec præuiso consensu nostro, fuisse à Deo efficaciter volitam & prædefinitam; eadem est autem ratio prædestinationis ad gloriam; certè ipse etiam Vasquius agnoscit, non esse maiorem de illa, quam de ista difficultatem: quare nec ad illam admittit, Deum elegisse quenquam, non præuiso consensu nostro, seu ante præuisionem mediorum; quod est planè negare doctrinam S. Thomæ. Tum quia absoluta & efficax voluntas perseuerantiæ finalis non potest non procedere ex efficaci intentione gloriæ: sicut efficax electio vnius medij efficacis ad finem ex efficaci intentione finis procedit, vt dubio sequenti pluribus dicetur. Est ergo locus hic S. Thomæ firmus pro hac sententia, qui etiam ab alijs communiter pro hac sententia rectè allegatur.

50 Quo magis mirere, inueniri potuisse aliquem, qui cum & S. Thomam loco citat. & plures ex veteribus Scholasticis, speciatim Albertum, Vdalricum, Alensem, Bonauenturam, Antisiodorensem, ex Dionysio Carthusiano d. 41. quæst. 2. de prædestinatione idem, quod nunc ex S. Thoma relatum, asserentes allegasset, subiungit hoc quasi corollarium: *Ex qua tam communi doctrina sequitur, absolutum decretum dandi gloriam non præuisis meritis nouum ac totidem authoribus aduersarium esse*: cum hæc antiquissima Theologorum sententia cum ipsa Theologia nata sit, nec clarius quodammodo asseri possit, quam dum electio ad gloriam, prior asseritur prædestinatione mediorum, in quibus vtique sunt etiam merita.

Secundus locus S. Thomæ est eadem quæstione 51
23. artic. 7. qui ita habet: [Oportet dicere, quod numerus prædestinatorum sit certus Deo, non solum formaliter, sed etiam materialiter. Sed aduertendum est, quod numerus prædestinatorum certus Deo dicitur, non solum ratione cognitionis, quia scilicet scit, quot sunt saluandi (sic enim certus est Deo etiam numerus guttarum pluuiæ & arenæ maris) sed ratione electionis & definitionis cuiusdam. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod omne agens intendit facere aliquid finitum. Quicunque autem intendit aliquam determinatam mensuram in suo effectu, excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus eius, quæ per se requiruntur ad perfectionem totius. Non enim per se eligit aliquem numerum in his, quæ non principaliter requiruntur, sed solum propter aliud; sed in tanto numero accipit huiusmodi, in quantum sunt necessaria propter aliud. Sicut ædificator excogitat determinatam mensuram domus, & etiam determinatum numerum mansionum, quas vult facere in domo, & determinatum numerum mensurarum parietis vel tecti; non autem eligit determinatum numerum lapidum, sed accipit tot, quot sufficiunt ad explendam tantam mensuram parietis.

Sic igitur considerandum est in Deo, respectu 52
totius vniuersitatis, quæ est eius effectus. Præordinauit enim, in qua mensura deberet esse totum vniuersum, & quis numerus esset conueniens essentialibus partibus vniuersi, quæ scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem, quot scilicet sphæræ, quot stellæ, quot elementa, quot species rerum. Indiuidua verò corruptibilia non ordinantur ad bonum vniuersi quasi principaliter, sed quasi secundario, in quantum in eis saluatur bonum speciei. Vnde licet Deus sciat numerum omnium indiuiduorum; non tamen numerus vel boum, vel culicum, vel aliquorum huiusmodi est per se præordinatus à Deo: sed tot huiusmodi diuina prouidentia producit, quot sufficiunt ad speciem conseruationem.

Inter omnes autem creaturas principalius ordinantur ad bonum vniuersi creaturæ rationales, quæ in quantum huiusmodi, incorruptibiles sunt, & potissimè illæ, quæ beatitudinem consequuntur, quæ immediatius attingunt vltimum finem. Vnde certus est Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reproborum; qui videntur esse à Deo præordinati in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.]

Ex quo loco multis modis colligitur ea sententia 53

S. Tho-

S. Thomæ. I. quia dicit, Deum per se intendere certum numerum prædestinatorum (tam ad gloriam scilicet, quàm ad gratiam, quia iuxta S. Thomam in 1. d. 41. q. 1. a. 2. & hic q. 23. a. 4. ad 1. *prædestinatio attenditur in hoc, quod electis præparantur bona gratiæ, & bona gloriæ*) non solum formaliter, sed etiam materialiter, ac in individuo ad has vel illas personas particulatim definitum; eo modo, quo Architectus v. g. per se præfinit & determinat certum ac definitum numerum mansionum: hæc autem definitio artificis non est ex præuisione mediorum. II. Item eo modo, quo Deus præordinauit mensuram totius vniuersi, partiumque eius essentialium; quæ certè per se ipsum Deus præfiniuit, ante præuisionem mediorum. III. Non autem eo solum modo, quo Deus præfiniuit numerum boum, culicum, & arenarum maris; hic enim *non est per se*, inquit, *præordinatus à Deo*: sed, quasi dicat, solum post præuisionem causarum & mediorum. IV. Nec eo solum modo, quo certus & determinatus est Deo numerus reproborum, qui tamen vtique etiam post præuisionem mediorum & demeritorum Deo certus est. V. Sed *certus est*, inquit, *Deo numerus prædestinatorum, etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis.* Quæ autem est illa principalis præfinitio, nisi quæ fit ante præuisionem meritorum & mediorum; seu quam Deus ipse per se facit, absque præuia præuisione mediorum & meritorum? Sunt ergo ex mente S. Thomæ hi ipsi, & non alii, tanto numero, & non alio, tam homines, quam Angeli, à Deo antecedente præfinitione præordinati seu prædestinati tam ad gratiam, quàm ad vitam æternam. Quid clarius?

54 Tertius locus est eiusdem S. Thomæ in 1. sent. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 1. vbi ait: *Electio diuina est, qua aliqui ex ordine suæ sapientiæ ordinantur ad finem beatitudinis: sed prædestinatio est, secundum quod præparantur eis ea, quæ perducunt in finem*, (hoc est, media.) *Et ideo sicut voluntas ordinans in finem, præcedit actum voluntatis præparantis ea, quæ ducunt in finem, ita electio prædestinationem præcedit.* Vbi expresè S. Thomas prædestinationem vocat præparationem mediorum, perducentium in finem æternæ beatitudinis, electionem verò ipsam ordinationem efficacem ad eundem finem; hancque dicit esse priorem prædestinatione, sicut voluntas ordinans in finem prior est voluntate seu electione mediorum. Quo nihil potest dici clarius.

55 Eodem spectat, quod idem S. Thomas ibidem art. 3. sæpius docet, prædestinationis ex parte actus diuini, opera nostra non esse causam vel rationem, sed solum ex parte obiecti: [Similiter etiam voluntas sua (*Dei*) cum sit libera, magis etiam, quam aliqua voluntas, non habet causam nisi finem voluntatis suæ: finis autem voluntatis suæ est sua bonitas, quæ est ipsemet. Vnde dicitur communiter, quod Deus vult hoc propter bonitatem suam, non quia sciuit hoc, vel quia hoc factum est. Sed tamen effectus voluntatis eius, scilicet ipsum volitum ordinatum ad bonitatem suam, potest procedere ex aliqua causa, quam Deus præsciuit ab æterno, & istum ordinem causæ ad causatum Deus vult, & vult quod effectus sit, quia causa est: non autem quod causalitas referatur ad voluntatem, sed ad volitum, & ista causa voliti, non volendi, dicitur ratio quædam voluntatis ex parte effectus. [*Et infra ad primum*: Non ideo, *inquit*, voluit Deus (*conferre alicui gratiam*) quia iste præparauit se, sed solum quia bonum est. *Et rursum ad quintum ait*:] In intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera, non quasi causam voluntatis, sed sicut causam meritoriam gloriæ, & sicut præparationem ad gratiam.] Vbi cum S. Thomas sæpius asserat, opera nostra esse quidem causam vel dispositionem respectu gloriæ vel gratiæ, nunquam tamen concedit, esse causam vel rationem ipsius per se diuinæ prædestinationis aut volitionis, sed potius contrarium asserit.

Quartus locus est eiusdem S. Thomæ quæst. 6. de verit. art. 1. similis ei, quem primo loco citauimus. Sic enim habet: [Prædestinatio in actu rationis consistit, dirigentis vel ordinantis in finem: sed ad directionem in finem præexigitur voluntas finis. Nullus enim aliquid in finem ordinat, quod non vult &c. Finis autem, in quem prædestinatio ordinat, non est vniuersaliter consideratus; sed secundum comparationem eius ad illum, qui finem ipsum consequitur, quem oportet esse distinctum apud dirigentem, ab his, qui finem illum non consequuntur. Et ideo prædestinatio præsupponit dilectionem, per quam Deus vult salutem eius. &c. Præexigitur etiam electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separatur, qui non hoc modo in finem diriguntur: hæc autem separatio non est propter diuersitatem aliquam inuentam in his, qui separantur, quæ posset ad amorem incitare; quia antequam nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali, dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, vt dicitur Rom. 9. *Et ideo prædestinatio præsupponit electionem & dilectionem; electio verò dilectionem.*] Quibus verbis apertè rursus docet S. Thomas, voluntatem efficacem finis, adeoque electionem ad gloriam, priorem esse prædestinatione, quæ dicit *ordinationem in eundem finem per certa media*, vt prius ibidem docuerat S. Thomas; item electionem, siue separationem, quæ fit per electionem, *non esse propter diuersitatem aliquam, quæ posset ad amorem incitare*; quod est dicere, non ob præuisa merita &c. 56

Quintus locus est apud eundem S. Thomam q. 6. de verit. art. 2. isque multiplex. Primò enim docet, voluntatem gratiæ & gloriæ in Deo esse merè gratuitam. [Quod Deus, *inquit*, velit alicui dare gratiam & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his autem, quæ ex liberalitate procedunt tantum, causa volendi est ipsa superabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipsius. Vnde cauia prædestinationis nihil est aliud, quàm bonitas ipsius Dei.] 57

Secundo ibidem ad 2. docet, prædestinationem respicere quidem etiam ad opera & merita nostra, verum non vt quiddam inclinans diuinam voluntatem ad volendum, sed veluti effectum: [Prædestinatio, *inquit*, includit voluntatem consequentem, quæ respicit aliquo modo id, quod est ex parte nostra; non quidem sicut inclinans diuinam voluntatem ad volendum, sed sicut id, ad cuius productionē diuina voluntas gratiam ordinat, vel ēt sicut id quod ad gratiam quodammodò disponit, & gloriā meretur.

Tertiò ibidem ad 9. diserte negat, rationem electionis esse meritum: *Electio Dei*, inquit, *qua vnum eligit, & alium reprobat, rationabilis est; nec tamen oportet, quod ratio electionis sit meritum: sed in ipsa electione ratio est diuina bonitas. Ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale, vt dicit Augustinus* (Enchirid. cap. 108. tom. 3.) *vel in futuro per hoc ipsum, quod est non habere debitum, ad hoc quod eis gratia conferatur: rationabiliter autem possum velle denegare aliquid alicui, quod sibi non debetur.*

Denique ibidem ad 12. ait: *Quamuis meritum possit esse causa effectus prædestinationis, non tamen potest esse, prædestinationis causa.* Hactenus S. Thomas. Quæ omnia simul collata, & simul etiam considerando, quod contrarium apud S. Thomam nusquam reperiatur, meo quidem iudicio, euidenter ostendunt, S. Thomam docuisse prædestinationem seu electionem ad gloriam ante præuisionem meritorum.

59 Vnum tantum locum in S. Thoma dudum notaui, qui contrariæ sententiæ non parum fauet; quem miror à nemine hactenus (in disp. Anni 1614. thesi 37. de prædest. à me primùm notatum) fuisse obiectum. Etenim comment. in cap. 8. Rom. lect. 6. cum retulisset quorundam sententiam, asserentium, Deum prædestinare aliquos, quia præscit eos bene operaturos, subiungit: *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis.* Verùm respondeo, S. Thomam eo loco agere contra errorem quorundam, qui docuerunt præuisionem operum, seu meritorum nostrorum, esse causam seu rationem totius prædestinationis tum ad gratiam, tum ad gloriam: quæ sententia cum planè falsa sit & improbabilis, vt quæst. præced. dictum, respectu huius sententiæ, quam planè, vt ita dicam, *irrationabilem* esse ostendit, ait, alterum illud *rationabiliter dici*: quibus verbis plus non significat, quam sententiam illam non esse planè improbabilem: quod illi etiam fatentur, qui tamen interim oppositam defendunt, vt videre est apud Suarez lib. 3. de auxil. cap. 16. num. 8. qui etiam num. 20. rectè ait, hanc esse *expressam sententiam D. Thomæ 1 p q. 23. a. 4. & frequentius receptam à Scholasticis Doctoribus.*

60 Atque ex his, quæ circa Authores referendos in hac materia prolixè diximus, colliguntur ista. I. non *male*, sed iure optimo à Suario & aliis, pro hac sententia de prædestinatione ad gloriam, ante præuisionem meritorum, *citari S. Thomam, & omnes eius sectatores.* II. Verum non esse, eam sententiam de Electione ad gloriam ante præuisionem meritorum, *nec Scripturæ, nec Conciliorum, nec Patrum, nec Theologorum, ante & extra Scoti scholam, authoritate vel testimoniis probari posse*; cum S. Thomas, Albertus, Vdalricus, Ægidius, Richardus, superius relati, Scoto planè fuerint antiquiores; Heruæus ei coæqualis; Durandus, ac Thomistæ omnes vtique extra Scoti scholam profecerint ac docuerint. III. Sanè falsum esse, *Scripturam, Concilia, Patres, & Theologos, vnanimi consensu docere, electionem & prædestinationem, partialiter pro ea, quæ ad solam gloriam est, ex præscientia meritorum esse*; *idque bene etiam probare Vasquez disp. 89. cap 6. & alios*: cum nec Vasquez loc. cit. aut vspiam alibi, nec alius Theologorum vnquam hoc dixerit, aut vel leuiter saltem insinuarit, sed contra potius Vasquez ipse cit. disp. 89 cap. 1. num. 2. quam plures referat grauissimos pro opposita sententia Theologos; nec quisquam ignorare possit, iam olim diuersas hac de re fuisse Theologorum sententias; imò verò, vt ex dictis liquet, plures etiam ex antiquis Scholasticis oppositum docuisse, videlicet Electionem seu prædestinationem ad gloriam non ex præscientia meritorum, sed ea priorem esse, vt vidimus. Quæ obiter notare hoc loco necesse fuit, ne tanta contestatio, etiam typis publicata, aduersus tam probatam & antiquam sententiam, apud rerum ignaros, grauius aliquod præiudicium veritati adferret. De Scriptura verò, Conciliis, Patribus, reque ipsa vniuersa, sequenti dubio agetur: hic enim solum Auctorum varias sententias bona fide referre, & à falsis expositionibus & allegationibus vindicare propositum fuit.

DVBIVM IV.

Quid re ipsa sentiendum de ea controuersia; An prædestinatio seu Electio ad gloriã, sit prior præuisione & prædestinatione mediorum; & qua ratione.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. 5. & 7.

EXplicatis de hac controuersia variis Auctorum sententiis, restat, vt nostram denique sententiam breuiter exponamus; quod sequentibus assertionibus ita ordine faciemus, vt simul etiam modum ac necessitatem gratuitæ huiusmodi electionis declaremus.

Assertio I. Deus inefficaci quadam voluntate 1
etiam beneplaciti, tum absoluta ex parte obiecti, tum etiam conditionata, ante omnem præuisionem absolutam, vel etiam determinationem meritorum, vel mediorum, omnibus tam reprobis, quàm saluandis vult salutem & gloriam. Hanc doctrinam ex veriori cum S. Thoma 1. p. q. 13. a. 6. ad 1. & communi, contra quosdam aliter sentientes tradidimus & defendimus supra disp. 2. quæst. 10. dub. 3. & patet ex illo 1. Tim. 2. v. 4. *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et additur ratio. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Neque de hac inefficaci voluntate vlla nobis est hoc loco controuersia, sed solum de efficaci voluntate gloriæ, quæ dicitur electio, seu prædestinatio ad gloriam.

Assertio II. Quoad voluntatem gloriæ efficacem, 2
seu prædestinationem ad gloriam, ante præuisa, vel post præuisa merita seu media, non est distinguendum inter electos, vt aliquibus gloria sit decreta ante præuisa merita, aliis post præuisa media. Ita auctores primæ & tertiæ sententiæ, adeoque communis Theologorum, contra paucos authores secundæ sententiæ dub. præced. relatos: quorum sententiam Zumel hic q. 23. a. 3. d. 2. vocat *temerariam, & peiori nota dignam*; sed acerbiori quàm par est, censura, non solum quia pars vtraque eius sententiæ per se seorsim & absolutè spectata vtrinque graui multorum auctoritate nititur, nec per se improbabilis

est,

est, vt partim ex dub. præced. constat, partim ex dicendis magis patebit; sed etiam quia absolutè loquendo, nihil videtur obstare, quominus Deus pro maiori sapientiæ & bonitatis suæ manifestatione, eiusmodi quandam varietatem in sua prouidentia & prædestinatione seruarit.

3 Probatur tamen assertio. Primò quia Scriptura & SS. Patres, præcipuè Augustinus, quod ad propositum attinet, vniformiter de prædestinatione omnium hominum loquuntur; nec quoad hanc rem, vllam vspiam faciunt exceptionem, aut restrictionē, vt aliter alii, quàm alii, à Deo prædestinati intelligantur, vt ex Scripturis inferius pro vtraque opposita sententia adducendis patebit; quæ nimirum generatim docent, prædestinatos quidem, quod ad ipsam executionem attinet, non nisi certis mediis vitam æternam consequi; adultos quidem etiam propriis meritis, infantes autem solius quidem Christi meritis, sed non absq; Sacramento, aut martyrio. &c. contrà verò ipsam prædestinationem omnium & adultorum, & paruulorum, referunt saltem originaliter ad Dei gratuitam misericordiam, &c.

4 Imò Augustinus, seu quisquis ille est author Hypognostici lib. 6. in fine, cū & Pelagiani olim quoddam inter prædestinatos discrimen constituerent, id planè damnat & improbat his verbis: *Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breuiter probauimus, immanis blasphemia est; quam non tantum, sicut soletis dicere, in Apostolis debemus accipere, sed in Patriarchis, & Prophetis, & Martyribus, & Confessoribus, & in omnibus Sanctis, & dignè seruientibus Deo.* Qua de causa etiam Thomistæ quidam recentiores (in quibus Didacus Aluarez lib. 5. de auxil. disp. 37. num. 1.) non verentur dicere, eam sententiam in antiquis Pelagianis ab Augustino fuisse damnatam. Sed falluntur; quia aliud est prorsus negare prædestinationem gratiæ; quod vt dictum quæst. 3. dub. 1. fecerunt olim Pelagiani, saltem à toto genere; (in quibusdam enim eam videntur agnouisse, vt ex citato loco Hypognosticon colligitur) aliud est, suppositā prædestinatione gratiæ, dicere, aliam & aliam fuisse in Deo rationem prædestinandi ad gloriam, respectu diuersorum.

5 Ratio assertionis est; quia rationes quoque, quæ adferri solent, in alterutram partem, siue quod prædestinatio ad gloriam facta fuerit ante præuisionem meritorum, siue quod facta fuerit post præuisionem meritorum seu mediorum, generales itidem sunt, & procedunt de omnibus prædestinatis generatim; aut ergo nihil probant, aut de omnibus probant, vt ex sequentibus intelligetur. Et speciatim quia negari non potest, etiam B. Virgini V. G. in tempore collatam fuisse gloriam propter merita; sanè consequens est, Deum etiam ab æterno habuisse voluntatem conferendi eidem gloriam propter præuisa merita; Quod si, vt authores primæ sententiæ contendunt, voluntas hæc non admittit aliam voluntatem priorem ad ordinem intentionis spectantem, qua Deus voluerit eidem cōferre gloriam ante præuisa merita, quia, vt aiunt, duplex eiusmodi in Deo voluntas, seu electio, vna ad ordinem intentionis, altera ad ordinem executionis pertinens, fictitia est & impossibilis, planè efficitur, nec B. Virginem, nec vllum Sanctorum à Deo prædestinatum fuisse ad gloriam ante præuisionem meritorum &c. Quarè etiam rectè censuit Suarez lib. 3. de auxil. cap. 16. num. 8. eam prædestinandorum distinctionem nec fundamentum habere in Scriptura, vel Patribus, neque esse necessariam.

Assertio III. Prima voluntas efficax gloriæ, qua 6
Deus saluandis singulis voluit gloriā, seu, quod eodem redit; ipsa prima Electio, seu prædestinatio ad gloriam, secundum rationem nostram, in diuina mente antecessit absolutam præuisionem meritorū seu mediorum. Ita contra primam & secundam sententiam docent S. Augustinus, S. Thomas, aliiq; authores tertiæ sententiæ dub. præced. citati: quam proinde communem Theologorum sententiam in vtraque schola S. Thomæ; & Scoti, etiamnum hodie constanter receptam, atque ab aliis grauissimis doctissimisque Theologiæ Doctoribus voce & calamo publicè propugnatam probatamque rectè dixeris; adeo vt omnibus spectatis, opposita sententia minus frequenter etiam in scholis hodie recepta dici possit.

Dixi verò primò, *voluntas efficax gloriæ*, quia vt dictum, de voluntate inefficaci non est quæstio; & au- 7
ctores ēt primæ ac tertiæ sententiæ vltrò concedunt, Deum ante præuisionem meritorū habuisse affectū quendam & voluntatem simplicem ac inefficacem, seu conditionatam, qua omnibus voluerit gloriam. Dixi secundò; *voluntas prima*; quia loquimur de eo decreto efficaci, quo Deus secundum ordinem intētionis primo saluandis quibuslibet voluit gloriā; quę ēt simpliciter & absolutè tum Electio, tum prædestinatio ad gloriam dicitur: cum tamen interim in Deo etiam admittenda sit alia quædā & posterior efficax voluntas gloriæ, quasi executiua, vt inferius explicabitur. Dixi tertiò, *qua Deus singulis. &c.* quia licet Heruæus dub. præced. citatus, præter hanc voluntatem, qua Deus in particulari singulis voluit gloriam, constituere videatur aliam voluntatem efficacē ratione priorē, qua Deus indefinitè & absolutè voluerit aliquibus cōmunicare gloriā, de hac tñ voluntate hoc loco non est propriè controuersia, nec de ea nos loquimur; præterquā quod talis indefinita voluntas absq; necessitate in Deo constituitur, vt inferius dicetur: sed sermo & controuersia est hoc loco de voluntate illa efficaci, qua Deus sigillatim & in particulari singulis saluandis voluit gloriam. Dixi quartò, absolutam præuisionem meritorum &c. quia præscientia simplicis intelligentiæ, siue etiam conditionata omnium mediorum, vtique præcessit in Deo Electionem seu prędestinationem ad gloriam, vt suo loco dictum; neque de hac re est vlla hoc loco controuersia, vt iam antè monui dub. præced.

His positis, probatur assertio primò ex Scriptura, 8
quæ cum frequenter de diuina prædestinatione disserat, nusquā tñ eam propter merita factam, sed potius gratuitam esse docet: id quod pariter fere de electione, proposito, aliisq; similibus vocabulis prædestinationē diuinā significantibus dicendū: nisi cum aliquando pro ratione subiectæ materiæ accidit, nō de prima voluntate seu Electione ad gloriā sermonē esse, vt dicemus: præterquam quòd etiam aliis modis Electio ad gloriam, vel etiam ad perseuerantiā, prior esse præuisione mediorum in Scriptura significatur, vt mox patebit. Vt autem distinctè procedamus,

refere-

referemus primò ea loca Scripturæ, quæ in Euangelistis, deinde seorsim ea, quæ in Apostolo Paulo hac de re leguntur. Neque verò exspectandum est, vt singula per se loca ititentum planè irrefragabiliter concludant; sed vt denique manifestum sit, quam hæc sententia, licet non omninò aperte in Scripturis tradita (alioqui de fide esset) sit tamen diuinæ Scripturæ vndequaque & cum primis consentanea: tantum abest, vt diuinæ Scripturæ vllatenus repugnet.

9 Primus igitur locus esto Matthæi 25. v. 34. qui cum in oppositam quidem sententiam soleat adduci, penitius tamen inspectus, nostram potius assertionem confirmat. Sic enim habet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurijt enim, & dedistis mihi manducare. &c.* Quæ verba postrema non reddunt causam, cur paratum illis esset à Deo regnum, cuius præparationis obiter solum fuerat facta mentio, sed principalis intenti ac propositi, de quo paulo antea fuerat sermo, *Venite, possidete &c.* simul tamen significant, regnum æternæ beatitudinis illis à Deo fuisse *paratum*, hoc est, destinatum, nimirum in mente diuina *à constitutione mundi*; quod non de sola actuali mundi productione intelligi debet; quia procul dubio non in tempore primum à Deo propositum illud conceptum fuit, sed de ipso decreto mundi constituendi; quasi dicat, Regnum hoc fuisse Electis à Deo ab æterno destinatum, simul (si non etiam prius ratione) ac Deus mundum facere decreuit: ex quo colligitur decretum cælestis regni electis conferendi Deum simul certe (si non prius) secundum rationem habuisse cum decreto mundi constituendi, adeoque ante præuisionem mediorum, quæ mundi constitutionem supponunt. Bene in hunc locum Chrysostomus homil. 54. in Matth. *Nunc autem*, inquit, *quoniam non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem Sanctorum, ideo antequam Sanctos crearet in seculo, regnum eorum præparauit in cælo. Propterea quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, & tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regni cælorum.*

10 Secundus locus est Matth. 24. v. 20. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Et Marci 13. v. 20. *Nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro; sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.* Vbi simpliciter electi dicuntur & intelliguntur ad gloriam; & ratio eius breuiationis, quæ erat medium ad gloriam, significatur fuisse electio; quæ proinde ratione antecedere debet in diuina mente decretum eiusdem medii, vt bene etiam Suarez lib. 3. de aux. c. 16.

Tertius locus est Luc. 12. v. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnũ.* Quibus verbis sub nomine complacentiæ, seu placiti diuini, agitur de æterno proposito Dei conferendi saluandis regnum cæleste; id verò propositum simul non ex vlla obligatione aut debito Deum concepisse docetur; sed ex gratuita bonitate & liberalitate, seu beneplacito diuinæ voluntatis. Neque enim debitorem dicimus soluere debitum, aut solutionem debiti animo destinare ex complacentia seu beneplacito, sed ex debito. Id quod magis etiam confirmatur ex græco verbo εὐδόκησεν; quod propriè lubentiam & beneuolentiam significat. Si ergo regnum cæleste ex diuina beneuolentia & beneplacito etiam adultis à Deo decretum est, sequitur voluntatem efficacem seu Electionem primam ad gloriam fuisse gratuitam, adeoque non ex meritis, sed priorem præuisione meritorum.

Nec obstat, quod Christus non ad solos Apostolos (in quibus tamen etiam erat Iudas reprobus) sed ad omnes discipulos ea verba protulit; vt proinde solum de simplici & inefficaci complacentiæ affectu, aut de conditionata voluntate, non absoluta & efficaci accipienda videantur, vti nonnulli obiiciunt. Nihilominus enim hæc verba, facta denominatione à potiori, de solis electis propriè accipiuntur; vti etiam aliis locis sæpe, & à concionatoribus quotidie, electorum nomen profertur ad totam communitatem; quia & nos de singulis, & singuli de se sperare debent, quod sint electi. Confirmatur hoc ex verbis Christi, quia speciale solatium pusillo huic gregi iis verbis voluit exhibere: nihil autem speciale aut proprium quicquam illis indicasset, si tantum de conditionata voluntate fuisset locutus, vt patet. 11

Quartus locus est Ioan. 6. v. 39. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Sensus esse videtur, vt colligi potest ex Augustino tract. 25. in Ioan. vt omnes, quos per æternam electionem & prædestinationem, mihi velut proprium & æternum peculium consignauit Pater, eos docendo, monendo, gratia mea, & auxiliis meis sic dirigam, vt ad quam ab æterno prædestinati sunt vitam, eam re ipsa denique resuscitati consequantur. Vbi rursum æterna prædestinatio & electio supponitur ad voluntatem mediorum; eos enim qui & quia prædestinati erant ad vitam, voluit Pater à Christo efficaciter dirigi & promoueri ad vitam. 12

Quintus locus est Ioann. 10. v. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: oues meæ vocem meam audiunt.* Vbi obeditionis causa assignatur conscriptio inter oues Christi, siue prædestinatio ad gloriam, vt Augustinus tract. 25. in Ioan. & Beda intelligunt. Ergo secundum rationem prius est, esse ouem Christi, secundum diuinam prædestinationem, quam credere & vocem Christi audire.

Sextus locus est Ioan. 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. &c.* Vritur sæpe hoc loco Augustinus ad gratuitam electionem probandam. Et est quidem sermo ad Apostolos, non quoslibet, sed solos (iam excluso & absente Iuda, vt constat ex Ioann. 13. v. 31.) electos & prædestinatos: nec sermo est solum de electione ad officium Apostolatus, sed etiam ad sanctitatem vitæ bonorumq; operum, & perseuerantiam, vt patet ex adiectis verbis, *Elegi vos, & posui, vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat.* Ad hæc omnia dicuntur à Christo gratis electi, & non ob præuisam eorum cooperationem & merita: quasi in diuina mente eorum electio & cooperatio prior fuisset respectu alicuius eiusmodi effectus, quam diuina electio, vt patet ex illis verbis, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quod si ergo Deus ad perseuerantiam etiam ipsam Apostolos elegit, nullâ eorum determinatione seu cooperatione præuisâ, alioquin enim Apo- 13

stoli

stoli secundum præscientiam diuinam priores elegissent Christum, respectu electionis ad perseuerantiam, quam ad hunc effectum à Deo fuissent electi, licet ea quidem cooperatio ad perseuerantiam necessarium esset medium; sequitur, electionem quoq; ad gloriam, mediorũ & meritorũ præscientiâ priorẽ fuisse: tum quia par est ratio & proportio vtriusq;: si enim vnus effectus prædestinationis remotior sine medii præscientia prædestinatus est, idem etiam de aliis sentiendum: tum quia immediata electio ad perseuerantiam, moraliter non potuit non ex efficaci intentione gloriæ processisse, vt sæpius dictum: præterquam quod ipsum vocabulum *Electionis*, generale est, & tam electioni ad gratiam, quam ad gloriam accommodari potest. Bene ex hoc loco Augustinus lib. de Præd. sanct. c. 17. *Rogo quis audiat Dominum dicentem, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & audeat dicere, credere homines, vt eligantur, cum potius eligantur, vt credant.*

14 Septimus locus est Ioan. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Vbi rursum de æterna Dei prædestinatione sermo est, qua Deus Christo filio electos etiam in particulari consignauit & tradidit. Hanc electionem diuinam etiam ad gloriam supponebat & sequebatur specialis hæc & efficax oratio Christi: quia propterea Christus pro Apostolis orabat, quod à Deo electi essent, vt significatur illis verbis, *Sed* rogo *pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*; scilicet per æternam prædestinationem. Si ergo in diuina mente electio ad gloriam, aut saltem ad perseuerantiam, prior erat, quàm præscientia illius medii, quod in speciali & efficaci illa Christi oratione consistebat (quam effectum esse prædestinationis quæst. 2. dub. 1. docuimus) idem pariter etiam de aliis mediis dicendum erit.

15 Octauus locus est 1. Ioan. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: sed vt manifestum sit, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Vtitur hoc ipso etiam loco S. Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 8. vbi rationem reddi ab Apostolo docet, cur non omnes, qui cum virtute cœperunt, perseuerent; quia non sunt omnes ex nobis, hoc est, prædestinati, siue per diuinam sortem, discretionem, electionem separati: ex quo sequitur, diuinam prædestinationẽ ad ipsam etiam perseuerantiam finalem, priorem esse in diuina mente cooperatione nostra, vt fusius persecuti sumus dub. præced. expendendo citatum locum S. Augustini, quem ibidem secundo loco inter Augustini testimonia adduximus.

16 Nonus locus est Act. 13. v. 49. *Et crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Vbi pro effectu præordinationis ad vitam æternam assignatur fides: seu, quod idem est, pro causa fidei, præordinatio ad vitam æternam; quam proinde priorem in mente diuina esse oportebat, voluntate conferendi donum fidei. Quod si Caluinus hoc etiam loco abutitur ad suam reprobationem probandã, nihil hoc orthodoxæ sententiæ præiudicat; quia etiam Arriani valde vrgebant illum locum, *Pater maior me est*; & id tñ non obstabat, quo minus catholica Ecclesia filium aliqua ratione minorem Patre constanter profiteretur. Atque hæc ferè sunt loca, quæ extra epistolas S. Pauli adferri possunt; nunc ad Paulum veniamus.

Decimus igitur locus est Rom. 8. v. 29. *Scimus,* 17
quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscisit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui. &c. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Vbi ex proposito & prædestinatione Dei significatur hæc omnia nasci, cooperationem rerum omnium in bonum, vocationem, iustificationem, glorificationem. &c.

Respondet non nemo, illa verba Apostoli, prædestinationem, electionem, præscientiam, propositũ, electi, vocati secundum propositum &c. ad omnes iustificatos, etiam reprobos, pertinere. Sed hoc nec verbis ipsis congruit, nec interpretationi Augustini, vbi de hac re loquitur, vt fatetur opponens, & patet ex dub. 1. nec discursui vel scopo Apostoli, qui singulare solatium iis verbis præbere volebat fidelibus ad persecutiones constantius perferendas. Et quid opus erat illa restrictione, *his qui secundum propositum vocati.* &c. Qua ratione de iustis omnibus absolutè, verè, & propriè dici poterat, *quibus omnia cooperantur in bonum*? Qua ratione absolutè & sine limitatione verum, *quos iustificauit, illos & glorificauit. &c?*

Neq; tamen ideo exhortatio Apostoli, vt aduersarii nobis obiiciunt, ad friuolam illã interpretationem redigenda est; Estote bono animo, & patiẽtes, quia si estis electi, omnia hæc vobis ad bonum conferent; secus est, si non estis electi: sed hic est Apostoli sensus: Electis, quales vos singulos esse spero, & vos singuli de vobis meritò speratis, omnia cooperãtur in bonum: itaq; confidite. In qua re quantum fit solatii, plurib⁹ dicetur in fine huius disputationis. 18

Vndecimus locus est Rom. 9. v. 11. *Cum n. nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictũ est ei, Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui.* Quo loco tametsi dubiũ sit, an illud Malach. 1. v. 2. *Iacob dilexi, Esau aũt odio habui*, ex mente Prophetę de spirituali & æterna Dei dilectione, ad gratiã & gloriã Iacobo, nõ Esau conferendam, ad literam intelligendũ sit, Vasquio in sua quidem Paraphrasi, & alibi, id de temporali quadam solum felicitate interpretante, qua nẽpe Iacobo terra fertilis à Deo decreta, Esau verò ad aspera saxa reiectus fuerit; cuius generis felicitatem respicere etiam videntur illa verba, quæ citantur ex Genes. 25. v. 23. *Maior seruiet minori*: nullum tamen esse dubiũ potest, quin ex mente Apostoli, totus hic locus de æterna prædestinatione ad salutem ac spiritualia bona accipiendus sit: adeo vt iuxta expositionem & declarationem Apostoli, de fide sit, Iacobum & Esau typum saltem gessisse; illum quidem prædestinatorum & electorum ad salutem, hunc verò reproborum.

Cum ergo Apostolus hoc sensu doceat, Iacobum 19
nõ ex præuisione operũ (sic n. necessariò accipiendũ illud, *nõ ex operib⁹*, alioquin nihil ad propositũ cõcluderet Apostol⁹, id quod ita ẽt Augustin⁹, & alii eũ secuti, constãter intellexerunt, quicquid noñulli de Semipelagianorũ errore suspecti olim in contrariũ dixerint) sed solũ gratuita Dei electione à Deo fuisse dilectũ, Esau verò nõ itẽ, quod est q. respectiuè *odio haberi*, vt fusius dicetur q. 7. d. 4. sequitur planè, prædesti-

nationem

nationem & electionem ſaluandorum in diuina mente priorem eſſe præſcientia meritorum, vt etiam argumentati ſumus quæſt. 3. dub. 3. & ſæpius argumentantem vidimus Auguſtinum. Eſſe verò hic ſermonem de Electione non ſolum ad gratiam, ſed etiam ad gloriam, ex eo probatur; tum quia abſolutè de electione & propoſito Dei ſermo eſt; tum quia ſeruitus illa, qua reprobi ſubiiciuntur electis, propriè & perfectè non in hac vita, in qua ſæpe iniqui dominantur bonis, ſed in altera vita completur. Tũ quia ipſa terra promiſſionis, ad quam gratuita Dei beneuolentia electus eſt Iacob, reprobato Eſau, figura erat cæleſtis gloriæ. Significatur ergo, ad futuram etiam gloriam alterius vitæ ſaluandos gratis prædeſtinari à Deo, non minus quam ad terram illam promiſſionis gratuita ſolum Dei beneuolentia, ante omnem præuiſionem meritorum, deſtinatus & electus erat Iacob.

20 Duodecimus locus eſt eodẽ cap. 9. ad Rom. v. 14. *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? abſit. Moyſi enim dicit* (Exod. 33. v. 19.) *Miſerebor cuius miſereor: & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei &c. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Vbi rurſum Apoſtolus obiectiõnem quandam contra ea, quæ ex ipſo proximè diximus, amoliens, in Dei miſericordiam eandem electionem Iacobi, ſiue prædeſtinatorum, per quam Eſau & reprobis à Deo prælati fuerunt, refert, hoc epiphonemate addito: Igitur ſalus noſtra, ſiue temporalis in hac vita, ſiue æterna alterius vitæ, originaliter & radicaliter *non eſt volentis, neque currentis*, aut quamuis enixè fatagentis hominis; *ſed miſerentis Dei*; qui nempè gratis, & mera ſua miſericordia ad vtramque homines prædeſtinat, vt antea dixerat: quam etiam miſericordiam pro ſuo beneplacito cui vult impartitur. Tribuitur autem hæc prædeſtinatio diuinæ miſericordiæ Dei: quia per eam homo, tum à ſtatu naturalis vilitatis & indignitatis, aut etiam, vt ita dicam, nihileitatis, tum in ipſa ſaltem executione, à peccati miſeria euehitur ad ſtatum ſummæ excellentiæ & gloriæ, ac ſimul etiam præſeruatur ab æternæ damnationis miſeria.

21 Decimus tertius locus eſt in verbis ibidem continuò ſubſequentibus, v. 19. *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? ô homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? annon habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vbi Apoſtolus rurſus aliam diſſoluens obiectionem, qua aliquis Deum accuſare poterat, quaſi fruſtra de hominis iniquitate conqueratur, ſi primitus omnia ex Dei arbitratu & prædeſtinatione pendeant; minimè negat Apoſtolus fundamentum, ex quo obiectionis occaſio deprompta eſt; ſed alia via reprimit hominis elationem & murmurationem aduerſus Deum; quod nimirum homo tanquam figmentum, conditori ſuo pleniſſimè ſubiectum, non habeat cauſam, cur de diuina diſpoſitione queratur. Id quod ſimilitudine figuli confirmat, qui ſolo ſuo arbitratu, non præuiſa vlla dignitate aut diſpoſitione luti, ex eodẽ planè luto, facit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, ſeu inhonoros vſus: qua ſimilitudine concludit, Deum pariter ex eadem maſſa generis humani (ſiue illa peccato iam ſecundum Dei præſcientiam infecta ponatur, ſiue non, de quo infra dub. 8.) poſſe ſuo arbitratu alios quidẽ directa & formali intentione, propriaque ac ſpeciali ſua diſpoſitione & procuratione, condere ad ſalutem & gloriam; alios aũt ita creare, vt non quidem directâ, ſpeciali, & poſitiua diſpoſitione ac procuratione, ſed quadã permiſſione, ſiue gratiæ denegatione, vt mox inferi⁹ declaratur, & gratia efficaci deſtituantur, & dein ob præuiſum ẽt peccatum, æternæ damnationis contumeliæ addicantur. Eſſe verò & hîc quoq; ſermonem tam de æterna gloria, quam damnatione, patet tũ ex ipſis verbis *honoris*, & *cõtumeliæ*; tũ quia vſus vaſis, ſeu honeſt⁹, ſeu inhonor⁹, eſt vltim⁹ finis quaſi intrinſec⁹ ipſi⁹ p ſe vaſis, quod à figulo efficitur. Vñ ſequitur

Decimus quartus locus ibidem v. 22. *Quod ſi Deus volens* (ſeu dũ vult) *oſtendere iram, & notam facere potẽtiam ſuã, ſuſtinuit* (& tolerauit) *in multa patientia, vaſa iræ apta* (ſeu parata, ob præuiſa peccata) *in interitum*, (quo factum eſt,) *vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriã &c. Quid ergo dicemus?* Vbi Apoſtolus electos vocat *vaſa miſericordiæ*, quæ Deus per eandem vtiq; illam miſericordiã ſuã, adeoque gratuita bonitate, præparauit, & ab æterno deſtinauit in gloriam. Mirũ ſanè, in hoc vnico capite Apoſtoli ad Rom. 9. toties & tam apertè, ac ex inſtituto fieri mentionem prædeſtinationis & electionis diuinæ, ac vbiq; in ſolidũ attribui miſericordiæ; nunquã verò operibus, ſeu præuiſioni operum: quod tñ fieri ſaltem aliquando oportebat, ſi prædeſtinatio ad gloriam ex meritis eſſet; quandoquidẽ gloria eſt potior ac nobilior terminus prædeſtinationis; quã gratia, atq; à potiori poti⁹, quam ab ignobiliori; ſicut & ab vltimato potius, quam non vltimo termino mot⁹ & actionis ſolet fieri denominatio. Quod ſi Apoſtolus prædeſtinationis ad gloriam ex meritis, nullã facere voluiſſet hoc loco mentionẽ, vt de gratuita ſolũ prædeſtinatione ad gratiam ſermonẽ ad præſens inſtitutum haberet, oportebat ſaltem prædeſtinationẽ ad gloriam alicubi manifeſtè in hac diſputatione tã prolixa excludere, vel ea ẽt de cauſa, vt ad vulgarem hominis captum plauſibilior, ac minus odioſa redderetur doctrina & diſputatio Apoſtoli: quod tamen Apoſtolus non ſolum non fecit, ſed potius non obſcurè contrarium ſignificauit, vt dictum. 22

Decimus quintus locus eſt Rom. 11. v. 5. *Reliquiæ ſecundum electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si aũt gratiâ, iam non ex operibus; alioquin gratia iã non eſt gratia.* Vbi rurſum abſolutè reliquiæ gentis Iudæorum, ſecundũ electionẽ, quæ eſt ex gratia, non ex operibus, dicũtur ſaluæ factæ. Quod ſi iidem homines gloriã conſecuti ſunt per electionẽ ex operibus, quidnî ẽt per electionem ex operib⁹ ſalui facti eſſe dici poſſent? Certè negationes malignantis naturæ ſunt, & negant omnia, & de omnib⁹, niſi reſtrictio addatur. Ad affirmationẽ aũt indefinitã ſufficit, eã in vno vel altero particulari ſubiecto verã eſſe. Atq; hæc ex Epiſt. ad Rom. ſatis. 23

Decimus ſextus locus eſt Epheſ. 1. v. 4. *Elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate* Quo loco ſæpe vtitur Auguſtinus ad probandã electionẽ gratiæ, ante præuiſionem meritorum, bonorum ue operum: quæ ẽt efficaciter indè deducitur, quandoquidẽ

Digitized by Google

electi à Deo dicimur, non quia eramus, aut futuri eramus sancti & immaculati, sed vt essemus sancti & immaculati: sunt ergo opera nostra, quæ sanctos nos & immaculatos efficiunt, effectus prædestinationis, nō causa, seu ratio. At verò ēt ad prædestinationem gloriæ hic locus probabiliter hoc modo referri potest; quia absolutè dicimur Electi à Deo, electione vtique electorum propria, qua factum est, vt essemus sancti & immaculati; talis aūt electio absolutè dicta & electorum propria, efficiens vt simus sancti, non est tantū electio ad gratiam, sed ēt ad gloriam: siquidē electio ad gloriam causa est, cur simus sancti & immaculati; cū Deus ex ipsa intentione & proposito efficaci cōferendi gloriam, gratiam nobis largiatur & sanctitatem, vt inferius declarabimus. Accedit quod etiamsi de sola electione ad sanctitatem hic sermo esset, nihilominus nostra assertio ex eo loco rectè probaretur. Quia si Deus ante præuisionem bonorum operum nostrorum, omniumq; meritorum, adeoq; etiā ante præuisionem dispositionum nostrarū, elegit nos vt essemus sancti, vt ex hoc loco sæpius docet Augustinus, ergo etiam ante præuisionem meritorum elegit nos, vt essemus beati: quandoquidem alias secundum executionem dispositio nostra non minus præcedit sanctificationem & iustificationem nostram, quam merita nostra præcedunt gloriam.

24 Decimus septimus locus est eodē cap. 1. Eph. v. 5. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum, secundum propositū voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo &c. Vt notū faceret nobis Sacramentū voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporū, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Vbi Apostolus modum & rationem diuinæ prædestinationis explicans docet, 1. Deum esse causam quasi principalem efficientem & finalem, iis verbis: *Qui prædestinauit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ.* 2. Christum esse causam instrumentalem seu meritoriam, & finalem secundariam, cum ait: *Per Iesum Christum in ipso &c.* item *Instaurare omnia in Christo, in ipso &c.* 3. Rationē prædestinandi nō fuisse vlla merita seu opera nostra, sed solum beneplacitum diuinæ voluntatis, cum ait: *Secundum propositum voluntatis suæ.* Item, *Secundū beneplacitum eius.* Spectare aūt hunc locum etiā ad prædestinationem gloriæ docet inter alios Fulgentius inferius citandus de fide ad Petrum cap. 35. siue 10 & probatur; tum quia perfecta adoptio filiorū includit etiam communicationem hæreditatis: tum quia additur, *In laudem gloriæ gratiæ suæ*; quæ laus gloriæ diuinæ perfectè peragitur in cælis: tum quia beneplacitum seu decretum illud diuinæ prædestinationis expresè etiam refertur ad hoc, quod est, *omnia instaurare in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt*: quorū illud gloriā respicit, hoc gratiā. Deniq; Apostoli erat, non minus benedicere Deum ob prædestinationē ad gloriā, quam ad gratiam; non ergo voluit excludere; sed potiùs includere vtroq; hoc loco prædestinationē ad gloriā: quod pariter ēt de sequenti loco dicendum

25 Decimus octauus locus est eodem c. 1. Eph. v. 11. *In quo ēt & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositū eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudē gloriæ eius nos, qui ante speramus in Christo.* Vbi rursum docet Apostolus, prædestinationem fieri secundum propositū, seu beneplacitum Dei, operantis omnia secundum consilium voluntatis suæ. Et loquitur de prędestinatione, à qua absolutè dicimur prædestinati, tum ad gratiam scilicet, & perseuerantiam, tum ad gloriam: quod etiam significatur illis verbis, *Vt simus in laudem gloriæ eius*; id quod perfectè accidit in cælis, vt dictum.

Quod si quis his locis excipiat, solùm esse sermonem de prædestinatione ad gratiam, is tamen iuxta Augustinum negare non poterit, sermonem vtiq; ēt esse de gratia perseuerantiæ, seu de gratia, quę cū ipsa perseuerantia secundum Dei voluntatem infallibilē habet connexionē: quo concesso, nihilominus concluditur propositum in hunc modum: Nam si Deus gratis, & absq; præuisione operum, solum pro beneplacito suæ voluntatis, nos prędestinat ad ipsam gratiam perseuerantiæ, quæ est vltimus effectus gratię in hac vita, non obstante, quod ipsa perseuerantia in effectu nō obtinetur ab adultis absq; eorū cooperatione, tanquā necessario medio: ergo & gloriam Deus prædestinat sine præuisa præscientia mediorum: est enim par vtriusq; proportio; & ipsius perseuerantiæ efficax voluntas supponit intentionem gloriæ, tanquam voluntatem finis, vt sæpius diximus.

Quod autem ex recentioribus non nemo contendit, vocabula illa, *Prædestinatos, Electos*, &c. referri ad omnes fideles iustificatos, etiam reprobos, iam superius in simili, circa locum 3. & 10. satis refutauimus. 26

His omnibus, ex veteri testamento addimus locū clarissimum, & complectentē omnia, Eccli. 33. v. 10. *Et omnes homines de solo & ex terra: vnde creatus est Adam. In multitudine disciplinæ Dominus separauit eos, & immutauit vias eorū. Ex ipsis benedixit & exaltauit: & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à separatione ipsorū. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere. Omnes viæ eius secundum dispositionē eius: sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundum iudiciū suum.* Vbi omnes viæ hominum, eorumque discretio clarissimè ad liberam Dei dispositionem referuntur, sicut dispositio luti ad figulum.

Atq; hæc sunt potissimum loca Scripturæ, quib[9] hæc sententia etsi quidē non euidenter conuincitur, certè tamē adeo probabilis redditur, vt oppositę meritò anteponatur, quam ex solutione argumentorū patebit in Scriptura minimè fundatam esse; quicquid nonnulli recentiores falsò, & contra communē sensum, & authoritatem S. Thomæ, & Scholasticorum veterum dixerint, nostram hanc sententiā *nulla Scripturæ authoritate, vel testimonijs probari posse; sed alienam esse à veritate & doctrina Scripturæ, ac repugnare multis Scripturæ locis*, quæ inferius suo loco examinabimus. Vbi etiam obiter notandum, non bene hąc etiam in re secum concordare Vasquium disp. 89. n. 111. vbi ait, nullum ex Patribus ea quæ attulimus Scripturæ loca intellexisse de electione ad gloriam: cum tamen ipsemet ibidem n. 111. & 114. notet, S. Augustinum ipsum etiam duo loca ex citatis intellexisse de electione ad gloriam. Atque hæc de probatione ex Scriptura satis. 27

Secundò probatur assertio authoritate SS. Patrum, Conciliorum, & Doctorum Scholasticorum. Nam vt dub. præced. demonstrauimus, est hæc planè S. Augustini, S. Thomæ, & communis plurium & 28

Digitized by Google

grauiorum Scholasticorum sententia. Vt autem maius pondus accedat authoritati S. Augustini, quando præsertim ei hac in re alii Patres, speciatim Græci, opponuntur, vt dicemus, animaduertendum est, S. Augustini doctrinam de gratia & prædestinatione non solum approbari à Cælestino Papa in epistola ad Episcopos Galliæ contra Pelagianos & Semipelagianos, cum in ea controuersia Prosper & Hilarius, Catholici & Orthodoxi Galliæ Episcopi, ad eum, velut supremum fidei Magistrum & Iudicem, persecutione Semipelagianorum coacti, confugissent; (quam approbandi rationem secuti sunt etiam postea Leo 1. epist. ad Nicetam, & Gelasius in decreto de apocr. Script. & epist. 5. ad Episcopos per Picenum:) sed etiam ipsummet Augustinum eam certissimam iudicasse, cum in libro de bono perseuer. cap. 18. ait. *Hoc vnum scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturam sanctam defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et in fine capitis 23. *Prædestinationis huius*, inquit, *fidem, quæ contra nouos hæreticos noua sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit:* vt proinde ipsi potius reprehendendi sint, qui doctrinam Augustini de prædestinatione reprehendere audent; in quos olim grauiter inuectus Gelasius epist. cit. scripsit: *Adhuc maius scelus accrescit, vt sub conspectu & præsentia Sacerdotum, beatæ memoriæ Hieronymũ, atq; Augustinum, Ecclesiasticorũ lumina Magistrorũ, musca moritura, sicut scriptũ est, exterminans oleũ suauitatis, lacerare contenderet.*

29 Quod cũ ad eam quidem doctrinam inprimis pertineat, quatenus gratiæ necessitatẽ & prædestinationẽ contra Pelagianos & Semipelagianos tuetur, de qua re erat ibi propriè quæstio & controuersia; nihilominus tñ suo modo etiam ad vniuersam doctrinam eiusdem Augustini non malè accommodatur; quia etsi quidẽ hæc doctrina de electione gratuita ad gloriam non sit de fide, talis tamen est, vt contra eã pauci ex ipsis etiam Catholicis nisi errando disputarint, supponendo scil quædã principia, aut inferendo inde quædam consectaria, quæ ab errore nõ longè absunt, qualia sunt 1. Facienti ex se ac per vires naturæ quod potest, certo conferri gratiam. 2. Dari causam siue rationem ex parte prædestinati totius prædestinationis, etiam ad primam gratiam. 3. Gratiam efficacem seu congruam, vt sic non seligi pro electis, nec decerni, quia congrua & efficax sit. Quæ omnia partim hac quæst. dub. 1. partim quæst. 3. tanquam falsa & improbabilia refutauimus.

30 Interim ipsummet etiam Cælestinum Papam cit. epist. ad Episcopos Galliæ, in doctrina Augustini de hac materia quoddam constituisse discrimẽ, satis ex ipsius verbis patet. Primum n. quidem in laudem & commendationem Augustini, eiusq; doctrinæ contra Pelagianos, ita perorat: [Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atq; meritis in nostra communione semper habuimus, nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quẽ tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter Magistros optimos, & ante à meis decessoribus haberetur &c.] Quod elogium cum S. Prosper contra Collatorẽ recitasset, hæc ait: [Contra istam clarissimã laudatoris tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, audet quisquã malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sincerissimæq; sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere &c.] Inferius aũt post catholicam doctrinã de gratia aliquot capitibus expositam, ita concluditur Cælestini epistola: [Profundiores verò difficilioresq; partes occurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contenere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad cõfitendum gratiã Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundũ prædictas regulas Apostolicæ sedis nos scripta docuerunt: vt prorsus non opinemur catholicũ, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.] Quo loco, vt ẽt Baronius bene notauit Anno 431. num. 185. profitetur Cælestinus Pontifex, profundiores illas de prædestinatione Sanctorũ quæstiones, ab Apostolica Sede nequaquam definitas esse, illasq; tantum stabilitas fuisse, quæ ad condemnãdum errorem sufficere posse videbantur.

31 Ex quib. ẽt colligitur, minimè audiendum authorẽ Reuelationũ, quæ tribuuntur B. Amadeo, dũ eam Augustini doctrinam adeo audacter reprehẽdit. Nã reiecta Scoti & S. Thomæ sententia, de modo prædestinationis & reprobationis ait: *Hoc dixerunt illi, quia quẽ supra alios exsollit* (Augustin[9]) *dixit crudelius, scil. quod Deus prædestinauit absolutè hos ad pœnã* (quod tñ nemo Catholic[9] docet;) *illos verò ad gaudium: & qui sẽtias colligit* (Magister sentẽtiarũ) *ipsũ præcipuè imitat[9] est. Sed hæc subtilia apud vos, stultissima sunt apud Deũ. Hipponensis ille est origo apud vos istius opinionis, quã Sententiarũ Collector ad literam sequitur: quãuis ille Africanus sæpe in contrariũ dixerit.* Ita hic author. Sed hoc nõ esse verũ, superius ostensum est. Plura de Augustino inferius, cum ad rationes deuentũ fuerit, ratione 5.

32 Ex aliis verò Patrib[9] hanc sententiã tradit Author Hypognostici, vet[9] & grauis Scriptor, tom. 7. oper. August. lib. 3. ante mediũ, cũ ait: [Ideo cur hoc illi operetur, illi non operetur, metuentẽ me & trementẽ iudicia eius inscrutabilia, & incomprehẽsibilia, nolo interroges &c. Interroga eũ, qui dixit: Vobis donatũ est, pro Christo, non solum vt in eũ credatis, sed vt ẽt pro illo patiamini; Et, Nõ volentis, neq; currẽtis, sed miserentis est Dei; Et, Cuius vult miseretur, & quem vult indurat: & quia Spiritus S. dona charismatũ suorum diuidit singulis prout vult, non prout volunt. Et quib. voluerit, nõ qui voluerint, notas facit De[9] diuitias gloriæ Sacramẽti sui &c. Ista igitur cũ facit Deus, incomprehẽsibilis, & inuestigabilis, atq; inenarrabilis, non personarum acceptione facit, nec iniusto iudicio, sed planè iusto altoq; secreto. Quia hæc est fides Catholica, quam si sequi velis, non eris de iudiciis Dei incõprehensibilib[9] curiosus & contentiosus, sed eris cũ Catholicis humilis & mansuetus, &c. Taceat reprehensibilis, mendax, & iniustus homo, vt faciat irreprehensibilis, verax, & iustus De[9], quæcunq; voluerit. Si tantũ attendas ad peccatum primorum hominum, quo massa humani generis damnari meruit, quia secundum testimonium Pauli Apostoli, ex quo vno omnes transierunt in condemnationẽ, poteris cognoscere, iudicia Dei esse iustissima. Inde est n. malũ meritum in hominib[9], tã in paruulis, quam in maioribus, præcedẽs iudicia Dei, vt iusto eius iudicio puniantur. Quare aũt in hoc vt dixi, malo merito præcedenti, non omnes puniuntur; aut cur inde nõ omnes saluantur? Ego seruiens Dño in timore, & exul-

tans

tanscum tremore, misericordiam ei & iudicium cătabo: quia iudicium facit præcedente causa, salutem verò donat ac misericordiam, præueniendo malam causam.] Ex quibus postremis verbis manifestũ est, hunc authorem non solum loqui de gratia, sed etiam de salute æterna & gloria, quam punitioni æternæ opponit, eamque dono ac misericordiæ Dei tribuit; quia nimirum Deus gratuito prædestinationis decreto præuenit malam causam.

33 Et clari⁹ lib. 6. ante med. [Quia verò iustus & misericors Dominus Deus, præsciusq; futurorũ, ex hac damnabili massa, non personarũ acceptione, sed iudicio æquitatis suæ irreprehẽsibili, quos præscit, misericordia gratuita præparat, id est, prædestinat ad æternam vitam, cæteros autem pœna, vt prædixi, debita punit, quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit, nõ tñ ipse fecit puniendos, vel prædestinauit, sed tantum, vt dixi, indamnabili massa præsciuit. Quod si à me quæris scire, cur duos ita differentes fecit Deus, si personarum acceptor non est, quia generaliter aut punire debet iustitia, aut misericordia liberare; contende cũ Paulo, imò, si audes, argue Paulum, qui dixit Christo in se loquente; O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Vbi apertè & distinctè prædestinationem ad vitam æternam tribuit misericordiæ gratuitæ Dei.]

Et infra circa med. *Diximus*, inquit, *de damnabili humani generis massa, Deum præscisse misericordia, non meritis, quos & electione gratiæ prædestinauit ad vitam: Cæteros verò, qui iudicio iustitiæ eius, hac gratia efficiuntur expertes, præscisse tantum vitio proprio perituros, non vt perirent prædestinasse.* Qui locus adeo clarus est, vt etiam Vasquez disp. 89. cap. 8. num. 59. negare non potuerit, hunc authorem, doctum certe & neruosorum, stare à nostra sententia; quem idem etiam Vasquez disp. 95. num. 26. sub nomine Augustini citat.

34 Item author lib. de præd. & grat cap. 5. tõ. 7. Augustini, ait: [Ab illo ergo, quia æternus & præscius, quia & iustus & pius est, qui exercet debitam seueritatem, & exhibet indebitã pietatẽ, & habet in creandis atq; eligendis hominibus, sicut in luto figul⁹, potestatem, facta sunt alia quidem vasa in honorẽ (*nimirum per indebitam pietatem*) alia verò in contumeliam: *nimirum per debitam seueritatem. Et infra cap. 7.* Quod si futuros eorum mores dicitur diuinum discreuisse iudicium, profectò illud euacuabitur, quod præmisit Apostolus dicens, Non ex operibus, sed ex vocante dictũ est, quia maior seruiet minori. Non n. ait, ex præteritis operibus; sed cum generaliter dixerit, Non ex operibus, ibi & præterita intelligi voluit & futura: præterita scilicet, quæ nulla erant; futura, quæ nondũ erant, prædestinatus est Iacob vas in honorem, quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori. *Et cap. 16.* Hanc, *inquit*, diuinã electionẽ non meritis reddi, sed sola voluntatis munificentia donari hominibus, Moyses cum iam tunc quamuis carnalẽ populũ doceret, ostẽdit. &c.]

35 Et S. Leo serm. 7. de pass. *In saluandis*, inquit, *hominibus per crucem Christi, communis erat voluntas Patris, & filii, & commune consilium; nec vlla poterat ratione turbari, quod ante æterna secula & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum.* Vbi S. Pater vniuersim docet, consilium & decretum efficax de saluandis hominibus fuisse misericorditer adeoque non ex præuisis meritis dispositum.

Item B. Fulgentius lib. de fide ad Petrum (tom. 3. inter opera Augustini) cap. 3. [Omnes nos manifestari oportet, &c. vt scilicet qui mala egerunt, eant in cõbustionem æternam, cum diabolo principe omnium malorũ semper arsuri: qui verò bona fecerunt, eant in vitam æternam, regnaturi sine fine cum Christo, Rege omnium seculorum. Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua prædestinauit ad regnum. Quia n. tales prædestinãdo præparauit, vt regno digni essent, præparauit vtiq; secũdum propositum vocandos, vt obediant; præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant; præparauit etiam glorificandos, vt Christi cohæredes effecti, regnum cælorum sine fine possideant.] Vbi expresè docet B. Fulgentius, saluandos gratuita bonitate prædestinari ad regnum.

Et infra cap. 35. [Firmissimè tene, *inquit*, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionẽ mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo; neq; perire posse aliquem eorũ, quos Deus prædestinauit ad regnum cælorũm: nec quenquã eorum, quos non prædestinauit ad vitã, vlla posse ratione saluari. Prædestinatio n. illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei, per Iesum Christũ, in ipsum.] Vbi promiscuè Fulgentius vocat prædestinatos in adoptionem filiorum Dei, ad regnum cælorum, & ad vitam, item vasa misericordiæ gratuita bonitate facta. 36

Et rursum lib. de Incarnat, sub fin. *Deus*, inquit, *qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perseuerantiæ ad proficiendũ, atq; permanendũ, & donum glorificationis ad regnandũ, quibus dare voluit* (non debuit) *præparauit.*

Item B. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 35. aliàs 10. *Deus ergo*, inquit, *his quos elegit sine meritis, dat vnde ornentur & meritis. Et frustra dicitur, quod ratio operandi* (siue causa, cur bene operentur) *non sit in electis; cum etiam ad hoc operentur, vt electi sint.* Vbi absolutè docet Prosper, Deum eligere sine meritis: cum verò addit, nihilominus ad hoc operari, vt electi sint, sensus est, ad hoc operari, vt sint tales, quales electi sunt, seu quales electio postulat. Loqui autẽ B. Prosperum ẽt de electione ad gloriã, patet ex sequenti cap. 36. vbi ait: *Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione* (non) *fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii deuotio relaxatur: cũ implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum; & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur. Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio huius electionis abscondita est.* Ita Prosper. 37

Cum autem B. Prosper, & Fulgentius, S Augustini discipuli fuerint, & studiosi sectatores; sed & authorem Hypognostici, ac libri de prædest & gratia, circa S. Augustini tempora vixisse, & ex eo suam doctrinam hausisse credibile sit, vel hinc etiam valde probabile redditur, S. Augustinum in eadem fuisse sententia, vt dub. præced. dictum. 38

Insuper Ecclesia Lugdunensis circa annum Christi DCCCL. lib. aduersus Ioannem Erigenam Sco-

Digitized by Google

tum, longè ante med. tom. 2. Auctarii Biblioth. veterum Patrum, pag. 1071. eandem sententiâ apertè videtur tradere his verbis: [Consequens ergo omnino est, vt & illud, quod de Deo dicit Apostol⁹, Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, sicut est in prædestinatione Dei, ita rectissimè intelligatur esse in voluntate Dei, id est, vt quos prædestinauit Deus, æterna voluntate sua, ex omni genere humano electo, ipsos omnes velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: videlicet quia prædestinatio Dei ipsa est certissimè voluntas Dei, & sicut de voluntate Dei veraciter omnino ab Apostolo dictum est, Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat: ita & de prædestinatione Dei certissimè teneatur: scilicet quod æterna prædestinatione, sicut æterna voluntate sua Iacob dilexit, Esau autem odio habuit, & ex eadem massa fecit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam: sed illud bonitate sua, istud iusto iudicio suo; vt essent alii vasa iræ, alii vasa misericordiæ. Si itaq; disputator iste, iuxta veritatem doctrinæ Apostolicę, & sicut ipse sua argumẽtatione concluſit, hæc nobiscum fideliter & simpliciter teneat, nulla erit necessitas quæstionis, nullus exigetur labor syllogisticæ disputationis, sed sola in nobis regnabit tranquillitas pacis.] Vbi expresse sermo est de salute æterna, ad quam destinantur electi, quos aiunt à Deo factos vasa in honorem, sed bonitate, non iudicio Dei. &c.

39 Huc pertinet etiam, vt existimo, canon 25. Concilii Arausicani, vbi dicitur: *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Vbi Concilium non solum ad malum culpæ, sed etiam pœnæ ac æternæ damnationis respexisse videtur. Ac proinde hoc ipso, quod negat Deum prædestinasse aliquos ad malum etiam pœnæ, intelligere videtur prædestinationem, qua Deus ex se aliquem ante præuisionem meritorum destinarit ad pœnam: & quia è conuerso agnoscit, Deum prædestinare aliquos ad bonum tam gratiæ, quam gloriæ, indicat, Deum ex se ad hæc bona destinare.

40 Deniq; Concilium Valentinum in Gallia sub Lothario Imp. Anno DCCCLV. cap. 3. hanc eandẽ sententiã satis apertè tradit, vt agnoscit ẽt Vasquez disp. 89. c. 8. n. 59. [Sed & de prædestinatione Dei, *inquit Concilium*, placuit & fideliter placet, iuxta authoritatem Apostolicam, quæ dicit, An non habet potestatẽ figulus luti ex eadẽ massa facere aliud vas in honorẽ, aliud verò in contumeliaã?] Vbi & statim subiungit: [Quod si volens Deus ostendere iram, & notã facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta, siue præparata ad interitum, vt ostenderet diuitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Fidenterq; fatemur, prędestinationẽ electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tñ saluandorum misericordiã Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autẽ perituroru̇m meritum malum præcedere iustũ Dei iudicium. Prædestinatione autẽ Deum ea tantũ statuisse, quę ipse vel gratuita misericordia, vel iusto iudicio factur⁹ erat.] *Quibus verbis aperte dicitur*, in electione saluandorum (*nimirum ad vitam, vt supra dicitur, siue ad salutẽ æternã*) misericordiam Dei præcedere meritum bonum: ex quo sequitur, electionẽ illam priorem esse meritis bonis, adeoq; præscientiâ meritorum: etsi in prædestinatione impiorum ad mortẽ (nimirum æternam) prior sit præscientia meriti mali. Atque hæc ex Patribus satis, præter ea, quæ ratione quinta dicturi sumus.

Tertiò igitur probatur assertio ratione. Prima sumitur ex eo, quod intentio seu voluntas efficax finis, prior est electione & præuisione absolutâ mediorũ. Qua ratione vtuntur S. Thomas, Heruæus, Scotus, Durandus locis dub. præc. citatis: eamq;, vt cõtra exceptiones Vasquii disp. 89. c. 9. n. 76. & c. 13. & aliorum recentiorum, firma subsistat, ita formamus: Qui ordinatè, & naturis rerũ conformiter, sibi, aut alteri vult finem & media, prius efficaciter vult & intendit finem, quàm eligat aut præsciat media; si modò & finis ipse cum mediis sit in potestate eiusdem operantis; & finis ille simul sit quiddam secundũ æstimationem ẽt operantis potius, quam media: Atqui gloria habet se vt finis respectu meritorum, & est quiddam potius magisq; principaliter à Deo intentum, quam merita; nec dubium, quin vtraq; sint in potestate Dei plenissimè constituta: Ergo cum Dei voluntas respectu gloriæ & meritorum, sit optimè ordinata, & naturis rerum conformis, prior est in Deo intentio seu voluntas efficax gloriæ, quam præscientia, aut etiam electio seu prędestinatio meritorum seu mediorum. Minor & consequentia patet. 41

Maior probatur inductione in omni humana cõsultatione ordinata. Et ratio est, Quia hoc ipso, quod finis ille est quiddam principalius secundum æstimationem operantis, quã media, ita vt media expetãtur propter finem; quodq; ẽt media absolutè sunt in potestate operantis, sequitur finẽ esse magis volitum, & prius volitũ, quam præsciantur aut eligantur media. Perinde n. tunc se habet voluntas illa finis pro altero, sicut se habet volũtas efficax finis respectu nostri; seu qua nobis volum⁹ finẽ: quam priorẽ esse electione & præscientia meritorum, nec Vasquez cit. c. 13. negat, neq; à quoquã iure negari potest, vt dictũ dub. 2. Ea verò efficax voluntas seu intentio finis nostri non ob aliam causam prior est electione & præscientia meritorũ, nisi quia & finis ipse quiddam secundũ æstimationem nostrã principalius est, & magis volitũ, propter quod vtiq; volumus media; & quia simul in nostra potestate esse solẽt media, quib. possimus cõsequi finẽ. Quod adeo verum est, vt nonnunquam ẽt cum media non vsq; quaq; sunt in nostra potestate, sæpe tñ nihilominus prius velim⁹ & intendam⁹ efficaciter finem, quam præsciamus aut eligamus media, vt patet in iis, qui dignitatis alicuius consecutionẽ intendunt, nec tñ voluntatem Collatoris aut Electorum in sua potestate habent. &c. Quod tamen quia cum imperfectione coniunctũ est, Deo minimè tribuẽdũ est. 42

Et ideo dixi in illa Maiori primò, *Si modò finis ipse cũ mediis plenè sit in potestate operantis.* Hac n. ratione excluditur illa Instantia Vasquii c. 13. n. 16. Quando pater desiderat filium suum in Theologia doctũ euadere, & ex hoc desiderio tribuit illi omnia media necessaria, habet quidem voluntatem efficacem mediorum, siquidem illa tribuit; at non habet voluntatem efficacem finis, sed solum simplex desiderium: Hoc enim non ob aliam causam fit, vt ipsemet Vasquez ibidem fatetur, quã quia talis finis, 43

vna

vna cum omnibus mediis requisitis, eius potestati non subest: si autem parens hæc vtraque in sua haberet potestate, certe vti quisq; studios⁹ sibi ipsi efficaciter vult doctrinā prius, quā eligat media, ita hoc ipsum etiam faceret prudens quisq; parens erga filiū.

44 Dixi secundò, *Si modo finis ille secundum æstimationem operantis sit aliquid potius & principalius intentum, quam media*, Sic enim excluditur altera illa instantia Vasquii ibidem num. 117. & c. 9. n. 76. quam alii & recentiores frequēter inculcant; quod nimirū, si Rex aliquis proponat præmium aliquod certantibus, ea lege, vt nullus illo potiatur nisi victor, certè nunquā efficaciter decernat alicui dare præmium, quantūuis eum amet, & præmium ei desideret, antequā victorē videat; etsi possit quidem ei meliora arma, meliorem equū, & alia necessaria ad certamen tribuere &c. Respondeo, id quidem verissimum esse; sed causam nō esse, quod bonum illud certantibus pro fine propositum velit per modū præmii, nec quia præmiū illud est finis aliorum, non ipsius Regis, vt putat Vasquez loc. cit. sed quia præmium certantibus propositum, secundum æstimationē Regis, reuera non est aliquid potius & principalius intentum seu volitum, quam certamen & victoria, sed potius minus principaliter. Rex n. toto illo negotio nihil aliud sibi propositum habens quam aut suam recreationem, aut peritiam armorum in suis subditis, magis principaliter vult & intendit spectaculū, siue exercitiū certaminis (quod est medium propinquius fini intento) quam distributionem præmiorum: quam nec vult Princeps nisi secundariò & velut medium remotius, propter exercitationis studium acuendum; & insuper etiam ægrè nonnunquam post finitum certamen peragere solet; cum tamen ipso certamine magnopere fuerit delectatus. &c.

45 Secus sit in proposito. Cum enim gloria ex ipsa rei natura sit finis mediorum gratiæ, ideo secundū ipsam quoq; Dei voluntatem, est aliquid intentione principalius ac potius electione mediorū. Quod si Princeps quoq; magis æstimaret & intenderet distributionem præmiorum, quam certamen aut victoriam, certè prius efficaciter eam distributionem saltem generatim intenderet, quam certamen: quanquam nec hoc quidem casu vlli particulatim intenderet præmii consecutionem, quam sciret ipsum fore victorem; nimirum ob alteram illam causam antea positā, quia medium illud victoriæ ab ipsomet Rege ad eum finē requisitum non subiacet plenè ipsius potestati: at verò si ea ipsa victoria illius potestati plenè subiaceret, ac simul propter eam causam meliora arma, meliorem equum, & alia necessaria, ex quibus certa victoriæ consecutio depēderet, vni præ aliis tribueret, certissimum est, eum hoc ipso tunc etiam in particulari vni præ aliis voliturum præmium, etiam ante absolutam præscientiam victoriæ; quandoquidem non ob aliam causam eidem præ aliis ea media destinauit, ex quibus certò sequitur victoria, nisi quia prius eidem voluit victoriam. Ita verò accidere in proposito, mox sequenti ratione declarabitur.

46 Secunda igitur ratio est. Quisquis ad aliquem finem consequendum sibi vel alteri, sciens & prudens seligit & secernit media efficacia, qua talia sunt, & quibus ipse etiam præcognoscit se finem eiusmodi infallibiliter esse consecuturum, eum moraliter & iuxta consuetum operandi modum necesse est prius efficaciter intendisse finem: Sed Deus ad finem gloriæ saluandis acquirendum seu procurandum, sciens & prudens seligit & secernit media efficacia, qua talia sunt, puta gratiam congruam; quia congrua est, & qua iam ante per scientiā mediā præcognouerat, se finem huiusmodi infallibiliter consecuturum: Ergo Deus prius ratione & ante præscientiam absolutā eiusmodi mediorum, seu meritorum, efficaciter intendit & prædecernit electis finem gloriæ. Minor patet ex dictis supra dub. 1. nec eā negat Vasquez disp. 89. cap. 13. præsertim num. 127. & disp. 98. cap. 6.

Maior probatur, tum ratione, quia delectus & electio efficacium mediorum ad finē, qua talia sunt; non oritur nisi ex efficaci intentione finis: tùm inductione in omni planè materia. Nā si quis ad morbum depellendum inter plura media dubia, norit efficax remedium esse venæ sectionem, & ob eam ipsā causam ad eum finem seligat & secernat venæ sectionem tanquam efficax medium, is sanè hoc ipso ostēdit se prius efficaciter & absolutè, & non tantum sub conditione & inefficaci quadam voluntate voluisse sanitatē. Et similiter si quis Dominus aut parens, pro equestri certamine, ad parandum præmiū seruo aut filio, ex multis aliis speciali delectu secerneret equum & arma, quibus nosset infallibiliter, seruum illū aut filium præmium esse consecuturum, is sanè eo ipso ostenderet, se prius efficaciter eidē voluisse præmiū, etiam ante præuisionem absolutam pugnæ & victoriæ &c. Quod verò id ordinariè non accidat; causa est, quia Dominus aut parens talem equum aut arma concedens, non infallibiliter nouit, iis rebus vtentē victoriam consecuturum: quare prudenter non solet aut potest, ante præuisionem absolutam victoriæ, ei efficaciter præmium velle. 47

Nec video planè, quid ad hoc argumentū responderi possit, nisi quis, vt nonnulli recentiores faciunt, neget minorem; ad quam negationem illi consecutione quadam, ex illa sua, quam post præuisionem meritorum docent prædestinatione, necessario inducti sunt; contra quos tamen supra dub. 2. efficaciter disseruimus, præterquam quod nec ipsi negant, subinde pro multis sanctis specialia eiusmodi & efficacia auxilia gratiæ fuisse selecta: ex quo sequitur, saltem hos fuisse ad gloriam electos ante præuisa merita; certè plures longè, quam quos ipsi ita electos assignarunt. 48

Sed & abstrahendo ab illa controuersia de selectione mediorum efficaciū, potest tertiò alia ratione, paucis terminis mutatis, eadē assertio confirmari in hunc modum. Quisquis ad finem aliquem consequendum sciens & prudēs adhibere decernit ea media, quibus antea infallibiliter nouerat, se finem consecuturum, si ea adhiberet, is hoc ipso certè, etiam ante præuisionem absolutam mediorum, efficaciter eum finem intendit: Sed Deus ad cælestem beatitudinem saluandis procurandam, sciens & prudēs pro iisdem decernit ea gratiæ auxilia, quibus antea per scientiam mediam nouerat, infallibiliter futurum, vt beatitudinem illi consequerentur, si eis obtingerent: Ergo hoc ipso etiam ante præuisionem absolutam mediorum, efficaciter eis intendit beatitudinem. Minor constat. Maior probatur. Quia efficaciter finem intendere nihil aliud esse videtur, 49

Digitized by Google

quàm velle per media efficacia (seu quæ efficacia futura nouit) finem reipsa consequi. Nec ad hoc quicquam responderi potest; nisi fortè dicendo, talem virtualiter solum, non formaliter habere efficacem intentionem finis: quod tamen ipsum etiam contra aduersarios facit; quandoquidem moraliter loquendo ad præsens institutum, idem ferè est, virtualiter, & formaliter finem intendere. &c.

50 Quarta ratio est. Si Deus nos gratis, & ante præuisionem absolutam futurorum, prædestinauit ad gratiam congruã finalem, seu cum actuali perseuerantia infallibiliter coniunctam, tum nulla ratio est, cur nõ etiam gratis prædestinarit ad gloriam: Sed verum est antecedens &c. vt tum ex Scriptura, SS. Patribus, ac præsertim Augustino hic & q. 4 dub. 5. & satis ẽt agnoscit Vasquez disp. 89 n. 111. & 127. & disp. 91. c. 17. & 18. & d. 98. c. 4. quando primam gratiam congruam prædestinatorum propriam, absque causa ex parte nostra, & ante præuisionem absolutã, prędestinari, ex cõmuni docet. Maior probatur Quia moraliter idem sunt gratia congrua electorũ propria, infallibiliter coniunctam habens perseuerantiam finalẽ; & ipsa perseuerantia finalis; sicut & perseuerantia finalis, moraliter idẽ quasi est cũ consecutione ipsius gloriæ: Si ergo hæc præfiniuntur ante præuisionem cooperationis nostræ, quidni ẽt gloria? præsertim cũ si vnus ex vltimis effectibus gratiæ decernitur, ante præuisionem absolutã meritorũ seu mediorum, nulla ratio sit, cur id negetur de vltimo, vt sæpi⁹ dixim⁹.

51 Quinta ratio est. Inter varias sententias de prædestinatione, ea sententia, cæteris paribus, præferenda est, quæ cum reprobis nulla ex parte prẽiudicet, magis & diuinæ prouidentiæ perfectionem decet, & naturis rerum congruit, & gratiam, amorem, ac beneuolentiam Dei gratuitam erga prædestinatos quoslibet magis cõmendat: Sed hoc facit hæc nostra sententia, de gratuita prædestinatione ad gloriam, ante præuisa merita. Ergo &c. Maior facilè conceditur, quia talis sententia hoc ipso facit ad exaltandam magis diuinam gloriam, & excitandum in nobis gratitudinis simul & humilitatis affectum.

Minor probatur & declaratur. Primò enim cætera esse paria, ex dictis patet. Quia hęc nostra sentẽtia, siue authoritate, siue ratione agatur, nulli alteri est secunda: imò vt probatũ est, & magis patebit ex solutione argumentorum, Scripturæ sacrę, S. Augustino, aliis Patribus, Scholasticis, ac rationi multò magis consentanea est, quàm vlla ex oppositis sentẽtiis.

52 Secundò eam reprobis nullo modo præiudicare, ita declaratur. Inprimis n. in iis optimè tuetur libertatem & facultatem salutis consequendæ, vt sequenti dubio, & q. 6. dub. 3. manifestum fiet. Deinde eundẽ in Deo erga reprobos affectum beneuolentiæ tuetur ac defendit, quem & opposita sententia eidẽ tribuit: nimirum tum affectum simplicem, quo Deus omnibus hominibus ẽt reprobis vult gloriam; tum voluntatem conditionatam, qua Deus omnibus hominib⁹ seu creaturis intelligentibus vult gloriam reipsa conferre, si aut ipsi sibi, aut eis alii destinata, & in cõmune omnibus proposita & prouisa media applicarent: denique voluntatem antecedentem eorum mediorum, quibus etiam reprobi possent saluari. Quam triplicem solam, & non aliam vtiq; voluntatem salutis erga reprobos, oppositæ sententiæ authores Deo tribuunt; nec minus libenter etiam nos ipsi iuxta nostrã sententiam Deo tribuimus, vt dictum assert. 1. & magis patebit assert. 3. Quid ergo plus beneuolentię diuinæ erga reprobos tribuunt oppositæ sententię authores, quod nos ipsi non etiam tribuamus? hoc solũ excepto, quod eis non concedimus eam prærogatiuam beneuolentiæ diuinæ, quam cum electis quidẽ nos tribuamus, ipsi tamen Deo ẽt circa electos denegant, nimirum prædestinationem ad gloriam ante præuisionem meritorum, vt mox dicemus.

Tertiò magis consentaneam esse hanc sententiam 53
diuinæ prouidentiæ, perfectioni, & naturis rerum, probatur; quia perfectior est prouidentiæ ad finem aliquem perducentis modus; si quis ex seipso, nõ expectata quasi & emendicata prius alterius operâ, ipsum ad finem efficaciter destinet; quam si quis eam destinationem quasi precario ab altero dependentem habeat: deinde hic modus agendi naturis rerum & consuetæ prouidentiæ humanæ est conuenientissimus; vt prius scilicet efficaciter intendatur finis, quàm procurentur media, sicut diximus.

Quartò magis etiam commendare amorem Dei erga prædestinatos, ex eo patet, quia cæteris paribus, maioris est beneuolentiæ, ex se ipso & gratis alicui velle efficaciter bonum aliquod, quàm ob merita; maioris enim amoris est, gratis & liberaliter, quàm ex debito velle alicui idem bonum; magis etiam ad commendationem diuinæ gratiæ, nostramq; subiectionem erga Deum facit, si fateamur, in ipsa ẽt prædestinatione ad gloriam, nihil nos Deo priores quodammodo contulisse, sed gratis tantum ab eo beneficium nobis fuisse prædestinatũ: atqui iuxta nostrã sententiam, Deus nulla re à nobis prius oblata, etiam efficaci voluntate, ante præuisa merita, gratis & liberaliter vult prædestinatis gloriam; ex opposita autem sententia non nisi ex debito, nec nisi post præuisa & accepta quasi prius nostra merita &c. Ergo &c.

Sexta ratio est. Si n. sententiam illam de prædestinatione ad gloriam ex præscientia meritorũ, siue ex præuisis meritis, defenderunt olim ac propugnarunt Massilienses, contra S. Augustinũ; Augustin. aũt cõtra eos dẽ oppositũ sensit, tum ea certè meritò postponitur oppositæ sententiæ; sed verũ est antecedẽs: Ergo &c. Maior patet ex dictis suprà hoc dub. quia tametsi non omnis omnino doctrina Augustini, quã in disputatione contra Massilienses, aut ẽt Pelagianos tradit, tanquã de fide certa à Põtificibus & Conciliis sit approbata & definita, neq; fortè ab ipsomet Augustino ea vniuersim certa ex fide existimata fuerit, sed ea solum, quę per se & ex instituto contra eos fuit controuersa, gratiæ necessitatem respiciens; tamen Augustini doctrina in hac re cuicunq; oppositæ doctrinæ iure optimo præfertur, vt ibidem dictum. 54

Minor præter ea, quæ dub. præced. pro Augustini 55
sententia retulim⁹, probatur ex epistola Prosperi ad Augustinũ, quæ præfigitur libro Augustini de prædest. sanct. vbi ita Prosper Massiliensium sententiam refert. [Hæc, *inquit*, ipsorũ definitio ac progressio est; omnẽ quidẽ hominẽ Adam peccante peccasse, & neminẽ per opera sua, sed per Dei gratiã regeneratione saluari, vniuersis tñ hominib. propitiationẽ, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, vt quicunq; ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salui esse possint. Qui autẽ credi-

turi

turi sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda, mansuri sunt, præsciisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit.] Quæ sententia tota, excepto eo, quod obiter simul verbis illis, *quæ deinceps per Dei gratiam sit iuuanda*, indicatur, Massilienses fidei ac salutis initium libero arbitrio adscripsisse, est illa ipsa sententia, quam oppugnamus, nimirum prædestinationem ad regnum cœlorum (de hoc enim etiam expressè loquuntur prædicta verba) esse ex præscientia dignitatis, & meritorum, ac perseuerantiæ.

56 Cui mox ibidem opponitur contraria Augustini sententia, his verbis: [Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reijciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in vtramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tolliq; virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem; aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse, quàm factus sit.] Quibus verbis, vt in oppositis & contradictorijs sententijs, affirmatio & negatio sit de eodem, id quod ex Augustini sententia refertur, secundum quod placuit Creatori, alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ esse creatos, intelligendum est etiam de honore Regni, seu sempiternæ gloriæ, de qua antea in referenda Massilienſium sententia etiam sermo erat, vt dictum. Sed & quia auctores electionis ad gloriam ex præuisis solum meritis, ijsdem planè argumentis nostram sententiam impetunt, quibus Augustini sententiam à Massilienſibus oppugnatam fuisse hoc loco retulimus, vt sequenti dubio patebit, colligitur, nostram sententiam eandem cum Augustini; oppositam verò, quantum præcisè attinet ad electionem ad gloriam ex præuisis meritis, & promiscuam gratiæ prædestinationem, eandem cum Massilienſium sententia fuisse: quod nonnulli etiam ex ipsis eius sententiæ authoribus agnoscunt.

57 Denique idem colligitur ex alijs verbis eiusdem Prosperi ibidem, quando Augustini sententiæ ex sensu Massilienſium obijcit & opponit aliorum Patrum authoritatem. *Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par inuenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumelia fecerit, quia finem vnuscuiusq; præuiderit, & sub ipso gratia adiutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Et paulò superius petit etiam ab Augustino explicari Prosper, *vtrum præscientia diuina quodam ordine sit subnixa proposito, vel contra: aut cum quodam discrimine in paruulis solum Dei propositum, in adultis verò etiam præscientia videatur existere, &c.* Vbi quod obijcitur Augustino, pleroſque Patres cæteros propositum & prædestinationem Dei nonnisi secundum præscientiam recepisse, inprimis etiam de prædestinatione ad gloriam videtur intelligendum: licet Augustinus nunquam admittat, eos sibi hac in re contrarium docuisse, vt seq. dub. dicetur. Similia habet Hilarius in subsequente ibidem epistola. Plura dub. seq.

His accedit denique, quod *Christus ipse lumen* (& exemplar) *prædestinationis & gratiæ nostræ, nullis humanis præcedentibus meritis, cum ipse sit homo, liberator factus est hominum*, vt argumentatur etiam Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 12. & 15. Et lib. de bono perseuer cap. 24. ait idem Augustinus: *Qui ergo hunc fecit ex semine Dauid hominem iustum, qui nunquam esset iniustus, sine vllo merito præcedentis voluntatis eius, ipse ex iniustis facit iustos sine vllo merito præcedentis voluntatis ipsorum, &c.* 58

Assertio IV. Potuit tamen Deus absolutè omnibus prædestinare gloriam primum post præscientiam meritorum; eamque potentiam, coniunctam cum voluntate saluandi conditionata, erga cæteros, qui gratis ab initio prædestinati non sunt, habet & retinet, etiam suppositâ primâ illâ prædestinatione gratuitâ. Hanc assertionem constituo ex mente auctorum secundæ sententiæ; quamuis oppositum videatur persuasum nonnullis, qui ex sola per se natura rerum assertionem præcedentem sibi videntur euincere. Scotus tamen quia, vt dub. præced. retuli, suam illam sententiam solum vt probabiliorem tuetur, non videtur ab hac assertione admodum alienus, quam inter alios etiam tradit Suarez lib. 1. de prædest. c. 12. n. 16. & apertè etiam Marsilius in 1. q. 41. art. 2. vbi ait: *Prædestinatio non sic transit in præteritum, quin Deus possit prædestinare eum* (reprobum) *ex meritis, & gratiæ concessione, cui tamen nunquam concedet, &c.* Idē ex mēte Scoti, cum Licheto, expressè tradit Bargius in 1. d. 41. q. vn. referēdus infra q. 7. dub. 1.

Ratio primę partis est quia assertio illa, quod Deus reipsa gratis omnes prædestinarit, nititur quidem 59 non solum authoritate & reuelatione, seu doctrina sacræ Scripturæ, & SS. Patrum ac Doctorum, sed etiam ratione ex natura rei petita, vt ex dictis colligitur; at verò solū facta suppositione duplici, quarum vtraque per absolutam Dei potentiam abesse potuit. Prima, quod Deus accommodatè naturis rerum, & non præter consuetum rerum ordinem, tam gloriam, quàm media ad gloriam, saluandis decreuerit; nimirum illam potius, & hæc propter illam, cum tamen Deus, vtpote liber in volitione efficaci rerum creatarum, vt dictum disp. 2, quæst. 5. dub 5. absolutè loquendo potuerit velle potius merita seu media, quàm gloriam: sicut Rex potius ac principalius vult certamen, quam distributionem præmij, quod certantibus proponit. Altera hypothesis est; quod Deus ex singulari amore ac beneuolentia erga saluandos, peculiari prouidentia voluerit & selegerit illis gratiam congruam prædestinatorum propriam, cum tamen absolutè potuisset communi & ordinaria solum prouidentiâ, obuia, & secundum communem cursum rerum occurrentia quælibet, siue con-

Digitized by Google

grua, siue efficacia eis auxilia gratiæ promiscuè decernere.

60 Ratio secundæ partis est; tum quia, vt benè aduertit Bargius loco citato. Deus in eo signo erga non prædestinatos tantum *se habuit negatiuè; & ideo nihil positum est prædestinationi eorundem repugnans*, saltem antecedenter. Tum quia decretum gratuitum prædestinationis, licet ad tot & tales personas particulares determinatum sit, non tamen includit, nec virtute etiam continet absolutum decretum cæteros à gloria excludendi: quare cum Deus aliàs habeat voluntatem conditionatam saluandi omnes, vt assertione 1. dictum est, nec verò Dei voluntas aut potentia mutetur, fit vt eam voluntatem habeat & facultatem, etiam suppositâ prædestinatione illâ gratuitâ: quæ formaliter vt sic, & in actu signato non est de omnibus saluandis, cum exclusione cæterorum; quasi Deus formaliter intenderit omnes saluandos nonnisi gratis prædestinare, nec vllum vellet saluare etiam conditionata voluntate, nisi gratis prædestinatum; sed terminatur ad omnes saluandos, quasi consecutiuè & à posteriori; quia præter hos, etsi plures possent, reipsa tamen nullus saluatur, vt à posteriore & ex reuelatione potissimum colligitur; quo sensu fortasse Scotus loc. cit. dixit, positis illis negationibus, *Iudam fore finaliter peccatorem*, de qua re plura dub. seq. & infra quæst. 7. dub. 4.

61 Assertio V. Sed & præter prædestinationem seu electionem primam ad gloriam, ante præuisionem meritorum factam, & ad intentionis ordinem spectantem, datur alia in Deo quasi electio seu voluntas efficax conferendæ gloriæ, post præuisionem meritorum, ad executionis ordinem pertinens. Ita docent Bellarminus lib. 2. de grat. & liber. arbit. cap. 14 & Suarez hic lib. 1. cap. 8. num. 50. & lib. 3. de auxil cap. 18. num. 4. & consentiunt communiter Thomistæ recentiores; atque est ex mente omnium, qui defendunt primam electionem ad gloriam ante præuisa merita; eandemque assertionem iam superius etiam supposuimus & explicauimus partim dub. 3. partim dub. 1. assertione 3. ex quibus etiam breuiter probatur assertio. Primò quia quando finis reipsa obtineri non potest, etiam post omnia cætera media adhibita, absque speciali applicatione voluntaria eius, qui finem sibi vel alteri intendit, vti in proposito accidit, vniuersim necessarium est, ad finem reipsa consequendum, vt post primam intentionem finis, alia concipiatur voluntas executiua & applicatiua finis; vt superius dictum quæstione 10. dubio 5. assertione 9. Secundò; quia constat Deum reipsa conferre gloriam ex præuisis meritis; ergo habet æternam voluntatem gloriam ex præuisis meritis conferendi; quæ voluntas non potest non esse posterior præuisione meritorum, cum hanc veluti rationem seu conditionem supponat.

62 Tantum abest, vt ea duplicis voluntatis distinctio solum effugij causa sit excogitata, vt pluribus dictum dub. 2. assert. 3. & supra q. 10. dub. 5. Taceo electionem illam quasi externam & transeuntem, qua reipsa denique inter saluandos & damnandos fit discretio, iuxta illud Matth. 12. v. 49. *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, &c.* Plura loc. citatis.

Meminit etiam duplicis eiusmodi electionis Augustinus cum in alijs locis, vt dictum dub. 3. tum lib. de prædestinat. Sanct. cap. 17. vbi ait: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua* (veluti causa) *Deus sua futura facta præsciuit: electi autem sunt de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinauit impleuit.* Vbi expresè ponit Augustinus aliam electionem, vt ita dicam quasi prædestinatiuam, aliam executiuam, qua Deus id quod prædestinauit impleuit.

Verum præter ea, quæ locis citatis dissoluimus, 63
obijcitur primò. In locis Scripturæ similibus, vt Roman. 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Et 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*, præparatio pertinet ad voluntatem prædestinantem: Ergo & in alijs Scripturæ, aut SS. Patrum locis.

Secundò talis distinctio voluntatis prædestinantis & exequentis non datur circa gratiam: ergò nec circa gloriam.

Tertiò. Si licet ita distinguere & diuidere diuinam voluntatem in prædestinatione, licebit etiam circa reprobationem ponere in Deo duplicem voluntatem; vnam exequentem, quæ respiciat futura peccata; alteram prædestinantem, seu potius reprobantem, quæ antecedat præuisionem peccatorum. Hæc autem secunda voluntas sapit Caluinismum.

Ad primum respondeo, negando consequentiam: quia cum in ipsa Scriptura, & apud SS. Patres, quibusdam locis prædestinatio, seu præparatio ad gloriam tribuatur gratuitæ Dei misericordiæ; vt in ipso etiam citato loco Rom. 9. in alijs autem præparatio & collatio gloriæ tribuatur præuisis meritis, vt ex dictis constat, meritò in Scriptura & Patribus distinguitur duplex ista voluntas in Deo; ad quam vtramuis diuerso modo referri potest etiam citatum illud 1. Cor. 2. nimirum ad prædestinantem; si illud, *qui diligunt illum*, accipiatur non causaliter, sed per appositionem & materialiter, seu consecutiuè: aliàs ad exequentem. 64

Ad secundum respondeo, diuersam esse rationem gratiæ & gloriæ; quia cum gratia prædestinatorum propria, in ipsa etiam executione non tribuatur meritis, nulla potest circa illam distingui voluntas executiua ex præuisis meritis; secus est de gloria, vt dictum.

Ad tertium negatur sequela; loquendo de repro- 63
batione simpliciter & adæquatè. Ratio discriminis manifesta est. Quia cum Deus sit infinita bonitas, nemini ex se & ante præuisionem demeritorum vult damnationem: sicut ex se & ante præuisionem meritorum vult gloriam. Si autem solum loquamur de reprobatione negatiua, seu inadæquatè, tum sanè præter eam (positiuam) quæ ex præuisis meritis facta est, licebit distinguere aliam (negatiuam) priorem præuisione meritorum; neque hæc doctrina sapit Caluinismum; sed sonat & tuetur Apostolicum illud Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, &c.* vt pluribus dicetur q. 7. dub. 3. & 4.

Assertio VI. Prædestinatio ad gloriam, seu pri- 66

ma vo-

ma voluntas efficax gloriæ conferendæ, de qua loquimur, quatenus ratione prior est præscientia & ordinatione mediorum, in primo illo rationis signo, non fuit planè abstracta, & quasi confusa ac generalis; nec ex parte saluandorum, abstrahens scilicet à personis saluandis in particulari; nec ex parte modi conferendæ gloriæ, quasi Deus in primo signo præcisè voluerit dare illis hominibus gloriam, nihil statuendo de eius conditione, an gratis vel non gratis esset danda: sed fuit voluntas efficax dandi gloriam saluandis in particulari, idque vel per modum coronæ & præmij adultis, vel gratis & merè liberaliter paruulis. Ita Suarez lib. 3. de auxil. cap. 19. à num. 25. & quoad primam partem est communis Doctorum. Quamuis enim Heruæus in 1. dist. 41. quæst. 1. a 1. citatus dub. 3. vti & Durandus in 1. d 41. q. 1. num. 6. quem inferius ad verbum refero dub. 10. in fin. dixerint, Deum in priori aliquo signo solum habuisse voluntatem conferendi gloriam aliquibus indeterminatè (quod ferè etiam sentit Molina q. 23. a 5. d. 1. memb. 8. citatus verbatim dub. 2. nec sanè videtur absurdum & improbabile) apertè tamen ijdem interim simul in aliquo posteriori signo concedunt gratuitam prædestinationem ad gloriam, etiam ad certas personas determinatam, de qua in proposita assertione loquimur, cum S. Thoma quæst. 23. art. 7. Ratio est. Quia negari non potest, certum esse Deo numerum prædestinatorum, tam formaliter, quam materialiter; ita vt Deus in aliquo signo particulatim præfiniuerit omnes & singulos saluandos: at verò hæc prædefinitio & determinatio non est facta primum post præuisionem meritorum, seu mediorum, vt probauimus assert 3. Ergo datur in Deo particularis & determinata electio singulorum ad gloriam ante præuisa merita; de qua loquimur.

67 Secunda pars probatur eadem ratione. Quia alias sine causa sufficiente, & absque necessitate, Deo tribuitur abstracta eiusmodi voluntas, & secundum ipsam etiam rationem intentionis confusa, ex parte modi conferendi gloriam; cum tamen interim æquè facilè & conuenienter tribui Deo possit in eo instanti voluntas determinata, ex parte obiecti, conferendi gloriam, nimirum aut per modum præmij, aut per modum liberalis doni. Accedit quod ex opposita ratione fatendum esset, stante eo præciso decreto dandi gloriam electis, eos consecuturos esse gloriam, etiamsi non haberent merita, quandoquidem non fuit impossibile, etiam stante priori illo decreto, Deum non habere posterius illud decretum circa merita: etsi itidem abstracta illa voluntatis ratio in Deo, non sit planè absurda aut improbabilis, nec vllam mutationem decreti diuini, aut repugnantiam inuoluat, vt rectè etiam docet & declarat Suarez loc. cit. num. 26.

68 Ex quibus etiam sequitur tertia pars assertionis; quæ ita vlterius declaratur. Nam quia Deus scientia media cognouit omnes omnium hominum ætates, mores, voluntates, vias & exitus, sub hac vel illa conditione futuros, facilè in instanti, eodemque rationis signo, poterat sibi certum numerum saluandorum deligere, quibus per modum intentionis in primo illo signo vellet gloriam, siue per modum præmij & coronæ, siue per modum liberalis doni.

Neque verò hinc sequitur, decretum illud supponere aut præscientiam meritorum, aut electionem formalem mediorum seu meritorum: sed solum virtute & implicitè includere voluntatem dandi merita ei, qui ita prædestinatur ad gloriam: ex qua mox postea sequitur formalis electio & determinatio mediorum & meritorum, per quam scilicet Deus decernit homini cõferre in particulari etiam merita, omnemque gratiam & auxilia necessaria & accommodata, vt infallibiliter per merita tot, tanta, & talia obtineat illam coronam.

Multò minus sequitur, prædestinationem illam 69
ad gloriam non fuisse gratuitam: quia voluntas destinans alijs bonum aliquod per modum præmij potest esse gratuita, tametsi obiectum eius voluntatis, quod est collatio boni per modum præmij seu mercedis, non sit gratuita, sed oneroso titulo facienda; & præstari adeo potest alteri gratia in ipsa destinatione rei oneroso titulo conferendæ, licet actualis collatio non sit gratia, vt quotidie videmus tum in destinatione liberali Principis, qua certantibus & vincentibus præmium destinat, tum etiam in ipsa conductione operarum; gratis enim & planè liberè concipimus voluntatem hunc vel illum operarium conducendi; ac sæpe ea re præstatur magnum beneficium & gratia conductis; neque tamen gratis confertur, aut in ipsa executione gratis conferenda decernitur merces operarijs conductis, vt rursum dicetur dub. seq.

Cum ergo hæc ratio prædestinandi ad gloriam, & 70
secundum se (quantum præcisè ad rationem intentionis spectat) perfectissima sit, & facilè intelligi possit, nec vlla prematur difficultate; quia nec sequitur, aut gloriam gratis esse dandam, ex vi illius, neque mutari decretum diuinum, si iustitia exigatur, neque dandam esse gloriam ex vi illius decreti, si non habeantur merita, siquidem tunc non posset esse præmium aut corona iustitiæ, merito modus hic prædestinandæ gloriæ cæteris præfertur, vt benè Suarez.

Dices. Aut hæc voluntas gloriæ conferendæ per modum coronæ & præmij continet saltem implicitè determinatam electionem mediorum; aut continet solum indeterminatam voluntatem meritorum. Non primum, quia voluntas gloriæ conferendæ etiam tali gradu certo & determinato per modum præmij, indifferenter se habet ad varios meritorum modos & rationes, quibus ea executioni mandari potest. Nec secundum; quia tunc voluntas illa esset confusa ex parte meritorum, &c.

Respondeo, continere solum voluntatem conferendi tot vel talia media, quot vel qualia sufficiunt ad destinatum gradum gloriæ, vt probat adducta ratio. Neque absurdum est, voluntatem respectu alicuius obiecti, in aliquo rationis signo, non esse determinatam in Deo; vt dictum dub. 2. & rursum dicetur dubio decimo, præterquam quod ex nostra sententia voluntas illa conferendæ gloriæ per modum præmij, sit planè determinata in ratione intentionis, nec ea ratione, & abstrahendo ab electione mediorum, magis determinari possit.

Assertio VII. Quæ hactenus de prædestinatione hominum in natura lapsa dicta sunt, seruatâ 71

pro-

proportione, etiam de prædestinatione eorundem in statu naturæ integræ, atque etiam de prædestinatione Angelorum intelligenda sunt. Hanc assertionem contra quosdam, qui hîc aliqua distinctione vtuntur, tradit Suarez hic lib. 1. de prædestinat. cap. 9. numero 2. 4. & 11. ex communi sententia auctorum, quos dubio præcedenti tertio loco pro nostra sententia, seu gratuita prædestinatione ad gloriam retulimus: vniuersim enim isti de prædestinatis loquuntur; neque inter eos, aut statum vtrumque naturæ lapsæ & integræ distinguunt. Rationes etiam & authoritates vtrinque sunt vniuersales; nec potest congrua aliqua diuersitatis ratio assignari. Neque verum est, Augustinum lib. de corrept. & grat. cap. 10 & 11. de Angelis, & alibi passim de hominibus in statu naturæ integræ oppositum docere; eamque esse ferè communem eruditorum apprehensionem, &c. hæc enim omnia absque fundamento dicuntur. Certè S. Thomas hic quæst. 23. artic. 1. ad 3. dum ait: *Prædestinari conuenit Angelis, sicut & hominibus*, satis significat, se in hac materia, ac speciatim postea artic. 4. vbi electionem ad gloriam priorem facit prædestinatione mediorum, generatim de omnium tam Angelorum, quàm hominum prædestinatione loqui. Sicut etiam vtrorumque in ordine ad gratiam eandem rationem esse indicat S. Thomas quæst. 20. artic. 4. ad 2. quicquid Ockam, Gabriel, & Catharinus dubio præcedenti, pro secunda sententia citati vniuersim negent, Angelos ante præuisionem meritorum fuisse prædestinatos ad gloriam; cum tamen de quibusdam hominibus id concedant: & quicquid etiam alij nonnulli quosdam ex Angelis ita prædestinatos dicant, alios non item; apud Suarez loco citato. Ratio specialis quoad statum naturæ integræ & lapsæ, est, quia prædestinatio hominum etiam in statu naturæ lapsæ viuentium, facta est ante præuisionem peccati, vt dicetur dub. 8. non est ergo diuersa ab ea, quæ fuisset in statu naturæ integræ, siue Iustitiæ originalis. Plura dubio sequenti.

DVBIVM V.

Qua ratione diluendæ sint obiectiones contra gratuitam prædestinationem ad gratiam & gloriam.

Ad S. Thom. 1. p. q. 23. a. 5.

EXplicata veriori sententia de Prædestinatione, & suppositis quasi fundamenti loco ijs, quæ hac quæst. dub. 1. 3. & 4. & disput. 2. quæst. 5. dub. 5. docuimus, diluendæ sunt obiectiones, quæ aduersus eam obijciuntur à contrariæ sententiæ authoribus; quæ duplicis sunt generis. Quædam solum impugnant gratuitam prædestinationem ad gloriam: aliæ ex æquo impugnant tum gratuitam prædestinationem ad gloriam, tum etiam discretionem & selectionem gratiæ congruæ, electorum propriæ. Prioris generis referuntur & opponuntur à Vasquio disp. 89. cap. 2. 3. 6. 7. 9. 11. posterioris generis ab alijs.

Primò igitur contra hanc gratuitam prædestinationem ad gloriam obijciuntur omnia illa Scripturæ loca, quibus & vita æterna tanquam merces destinatur rectè operantibus, & simul etiam docetur, gloriam à Deo reipsa conferri ob præuisa aut exhibita merita, vt Matth. 25. *Venite benedicti Patris, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi: Esurijui enim, & dedistis mihi manducare.* 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* Quæ sola Scripturæ loca obijcit Vasquez disp. 89. cap. 2. 1

Respondeo primum, vitam æternam tanquam præmium & mercedem destinari posse, ac reipsa fuisse prædestinatam etiam ante præuisa merita, vt dictum dubio præcedenti, assertione 6. Respondetur secundò, ijs locis solum probari, in Deo esse voluntatem & propositum, seu destinationem animi, qua ab æterno voluerit conferre gloriam adultis ob præuisa vel exhibita merita, puta propter eleemosynam, dilectionem, fidem, &c. id verò propositum solum ad ordinem executionis spectare, nec excludere aliud prius propositum prædestinationis ad ordinem intentionis pertinens, quo Deus gratis, & ante præuisionem meritorum decreuerit conferre saluandis omnibus gloriam, dictum dub. præcedent. assert. 5 & dub. 3. in explicatione sententiæ S. Augustini, & generatim supra disp. 2. quæst. 5. dub. 5. Accedit, quod primus locus potius faueat nostræ sententiæ, vt dictum dub. præced. assert. 3. Sed & tertius locus potius nostræ sententiæ patrocinatur. Neque enim Apostolus docet, diuites in fide fuisse electos, vt essent hæredes regni, vti indicat Vasquez, sed pauperes in hoc mundo fuisse electos, tum vt essent diuites in fide, tum vt essent hæredes regni. Sicut ergo gratis electi sunt, vt essent diuites in fide, quod nemo negat, ita etiam existimandum est, gratis fuisse electos, vt essent hæredes regni.

Dices primò. Si Deus semel priori aliquo decreto voluntatis decreuit saluandis gloriam gratis, tum non poterit non etiam in executione gratis eam conferre: idipsum enim fit, quod Deus decreuit. Quare nonnulli dixerunt, primam electionem gratuitam ad gloriam, contradictoriè opponi posteriori illi, quæ est ex præuisis meritis. Respondetur cum Suarez hic lib. 1. cap. 8. numer. 26. æquiuocationem manifestam committi in argumento circa vocalem *Gratis*. Si enim appellet in antecedente obiectum diuinæ voluntatis, videlicet gloriæ collationem, ita vt sensus sit, Deum decreuisse priori illo decreto gloriam conferre gratis, vera est sequela, si autem solum appellet actum liberum, seu decretum diuinæ voluntatis, ita vt sensus sit, Deum gratis & ante præuisionem meritorum eodem illo decreto decreuisse gloriam, etsi non gratis conferendam, falsa est sequela. Et hoc posteriori solum sensu dictum est, gratis & absque præuisis meritis prædestinatam gloriam: siquidem Deus ipsius gloriæ collationem in ipsa executione gratis faciendam nunquam adultis prædestinauit: imò potius etiam priore illa voluntate seu decreto prædestinationis Deum decreuisse 2

adul-

adultis gloriam tanquam mercedem seu præmium, iam antea diximus dub. præced. assert. 6. Quare nulla planè est contradictio, Deum habere decretum gratuitum conferendi gloriam, seu absolutè, seu tanquam præmium & mercedem cum voluntate saltem implicita meritorum; & habere aliud decretum ratione posterius quasi executiuum conferendi gloriam ex præuisis meritis: quia decreta illa non sunt contradictoria ex parte obiecti; quia conferre gloriam absolutè, aut etiam per modum præmij vel mercedis, & conferre gloriam ex præuisis meritis, non sunt contradictoria, sed disparata & subordinata. Vti prima destinatio Principis proponendi brauium viriliter certantibus & vincentibus est gratuita; tametsi voluntas executiua conferendi præmium post peractum certamen & reportatam victoriam non est gratuita, sed iusta, & ex debito, vt sæpius dictum.

3 Dices secundò. Deus ita rem ab æterno definit faciendam, sicut in tempore facit, & contra; iuxta Fulgentium lib. de Incarnat sub fin. vbi ait: *Deus non aliter perficiet in opere, quàm in sua sempiterna atq; incommutabili habet voluntate dispositum.* Ergo si Deus gratis ab æterno hominem prædestinat ad gloriam, etiam in tempore gratis eidem conferet gloriam: quod est falsum.

Respondeo antecedens verum esse, si vocula *ita*, dicat similitudinem ex parte obiecti, non autem est verum, si dicat similitudinem ex parte actus: longè enim alia ratio est actus diuini in se spectati, quàm executionis in tempore: ille enim infinitus est & æternus, hæc finita & temporalis: ita in præsenti ille gratuitus est, si de prima prædestinatione ad gloriam loquamur, collatio autem ipsius gloriæ in tempore iusta & debita: Secus est de voluntate executiua, cuius in proposito par est ratio cum executione.

Secundò speciatim obijciuntur illa Scripturæ loca, in quibus præscientia diuina anteponitur prædestinationi. Vt Rom. 9. *Quos præscijuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscijuit.* 1. Pet. 1. *Electis aduenis secundum præscientiam Dei Patris.* Significatur ergo, præscientiam meritorum priorem esse prædestinatione ad gloriam.

4 Respondetur primò, si hoc argumentum aliquid probaret, probaret etiam, gratiam congruam (de qua inprimis etiam locutum esse Apostolum, vbi de electione agit, negari à nemine potest) datam esse ob meritorum, seu post meritorum præscientiam, quod tamen nemo verè dixerit: quicquid nonnulli recentiores de operibus ex viribus naturæ factis dixerint, quos refutauimus supra quæstion. 4. dub. 3.

Respondetur secundò, non esse hîc sermonem de præscientia meritorum absolutâ, aut vlla omninò scientia visionis: sed vel de præscientia simplicis intelligentiæ, quomodo S. Thomas in eum locum Apostoli, *Quos præscijuit & prædestinauit*, ait, Deum *non omnes prædestinasse quos præscijuit*; vel de scientia approbationis & amicitiæ, seu perpetuæ dilectionis erga electos: quæ propterea præscientia dicitur, quia re & ratione antecedit omnem bonum vsum liberi arbitrij. Vt sensus sit, quos Deus præscijuit, scientia approbationis, seu quod in idem recidit, quos dilexit, vt rectè Bellarminus de grat. & lib. arbit. lib. 2. cap. 13. Eodem sensu dicitur Amos 3. vers. 1. *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ*: & è contrario Matth. 25. vers. 12. *Nescio vos, &c.* Eodem spectat, quod Augustinus lib. de bono perseuerant. cap. 18. ait: *Nullus igitur, qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam, quam præscijuit, prædestinationem significare voluisse, præscijens enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est ergo, Prædestinauit: sine dubio enim præscijuit, si prædestinauit: sed prædestinasse est hoc præscijsse, quod fuerat ipse facturus.*

Tertiò obijciuntur ea Scripturæ loca, quibus aliqui prædestinati & electi dicuntur occasione ruinæ ac peccati aliorum; quod proinde prius præuisum fuisse necesse est; vt S. Matthias in locum Iudæ prodictoris Act. 1. v. 24. Gentiles in locum Iudæorum, Matth. 21. v. 43. Rom. 11. Quo pertinet etiam illud Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Quod si permissio peccati alterius præuisa fuit ante electionem ad gloriam: Ergo & cætera media salutis, adeoque etiam merita saluandorum. 5

Respondetur Nec in vllo horum locorum, nec alibi vspiam in Scriptura, dicuntur aliqui prædestinati occasione ruinæ ac peccati aliorum. Sed Matth. 21. v. 43. solum dicitur: *Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius.* Roman. 11. v. 11. Iudæorum delictum dicitur salus esse gentibus: quæ omnia, sicut & citatus ex Apocalypsi locus ad executionem pertinent. Solus ille locus Actor. 1. v. 24. *Ostende, quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas*; non quidem prædestinationis voce vtitur, sed Electionis: loquitur autem de electione non ad gloriam, sed ad officium Apostolatus, vt expresè in textu habetur: alioqui colligi posset, Iosephum, qui electus non fuit, prædestinatum ad gloriam non fuisse; quod est absurdum. Accedit quod si maximè etiam de electione ad gloriam sermo esset, id tamen non de prima, sed de executiua electione intelligendum esset, vt ad primam obiectionem responsum.

Quartò obijciuntur paucula quædam testimonia Augustini, & ex SS. Patribus ij, qui Augustinum antecesserunt, præsertim græci, qui prædestinationem secundum præscientiam docuerunt, vt ex B. Prospero dub. præced. assert. 3. retulimus. 6

Respondeo quod ad Augustinum attinet, iam antea dub. 3. ea loca fuisse explicata, ijsque alia multò grauioris momenti opposita. Quod verò ad alios Patres attinet, triplex est responsio; prout etiam de eorum sensu triplex est sententia. Prima non solum concedit, Patres istos in ea fuisse sententia, sed simul etiam fatetur, eis in hac ipsa re ex instituto fuisse aduersatum S. Augustinum; quasi electio & prædestinatio, de qua ex instituto contra Pelagianos & Massilienses disserit Augustinus, sit ipsa electio ad gloriam. Ita docent Sixtus Senensis lib. 6 Biblioth. annot. 251. & 252. Driedo lib. de concord. lib. arbit. 1. p. c. 2. & 4. Ruardus art. 7. Sed quanquam hæc sententia falsa sit; cum non de electione ad gloriam, sed ad gratiam potissimum Augustino cum aduersarijs fuerit controuersia, vt benè ostendit Vasquez

disp.

disp. 89. cap. 3 & 4. si tamen vel maximè vera esset, nil ea nostræ sententiæ præiudicaret: quandoquidem ex dictis dub. præced. constat, S. Augustini sententiam in hac materia de prædestinatione meritò cæteris præferri.

7 Secunda sententia, seu explicatio eorum Patrum concedit, istos quidem Patres in ea fuisse sententia, sed ex falso fundamento, seu adiuncta falsa persuasione, quia scilicet ante damnatum Massiliensium errorem simul existimabant, etiam prædestinationem ad primam gratiam esse ex meritis quibusdam, seu operibus liberi arbitrij præuisis. Ita Vasquez disput. 89. cap. 3. & disput. 91. cap. 8. & 9. ait, non solum plerosque græcos Patres in ea fuisse sententia, speciatim Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium, sed etiam ex latinis Ambrosium, Hieronymum, Sedulium, præter Faustum Regiensem, quem Massiliensium asseclam fuisse, iam supra notauimus: quare addit Vasquez numero 16. de Græcis Patribus inprimis loquens: *Horum authoritate, quanquam alioqui maximi momenti est, hanc sententiam* (de prædestinatione ad gloriam ex præuisis meritis) *nollem confirmare.*

8 Et facit in huius sententiæ confirmationem primò, quod Augustinus ipse etiam de se fatetur lib. 1. Retract. cap. 24. se in eo quandoque errore (Massiliensium) fuisse, lib. expositi. proposit. ex epist. ad Roman. quasi initium fidei, aut fides ipsa sit ex nobis. Quod etiam lib. de bono perseuer. cap. 21. & agnoscit, & vtcumque excusat: *Interest*, inquit, *quantum, & in quibus erretur, & quam facilè quisq; corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem.*

Secundò quia B. Prosper in epistola ad August. citata, ipsemet non obscurè indicat, ita sentire visos esse Patres illos de prædestinatione & electione, tum ad gratiam scilicet, tum ad gloriam; siquidem obijciendo ait: *Retractatis priorum de hac re opinionibus, ferè omnium par inuenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, &c.* Nec enim dubium est, Prosperum de prædestinatione ad gratiam inprimis locutum.

9 Tertiò Augustinus ipse lib. 1. de prædestinatione Sanct. cap. 14. cum ad eam obiectionem respondet, inter alia satis indicat, nihil causæ esse, cur hac in re Patrum illorum sententiâ ipse magnoperè prematur, cum ait: *Quid igitur opus est, vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Vnde factum est, vt de gratia Dei quid sentirent, breuiter quibusdam Scriptorum suorum locis & transeunter attingerent, immorarentur verò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, &c. Sed qui sententijs Tractatorum instrui volunt, oportet, vt istum librum Sapientiæ, vbi legitur, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, omnibus Tractatoribus anteponant.*

10 Sed quanquam ista responsio ad nostrum institutum planè sufficit; siquidem Augustini & asseclarum sententia, hac in re, cæteris nonnisi obiter de hac re locutis, meritò anteponeretur, vt dictum; neque enim verum est, quod Vasquez cit. cap. 3. addit, S. Augustinum hac in re idem cum Patribus illis, prædestinationem ad gloriam ex præuisis meritis asserentibus, docuisse, vt dub. 3. dictum: nihilominus tamen verior est tertia responsio, Patres antiquiores, qui Augustinum anteceſserunt, obscurius quidem, nec ita ex professo hac de re disseruisse, imòverò nondum exorta Pelagianorum hæresi, liberius & securius fuisse locutos; reipsa tamen hac in re, siue sermo sit de prædestinatione ad gratiam, siue ad gloriam, Augustino contrarios minimè fuisse; sed tam prædestinationem ad gratiam, quam ad gloriam existimasse esse gratuitam. In hunc sensum ipsemet S. Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 18. & 19. copiosè disserit.

Et primum quidem, quod dicunt Patres, Electionem Dei & gratiæ distributionem esse secundum præscientiam, id ipse ita explicare conatur, vt de præscientia non visionis, quæ prædestinationem sequitur, sed iuxta Scripturæ phrasin, de præscientia Dei practica & approbationis (quo modo ad secundum argumentum ex Scriptura petitum superius responsum est) quæ est ipsa Sanctorum prædestinatio, fuerint locuti. Ita cap. 18. sub finem ait: *Quid ergò nos prohibet, quando apud aliquos Verbi tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt, hoc verbo in ea re vti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati, qua de prædestinatione gratia prædicatur.* 1

Secundò opponit S. Augustinus alia Patrum testimonia, quibus gratuitam prædestinationem ad gratiam asseruerunt; præsertim S. Cyprianum lib. de mortalitate, & S. Ambrosium lib. de fuga seculi cap. 1. qui ait: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit, &c.* Quare cit. lib. de bono perseuer. cap. 19. ita loquitur Augustinus: [Puto tamen eis, qui de hac re sententias Tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina Christiana laudabiliter vsquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad vtrumque, id est, vt gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque prædicanda est, per omnia credentes, per omnia prædicent, & eandem prædicationem prædicationi, qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur aduersam: quia & isti viri, cum sic prædicarent Dei gratiam, vt vnus eorum (*Cyprianus*) diceret, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit; alter autem, non esse in potestate nostra cor nostrum & nostras cogitationes; non tamen hortari & corripere destiterunt, vt fierent præcepta diuina, &c.] *Et infra rursum:* [Vnde supradicti Tractatores excellentissimi diuinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, sicut prædicanda est, prædicarunt, id est, quam nulla merita humana præcedunt, & ad facienda diuina præcepta instanter hortati sunt, vt qui haberent donum obedientiæ, quibus iussis obediendum esset, audirent, &c.] His postea ibidem adiungit Augustinus alia testimonia Ambrosij, & Gregorij Nazianzeni. Et denique c. 23. sub finem concludit Augustinus: [Ac per hoc prædestinationis huius fidē, quæ 12

contra

contra nouos hæreticos noua sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.] Ex quibus satis patet, nunquam agnouisse Augustinum, antiquiores Patres, qui iam olim ipsi etiam à Massilensibus objiciebantur, à sua, quam de gratuita prædestinatione tradidit, doctrina fuisse alienos.

13 Atque hæc, quæ ex Augustino retuli, ita accipienda sentio, vt cum veteribus quidem Patribus benigna eiusmodi explicatio meritò tribuatur, de Euthymio tamē, Theophylacto, & similibus Græcis recentioribus, non sit laborandum; quos etiam in rebus alijs pernitiosius errasse constat. Addendum verò insuper est, SS. Patres etiam nonnunquam cum electionem ad gloriam meritis præuisis tribuerunt, locutos non de prima intentione, seu prædestinatione gloriæ, sed de voluntate executiua, sicut & Augustinum & Scripturas assert. 6. præced. dubio interpretati sumus. Quo modo commodè intelligitur illud ex commentarijs, qui Ambrosij nomine circumferuntur, in illud Rom. 9. *Scimus quoniam diligentibus Deum, &c. Istos quos præsciuit sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capienda*: & illud Hieronymi epist. 150. ad Hedibiam quæstion. 10. *Non saluat irrationabiliter Deus, & absque iudicij veritate; sed causis præcedentibus*, vt ante Suarezium lib. 3. de auxil. cap. 18. à numero 3. bene etiam Bellarminus, lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 14 notauit.

14 Iam verò quod ad rationes attinet, omissis ijs, quas iam antea dissoluimus; nimirum. I. quòd eo prædestinationis modo, continente absolutam prædefinitionem salutis nostræ, antecedentem liberam determinationem nostram, tollatur, aut impediatur liberum arbitrium, saltem, vt in potestate nostra non sit saluari aut non saluari. Quam supra, disputatio. 2. quæstione 5. dubio 7. euidenter refutauimus, atque in ipsos aduersarios retorsimus. II. Quod gloria gratis re ipsa adultis non conferatur; ad quam obiectionem respondimus hic in solut. secundi argumenti. III. Quod brauium proponens non prius efficaciter intendat finem, quam media, sed solum post præuisionem meritorum. Quam diluimus dub. præcedent. circa assert. 3. IV. Quod frustra in Deo distinguatur duplex voluntas efficax gloriæ, vna prædestinans, altera exequens. Ad quam obiectionem abunde responsum dub. præcedent. assertion. 5. alijsque locis ibidem citatis. V. Quod etiam in humana voluntate simul appetantur efficaciter & finis & media. Quam refutauimus hac quæstion. dubio secundo. His, inquam, prætermissis, duo sunt adhuc argumenta, quibus ea sententia impugnatur.

15 Primum, quia voluntas illa, qua Deus ante præuisionem meritorum vult gloriam, est voluntas antecedens; Ergo inefficax; quia antecedens illa salutis voluntas est communis in Deo erga omnes homines, vt communiter omnes Theologi docent, iuxta illud 1. Timoth. 2. *DEVS vult omnes homines saluos fieri*: non est autem efficax respectu omnium hominum: ergo inefficax.

Respondeo negando primā consequentiā: quia non omnis voluntas Dei antecedens est inefficax, vt suo loco dictum disp. 2. q. 5. dub. 3. Ad probationem respōdetur, illam absolutam prædestinationem seu prefinitionem gloriæ, de qua loquimur, non esse cōmunem erga omnes homines, sed solū erga omnes prædestinatos: præter hanc autem efficacem intentionem salutis esse in Deo voluntatem quandam inefficacem salutis erga omnes homines, quam explicauimus dub. præced. assert. 1. Neque hæ duæ volūtates inter se pugnant, sed potius sunt quasi ratione quadam subordinatæ; sicut enim in nobis solet inefficax voluntas finis, puta sanitatis, antecedere efficacem voluntatem seu intentionem eiusdem: ita etiam Deus habuit voluntatem inefficacem respectu omnium, & ex vi illius voluit & disposuit illa generalia media, quæ omnibus communia sunt ad salutem: deinde verò alia speciali quadam voluntate efficaci elegit quos voluit, & ex vi illius disposuit specialia & efficacia media & auxilia electis.

16 Omitto quod Theologi constituentes in Deo voluntatem antecedentem salutis erga omnes, docent quidem eam esse inefficacem, hoc sensu, quia non est de ratione illius, vt sit efficax, attamen non ideo docent, eam necessario & vniuersim respectu omnium esse inefficacem, aut æqualem erga omnes: qua ratione etiam dici posset, Deum in eodem instanti rationis, quo quibusdam antecedente voluntate voluit efficaciter gloriam, alijs, non ijsdem voluisse salutem voluntate inefficaci, vt bene etiam notauit Suarez lib. tertio, de auxil. capit. decimo nono, à num. 12.

Denique idem argumentum etiam retorqueri potest contra aduersarios, si accommodetur ad primam gratiam congruam, quæ in omni sententia ante præuisionem meritorum aut cooperationis nostræ, est à Deo electis decreta hoc modo: Deus vult antecedente quadam voluntate gratiam congruam omnibus; qua enim quisque voluntate vult finem, eadem etiam vult necessaria media: sed hæc voluntas hoc ipso, quod est communis omnibus, est inefficax: ergo nulla datur alia efficax voluntas gratiæ congruæ ante præuisionem meritorum seu cooperationis nostræ. Quod argumentum etiam oppositæ sententiæ authores debent soluere.

17 Secundum argumentum petitur à modo loquendi causalium propositionum. *Dicimus enim*, inquit Vasquez, disp. 89. cap. 7. num. 57. *Deus voluit dare vitam æternam Petro, quia vidit reipsa futurum esse sanctum; non autem voluit dare vitam æternam, vt reipsa esset Sanctus*: Ergo signum est, Deum non ante præuisionem meritorum efficaciter voluisse dare vitam æternam Petro. Consequentia probatur. Tum quia quando absoluta & efficaci voluntate ante præuisionem mediorum intenditur finis, v.g. sanitas, non solemus dicere aliquem voluisse finem, quia media præuidit, sed semper è contratio, talia elegisse media, quia voluit finem. Tum quia si prius intentione voluit Deus beatitudinem dare, & deinde merita ac sanctitatem, sequitur ad hoc decreuisse dare beatitudinem, vt postea daret sanctitatem. Et confir-

matur à simili. Si enim diceremus, Deum ideo vocasse Petrum, quia cognouit futurum esse sanctum, fateremur rationem habuisse meritorum, vt vocaret: nunc autem quia non habuit, dicimus, vocauit, non quia nouit fore sanctum, sed vt esset sanctus.

18 Respondeo ad argumentum principale, negando consequentiam. Ad primam probationem respondetur ex dictis supra disput. 2. quæst. 5. dub. 5. assert. 9. diuersitatem esse finium: aliqui enim cum merè naturales sint, & naturali solum via seu modo acquirantur, qualis est sanitas, non requirunt post primam intentionem & applicationem mediorum factam, peculiarem applicationem eiusdem finis, noua voluntate faciendam; aliorum autem finium moralium consecutio, aliquando etiam suppositis medijs, & prima intentione finis, à noua voluntate executiua & applicatiua conferentis aut obtinentis dependet, vt ibidem fusius explicatum. Et talis finis est etiam ipsa consecutio vitæ æternæ, quæ post omnia etiam alia media adhibita, & supposita etiam prima intentione & prædestinatione eiusdem, à Deo electis singulis noua voluntate executiua est applicanda. Et de prioribus quidem illis finibus non sólemus dicere, ideo nos velle talem finem, quia media præuidimus; cum in eis fere vna tantum simplex voluntas finis, prior mediorum præuisione, & ab ea proinde independens soleat existere: at vero in posteriori finium genere, in quo est etiam gloria, rectè dicimus, DEVM ideo velle alicui ipsa executione finem, quia præuisa, vel adhibita sunt media. Quia tamen à potiori sumitur denominatio, ideo in his ipsis etiam expedit, non simpliciter & absolutè dicere, aliquem velle finem, puta Deum velle gloriam, ob præuisa media; ne de prima voluntate & intentione finis loqui videamur; sed cum addito, DEVM velle nobis gloriam voluntate executiua, ob præuisa media &c.

19 Ad secundam probationem respondetur, negando sequelam. Quia etiamsi Deus intentione prius voluit dare beatitudinem, & deinde merita ac sanctitatem; non tamen sequitur, ad hoc decreuisse beatitudinem, vt postea daret sanctitatem; quia dare aut facere hoc, vt fiat alterum, significat alterum huius esse finem; sicut quando dicimus, ambulo, aut medicinam sumo, vt saner &c. at vero merita, aut sanctitas, non sunt finis gloriæ acquirendæ vel conferendæ, sed medium. Rectè ergo quidem dicimus, Deus ex voluntate & intentione gloriæ confert & procurat merita & sanctitatem, aliaque media; seu media hæc dantur, quia Deus voluit gloriam; sed non item Deus voluit beatitudinem, vt postea daret sanctitatem aut merita &c,

20 Ad confirmationem respondetur, esse plane disparem rationem gratiæ vocantis & gloriæ: tum quia gratia vocationis non solum gratis prædestinatur, sed etiam gratis confertur; quare nunquã dicere possumus, Deum vocasse Petrum, quia cognouit futurum esse sanctum; sed quia gloria etsi gratis prædestinatur, non tamen confertur gratis, sed ob merita, vt dictum, ideo non obstante prædestinatione gratuita, rectè dicimus, Deum volũtate executiua decreuisse Petro gloriam, quia cognouit futurum esse sanctum; item Petro conferre gloriam ob sanctitatem & merita, &c. Tum quia sanctitas respectu gratiæ vocantis, habet se veluti finis, at vero respectu gloriæ habet se veluti medium. Vnde rectè quidem dicitur, Deum vocasse Petrum, vt esset sanctus; non tamen decreuisse gloriam Petro, vt in hac vita esset sanctus.

21 Iam verò quod ad obiectiones posterioris generis attinet, quæ pariter & ex æquo impugnant tam prædestinationem gratuitam ad gloriam, quã discretionem ac selectionem ac ferè etiam vniuersim gratuitam gratiæ congruæ; quæ proinde fere ab ipsis etiam obijcientibus dissoluendæ sunt, vt videbimus; eæ generatim ad hoc caput reuocantur; quod nostra hæc sententia de gratuita prædestinatione ad gratiam & gloriam ante præuisa merita, non satis sit consentanea nec iustitiæ, & bonitati DEI; nec pietati ac bonis moribus; sed potius scandala & desperationem gignat: id quod varijs rationibus & considerationibus, studio quasi tuendæ & promouendæ pietatis, à nonnullis admodum exaggeratur. Et placet mihi quidem hoc pietatis promouendæ ac tuendæ studium & Zelus; quando & nostræ vtique sententiæ Doctoribus, viris cum primis pijs ac religiosis, in hac re non minus veræ pietatis, quam sinceræ veritatis studium vnicè cordi est. Illud tamen simul aduerto, iam olim Massilienses quoque aduersus sanctum Augustinum, non alio ferè argumento enixius dimicasse, quam hoc prætextu pietatis tuendæ.

22 Quod non meis, sed viri pijssimi ac doctissimi verbis hoc loco referre placuit. Ita ergo Benedictus Pererius, comment. in epist. ad Rom. cap. 9. disp. 8. num. 78. ad similes obiectiones Catharini respondens, loquitur. [Illa demum aduersus Augustini sententiam fortis admodum nonnullis videtur obiectio & ratio. Aiunt enim, istam sententiam Augustini adigere homines ad desperationem, & à bene agendo retrahere; quilibet enim secundum istam sententiam certus & securus est, siue bene, siue malè vixerit, se nequaquam mutaturum æternam Dei voluntatem, qua iam ab æterno vel reprobatus à Deo, vel prædestinatus est. Atque hoc contra Augustinũ vehementer vrget Catharinus, qui in suis Commentarijs in hanc epistolam, super illis verbis, quę sunt in hoc nono capite, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, viginti quinque aduersum sententiam Augustini coaceruauit argumenta. Sed istæ obiectiones aduersus Augustinum non sunt nouæ, nec recens inuentæ, etiam tum Sancto Augustino, à Massilienfibus, alijsque Galliæ Episcopis, aduersus ipsum obiectæ sunt (vt constat ex epistolis Hilarij & Prosperi ad Sanctum Augustinum citatis, & ex libro Augustini de Corrept. & grat. & alijs) ea tamen nihil mouerunt Augustinum, quo minus sententiam suam constanter tueretur, & perseueranter teneret vsque ad mortem. Neque scandala, si quæ ob id oriebantur, & nonnullis

acci-

accidebant, curanda esse putauit, iudicans esse passiua, vt quæ ex inscitia veritatis & imperitia diuinarum Scripturarum nascerentur.

23 [Beatus quoque Thomas non minori pietate ac religione, quam ingenio ac doctrina præditus, istiusmodi obiectionibus atque offensionibus & scandalis nihil perturbatus aut motus est; nec ab Augustini sententia deduci potuit. Quin etiam ipsemet Apostolus, qui tam religiosè curabat ac cauebat, ne cui scandalum daret, vt affirmaret se nunquam carnes manducaturum, si ob id quisquam fidelium scandalizandus esset; hanc tamen doctrinam Prædestinationis & Reprobationis hominum, licet videret offensioni & scandalo fore multis, veritatis & diuinæ Scripturæ ignaris, eam tamen & apertè & affirmatè, & enucleate tradere voluit: nec dubitauit, illas sententias scriptas in hac epistola relinquere, Miserebor cui miserebor; Non volentis, neque currentis, &c. Annon habet potestatem figulus, &c. Si Deus volens ostendere, iram &c.] Ita Pererius.

24 Sed & Iauellus, & alij, qui cum eo malè, & non sine erroris periculo causam totius prædestinationis ex parte prædestinati assignabant, non aliud potissimum suæ sententiæ firmamentum adsciuerunt, quam quod dicerent, eam sententiam sequendam, *quæ rationabilior appareat, & apertius seruet rectitudinem diuinam, sustentet spem fidelium, occasiones desperationis tollat, defenset prædestinationis certitudinem cum libero arbitrio, &c.* vt diximus quæstion. præcedent. dub. 5. Summa; omnes qui gratuitæ prædestinationis doctrinam aut contra Sanctum Augustinum impugnarunt olim, aut etiamnum hodie impugnant, hunc suæ causæ colorem prætexunt, pietatis studium. Sed qui color ad veritatis lumen prolatus, & considerata tam impugnantium olim Massiliensium conditione, quam S. Augustini & Sancti Thomæ dignitate & excellentia, facile euanescit: cum præsertim ex omni numero, qui materiam hanc in vtramuis partem tractarunt, non inuenire facile sit aut sanctiorem vllum, aut qui cum summa doctrina & ingenio maiorem Zelum animarum, ac salutis spem, ardentiusque pietatis studium coniunxerit, quam Sanctum Augustinum, & S. Thomam, quos nostræ sententiæ Duces & Antesignanos habemus.

25 Sed & cum argumenta & considerationes illæ, de quibus loquimur, non solum gratuitam electionem ad gloriam impugnent, sed etiam gratuitam pro electis discretionem & præparationem gratiæ congruæ, qua congrua est; quam negari nulla ratione posse satis probauimus dub. 1. vereor etiam hoc titulo plurimum, ne pietatis ille Zelus non tam ex scientia, quam falsa opinione recti profectus videatur. Neque verò difficile est, aduersus gratuitam prædestinationem Dei ea argumenta componere, & ad speciem ita conformare, vt imperitis scandali aut desidiæ occasionem præbere videaris; quando vel ex sola præscientia immutabili DEI, vel ex gratuita prædestinatione ad gratiam congruam, non pauci olim scandalizati fuerunt, qui propterea etiam hac ratione ad eas DEI perfectiones pernegandas fuerunt inducti, vt inferius patebit.

Sed profecto, vt Propheta ait psalm. 118. vers. 26
165. *Pax multa diligentibus legem DEI, & non est illis scandalum*; præsertim si tria hæc, quæ in omni sententia fixa & firma perseuerant, animo bene impressa hæreant. Primum, prædestinatione nullo modo impediri libertatem arbitrij ad bene vel malè operandum. Secundum, rectè vsque in finem operantes & perseuerantes in gratia (vti cum gratia Dei possum omnes) certissime gloriam consecuturos, adeoque prædestinatos esse: alios verò si malè operando gratiam perdant, & sic decedant, damnandos esse, & hoc ipso reprobos. Tertium, homines ordinaria lege, si aut rectè viuant, aut vitam emendare decernant, spem quidem iustam salutis habere posse; attamen quicquid agant, nec posse, nec debere infallibiliter scire, sintne reprobi, an prædestinati. Cum igitur in omni sententia certissimum sit, esse in potestate cuiusuis, cum diuina gratia facere id, quod infallibiliter prædestinatum arguit; & vitare id, quo vitato, impossibile est quenquam esse reprobum; nec verò præterea in vlla sententia maior in vtramuis partem certitudo haberi possit; quomodo fieri potest, vt non potius accurata prædestinationis cogitatione, sic animo pius quisque afficiatur, vt cum timore quidem ac tremore, sed non absque spei condimento, suam salutem operando, eam quoad fieri potest, certissimam reddat? Atque hæc ita generatim præmonere necesse fuit: nunc singulas obiectiones figillatim expendamus; quod eò diligentius à nobis faciendum, quo magis vtrinque pietatis simul ac veritatis studium saluum & inuiolatum esse cupimus. Sequemur autem hac in re potissimum filum & contextum Leonardi Lessij, qui in duobus locis nimirum disput. de prædestinat. diuina, & tract. de perfect. diuinis lib. 14. c. 2. ijsdem pene verbis, sententiam nostram de prædestinatione gratuita Dei acrius oppugnauit; ex quo etiam cæteri recentiores sua fere deprompserunt.

Primò igitur obijcitur, hunc modum electionis non satis consistere cum sincera voluntate saluandi omnes homines, maxime fideles, &c. Si enim sincerè desiderat Deus omnium salutem, quomodo ipse ex se tam paucos ad salutem elegit, & cæteros omnes ita negligit, vt nemo ex illis saluetur? Et cum electis seligat gratias congruas, vt fiat opus ab ipso præfinitum; ergo nõ electis debet seligere incongruas, ne fiat opus, quod ipse non prædefiniuit, &c. Sicut enim ad prouidentiam eius pertinet, vt saluetur numerus sic electorum, ita ad eandem pertinere videtur, vt & alij, qui ab illa electione sunt excluſi, non fiant salui; & ne ipsi etiam qui electi sunt maiorem gloriam mereantur, aut maiora merita habeant, quam ipse ab initio ex se illis decreuit; ne grauissima inde sequantur incommoda, contra intentionem Dei, &c. 27

Idem declaratur exemplo. Quia ad Architectũ pertinet, vt postquã ex innumeris saxis certum numerũ selegerit ac designarit, quantus ad conceptã proportionem ædificij sufficerit, non solum curare, vt omnia saxa signata aptentur, & suis locis

collocentur, sed etiam ne alia non designata, quibus proportio concepta euerteretur, in structuram intrent. Item in conuiuio nuptiali, non solum ad prouidentiam sponsi spectat, curare, vt designati & delecti v.g. centum conuiuæ veniant, sed etiam ne plures veniant. Idem ergò etiam in proposito dicendum, si DEVS ex se ipso certum numerum electorum designauit, &c.

28 Respondeo primùm, hæc obijci posse, & reipsa obiecta olim fuisse à Pelagianis ac Massilienſibus aduersus Augustinum, contra prædestinationem gratuitam ad gratiam præuenientem electorum propriam; quæ tamen sine errore negari non potest, vt videre est apud sanctum Augustinum lib. de correption. & grat. capit. 14. & respons. ad articulos falsò impositos articulo 2. & apud Prosperum in epistola ad Augustinum, vbi inter alia Massilienses obijciunt; *Nec vacillare illud, quod DEVS omnes homines velit saluos fieri, &c. Itaque quantum ad DEVM pertinet, omnibus paratam vitam æternam, &c.* Et certè cum omnes & soli illi saluentur, quibus DEVS ex se & sola sua gratuita bonitate vult gratiam congruam electorum propriam; idem est ad propositum, aliquos non prædestinare ad gratiam illam congruam, quod est, non prædestinare ad gloriam; & par est ratio quærendi, cur DEVS ex se ipso tam paucos ad gratiam congruam electorum propriam elegerit, & alios omnes ita neglexerit, vt nemo ex illis saluetur. Et quia de fide est, DEVM etiam ex opposita sententia prædestinationis ad gloriam ob præuisa merita, absolute potuisse efficere, vt omnes illi, qui nunc absque meritis diuinæ menti sunt repræsentati, instructi maiori, aut alia gratia, merita simul ac perseuerantiam haberent; in omni sententia restat obiectio hæc soluenda, quare DEVS tam paucos elegerit, aut saltem dignos electione fecerit, cum in ipsius vtique potestate fuerit, seu omnes eligere, seu dignos electione ad gloriam efficere.

29 Respondetur secundò, in illo argumento tria postulari. 1. quomodo cum electione illa gratuita, siue ad gratiam, siue ad gloriam stet vera & seria voluntas DEI, qua omnes vult saluos fieri. 2. quomodo & qua ratione tam paruus electorum numerus à DEO fuerit designatus. 3. quomodo non eo ipso DEVS seligat gratias incongruas pro non electis; ac peculiari etiam prouidentia curet, ne quisquam ex non electis saluetur.

Ad primum, omissa varia responsione Sancti Augustini, quam adhibet locis citatis, respondeo breuiter, gratuitam illam electionem, siue ad gratiam, siue ad gloriam, nihil obstare, quo minus Deus velit salutem omnibus, eo modo voluntatis, qui salua fide, & secluſa adeo voluntate efficaci, possibilis est, quique adeo etiam ab ipsis authoribus aduersæ sententiæ Deo erga non electos tribuitur, aut tribui potest: nimirum 1. quod verò & positiuo actu voluntatis, simplici affectu, omnes cupiat esse saluos. 2. quod media generalia salutis pro omnibus præparauerit & destinauerit. 3. quod actu conditionato omnes reipsa velit saluos fieri, paratusque sit dare vitam æternam, si debita salutis media adhibeantur; vti simplici voluntate adhiberi cupit. Neque enim in hoc ab illis differimus, quod minus beneuolentiæ ac propensionis Deo tribuimus erga salutem non electorum, quam ipsi; sed quod plus erga salutem electorum, quàm ipsi, vt dictum dub. præced. Neque vero etiam reprobi ideo non saluantur, quod aut Deus antecedente voluntate eos saluari nolit, aut quod per auxilium oblatum & præparatum adulti saluari non possint; sed quod ipsi saluari nolint, quodque hanc prauam ipsorum voluntatem sub conditione futuram Deus per scientiam mediam iam ante omne decretum liberum suæ voluntatis præuiderat. Itaque sicut homo potest seriò desiderare, & cum vero desiderio suadere id, quod scit non euenturum, & dolere quod non fiat, ita etiam suo modo Deus.

Ad secundum respondetur, numerum electorum absolutè non esse paruum, sed planè magnum, & quasi innumerum; multarum vtique myriadum, vt constat ex Apocal. 7. & absolutè fortè maiorem, quam reproborum, vt dicetur quæst. 7. dub. 5. Voluit tamen Deus iusta ratione inter homines minorem esse numerum electorum, quàm reproborum; vt beneficentiæ gratuitæ affectus, ipsiusque beneficij magnitudo tantò magis æstimaretur, quantò paucioribus communicatur; néue si inter eos maiorem numerum saluandorum esse constaret, timor Dei magis adhuc exularet inter homines, & vana præsumptio, cum vitæ licentia coniuncta, magis inualesceret; quando nec iam quidem satis cohiberi homines Dei timore possunt. In quem sensum Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 10. *Quod pauci*, inquit, *in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit; gratiæ sunt agendæ, quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et lib. 11. de Ciuit. Dei. capit. 12. *In seueritate vltionis*, inquit, *multò plures sunt, quam in gratia redimentis, vt sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet. Quia vero tam multi exinde liberantur, est, vnde agantur maximæ gratiæ gratuito muneri liberantis.* Et optimè idem S. Augustinus epist. 106. ad Bonifac. *Nouit*, inquit, *ille, quid agat, & quantus numerus esse debeat primitus omnium hominum, deinde sanctorum; sicut syderum, sicut Angelorum: atque vt de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium, volatilium, sicut arborum & herbarum, sicut denique foliorum capillorum que nostrorum. Nam nos humana cogitatione adhuc possumus dicere, quoniam bona sunt cuncta ista, quæ fecit; quanto melius illa duplicasset, & multiplicasset, vt multo essent plura, quam sunt? si enim non ea caperet mundus, nunquid non posset etiam ipsum facere quantum vellet ampliorem? tamen quantumcunque faceret vel illa plura, vel istum capaciorem atq; maiorem, nihilominus eadem de multiplicandis eis dici possent & nullus esset immoderatus modus.*

Idem respondere debent aduersæ sententiæ authores: cum DEVS, in ipsorum etiam sententia, vtique multò plures, imò omnes potuerit

30

saluare,

saluare, præparando eis efficacia gratiæ auxilia vsque ad finem.

31 Ad tertium respondeo, nulla fuisse opus selectione gratiæ incongruæ pro non electis; multo minus vlla speciali prouidentia DEVM obstare debuisse, ne cui non electo gratia congrua aut salus contingeret: quandoquidem hoc ipso, quod DEVS peculiari prouidentia gratias congruas pro electis selegit, gratiæ non congruæ communi prouidentiæ ordine non electis relinquebantur & decernebantur; non ea proprie ratione, quod incongruæ essent, sed quod sufficientes, licet effectum nunquam habituræ, vt dictum dub. 1. assert. 3. Ita etiam hoc ipso, quod Deus electos omnes gratuita beneuolentia prædestinauit, simulque vidit, alios non ita electos non fore saluos, nec in gratia perseueraturos, licet absolute & saluari & perseuerare possent, factum est, vt illi peculiari prouidentia Dei infallibiliter saluarentur, isti communi prouidentiæ relicti non saluarentur.

32 Ad obiecta exempla respondeo, disparitatem esse. Nam Architectus ille, & sponsus, non habent simplicem affectum voluntatis, quo ille quidem omnes lapides, hic verò omnes etiam non efficaciter vocatos, velint seu adhiberi ædificio, seu interesse conuiuio; sed vterque pariter habuit affectum ad certum illum numerum ita determinatum, vt nec simplici quidem voluntate plures rei destinatæ adhiberi vel adesse cuperent. Secus facit in proposito DEVS, vti dictum. Ratio autem par esset, si sponsus ille simplici affectu cupiens omnes conuiuio interesse, omnes ad id sincere inuitaret, omnibus currus, aut equos, seu commeatum sufficientem mitteret, quibus ad conuiuij locum peruenire possent; esto interim ipse gratuita beneuolentia centum aliquot designatos proprio conductu ad conuiuium adducendos prælegisset, & simul etiam nosset, præter hos neminem aduenturum; tunc enim peculiari quidem cura in hoc minimè opus foret incumbere, ne plures quam centum venirent, & tamen nihilominus infallibiliter futurum esset, vt nulli alij, quam centum illi conuiuio interessent; non vitio aut culpa aliqua sponsi inuitantis, sed inuitatorum, qui vocati venire nollent, vt ex Euangelica parabola habetur. Idem in similibus exemplis seruata proportione dicendum.

33 Secundò obijcitur, DEVM in Scripturis omnes vocare ad salutem, omnes iustos hortari ad perseuerantiam, & ad assiduum in iustitia profectum, omnibus perseuerantibus promittere vitam æternam, omnibus non perseuerantibus, & omnibus peccatoribus minari damnationem, & conqueri de peccatoribus, ac speciatim de Iudæis, Isai. 5. *Quid est, quod debui vltra facere, &c.* at posita illa sententia non videtur hæc seriò & ex animo facere, sed solum in speciem, vt videatur in non electos benignus, & in electos iustus ac seuerus. 1. Quia decretum reprobationis negatiuæ, seu etiam exclusionis è numero electorum, nullo modo pendet à libertate illorum; quia ante omnem præuisionem futurorum ita statuit est: & nouit DEVS se illos numero electorum exclusisse, non illorum merito, sed suo arbitrio. Vti ille, qui centum solum designauit conuiuas, quibus mensa impleatur; vtcunque simul interim totam ciuitatem vocet ad conuiuium. II. Quia etiamsi nihilominus possibile sit, omnibus seruare præcepta, considerata intrinseca dispositione voluntatis, & secundum quid, nihilominus cum tali dispositione & libertate potest stare impossibilitas absoluta: sicut patet in CHRISTO, qui etsi spectata intrinseca dispositione voluntatis (secluſa visione beatifica) posset non seruare præcepta diuina, absolutè tamen id ei erat impossibile, propter assistentiam diuinam, debitam illi animæ ratione vnionis hypostaticæ &c. qualis etiam supposito absoluto decreto debetur electis respectu operum prædefinitorum & perseuerantiæ. III. Quia nemo prudens potest seriò & ex animo desiderare, hortari, præcipere, vt fiat id, quod si re ipsa fiat, repugnabit operi antea designato, vel decreto antea concepto. IV. Insolens est plane inter homines, id sub conditione promittere, quod iam voluntate absoluta decreuerunt. V. Quia hac ratione conditio illa promissioni adiecta, Si perseueraueris, idem valebit ex parte rei, ac si dicas, Si DEVS ex se prædefiniuit, vt perseueres: & conditio Si non perseueraueris, Si Deus non prædefinierit tuam perseuerantiam. 34

Respondeo primum, hæc ipsa fuisse olim obiecta à Pelagianis & Massilienſibus aduersus sancti Augustini sententiam de prædestinatione; vt videre est apud Prosperum in epistola ad sanctum Augustinum. Vbi inter alia ex ipsorum mente refertur, & S. Augustino opponitur, [præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderat.] Et ratio his loco mox subiungitur: *Ideoque omnem hominem ad credendum, & ad operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntaria deuotioni remuneratio sit parata.* Et infra: *Iam hic proferunt testimonia, quibus diuinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciant quæ iubentur, aut negligant, &c.* Et infra: *Nec acquiescunt, prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui, ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cuius studium cessante electione frustrandum sit.* Quare etiam sub finem epistolæ inter alia petit Prosper à Sancto Augustino explicari, quemadmodum [per hanc prædicationem propositi DEI, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant si se prædestinatos esse desperent.]

Et Hilarius simili epistola ad S. Augustinum 35

de ijsdem Massilienſibus loquens: *Asserunt*, inquit, *inutile esse hortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correctio valeat excitare &c. Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad vtramque partem, vt de alijs ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecus correctionis instantia? &c.* Quare etiam Augustinus lib. 2. de bono perseuer. capite 15. & alio libro de corrept. & grat. hanc obiectionem fusè dissoluit, vt dicemus.

36 Respondeo secundò in forma ad argumentum, negando minorem; ea enim prorsus falsa est: quia ne superuacaneæ aut fictæ sint admonitiones, promissiones, comminationes, expostulationes, satis est, si & in admonente seria sit voluntas eius rei, ad quam hortatur, & in admonito potestas seu facultas ad vtrumlibet: quare etiam iure ac verè dixit Deus de Iudæis: *Quid est quod vltra debui facere? &c.* quia sanè plus non debuit facere, etsi absolutè potuit.

Ad primam probationem minoris respondetur primum, supponi falsum; quasi Deus solo suo arbitrio, & ante præuisionem demeritorum, absolute & simpliciter non electos excluserit à gloria & numero electorum: non est ita, sed solum suo arbitratu prætermisit illos in eo instantia adnumerare numero electorum, seruata interim facultate & voluntate conditionata recipiendi eos in aliquo instanti posteriori in numerum electorum, si bona merita cum perseuerantia præuideret, vt dictum dub. præcedent. assert. 5. at verò quia supposita illa prætermissione, & simul reiectione à gratia congrua, postea oppositum vidit futurum, ideo tunc primum eos absolute & simpliciter exclusit à regno cœlorum, vt pluribus dicetur q. 7. dub. 4.

37 Secundò respondeo, à gratia quidem congrua reiectos fuisse non prædestinatos, etiam ante præuisionem absolutam cooperationis futuræ; quia ea non pendet à cooperatione nostra; attamen & hoc in omni sententia probabili fatendum, vt dictum dub. 1. & nihil derogare diuinæ prouidentiæ & curæ, quam habet de omnibus; quia Deus nihilominus dat gratiam sufficientem omnibus, qua possunt saluari, & qua quisquis non saluatur, seipsum solum culpare potest, nō Deum. Neque verò promissiones & comminationes Dei pertinent ad gratiam congruam vel absolutè dandam, vel non dandam, sub cōditione operum &c. vti patet ex quæst. præced. dub. 3. & 5. Exemplum verò illud conuiuij rursum non est ad rem; quia in eo supponitur, mensam, & domum conuiuis inuitatis destinatam, non posse omnes capere; etiamsi inuitati omnes, quantum in se, vellent venire; quod in proposito minimè dicendum est; quia domus Domini, & mensa cælestis tam ampla est, vt ex se omnes capiat, Deusque ipse facultatem habeat amplissimam recipiendi omnes, si modo vocati veniant, vti possunt.

38 Ad secundam probationem minoris respondetur, rursum supponi falsum, quasi per præfinitionē Dei absolutā tollatur saltem extrinsecè libertas, & absoluta facultas faciendi oppositum; quod non ita esse ex instituto probatum est disp. 2. q. 5. dub. 8. Et exemplum de Christo prorsus est dissimile & impertinens. Quia in Christo intrinseca & physica erat repugnantia cum peccato, idque ex duplici capite; nimirum & ratione vnionis hypostaticæ; & ratione visionis beatificæ, quarum vtraque fiebat, vt non solum præcepti diuini transgressio in eo locum habere nullo modo posset, sed nec physicam omninò potentiam haberet ad illam. In prædestinatis autem nihil simile est, solum protectio quædam Dei extrinseca talis, qua licet absolute & physicè planè peccare, & in peccato excedere possent, infallibiliter tamen futurū est, vt in peccati mortalis statu nunquam excedant; suffragante nimirum ad hoc & adminiculante scientia media, qua Deus cognouit, si his vel illis gratiæ auxilijs præuenirentur, eos infallibiliter quidem, sed absolutè liberè in gratia perseueraturos, vt suo loco dictum: eaque etiam ipsa protectio in omni sententia prædestinationem infallibili nexu comitatur.

Ad tertiam probationem respondetur, negando assumptum; nam etiam iudex sæpe quem iudiciali processu & decreto damnauit ad pœnam, voluntate & affectu simplici cupit absolui & liberari à pœna; & Magistratus quotidie seriò & ex animo desiderant, nullam violari legem, quod si reipsa fiat, repugnabit quibusdam operibus antea designatis, vel decretis antea conceptis: vt quod Fiscalibus v. g. & Syndicis ex transgressorum multis stipendia sunt decreta; quod carceres & patibula magno sumptu extructa &c. Denique pij medici seriò & sincerè affectu simplici cupiunt nulli bono viro ægritudinem accidere, quod tamen si fiat, repugnabit operi & officio ante decreto, quo ex sua se arte alere decreuerunt. Et ratio est; quia efficax propositum vnius rei sub vna ratione, & desiderium seu voluntas inefficax oppositi ex alia ratione, inter se non pugnant. Præterquam quod etiamsi quidam gratuita prædestinatione ad gloriam à Deo non electi saluarentur, id huic decreto minimè repugnaret, vt quod per se solum spectatum, nec formaliter, nec virtualiter includit absolutam cæterorum exclusionem, vt superius dictum dub. præced. 39

Ad quartam probationem respondeo, iterum negando assumptum: quia nec inter homines planè insolens est, id sub conditione promittere, quod iam voluntate absoluta decreuerunt. Ita enim aliquando parens filio promittit amplam hæreditatem sub conditione certi officij sibi præstandi, quam iam aliàs ei veluti filio designarat. Ita Princeps quod brauium iam antea fideli seruo designauit, promittere potest sub cōditione certaminis & victoriæ, si de victoria ab eo reportanda certus sit. Quod si id minus frequenter inter homines accidit, ratio est, quia homines non ita certi esse possunt de implenda conditione futura, à qua proinde meritò volunt executionem decreti sui, quod iam ante firmum & fixum statuerunt, esse independens. Secus accidit in Deo, qui certus est de conditione futura, &c. 40

Ad quintum rursus negatur assumptum. Quamuis enim hæc inter se sint connexa, perseuerantia nimirum actualis, & prædefinitio perseuerantiæ, non tamen sunt idem; siquidem vnum gratis 41

exhibet

exhibet Deus, alterum ex debito simul ac libere præstat homo, idque iure proinde ab homine sub conditione exigit Deus. Idem in omni sententia dicendum, cum perseuerare in finem, & ad vitam æternam, seu etiam ad perseuerantiam prædestinatum esse sint connexa; neque tamen vllus dixerit, promissionis illius, si perseueraueris vsque in finem, saluus eris, sensum proprium & formalem esse, si prædestinatus es ad gloriam, vel ad perseuerantiam, saluus eris, &c.

42 Quam parum autem hac obiectione S. Augustinus à gratuitæ prædestinationis doctrina fuerit absterritus, planè videre est lib. de bono perseuer. cap. 14. & 15. In priore enim capite opponit primum exemplum Apostoli, deinde Christi Domini, denique exemplum S. Cypriani; quorum singuli non desierunt suos auditores adhortari ad virtutis studium & perseuerantiam, cum tamen interim prædestinationem gratuitam Dei perspicuè docerent. [Aiunt, *inquit Augustinus cit. c. 14.* Prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis aduersam: quasi vero aduersata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide & veritate prædestinationem toties commendauit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit, Deus est, qui in nobis operatur & velle & operari pro bona voluntate sua, ideo non ipse & vt velimus, quæ Deo placeant, & vt operemur hortatus est? Aut quia dixit, Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet in diem Christi Iesu, ideo & vt inciperent homines, & perseuerarent vsque in finem, ipse non suasit? Nempe ipse Dominus hominibus præcepit vt crederent, atq; ait, Credite in Deum, & in me credite; nec tamen ideo eius falsa sententia est, nec vana definitio, vbi ait, Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Nec rursus quia vera est hæc definitio, ideo vana est illa præceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptionique, quæ omnia frequentat Scriptura diuina, existimamus inutilem definitionem prædicationis, quam commendat eadem Scriptura diuina,] &c.

43 Et in fine eiusdem capitis 14. concludit Augustinus: [Exhortamur ergo atque prædicamus, sed qui habent aures audiendi, obedientes nos audiunt: qui vero cor non habent, fit in eis quod scriptum est, vt audientes non audiant, audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant; hoc est, cur illis datum sit à Patre, vt veniant ad filium, illis autem non sit datum, quis cognouit sensum Domini, & quis eius Consiliarius fuit? Aut tu quis es homo, qui respondeas Deo? Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, nō ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus inuenire?]

44 Et mox cap. 11. exemplo præscientiæ eandem obiectionem retundens, ita pergit disserere: [Sed aiunt, vt scribis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis; Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, accepta obediendi voluntate, veneritis ad fidem, vel accepta perseuerantia maneatis in fide; cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Veruntamen si qui estis necdum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis. Ista cum dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum ea prædestinatione Sanctorum deterrere non debent, sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat: Siue nunc rectè viuatis, siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonos, vel mali si malos. Nunquid enim si hoc audito, nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore, procliues ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, respondebat, qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum; sed vsque adeo profecit in malum, vt deserta monasterij societate, fieret canis reuersus ad suum vomitum; & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Nunquid ergo propter huiusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda, tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores?] Hactenus Augustinus, qui plura ibidem, & toto libro de corrept. & grat. vbi ostendit, correptionem non esse superuacaneam, etiamsi obedientia & perseuerantia sit gratuitum donum Dei, &c.

Tertio obijcitur, sententiam illam non videri 45
satis consonam diuinæ bonitati & iustitiæ. I. Quia cum Deus sit summa bonitas, & omnium finis, non conuenit, vt in bonis, quæ naturæ rationali ex se ante omnem præuisionem futurorum præparat, aliquos excipiat: nec verò excepit in alijs, vt patet in euectione naturæ rationalis ad statum supernaturalem, in sanctificatione omnium & Angelorum & hominum ante peccatum, in vocatione post peccatum, in donatione Redemptoris, in oblatione sacrificij ipsius, in Sacramentis, &c. II. Deus ex se, seu sola bonitate nunquam statuit aliquid, quod sit inutile & pernitiosum creaturæ, & non tendat nisi ad eius pernitiem: imò quo posito, melius esset homini non esse, quàm sic esse: *Deus enim non lætatur in perditione viuentium*, Sap. 1. & rursum Osee 13. ait, *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Talis est negatiua reprobatio. III. Nemo bonus & sapiens

ita censeret de hominibus statuendum: sed potius ita censebit quisque, Esto sint aliqui ita efficaciter eligendi ante omnem præuisionem, si ita vultis, at cæteri non sic electi non ita deserantur, vt omnes pereant: habeant auxilium verè sufficiens, iuxta communem rerum cursum & opportunitatem, nec solum incongruum pro illis seligatur, sed conferatur cum vero desiderio salutis, perinde ac si euentus adhuc ignoraretur, & nulla præscientia conditionata adesset. IV. Quia ex eo sequitur, si vera est illa sententia, Creationem reproborum non esse beneficium, sed summum maleficium: ac proinde exceptis paucis electis, reliquos omnes nullas debere gratias Deo de omnibus beneficijs ipsis collatis: quia tantum malum est ista negatiua reprobatio, vt melius sit non esse, quam cum illa omnibus istis beneficijs abundare, cum per illam omnia reddantur inutilia, nisi quatenus prodesse possunt ad minorem damnationem. V. Si Deus ex se ita statuisset, tunc non elegisset tam paucos, nec præparasset tam exiguos gloriæ gradus pro multis, nec tam imperfecta opera illis decreuisset: non enim cupit ipse, vt tepidè operemur, &c. VI. Nec multum laudis & præmij mereri videntur electi, quod gratiæ tanto studio præparatæ respondeant, & opera prædefinita peragant; & meritò excusare se poterùt reprobi, quod nec responderint gratiæ incongruæ, nec fecerint opera bona à Deo non præfinita; cum ex suppositione diuinæ voluntatis neutrum aliter fieri potuerit.

46 Respondeo primum, hanc ipsam obiectionem sub persona incredulorum aduersus suam de prædestinatione doctrinam obiecisse Apostolum Romanorum nono, versu decimo quarto. *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum?* Et rursum versu decimo nono, *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistit?* Idem frequenter ex mente & sensu Pelagianorum & Massilienſium obijciebant sibi S. Augustinus, & Sanctus Thomas, alijque Scholastici, nec tamen aliud respondebant, quam illud Apostoli: [O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? annon habet potestatem figulus, &c. *Item*, Annon licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?] & similia, vt vidimus supra quæstione 4. dubio 1. assertione 3. & dub. 5.

47 Respondeo secundo, cum hæc, vt sæpius dictum, non tam impugnent gratuitam electionem ad gloriam, quam selectionem & discretionem, imo & ipsam gratuitam prædestinationem gratiæ congruæ electorum propriæ, quæ secundum nullam probabilem sententiam negari potest, vt dictum dubio primo, ea non tantum à nobis, sed ab omnibus, qui de prædestinationis materia probabiliter disserunt, dissoluenda esse. Ego vero ita particulatim respondeo. Primum assumptum nego, & aio, nostram magis, quam oppositam sententiam esse consonam bonitati diuinæ, quæ ex eo magis commendatur, quod summa etiam illa & specialia gratiæ bona, vt est gloria, & gratia congrua, ex se, & non exspectata hominis cooperatione, saltem quibusdam speciatim dilectis efficaciter destinarit.

Ad probationem 1. dico falsum assumi; non solum quia Deus ex se, & non ob præuisa merita, voluit humanitatem Christi eleuare ad beneficium hypostaticæ vnionis, (& visionem beatificam) quod non voluit vlli alteri naturæ; sed etiam quia iuxta oppositam sententiam, Deus ex se & ante meritorum præuisionem elegit ad gloriam saltem ipsam Beatam Virginem: & manifestissimum est, Deum ex se multas magnas & peculiares gratias supernaturales destinasse Patriarchis, Prophetis, Apostolis, alijsque Sanctis, quas alijs denegauit. 48 49 Ea vero, quæ in obiectione referuntur, solum sunt generalia, seu communia diuinæ prouidentiæ media, hominem ad supernaturalem finem ordinantia; quæ merito omnibus communia Deus esse voluit.

Ad II. respondeo, falsum itidem assumi, nisi restringatur ad decretum culpæ aut pœnæ, quæ pœna est; seu absolutè ad pœnam æternæ damnationis, quo modo intelliguntur Scripturæ adductæ: cum interim iuxta sententiam oppositam, vix videatur defendi posse, solam perditionem ex homine esse, & tantummodo in Deo auxilium, si Deus nec gratiam congruam, qua talis est, nec gloriam destinat, ante præuisionem humanæ cooperationis. Exemplum habemus in permissione peccati Angelorum & hominum, quam planè Deus ex se, & ante præuisionem operationis seu demeritorum statuit, cum tamen multis vtique sit perniciosa. Respondent, non statuisse eam propriè ex se; sed quia ratio rerum, & vniuersalis administrationis eam postulabat, &c. Respondeo hoc non obstare, quo minus ex se statuerit, quia ex se statuere hoc loco nihil aliud est, quam nullo merito vel demerito hominis aut Angeli iniuitatum ita statuisse; quo sensu etiam in præsenti dicimus, Deum ex se aliquos elegisse ad gratiam & gloriam, alios non item: tametsi vtique vt id faceret, ratio rerum & vniuersalis administrationis non minus postulabat, quam vt peccatum permitteret, vt probauimus supra quæstione quarta, dubio primo, & hic dubio præcedenti.

Ad III. Respondeo, neminem, nisi summè ac infinitè perfectum, ita posse statuere; requirit enim eiusmodi decretum inter alia, & infinitam bonitatem, & infinitam præscientiam mediam, sine qua decretum illud stare non potest, vt dictum disputatione secunda, quæstione quinta, dubio vltimo. Vt autem DEVS hoc negotium communi solum rerum cursui & opportunitati relinquat, nec in seligenda gratia congrua pro electis vlla speciali prouidentia vtatur, sed perinde agat, ac si euentus adhuc ignoraretur, & nulla præscientia conditionata adesset; id quidem, vt opinor, nemo bonus & sapiens optare poterit; 50 51 quia hoc esset velle DEVM in ordinem imperfectorum agentium redigere, & prouidentiam DEI quasi cæcam reddere: cum proprium sit Dei, infallibiliter sub conditione præuidere,

quid

quid ex suis decretis etiam contingenter futurum esset.

51 Ad IV. respondetur, negando sequelam. Quia cum Deus vero & sincero affectu voluntatis (non tamen efficaci) creet omnes, vt salui fiant, atque ad hoc offerat omnibus auxilia vere sufficientia, ita vt culpa perditionis solum penes ipsos homines hæreat, nil est, cur debitum gratitudinis ob superuenientem perditionem impiorum tollatur; cum è contrario potius minuatur gratitudinis affectus in electis, si Deus illos non ex se tam ad gloriam, quam ad gratiam congruam selegerit, & discreuerit. Neque vero illud ab exemplo Iudæ desumptum, Melius est non esse, quam sic esse, ad solam per se negationem gratiæ congruæ rectè accommodari potest; sed ad perditionem & damnationem æternam; quæ tamen non per se & absolutè necessariò ex ea negatione, sed ex malitia hominis & abusu gratiæ oblatæ consequitur.

52 Quod si iusta damnationis pœna omnia beneficia diuina obliterat, & ab omni gratitudinis debito exoluit, id etiam iuxta oppositam sententiam fiet, in qua vtique Deus etiam in eo ordine rerum potuit collocare omnes, in quo infallibiliter saluarentur omnes. Aiunt, reprobationem istam, quam ipsi docent, non habere reprobos primitus & originaliter à Deo, sed à seipsis suisque peccatis, quibus Deus quodammodo coactus est illos reprobare. Sed hoc planè falsum est: annon enim Deus potuit sua gratia præueniente peccata eiusmodi impedire & anteuertere? annon etiam, vti cum alijs fecit, eos rursus à peccatis quamuis grauissimis gratuita bonitate liberare? Respondent secundo, Deum in eo ordine rerum decernere posteriora propter priora, seu motum & inductum à prioribus. Sed & hoc vniuersim falsum est. Quod enim quæso motiuum erat in Saulo, vt post tam diram persecutionem Christianorum, subito ad fidem & Apostolatum, tam extraordinario, efficaci & potenti modo vocaretur? Vt de alijs innumeris taceam, quos Deus in profundissimo aliquando peccatorum omnium barathro, nullis certè bonis, sed multis malis meritis præcedentibus illuminauit, & ad pœnitentiam vocauit: cum tamen alios è contrario post multos sæpe annos vitæ optimè actæ sub extremum vitæ siuerit labi & perire. Annon Deus prius illud omnibus alijs præstare potuisset, & ita eos à damnatione præseruare? Vide supra quæstione quarta, dubio quinto.

53 Ad V. Quod ad paucitatem electorum attinet, iam responsum est superius ad I. Idem de gradibus gloriæ seruata proportione dicendum: quanquam si nonnisi vnus & minimus omnibus gradus visionis beatificæ fuisset decretus, id abundè & perfectionem & bonitatem Dei commendaret: equidem si mihi destinatus esset, pro eo infinitas libentissimè Deo gratias agerem. Ad imperfecta opera & tepiditatem operandi quod attinet, supponitur falsum, quasi Deus imperfectionem illam & tepiditatem, qualis in nobis merito culpatur, iuxta nostram sententiam. Deus ex se prædefinierit. Minime verò. Sed in eiusmodi operibus duo sunt spectanda; nimirum bonitas operis tanta vel tanta, & extrinsecus admixta malitiæ imperfectio; primum Deus ex se summa sapientia & bonitate prædefinit; paratus tamen interim etiam maiori vi concurrere, si ad maiorem cooperationem homo se determinaret; quod tamen supposita scientia media nunquam est futurum: posterius Deus nullo modo vult, nedum ex se prædefinit.

Ad VI. Respondetur; imò multum laudis promereri electos, quia cum absolute potuerint 54
transgredi diuina præcepta, non sunt transgressi; & justam damnationem incurrere reprobos, quia cum absolutè potuissent obedire diuinis mandatis, non obediuerunt: neque enim etiam stante decreto illo diuino circa vtrosque, aliud fieri ab vtrisque impossibile erat, nisi impossibilitate consequente, & in sensu composito; eo modo, quo etiam stante præscientia diuina secus facere vtrisque impossibile erat, vt suo loco dictum, & bene etiam declarauit Vasquez disput. 98. cap. 4. numero 24.

Quarto obijcitur, videri planè hunc modum 55
electionis tollere omnem sollicitudinem bonorum operum & salutis. I. Quia iuxta eam locum habet ratiocinatio illa; Vel sum de numero electorum, vel non sum. Si sum, impossibile est, vt damner; nec est quod sim sollicitus de bonis operibus, aut perseuerantia aut progressu; sed DEVS ipse excitabit me ad illam sollicitudinem, & faciet vt sim sollicitus: quia hæc omnia mihi cum omnibus suis circumstantijs sunt decreta absoluto & efficaci decreto, quod immutari aut frustrari non potest. Si vero non sum de numero sic electorum; frustra etiam sum sollicitus, frustra præcepta seruo, frustra consilia Christi & statum perfectionis sector, quia certissimus sum, hæc omnia nihil mihi in re profutura ad salutem; omnibus enim istis non possum intrare in istum numerum, extra quem nemo saluatur. Non sola autem impotentia, sed etiam certitudo frustrationis effectus tollit conatum. II. Quia ita Viri quidam docti fassi sunt, se nescire, quo futuri sint animo, in religionis iugo ferendo, si eam sibi sententiam persuasam haberent, &c. III. Quia in ordine ad praxin & affectum humanum, non videtur ea sententia multum discrepare à sententia hæreticorum huius temporis; nec minus tollere sollicitudinem bonorum operum, & inducere licentiam vitæ, quàm illa; parum enim interest, sitne quis positiuè ita reprobatus, an solum negatiuè: item siue dicatur electio adferre necessitatem bonorum operum intrinsecam, siue extrinsecam, cum omnia æquè certo sint futura. IV. Si DEVS omnes non sic electos positiuo decreto reprobasset, & à regno excludere statuisset, & vellet hoc decretum occultis modis exequi, sub specie quadam benignitatis & misericordiæ, non alia ratione id commodius & certius præstaret, quam illa, quam nos statuimus, nimirum res humanas sic dirigendo, & tales

gratias

gratias illis præparando, cum quibus sciebat certissimè frustrandos effectu.

56 Respondetur primò, & hanc quoque obiectionem non tam impugnare electionem Dei gratuitam ad gloriam, quam selectionem & discretionem gratiarum pro electis, quæ tamen nulla probabilitate negari potest, ex dictis dub. primo Quare etiam à Massilienſibus contra Augustini sententiam de prædestinatione olim opposita fuit, teste Prospero in epist. ad Augustinum, vbi ex mente Massilienſium hæc habet: [Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum & reijciendorum dicitur facta discretio, vt secundum quod placuerit Creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre; eò quod in vtramque partem superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoque enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam DEVS definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem, cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tolliq́ue virtutes, si Dei constitutio (*siue decretum*) humanas præueniat voluntates: & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem. *Quo tamen non obstante, Prosper ibidem asserit, Deum* secundum propositum & consilium voluntatis suæ occulto iudicio, & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam.]

57 Respondeo secundò ad principale argumentum & assumptum; 1. prudenter id videri nemini posse: quia præter cætera communia motiua ad sollicitudinem bonorum operum sufficit & libera facultas bene operandi, & spes fructus ac æternæ salutis, quam neque nostra sententia minuit, nec opposita auget; ea enim remotè desumitur ex promissis communibus & vniuersalibus Dei, quæ etiam in nostra sententia ad omnes pertinent, vt dictum supra ad obiect. 2. propinquè verò desumitur ex particularibus indicijs & signis prædestinationis, quæ cæteris paribus in vnoquoque eò sunt maiora & clariora, quò maius studium bene operandi adhibet; è contrario verò minora, vt dicetur q. 6. dub. 4. & verò nec alia, nec maiora vspiam spei adminicula opposita sententia suppeditat, quam nostra; nec in vlla sententia de salute planè certi esse possumus; sed iubemur vtrinque cum timore & tremore salutem nostram operari, & inter spem ac metum nec elati; nec planè dejecti, sed erecti incedere: quid ergo ad pietatem adminiculi habet opposita sententia, quod nostra non habeat?

58 Præclarè ad hoc propositum S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 11. [Miror, *inquit*, homines infirmitati suæ malle committere, quam firmitati promissionis DEI. Sed ignota est mihi, inquis, de me ipso voluntas DEI. Quid ergo? Tuáne tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cum igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori, quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? *Et ibidem cap. 12. meritò reprehendit Massilienſes, quod* nisi aliquid sibi assignent, quod prius dent, vt retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant. *De quibus etiam Hilarius in sua epistola ait*: Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, vbi eis quantum putant, ad obtinendum vel omittendum euidens est qualecunque sit initium voluntatis.] Plura ex S. Augustino lib. de bono perseuer. retulimus supra ad obiect. 2.

59 Imò verò in contrarium aio, hanc sententiam de gratuita prædestinatione Dei, suppositâ saltem probabili spe salutis, adeoque prædestinationis, quam singuli habere aut procurare possunt & debent, non solum veræ pietati nihil officere, sed ei potius plurimum adminiculari. Tum quia magnopere confert ad veram humilitatem ac submissionem animi erga Deum, vt hac ratione omnia bona gratuitæ eius bonitati, ac indebitæ misericordiæ in solidum transcribamus; saltem originaliter & secundum primum diuinæ prædestinationis decretum. Tum quia non parum etiam confert ad dilectionem & gratitudinem erga Deum, quando hac ratione agnoscimus, Deum nobis (vti bene speramus) electis, singulari amore & gratuita bonitate, specialiq́ue cura & prouidentia prædestinasse & gloriam, & selegisse, ac discreuisse gratiam congruam electorum propriam.

60 Ex quo etiam affectu, non obstante incertitudine prædestinationis, quæ, vt dictum, in omni sententia pariter confitenda est, nascitur pientissimus ille, & optimo ac sapientissimo cuique consuetus erga Deum affectus, & animi deliberantis inductio; Aut sum prædestinatus, aut non sum: si sum, tantò magis mihi Deus impensè amandus & colendus est, quia deo ab æterno me gratis amauit. Si non sum; in id saltem dum viuam incumbendum mihi est, vt tam bonum erga bonos, & terribilem erga malos Dominum, quàm fieri potest, minimè offendam, ne & maiora mihi inde supplicia adsciscam, & nec iam quidem tantisper eius gratia potiar. Ita planè iustum est; humiliari sub potenti manu Dei, eiq́ue subditum esse, & sentire de Deo, eiusq́ue gratuita prædestinatione in bonitate, ne aut lutum aduersus figulum efferatur, & dicat, quid me fecisti sic? aut vile mancipium aduersus Dominum adeo terribilem & fortem, in proteruum illud erumpat, *Non seruiam.* Sanè ad ostendendum, omnia nostra opera ex diuino nutu ac dispositione potius, quam nostra pendere, multò aliter de hac re cum S. Ambrosio censet & loquitur Augustinus de bono perseuer. cap. 8. *Apostolum secutus*, inquit, *B. Ambrosium audet & dicit: Non enim in potestate nostra est cor nostrum & nostræ cogitationes: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.*

61 Quarè obiectionem illam ex dictis ita refello & retorqueo. Quando obijcitur, sententiam hanc nostram tollere omnem curam salutis, & parere desperationem & licentiam vitæ &c. aut sermo est de ijs, qui spem adhuc aliquam salutis

& consortij prædestinatorum habent, aut sanè habere possunt & cupiunt: aut est sermo de impijs, qui nullam penitus salutis, aut societatis electorum spem habent, aut habere curant. De prioribus hoc dici non potest: quando tales ea spe excitati, multò maiorem causam habent amandi Deum, eique se gratos exhibendi, quàm in oppósita sententia, vt dictum: posteriores autem illi quid mirum, quod sapientissimis Dei consilijs scandalizantur, & in maiorem inducuntur impietatem, quando scriptum est, *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, &c. cum sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi* Tit. 1. versu decimo quinto. Et rursum Apocal. 22. versu vndecimo. *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Et certè vti manifestum est reprobationis signum, contra Deum contumaciter efferri, eiusque consilia reprehendere, ita ex aduerso non exigua prædestinatorum videtur nota, diuinæ voluntatis quamuis abstrusissimis decretis se humiliter submittere. Nunc ad probationes respondendum.

62 Ad I. Respondetur primò, impium illud dilemma in omni sententia dissoluendum esse; quando non tam gratuitam Dei prædestinationem, quam necessitatem gratiæ diuinæ, eiusque efficaciam impugnat; cum tamen de fide sit, neminem quicquam boni, ad salutem pertinens, nisi præueniente Dei gratia excitatum efficere posse, neque etiam re ipsa quicquam boni effecturum vnquam, nisi gratia illa præueniens sit efficax: semper ergo licebit impio dicere, si sum prædestinatus, aut quomodolibet à Deo præordinatus, vt bene operer, non est cur sim sollicitus, sed Deus sua decreta exequendo, pro me erit sollicitus, vt gratia sua efficaci me excitet ad sollicitudinem, & faciat, vt sim sollicitus, &c. Eandem aut similem ratiocinationem ex sola etiam præscientia diuina ab impijs confingi posse, iam antea ex Augustino ad obiectionem secundam notauimus.

63 Respondetur secundò, eam ratiocinationem non solum impiam, sed etiam stultissimam esse; vtpote quæ se ipsam perimit: quia etiamsi DEVS per seipsum decreuit mihi gloriam & gratiam congruam, quæ me efficaciter inducat & faciat operari, non tamen illa suum effectum habebit, aut habere poterit absque mea sollicitudine & cooperatione: neque vero etiam Deus gloriam adultis destinauit, nisi per merita vsque ad finem perseueratura, vt dictum dubio præcedenti. Ergo rursum prædestinatus ad gloriam & gratiam congruam, non ideo debeo proteruus resistere diuinæ voluntati, meæque salutis curam abijcere, sed potius curare, vt oblatæ gratiæ diuinæ cooperer, atque ea suppósita ita me decretis diuinæ voluntatis accommodem, vt merito sperare, & velut ab hoc signo colligere possim, me in numero electorum esse, &c. Atque huc pertinet quod ait Apostolus 2. Tim. 2. versu decimo nono. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius; & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Et versu vigesimo primo. *Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum*, Vtrumque ergo ad salutem requiritur, & prædestinatiua notitia ex parte Dei, & cura propriæ salutis, ex parte hominis.

Ad II. respondetur, alios viros doctos & sapientes, speciatim Sanctum Augustinum & Sanctum Thomam, aliter affectos fuisse: neque vero magnæ perfectionis est, Religionis iugum ideo solum ferre, quia incerta quadam, esto probabili opinione de modo diuinæ prædestinationis duceris, aliàs iugum id non laturus; cum sola per se vis & obligatio diligendi Deum satis ad hoc momenti habere possit & debeat. 64 Sed bene est, quod illi viri docti solum de contingenti futuro loquuntur, quod referre nos omnes pariter fatemur: quo enim nunc animo simus, forte scimus; sed quo cras futuri simus, non scimus.

Ad III. respondeo, nihil opus esse, falso præiudicio ac censura grauari celebratissimam & probatissimam sententiam, quæ ab hæreticorum sententia plus quam toto cœlo differt. 1. quia illa tollit planè libertatem: quod nostra sententia minimè facit; cui etiam falso imponitur, quasi necessitatem extrinsecam inducat, cum solum necessitatem comitantem, seu consequentem inducat, quæ libertati nihil penitus præiudicat, vt suo loco dictum disputat. 2. quæst. 10. dubio octauo. 2. Illa Deum facit authorem & impulsorem scelerum; nostra minimè. 3. Illa Deum facit Tyrannum, qui ante præuisionem peccatorum absoluto decreto decernat omnibus damnandis æterna inferorum supplicia: nostra minimè. 4. Illa dum libertatem tollit, omnem veri peccati rationem tollit, ac proinde rursus Deum iniquissimum reddit Iudicem, dum eum peccatorum tam seuerum vindicem statuit, quæ deuitare in nostra non est potestate. 65 Anne vero ad praxin & affectum humanum non multum interest, hoc aut illo modo sentire?

Ad IV. Respondeo falsum assumi: si enim Deus ex se ad inferni pœnas aliquos positiuo decreto destinasset, tum vellet & procuraret media necessaria ad eum finem, nimirum actiones quaslibet sceleratas, ad easque impelleret, &c. vti Caluinus eiusque asseclæ docent: quod tamen nos velut execrabilem blasphemiam detestamur. Vide Caluinum libro tertio Instit. capite vigesimo secundo §. 21 & capite vigesimo tertio §. 4. & Bezam in Actis Colloq. Mompel. part. 2. passim. In quibus hunc errorem etiam ex ipsis Caluinistis mollioribus non nemo & notauit, & damnauit, dum scribit: *Caluinus peccatum à Deo tanquam medium quoddam exequendæ reprobationi subordinatum seu tanquam necessarium huius consequens eidem substratum esse docet; eoque decretum hoc horribile ipse appellat: Ita vt ex illius sententia, reprobi primo nudè ad exitum æternum: deinde ad peccatum ipsum ineuitabiliter à DEO destinati sint. Qui sanè duplex & quidem insignis Caluini error* eruleari fortasse, at dissimulari potest; sed

constanter excusari ac defendi nunquam potest. Ego quidem reticere nunc ista maluissem, sed à D. S. coactus veritati testimonium dare debui. Ita iste.

66 Quintò obijcitur. Videtur tollere zelum animarum. I. Nam si omnes saluandi ante omnem præuisionem mediorum sunt electi, ergo saluabuntur, etiamsi ego prædicando, monendo nihil cooperer: quid ergo multum angar in procuranda aliorum salute? II. In sanctis viris zelum hunc non admodum excitat, nisi persuasio illa & spes, sua opera aliquos saluandos, qui alioqui damnarentur; quæ persuasio excludit illam electionem absolutam, & reprobationem negatiuam. III. Si quis dicat, Deus etiam hunc zelum absolutè prædefiniuit, & vt isti per te saluentur. Respondebitur. Si ita est, nihil est, quod ego ad illum me excitem: ipse me excitabit.

Respondeo hanc obiectionem similem esse priori. Vnde breuiter negatur primum assumptum. Ad 1. rationem responderi potest primo negando sequelam antecedentis. Nam etsi ordine intentionis decreta sit gloria ante media; fieri tamen potuit aliquando, vt quoad subsistendi consequentiam dependenter fieret à certis medijs, vt in simili dicetur inferius quæstione quinta, dubio septimo. Respondetur secundo negando postremam consequentiam: sunt enim alia motiua, quæ zelum animarum excitant, vt mox dicetur.

67 Ad II. respondetur, si legantur Acta Apostolorum, simul cum epistolis Pauli, aliorumque Apostolorum, nunquam in eis, vt opinor, inuenietur, Apostolorum aliquem sibi hoc arrogasse, sua opera aliquos saluandos, qui alioquin, nisi ea particularis & indiuidua opera interueniisset, essent perituri: sed longe alia apud eos inueniuntur motiua, vt 1. illud Pauli, *Væ mihi est, si non euangelizauero.* 2. Illud eiusdem, *Momentaneum & leue tribulationis huius, &c.* Et, *Qui parcè seminat, parcè & metet.* 3. Illud eiusdem, *Charitas Christi vrget nos*: neque enim charitatis est, negligere opera pietatis, si existimes eis alios non defuturos, sed potius præuenire alios. 4. Illud eiusdem, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Neque verò vllum Sanctorum, etiam si maximum fecisset in Ecclesia fructum, audiui aut legi gloriantem: Ego per Dei gratiam hoc feci, & nisi ego fecissem, alius non fecisset, &c. sed contrarium potius, cum quis diceret, Etiam absque me non defuisset Deo aliud medium, quo bonum hoc perageret, &c. imò existimo, contrariam illam animi persuasionem Christianæ modestiæ non satis esse consonam. Augustino quidem libro 1. de prædest. sanct. cap. 1. causam sui laboris indicare volenti satis fuit dicere: *Vade enim scimus, ne forte DEVS noster id pec hanc nostram velit efficere seruitutem, qua eis in CHRISTI libera charitate seruimus.*

68 Ad III. Iam antea responsum est in simili, nimirum Deum quidem excitare, sed non trahere, nisi tu sponte sequaris. Trahit enim volentem, vt Sanctus Augustinus: neque verò hoc agitur, vt tu prior te excites, à Deo non excitatus, sed vt excitantem sequaris, & excitatus excites, seu potius animum applices ad noua semper opera bona facienda, &c.

Sextò obijcitur. Non videtur illa sententia consentanea naturali rerum ordini, & cursui, ac gubernationi vniuersi. I. Quia iuxta eam dicendum foret, non solum omnes, qui modo saluantur, fuisse etiam saluandos, si Adam non peccasset, sed etiam omnes, qui modo damnantur, fuisse in illo statu rerum damnandos: sicut enim illi ante omnem præuisionem peccati Electi, ita hi in eodem rationis signo negatiuè sunt reprobati. II. Omnes homines, tam reprobi, quàm electi (sed præcipuè electi) in statu innocentiæ debuissent nasci ex eodem semine, ex quo modo nascuntur, & ali ijsdem cibis, quibus modo aluntur; quia non solum animæ, sed etiam corpora in primo illo signo sunt prædefinita, ac proinde ex eadem prorsus materia, ex qua modò constant, in illo statu constare debuissent. Quæ tamen omnia sine specialissima & maximè extraordinaria prouidentia & procuratione Dei fieri non potuissent, præsertim cum iam multi nascantur à reprobis, & occasione peccatorum, & per actus peccaminosos, &c. ea verò tam extraordinaria prouidentia Dei sine solido fundamento non est asserenda. III. Omnes debuissent peruenire ad eosdem gradus gloriæ, ad quos modo pertingunt: quod tamen de infantibus, item de Apostolis, B. Virgine, Ioanne Baptista, & similibus videtur incredibile.

Respondetur, non debere quidem diuinæ Prædestinationis processum ita consentaneum esse naturali rerum ordini ac cursui, quasi nihil in eo supra naturam peragi debeat; cum ipsemet sit ordinis supernaturalis, non naturalis: attamen nihil ex eo absurdum & incredibile consequens esse. Ad probationes respondetur primò, nihil eorum necessario consequens esse: quia tametsi ordine intentionis electi omnes prædestinati sint ante præuisionem peccati, fieri tamen potuit, iuxta diuinæ mentis dispositionem, vt alio quodam ordine independentiæ, siue secundum subsistendi consequentiam, Deus non prædestinarit omnes, nec præcisè ad hos vel illos gradus gloriæ, aut gratiæ, ante præuisionem peccati, sed simul cum præuisione peccati: quemadmodum vniuersim doctissimus disputatione 2. quæst. 10. dubio 5. assert. 10. & paulo post iterum de Christo dicetur. 69

Respondetur secundo cum Suarez hic libro 1. de prædest. cap. 12. num. 11. potuisse Deum sine vlla difficultate, etiam durante statu innocentiæ, ita res humanas gubernare, vt secluſis peccatis, tandem ijdem homines secundum animas & corpora, cũ eodẽ gradu gratię & gloriæ saluarentur, qui nunc saluantur: habet enim Deus in thesauris suæ sapientiæ & potentiæ infinitas vias & modos, quibus id facere posset. Vt autem ijdem omnes tunc damnarentur, nihil opus erat, etiam ob eam causam, quod damnatio non fuerit decreta, nisi post præuisionem peccati: reprobatio autem negatiua, seu prætermissio aliorum in prędestinatione nec ex se necessariò supponit illo- 70

rum

rum existentiam; neque necessario infert damnationem; cum prætermissi absolutè in statu puræ naturæ relinqui potuissent, atque etiam insuper in posteriori aliquo signo prædestinari, vt superius dictum. Vtrum autem illorum absolute futurum fuisset, ipse optimè nouit, qui sua consilia perfectè solus nouit; quis enim consiliarius eius fuit? ego tamen in priorem responsionem magis inclino.

71 Septimo obijcitur, ex hac sententia plurimum videri minui beneficium Redemptionis, & gratitudinem, quam Christo debent omnes electi ratione Redemptionis, & omnium gratiarum, quas in vita accipiunt, & salutis æternæ, quam obtinent; quia iuxta illam, etiamsi Christus eos non redemisset, æquè bene illi erant saluandi, & in eadem sanctitatis & gloriæ mensura. Siquidem
73 Christus ex ea sententia non fuit causa meritoria prædestinationis, sed solum executor. Quod auctores illi necessario fateri debent, cum ponant electionem omnium & singulorum factam etiam ad certum sanctitatis & gloriæ gradum, ante omnem præuisionem permissionis peccati & fururorum, & independenter ab hoc vel illo modo exequendi: cum tamen Christus non fuisset venturus, nisi Adam peccasset, neque adeo etiam vel Incarnatio Christi, vel passio eius fuerit præordinata ante præuisionem peccati.

72 Respondeo, nihil minui; quia vltro fateor, ipsam quoque prædestinationem omnium factam esse ex meritis Christi, & non solam executionem: quia tametsi CHRISTVS non fuisset venturus in carne, si Adam non peccasset, ac proinde quoad subsistendi consequentiam Christus non fuerit prædestinatus ante præuisionem peccati; ordine tamen intentionis prior fuit Christi Incarnatio, quam permissio peccati, aut etiam aliorum hominum vel Angelorum prædestinatio, vt dudum docui in materia de Incarnat. & rursum dicetur dubio septimo. Quomodo autem alij authores, qui ponunt CHRISTVM primum prædestinatum post præuisionem peccati, ad hanc obiectionem respondeant, ad me
73 nihil attinet.

Dices, saltem passionis & mortis Christi meritum minui, quando ea non est prædestinata, nisi post præuisionem peccati. Respondeo 1. meritum passionis ac mortis CHRISTI potissimum ac principaliter consistere in voluntate ac præparatione animi ad patiendum; qualis esse potuisset etiam ante permissionem peccati. Respondetur secundo. Tametsi quidem passio Christi ordine intentionis non fuerit prædestinata ante permissionem peccati, tamen quoad subsistendi consequentiam non erat omnino posterior Incarnatione Christi: quia sicut hæc non fuisset, si peccatum non fuisset, ita etiam non erat futura, nisi in carne passibili, & subsecutura passione ac morte, sine qua proinde etiam non erat futura prædestinatio ex meritis Christi.

74 Atque hæc magis consona videntur nonnullis communi sensui Scripturæ & Sanctorum Patrum, qui ita loquuntur de Incarnatione, atque etiam de Redemptione Christi, ac si absque illa nemo saluus esse posset, sed omnes essent perituri ac damnandi, nec salus ex vi decreti diuini nobis aliunde esset prouentura: quanquam hæc intelligi optimè possent secundum ordinem executionis, & supposita permissione peccati. An verò hinc absolutè consequens sit, neminem fore saluandum, nisi Adam peccasset, quandoquidem si ille non peccasset, Christus non erat venturus; & si Christus non esset venturus, nullus erat prædestinandus; siquidem omnes per Christum fuerunt prædestinati, dicetur infra dub. 7.

Octauo obijcitur. Hæc sententia explicata, populo, & diligenter expensa, parit scandalum & licentiam vitæ, torporem inijcit, & amaritudinem animi & desperationem adfert. I. Quia constat quosdam ex ea sententia in grauissimos mœrores, & barathrum desperationis delapsos; alios vero doctissimos & optimos viros eam grauiter eo nomine accusare; quodque metuerent sibi effrænem vitæ licentiam, si eam in animum demisissent. II. Speciatim hodie plurimi sunt, qui occasione disputationum, quæ in Hollandia & coniunctis Prouincijs maximè, iam plus quam decennium vigent, eius sententiæ imaginatione, afflicti & perturbati sunt. 75

Respondeo, hac de re multa iam dicta esse superius ad obiectionem quartam, quibus addo; sententiam hanc diligenter expensam, & bene intellectam, apud animos pios, Deumque timentes, nullum parere scandalum; nisi forte, vt subinde fit, falsa quædam ei affingantur, vt hac ratione etiam bonis exosa reddatur; quia, vt dictum, *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Psalmo 118. Quid enim in hac re non summæ potius consolationis, quam scandali, quod Deus sola sua gratuita bonitate innumeras quodammodo hominum Angelorumque myriades prædestinauerit ad gratiam & gloriam, alijs, quibus nihil debebat, prætermissis; & vtrisque interim plena & perfecta libertate tam ad bene, quam male agendum relicta; licet infallibiliter illi quidem ante finem vitæ bene sint acturi, hi malè; atque in eo statu vtrique iuxta præscientiam Dei mediam decessuri. Annon idem ferè in omni sententia dicendum? 76

Annon gratis Deus saltem ad gratiam congruam saluandos omnes prædestinauit; quo facto iam ipsi quidem & omnes, & soli, infallibiliter saluantur? Quid de cætero refert, quod gloriam post præuisionem meritorum prædestinarit, si gratiam gratis prædestinauit, ex qua, suppositâ scientia Dei media, quæ negari nullo modo potest, infallibiliter consequitur gloria, & quidem apud eos omnes & solos, quibus ea gratia Electorum propria gratis prædestinata est? An ipsam etiam huius gratiæ gratuitam prædestinationem negabimus, vt scandalum declinemus, contra apertissimas Scripturas, contra luculentissimas Augustini, Fulgentij, Prosperi, Cælestini, ipsiusque Ecclesiæ disputationes, & decisiones? Quod si ea sententia, etsi per se verissima, aut falsis præiudicijs & interpretationibus deprauata, aut intempestiuè disputata, rudibus quibuslibet proponatur, quid mirum si scandala oriantur, non 77

Digitized by Google

eius sententiæ vitio, sed deprauantium, aut imprudenter proponentium culpa?

78 Quam in hac ipsa etiam re, & vbi de sua ipsius sententia circa prædestinationem agit, ita cauendam sapienter dudum admonuit Augustinus libro de bono perseuer. cap. 16. vt tamen etiam veritas suo loco non taceatur. [Dicatur ergo verum, *inquit*, maximè vbi aliqua quæstio vt dicatur impellit, & capiant qui possunt: ne forte cum taceatur propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caueatur falsitas, possunt. Facilè est enim, imo & vtile, vt taceatur aliquod verum, propter incapaces. Nam vnde est illud Domini, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo, &c. Sed alia est ratio verum tacendi; alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inferere: quarum tamen est hæc vna, ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt, &c.] *Hac Augustinus.*

79 Ad primam probationem respondetur, alios ipsius etiam diuinæ præscientiæ infallibilitate fuisse scandalizatos, vt ex Augustino superius retulimus. *Sunt etiam*, inquit eodem capite decimo sexto Augustinus, *qui propterea vel non erant, vel frigidè erant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. Num propter tales huius sententiæ veritas deserenda, aut ex Euangelio delenda putabitur?* Sane quidem existimo, paucissimos ex ijs, qui occasione cogitatæ prædestinationis scandalizantur, eo præcisè scandalizari, quod nostram doctrinam sibi propositam habeant; tum quia parum eam intelligunt: tum quia facile possunt, si volunt, in oppositam sententiam ire, quod nulli prohibemus: sed plerique scandalizantur, siqui scandalizantur, aut occasione doctrinæ Caluinisticæ de prædestinatione, quæ à nobis est alienissima, vt dictum, aut circa prædestinationis, aut diuinæ præscientiæ infallibilitatem in genere; vnde sumitur vulgatum & impium illud dilemma, Aut sum prædestinatus, aut non, &c. aut falsa informatione & propositione eius doctrinæ.

80 Viris illis doctis & pijs, quoties objiciuntur, opponimus doctiores & sanctiores Sanctum Augustinum, & S. Thomam, alioſque innumeros, vt superius dictum. Et audiui ipse alios viros pios & doctos è contrario asserentes, suppositis nimirum probabilibus indicijs factæ de se prædestinationis, magno sibi solatio & ad pietatem incitamento esse, quod Deus tam singularem de se, aliisque electis curam & prouidentiam, cum gratuita illa dilectione coniunctam habeat. Sed & supra dub. 3. Sixtum Senensem attestantem vidimus, oppositam sententiam, cum à se prædicaretur, *plerisque pijs & doctis Theologis non fuisse probatam.*

81 Ad II. Respondeo, eo ipso, quod occasione Hollandicæ controuersiæ ea perturbatio conscientiarum oritur, illos qui objiciuntur, vtique non ex nostræ sententiæ imaginatione afflictos & perturbatos esse, sed ex imaginatione Caluinisticę seu Gomaristicæ sententiæ, quam toto cœlo à nostra diuersam esse superius diximus ad quartam obiectionem. Interim explicatio solida, prudens, & sincera omnem perturbationem quibusque intelligentibus facilè poterit abstergere. Neque vero par est, vt odio vnius hæresis, in aliud extremum declinemus: quando præsertim in vtroque extremo hæreses inueniuntur, vti in proposito 17
accidit; vbi in vno extremo est hæresis Caluiniana & Gomaristica; in altero, hæresis Pelagiana, & Arminiana, partim etiam Lutherana ex dictis quæstione quarta dubio tertio, vt proinde necessario quantum ab vna recedis, tantum ad alteram accedas. In medio ergo consistit & virtus, & veritas.

Præter hoc obijciuntur adhuc tria. 1. quod 82
secundum hanc nostram sententiam reprobi ante præuisionem operum non solum negatiuè, sed etiam positiuè videantur exclusi. 2. quod ea ratione consequens sit, non solum personas ipsas, omnesque gradus gratiæ & gloriæ, sed etiam omnia opera bona cum omnibus suis circumstantijs fuisse à Deo ante præuisionem futurorum prædefinita; quod non videtur posse dici, &c. 3. quod non consentiat cum Augustino loquente de prædestinatione Angelorum. Sed hæc inferius suis locis expendentur: primum quidem quæstione 17
septima dubio quarto, vbi de reprobatione agitur; secundum hac quæst. dub. sequenti; tertium dub. 9.

Iam vero ex omnibus rationibus in contrarium 83
adductis atque hactenus dissolutis, iure merito cum Suarez lib. 3. de auxil. cap. 19. num. 28. dicere possumus, [communem hanc & receptam doctrinam, aduersantium conatu non tantum nihil labefactari, sed magis etiam illustrari & persuaderi. Quia hæc Electio nec libertati derogat, neq; meritis. Item neq; in aliquo minuit gratiam & prouidentiam erga reprobos; aliunde vero exaggerat amorem Dei erga prædestinatos plurimum, consonat Scripturis, conciliat dicta Sanctorum, & præsertim Augustini; est iuxta sensum communem antiquorum Theologorum; est radix valde proportionata singularis prouidentiæ cum prædestinatis. Est ergo illa sententia omnino præferenda.] *Et Henriquez lib. vlt. cap. 12. §. 5. & 7. ait*, [hanc sententiam planè constare ex multis D. Augustini locis, qui vnus hac in re valeat pro mille testibus; item magis decere ad manifestationem diuinæ bonitatis, sapientiæ, & gloriæ, & vt ciuitas Hierusalem cœlestis esset ex viuis & electis lapidibus ordinatissime constructa, cum certo numero & pulcherrimo ordine graduq; dispositis; qualis ad propositum describitur Ezech. cap. 40. & Apocal. 21. secundum certam mensuram, auream eximij artificis, &c. Vt in corporali mundi machina Deus fecit cœlorum numerũ, cum certo stellarũ aspectu & numero, quas varia magnitudine & fulgore disposuit, ad pulchritudinem orbis.] 17

Et infra capite 12. §. 2. vocat hanc *receptam D. Thomæ, & Theologorum* (quasi) *consentientem assertionem.*

DVBIVM VI.

An etiam certi gradus gratiæ & gloriæ, omnesq; actus & media, quibus prædestinati efficaciter promouentur ad gloriam obtinendam, in individuo, & secundum omnes suas circumstantias, sint à Deo prædefinita, ante præuisionem cooperationis, ipsamue cooperationem nostram.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. & 8.

1 VAriè de hac re loquuntur Theologi. Etenim præter eos, qui dixerunt, Deum quidem antecedenti voluntate, & prædefinitiuo decreto efficaciter, seu indefinitè homines & Angelos saluare voluisse, seu etiam certum ac definitum numerum saluandorum prædefinijsse, ita vt minor esse non posset; neminem tamen in particulari eodem prædestinationis decreto prædestinasse; quos refert & refellit S. Thomas hic q. 23. art. 7. quosque etiam dub. 4. & 5. satis refutauimus; negatiuam sententiam primo tuentur omnes illi, qui negant, Deum adultos prædestinasse ad gloriam, ante præscientiam meritorum; hi enim multo magis negant, certum aliquem gradum gratiæ & gloriæ, ipsosq; per se liberos actus, quibus gradus illi attingendi forent, fuisse à Deo ante præscientiam, aut saltem futuritionem cooperationis, seu determinationis liberæ prædestinatos.

2 Secundo alij, vt refert Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 10. num. 3. docent, decretum illud prædestinationis ante præuisionem cooperationis fuisse quidem ad certas personas indiuiduas prædeterminatum, non tamen ad certum terminum seu gradum gratiæ vel gloriæ, sed hunc primum fuisse decretum post præuisionem meritorum, seu cooperationis.

Tertio alij concedentes quidem, non solum certum etiam terminum seu gradum gratiæ & gloriæ à Deo ante præuisionem cooperationis fuisse definitum, sed etiam actus quoque ipsos in genere eodem decreti genere fuisse prædefinitos à Deo, negant tamen eos ante præuisionem aut futuritionem cooperationis nostræ, fuisse prædefinitos in particulari, & secundū omnes circumstantias.

3 Quarto Vasquez disp. 99. c. 7. & 8. & Molina citandus assert. 5. concedunt quidem actus salutares prædestinatorum, imo etiam alios bonos & salutares actus prædefiniri à Deo, ante præuisionem seu futuritionem cooperationis nostrę, in sua causa; quæ est gratia congrua; negant tamen, ita prædefiniri in seipsis; Quæ quidem sententia non tam est à prima sententia diuersa, quam quædam eius explicatio. Verior autem sententia in sequentibus assertionibus consistit, suppositis ijs, quæ de diuinis præfinitionibus generatim docuimus supra disp. 2. quæst. 10. dub. 6. & 7.

Assertio I. Actus salutares prędestinatorū, seu in particulari, seu in vniuersali; sicut & certus etiam gratiæ aut gloriæ gradꝰ prædefiniti à Deo, nō fuerūt ante præuisionē seu præscientiā conditionatā liberæ cooperationis & determinationis nostræ. Ita cōmunis ac certa omniū eorum, qui eiusmodi scientiam conditionatam agnoscunt, vt generatim dictum cit. q. 10. dub. 6. assert. 3. & 7. vbi etiam probauimus, nec posse quidem à Deo opus liberum vllo modo prędefiniri, secluſa scientia media seu conditionata. Ratio assertionis breuiter est, Quia scientia conditionata aliquo modo est necessaria in Deo, & antecedens omnem liberam & absolutam determinationem Dei, seu futuritionem rerum, vt suo loco dictum. Neq; vero de hac prævisione seu præscientia cooperationis conditionata est hoc loco controuersia, sed solum de præscientia absoluta.

Assertio II. Decretum diuinæ prædestinationis ante præuisionem operum, seu cooperationis nostræ, respectu omnium & singulorum saluandorum, fuit determinatum ad certū gradum gloriæ tam essentialis, quàm accidentalis; nisi quod gloria accidentalis supponens necessario peccatum, ante præuisionem absolutam eius peccati prędefiniri non potuit. Ita quoad priorem partem sentiunt omnes illi, qui prædestinationem ad gloriā factam esse docent ante præuisionem operum supra dub. 3. relati. Ratio est. Quia prędestinatio singulorum ad gloriā ex parte termini primarij, non fuit confusa & indeterminata. Posterioris partis, quā bene tuetur Suarez l. 1. de præd. c. 10. n. 7. ratio est. Quia alias oporteret fateri, ipsum etiam peccatū saltem virtualiter à Deo esse prædefinitum, cū præfinito consequenti, etiā prędefinitum intelligatur antecedens, ad quod alterum necessariam & intrinsecam dicit habitudinem: peccatū autem prędefiniri à Deo non posse, patet ex disp. 2. q. 10. dub. 6.

5 Assertio III. Actus salutares prædestinatorum non fuerunt à Deo prædefiniti primum post præscientiam seu præuisionem absolutam cooperationis seu determinationis nostræ. Ita vniuersim etiam docuimus eodem loco supra cit. q. 10. dub. 6. post assert. 4. quam præter auctores inferius citandos pro assert. 6. tradit etiam Vasquez disp. 99. c. 7. n. 42. nec est quod sciam vllus classicus Doctor, qui oppositum doceat; imo idem Vasquez disp. 99. c. 5. ex cōmuni sententia refellit Catharinum opusc. de præscient. c. vlt. Osorium l. 9. de Iustitia, Cordubam l. 5. q. 55. dub. 10. & Marsilium in 1. q. 45. a. 2. post conclus. 4. qui docuerunt, actꝰ saltem malos à Deo præfiniri præfinitione subsequente, non quidem ipsam præuisionem absolutam cooperationis nostræ, sed liberam tamen determinationem nostram, quæ prior est absoluta præuisione eiusdem, vt suo loco ex communi & certa sententia docuimus.

6 Ratio assertionis est manifesta: quia præscientia absoluta cooperationis seu determinationis nostræ supponit futuritionē absolutam eiusdem: Ergo supponit etiam præfinitionem eiusdem cooperationis nostræ; quandoquidem ipsa absolutè futura esse non potest sine præuia præfinitione Dei, vt bene Vasquez ibidem, & dictum generatim cit. dub. 6. assert. 2. Quomodo enim aliquid boni esset, nisi Deus esse voluisset; in quo consistit di-

uina præfinitio. Cum ergo cooperatio nostra non sit præfinita à Deo primum post præuisionem absolutam cooperationis nostræ, nec actus etiam boni prædestinatorum quantumuis liberi, præfiniti à Deo verè dici possunt primum post præuisionem cooperationis nostræ: quandoquidem etsi actus ipsi in Esse perfecto ratione posteriores sint determinatione seu cooperatione nostra, non tamen hæc minus libera est, quam actus nostri, nec hi ab ea re ipsa differunt. Nec video, quomodo contrarium probabiliter defendi possit.

7 Assertio IV. Actus boni & salutares prædestinatorum, omnes & singuli, etiam in particulari à Deo prædefiniti fuerunt, ante præscientiam seu præuisionem cooperationis nostræ. Sequitur ex assertione præcedenti, eademque ratione probatur. Quia præscientia absoluta cooperationis nostræ, siue etiam actuum nostrorum, non solum non est prior absoluta futuritione cooperationis seu actuum nostrorum, verum etiam nec simul, sed posterior: Ergo etiam est posterior præfinitione eorundem, quandoquidem futuri esse non possunt, nisi supposita diuina præfinitione, vt dictum.

8 Assertio V. Actus salutares prædestinatorum, in sua causa prædefiniti à Deo fuerunt absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Ita non solum docent omnes citandi pro assert. 6. sed ex ijs etiam, qui prædestinationem ad gloriam non existimant factam ante præuisionem meritorum, Molina 1. p. q. 14. a. 13. disp. 18. memb. 3. & Vasquez disp. 99. c. 7. & 8. & est communis: neque à quoquam iure negari potest, vt etiam generatim de quolibet bono & salutari actu virtutis dictum cit. q. 10. dub. 6. assert. 5. Ratio est clara. Quia opus bonum virtutis in sua causa prædefinit Deus hoc ipso, quod prædefinit vocationem congruam, ex qua, supposita scientia media, infallibiliter sequitur eiusmodi opus bonum: at vocationem congruam prædefinit Deus absque nostro consensu, adeoque ante absolutam futuritionem, aut scientiam determinationis nostræ, vt certa & communis habet Doctorum sententia; quandoquidem ipsa est causa determinationis & cooperationis nostræ: Ergo & ipsum opus virtutis prædefinit Deus in sua causa, absque nostro consensu, adeoque ante futuritionem absolutam liberæ determinationis nostræ. Quod necessario fatendum est, etiamsi quis dicat, (quod tamen superius dub. 1. refutauimus) Deum non seligere pro electis gratias congruas, neque efficaciam gratiæ priorem esse cooperatione nostra: quia nihilominus Deus ante cooperationem nostram, ijs qui saluantur, re ipsa decernit eam gratiam, cum qua per scientiam mediam infallibiliter antea præuiderat eos cooperaturos; quo ipso iam cooperatio ipsa & opus bonum præfinitur à Deo in sua causa, ante cooperationē nostram, eiusq; præuisionem.

9 Assertio VI. Verius est, Deum actus salutares prædestinatorum, vti & eorum gradum gratiæ sanctificantis, etiam in particulari, & iuxta omnes circumstantias, absolutè ac in se ipsis prædefinire, ante futuritionem absolutam nostræ determinationis, siue consensus ad eosdem. Hæc est conclusio principalis in hac materia, & de qua sola ferè controuersia hoc loco esse potest; quam tradunt primò omnes illi, qui docent, causam secundam à prima etiam physicè ac intrinsecè prædeterminari ad omnem actionem, speciatim Bannes, Zumel, & omnes Thomistæ recentiores hic q. 23. art. 4. & 7. item Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 89. Capreolus in 2. dist. 28. q. 1. a. 3. Eandem assertionem tuentur Suarez lib. 3. de auxil. cap. 17. à num. 8. & lib. 1. de prædest. cap. 10. num. 4. Mascarenas de auxil. disput. 2. part. 4. Henriquez lib. vlt. cap. 5. §. 1. & 4. & cap. 11. §. 6. lit. E. F. vbi addit etiam, *omnia & singula bona naturalia & moralia, quæ in mundo reipsa fiunt, ad eum modum prædeterminare Deum*; & citat pro eadem sententia Hispalensem, Palatium, Driedonem, Carthusianum, Tapperum, Viguerium, Vegam, item Scotum, Durandum, Heruæum, Bassolem, Maiorem, Liquetum cum Magistro in 1. d. 38. item Ariminensem d. 39. Marsilium in 1. quæst. 45. a. 2. Certè Gabriel in 1. d. 33. q. vn. a. 2. referens sententiam Scoti dicit: *quod voluntas diuina, quæ est prima regula contingentium, prius natura determinat contingentia, quam intellectus diuinus intelligat illa esse futura.* Et Scotus ipse in 4. d. 49. quæst. 6. §. *Dico ergo*, ait, *contra naturam voluntatis est, determinari à causa inferiori, quia hoc ipso non esset superior: non est autem contra naturam eius determinari à causa superiori.* Agnoscit ergo Scotus, voluntatem saltem extrinsecè determinari, stante libertate, à Deo velut causa superiori.

Idem planè sentit S. Thomas varijs locis. Etenim 10
1. p. q. 23. a. 7. docet, quod quemadmodum Architectus ex se ipso *excogitat determinatam mensuram domus, & etiam determinatum numerum mansionum, quas vult facere in domo, & determinatum numerum mensurarum parietis vel tecti, ita etiam certū esse Deū numerum prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiā per modū cuiusdā principalis præfinitionis.* Vbi planè loquitur de prædestinatis in particulari; etiam secundum determinatam mensuram gratiæ & gloriæ, adeoque etiam mediorum, quibus ad eam pertingant, vti etiam prius in simili de determinato numero mensurarum parietis vel tecti, ipsarumque mansionum locutus fuerat.

Item in 1. part q. 23. a. 1. ad 1. & q. 5. de verit. a. 5. ad 1. & 3. cont. gent. c. 90. exponens dictum Damasceni in cōtrarium obiectum, docet, eum non quamcunq; nostrorū actuū prædeterminationem negare voluisse, sed eā dūtaxat, *quæ est cū impositione necessitatis.* Vbi manifestè agnoscit S. Thomas, volūtates nostras à Deo prædeterminari, etiā salua libertate: quod generatim pronūtiatū, minimū de actibus salutarib⁹ prædestinatorū accipiendū videtur: etsi nō ignoro, eam S. Thomæ explicationem à quibusdam recentioribus, qui hoc loco contrariam sententiam tuentur, reijci & impugnari.

Item in 1. 2. q. 112. a. 4. S. Thomas apertè refert 11
diuersitatem cooperationis cum gratia in diuersitatem gratiæ præuenientis, adeoq; in decretū Dei diuersa gratiæ dona singulis decernēs ac prædefiniēs: [Ex parte subiecti, *inquit*, gratia potest suscipere magis vel minus, prout scil. vn⁹ perfecti⁹ illustratur à lumine gratiæ, quā alius. Cui⁹ diuersitatis

ratio

ratio quidem est aliqua ex parte præparantis se ad gratiam; qui enim magis se ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diuersitatis; quia præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium eius præparatur à Deo. Vnde prima causa huius diuersitatis accipienda est, ex parte ipsius Dei, qui diuersimodè suę gratiæ dona dispensat, ad hoc, quod ex diuersis gradibus pulchritudo & perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diuersos gradus rerũ instituit, vt esset vniuersum perfectum. Vnde Apostolus *Ephes. 4. postquam dixerat, Vnicuiq; data est gratia secundum mensuram donationis Christi, enumeratu diuersis gratijs, subiungit, Ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi,* Et 3. p. q. 7. a. 10. ait: *plenitudinum gratiæ vna est plenior altera, secundum quod aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem vel inferiorem statum.* Ita S. Thomas. Omitto locum S. Thomæ q. 3. de potent. a. 7. vbi planè etiam physicam prædeterminationem ad singulos actus asserere videtur; quod tamen alibi reuocat, vt dictum supra disp. 2. q. 11. dub. 1.

12 Probatur assertio primò ex scriptura, quæ huic sententiæ non parum fauet. Insignis locus est Eccli. 33. à v. 10. *Omnes homines de solo, & ex terra, vnde creatus est Adam. In multitudine disciplinæ Dominus separauit eos, & immutauit vias eorum. Ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos à separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere. Omnes viæ eius secundum dispositionem eius, sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum.* Vbi planè significatur, Deum ex se ipso, & ante præuisionem, imò futuritionem absolutam cooperationis & determinationis nostræ, suo arbitratu disponere & præfinire vias nostras & opera, sicut figulus de luto disponit modum formandi vasis: quod quidem pro diuersitate subiectæ materiæ, de operibus bonis & salutaribus à Deo ipso intentis propriè ac positiuè accipiendum est; de malis autem non nisi quoad permissionem. In quem sensum etiam loquitur Ecclesiasticus c. 11. v. 15. *Dilectio & via bonorum apud ipsum*; nimirum peculiari modo præordinatæ sunt.

13 Huc spectat illud Prouerb. 21. v. 1. *Cor regis in manu Domini, sicut diuisiones aquarum; quocunq; voluerit, vertet illud*; hoc est inclinabit & permouebit illud, vtiq; præuia aliqua, & non solum concomitante vel subsequente dispositiõe siue decreto. Item Esther 13. v. 9. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; nec est qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Vbi certè non est sermo de decreto conditionato; quia huic facile est resistere: sed de decreto absoluto; cui licet absolutè resistere possimus, fieri tamen non potest vnquam; vt re ipsa non impleatur. Et valde significanter Propheta Ieremias c. 10. v. 23. *Scio Domine quia non est hominis via eius: nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos*: nimirum primordialiter, & secundum primam quasi radicem, ex qua emanant omnia opera bona, salua interim libertate hominis. Quo loco eodem sensu vtitur Ambrosius, & ex eodem sæpe Augustinus, vt alibi dictum, & denuo inferius dicetur.

Huc spectat etiam illud Ephes. 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsũ, secundum propositum voluntatis suæ. &c.* Vbi tam habet illud, Deum benedixisse nos in omni benedictione spirituali, sicut elegit nos; hoc est, secundum quod elegit nos, vt essemus sancti; item prædestinasse nos in adoptionem filiorum, idq; non conditionatè cum dependentia à nostra cooperatione, sed secundum propositum seu placitum voluntatis suæ. Quæ omnia de donis cælestibus, & gratia adoptionis, etiam in particulari, deque efficaci & absoluto, non conditionato decreto accipienda sunt, vt inferius ex Augustino magis declarabitur.

Item Ephes. 1. v. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Vbi rursum præparare seu decernere (efficaci vtiq; decreto) opera bona, vt in illis ambulemus, non significat conditionatum decretum, seu præfinitionem, si nimirum nos ipsi ad ea determinemus, sed absolutum; alioquin non dixisset, *vt in eis ambulemus*, sed si in eis ambulare velimus. Vnde etiam Athanasius in eadem verba: *Sciens autem, inquit, hæc parauisse Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin perageantur, tanquam diuinitus sint præfinita, idque per nullam ergà nos prouidentiam.* Si autem solum sub conditione præfinita essent, prætermitti vtiq; possent, non solum in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito.

Secundò probatur assertio ex SS. Patrib⁹. Certè eam Augustini fuisse sententiam, vtiq; adeo perspicuum est visum aduersarijs, vt Faustus Regiensis duos etiam libros de libero arbitrio aduersus Augustinũ, suppresso tamen eius nomine, scripserit, in quibus eam sententiam magnoperè impugnat, quæ dicit, ante præscientiam boni vel mali vsus liberi arbitrij, Deum absoluto decreto prædefinijsse actus humanos, quibus prædestinati saluantur. Vnde lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 10. explicans Faustus illud, [Et tunc reddet vnicuiq; secundũ opera sua, *ait*: Aduerte, quia dum dicit, secundũ opera sua, salutem hominis, non in prædestinatione factoris, sed in operatione famulantis largitor gratiæ collocauit.] *Vos prædestinationẽ opponit liberæ operationis hominis. Et c. 11.* [Igitur, *inquit*, dum liberi interemptor arbitrij, in alterutram partem, omnia ex prædestinatione statuta & definita esse pronuntiat, etiã suprema remedia pœnitentiæ sensu abruptæ impietatis euacuat. *Item cap. 10. exponens illud*, Potens est enim Deus statuere illum, *ait*: Apertè ostendit, statum hominis in diuersa, non pro constitutione Dei, sed pro arbitrij libertate posse versari. *Et lib. 2. c. 2.* Præscientiã, *inquit*, & prædestinationem Dei malè intelligunt, astruentes, quod inde humanorũ actuũ causa nascatur. *Et infra*: Non ita est; hoc potius agnosce, quod præscientia Dei de materia humanorum actuum sumat exordium. Quid de nobis præscire ac præordinare debeat

Deus, quantum pertinet ad futurum, in profectu hominis defectuque consistit. *Et cap. 3.* Ac sic, *inquit*, nisi præscientia explorauerit, prædestinatio nihil decernit.] Vnde de ijsdem Semipelagianis B. Prosper in epist. ad Augustinum: [Remoueri (*aiunt*) omnem industriam, tollique uirtutes, si Dei constitutio (*seu præfinitio*) humanas præueniat voluntates.

15 Eandem vero sententiam ipsemet Augustinus in varijs locis non obscurè tradit. Vt in libro de prædest. sanct. capite decimo octauo. *Inuenimur*, inquit, *verba Apostoli* (Ephes. 1.) *atque videamus, utrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an vt essemus? Benedictus*, inquit, *Deus & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui nos benedixit in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus. Ita ergo nos benedixit benedictione spirituali in cœlestibus in CHRISTO IESV, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, prædestinans nos in adoptionem filiorum per IESVM CHRISTVM, in ipsum. Deinde quid adiungat attendite, secundum placitum*, inquit, *voluntatis suæ; ne in tanto beneficio gratiæ DEI, placito gloriemur voluntatis nostræ.*

16 Et infra: *Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinauitque vt essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suæ, vt nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur: fecit hoc secundum diuitias gratiæ suæ, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum non nostrum, sed eius qui vniuersa operatur, vsque adeo vt ipse in nobis operetur & velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. Hinc est autem, quod clamamus, vt nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in se ipso; sed qui gloriatur, in Domino glorietur, vt simus in laudem gloriæ eius. Ipse quippe operatur secundum propositum suum, vt simus in laudem gloriæ eius, vtique sancti & immaculati, propter quod nos vocauit, prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius, est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Ita Augustinus.

17 Quibus verbis non vno tantum modo traditur hanc sententiam. I. quia cum Apostolo absolutè, vt verba sonant, docet, Deum nos *elegisse*, vtique ante determinationem liberi arbitrij nostri, *vt essemus sancti*; non sanè indefinitè solum, & in genere, sed particulatim ac definitè, prout decreti diuini perfectio postulat. II. Cum ait, tales (vtique in particulari, cum hoc & tanto gradu, non alio; cum his, non alijs operibus) fuisse nos futuros, *quia elegit ipse, prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus:* quo sanè loquendi modo nunquam vteretur Augustinus, nec quisquam verè vti posset, de actibus malis & peccaminosis, quantumuis & hos Deus quoad substantiam præfinierit sub conditione, seu concomitanter ad determinationem liberi arbitrij nostri, vt dictum cit. disp. 2. q. 10. dub. 6. assert. 4. Loquitur ergo Augustinus hic de alia præfinitione, quam quæ actibus etiam malis communis est. III. cum ait, elegisse nos & prædestinasse hoc modo ad sanctitatem, *secundum complacitum voluntatis suæ*; hoc est, ex se ipso, non expectato nostro consensu seu operatione. IV. *Vt nemo*, inquit, *de sua, sed Dei erga se voluntate glorietur*: posset autem homo gloriari, si diuina electio & præfinitio ad sanctitatem nostræ voluntatis consensum expectaret, non præueniret. V. cum ait, *ex hoc eius proposito esse illam electorum propriam vocationem*, quibus omnia cooperantur in bonum. Vbi perspicuè docet, ex proposito & electione ad sanctitatem consequenter decerni & conferri vocationem illam congruam, electorum propriam; ac proinde sanctitatem nostram ac iustitiam à Deo prædestinari & præfiniri non solum mediate in ipsa gratia congrua, sed etiam priusquam gratia vocans nobis decernatur; cum huius decretum præfinitionem sanctitatis subsequatur, vt inferius dicemus.

Rursum de prædest. sanct. cap. 19. & 20. [Non 18
quia credidimus, *inquit Augustinus*, sed vt credamus elegit nos, &c. Agit quippe Deus, quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur, quod manus eius & consilium prædestinauit fieri. *Item lib. de bono perseuer. c. 22.* Ita se habet, *inquit*, de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt ex infidelitate veneritis ad fidem, accepta voluntate obediendi, & accepta perseuerantia maneatis in fide, &c.]

Et libro 2. de pecc. mer. & remiss. capite 17. cum ex Ieremiæ cap. 10. attuliſſet illud, *Scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos*, subiungit: *Hoc ergo præcipuè commendatur, hoc in sapientiæ & scientiæ thesauris in Christo absconditis, quàtum existimare audeo, præcipuè docetur & discitur. Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur, vt nouerit, non suæ facultatis, sed diuersi muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab electionis vanitate sanetur; & sciat, quam verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

Item libro de correptione & grat. capite nono. [Nullus, *inquit*, prædestinatorum ex bono in malum mutatus finit vitam; quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, vt non pereat, sed habeat vitam æternam, &c.] Qui etiam ibidem capite septimo effectus, qui ex vi diuinæ prædestinationis subsequuntur, fusè commemorat.

Cum his consonat illud Augustini in Soliloquijs capite vigesimo sexto, vbi ait: [Antequam 19
enim nascerer ego filius ancillæ tuæ, Domine spes mea ab vberibus matris meæ, tu præueniſti, præparaſti mihi semitas, quibus incederem & venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in vtero, nouisti me, & antequam exirem de vulua, quicquid tibi placuit, prærordinasti

de,

de me.] Possent in eundem sensum alia complura ex S. Augustino adduci, sed hæc in præsentiarum sufficiant. Vide tamen paulo post rationem tertiam.

Ex alijs Patribus, præter Athanasium paulò superius adductum, Theodoretus in illa verba Ephes. 1. *Elegit nos in ipso*, ait: *Ab initio enim*, inquit, *ante mundi constitutionem, ea quæ ad nos pertinebant, præscivit & prædefiniuit. &c. Præscivit nos, & dilexit, & nostram vocationem præconstituit, vt nos filiorum adoptionis donum perciperemus &c. Secundum propositum voluntatis suæ.*

Et Hieronymus lib. 3. cont. Pelag. cum ex Prouerb. 16. recitasset hæc verba: *Deuolue super Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ* addit: *Tunc enim nostra cogitatio confirmatur, quando omne quod agimus quasi super stabilẽ & solidissimam petram, Domini adiutorio deuoluimus, eique cuncta reputamus.* Deuoluimus autem proprijssimè super Dominum bona opera nostra, quando ea primordialiter ad ipsam Dei prædestinationem referimus.

Huc spectant etiam illi Patres, qui docent, Deum malum, etiam pœnæ, seu actiones malas non prædestinasse, sed solum bonas. In quibus Concilij Arausicanij II. can. 25. *Aliqui verò*, inquit, *ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Idem repetit Concilium Valentinum sub Lothario c. 3. Et Augustinus, seu Prosper ad articulos falsò impositos a. 10. *Dei prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est &c. Adulteria enim maritatarum, & corruptelas Virginũ non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare; non disponere, sed punire.* Et a. 10. *Nihil talium negotiorum Deus prædestinauit vt fieret, neq; illam animam nequiter turpiterq; victurã, ad hoc, vt taliter viueret, præparauit.*

Similia habet Prosper ad obiectiones Vincentianas, & ad capitula Gallorum c. 1. *Prædestinationis*, inquit, *fides multa sanctarum scripturarum authoritate munita est; cui nullo modo fas est, ea quæ ab hominibus malè aguntur, ascribi.* Idem ex instituto probat Fulgentius toto lib. 1. ad Monymum, vbi inter alia: *Quæramus itaq; vtrum credendum sit, Deum iniquorum opera prædestinare, pro quibus eos condemnet, sicut in sanctis prædestinare dicitur, quod coronet.* Et infrà: *Iniquos ad supplicium iustè prædestinauit, quia eorum mala opera licet futura præsciret, non tamen ipse prædestinauit, vt futura essent, quia non ipse facit, vt fierent.* Et infrà: *Præscius voluntates bonas & malas, prædestinauit autem non malas, sed solas bonas.*

Quæ testimonia ad hunc sensum aptissimè intelliguntur, quod etsi Deus præfinitione concomitante actiones etiam malas, in quantum entia sunt, & præfinitione etiam consequente malũ pœnæ, Deus ab æterno præfinierit, vt alios Patres loquentes vidimus supra disp. 3. q. 10. dub. 7. assertio. 1. nihilominus tamen absolutè non prædestinasse aut prædefinijsse, non solũ quia eas in quantum malæ sunt non prædestinauit, sed etiam quia non prædestinauit eas, etiam in quantũ entia sunt, prædestinatione absolutà ante cooperationem nostram; vt bene etiam intellexerunt Molina q. 14. a. 13. disp. 18. m. 3. & Suarez opusc. de cõcurs. Dei lib. 2. de concurs. Dei c. 4. qui eodem etiam sensu absolutè negant, Deum actus malos *præfinisse* seu *prædestinasse*. Cum igitur SS. Patres doceant, Deum actus bonos & salutares prædefinire eo modo, quo actus malos non prædefinit, planè sentiunt, illos absolutè à Deo præfiniri, præfinitione scilicet antecedente cooperationem futuram, & non solum concomitante.

Tertiò probatur assertio ratione. Primò, quia qui efficaciter intendit finem, ordine intentionis prius vult ea media, quæ sunt propiora fini, quàm quæ ab eo remotiora: atqui liberi actus boni sicut & ipse gradus gratiæ sanctificantis, libera cooperatione prædestinati acquirendus, sunt media propiora fini, quàm quæ à solo Deo efficiuntur, & in prima vocatione congrua consistunt: Ergo illa prius ratione sunt à Deo volita, quàm ista: ergo si, vt authores oppositæ sententiæ partim fatentur, partim necessariò fateri debent, hæc fuerunt prædefinita non solum ante præscientiam liberæ cooperationis nostræ, sed etiam ante futuritionem absolutam nostræ cooperationis, multò magis illa. 22 23

Secundò, quia moraliter idem est, eiusmodi actus bonos in particulari ac in indiuiduo prædefiniri in se, vel in sua causa; cum ergo negari non possit, eos absolutè & antecedenter prædefiniri in sua causa, vt dictum assert. 5, frustra negatur, eos prædefiniri in se.

Tertiò. Si Deus antecedenter ad determinationem voluntatis nostræ absolutè futuram, præmouet efficacis gratiæ auxilio ad actiones salutares, tunc etiam easdem antecedenter ad eandem determinationem præfinit; non solum quia eadem est vtrobique ratio; sed etiam quia illa præmotio ex hac præfinitione nascitur: prius enim efficaciter decernit præmouere, quam reipsa præmoueat: sed verum est antecedens, nec à quoquam potest negari: & patet ex Augustino varijs locis, præsertim lib. de corrept. & grat. c. 14. vbi ait: *Deo volenti saluum facere, nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. &c. Non est itaq; dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo & in terra omnia quæcunq; voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt facit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult cum vult facit. &c. sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omni potentissimam potestatem.* 24

Quod probat etiam ex illo 1. reg. 10. *Et abierũt potentes, quorum tetigit Deus corda cum Saule*: & addit: *Nunquid aliquis dicturus est, non iturum fuisse cum Saule quenquam eorum, quorum tetigit corda Deus, vt irent cum illo? aut esse aliquem pestilentium, quorum vt hoc facerent corda non tetigit?* Et mox de Abisai ex 2. Paralip. 12. *Nunquid ille*, inquit, *posset aduersari voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum suum, quo indutus est, vt hoc vellet, diceret, & faceret?* Et infrà: *Intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosq; voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate volun-*

sates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit, vt salubris correptio, & fiat in correpto corde correctio, vt cœlesti constituatur in regno.

Quartò, quia præfinitio hæc ex vna parte nil derogat iustitiæ diuinæ, aut virtuti meritorum, vt dictum supra dub. præc. nec libertati arbitrij, vt dictum cit. disp. 2. q. 10. dub. 7. ex altera verò parte gratiam & perfectionem diuinæ prouidentiæ, simulque amorem erga prædestinatos valde commendat: ergo rectius affirmatur, quã negatur.

25 Quintò, quia id negari vix potest de quibusdam actibus supernaturalibus pertinentibus ad bonum commune omnium prædestinatorum, vt est consensus B. Virginis in opus Incarnationis Verbi: actus voluntatis Christi, quo mœrorem suscepit, prædicatio Apostolorum &c. vt ex cõmuni bene Henriquez lib. vlt. c. 11. §. 2. & 6. & Suarez opusc. loc. cit. Cur ergo negetur de actibus salutaribus prædestinatorum?

An verò idem etiam dicendum sit de actibus bonis, præsertim supernaturalibus, reproborũ, magis incertum est. Affirmat quidem cum Thomistis recentioribus Henriquez lib. vlt. c. 11. §. 6. lit. E. & Suarez lib. 3. de auxil. c. 17. à num. 8. id probabile censet, atque ita etiam absolutè & indiscriminatim loqui videntur SS. Patres, & ex parte etiam Scriptura loc. cit.

In contrarium tamen videtur esse illud, quod docet S. Thomas hic q. 23. art. 7. vbi erga reprobos tantum generalem tribuere Deo videtur prouidentiam. Cum enim dixisset, *certum esse numerum prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis*, subiungit: *Non sic autem omninò est de numero reproborum, qui videntur esse præordinati à Deo in bonũ electorũ, &c.*

26 Sed hoc nihil obstat, quo minus supposita reproborũ existentia, etiam ipsis Deus præfinierit bonos eiusmodi actus, quando præsertim multi ex illis fuerunt media salutaria ad exequendam electionem saluandorũ: & quia id magis Scripturæ & SS. Patribus consentaneum est, vt diximus, rectius affirmatur; etsi quidem sola per se subordinatio causæ primæ ad secundam id minimè conuincat, vt ex dictis disp. 2. q. 10. dub. 6. colligi potest.

Accedit quod Caietanus eod. art. 7. explicans S. Thomam docet reproborum numerum ex parte subiecti, seu quoad esse naturale, etiam prædefinitiuè Deo certum esse; quanto magis hoc diceret de actibus eorundem supernaturalibus?

27 Assertio VII. Tametsi, vt dictum, electorum actus supernaturales singuli, vt & alij salutares actus eorundem, ac media specialia singula, quibus efficaciter perducuntur ad beatitudinẽ, siue pendeant à solo Deo, siue etiam à cooperatione liberi arbitrij, in indiuiduo & iuxta omnes circumstantias, etiam ante liberam determinationem arbitrij, sint à Deo præfinita; est tamen hoc inter illa discrimen, quod actus illi, eaque media, quæ necessario & essentialiter supponunt peccatum, vt est actus pœnitentiæ, & passio Christi &c. non fuerunt prædefinita ante præscientiã ipsius peccati, quod supponunt: etiamsi cæteri præfiniti sint ante præscientiã omnis peccati. Huius assertionis postrema pars patebit ex dub. 8. vbi ex instituto probabim⁹, prædestinationem ad gloriam omniũ, tam hominum quam Angelorum factam fuisse ante permissionem seu præuisionẽ peccati. Est autem eadẽ ratio prædestinationis seu electionis eorum mediorum, quę necessariò non præsupponunt peccatum.

Prima pars patet ex dictis assert. præced. in qua 28
speciatim de actibus salutaribus electorum quibuscunque, siue supernaturalibus, siue etiam naturalibus, quibus efficaciter perducuntur ad beatitudinem actũ est; eadémq; , imo potiores est ratio aliorum mediorũ, quæ non ita immediatè pendent à cooperatione liberi arbitrij: è quibus etiam non nulla; ex aduersæ quoq; sententiæ authoribꝰ concedunt, à Deo esse præfinita ante determinationem liberi arbitrij, vt dictum.

Secundam partem præter eos, qui vniuersim docent, actus liberos in se non esse à Deo præfinitos ante determinationem, seu quod idem est, ante futuritionem absolutã determinationis nostræ, in quibus Molina, Vasquez, & alij; docent etiam Suarez cit. lib. 1. de præd. cap. 10. n. 4. & cap. 13. n. 3. & 10. & lib. de auxil. cap. 17. à n. 8. & fere Henriquez lib. vlt. c. 6 §. 4. & c. 12. §. 2. etsi repugnent Thomistæ quidam recentiores, post Heruæum in 1. d. 40. qui vti putant, omnes actus etiam malos, in quantum entia sunt, prædefiniri à Deo ante liberam determinationem nostram, ita etiam docent, actus bonos tametsi necessario supponant peccatum, præfiniri ab eodem ante præuisionem peccati. Sed probatur ea pars assertionis. Quia qui absolutè & sine conditione efficaciter vult aliquid fieri, vult etiã fieri, seu esse ea, quæ ad id necessario supponuntur: vt si Iudex absolutè & sine conditione efficaciter vellet exercere actum Iustitiæ vindicatiuæ, deberet etiam velle, vt sit peccatum, quod actus illè necessario supponit: & si medicus absolutè & efficaciter vellet sanare, etiam non supposita præuisione vel existentia morbi, tum is etiam necessario velle deberet morbi existentiam, sine qua sanatio esse non potest: ergo pariter etiam si Deus absolutè & sine conditione vellet aliquem actum ex se bonum esse aut fieri, qui necessario & intrinsecè supponit peccatum, is hoc ipso etiã deberet velle peccatum, quod is actꝰ necessario supponit: atqui vero impossibile est, vt Deus velit peccatum: ergo etiam impossibile est, vt ex se absolutè & absque conditione, seu ante præuisionem peccati, velit eos actus bonos, siue media salutis, quæ necessario supponunt peccatum.

Assertio VIII. Inter ipsa quoque media specialia salutis à Deo particulatim prædefinita, aliquis 29
est ordo, vt nimirum ea Deus secundum rationem prius præfinierit, quæ sunt propinquiora fini, quã remotiora, puta actus bonos & salutares prædestinatorum ante auxilia gratiæ præuenientis: certum item gradum gratiæ sanctificantis ante gratiam præuenientem, & fortè etiam ante ipsos actus salutares prædestinatorum. Hæc assertio est ex mente authorum, quos pro assertione 6. citauimus, quam speciatim tuetur Suarez lib. 1. de prædest. c. 13. num. 7. Probatur & declaratur. Quia vniuersim ita fieri solet etiam in humanis, vt ordine intentionis priora sint media, quæ propius cooperantur ad finem, quàm remotiora, vt suo loco

genera-

Digitized by Google

generatim dictum disput. 2. quæst. 10. dub. 6. Et ratio est. Quia propinquiora illa media habent se instar finis, respectu remotiorum.

30 Quia verò dubium videri potest, an gratia habitualis sanctificans propius conducat ad beatitudinem, quam merita hominis adulti, quæ in gratia sanctificante fundantur, idcircò etiam dubitari potest, an merita prædefiniantur ante gratiam sanctificantem, vel è contra. Nihilominus quia merita sunt causa partim dispositiua ad primam gratiã, (loquendo scilicet de merito gloriæ, quod continetur vltima dispositione ad gratiam, quodq; reipsa iam coniunctam habet gratiam, vt suo loco de gratia dicetur) partim causa effectiua moralis augmenti gratiæ, illiusq; demum gradus gratiæ, cui velut semini gloriæ vltimatè & immediatè respondet destinatus à Deo gradus gloriæ, probabilius est, gratiam sanctificantem habitualem, eiusq; certam mensuram prius à Deo prefinitam esse, quam merita: præsertim cum primum hominis adulti meritum, licet ratione præsupponat gratiam, non tamen natura; cum è contrario potius ordine naturæ gratia prima sanctificans procedat ab actibus illis bonis, nõ quatenus sunt merita gloriæ, sed quatenus sunt dispositiones ad gratiam, vt suo loco in 1. 2. fusiùs docetur. Eodemq; modo, licet posteriora hominis merita & ratione & natura supponant priorem aliquẽ gratiæ gradum in homine, non tamen gradum illum subsequentem, qui per meritum acquiritur, sicut nec gradum vltimum gratiæ homini adulto à Deo per posteriora eiusmodi merita acquirendum.

31 Qua ratione non tantum Vasquez, alijq; authores refelluntur, qui remotiora illa media prius à Deo intenta & decreta esse docent, quam propiora; sed etiam Molina, & alij, qui vt difficultates omnes effugere videantur, docẽt, media non cum aliquo ordine prioris ac posterioris, sed simul omnia à Deo fuisse decreta & præordinata; quorum fundamenta satis hactenus, præsertim dub. 2. & 4. refutauimus. Rectè igitur Henriquez lib. vlt. c. 6. §. 4. pronuntiauit, hanc sententiam *esse sacris Scripturis ac Patribus consentaneam, vt salua libertate hominis, Deus non solum quosdam, sed omnes liberos hominum actus bonos, cum suis bonis circumstantijs prædefiniat. Quod si certa adhuc ratio inuenta non esset, qua hanc sententiam conuincamus, nulla tamen euidenti argumento potest impugnari.*

32 Contra hanc doctrinam præsertim assert. 6. & 8. propositam, obijcitur primò, eam prædefinitionem singulorum operum non videri satis consistere cum perfecta & plenissima libertate, & scriptura Eccli. 15. *Deus reliquit hominẽ in manu consilij sui.* Et c. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus &c.* Etsi enim non tollat indifferentiam intrinsecam voluntatis, tamen tollit indifferentiam extrinsecam eiusdẽ, eam extrinsecus prædeterminando ad omnia illa opera. Et confirmatur. Si homo sciret decreta illa Dei absoluta, non censeretur esse relictus in manu consilij sui: quia iam videret se diuino consilio circa singula præuentum, nec fieri posse, vt in re aliud & aliter fiat. Ergo pariter etiam dum nescit. &c. quia esse relictum consilio suo, non pendet ex ignorantia hominis.

Respondeo, negando assumptũ. Optimè enim 33
eam conuenire cum libertate docuim9 supra disp. 2. q. 10. dub. 7. Neq; verò rectè, aut consonè antiquis Scholasticis, duplex indifferentia voluntatis intrinseca & extrinseca constituitur, quando vna tantum est libertas formalis, eaq; intrinseca volũtati; quæ quam diu nec ab intrinseco, puta ab obiecti apprehensione siue cognitiõe, nec ab aliquã causa extrinseca tollitur aut impeditur, impossibile est, vt volũtatis libertas seu indifferentia vllo modo impediatur. Ab extrinseca verò causa tolli non potest, aut impediri, nisi hæc intrinsecè aliquo modo voluntatẽ afficiat, eiusq; connaturalẽ agendi modum imutet, vt ibidem dictum. Quare nec proprie admodum dicitur, voluntatem ab ipsa diuina præfinitione per se ac formaliter ad eiusmodi opera prædeterminari; quia hic modus loquendi proprie actionem seu passionem transeuntem significat, cum tamen ipsa per se præfinitio nec actio sit, nec passio transiens: secus est cum intrãsitiue dicitur: Deum apud se prædeterminasse, seu absoluto & antecedenti decreto statuisse, vt eiusmodi opera fiant, quod est verissimum.

Ad confirmationẽ pariter negatur antecedens: 34
quia scire, se diuino consilio circa singula esse præuentum, nec fieri posse (in sensu composito) vt in re aliud & aliter fiat, non tollit indifferentiam, eiusue notitiam: alias in omni sententia libertas illa tolleretur; quando scimus, saltem in actionibus supernaturalibus & salutaribus, hominẽ gratiã præueniente ita à Deo præueniri, vt supposita scientia media, in sensu composito, non possit aliud fieri; siquidem ex hypothesi hoc vnum esse futurum Deus præuidit.

Secundò obijcitur; non videri istam præfinitionem congruere cum illa doctrina Patrum, qua docent, præscientiã diuinam non adferre nostris operibus necessitatem; eo quod hæc non ideo futura sint, quod Deus ea præsciat, sed ideo Deus illa præscit, quia futura sunt. Nam si omnia opera bona essent absoluta voluntate præfinita, falsum esset, Deum ea nosse, quia futura; nam præsciret ea, quia præfinita, nõ quia futura; imo ideo essent futura, quia præscita: nam illa præscientia esset practica, ac proinde eorum causa. Deinde futilis fuisset illa ratio Patrum, ad ostendendum, diuinã prouidentiã non adferre necessitatem actibus humanis, si absolutã eiusmodi præfinitionẽ agnouissent, quæ multo magis videretur obstare libertati.

Respondeo, negando assumptum; loquendo, 35
vti res ipsa postulat, de absoluta præscientia visionis. Ad primã probationem respondetur, negando primã partẽ sequelæ. Ratio enim cognoscendi futura contingentia in Deo varia est; nimirum ex parte obiecti, & ipsa futuritio rei (suppositа in Deo ex parte subiecti infinita vi cognoscendi) & ipsa præfinitio absoluta, respectu eorũ obiectorum, de quibus datur; nec vna alterã tollit vel impedit, vt suo loco dixim9, disp. 2. q. 8. dub. 6. & 7. Altera pars sequelæ distinguitur. Si enim sermo sit de præscientia absoluta visionis, de qua loquuntur citati Patres, falsa est; si autẽ de præscientia practica simplicis intelligentiæ, vera est, & ab omnib9 necessariò admittitur, iuxta illud Apostoli, *Quæ præstituit,*

& prædestinauit. Item, *Non repulit Deus plebem, quam præscivit, &c.* Sed nihil ad propositum; quia de hac non loquuntur Sancti Patres, aut Theologi, cum aiunt, non ideo aliquid futurum, quia Deus id præsciat, sed ideo Deum præscire, quia futurū, vt pluribus dictum loc. cit.

36 Ad secundam probationem respondetur, dictū illud SS. Patrum non eò fuisse ab eis prolatum, vt integram & adæquatam concordiam libertatis cū diuina prouidentia assignarent; sed solū vt cōcordiam libertatis cum præscientia illa speculatiua traderent, quæ ea ratione facillimè explicatur, vt nos etiam suo loco tradidimus. Interim verò nisi diuinam prouidentiam planè negare velimus, aut otiosam reddere, in omni sententia admittendi sunt alij actus practici voluntatis & scientiæ diuinæ, ad diuinam prouidentiam spectantes, cum quibus SS. Patres, speciatim Augustinus, Anselmus, & S. Thomas, alijque Theologi, longe diuersam rationem conciliandæ libertatis tradiderunt, vt dictum cit. disput. 2. q. 10. dub. 7. & supra q. 1. dub. 5. quam si ridet, certè nulla ex parte refellit Caluinus lib. 3. Institut. cap. 13. §. 6.

37 Tertio obijcitur. Si talis præfinitio omnium bonorum operum facta est, tota ratio, cur hic & nunc tale opus cum istis circumstantijs fiat, referenda esset in decretum diuinum, quod tamen videtur absurdum. I. Quia nemo cum id quæritur, decretum diuinum allegat; sed vel placitum suæ voluntatis, vel finem à se intentum. II. Quia hac ratione dicendum foret, Deum ex se absolutè velle, vt faciamus interdum opera imperfecta intensiuè: cum tamen Deus ex se potius cupiat omnes quàm perfectissimè operari. Quare etiam Sancti omnes suum teporem accusant, & queruntur se diuinæ vocationi & gratiæ acceptæ non ita respondisse, vt poterant & debebant: quod frustra facerent, si Deus ex se non maiorem mensuram intendit, sed hanc absolutè præfiniuit.

Respondeo negando sequelam: non enim sequitur, totam rationem, sed vltimatam rationem boni operis in decretum diuinum, eiusque gratiam referendam: immediata enim & secundaria ratio nihilominus manet penes libertatem operantis; cum decretum diuinum, eiusque gratia præueniat quidem in eiusmodi operibus liberum arbitrium, sed eius cooperationem & libertatem non tollat, nec impediat.

38 Ad primam probationem, quatenus huic doctrinæ obstat, respondetur, omnes qui se gratos studeant exhibere Deo, suo tempore, cum id in mentem venit, agnoscere & allegare pro causa salutarium suarum actionum, decretum gratiæ diuinæ præuenientis, in qua veluti causa, eiusmodi opera præfinita esse negari nullo modo potest, vt dictum assert. 5. iuxta illud Pauli, *Quis enim te discernit? &, Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ipsam verò absolutam operum præfinititionem in se, vt pro causa assignent, non est necesse; tum quia hanc, cum subtilis sit & abstrusa, pauci intelligunt; quidam negant. Tum quia si in particulari loquamur, nec hoc quidem satis scimus, an hæc vel illa actio nostra in indiuiduo placeat Deo, & sit salutaris ac pia, qualis ad salutem requiritur, iuxta illud Iob 9. vers. 28. *Verebar omnia opera mea.* Et Eccles. 9. vers. 1. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.*

Ad secundam probationem respondetur, opera imperfecta dupliciter dici posse, primò solum negatiue & quasi physice; secundo contrariè & moraliter. Posteriori sensu negatur sequela; priori conceditur: nec id est absurdum; cum varietas eiusmodi operationū, vti & varia mensura gloriæ faciat tum ad maiorē cōmendationē diuinæ prouidentiæ; tum decorem vniuersi, vt superius diximus. Deus autē licet antecedenti & inefficaci quadam voluntate velit omnes perfectissimè operari, consequenti tamen & efficaci non item; vti omnes fateri necesse est. Sicut etiam cum bonitate actus alicuius absoluta, quem Deus præfiniuit, stare potest tepor & ignauia in operante, qua fit, vt non plura & maiora operetur, vti absolute posset; quam Sancti omnes, etiam stante illa præfinitione, in se merito & agnoscunt, & accusant: quia præfinitio illa non tollit potestatem absolutam plura & maiora operandi. Vide dub. præced. obiect. 3. 39

Quarto obijcitur. Pleraque opera iustorū noui testamēti ex sua ratione intrinseca, & ratione obiecti, supponunt Christum, eiusq; religionem siue doctrinam, vt est fides Christi, spes in Christum, item vsus Sacramentorum, & opera consiliorum Christi, & alia quæ Christiani faciunt, vt vel Christum imitentur, vel ipsi placeant: atqui Christus non erat venturus in carne, si Adam nō peccasset: ergo opera iustorum saltem à toto genere non sunt præfinita ante præuisionem peccati, vt assert. 7. dictum.

Respondeo, negando consequentiam: quia nihilominus Christus prędestinatus fuit ante prędestinationem nostram, & præfinitionem bonorum operum nostrorum, vt dicetur dubio sequenti. 40

Quintò obijcitur: etsi quidē non sit facilè Deo negandum, si de absoluta potētia loquamur, eum gratiarū dona, & opera bona absolutè, & sine vlla inter se dependentia decreta per voluntatē intentionis, ita exequi posse, vt inter se habeant coñexionē & dependentiam in ratione meriti & finis; id tamen sine specialissima & extraordinaria prouidentię cura non potuisse fieri; quam Deus, nisi necessitas postulet, adhibere non consueuit: curando v.g. circa eleemosynæ opus in particulari prædefinitum, vt tali temporis momento, tali loco concurrant egenus & dies, &c.

Respondetur, suppositā scientia media, id esse facillimum; quia per eā Deus nouit infinitos quodammodo modos, quibus res præfinienda executioni mandari posset, etiam absque vlla perturbatione vel immutatione cursus quasi naturalis rerum. Nec tamen negandum, circa electos sæpe etiā extraordinariam & specialem prouidemtiæ curā interuenire, vt dictum dub. 1. Qua ratione etiam facile fieri potest, vt omnes particulę corporum electorum sint prædefinitæ ante præuisionem cursus rerum, quatenus pendent à libertate creaturæ, & vt in vniuerso omnia ita dirigantur & disponantur, sicut ea præfinitio postulat: saltem sup- 41

ponen-

ponendo, quod secluso peccato hi ipsi, & non alij, ex hac vel illa particulari materia constantes, non ex alia, fuerint prædestinati; de qua re actum est dub. præced. obiect. 6.

42 Sextò obijcitur. Afflictiones & passiones Christi, vt & aliorum Martyrum, non fuerunt prædefinitę ante præuisionem malitiæ Iudæorum, seu tyrannorum, suas voluntates ad illa inferēda flectentium; cum tamen sint actus præstantissimi, & excellentissima media prædestinationis, &c. Ergo multo minus credendum est, cæteros actus bonos esse præfinitos ante determinationem nostræ cooperationis & præuisionem peccati.

Ad hoc, omissa responsione quorundam, qui negant antecedens, quod bene refellit opponens, respondetur ex dictis assert. 7. negando consequentiam. Tum quia prædefinitio operis ante præuisionem peccati, per se non pendet aut desumitur ex operis præstantia; sed ex independentia à peccato; qua fit, vt etiamsi opus ipsum ita prędefiniatur, nō tamen vllo modo nec formaliter, nec virtualiter præfinitum censeatur peccatum: secus fit, quando opus ipsum intrinsecè dependet à peccato, vt dictū. Tū quia aliud est, opus aliquod bonū prædefiniri ante præuisionem peccati, quod intrinsecè supponit; aliud ante coopationē, seu determinationē ipsius operātis & efficientis opus illud bonū. Etenim passiones Christi & Martyrum prædefinitę sunt, ante determinationem voluntatis Christi & Martyrum ad eas passiones reipsa suscipiendas, vti & opera bona cætera prædestinatorum; sed non ante præuisionem peccati, seu voluntatis malæ, qua Iudæi & tyranni se ad eas passiones inferendas nefariè determinaturi erant.

43 Septimò obijcitur. Dauid non videtur rex fuisse futurus, si Saul nō peccasset, vt colligitur ex 1. Reg 13. Eodem modo Ioseph non fuisset factus princeps Ægypti, nisi à fratribus fuisset venditus, vt colligitur ex Genesis 37. Nec euersa per Chaldęos fuisset Ierosolyma, si obstinatio Sedechiæ nō fuisset, vt colligitur ex Ieremiæ 38. Ergo res hæ, quæ tamen nec intrinsecè supponebant peccata illa, de quibus sermo est, & sunt maximi momenti respectu gubernationis Vniuersi, nō fuerunt prædefinitæ ante præuisionem illorum peccatorum: Ergo nec actus cæteri prædefiniuntur ante prędefinitionem peccatorum, aut determinationis nostræ.

Respondetur primo, negando primam consequentiam. Nam quamuis hæc omnia fuissent præfinita ante præuisionem peccatorum, de quibus in obiectione sermo est, nihilominus tamen fieri poterat, vt antecedentia singula futura non essent, nisi futura essent peccata illa consequentia; eò quod secundum ordinem dependentiæ, seu quoad subsistendi consequentiam, dependenter à peccatis illis, de quibus sermo est, præfinita essent, vt superius disp. 2. q. 10. dub. 6. generatim diximus. Respondetur secundo, ex scriptura plus non colligi, quam res illas futuras non fuisse, si peccata illa non essent, respiciendo ad integrum decretum Dei, quod habebat de rebus illis non tantum præfiniendis, sed etiam exequēdis, quamuis enim Deus habuerit decretum illas res perficiendi ordine intentionis prius præuisione seu permissione illorum peccatorum; habuit tamen aliud decretum executiuum, eas non exequendi, nisi ex occasione peccatorum.

Atque hæc de præfinitione particulari bonorum operum prædestinati: ex quibus etiam colligitur, prædestinationem gratuitam ad gloriā absolutè quidē non niti prædefinitione particulari bonorum operum; vel contra: nihilominus tamen hæc duo optimè inter se consentire; & vicissim vnū ab altero non parum confirmari.

DVBIVM VII.

Vtrum in diuina mente secundum rationem nostram prior sit prædestinatio Christi, quam hominum, seu Angelorum.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 5.

Quæstio procedit de ordine intentionis, non executionis: & quia res hæc propriè spectat ad tertiam Partem, vbi de Incarnatione agitur, breuiter est hoc loco absoluenda, suppositis ijs, quæ supra q. 4. dub. 2. de causa prædestinationis ex parte meritorum Christi, dicta sunt.

Assertio I. Christus secundum substantiam, & vt caput hominum, electus ac prædestinatus fuit ante electionem hominum. Ita sentiunt ac docēt communiter Theologi, dum asserunt, Christi prędestinationem esse causam (efficientem nimirum, finalem & exemplarem) nostræ prædestinationis; in quibus S. Thomas 3. p. q 24. a. 4. Caietanus & Thomistæ recentiores ibidem, Alensis 3. p. q. 3. memb. 5. Bonauentura in 3. d. 11. a. 1. q. 3. Albert⁹ d. 10. a. vlt. Richardus a. 4. q. vlt. Durandus q. 3. Paludanus q. 1. a. 3. vt & alij, qui docent, Christum promeritum esse prædestinationem nostram in ordine ad omnes effectus: in quibus sunt Vega l. 4. in Concil. Trid. sess. 5. Viguerius Inst. Theol. c. 20. §. 8. v. 3. Eckius in Chrysopasso cent. 3. n. 34. Gregorius de Valentia hic q. 23. p. 4. § 1. Suarez l. 2. de prædest. cap. 22. & 24. num. 12. & 38. & 3. p. t. 1. disp. 41. sect. 4. Vasquez disp. 91. num. 2. & disp. 94. cap. 2. & 4. Denique idem sentiunt non solum omnes illi, qui dicunt Christum venturum fuisse, etiamsi Adam non peccasset, in quibus Alensis, Albertus, Scotus, Rupertus, Galatinus, Viguerius, Iacobus Valentia, Pighius, Catharinus, Eckius, cent. 1. num. 45. Fonseca in Metaph. to. 3. Suarez 3. p. tom. 1. disput. 5. sect. 5. & magis propendet Salmeron tom. 15. disp. 3. Sed ex alijs etiam Albertinus tom. 1. princ. 6. corol. 1. num. 25. Sed & Molina hic quæst. 23. art. 4 & 5. disp. 1. mem. 8. integrum relinquit existimare, prædestinationem Christi, si cum singulorum hominum prædestinatione in particulari comparetur, *priorem esse nostro intelligendi modo, quam prædestinationem singulorum, qui in ipso prædestinati sunt, tanquam causam & exemplar prædestinationis cæterorum, & tanquam finem, principium, ac fontem; vnde media prædestinationis cæterorum deriuata sunt*: quicquid antea secus dixisse visus fuerit.

Proba-

2 Probatur assertio primo ex scriptura, quæ sæpe Christum describit, nobisq; proponit vt finē oñis creaturæ, adeoq; & prædestinatorū cæterorū; ob quē videlicet sint res omnes, & ipsi etiam prędestinati. Est autem in ordinata consultatione ordine intentionis prius illud, quod se habet vt finis respectu cæterorum, vt sæpe hactenus diximus. In hunc sensum Coloss. 1. v. 15. de Christo dicitur, *Qui est primogenitus* (ordine vtiq; intentionis, non executionis) *omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit ipse in omnibus primatum tenens.* Item Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso* (hoc est per merita, & in gloriā ipsius) *ante mundi constitutionem, & prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*; id est, eius gloriam. Item 1. Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt. &c. vos autem Christi, Christus verò Dei.* Quæ gradatio valde notanda est, vt qua significatur, perinde nos, omniaque nostra ad Christum veluti finem referri, sicut & cetera inferiora referuntur ad nos; & ipse Christus secundum humanitatē ad Deum. Huc spectat etiam illud Heb. 2. v. 10. *Decebat enim eum* (Christum) *propter quem omnia, & per quē omnia qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummare.*

Secundo idem probatur ex SS. Patribus & cōcilijs. Ita enim docent Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 18. Chrysostomus hom. 1. in c. 1. ad Ephes. & fauet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. vbi definitur, causam *finalem nostræ iustificationis esse gloriam Dei, & Christi, ac vitam æternam.*

3 Ratio est. Tum quia Christus est causa prædestinationis nostræ, omniumq; effectuū ipsius, ex dictis supra q. 4. du. 2. Tū qa quod est potissimū in vnoquoq; genere, solet esse finis cæterorum; neque sane vllo modo negari potest, Christū esse causam finalē prædestinationis nostræ: est ergo ordine intentionis prio volitus, quam cæteri prædestinati.

Obijcitur. Christus nō fuit prædestinatus ante præuisionē peccati, vt cōmuniter sentiūt Thomistæ: quia iuxta cōmuniorem ac verioré S. Thomæ & Theologorum sententiam, quam nos etiā in 3. p. docuimus, Christus non fuisset venturus, si Adā non peccasset: nos vero prædestinati fuimus ante præuisionē peccati, vt dicetur dub. seq. Ergo prædestinatio nostra fuit prior prædestinatione Christi. Et confirmatur ex S. Thoma 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. vbi ait: *Prædestinatio supponit præscientiam futurorum; & ideo sicut Deus prædestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinauit opus incarnationis in remedium humani peccati.*

4 Respondetur cum Caietano in 3. p. q. 1. a. 3. negando primam propositionem. Ad probationem dico cum eodem, etiamsi Christi prædestinatio ordine intentionis fuerit prior præuisione seu permissione peccati; nihilominus ordine independentiæ, siue secundum subsistendi consequentiam non fuisse priorem; quia nimirum dependenter à permissione peccati volita est: sicut etiam in humanis fieri potest, & sæpe fit, vt finis sit volitus dependenter à certo medio; v. g. sanitas à sola ambulatione, aut iter ab vnico equo, &c. vt in 3. p. pluribus dictum, & supra generatim explicatum disp. 2. q. 10. dub. 5. Ad confirmationem respondeo, S. Thomā solum loqui, aut de præscientia cōditionata peccati; aut de prędestinatione Incarnationis adæquatè spectata, etiā vt est remediū peccati: & simul docere, op⁹ Incarnationis fuisse prædestinatū à Deo dependenter à permissione peccati, nec adeo futurum vnquam, nisi remedium esset peccati, quod nos ipsi etiam fatemur.

5 Assertio II. Idem dicendum est de prædestinatione Angelorū; ea nimirū ordine intentionis fuisse posteriorem prædestinatione Christi. Ita ferè citati, qui magna ex parte generatim de prædestinatis loquuntur. Ratio sumitur ex dictis: præsertim quia Coloss. 1. vocatur Christus *primogenitus omnis creaturæ, & in ipso condita dicuntur vniuersa.* Et Ephes. 1. dicitur, Deum velle *instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Et probabilius est, etiam gratiam status innocentiæ, eorumque Angelorum, ex Christi prædestinatione ac meritis fuisse deriuatam, vt in 3. p. docui & tradunt S. Thomas in cap. 1. Ioannis, Albertus in 3. dist. 13. a. 2. Caietanus 3. p. q. 7. a. 9. & 11. Ruardus a. 2. & 8. Catharinus l. 1. de prēd. Christi, Viguerius cap. 20. §. 1. v. 4. Gregorius de Valentia 3. p. q. 8. p. 3. Cabrera q. 8. a. 4. disp. vn. & art. 5. Suarez 3. p. to. 1. disp. 41. sect. 1. & planè sentit Bernardus serm. 22. in Cant. vbi explicans illud Apostoli, *Factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio*, inquit: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur; sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens: & hac ratione fuit æquè vtriq; redemptio, soluens illum, & seruans istum:* etsi contrarium doceant Sotus lib. 1. de nat. & grat. cap. 6. Vasquez hic disp. 93. nu. 20. & 3. p. d. 12. & 49. ac ferè recentiores Thomistæ.

6 Assertio III. Prædestinatio Christi veluti redemptoris, seu quoad carnem passibilem, non fuit prior prædestinatione nostra, seu Angelorum. Ita communis & certa sententia Doctorum cum S. Thoma 3. p. q. 1. art. 3. & in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. Ratio est. Quia Christus vt redemptor, & in carne passibili, non fuit prædestinatus, nisi post præuisionem peccati, propter quod delendum & expiandum Christus in mundum venit, vt passim in scripturis habetur: cum tamen prædestinatio nostra secundum rationem prior sit permissione peccati, vt dicetur dub. seq. Ergo prior est prædestinatio nostra, quam prædestinatio passionis aut mortis Christi, seu Christi in carne passibili, siue quod eodem redit, ipsius Christi velut redemptoris: cum redemptio propriè vtique supponat mortem & seruitutem peccati.

Obijcitur: hinc consequens esse, prędestinationem Christi in primo illo instanti factam, fuisse confusam & indeterminatam; quandoquidem abstrahebat à modo determinato Incarnationis in carne passibili, vel secus.

7 Respondeo propriè nec fuisse confusam, nec indeterminatā; quia hæc sonant positiuū modū act⁹ determinabilis, non sine quadam imperfectione: concedo tamen negatiuè non fuisse in eo instanti

actum

actum illum determinatum ad modum Incarnationis, sed in aliquo instanti posteriore, vti ex Scripturis necessariò colligitur. Neque verò absurdum est, substantiam rei à Deo præfiniri secundum rationem nostram, ante modum rei: cum modus rei habeat se ad substantiam rei velut medium ad finem, seu consequens ad antecedens; nec absurdum sit, prius ratione præfiniri finem, quàm media, aut antecedens, quam consequens. In quem sensum etiam non nemo ex oppositæ sententiæ auctoribus scripsit, Deum quidem non ita procedere confusè, vt maneat in ipso aliqua confusio, aut actus ab æterno non terminetur ad obiecta distinctè: fatendum tamen esse, actum voluntatis ipsius nostro modo intelligendi, *in aliquo signo rationis priori, habere se confusè, & solum in posteriori distinctè. Sic voluntas*, inquit, *diuina prius ratione terminatur ad finem, quàm ad media; & in eo signo quo terminatur ad finem, se habet ad media confusè; quia in illo signo nondum statuit de illis, sed est indeterminata ad quoduis eorum eligendum, &c.* De qua re pluribus actum supra dub. 2.

DVBIVM VIII.

Vtrum in diuina Prædestinatione, secundum rationem nostram, prior sit permissio peccati, quàm electio nostra, aliorumq; saluandorum.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. & 5.

1 SEnsus est, vtrum Deus ordine intentionis prius secundum rationem decreuerit permittere peccatum, quam nos ad gratiam & gloriam prædestinauerit, vel contra. Et est multorum Theologorum sententia, decretum seu voluntatem permittendi peccatum primi parentis, priorem fuisse in diuina mente, quam decretum prædestinationis nostræ, aut etiam Christi. Ita non solum sentiunt illi, qui dicunt, prædestinationem nostram posteriorem esse præuisione meritorum, aliorumque mediorum, inter quæ est etiam Iustificatio à peccatis, seu ipsa remissio peccatorum; sed etiam ex alijs, qui prædestinationem ad gloriam priorem faciunt præuisione & ordinatione mediorum, non pauci, præsertim Thomistæ recentiores, qui cum S. Thoma docent, Incarnationem Christi futuram non fuisse, nisi peccatum Adami fuisset. In specie etiam ita sentiunt Gregorius de Valentia q. 14. p. 4. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 9. Molina hic q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 7. Vasquez disput. 93. num. 43. Zumel hic q. 23. art. 2. d. 2. è quibus nonnulli idem sentiunt etiam de permissione aliorum quorundam peccatorum. Fundamentum præcipuum est, quia putant etiam Christum prædestinatum fuisse post præuisionem peccati Adæ; quod tamen dub. præced. refutauimus. Addunt, eandem esse sententiam S. Augustini & S. Thomæ, vt inferius dicetur. Sed verior videtur opposita sententia, ad quam declarandam sequentes assertiones constituimus.

Assertio I. Angeli fuerunt electi ad gloriam ante præuisum peccatum non solum Angelorum, 2
sed etiam Adami, & posterorum; atque adeo etiam ante voluntatem peccatum permittendi. Hæc assertio est certa, & extra controuersiam. Ratio est. Tum quia boni Angeli electi sunt efficaciter in eodem instanti rationis, in quo mali licet inefficaciter ordinati fuerunt ad gloriam; ita enim Deus simul vtrosque ordinauit ad gloriam, vt in eodem instanti bonos præ malis efficaciter dilexerit: sed mali Angeli vtique inefficaciter ordinati fuerunt ad gloriam, ante præuisionem peccati, & ante voluntatem illud permittendi; alioquin per peccatum non decidissent à statu & spe gloriæ; imò nec vnquam verè dici possent ordinati fuisse ad gloriam; quandoquidem post peccatum non amplius fuerunt ordinati ad gloriam. Tum quia electio Angelorum planè independens fuit non solum à peccato Adami, & posterorum, sed etiam ipsorum Angelorum; quandoquidem nullum omnino medium, quo Angeli perducti fuerunt ad gloriam, supponebat peccatum seu Adami, seu Angelorum.

Assertio II. Etiam Adamus electus fuit ad gloriam ante præuisionem peccati, tum proprij, tum 3
Angelorum. Ita citandi pro assert. 4. & videtur adeo vera, vt vix negari possit. Probatur. Quia aliàs dicendum foret, Adamum, si aut ipse, aut Angeli peccaturi non essent, vel non creandum à Deo fore, vel non saluandum: vtrumque verò est absurdum. Sequela probatur. Quia si prædestinatio Adami supponit permissionem peccati seu proprij, seu alieni, vtique ab ea secundum ordinationem diuinæ mentis dependebat; nulla est enim alioquin ratio, cur ea permissione posterior constituatur: si autem dependet; aut pendet ab ea etiam secundum se & immediatè, adeoque etiam suppositâ existentiâ ipsius Adami; aut remotè, secundum ipsam existentiam & productionem eiusdem. Si posterius dicitur, ergo Adam non erat futurus, nec à Deo producendus, nisi aut ipse, aut Angeli fuissent peccaturi: Si prius, ergo Adam quamuis futurus esset, etiam secluso peccato proprio & Angelorum, non tamen erat saluandus, quandoquidem prædestinatio & salus ipsius solum dependenter facta dicitur à peccati permissione.

Minor probatur. Quia cum homo per se adeo 4
pertineat ad integritatem & perfectionem totius Vniuersi, planè absurdum est dicere, eum ex occasione solum ruinæ Angelicæ fuisse productum, nec adeo futurum fuisse, nisi Angeli peccassent: præsertim cum creatio Vniuersi prior vtique sit peccato Angelorum, qui non extra cœlum & in nihilo, sed in ipso cœlo creati primum fuere. Nec minus absurdum est dicere, Adamum quamuis futurus fuisset, secluso peccato proprio & alieno, non tamen absque eo futurum saluum; quasi peccatum proprium aut Angelorum tanti momenti seu adiumenti præbuerit ad prædestinationem & salutem Adami, & ex se non potius impedimentum; peccatum quidem Angelorum ex ea parte, quatenus inde secuta est tentatio & lapsus Adami; peccatum verò proprium, quatenus per se immediatè impedit & tollit propriam cuiusque peccantis salutem. Accedit, quod Adamus ex diuina prædestinatione

in paradiso habuit donum iustitiæ originalis, aliaque gratiæ auxilia, lapsum eius planè antecedentia; quibus optimè poterat saluari.

Assertio III. Etiam cæteri homines electi, omnes ac singuli prædestinati fuerunt, tum ante præuisum peccatum Angelorum, tum ante præuisionem peccatorum propriorum, seu personalium, seu originalis à singulis contrahendi. Hanc præter authores pro sequenti assertione citandos tradit etiam Bassolis in 1. distinct. 41. quæst. vnic. artic. 4. vbi ait, *falsam esse opinionem, quod homines sint prædestinati ad restaurandum ruinam Angelorum, sic quod si Angeli non peccassent, non fuissent homines prædestinati.* Et cum obiecisset dictum Augustini lib. 22. de ciuit. Dei, vbi ait, *quod Deus de mortali progenie hominum, meritoq; damnata, populum gratia sua colligit, vt inde suppleat & restauret partem, quæ lapsa est Angelorum, ac sic dilecta & superna ciuitas non fraudetur suorum numero ciuium, quin & fortassis vberiore lætetur*, subiungit Bassolis: *Sed potest responderi, quod li, Vt, non tenetur hic causaliter, sed consecutiuè, sicut in multis, vt Scriptura impleretur, &c. Sicut etiam ipse innuit ibidem, per hoc, quod dicit, de numero vberiore. Per quod datur intelligere, quod fortasse plures homines saluabuntur, quam sint Angeli damnati; ergo ratio prædestinationis hominum non est restauratio ruinæ Angelorum, &c.*

6 Eandem assertionem indicat etiam Vasquez hic disput. 91. cap. 3. num. 13. vbi ait: *Cæterum quod in ratione supponunt allegati authores, nempe peccatum originale in vnoquoq; contractum, præuisum fuisse ante nostram & Christi prædestinationem, manifestè falsum est.* Et addit rationem. *Inde enim sequeretur*, inquit, *B. Virginem non solum contraxisse peccatum originale, & cum eo fuisse præuisam; verum etiam non potuisse per Christum ab eo præseruari. Nam si ante Christi prædestinationem omnes fuerunt præuisi cum peccato originali nascituri, meritum Christi nihil illis potuit prodesse, vt ab eo præseruarentur; siquidem prior esset præseruatio si alicui concederetur, quàm Christi meritum. Sola igitur gratia Dei, absq; vllo merito Christi præuiso, potuit præuenire Virginem, ne peccatum originale contraheret; quod est absurdum: cum omnes fateantur, quamcunq; gratiam collatam posteris Adæ & B. Virgini, fuisse gratiam redemptionis ex meritis Christi, vt contra Driedonem disput. præced. cap. 4. obseruauimus.*

7 Sed hæc ratio solum probat, peccatum originale ab vnoquoque contractum non fuisse præuisum ante prædestinationem Christi: cum tamen hic proprie agamus de prædestinatione nostra. Ratio igitur generalis pro prima parte sumitur ex dictis assert. 2. quia Adam fuit ante præscientiam peccati Angelici prædestinatus: eademque est ratio aliorum hominũ Idẽ significat August. lib. 11. de ciu. c. 9. & lib. 12. c. 1. & lib. 15. c. 1. & lib. 22. c. 29. vbi significat, ciuitatem bonorum & prædestinatorum æquè coalescere ex Angelis & hominibus absque vllo inter eos ordine. Et in Enchirid. cap. 29. probabile censet, maiorem numerum futurum esse beatorum hominum, quàm sit Angelorum. Eodem modo Anselmus in Elucidario dicit, tot homines saluandos esse, quot sunt Angeli beati. Sentiunt ergo isti, homines non tantum per accidens, & ex occasione Angelici peccati, sed per se etiam fuisse prædestinatos.

Ratio secundæ partis est. Tum quia omnes & singuli saluandi prædestinati fuerunt ad gloriam ante præuisionem mediorum, vt dictum est dub. 4. ergo etiam ante præuisionem remissionis peccatorum, quibus singuli futuri essent obnoxij; ac per consequens etiam ante præuisionem eorundem peccatorum: quia si ante prædestinationem ad gloriam præcessisset præuisio peccatorum, debebat prius singulis prædestinari remissio eorundem peccatorum: peccatores enim in statu peccati mortalis cum essent indigni & incapaces gloriæ, vt sic, non poterant prædestinari ad gloriam. Tum quia cum peccata propria, & inexistentia singulis, potius sint impedimenta, quàm adiumenta salutis, absurdum videtur dicere, prædestinationem & salutem singulorum à peccatis eiusmodi singulorum fuisse dependentem: hinc enim sequeretur, electos non fuisse saluandos, nisi omnes & singuli peccata propria tum personalia, tum origine ex Adamo deriuata contraxissent; quod planè videtur incredibile. Multò enim melius, & maiori iure salutem æternam adijssent, si peccata eiusmodi non haberent. Tum quia negari non potest, B. Virginem (supposita immaculata eiusdem conceptione) absque præuisione vllius peccati in ea futuri, & Ioannem Baptistam, aliosque similes, absque præuisione vllius peccati mortalis propria voluntate ab eis contrahendi, fuisse à Deo prædestinatos ad gloriam; quidni ergo etiam alij ante præuisionem eiusmodi peccatorum fuissent prædestinati; præsertim cum prædestinatio omnium electorum post Christum simul facta sit, vt dub. seq. dicetur. 8

Assertio IV. Saluandi omnes, etiam homines, prędestinati fuerunt ad gratiam & gloriam ante prędestinationem ipsius quoque peccati Adami, eiusque permittendi voluntatem. Hæc assertio est principalis, & de qua potissimum controuertitur. Ita verò expresè docet Scotus in 3. dist. 7. q. 3. vbi ait: *Sine præiudicio dici potest, quod cum prædestinatio cuiuscunq; ad gloriam præcedat ex parte obiecti naturaliter præscientiam peccati, vel damnationis cuiuscunq;, secundum opinionem vltimam dictam dist. 41. lib. 1. multò magis est verum de prædestinatione illius animæ* (Christi) *qua prædestinabatur ad summam gloriam, &c.* Et infra: *Potest igitur dici, quod prius natura, quam aliquid prouidebatur circa peccatorem, siue de peccato, siue de pœna, Deus præelegit ad illam curiam cœlestem omnes, quos voluit habere, Angelos & homines, in certis & determinatis gradibus; & nullus est prædestinatus tantum, quia alius præuisus est casurus: vt sic nullum oporteat gaudere de lapsu alterius.* Idem docent Tartaretus, alijque Scotistæ ibidem. Idem sentit Marsilius in 1. q. 41. art. 2. vbi cum docet, neminem fuisse reprobatum propter opera mala præuisa, necessariò sentit, præuisionem malorum operum non esse priorem reprobatione, ac proinde à fortiori nec prædestinatione: cum reprobi non fuerint prius reprobati, quam saluandi prædestinati. Idem habent Ægidius & Gregorius Ariminensis in 1. d. 40. item Eckius in Chrysopraso cent. 1. n. 36. vbi hanc quasi regulam statuit: *Nullum prædestinatum electum esse occasione peccati alterius.* Item ex Thomistis Capreolus in d. 41. a. 2. sub fin. vbi ait: *Ad illud, quod dicit* (Aureolus) *de exemplo dato de figulo*, (quod nimirũ Apostolus loquatur de massa per peccatũ originale corrupta: quo supposito, *nulli iniuriatur, si eo nõ redempto ab originali,* 9

alium,

alium misericorditer purget & redimat:) *Dico, quod Apostolus vtitur illo exemplo ad sensum, ad quem S. Thomas loquitur, & non cum illa præsuppositione originalis peccati, &c.* Idem ex recentioribus docet Suarez hic lib. 1. cap. 12. num. 8. vbi citat etiam Heruæum, in 1. dist. 40. & ipsum S. Thomam hic q. 23. a. 1. ad 3. & art. 4. hoc insinuantem si attentè legatur.

10 Probatur ex Scoto loco citat. Primò quia Christus fuit prædestinatus ante præuisionem peccati; vt dictum dubio præcedent. & fusius docetur in 3. part. Ergo & nos homines; quandoquidem Christi prædestinatio est exemplar prædestinationis nostræ. Secundò, Angeli, & primus homo fuerunt prædestinati ante præuisum peccatum Adami: Ergo & cæteri homines; cum omnes sint prædestinati in eodem instanti, vt dicetur dubio sequenti. Tertiò. Prædestinatio tam ad gratiam, quàm ad gloriam ex se planè independens est à permissione peccati: siquidem neuter terminus inuoluit respectum ad peccatum præteritum; nec intelligitur facta prædestinatio, ratione, vel occasione peccati primi parentis: Ergo nulla ratio est, cur peccati præuisionem supponat. Quartò. Prædestinatio hominum tantum bonum est, vt non sit verisimile esse tantum occasionatum ex peccato. Quintò. Ordinatè aliquid volens prius videtur hoc velle, quod est sibi propinquius: est autem supremo fini diuinæ gloriæ multò propinquius gloria & gratia prædestinatorum, quam permissio peccati: ergo Deus illam prius voluit & decreuit, quam istam. Sextò. Deus ante præuisionem cæterorum mediorum prædestinauit homines ad gloriam, vt superius dictum: Ergo multò magis ante præuisionem peccati; à qua multò minus dependebat prædestinatio, seu executio illius. Et confirmatur ex Scriptura, quæ dum de prædestinatione agit, comparat homines luto in manu figuli; quod vt sic nullam habet indignitatem, vt vel in hanc, vel in aliam formam conformetur.

11 Assertio V. Probabiliter tamen dici potest, prædestinationem Adami posterorum in indiuiduo, & quoad ordinem consequentiæ dependenter factam à permissione peccati ipsius Adami: quanquam neque hoc sit necessarium. Probatur & declaratur. Quia, vt sæpius dictum, potest id quod ordine intentionis prius volitum est, nihilominus secundum alium quendam ordinem, quoad subsistendi consequentiam, dependenter esse volitum ab aliquo posteriori; vt finis à certo medio: quemadmodum etiam Incarnationem Christi factam esse diximus ante volitam quidem permissionem peccati, sed dependenter tamen ab ea permissione. Ita ergo etiam in proposito fieri potuit, vt quamuis ordine Intentionis omnes homines prædestinati essent ante permissionem peccati, nihilominus tamen illi in indiuiduo spectati prædestinati essent dependenter ab ea permissione; ita vt si ea permissio futura non fuisset, illi ijdem numero non essent prædestinati.

Id autem circa posteros Adami reipsa accidisse, ita probabile redditur. Quia vt ijdem omninò homines, qui nunc sunt prædestinati, à Deo prædestinarentur, necesse erat, eos omnes nasci, & ex eadem quoque materia seminis & alimenti progigni & enutriri; quod qua ratione futurum fuisset, aut fieri potuisset, durante statu Innocentiæ, in quo homines in paradiso constituti, & alimenta alia, & patriam aliam erant habituri, difficile est explicare. Valde ergo credibile est, prædestinationem posterorum Adami in indiuiduo factam esse dependenter à permissione peccati ipsius Adami. Quia tamen absolutè impossibile non erat, vt Deus iuxta infinitam suam sapientiam & omnipotentiam, modosque infinitos, quos inuenire & in executione adhibere poterat, ad sua decreta adimplenda, ita rerum omnium seriem & ordinem disponeret, vt homines omnino ijdem, & ex ijsdem corporibus, eademque adeo materia seminis & alimenti constantes progignerentur, non est id quod diximus absolutè necessarium, vt benè etiam Suarez hic lib. 1. c. 12. num. 11. & dictum supra dub. 5. præterquam quod etsi concederetur aliam futuram fuisse materiam corporum beatorum, nihilominus tamen eædem numero animæ, à quibus Esse hominis præcipuè pendet, creari à Deo, absque vlla immutatione ordinis & cursus naturalis potuissent.

12 Contra hanc doctrinam, & præcipuè contra assertionem tertiam, & quartam, obijcitur primò Scriptura, quæ indicat, homines electos ad reparandas sedes Angelorum, iuxta illud Psal. 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas*; & Ephes. 1. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & in terra sunt.* Quod etiam subinde indicant SS. Patres, vt Augustinus in Enchirid. cap. 26. & 29. Bernardus serm. 1. de aduentu, & Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 16. & 17. Ergo homines non fuerunt electi ante præuisum peccatum Angelorum.

Respondeo, negando consequentiam: quia hæc accipienda sunt de diuinæ prouidentiæ dispositione iuxta ordinem executionis, non intentionis. Plus enim ex his Scripturis & testimonijs Patrum non colligitur, quam in ipsa executione prædestinationis, ita diuino consilio accidisse, vt ruinæ Angelorum saluatione hominum replerentur: at verò ipsam prædestinationem & electionem primam hominum ad gloriam, factam esse eo ipso fine, adeoque ex præuisione seu occasione ipsius peccati Angelici, minimè colligitur: præterquam quod citata Scripturæ loca ad literam de ruina Angelorum fortè non loquantur.

13 Secundò obijciuntur alia Scripturæ loca, in quibus significatur, aliquos à Deo eligi & euehi ad gloriam, occasione lapsus aliorum: vt Iob 34. *Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Ita etiam in locum Iudæ suffectus est Matthias, Act. 1. & in locum Iudæorum vocati sunt gentiles, Act. 13. & Rom. 11.

Respondeo nullum ex his locis loqui de prima electione seu prædestinatione ad gloriam. Locus enim ex Iob potissimum loquitur de euectione ad varios gradus & dignitates huius mundi; vt & locus ex Act. 1. de electione ad dignitatem Apostolatus: cuius generis electiones non negamus factas subinde esse, aut fieri potuisse, ex præuisione ruinæ aliorum. Locus ex Apocalypsi stricte & in rigore verborum accipi nec potest, nec debet; quia impossibile est, vt corona gloriæ alicui diuinitus prædestinata propriè in alterum transferatur. Sensu ergo accommodo ac-

cipiendus est, vt significetur, cuilibet inuigilandum circa animæ salutem, ne gloria alicui secundum præsentem iustitiam sub conditione destinata & debita amittatur, eademque occasione quasi in alterum transferatur, qui forte ex occasione talis lapsus cautior factus, aut maioribus auxilijs gratiæ à Deo præuentus, ad bonam frugem conuertitur, & ita saluatur, vt non rarò fit, & cum gentilibus accidit citato Actor. 13. & Roman. 1. Ex quo verborum sensu minimè colligitur, ipsam prædestinationem, seu primam electionem ad gloriam ex præuisione lapsus alieni fieri, sed solam executionem prædestinationis; quod libenter concedimus, vt etiam superius dictum dub. 1. Dici etiam potest, vnum prædestinatum in alterius locum substitui, quasi secundum apparentiam & effectum, dum vno à Deo deserto, alius sanctificatur. Quo ferè modo etiam intelligitur illud Numerorum 11. v. 17. & 25. vbi dicitur, Deum *abstulisse de spiritu, qui erat in Moyse, & dedisse septuaginta viris*: cum tamen interim Moyses de spiritu suo nihil amiserit.

14 Tertiò obijcitur, quod Augustinus passim ita de prædestinatione hominum loquitur, vt significet eam factam esse ex infecta peccati massa, vt videre est lib. 2. contra duas epist Pelag. cap. 7. & de prædest. & gratia cap. 3. & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & in Enchirid. cap 49. & lib. de prædestinat. Sanct. cap. 9. & de bono perseuerant. cap. 8. & sæpe alias. Idem significat S. Thomas hic quæst 23. art. 1. ad 3. quatenus ait, terminum à quo prædestinationis humanæ fuisse *miseriam peccati*. Idemque colligitur ex definitione prædestinationis, in qua habetur vocula, *Liberantur, &c.*

Respondeo, Doctores istos loqui de prædestinatione in ordine ad suos effectus adæquatè spectata, non quidem in sensu copulatiuo seu distributiuo; sed in sensu accommodo, & in suppositione confusa: si nimirum prædestinatio referatur ad ea salutis media, quæ supponunt peccatum, qualis est ipsius peccati remissio, &c. vt sensus sit, prædestinationem hominum spectatam in ordine ad omnes suos effectus, quos in electis habet, non esse factam ante præuisionem peccati; sed quoad aliquos effectus necessariò supponere præuisionem peccati: secus quam in Angelis accidit, in quibus prædestinatio secundum nullum effectum supponit præscientiam peccati. Atque hoc sensu verum est, prædestinationem hominum factam esse ex massa infecta & damnata: eodemque modo intelligitur in definitione prædestinationis, particula illa *Liberantur*: quanquam hæc etiam absolutè de miseria carentiæ supremæ beatitudinis intelligi potest. Quo modo ipse etiam S. Thomas loc. cit. ad 3. ait: *Dici posse, quod omnis collatio boni supra debitum eius, cui confertur, ad misericordiam pertineat.*

15 Libentius verò æquitatem diuinæ prædestinationis explicant SS. Patres ex suppositione peccati; quia ea hoc modo facilius intelligitur, atque ad captum populi magis est accommodata: cum tamen interim & ipse S. Augustinus passim, præsertim locis citatis quæst. præced. dub. 1. & S. Thomas hic q. 23. art. 5. rationem & æquitatem diuinæ prædestinationis cum Apostolo defendant & explicent etiam absque illa suppositione peccati, vt superius etiam ex Capreolo retulimus. Quoties igitur Augustinus, & ex eo S. Thomas prædestinationem explicant per separationem à massa damnata, aut loquuntur de prædestinatione respectu certorum quorundam mediorum, supponentium peccatum; aut quasi per effectum declarant causam: quod necessariò dicendum est; tum ob rationes superius allatas; tum ob alia eorundem loca, vt dictum.

DVBIVM IX.

An & quo ordine Prædestinatio nostra se habeat ad prædestinationem aliorum, seu hominum, seu Angelorum.

S. Thomas 1. p q. 23. a. 7.

NOn est hic sermo de prædestinatione Christi, de qua iam actum est dub. 7. sed de prædestinatione aliorum hominum, seu Angelorum, cum qua nostram prædestinationem comparamus. Et suppositis ijs, quæ hactenus dicta sunt, præsertim dub 7. & 8. potest hæc res paucis expediri. Etenim non desunt quidem nonnulli ex recentioribus defendentibus prædestinationem ad gloriam ex præuisis meritis, qui hac de re duo docent; Primum, electionem Angelorum factam fuisse ante electionem hominum: eo quod existimant, electionem Angelorum factam esse ante præuisum peccatum Angelorum & originis; hominum verò, post illam præuisionem. Alterum, non omnes homines in eodem signo rationis electos; eo quod aliqui prædestinati & electi fuerint ex occasione ruinæ aliorum; item, quia alij sunt causa salutis aliorum. Nihilominus opposita sententia est verior, quam duabus sequentibus assertionibus explicamus. 1

Assertio I Inter electionem hominum ad gloriam mutuò, nulla est in diuina mente secundum ordinem intentionis prioritas; sed omnes homines post Christum electi sunt simul, & in eodem signo rationis. Hæc est mens S. Thomæ hic q. 23. art. 7. vbi docet, *certum esse Deo numerum prædestinatorum etiam in indiuiduo, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis.* Item, numerum prædestinatorum esse *per se præordinatum* à Deo, ob perfectionem Vniuersi, ad eum modum, quo artifex aliquis excogitat aliquem numerum in partibus essentialibus sui effectus, quæ per se requiruntur ad perfectionem totius. Idem sentiunt omnes illi, qui docent, omnes homines fuisse electos ante præuisionem mediorum particularium, quibus ad beatitudinem essent perducendi, quos retulimus dub. 3. Idem expresè docet Suarez lib. 1. de prædest. cap. 12. num. 4. Vbi proinde meritò censet, hanc esse sententiam communiorem Theologorum. 2

Probatur primò ex dicto fundamento. Si enim, vt supponimus ex dictis, omnes & singuli homines sunt electi ante præuisionem mediorum seu occasionum, quibus in ipsa executione singuli perducuntur ad beatitudinem, tunc nulla est ratio ordinis inter prædestinationem eorundem; quia ratio huius 3

ordi-

Digitized by Google

ordinis solum desumi potest ex subordinatione ipsorum obiectorum, secundum quam vnus comparatur ad alterum, si non veluti finis ad medium, certè velut causa efficiens ad effectum; à qua tamen subordinatione prædestinatio ipsa penitus abstrahit, vt dictum: etiamsi in ipsa executione mediorum talis quædam subordinatio interueniat, ob quam similis etiam prioritas & posterioritas cadit in ipsos actus diuinæ mentis secundum ordinem executionis; quem in ipsa etiam mente agentis per intellectum constituendum esse alibi probauimus.

Secundò. Si esset aliqua prioritas, secundum ordinem intentionis, inter prædestinationem hominum aliquorum ad gloriam, tunc similis etiam prioritas esset inter ipsam vnius gloriam, & alterius: sed hoc dici non potest, &c Quia vt esset aliqua prioritas secundum ordinem intentionis inter gloriam vnius, & gloriam alterius, necesse foret, vt vnius gloria haberet se per modum finis respectu alterius; quia ordo intentionis est secundum rationem finis & mediorum: atqui vnus electus, aut gloria vnius electi, non est finis gloriæ alterius: cum omnes sint eiusdem ordinis, immediatè subordinati ad Christum hominem & Deum, etsi diuerso gradu, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 3. v. 23. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

4 Tertiò. Deus intendit regnum electorum, etiam sub certa hac & determinata mensura, quam habiturum est, per modum vnius *regni*, in quo omnes & singuli regnent; item per modum quasi vnius *corporis*, siue *sponsæ*, seu *ciuitatis* cœlestis, sub vno rege, capite & sponso Christo: ergo simul intendit omnia membra, ex quibus ipsum corpus constat, & qui veluti ciues per se ad idem regnum pertinent. Consequentia patet. Antecedens probatur ex Scriptura, in qua ita describitur cœlestis illa Ierusalem, nempe velut *ciuitas sancta descendens de cælo*; item tanquam *sponsa præparata viro suo*; item tanquam regnum, in quo omnes & singuli regnent, iuxta illud Apoc. 5. v. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Et cap. 20. v. 5. *Regnabunt in sæcula sæculorum.*

5 Assertio II. Electio Angelorum non est secundum rationem prior electione hominum; sed omnes tam homines, quam Angeli, post Christum fuerunt electi ad gloriam simul, & in eodem signo rationis. Ita citati pro præcedent. assertione. Et probatur tum ijsdem rationibus, tum maximè ex fundamento oppositi contrariæ sententiæ. Si enim aliquis esset ordo inter electionem Angelorum & hominum, ideo esset, quia Angeli electi fuerunt ante præuisum peccatum, homines verò post eam præuisionem, vt volunt authores oppositæ sententiæ: sed hoc verum non esse, probauimus dubio præcedenti; vbi ostendimus, homines nullo modo ex occasione ruinæ Angelorum, vel ad eorum ruinam complendam propriè; sed per se & primaria intentione fuisse à Deo electos, non minus quam ipsos Angelos. Ex quibus etiam patet solutio ad fundamenta oppositæ sententiæ.

DVBIVM X.

Quisnam sit in mente diuina ordo actuum concurrentium ad prædestinationem.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 4. & 5.

1 DIuersa est hac de re Doctorum sententia, prout de ordine & processu prædestinationis, in mente diuina, variè sentiunt, vt in hac quæstione dubijs præcedentibus particulatim retulimus. Etenim illi, qui prædestinationem quidem ad gloriam constituunt post præuisionem meritorum, simul tamen discretionem & selectionem gratiæ congruæ pro saluandis ex singulari amore & beneuolentia à Deo factam non negant, communiter hunc ordinem signorum constituunt, vt colligitur ex Vasquio disp. 49. num. 43. Primò Deus voluntate quadam antecedenti & inefficaci omnibus hominibus voluit beatitudinem supernaturalem; & ad hanc etiam statuit eos creare.

Secundò supposita præuisione peccati, & Christi redemptoris, decreuit & discreuit pro adultis, qui saluandi erant, post varia gratiæ dona, quæ vsum rationis anteuertere potuerunt, ea auxilia gratiæ præuenientis, quibuscum eos, spectatis omnibus, efficaciter & cum finali perseuerantia cooperaturos conditionata scientia nouerat: pro paruulis autem, eâdem seruata proportione, ea media ex parte sua, eamque seriem consimilium auxiliorum decreuit, quibuscum eos antea, etiam adultorum ope, quatenus opus erat interueniente, per eandem scientiam mediam, finalem gratiam accepturos cognouerat.

2 Tertiò. Vidit Deus scientia visionis, tum illos supradictis medijs absolutè ac reipsa cooperaturos, tum istos iustificandos, cum finali perseuerantia. Quod si aliquod eiusmodi medium necessariam & intrinsecam habitudinem inuolueret ad peccatum commissum, seu proprium prædestinati, seu alienum, tum id ex veriori sententia vtriusque partis, non fuit prædestinatum, seu præfinitum, ante peccatum illud præuisum, iuxta dicta dub. 8.

Quartò. Efficaciter decreuit vtrisque beatitudinem supernaturalem; his quidem vt hæreditatem paternam solum; illis verò etiam vt præmium, ob præuisa merita.

Alij verò nonnulli, (speciatim Lessius tractat de perfect. diuin. lib. 14. cap. 2. à num. 49.) qui specialem discretionem & selectionem gratiæ congruæ ab incongrua pro saluandis negant, & nihilominus tamen electionem ad gloriam post præuisa merita factam docent, hunc ordinem statuunt, quasi populari captui inprimis accommodatum. Primò, inquiunt, Deus ante omnem præuisionem futurorum, infinita sua bonitate inductus, liberè statuit condere naturam rationalem, Angelicam & humanam, vt eam eleuaret ad statum diuinum, & faceret participem suæ gloriæ & suæ beatitudinis, omniumque bonorum & gaudiorum suorum. Neque tamen in hoc signo selegit sibi certum nume-

rum, ex quo ciuitas illa cœlestis constaret; sed omnes omnino neminē excepto ordinauit, vt essent ciues illius ciuitatis, & participes gloriæ illius, cum firmo proposito, eam suo tempore reipsa omnibus conferendi, nisi per ipsos staret; hoc est, nisi ipsi peccando se eius directioni subtraherent, & indignos redderent.

3 Secundò in hunc finem statuit, ante omnem futurorum præuisionem, omnes Angelos, & primos parentes (in quibus virtute continebatur totum genus humanum) condere in statu gratiæ, cum magnis auxilijs, magnaque facilitate ad perseuerandum.

Tertiò. Quos ex Angelis vidit per auxilia ipsis præparata & donata perseueraturos, vel potius perseuerantes, hos absoluto decreto elegit ad gloriam; quos autem vidit non perseuerantes in bono, sed per superbiam se eleuantes, reprobauit destinando æternis supplicijs. Quia vero Deus ex hominibus neminem prædestinauit, nisi per Christum, & post peccati præuisionem, hinc fit; quod in hoc instanti ex hominibus neminem prædestinauit, sed in aliquo posteriori, vt dicetur.

4 Quartò igitur, cum Deus hominem in secundo instanti cum gratiæ donis in statu innocentiæ creatum videret non perseuerantem, adeoque præuiso peccato Adami, & prima illa ordinatione status innocentiæ per peccatum euersa, cum totum genus humanum in Adamo esset perditum, misericordia commotus rursum statuit, genus humanum erigere, & nouo modo ad salutem dirigere, prædestinando Incarnationem Verbi, vt humana natura in Verbo existens, & per Verbum sanctificata, iustitiæ diuinæ pro omnium hominum peccatis, præteritis, præsentibus, & futuris satisfaceret, & omnibus omnia ad salutem ex parte Dei necessaria mereretur. Propter cuius merita Deus rursum constituit omnibus, quantum conditio status lapsi pateretur, dare auxilium sufficiens, volendo vt omnes adulti eo vterentur, vt illud in opus dirigerent; obligando etiam parentes, vt doctrinam salutis ad posteros propagarent, & magnam eorum curam haberent: quod si fecissent, vt poterant & debebant, vera fides & religio in omnes adultos deriuari potuisset.

Quintò. Deus vidit ab æterno, quinam auxilijs, quæ ipse singulis toto temporis decursu daturus erat, rectè vterentur, & per ea in iustitia perseuerarent, quinam non perseuerarent, & in peccatis morerentur; itaque illos elegit ad gloriam, hos reprobauit & destinauit ad pœnas; & ante hanc præuisionem nulla fuit absoluta electio aut reprobatio.

5 Ita hi authores; qui tamen ne gratiæ efficacis auxilium, ipsumque perseuerantiæ donum, quorum in supra dicta serie nulla mentio expresse facta est, penitus non agnoscere viderentur, addendum censuerunt, omnibus ijs, qui perseuerant vsque ad finem, fuisse præparatum absoluto decreto auxilium efficax, & donum perseuerantiæ, independenter ab eorum libero arbitrio nudè considerato, ac proinde gratuitò secundum modum loquendi Augustini; non tamen independenter ab eorum libero arbitrio, donis gratiæ prioribus instructo: nam vt Augustinus ait (epistol. 106. & lib. de bono perseuerant. cap. 6.) *Meritis fidei & gratiæ hoc donum possumus supplices emereri; & fido certum est, ipsam perseuerantiam etiam à nobis pendere.* Ijs verò qui non perseuerant, fuit etiam hoc donum gratuita Dei misericordia, quantum opus est ex parte Dei, præparatum: quod autem datum non fuerit reipsa, ipsi in causa sunt; quia per ipsos stetit, & non per Deum, quod non perseuerauerint.

Verum quia Deus per scientiam conditionatam 6
sciebat, per quam gratiam quisque esset perseueraturus, & per quam non perseueraturus, quisque singularis beneficij loco ducere debet, si eam gratiam à Domino accipiat, per quam sciebatur perseueraturus; cum Deus aliam illi dare potuisset, per quam nouerat non perseueraturum. Idem, inquiunt, dicendum de conuersione & alijs bonis operibus. Vnde hanc gratiam semper petere debemus: etsi hæc scientia non sit illi ordinaria regula distributionis gratiarum, quas electis vel reprobis confert, &c. Porrò hæc gratia non solum complectitur diuinam inspirationem, piamque affectionem voluntatis, sed etiam circumstantias, cum quibus datur, vt loci, temporis, modi, personarum, officiorum, & aliarum rerum, quæ nos iuuant ad bonum, atque adeo totam directionem diuinæ prouidentiæ, quam ipse nobis scit fore salutarem.

Qui tamen non perseuerarunt, non habent quod de Deo conquerantur; quia ex parte sua illis præsertim fidelibus non defuit: nam sincero animo & desiderio salutis eorum, dedit illis auxilium verè sufficiens, mandans vt redderent illud efficax in actu secundo, per illud operando, sicut facilè poterant. Nostrum enim est, postquam gratia Dei instructi, & per eam corroborati sumus, illam reddere efficacem in actu secundo, per illam operando bona opera, & mandata seruando; quod sine iniuria sanæ doctrinæ negari non potest. Quare si hoc non facimus, sed gratiam Dei negligentes, & otiosam relinquentes, auertimus nos à Deo, eius mandata violando, meritò damnamur. Ita isti.

Quod si ab illa controuersia de discretione gratiæ congruæ ab incongrua, simul & ab Angelorum electione abstrahatur, nihilominus tamen prædestinatio Christi, & B. Virginis, cum ordine & processu reprobationis includatur, tum ex eorum quidem sententia, qui defendunt prædestinationem ad gloriam post præuisionem meritorum seu mediorum, à nonnullis hic ordo statuitur. Primò Deus ab æterno decreuit, omnes homines creare ad beatitudinem, quam ipsis affectu simplici desiderauit, qui vult omnes homines saluos fieri. Secundò ex hac voluntate statuit illis dare gratiam in statu innocentiæ; simul voluit permanere ipsis libertatem arbitrij; vnde etiam voluit peccatum permittere. Tertiò vidit Deus primum hominem cum tota propagine labi; adeoque vidit Adamum peccantem, & in illo omnes. Quartò voluit remedium lapsis adferre: ideo prædestinauit Christum Dominum, & eius merita. Quintò propter Christi merita præseruauit immaculatam Virginem à peccato originali; cæteros permisit illud contrahere: & ex infantibus alios reprobauit propter originale peccatum, cum quo erant decessuri; alijs ex meritis 7

Chri-

Digitized by Google

Christi vel baptismum, vel aliud remedium concessit, & sic illos prædestinauit, non ex ipsorum, sed Christi meritis. Adultis verò omnibus gratiam pronidit sufficientem, qua possent bene vel malè vti. Sextò absolutè vidit, ex hominibus aliquos gratia bene vsuros, alios malè. Septimò absolutè & efficaciter voluit bene vtentibus gratia conferre gloriam, malè vtentibus, & in peccato decedentibus æternum supplicium.

8 In qua omni dispositione prædestinatio, postposita efficaci intentione finis, incipit à voluntate efficaci, seu scientia approbationis de dandis mediis; & primò quidem remotioribus à fine, deinde propinquioribus, & consummatur in voluntate efficaci, seu scientia approbationis de danda gloria.

Sed quomodocunque hæc sententia explicetur, eiusque processus variè instituatur, suppositâ eâ doctrinâ, quam hactenus dubiis præcedentibus tradidimus, multa sunt, quæ probare in eiusmodi signorum, seu instantium serie non possumus. Et initio quidem loquendo de iis, in quibus authores isti omnes conueniunt, non probatur primò, quod prædestinatio ad gloriam tam in hominibus, quam Angelis, ponitur posterior præuisione meritorũ; contra ea quæ docuimus dub. 4. Secundo, quod prædestinatio ad gloriam ponitur non simul, sed posterior ipsa voluntate producendi homines & Angelos saluandos; cum tamen ipsamet etiam existentia saluandorum sit effectus prædestinationis; ac proinde voluntas creandi includatur in ipsa prædestinatione, vt docuimus supra q. 3. dub. 2. Tertiò, quod prædestinationem Christi & hominum constituunt primum post præuisionem peccati; contra dicta hic dub. 7. Quartò, quod prædestinationem Angelorum constituunt ante prædestinationem Christi & hominum, contra dicta dub. 9. Quinto, quod prædestinationem hominum videantur constituere in diuersis signis, vt speciatim de B. Virgine in processu postremo loco allato indicatur; contra ea, quæ docuimus hic eodem dub. 9. Sexto, quod negant absolutam præfinitionem eorum operum bonorum, quibus prædestinatus quisq; efficaciter salutem consequitur; quodq; prædestinationem rectæ operationis & perseuerantiæ, posteriorem faciunt prædestinatione gratiæ præuenientis, contra dicta dub. 6.

9 Circa secundam verò dispositionem instantium seu signorum, illud sanè speciatim displicet, quod in ea nulla fit expressa & distincta mentio gratiæ congruæ pro saluandis, & gratiæ incongruæ pro reprobis à Deo designatæ; quasi Deus in gratiarum designatione æqualiter erga vtrosque se habuerit, de qua re actum dub. 1. Certè oportebat in quarto signo addere, gratiam quidem sufficientem omnibus, sed saluandis insuper specialem gratiam congruã gratis à Deo fuisse prædefinitam; de qua tam multa S. Augustinus in suis de prædestinatione lucubrationibus disseruit; & sine qua ea sufficiẽter explicari nullo modo potest. Sed veriti fortasse sunt hi authores, ne si eius rei mentionem fecissent, series & ordo prædestinationis minus plausibilis redderetur: quando eo fundamento supposito, omnibus fere difficultatib⁹ ipsi premuntur, quas contra gratuitam prædestinationẽ aliàs obiiciunt; sed à se suaq; sententia alienissimas esse vellent, vt satis patet ex dictis dub. 5.

Taceo, quod in addita notatione dicitur, donum perseuerantiæ, de quo tam multa & præclara Augustin⁹ contra Semipelagianos disserit lib. de bono perseuer. fuisse quidem *gratuitã Dei misericordia præparatum iis, qui non perseuerant*; iis verò qui perseuerant, significatur fuisse decretum ex meritis, iuxta Augustinum; quasi his non fuerit gratis prædestinatum & collatum: cum tamen Augustinus loquatur solum de imperfecto & improprio merito congrui; quod meritum nec per se infallibile est, nec facit, quo minus aliquid gratis detur, vt omnes docent cũ S. Thoma in 1. 2. q. 114. art. 9. vbi disertè pronuntiat, *perseuerantiam viæ non cadere sub merito; sed Deum gratis perseuerantiæ bonum largiri, cuicunq; illud largitur.* Neque dicit Augustinus, omnes adultos prædestinatos donum illud promereri; sed posse promereri; quod commune etiã est reprobis; Deo interim gratis quidem hoc donum saluandis prædestinante; cæteris verò, non iniusto quidem, sed occulto iudicio, non itẽ. Certè longè aliter quam superius relatum, de dono perseuerantiæ docere Augustinum; imò verò apertè profiteri, nescire se causam, cur vni donum illud à Deo detur, alteri nõ detur; patet ex testimoniis eiusdem relatis supra q. 4. dub. 1. assert. 3. & hic dub. 1. Quibus addo hæc apertissima eius testimonia. Lib. de corrept. & grat. cap. 8. ait: [Hîc si à me quæratur, cur eis Deus perseuerantiam non dederit, qui eam, quâ Christianè viuerent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentẽ Apostolum, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Et; O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; quam inscrutabilia sunt iudicia eius; & inuestigabiles viæ eius? Quantum itaque nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus; quantum verò abscondere, non aduersus eius consilium murmuremus; sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Tu autem quisquis inimicus ei⁹ gratiæ sic interrogas, ipse quid dicis? Bene quod te non negas esse Christianum, & Catholicum iactas. Si ergo confiteris, donum Dei esse perseuerare in bono vsque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia iudicia Dei penetrare non possumus.]

Et ibidem inferius ita pergit Augustinus: [De his n. disserimus, *inquit*, qui perseuerantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malũ deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeãt si possunt, cur illos Deus cũ fideliter & piè viuerent, nõ tunc de vitæ huius periculis rapuit; ne malitia mutaret intellectum eorũ, & ne fictio decipiat animos eorũ. Vtrum hoc in potestate non habuit; an eorum mala futura nescuit? Nempe nihil horũ, nisi peruersissimè atq; insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit? Respondeant, qui nos irrident, quando in rebus talib⁹ exclamam⁹, Quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Neq; n. hoc non dat Deus quibus voluerit; aut verò scriptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis iusti ait, Rapt⁹ est, ne malitia mutaret intellectũ eius, aut ne fictio deciperet animã eius. Cur igitur hoc tã magnum beneficium aliis dat, aliis nõ dat Deus, apud quẽ nõ est iniquitas, nec acceptio personarũ, & in cuius potestate est, quãdiu quisq; in hac vita maneat, quę tentatio dicta est super terram?

Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei esse, vt finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant; ita donum Dei esse in bono perseuerantiã, secundum scripturas, de quibus testimonia multa iam posui, fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure aduersus Deum, dignétur ignorare nobiscum.]

Et lib. 2. de bono perseuer. cap. 13. [Dilucide, *inquit*, ostenditur, & inchoandi, & vsq; in finem perseuerandi gratiam Dei, non secundum merita nostra dari; sed donari secundum secretissimam, eandemq; iustissimam, beneficentissimam, sapientissimam Dei voluntatem: quoniam quos prædestinauit, hos & vocauit, vocatione illa, de qua dictum est, sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: ad quam vocationem pertinere, nullus est homo ab hominibus certa affeueratione dicendus, nisi cum de hoc seculo exierit. In hac autem vita humana, quæ est tentatio super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe non perseueraturi, perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus nõ alta sapientes, sed humilibus consentientes, & cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit, & credere, & dicere; hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio & detur totum Deo.]

Et lib. de corrept. & grat. cap. 12. [Nunc ergo Sanctis, *inquit*, in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, tale adiutorium perseuerantiæ datur, vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solum vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam vt per hoc donum nonnisi perseuerantes sint.] Audis vbique ex Augustino, perseuerantiam non secundum merita nostra dari, sed ex gratia & beneplacito Dei donari. Omitto cætera.

Circa postremam verò dispositionem instantiũ, illud specialim non probatur, quod in ea prædestinatio infantium constituitur in priori signo, quam adultorum: quod non solum vniuersim refutauimus dub. 9. sed etiam aliis authoribus communiter parum consonum videtur, qui defendunt prædestinationem ex præuisis meritis. Certè nulla eius rei ratio solida potest adferri; quia sicut in adultis ante actum pœnitentiæ, aut gratiam sanctificantem requiritur gratia excitans; ita in paruulis ante susceptionem baptismi pia cooperatio adultorum. &c.

11 His ergo omissis, aliter à nobis constituendus est ordo signorum siue instantium in mente diuina, ex dictis. Et initio quidem abstrahendo à Christo & permissione peccati, & loquendo præcisè de actibus, quibus ipsa prædestinatio perficitur, hunc ordinem signorum statuimus. Primò supposita scientia tam naturali, quam media, Deus infinita sua bonitate, & ob gloriam nominis sui inductus, liberè statuit condere naturam rationalem, angelicam & humanam, ad beatitudinem supernaturalem, quam omnibus quidem affectu simplici desiderauit, volens omnes angelos & homines saluos fieri; sed simul tamen etiam quosdam, iuxta suum beneplacitum, certo numero & in individuo efficaciter destinauit, adeoque etiam creare decreuit ad gloriam reipsa consequendam, siue per merita & vt brauium, ab adultis; siue solum vt hæreditatem, à paruulis.

12 Secundò gratis præordinauit omnibus quidem tam hominibus, quam angelis, sufficientia salutis media, iuxta singulorum statum & conditionem, sed præcipuè simul electis particulatim destinauit efficacia salutis media; cum hac tamen subordinatione, vt prius iis decreuerit ea media, quæ propi⁹ ad salutem prædestinati concurrunt, vt est certus gradus gratiæ sanctificantis cum perseuerantia; deinde in adultis, actus boni & meritorii; in paruulis autem, applicatio Sacramentorum: postea verò etiam alia media præuenientis gratiæ; quò spectant variæ opportunitates, occasiones, omnisque illa auxiliorum gratiæ series, qua cum antea per scientiam mediam eos cum finali perseuerantia iustificandos cognouerat.

Tertio verò supposito hoc ordine intentionis, præscriuit Deus absoluta præscientia, tum adultos ita finaliter cooperaturos, tum paruulos per præordinata media gratiam vsque ad finem vitæ retenturos.

13 Quartò voluit ac decreuit voluntate quadam executiua, quod statutum est executioni mandando, post dictam præuisionem mediorum, conferre gloriam; vt sic re ipsa tandem electis in primo instanti, sine præscientia absoluta meritorum vel auxiliorum, efficaciter obtingere gloria, seu tanquam brauium adultis; seu tanquam mera hæreditas paterna paruulis; siquidem hic procedendi modus etiam inter homines consuetus est, cum per ipsum, qui intentionis ordinem instituit, faciẽda est executio, vt superius dictum disp. 2. q. 10 dub. 5. & hic dub. 4. & bene etiam Suarez hic lib. 1. de prædest. cap. 14. & opusc. de auxil. lib. 3. cap. 19. num. 6. In quo processu negotium prædestinationis inchoatur ab efficaci intentione ipsius gloriæ, tanquam finis, & mediante electione mediorum, simul cum scientia visionis de eorundem efficacitate, consummatur in voluntate executiua reipsa conferendi gloriam. &c.

14 Quod si actuum diuinorum seriem ad Christum etiam & permissionem peccati extendere velimus, abstrahendo à modo & ordine reprobationis, de qua quæst. 7. agendum est, tum hunc ordinem constituemus. Supposita nimirum scientia diuina, tam simplicis intelligentiæ, quam conditionata seu media, Deus primò voluit esse gloriosus in creaturis; adeoque voluit gloriam suam, & propter eandem communicare seipsum ad extra, producendo creaturas, iisdemque sese velut supremum finem præstituendo; nulla interim in hoc signo determinatione singulari facta rerum producendarum; ne cuiuspiam alterius rei productio prædefinita dicatur prius, quam ipse Christus.

Secundò voluit gloriam & exaltationem Christi (dependenter tamen à permissione peccati, & abstrahendo à carne passibili) vt nimirum ipse velut homo caput esset & princeps hominum simul & angelorum, adeoq; finis secundarius omnis puræ creaturæ.

15 Tertiò voluit creare homines & angelos ad supernaturalem beatitudinem; quam proinde omnibus quidem voluit antecedenti voluntate; quibusdam autem

autem ad hoc singulariter & in indiuiduo præ cæteris electis, etiam efficaci & absolutó decreto.

Quartò voluit totam reliquam rerum vniuersitatem producere, itáque conformare, vt & Angelis & hominibus, iuxta suam vniuscuiusque conditionem ac modum, ad suum finem cooperarentur ac ministrarent: simul etiam tum vtrisque sufficientia salutis media decreuit; tum speciatim electis tam hominibus quam Angelis prædefiniuit ea media, quæ nullum necessarium respectum includunt ad peccatum; cum ordine tamen quodam, vt propiora fini prius decerneret, quam remotiora.

Quintò voluit permittere peccatum, tam in angelis, quam hominibus.

Sextò prædefiniuit ea media electis, quæ necessariò supponunt peccatum, tum generalia, tum particularia; vt passionem & mortem Christi, pœnitentiam Confessorum, mortem ac certamina martyrum, de qua re omni in 3. parte fusius disserendum est; neque opus est hæc sigillatim amplius confirmare, cum fere ex dictis sint manifesta.

16 Concludo hanc dubitationem cum Durando in 1. dist. 41. num. 6. qui eiuscemodi ordinem maximè consentaneum esse naturis rerum, & humano modo procedendi, hac ratione perspicuè declarat: *Sciendū est*, inquit, *quod inter electionē & cæteros actus intellectus & voluntatis, in Deo nō est ordo prioris & posterioris secundū rē, sed tantum secundum rationē. Nā vbicunq; est ordo prioris & posterioris secundum rē, ibi est realis distinctio: sed inter attributa diuina, de quorum numero sunt electio & prædestinatio, & omnes operationes intellectus ac voluntatis, non est realis distinctio: ergo nō est ibi realis ordo, sed solū secundū rationem. Et nunc debemus considerare ex reali ordine, quem habent actus tales in nobis, in quibus differunt secundum rem. Vt enim prius dictum fuit, qualem ordinem realem habent aliqua, vbi sunt distincta realiter, talem ordinem rationis habent, vbi sunt distincta secundum rationem.*

17 *Est ergo notandum, quod in nobis omnem actum voluntatis præcedit aliquis actus intellectus. &c. actus autē voluntatis de fine, præcedit actū intellectus practici, quo consiliatur de his, quæ sunt ad finē. Hunc aūt actum intellectus practici sequitur electio, quæ est appetitus præcōsiliati. Cōtingit aūt, quod illud cuius est electio, sit finis quorundam aliorū, & ex illo rursus ratiocinatur intellectus practicus de his, quæ sunt ad illū finem, qui est finis sub fine; & tunc electio primi præcedit secundum actum intellectus practici: sed iste secundus actus præcedit secundam electionem. Ergo talis ordo est in nobis secundum rem.*

In Deo autem est similis ordo secundum rationē. Quantum n. spectat ad propositum nostrum, Deus primò scit suā beatitudinem, vt possibilē nobis communicari: hanc notitiā sequitur voluntas communicandi eā aliquibus: ex hac volūtate, quæ est finis, ratiocinatur intellectus practicus, quibus communicabitur, & quibus non; & hic actus vocatur consilium diuinum &c. Hoc aūt consilium sequitur electio (nimirum ad gloriam) *&c. Adhuc illud cuius est hæc electio, habet rationem finis respectu eorum, per quæ electus ad talem finem deducetur: & ideo ex hoc rursus consiliatur intellectus practicus, quæ sint conferenda electis, vt consequantur finem, ad quem eliguntur; concluſio autē huius consilii dicitur prædestinatio. &c. Hoc autem consilium sequitur vltimo electio vel propositum conferendi talia auxilia; & hic terminatur processus interioris intētionis. &c.*

Et rursum nu. 9. ita concludit Durandus: *Iste ergo videtur esse processus secundū rationē in Deo; quia primò vult beatitudinē cōmunicare; secundò consiliatur, quibus communicabit eā, & per concluſionē consilii approbat quibus cōmunicabit. Tertiò illos eligit. Quartò consiliatur, quæ auxilia conferēda sunt electis, ad consecutionē finis, & cōclusio huius consilii est prædestinatio. Quintò & vltimò sequitur propositū conferendi talia auxilia.* Hactenus Durandus, vbi tamen quod simul indicat, reprobationem in eodē instanti factam esse, quo electio ad gloriam, quæstione sequenti refelletur. Sicut & de eo, quod electionem à prædestinatione ex parte termini distinguit, actum est superius q. 2. dub. 1. & q. 3. dub. 1. & vniuersim quomodo prædestinatio se habeat ad dilectionem, electionem, præscientiam, prouidentiam, explicauimus supra q. 2. dub. 3. 18

QVÆSTIO VI.

De Infallibilitate, immutabilitate, & concordia Prædestinationis diuinæ cum libero arbitrio.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 6. & 7.

ABsoluitur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. An & quomodo prædestinatio sit certa & immutabilis, certusq; numerus prædestinatorum. II. Quantus & quàm conueniens sit prædestinatorum numerus. III. Vtrum prædestinatio sit in nostra potestate; aut saltem cum libertate arbitrii nostri consentiens. IV. An & qua ratione de nostra prædestinatione certi esse possimus: & quænam sint diuina prædestinationis signa.

DVBIVM I.

An & quomodo Prædestinatio sit certa & immutabilis; certusque numerus Prædestinatorum.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 6. & 7.

QVid de hac re sentiendum sit, cū S. Thoma loc. cit. sequentibus assertionibus declaramus.

Assertio I. Prædestinatio diuina est certissima, & prorsus infallibilis. Ita S. Thomas quæst. 23. art. 6. & in 1. 1

& in 1. dist. 40. q. 3. art. vn. & quodl. 5. q. 1. art. 2. & quodl. 11. a. 3. & quodl. 12. a. 3. & de veritate q. 6. a. 3. & 5. & in epist. Heb. 12. lect. 4. cum Magistro in 1. dist. 40. quos sequuntur alii Theologi omnes. Et patet ex recepta definitione prædestinationis ex Augustino lib. de bono perseuer. cap. 14. *Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur, quicunque liberantur.* Ratio est. Quia prædestinatio est pars prouidentiæ, qua Deus absolutè & efficaciter aliquid fieri decernit: at verò & ipsa etiam prouidentia eatenus certa est & infallibilis, quatenus certo & infallibiliter eueniunt, quæ Deus vt absolutè eueniant per prouidentiam efficaciter ordinauit, vt dictum q. 1. dub. 4. Ergo & prædestinatio. &c. Confirmatur. Quia prædestinatio continet, aut supponit voluntatem Dei consequentem & efficacem, vt dictum q. 2. dub. 1. voluntas autem efficax Dei semper impletur, vt dictum disp. 2. q. 10. dub. 4.

2 Assertio II. Diuina prædestinatio est immutabilis. Ita S. Thomas loc. cit. & consentiunt alii Theologi cum Magistro in 1. dist. 40. Probatur tum ex dictis: si enim certa & infallibilis est, ita vt infallibiliter eueniant ea, quæ Deus prædestinauit; ergo mutari non potest: si enim mutaretur, tum non euenirent ea, quæ per ipsam antea prædestinata erant; sed eueniret oppositum. Tum quia prædestinatio vel ad scientiam diuinam pertinet, vel ad voluntatem, aut certè vtramque complectitur, ex dictis q. 2. dub. 2. quicquid autem horum dicatur, necessario sequitur, prædestinationem esse immutabilem: quandoquidem & scientia, & voluntas Dei, Deusq; ipse penitus immutabilis est, vt dictum disp. 2. q. 5. dub. 1. & q. 8. dub. 10. & q. 10. dub. 4.

3 Ex quibus sequitur, propositionem hanc, qua etiam Augustinus infra, & alii SS. Patres vtuntur, *prædestinatum damnari, aut reprobum saluari, est impossibile*, planè veram & admittendam esse; idq; non solum adhibita distinctione seu limitatione, in sensu composito; sed etiam absolutè; quia ex se & ex ipsis terminis sensum compositum habet, vt ex Dialecticis regulis probat Eckius cent. 4. num. 34. De qua re plura dub. 3. assert. 3. Vnde Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 35. ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo; neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinauit ad regnum cælorum; nec quenquam eorum, quos non prædestinauit ad vitam, vlla posse ratione saluari.*

4 Sequitur secundò, non rectè absolutè dici, *Deum posse prædestinare, quem non prædestinauit; aut posse non prædestinare, quem prædestinauit:* vt rectè S. Thomas hic q. 23. a. 6. ad 3. & recentiores communiter, licet veteres quidam Scholastici aliter fuerint locuti. Ratio est. Quia tales propositiones faciunt sensum compositum, sicut ista; possibile est, vt sit prædestinatus ille, qui non est prædestinatus; quæ proinde propositiones absolutè falsæ sunt; licet rectè dici possit, Deum posse hunc, V. G. Petrum, prædestinare, vel non prædestinare; est enim hic sensus diuisus iuxta S. Thomam ibidem. Plura dub. 3. assert. 3.

5 Assertio III. Certus est etiam Deo numerus prædestinatorum, non tantum formaliter, sed etiam materialiter: ita nimirum, vt certum sit Deo, non solum quot sint prædestinati, sed etiam qui sint. Ita S. Thomas hic q. 23. a. 7. & communiter Theologi omnes, contra obsoletam quandam & in fide erroneam sententiam eorum, qui vt concordiam inter prædestinationem & liberum arbitrium tuerentur, dixerunt, numerum prædestinatorum esse certum formaliter, non materialiter. Pro qua sententia Eckius cent. 3 nu. 82. ex Cortesio refert Aureolum; qui sanè quidem hac de re periculosè loquitur in 1. dist. 40. q. 1. a. 4 inquisit. 4. vbi cum retulisset doctrinam S. Thomæ hic a. 6. & 7. prædestinatorum numerum esse certum & infallibilem, atque immutabilem, subiungit: [Hic modus dicendi desperationem hominibus inducit. &c. quia manifestum est, *inquit*, quod prædestinatio aut reprobatio, prout in Deo sunt, nostro conatu impediri non possunt: ergo si stantibus illis incompossibile est, quin saluetur iste, & damnetur ille, frustra qui damnandus est ad oppositum conatur: vnde datur homini materia desperandi & negligendi seipsum, & tollitur omnis exhortatio salutaris, & persuasio, & Sacramentorum perceptio: quod totum est vanum. *Et infra ait:* Inconcussè tenendum est, quod prædestinatio nullam immutabilitatem inducit circa salutem saluandorum; nec reprobatio circa pœnam hominum damnandorum.] Denique in responsione ad obiecta ait, [has propositiones, Deus prædestinauit, vt Petrus saluetur, & reprobando præsciuit, quod Iudas damnabitur, non esse concedendas, quin imò improprias esse, & falsas in sua proprietate: quamuis illud, *inquit*, quod Deo attribuere volumus verum sit, scilicet quod determinatio illa est æternaliter apud Deum, quam habet res ex suâ actuali positione, de qua patet quod non potest propter eam inferri aliquid vt futurum, nec vnquam potuit: & qui hanc regulam tenet omnem difficultatem euadit.] *Ita Aureolus.*

Alius fuit sensus Catharini lib. 1. de prædest. cap. vlt. (quem etiam aliquamdiu secutus est Sixtus Senensis, vt refert ipsemet lib. 6. Biblioth. annot. 248.) vbi distinguens inter prædestinatos & saluandos quo dicit. Primum, non omnes qui saluantur esse prædestinatos. Alterum, numerum quidem prædestinatorum esse certum, non autem saluandorum; sed hunc augeri & minui posse. Quem idcirco quasi re ipsa quoque lapsum grauissimè reprehendunt, cum Soto, Bannes hic q. 23. a. 7. aliique Thomistæ ibidem; quos sequitur Gregorius de Valentia hic q. 23. punct. 3. 6

Sed vt rectè notarunt Suarez lib. 1. de prædest. cap. 8. num. 31. & Vasquez disp. 101. cap. 1. Catharinus non tam in re, quàm in verbis errauit. Is enim prædestinationem vocat id solum decretum diuinum, quod non solum tempore, sed etiam ratione & natura antecedit omnem præuisionem meritorum ac mediorum: & quia putauit, plerosque saluandos non ita ad gloriam electos, vt dictū quæst. præced. dub. 2. consequenter docuit, non omnes saluandos esse prædestinatos. Deinde cum incertum numerum saluandorum esse dixit, non absolutè hoc intellexit, sed limitate & iuxta materiā subiectam; videlicet non esse certum ex ipsa prædestinatione, seu ex diuina voluntate antecedente præuisionem meritorum:

ritorum: cum tamen interim ex ipsa præscientia futurorum certum esse, nunquam negarit. Eodem modo cum numerum saluandorum augeri posse docuit, locutus est non de numero, prout est in præscientia Dei, præuisa cooperatione cuiusque, sed absolutè & ex se, ante hanc præscientiam, ex sola præfinitione gratiæ operantis & cooperantis, & seclusa simul scientia conditionata; quam ipse non admisit.

7 Atque eandem sententiam, eo modo explicatam, rectè Vasquez loc. cit. existimauit fuisse etiam Massilienſium: de quibus Hilarius epist. ad Augustin. ante librum eiusd. de prædestinatione ait: *Indè est, quod & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum reiiciendorumque esse definitum numerum velit.* Sed quamuis ad modum explicatum posterior hæc sententia reipsa non sit erronea, nihilominus modus ipse loquendi tam Aureoli, quam Catharini, & Massilienſium, vti malè sonans, & in rigore verborum erroneus, prorsus vitandus est.

8 Probatur assertio ex Scriptura Ioan. 13. v. 18. *Scio quos elegerim.* Quo spectat etiam illud Ioan. 8. v. 28. *Ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Et S. Paulus Roman. 8. vers. 38. in persona prædestinatorum, & ex accepta prædestinationis notitia loquens ait: *Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. poterunt nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV.* Licet hoc etiam iuxta animi bene confidentis, & in DEO radicati dispositionem accipi possit, vt alii interpretantur. Et rursum 2. Timoth. 2. *Firmum fundamentum DEI stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus, qui sunt eius.* Vide Augustinum lib. de corrept. & grat. cap. 7.

9 Ratio sumitur ex dictis. Si enim prædestinatio diuina certa est & infallibilis, tunc etiam fatendum est, certum apud Deum esse numerum prædestinatorum, tam formaliter, quam materialiter: quia prædestinatio reipsa & adæquate saltem spectata non versatur circa res & personas prædestinatas in confuso, & quasi in abstracto; sed in particulari & determinatè circa singulos singillatim; vt constat tum ex dictis de prouidentia in genere quæst. 1. dub. 2. & 3. tum supra quæst. 2. dub. 1. Cum ergo Deus prædestinatione sua definiuerit certum numerum prædestinatorum non solum formaliter, sed etiam materialiter, planè fatendum est, certum ei numerum esse prædestinatorum, non solum formaliter, sed etiam materialiter. Accedit, quod à parte rei certus olim futurus est numerus saluandorum, tam in particulari & materialiter, quam in communi & formaliter: Deus autem omnia futura infallibiliter nouit, vt constat ex dictis disp. 2. quæst. 8. dub. 5. Ergo certus est Deo prædestinatorum numerus etiam materialiter, saltem in præscientia.

10 Neque contrariæ sententiæ argumenta vllius sunt momenti. Aureolus enim falsa supponit fundamenta, quæ iam superius suo loco refutauimus: nimirum quod diuina præscientia non aspiciat rem vt futuram; item quod *nulla volitio intrinseca Deo transit*, ait, *super salutem Petri magis, quam super eius oppositum: sed voluntas operationis diuinæ, scilicet iustificatio per gratiam, & beatificatio per gloriam, quam Deus operatur, vt præuisa ab æterno transit super illud propositum, quod habet Deus de salute Petri.* Falsum denique est, quod ibidem ait Aureolus, *talem operationem* (scilicet iustificationem per gratiam, & beatificationem per gloriam) *vt præuisam, in nullo aspicere salutem Petri vt futuram; & per consequens non posse inferri ex ea, quod salus Petri futura sit, aut eueniat.* Si enim Deus præuidit iustificationem aut beatificationem Petri, infallibiliter sequitur, Petrum saluum futurum esse. Neque sanè de hac re oppositum vllo modo affirmari potest; nisi quis ineptè circa terminos tricetur. De re ipsa verò & fundamentis, quibus explicata Catharmi sententia nititur, actum est supra dub. 3. & 4.

Assertio IV. Numerus electorum seu prædestinatorum certus est Deo, non solum ratione cognitionis, seu ex præscientia, sed etiam ratione electionis & definitionis, ac *per modum principalis præfinitionis:* secus est de numero reproborum; qui non ita principaliter ordinantur ad bonum vniuersi, sed secundariè. Ita contra Massilienses præced. assert. citatos quasi ad verbum S. Thomas art. 7. ex communi Thomistarum, eorumque omnium auctorum, qui prædestinationem ad gloriam ante præscientiam mediorum statuunt: licet interim ea doctrina valde torqueat eos auctores, qui cum sentiant, Deum non elegisse ad gloriam quenquam ante præuisionem meritorum, nollent suæ sententiæ aduersarium habere S. Thomam, vt videre est apud Vasquez cit. disp. 101. cap. 1. qui etiam disp. 89. cap. 10. num. 89. aduersus hanc doctrinam S. Thomæ ait, *numerum prædestinatorum solum certum esse in præscientia.* Sed & Aureolus in 1 dist. 41. quæst. 1. art. 2. ex instituto contra S. Thomam docet, limitationem electorum non esse absolutè ex diuina voluntate; sed *ex præscientia non positionis impedimenti vel obicis; vt & limitationem numeri reproborum, ex præscientia positionis obicis, & impedimenti respectu gratiæ finalis.* 11

Sed res & sententia S. Thomæ clara est, suppositis iis, quæ quæst. præceden. dub. 4. dicta sunt: Cum enim Deus prædestinauerit saluandos ad gloriam prædefinitiuo quodam, eodemque absoluto & efficaci decreto, ante omnem præuisionem absolutam meritorum & mediorum, hinc nimirum verissimè dicitur, ex huius ipsius vi, & non solum ex vi præscientiæ meritorum, seu mediorum, quæ præscientia præfinitionem illam sequitur, certum esse, certoque cognosci à Deo, quot & quinam salutem consequantur: quando Deus in ipsa etiam præfinitione ea futura nouit, quæ ipse absolutè & simpliciter apud se præfinit & decernit, quemadmodum generatim de diuina scientia futurorum contingentium docuimus supra disput. 2. quæst. octau. dub. 7. 12

Idem probatur insuper etiam à S. Thoma hic cit. a. 7. hac optima ratione. Quia vnumquodq; agens, cum semper quidem finitum effectū intendat, simul etiam excogitat & præfinit aliquem numerum & mensuram certam & determinatam in partibus essentialibus, seu quæ per se requiruntur ad per- 13

fectionem

fectionem totius operis; cætera verò per se determinatè ac certo numero non præfinit; sed solum indeterminatè & in confuso, quot & in quantum sunt necessaria propter aliquid per se intentum: vt patet in Architecto, qui in ædificio numerum quidem & quantitatem ipsarum contignationum, seu mansionum, absolutè prædefinit; numerum verò lapidum non item; sed indefinitè tot adhibendos decernit, quot sunt necessarii ad ipsam formam & quantitatem ædificii, mansionumque consummandam. Ita igitur etiam ratiocinandum est de Deo, respectu totius vniuersi, quod facere ipse decreuit. Præordinauit enim, in qua mensura deberet esse totum vniuersum, & quis numerus esset conueniens essentialibus partibus vniuersi; quæ scilicet habent aliquo modo ordinem ad perpetuitatem; quot scilicet sphæræ, quot stellæ, quot elementa, quot species rerum. &c. Et cum inter cætera etiam prædestinati per se, & quidem potissimum spectent ad bonum totius vniuersi, adeoque ipsius operis, quod Deus facere decreuit; reprobi verò, resque etiam cæteræ corruptibiles ordinentur à Deo in bonum electorum, vtpote quibus omnia cooperantur in bonum; omninò fatendum est, Deo non tantum simplici præscientia, sed etiam vi cuiusdam *principalis præfinitionis* certum esse numerum electorum. Secus sentiendum est de reprobis, quorum numerum etsi præsciuerit Deus, non tamen ita prædefiniuit, vt inferius dicetur. Sicut etsi Deus sciat numerum omnium indiuiduorum, non tamen ideo numerus boum vel culicum est per se à Deo præfinitus; sed tot huiusmodi diuina prouidentia producere decreuit, quod sufficerent ad specierum conseruationem. Hæc optimè S. Thomas, à quo nihil re ipsa alienum videtur dixisse Cortesius, quamuis aliter intellectus ab Eckio loc. cit. Huc spectat etiam illud Roman. 9. v. 11. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est*: ex quo loco colligitur, prædestinationem esse firmam & fixam, ex ipsa electione ac voluntate Dei.

14 Idem tradit S. Thomas 1. sent. ad Annibald. dist. 40. q. vn. art. 3. ad 2. vbi ait, quod *prædestinatio respectu gratiæ & gloriæ habet certitudinem præscientiæ, & causæ*. Et q. 6. de verit. a. 3. ait: quod *præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.*

Idem sensisse Augustinum, patet ex dictis superius dub. 3. & 5. id quod præter Prosperum & Hilarium in suis epistolis ad Augustinum, satis intellexerunt etiam ipsi Massilienses; qui propterea contra Augustinum prædestinationem in sola præscientia certam esse docuerunt, vt diximus: & specialis locus est ille Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 7. vbi ait: *Horum* (prædestinatorum) *si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit; quia nulla re vincitur Deus. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit; quia non fallitur Deus.* Vbi priora verba ad certitudinem præfinitionis & causalitatis pertinent; posteriora ad certitudinem diuinæ præscientiæ. Fundamentum autem oppositum Aureoli, aliorumque satis supra quæst. 4. dub 4. & quæst. 5. dub. 4. refutauimus.

Quæres, an hæc assertio intelligenda sit de præscientia absoluta solum, an etiam conditionata. Respondetur, potissimum ac directè quidem intelligi de præscientia absoluta, ad quam, vt vidimus, Massilienses, aliique superius retulerunt certitudinem prædestinationis: nihilominus tamen etiam extendi posse ad scientiam conditionatam. Hæc enim quamuis sit conditio quædam necessariò præsupposita in Deo, ad decretum prædestinationis; non tamen inde sequitur, prædestinationem habere suam certitudinem proprie, formaliter, & immediatè ab huiusmodi præscientia; sed ex absoluto & efficaci decreto Dei, qui supposita illa scientia conditionata facere potest, quod vult, & immutabiliter facit, quod efficaciter & absolutè decernit. Sicut etiâsi scientia Dei necessaria siue naturalis præsupponatur in Deo ad prædestinationem, non tamen inde sequitur, certitudinem & infallibilitatem prædestinationis proprie & formaliter ad scientiam illam Dei referendam esse. 15

Cæterum contra certitudinem prædestinationis obiicitur primò, illud Apocal. 3. v. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Vnde & Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 13. ait, alium non esse accepturum, nisi iste perdiderit. Potest ergo & acquiri & perdi corona, quæ est prædestinationis effectus; ac proinde prædestinatio non est certa. 16

Respondetur cum S. Thoma hic q. 23. a. 6. ad 1. Coronam alicuius dici posse dupliciter: vno modo ex prædestinatione diuina; & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ, siue secundum præsentem iustitiam: quod enim meremur quodammodo nostrum est: & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco eius (non quidem secundum ipsum diuinæ prædestinationis decretum, sed quo ad eius executionem, vt dictum supra quæst. præced. dub. 5.) subrogatur, *Non enim*, inquit S. Thomas, *permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat; secundum illud Iob 34. Conteret multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines; & in locum Iudæorum gentiles. Substitutus autem in statum gratiæ, etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit, quod de bonis quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua vnusquisq; gaudebit de bonis tam à se, quam ab aliis factis. Quæ omnia non de ipsa prædestinatione, seu prima electione diuina, sed de executione eiusdem, seu quod idem est, decreto executiuo intelligenda esse, loc. cit. pluribus exposuimus.

Obiicitur secundò. Posito possibili, nullum sequitur impossibile: possibile est autem aliquem prædestinatum, V. G. Petrum, peccare, & tunc occidi: hoc autem posito, sequitur prædestinationis effectum frustrari: hoc igitur non est impossibile; ac proinde prædestinatio non est certa. Respondetur cum S. Thoma hic quæst. 23. artic. 6. ad 2. possibile quidem esse, prædestinatum mori in peccato mortali, in sensu diuiso; si nimirum de ipso prædestinato secundum se loquamur; sed non in sensu composito; ita scilicet vt coniungatur ea mors cum ipsa prædestinatione facta. Vnde 17

quia

quia si ponatur prædestinatum mori, aut mortuum esse in peccato mortali, necessario fit sensus compositus, ea hypothesis non est possibilis. Illud autem axioma, posito possibili, nullum sequitur impossibile; intelligendum est, si possibile ponatur eo sensu, quo possibile est; seu quod idem est, possibile poni potest re ipsa esse; nisi eo ipso quod ponitur esse, mutetur suppositio, in qua sola dicitur possibile, vt suo loco etiam de diuina
18 scientia & voluntate diximus.

Obijcitur tertio. Quicquid Deus potuit potest; sed potuit non prædestinare, quem prædestinauit: Ergo nunc potest non prædestinare: ac proinde prædestinatio non est certa.

Respondetur cum S. Thoma ibidem ad 3. Deum posse quicquid potuit potentia intrinseca, & in sensu diuiso, non composito; ita vt cum præexistente decreto diuinæ voluntatis re ipsa componatur & coniungatur oppositum decretum. Sicut enim Deum velle aliquid creatum est necessarium, non quidem absolutè, sed ex suppositione, propter immutabilitatem diuinæ voluntatis, ita etiam impossibile est, vt cum ea suppositione re ipsa coniungatur oppositum decretum. Vnde [non oportet dicere,] inquit Sanctus Thomas, [quod Deus possit non prædestinare, quem prædestinauit, in sensu composito accipiendo, licet absolutè considerando, DEVS possit prædestinare, vel non prædestinare; sed ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo.] Vide quæ hac de re vniuersim diximus supra disputatione secunda quæst. 8. dub. 10. & q. 10. dub. 4. & hic assert. 2.

DVBIVM II.

Quantus; & quam conueniens sit prædestinatorum hominum numerus.

S. Thom. 2. p. q. 23. a. 7.

1 NVmerus prædestinatorum hominum dupliciter assignari potest; primo absolutè, vt V. G. dicamus esse mille myriades prædestinatorum; secundo respectiuè seu comparatè, idque vel per comparationem ad Angelos, seu lapsos, seu beatos; vel per comparationem ad homines reprobos, siue extra statum legis Euangelicæ, siue sub statu legis Euangelicæ viuentes. Priori modo non instituitur quæstio: quia nemo mortalium, saltem vi discursus alicuius ex communibus principijs reuelatis, eo progressus est, vt definitum eiusmodi prædestinatorum numerum assignare auderet. Quo sensu etiam verissimè dicitur ab Ecclesia illud, *DEVS tui soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus, &c.*

2 Posteriori autem sensu, varia reperitur hac de re Doctorum & Sanctorum sententia; Et primo quidem comparatione cum Angelis facta, Sanctus Thomas hic quæst. 23. artic. 7. tres recitat sententias. Prima est, tot homines saluandos, quot Angeli ceciderunt: quod sentire videntur illi, qui homines solum post Angelorum peccatum præuisum, & ad eorum ruinam restaurandam prædestinatos existimant. Secunda, tot saluandos, quot Angeli remanserunt; seu quot sunt Angeli beati: quod sentit Anselmus in Elucidario, eandemque Sancto Gregorio tribuit Caietanus eod. art. 7. Tertia, tot saluandos, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Cui nonnihil fauet Augustinus in Enchirid. cap. 29. vbi probabile censet, maiorem numerum futurum esse beatorum hominum, quam sit Angelorum. Quæ tamen omnia Sanctus Thomas loco citato, pro incerto habet; quando suam hac de re sententiam his verbis adiungit: *Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum, in superna felicitate locandus.*

Instituendo vero comparationem solum cum 3
hominibus reprobis controuersia est, vtrum saltem inter homines fideles, ac sub statu Euangelij viuentes, plures sint prædestinati, quam reprobi. Ita enim affirmant nonnulli: è quibus Damascenus in quodam Sermone de defunctis sentit, omnes fere fideles saluari. Item Siluester in Rosa aurea tract. 2. super Euang. Dominicæ in Septuagesima, ait, [probabiliter posse defendi, quod maior pars Christianorum habentium fidem rectam, & viuentium sub obedientia S. Romanæ Ecclesiæ saluetur.] Idem docent Franciscus à Christo in 1. sent. d. 41. quæst. vn. concl. 3. Suarez lib. 6. de prædest. cap. 3. num. 6. & alij quidam Theologi. Alij sententiam contrariam defendunt, vt dicemus. Vasquez autem hic disp. 101. de hac re ita censet: [Ego potius, *inquit*, hæc omnia iudicio Dei relinquenda esse censeo, quam quicquam temerè definiendum: sicut & illud, Vtrum sit maior numerus hominum prædestinatorum, quam Angelorum, annon: vel eo præsertim, quod huiusmodi controuersiæ non multum ad ædificationem fidelium pertineant.] Nostra vero sententia sequentibus assertionibus declaratur.

Assertio I. Est quidem omnino definitus præ- 4
destinatorum numerus, qui ex suppositione diuini decreti, augeri aut minui nullo modo potest. Ita cum S. Thoma hic quæst. 23. articulo septimo, habet communis & certa Doctorum sententia; & est expressa sententia Sancti Augustini lib. de corrept. & grat. capite decimo tertio, neque est hac de re vlla controuersia: & patet ex dictis dub. præced. assertione tertia. Cum enim prædestinatorum numerus sit Deo vndequaque certus, necesse est, ita esse definitum, vt ex hypothesi factæ prædestinationis, augeri aut minui nullo modo possit: cum quo non pugnat, quò minus absolutè & in sensu diuiso etiam illi, qui extra eum numerum continentur, saluari possint, vt in simili dictum dub. præced.

Obijcitur illud Deuteron. 1. versu vndecimo. 5
Dominus Deus Patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia. Ad hoc bene respondet Sanctus Thomas cit. quæst. 23. artic. 7. ad 1. hunc locum intelligendum de illis, qui sunt prænotati seu electi à Deo respectu præsentis iustitiæ. Horum enim numerus & augetur, & minuitur; & non numerus prædestinatorum.

Assertio II. Numerus hominum prædestinatorum optima ratione à Deo definitus est, ex proportione, quam habent beati ad totum Vniuersum. Ita S. Thomas ibidem ad 2, ex communi Doctorum. Probatur & declaratur. Quia ratio quantitatis alicuius partis accipiendæ est ex proportione illius partis ad totum; sicut ratio numeri cœlorum ac stellarum, vel etiam specierum, desumitur ex proportione eiusmodi partium, quam habent ad bonum totius Vniuersi. Ergo pariter etiam sentiendum est, rationem numeri prædestinatorū à Deo esse desumptam ex proportione, quam hic numerus prædestinatorum habet, ad bonum seu decorem totius Vniuersi.

6 Quod hoc etiam modo inter alia declarari potest. Quia secundum vsum & necessitatem vitæ humanæ, tantum, & non minus, conueniebat esse cœli siderei, terræque ac elementorum spatium; vt multis rationibus physicis & mathematicis deduci posset: rursum secundum proportionem ad reliquum totum Vniuersum, tantum & non minus conueniebat esse cœlum Empyreum; denique secundum magnitudinem cœli Empyrei, tantum & non minorem conueniebat esse numerum incolarum. Neque tamen hac ratione excluduntur aliæ rationes eius numeri: verbi gratia, quod ad demonstrandam DEI bonitatem & magnificentiam; item ad tot numerandum infinitum valorem meritorum CHRISTI, tantum & non minorem conueniebat esse numerum electorum, &c. Sicut ratio quantitatis alicuius ædificij sumitur tum ex magnificentia & opulentia Domini, cuius est ædificium; tum ex fine & vsu illum ex proportione, quam habet cum fundo, aut reliquo contermino ædificio, &c. Interim tamen rationem particularem eius proportionis ac numeri distinctè tum demum agnoscemus, quando & DEVM ipsum, & numerum ipsum Beatorum, cum reliquo Vniuerso clarè ac particulatim videbimus.

7 Atque hæ, aut similes aliquæ rationes ab omnibus admitti debent, etiam iis, qui prædestinationem factam esse existimant, post præuisionem mediorum, & absque delectu & discretione gratiæ congruæ pro electis: cum in omni vtique sententia conuenienter à Deo definitus sit prædestinatorum numerus.

Quanquam neque his, neque alijs rationibus probari posse existimo, numerum eorum, qui conuenienter à DEO prædestinari possent, planè in indiuisibili consistere; ita vt supposito hoc Vniuerso, aut etiam qualibet Dei perfectione, numerus ille non potuerit conuenienter esse, nec maior illo modo, nec minor: cum etiam in cæteris rebus numerus conueniens earum, secundum rationem indiuiduam, non videatur consistere in indiuisibili; ita vt si Deus voluisset, non potuerint conuenienter esse vel plures, aut pauciores stellæ, aut species rerum, &c. Neque etiam numerus mansionum ex proportione earundem ad totum ædificium, ita definitus esse solet, vt omnino nec maior, nec minor esse potuerit. Sufficit ergo probari inde conueniendi numeri prædestinatorum, intra certam latitudinem, indiuisibili interim certa determinatione ex diuino arbitratu pendente.

Assertio III. Est quidem conueniēti ratione, numerus prædestinatorum hominum incomparabiliter minor, quàm reproborum: sed absolutè & in se planè ingens, & quasi innumerabilis. Ita Sanctus Thomas citato articulo septimo ad 3. & communis Doctorum, nullo excepto. Patet quoad priorem partem, ex Scriptura, Matthæi septimo, versu decimo tertio. *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Matthæi vigesimo, versu decimo sexto. *Multi sunt vocati; pauci vero electi.* Quibus consentit illud Esdræ quarto capite octauo, versu primo, vbi dicitur: *Hoc seculum fecit Altissimus propter multos; futurum autem propter paucos. Dic cum autem coram te similitudinem Ephra. Quomodo autem interrogabas terram, & dicebas ei: quoniam dabit terra multum magis, vnde fiant fictilia; panuum autem paucorum, vnde aurum fiat: sic & actus præsentis seculi. Multis quidem vocatis fuit, pauci autem saluabuntur.* Vnde etiam electi quasi reliquiis frugum, aut botrorum ex messe aut vindemia relictis comparantur. Romanorum nono, versu vigesimo septimo: *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient.* Et capite vndecimo, versu quinto. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ facta sunt.* Quibus sensu allegorico consonat illud Isai. vigesimo quarto, versu decimo tertio. *Quomodo si pauca olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi, cum fuerit finita vindemia.* Et capite decimo septimo versu sexto: *Et relinquetur in eo, sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum aut trium olivarum in summitate ramī, siue quatuor, ad quinque in ramusculis eius fructus eius.* Ad eundem sensum nonnulli intelligunt illud Psal. 16. v. 14. *Apaucis de terra diuide eos.* Et Eccli. 7. v. 34. *Do negligentia tua purga te ei paucis.*

Idem docent Sancti Patres: & patet ex distributione omnium hominum in suas classes: quarum prima, & longe maxima est, ac semper fuit, gentilium, qui Deum verum non colunt; secunda Mahumetanorum & Iudæorum; tertia hæreticorum; quarta Christianorum; è quibus tres priores vniuersim ac toto genere; quarta maiori ex parte reproba est, vt inferius dicetur. Ratio autem conuenientiæ, quare Deus voluerit minorem esse numerum prædestinatorum, quam reproborum hominum, cum tamen in omni sententia oppositum facere potuisset, est potissimum duplex. Vna, vt hac ratione beneficium & gratuita benignitas erga prædestinatos magis innotesceret. Altera, quia supposita corruptione naturæ per peccatum originale, id magis consentaneum erat communi rerum ordini; bonum enim quod ita excedit communem statum naturæ, vt ei supposita naturæ corruptione etiam repugnet, inuenitur in paucioribus, ob ingentem difficultatem, passiones, quibus ab incunabulis assuescimus, domandi: de qua-

etiam Aristoteles 2. Ethic. cap. 3. ait: *Cunctis vna cum hominibus, ab ipsis incunabulis voluptas assenuita: qua propter arduum est, hunc affectum insitum vitæ excludere.*

10 Priorem rationem assignat Augustinus libro de corrept. & grat. capite decimo, vbi ait: *Quod pauci in comparatione perentium, in suo vero numero liberantur multi, gratiâ fit, gratis fit, gratia sunt agenda, quia fit; ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omnes obstruatur, & qui gloriatur, in Domino gloietur.* Et libro vigesimo primo de ciuit. Dei. capite duodecimo. *In seueritate vltionis*, inquit, *multo plures sunt, quam in gratia redimentis, vt sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet. Quia vero tam multi exinde liberantur, est, vnde agantur maximè gratia gratuito muneri liberantis.* Nec refert quod prædestinatio facta est ante præuisionem absolutam peccati: quia nihilominus saltem conditionatæ eius scientia in Deo præcessit, qua proinde, in statuendo prædestinatorum numero, Deus quodammodo dirigebatur: etsi minimè interim necessarium sit dicere, plures ex hominibus futuros fuisse prædestinatos, si Adam non peccasset, quam modo sint. Accedit, quod absoluta reprobatio non est facta, nisi post præuisionem peccati, vt quæst. seq. patebit.

11 Vtramque rationem assignat Sanctus Thomas hic quæstione vigesima tertia, articulo septimo, ad 3. vbi cum obiectum fuisset, si à Deo institueretur & præfiniretur numerus saluandorum, futurum, vt plures essent saluandi, quam damnandi; respondet his verbis: [Dicendum, quod bonum proportionatum communi statui naturæ accidit vt in pluribus; & deficit ab hoc bono, vt in paucioribus. Sed bonum quod excedit communem statum naturæ, inuenitur, vt in paucioribus, & deficit ab hoc bono vt in pluribus. Sicut patet quod plures homines sunt, qui habent sufficientem scientiam ad regimen vitæ suæ; paciores autem, qui hac scientia carent, qui moriones vel stulti dicuntur: sed paucissimi sunt respectu aliorum, qui attingunt ad profundam scientiam intelligibilium rerum. Cum igitur beatitudo æterna, in visione Dei consistens, excedat communem statum naturæ, & præcipuè secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt, qui saluantur. Et in hoc etiam maximè misericordia Dei apparet, quod aliquos in illam salutem erigit, à quo plurimi deficiunt, secundum communem cursum & inclinationem naturæ.]

12 Ne tamen ex priore illa ratione, prout à Sancto Thoma proposita est, consequens videatur, etiam inter Angelos minorem electorum numerum esse debuisse, supplenda est, modo superius explicato; vt intelligatur de excessu naturæ, cum quadam repugnantia. Ex opposito enim, quia peccatum cum natura Angelorum nullam habet conuenientiam; sed est prorsus contra naturalem eorum inclinationem; ea vero quæ ita contra naturam sunt, in paucioribus accidunt, idcirco minor pars Angelorum cecidit & reproba est, vt declarauit ipsemet Sanctus Thomas 1. p. quæstione sexagesima tertia, articulo nono ad 3.

Posteriorem rationem bene etiam expendit 13
Heruæus in 1. dist. 40. quæstione prima, articulo tertio, vbi cum sibi obiecisset hoc argumentum: *Quilibet bonus prouisor, qualis est DEVS, debet intendere bonum, quantum potest, cum paucioribus malis, vel permittendo quantum potest, pauciora mala: sed in vniuerso potest esse bonum, iustitiæ punientis, cum paucioribus malis, quam sint illa quæ fiunt: quia istud bonum posset esse per pœnam vnius Angeli, vel vnius hominis, &c.* Respondet his verbis: *Ad maiorem dicendum, quod bonus prouisor debet intendere bonum permittendo pauciora mala, &c. salua conditione, & supposito, quod tot bona eueniant, permittendo pauca, sicut permittendo plura. Ad minorem dicendum, quod licet bonum iustitiæ quoad aliquid posset esse per pœnam vnius, & permittendo vnum peccatum solum; tamen permittendo creaturas intellectuales & rationales conditioni naturæ suæ, natæ erant, in quantum ex nihilo, & defectibiles, incidere in plures defectus. Sic autem permittere eas secundum suam conditionem fuit conueniens. Multa etiam bona secuta sunt, quæ non fuissent, si plura mala non fuissent permissa: scilicet multi modi iustitiæ punientis; & multa patientiæ Martyrum, & multæ fructuosæ prædicationes Doctorum, & correctiones Prælatorum, & multa talia*, &c. Ita Heruæus. Accedit, quod probabile est, absolutè loquendo, computando nimirum simul Angelos cum hominibus, maiorem esse numerum prædestinatorum, quam reproborum, vt dicetur quæstione septima, dubio quinto.

Secunda pars assertionis patet ex Apocalypsis 14
septimo, versu nono, vbi post duodecim millia prædestinatorum ex singulis tribubus filiorum Israel recensita, subiungitur: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Item specialim de Angelis patet, tum quod Apocal. duodecimo versu quarto indicatur, tertiam solummodo partem Angelorum cecidisse: Tum quod Daniel. septimo, versu decimo dicitur, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, Et Apocal. nono, versu decimo sexto. *Et numerus equestris exercitus, vicies millies dena millia.* Vbi Græcè legitur myriades myriadum. Quod licet ad malos Angelos spectare videatur, nihilominus etiam hinc à potiori colligitur, quantus sit numerus bonorum: quando boni plures sunt, quam mali, vt dictum. Huc spectat illud CHRISTI, *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* nimirum tot ex pluribus. Huc spectat illud Baruch tertio, versu vigesimo quarto. *O Israel, quam magna est domus DEI, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus.*

Vnde etiam sumitur ratio conuenientiæ à po- 15
steriori. Sapientissimus n. rerum omnium Archi-

tectus Deus, qui tam ingens pro beatis extruxit palatium, ingentem vtique etiam decreuit esse incolarum & ciuium numerum. Ratio à priore sumitur, ex bonitate & Maiestate Dei. Quia enim ipse est infinita bonitas, eademq; infinita sua bonitate tam homines, quam Angelos gratis prædestinauit, non vtiq; in ea suæ bonitatis communicatione voluit esse parcus; sed quam maximè benignus. Quia etiam est infinitæ magnificentiæ Dominus, decuit numerum ciuium eius, & fidelium, non esse paruum, sed quodammodo immensum; vti reuera est, non solum si Angelos cum hominibus coniungamus; sed etiam si seorsim singulos computemus, vt ex dictis colligitur.

16 Assertio IV. Inter ipsos quoque fideles non solum omnes eos, qui fuerunt aut futuri sunt, ab initio veræ Ecclesiæ, vsque ad finem mundi, sed etiam inter Christi fideles, qui fuerunt ab initio Christianæ Ecclesiæ, & futuri sunt deinceps, plures sunt reprobi, quam electi. Ita ex recentioribus docet Caietanus in illud Matth. 25. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*, vbi ait ex Christianis etiam illis, *qui habent aliqualem curam suæ salutis, & apparent boni, medietatem perire*; istumque esse legitimum sensum literalem illius parabolæ, tametsi Suarez cit. lib. 6. capit. 3. num. 5. sententiam hanc Caietani *valdè rigorosam* appellet. Idem docet Carolus Regius in Oratore Christiano lib. 9. cap. 15. Probatur primo ex Scriptura. Illa enim, *Intrate per angustam portam. &c.* & ; *Multi vocati, pauci verò electi. &c.* maximè de fidelibus & Christianis intelliguntur, vti etiam intelligunt glossa, & expositores communiter.

17 Secundò idem probatur ex Patribus. Chrysostomus homil. 40. ad populum ait: *Quot putatis esse in hac ciuitate, qui salui fiant? Non possunt inueniri in tot millibus centum, qui saluentur; quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus malitia? quantus in senibus tepor?* Quod vtinam non de singulis Christianorum ciuitatibus verè dici posset. Augustinus l. 3. cont. Cresconium Grammaticum, c. 66. *Electi*, inquit, *nunc multi dicuntur, nunc pauci; quia idem ipsi boni verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum & falsorum itidem pauci sunt; sicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Idem habet epist. 48. ad Vincentium. Omitto quod lib. 13. contra Faustum, capit. 16. circa illud Genes. 22. *Sicut stellæ cœli, & sicut arena maris, sic erit semen tuum*; per stellas cœli electos intelligit, & per arenam maris reprobos: significans ea proportione numerum reproborum excedere numerum electorum; qua arena maris excedit stellas cœli; quod ad sensum præcedentis assertionis intelligendum. Denique Gregorius homil. 19. super Euangelia ait: *Ad fidem multi veniunt, sed ad cœleste regnum pauci perducuntur.* Quod etiam asserit in caput 6. Cant. explicans illud, *Et adolescentularum non est numerus*; & in illud psal. 39. *Multiplicati sunt super numerum.* Ratio conuenientiæ sumitur ex dictis assert. præced.

Assertio V. Qualis nam sit determinatè proportio numeri electorum hominum cum numero Angelorum, seu omnium, seu particulatim bonorum, aut malorum; an maior, an minor, an æqualis, iuxta varias hac de re sententias superius ex S. Thoma relatas, non constat: multò minus constat determinatè, quantus sit absolutè numerus electorum, seu hominum, seu Angelorum. Ita S. Thomas hic q. 23. art. 7. cui communiter omnes consentiunt; nisi quod Caietanus ibidem monet, non ideo tamen à S. Thoma tres opiniones illas reprehendi; *tum quia in materia valde dubia*, inquit, *& per tenuitudinem occulta nobis, opinatiuè locuti sunt authores. Tum quia authores opinionum harum illustres, ac etiam sancti videntur fuisse.* Ita Caietanus. Ratio verò assertionis sumitur, tum ex citata Ecclesiæ collecta, *Deus cui soli cognitus est numerus electorum. &c.* Tum quia nec ex Scriptura, aut traditione vllum inuenire, est principium, ex quo certa eiusmodi propositio, seu numerus certo & determinatè nobis innotescat. Illud solum notandum, à Dionysio Carthusiano in c. 14. S. Dionysij de cœlesti hierarchia, referri ex reuelationibus B. Brigittæ, adeo plures esse Angelos beatos, quam homines, vt vnicuiq; decem possint in custodiam designari. Quod si non tantùm de hominibus simul & eodem tempore viuentibus, sed omnibus absolutè intelligatur, consequenter dicendum erit, aut ex hominibus non totam ruinam Angelorum reparandam; aut certò locum Apocal. 12. vers. 4. de dracone trahente secum tertiam partem stellarum, non loqui de tertia parte Angelorum lapsa, vt bene etiam notarunt Molina 1. p. quæstio. 50. artic. 3. dub. 2. & Vasquez. 1. p. tom. 2. disp. 180. cap. 1.

Ex quibus etiam facilè satis fit illi quæstioni, cur inter homines Deus maiorem, seu absolutè, seu comparatiuè respectu reproborum, numerum electorum non designarit. Designauit enim tantum, quantus conueniebat, iuxta regulas suæ sapientiæ: tametsi interim quocunq; numero etiã centuplo maiori posito, potuerit vtiq; tanto altero maiorẽ facere; idq; in infinitũ Syncategorematicè: ita vt nusquã sisti numerus posset, quin semper vlterius quæstioni locus esset, cur non maiorem constituerit numerum; nisi adductis eiusmodi rationibus sobria mens semel acquiescat.

DVBIVM III.

Vtrum Prædestinatio sit in nostra potestate; aut saltem cum libertate arbitrij nostri consentiens.

Ad S. Thomas 1. p. q. 23. a. 6.

PRædestinationem diuinam cum libertate arbitrij nostri consentire, de fide est; quando passim ex Scripturis constat, nõ obstante diuina prædestinatione, liberam esse creatã voluntatẽ, etiam in rebus ad salutem pertinentibus, vt contra

veteres

veteres & recentiores Sectarios generatim dictum disput. 2. quæst. 8. dub. 11. & q. 10. dub. 8. & fusius disputat Bellarminus libro 3. de Iustificat. præsertim cap. 14. & 15. Quare etiam illud inter omnes Catholicos certissimum est, si quæ prædestinationis doctrina siue explicatio, cum libertate arbitrij nostri pugnet, eam falsam & erroneam esse. Quousque autem particulatim libertas arbitrij nostri simul cum prædestinatione defendenda sit; aut qua ratione prædestinatio hæc cum libertate arbitrij conciliandæ, varij variè explicant; iuxta variam, quam aut de ratione libertatis nostræ, aut de modo & ordine diuinæ prædestinationis habent, sententiam.

2 Primo enim sunt nonnulli, qui cum asserant, aliquos prædestinari à Deo per dilectionem absolutam & antecedentem, dixerunt, eos necessario saluari; & consequenter iustificari, & in iustitia permanere, saltem quoad exercitium. Pro qua sententia Suarez hic libro tertio de prædest. capite nono numero quinto, refert Ockamum, Gabrielem, & Catharinum; quos superius dubio tertio citauimus.

Deinde vero alij ne talem, vti putant, cogantur admittere necessitatem, negant talem prædestinationis modum; neque putant satis defendi posse libertatem humanam, nisi ea prædestinationis ratio defendatur, quæ liberam cooperationem nostram, eiusue scientiam, aut sequatur, aut saltem comitetur, iuxta ea quæ de hac re fusè diximus disp. 2. q. 10. dub. 8. & hic q. 5. dub. 5. vbi pro hac sententia præter Ioannem à Bononia relatum à Suarez loc. cit. citauimus etiam Molinam, Vasquez, & alios.

Similiter sunt aliqui, qui ad defendendam libertatem nostram, addunt, in nostra quoque potestate esse Dei prædestinationem; alij negant, vt dicemus. Nostra vero sententia in his assertionibus consistit.

3 Assertio I. Cum prædestinatione diuina, tuenda est non solum libertas actionum nostrarum in particulari, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem; sed vniuersim etiam salus, iustificatio, & perseuerantia nostra. Ita contra primam sententiam antea relatam, ex communi Suarez loc. cit. & Vasquez disp. 89. c. 10. Probatur. Tum quia ex Scriptura absolutè docemur petere, vt *adueniat nobis regnum Dei*: ergo id aliquo modo pendet etiam ex nostra oratione, adeoque libertate. Tum quia Scriptura docet, etiam electos absolutè perdere posse gratiam, adeoque damnari; iuxta illud 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* & Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* De quare Augustinus lib. de corrept. & grat. c. 13. *Quod autem*, inquit, *eisdem perseueraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum, non aliter hos audire debemus, quibus expedit non aliquid sapere, sed timere. Quamquam ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum sa esse præsumat? Quia id occulari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizetur Apostolus.* Accedit quod nulla est ratio asserendæ eiusmodi necessitatis, vt mox dicetur.

Assertio II. Libertas supradicta optimè consistit cum prædestinatione diuina, etiam antecedenter & absolutè præsciente, tum gratiam, ac gloriam; tum ipsas etiam omnes actiones salutares in individuo, quibus electi gloriam consequuntur. Ita cum S. Thoma, & S. Augustino communis Theologorum sententia, omnium eorum, qui eiusmodi absolutam & antecedentem Dei prædestinationem defendunt, quos retulimus dub. 3. & 4. & hac disp. q. 1. dub. 5. Ratio sumitur ex dictis disp. 2. q. 10. dub. 8. Quia in hoc prædestinationis modo duo considerare possumus; primum est, extrinseca illa absoluta & antecedens præfinitio; alterum est executio eiusdem; quorum neutrum libertati quicquam præiudicat. Non extrinseca illa præfinitio; Tum quia illa hoc ipso quod extrinseca est, nostramque voluntatem in se minimè afficit, nullo modo immutat, aut impedit connaturalem ei agendi modum; Tum quia aliquando etiam præfinitio illa gratuita & antecedens gratiæ congruæ, qua eum antea Deus infallibiliter præuidit nos cooperaturos, eiusmodi libertati præiudicaret: quod tamen Vasquez, & alij authores oppositæ sententiæ rectè negant, & sanè concedi nullo modo potest; vt ibidem fusius persecuti sumus. 4

Neq; executio illius præfinitionis libertatem impedit; quia hæc solum consistit in largitione gratiæ congruæ, quæ non ex se, & sola, vi & efficientia physica infallibiliter secum trahit consensum, & cooperationem ac perseuerantiam nostram, (cum ea absolutè possimus repugnare) sed solum propter substat scientiæ Dei mediæ seu conditionatæ, qua Deus antea infallibiliter præuiderat nos cooperaturos: si ea concederetur. Quo fit, vt omnis quæ ex prædestinatione oritur necessitas, solum sit consequens, non antecedens; consequentiæ, non consequentis; hypothetica, non absoluta; in sensu composito, non diuiso; denique necessitas infallibilitatis, non physica; nec coactionis, seu naturæ. Sicut & vulgaris illa ratiocinatio: Si sum, aut non sum prædestinatus, quicquid agam, necessario saluabor, aut necessario damnabor, apertissimè in omni sententia falsa & impia censenda est, vt pluribus dictum dub. 5. 5

Assertio III. Quare vtraq; hæc propositio nimirum. 1. Reprobus potest saluari. 2. Prædestinatus potest damnari, in rigore dialectico, & sine omni distinctione est vera. Ita post Bonauenturam Eckius cent. 4. num. 34. ex communi. Ratio est, quia cum in enunciationibus subiectum supponat pro materiali significato, vtraque propositio procedit in sensu diuiso; sicut ista, sedens potest stare, &c. Quamuis Scotus, & alij plures, has propositiones, Prædestinatus potest damnari; Reprobus potest saluari, distinguant; & in sensu composito eas negent, in diuiso concedant; de quo non est nobis disputandum. 6

Vt autem sensus compositus & diuisus hoc loco rectè intelligatur, aduertendum est, hanc propositionem, Prædestinatus potest damnari, triplicem posse reddere sensum. Primus est, vt 7

prædestinatus solum materialiter & secundum se accipiatur, abstrahendo, quod sit prædestinatus: quo modo reddet hunc sensum, Is qui prædestinatus est, si secundum se nudè spectetur, potest damnari. Secundo, vt is etiam re ipsa substans concipiatur prædestinationi; seu huic suppositioni vel conditioni; ita tamen vt hæc interim in vim prædicati nullo modo transeat; quo modo hic sensus erit, Prædestinatus etiam cum supponitur & concipitur à parte rei, prædestinatus, potest absolutè damnari. Tertio sic intelligi potest, vt cõditio seu suppositio prædestinationis, ex parte prædicati se teneat, illudque afficiat, ita scilicet, vt fiat compositio ipsius prædestinationis, cum illius potestatis, quæ in propositione exprimitur, obiecto, quod est damnatio: quo modo hic sensus efficietur, Potest fieri, vt aliquis sit simul prædestinatus & damnandus, seu vt simul iungatur prædestinatio cũ damnatione; seu quod idem est, hæc propositio, damnabitur prædestinatus, est possibilis. Prioribus duobus modus sit sensus diuisus, & vera est propositio; posteriori autem (quem sensum tamen per se & ex vi verborum propositio illa, Prædestinatus potest damnari, non reddit) fit sensus compositus, & est falsa; vt post Ægidium in 1. d. 40. quæst. 1. articulo 2. rectè etiam declarauit Suarez libro tertio cap. 9. num. 10.

8 Cum quibus planè consentiunt ea, quæ de hac re tradit Magister in 1. d. 40. lit. B. cum ait: [Ea ratione dictum, & verum est, numerum electorum non posse augeri, vel minui; quia non potest vtrumque simul esse, scilicet, vt aliquis saluetur, & non sit prædestinatus; vel vt aliquis prædestinatus sit, & damnetur. Intelligentia enim conditionis implicitæ, veritatem facit in dicto, & impossibilitatem in vero. Si vero simpliciter intelligatur, impossibilitas non admittitur: vt cum dicitur, Prædestinatus potest, vel non potest damnari, & reprobus potest saluari. In his enim & huiusmodi locutionibus, ex ratione dicti diiudicanda est sententia dictionis. Alia namque fit intelligentia, si per coniunctionem hæc accipiũtur dicta; atque alia si per disiunctionem, vt supra cum de præscientia agebatur, prætaxatum est. Si enim cum dicis, Prædestinatus non potest damnari, intelligas ita, id est, non potest esse, vt prædestinatus sit, & damnetur, verum dicis, quia coniunctim intelligis; falsum autem, si disiunctim; vt si intelligas istum non posse damnari, quem dico prædestinatum, potuit enim non esse prædestinatus.] Similia habet S. Thomas hic quæst. 23. artic. 3. ad 3.

9 Assertio IV. Neque tamen ideo prædestinatio propriè est in nostra potestate: licet in nostra potestate (cum diuina gratia) sit aliquid, puta ipsa Iustificatio, & perseuerantia; quod si re ipsa in opus conferamus, certo sumus prædestinati. Hæc assertio ponitur propter controuersiam illam, quam inter Doctores superius esse diximus, an absolutè possit dici, prædestinationem esse in nostra potestate. Quidam enim tum ob eam ipsam causam, quia in nostra potestate est Iustificatio & perseuerantia, qua supposita, certo sumus prædestinati; tum quia existimantes, dari aliquam causam seu conditionem in nobis totius prædestinationis, simul etiam dicunt vel admittunt, in nostra potestate esse facere, vt Deus præsciuerit, vel non præsciuerit id, quod est ex parte nostra ratio totius prædestinationis, absolutè asserunt, in nostra potestate esse, prædestinationem seu prædestinari, vti loquitur etiam Vega lib. 12. in Concil. Trident. cap. 22.

Sed quanquam hæc nominis potius, quam rei quæstio sit, & cum addito non male dici possit, prædestinationem in nostra esse potestate à posteriori, non à priori; seu quod idem est, non secundum se, sed secundum effectum quendam eius præcipuum, & inseparabilem, vt dictum, vt resoluit Gregorius de Valentia quæst. 23. punct. 4. §. 8. absolutè tamen loquendo, rectius loquuntur illi, qui negant, Prædestinationem, seu prædestinari, in nostra esse potestate. Ita Gregorius de Valentia loco citato, Molina quæst. 14. artic. 13. disp. 16. & quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. Suarez lib. 3. de prædest. cap. 3. num. 6. Vasquez disp 92. cap. 2. consentaneè S. Thomæ q. 6. de verit. a. 3. & hic quæst. 23. a. 6. ad 3. vbi reijcit hanc propositionem, *Deum posse non prædestinare quem prædestinauit*, vt dictum dub. 1. 10

Ratio est. Tum quia ad præteritum non datur potentia: est autem prædestinatio æterna in Deo; nec adeo potest fieri, vt in nostra potestate sit prædestinatio, nisi faciendo, vt Deus ab æterno, adeoque ante secula prædestinauerit, aut non prædestinauerit: ob quam etiam causam alibi docuimus, non propriè dici, præscientiam Dei in nostra potestate esse. Tum quia quod factum est, infectum fieri nequit: Ergo supposito, quod quis sit prædestinatus, non potest facere, vt non sit prædestinatus, aut è contra. Tum quia primus effectus prædestinationis, qui est gratia congrua, spectata non solum qua congrua est, sed etiam secundum suam entitatem, vt q. 3. diximus, non est in nostra potestate: & falsum est, ex parte prædestinati dari causam seu rationem, aut conditionem mouentem totius prædestinationis, vt patet ex quæstione quarta.

Accedit, quod ita etiam loquitur Augustinus 11
lib. de spirit. & lit. c. 34. vbi ait: *Accipere quippe & habere animam non potest donatus, de quibus hæc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est; accipere autem & habere, vtique accipientis & habentis est*; vbi simul etiam negat, gratiam congruam in potestate nostra esse. Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. parabola quadam rem hanc explicans: *Quis non videat, iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur exegerit; nec eum certè, qui quod ei debetur, donare voluerit? Hoc autem non est in eorum, qui debitores sunt, sed in eorum cui debetur arbitrio, &c.* Et libro de bono perseuer. cap. 8. *Non itaque in hominum*, inquit, *sed Dei potestate est, vt habeamus homines potestatem filios Dei fieri. Ab ipso quippe accipimus eam, qui dat cordi humano cogitationes pias.* Similia habet Ambrosius apud eundem libro de fuga seculi capite primo, vbi ait: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit.* Et

Hiero-

Hieronymus in illud Ierem. 10. [Scio Domine, quod non est in manu hominis via eius.] Quæ ad modum explicatum accipienda sunt.

Atque hinc sequitur, impropriè loqui illos, qui dicunt. Si non es prædestinatus, fac vt prædestineris. Quod tribui solet Augustino, sed apud illum reperiri negat Suarez loc. cit. Potius dicendum est, Si non ita vixisti, vt prædestinato conueniebat, viue ita in posterum & perseuera; & certo noris te prædestinatum.

DVBIVM IV.

An, & qua ratione de nostra Prædestinatione certi esse possimus: & quænam sint diuinæ prædestinationis signa.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 1. ad 3.

DE hac re breuiter sequentes assertiones statuimus.

1 Assertio I. Vti absque speciali reuelatione Dei nemo vndequaque certus esse potest de sua prædestinatione; ita nec citra prædictam reuelationem vlla dantur in homine signa infallibilia diuinæ prædestinationis, aut reprobationis; nec ex statu quidem præsentis iustitiæ, eiúsue carentia petita: cum pro aliquo tempore & prædestinatus gratia carere, & cadere; & reprobus gratiam habere possit. Hæc assertio est contra Sectarios, qui duplici errore hac in re tenentur. Primus est, quemlibet Christianum posse ac debere ea ipsa certitudine fidei, qua credit Christum hominem ac Deum esse, etiam credere se habiturum vitam æternam. Ita Caluinus lib. 3. Instit. cap. 2. § 16. Bucerus in Colloquio Ratisponensi, Kemnitius in Exam. Concil. Trid. sess. 6. c. 12. Secundus error est, ex ipso statu præsentis gratiæ, eiúsue carentia sumi posse certum & infallibile argumentum, aliquem esse prædestinatum aut reprobũ; eo quod & prædestinatus aut vniuersim, vt putauit Wicleffus, damnatus in Concilio Constantiensi sess. 8. aut saltem ex quo semel iustificatus est, vt ait Caluinus lib. 3. Instit. capit. 2. § 11. & 12. necessario semper sit in gratia: è contrario reprobus in perpetuo odio Dei, vt dixit idem Wicleffus.

2 Qui errores repugnant fidei, & damnantur in Concilio Tridentino sess. 6. in pluribus capitibus & canonibus. Etenim cap. 12. ita definitur: [Nemo quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeo præsumere debet, vt certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verũ esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit; aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam nisi ex speciali reuelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.] Et cap. 13. ita dicitur: [Similiter de perseuerantiæ munere, &c. nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.] Quibus respondet ibidem infra canon. 15. [Si quis dixerit, hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.] Et canon. 16. [Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certo habiturum, absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.] Et canon. 17. [Si quis Iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam nõ accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.] Contra quos errores fusius disputant Vega lib. 11. in Concil. Trident. à cap. 1. & Bellarminus lib. 3. de Iustificat. præsertim cap. 14. & 15.

Probatur assertio primum ex Scriptura. Eccles. 9. v. 1. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit,* 3
sed omnia in futurum seruantur incerta. Quod ad diuinam prædestinationem ac reprobationem inprimis referunt Sanctus Augustinus lib. de spir. & anima capit. 59. & Bernardus serm. de Septuagesima. Item Prouerb. 27. vers. 1. *Ne gloriere in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* Et Prouerb. 28. v. 14. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Et Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time.* Et v. 22. *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Speciatim autem prædestinatum, quantumuis iustum, posse peccare mortaliter, & esse extra statum gratiæ, patet ex Scriptura exemplo Dauidis 2. Reg. capit. 12. qui peccatum adulterij & homicidij perpetrauit; & de quo dicitur, *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum.* Item exemplo Pauli, qui cum esset vas electionis, suum tamen de seipso peccatum confitetur. 1. Timoth. 1. v. 13. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.*

4 E contrario reprobos sæpe in statu gratiæ aliquanto tempore esse, patet primum exemplo Luciferi, de quo per allegoriam Ezech. 28. v. 12. dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* Et infra v. 16. *In multitudine negotiationis tuæ, repletæ sunt interiora tua iniquitate, & peccasti: & eieci te de monte Dei, & perdidi te, o cherub, protegens de medio lapidum ignitorum.* De quo etiam Isai. 14. v. 12. dicitur: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* iuxta communiter receptam interpretationem Augustini lib. 3. de doctr. Christ. cap. 3. Idem patet exemplo Saulis, 1. Reg. 9. v. 2. vbi dicitur, *Et erat ei filius vocabulo Saul electus & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo* Et cap. 15. v. 17. de eodem dicitur: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Et tamen Saulem fuisse reprobum, cum S. Augustino lib. 2. ad Simplicianum q. 1. communiter sentiunt Doctores, & colligitur ex illo 1. Paralip. 10. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit mandatum Domini.* & 1. Reg. 28. v. 16. ait Samuel ad Saulem: *Quid interrogas me; cum Dominus recesserit à te:* quicquid nonnulli ex Hebræis in contrarium dixerint.

5 Idem iuxta probabiliorem & communiorem sententiam, suadetur exemplo Salomonis, quem reprobum fuisse, satis colligitur ex 3. Reg. 11. Eccli. 47. à v. 23. & docent Cyprianus lib. 1. epist. 5. Augustinus lib. 22. cont. Faust. capit. 88. & in comment. super psalm. 126. & lib. 17. de ciuitat. cap. 20. & glossa in 2. Reg. 17. & 4. Reg. 23. licet Hieronymus in cap. 1. Eccl. & in capit. 43. Ezechielis, item Genebrardus lib. 1. suæ Cosmograph. & alij nonnulli Catholici Doctores, non omnino improbabiliter contrarium sentiant. Idē patet exemplo Iudæ, quem in gratia fuisse satis colligitur ex eius vocatione & electione ad Apostolatum; & tamen reprobum fuisse constat ex psalm. 108. & Matth. 27.

Secundo eadem assertio probatur communi sensu SS. Patrum, præsertim S. Augustini l. de bono perseuer. cap. 3. 13. & 22. & lib. de corrept. & grat. capit. 13. vbi ait: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizetur Apostolus.* Et Prosper in libro resp. ad articulos falso Augustino impositos, art. 12. *Prædestinatio*, inquit, *apud nos, dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est, apud illum tamen, qui facit quæ futura sunt, incommutabilis permanet.*

6 Item Hieronymus in illud Eccles. 9. *Nemo scit, vtrum odio &c. Hic*, inquit, *est sensus. Inueni iustorum opera in manu Dei esse. Et tamen vtrum amentur à DEO, annon, nunc eos scire non posse; & in ambiguo finctuare, vtrum ad probationem sustineant, qua sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, &c.*

Itē Gregorius ho. 38. in Euang. nō *pessimè*, vt impudenter scripsit Caluinus lib. 3. Inst. c. 24. §. 8. sed optimè tradit, vocationis tantū nostræ cōscios nos esse, *& electionis incertos: Nam etiamsi*, inqt, *quales hoc die simus sciamus; quales tamen simus futuri, nescimus.*

Denique Bernardus serm. 1. in Septuagesima: *Generationem istam*, inquit, *quis enarrabit? Quis poterit dicere, ego de electis sum; ego de prædestinatis ad vitā, ego de numero filiorum? reclamante Scriptura, Nescit homo, an amore, &c.*

7 Tertio idem probatur ratione. Tum quia prædestinatio & reprobatio spectat ad occulta DEI consilia, soli Deo cognita; *quis enim consiliarius eius fuit?* Rom. 11. v. 34. Tū quia nemo infallibiliter scit, se esse in gratia, vt suo loco docetur; multo minus, se esse perseueraturum in gratia; nusquā enim est hoc reuelatum. Sed & qui in peccatis maximis viuunt, sæpe à Deo illuminantur, & ad bonam frugem se conferunt, & ita saluantur, vt constat de Paulo, de latrone in cruce, de Maria Magdalena, & similibus: ita vt in quibus abundauit delictum, abundet & gratia. Tum quia nulla fidei certitudo est, cui potest subesse falsum; at verò huic persuasioni Sectariorum subesse posse falsum, patet ipsorummet exemplo & experientia: cum inter ipsosmet etiam, quantumuis ea persuasione imbutos, aliqui abiecta ea persuasione nonnunquam vel ad Catholicam fidem conuertantur, vel ad manifestam impietatem deficiant.

Obijcitur primo illud 1. Ioan. 5. *Hæc scribo vobis, vt sciatis, quia vitam habetis, qui creditis in nomine filij Dei.* Et Rom. 8. omniū prædestinatorū nomine loquens Apostolus ait, *Quis nos separabit à charitate Christi? &c. Certus sum enim, quod neq; mors, nec vita &c. poterunt nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV.* 8

Respondetur, primum locum intelligi vniuersim de ijs, qui viua fide credunt in nomine filij Dei, si tamen in hac fide perseuerauerint vsque ad finem, vt bene explicat S. Thomas in eundem locum. Sed cum hac scientia & certitudine vniuersali & conditionata consistit ignorantia, & incertitudo particularis, an hic vel ille habeat, aut habiturus sit talem fidem viuam, cum perseuerantia coniunctam.

Ad secundum locum respondetur primo, eum intelligi posse de certitudine quadam morali, siue secundum præsentem animi dispositionem: sicut enim certitudine quadam morali quidam eximiè Sancti de sua gratia certi esse possunt, ita etiam similem quandam certitudinem, non tamen sine omni formidine, eos habere posse de sua prædestinatione, concedunt viri docti, & indicat Sanctus Bernardus sermone 2. in octaua Paschæ. 1

Respondetur secundo cum Sancto Augustino lib. de grat. & lib. arbit. Apostolum loqui de se ipso, & alijs habentibus specialem reuelationem suæ prædestinationis & salutis: vti habuerunt Sancti complures; inter alios Abraham, cui dictum est Genes. 15. vers. 1. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*; fortassis & Isaac, cui ait Deus Genes. 26. vers. 2. *Ne descendas in AEgyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi.* Apertius Iacob, Genes. 28. vers. 14. qui à Deo audiuit, *Benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ: Et ero custos tuus, quocunque perrexeris.* Nec minus perspicuè Moyses, Exodi 33. vers. 12. & 17. *Inuenisti gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine, &c. Ego ostendam tibi omne bonum.* Item Elias 4. Reg. 2. v. 9. cum ad Elisæū ait: *Postula quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te.* Et insigniter Hieremias cap. 1. v. 4. cui dictum est à Deo. *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* Nec dubie beata Virgo; quæ & *gratia plena* ab Angelo salutata, & ab Elizabetha *benedicta inter mulieres, & beata, quæ credidisti*: & de se ipsa canit, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Item etiam Ioannes Baptista, qui sciebat se à Deo per Isaiam cap. 40. vers. 3. *Vocem Dei*; per Malachiam capit. 3. vers. 1. *Angelum Dei*; à Christo vero talem, *quo non surrexerit maior inter natos mulierum*, fuisse deprædicatum, Matth. 11. v. 11. Tales etiam fuerunt Apostoli, quibus (post egressum Iudæ) ait Christus Luc. 22. v. 28. *Vos estis, qui permansistis mecū in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, &c.* Tales forte etiā fuerunt ex discipulis illi, quib⁹ Christ⁹ Luc. 10. v. 20. dixit, *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* 9

Talis etiam imprimis fuit Apostolus Paulus, qui præterea, quæ obiecta sunt, de se ipso ait: *Bonum* 10

certamen

certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. 2. Timoth. 4. vers. 8. Qui idipsum etiam de alijs quibusdam ex reuelatione compertum habuisse videtur, quando de Clemente, & alijs coadiutoribus suis ait, *quorum nomina sunt in libro vitæ*, Philipp. 4. v. 3. Quamuis subinde quasi de sua salute incertus loquatur, non quod reuera incertus esset, sed quod nisi studio virtutum eo aspirare se non posse sciret. Quo spectant illa; *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Philipp. 3. v. 12. Et, *Væ mihi est, si non euangelizauero.* 1. Corinth. 9. v. 16. Et rursum ibidem, ver. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* De qua re bene disserit Vega lib. 12. in Concil. Trid. cap. 10.

Non tamen conueniebat, vt sua cuiusque prædestinatio singulis reuelaretur; quia sic illi, qui non sunt prædestinati, desperarent; & securitas in prædestinatis negligentiam pareret, vt sapienter notauit S. Thomas hic quæst. 23. artic. 1. ad 4. Voluit ergo nos DEVS inter spem & metum versari.

Obijcitur secundo illud Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filij DEI sumus; si autem filij, & hæredes.*

11 Respondetur, hoc testimonio spectare ad omnes iustos adultos: quibus etsi spiritus per internum solatium & illustrationem mentis subinde testimonium reddat, quod sint filij Dei; ac proinde secundum præsentem saltem iustitiam hæredes regni, non tamen præstat ea res infallibilem certitudinem, non quod testimonium Spiritus sancti incertum sit; sed quod ipsi infallibiliter non sciant, testimonium seu inspirationem illam à spiritu sancto esse; cum & Satanas transformare se soleat in Angelum lucis: quare etiam probare iubemur Spiritus, si ex Deo sint. Bene tamen probat ille locus, iustos sæpe habere coniecturalem quandã, nonnunquam etiam quasi moralem quandam certitudinem de sua salute, cui tamen possit subesse falsum, vt dictum, & suo loco de gratia fusius docui tomo 2. disp. 6. q. 4. dub. 5.

12 Assertio II. Varia sunt diuinæ prædestinationis signa, partim externa, partim interna; & ex vtrisque rursum alia remota; alia propinqua; ex his rursum alia specialia, alia specialissima: quæ tamen siue adsint, siue absint, vti per se nullum mortalium infallibiliter certum de sua salute reddunt, ita nec vlli omnem salutis spem adimunt: præsertim cum magna ex parte in hominis potestate sita sint. De signis prædestinationis particulatim prolixe & erudite disserunt Vega lib. 12. in Concil. Trident. à cap. 11. Michael Medina de recta in Deum fide, cap. 3. Sotus de natura & grat. lib. 3. cap. 11. 12. & 13. Mihi ad propositum satis est, iuxta positam assertionem, variam eorum rationem breuiter exponere. Cum enim signum prædestinationis idem sit generatim, quod indicium prædestinationis, facilè constare potest, magnam inter ea esse varietatem, prout ea scilicet maiorem vel minorem cum æterna hominis salute coniunctionem & affinitatem habent; aut prout vel in ipso homine prædestinato, vel extra illum cernantur, vti diximus.

Primò enim quædam esse externa, quædam interna, ex eo patet. Siquidem ad externa signa pertinere potest externa testificatio non solum diuina, sed etiam testimonium, siue opinio virorum grauium & sapientum de alicuius salute; ité educatio vel natiuitas in tali loco, à talibus parentibus, cum talibus miraculis, vt de S. Ioanne Baptista, S. Nicolao, S. Dominico, vtroque S. Francisco, Assiensi, & de Paula, alijsque Sanctis sæpe accidit. Interna sunt internæ virtutes, & vita, vt dicetur. 11

Secundò alia esse signa remota, alia propinqua, ex eo patet: quia alia nonnisi remotam & generalem quandam affinitatem cum prædestinatione habent; alia propinquam. Inde quia v. g. magno ad pietatem & sanctitatem præsidio est, à pijs & fidelibus parentibus esse natum & educatum, id circo etiam hoc signum aliquod prædestinationis censeri potest, non quidem particulare & propinquum, quia sæpe *filij hereum noxæ*; sicut è contrario filij peccatorum sancti; sed generale & remotum. Et similia plura facilè occurrent cogitanti. Propinqua sunt varia, vt dicemus. 13

Etenim tertio ex propinquis alia esse specialia, alia specialissima, ita declaratur. Nam de specialibus potissimum loquuntur authores illi, qui signa prædestinationis recensent, qualia Vega non sine ratione censet esse, omnes & singulas beatitudines octo à Christo commemoratas, Matth. 5. & partim etiam Luc. 4. Cum enim præstantissimos virtutum actus, & quidem durabili quadam constantia exercitos complectantur; puta Euangelicam paupertatem, siue vt Vega putat, humilitatem Christianam, ita mansuetudinem, pias lacrymas & tristitiam, esuriem & sitim Verbi diuini ac Iustitiæ, misericordiam in proximos, munditiam cordis, studium pacis, denique patientiam in tribulationibus & persecutionibus pro Christi nomine perferendis; quæ singula etiam in Scripturis peculiarem habent æternæ retributionis promissionem, optima sane ratione singulæ inter specialia diuinæ prædestinationis signa recensentur. Quibus à fortiori accenseri debet professio Religionis approbatæ, in qua viget regularis obseruantia; non solum quod in ea omnes quasi illi virtutum actus confertim & cumulatè cernantur, sed etiam quia paupertas illa voluntaria, quæ in ipsis penè solis cernitur, amplissimam habet Christi promissionem, Matth. 19. v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*, vt pluribus differit Hieronymus Platus lib. 1. de bono status relig. cap. 32. Talia etiam specialia prædestinationis signa censeri possunt bona vita diu constanter acta; de qua re Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 22. & in psal. 118. vers. *In quo corriget, &c.* & Bernardus serm. 22. in Cant. Item interna testificatio spiritus ac testimonium bonæ conscientiæ, cum voluntate progrediendi, de qua re Apostolus 2. Corinth. 1. v. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et loc. cit. Rom. 8.

v. 16.

v. 16. *Ipse spiritus testimonium reddit, quod sumus filij Dei.* Item libenter, & cum interno quodam gustu audire seu legere Verbum Dei, iuxta illud Ioann. 8. v. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioann. 10. vers. 27. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me*; de quæ re Gregorius homil. 18. in Euang.

14 Specialissima autem signa sunt, magna & diuturna cum Deo familiaritas in oratione, alijsque rebus agendis; mortificatio quasi perfecta passionum; insignis huius vitæ ac mundi suique contemptus ac despicientia; flagrans & firmatus erga Deum amor; desiderium ardens multa pro Christi nomine perpetiendi; quibus adnumerari etiam subinde possunt miracula, donum prophetiæ, alijque gratiæ gratis datæ, si cum pietate vitæ coniungantur, qualia indicia in S. Augustino, S. Francisco, S. Dominico, S. Ignatio, alijsque Sanctis eximiè eluxerunt, &c. qui de se dicere poterant Apostolicum illud; *Viuo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Item, *Mihi vivere Christus, & mori lucrum.* Item Dauidicum illud: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, &c.*

Quod verò hæc signa, siue adsint, siue absint, nulli mortalium salutis spem & facultatem adimant, ex eo patet, non solum quia nemo ferè est, saltem ex Christianis, qui non vnum aut alterum eiusmodi prædestinationis signum habeat, saltem remotum; sed etiam quia esto sit peccator maximus, & reipsa nunc omni prædestinationis signo destitutus, *facile* tamen *est Deo subito honestare pauperem*, vt de latrone, & Paulo diximus. Idem constat de gentilibus in medijs Indijs constitutis, qui subitò nonnunquam, & admirandis modis ad salutem perducuntur. Et cum bona vita, & conscientia, aliæque virtutes, & perfectio Christiana in hominis potestate, cum diuina gratia, quæ nulli denegatur, sitæ sint, facilè constat, posse ac debere insuper omnes eò conniti, vt potissima prædestinationis signa in se vel maximè eniteant; quod ad solatium & salutis studium satis omnibus esse debet. Infallibilia enim signa nemo exspectare debet, nec quærere; cum extra specialem Dei reuelationem (qualis vix sine temeritate postulari à quoquam potest) sint nulla, vt antea dictum. Atque hæc de diuina Prædestinatione satis, nunc de Reprobatione agendum.

QVÆSTIO VII.

De Reprobatione diuina.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 3. & 5.

1 *ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. An, quid, & quotuplex sit reprobatio; & quo modo ad prædestinationem se habeat. II. Quinam sint effectus reprobationis. III. An & quæ sint causæ totius reprobationis; præsertim ex parte reprobi. IV. Quo ordine ac processu in mente diuina fiat reprobatio; siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus. V. An & quomodo reprobatio sit certa; & simul cum libertate arbitrij consentiens. Quæ omnia suppositis ijs, quæ de prædestinatione hactenus disserimus, breuiter expediri possunt.*

DVBIVM I.

An, quid, & quotuplex sit Reprobatio: & quo modo ad Prædestinationem se habeat.

S. Thomas 1. p. q. 23. a. 1.

REprobi, quasi reprobati & reiecti à Theologis dicuntur omnes homines, vel Angeli, qui gehennæ addicuntur, aut beatitudinem non consequuntur, iuxta Apostolum 1. Corinth. 9. v. 27. & 2. Corinth. 13. v. 5. 6. & 7. Heb. 6. ver. 8. tametsi alioquin in Scriptura Eccli. 9. v. 11. Rom. 1. v. 28. 2. Timoth. 3. v. 8. Tit. 1. v. 16. hoc nomen communiter omnibus improbis tribuatur. Vocantur ijdem etiam *vasa in contumeliam*, Rom. 9. vers. 21. 2. Timoth. 2. v. 20. item, *vasa iræ* Rom. 9. v. 22. Vocantur quoque à Theologis absolutè *præsciti*, communi generis nomine, ob imperfectionem, eis idcirco quasi appropriato, quod præscientia tantum diuina in eos, non etiam, vt in electos, peculiaris illa approbatio, seu amor voluntatis diuinæ feratur. 2

Differt nonnihil secundum modum appellandi reprobatio à prædestinatione, quod hæc propriè & formaliter non est nisi actiua in ipso prædestinante; à qua per solam denominationem extrinsecam aliquis dicitur prædestinatus; reprobatio autem, quia generatim non solum actum in mente reprobantis, sed etiam actionem transeuntem, ac passionem in reprobante significat; dicitur enim & lapis ab ædificante reprobari, non solum dum mente velut inutilis ad ædificium designatur,

se p

sed etiam dum manu & actione externa, à lapidibus ad ædificium delectis, reijcitur; idcirco reprobatio alia dicitur actiua, alia passiua; quæ prioris quidam effectus est. In præsenti tamen loco, cum de prædestinatione absolutè sermo est, actiua immanens solum intelligitur, quæ in reprobante est, non passiua. His circa quid nominis suppositis, ad propositam dubitationem sequentibus assertionibus ordine respondemus.

Assertio I. Reprobatio seu reiectio actiua immanens ab æterna gloria, propriè ac intrinsecè Deo conuenit. Ita communis Doctorum cum Magistro in 1. d. 40. & S. Thoma hic q. 23. a. 3. contra Aureolum, in 1. d. 41. q. 1. a. 3. propositio 4. qui eam propriè in Deo esse negat: eò quod odiũ, abominatio, & detestatio, non sint propriè in Deo. Sed fundamentum hoc, non minus quam ipsa assertio, falsum est, vt patet ex dictis disp. 2. q. 10. dub. 1. & ex communi etiam notauit Suarez lib. 5. de prædest. c. 1. n. 4. Ratio assertionis est. Quia, Deus ipse est, qui actu interno mentis suæ, tum homines, tum Angelos reijcit & excludit à gloria, statuens scilicet efficaci voluntate seu decreto, vt quidam ex illis ad gloriam non perueniant, sed damnentur. Huc spectat illud Rom. 9. versu 13. *Iacob dilexi; Esau autem odio habui.*

3 Assertio II. Reprobatio actiua, de qua loquimur, non minus quã prædestinatio, est actus quidam liber mentis diuinæ, intellectꝰ ne formaliter ac præcipuè, an voluntatis, non secꝰ controuertitur, ac de prædestinatione dictũ q. 2. dub. 2. conuenienter tamen S. Thomæ hic q. 23. a. 2. & 3. & communi Theologorum sententiæ ibidẽ relatæ, dicendum est, eam præcipuè ac formaliter esse actũ diuini intellectus. Ita præter authores ibidem citatos, asserit etiam Suarez hic lib. 5. de prædest. c. 2. licet de prædestinatione, vt vidimus, aliter locutus sit. Ratio est. Quia contraria sunt in eodem subiecto, eiusdemque generis: cum ergò prædestinatio sit formaliter actus intellectus, non voluntatis, id pariter etiam de reprobatione, quę ei contrariè opponitur, sentiendum est: esto per actum voluntatis adiunctum nonnunquam explicetur, vt patet cit. loco Rom. 9.

4 Assertio III. Actus ille diuini intellectus, qui Reprobatio dicitur, seruata proportione, eodem modo explicandus est, vt superius q. 2. dub. 2. de prædestinatione diximus: nimirum esse iudicium quoddam practicum, reipsa quidem ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinens, quo nimirum iudicatur bonum ac conueniens, hunc vel illum ob sua peccata damnari, seu excludi à beatitudine &c. verum non nudè, sed vt approbatum efficaciter per voluntatem; qua ratione scientiam *approbationis* (quæ causa rerum est) dici ibidem notauimus. Vnde *reprobatio*, inquit S. Thomas, hic quæst. 23. art. 3. *non nominat præscientiam tantum, sed aliquid addit secundum rationem; sicut & prouidentia. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.*

5 Assertio IV. Reprobatio, non secus ac prædestinatio, pars quædam est diuinæ prouidentiæ, non quidem subiectiua, sed obiectiua, & quasi integrans, vti de prædestinatione dictum quæst. 2. dub. 3. Ita cum S. Thoma cit. quæstio. 23. art. 3. Suarez lib. 5. capit. 2. numero 5, & alij, quos in eandem sententiam de prædestinatione loc. cit. citauimus. tametsi nonnulli sentiant, esse partem subiectiuam, vt ibidem dictum. Ratio S. Thomæ est. Quia ad *prouidentiam pertinet, permittere aliquem defectum in rebus, quæ prouidentiæ subduntur, vt supra dictũ est. Vnde cum per diuinam prouidentiã homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam, vt permittat aliquos ab isto fine deficere. Et hoc dicitur reprobare. Sic igitur reprobatio est pars prouidentiæ, respectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam salutem; ita reprobatio est pars prouidentiæ, respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt.* Accedit, quod ad bonum prouisorem spectat, nõ tantum remunerare bonos, sed etiam punire malos; quorum primum est effectus prædestinationis; hoc vero reprobationis.

Assertio V. Reprobatio actiua, celebri, verâ, & antiquis Theologis optimè perspectâ diuisione, alia est & dicitur negatiua; & secundũ quid talis, puta formaliter consistens in sola omissione seu negatione gratuitæ electionis, siue ad gratiam, siue ad gloriam; alia positiua, quæ simpliciter talis dicitur; consistens in actu positiuo, quo aliqui velut indigni excluduntur siue à gloria, siue etiam à gratia congrua. Hæc assertio est contra quosdam recentiores Theologos, assertores prædestinationis ad gloriam ex meritis, qui, vt oppositam sententiam exosam reddant, aiunt, eam hac etiam ex parte, dum reprobationem aliam positiuam, aliam negatiuam facit, *rem nouam, & veteribus Patribus ac Theologis inauditam* tradere; quasi nihil ipsi de reprobatione negatiua docuerint; quod falsum esse ex sequentibus patebit.

Primò enim Magister sententiarum, Scholasticorum antiquissimus, in 1. dist. 41. apertè docet, obdurationis quidem & damnationis ex parte hominis dari causam & meritum; reprobationis vero nullam dari causam siue meritum. Sic enim ait lit. A. *Si autem quærimus meritum obdurationis & misericordiæ, obdurationis meritum inuenimus; misericordiæ autem meritum non inuenimus.* Et paulo post: *Misericordia*, inquit, *nullum aduocat meritum; obduratio verò non est sine merito. Et misericordiæ verbo hic accipitur prædestinatio, & præcipue prædestinationis effectus; obdurationis verò non ipsa æterna Dei reprobatio, quia eius nullum est meritum, sed gratiæ priuatio siue subtractio, quæ quodammodo est reprobationis effectus.* Et infra lit. D. ait: *Elegit ergo eos quos voluit gratuita misericordia, &c. Ita etiã reprobauit quos voluit, non propter futura merita, quæ præuideret; veritate tamen rectissima, & à nostris sensibus remota.*

Quero; de qua reprobatione his locis loquatur Magister, an de positiua illa, quæ æternæ damnationis præparatio est; certè hoc dici non potest, nisi velimus Magistro Caluini errorem tribuere; quasi senserit, Deum solo suo arbitratu, ante præuisionẽ meritorũ, destinasse quosdam ad æternam damnationem; necesse est ergo, vt Magister his locis agat de reprobatione negatiua, cui nullam

dari

dari causam ex parte reprobi, inferius dub. 4. videbimus. Interim tamen etiam positiuam reprobationem Magistro incognitam non fuisse, constat ex dist. 40. lit. D. vbi ait, *Reprobatio è conuerso intelligenda est, præscientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem.* Certè præparatio siue decretum damnationis in Deo, non fuit ante præuisionem peccati & meritorum. Necessariò ergo apud Magistrum admittenda est duplex reprobatio; vna quã vocat *præparationẽ damnationis*, quæ supponit præscientiam iniquitatis; altera quæ præcisè cõsistit in negatione gratiæ congruæ, seu quod idem est, in permissione ac derelictione finali in aliquo peccato mortali; cuius nulla datur causa: quarum illa reprobatio positiua est, hęc negatiua.

9 Sed & S. Thomas hic q. 23. art. 3. non obscurè vtramque prædestinationem, tam positiuam, quã negatiuam indicat; quando duobus modis reprobationem describit, quorum vnus proprie nonnisi reprobationi negatiuæ, alter positiuæ conuenit. Ita enim loquitur ibidem in corp. [Cum per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam, vt permittat aliquos ab isto fine deficere. Et hoc dicitur reprobare.] Itaque reprobatio secundum S. Thomam, vno quodam sensu, est permissio Dei, qua permittit aliquos ab vltimo fine deficere: quæro, an hæc permissio sit reprobatio positiua, seu decretum positiuum æternæ damnationis. Certè hoc nemo dixerit. Est ergo, vt verba ipsa indicant, reprobatio solum negatiua, quandoquidem permissio vt sic defectionis ab vltimo fine, solam negationem formaliter significat. Et nihilominus tamen idem S. Thomas ibidem infra reprobationis positiuæ mentionem & descriptionem nequaquam prætermisit, cum ait; *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Rursum reprobationem negatiuam indicat idem sanctus Thomas ibidem ad 1. cum ait: *In quantum Deus quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Reprobationis vero positiuæ meminit resp. ad 2. vbi ait: *Reprobatio nõ est causa eius, quod est in præsenti, scilicet culpæ, sed est causa derelictionis à Deo. Est tamen causa eius, quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ.* Similia habent Ægidius & Richardus in 1. d. 40. & 41. qui ante Scotum prædestinationem gratuitam ad gloriam docuerunt, vt dictum supra q. 5. dub. 3.

10 Post hos verò eandem distinctionem duplicis prædestinationis, non quidem à se primum excogitatam, sed ab antiquis Scholasticis acceptam, vt vidimus, multò clarius & apertius tradidit Scotus in 1. dist. 41. quæst. vn. §. *Contra istud*, cum sibi hanc proposuisset difficultatem: [Petrus & Iudas æquales in naturalibus, voliti à Deo in esse existentiæ, in illo instanti, in quo offeruntur voluntati diuinæ in existentia naturali, & æquales, Deus per te primo vult Petro beatitudinem, quæro tunc, quid vult Iudæ? Si damnationem, habetur propositum, quia tunc reprobat sine omni ratione; si beatitudinem, ergo prædestinat Iudam.] Ad eam difficultatem his verbis respondet Scotus: [Dici potest, quod in isto primo instanti, nihil vult Iudæ; sed tantum est ibi negatio volitionis gloriæ; & similiter quasi in secundo instanti naturæ, quando vult Petro gratiam, adhuc nullus actus positiuus voluntatis diuinæ est circa Iudam; sed tantum negatiuus. In tertio instanti, quando vult permittere Petrum, esse de massa perditionis, siue dignum perditione; & hoc siue propter peccatum originale, siue actuale; tunc vult permittere Iudam simili modo esse filium perditionis: & hic est primus actus positiuus informis quidem circa Petrum & Iudam; sed ex isto actu est istud verum, Iudas erit finaliter peccator, positis illis negationibus, scilicet quod non vult sibi dare gratiam, nec gloriam. In quarto instanti offertur Iudas, vt peccator finaliter voluntati diuinæ, & tunc ipse vult iustè punire & reprobare Iudam.] Ita Scotus.

Tantum verò abest, vt hæc doctrina Scoto postea in 1. d. 47. quæst. vnic. displicuerit, vel ab eo fuerit vllo modo retractata, vt etiam ibidem fuerit non leuiter confirmata. Explicans enim, an & qualem in Deo actum ponat permissio peccati, ex ipsa non electione Iudæ ad gloriam, ita loquitur: [Permissio est signum voluntatis diuinæ: huic autem non correspondet aliquid in ipsa voluntate diuina, nisi non velle prohibere illud fieri, siue non velle: quod est negatio actus diuini positiui, & per consequens non est actus positiuus. Et quod dicitur volens sinere, hoc potest intelligi, non quod habeat velle rectum circa illud quod permittit, sed actum reflexum. Offertur enim voluntati suæ hunc peccaturum vel peccare; primo voluntas eius circa hunc non habet velle: velle enim ipsum habere peccatum non potest: secundo potest intelligere voluntatem suam non volentem hoc, & tunc potest velle voluntatem suam non velle hoc; & ita dicitur volens sinere, & voluntariè permittere. Sicut ex alia parte præsentato sibi Iuda, primo Deus habet non velle sibi gloriam, & non primo nolle; secundum illam positionem dist. 41. & potest tunc secundo se reflectere super istam negationem actus, & velle eam: & ita volens, siue voluntariè non eligit Iudam finaliter peccaturum; & non, nolitionem gloriæ; sed, non volitionem gloriæ.] 11

Quo loco vides Scotum referre & repetere, atque etiam approbare doctrinam illam de reprobatione negatiua traditam dist. 41. Adijcit vero nihilominus, tametsi Deus in primo illo signo, quo non vult gloriam Petro, vt sic nullum actum positiuum habeat, in qua re etiam proprie & formaliter consistit reprobatio negatiua, vt dictum, nihilominus Deo, in posteriori quodam signo rationis, supposita iam apprehensione & cognitione eiusdem negationis, rectè tribui volitionem positiuam quasi reflexam, non super actum positiuum, sed super negationem prædictam actus positiui, qua nimirum Deus velit ipsam illam negationem, non quod formaliter reprobatio negatiua consistat in illo actu positiuo, sed quod concomitanter seu potius consequenter ad eam se habeat. Qua de causa etiam in ipsa assertione dixi, reprobationem negatiuam consistere in sola

omissi-

omissione seu negatione gratuitæ electionis; vt nimirum simul significarem, non repugnare interim ipsi actum positiuum concomitantem, aut consequentem quasi reflexum, quo ipsa negatio hæc Deo positiuè voluntaria sit, vt inferius dicetur.

12 Eandem verò distinctionem duplicis prædestinationis tradunt communiter Scotistæ cæteri, speciatim Bassolis distinct. 41. quæst vnica art. 4. Tartaretus ead. dist. 41. quæst. vn. Lychetus ibidem, Franciscus de Mayronis ead. dist. 41. quæst. 4. vbi citat etiam Augustinum, item Bargius dist. 12. quæst. 2. & dist. 41. q. vn. Nec ab his dissentit Brulefer dist. 40. a. 2. q. 2.

Eandem denique assertionem necessario sequuntur omnes illi, qui docent, prædestinationem electorum factam esse ante præuisionem meritorum, vt mox dicetur: speciatim autem ex recentioribus ita docent Cordubal. 1. q. 56. opin. 5. Bellarminus l. 2. de grat. c. 16. Suarez l. 5. c. 4. & 5. & fatetur etiam inter Thomistas admodum receptam, Vasquez d. 95. c. 2. n. 7. Eadem est sententia S. Augustini, & aliorum, quos citabimus dub. 3. dum docent, reprobationis nullam dari causam ex parte reprobi; quod nonnisi de reprobatione negatiua intelligi potest.

13 Vnde etiam probatur assertio. Primò ex Scriptura, quæ docet, Deum ante præuisionem meritorũ, & dilexisse Iacob, & odio habuisse Esau; quorũ illud ad prædestinationem Iacobi; hoc ad reprobationem Esau non quidem positiuam, sed negatiuam pertinet, vt dicemus. Secundò ex simili doctrina S. Augustini dub. 3. referenda. Tertio ratione. Nam si Deus ante omnem præuisionem meritorum, tum ad gratiam, tum ad gloriam prædestinauit electos; necessario fatendum est, cæteros in eo signo non prædestinasse. Si enim prædestinasset, iam nulli forent reprobi. Ergo vel positiuo decreto eos damnandos censuit; & hoc dici non potest; Deus enim neminem damnat absque meritis; aut certè solum negatiuè se habuit, non eos prædestinando, seu non volendo eis gloriam: esto consequenter hanc ipsam negationem actu quodam voluntatis quasi reflexo voluerit; de quo infra. Quo concesso, habetur intentum. Et hæc est ratio Scoti: quæ sanè dissolui prius non potest, quam prædestinatio ante præuisa merita tam ad gratiam quam ad gloriam euertatur: quod nemo faciet.

14 Huc spectat, quod ipsimet aduersarij, quod ad rem ipsam attinet, reprobationem eiusmodi negatiuam saltem à gratia necessario admittere debent. Fatentur enim ipsi prædestinationem ad gratiam congruam factam esse ante omnem præuisionem meritorum; quæro ergo in eo instanti, quo electis prędestinauit gratiam congruam, quomodo se habuit erga reprobos: an absoluto decreto positiuo voluit eos ad hanc pœnã damnare, vt velut indignos excluderet à gratia congrua? Quomodo autem velut indigni hac pœna multari poterant, in quibus nulla demeritorum præuisio antecessit? Stantem solum quasi negatiuè se circa illos habuit, non volendo scilicet eosdem prædestinare seu præeligere ad gratiam congruam, esto simul voluerit etiam hanc eiusdem actus negationem, vt antea in simili diximus, habetur intentum; nimirum Deum in eo instanti reprobasse illos à gratia congrua reprobatione negatiua.

Secundò ijdem authores apertè docent, reprobationem inadæquatè duobus modis accipi: primò pro sola ad pœnas æternæ damnationis prædestinatione; secundo, p permissione ac derelictione finali, in aliquo peccato originali, vel actuali; & illius quidem dicunt dari causam; huius nullam: quid autem est hæc derelictio, cuius nulla datur causa, nisi reprobatio negatiua? Certè Suarez loc. cit. negationem gratiæ congruæ, in qua derelictio consistit, absolutè ad reprobationem negatiuam pertinere asserit: & ipsa permissio & derelictio per se nihil positiuum sonant, sed solam negationem. Datur ergo reprobatio negatiua; præter positiuã, qualis vtique est destinatio ad pœnas æternæ damnationis. In quem sensum etiam Vasquez disp. 95. cap. 5. n. 22. cum retulisset eorum Doctorum sententiam, qui docent, reprobationis à gratia, quam *ipsi*, inquit, *permissiuam* (siue negatiuam) *dicunt, non dari causam ex parte ipsius reprobati*, subiungit: *Hoc tantum in eorum sententia mihi non probatur, quod asserunt, circa negationem gratiæ congruæ, & permissionem peccati, DEVM se habuisse negatiuè.* Agnoscit ergo Vasquez reprobationem permissiuam; modò non negetur, DEVM positiuè etiam eam permissionem seu negationem voluisse, quod nos etiam dicemus assert. 6.

Omitto quod nonnulli ex ijsdem authoribus apertè agnoscunt, Deum in aliquo instanti negatiuè se habuisse quoad voluntatem efficacem gloriæ erga reprobos. Ita enim docet Vasquez disp. 95. cap. 2. num. 9. vbi ait: [Quare circa reprobos per illa varia instantia, sic existimo voluntatem Dei se habuisse. In primo quidem instanti positiuè illis desideranit beatitudinem, sed affectu simplicis complacentiæ, &c. sed quod attinet ad actum efficacem voluntatis, in eo instanti negatiuè se habuit Deus erga reprobos: primum quia tunc non voluit excludere à regno; nam si dicamus, tunc excludere voluisse, plura sequuntur absurda: tum etiam quia non voluit non excludere; si enim efficaciter voluisset non excludere, reuera beatitudinem consequerentur.] Ita Vasquez. Ex quibus satis probata relinquitur hæc diuisio reprobationis; quæ in re negari vniuersim à nemine potest.

Est autem diuisio hęc analogi in analogata, non solum quod ad ens, & negationem entis nihil est commune vniuocum; sed etiam quia reprobatio negatiua à gloria, non est absoluta & simpliciter dicta reprobatio, sed tantum secundum quid; cum eâ etiam supposità adhuc sit locus prædestinationi in posteriori instanti, vt dictum quæstion. 5. dub. 4. An verò idem dicendum sit de reprobatione negatiua à gratia congrua, dicetur dub. 4.

Ex quibus etiam facilè patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ. Aiunt, per reprobationem negatiuam tribui DEO agendi, seu potius non agendi modum imperfectiorem, quam qui diuinam deceat voluntatem, nimirum

vt circa tã multas creaturas hæreat ſuſpẽſa vel otioſa: pſertim ſi nõ in ipſo ſtatim illo ſigno indiuiſibili aſſeratur Deus habuiſſe voluntatem poſitiuã, qua voluerit negationem, vt ex Scoto retulim⁹. Reſpondetur enim cum Vaſquez loco citat. negando aſſumptum. [Neque vero, *inquit*, *Vaſquez*, contra hoc eſt id, quod alibi diximus, DEVM ab æterno non ſe habuiſſe negatiuè circa ea, quæ in tempore non ſunt futura, ſed expreſsè voluiſſe ea non eſſe. Hoc enim non intelligitur de quouis ſigno & inſtanti rationis; ſed de vno aut altero; ita vt nihil in tempore non futurum ſit, quod non voluerit DEVS expreſsè non eſſe: & ita reprobos non conſequi gloriam, Deus expreſsè ab æterno voluit, ſed non in primo inſtanti, in quo nondũ conſiderauit peccata, ob quæ ſolum voluit ipſos à regno cælorum excludere. &c. Et ſanè niſi ordo inter actus diuinos prorſus negetur, negari non poteſt, varia aſſignari poſſe inſtantia rationis, in quibus Deus circa hoc vel illud obiectũ, ſecundum voluntatem efficacẽ, negatiue ſe habuerit. Plura aſſertio.
18 ſequent.

Aſſertio VI. Tametſi quidem, vt dictũ, reꝓbatio negatiua formaliter nullũ includat actũ poſitiuũ, concomitanter tamen, ſeu potius conſequenter trahit ſecum actum diuinæ voluntatis quaſi reflexum, quo eadem illa negatio poſitiuè volita eſt: qui actus tametſi ratione poſterior ſit prædicta negatione, eumq; ſupponat, moraliter tamen computatur quaſi vnum quiddã cum ipſa negatione; vtpote eam ipſam ſolũ poſitiuè voluntariam reddens; neq; vllum alium peculiarẽ effectum habens circa reprobos diuerſum ab ipſa negatione: idemq; moraliter eſt, non velle alicuius prælectionem ad gratiam, vel gloriam; & velle eam ipſam non prælectionẽ ad gratiam vel gloriam: quo fit etiam, vt in ordinatione ac ſerie variorum actuum diuinę voluntatis, quos Deus habet reſpectu reproborum & prædeſtinatorum, non ſoleat in proprio & peculiari ordine collocari.

Prior pars eſt Scoti, cit. diſt. 47. Suarez cit. c. 4. n. 5. & cõmunis aliorum, quos retulimus. Ratio eſt. Quia ad maiorem quandam perfectionem agendi diuinę voluntatis pertinet, tum vt negatio illa ſit directè ac poſitiuè voluntaria; tum vt voluntas diuina non habeat ſe merè negatiuè circa ea obiecta, quæ reipſa non facit, ſed potius vt poſitiuè velit ea non fieri, vt ex Vaſquio vniuerſim retulimus.

19 Poſteriorem partem declarauimus iam antea ex mente Scoti: à quo reipſa non differt Suarez loc. cit. licet abſolutè voluntatem illam negationis in eodem inſtanti cum negatione conſtituat: fit enim hoc ob dictam cauſam; licet alioqui illa voluntas quaſi reflexa negationis, eâ ſit vtiq; ſecundum rationem poſterior, vt ex Scoto vidim⁹. Siquidem etiam alia inſtantia, ſecundum quæ actus diuinæ mentis ordinantur, non ita omnia planè indiuiſibilia ſunt, quin ſubinde plures actus diuinæ mentis, quandam adhuc inter ſe ſubordinationem habentes, ſaltem tacitè comprehendant; qui tamen propterea ſeorſim & in diuerſis inſtantibus non conſtituuntur, quia cum nullum diuerſum obiectum, aut effectum habeant, moraliter ſub alijs comprehenduntur. V. G. ſive dicatur Deus in primo inſtanti voluiſſe gloriam; in ſecundo gratiã & merita ſeu media prædeſtinati, vel è contrario; negari non poteſt, inter vtrumq; inſtans interceſſiſſe ſcientiam viſionis, circa futuritionẽ effectus prius voliti; quando hæc imẽdiatè ſubſequitur actũ practicum diuinæ mentis, priuſquam hæc ad aliud nouũ obiectum terminetur. &c. Et idem de alijs actibus practicis dicendũ.

Aſſertio VII. Verius eſt, ad reprobationẽ poſitiuã ſpectare non tantũ perpetuã damnationem, ſeu excluſionẽ poſitiuam à gloria; ſed etiã obdurationem preſsè ſumptam; qua quis velut indignus ob peccata præcedentia poſitiue reijcitur & excluditur à gratia congrua. Hanc aſſertionem colligo ex mente Magiſtri, S. Thomæ, & Scoti; eiuſq; aſſeclis ſuperius relatis, qui formalem voluntatem puniendi, tendentem ac ſpectantem ad æternam damnationem reprobi, ad reprobationem poſitiuam ſpectare indicant, vtpote quam à negatiua reprobatione eò etiam inprimis diſtinguunt, quod illius detur cauſa, huius nulla: at verò decreti obdurationis, de qua loquimur, datur cauſa & ratio ex parte obdurati, nimirũ peccata eiuſdẽ præcedentia reprobationẽ, vt ex Magiſtro vidim⁹, & magis patebit dub. 3. Et ſane reꝓbari lapis ab ædificante poſitiue dicitur, nõ ſolum qui reijcitur poſitiue ab applicatione ad ædificium, ſed etiam qui velut indignus aut ineptus reijcitur à politione & præparatiõe præuia ad ædificium. Idem in ciuilibus dignitatibus ſeu officijs accidit. Alia eſt negatio ſimplex gratiæ congruæ, ſeu à peccato præſeruantis, ſeu à peccato primo liberantis, quę nullam habet cauſam ex parte reprobi, vt dicetur. Atq; hæc proinde expoſitio tanquam cõmunis, & menti Scoti ipſiſq; nominibus accõmodatior magis placet, quã illa Suarez lib. 5. c. 4. vbi ad reprobationem poſitiuã putat pertinere ſolum reiectionem & excluſionem à gloria: qua ratione dicendum foret, non ſolam reprobationem poſitiuam, ſed ex parte etiam negatiuam habere cauſam ex parte reprobi, cuius ipſe tamen oppoſitum ibidem tradit capit. quinto. 20

Aſſertio VIII. Reprobatio poſitiua eſt actus iuſtitiæ diuinæ; reprobatio negatiua non item, ſed occulti iudicij Dei & inſcrutabilis prouidentiæ. Eſt communis Doctorum, quos pro aſſert. 5. citauim⁹, & ſumitur ex Auguſtino lib. de corrept. & grat. c. 13. Ratio eſt. Quia ad reꝓbationẽ poſitiuã ſpectat illatio vindictæ ſeu pœnæ ꝓ peccatis, quæ eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ in Deo: cum fiat ob demerita reprobi, reꝓbatio autẽ negatiua nõ habet cauſam ex parte reprobi, ſed fit ꝓ arbitratu Dei nõ iniuſto quidẽ conſilio, ſed occulto vt dicetur dub. ſeq. 21

Aſſertio IX. Reprobatio poſitiua prædeſtinationi opponitur contrariè; negatiua autem per ſe formaliter accepta contradictoriè. Colligitur in ſimili ex Vaſquez diſp. 95. cap. 5. n. 22. & Suarez lib. 5. de prædeſtinat. cap. 2. num. 4. & patet ex dictis. Quia vel prædeſtinatio declaratur per actum diuinæ voluntatis, quo DEVS ab æterno aliquibus voluerit gratiam & gloriam, vel per actum

intelle-

intellectus, quo decreuerit aliquibus conferre gratiam & gloriam, reprobatio positiua semper modo contrario circa eadem obiecta versatur; vt nimirum ex parte voluntatis sit hic actus Dei, Nolo hunc vel illum admittere ad gratiam congruam, vel gloriam; ex parte intellectus, Decerno & statuo, vt hic non admittatur ad gratiam congruam, vel gloriam. E contrario reprobatio negatiua cum per se & formaliter sit solum negatio actus præelectionis seu prædestinationis diuinæ, tum ad gratiam, tum ad gloriam, non potest aliter prædestinationi opponi, quam contradictoriè.

22 Nec obstat, quod Molina hic quæst. 23. art. 3. docet, reprobationem directè opponi non prædestinationi, sed approbationi, qua quis dignus iudicatur gloria, cum proposito eam conferendi: ipse enim prædestinationis nomine solum intelligit destinationem seu præordinationem mediorum ad gloriam; nomine reprobationis autem solam reiectionem & exclusionem à gloria ob præuisam indignitatem & demerita: quæ ex dictis refutata manent.

Dubitari hic potest, an reprobatio negatiua à gloria, in primo instanti facta, iuxta Scotum; vti & reprobatio negatiua à prima gratia congrua electorum propria in secundo instanti facta, contineat absolutam reiectionem siue à gloria, siue à gratia; ita vt in sensu composito, impossibile sit, ita reprobatum in aliquo posteriori instanti prædestinari vel ad gloriam, vel gratiam congruam.

23 Respondeo, suppositis ijs, quæ supra quæst 5. dub. 4. assertio. 4. docuimus, quod ad gloriam quidem attinet, reprobationem negatiuam à gloria, in primo instanti factàm, nec formaliter, nec virtualiter esse aut continere absolutam reiectionem à gloria; quia non obstante ea reprobatione negatiua, Deus posset reprobum prædestinare tum ad gratiam congruam in secundo instanti: tum etiam suppositâ in tertio instanti præscientia perseuerantiæ finalis, ad gloriam, in quarto instanti, vt præter Suarez lib. 1. de prædestinat. capit. 12. numero 16. apertè tradunt Marsilius, in 1. quæst. 41. articulo 2. & ex mente Scoti, cum Lycheto, Bargius in 1. distinct. 41. quæst. vn. vbi ait: *Dices, vtrum Deus posset in tertio signo prædestinare Iudam, supposito hoc, quod in primo & secundo signo nihil circa eum voluerit, Respondet hic Lychetus, quod sic; & rationem ego talem assigno; quia in primo & secundo signo tantum se habuit negatiuè, & ideo nihil positum est repugnans prædestinationi. Sed vtrum possit ipsum prædestinare in quarto signo, in quo Iudas offertur vt finaliter impœnitens? Dico, quod post id, quod habetur in quarto signo, non potest prædestinare ipsum, regulariter loquendo, propter repugnantiam: sed habito tertio signo, potest ipsum prædestinare in quarto, faciens prædestinationem loco eius, quo Iudas efferebatur, vt finaliter impœnitens. Sic debet solui hoc dubium, quoniam Lychetus non sufficienter soluit.* Ita Bargius; ex quo etiam sumitur ratio.

24 Accedit, quod etsi de facto Deus neminem prædestinat ex præuisis meritis, in signo scilicet aliquo posteriori, posset tamen absolutè ita prædestinare, etiam in sensu composito; vt dictum cit. q. 5. dub. 4. assert. 4. loquendo nimirum præcisè de ipso per se ordine & processu prædestinationis, & abstrahendo à reuelatione, ex qua colligimus, Deum ita neminem prædestinare; cum qua quidem cõponi seu coniungi oppositum impossibile est, sed impossibilitate solum consequente, non antecedẽte; cum reuelatio non antecedat, sed sequatur, & supponat existentiã seu futuritionem rei; ex qua fit, vt oppositum in sensu composito cum reuelatione stare non possit. Ex quibus efficitur, ipsam in se reiectionem absolutam à gloria, etiam iuxta Scoti sententiam, solum fieri in quarto signo ex præuisis meritis; licet virtualiter dici possit in secundo signo, quando quis à gratia congrua absolutè reijcitur, vt dictum.

Sed loquendo de reprobatione negatiua à gratia congrua, in secundo signo, iuxta Scotum, facta, an eius ratione homo in eodem signo censendus sit absolutè reiectus à gratia congrua, dubium videtur. Nam Bargius quidem loco citato hoc ipso, quod docet, post reprobationem negatiuam, non solum in primo signo, sed etiam in secundo signo factam, posse nihilominus (etiam in sensu videlicet composito) hominem à Deo prædestinari, planè sentit, etiam supposita reprobatione illa negatiua à gratia, in secundo signo facta, hominem non esse absolutè reiectum à gratia cõgrua. Et addi potest ratio. Primo quia etiam in secundo illo signo Deus solum se habuit negatiuè; & ideo nihil positum est repugnans prædestinationi ad gratiam congruam, in signo aliquo subsequenti. Quod si dicas, Deum in eodem secundo signo, simul voluit eam ipsam negationem; nec id quicquam obstat: quia hæc voluntas non magis repugnat prædestinationi ad gratiam congruam in signo aliquo posteriori, quam ipsa per se negatio: cum hæc sibi minimè aduersentur; Volo non eligere ad gratiam congruam in hoc primo signo; & Volo eligere ad gratiam congruam in signo aliquo posteriori. Secundò reprobatio negatiua à gratia congrua iuxta Scotum facta in secundo signo, præcedit permissionem peccati, vt nos etiam dicemus dub. 8. Esto igitur ante permissionem peccati talis homo non sit destinatus ad gratiam congruam; quid obstat tamen, quo minus in signo aliquo subsequente permissionem peccati destinetur ad gratiam cõgruam, qua & à peccato liberetur, & perseuerans in gratia decedat? 25

Nihilominus tamen verius existimo, in eo ipso signo, quo quis quomodolibet reprobatus est à gratia congrua, siue sit secundum illud signum Scoti, siue aliquod aliud, iuxta varias hac de re Doctorum sententias, referendas dubit. 6, & 10. simpliciter & absolutè reiectum esse ab eadem gratia congrua; quod sentiunt etiam Suarez lib. 5. c. 5. & Vasquez d. 91. c. 2. & d. 95. c. 9. & videtur cõmunior sententia Doctorũ, præsertim omniũ eorũ, qui reiecta simpliciter reprobatione negatiua, nõ agnoscunt aliquã reiectionem à gratia congrua, nisi quæ simpliciter & absolute talis sit; præsertim cũ inter omnes certum esse debeat, absolutam reiectionem à prima gratia congrua, in quocunque 26

signo fiat, nullam habere causam ex parte reprobi, adeoque fieri ante omnem præuisionem peccatorum seu demeritorum, vt dicetur dub. 3.

Vnde etiam sumitur ratio. Quia cum reprobatio absoluta à gratia congrua non fiat ob aliquam causam datam ex parte reprobi; nec verò etiã prædestinatio ad eandem gratiam congruam habeat, aut habere possit causam ex parte reprobi, vt dictum q. 4. dub. 5. fieri non potest, vt Deus exspectet posterius instans, in quo paratus sit dare gratiam congruam, si se homo ad illam disponat, sicut de gloria diximus; proinde etiam nulla est causa, cur Deus nõ in eo ipso instanti, in quo saluandos gratis destinat ad gratiam congruam, alios quos præterit, non absolutè simul etiam reijciat à prima gratia congrua.

27 Accedit, quod in eo ipso instanti, in quo Deus iuxta Scotum negatiuè aliquos reprobat à gratia congrua, Deus non tantum habet voluntatẽ eos non præeligendi ad gratiam congruam, sed simul etiam habet voluntatem siue decretum conferendi ijsdem eam solum gratiam, quam incongruam futuram esse antea per scientiam mediam cognouerat; quandoquidem in eo ipso signo, quo electis gratia fuit decreta, etiam non electis vtique sua gratia decreta fuit, quæ non est alia, quam incongrua; neque enim hos omnino suæ gratiæ expertes esse voluit, vt patet; neque assignari potest vllum signum, in quo conuenientius sua illa gratia reprobis fuerit decreta, quàm illud, in quo sua electis gratia fuit decreta; cum vtraque gratia pari proportione se habeat ad finem, & ad ipsum subiectum cui confertur. Supposito vero decreto reprobis conferendi gratiam solum incongruam, seu quam Deus incongruam futuram nouit, impossibile est, in sensu cõposito, vtvnquam in vllo posteriori instanti ijsdem decernatur gratia congrua; quandoquidem tale decretum repugnaret priori; quod in hoc cõsistit, quod Deus præsciens scientia media, hunc vel illum hominem, si tali gratia præueniretur, infallibiliter decessurum in peccato mortali; nihilominus ei eam ipsam, non aliam gratiam decreuit: Ergo impossibile est in sensu composito, vt Deus post illud signum talem prædestinet ad gratiam congruam; ac proinde iam in eo ipso signo priori, quo negatiuè reprobatus est à gratia congrua, etiam absolute & simpliciter ab eadem reiectus est. Vnde patet responsio ad argumenta proposita.

28 Ex quibus omnibus denique, quod ad distinctionem illam duplicis reprobationis, & præsertim Scoti ea de re sententiam pertinet, contra nonnullos aliter differentes, colliguntur ista. I. Distinctionem illam duplicis reprobationis non fuisse recens à Scoto, eiúsue asseclis excogitatam. II. eã doctrinam, quam tradiderat Scotus in 1. d. 41. non displicuisse postea Scoto in 1. d. 47. cum eam ibidem non solum nullo verbo improbarit, sed etiam probarit & illustrarit. III. friuolum esse, quod contra doctrinam Scoti posteriori loco traditam obijcitur; cum voluntas illa positiua negationis dicatur reflexa, ideo supponere directam negatiuam, (puta, Nolo his non electis gloriam;) quæ tamen diuinæ perfectioni repugnat: cum tamen Scotus ipse, omnesque eius sententiæ sectatores aperte doceant, eam voluntatem non esse reflexã super actum positiuum, quem Scotus in illo instanti, à Deo expresse remouet, vt vidimus: sed super negationem actus positiui: qua de causa etiam Scotus & alij frequenter vocant eam voluntatem *quasi reflexam*: eò quod non reflectatur super alium actum priorem, sed super negationem actus. IV. friuole item obijci, voluntatem illam quasi reflexam, in primo instanti haberi non posse; eo quod sicut illam tanquam suum obiectum natura prius supponit, ita posterius ac peculiare instans constituat: cum ipsemet Scotus cit. dist. 47. eam negatione illa posteriorem faciat: etsi nihilominus moraliter, vt dictum, quasi vnum quiddã cũ ipsa negatione computetur. Quã falsum autẽ sit, prædictã negationẽ, aut voluntatẽ positiuam negationis, in primo instanti positam, *æquipollere ferè tali diuinæ voluntatis proposito, Volo antecedente meæ voluntate pleroq; hominum, non præuiso vllius peccato, non admittere ad gloriam*, affini Caluinistarum decreto, patebit dubit. 5.

DVBIVM II.

Quinã sint effectus reprobationis.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3.

TRia sunt, quæ in quæstionem venire possunt, nimirum, peccatum, pœna peccati, & permissio peccati; & controuersia ferè omnis est de permissione peccati; de qua variè loquũtur Theologi: quidam enim omnem permissionem peccati ipsius reprobi, docẽt esse effectum reprobationis; quos citabimus assert. 6. alij excipiunt permissionem primi peccati: alij excipiunt peccata, quæ reprobo in hac vita remissa sunt: alij saltem negant permissionem vllam peccati esse effectum reprobationis positiuæ. Quod speciatim etiam sentit Suarez hic lib. 5. cap. 7. num. 9. vbi docet, reprobationis quidem positiuæ effectum non esse permissionem peccati, nec vllum omnino aliũ effectũ huius vitæ; nisi talis dicatur ipsa huius vitæ reprobi priuatio, ad æternam punitionem quasi inchoandam, peculiariter à Deo inflicta: sed omnem eius effectum incipere in exordio futuræ vitæ, statim ac homo incipit puniri. Reprobationis autem negatiuæ effectum asserit esse peccati permissionem, non omnem quidem, vtpote non peccati etiam originalis, aut quod in hac vita sit remissum; sed eam, quæ sit propria & specialis reprobi; peccati nimirum alicuius personalis, ob quod reuera reprobus damnabitur. Rationem adfert, tum quia putat reprobationem positiuam incipere à præscientia finalis peccati. Tum quia putat effectum omnẽ reprobationis positiuæ procedere debere ex efficaci intentione damnandi hominem; sicut prædestinationis effectus procedit ex efficaci intentione conferendi vitam æternam: at vero permissio peccati non procedit ex decreto efficaci damnationis, cũ hoc potius supponat peccatum, adeoque & permissionem peccati, &c. Nos autem rem omnem his assertionibus declaramus. 1

Assertio

2 Assertio I. Peccatum ipsum nullo modo est effectus reprobationis. Ita Theologi omnes cum Magistro in 1. dist. 40. & S. Thoma 1. p. quæst. 23. a. 3. Ratio est manifesta Quia reprobatio, vti & prædestinatio, est actus quidam quasi immanens ipsius Dei: Ergo nihil potest esse effectus reprobationis, quod non sit effectus ipsius Dei: at vero impossibile est, vt peccatũ sit effectus Dei: Deus enim non est author vel causa peccati, nec vult peccatum, vt suo loco superius dictum disput. 1. quæst. 10. dub. 4. & 7. Ergo etiam impossibile est, vt peccatum sit effectus reprobationis: quicquid interim de illa controuersia dicendum sit, an peccatum vnum possit esse pœna alterius peccati; nam hoc etiam admisso, negandum est, Deum esse causam huius pœnæ; satis est esse permissorem: etsi verius putet Suarez hic lib. 5. de prædest. cap. 7. num. 3. non ipsum peccatum, sed permissionem peccati, pœnam peccati alterius esse dicendam; de qua re suo loco.

3 Assertio II. Impia proinde & blasphema est doctrina Sectariorum, quando de effectibus reprobationis loquentes, docent, Deum mouere corda reproborum ad peccata; aut ita ex se intendere bonum iustitiæ vindicatiuæ, vt procuret ipsa opera mala, quæ puniat, veluti materiam iustitiæ. Hæc assertio primum est contra Caluinum lib. 1. Instit. c. 18. sect. 2. & l. 3. c. 23. §. 7. contra Zvinglium tom. 1. serm. de prouidentia Dei, qui docent, Deum mouere & inclinare ac necessitare quodammodo corda impiorum ac reproborum ad peccata: quod etiam docuit Lutherus quondam in assertion. articulo 36. & lib. de seruo arbitrio. Est etiam contra Melanchthonem in caput octauum Rom. quando olim scripsit, *DEI proprium opus esse Iudæ proditionem, sicut est Pauli vocatio*: quæ omnia Scripturæ apertè repugnant; psalm. 5. v. 4. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. 14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* Eccli. 15. v. 12. *Non dicas, Ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij.* Iacobi 1. v. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.*

His accedunt antiqui Patres, quos retulimus supra disp. 2. q. 10. dub. 7. Potenter inter alios Eusebius lib. 6. de præparat. Euang. vbi ait: *Impius profecto iudicabitur, imo vero pessimus omnium, qui à creatore vniuersi, alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur.* Et rationem adiungens: *Quare*, inquit, *non iure homo, sed creator eius peccator erit: quo dogmate nihil sceleratius cogitari potest.*

4 Ratio verò hæc optima est; tum quia hac ratione peccator Dei voluntati obsequetur; faciet enim quod Deus eũ efficaciter vult facere, qui autẽ facit, quod Deus eũ vult facere, non peccat. Tũ qa hac ratione solus Deꝰ ex se liberè actus malos perpetrabit; Ergo ipse solus peccabit, non homo; qa peccatum adeo liberè voluntarium est, vt si hoc modo voluntarium non sit, peccatum non sit, vt suo loco pluribus docetur. Quare etiam prædictꝰ error in Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. iure damnatus est his verbis: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere; sed malaopera, ita vt bona, Deum operari, non permissiuè solum, sed etiam proprie & per se, adeo vt sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Plura in 1. 2.

Assertio III. Æterna tamẽ pœna peccati, seu ipsa damnatio & perditio æterna, est effectus reprobationis. Ita cũ Magistro sent. cit. d. 4. & 6. Thoma hic cit. a. 3. Theologi omnes. Ratio patet. Quia hæc ipsa directè & efficaciter à Deo decernitur per reprobationem sicut etiam directè per ipsum infligitur ea voce iubentis Christi & iudicis, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. v. 41. Vbi tamen peccata damnandorum à pœnis eorũdem distinguenda sunt: illa enim, vt diximus, Deus non vult, nec imponit aut infligit. Sed & circa damnationem æternam vitanda æquiuocatio: Damnatio enim actiua in Deo, prout dicit ipsam internam Dei sententiam & decretum damnans & addicens reprobos æternæ pœnæ non est proprie effectus, sed ipse potius actus reprobationis: damnatio verò passiue accepta, prout significat ipsam perditionem & interitum sempiternum impiorum, effectus est reprobationis. 5

Assertio IV. Sed & pœnæ temporales reproborum (exceptis peccatis, de quibus dictum) quæ ipsis sunt causa seu occasio æternæ damnationis, videntur esse effectus reprobationis. Hanc assertionem etsi non ita quidem expresse tradant Doctores, est tamen ex mente eorundem; quando, vt videbimus, indurationem & excæcationem, itẽ mortis temporalis inflictionem, in statu peccati, inter effectus reprobationis connumerant; eadẽ enim est ratio aliarum eiusmodi pœnarum, quæ ipsi reprobo causa vel occasio sunt æternæ damnationis. Ratio est. Quia sicut effectus prædestinationis est, quicquid prædestinatũ efficaciter & speciali quasi influxu promouet ad beatitudinẽ, ita è contrario effectus reprobationis esse videtur, quicquid malorum Deus reprobo infligit, ad eius damnationẽ pertinens & conducens. Exemplum habemus in Phãraone & Ægyptijs, quorũ pœnę etiã temporales ad maiorem eorundẽ damnationẽ cesserunt. 6

Dices primo; hac ratione concludi posse, etiam dona gratiæ reprobis concessa, quibus ipsi ad suam damnationem abutuntur, esse effectus reprobationis eorundem. Respondeo negando sequelam: quia dona gratiæ intrinsecè ac ex sua natura sunt adminicula salutis; quæ proinde etiam à Deo non conferuntur, nisi ex intentione seu voluntate salutis; at verò pœnæ temporales, cum ex sua natura indifferenter se habeant ad bonum & malum vsum, sæpe à Deo etiam ex intentione vindictæ inferuntur, vt peccati punitionem in hac vita incipiant, & æternæ quasi præludant. 7

Dices secundo; Ergo saltem bona temporalia, puta abundãtia diuitiarum, honorum, & voluptatum, etsi per se non vetitarum copia, &c. censeri poterunt inter effectus reprobationis. Respondeo nihil id videri absurdum; si considerentur, quatenus aut sunt occasio, seu materia permissionis peccati; non quod Deus ea velit vnquam hac intentione, vt homo peccet, sed quia vult ea homini obuenire, cũ tamẽ sciat fore occasionẽ & materiã peccandi. Qua de causa etiam hæc à Theologis subintelligi videntur sub ipsa permissione peccati:

quandoquidem reuera Deus ea tribuendo, non vult aut causat, sed solum permittit peccatum, vt inferius dicetur.

8 Assertio V. Sed & permissio quædam peccati mortalis in reprobo est effectus quidam reprobationis eiusdem. Ita disertè S. Thomas hic q. 23. a. 3. & consentiunt Theologi omnes cum Magistro in 1. distinct. 40. etsi nonnihil dubiè hac de re locutus videatur Molina hic quæst. 23. a. 3. vbi ait: [Voluntas Dei æterna permittendi peccata, propter quæ peccator reprobandus est, si propriè loquamur, neque appellanda est reprobatio, neque quasi pars illius, sed solum conditio requisita, vt sit reprobatio: nec forte aliud voluit S. Thomas. Idem dicendum est de æterna Dei voluntate, qua reprobum vsq; ad finem vitæ obdurare statuit.] Certè si voluntas Dei permittendi peccata non est pars, adeoque nec actus reprobationis, non facilè apparet, quomodo permissio peccati possit esse effectus reprobationis. Quare mox ibidem quasi dubius subiungit Molina: [An vero permissio peccati appellanda sit effectus reprobationis, merito dubitari potest. Et sane videtur posse id aliquo modo concedi. Quoniam cum pars integri finis, ob quem est à Deo volita, sit, vt detur iusta impiorum damnatio & reprobatio, eaq; ratione in illis splendeat in æternum diuina iustitia, non secus ac in prædestinatis misericordia, fit, vt permissio peccati reprobi sit in genere causæ finalis effectq; damnationis ac reprobationis.]

Sed hæc Molinæ dubitatio solum videtur procedere de effectu in genere causæ finalis; de quo hic non disputamus, sed potius de effectu in genere causæ efficientis, aut quasi efficientis, prout negatio causæ efficientis dicitur causa negationis effectus eiusdem efficientis: vt absentia solis, tenebrarum. Quare idem Molina inferius ead. q. 23. a. 4. & 5. disp. 3. ita affirmate docet: [Sciendũ est, *inquit*, circa vnumquemq; reproborum adultum, triplicem actum voluntatis diuinæ, nostro intelligendi more esse distinguendum. Primus est, voluntas permittendi ea peccata, propter quæ ille excludendus est à beatitudine, supplicijsq; æternis mancipandus. Quem actum tanquam effectus sequitur ipsa permissio eorundem peccatorum in actu. Secundus est voluntas obdurandi peccatorem vsque ad finem vitæ, in eisdem peccatis iam commissis, hoc est, voluntas non conferẽdi illi ea auxilia, cum quibus resurgeret. Hunc autem consequitur similiter in tempore, tanquam effectus illius obduratio ipsa. Tertius est voluntas excludendi eundem reprobum à regno cælesti, tanquam eo indignum, deputandiq; illum supplicijs æternis, propter peccata, in quibus ad vitæ terminum præuidetur perseuerturus. Quem actum consequitur in tempore, tanquam effectus illius, exclusio ipsa à regno cælesti, mancipatioq; supplicijs æternis, quando hæc fiunt.] Ita Molina. Ratio assertionis tum ex dictis sumitur, quia voluntas permittendi eiusmodi peccata, est actus diuinæ reprobationis: tum quia illa DEI permissio est effectus quidam Dei, per se, ac ex sua natura tendens ad æternam damnationem reprobi. An autem omnis eiusmodi permissio sit effectus reprobationis, mox dicetur.

Assertio VI. Omnis peccati, cum quo reprobus ex hac vita decedit, permissio, est aliquo 9
modo effectus reprobationis. Ita sentire videtur Magister in 1. dist. 4. lit. A. vbi vniuersim pronuntiat, *gratiæ priuationem siue subtractionem esse quodammodo reprobationis effectum.* Idem significat Sanctus Thomas hic quæst. 23. articulo 3. vbi absolutè ait, *Sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Et ibidem ad 2. generatim ait: *Reprobatio est causa derelictionis à Deo.* Quid autem est derelictio hæc, quam permissio peccati finalis? Eiusdem sententiæ videntur esse Durandus in 1. dist. 41. q. 2. Ariminensis q. 1. art. 1. Marsilius q. 41. a. 1. Driedo in Concord. part. 1. q. 3. Gregorius de Valentia hic q. 23. pun. 3. & vt apparet Vasquez d. 95. cap. 9. num. 49. vbi disertè docet, primam permissionem cadendi in peccatum esse effectum reprobationis, non quidem à gloria, sed à gratia; tametsi contrarium cum nonnullis sentiat Suarez supra citatus.

Ratio assertionis est, quia omne peccatum reprobi, cum quo ex hac vita decedit, est aliquo 10
modo causa æternæ damnationis, seu pœnæ ipsius reprobi; etsi diuersimodè, vt mox explicabitur. Ergo cum æterna pœna reprobi sit vtique effectq; reprobationis, ipsa etiã permissio peccati finalis cuiuslibet in reprobo erit effectus reprobationis. Cõsequentia probatur. Quia permissio peccati in reprobo ideo dicitur esse effectq; reprobationis eiusdem, quia peccatum quidem ipsum per se, permissio autẽ peccati saltẽ per accidens est causa damnationis seu pœnæ æternæ in reprobo.

Assertio VII. Est tamen inter peccatorũ, cum quibus reprobus decedit, permissionem, quate- 11
nus est effectus reprobationis, duplex discrimen; primò enim permissio prima peccati solũ est effectus reprobationis negatiuæ: obduratio verò in peccato iam perpetrato, etiã positiuę; secũdo quorundã peccatorũ permissio solũ p accidẽs est effectq; reprobationis; aliorum vero etiã per se. Priorem partem huius assertionis recte tradit Gregorius de Valentia loc. citat. ex quo distinguenda est duplex permissio peccati, vna quæ præcedit quoduis peccatum reprobi, ac nihil aliud est, quam nuda negatio gratiæ efficacis, retrahentis seu præseruantis à primo peccato reprobi; supposito seu concomitante simul actuali concursu positiuo ad materiale peccati, velut effectu communis prouidentiæ; & hæc non potest esse effectus reprobationis nisi negatiuæ; vt bene etiam docent Molina quæst. 23. a. 4. & 5. d. 3. & Suarez loc. cit. cap. 7. num. 9. & 12. Ratio est. Tum quia reprobatio positiua pertinet ad vindicatiuam iustitiam Dei; hæc autem permissio non infertur per modum vindictæ à Deo; cum nullum aliud supponat peccatum in reprobo. Tum quia reprobationis positiuæ datur causa in Deo; huius autem permissionis non item, vt dicetur dubio seq. Denique huius permissionis causa in Deo, per se non est actus positiuus, sed solum simplex negatio actus miserendi, qua videlicet Deus, sine

alia

Digitized by Google

alia causa data à reprobo, negatiuè se habuit circa destinationem gratiæ congruæ, quæ hominem à peccato efficaciter retraheret: quæ sanè dispositio diuinæ voluntatis non est positiua reprobatio, sed solum negatiua; ex dictis quæst. præced.

12 Alia permissio peccati est, quæ subsequitur peccatum aliquod præcedens, ex peculiari ac iusto decreto Dei, quo videlicet Deus aliquem in pœnam peccati præcedentis deserit, & velut indignum reijcit à gratia efficaci, deletura peccatum præteritum; quo fit, vt homo in peccato denique moriatur, iuxta illud Eccles. 7. v. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Quæ permissio etiam in Scriptura à SS. Patribus vocatur *induratio & excæcatio*, iuxta illud Apostoli Rom. 9. v. 18. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Quo etiam sensu Deus dicitur esse causa indurationis, non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam congruam: nonnunquam (quæ pœna grauissima est) permittendo etiam tentationes & occasiones grauiores peccati, iuxta illud Psal. 80. v. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis*, vt bene Molina q. 23. a. 4. & 5. disp. 3. licet alias obduratio etiam accipiatur pro ipso peccato, quo resistitur aut cuiuis vocationi Dei, aut quo Deo vocanti diu multumque repugnatur, iuxta illud Rom. 2. v. 4. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quo sensu iuxta Concil. Trident. sess. 6. can. 8. *Deus nullo modo est obdurationis author* siue causa, vt rectè Vasquez disp. 95. capite decimo, & pluribus alibi explicandum est.

13 Hanc ergo permissionem secundi generis, quam etiam obdurationem vocari diximus, censeo rectè etiam dici effectum reprobationis positiuæ; quo nomine proinde, vt dictum dub. præced. non intelligi tantum debet decretum damnando homine, & afficiendo pœna inferni, sed etiam de reijciendo velut indigno, à gratia illa congrua; cum interim reprobatio negatiua formaliter sit solum negatio actus; concomitanter aut consequenter sola simplex voluntas non præeligendi hominem ad gratiam congruam vel gloriam. Atque hæc ipsa etiam permissio peccati, est obduratio illa, cuius in assertione memini. Nec probatur, quod notauit Molina cit. disp. 3. licet obduratio in peccato commisso semper esse possit in pœnam antecedentis delicti; non tamen semper ita euenire. Quoniam cum auxilia gratiæ merè gratis à Deo conferantur, poterit Deus conferre peccatoribus pauciora auxilia vno tempore, quam alio, & pauciora ijs, qui minus, quam ijs, qui magis peccauerant, non habita ratione, vt id proprie & directè fiat in pœnam præcedentium delictorum, sed pro suæ voluntatis beneplacito. Et addit Molina, cum aliquo casu, non ex singulari dispositione Dei, peccator statim ac peccauit, è vita discedit, non dici indurare. Sed verius videtur, omnem indurationem esse in pœnam peccati: cum sit proprium etiam demeritum peccati, indignum esse omni gratia: etsi Deus interim pro suo beneplacito, pœnam eiusmodi maiori peccatori sæpe remittat, à minori exigat; iuxta citatum illud, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, vt à fortiori sentiunt Doctores citandi dub. seq. pro secunda sententia.

Indicat hanc assertionis partem Magister in 1. dist. 41. quando obdurationem perinde reprobationis effectum constituit, sicut prædestinationis gratiam; cum ait: *Accipitur aliquando reprobatio pro obdurationc, sicut & prædestinatio pro suo effectu, qui est gratia apposita.* Nec refert, quod ibidem verbis antecedentibus ait, obdurationem esse *quodammodo* reprobationis effectum; quia hoc ideo solum dixisse videtur, quod obduratio, cum propriè sit solum negatio, non sit proprius & positiuus ac realis effectus prædestinationis. 14

Idem significat S. Thomas, cit. art. 3. dum inter effectus reprobationis absolutè etiam constituit *derelictionem* à Deo; nimirum eam saltem, quæ per excellentiam talis est, iuxta citatum locum Eccles. 7. Ratio colligitur ex dictis. Tum quia positiuè reijcitur, qui ob demerita sua velut indignus reijcitur & repellitur ab aliqua dignitate. Tum quia hæc permissio peccati est effectus vindicatiuæ iustitiæ, habetque causam ex parte reprobi, vt ibidem docet Magister, & dicetur dubio sequenti.

Idem colligitur ex Scriptura Rom. 1. versu 26. *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Et v. 28. *Sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt.* Et Rom. 9. v. 23. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Certè tradere in reprobum sensum, item ex zelo iustitiæ sustinere vasa iræ, subtrahendo & denegando velut indignis gratiam congruam, non est solum negatiuè se habere; sed positiuè, quamuis ad pœnam solum negatiuam damnare. 15

Quæres, an prima peccati permissio solum ad originale; posterior autem peccati permissio solum, & ad omne personale peccatum reprobi, cum quo ex hac vita decedit, pertineat. Respondeo negatiuè. Fieri enim potest, vt deleto peccato originali, reprobus in nouum peccatum labatur; quo casu permissio hæc, cum non in pœnam præcedentis peccati infligatur, prima dicenda erit; quod similiter etiam sentiendum est, si post primum, item secundum, tertium mortale commissum & remissum, &c. reprobus denuo in nouum peccatum mortale corruat; semper enim talis permissio prima est saltem negatiuè, quia nulla præcessit alia permissio peccati, in cuius pœnam directè infligatur posterior permissio; quandoquidem supponimus, præcedentia peccata plenè remissa. E contrario fieri potest, vt posterior peccati permissio ad ipsum etiam originale, vel primum peccatum personale pertineat; hoc sensu, non quod permissio ipsa id peccatum primò contrahendi, permissio sit posterior, sed quod permissio permanendi in eodem peccato, per subtractionem gratiæ à peccato conuertentis, verè sit permissio peccati secundæ, supponens 16

priorem, & ab ea dependens, qua idipsum peccatum primo permissum est, vt ex dictis colligitur.

17 Secunda pars, quorundam peccatorũ permissionem solum per accidens esse effectum reprobationis, aliorum non item, ita probatur. Quia vniuscuiusq; peccati permissio eatenus est effectus reprobationis, quatenus peccatũ ipsum est causa damnationis seu pœnæ æternæ: sed sunt quædam peccata, puta venialia, cum quibus decedit reprobus, quæ solum per accidens puniuntur pœna æterna in reprobo: Ergo permissio horum peccatorum solum per accidens est effectus reprobationis; non per se, vti sunt peccata mortalia reprobi nondum remissa.

Assertio VIII. Permissio peccatorum reprobi, quæ ante finem vitæ ei sunt remissa, siue mortalia sint, siue venialia, non est effect⁹ reprobationis: nisi quatenus ea peccata, in suo quodam effectu permanentia, simul cum alijs causa sunt aliquo modo æternæ pœnæ seu damnationis reprobi. Ita habet cõmunis Doctorum sententia. Probatur & declaratur. Quia hæc peccata vti secundũ se sunt deleta, ita etiam secundum se non sunt causa æternę damnationis seu pœnę in reprobo: Ergo nec permissio eorundẽ peccatorum secundũ se est effectus reprobationis. Quo sensu etiam Suarez & alij quidam absolutè & simpliciter negant, eorum peccatorum, quæ semel remissa sunt, permissionem, esse effectum reprobationis: quia res talis esse vel nõ esse censetur, penes id, quod ipsa non secundum quendam solum effectum suum, sed secundum se est. Nihilominus tamen quia hæc ipsa etiam peccata saltem personalia, & quidem etiam venialia deliberata, quamuis remissa, augent grauitatem subsequentium, atq; ita etiam in suo quodam effectu ingratitudinis redire dicuntur, vt in 3. parte docetur, ideo etiam ipsorum permissio aliquo modo, & cum addito, rectè dici potest effectus reprobationis: quandoquidem reuera aliquis gradus pœnæ æternæ in reprobis ipsis aliqua ratione imputandus venit. Quod tamen de peccato originali remisso, aut etiam venialibus ex indeliberatione commissis & remissis, dici non potest, vt ibidem suo loco docetur.

18 Eadem ratione, quia posterius peccatum mortale reprobi ad finem vitæ perseuerans, prioris peccati mortalis pœnam æternam in temporalem mutatam, seu etiam ipsius peccati venialis pœnam temporalem, sæpe post remissam culpam superstitem, per accidens rursus æternat, vt ibidem docetur, ideo etiam ea ipsa peccata in suo quodam effectu, qui est reatus pœnę temporalis, causæ quædam sunt certi cuiusdam gradus pœnæ æternæ ipsius reprobi: ac proinde etiam eorundẽ peccatorum permissio rectè dicitur aliquo modo, & cum addito, in suo quodam effectu esse effectus reprobationis. Accedit quod peccatum remissum etiam ratione aliorum suorum malorum effectuum, vt inclinationis ad peccandum, prauæ consuetudinis, infectiõis & corruptionis naturæ &c. solet esse causa aliorum peccatorũ; vt proinde etiam hac ratione dici possint, ratione sui cuiusdam effectus, reprobationis effectus, vt mox dicetur.

Assertio IX. Sed & permissio peccati primi parentis, in quo omnes posteri peccauerunt, est quodammodo effectus reprobationis negatiuæ singulorum hominum reproborum. Colligitur ex Doctoribus pro sexta assertione citatis, dum indefinitè aut absolutè permissionem peccatorum ipsius reprobi, ob quæ damnatur, reprobationis effectum constituunt. Ratio est. Quia omnis peccati permissio est aliquo modo effectus reprobationis, ob quod peccatum reprobus ipse æternum damnatur: sed tale peccatum est illud, de quo loquimur: primo quidem, quia omnes illi, qui cum originali peccato decedũt nõ solũ damnantur ob ipsum peccatum originale ex Adamo contractũ, sed mediatè etiam ob peccatum primi parentis, in quo omnes peccauerunt, iuxta vulgatũ illud, Quod est causa causæ, est etiam causa causati. Deinde quamuis peccatum illud primi parentis, vt & ipsum originale, aliquibus reprobis sit remissum, manebat tamen vtrumq; nihilominus in suis quibusdam prauis effectibus, vt est fomes concupiscentiæ; item priuatio iustitiæ originalis, & totius naturæ infectio; ex quibus denique effectibus secuta sunt alia peccata personalia in reprobis; ob quæ illi immediatè damnantur. Potest ergo peccatum illud saltem secundum suum quendam effectum, etiam in his, quibus alioqui secundum se, & quoad reatum æternæ pœnæ remissum est, dici effectus reprobationis eorum, qui eius causa pereunt; vti antea in simili de peccatis remissis diximus. 19

Assertio X. Ad permissionem peccati, quam diximus esse effectum prædestinationis, pertinent etiam occasiones propinquæ ad peccatum, ob quod reprobus damnatur; & inprimis etiam ipsa mors, seu mortis inflictio erga reprobum, dum habet peccatum mortale. Prior pars colligitur ex dictis, & indicatur à Sancto Thoma hic quæstion. 23. articulo. 3. vbi vniuersim docet, ad reprobationem pertinere, *quod Deus permittat aliquos à fine vltimo deficere*: item reprobationem esse partem prouidentiæ, *respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt*. Ratio est, quia tametsi Deus non immittat occasiones peccandi ea mente, vt homo peccet; eo ipso tamen quia tales occasiones non prohibet, cum posset prohibere; subinde etiam, quia in pœnam peccati sinit, aut (si quidem per se mala non sunt) procurat reprobis ea, ex quibus præuidet eos fore deteriores, censetur eo ipso etiam permittere peccatum, vt ex psalmo 80. dictum asserit. 7. 20 21

In quem sensum etiam accipiendum est illud, quod apud Augustinum legitur lib. de gratia & libero arbitrio capite vigesimo: *Voluntatem* (Deus) *proprio vitio malam, in hoc peccatum iusto suo iudicio inclinauit*. Et ibidem capite vigesimo primo: *Operatur Deus in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala, pro meritis eorum*; de qua re plura Suarez opusc. de auxil. grat. lib. 2. c. 3. n. 9. & 10. post Hugonem Victorinum lib. 1. de Sacram. p. 5. capite. 29. Vide etiam Augustinum in illud

psal.

Psal. 91. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*, & in illud Psal. 93. *Vsquequo peccatores gloriabuntur.* Rectè idem Augustinus epist. 5. ad Marcellum. *Nihil est infelicius felicitate peccantium.* Tales occasiones erant diuitiarum & voluptatum copiá in diuite epulone; de qua Chrysostomus homil. 8. ex varijs in Lucam, quæ est 3. de Lazaro. Plura hac de re agimus tomo 2. disputione quarta, dubio 4. & 6.

Secundam partem apertè tradit Suarez hic loco citato, libro 5. capite 7. numero 9. Quia mors illa tametsi non sit occasio vel causa noui peccati, est tamen occasio seu conditio perseuerantiæ in peccato mortali commisso; ob quam reprobus damnatur.

22 Assertio XI. Ex recensitis reprobationis effectibus illi, qui à Deo iusto iudice infliguntur in pœnam commissi peccati, vt est æterna pœna seu damnatio, item induratio seu excæcatio, siue posterior peccati permissio; & quæ eo pertinent occasiones, sunt effectus reprobationis positiuæ; alij, in quibus est prima peccati permissio, cum occasionibus eodem spectantibus, sunt effectus reprobationis solum negatiuæ. Hæc assertio constat ex dictis.

Ex quibus colligitur primo, permissionem non solum peccati personalis; sed etiam originalis; nec solum peccatorum mortalium, sed quorundam etiam venialium; nec solum peccatorum, cum quibus reprobus decedit, sed etiam aliorum quorundam; nec solum permissionem peccatorum, sed etiam rerum aliarum quarundam, circa reprobū, in hac vita seu permissionem, seu procurationē suo quodā modo esse effectū reprobationis.

Colligitur secundo, rectè docuisse Sanctum Thomam hic quæst. 23. art. 3. duos vniuersim esse reprobationis effectus, videlicet *æternam damnationem*, & *permissionem peccati*: quæ tamen in duas subdiuidi potest, videlicet permissionem simpliciter dictam, & excæcationem seu indurationem; & ad vtramque referuntur occasiones propinquæ eorundem peccatorum, vt dictum.

23 Colligitur tertio, quid respondendum sit ad fundamentum oppositum Suarez, dum asserit, solas pœnas alterius vitæ spectare ad reprobationem positiuam, eiusque effectus esse; non autem permissionem peccati; cum non procedat nec ex præscientia peccati finalis; nec ex voluntate damnandi. Respondeo enim nihil obstare, si modo alias procedat ab affectu iustitiæ vindicatiuæ erga reprobum, & simul re ipsa tendat ad æternam damnationem reprobi. Est enim quoad hoc dispar ratio inter damnationem, & vitam æternam; quod cum hæc sit finis omnium aliorum donorum gratiæ, & effectuum prædestinationis, merito quidem ex sua natura prius volita est, quam cætera dona, quæ ex eius affectu & intentione conferuntur. Damnatio vero propriè non est finis peccati, vel permissionis peccati, sed quiddam tantum consequens ex diuina voluntate & ordinatione. Quare non omnis effectus positiuæ reprobationis procedere necessariò debet ex voluntate damnandi, supponente præscientiam peccati finalis; sicut effectus quilibet prædestinationis procedit ex voluntate saluandi: satis est, procedere ex affectu vindicatiuo Dei, & simul esse aut occasionem siue conditionem damnationis æternæ, aut ipsam damnationem æternam, vt dictum.

Et quamuis ea, quæ diximus, inprimis ad homines reprobos adultos pertineant, tamen seruata in singulis proportione, ac suo modo, etiam paruulis & Angelis facile possunt accommodari.

DVBIVM III.

An & quænam sint causa totius reprobationis; præsertim ex parte reprobi.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. & 5.

CErtum est primo, causam quasi efficientem totius reprobationis, omniumq; effectuum illius, esse Deum; cum enim reprobatio sit pars quædam diuinæ prouidentiæ, necessario est actus quidam ipsius, qui proinde etiam reprobare dicitur. Dixi autem causam quasi efficientem; quia cum reprobatio, prout significat actum Dei immanentem, non sit aliquid causatum, sed sit ipse Deus, non potest Deus propriè esse, vel dici causa efficiens ipsius reprobationis. Accedit quod effectus quidam reprobationis propriè ac formaliter solum sunt negatiui, vt est permissio peccati, quæ in subtractione seu priuatione gratiæ consistit, ex dictis; qui proinde effectus etiam non habent aliquam causam efficientem propriam & realem, seu positiuam; sed solum negatiuam, quæ est subtractio seu negatio concursus diuini ad conferendam gratiam. 1

Secundo certum est, causam materialem reprobationis actiuæ, & immanentis nullam esse: quia est ipse DEVS, in quo nulla est potentia passiua, seu capacitas ad aliquid in se recipiendum. Causa autem materialis siue subiectiua reprobationis passiuæ, omniumque ferè effectuum reprobationis (eo quidem modo, quo singuli causam subiectiuam habere possunt) est ipse reprobus, vt ex dictis patet; siquidem ipse est subiectum suo modo tam pœnæ æternæ, quàm permissionis peccati, siue subtractionis & priuationis gratiæ; eo modo, quo priuationes in eodem subiecto esse dicuntur, in quo forma opposita potèrat & debebat inesse. Dixi ferè, quia ocasiones peccandi extrinsecæ, quas etiam inter effectus reprobationis numerauimus, subiectiuè sunt extra ipsum reprobum, vt patet. 2

Tertio certum est, causam etiam formalem reprobationis propriè nullam esse requirendam; siue loquamur de reprobatione actiua & immanente in Deo, quæ cum sit ipse DEVS, vt dictum, non est aliquid compositum ex materia & forma, nec aliquid vllo modo causatum: siue loquamur de reprobatione passiua, & effectibus reprobationis; quia hæc cum aut sint ipsæ formæ seu accidentia, aut priuationes formæ & accidentium,

vt dictum, propriè etiam non constant ex forma: quamuis in illis ratio formalis distingui possit, secundum quam formaliter sint effectus reprobationis. Sic enim subtractio V. G. gratiæ sanctificantis est effectus reprobationis, non quatenus formaliter est peccatum, sed vt est quoddam malum pœnale, ex parte etiam inuoluntarium homini, æternæque beatitudini hominis aduersum.

4 Quarto certum est, loquendo de causa finali, dari causam finalem ex parte Dei, non quidem ipsius reprobationis actiuæ & immanentis in Deo, vt in simili de prædestinatione dictum, sed reprobationis passiuæ, omniumque effectuum illius, quam S. Thomas hic quæst. 23. articulo quinto ad 3. explicat: *Ex ipsa*, inquit, *bonitate diuina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, vt in rebus diuina bonitas repræsentetur. Necesse est autem, quod diuina bonitas (quæ in se est vna & simplex) multiformiter repræsentetur in rebus propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem vniuersi requiruntur diuersi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in vniuerso. Et vt multiformitas graduum conseruetur in rebus, DEVS permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur, vt supra dictum est. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum vniuersitatem. Voluit igitur DEVS in hominibus, quantum ad aliquos quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iustitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare DEVS quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus ad Romanos nono dicens: Volens Deus ostendere iram, id est vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est permisit, in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Et 2. Timoth. 2. dicit, In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem.* Ita Sanctus Thomas; cuius discursum super hac re pluribus aliorum Theologorum testimonijs fusius confirmaui supra quæstione quarta, dub. 1. & adduci etiam in eundem sensum potuisset locus Apostoli, Romanor. 9. versu 17. *Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Vbi tamen vocula, *vt*, propriè non significat causam finalem, saltem absolutè & per se intentam, sed consecutionem, vt communiter Doctores notant, speciatim Suarez libro 5. capite nono, numero 10. & Vasquez disput. 95. cap. 7. num. 39.

5 Vt autem mens S. Thomæ in assignanda causa reprobationis bene intelligatur, notandum ex Caietano hic articulo quinto, contra Aureolum in 1. d. 41. quæst. 1. esse quidem vtramque causam seu rationem reprobationis à S. Thoma, & inprimis ab Apostolo assignatam, verissimam & optimam; nimirum vnam, demonstrationem diuinæ potentiæ ac iustitiæ Dei; alteram ostensionem vberiorem bonitatis diuinæ in vasa misericordiæ suæ in electos: attamen has causas siue rationes non hoc modo intelligendas, quasi Deus ex se ipso, ante omnem præuisionem absolutam peccati, voluerit positiuè & absolutè aliquos reprobare seu à gloria cœlesti excludere: aut quasi manifestatio & executio iustitiæ vindicatiuæ, sit sola aut præcipua, aut etiam per se sufficiens causa primæ etiam permissionis peccati hominem damnantis, seu reprobationis negatiuæ: vtrumque enim alienum est à diuina bonitate; si enim Deus ita ex se, ac voluntate sua antecedente efficaciter intenderet punitionem & vindictam, seu actum iustitiæ vindicatiuæ, tum consequenter etiam ex se ipso vellet & velle deberet peccatum, sine quo iustitia vindicatiua exerceri non potest: quod est contra receptam doctrinam Theologorum, qui cũ Damasceno docent, voluntatẽ puniendi pertinere ad voluntatem Dei non antecedentem, sed consequentem; & dari causam ex parte reprobi tam ipsius damnationis æternæ, quam obdurationis eiusdem, vt inferius videbimus. Sed & cum ad prudentem & pium prouisorem non spectet, malum permittere ob solam demonstrandam iustitiam vindicatiuam; cum hoc per se non sit maius bonum, quam demonstratio bonitatis erga omnes; sed solum ob maius bonum procurandum, aut maius malum deuitandum, ideo sola demonstratio iustitiæ vindicatiuæ in Deo, non est per se causa sufficiens primę illius permissionis peccati, aut reprobationis negatiuæ.

Duplici ergo alio sensu accipienda est illa ratio Apostoli, & Sancti Thomæ. Primus ad reprobationem positiuam spectat; quod nimirum supposita futuritione absoluta peccati, & præuisione eiusdem, Deus iure merito ad demonstrandam suam potentiam ac iustitiam vindicatiuam, voluerit reprobare quosdam peccatores; reprobatione scilicet etiam positiua, quoad vtrumque suum effectum, tum indurando scilicet in pœnam commissi peccati, per subtractionem gratiæ congruæ à peccato liberantis; tum etiam æternam pœnam infligendo. Alter sensus spectat ad reprobationem etiam negatiuam; quod nimirum Deus, tametsi absolutè potuisset omnes homines & angelos efficaciter perducere ad beatitudinem, non voluerit tamen hoc facere; tum ob alias causas maioris momenti; tum post alias, etiam ob maiorem gloriæ ac virtutis suæ manifestationem: sed voluerit potius ob easdem causas, supposita non absoluta præscientia peccati, sed supposita tamen scientia media, quod multi hominum & Angelorum, si cum tali modo, & hac vel illa rerum & auxiliorum serie producerentur & dirigerentur, non essent assecuturi gloriam, ex se ipso decernere & constituere, eam ipsam rerum & auxiliorum seriem esse executioni mandandam, cum qua eos perseueraturos & saluos denique futuros non esse præuiderat; non quidem ea ratione ex se ipso absolutè decernendo, vt salui non fierent, aut

6

con-

consulto ideo gratiam inefficacem destinando, quia inefficax erat, sed solum non præeligendo illos, ad gratiam congruam, & gloriam; seu quod moraliter idem est, volendo eos non præeligere ad eandem gratiam & gloriam; seu etiam permittendo ipsorum peccata, in quibus ipsi sua culpa essent perseueraturi, & ideo damnandi.

7 In quem sensum etiam Suarez citato libro secundo de auxil. capite quinto, numero decimò tertio ait: *Quod quidam aiunt, DEVM voluisse primam permissionem peccati, vt ostendat iustitiam suam, in punitione peccati, si intelligant, Deum intendisse hunc finem efficaci voluntate & præfinitione, & ideo permisisse peccatum, falsum est, & incidit in sententiam impugnatam de prædestinatione hominum quorundam ad mortem, ante præuisum peccatum. Si autem non id intelligant de voluntate præfiniente, sed quasi conditionata, sustineri potest. DEVS enim licet non præfinierit, seu absolutè decreuerit exercere iustitiam suam vindicatiuam, antequam permiserit & præuiderit peccatum, voluit tamen punire peccata, si fierent; & præuidens etiam in hoc posse manifestari gloriam suam, ex permissione peccati, voluit illam, habens hoc propositum quasi conditionatum, operandi hoc bonum ex illo malo, si fieret.* Idem repetit hic libro quinto capite quinto, numero vndecimo, vbi de reprobatione etiam negatiua loquens ait: *Alia vero ratio, qua sumi solet ex manifestatione iustitiæ Dei vindicatiuæ, non est ita accipienda, vt ante præscientiam absolutam futuri peccati habuerit DEVS intentionem, vel voluntatem absolutam manifestandi hanc iustitiam, quia Deus ex se non habet hanc voluntatem; alioqui vellet ipsam culpam. Solum ergo habuit DEVS voluntatem illam post præuisam culpam; antea vero præcognouit, se posse hoc bonum elicere ex peccato, si ab homine fieret, & solum habuit voluntatem conditionatam, ita scilicet agerendi cum homine, si ipse peccaret.*

8 Ad eundem modum rectè philosophatur Molina hic quæst. 23. art. 3. his verbis: [Aduertendum est, splendorem diuinæ iustitiæ in damnatis, non solum non fuisse totum atq; integrum finem, ob quem Deus permittere statuerit peccata; sed neq; vlla ratione videri concedendum, fuisse vel præcipuam, vel tantã totius finis partem, quę sola sufficeret, vt Deꝰ vellet peccata permittere. Absit namq; à fidelium cordibus, de totius bonitatis & clementiæ fonte suspicari, vel solam, vel præcipuam rationem, quare peccata permittere voluerit, fuisse, vt cum tanta creaturarum iactura & damno haberet, quod puniret, & in quo iustitia illius splenderet. Quamuis enim id sine cuiusquam iniuria Deus, tanquam rerum omnium Dominus, facere potuisset, bonitatem tamen ipsius id minimè videtur decere; neq; lumen naturæ, quod tanquam participatio quædam increati luminis diuini vultus in nobis consignatum est, id docet; quin potius, vt quid præ se speciem crudelitatis ferens, minimeque cum diuina bonitate consentiens respuit. Nec sanè id vlla ratione videtur Deo tribuendum, quod probus quisq; & sapiens vir, in quocunque alio reipub. principe, etiamsi apud illum summa rerum omnium esset potestas, meritò vituperaret. Quis autem non vituperaret principem, si ea præcipuè ex causa, res taliter in repub. disponeret, peccataque permitteret, quæ tamen posset impedire, vt ea ratione haberet, quod iustè puniret, & iustitiam suam vindicatiuam commendaret? certè nemo factum non reprehenderet. Licet ergo splendor diuinæ iustitiæ à Paulo ad Rom. 9. inter fines, ob quos Deus peccata permittere, reprobareque eos impios voluerit, quos re ipsa reprobauit, computetur; non tamen is est finis solus, neque præcipuus, nec sine alijs finibus apud benignum patrem sufficiens censeretur.] Ita Molina. Similia habet Vasquez disputat. 95. cap. 9. à num. 50.

Sunt ergo etiam alij fines eius rei adiungendi. 9
I. vt suam creaturis libertatem & connaturalem agendi modum relinqueret. II. Vt ea occasione locus daretur & occasio Incarnationi Verbi & redemptioni humani generis. III. Vt ex peccatorum permissione ingentem cumulum ac præstantiam meritorum & virtutum in Martyribus, Confessoribusque eliceret: & similes aliæ causæ, quas quæstione 1. dubio 2. retulimus, cur Deus mala permittat.

His ergo ita generatim constitutis, de causis reprobationis, illud solum hoc loco explicandum restat, an aliqua, etiã ex parte reprobi, detur causa motiua, præsertim in eius arbitrio sita, totius reprobationis, siue secundum se, siue saltem quoad effectus suos, seu quod idem est, an detur causa seu ratio vllo modo motiua ex parte reprobi omnium effectuum reprobationis.

Qua in re primum reijciendus est error Caluini 10
l. 1. Instit. c. 18. §. 4. & l. 3. Instit. c. 21. §. 25. & c. 22. §. 3. & c. 23. §. 2. & 3. & c 24. §. 2. & aliorum Caluinistarum, qui cum asserant, Deum ex se ad ostendendam suam iustitiam, ante præscientiam peccati, quosdam destinasse non solum ad pœnam damni, sed etiam ad pœnam sensus; siue quod idem est, ad æternam mortem ac damnationem; ac ob eundem finem etiam ad malè operandum impellere, sublato libero arbitrio; consequenter affirmare debent, ex parte reprobi nullam dari causam reprobationis, neque negatiuæ, neque positiuæ, nec quoad vltimum quidem illum effectum, qui est damnatio æterna, & pœna tã sensus, quam damni. Quæ sententia planè crudelis, blasphema, & impia est, vt dictum etiam dub. præced. assert. 1. & pluribus demonstrat Bellarminus l. 2. de statu peccati, & lib. 2. de grat. damnaturque, vt vidimus, in Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. 5. 6. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Sap. 1. v. 13.

Hoc ergo errore sepositio, de quæstione pro- 11
posita inter Catholicos Doctores admodum variæ sunt sententiæ; vniuersim autem loquendo, tres; maiore tamen ex parte, non tam reipsa, quam nominibus & modo loquendi diuersæ. Prima sententia simpliciter & sine distinctione docet, nullam dari causam reprobationis ex parte reprobi, quoad omnes suos effectus: quæ sententia rursus duobus modis defenditur. Quidã n. rati omnem permissionem peccati in reprobo esse effectum reprobationis, eam sententiã ita explicant, nõ quod ipsius etiã reprobationis à gloria, non detur causa ex parte reprobi; eam enim fatentur esse peccata

eius-

eiusdem, ob quæ damnabitur; nullum enim excluſum à gloria ante præſcientiam peccati: ſed quod non detur cauſa ipſius primæ permiſſionis peccati in reprobo; adeoque & reiectionis à prima gratia congrua. Ita videntur ſentire Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 41. quæſt. 1. artic. 2. Marſilius in 1. quæſt. 41. a. 2. Adamus Sasbout in cap. 9. epiſt. ad Rom. *Quid ergo dicemus?* Ferrarienſis 3. cont. gent. cap. 16. Fauent etiam non parum Sanctus Thomas hic quæſt. 23. art. 3. Durandus in 1. d. 41. quæſt. 2. n. 14. Driedo 1. part. concord. lib. arbit. & prædeſt. cap. 3. quatenus non ſolum docent, nullam eſſe cauſam, ob quam hic potius, quam alius reprobetur, vt dictum q. 4. dub. 1. ſed ſimul cauſam reprobationis non aſſignant ex parte reprobi; ſed ſolum ex parte Dei antea relatam. Fauet etiam Magiſter in 1. diſt. 41. dum diſertè pronuntiat, *Deum reprobaſſe quos voluit, non propter futura merita quæ præuideret:* tametſi ibidem agnoſcat, dari cauſam *obdurationis, & æternæ damnationis*, vt retulimus dub. 1. His etiam conſentiunt Capreolus in 1. d. 41. quæſt. vn. Caietanus hic quæſtio 23. articulo quinto. Bannes Commentar. 1. ibidem verſus finem, & Zumel ibid. diſp. 4.

12 Alij vero vlterius progreſſi, ita hanc ſententiam defendunt, vt ſimul aſſerant, nec ipſius quidem excluſionis abſolutæ & reprobationis à gloria, dari cauſam ex parte reprobi; rati, eam factam ante præuiſionem peccati, ita vt in eodem inſtanti, in quo cæteri electi ſunt ad gloriam, alij fuerint abſolutè reprobati à Deo, ad oſtendendam iuſtitiam vindicatiuam. Ita ſentiunt nonnulli Thomiſtæ recentiores hic quæſt. 23. art. 3. & 5. vt teſtantur Molina artic. 5. diſputatione 3. Vaſquez diſput. 95. capite 1. numero 2. & Suarez hic libro 5. capite 3. vbi etiam refert pro eadem ſententia Durandum, & Cordubam: qui tamen à Caluiniſtis in eo differunt, quod ſimul fatentur, dari ex parte reprobi cauſam æternæ damnationis; ſeu ipſius diuinæ voluntatis hominem in æternum damnandi ac puniendi, præcipuè quantum ad pœnam ſenſus.

13 Secunda ſententia in altero extremo conſiſtens, abſolutè docet, dari cauſam totius reprobationis, etiam quoad omnes ſuos effectus, ex parte ipſius reprobi, ſaltem adulti. Ita conſequenter docent non ſolum illi, qui aſſerunt dari cauſam totius prædeſtinationis, quos retulimus quæſt. 4. dub. 4. ſed ex alijs etiam Gregorius de Valentia hic quæſt. 23. part. 2. punct. 3. vbi pro eadem ſententia citat Henricum Gandauenſem quodlib. 4. quæſt. 19. & quodlib. 8. quæſt. 5. Bonauenturam in 1. d. 41. art. 1. quæſt. 1. Heruæum in 1. d. 40. quæſt. vn. art. 2. Gabrielem & Ockamum in 1. diſt. 41. item Eckium in Chryſopaſſo centur. 3. num. 52. qui & cent. 1. num. 91. multos alios pro hac ſententia citat. Quos ſequuntur Sotus in capite nono ad Romanos, Molina hic quæſt. 23. art. 5. diſp. 3. & multi recentiores, vt refert Bannes hic art. 5. ſub. fin.

14 Qui tamen authores rurſum variant. Alij enim dicunt, hanc cauſam eſſe peccatum originale; huius enim permiſſionem inter effectus reprobationis adulti non computant; ac ſimul docent, in peccati huius quamuis remiſſi pœnam, denegari omnia auxilia actualia quæcunque non conceduntur reprobis; atque ita etiam permiſſionem peccati actualis accidere, quam agnoſcunt eſſe effectum reprobationis. Refertur pro hac ſententia Sanctus Thomas quæſt. 6. de verit. artic. 2. ad 9. & in cap. 8. epiſt. ad Rom. lect. 3. & 4. & Waldenſis tomo 1. part. 1. libro 1. capite 27. & fauet Auguſtinus in pluribus locis, præſertim epiſt. 105. & 106. & in Enchirid. cap. 57. & de prædeſt. ſanct. cap. 14. dum ait, *Deum quoſdam de maſſa perditionis miſericorditer liberaſſe; quoſdam iuſto iudicio in ea reliquiſſe*: quod fundamentum etiam non improbabile cenſet Suarez hic loc. cit.

Alij docent, cauſam illam eſſe, non peccatum originale à ſingulis contractum; ſed peccatum primi parentis: ob hoc enim iuſtè denegari omnem gratiam efficacem quæcunque denegetur. Ita Vaſquez cit. d. 95. c. 4. n. 16. vbi ait, *nec vllum etiam Semipelagianum negare poſſe, quamlibet permiſſionem peccati merito peccati primi parentis iure tribuendam eſſe, licet peccato originali, quod baptiſmo aut dilectione Dei iam deletum eſt, adſcribi nequeat.* Quia tamen hoc ipſum peccatum, vt ſic propriè non eſt ipſorum reproborum, quibus idcirco gratia congrua denegatur, ideo nec Vaſquez abſolutè dicit, totius reprobationis ex parte reprobi dari cauſam, vt videbimus.

Alij docent, totius reprobationis, quoad vtrumque effectum, permiſſionem ſcilicet peccati, & pœnam æternam, in adultis eſſe ipſa peccata actualia adultorum, finaliter perſeuerantia, ob quæ damnantur; ſupponentes videlicet permiſſionem peccati non quamlibet, ſed certam illam, quæ in pœnam præcedentis peccati decreta eſt, & vocatur obduratio, eſſe effectum reprobationis, iuxta dicta dub. præced. Atq; ita docet Gregorius de Valentia hic cit. quæſt. 23. part. 2. punct. 3. 15

Alij ideo ſolum dicunt, dari cauſam reprobationis totius, quia datur cauſa ipſius ſpectatæ ſecundum illum effectum, qui eſt æterna damnatio; rati ſcilicet hunc ſolum proprie, & non alium eſſe effectum reprobationis. In quem ſenſum Bannes hic quæſtione 23. artic. 5. putat, multos Doctores poſſe intelligi; qui proinde non tam re, quam verbis ab authoribus primæ ſententiæ differant. In quem ſenſum etiam Molina hic cit. quæſt. 23. artic. 5. diſputatione 3. aſſerit, dari cauſam reprobationis, quod ea ſolum ſit poſita in actu diuinæ voluntatis excludendi peccatorem à vita æterna, tanquam ea indignum, aut etiam mancipandi ſimul ſuppliciis æternis, ſi in actuali peccato præuideatur ex hac vita diſceſſurus. *Alias*, inquit, *ſi reprobatio includeret non ſolum voluntatem illam diuinam excludendi reprobum à vita æterna, ſed etiam voluntatem permittendi ipſum, aut primi parentis peccata, propter quæ eſt damnandus, obdurandique in eiſdem vſque ad finem vitæ, vtique quoad integrum effectum non daretur cauſa ex parte reprobi, ſed conditio duntaxat, ſine qua ſicut ipſe vitam non finiret in peccatis, ita neque in Deo præceſſiſſet eius reprobatio.* Ita Molina; qui tamen quid de permiſſione peccati alibi dixerit, dictum eſt dub. præced.

Tertia

16 Tertia sententia in hac re vtitur distinctione; quæ tamen rursus non apud omnes eadem est. Alii enim, quorum dux præcipuus & Antesignanus est Scotus in 1.d.41.q.vn.& sequũtur Bassolis ibid. & Corduba lib. 1.q. 56.opin. 5.Suarez hic lib. 5.c.5.& 6.multiq; alii, distinguunt inter reprobationem negatiuam & positiuam; huius n. concedunt dari causam ex parte reprobi, non aũt illius. Ex quibus tamen authores illi recentiores per reprobationem positiuã intelligunt solam reiectionem à gloria; nam quę est à gratia, permissiuam, non negatiuam vocant, conuenienter vt existimant Scoto; quod etiam notauit Vasquez cit.d. 95.c.5.n. 22. Sed & quandam reiectionem à gratia congrua ad reprobationem positiuam pertinere, dictum est dub. præced. quamuis quæstio hæc solum sit de nomine & modo loquendi.

Alii verò authores distinguunt inter reprobationem à gratia, & à gloria: huius n. cõcedunt dari causam ex parte adulti, ipsa videl. peccata, ob quæ reprobus dãnatur; illius verò, vt & reprobationis adequatè spectatæ, secundum omnes suos effectus, negant dari causam. Ita Vasquez cit.disp.95.c.5.& 6.idemq; cõsequenter ferè docent omnes illi, qui cũ plures eiusmodi agnoscant effectus reprobationis, simul prædestinationem ad gratiam congruam dicunt fieri ante præuisa merita, ad gloriam verò putant neminem prædestinari ante merita præuisa.

17 Ex quibus omnibus colligitur, catholicos hac in re conuenire in tribus ferè capitibus. Primum est, nullam dari causam ex parte reprobi primę permissionis peccati, aut cur ei Deus negauerit primam gratiam congruam à peccato prę seruantem; siue eum prouidentiæ modum, ac mediorum ordinẽ, quo à primo peccato præseruaretur. Secundũ; dari causam ipsius reprobationis, quoad effectum illum æternę damnationis, & pœnæ saltem sensus. Tertium est, ipsum quoq; peccatum primi parẽtis esse causam reprobationis omnium eius posterorum, quoad vtrumq; effectum: in quo etiam vtroq; posteriori capite Catholici omnes à Caluino eiusque asseclis superius relatis dissident. Iam eius, quæ de cætero supereſt, controuersiæ, an detur ex parte reprobi causa totius reprobationis, quoad vtrumq; effectum, bona pars est de nomine potius, quam de re ipsa, vt rectè etiam notauit Vasquez disp.95.c.5.n.20. Suppositis autem iis, quæ de duplici reprobatione, & vtriusque effectibus disputauimus dub. 2.& 3, sententiam nostrã sequẽtibus assertionibus in hunc modum declaramus.

18 Assertio I. Reprobationis negatiuæ à gratia congrua electorum propria, seu reiectionis ẽt absolutæ à prima gratia congrua; seu quod idẽ est, primæ permissionis peccati ipsi reprobi, ob quod damnabitur, siue de paruulis sermo sit, siue de adultis, nulla datur causa ex parte reprobi. Ita habet communis ac propemodum certa sententia omnium authorum, quos pro prima & tertia sententia citauimus, speciatim Suarez hic lib.5.c.5.& Vasquez disp.95.c.5.nec in re dissentit Molina cit.q.5.disp.3. licet verbo tenus repugnare videantur nonnulli recentiores, qui cum negent, in nostra potestate esse prędestinari ad gratiã congruam, dicunt tamen in nostra esse potestate non prædestinari: & citant pro eadem sententia Henricum Gandauensem, Bonauenturam, & Alensem apud Vasquez cit. disp. 95. num. 53.

Sed probatur assertio primò, ex Scriptura Rom.9. v.11. *Cum n. nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (vt secundum electionem propositũ Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau aũt odio habui.* Qui locus iuxta cõmunem Augustini ac Doctorũ interpretationem, typũ exhibet electorũ & reproborum, vt dictum supra q.5.dub.4. Dicitur aũt Deus odio habuisse Esau, ante omnia præuisa merita, secundum quasi effectum, seu interpretatiuè, nimirũ non ita diligendo, vt optimè declarauit S. Thomas hic q.23.a.3.ad 1. Qualem sensum inter alios ẽt reddunt illa Scripturæ loca Matth. 6. *Aut vnum odio habebit*; Luc.14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, &c.* Ioan.12. *Qui odit animam suam.* &c. Præterquam quod S. Thomas 1.cont.gent.cap.90.& 1.p.q.20.a. 2.vniuersim negat, Deum propriè loquendo vllum hominem odisse, de qua re plura Molina q.23.a.5.d. 3. Suarez hic lib.5.c.4.n.12. licet aliter de hac re differat Vasquez disp.95.cap.8. quasi illud, *Odio habui*, non referatur ad illud, *Antequam quicquam boni vel mali egissent &c.* quod repugnat communi sensui Patrum & interpretum, ipsique contextui verborum.

Huc ẽt referri potest illud Apostoli ibidẽ Rom.9. v.18. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat*: scil. negando auxilium gratiæ congruæ, vt pluribus Suarez ibid.c.4.n.9.& consentit Vasquez disp.95.n. 56. Quanquã hic locus magis accõmodatè iuxta literam ad negationẽ secundæ gratiæ cõgruæ refertur; non quod vniuersim nulla detur causa, sed quod ex peccatoribus Deus suo arbitratu indurat quos vult, alios liberat, quos vult; cum nulla huius complexi detur causa, quare ex peccatoribus Deus hunc potius, quam alium induret, negando ei gratiam congruam, vt dictum supra q.4. dub. 1. 19

Secundò probatur ex S. Augustino lib. 1. ad Simplicianũ q.2.& lib.11.de Gen.ad lit.c.10. & de prædest.& grat c.15.& 16.& passim l.de prædest.Sanct. & de bono perseuer. & Prospero de vocat. gẽt.c.21. quibus locis absolutè isti videntur docuisse, nec prædestinationis, nec reprobationis causã ex parte nostra dari; sæpiusq; inculcant illa Apostoli; *An non potestatem habet figulus facere aliud vas in honorẽ, aliud in contumeliam. &c.* Item, *O altitudo. &c.* quæ quantũ ad reprobationem attinet, saltem de reiectione à prima gratia congrua verificari debent. Vide quæ in hunc sensum retulimus ex Augustino supra cit.q.4 dub. 1.

Tertiò probatur ratione. Primò; quia prima permissio peccati, & negatio primæ gratiæ congruæ, præcedit omne peccatum reprobi, saltem quod sit causa eiusmodi negationis vel permissionis, ex dictis dub. præced: Ergo nullum in eo peccatum, adeoque nihil omninò potest in eo esse causa reprobationis negatiuæ, respectu primæ gratiæ congruæ. 20

Secũdò si esset aliqua eiusmodi causa, esset vel peccatum originale, vel peccatũ primi parẽtis, ex dictis: neutrũ dici potest: quia vtriusq; ẽt permissio est effectus reprobationis negatiuæ, ex dictis dub. præced. Accedit quod neutrũ est in potestate hominis; vt saltem hac ratione non possit assignari aliquid in potestate reprobi situ, quod sit causa huius reprobationis. Deniq; peccatum primi parentis non est aliquid in ipso homine, vt bene Vasquez: Ergo etiamsi hoc esset causa primæ permissionis peccati actualis in repro-

bo, non tamen ideo pro eius rei causa assignaretur propriè aliquid ex parte ipsi⁹ reprobi: originale peccatū verò in plerisq; reprobis iam supponitur remissum, priusquam in peccatū aliquod actuale incidant; non ergo potest esse causa in eis permissionis primi peccati actualis, seu negationis primæ gratiæ cōgruæ ab eo præseruantis; quicquid authores illi pro secunda sentētia secundo loco relati dixerint: quandoquidem absurdum planè videtur, peccatum originale, quoad pœnas æternitatem necessariò spectantes, non æqualiter omnibus remitti, vt bene etiam notarunt Bannes hic art. 5. & Vasquez d. 95. cap. 1.

21 Tertiò. Ipsius prædestinationis & applicationis ad primā gratiā congruam, nō datur causa ex parte reprobi; Ergo nec reprobationis seu remotionis ab eadē gratiā: quia alioquin ēt assecutio & prædestinatio ad eandē esset in nostra potestate: numquam n. negatio seu priuatio formæ est in nostra potestate, nisi ēt forma sit in nostra potestate; nec n. possumus pro libitu carere lumine; nisi possimus ēt pro libitu nō carere, quod est habere lumen. Quare meritò Vasquez cit. disp 95. n. 55. oppositam sententiā superius hac assertione relatā his verbis redarguens ait: *Non possum non mirari horū Doctorū sententiā; qui cū affirment, non esse in alicuius potestate prædestinari, quia nō est in alicui⁹ potestate gratia peculiari præueniri; nihilominus dicāt, esse in nostra potestate, non prædestinari, hoc est, gratia illa peculiari non præueniri: cū eadē omnino sit vtriusq; ratio. Nam quamuis cuiq; nostrū liberū sit potestate antecedente, cuiuis vocationi ēt congruæ resistere, & ita in nostra sit potestate, vt vocatio nobis collata ad prædestinationē, aut ad non prædestinationem pertineat* (de quo alibi) *tamē vt ibidem dicebamus, in nostra potestate non est, ea gratia præueniri aut nō præueniri, quā Deus nouit in nobis effectū habituram &c.*

Sed obiiciūtur primò illa Scripturę loca, quib. docetur, Deum ex se voluisse salutē nostrā, ex nobis aūt ortū habuisse damnationem nostrā, Ezech. 18. Oseæ 13. 2. Pet. 3. In quem sensum ēt sæpe loquuntur alii Patres, in primis Prosper, l. 2. de vocat. gēt. c. 12. & 19. & Augustinus lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 17.

22 Respondetur cum Vasquez cit. disp 95. c. 9. hęc nihil obstare prædictæ veritati: inde n. solū colligitur, Deum omnibus offerre gratiam sufficientem, qua possint saluari; & siqui per eam non saluentur, atque etiam gratia vlteriore adiuuante careant, ex ipsorum id culpa accidere: non autē est necesse, vt acquisitio primæ gratiæ congruæ sit in hominis potestate, aut omnibus offeratur; quandoquidem ea non est necessaria ad hoc, vt homo possit saluari; licet sit necessaria ad hoc, vt reipsa saluetur.

Obiiciuntur secundò quædam loca Augustini, vt cum lib. de perseuer. cap. 8. inquit: *Qui liberatur, gratiam dilegat, qui nō liberatur, debitum agnoscat.* Et lib. de prædest. Sanct. c. 14. ait: *Gratia Dei gratis datur, cui datur; iusto aut iudicio non datur cui non datur*: quod ipse sæpius repetit; & transumpsit ex eo Prosper lib. ad capit. Gall. obiect. 7. Respondetur, Augustinum loqui de hominibus iam infectis peccato originali, siue de iis, qui peccarunt in Adamo; & hoc peccato supposito, rectè quidem ex eo, non ex peccato aliquo personali reprobi, assignatur causa subsequentis derelictionis à Deo, seu negationis gratiæ congruæ, tum liberantis ab eodem peccato, tum præseruantis à nouo peccato actuali: sed quia illud ipsum peccatū Adami non est in potestate propria reproborū, nō ideo efficitur, in eorū potestate esse gratiā congruā prædestinatorum propriā, vt bene Vasquez n. 60. præterquā quod permissio ipsi⁹ ēt peccati originalis, & Adami, ad effectum reprobationis pertinet, vt dictū dub. 2.

Obiicitur tertiò speciatim loc⁹ Prosperi 3. resp. ad capit. Gall. vbi ait: *Non necessitatem puniēdi habuerunt, qui a prædestinati non sunt; sed ideo non prædestinati, quia tales futuri ex volūtaria præuaricatione præsciti sunt.* Similia habet resp. 7. Respondeo cū Suarez hic lib. 5. c. 5. n. 7. & Vasquez cit. disp. 95. n. 61. Prosperum hoc loco pro termino positiuo vsum esse termino negatiuo; nimirum, *non prædestinati, pro reprobati*: siquidem & ex illa ipsa vocula puniendi, & ex contextu constat, eum loqui de reprobatione positiua. 23

Quod verò ad Scholasticos Doctores attinet, quos oppositæ sententiæ authores pro se citant, bene respondet Vasquez cit. d. 95. n. 64. *Non miror, si Bonauētura, Alexander, & Henricus fateantur, esse in nostra potestate nō prædestinari, quando ipsi iuxta varios modos dicendi alibi relatos, affirmant, ex nobis esse causam, aut conditionem, vt simus prædestinati. Miror tamen hos recentiores, qui cum fateantur oppositū, &c. neq; vllo modo prædestinationē in nostra esse potestate, affirmant nihilominus, in nostra potestate esse, & ab ea pendere, non esse prædestinatos: cum tamen vtriusque eadem sit ratio,* vt dictum.

Ex quib. ēt colligitur, primā gratiā congruā, peculiarē, & propriā p̄destinatorū, in cuius denegatione cōsistit nō p̄destinari, non denegari nobis culpa nostra, vt bñ ēt Vasquez d. 95. n. 59. 60. 61. ex cōmuni. 24

Assertio II. Sed neq; reprobationis, negatiuæ à gloria, datur vlla causa ex parte reprobi; neque in paruulis, neque in adultis. Hæc assertio non est tam certa, quam præcedens: est tamen cōmunis omnium eorum, qui docent, prędestinationem ad gloriam, tā in hominibus, quam in Angelis factam esse ante præuisionem futurorum, seu mediorum, quos retulim⁹ supra q. 5. dub. 3. & hic dub. præced. ag ētes de reprobatione negatiua; speciatim autem ita docet cum Scoto, Bassole, Cordubensi, omnibusque Thomistis recentioribus, Suarez lib. 5. de prædest. cap. 5.

Ratio sumitur ex dictis dub. præced. Quia in eodē instanti quidam sunt electi, & alii non electi; nam eo ipso quod quidā electi sunt, alii non fuerunt electi; alioqui nulla esset electio; si non esset aliquorū, p̄ aliis non electis: Ergo cū electi sint illi ante præuisionem mediorū, & eorū, quæ circa ipsos essent futura, ēt isti in eodem instanti necessario fuerunt non electi, ante præuisionem itidem futurorum, quæ circa ipsos essent euentura; adeoq; ante pręuisionem peccatorum ipsorum: Quo fit, vt nulla possit ex parte ipsorū assignari causa non electionis; talis n. causa alia esse non posset, quā præuisa ipsorum peccata. Et cōfirmatur. Quia præuisio demeritorum, seu peccatorum in reprobis, non fuit prior in mente diuina, quā præuisio meritorum in electis: cum potius demerita reproborum, sint propter electorum merita, in genere causæ finalis; omnia enim electis cooperantur in bonum: Ergo si illi sunt electi absque meritorum præuisione, etiam alii fuerunt non electi absque præuisione demeritorum. Denique Deus nemini quicquam debens, sicut voluit benignè aliquos eligere ad gratiam & gloriam, ita sine iniquitate potuit alios non eligere: Ergo ita factum est; cum hoc 25

per

per se ad ostendendam gratuitam Dei benignitatem erga electos sit aptissimum.

26 Neq; verò huic assertioni aduersantur alii, præter illos, qui cum negent, Deum prædestinasse saluandos ad gloriam ante præuisionem meritorum, simul etiam reprobationem illam negatiuam à gloria in eodem instanti factam penitus negant; quorum fundamenta partim superius quæst. 5. dub. 5. partim hic dub. 1. refutauimus.

Assertio III. Idem dicendum de actu positiuo diuinæ voluntatis non præeligendi reprobos ad gratiã vel gloriam. Ita consequẽter & proportionaliter vel de gratia, vel simul ẽt de gloria sentiũt omnes authores citati pro assert. 1. & 2. speciatim Suarez hic cit. lib. 5. c. 5. Ratio est. Quia cum ex veriori, eum actum positiuum diuinæ voluntatis admittendum esse, ex Scoto, & aliis docuerimus; & verò nihilominus eadem sit moraliter huius actus positiui ratio in Deo, quæ est ipsius negationis eligẽdi ad gratiã vel gloriã; cũ & in effectu, & ex parte obiecti planè coincidant, fieri non potest, vt voluntas hæc nõ eligendi causam ex parte reprobi habeat, si ipsa non electio causã non habeat. Vti tñ Vasquez, & alii contra secundã assertionem relati, non agnoscunt vllam reprobationem negatiuam à gloria, quæ facta sit absq; causa, & ante præuisionem demeritorum; ita etiam consequenter negant, in Deo fuisse voluntatẽ non eligendi ad gloriam, absq; causa ex parte reprobi, & ante præuisionem demeritorum; sed quorum fundamenta iam alibi sunt refutata, vt in fine assert. 2. diximus.

27 Assertio IV. Nihilominus tñ reprobationis positiuæ, ac propriè dictæ à gloria; sicut & absolutæ reiectionis ac exclusionis à gloria, absolutæq; voluntatis non dandi gloriam, datur causa ex parte reprobi; ita nimirum vt ante præuisum peccatum Deus non habuerit absolutum decretum excludendi à regno cælesti aliquam intellectualem creaturam. Ita docent omnes authores secundæ & tertiæ sentẽtiæ, eandẽq; assertionem cum S. Thoma q. 6. de verit. a. 1. ex instituto tuentur Molina hic q. 23. a. 3. Suarez lib. 5. c. 3. & 4. Vasquez disp. 95. cap. 5. & 6. & cõmunis Theologorum, speciatim Scotus in 1. d. 41. q. 1. vbi ait, *sine crudelitate* non posse aliud cogitari: quem sequitur Bassolis in 1. d. 40. q. 1. Catharinus quoque lib. 2. de prædest. oppositam sententiam dicit esse *horribilem, & omnium piorum aures verberare, ipsumq; Augustinum eam vt impiam detestari* lib. 6. Hypognost. & Vigueri[9] Instit. Theolog. cap. 20. §. 8. v. 2. dicit sententiam illã *diuinæ iustitiæ repugnare.* Alii, esse *Caluinistarum atrocem sententiam.* &c. Quæ & plura alia cum retulisset Suarez lib. 5. cap. 3. n. 6. subiungit: *Quæ non ideo refero*, inquit, *vt has omnes exaggerationes & censuras approbẽ, & meas faciam* (earum enim iudiciũ aliis permittõ) *sed solum vt sensum Catholicorum Doctorũ proponã.* Prudenter quidem, quia reuera hæc sententia quorundã Scholasticorum, quam citati authores insectantur, ab impia & execrabili Caluinistarum sententia, dãnata in Concilio Tridentino sess. 6. can. 17. plurimũ distat: præterquam quod moraliter eiusdem ferè rationis esse videtur, absolutè reiicere à gloria, & absolutè reiicere à prima gratia congrua; quod tñ Deum ex se facere, vix potest negari, vt dictum assert. 1. Satis est ergo dicere, oppositam sententiam eorũ, qui docent, absolutam reiectionem à gloria factam esse in eodem instanti, in quo cæteri sunt primò electi ad gloriam, ante præuisionem futurorum, non videri probabilem.

Probatur assertio primò ex Scriptura, dum absolutè docet, Deum ex se omnes velle saluos fieri; neminẽ velle perire; per eũ non stare, quo minus omnes salui fiant; item neminem punire velle innocentem, vt videre est Ezech. 18. Osee 13. 2. Pet. 3. Speciatim huc facit illud Sap. 12. v. 1. *O quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus! Ideoq; eos qui exerrant partibus corripis; & de quibus peccãt, admones & alloqueris.* Et versu 14. *Neq; rex, neq; tyrannus in cõspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti. Cum ergo sis iustus, iustè omnia disponis: ipsum quoq; qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute.* Ita habet emendata lectio, non sensu contrario, prout antea à nonnullis hic locus obiiciebatur. Idem patet ex illo Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium.* 28

Probatur secundò ex Patribus. Hæc enim est manifesta doctrina Augustini epist 105. & lib. de prædest. Sanct. cap. 10. & de bono perseu. cap. 8. & 18. & alibi passim. Certè lib. 1. ad Simplic. q. 2. ait: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit; sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, nisi vocatione contempta fieret reprobus.* Et epist. 106. ad Paulinum, ait: *Quenquã verò immeritum, & nulli peccato obnoxium, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Et lib. 3. cont. Iulianum cap. 28. *Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquã sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Est autem iuxta Augustinum damnatio quædã, ipsa etiam absoluta exclusio seu reiectio à beatitudine. 29

Idem docet siue Augustin[9], vt citat Vasquez d. 95. n. 26. seu quisquis est author lib. 6. Hypognost. vbi dicitur: *Quia verò iustus, & misericors Deus, præsciusq; futurorum, ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ, quos præscit, misericordia gratuitã præparat, id est, prædestinat ad æternã vitam; cæteros aũt pœna punit, quos ideo punit, quia quid esset futuri præsciuit, non tamen ipse fecit puniendos vel prædestinauit.* Et ibidem post med. *Tenenda est inconcussa huius disputationis regula, quæ diuinis testimoniis claruit; peccatores in malis propriis, antequam essent in mundo, præscitos esse tantum, non prædestinatos; pœnam autem esse eis prædestinatam, secundùm quod præsciti sunt.*

Idem indicat Concilium Arausicanum II. can. 25. vbi dicitur: *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Quod repetit etiam Concilium Tridentinum sess. 6. can. 17. 30

Et Concilium Valentinum sub Lothario cap. 3. *Fidenter fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere meritũ bonum; in damnatione verò perituroru̇m, meritum malum præcedere iustum iudicium Dei.*

Idem docent Prosper resp. 3. & 7. ad Gallos, & resp. 11. ad Vincentium, & Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 26. vbi ait, *Notum est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Eodem pertinet doctrina communis Damasceni lib. 2. de fide. cap. 29. quando docet, Deum ex se non velle malum hominibus, sed ab ipsis prouocatum.

31 Ratio est. Primò, quia reprobare propriè dicit aliquem actum positiuũ, verumq; animi propositũ, & quidem non tale solum, quo quis apud se nudè cõstituat, non præeligere aliquem ad præmium certumue finem, sed quo quis tanquã indignum, ineptumq; eũ reiicit, atq; à tali præmio fineue quasi positiuè excludit, vt rectè notant Molina q. 23. a. 3. & Suarez hic lib. 5. c. 4. n. 8. sicut excludi à domo nõ dicitur, qui ad eius ingressum non destinatur, aut efficaciter nõ trahitur, sed qui obiecto impedimento, conatus ingredi prohibetur: nec reiici aliquis ab altiori schola, qui nunquam in examen de ascensu venit; nec reprobari instrumenta à fabro, quæ ad hoc vel illud opus non adhibentur: atqui velut indignus à gloria nemo potest excludi, nisi ob peccatũ finale, quo indignus gloria redditur: Ergo nemo positiuè ac propriè excluditur à gloria, nisi ob peccatum & demeritum suum.

32 Secundò. Quia in primo illo instanti, ante præuisionem futurorum, quo aliqui sunt electi ad gloriã, alii non electi, isti qui non sunt electi, non sunt absolutè reiecti à gloria; cum non obstante illa non præelectione, possint adhuc eligi, & verò etiam eligendi essent, si gratiæ finaliter bene cooperaturi, atq; in ea ex hac vita decessuri essent, vt dictum supra q. 5. dub. 4. & hic dub. 1. in fin. Absolutè verò à gloria reiecti & exclusi sunt tunc primum, quando præsciuntur extra statum gratiæ, ac in peccato mortali è vita decessuri: Ergo ratio & causa absolutæ reiectionis seu exclusionis, seu voluntatis reiiciendi à gloria, est peccatũ eorundem mortale præuisum, quale quale illud sit, vt dicetur assertione 6. Qui verò contrarium sentiunt, contrario nituntur fundamento, quasi non electi ad gloriam in primo instanti eo ipso sint absolutè reiecti à gloria, quod locis citatis refutauimus.

33 Assertio V. Sed & reprobationis positiuæ à gratia congrua, adeoque totius reprobationis positiuæ, & simpliciter dictæ, tam à gratia, quam à gloria, datur causa ex parte reprobi. Ita docent citati pro præced. assertione, & est communis Doctorum cum Magistro in 1. dist. 41. vbi docet, obdurationis dari causam & demeritum ex parte reprobi: etsi simul neget, reprobationis dari causam; addens Deum reprobare quos vult; seu quia loquitur de entitate absoluta actus diuini; seu potius quia tunc loquitur de reprobatione cum respectu ad omnes suos effectus, ex quibus etiam est prima permissio peccati, seu negatio primæ gratiæ congruæ, cuius nulla est causa ex parte reprobi, vt dictum assert. 1.

Ratio sumitur ex dictis dub. 1. & 2. Quia reprobatio positiua à gratia, est voluntas reiiciendi aliquẽ à gratia congrua, liberante à peccato contracto, velut indignum, seu voluntas obdurandi in pœnam peccati præteriti; at verò huius voluntatis vtique datur causa ex parte reprobi, ipsum scilicet peccatũ eiusdem antea commissum: vt patet etiam ex Scriptura, quæ in pœnam peccati homines obdurari docet, vt dub. 2. dictum. Neque his repugnat, quod Vasquez, & alii quidam sæpe dicunt, reiectionem vel etiam exclusionem à prima gratia congrua, fieri absque causa ex parte reprobi; quia aliud est reiectio à prima gratia congrua; seu prima permissio peccati; aliud induratio seu excæcatio: illa enim nullum peccatum supponit; hæc supponit peccatum, ob quod & in quo aliquis obduratur.

34 Dixi autem reprobationis positiuæ à gratia congrua, non autem simpliciter & absolutè reiectionis à gratia congrua; quia inter gratiam & gloriam hoc discrimen est; quod à gloria nemo simpliciter reiectus est in primo instanti, ante præuisionem futurorum, vt dictum: at verò à gratia congrua, ex veriori, in eo ipso instanti quisque absolutè reiectus est, in quo non est præelectus ad eandem; quia non datur instans posterius, in quo Deus paratus sit eligere ad gratiam congruam; neque quoad hoc est opus exspectare posteriorem euentum, dispositionis bonæ scilicet ipsius hominis; cum gratiæ cõgruæ præparatio & destinatio necessariò præcedat omnem bonam dispositionem re ipsa futuram: vt dictum supra cit. dub. 1. in fine. Ergo licet reiectionis absolutæ à gloria detur causa ex parte reprobi, non tamen reiectionis absolutæ à prima gratia congrua, vt sæpius etiam inculcat Vasquez cit disp. 95. cap. 9.

35 Assertio VI. Causa reprobationis positiuæ tum à gratia, tum à gloria, aliter explicanda est in paruulis, quam in Angelis & hominibus adultis, qui ob peccata personalia damnantur: quia omnes quidem reprobantur & excluduntur à vita æterna ob peccatum, quocum ab æterno præuidentur statum viæ concluſuri; attamen à gratia velut indigni non ob aliã causam reiiciuntur paruuli, quam quia peccarunt in primo parente; cæteri verò à gloria velut indigni reiiciuntur & reprobantur ob peccata sua personalia, in quibus ad finem vitæ seu viæ perseueraturi cognoscuntur: à gratia verò congrua liberante à peccatis, ob eorundem peccatorum perpetrationem præuisam. Ita colligitur ex Doctoribus citatis pro assert. 4 & 5. Idem sumitur ex lib. 6. Hypognost. citato, vbi cum auctor dixisset, *peccatores*, nempe adultos, *præscitos fuisse in malis propriis, atque ita pœnam eis prædestinatam secundum quod præsciti sunt*, mox subiungit; *paruulos quoque non renatos prædestinatæ pœnæ esse obnoxios* (sentiendum est) *qui præsciti sunt, non propriis voluntatibus, nisi tantum in Adæ peccato, quod traxerunt nascentes, & in hoc manentes soluerunt tempus vitæ præsentis.*

36 Ratio est: quia paruuli quidẽ indigni redditi fuerunt gratia & gloria, ob peccatum commune primi parẽtis, seu quia in ipso omnes peccauerunt, iuxta Apostolum, & communem doctrinam superius relatam: attamen nullo proprio ac personali peccato se indignos gratia reddiderunt, qua à peccato præseruarentur, aut liberarentur. Angeli verò, & adulti, aliis peccatis personalibus, ob quæ damnantur, se indignos gratia reddiderunt, adeoque causam dederunt, cur à gratia congrua deinceps velut indigni reprobarentur: quamuis illa exclusio Angelorum à gratia congrua, post lapsum, non fuerit effectus reprobationis, distinctus ab ipsa damnatione eorundem, cum immediatè post lapsum fuerint in termino & incapaces omnis gratiæ.

37 Neque tamen negamus, in adultis, præter peccata personalia, etiam idipsum peccatum quo in Adamo peccarunt, si nondum eis remissum fuerit, potuisse causam esse & obdurationis & damnationis: sed in quo à paruulis differunt, hoc est, quod semper peccata personalia habent, ob quæ damnantur; originale aliquando non habent.

Atq; ex dictis colligitur, omnes ferè sententias superius

perius recitatas aliquo sensu verum dixisse. Nam prima vera est de reprobatione negatiua, seu de reprobatione adæquatè accepta, in ordine ad omnes suos effectus collectiuè: secunda de reprobatione strictè ac propriè loquitur; eamque distinctionem vocis reprobationis tertia clarius exponit; vti etiam à nobis factum est.

38 Colligitur secundò, quodnam sit discrimen inter reprobationem & prædestinationem, quo ad causas vtriusque ex parte reprobi. Prædestinatio enim secundum vtrumq; suum effectum, & gratiæ, & gloriæ, etiam propriè accepta, nõ habet causam ex parte reprobi: quia id quod in ipso prædestinato est causa gratiæ vel gloriæ, est etiam effectus prędestinationis: at verò peccatum, quod est causa damnationis nostrę, non est à Deo, nec adeo est effectus reprobationis: quo fit, vt reprobatio positiua ab eadem gratia congrua & gloria habeat causam ex parte reprobi demeritum & peccatum ipsius. Et iure quidem; quia cum Deus sit infinita bonitas, rectè quidem ex se ipso destinat ad gratiam congruam & gloriam, nulla data causa ex parte hominis; vt ita misericordia eius prævenìat nos; at verò ex se ipso neminem repellit, & velut indignum à gratia aut gloria positiuè excludit; ne prius ille nos damnare, quam nos illum offendere dicamur; licet in hoc sit par ratio vtriusque, quod nec electionis, nec non electionis ad primam gratiam congruam vlla detur causa ex parte reprobi, vt dictum. Qui verò hac de re aliter loquuntur, ex dictis refelluntur.

DVBIVM IV.

Quo ordine ac processu, in mente diuina, fiat reprobatio; siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3.

1 ANtequam ordinem actuum ipsius reprobationis constituamus, supponendum prius, quinã sint, & quam varii actus ipsius reprobationis. Et quidem Molina q. 23. art. 5. disp. 3. tres actus diuinæ voluntatis ad reprobationem spectantes recenset; vt primus sit voluntas permittendi ea peccata, propter quæ ille damnabitur; cuius effectus est permissio eorundem peccatorum; secundus actus sit voluntas obdurandi peccatorem in iisdem peccatis; cuius effectus est obduratio: tertius est voluntas eundem damnandi; cuius effectus est æterna damnatio, vt fusius retulimus supra dub. 2. assert. 5.

Cæterum hæc partitio seu enumeratio actuum reprobationis non omni ex parte probatur: non solum quia reprobatio formaliter ad intellectum, non ad voluntatem pertinet, ex dictis dub. 1. sed etiam ob alias causas. Primò quia partitio illa non est sufficiens & adæquata; omittit enim reprobationem negatiuam à gloria, seu voluntatem simplicem non præeligendi ad gloriam; idque ideo, quia cum non agnoscat prædestinationem ad gloriam ante præuisa merita seu media, consequenter negat reprobationem negatiuam à gloria simul in eo instanti factam, vt dictum dub. 1. Deinde non satis idoneè distinguit actus reprobationis, in ordine ad negationem gratiæ congruæ, seu permissionem peccati; ne ob duration em rectè vniuersim condistinguit contra permissionem peccatorum, quam primo actui tribuit: quia obduratio prout est effectus reprobationis positiuæ à gratia, non solum respicit derelictionem in peccatis præteritis, sed etiam permissionem peccatorum subsequentium in pœnam peccati præteriti; qua ratione dicuntur homines dati à Deo in reprobum sensum, *vt faciant ea, quæ non conueniunt*, &c. & vt *qui in sordibus est, sordescat adhuc*, iuxta dicta dub. 2. Rectius ergo pro primo actu constituisset primam permissionem peccati, ob quod reprobus est damnandus: secundum, indurationem in eodem, seu etiam permissionem nouorum peccatorum in pœnam præcedentis peccati; tertium reiectionem à gloria, siue voluntatem damnandi.

Nos verò suppositis iis, quę de vario reprobationis 2
modo & effectibus diximus supra dub. 1. & 2. quatuor ad præsens institutum actus, aut quasi actus reprobationis distinguimus. Primus est, reprobatio negatiua à prima gratia congrua, præseruante hominẽ à primo peccato, ob quod damnabitur; quæ formaliter nihil aliud est, quã negatio seu omissio electionis seu prædestinationis ad eandem gratiã congruã: quò consequenter spectat etiam voluntas non prædestinandi ad eandem primam gratiam congruã; secundus est reprobatio positiua ab eadem gratia cõgrua non prima, seu præseruãte à primo peccato, ob quod reprobus damnabitur: sed à gratia congrua liberante ab eodem peccato, seu præseruante à posterioribus peccatis, ob indignitatem reprobi, contractam ex peccato præcedenti; tertius est reprobatio negatiua à gloria; quæ formaliter est nõ prælectio, seu non prædestinatio ad gloriam; quo spectat etiam voluntas non præeligendi ad gloriam; quartus est reprobatio positiua à gloria, quò spectat absoluta voluntas excludendi à gloria, & damnatio æterna.

Sed & præter hos actus iam recensitos, quib. essen- 3
tialiter peragitur reprobatio, pertinet ẽt aliquo modo ad reprobationem scientia visionis, seu præscientia absoluta de peccatis reprobi futuris, & ad finem vsq; vitæ seu viæ permansuris; qui actus qua ratione inter sese habeant, dubium est. De quare non minus variæ sunt Doctorũ sententiæ, quam in præced. dubitatione fuerunt adductæ, cum hæc ab eius resolutione pendeat.

Primò enim qui seuerius hac de re sentiunt, docẽt, Deum eundem ordinem seruasse cum reprobis, quẽ cum electis; adeoq; in eodẽ signo rationis, in quo in quosdam efficaciter elegit ad gloriam, voluisse ẽt & decreuisse absolutè ac simpliciter, vt alii non consequerentur gloriã. Quare sentiunt, in ipsa ẽt reprobatione negatiua à gloria, includi absolutam reiectionem seu exclusionem à gloria. Tribuitur Durando in 1. dist. 40. q. 2. n. 6. vbi hoc non reperitur, sed in 1. d. 41. q. 1. n. 6. & propendet Corduba lib. 1. q. 56. notab. 5. opin. 5. & quidam alii recentiores apud Suarez lib. 5. c. 3. n. 1. Alii hoc restringunt ad quosdam solũ reprobos. Alii dicunt, saltem post præuisum peccatum originale, Deum non habuisse erga omnes reprobos simplicẽ voluntatẽ, seu complacentiã, qua ipsos saluos esse vellet, sed potius erga nonnullos contrariã, qua ipsos vellet eiectos à regno, propter peccatum à

Digitized by Google

primo parente commissum, vel ab eis etiam contractum, etsi nondum præuisum esset à Deo in ipsis finaliter perseueraturum. Sed horum omnium sententia satis refellitur ex dictis dub. præced. assert. 4.

4 Secundò igitur ex iis, qui moderatius sentiunt, Scotus in 1. d. 41. q. 1. hunc ordinè in reprobandis & prædestinandis hominib⁹ assignat: In primo instanti, Deus nondum præuisis meritis vel demeritis, voluit Petrum V. G. beare, circa Iudam verò negatiuè se habuit: in secundo vocare statuit Petrũ, & gratiam suã congruam illi dare; at circa Iudam eodẽ modo negatiuè se habuit: in tertio præfiniuit permittere, vt Iudas laberetur in peccatũ, in eoq; perseueraret vsq; ad finem vitæ; quod simul ẽt ex vi illarum duarũ negationum futurum præuidit; in quarto prætuidens Deus vtriusq; exitum, decreuit Petro dare gloriam, & Iudã æterno supplicio punire. Eandem Scoti sententiam tuentur Suarez hic lib. 1. c. 8. & 12. & l. 5. c. 4. n. 9. Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. c. 15. & plerique; ex illis, qui prædestinationẽ ad gloriã factam docent ante præuisionẽ meritorũ. Conuenit aũt hæc sententia cum præcedenti; quod reprobationem negatiuam à gloria factam docet ante præuisionẽ meritorum, & simul etiam ante reprobationem negatiuã à gratia.

5 Illi verò, qui prædestinationem ad gloriam factam esse docent post præuisionem meritorũ seu mediorum, non solũ in eo à Scoto, & aliis pro duabus præcedentibus sententiis relatis, dissentiũt, quod reprobationem à gloria absolutè & omni modo posteriorem faciunt reprobatione à gratia congrua; non agnoscentes scilicet reprobationem negatiuã à gloria, quę sit prior reprobatione à gratia; sed consequenter ẽt vtrumq; ordinẽ actuũ antea relatum improbant: pro quo alium ipsi in hunc modũ constituunt, vt videre est apud Vasquez disp. 91. c. 2. In primo instanti Deus vtrisq;, tam reprobis quam saluandis, affectu simplicis cõplacentiæ, desiderauit beatitudinẽ: quoad actum verò efficacẽ voluntatis negatiuè se habuit erga reprobos (adde iuxta hanc sententiam, etiã erga saluandos.) In secundo instanti positiuè voluit permittere peccatum, adeoq; negare gratiam congruã reprobis; aliis verò eã dare. In tertio prœuidit peccata ad finem vitæ perseueratura in reprobis, in aliis perseueraturam gratiam. In quarto voluit his dare beatitudinem, illos ab ea excludere & damnare. Improbat etiam Vasquez circa Scoti opinionem speciatim, quod in primo & secundo instanti Deus solum negatiuè erga reprobos se habuisse dicitur. Sed vt bene aduertit Suarez lib. 5. cap. 4. n. 5. Scotus in eo primo & secundo instanti non excluſit actum simplicis cõplacentiæ, nec actum seu voluntatem quasi reflexã, non eligendi illos ad gratiam vel gloriam: sed actum voluntatis efficacem, vt superius dub. 1. diximus.

6 Omitto etiam seriem illam instantium, à nonnullis recentioribus traditam, & superius q. 6. dub. 10. relatam, in qua tam prædestinatio ad primam gratiã congruam, quã reiectio ab eadem, solo Dei arbitratu facta, penitus tacetur & prætermittitur; ne videlicet in ea serie quicquam constituatur, vnde fateri necesse sit, primum principiũ ac fontẽ totius prædestinationis ac salutis nostræ, in solo Dei arbitratu, ante omnẽ meritorum seu cooperationis nostræ prœuisionem, constituendum esse; cum tamẽ negari minimè possit, primam eiusmodi gratiam congruam Deum & prædestinare, & denegare quibus vult, solo suo arbitratu, vt ex communi & certa ostensum est assert. 3. dub. præced. & supra q. 6. dub. 1. Vnde ẽt constat, ab ea gratia congrua totius nostræ salutis summam & originem primariò & infallibiliter pendere; cuius proinde in hac instantium serie cum primis habenda erat ratio; vt plane constaret, quo ordine ac processu salutis nostræ procuratio, vel etiam reiectio ab eadem, in diuina mente perageretur.

Omitto denique etiam eorum sententiam, qui vti nullum ordinem inter prædestinationem ad gratiam & gloriam, & meritorum prœuisionem constituunt, ita si consequenter loqui velint, etiam nullam instantium seriem inter reprobationem à gratia & gloria & præscientiam demeritorum constituere possunt, quos superius q. 6. dub. 2. refutauimus.

7 Iam verò vt iuxta nostram præcedentibus dubiis explicatam certi aliquid statuamus, hæc velut principia ex dictis supponimus: I. Voluntatem absolutam reiiciendi, excludendi, reprobandi à gloria, seu non conferendi gloriam, supponere præscientiam peccatorum, ad finem vsq; vitæ perseueraturorum; vti etiam Gregorius de Valentia, Molina, Suarez, Vasquez, & omnes quos noui, Societatis nostræ Doctores fatentur, contra primam sententiam, ex dictis dub. præced. assert. 4.

II. Voluntatẽ quoq; obdurandi in peccato perpetrato, supponere prescientiam eiusdem peccati, non quidẽ vt ad finem vsq; vitæ perseueraturi; hæc enim permansio requirit & sequitur obdurationem velut conditionem sine qua non; sed vt simpliciter futuri: quod ex communi rectè etiam tradidit Molina q. 23. a. 5. disp. 3. & constat ex dictis dub. præced. assert. 5.

8 III. Voluntatem permittendi primum peccatum reprobi, ob quod damnabitur, non supponere scientiam absolutam vllius peccati futuri, sed solum conditionatam: secus est, si loquamur de voluntate permittendi consequentia peccata, quę in pœnam non nunquam peccati præteriti permittuntur, iuxta Scripturam Exod. 7. & Rom. 1. ex dictis dub. præced. assert. 1. & 5.

IV. Si de nuda omissione electionis ad gloriam, vel etiam de voluntate non eligendi ad gloriam, aut non conferendi primam gratiam, seu quod idem est, de reiectione ab eadem prima gratia cõgrua loquamur, eam factam esse ante præscientiam absolutam peccati, adeoq; sine culpa ipsius reprobi; eius enim nulla datur causa ex parte reprobi, vt dictum dub. præced. assert. 1. ex certa & communi.

9 V. Reprobationem negatiuam à gloria, secundũ rationem, priorem esse reiectione à prima gratia cõgrua; è contrario reprobationem positiuam à gloria esse posteriorem reiectione à gratia. Vtrumq; cõstat ex dictis dub. 1. & 3. Quia reprobatio negatiua à gloria facta est in eodem instanti, in quo facta est prædestinatio ad gloriã; reiectio itẽ à gratia congrua facta est in eod. instanti, in quo alii electi sunt ad gratiã cõgruam, vt dictũ dub. 1. at verò prædestinatio ad gloriã facta est ante prædestinationẽ gratiæ & meritorũ, ex dictis supra q. 6. dub. 4. Ergo & non electio ad gloriam facta est ante non electionem seu reiectionem à gratia congrua. E cõtrario verò reprobatio positiua à gloria, facta est post prœuisionẽ peccatorũ finaliter permansurorum, prœuisio autẽ, vti & futuritio ipsa

eius-

eiusmodi peccatorum, ob quæ reprobus damnatur, facta est primum post reiectionem à gratia congrua; cum peccata illa hanc reiectionem veluti conditionem supponant; si enim reprobi non fuissent reiecti à gratia congrua, non contraxissent peccatum, aut saltem non permansissent in peccato, ob quod damnabuntur. Ergo reprobatio positiua à gloria ratione posterior est reprobatione seu reiectione à gratia congrua.

10 VI. Prædestinationem proinde tum ad gratiam congruam, tum ad gloriam, priorem fuisse in mente diuina, positiuâ reprobatione, tum ab eadem gratia, tum à gloria: De reprobatione à gloria constat. De reprobatione positiua à gratia congrua patet ex dictis: quia hæc facta est in pœnam peccati, adeoque post præuisionem peccati, ad quod vindicandum Deus reprobum voluit obdurare: prædestinatio autem ad gratiam congruam, vti & reprobatio negatiua ab eadem, facta est ante præuisionem meritorum aut demeritorum, vt antea dictum. Atque hoc sensu rectè absolutè cum alijs docent Vorrilong in 1. d. 41. a. 2. & Eckius cent. 4. num. 87. in diuina mente prædestinationem fuisse priorem reprobatione.

11 Ex quibus denique totum negotium in prædestinandis & reprobandis hominibus, sic ordinari debet. In primo instanti, Deus omnibus tam reprobis quam saluandis voluntate simplicis complacentiæ, his verò etiam actu efficaci voluit gloriam: circa reprobos autem quoad eiusmodi actum negatiuè se habuit; licet simul eam ipsam negationem volendo, voluerit eos non eligere ad gloriam. Secundò efficaciter voluit electis gratiam congruam, & media salutis æternæ reipsa profutura: circa reprobos verò eiusmodi actum non habuit, volens potius ipsis non conferre gratiam congruam, sed eam quam solum fore sufficientem per scientiam mediam cognouerat; qua ratione simul etiam voluit permittere peccata reproborum. Tertiò vidit scientia visionis malos sua culpa non cooperaturos gratiæ destinatæ, sed quouis modo peccatum contracturos, cumque eo finaliter decessuros; contrarium prævidit de electis, nimirum aut non peccaturos, aut certè in eo non finaliter perseueraturos. Quartò voluit Deus reprobos punire, ob eiusmodi peccata præuisa, in hac quidem vita, si peccator adultus esset, derelictione, & quandoque aliorum peccatorum permissione, qua in reprobum sensum dati, à suo fine magis alieni futuri essent; post hanc autem vitam, æterna pœna, seu damni & sensus simul, si peccata essent personalia; siue damni solius, si originale tantum: quoad electos autem suppositâ præuisione perseuerantiæ eorundem, locum hic habet voluntas executiua, reipsa conferendi eis præmium vitæ æternæ, ob præuisa merita seu præuisam perseuerantiam, vt dictum q. 5. dub. 10. Atque assignatus hic ordo nec Angelos quidem excludet, si in quarto instanti pœnæ huius vitæ secludantur: cum Angeli statim post primum peccatum fuerint in termino, & pœnæ æternæ addicti.

12 Cæterum contra hanc doctrinam obijcitur, reprobationem negatiuam à gloria, æquipollere reprobationi positiuæ seu absolutæ reiectioni à gloria: Ergo si illa facta est in primo instanti, ante præuisa demerita, idem etiam de hoc dicendum erit.

Antecedens probatur I. quia prædestinatio illa à Deo in primo instanti facta est, vt impleatur mensura illa certa prædestinatorum, quam exigit proportio, quam habere numerus ille debet cum vniuerso, ex dictis cum S. Thoma q. 6. dub. 2. Ergo cum in eo instanti impletus sit numerus, non erit locus prædestinationi aliorum, vti in Architectonica circa lapides; & in conuiuio nuptiali, designatis hospitibus iam repleto accidit.

II. Deus ex vi illius prædestinationis in primo instanti factæ, certus est, neminem reliquorum fore saluandum; Ergo cæteri ex vi huius decreti, seu omissæ prædestinationis, absolutè sunt excluſi.

III. Ex vi illius prælectionis in primo instanti factæ prouenit, vt Deus circa omnes alios velit se habere negatiuè, & non dare illis gratiam congruam, nec præfinire illis perseuerantiam: Ergo in illa electione erga aliquos, & omissione erga cæteros, hi absolutè censentur excluſi.

IV. Negatiua illa reprobatio æquipollet quodammodo tali diuinæ voluntatis decreto: Volo antecedente mea voluntate, pleroſque hominum, non præuiſo vllius peccato, non admittere ad gloriam, & supernaturalem beatitudinem: id quod parum videtur differre à Caluinianorum decreto, quo Deo negatur vniuerſalis erga omnes saluandos, & seria voluntas, & reprobis consequendi salutem facultas, libertaſque arbitrij. 13

V. Deus in primo illo instanti voluit omnes saluandos prædestinare: Ergo qui in illo instanti non sunt prædestinati, non saluantur; ac proinde iam sunt absolutè excluſi. Quæ argumenta quamuis etiam aduersus prædestinationem ad gloriam ante præuiſa merita, & vniuersim adeo etiam contra reprobationem negatiuam à gloria à nonnullis obiecta sint, tamen commodè hoc loco iam explicatâ reprobatione negatiua, eiuſque causis, & ordine, diſſoluentur.

Respondeo igitur ad argumentum, negando antecedens. Ad primam probationem respondetur, proportionem illam numeri electorum non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem, ex dictis supra quæst. 6. dub. 2. Idem dico de mensura cœlestis ædificij, & numero nuptialis conuiuij: ad quæ tametsi quidam ab initio præ alijs fuerint prælecti, restat tamen facultas tam ex parte Dei, & magni illius Architecti, quam ex parte ipsius loci, seu palatij & triclinij, quosdam etiam alios præterea adijciendi, si accedere non renuant. Aliud est, quando inter homines ipsius ædificij; aut conuiuij destinati ratio non patitur, plures adijci, præter eos lapides, aut conuiuas, qui gratis & ab initio à Magistro vtriusque fuerunt prælecti, vt dictum etiam supra quæst. 5. dub. 5. ad obiect. 1. 14

Ad II. probationem negatur antecedens; nam ex sola illa prælectione certus non est Deus, an non plures sint accessuri: ea enim non obstante, etiam in sensu composito, plures accedere possunt, si ad finem cooperari gratiæ oblatæ velint, vti possunt; quo facto paratus est Deus, etiam stante priore prædestinationis decreto, istos etiam insuper prædestinare ad gloriam; vt dictum q. 6. dub. 4. & supra dub. 1. Dices: Deus saltem per scientiam mediam cognouit, si illos 15

in primo instanti prædestinaret, cæteros non fore saluos; sicuti cognouit, cæteros non fore saluos, si in eo instanti, in quo Deus aliquos prælegit ad gratiam congruam, illos præteriret. Ergo saltem ex vi illius primæ prædestinationis, accedente scientia media, certus est Deus, neminem reliquum fore saluandum. Respondeo negando antecedens. Nam prælectio aliquorum ad gloriam, nihil facit ad exclusionem aliorum ab eadem gloria, sicut prælectio aliquorum ad gratiam congruam, facit consequenter saltem ad exclusionem aliorum ab eadem gratia congrua.

Ratio diuersitatis est. Quia Deus habet duplicem facultatem prædestinandi ad gloriam, vnam ante præuisionem meritorum; alteram, post præuisa merita; quorum illa huic nihil derogat, vt dictum est quæst. 6. dub. 4. at verò non habet duplicem facultatem prædestinandi ad primam gratiam congruam. vnam ante præuisa merita, alteram post præuisionem meritorum: quia impossibile est, primam gratiam dari aut prædestinari ex meritis; si enim ex meritis, iam non esset gratia; proinde non electio gratuita ad gratiam congruam inuoluit absolutam reiectionem ab eadem gratia congrua; secus est de non prædestinatione gratuita ad gloriam, seu de reprobatione negatiua à gloria, vt fusius dictum supra dub. 1. Vbi etiam notandum, Deum non habere præscientiam mediam omnium futurorum contingentium sub conditione, si conditio disparata sit, nisi conditio illa accipiatur adæquatè & secundum omnes conditiones, cum quibus futurum reipsa connexum est; vt dictum disp. 2. q. 8. dub. 5. qualis conditio in proposito etiam est, quod Deus neminem sit prædestinaturus in aliquo signo posteriori; quæ tamen conditio hoc ipso quod posterior est, & à signis posterioribus dependens, in primo signo impleta dici non potest.

16 Ad III. probationem respondeo, negando antecedens: quia etiam stante prælectione aliquorum ad gloriam, Deus æquè potest etiam cæteris velle gratiam congruam in posteriori instanti: hoc solum discriminis est inter vtrosque, quod illis ex vi ipsius primæ prælectionis quodammodo debet gratiam congruam, velut vlcum medium necessarium ad consequendum finem efficaciter in priori instanti intentum; his autem, ex vi quidem præcedentis eiusmodi electionis & intentionis, non debet; at potest tamen etiam, si velit, destinare gratiam congruam; sicut aduersarij dicunt, omnem gratiam congruam reipsa esse destinatam, ante efficacem voluntatem conferendi gloriam.

Ad IV. probationem negatur itidem antecedens, non enim æquipollet negatiua illa reprobatio decreto illi, quod in argumento obijcitur, sed solum huic: Volo antecedente mea voluntate pleroſque hominum, non præuiso vllius peccato, non præeligere gratis ad gloriam; seu non destinare in hoc ipso quidem primo instanti ad gloriam; manente tamen facultate & voluntate saltem implicita prædestinandi etiam plures, in posteriori aliquo instanti, ex præuisis meritis, si ipsi sibi non essent impedimento: prælectio enim illa gratuita aliquorum non tollit, aut impedit facultatem aut voluntatem etiam prædestinandi alios, ex præuisis meritis, si qui merita eiusmodi adferrent, vt sæpius dictum.

Ad V. respondetur, propositionem illam, Deus voluit in primo illo instanti omnes saluandos prædestinare; dupliciter intelligi posse, primò cum præcisione; secundò cum exclusione aliorum. Priori modo sensus est, Deus voluit in eo instanti sigillatim omnes & singulos istos, qui modò saluantur, prædestinare; non habendo tamen voluntatem absolutè excludendi alios, qua nimirum absolutè nollet etiam in sequenti instanti aliquos prædestinare, si in gratia decessuri præuiderentur. Et hoc sensu concesso antecedenti, falsa est consequentia, vt patet. Posteriori modo hic sensus redditur, Deus voluit in primo instanti omnes saluandos prædestinare; ita vt absolutè nollet quenquam etiam in vllo posteriori instanti prædestinare, quicquid tandem ipse esset facturus. Et hoc sensu falsum est antecedens, ex dictis: quia non obstante prædestinatione in primo instanti, Deus habuit facultatem & voluntatem conditionatam, etiam prædestinandi alios, si in gratia decederent. 17

Dices. Attamen voluntate illa aliquos præligendi suppositâ, infallibiliter futurum est, vt nulli alij saluentur. Respondeo negando etiam hoc assumptum: nam ex suppositione sola illius prælectionis, hoc non sequitur, sed ex eo, quod ex reuelatione didicimus, eos qui modo saluantur, ex gratuita prædestinatione & prælectione saluari: reuelatio autem hæc posterior est illa prælectione; & præterea supponit futuritionem reuelatæ rei: proinde ex nulla sententia impedit, quò minus suppositò præcisè primi instantis decreto, etiam alij possint saluari; seu quò minus etiam in sensu composito saluatio aliorum cõiungatur non quidem cum ipsa reuelatione, sed cum prima illa voluntate præligendi alios, quandoquidem cum hac simul stare potest voluntas posterior, alios prædestinandi, ex præuisis meritis, vt sæpius dictum. 18

DVBIVM V.

An & quomodo reprobatio sit certa; & simul cum libertate arbitry consentiens.

S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. & 7.

ASsertio I. Certa & infallibilis est reprobatio, certusque reproborum numerus, non minus quam prædestinatorum: non tamen ex simili præfinitione Dei, sed potius ex præscientia. Ita S. Thomas hic q. 27. a. 7. vbi ait: *Certus est Deo numerus prædestinatorum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis præfinitionis. Non sic autem omnino est de numero reproborum, qui videntur esse præordinati à Deo, in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.* Consentiunt huic doctrinæ communiter alij Doctores cum Magistro in 1 d. 41. Ratio primæ partis est; quia scientia & voluntas Dei efficax, est certa & infallibilis: reprobatio autem ad scientiam & voluntatem Dei efficacem pertinet ex dub. 1. Secunda pars patet: quia Deus habet certam 1

& deter-

& determinatam cognitionem omnium futurorum; nec verò reprobi sunt infiniti.

2 Tertia pars dupliciter potest declarari; primò, quia prædestinatorum numerus per se & propter ipsosmet electos à Deo prædefinitus est; numerus autem certus reproborum determinatus est à Deo solum in bonum & commodum ipsorum electorum; quare illorum numerus prædefinitivè certus est, numerus autem reproborum non item; qui sensus colligitur etiam ex citatis verbis S. Thomæ, & clarius asseritur à Caietano ibidem, qui tamen nihilominus addit, considerando reprobos, *ratione subiecti*, siue naturæ, esse certum eorum numerum etiam *prædefinitivè*. Secundus sensus, & magis ad propositum, atque vt existimo, etiam ad mentem S. Thomæ pertinens est, quod numerum electorum Deus ex se, ante omnem præuisionem futurorum meritorum seu mediorum, præfinierit: reproborum autem numerum non definierit, ex seipso, ante præuisionem futurorum, sed post præuisionem futurorum demeritorum & perseuerantiæ in peccatis. Quod quidem vti loquendo de reprobatione positiua, quæ propriè & simpliciter talis est, verissimum est, ita ad reprobationem extendere negatiuam non est necessarium; etiamsi ex hoc, quod Deus ex seipso aliquibus negat gratiam congruam, sequatur infallibiliter, eosdem esse reprobos positiuè: nihilominus enim sicut ipsi reprobati positiuè non sunt nisi post præuisionem demeritorum, ita nec certus eorum numerus, qua tales sunt, à Deo decretus est, nisi post eandem præuisionem; adeoque ex præscientia, non ex prædefinitione, vt dictum.

3 Assertio II. Numerus reproborum absolutè videtur minor, quam numerus prædestinatorum. Colligitur ex dictis superius quæst. 6. dub. 2. & est sententia S. Thomæ in 1. d. 39. q. 2. a. 2. ad 4. vbi probabile censet, plures esse solos Angelos beatos, quam omnes damnatos, tam homines, quam Angelos simul sumptos. Ratio est. Quia licet inter homines multò plures sint reprobi, quam electi; tamen inter Angelos multò minor pars cecidit, ex communi; & quidem non supra tertiam partem, vt multi docent ex Apocal. 12. Ergo si vt communiter cum S. Dionysio cap. 14. cæl. hier. Gregorio homil. 24. in Euang. S. Thoma 1. p. q. 50. a. 3. creditur, absolutè longe est maior numerus Angelorum, quam hominum, valde credibile est, absolutè ex vtroque simul ordine hominum & Angelorum, multò plures esse electos, quam reprobos. Idem valde consonum est diuinæ bonitati, magis ad saluandum, quam damnandum propensæ. Quare autem plures inter homines, è contra inter Angelos pauciores damnentur, dictum est supra q. 6. dub. 2.

Dices. Ex hac assertione sequitur, aut non totam ruinam Angelorum per homines restaurandam, aut maiorem, quam tertiam partem inter homines fore saluam: vtrumque videtur absurdum, & à communi sensu Patrum & fidelium alienum. Sequela probatur. Quia ex cit. Apocal 12. vers. 4. tertia pars Angelorum cecidit, quæ longè maior est tertia parte omnium hominum ex dictis: ergo tertia pars omnium hominum non sufficit ad restaurandam totam ruinam Angelorum; ac proinde necesse est, aut plus quam tertiam partem hominum saluari, aut non totam ruinam Angelorum restaurari.

Ob hanc fortasse causam Suarez hic lib. 6. cap. 3. num. 7. de hac re nihil in vtramuis partem voluit affirmare. *Totam*, inquit, *hanc comparationem existimo nobis esse ignotam: quia neq; in Scriptura, neq; in Patribus aliquod principium habet, & coniecturæ non possunt esse nisi infirmæ: totum q; pendet ex illa quæstione, an numerus Angelorum, quem Deus creauit, sit maior vel minor, quam totus numerus hominum multiplicandus vsq; ad diem iudicij. In qua ego nihil certum, neq; satis probabile affirmare possum.* Ita Suarez. Sed nihilominus respondeo, negando sequelam. Ad locum Apocal. respondeti potest probabiliter, eum ad literam non loqui de Angelorum, sed hominum iustorum casu, qui per caudam draconis, hoc est, Antichristi operam, sub finem mundi seducentur, vt recentiores nonnulli interpretantur: etsi per accommodationem seu allegoriam etiam ad ruinam Angelorum accommodari possit; non quod planè tertia pars; sed minor multò quam dimidia pars ceciderit. Cæterum cum hæc ita scripsissem, video etiam Suarez recens editum, lib. 1. de Angelis c. 11. num 9. huic assertioni assentiri.

Assertio III. Reprobatio examussim cum libero arbitrio conuenit. Ita S. Thomas hic q. 23. a. 3. ad 3. & in simili art 6. & est certa & communis omnium Theologorum, ac de fide, vt in simili de prædestinatione dictum cit. q. 6. dub. 2. Vnde etiam petitur ratio. Nam si prædestinatio non impedit libertatem, quæ tamen omnem vsum liberi arbitrij ipsius prædestinati antecedit, multò minus reprobatio; quæ si propriè & absolutè accipiatur, sequitur præscientiam vsus liberi arbitrij. Accedit quod negatiua reprobatio à gloria, per se non infallibiliter secum trahit damnationem, aut exclusionem reprobi à gloria, vt dictum dub. 3. 4

At verò si loquamur de reprobatione negatiua à gratia congrua, fatendum quidem est, eam & antecedere omnem liberum vsum ipsius reprobi, ac proinde in eius potestate non esse, vt dictum dub. 3. & nihilominus tamen suppositâ scientiâ media infallibili quodam nexu ac sequela secum trahere tum interitum eiusdem reprobi, tum perseuerantiam in peccato eiusdem: posito enim, quod Deus non velit dare gratiam congruam, sed eam solum, quacum per scientiam conditionatam præuiderat, reprobum non cooperaturum finaliter, sed in peccato decessurum, certum ac infallibile est, eum non cooperaturum, quod omnes fateri debent: Hoc tamen non obstante, libertatem nihilominus arbitrij saluam consistere posse, eodem modo explicandum est, quo de prædestinatione dictum cit. q. 6. dub. 3. vt vel hanc etiam ob causam fateri necesse sit, non omnem conditionem præuiam actui seu euentui infallibiliter subsecuturo, impedire libertatem eiusdem actus; si modò aliòquin absolutè & omnibus spectatis, maneat intrinseca libertas & indifferentia in operante. Ad eundem enim etiam modum, tametsi ex subtractione gratiæ congruæ in omni sententia infallibiliter sequatur damnatio reprobi, & perseuerantia finalis in peccato, nihilominus tamen non læditur libertas: quia etiam denegatâ gratiâ congruâ, quamuis ante omnem vsum liberi arbitrij ipsius reprobi, nihilominus relinquitur reprobo gratia sufficiens, 5

cum

cum qua absolutè potest bene operari, & à peccato liberari, licet ex hypothesi infallibiliter sit in peccato perseueraturus.

6 Consentit cum his S. Thomas hic a. 3. ad 3. vbi libertatem arbitrij cum reprobatione non aliter concordat, quam his ipsis verbis: *Dicendum, quod reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati. Vnde cum dicitur, quod reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundum impossibilitatem absolutam, sed secundum impossibilitatem conditionatam; sicut supra dictum est, quod prædestinatum necesse est saluari, necessitate conditionata, quæ non tollit libertatem. Vnde licet aliquis non possit gratiam adipisci, qui reprobatur à Deo, tamen quod in hoc peccatum vel illud labatur* (aut in eo perseueret) *ex eius libero arbitrio contingit. Vnde & merito sibi imputatur in culpam.* Ita S. Thomas.

7 Sed & Vasquez hic disp. 95. cap. 9. num. 55. & 62. cum à nonnullis obiectum fuisset, contra certam illam & communem doctrinam, qua diximus, non esse in potestate nostra, non prædestinari ad gratiam congruam, in hunc modum: *Si ex ipso Deo nasceretur, homines non prædestinari, sequeretur ipsis impossibilem esse salutem;* cum nullus sine prædestinatione saluari possit; quare si Deus antecedenti suo decreto aliquem non prædestinat, non respiciens ipsius peccata, sequitur in illius potestate non fuisse salutem: Ipse hoc argumentum primo ibi retorquet. *Nam vt impossibile est*, inquit, *sine prædestinatione aliquem saluari, ita cum prædestinatione non potest aliquis damnari; ergo si Deus ex seipso absq; vlla ex nobis occasione, aut absq; eo, quod sit in nostra potestate, aliquem prædestinat* (ad gratiam congruam, vt authores illi cum Vasquez agnoscunt) *consequitur, eum non posse damnari; quod sanè ita absurdum est, sicut aliquem non posse saluari.* Hactenus bene argumentum retorquet Vasquez contra aduersarios, nos etiam contra ipsum, vt dictum disp. 2. q. 10 dub 8.

8 Postea verò idem Vasquez directè vtrumque argumentum dissoluens, ita pergit: *Vtriusq; autem eadem est solutio facilis & perualgata; nempe necessitatem hanc, qua dicimus, prædestinatum non posse damnari, aut non prædestinatum non posse saluari, esse necessitatem consequentiæ, quæ sequitur solam scientiam Dei,* (conditionatam necessariò intelligere debet, non absolutam; quia etiam ante hanc infallibiliter vtrumuis futurum est, vt ex dictis constat) *nec vllo modo nocet libertati nostræ, ac proinde ea non obstante, dicimus, quemlibet posse saluari aut damnari. Nam quamuis*, inquit paulò antea Vasquez, *Deus ex seipso voluerit aliquos non prædestinare, hoc est, gratiam efficacem illis non præparare, non sequitur, eos necessariò damnari; siquidem eos non deseruit omnino, sed sufficienti auxilio præuenit, quo saluari possent, &c.* Ita Vasquez, nullo modo negans, eam hypothesin, ex qua necessariò futurum est, vt prædestinatus saluetur, & reprobus damnetur, antecedere libertatem nostram, cum sit ipsa præparatio vel negatio gratiæ congruæ, quarum neutra à nostra potestate dependet, vt ibidem ipse ex instituto probat. Habemus ergo ex eiusdem doctrina, quæ hac in re communis est omnium etiam cæterorum, vt dictum, hypothesin antecedentem liberam determinationem nostram non tollere libertatem nostram, etiamsi quid ex ea necessario futurũ sit. Plura loc. cit.

Assertio IV. Est quidem de nomine quæstio potius, 9
quam de reipsa, an sit in potestate hominis reprobari vel non reprobari, siue etiã non prædestinari, vel nõ carere prædestinatione; rectiùs tamen absolutè negatur. Probatur & declaratur. Affirmatiuam enim sententiam tradunt absolutè quidam recentiores apud Suarez lib. 5. cap. 8. num. 4. & Vasquez disp. 95. num. 55. contra quos vterque docet, esse quidem in potestate nostra reprobationem positiuam, seu reiectionem absolutam à gloria, non verò reprobationem negatiuam, seu exclusionem à gratia, nomine videlicet reprobationis intelligentes passiuam, non actiuam.

Ego verò ob hanc ipsam nominis æquiuocationem distinguendum censeo. Nam aut loquimur de reprobatione actiua, vt est actus in mente diuina secundum se, & hic quia æternus est & immutabilis in Deo, propriè non est in nostra potestate; quia ad præteritum non est potentia, vt in simili de præscientia & prædestinatione diximus q. 6 dub. 3. licet ex parte quorundam effectuum siue obiectorum, sit in potestate nostra, puto quoad punitionem æternam, obdurationem, &c. Aut loquimur de reprobatione passiua, seu quod idem est, de executione reprobationis; quæ est actualis & realis negatio vel exclusio tum à gratia congrua, tum à gloria; & hæc partim est in nostra potestate, nempe quoad exclusionem à gloria; partim non est, quoad negationem gratiæ congruæ, saltem primæ: ipsa verò non prædestinatio, seu reprobatio, vt vocant, negatiua, nequaquam est in nostra potestate. Et quia quando aliquid duo coniunctim complectitur, quorum primum non est in nostra potestate, etiamsi alterum sit, id absolutè loquendo rectius negatur esse in nostra potestate: ideo etiam de reprobatione passiua loquendo, melius simpliciter negatur, eam esse in nostra potestate; cum qua doctrina consonat etiam S. Thomas hic q. 23. a. 6. ad 3.

Atque ex his, quæ de reprobatione hactenus do- 10
cuimus, colligitur primò, quid respondendum sit ad quædam argumenta, quibus probari videtur, reprobationem obstare libertati nostræ. Primum est contra id, quod de non prædestinatione paulo antea dictum est. Nam ex ipsa non prædestinatione nostra necessariò sequitur damnatio; Ergo si illa non est in potestate nostra, neque ista. Respondetur necessariò sequi, necessitate consequentiæ, seu infallibilitatis, non necessitate absoluta siue consequentis: vnde etiam negatur consequentia. Non enim quando duo inter se cõuertuntur, ac mutuo se inferunt, & vnum est in nostra potestate, necessariò etiam alterum est, vt patet in præscientia Dei, & obiecto præscito: propriè enim non est in nostra potestate, vt Deus hoc vel illud futurum non præscierit, aut non præsciat; & tamen est in nostra potestate, vt idipsum (si alias vt supponimus sit in nostro arbitrio positum) fiat, aut non fiat.

Secundum est impium illud & vulgare desperato- 11
rum hominum dilemma, quod in simili ignauum sermonẽ, seu ἀργὸν λόγον meritò antiqui etiam philosophi dixerunt, apud Ciceronem lib. de fato: Vel sum prædestinatus, vel non sum: si sum, certò saluabor, quicquid agam; si non sum, etiamsi optimè viuam, non saluabor. Simpliciter enim & rotundè ne-

ganda

Digitized by Google

ganda est subsumptio quoad vtramque partem. Nam si es prædestinatus ad gloriam, per certa media bonorum operum libero arbitrio adhibenda prædestinatus es: ex dictis q. 5. dub. 4. ea igitur nisi adhibueris, nec prædestinatus fuisti, nec omnino saluaberis: si non es prædestinatus, damnaberis quidem, sed nonnisi ob mala opera præuisa, vt dictum: quæ si vitares, vt per gratiam diuinam potes, certò & prædestinatus, & saluus futurus esses. Adde quod si argumentatio hæc aliquid valeret, tum nec in humanis quidem rebus vllus relinqueretur iustitiæ locus. Plura de hac re ex Patribus, & ipsis ethnicis Philosophis eruditè Eckius, in Chrysopasso cent. 4. à num. 89.

Atque hæc de arcano illo diuinæ prædestinationis & reprobationis mysterio, ad laudem omnipotentis Dei, & humiliationem omnis creaturæ, sub potenti manu eiusdem Dei, satis. Quia vt præclarè dixit Augustinus lib. de bono perseuer. cap. 24. *Prædestinatio diuina prædicanda est, vt non in homine ac nobismetipsis, sed in Domino gloriemur, &c. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcunq; habet, inaniter habet, &c.*

ANCHORA ANIMÆ DEVM TIMENTIS, ET in profundo diuinæ Prædestinationis pelago securè nauigantis: vna cum breui Synopsi totius Disputationis de eodem argumento.

Ex Ioanne Gerſone lib. 1. de conſolat. Theol.

PLacet hic quasi coronidis loco, pro animarum Deum timentium solatio, veram ac solidam rationem subijcere, qua quisque ex doctrina hactenus tradita, de arcano hoc & inscrutabili gratuitæ prædestinationis, ac iustæ reprobationis Dei mysterio, non futilem aliquam & inanem, sed salubrem sinceramque in Deo consolationem, ac in pietate profectum capere possit. Quamuis enim in hunc sensum non pauca disseruimus supra quæst. 5. dub. 5. dum argumenta aduersariorum dissolueremus, qui hoc vel maximè argumento exosam reddere doctrinam illam conabantur, quod & ad desperationem, & ad pietatis neglectum homines inducat; adeò vt non nemo etiam scripserit, *nescire se, ad quid sit vtilis persuasio illa de absoluta electione, ante omnem* (absolutam) *operum præuisionem, nisi ad licentiam vitæ & desperationem:* non absre tamen erit, vt ea quę ibidem diximus, magis roborentur, quid de hoc argumento grauis & antiquus Theologus, ac vir vndequaque doctissimus ac pijssimus, ante annos plusquam ducentos scripserit, ob oculos ponere.

Is est Ioannes Gerson, Doctor & Cancellarius Parisiensis, quem nostræ planè etiam sententiæ de gratuita prædestinatione ad gloriam subscripsisse, infelus patebit, & supra etiam cit. quæst. 5. dub. 3. testatum fecimus. Hic cum ex Concilio Constantiensi discedens, Franciam propter minas Ducis Burgundiæ repetere non auderet, secessit in confinia Bauariæ, ibique in oppido Rattenberg, quod nunc ditionis Tyrolensis est, Anno Domini M. CD. XVIII. Boëtium imitatus, sui solandi causa dialogum conscripsit de consolatione Theologiæ: in quo duos Interlocutores statuit, *Monicum & Volucrem*; quorum vterque subinde Gersonis meminit sub nomine *aduenæ* seu *peregrini*.

In hoc opere libro 1. prosa 2. Monicus difficultatem mouet, an & qua ratione ex consideratione diuinorum iudiciorum, quod antea Volucer ex mente Gersonis dixerat, solatium percipi possit; cum diuina iudicia in quibus de prædestinandis atque reprobandis hominibus agitur, non solum sint occulta, sed etiam planè terribilia, atque ad desperationem potius, quam consolationem gignendam idonea; his verbis: [Incipio, *inquit*, grauioribus, quam antea scrupulis vrgeri, &c. Tradit (*enim*) philosophia vix perscrutabilem diuinæ prouidentiæ viuacitatem, præsertim dum ad eam confertur humani libertas arbitrij, cum certa præcognitione futurorum. Sed ecce superaddit Theologia difficultatem in immensum, minus inuestigabilem, neque comprehensibilem; dum quosdam ex hominibus recipit iudicandos in curia gratiæ vel misericordiæ, & æternæ beatitudinis participes facit. Alios verò multò plures damnat in æternum sua Iustitiæ seueritas, dicente eo, Multi vocati, pauci verò electi. Mirum autem, si quis in hac recogitatione constitutus, non perturbetur, & totus horrore tabescat, qualiter abscondita non est consolatio ab oculis suis, iuxta Scripturæ verbum, dum ita Deus inter fratres diuidit.]

Ad hanc difficultatem Volucer, ex mente *peregrini*, hoc est Gersonis, rem ita edisserere occipit. [Fatendum est, *inquit*, in primis Monice, quod hæc consideratio iudiciorum Dei, qui terribilis est in consilijs super filios hominum, si cum superba curiositate recenseatur, præcipitat in illam Sapientis damnationem, Qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria; exterminationem (*forte, exterminat omnem*) bonæ consolationis virtutem: denique in reprobam de Deo desperationem, & in odiosas, rabidas, & insanas blasphemias demergit, & absorbet: hoc in viatoribus aliquibus; hoc in damnatis omnibus operatur. At verò consideratio talis, si cum debita humilitate & reuerentia fidelis & pij cordis assumitur; si cum captiuatione omnis intellectus, in obsequium fidei reuoluatur, nullam existimat peregrinus noster potiorem vel efficaciorem, ad consecutionem legitimæ consolationis, viam diuinitus elargiri. Nonne sensérat hoc Propheta, dum suspirans ait, Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine, & consolatus sum. Quam consolationem nescio si vehementius expressit alio loco, is qui dixit. Et exultauerunt, id est, extra se salierunt, filiæ Iuda, propter iudicia tua Domine.]

Sed Monicus, quam difficilis & odiosa sit hæc dis-

sertatio

sertatio admonens, ita pergit vrgere: [Obseruandum estobsecro, Volucer, ne minus sobria fortassis & insolens sit huius doctrinæ traditio; quoniam stultorum infinitus est numerus, carnalium & arrogantium, qui non capiunt, quæ Dei sunt, si non dixeris ea, quæ versantur in corde suo, & quæ suo ingenio penetrare se gloriari possint.]

5 Ad hoc ex mente Gersonis Volucer exemplo Apostoli se defendens, ita respondet: [Corrigit, *inquit*, & repellit tuam hanc hęsitationem conscius arcanorum diuinorum Apostolus, qui satagens contentionem gentilium Romanorum & Iudæorum, qui susceperant fidem, compescere, collocauit totius disputationis suæ velut centrum & cardinem supremum, considerationem diuinæ prædestinationis & præscientiæ, ab illo loco. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositũ vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinauit, &c. Vsque dum exclamat, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis cõsiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Illic inserit, quod non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est, & cuius vult misereatur, & quem vult indurat: & quod nõ ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Apostolus igitur, Doctor gentium in fide & veritate, inter quas erant insipiẽtes, multæ carnales & superbæ, si præmissam eis considerationem pro sua ædificatione non timuit exponere, quatenus eas & Iudæos mutuò reduceret ad legitimam pacis & charitatis formam; quo pacto verendum erit inter Christianos, præsertim eos, qui de sua salute solliciti sunt, consideratione ista vti, quæ apud eum talem de sua salute consolationẽ, suorumq; similium operata est, vt assereret, Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Poterat autem certitudo talis accipi de certitudine reuelationis diuinæ, si Paulus de se solo loqueretur: sed dum connumerauit alios electos Dei, conuenientius intelligitur hoc esse dictum de certitudine spei, quæ tranquillitas quantum sit operatiua, satis admodum propheta Regius exposuit, qui dum gloriabundus in Domino dixisset, In pace in idipsum dormiam & requiescam, subintulit pro causa spem dicens, Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.]

6 Hinc autem Monicus rationem perueniendi ad hanc pacem & animi tranquillitatem perquirens: [Scire velim, *inquit*, ô Volucer, quo studio vel industria deuenit aduena noster (*Gersonem intelligit*) vt in hac pace in idipsum frueretur.]

Ad quod Volucer ex mente Gersonis, ne plus nimio huic tribuisse videatur, respondet: [Accipito verba mea sobriè; neque enim dicere præsumo, nisi quod aspirat, & aspirare suadet ad illam pacem in idipsum, cum Propheta dicẽte, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore; si forte aliquando desiderium sui, & similium paupe-

rum exaudiat Dominus, & præparationem cordis eorum audiat auris sua. Scit enim quoniam nemo repente fit summus; scit quoniam munus hoc gratiæ magis est, quam industriæ. Nihilominus Doctorum deuotorum scripta relegens, Theologia ductrice, his vti conatur industrijs, ne sibimet deesse putetur, Deumque tentare videatur. Enititur experimento cognoscere, quæ sit illa pacis consolatio, qũa sobriè inebriatus exclamat Psalmista: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscõdisti timentibus te. Signanter ait, Abscondisti: quia nec ab habente tradi, nec ab eo qui non habet capi potest: est quippe nomen nouum in calculo candido scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.] Et mox Boetij imitatione, in glyconium melos erumpens, ita concinit:

Magnum crede nimis bonum,
Intus quo valeas frui,
Extra non licet loqui.
Certè nescit homo vetus,
Intrò quid sapiat nouus:
Hoc est manna reconditum,
Sensus quod capit intimus.
Quæris, qualis ei sapor?
Aurem, verbaq; quid paras?
Gusta; post videas, licet.
Degens frater agro senex,
Quærit gaudia, quæ domi
Frater iunior accipit.
Cæcus mel Ionathas prius
Gustat; protinus hinc videt.
Mel nobis sapidum DEVS,
Quo fastidia tollere
Mundi noxia fas tibi.

Sed quia suauitas hæc diuinę consolationis in nostra potestate sita non est, non imprudenter Monicus petit, vt Volucer sepositis ad tempus his affectus deuoti *sentimentis*, ex ratione ipsa modum solidæ cõsolationis, ex arcano prędestinationis & reprobationis diuinæ mysterio eruendæ, explicet. Quamobrem eodem libro 1. prosa 3. prius intelligere cupit, quænam particulatim sit ipsius *aduenæ* (Gersonem intelligit) de profundo hoc mysterio sententia; quæque circa illud exercendæ mentis ratio: [Omiseris, *inquit*, interim Volucer, verbum, super istis affectus deuoti sentimentis, de quibus stat sapientia, quę in mysterio abscondita est. Hæc est Theologia mystica, de qua tractatus fratris (*Gersonis*) apud me seruo, quodam latino, quodam vulgari scriptos stylo. Sed super his altera fortassis die sermo fiet. Perge verò prosequi de spe, respondens ad pauculas interrogationes meas, qui secretorum aduenæ nostri conscius es. Recogitátne supremum Iudicem Deum, homines ex massa peccatrice prædestinasse quidem, hos ab æterno sempiternæ beatitudinis fore participes; alios verò præscitos & reprobatos ad supplicium perpetuum?]

Ad hoc Volucer Gersonis mentem explicans respõdet: *Recogitat Monice; & id sanè frequenter.* Pergens Monicus: [Accusátne, *inquit*, diuersum huiusmodi iudicium Dei, tanquam propterea sit in eo sæua quædam crudelitas, & indigna bonitate sua summa...?]

7

8

Respon-

Respondet Volucer, simulque quæ sit Gersonis de diuina prædestinatione sententia, ita declarat: [Absit, *inquit*, Monice, talis aduersus Deum blasphemia. Neque enim personam accepisse, neque iniuriam fecisse dici potest, qui nulli debitor est. Quod notauit Apostolus dicens, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Talis apud homines similitudo plurima reperitur, nedum super rebus vita carentibus, sed animatis, quibus vtuntur pro arbitrio suo, alijs ad mortem, aliis ad conseruationem: nec arbitrantur, se vel iniuriæ, vel crudelitati obnoxios esse. Quid si vult Deus in magna domo sua manifestare diuitias gloriæ suæ; istis in ostensionem misericordiæ, alijs in manifestationem suæ iustitiæ, glorificans illos ex misericordia, istos ex iustitia derelinquens; quatenus resultet carmen illud pulcherrimum, ex graui tenore iustitiæ, & molli cantu misericordiæ, de quali profitetur Propheta, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Quod si pauciores sunt, qui saluentur, manifestior est in hoc gratia Dei; quemadmodum inter surdos & claudos, mutos & mortuos, pauciores sunt, qui miraculo curantur, quam qui propriæ conditioni relinquuntur. Verum dum ad singularia fit descensus & inquisitio, cur videlicet Petrum, & Paulum Deus elegerit ad salutem, Iudam verò, & diuitem epulonem dereliquerit, oportet, vt humana garrilitas apponat digitum ori suo, hoc vnum profitens, quod iustus est Dominus, in omnibus vijs suis. Itaque sicut nulla potest assignari ratio, cur inter tot res possibiles fieri, ista non, il la facta est, nisi beneplacitum Dei: ita de recreatione seu regeneratione ad vitam spiritualem, multò magis dici debet. Neque confugiendum est ad illorum merita, vel opera, quos ab æterno prædestinat Deus, quia si ex operibus, iam non ex gratia. Sed neque priorem æterna Dei voluntas causam habet, qui fecit omnia propter semetipsum, impium quoque in diem vindictæ. Nihilominus fatendum est, quod nemo sine culpa damnabitur, sicut absque gratia saluabitur nullus.] Hactenus Gerson in persona Volucris, suam de gratuita Dei prædestinatione etiam ad gloriam sententiam perspicuè exposuit, & quam non sit aliena à diuina perfectione & bonitate declarauit, vt retulimus etiam q. 5. dub. 3.

Verum quia vniuersalia minus mentem commouent, quam singularia, nec difficile est à longè belli pericula, si ad te interim non pertingant, contemplari; quærit porrò Monicus, num *peregrinus* ille (Gerson) sibi ipsi etiam eam considerationem diuinæ prædestinationis, & incertum diuinorum iudiciorum applicet. [Pergo, *inquit*, inquirere consequenter, si hanc aliquando noster peregrinus considerationem super se & ad se reflectit; meditans ne forte sit ex numero reproborum; neque enim gloriari potest, se peccatum non habere, neque de alia massa esse, quam cæteros.]

Ad hoc ex mente Gersonis respondet Volucer: [Dicã illud Monice, quod sentio. Meditatur aliquãdo secum conquerens, quid si iusto Dei iudicio damnandus est? Si reperit indispositum cor suum, ad humilem huius considerationis susceptionem, derelinquit eam, & ad alia se conuertit; quemadmodũ fieri consilium est, in tẽtationibus vel interrogationibus carnalium peccatorũ, vel experientijs earum rerum, quæ sunt difficillimæ electionis: Vt si quærat aliquis à semetipso, Malles membratim laniatus mori, quam illecebrosæ voluptati mulieris pulcherrimæ consentire. Si verò percipit affectum suũ Deo propitio tranquillum, humilem, & suauẽ, sicut imprecatur Apostolus: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti*, sistit, pedetentim tamen & cautè, in hac recogitatione, si forte damnandus est. Cuius apprehensione nequaquam remurmurat secundum præsentem affectum & sensum de diuina iustitia. Sed humiliatus dicit, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Non quod damnationem eligat; absit; quia nec Deus hoc vult ipsum velle; sicut nec peccare, nec desperare, dum viator est. Dicit potius cum Iob, *Etiamsi me occiderit, tamen in ipso sperabo* Et conuersus ad Dominum, cum pio & humili affectu, Scio, inquit, æquissime Iudex, quoniam damnati in inferno te odiunt, te iniustum, te inuidum, te crudelissimum iudicant, te blasphemant, tibi Sanctisque omnibus ore rabido maledicunt. Scio quod illic constitutus (heu me misẽrum) sic agerem. At verò dum interim affectibus tam efferis & blasphemis careo, amo te qui solus es amabilis; te iustissimum, te amantissimum, te clementissimum diiudico; te collaudo, tibi Sanctisque omnibus tuis ore pio benedico; quicquid postremò de me futurum ordinauerit voluntas tua; credo, & ore profiteor, quoniam nulla est iniquitas apud te, qui sanctus es in omnibus operibus tuis.]

Comprobat hoc responsum Monicus, velut magnæ perfectionis documentum; sed locum tamen habere nõ putat, nisi apud eos, qui peccare planè desierunt. [Placet, *inquit*, distinctus iste modus habendi se circa recogitationem diuinæ prædestinationis seu præscientiæ. Nam sicut in primo curiositas temeraria, sic in secundo meritoria valde humilitas exercetur. Videre simile est in aspectu vel recogitatione formosæ mulieris, vbi periclitaretur incontinens, continens verò fortiter habituatus, vteretur ad virtutem. Video, quod amor hic gratuitus est, non mercenarius, non recuruus; hæc affectio filialis, vel fidelis sponsæ: quem amorẽ, quia domus sua est, (forte quia dominus suauis est) non acceptare non potest, quia diligentes se diligit. Beatus qui ascensiones in corde suo disponens, ad hunc gradũ pene supremum peruenit. Sentio deinceps magis ac magis, quo medio potest hæc consideratio pacem quandam & consolationem operari: ita tamen si sit apud homines, qui peccata iam non iterant. Nam iteratio peccatorum quid aliud prętendit, quam reprobationem & interitum? Attento, quod spes non ex meritis proueniens, præsumptio est, non spes æstimanda.

Non placet vndequaq; hęc exceptio Gersoni; quare ex eius mente respondet Volucer: [Scio, ô Monice, quoniã nemo est, qui viuit, & non peccet; quando & septies in die cadit iustus. Et beatus dicitur à Psalmista, non qui non fecit, sed cui non imputauit Dominus peccatum. Mirũ fortasse videbitur quod dicturus sum, Inuenire est hominem (*Gerson ipse videtur indicari*) qui quantò pluribus impugnatur tentationibus, quantò renitens eis pluries vincitur, vel in vora-

uitategulæ, vel in somniculosa dormitatione, vel in stimulorum carnis crebra perpessione, & alijs huiusmodi, tantò frequentius, certius, & ideo fortius, quia humilius, in Deum se proijcit, de Deo sperat, & confidit. Consultò quidem, dum nullam videt in se fiduciam resistendi vitijs, neque virtutes & salutem adipiscendi repositam. Fallor, si non ita Dauid egerit, inquiens, *Impulsus euersus sum vt caderem*, cuius innixus est auxilio? *& Dominus suscepit me.* Rursus cum ab hominibus desperatio sibi improperaretur, quia tulerat ouem, & pastorem occiderat, & dicerent, *Non est salus ipsi in Deo eius*; ipse solidiori spe Deo fisus respondebat, *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*

Monicus etiam hoc responsum approbans, modum rogat exponi, quo securus quisque in Dei adiutorio habitare possit: [Vt intelligo Volucer, *inquit*, ita se res habet; quod apud verè humilem, quantò minus est in se spei, minus in ope aliena fiduciæ, minus denique vult constituere iustitiam suam, tantò plus spei, plus fiduciæ de Deo concipit, plusquoque iustitiæ Dei sit subiectus, dicens ex sententia. Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam, clamans ei, In tua iustitia (planè non in mea) libera me. Postremò magis intelligere nunc videor, quæ in deuotorum libris legi de introductione sponsæ in cubiculum sponsi, de osculo oris eius, post osculum manuum & pedum, de habitatione præterea in adiutorio altissimi, non in habitatione vel meritorum propriorum, quæ vana est, vel pœnarum futurarum, quæ anxia, vel industriarum propriarum, quæ timida est & incerta. Certa verò qualiter esse possit in adiutorio altissimi, inter tot vitæ discrimina, inter tot criminum lapsus, inter tantam electorum paucitatem, edisseras velim.]

14 Ad hoc quæsitum respondet Volucer: [Rerum ista conditio est, ô Monice, vt in suos fines tendant, quibus adeptis quiescunt, adhærentes eis: hoc de grauibus deorsum, hoc de leuibus sursum videre est. Est autem humani cordis desiderium & pondus in Deum, sicut in locum suum & centrum ferri; est supremum, post quod non relinquitur aliud humanæ peregrinationis refugium. Superest igitur nihil, infra quod, vel vltra quod possit humanum se cor deflectere, vel fugere, dum pondere suo constituit adhærere Deo, nunc interim per spem, fidem, & amorem; neque enim sibi dat aliter status præsens. Porro sicut aliquis dicitur adhærere certitudinaliter loco alicui vel baculo, dum totis viribus ita stare vult; non aliter spem certam dicimus per deliberatam voluntatis adhærentiam. Neque enim spes est in assensu & vi rationali, sed desiderio & expectatione virtutis irascibilis tendentis in ardua; quod desiderium, tendentia, vel expectatio, reperitur in virtute spei cum tanta certitudine per adhærentiam voluntatis, quod per nullius tentationis vel recogitationis insultum vult ab ea semet auellere. Consurgit ex radice simili certitudo in assensu fidei, dum per nullas rationes vel phantasias fidem impugnantes, vult derelinquere, quo minus stet in fide, ad obeditionem Dei & meriti conquisitionem.] Ita Volucer.

15 Qui mox spei plenus, hac suaui ode responsum claudit:

Quæ monte in alto stat iugo
Quercus, suis radicibus
Defixa, nitens fortiter,
Ventos & imbres non timet.
Assumit hinc plus virium,
Quo plus in imo se locat,
Concussa venti turbine.
Sic spes ferens tentamina.
Antheus inuictus fuit,
Dum cautus incubans humi,
Non vult in altum surrigi;
Elatus illico perit.
Quæ collocatur saxeo
Domus loco fideliter,
Venti, pluuiæq, & flumina,
Desæuiant, nunquam ruit.
Hærere vos spe firmiter
Vestro loco nitamini.
Vester locus certè Deus;
Quo spes reponit certior.

Vt verò declaretur, qua ratione nec reprobi quidem in hac vita à spe sint excluſi, proponit Monicus prosa 4. eiusdem lib 1. hanc difficultatem: [Visum est aliquibus, *inquit*, ô Volucer, quod spes in præscitis (*seu reprobis*) semper sit erronea. Id enim se putant habituros, quo carebunt. Alij volentes hanc absurditatem euadere dixerunt, spem in hoc conditionali existere, si legem Dei obseruauero, saluus ero.]

Ad hoc quæsitum, Volucer actus spei modum ac rationem declarans, ac simul de nullo in hac vita desperandum admonens, ita respondet: [Monice, nec hoc vltimum sufficit ad spem; staret enim cum desperatione talis conditio. Nec primum sobriè dictum est, quod Deus obliget reprobos ad errandum, sicut obligat ad sperandum. Proinde spes ad certam beatitudinis exspectationem sic se habet. Ponit sibi per fidem, quod est aliqua talis beatitudo; iungit, quod ad illam pura liberalitate & gratia (*aduertis lector gratuitam prædestinationem ad gloriam*) Deus ab æterno quosdam prædestinat & eligit. Addit quod ad consecutionem huiusmodi finalis beatitudinis, ordinauit media conuenientia, variis modis, sine numero: inter quæ medium præcipuum est gratia, quæ ideo dicitur vita æterna, quia pignus eius est vel arrha. Hanc autem gratiam nulli dedit, neque daturus est, nisi per medium Mediatoris Dei & hominum, &c. Cæterum specialiter instructa per fidem, quæ suus est oculus, figit in primis desiderium suum ad beatitudinis adeptionem, tanquam ad finem; & ab illo desiderio nequaquam vult auelli. Deinde desiderat media quælibet ad huius finis consecutionē, per Dei prouidentiā ordinata, per arma iustitiæ, sicut dicit Apostolus, à dextris & à sinistris, per gloriā & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Fides itaq; rursus dicit ei, quod diligentibus Deum & sperantibus in eo, omnia cooperantur in bonū, sicut tradit Apostolus, quod omnia nostra sunt; cōformiter ad Christū: Primum quærite regnum Dei, & omnia hæc adijcientur vobis; neque talium aliquis prædestinatorum peribit vnquam. Quod contra fit de reprobis, quibus omnia cedunt in malum, etiam aliena bona, quæ in scandalum si-

16

biuer-

bi vertunt & ruinam. Nihilominus quoniam ignotum nobis est, quos vult inter homines Deus & qualiter saluos fieri, operandum est bonum ad omnes, vel orando, vel commonendo, vel hortando, vel increpando, vel ab erroribus & vitijs abducere satagendo. Ita sagena charitatis concludit in se bonos & malos, separandos in die iudicij.

17 Præterea si ex peccatis electorum diuina bonitas potest, scit, & vult elicere bona, non tamen idcirco mala bona sunt, vel eligenda, sed cauenda penitus plangendaque. Collaudandus autem benignissimus & omnipotens Deus, qui malis nostris non solum non vincitur, sed ex eis operatur bonum nostrum. Sic enim dicitur sub peccato omnia conclusisse, scilicet permissiuè, vt omnium misereatur. Peccauit Petrus; humilior, cautior, & misericordior effectus est, non actione mali, sed miseratione Dei: peccauit Magdalena; plus postea dilexit, quia multum sibi dimissum est, & in exemplum pœnitentiæ cæteris cessit: blasphemus fuit Paulus, confitetur humiliatus, quod non sit dignus vocari Apostolus, & est inter peccatores primus; denique iucundatur pater & epulatur in receptione filij prodigi: & gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Quis nesciat proinde pauperes dum de stercore peccatorum erigit eos Deus collocans in gloriam cum principibus populi sui, quod in ampliores erga diuinam benignitatem assurgunt gratiarum actiones? Non quin innocentia præseruata, seruataque plus habeat dignitatis & gratiæ, cæteris paribus; sed in reparatione deperditæ magis eminet misericordiæ benignitas.

18 Miserandum verò est, quod in reprobis agitur è diuerso. De virtute & humilitate superbiunt; & gratuitis Dei donis vel ingrati, vel tepidi sunt, vel in suam & aliorum pernitiem & Dei inhonorationem abutentes vertunt: ita vt eorum quandoque fiat oratio in peccatum, hic per ingratitudinem; in inferno autem per blasphemiam insaniorem. Recordantes enim, quemadmodum fuerunt aliquando supplices Deo, hæc & illa bona facientes, venerantes sanctos sanctasque omnes cum deuotione, quidni rabidiori contabescant odio, & maledictis latrent aduersus Deum, sanctos, sanctasque omnes? præsertim eos, quos præcipuè coluerunt, eos inuidos, eos crudelissimos, impios & ingratos, qui non ipsos à tormentis, cum possent, eripiunt, acclamantes: Quid ergo dicemus ad hæc? Faciemus igitur mala, vt Deus eliciat bona, vel bona vitabimus, ne contingant mala qualiatetigimus? Absit; propter id enim, quod per accidens est, non debet illud quod de per se est, variari.].

Collaudat hanc doctrinam Monicus, & ait: [Horresco, Volucer, hoc audiens, & videns te superadmirabili via niti pro consolationis adeptione, dum tremendæ & contrariæ desolationis memoriam subinducis.]

19 Non contentus autem Volucer modum tradidisse, quo mens humana spe subnixa, diuinis altissimæ & gratuitæ prædestinationis consilijs acquiescat; simul etiam ostendit, quantum ea consideratio ad veram humilitatem & in spiritu profectum valeat, [Hic modus est, *inquit*, hæc ars Theologiæ, credideris Monice, quod sicut per stultitiam & scandalum prædicationis crucis saluos fecit credentes; sic per insipientiam trahit ad sapientiam, dicente Apostolo; Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Non aliter vult eadem Theologia per summam desperationem de homine, trahere ad summam de Deo spem; & per desolationem inæstimabilem & intolerabilem, sursum ducere ad solidam consolationem. Addideris, nullam esse recogitationem, quæ plus istà radicaliter euellat ab humano corde superbiam, de se semper aliquid magnum præsumentem, cui resistit Deus, quæ magis insuper gignat & nutriat humilitatem legitimam sub Deo, & ad homines, vitijs procul expulsis, quæ fert secum superbia. Nam qua fronte poterit aliquis fratrem suum qualemcunque deinceps vel odio, vel ira, vel inuidia prosequi, imò nec animo, quod reprobus sit, iudicare, quod videt, se de eâdem massa peccati, in eadem damnatione esse, neque scit, quid sibi crastina pariat dies? Quod si voluerit gloriari de bonis suis, mendax est, si non habet; si habet, illa gratis accepit à Deo; quid ergo gloriatur, quasi non acceperit? Quid præterea iudicet alienum seruum, qui Domino suo stat aut cadit: stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. Sub hoc intuitu dixisse putandus est Apostolus, Venit Deus saluos facere peccatores, quorum primus ego sum: Primus intelliget, quo nullus prior, videns se cum alijs æqualiter filium iræ, & ex eadem peccati massa esse, quales venerat saluare Deus.]

Rogat hinc Monicus, quodam compendio tradi modum, quo spes in Deum firmetur: [Intelligo, *inquit*, materiam bono de timore, & spe latam (*& amplam*) esse; vellem traderetur sub compendio modus, quo præcipuè spes stabilitur.] 20

Ad hoc Volucer: [Nimirum stabilitur à Deo, cuius supernaturale donum est. Sed si particulariusa liquid exigis, inuenitur quadruplex meditatio, quæ velut in tetragono firmissimo gestat spem. Vna meditatio est diuinæ iussionis, vt speres: altera diuinæ promissionis, si speres; tertia immensæ Dei pietatis, ne desperes de suis miserationibus; quarta propriæ fragilitatis, ne speres in te, vel in proprijs viribus. Dic igitur cogitationi tuæ sollicitanti spem deserere, dum non facis certam vocationem tuam per bona opera, quotidie corruens de peccato in peccatum, ingerenti proinde, ne sis de multis vocatis & non electis; sicut vita tua similis est multorum; dic respondens, quod obedis iubenti Deo, qui mille locis Scripturæ sacræ præcipit, vt speres in eo, cui dicit; *Exurge Domine Deus in præcepto, quod mandasti*; proijcio me in te iubente te, non es crudelis aut fallax, vt abijcias me; iuncta præsertim multiplici promissione tua, qua sperantibus in te pollicitus es, quod liberares eos, eriperes, saluares, & glorificares; cuius demum tam immensa pietas est, vt nullis peccatis etiam infinitis (si commisissem ea solus) vinci possit hic in via: quodque interposuisti cum immobilitate consilij tui iusiurandum, vt per duas res immobiles, sicut loquitur Apostolus tuus, quibus impossibile est, mentiri te, nos fortissimum solatium habeamus ad tenendam propositam spem. Quamuis enim sis inobligabilis à creatura tua rationali, quicquid agat pro te, vel erga te, voluit tamen dignantissima condescensio tua commercium quoddam habere cum hominibus, vt bene de te mereantur, si

tur, ſi iuſſa tua compleuerint, & in te ſperauerint, qui fidelis es, & teipſum negare non potes. Hæc tu ita Deo.

21 Poſtremò dum propria fragilitas obijcitur, vt deſperes; deſperes volo; ſed de te, & in te, qui homo & caro es. *Nam maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum*, & à Domino recedit cor eius. Sed hic occurrit trepida cogitatio, dicens, qua ratione conabor declinare vitia, virtutes acquirere, ſeruare mandata Dei, ſine quibus ſperare vitam ingredi iam non ſpes eſt, ſed arrogans & infidelis præſumptio? Conaberis prorſus; ſed in adiutorio altiſſimi, & millies victus millies conaberis; eò quidem amplius & certius, quò nulla tibi ſupereſt fiducia de proprijs operibus. Propterea dicturus Salomon finem concionationis ſuæ, dum proferre vellet, *Serua mandata*, præmiſit, *Deum time*: quia videlicet ab ipſo eſt bonum, & velle, & perficere.

22 Acceptat hanc doctrinam Monicus, & exemplo S. Auguſtini confirmat: [Retineo, *inquit*, quod in ſoliloquijs ſimilia de ſe confeſſus eſt Auguſtinus: *Sperabam*, inquit, *aliquando in virtute mea, quæ non erat virtus: & cum ſic volui currere, vbi magis ſtare credebam, ibi magis cecidi, factuſq; ſum magis retrò, quam ante. Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam, fiebatq; poſt nec hoc, nec illud; quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi, Domine Rex, Pater cæli & terræ, quoniam non in fortitudine ſua roborabitur vir; vt non glorietur ante te ſtulta præſumptio omnis carnis.*]

23 Pergit Volucer exercitationem Gerſonis in conſideratione huius argumenti vlterius exponere. [Tradueit, *inquit*, aduena noſter (*Gerſonem intelligit*) meditationem hanc etiam vſque ad Angelos & Sanctos; dum attendunt horrorem diuinorum iudiciorum in damnatis. Canimus enim, quod tremunt Angeli atque Archangeli; tremunt, intellige, non ex formidine ſuę damnationis, quibus ineſt gloriæ ſecuritas; ſed eò magis ex aliorum damnatione, quaſi ſi tremerent & pauerent, in ſe deficientes, reſiliunt in adiutorium vnicum Deum, adhærentes ei, ſe fragiles, & nihilo ſimiles reputantes, ſine eo. Addidit de humanitate Chriſti, quod ſicut in Eſſe ſuppoſitali ſic innititur perſonalitati filij Dei, quod propriam deſerit, nec in ſe ſubſiſtit: ita in Eſſe gratiæ vel gloriæ innititur Deo, & nullatenus in ſe. Et ita de Sanctis, quantò perfectiores, tantò humilius & reuerentius in adiutorium Dei reſiliunt. Quo contra de reprobis; qui magis refugiunt à Deo, & ad ſe confugiunt, quò damnabilius puniuntur; quoniam in ipſis eſt amor ſui vſque ad contemptum Dei; ſicut in alijs eſt amor Dei, vſque ad contemptum ſui. Denique ſpes velut anchora, quantò minus in arenulis fragilibus & fluidis humani auxilij figitur, tantò ſolidius & certius ſupra firmam petram, quæ Chriſtus eſt, defixa ſtabilitur.

24 Quod ſi quæſierit aliquis, quid igitur de illis, quos non ſaluat Deus? Reſponſum habeat, quod velut animalia propter homines creata ſunt, ad obſequiorum varietatem, illa blandiendo, iſta ſæuiendo; intelligere ſic habemus, propter electorum ſalutem præſcitos eſſe formatos, ſiue nocere, ſiue obſequi conentur; vt non glorietur omnis, vel obſequens electis, vel aduerſarius eis.

Neque tamen ita ſunt accipienda, quæ dicta ſunt, quaſi tollatur libertas arbitrij: fortificatur ſiquidem magis & inſtituitur; ſed in Deo viuificante per gratiam, quæ eſt velut anima quædam, vitam habens in potentia ad vitam ſecundam, ad meritoriam videlicet operationem. Itaque ſicut operatio animalis præſupponit Eſſe naturæ, ſic operatio ſpiritualis vitam gratiæ. Sed neque audiendus eſt Cicero, qui vt libertatem in hominibus ſtatueret, abſtulit à Deo prouidentiam. Neque rurſus ex aduerſo recipiendus alter, qui diuinam prouidentiam ſic inſtituere voluit, vt arbitrio noſtro neceſſitatem imponeret. Proh nefas; etiam in peccatis dicens, Deum velle & facere nos peccare, in manifeſtationem gloriæ ſuæ. (*Nota hìc lector, Caluinianum dogma à Gerſone ante ducentos annos damnatum.*) Porrò viam mediam & regiam tradit Theologia reuelata, fide ſubnixa, qua gradiendum eſt, etiam vbi ratiocinationis contrariæ diſſolutio plena non pateret.]

Acceptat hanc doctrinam Monicus; ſed ad eam 25
percipiendam ſingulare lumen gratiæ diuinæ neceſſarium profitetur: [Exiſtimo, *inquit*, quod has ſententias nec inexperti ſatis capiunt; nec experientiam dare poteſt induſtria, niſi præueniente in benedictionibus dulcedinis, & cooperante Dei gratia, valde ineffabili modo. Et hoc eſt Dei donum ſcire, à quo poſtulanda ſit & impetranda talis gratia. Multa enim dicimus, & deficimus. *Verbum autem abbreuiatum & conſummatum facit ſapientia*, dum in animas ſanctas ſe transfert, delicias ſuas computans eſſe cum filijs hominum, in quibus beneplacitum eſt Deo, quia ſperauerunt ſuper miſericordia eius.]

Concludit denique totam hanc diſſertationem Volucer hoc metro:

Vnus è multis nauta profundo
Dum regit nauem, ventus & imber,
Et procellarum turbida moles,
Si repentinis motibus vrgent,
Proximam nautis crebro minantes
Naufragæ cladem mortis; adeſſe
Nititur ſiſus arte magiſtra;
Nil inexpertum corde pauenti
Seguiter linquens; omnia ſolers
Tentat, vt nauis littora captet.
Si mali verò tanta moleſtat
Sæuiens peſtis, iamq; latratu
Terret auditum Scylla canino,
Attrahens gulpho cuncta voraci;
Non opem poſſunt ferre ſodales,
Pars & in præceps vltro laborat,
Scitq; nauclerum ſtertere puppi,
Obſtupet talis quia, nihil vltra
Viribus fidit, ſpes nec in arte eſt;
Reſpicit cœlum, vota Deo dat,
Aut mari ſeſe deijcit alto,
Nudus enatans, ſi ſcopulorum
Prominens ſaxum ſuſcipit ipſum:
Vel ſinuati conditur antri,
Laudat excelſum gratior; illi
Dicit, euaſi ſorte benigna.
O reſeruatum ſanctius olim
Obſequi fas ſit, Chriſte, tibi me;

Digitized by Google

Rursus aut si me naufragio das,
Vtar illo fac prosperiore.
Hactenus Gerson.

Ex quibus luce clarius est, tantum abesse, vt gratuitæ prædestinationis tum ad gratiam, tum ad gloriam sententia, veræ pietati quicquam officiat vel incommodet; vt potius ei plurimum adminiculetur; Primò enim veram ac profundissimam aduersus Deum ac proximum submissionem menti inserit; non friuolam illam, qua sua quisque in seipso bona, seu naturæ seu gratiæ, quæ à Deo accepit, ignoret, aut ignorare se simulet; hacque ratione omnibus inferiorem se profiteatur; sed qua se nihil eorum à se habere; nec sibi ipsi ad salutem sufficere; nec suis meritis, siue gratiæ largitionem, siue primam gloriæ destinationem; sed vtramque soli gratuitæ ac beneficentissimæ Dei voluntati ac misericordiæ imputat; vt non in seipso, sed in Deo glorietur omnis caro.

Secundò, spem solido ac firmissimo robore stabilit; dum eam non in arena, hoc est, in seipso, ac suis viribus vel meritis, sed in Dei infinitate & gratuita bonitate ac misericordia præcipuè collocandam suadet; ita vt etiam inter peccatorum lapsus, qui humana fragilitate nonnunquam accidunt, spes non fatiscat; sed eò magis in Deo firmetur, quo minus in seipso ad æternam salutem consequendam præsidij homo inuenit; & vt Gerson ait, *quanto tentationibus renitens pluries vincitur, tanto frequentius, certius, & ideo fortius, quia humilius, in Deum se proijciat, de Deo speret, & confidat*; hoc ipso, *quod nullam videt in se fiduciam resistendi vitijs, neq; virtutes & salutem adipiscendi repositam.*

Tertiò. Veram & non mercenariam erga Deum charitatem nutrit; dum Deum propter se suamque summam bonitatem, non propter commodum amantis diligendum proponit; affectumq; diligentis eo prouehit, vt etiamsi sciret, se in altera vita damnandum, Deum tamen in hac vita pro viribus diligere firmiter constitutum haberet. Vbi tamen illud simul ex Gersone prudens documentum in praxi obseruandum, vt quando homo non bene se dispositum ad tam sublimes pietatis affectus sentit, cogitationibus illis de occultis Dei iudicijs, suaque prædestinationis aut reprobationis incertis decretis non inhæreat, sed potius alijs rebus cogitandis animum applicet.

Denique hæc sententia occulta Dei iudicia nec inuestigare, nec reprehendere; sed plenam & omnimodam erga Deum diuinamque voluntatem ac iudicia resignationem submissionemque exercere docet; vt homo velut lutũ in manu figuli aduersus Deum non murmuret, sed iustissimæ dispositioni Dei penitus acquiescat; de nulla re sollicitus, nisi vt Deum non offendat. Quæ omnia cum homo, cum auxilio gratiæ præstare satagit; Quidnî Gersoni pari pietatis affectu succinat, Deoque authori & fonti salutis nostræ hac ode gratuletur:

Iustus es magni Dominator orbis;
Siue dum celso recreas Olympo
Cœlites; siue excrucias Auerni
Faucibus haustos.

Debitor nulli, tua bona sorte,
Quâ placet, liber tribuis, negasq;:
Nec licet cuiquam tua sub statera am
Facta vocare.

Si quis immensos pelagi tumentis
Gurgites, paruo poterit lebete
Claudere, aut vasto numerare mersos
Æthere stellas:

Si quis extremo digiti mouebit
Caucasum, vel quas iacit Ætna flammas
Oris afflatu, medicæue iactu
Sopiet vndæ:

Hic tui sensus Deus arbitrator
Adsit; hic causas operum requirat:
Hic tui magnus, licet, esto Iudex,
Grande tuendo.

Mentis hic nobis acie latentes
Explicet causas, Iacob & Esau
Cur pares causâ, haud fuerint eâdem
Sorte beati.

Vnus ambobus Genitor sator q;
Stirpe ter magni satus Abrahami;
Vna profudit Genitrix vtrumq;
Fœta gemellum.

Nec boni quicquam meriti ferebant,
Nec mali: diæ tamen iste menti
Vixit exosus; peramatus ille;
Neuter iniquè.

O inaccessa latebras Tonantis
Consili; ô nunquam penetranda abyssus:
Quam iuuat solum tacitâ precantes
Mente vocare.

Iustus es magni Dominator orbis;
Siue dum celso recreas Olympo
Cœlites; siue excrucias Auerni
Faucibus haustos.

SYNOPSIS.

SIt itaque hæc etiam totius Disputationis nostræ, de hoc profundissimo diuinæ prædestinationis mysterio Synopsis. I. Est planè in Deo prædestinatio, qua certissimè saluantur, quicunque saluantur. II. Est reprobatio, qua certissimè damnantur, quicunque damnantur. III. Illa actus vndiquaque gratuitus est diuinæ bonitatis & misericordiæ; hæc actus diuinæ Iustitiæ. IV. Illa fons est & origo omnis boni salutaris, & ad vitam æternam nobis profuturi; hæc causa est non peccati, sed pœnæ, & damnationis æternæ. V. Non ergo bonum aliquod nostrum simul aut prius est diuina prædestinatione, sed posterius. VI. Culpa tamen & peccatum nostrum prius est decreto pœnæ & damnationis. VII. Sic perditio tua Israel, tantummodo in Deo auxilium tuum. VIII. Poterat Deus omnes; aut non hos, sed alios pari conditione & iure prædestinare; sed non voluit: illud, quia minus conueniebat; hoc, quia ita placuit. IX. In pari conditione assumpsit quos voluit; deseruit quos noluit: vtrumque sine iniuria. X. Non hi digniores erant, aut magis dispositi, vt prædestinarentur: sed Deus quos voluit elegit; alios reliquit: vtrosque sine præuisis meritis. 26

XI. Quare & gratiam congruam prædestinatorum propriam illis selegit; istis non item: vtrisque sine meritis. XII. Gratiam tamen sufficientem largitur omnibus; nec vel in prædestinatis, vel in reprobis vsum liberi arbitrij interuertit. XIII. Vult seriò, hortatur, præcipit, minatur, allicit, vt omnes saluentur; atque ideo bene operentur, ac in finem perseuerent, vti possunt. XIV. Neque verò aut illos sine præuisis meritis vsque ad finem perdurantibus saluat; nec istos sine demeritis damnat. XV. Corona ergo ex meritis confertur; quæ gratis prædestinatur: pœna & damnatio sine præuisis demeritis nec infligitur, nec destinatur. XVI. Eo maius beneficium est Dei prædestinatio, quo minus ex debito est impensum. XVII. Tantò magis agnoscitur hoc beneficium Dei, quantò paucioribus est impensum. XVIII Nemò ergo de bono efferri debet, quia si verè bonum, & ad vitam æternam conducibile est, ex abysso gratuitæ miserationis & prædestinationis Dei est depromptum. XIX. Hæc est abyssus misericordiæ Dei, quod in pari causa damnationis, quibus voluit est misertus. XX. Hæc est abyssus diuinæ iustitiæ, quod in pari occasione miserendi, quos voluit damnauit. XXI. Hæc est abyssus humanæ miseriæ, quod solam miserendi materiam exhibere potest, non causam. XXII. Non prius, non simul, sed omni modo posterius est miseratione, quicquid in nobis ad miserendum mouere poterat misericordem Deum, præter miseriam. XXIII. Hæc nostra miseria diuinam exaltat misericordiam; & diuina misericordia nostram detegit miseriam. Ita abyssus miseriæ inuocat abyssum misericordiæ, ne absorbeatur ab abysso iustitiæ.

XXIV. Sed nec lege ordinaria infallibiliter quisquam scit, prædestinatus ne sit, an reprobus; sed omnia in futurum seruantur incerta. XXV. Omnes tamen bene sperare possumus & debemus; nec desperare de quoquam, dum viuimus. XXVI. Multò minus contemnere quenquam; aut superbè efferri contra quenquam; quia nescimus, an ille fortè prædestinatus sit, nos reprobi. XXVII. Multi enim hodie viuunt iusti, & sunt reprobi; multi viuunt peccatores, & sunt prædestinati. XXVIII. Inter spem ergo & metum, dum tempus habemus, cum diuinæ gratiæ auxilio, omnibus parato, operemur bonum ad omnes. XXIX. Certi enim sumus, nos saluandos, si vsque in finem in bono perseueremus, vti possumus; nec aliter: certi nos damnandos, si culpa nostra deficiamus in bono; nec aliter. XXX. Humiliemur denique sub potenti manu Dei; & occultis quidem, sed iustis tamen iudicijs eius acquiescamus. Vt nec in se glorietur omnis caro; neque de Deo desperet vlla caro; sed Deum piè glorificemus omnes, dum viuimus, beati planè futuri, si ita vixerimus. Amen.

FINIS DISPVTATIONIS TERTIÆ.

INDEX DISPVTATIONIS IV.

DE SANCTISSIMA TRINITATE DIVINARVM personarum.

Quæstio I. De personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, identitate, ordine, & perfectione, secundum se, & in genere.

Dubium I. *Quid nomine Trinitatis, persona, hypostasis, subsistentiæ, vsiæ, & essentiæ in diuinis intelligatur.*

II. *Qua ratione Trinitatis mysterium à nobis in hac vita cognoscatur; an etiam naturali ratione & euidenter.*

III. *Quot sint personæ diuinæ.*

IV. *Qua ratione dissoluendæ sint obiectiones, contra sanctissimæ Trinitatis mysterium pugnantes.*

V. *Qua ratione vocula & ratio personæ communis sit omnibus personis diuinis, & de singulis prædicetur.*

VI. *An præter tres subsistentias & hypostases personales, sit in Deo subsistentia quædam absoluta non personalis & communis omnibus tribus personis.*

VII. *Qua ratione personæ diuinæ se habeant ad essentiam, ac attributa essentialia; & quomodo tum de vtrisq; inter se comparatis; tum vniuersim de his quæ pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo loquendum sit.*

VIII. *An & quomodo diuinæ personæ sint inter se similes æquales, (saluo tamen originis ordine) & idem in essentia, atq; in se mutuo existentes.*

Quæstio II. De processione siue origine diuinarum personarum.

Dubium I. *An, quales, & quot sint in Deo processiones personarum, siue ad intra.*

II. *An processiones personarum immediatè sint à natura, seu essentia diuina; an per aliquam eius operationem, & qualem.*

III. *Per quas nam operationes intellectus aut voluntatis procedant diuinæ personæ.*

IV. *Sitne in diuinis actus intelligendi & amandi principium quo producendi personas; an ipsa productio.*

V. *Quodnam sit principium quo & potentia productiua personarum, seu actuum notionalium; quisve terminus formalis eorundem actuum.*

VI. *Verum processiones seu productiones personarum sint actus voluntarij & liberi; an naturales, seu per modum naturæ.*

Digitized by Google

VII. *An aliqua processio in diuinis sit vera propriè dicta generatio.*

VIII. *Vtrum in diuinis sit alia processio à generatione Verbi; & in quo propriè à generatione differat.*

Quæstio III. De relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionalibus, ac proprietatibus personarum; & constitutione earundem.

Dubium I. *An, quæ, & quot sint relationes reales in Deo.*

II. *Quomodo relationes ab essentia, inter se, & à personis distinguantur.*

III. *Vtrum relationes personarum in Deo sint de essentia, ratione, & conceptu Diuinitatis, deq; ea in abstracto formaliter prædicentur; & an vicissim essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum.*

IV. *Vtrum relationes reales in Deo formaliter sint perfectiones, & quales; & quomodo ratione earundem multiplicentur in diuinis tum transcendentia cætera, tum existentia.*

V. *Quid, & quot in Deo sint notiones, origines, seu actus notionales, ac proprietates personarum; & quomodo hæc tum inter se mutuo, tum ad relationes se habeãt.*

VI. *Quanam ratione primò ac formaliter constituantur & distinguantur personæ diuinæ, an per proprietates, seu relationes personales; an per origines, seu actus notionales; an vtrisque seu neutris.*

Quæstio IV. De personis singulis in specie, earumque missione.

Dubium I. *De variis nominibus, & appellationibus primæ personæ, nimirum patris; quæque sit eorum nominum vis & significatio.*

II. *De variis nominibus & appellationibus secundæ personæ seu Filii, quæque sit eorum ratio & vsus.*

III. *Procedatne Filius tam ex cognitione omnium eorum, quæ in Deo sunt formaliter, quam ipsarum etiam creaturarum.*

IV. *De variis nominibus & appellationibus tertiæ personæ, hoc est, Spiritus sancti; quæque sit eorum significatio ac sensus.*

V. *An & qua ratione Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, ac per Filium.*

VI. *An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet.*

VII. *An Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, velut vno principio & spiratore, ac duobus spirantibus.*

VIII. *An Pater & Filius se & creaturas diligant Spiritu sancto.*

IX. *De missione diuinarum personarum; an scilicet, quæ, à quibus, ad quid, & quando mittantur.*

DISPVTATIO IV.

De Sanctissimâ Trinitate diuinarum Personarum.

S. Thom. 1. p. q. 27. vsque ad 43. inclusiuè.

Magister & DD. in 1. dist. 2. vsque ad 34. inclusiuè.

Argumentum & ordo Disputationis.

1 POstquam hactenus duabus præcedentibus disputationibus *de essentiâ, & attributis diuinis, quæ Deo, prout essentia vnus est, conueniunt, egimus, conuenienti ordine sequitur, vt prius quam de operibus diuinis, quæ extra se Deus producit, tractetur, de ipso Deo, quà trinus est in personis, adeoq; de ipsa Sanctissima Trinitate diuinarum personarum agamus. Quam ordinis rationem etiam S. Thomas hic 1. parte initio quæstionis 27. his verbis assignauit*: Consideratis, *inquit*, his, quæ ad diuinæ essentiæ vnitatem pertinent, restat considerare de his, quæ pertinent ad Trinitatem personarum in diuinis. *Quamuis autem S. Thomas septendecim omninò quæstionibus; Scholastici autem veteres cum Magistro loc. cit. triginta duabus distinctionibus materiam hanc fusè prorsus explicauerint; mihi tamen & breuitatis, & commodioris methodi, facilioris que doctrinæ causa, visum est consultius, omissa prolixa tractatione eorum, quæ contra Anti-*

trinitarios hæreticos, nouos ac veteres controuersa sunt, rem omnem ad pauciores quæstiones reuocare; & quidem initium faciendo, non à processione diuinarum personarum, vti fecit S. Thomas, sed ab ipsis personis diuinis; cum personæ diuinæ secundùm se multò notiores sint, quàm earum processio; adeò vt doctrina de ipsis personis quasi fundamentum esse debeat eorum, quæ tum de processione earundem, tum aliis de rebus ad SS. Trinitatem spectantibus, magna ex parte Scholastico discursu potiùs eruuntur, quàm apertè in scriptura traduntur.

2 *Quatuor igitur quæstionibus materiam de sanctissima Trinitate totam comprehendemus. I. De Personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, identitate, ordine & perfectione, secundùm se & in genere. II. De processione seu origine diuinarum personarum. III. De Relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionalibus ac proprietatibus personarum, & constitutione earundem. IV. De personis singulis in specie. Agit verò S. Thomas de hoc argumento non tantùm in summa loc. cit. sed etiam contra gentiles lib. 4. & alibi: vti & ex Patribus S. Hilarius libros duodecim; Ambrosius libros tres; Augustinus libros quindecim; Basilius libros quinque contra Eunomium; Richardus Victorinus libros sex, & alii alios de eodem argumento scripsère.*

QVÆSTIO I.

De personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, identitate, ordine & perfectione, secundùm se & in genere.

S. Thomas 1. p. q. 29. 30. 31. 32. 39. & 42.

ABsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. Quid nomine Trinitatis, Personæ, Hypostasis, Subsistentiæ, Vsiæ & essentiæ in diuinis intelligatur. II. Quâ ratione Trinitatis mysterium à nobis in hac vitâ cognoscatur; an etiam naturali ratione, & euidenter. III. Quot sint Personæ diuinæ. IV. Quâ ratione dissoluendæ sint obiectiones, contra Sanctissimæ Trinitatis mysterium pugnantes. V. Quâ ratione vocula & ratio personæ communis sit omnibus personis diuinis; & de singulis predicetur. VI. An præter tres subsistentias & hypostases personales, sit in Deo subsistentia quædam absoluta, non personalis; & communis omnibus tribus personis. VII. Quâ ratione diuinæ personæ se habeant ad Essentiam; & quomodo tum de vtrisque inter se comparatis; tum vniuersim de his, quæ pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo, loquendum sit. VIII. An & quomodo diuinæ personæ sint inter se æquales, similes, & in se mutuò existentes, adeoque vnum. Oporteret quidem hîc agi etiam de formali constitutiuo diuinarum personarum: sed quia res hæc supponit cognitionem relationum & notionum, necessariò in quæstionem tertiam differenda est.

DVBIVM I.

Quid nomine Trinitatis, personæ, hypostasis, subsistentiæ, vsiæ, & essentiæ in diuinis intelligatur.

S. Thom. 1. p. q. 29. a. 4.

Digitized by Google

3 VTi ante cuiuslibet rei tractationem, supponendum est tum quid nominis, seu notio nominum, quibus in eâ re explicandâ vtendum est; tum etiam genus cognitionis, quo in eâ re cognoscendâ versamur: ita hæc duo etiam priùs, quàm arcani & ineffabilis huius mysterii explicationem aggrediamur, totidem dubiis, quasi prolegomeni alicuius loco, breuiter à nobis declaranda sunt; licet S. Thomas locis citatis hanc rem ipsi Tractationi non præposuerit, sed immiscuerit.

Quod igitur ad primum attinet, Notandum primò, quod Græcis dicitur τριὰς, latinè *Trinitatem* dici, vocabulo non quidem Ciceroniano, sed Ecclesiastico. Quod tametsi ex vi nominis, quarumlibet rerum ternarium numerum significet, Ecclesiastico tamen loquendi vsu, cùm absolutè profertur, singularem illum ac incomprehensibilem diuinarum personarum ternarium, adeoque ineffabile Trinitatis mysterium designat, quo tres sunt in Deo personæ, & vna numero simplicissima essentia seu natura, vt benè explicauit S. Thomas quæst. 31. artic. 1. Vbi etiam notat, quamuis Deus dicatur *Trinus*; non tamen vocari posse *triplicem*, quia nimirum hæc vox compositionem, & diuersitatem rei secundùm idem nomen significat: nec etiam aut naturam Dei, aut Trinitatem ipsam vocari posse *trinam*; quia nec natura, nec Trinitas in Deo multiplicatur. Quare Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 7. *Nec quoniam Trinitas est*, inquit, *ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater & Filius.*

Quanquam Vasquez disp. 131. num. 16. existimat, nihilominus rectè dici posse, *triplicem* in Deo *personam*, & *duplicem emanationem*; sicut etiam loquitur S. Thomas quæst. 10. de potent. artic. 2. Et vulgari loquendi vsu, eoque non alieno à latinæ linguæ authoribus, sæpe dicimus, duplex, triplex. &c. pro duobus, tribus, &c. etsi fortasse minùs propriè.

4 Sed & huic ipsi voci *Trinitas* singulæ nationes ac linguæ suum habent vocabulum respondens, eodem planè sensu & significatione. Quare profanè egit Lutherus, qui pro suo nouandi studio, Trinitatis vocem, si non mysterium ipsum exosus, de eâ vocabulâ contemptim locutus est in maiore postillâ Conc. 1. dom. Trinit. & simul ex Litaniis germanicis submouit, & expunxit illam precandi formulam, *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis*; tam parùm vtique propitiam habiturus S. Trinitatem, quàm parum illi se supplicem præstitit. Quod si cui latinitas cordi est, habet Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, non solùm optimos rectè sentiendi, sed etiam benè loquendi Magistros, qui frequenti vsu eam vocem latinitatis quodammodò iure donârunt.

Nec obstat, quòd in ipsâ Scripturâ sacrâ ea vox non reperitur. Nam & hoc in plerisque aliis vocibus sacris & doctrinalibus, puta *Incarnationis*, *Transubstantiationis*, *Consubstantialitatis*, &c. accidit; quæ tamen optimo iure ac necessariò, ad grauissima fidei nostræ mysteria, in scripturis nihilominus tradita, vno verbo significanda, ab Ecclesiâ fuerunt introducta. Et verò semper licuit in vnaquaque disciplinâ, ad res ipsas commodè explicandas, nouare vocabula, quando vetera defuerunt. Quidni ergo hoc ipsum licuit Ecclesiæ, in doctrinâ fidei? vt benè etiam ostendit Athanasius in epistolâ de decretis Nicænæ Synodi, & in disputatione cum Ario Laodiceæ habitâ, aduersus Arianorum importunitatem reiicientium vocabulum Homousios.

Benè etiam S. Thomas hìc quæst. 29. art. 3. ad 1. 5
Si de Deo, inquit, *oporteret dici solùm illa secundum vocem, quæ sacra scriptura de Deo tradit, sequeretur, quòd nunquam in aliâ linguâ posset aliquis loqui de Deo, nisi in illâ, in quâ primò tradita est Scriptura veteris vel noui testamenti. Ad inuenienda autem noua nomina, antiquam fidem de Deo significantia, coegit necessitas disputandi cum hæreticis. Nec hæc nouitas vitanda est, cùm non sit profana, vtpote à Scripturarum sensu non discordans. Docet autem Apostolus, profanas vocum nouitates vitare. 1. Tim. vlt.* Ita S. Thomas.

Notandum secundò, cùm Trinitatis mysterium intrinsecè complectatur Trinitatem personarum, in vnâ naturâ seu essentiâ diuinâ; necessarium esse, ad id mente concipiendum, verbisque ritè exprimendum, compertam habere notionem eorundem vocabulorum, personæ, & naturæ, seu essentiæ; aliorumque idem significantium, quibus nunc Ecclesia in eiusdem mysterii significatione vti solet, qualia sunt, Hypostasis, Subsistentia, Substantia, Vsia, Homousios, seu Consubstantialis: præsertim cùm etsi quidem hoc mysterium semper in Ecclesiâ constantissimè creditum & propugnatum fuerit, vt ex omnibus symbolis liquet, attamen de nonnullis eiusmodi vocibus olim fuerit dubitatum: quarum proinde breuem explicationem hoc loco præmittere, necessarium videtur.

Notandum igitur tertiò, quod ad vocabulum 6
Personæ attinet, aliud esse, à quo nomen hoc desumtum est, aliud ad quod significandum est impositum. Nam vt ex Boetio lib. 3. de diuin. nat. notauit S. Thomas q. 29 a. 3. obiect. 2. & resp. ad eandem, nomen personæ videtur traductum ex his personis, quę in comœdiis, tragœdiisq; homines repræsentabant. Persona enim dicta est à personando; quia concauitate ipsâ, maior necesse est, vt voluatur sonus. Græci verò has personas πρόσωπα vocant, ab eo, quòd ponantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum. Quo modo etiamnum dicimus, laruatos incedere personatos.

Hinc verò translatione quadam, tum ad ceteras animi corporisue qualitates, quibus homines inter se differre solent; tũ ad dignitates, quas in Repub. aut Ecclesiâ gerunt, significandas, idem vocabulum est traductum. Quo modo à Rhetoribus inter attributa personæ numerantur, esse studiosum aut militem; esse iracundum aut mitem; adolescentem aut senem; pulchrum aut deformem; diuitem aut pauperem. Et in Repub. gerere alius dicitur personam Consulis; alius Senatoris; in Ecclesiâ, Episcopi, aut Præpositi. &c. Deniq; ad intrinsecam & substantialem dignitatem, perfectionemq; vltimam naturæ intelligentis significandam, idem nomen Ecclesiastico maximè loquendi vsu, deriuatum est; quo modo à Boëtio lib. de duabus naturis definitur: *Persona est rationalis* (siue intelligentis) *naturæ individua* (hoc est, incommunicabilis) *substantia*. Quæ definitio ab omnibus Theo-

logis

logis (frustrà dissentiente Scoto in 1. d. 23. q. 1.) probata & recepta est, apud S. Thomam q. 29 art. 1. eâdemq; notione idem nomen vsurpatur à latinis Patribus, vti & nomen græcum πρόσωπον apud Græcos. Neq; hoc sensu differt à *Supposito*, nisi quod hoc latius patet, & naturæ cuilibet substantiali etiam non intelligenti competit.

7 Quare etsi quidem nomen personæ, quantum ad id, à quo impositum est nomen, Deo non cõueniat; quâ de causâ etiam olim ex Græcis nonnulli personæ, seu τῷ προσώπῳ nomen in diuinis aliquantisper respuebant; rãti nomen hoc officii seu dignitatis, nõ substantiæ esse: tamen quantum ad id, ad quod significandum præcipuè impositum est, Deo maximè cõuenit, vt rectè S. Thomas cit. q. 29. a. 3. ad 2. adeò vt de fide sit, personæ rationem, iuxta vltimũ nominis significatum, propriè ac formaliter in Deo locũ habere; vti ex SS. Patribus & positâ descriptione personæ, ac inprimis ex symbolo Athanasii patet, in quo dicitur: *Alia est n. persona Patris; alia Filii, alia Spiritus sancti.* Quicquid temere Laurentius Valla lib. 6. elegantiarum cap. 34. contra cõmunem vsum Patrum & Conciliorum, personæ nomen referat ad solã qualitatem, non ad substantiam; nec magis in Deo, quàm in bruto esse asserat; quasi ex æquo vtrisq; cõueniat. Quomodo verò hoc nomen personæ de tribus personis prædicetur; & quidnam in Deo directè & formaliter significet, inferius suis locis dicetur dub. 5.

Notandum quartò ex S. Thoma q. 29. a. 2. sicut apud Latinos id, quo res quælibet secundum rationem nostram definitur, seu intrinsecè & essentialiter constituitur, vocatur *Natura* siue *Essentia*, aut etiam *Quidditas*, ita apud Græcos vocari φύσιν, aut etiam οὐσίαν. Quarè sicut indubitatè Deo naturam & essentiam tribuimus, de qua disp. 2 q. 1. actum est, ita etiã in Deo sine vllâ cõtrouersiâ οὐσίαν, sicut & φύσιν profitemur, vt rectè Damascenus lib. primo Instit. cap. 1. quicquid olim in Concilio Sirmiensi, & Ariminensi, Arriani nonnulli ὑσίαν non minùs, quàm *hypostasis* voce abstinendum callidè censuerint; vt videlicet sublatâ vsiæ siue essentiæ appellatione, discrimen pariter inter naturam & subsistentiam, seu personalitatem, in Deo auferrent, vt videre est apud Nicephorum lib. 9. hist. cap. 99. & 44.

8 Vbi etiam ex Metaphysicâ suppono, personam quidem, vti & suppositum, non habere locum nisi in naturâ substantiali, attamẽ differre à naturâ, siue ratione tantùm & virtualiter (in diuinis) siue ex naturâ rei in creatis; vti ex mysterio Trinitatis & Incarnationis constat. Siquidem in omni substantiâ completâ & perfectâ tria considerari possunt re vel ratione distincta. Primum est ipsamet essentia siue natura per se spectata, quæ vt sic abstrahit ab vniuersalitate, & singularitate; potestq; adeò esse singularis aut vniuersalis: secundũ est natura singularis & indiuidua; quæ præter naturam includit singularitatem, hoc est, vt verior habet Philosophia, gradum quendam seu differentiam indiuiduantem, quam etiam *hæcceitatem* vocant; qua fit, vt ipsa pluribus inesse non possit, saltẽ multiplicata & diuisa in iis, quibus inest: licet adhuc esse possit saltem in vno, videlicet in supposito, quod perfectius sit, quã ipsa. Tertiũ est ipsa persona, quæ iam perfecta & completa substantia est; & præter naturam singularem includit personalitatem siue subsistentiam; hoc est vltimum quoddã complemẽtum intra latitudinem substantiæ, quo fit, vt natura singularis nõ modò vna numero sit, nec possit inesse plurib⁹ multiplicata & diuisa; sed ẽt sit penitus incõmunicabilis, ita vt nec vni quidẽ inesse possit; cùm sit iã in genere substãtię vndequaq; perfecta & cõpleta.

Notandum quintò, de vsu & significatione græcę vocis *Hypostasis*, quæ ex vi nominis & substantiam, & subsistentiam significat, si præcisè etymon spectes, olim, occasione Arrianæ hæresis, magnã inter ipsos ẽt Orthodoxos Patres fuisse cõtrouersiam; vt videre est apud Socratem lib. 3. c. 7. & Nicephorũ lib. 10. hist. cap. 15. & verò aliquamdiu etiam in Ecclesiâ liberum fuisse, Catholico sensu, voce Hypostasis promiscuè vti, siue pro natura & essentia, siue pro persona, vt videre est apud Gregorium Nazianzenum Orat. 21. de laudibus Athanasii, & orat. 32. ad centum & quinquaginta Episcopos, & apud Nicephorũ lib. 10. c. 16. 9

Sed & S. Hieronymus circa eius vocis significationem & vsum anceps, epist. 57. ad Damasum, sub voce *hypostasis*, velut *sub melle, venenum latere* suspicatus (quandoquidem vt ipse aiebat, *tota secularium literarum schola, nihil aliud hypostasin, nisi* οὐσίαν *nouit*; quo sensu etiam quidam SS. Patres non tres, sed vnam in Deo hypostasin esse dixerunt) nil dubitauit vir doctissimus, S. Damasi Romani Pontificis, velut Iudicis controuersiarum fidei, supremam hac de re sententiam ac iudicium supplex exposcere: *Obtestor*, inquit, *Beatitudinem tuam, per Crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, vt mihi epistolis tuis siue tacendarũ, siue dicendarum hypostaseon detur auctoritas.* Simili dubitatione de eodem vocabulo hypostasis tenebatur etiam aliquando S. Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 8.

Hoc verò tempore, & iam dudum olim, maximè post Concilium Chalcedonense act. 5. in secunda fid. confes. & Ephesinum anathem. 2. & 4. res extra cõtrouersiam posita est; & certum in Ecclesia, in hac quidem materia, ea voce nihil aliud significari, quàm suppositum, seu in natura quidem intelligente personam: ita vt quod persona in natura rationali seu intelligente, id prima substantia, res naturæ, suppositum, & hypostasis, in qualibet natura substantiali significent, vt rectè etiam S. Thomas hîc q. 29. a. 2. Sicut ergo tres in Deo personas, ita tres hypostases, seu vt loquitur S. Hieronymus, tria *enypostata*, sine vlla prorsus dubitatione confitetur Ecclesia, vt videre est apud Basilium epist. 43. Gregorium Nyssenum libello de differ. vsiæ & hypostasis, Damascenum loco citato, & lib. 3. de fid. cap. 3. & 6. & ipsum etiam Hieronymum in expos. fid. ad Damasum. Quo sensu iam dudum etiam antea legebatur apud S. Dionysiũ cap. 1. & 3. de diuin. nom. & apud Iustinum in confes. Trinit. 8. & lib. quæst. gent. q 17. 10

Eundemque sensum apud Latinos habẽt vocula *Subsistentia*, vt notauit S. Thomas cit. quæst. 29. a. 2. in corp. & ad 2. nisi quòd nunc apud Scholasticos abstractè potius, pro ipsa suppositalitate, seu complemento vltimo substantiæ, quàm concretè pro supposito vsurpari soleat, vt benè etiam notarunt Suarez lib. 3. cap. 4. num. 1. Vasquez disp. 125. & Albertinus tom. 2. de substant. quæst. 11. dub. 1, idque ex vsu etiam ipsius sextæ & septimæ Synodi. Licet & hæc vocula nonnunquam pro natura legatur accepta, apud Rusticum Diaconum contra Acepha- 11

los, vt

los, vt notauit Vasquez hic disp. 114, num. 10. sed hoc interpretis est, qui ita vocabulum hypostasis vertit, cùm eo loco potiùs substantiam vertere debuisset, vt mox dicetur.

12 Totam hanc controuersiam inter Græcos & Latinos, olim de nominibus personæ & hypostasis agitatam, optimè exposuit Gregorius Nazianzenus orat. de laudibus Athanasii sub finem: *Namcùm essentia*, inquit, *una, & tres hypostases à nobis* (Græcis) *piè dicerentur, quod alterum diuinitatis naturam, alterum personarum trium proprietates declaret, ac simili quidem modo apud Romanos intelligerentur; cæterùm ob linguæ illius angustiam, verborumque inopiam, hypostasin ab essentia distinguere non possent; eamque ob causam in illius locum personarum induxissent nomen, ne tres substantias admittere viderentur, quid tandem contigit? Res profectò ridicula, vel potius miseranda. Diuersæ fidei speciem præbuit leuis illa, circa vocis sonum, contentio. Hic deinde alii Sabellij errori astupulari visi sunt: alii Arij impietatem amplecti, quod reiectis personis tres hypostases nominarent. &c. Eò tandem res adducta est, vt periculum esset, ne orbis terrarum fines, una cum syllabis, à se inuicem distraherentur & abrumperentur. Donec tandem magnus Athanasius*, vt mox ibidem subiicit, *vtraque parte leniter & humanè accersita, verborumque sententia diligenter & accuratè perpensa, posteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam quicquam inter se dissidentes, ita negotium transegit; vt nominum vsum ipsis concedens, rebus vos constringeret.* Ita Gregorius.

13 Notandum sextò, quod ad *substantiæ* voculam attinet, licet ea non olim tantùm, sed & nunc quoque subinde bifariam accipiatur, vt ex Aristotele lib. 5. Metaph. cap. 8. tex. 15. (vsiæ vocabulum, quod interpretes substantiam vertunt, eodem modo distinguente) notauit S. Thomas hic cit. quæst. 29. art. 2. & colligitur ex Concilio Florentino sess. 19. nimirum primò, pro quidditate seu natura cuiusque rei, quam significat definitio; secundò pro hypostasi, seu ente subsistente, adeoque pro supposito; quo sensu etiam S. Hilarius olim lib. de synodis, asseruit, in Deo non malè dici *tres substantias*: tamen in hac materia vsu loquendi iam factum est, vt ferè priori tantum significatu accipiatur; & sic absolutè in diuinis *vna substantia*, seu tres personæ *vnius substantiæ*, non autem tres substantiæ dicantur, vt notauit etiam S. Thomas quæst. 30. artic. 1. ad 1. vbi ait; *Nos* (Latini) *non consueuimus dicere tres substantias; ne intelligerentur tres essentiæ, propter nominis æquiuocationem*: vtcunque in definitione personæ superiùs ex Boetio tradita, *incommunicabilis substantia*, planè hypostasin significet. Et quæst. 29. art. 2. ad 2. ait idem S. Thomas: *Quia nomen substantiæ, quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi*, (quæ nimirum ex vi nominis, & substantia, & subsistentia verti potest) *æquiuocatur apud nos; cum quandoque significet essentiam, quandoque hypostasin, ne posset esse erroris occasio, maluerunt pro hypostasi transferre* (saltem communiter) *subsistentiam, quam substantiam.*

14 Eodemque sensu iam dudum Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 9. ait: *Quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus, substantiam, non audemus dicere, vnam essentiam, tres substantias.* Et lib. 7. cap. 4. *Dictum est à nostris Græcis*, inquit, *vna essentia, tres substantiæ*, (hypostases) *à Latinis vna essentia vel substantia, tres personæ: quia sicut iam diximus, non aliter in sermone nostro, id est, Latino, quam substantia solet intelligi.*

Notandum septimò, propriam Ecclesiæ vocem, 15
qua contra Arianam hæresin, in professione Sanctissimæ Trinitatis, vti solet, esse vocem *Homousios*, siue *consubstantialis*, qua nihil aliud significatur, quam tres personas in Deitate esse eiusdem substantiæ ac naturæ. Quare etiam post exortam Arianam hæresin, Catholici ab hæreticis hac voce, quasi tessera quadam discernebantur, vt constat ex Concilio & Symbolo Nicæno; proque ea velut pro aris & focis acerrimè dimicabant reiectis illis, quas eius loco obtrudere ex Arianis nonnulli nitebantur, vocibus *Heterousios*, aut *Homoeusios*, hoc est, diuersæ, aut similis substantiæ. Vnde Ambrosius lib. 3. de fid. cap. 7. *Recte*, inquit, *homousion Patri filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio, & naturæ vnitas significatur.*

Et tamen infelix Lutherus lib. contra Latomum 16
ait; *Quod si odit anima mea vocem Homousion, & nolim ea vti, non ero hæreticus*; quin etiam ibidem, & lib. de concil. seu malitia excæcatus, seu imperitia deceptus, non est veritus dicere: *S. Hieronymo quoq; eam vocem displicuisse, quod nescio quid veneni latere in syllabis arbitraretur.* Quod apertè falsum est. Circa vocem enim *hypostasis*, vt vidimus, non *homousios*, hæsitauit Hieronymus cit. epist. 57. ad Damasum; quin potius eodem loco ipsemet Sanctissimam Trinitatem, sine vlla hæsitatione & dubitatione, diserte *homousion* appellat, vt notat. 5. vidimus. Et verò Lutherum locutum esse de verbo Homousios; non Homoeusios, vt falsò contra Bellarminum scripsit Danæus, apud Andream Eudæmon Ioannem in castigat. lib. 1. cap. 1. ex ipso contextu verborum apertissimum est. Atque hæc de vocibus & terminis quasi generalibus, quibus in explicatione huius mysterii necessariò vtendum est, satis. Sunt quidem adhuc voces aliæ plures, magis particulares, in explicatione huius mysterii vsitatæ; vt *processio, Notio, notionalis proprietas, origo personarum. &c.* sed de quibus sigillatim suis locis inferius agendum est.

DVBIVM II.

An, & qua ratione Trinitatis mysterium à nobis cognosci possit; an etiam naturali ratione & euidenter.

S. Thom. 1. p. q. 32. a. 1.

NOn defuerunt, qui existimarent, Mysterium 1
Trinitatis euidenter, partim etiam vi naturali intellectus in hac vita cognosci posse. In quibus primò Raymundus Lullus, siue vt alii loquuntur, Lullius, docuit, supposito saltem lumine fidei, vel aliqua supernaturali reuelatione de hoc mysterio,

posse

posse naturali demonstratione vndiquaque euidentu demonstrari hoc mysterium; ita vt demonstrationes illæ etiam gentilem & Mahumetanum conuincere valeant, si ad eas attendere velit, easque penetrare valeat. Fundamentum, & summa huius demonstrationis est. Quia *vbicunque est actus, est concordia agentis, & acti, in ipso actu*: in diuina autem bonitate est actus, quem ipse appellat *bonificare*: *ergo ibi est concordia bonificatiui, & bonificabilis, in actu bonificandi*; ac proinde pluralitas; sine qua concordia esse non potest. Ex quibus postea infert, cum tria hæc sint in Deo reipsa distincta, nimirum bonificatiuum, bonificabile, & actus bonificandi, hæc esse tres personas, neque has alias esse, quam Patrem, Filium, & amorem seu Spiritum sanctum, vt pluribus refert Vasquez disp. 133. cap. 1. 2. & 3.

2 Secundò Henricus quodl. 8. quæst. 14. docet, ita posse hominem in fide proficere, vt saltem post longum & diligens eius exercitium, inueniat necessarias & euidentes rationes Trinitatis. Quod de quibusdam fidei mysteriis indefinitè tradit Gerson Alphabet. 13. lit. H. & sanct non parum Richardus de S. Vict. lib. 1. de Trinit. cap. 4 & lib. 3. cap. 5. & lib. 9. cap. 1. vbi rationes naturales à se ad hoc Mysterium probandum adductas, putat non solum esse probabiles, sed etiam necessarias: ex quo etiam fortassis auctore eam opinionem refert Durandus in 1. dist. 2. quæstion. 4. etsi Richardum in alium sensum, iuxta ea, quæ dicemus assert. 5. interpretetur Sanctus Thomas q. 32. art. 1. ad 2.

Tertiò Scotus in 4. dist. 49. quæst. 11. docet, saltem in Angelo dari posse euidentem cognitionem simplicem Trinitatis, per actum merè naturalem, si velit DEVS speciem intelligibilem proportionatam (quamuis in se merè naturalem) ei communicare. Nam & talem speciem S. Trinitatis impossibilem non esse; & si detur, naturalem virtutem intellectiuam Angeli ad vsum illius speciei sufficere.

3 Nos rem hanc sequentibus assertionibus cum S. Thoma hìc cit. quæst. 32. art. 1. ita breuiter declaramus. Assertio I. Ab eo, qui nullam habet fidem, seu reuelationem huius mysterii, adeoque secluso omni lumine fidei, & diuinæ reuelationis, non potest ratione naturali euidenter demonstrari seu probari hoc mysterium. Ita S. Thomas cit. quæst. 32. art. 1. & communis omnium Doctorum, nullo etiam ex citatis repugnante. Ratio patebit ex sequentibus assertionibus.

Assertio II. Sed nec supposito communi fidei, aut diuinæ reuelationis lumine, nec vllo quamuis exquisito fidei exercitio accedente, potest naturali ratione, seu quouis modo euidenter demonstrari hoc mysterium. Ita cum S. Thoma loc. cit. communis Doctorum hic & in 1. d. 2. speciatim Durandus loc. cit. Gregorius de Valentia hic q. 6. pun. 1. Molina, & Thomistæ recentiores q. 32. a. 1. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 11 & 12. Vasquez cit. disp. 133. cap. 2. 3. 4. contra Lullum & Henricum l. c. Probatur primò ex Scriptura, in qua aperte docetur, mysterium hoc, aliaq; eiusmodi supernaturalia fidei mysteria, à nobis in hac vita non cognosci, nisi obscuro fidei ac diuinæ reuelationis lumine: Matt. 11. v. 27. *Nemo nouit Filium nisi Pater, neq; Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Matth. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in cælis est.* Ioan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* 1. Cor. 2. v. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius seculi, neque Principum huius seculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula, in gloriam nostram.* 2. Cor. 5. v. 7. *Per fidem ambulamus, & non per speciem.* Heb. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Secundò idem probatur ex SS. Patribus; qui itidem docent, mysterium hoc à nobis in hac vita solũ obscurè cognosci per fidem, vt videre est apud Dionysium cap. 2. & vltimo de diuin. nomin. Iustinum in exposit. fid. & Athanasium epist. ad Serapionem Episcopum. Et citat etiam pro eadem re S. Thomas hic q. 32. a. 1. argum. sed contra, Hilarium lib. 1. de Trinit. & Ambrosium lib. 1. de fid. cap. 5. 4

Tertiò idem probatur ratione S. Thomæ cit. q. 32. a. 1. [Quia per rationem naturalem in cognitionem Dei peruenìri non potest, nisi ex creaturis: Creaturæ autem ducunt in cognitionem Dei, sicut effectus in causam. Hoc igitur solũ ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est, secundum quod est omnium entium principium. Virtus autem creatiua Dei est cõmunis toti Trinitati; vnde pertinet ad vnitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum: per rationem igitur naturalẽ cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad vnitatem essentiæ, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum.] Ita S. Thomas.

Et addit S. Thomas, eum qui probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogare. *Primo*, inquit, *quantum ad dignitatẽ ipsius fidei, quæ est, vt sit de rebus inuisibilibus, quæ rationẽ humanam excedant.* &c. Quod probat ex Apostolo citato 1. Cor. 1. & Heb. 11. *Secundò quantum ad vtilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, redit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod huiusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus. Quæ igitur fidei sunt, non sunt tentanda probari, nisi per auctoritates his, qui auctoritates suscipiunt. Apud alios verò sufficit defendere, nõ esse impossibile, quod prædicat fides.* Ita S. Thomas; qui hoc etiam confirmat ex S. Dionysio cap. 2. de diuin. nom. vbi ait: *Si aliquis est, qui totaliter eloquiis resistit, longè erit à nostra Philosophia. Si aũt ad veritatem eloquiorũ* (sacrorum) *respicit, hoc & nos canone vtimur.* 5

Accedit, quòd opposita Raymundi doctrina, tum in hoc, tum in aliis similibus capitib⁹, in Ecclesia Catholica male audit; vt refert Ét Gerson Alphab. 16. lit. D. vbi ait: [Sic nuper actũ est Parisiis, per sacrã Theologię facultatem aduersus illos, qui doctrinam quandam Raymundi Lullii conabantur inducere; quæ licet sit in multis altissima & verissima; quia tamen in aliis discrepat à modo loquendi Doctorum sacrorũ, & à regulis doctrinalis suæ traditionis, & vsitatæ in scholis, ipsa edicto publico repudiata prohibitaque est. &c.] Esto interim hacten⁹ nec doctrina ipsi⁹, nec libri, canonicè per Ecclesiam damnati, aut prohibiti sint, vt pluribus persequitur Vasquez cit. d. 133. c. 4. 6

Denique

Denique si euidentes sunt illæ rationes Lulli, mirum est, neminem præter ipsum, & paucos eius discipulos Lullistas, vim & euidentiam earum percipere: cum tamen quæ euidentia sunt, non possint alioqui non perspicuè cognosci, cognitis terminis, aut principijs. Nec vero Raymundi fundamentum superius allatum vllius est roboris; quia maior procedit de actu re distincto ab agente; qualem actum in Deo esse supponit quidem ipse in minore, sed nulla ratione euidēte probat. Contra illam vero Henrici doctrinam pluribus actum est disp. 1. q. 2. dub. 3.

7 Assertio III. Impossibile est etiam, cognitionem huius Mysterij euidentem, nedum quidditatiuam, haberi naturali vi intellectus, per propriam
41 speciem à Deo infusam, quæ solum sit ordinis naturalis. Ita contra Scotum loc. cit. docent communiter Theologi, specialim Durandus q. 1. prol. Capreolus in 1. d. 3. quæst. 2. art. 3. Vasquez disp. 134. cap. 3. alijque recentiores citati pro præced. assert. Probatur. Omnis cognitio Dei, si quæ datur per propriam speciem, necessario est intuitiua, quia fertur in Deum sicuti est in se, adeoque etiam vt actu existentem; cum existentia sit de eius essentia: atqui impossibile est, vt creatura naturali vi intellectus intuitiuè videat Deum; alioqui naturaliter posset esse beata, vt dictum disput. 2. p. 6. dub. 3. Ergo, &c.

Accedit, quod species propria rei, cùm naturale quasi instrumentum sit ipsius obiecti in repræsentando, eiusdem vtique ordinis esse debet cum ipso obiecto, cuius est species: Deus autem quatrinus in personis, est obiectum plane supernaturale, vt patet: Ergo necessario etiam propria species eius, si qua datur, supernaturalis esse debet: & per consequens etiam nec cognitio per eam speciē habita potest esse naturalis; cum actualis visus speciei supernaturalis non possit esse naturalis: atque ad supernaturalem actum sufficiat vnū principiū supernaturale; vt patet in actu fidei, dum simul ab habitu supernaturali & potentia naturali procedit.

8 Denique vniuersim impossibile est, vllam dari speciem propriam Dei; aut vllam cognitionē Dei
21 quidditatiuam, quæ non sit intuitiua, vt probauimus d. 2. q. 6. dub. 2. Vbi generatim eam Scoti doctrinam refutauimus, cum docet loc. cit. & in 2. d. 3. q. 9. posse haberi per propriam speciem cognitionem quidditatiuam huius mysterij, vt de essentiæ diuinæ, extra visionem beatificam; quæ proinde cognitio sit abstractiua tantùm, non intuitiua; quod docent etiam Ockam q. 2. prol. a. 5. Maior in 2. d. 3. q. 5. & q. 3. Bassolis q. 1. prol. a. 2. Petrus Alliacensis q. 1. prol. a. 2. & Aureolus q. 1. prol. a. 2. & 4. quos post Heruæum quodlib. 2. q. 5. Durandum, & Capreolum loc. citat. merito refutat Vasquez disp. 134. cap. 3.

Non tamen interim negandum, haberi posse de his fidei mysterijs euidentiam in attestante, vt suo loco de fide docetur: sicut etiam Vasquez d. 135. n. 7. & 8. agnoscit, de ijsdem mysterijs possibilem esse cognitionem euidentem abstractiuam, quoad quæstionem An est, per aliquas species, & medium saltem extrinsecum.

9 Assertio IV. Probabilius est, si nulla planè præcessisset reuelatio huius mysterij, idnec per coniecturam quidem aliquam, aut suspicionem, vlli in mentem fuisse venturum. Ita merito Suarez hic li. 1. c. 11. n. 11. & Vasquez d. 132. n. 5. Ratio est. Quia seclusa omni reuelatione, non minus videretur implicare contradictionem, tres personas esse vnā simplicissimā entitatem essentiæ diuinæ, quā supposita notione Dei, esse tres Deos: contra quam persuasionem suis principijs nixam, nulla admitti potest dubitatio. Huc spectat, quod vt bene aduertit Aureolus in 1. d. 2. a. 4. [Veritas Trinitatis difficilis est ad intelligendum propter quinque, quæ oportet saluare; vt ipse loquitur. Primū quidem, omnimodam identitatem, & nullam distinctionē penitus proprietatum cum essentia, & tamen inter
11 se veram realem distinctionem: secundū vero quaternitatis exclusionem: tertium quoq; vitare omnem compositionem: quartum autem, non relinquere aliquam additionem ad diuinam essentiam: quintum quoque, seruare mutuam prædicationē proprietatis de essentia, & è conuerso.] Quæ omnia intellectus creatus prorsus censuisset esse impossibilia, nisi fides seu reuelatio præcessisset.

Assertio V. Supposita tamen reuelatione & fi-10 de, potest congruentia seu conuenientia huius mysterij naturalibus quibusdam rationibus verisimiliter suaderi. Ita cum S. Thoma hic q. 32. a. 1. ad 2. communis; & patet apud eundē S. Thomā l. 4. cont. gentes & Richardum Victorinum loc. cit. qui eiusmodi rationes congruentes adferunt. Prima est. Quia perfectionis est, se perfectissimo modo posse communicare: & si creatura potest progenerare sibi similē in natura; cur non & Deus; pro quo etiam à nonnullis affertur illud Isai. 66. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? & qui aliis generationē tribuo, sterilis ero?* Sed quod proprie ad spiritualium filiorum generationem pertinet.

Secunda est. Quia in homine est quædam Trinitatis imago; secundum intellectum, voluntatem, & memoriam; seu quatenus in eo inuenitur præter intellectum, *Verbum concipiens, & amor procedens*, vt notauit S. Thomas q. 45. a. 7. de qua re S. Augustinus lib. 9. de Trin. c. 4. & seq. & 14. de Trinit. c. 3: & S. Thomas q. 27. a. 1. & 3.

Tertia. Quia in omnib⁹ rebus, omnibusque rerum 11 generibus inuenitur quoddam vestigium Trinitatis, vt docet Augustinus l. 6. de Trinit. c. 10. & S. Thomas q. 45. a. 7. In omnibus enim relucet potentia, sapientia, & bonitas diuina. Item in omnib⁹ cernitur vnitas, & species, & ordo. *Quicquid enim bonum est*, inquit Augustinus loc. cit. *& vnum aliquid est, & est, & aliqua specie formatur, sicut sunt figura & qualitates corporum, ac dehinc ars & artes omnium: & ordinem aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, atq; vmbrae aut delectationes animarum*, 21 &c. Quo spectant illa tria, *numerus, pondus, & mensura*, de quibus Sap. 11. iuxta S. Thomam loc. cit. Item in omnib⁹ agentibus naturalibus tria sunt, esse, posse, operari; seu quod idem est, natura, naturalis potentia, & operatio. Hinc etiam tripartita Philosophia, rationalis, moralis, naturalis. Tres abstractiones; tres modi differendi; tres operationes intellectus; tres termini & figuræ syllogismorum; tria præcognita; tria principia naturalia,

tres motus simplices; tria genera animarum; tres potentiæ animæ, vegetatiua, sensitiua, & rationalis; triplex abstractio scientiarum realium; tres passiones entis. Omnia etiam constituuntur principio, medio & fine; quare *tria esse omnia*, dixit Aristoteles lib. 1. de cœlo text. 2.

Quarta. Quia ab intellectu & voluntate creata procedit aliquis terminus realis, & realiter ab intelligente & volente distinctus; Ergo conuenit credere id suo modo etiam fieri in Deo, &c. Quæ rationes etsi congruentiam huius mysterij vtcunque ostendant, eius tamen existentiam euidenter aut necessario nequaquam probant, vt cuiuis cõsideranti perspicuum est.

12 Assertio VI. Cognitio mysterij Trinitatis per fidem, seu reuelationem, necessaria fuit in humano genere, *ad recte sentiendum de salute generis humani, quæ perficitur per filium incarnatum, & per donum spiritus sancti*; cui nimirum peculiariter attribuitur sanctificatio nostra. Ita S. Thomas cit. q. 32. a. 1. ad 3. Ratio est. Quia ad gratias dignè benefactori referendas, necessarium est scire, à quo beneficium acceperis: Ergo in omni statu suo modo necessarium fuit, Trinitatem personarum ex reuelatione habere cognitam; etsi non eodem modo respectu singulorum, vt suo loco de fide vberius docetur.

Sed contra hanc doctrinam præcipuè assert. 2. & 4. propositam, præter ea, quæ iam superiùs allata, ac ex dictis refutata sunt, obijcitur primo, quod multi Philosophi gentiles Trinitatis cognitionem habuisse videntur; vt de Platone, Orpheo, Trismegisto, & alijs referant & testantur SS. Patres, Clemens Alexandrinus lib. 5 Strom. Iustinus Martyr in orat. ad gent. Cyrillus 1. & 2. contra Iulianum, & Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 28. & lib. 18 de ciuit. cap. 37. & lib. 7. Confess. ca. 9. & prolixè collegit Augustinus Eugubinus lib. 1. & 2. de perenni Philosophia.

Speciatim huc faciunt ea, quæ refert S. Thomas q. 32. a. 1. obiect. 1. vt quod Aristoteles l. 1. de cœlo tex. 2. dicit: [Præter has (*tres magnitudines*) non est alia magnitudo; propterea quod ipsa tria omnia sunt, & ipsum ter omniquaque. Quemadmodum enim aiunt & Pythagorei, ipsum omne, & omnia tribus determinata sunt: finis enim, & medium, & principium numerum habent eum, qui ipsi omnis est: hæc autem eũ, qui Trinitatis est. Quapropter à natura accipientes, tanquam lege illius, & ad sacrificia Deorum hoc vtimur numero. *Quæ verba ita refert S. Thomas*: per hunc numerum, *scilicet ternarium*, adhibuimus nos ipsos, magnificare Deum vnum, eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata.]

13 Et Augustinus cieat. lib. 7. confess. cap. 9. ait: [Procurasti enim mihi per quendam hominem, immanissimo typho tumidum, quosdam Platonicorum libros ex græcâ linguâ in latinam versos: & ibi legi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat verbum, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbum, &c.] Trismegistus quoque in libro, qui dicitur Himander dialog. 4. ait: *Mens genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Denique plura erant testimonia Sibyllarum, quibus hoc mysterium clarissimè traditur, apud Lactantium lib. 1. diuin. Instit. cap. 6. & lib. 4. cap. 6. & 7. Augustinum 18. de ciuit. cap 23. & Eugubinum lib. 1. de perenni Phil. cap. 25.

Ad hanc obiectionem respondet S. Thomas cit. q. 32. a. 1. ad 1. Philosophos non cognouisse mysterium Trinitatis diuinarum personarum *per propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio, & processio*, secundùm illud Apostoli cit. 1. Corinth. 2. cognouisse tamen *quædam essentialia attributa, quæ appropriantur personis, sicut potentia Patri, Sapientia filio, bonitas Spiritui sancto.* Sed rectè plus dicunt SS. Patres locis citatis: & patet inspicienti eorum testimonia loc. citat.

Respondeo igitur ex communi, Ethnicos illos 14
Philosophos, præcipuè Trismegistum & Platonem, habuisse quidem imperfectam aliquam Trinitatis cognitionem, verùm non ratione naturali acquisitam; sed haustam ex reuelatione diuina siue per sacram scripturam, præcipuè Moysis, seu per Maiorum traditionem accepta, & ad gentiles deriuata: vt videre est apud Eusebium lib. 10. de præparat. Euang. cap. 1. a. & 3. & Theodoretum de græcan. affect. ipsumque Augustinum cit. lib. 18. de ciuitat. Dei. Sed & Sibyllas immediatè diuino numine afflatas, hæc fidei mysteria ab ipso Deo didicisse, communis est & certa Doctorum ac Patrum sententia loco citato. Aristoteles tamen loco citato ad rem non pertinet. Solum enim significat, antiquos vsos fuisse ternario numero in sacrificijs & orationibus, non quod ipse constituaret ternarium numerum in diuinis, sed propter quandam ternarij numeri perfectionem. *Tria* etiam dixit *esse omnia*, quia principio, medio, & fine continentur omnia; quodque primus perfectus numerus sit ternarius, vt ibidem ipse persequitur, vt bene Sanctus Thomas, qui etiam dicit, citatum illud Trismegisti, non esse referendum ad generationem Filij, vel Processionem Spiritus sancti, sed ad productionem mundi. *Nam vnus Deus prædicatur vnum mundum, propter suipsius amorem.* 1

Secundò obijcitur, quod Sanctus Thomas cit. 15
quæst. 32. artic. 1. conendit, absque reuelatione *defendere nos posse, non esse impossibile*, quod de hoc & alijs mysterijs prædicat fides: Ergo ratione naturali potest cognosci possibilitas, adeoque & existentia huius mysterij, &c.

Respondeo negando consequentiam. Quia *defensio* illa, de qua loquitur Sanctus Thomas, non consistit in probatione eius possibilitatis, vel non impossibilitatis, sed in solutione argumentorum, qua ostendimus, suppositis fidei motiuis, neminem prudenter moueri posse, vt argumentis seu propositionibus fidei contrarijs, assensum præbeat; quod quidem fit sola probatione credibilitatis, non autem veritatis, aut possibilitatis rerum fidei, vt pluribus dictum disput. 1. quæstio. 5. dub. 5. Cætera argumenta, quæ à Gregorio de Valentia obijciuntur, faciliora sunt, quàm vt speciali responsione egeant.

DVBIVM III.

Quot sint personæ diuinæ.

S. Thom. 1. p. q. 30.

1 AD pluralitatem personarum diuinarum, requiritur, vt & sint personæ in Deitate, inter se reipsa distinctæ, iuxta eam personæ notionem & definitionem, quâ ex Boëtio dub. 1. retulimus; & vt singulæ istæ personæ sint vnus & verus Deus. Nã si personæ eiusmodi aut non sint inter se verèatq; à parte rei distinctæ; aut singulæ non sint verus & vnus Deus, tunc reuera nulla erit personarum diuinarum pluralitas. Cum enim verus Deus vnus tantum sit, ex dictis d. 2. q. 5. dub. 3. fieri non potest, vt sint verus Deus, nisi sint vnus Deus. Hoc ergo sensu quæsitum hoc est caput totius disputationis de Trinitate; in quo turpiter impegerunt quotquot Trinitatis mysterium aduersus Catholicam Ecclesiam impugnârunt.

Qui quidem inter se variè differunt. Quidam enim hoc mysterium apertè negant, & impugnant; alij solùm occultè & indirectè. Ex illorum numero sunt Pagani & gentiles, non solum athei illi & idololatræ, qui aut Deum prorsus nullum, aut certè verum Deum non agnoscunt, sed etiam qui vnum verum Deum Conditorem cœli & terræ profitentur; nam & isti aut personas plures in diuinis prorsus non agnoscunt, aut certe plures etiam Deos constituunt.

2 Secundo huc spectant omnes Iudæi, qui scripturæ ductu vnum quidem verum Deum agnoscunt & profitentur, pluralitatem autem personarum diuinarum, tamquam scripturis diuinis aduersam reijciunt.

Tertio huc spectant quam plures hæretici, qui ab hac ipsa erroris materia *Trinitarij*, seu *Antitrinitarij* appellantur. Qui quidem sunt in duplici differentia. Alij enim directe pluralitatem personarum in ipso DEO negant; alij vero directe negant *consubstantialitatem*, seu quod ex pluribus illis personis singulæ sint vnus & verus Deus.

3 Prioris generis fuerunt olim Hermogenes, Praxeas (refutatus à Tertulliano peculiari libro) Noëtus, Sabellius, teste Augustino lib. de hæresibus cap. 41. vbi expresse Noëtianis & Sabellianis tribuit, quod dicant, *in* DEO *eundem ipsum esse, & Patrem, & filium, & spiritum sanctum.* Eandem pluralitatem personarum negârunt Paulus Samosatenus, & Photinus, teste Hilario lib. de Synodis, & Theodoreto lib. 1. hæret. fab. Ex recentioribus vero nostri temporis Sectarijs, eandem hæresin sectantur Michaël Seruetus Geneuæ, instigante Caluino, Anno 1555. publicè combustus, itemque eius discipuli, Franciscus Dauidis, Georgius Blandrata, & alij multi in Transyluania & Poloniâ noui Trinitarij Samosateni, qui asserunt, nullam esse in Deo distinctionem personarum, simulque negant, Christum secundùm essentiam esse Deum illum verum, *qui in scriptura Deus Israël, & Deus vnus dicitur*; sed ipsa humanitate sua, & secundum humanam & creatam hypostasin suam, quatenus sine viri opera, *ex Dei substantia*, vt Seruetus loquitur, conceptus est, aiunt esse filium Dei, & Deum, gratia & sanctificatione, & inhabitatione singulari diuinitatis in ipso, vt plurib⁹ explicant Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 1. §. 7. & Bellarminus tom. 1. controuers. 2. lib. 1. cap. 1.

Posterioris autem generis, qui directe consubstantialitatem personarum in diuinis negant, fuerunt Peratæ apud Theodoretum lib. 1. hæret. fab. qui [Trinitatem dicunt ingenitam, & nominant tres Deos, tres rationes, tres mentes, tres homines, &c.] Eundem secutus est Arius cum suis, qui teste eodem Theodoreto lib. 4 hæret. fab. negauit, [filium esse eiusdem cum Patre substantiæ, eundem creaturam vocans; nec coæternum esse Patri, sed ex ijs, quæ non sunt, factum esse dicebat; & ipsum mutabilem habere naturâ asserebat.] Quod pariter etiam de Spiritu sancto sensisse ex eodem Theodoreto ibidem colligitur. Arianorum enim, vti & Eunomianorum, ac Macedonianorum (de quibus mox dicetur) vox erat, [Spiritum sanctum nõ verũ, sed peregrinũ & adscriptitiũ Deum esse,] teste Gregorio Nazianzeno orat. 5. de Theologia. 4

Ipsamet autem Arij verba refert Athanasius orat. 2. contra Arianos, ex libro quodam eius, quem inscripsit Thalia; [Ipsum, *inquit*, Verbum ex nihilo factum est. Cum enim omnia ex non entibus extiterint, & in vniuersum nihil sint, nisi creatura & opera, restat igitur; ipsum quoque DEI verbum ex non entibus factum esse. Et fuit, quando non erat, neque erat, antequam fieret, sed exordium, vt crearetur, ipsum etiam habuit. Deinde cum vellet nos Deus condere, tunc vnum aliquem fecit, quem Verbum, filium, & Sapientiam nominauit, vt per eius operam nos architectaremur, &c.] 5

Idem docuit Eunomius, apud eundem ibidem, qui filium quidem [primam & eximiam Patris creaturam esse dicebat; Spiritum autem Sanctum ante alias creaturas esse à filio fabricatum. Eunomiani autem, *inquit Theodoretus inferius*, etiam Aëtiani appellantur, nempe quod Eunomius Aëtium suum Magistrum & Doctorem appellâsset.]

Itaque vt ait idem Theodoretus in dialog. 2. Inconfusus, [Diuersa & omnino contraria fuerunt hæretica decreta Arij & Sabellij: Ille quidem diuidit substantias; hic vero confundit hypostases seu personas. Arius quidem tres substantias (*siue essentias*) inducit: Sabellius vero pro tribus vnam hypostasin (*seu personam*) esse dicit.] Quod passim etiam notârunt Augustinus, & alij Patres. Arij hæresin secutus fuit etiam Ioannes Philoponus apud Nicephorum lib. 18. cap. 48. & Gallus quidam, contra quem S. Anselmus scripsit librum de Incarnat. &c. 6

Hanc eandem Arij hæresin renouauit nostro seculo Valentinus Gentilis Italus, qui post palinodiam Geneuæ decantatam recidiuus, ob eandem hæresin apud Bernam capite plexus fuit; de qua re extat peculiaris libellus Benedicti Aretij inscriptus de supplicio Valentini. Ab hoc Valentino enata est noua secta Trinitariorum, qui docent, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum *tres*

esse spiritus æternos, essentiali numero differentes; & addunt, has tres personas non esse æquales, sed patrem esse longe eminentiorem cæteris, ita vt ipse *essentiator*, alij duo *essentiati* dici debeant, vt pluribus declarat Bellarminus loco citato capite secundo. Sicut igitur Seruetus personarum Trinitatem in Deo prorsus sustulit, ita Valentinus non modò personarum: sed etiam naturæ Trinitatem asseruit. Sed & ipse Arius cum suis, licet verbo tenus Trinitatem confiteretur, re ipsa tamen negabat plures personas diuinas, vt rectè notauit etiam S. Thomas q. 27. a. 1. Atque hi hactenus aperte Trinitatis mysterium impugnant.

7 Occultè verò idem Trinitatis mysterium impugnare non immerito visi sunt primum Lutherus; qui non solum *Trinitatis* vocem & inuocationem; vti & vocabulum *Homousios* exosa habuit, vt dictum dub. præced. sed etiam in biblijs suis optima S. Trinitatis & diuinitatis Christi testimonia pessimè depranauit, omissa vocula *Deus* Isai. 9. v. 6. & testimonio illo 1. Ioann. 5. *Tres sunt.* &c. imò & Comment. in caput. 1. Genes. filium Dei *æternum instrumentum Patris* appellat.

Deinde Melanchthon; qui in libro contra Stancarum, & in locis communibus Anni 1558. pag. 40. loquens de filio secundum diuinitatem ait, *Filius subditus est Patri, subiectus, obediens.* Et in epistola ad Electorem Brandeburgens. 12. Ianuar. Anno 1553. & in lib. contra Stancarum: *Filius DEI*, inquit, *secundum diuinitatem gloriam sibi dari ac restitui orat & postulat.* Et in citatis locis communibus pag. 40. ait: *Natura diuina filij obediuit Patri in passione.* Denique in locis communibus Hallæ Sueuorum editis Anno 1539. folio 8. & 10. ita loquitur de filio, vt ei non absolute naturam diuinam, sed *aliquid naturæ diuinæ*; item *quandam diuinam naturam* tribuat. Quo modo etiam in locis Anni 1545. folio 53. dicit, quando Spiritus sanctus mittitur, *aliquid essentiæ diuinæ mitti.*

8 Adhæc Caluinus lib. contra Valentinum Gentilem ait, Filij personam non nisi *improprie Creatorem cæli & terræ nominari*; *Patrem autem proprie.* Item, *Impropriam esse atque duram orationem illam Symboli Nicæni*, *DEVS de DEO.* Eundem Caluinum pro sui erroris defensione citans Blandrata Seruetianus in disputat. Albanâ articulo 2. *Auditores*, inquit, *ad vnicum Caluinum relegamus, qui veteres Scriptores* (SS. Patres) *palam carpit, quod locum hunc, Ego & Pater vnum sumus, ad vnitatem essentiæ detorserunt.*

Præterea Bullingerus itidem Sacramentarius lib. de authorit. Script. & Eccles. tres in diuinate personas differre dicit, *non statu, sed gradu; non subsistentiâ, sed formâ; non potestate, sed specie.*

9 Denique Erasmus in Schol. tom. 3. epist. Hieronymi, veritus non est scribere, Arianos, *non hæresin docuisse*, sed tantummodo fecisse *schisma.* Item annotat. in caput vlt. 1. Ioann. illud Ioann. 14. *Ego & Pater vnum sumus*, cum Arianis non de naturæ vnitate, sed de concordia voluntatis interpretatur. Item in caput ad Rom. 9. locum illum Pauli Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, itidem cum Arianis interpretatur, *Non sibi æqualitatem cum DEO arrogauit.* Circa illud etiam Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem; qui est super omnia DEVS, &c.* voculam, *DEVS* aut redundare, aut ad Patrem referri docet. In præfat. quoque ad libros Hilarij, *Audemus*, inquit, *Spiritum sanctum DEVM appellare; quod veteres non sunt ausi.* quod aperte falsum est. Postremo ad marginem disputationis Sancti Augustini cum Maximino Ariano lib. 1. annotauit Erasmus, *naturam diuinam non vnam esse numero, &c.* Quæ & plura alia referunt Gregorius de Valentia cit. disp. 3. q. 1. p. 1. §. 7 8. 9. 24 & Bellarminus in præfatione cit. Controuersia de Christo.

Etsi verò hæc controuersia & per se grauissima sit, & tractatio eiusdem, ob tantam malè de ea sentientium varietatem, perquàm necessaria, quia tamen & res hæc iam antea egregiè contra hæreticos à Bellarmino & Gregorio de Valentia locis citatis est pertractata, & nostri instituti propriè non est controuersias fidei contra hæreticos, sed potius Scholasticas, quæ inter Doctores salua fide disputatur, pertractare, ideo breuiter solũ aliquot assertionib⁹ Catholicâ doctrinâ hac de re ꝓponã, & appositis Scripturæ testimonijs confirmabo. 10

Assertio I. Vna persona diuina est Pater; qui proindè verè, propriè ac substantialiter verus est ipse Deus. Hæc assertio inter eos, qui scripturam recipiunt, est extra omnem controuersiam: null⁹ enim fuit hæreticus, vti nec Iudæus, qui negaret, eum qui in Scriptura vocatur *Deus Pater*, vere, propriè, ac substantialiter esse verum DEVM: imò hunc vnum, Iudæi, vt & Ariani noui ac veteres, propriè ac substantialiter verum Deum esse contendunt. Solus Valentinus Gentiles turpiter insaniens, in suis prothesibus negare ausus est, Patrem non quidem esse verum Deum, sed esse personam: *Pater*, inquit, *non est hypostasis seu persona, sed spiritus à quo omnia, secundum Apostolum.* Quasi verò Pater à quo filius, & spiritus à quo omnia, persona non sit: cùm aliud non sit persona, quàm intelligens & per se subsistens substantia; qualis necessario est spiritus ille, à quo omnia, vt ex dictis disp. 2. patet.

Testimonia vero Scripturæ, in quibus Deus verus vocatur Pater, sunt ista. Iob. 34. v. 36. ait Eliu ad Deum: *Pater mi, probetur Iob vsq; ad finem.* psal. 88. v. 27. *Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, DEVS meus & susceptor salutis meæ.* Sap. 2, vers. 16. de Christo dicitur: *Gloriatur Patrem se habere Deum.* Et rursum Sap. 11 v. 11. ad ipsum verum Deum: *Hos quidem tanquam Pater monens probasti, illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti.* Sap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, prouidentia gubernat.* Eccli. 23. v. 1. *Domine Pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum, &c.* Ibid. v. 4. *Domine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.* Eccli. 51. v. 14. *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio.* Isai. 63. v. 16. *Tu enim Pater noster; & Abraham nescivit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine Pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Isai. 64. vers. 8. *Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Ierem. 3. vers. 4. *Ergo saltem* 11

amodo

amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Et ibidem v. 19. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Ierem. 31. vers. 9. *Factus sum Israëli Pater, & Ephraim primogenitus meus est.* Malachiæ 1. vers. 6. *Filius honorat Patrem, & seruus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus, & si Dominus ego sum, vbi est timor meus, dicit Dominus exercituum.* Malachiæ 2. versu 10. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum? nunquid non DEVS vnus creauit nos?*

12 Et in nouo testamento sæpissimè, Matthæi 5. vers. 16. *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et vers. 45. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Et vers. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Matth. 6. vers. 1. *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et vers. 9. *Pater noster qui es in cœlis.* Et vers. 32. *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Matth. 11. vers. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ.* Et vers. 27. *Nemo nouit filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi filius.* Matth. 23. v. 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram. Vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* 2. Corinth. 1. vers. 2. 3. *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino IESV Christo, Benedictus Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Omitto alia innumera. Ex quibus satis patet, in vtroque testamento, verum & vnicum Deum vocari Patrem, & quidem vtroque modo relatiue, tum ad creaturas scilicet, tum ad æternum & consubstantialem filium, vt mox dicetur. Eadem assertio patet ex omnibus symbolis.

13 Assertio II. Persona quoque diuina est filius; qui & ipse vere, proprie, & substantialiter verus est Deus. Hæc assertio est de fide, cõtra Iudæos, & Arianos nouos ac veteres, superius relatos; qui negãt, vt vidimus, filium esse vere ac substantialiter verũ Deum: tametsi personam aliquam esse nemo neget. Nam vt notauit Gregorius de Valentia hic q. 1. p. 2. Omnes hæretici, qui filium Dei agnoscunt, per filium illum Dei aut intellexerunt aliquẽ spiritum æternum, aut aliquam creaturam nobilissimam & perfectissimam, ordine primam, quæ vtiq; necessario persona esse debet, aut Christum Iesum natum B. Mariæ Virginis, qui vel accidentaliter, vel substantialiter quoquo modo filius Dei dicatur. Idem colligitur ex ratione filij, qui substantiam completam & perfectam denotat.

14 Testimonia autem diuinitatis filij Dei, qui scilicet in Scriptura dicitur vnigenitus, æternus, verus, aut proprius filius Dei Patris, à nobis in quatuor classes distinguuntur. Prima est eorum locorũ, in quibus filius ipse, sub nomine *Filij* aut *Verbi diuini*, (quod eãdem esse cum filio personam probabitur inferius) Deus esse dicitur, aut docetur. Ioan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Et v. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vbi idem vocatur vnigenitus, qui antea Verbum & Deus est appellatus. Ioan. 10. v. 30. *Ego (filius) & Pater vnum sumus.* Quod omnes Patres de vnitate substantiæ intellexerunt, non de sola voluntatis concordia. 1. Ioann 5. v. 20. *Vt simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Vbi in græco textu efficacius & significantius dicitur, ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος. Eodem referri possunt alia loca, in quibus mentio fit singularis alicuius filij Dei, non per adoptionem, sed per naturam, quæ inferius referemus.

Secunda classis est eorum locorum noui testa- 15
menti, in quibus Christo (quem eundem etiam esse cum filio Dei, inferius patebit) tribuitur diuinitas. Ioann. 20. v. 28. *Respondit Sanctus Thomas & dixit ei, Dominus meus & Deus meus.* Act. 20. v. 28. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit (idem scilicet DEVS) sanguine suo.* Rom. 9. vers. 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* 1. Corinth. 2. v. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Philipp. 2. v. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu; qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c* Titi 2. vers. 13. *Exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Apocal. 17. v. 14. *Agnus* (vtique Christus) *vincet illos, quoniam dominus dominorum est, & Rex Regum.*

Huc perniment etiam ea loca, quibus significa- 16
tur, Christum esse filium Dei, non adoptione per gratiam; sed naturalem, adeoque consubstantialem Dei filium, quandoquidẽ de ratione filij naturalis est, vt sit eiusdem naturæ cũ Patre. Matt. 16. v. 16. *Tu es Christus filius Dei viui:* græcè, σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος; nempe singularis ille & vnicus filius Dei. Luc. 1. vers. 32. *Et vocabitur Altissimi filius.* Galat. 4. vers. 4. *Misit Deus filium suum &c. vt adoptionem filiorum reciperemus.* Hebr. 1. vers. 5. *Qui cum sit splendor Patris, & figura substantiæ eius.* Et vers. 5. *Cui enim aliquando Angelorum dixit, filius meus es tu: ego hodie genui te. Et rursum; Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* 1. Ioann. 5. vers. 20. *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius.* Eiusdem generis sunt alia loca, in quibus Christus vocatur vnigenitus, seu vnicus filius Dei. Ioann. 1. vers. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti.* Et vers. 18. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ioann. 3. vers. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Tertia classis est locorum veteris testamenti; 17
in quibus diuinitas tribuitur Christo ac Messiæ; quæ quidem loca directè contra Iudæos pugnant. Isai. 9. v. 6. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi, princeps pacis.* Et quamuis iam Iudæi mutatis punctis legant, *Iikra*; hoc est, *vocabit*, quasi epitheta illa sint Dei Patris vocantis, non Christi aut filij vocati; puncta tamẽ illa primũ post S. Hieronymi tẽpora Hebræo textui adiecta, auctoritatẽ per se nõ merentur: & contextus ipse clamat, tam multa illa nomina tribuenda non esse vocanti, sed vocato Messiæ; de eius nomine ibidem ex instituto agit Propheta;

ac proinde secundum aliam punctaturam legendum *likkare*, hoc est, *vocabitur*; sicut ante Iudæos illos punctatores legit non solum Latinus interpres, sed etiam ante illum plerique græci interpretes. Symmachus enim habet καληθησεται; Ignatius, Irenæus, Eusebius, quin etiam LXX. habent κληθηται. Imo etiam Targum hoc loco passiuum habet.

18 Huc spectat illud Isai. 35. v. 4. *Deus ipse veniet, & saluabit uos. Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Isai. 45. v. 14. *Hæc dicit Dominus &c. Tantum in te est Deus, & non est absq; te Deus. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator.* Vbi cum loquatur Deus de Deo, & ad Deum, vt ex contextu patet, Pater vtique ad filium, & de filio Saluatore & Messiâ loquitur. Isai. 52. v. 6. *Dicit Dominus; Iugiter totâ die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipse, qui loquebar, Ecce adsum.* Ierem. 23. v. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terrâ. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter; & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus* (Iehoua) *iustus noster.* Vbi quamuis iam in Hebræo textu, à Iudæis, ad vim argumenti minuendam, rursus legatur aliter, videlicet, in singulari numero *likreu, vocabit eum*, vt ad Patrem referatur; latinus tamen interpres, vti & Targum olim legerunt pluraliter, *likreu*, vel *likreuhu, vocabunt eum*, vt non possit non ad Messiam referri; de quâ re plura Petrus Galatinus lib. 3. contra Iudæos capit. 7. & 17. Huc spectat illud Baruch 3. v. 36. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eũ, &c. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Mich. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.*

19 Quarta classis continet insignia quædam loca veteris testamenti, explicata in nouo testamento, iuxta quam explicationem Christus IESVS ex MARIA virgine natus, expresse etiam vocatur Deus. Etenim I. Locum psalmi 44. v. 7. *Sedes tua Deus in seculum seculi*, de Christo interpretatur Paulus Heb. 1. v. 8. II. Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Vbi inter alia etiam legitur, v. 3. *Ex vtero ante Luciferum genui te*, (naturali vtique & substantiali generatione) expresse ad Christum seu Messiam refertur. Matth. 22. v. 44. Actorum 2. v. 34. Heb. 1. & 7. III. Locum Isai. 6. vers. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c.* explicat Ioannes cap. 12. v. 41. de Christo filio Dei, *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* IV. Locus Isai. 40. v. 3. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*, ab omnibus Euangelistis explicatur de Christo, Matth. 3. Marci 1. Luc. 1. Joann. 1. V. Illud Isai. 44. v. 6. *Ego primus, & ego nouissimus*, ipse etiam Christus de ipso affirmat. Apocal. 1. v. 18. Omitto plura.

20 Ceterum his locis, quicquid tergiuersentur Sanctissimæ Trinitatis hostes, solidè ac firmiter probari diuinitatem Christi & filij Dei, ex hoc patet. 1. Quia ita antiqui Patres, & vetus Ecclesia ea loca intellexerunt; quibus illi ipsi etiam contra veteres Arianos ad hoc institutum probandum vsi sunt, vt agnoscunt etiam Aduersarij. 2. Quia non aliter, nec clarius ex Scriptura probari potest, ipsum etiam Patrem esse verum Deum, quàm eiusmodi locis, quibus absolutè verus Deus, Omnipotens, Creator asseritur, &c. cuiusmodi loca etiam de Christo filio Dei ante retulimus. 3. Quia ipsa loca sunt tam clara, vt seruato plano verborũ sensu, ac sermonia proprietate spectatâ, nullâ tergiuersatione eludi possint. Quemadmodum enim si quis diceret, Hæc substantia est verus homo, intelligeremus vtique propriè & substantialiter hominem esse; & si quis diceret, Hic est proprius, vnigenitus, verus filius Pauli, intelligeremus vtique naturalem, adeoque consubstantialem eius filium esse; ita cum in præcedentibus locis audimus, *Hic est verus* DEVS, est DEVS *benedictus &c.* Item est *verus proprius* filius Dei, intelligere vtique debemus, substantialiter Deum, & naturalem consubstantialemq; filium Dei esse: quando absoluta nomina substantiæ de aliquo propriè non prædicantur nisi substantialiter. Plura assert. 5.

Assertio III. Sed & Spiritus sanctus verè propriè, & substantialiter Deus, & persona diuina est. Aduertendum, nomen Spiritûs sancti, duobus modis vsurpari posse, primò *essentialiter*; quo modo aliquid commune est omnibus personis diuinis; quandoquidem vnaquæque & Spiritus, & sanctus spiritus est; quod apud omnes extra controuersiam est; secundo *notionaliter*, pro certa persona in Trinitate, & hoc sensu intelligitur præsens assertio, quæ de fide etiam est contra Arianos, Eunomianos, & Macedonianos superiùs relatos. 21

Probatur ex Scriptura. Primo quia sæpe in Scriptura homines vocantur templum Dei Spiritus sancti. 1. Corinth. 3. v. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Et 1. Corinth. 6. vers. 19. *An nescitis, quoniam membra nostra templum sunt Spiritus sancti. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quo vtroque loco Spiritus sanctus aperte Deus dicitur. Accedit quod templa propriè non nisi Deo dicantur; cui soli sacrificium offertur.

Secundo sæpe in Scripturâ vocatur Spiritus Dei; eique actio tribuitur intelligentis naturæ propria: qualis nom nisi personæ, & supposito tribui solet. Et quid aliud est spiritus diuinus, vel Spiritus Dei, quàm Deus? 22

Tertio speciatim huc faciunt hæc loca. 2. Reg. 23. vers. 2. ait Dauid: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Dixit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel, Dominator hominum, iustus dominator in timore Dei.* Vbi idem dicitur spiritus Domini, & Deus Israel. Item Act. 5. vers. 5. *Dixit autem Petrus, Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto? &c. Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Denique præcipua sunt, quæ de tota Trinitate adducentur assert. 5. Ex quibus omnibus efficitur, Patrem, Filium, & spiritum sanctum in diuinis esse vnius substantiæ, siue naturæ diuinæ; quandoquidem vna tantum est natura diuina, vnusque Deus. Nunc probandum

est,

est, eos non obstante natutæ identitate, esse tres personas inter se distinctas.

23 Assertio IV. Filius in diuinis est persona eadem cum Verbo, & Christo Domino; distincta tamen à Patre & Spiritu Sancto. Tota assertio est de fide ex Scriptura, & Ecclesiæ definitione, vt patebit assert. 5. Et prima pars est contra Sabellianos, qui vt testatur Athanasius orat. contra Sabellij gregales, & Basilius Serm. contra eosdem, dixerunt, Verbum diuinum non esse rem subsistentem, sed simplicem quandam Dei conceptionem, de assumenda carne humana. In quo errore etiam fuerunt Valentiniani, vt ex Irenæo lib. 2. cap. 18. intelligi potest. Eundem errorem nostro etiam tempore renouarunt Michael Seruetus, & qui eum in Transyluania secuti sunt Trinitarij, Georgius Blandrata, Franciscus Dauidis, & alij vt dictum. Accipitur autem in præsenti Verbum diuinum, non figuratè, seu per metonymiam pro signo aut effectu verbi diuini, quo modo scriptum dicitur Verbum Dei; aut quo modo 1. Reg. 3. dicitur, *Ecce ego facio verbum in Israel.* & Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* sed propriè pro illo vnico Dei Verbo, *quod in principio erat apud Deum*, Ioann. 1.

24 Ex quo loco etiam probatur eadem pars assertionis, quando ibidem dicitur v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et v. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et v. 14. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Neque enim dubium esse potest, quin verè persona sit, & quidem eadem cum filio Dei, id quod est Deus; qui tanquam Dominus in mundum aduenit, ab aliquibus receptus, ab alijs non item; quod caro factum habitauit in nobis, & tanquam vnigenitus à Patre plenus gratia & veritate, signis videlicet & miraculis clarus, visus est; quæ omnia dicuntur de Verbo illo citato loco Ioann. 1.

25 Quo etiam tanquam firmissimo argumento, ad idem institutum probandum, contra veteres Trinitarios vno quasi consensu vsi sunt omnes SS. Patres, vt videre est apud Gregorium de Valentia cit. q. 1. p. 1. §. 2. Optimè Irenæus lib. 1. cap. 1. contra Valentinum disserens: *Ioanne*, inquit, *vnum Deum exponente, & vnum vnigenitum Iesum Christum annunciante, per quem omnia facta esse dixit, hunc Verbum Dei, hunc vnigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in sua venisse, hunc eundem carnem factum, & habitasse in nobis affirmat.* Et paulo post: *Discite igitur insensati, quoniam Iesus qui passus est pro vobis, qui inhabitauit in eobis, ipse est Verbum Dei.* Et ante Irenæum Ignatius, epist. ad Magnesianos: *Filius est ipsius Patris Verbum, non prolatum, sed substantiale. Non enim locutionis articulata vox est; sed diuinæ efficaciæ substantia genita.*

26 Ex quibus etiam patet secunda pars assertionis, Filium in diuinis esse eandem personam cum Christo Domino; quod negant omnes illi, qui Christum solum hominem faciunt, quales olim fuerunt Ebion, Paulus Samosatenus, Photinus, & alij, vt suo loco in 3. parte fusius dicetur. Constat autem ex citato loco Ioann. 1. idem Verbum diuinum & vnigenitum Patris, Carnem factum, habitasse in nobis: quod sine vlla dubitatione ad Christum refertur, vt ex totius capitis contextu euidens est. De illo enim hoc dicit, per quem mox ait, veritatem factam, & quem à Ioanne demonstratum, & prædicatum esse docet; quem etiam apertè Iesum Christum vocat. Idem patet ex omnibus locis assert. præced. citatis, in quibus Iesus Christus Deus, & filius Dei vnigenitus, proprius, verus dicitur. Nam si Christus propriè & substantialiter Deus, atque adeo persona diuina est, si verus & proprius, adeoque naturalis Dei filius, necessario sequitur, Christum vnam & eandem personam diuinam esse, quæ est filius, & Verbum, cum filium & Verbum vnam & eandem esse personam, iam antea demonstratum sit. c.

27 Tertia pars de distinctione Filij à Patre & Spiritu Sancto contra Sabellianos nouos & veteres, probatur ex eadem Scriptura; quoties Verbum, seu Christus, Dei seu æterni Patris filius dicitur. Filius enim vtique est distincta persona à Patre. In quem sensum etiam Tertullianus lib. contra Praxeam: *Neque ipse mihi ero Pater*, inquit, *neque ipse mihi ero filius.* Idem patet de Spiritu Sancto ex Ioan. 16. v. 12. 13. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, &c. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Vbi apertissimè Christus de Spiritu Sancto loquitur, tanquam de persona à se distincta. Plura pro hac parte adducentur assert. seq. vbi coniunctim probantur tres personæ Trinitatis.

28 Assertio V. Sed & Spiritus Sanctus in diuinis est persona distincta à Patre: ac proindè in vna & eadem essentia diuina, tres sunt personæ diuinæ realiter à se mutuo distinctæ, Pater, Filius seu Verbum, & Spiritus Sanctus. Hæc est fides & doctrina Catholica, quæ in omnibus Symbolis proponitur. In Apostolico: *Credo in Deum Patrem, &c. Et in Iesum Christum filium eius, &c. Credo in Spiritum sanctum.* In Nicæno: *Credo in vnum Deum Patrem, &c. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum. Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre filioque procedit.* Et in Symbolo Athanasij disertissimè. *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est etiam persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, &c.* quicquid noui Trinitarij hoc Symbolum velut apocryphum, contra veteris Ecclesiæ sensum temerè respuant. Eadem denique sacræ Trinitatis veritas ex instituto definita fuit contra superius relatos hæreticos in Concilio Nicæno; ac postea in omnibus Conciliis constanter defensa & confirmata.

29 Probatur præter dicta superius apertè ijs locis Scripturæ, in quibus coniunctim & distinctè omnes tres personæ diuinæ commemorantur. Primus locus est Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti;* vbi sub proprijs nominibus omnes tres per-

sonæ diuinæ distinctè exprimuntur, eodemque loco ad idem propositum vsi sunt omnes Sancti Patres.

Secundus locus est Ioann. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* In quem locum Basilius serm. contra Sabellianos & Arianos: *Nonne*, inquit, *palam impudens es, cum audis, Ego de filio; Ille de Patre; Alius de Spiritu sancto; & omnia tu misces, & omnia confundis, & vnis rei omnes appellationes tribuis?*

30 Tertius locus est eod. cap. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Vbi apertè rursum Christus de Spiritu Sancto loquitur, tanquam de persona à se, & à Patre distincta.

Quartus locus est Ioann. 15. v. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Vbi rursum tres personæ distinguuntur, Mittens filius, Spiritus sanctus qui mittitur, Pater à quo mittitur.

Quintus locus est 2. Cor. vlt. v. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti spiritus, sit cum omnibus vobis.* In quo loco Dei nomine intelligitur Pater, nomine autem Spiritus S. tertia persona Trinitatis, quandoquidem Deus hoc loco, vti & Spiritus S. distinguitur à Christo.

31 Sextus locus est 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.* Qui locus apertissimè simul & distinctionem personarum, & consubstantialitatem earundem, adeoque vnitatem essentiæ exprimit. *Tres* enim ad personas pertinet; *vnum* ad essentiam. Neque vero locus ille solum ita legitur in latinis Biblijs, sed etiam apud SS. Patres plerosq;, imo & in ipso textu græco Regijs biblijs inserto: etsi Lutherus secutus fortè vestigia Erasmi in annot. ad eundem locum, & quorundam scriptorum & exemplarium vacillante indicio ductus, maluit eum locum in suis Biblijs prætermittere, quam certiorem aliorum Codicum ac SS. Patrum fidem; & communem prioris Ecclesiæ traditionem atque vsum, iam nunc etiam Concilij Tridentini ac Romani Pontificis auctoritate comprobatum sectando, adeo manifestus SS. Trinitatis assertor fieri. Omitto plura alia loca noui Testamenti, in quibus vbi de Patre, Filio, & Spiritu sancto sermo est, vsurpantur particulæ, *Apud, Cum, De, Et*; quæ omnes distinctionem personarum significant.

32 Huc etiam spectant aliqua loca veteris Testamenti; in quo Trinitas personarum in Deo obscurius quidem exponitur, non tamen omnino tacetur. Primo enim Augustinus libro de Genes. ad lit. imperfecto cap. 1. item Origenes & Rupertus in cap. 1. Genes. vers. 1. prima statim verba Geneseos, *In principio*, cum illis, quæ paulo post sequuntur v. 2. *Spiritus autem Domini ferebatur super aquas*, &c. ad S. Trinitatis mysterium referunt; vt idem sit, *In principio*, quod *in Verbo*, seu Filio, per quem facta sunt omnia. Ioan. 1. v. 2. per *Spiritum* autem tertia persona Trinitatis, hoc est, Spiritus sanctus intelligatur. Non malè, nec improbabiliter; quicquid in contrarium cum nonnullis disserat Vasquez 1. p. d. 108. cap. 2. Licet enim apud Hebræos nomen *Bereschit* ex vi vocis generatim principium, seu in principio significet, in hoc vero loco determinatè etiam *principium temporis*, iuxta Capit. *Firmiter* de summa Trinit. & fid. Cathol. vel simpliciter exordium rerum conditarum; nihil obstat tamen, hoc ipso nomine velut per excellentiam, etiam primam ex Deo procedentem substantiam, adeoque Verbum ac Vnigenitum Dei filiũ, *per quem fecit & secula*, Heb. 1. v. 2. intelligere; ad eum ferè modum, quo primogenitus in Scriptura dicitur *principium liberorum*, Deuter. 21. vel *principium dolorum* Genes. 49. Quali etiam phrasi, in diuerso tamen rerum genere, vtitur Scriptura, cum Behemoth *principium viarum Dei* appellat, Iob. 40.

Fauet huic sensui, quod Scriptura nõ semel *Principij* nomen Filio tribuit, Col. 1. v. 18. *Qui est principium.* Apoc. 3. v. 14. *Principium creaturæ Dei.* Apoc. 1. v. 22. *Principium & finis.* Probabiliter etiam Ioan. 8. v. 25. *Principium, qui & loquor vobis.* Nec quicquam repugnat, quo minus eiusdem Scripturæ loci plures sint sensus literales, vti in eum ipsum Scripturæ locum sapienter scripsit Augustinus, lib. 12. Confess. cap. 30. & 31. & suo loco superius dictum disp. 1. quæst. 5. dub. 2. 33

Secundo multi etiam egregiè docti, in quibus Magister, alijque Scholastici in 2. sent. d. 1. item Burgensis in Genesin, Lyranus ibidem & opusc. de Trinit. Galatinus lib. 2. de arcanis Cathol. verit. cap. 9. Catharinus contra Caietanum lib. 4. Salmeron tom. 1. proleg. 10. quinquag. 2. con. 8. Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 2. ad Trinitatis mysterium referunt illa, quæ in eodem capite Geneseos paulo post subsequuntur verba v. 1. Vbi enim nos legimus, *Creauit Deus* textus hebraicus habet, *Bara Elohim*; quod si verbum verbo reddas, idem est, quod *Creauit Dij*: quasi hac posteriori voce Moyses pluralitatem seu Trinitatem personarum diuinarum; illa vero priore vnitatem essentiæ voluerit significare: tametsi alij, in quibus Abulensis, Caietanus, Pererius, Delrius, Bellarminus lib. de Christo cap. 6. & Vasquez cit. disp. 108. cap. 2. hanc phrasin omni mysterio vacare rati, eam ad solum hebraicæ linguæ idiotismum referunt. Ego vero idiotismum agnosco, in eo, quod Deus communiter apud Hebræos non singulariter *Eloah*, sed pluraliter (quod in alijs linguis non licet) *Elohim*; sicut etiam non *Adon*, sed *Adonai* dicitur: hoc ipso vero idiotismo, ex Dei eius linguæ auctoris mente, pluralitatem diuinarum personarum, licet obscurè, significari probabiliter existimo. Incredibile enim videtur, linguam omnium simplicissimam ac maximè propriam, plurali numero plerunq; Deũ fuisse expressuram, nisi quædã in Deo personarũ pluralitas esset. Min⁹ credibile, Moysen contra consuetam alioqui etiam Hebræorum syntaxin, statim secundo sui operis verbo, ac in re tanta vbi pluralitas numeri maiestati seruire poterat, singularem verbi cum plurali nominis fuisse iuncturum, si etiam natura in Deo pluralitas esset. 34 35

35 Tertio ad institutum hoc probabiliter referuntur verba Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: eo quod Deus ipse, quasi inter se consilio habito, pluraliter de se loquatur. Quo sensu ad mysterium Trinitatis probandum, hoc loco vtuntur Origenes, Basilius, & Chrysostomus in eum locum, Ambrosius ibidem, & in lib. de dignit. hum. condit. Athanasius orat. contra Idola, Eusebius lib. 1. hist. cap. 1. Epiphanius in Anchorato, Augustinus lib. de Genes. ad lit. imperfect. loc. cit. & de ciuit. Dei lib. 16. c. 6. Cyrillius lib. cont. Iulian. Theodoretus q. 19. in Genes. Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 1. Galatinus, Salmeron, & Delrius loc. cit. nec repugnat Vasquez loc. cit.

36 Quarto huc spectat illud Genes. 19. versu. 24. *Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo.* Vbi pro *Dominus à Domino*, hebraicè legitur *Iehoua meeth Iehoua*, hoc est, Deus de Deo; quod sine multiplicatione personarum propriè intelligi non potest. Quo testimonio etiam in eundem sensum vtuntur Ignatij epist. ad Antiochenos, Iustinus dialog. cum Triphone, Tertullianus lib. contra Mar. cap. 16. Athanasius orat. cont. Sabellian. Hilarius lib. 5. de Trinit. Epiphanius in Anchorato, Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 11. Galatinus cit. lib. 2. cap. 9. & consentit Vasquez loc. cit. contra Dionysium Carthusianum & Vatablum. Omitto, quod in Concilio Sirmiensi (non legitimo, sed Ariano, apud Hilarium lib. de Synod. & Socratem lib. 2. c. 27.) can. 13. 16. & 17. damnantur illi, qui dixerint, Genes. 1. cum ait scriptura, *Faciamus hominem*, Patrem ad seipsum esse locutum: & qui negauerint Genes. 19. cum dicitur, *pluit Dominus à Domino*, de filio & Patre esse intelligendum.

Quinto tres etiam Viri Abrahæ apparentes, & ab eodem singulari numero reuerenter consalutati, verbis illis Genes. 18. v. 4. *Domine si inueni gratiam in oculis tuis*, iuxta communem SS. Patrum expositionem, apud Rupertum & Pererium loc. cit. SS. Trinitatis mysterium rectè adumbrasse videntur. A quibus etiam originem sumsit celebre illud & peruulgatum dictum, *Tres vidit & vnum adorauit.* Bene Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 11. *Cum tres*, inquit, *viri visi sunt, nec quisquam eis vel forma, vel ætate, vel potestate maior ceteris dictus est, cur non hîc accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem, Trinitatis æqualitatem, atque in tribus personis vnam eandemque substantiam.* Qui etiam ibidem infra cap. 12. similem Lothi ad duos Angelos sermonem Genes. 19. v. 18. ad duas personas vnius essentiæ, Filium & spiritum sanctum refert.

37 Sexto huc inprimis etiam spectat Trisagios hymnus, quem primo SS. Trinitati cecinerunt Seraphim Isai. 6. v. 3. in hanc formam, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria eius.* Iterarunt deinde quatuor animalia, *quæ requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dominus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*, Apocal. 4. v. 8. Communi denique ac solenni vsu miraculo cœlitus prælucente, recepit vniuersa tam latina, quam græca Ecclesia; cum in hunc modum personat: *Sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nobis*; vt videre est apud Epiphanium in Anchorato, & Damascenum lib. 3. Orthod. fid. cap. 10. & epist. de Trisagio, vbi ait: [Quid causæ est, quamobrem Seraphim, nec bis, nec quater, sanctus dicant? Annon vt trium personarum numerum significent, in vnam diuinitatem & dominationem coeuntium. &c. Ternarius quippe numerus, *vt idem infrius ait*, tria significat, vnitas autem vnum. Quapropter sanctus, sanctus, sanctus, & ter sanctus, quia tres personæ; Dominus autem, quia tres personæ vnus Deus sunt. &c. Nam quod non de filio duntaxat *inquit idem lib. 3. orth. fid. cap. 10.* sed de sancta Trinitate dictus sit ille ter Sanctus hymnus, testantur Diuus & sacer Athanasius, Basilius, & Gregorius, ac totus diuino Numine afflatorum Patrum chorus: nempe quod sancta illa Seraphim per triplicem sanctitatem, tres supereſſentialis Trinitatis personas nobis subindicent; per vnam autem Dominationem, vnam diuinæ Trinitatis substantiam imperiumque declarent.]

38 Atque ob hanc ipsam etiam causam tantopere sibi inuigilandum censuerunt SS. Patres, ne tantum mysterium adulterina quadam additione ab hæreticis deprauaretur; reiecta speciatim illa Petri Cnaphæi appendice, quam ad Trisagion Ecclesiæ assuerat, dicendo, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*, vt videre est apud Damascenum loc. cit. & in synod. Constantinopolit. V. a. 1. & apud Nicephorum lib. 4. cap. 46. Omitto cetera Prophetarum vaticinia, quæ præter personam Patris, passim etiam personæ filij meminerunt; cuius generis aliqua iam superius assertio. secunda retulimus.

39 Assertio VI. Non sunt plures personæ diuinæ, quam tres. Ita omnia Concilia, omnia symbola fidei, omnia scripturæ testimonia, pro Trinitate personarum assert. præced. allata. Ratio principijs fidei nixa sumitur ex S. Thoma hic q. 30. a. 2. Quia personæ in diuinis constituuntur secundum multiplicationem relationum realium oppositarum, realiter inter se distinctarum, quales sunt tantum tres; nimirum Paternitas, Filiatio, & Processio, seu spiratio passiua; quæ propterea etiam dicuntur proprietates personales, vt dicetur quæst. 3. Quamuis enim præter tres illas relationes reales, sit adhuc alia, quæ dicitur spiratio actiua, quia tamen hæc non opponitur Paternitati & Filiationi, idcirco realiter non distinguitur ab illis; nec adeo potest personam ab eis distinctam constituere; sed est relatio communis, & re eadem cum persona Patris & Filij, vt dicetur ibidem.

40 Alia ratio sumitur ex S. Thoma q. 27. a. 1. & 4. Quia non sunt pauciores quidem personæ in diuinis, quam sunt processiones reales in ipso Deo, siue ad intra: hæ autem sunt duæ, vt tum ex scripturis liquet; tum ex eo conuenienter suadetur. Quia processiones ad intra in Deo esse non possunt, nisi secundum operationes immanentes, respondentes quasi diuersis potentijs operationis ad intra: siquidem per operationes transeuntes,

hoc

hoc ipso, quod extra Deum feruntur, à Deo non procedunt, nisi creaturæ, quod euidens est: atqui duæ tantum sunt diuersæ eiusmodi operationes immanentes, nimirum actus intellectus & actus voluntatis, vt patet; quia actus potentiæ executiuæ, quam in Deo cum S. Thoma ratione distinctam ab intellectu & voluntate posuimus, solum sunt actus transeuntes: Ergo duæ sunt in DEO processiones, adeoque personæ: & quia hæ necessario supponunt personam, à qua procedant, necessario præter duas personas procedentes, assignanda est tertia, à qua illæ procedant, iuxta ea quæ dicentur quæst. seq.

41 Assertio VII. Personæ tres in diuinis à se mutuo reipsa; atque etiam realiter distinguuntur. Ita docent omnes Scholastici; & prior pars est de fide, vt bene notauit Suarez lib. 3. cap. 2. num. 2. quam definiunt omnia Concilia, ipsaque Scriptura tradit hoc ipso, quod absolute & simpliciter doceant personas esse plures, vnamque personam non esse aliam; item ab vna procedere aliam. Quod vero illa distinctio dicenda sit realis, etsi non inueniatur sub hac voce tractatum à Patribus, aut à Concilijs definitum, sufficienter tamen continetur in his ipsis locutionibus, quas diximus esse definitas, vt proinde merito etiam censeatur de fide, vt notauit idem Suarez loc. cit. Nam realiter aliqua distingui non est aliud, quam esse veras res, quarum vna non est alia. Idem patet ex processione realiac substantiali; vti & ex relationibus realibus oppositis, quæ processionibus respondent; quorum neutrum esse potest nisi inter res realiter distinctas.

42 Addit S. Thomas quæst. 30. art. 3. terminos numerales, puta dualitatem, Trinitatem, aut etiam ipsam pluralitatem in Deo, nihil addere formaliter etiam secundum rationem supra ipsas vnitates; sed solam negationem diuisionis circa vnamquamque rem: quod etiam ipse S. Thomas pariter de omnibus rebus spiritualibus docet; ne videlicet numerum seu multitutidinem eiusmodi rerum in prædicamento quantitatis constituere cogatur; idemque communiter sequuntur Thomistæ ceteri, speciatim Caietanus, & Torres ibidem, Capreolus dist. 24. quæst. 1. art. 2.

43 Sed quicquid sit de ratione formali numeri; certè pluralitatem rationem formalem positiuam significare, & superaddere vnitatibus secundum se spectatis, in omni materia, videtur verius, vt docent Bonauentura in 1. d. 24. artic. 2. quæst. 1. Durandus quæstione 1. Marsilius quæst. 27. artic. 1. & sequitur Vasquez disput. 129. capite 2. idque ob eam vel maximè rationem, quod vnum & multa aut opponantur contrariè, vt idem Vasquez cum alijs existimat; aut opponantur priuatiuè, ita, vt vnum formaliter sit priuatio diuisionis, vt docet S. Thomas ibidem, & supra quæstione vndecima, art. 1. & 2. & Thomistæ alijque recentiores communiter: fieri ergo non potest, vt multitudo quoque formaliter dicat priuationem. Plura vide supra disputatione secunda quæst. 5. dub. 3.

Atque hæc summatim est fides Catholica de sanctissima Trinitate; qua ferè nituntur cetera, quæ deinceps de ea trademus. Restat nunc, vt argumenta potissima, quæ contra hoc mysterium obijciuntur, dissoluamus; quod sequenti dubio faciemus.

DVBIVM IV.

Qua ratione dissoluenda sint obiectiones, contra sanctissimæ Trinitatis mysterium pugnantes.

S. Thomas 1. p. q. 30.

PErtinet quidem hæc res ad dubitationem præcedentem; sed nimiæ prolixitatis ae tædij vitandi causa, seorsim à nobis expedietur. Possunt autem omnia argumenta contra Trinitatem diuinarum personarum ad duas classes reuocari. Quibusdam enim directè impugnatur pluralitas diuinarum personarum; alijs consubstantialitas earundem inter se, adeoque identitas cum essentia diuina. Ex vtrisque potissima seligemus. 1

Contra pluralitatem diuinarum personarum obijcitur primo Scriptura, in qua Deus dicitur solus, vt Deuter. 32. *Videte quod ego sum solus.* Et lib. 2. Esdræ cap. 9. v. 6. *Tu ipse Domine solus, tu fecisti cælum, & cælum cælorum.* Et 1. Tim. 1. *Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor, &c.* Qui autem solus est, solitarius est, & non habet consortium personarum eiusdem naturæ.

Respondetur ex doctrina S. Thomæ quæst. 31. artic. 3. voculam *solus* dupliciter accipi posse, primo categorematicè, vt per se peculiare prædicatum constituat; quo modo idem est quod *solitarius*; & ita etiam sol est solus, hoc est, vnicus: secundo accipi potest syncategorematicè, prout significat solum modificationem prædicati vel subiecti, seu vt loquitur Sanctus Thomas, *prout importat ordinem prædicati ad subiectum:* quo modo dicimus, solus Socrates scribit, hoc est, nemo præter illum scribit, etiamsi plures illi scribenti præsentes sint. Atque hoc solum posteriori modo ac sensu vocula *solus* additur nomini DEI, seu termino essentiali in diuinis, vt sensus sit, nullum præterea alium esse DEVM, præter vnum ac verum DEVM; aut solum DEVM creare, diuinoque honore dignum esse; non autem rem vllam aliam, quæ non sit Deus. Quo modo etiam in priori loco Scriptura seipsam explicat, quando mox subiungit; *& non est alius Deus præter me.* 2

Secundo obijcitur. Non minus videtur implicare contradictionem, esse plures personas diuinas, quam esse plures Deos; siquidem hoc propterea implicat, quia vnus alterius perfectione careret, atque ita non quilibet esset infinitus: hoc autem eodem modo sequi videtur: nam si vna persona ab altera realiter distinguitur, ergo vnaquæque caret perfectione alterius, per quam ab altera distinguitur, hoc est, relatione siue proprietate alterius personali; alias enim ab illa 3

non

non distingueretur: siquidem ob hoc ipsum etiam vna persona non est alia, &c.

Respondetur, negando primum assumptum; vt ex fide constat. Ad probationem respondetur, diuersam esse rationem plurium Deorum, & plurium personarum in vna Deitate. Si enim plures essent Dij, tunc non modo singuli personalitatem, sed etiam naturam distinctam haberent; ac proinde nec ratione personalitatis, nec ratione naturæ haberet vnusquisque perfectionem propriam alterius: at vero hoc ipso quod personæ sunt quidem ratione personalitatis distinctæ, at vero in natura idem prorsus, eademque simplicissima entitas, ideo simpliciter & absolutè loquendo, vna non caret perfectione & realitate alterius: licet enim eam non habeat ratione suæ personalitatis, siue prout secundum personalitatem ab altera distinguitur, eique opponitur, habet tamen in sua natura, seu prout est vnum in natura cum altera persona: quod sufficit ad infinitatem absolutam & simpliciter dictam vniuscuiusque personæ: siquidem perfectio & infinitas vniuscuiusque personæ non solum desumitur, ac æstimanda est ex infinitate seu perfectione proprietatis personalis, sed vel maximè etiam ex perfectione essentiæ; cum essentia sit de ratione intrinseca personæ.

4 Qua de causa etiam Sanctus Dionysius cap. 2. de diuin. nom. ait, diuinas personas *esse vnum Patrem in vnum discrete, & discretum communitim.* Et Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. in sancta lumina; *distingui Deum indistinctum, & connecti distinctim.* Et Sanctus Athanasius oration. 4. contra Arian. ait: *Quicquid est filius, id vniuersum esse proprium* (siue intrinsecum) *substantiæ Patris, &c.* iuxta illud CHRISTI Ioann. 14. versu decimo. *Ego in Patre, & Pater in me.* Et Ioann. 17. versu
11 decimo. *Mea omnia tua sunt; & tua mea sunt.* Et rursum oratione contra Sabellij gregales: *Filius*, inquit, *identitatem habet cum Patre, & tamen ipse interim Pater non est: sed vnitus* (seu vnum) *natura cum Patre.*

Dices. Aut Pater habet in sua natura filiationem, etiam vt filiatio est, seu vt relatiue opponitur paternitati, ab eaque reipsa, à natura vero diuina ratione distinguitur; aut non habet: si non habet; ergo caret formali perfectione filiationis, qua filiatio est; si habet, ergo poterit Pater ab ea perfectione denominari filius; saltem identicè.

5 Respondeo, Patrem per identitatem in natura habere filiationem, etiam vt filiatio est; siquidem filiatio, etiam vt filiatio, tanquam vltimus quasi terminus naturæ, est ipsa natura diuina, quam Pater habet. Neque tamen ipsa natura diuina dicitur filius, nisi per identitatem: licet ne hoc quidem modo Pater dici Filius possit. Ratio diuersitatis est; quia natura diuina ita habet
1 filiationem per identitatem, vt ab ea reipsa nullo modo distinguatur; at vero Pater per identitatem in natura diuina habet quidem filiationem; sed ita, vt simul secundum suam hypostasin, qua Pater est, à filio realiter distinguatur: quare natura quidem diuina identicè filius dici potest; Pater absolutè loquendo non item.

Vrgebis; hoc ipsum tamen est cuiusdam perfectionis, habere filiationem formaliter, non tantum per identitatem in natura, sed etiam ratione hypostasis per formalem denominationem; ita vt persona illa vere & propriè sit filius: quam tamen perfectionem non habet Pater, vt dictum. Ergo Pater non habet omnem perfectionem formaliter, quam habet filius: ac proinde non est ens simpliciter infinitum.

Respondeo, concesso antecedente, negando 6
postremam consequentiam. Quia ad Ens simpliciter infinitum non requiritur, vt habeat omnem perfectionem formaliter, etiam illam, quæ esse potest in Ente infinito; sed vt formaliter habeat omnem perfectionem simpliciter simplicem, formaliter autem vel eminenter, siue æquiualenter, omnem aliam perfectionem; quod fit in proposito. Quia filiatio, vti & aliæ proprietates personales, non sunt perfectiones simpliciter simplices: satis est ergo, vt Pater, etsi formaliter ac reipsa non sit filius, habeat tamen tum ipsam filiationem, per naturæ identitatem; tum aliam proprietatem personalem æquiualentem, à qua sit & denominetur persona diuina; nimirum ipsam paterniratem, quæ nec magis, nec minus perfecta est, quam filiatio, vt pluribus dicetur quæstione tertia, dubio quarto. Idem de quauis alia proprietate personali dicendum est, comparata ad eam personam diuinam, cui opponitur, & à qua distinguitur. Omitto aliam responsionem Scoti, quæ negat, relationes ac proprietates personales in diuinis formaliter esse perfectiones: quæ sententia quæstione 3. excutienda & refutanda erit.

Dices. Eodem modo defendi posset infinitas plurium Deorum, etiamsi vna persona non haberet propriam personalitatem alterius, nec in natura quidem identificatam.

Respondeo negando assumptum; quia ad 7
hoc, vt æquiualenter habeatur personalitas alterius personæ, præter personalitatem, quæ sit æqualis perfectionis, requiritur etiam, vt natura sit eadem: alioquin enim & diuersa erit potentia vtriusque; & non infinita: quia neutra poterit impedire aut irritare opus alterius.

Tertio obijcitur. Aut pluralitas personarum est necessaria in ente infinito, vel non. Si non: ergo male ponitur in DEO; qui secundum totum suum Esse est ens necessarium: si necessaria est, ergo etiam in quauis persona diuina, vt persona est, esse debet; cum qualibet persona sit Ens simpliciter infinitum.

Respondetur, esse planè necessariam (vti 8
ex reuelatione didicimus) tum in Ente infinito adæquatè, & secundum totam suam latitudinem perfectionis spectato, ita vt ipsum illud Ens infinitum, quod est Deus, non solum identicè sit Trinitas personarum, sed etiam personæ singulæ de eo, illudque de personis singulis formaliter prædicetur: tum etiam in qualibet persona, spectata non quidem præcisè secundum suam personalitatem, sed secundum essentiam in qua vnaquæque necessario sibi identificat tres

perso-

personaas; licet ob mutuam earum inter se oppositionem & distinctionem, absolutè loquendo, vt antea dictum, vna persona non sit alia; ac proinde nec vna omnes tres; si enim hoc esset, iam non esset pluralitas; quæ non nisi ex pluribus vnitatibus potest consistere. Qua ratione etiam dicendum est, vnitatem essentiæ cum vnica hypostasi non sufficere ad terminandam adæquatè naturam diuinam; ac proinde nec ad omnia, quæ sunt necessaria in Ente simpliciter infinito, adæquatè spectato; etsi nos quidem eam huius infiniti perfectionem non cognouissemus, nisi reuelatio antecessisset.

9 Quarto obijcitur. Aut personæ diuinæ, quæ plures sunt & distinctæ, vniuntur inter se saltem in essentia; aut non. Si non; ergo sunt solum Ens vnum per aggregationem, neque sunt vnum in essentia: si autem vniuntur in essentia, ergo essentia diuina est composita ex pluribus entitatibus, neque est ens vnum per se, sed per aggregationem; quia ex pluribus in actu perfectis non potest constare vnum per se iuxta Philosophum.

Respondeo, personas diuinas inter se non vniri; sed vnum esse in essentia: quo fit, vt neque ipsæ sint vnum solum per aggregationem, sed vnum substantialiter, vnaque simplicissima entitas essentiæ diuinæ: neque essentia diuina sit composita, autens per accidens; quia compositio non est nisi ex pluribus inter se vnitis, qua plura sunt; nec ens per accidens est, in quo est omnimoda plurium identitas. Aut ergo personæ diuinæ comparantur præcisè inter se secundum suas personalitates, aut comparantur cum natura diuina; neutro modo compositionem faciunt; quia secundum ipsas præcisè personalitates, & abstrahendo ab essentia, non sunt aliquid vnum; in essentia vero non sunt aliquid distinctum; cum tamen ad compositionem requiratur, & distinctio plurium; & vnitio eorundem, ex qua consurgat vnitas totius.

10 Quinto obijcitur. In diuinis nihil est, quod non sit à parte rei de intrinseca ratione & quidditate essentiæ diuinæ: pluralitas personarum diuinarum non est: si enim esset, sequeretur, de nulla persona affirmari posse, quod sit essentia diuina; siquidem nulla persona est tres personæ, vt superius dictum.

Respondetur negando minorem. Ad probationem itidem negatur sequela; ad rationem respondetur; etsi personæ quidem identicè idem sint cum essentia; non tamen de personis singulis prædicari posse, quicquid prædicatur de essentia, ob virtualem essentiæ, & proprietatum personalium distinctionem, quæ æquiualent pluribus re distinctis: quo fit, vt in præsenti locum non habeat pronunciatum illud; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, vt inferius dicetur. Quo sensu etiam Gregorius Nazianzenus oratio. quinta, de Theolog. dixit: *Filius non est Pater, sed quod Pater: nec Spiritus sanctus est Filius, sed quod Filius. Atque ita inconfusa trium personarum distinctio, in vna diuinitatis natura conseruatur.*

11 Contra identitatem vero diuinarum personarum, in eadem essentia diuina, obijciuntur initio quædam Scripturæ loca; ac primum illa, quibus significatur, Verbum & Sapientiam diuinam, adeoque Filium, esse creaturam. Eccli. 24. *Ab initio creata sum.* Et: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Addebant Arriani veteres illud ex Prouerbior. 8. *Dominus creauit me initio viarum suarum, &c.*

Respondetur, in citato loco Prouerb. 8. legendum, *Dominus possedit me*, vt latinus textus habet, & notarunt iam olim Epiphanius hæresi 69. & Basilius libro secundo cont. Eunom. Nam hebraicè legitur *Kanah*, non *Barah*. Verbum autem possidendi, iuxta Scripturæ phrasin, refertur ad naturalem generationem, iuxta illud Genes. 4. *Possedi hominem per Deum.* Et in eodem loco Prouerb. 8. diuina Sapientia de seipsa loquitur, *Ego iam concepta eram. Ante omnes colles ego parturiebar.* In alijs locis verbum *creandi* latè sumitur, non pro productione ex nihilo, sed ex nulla præsupposita materia; quando alias multo frequentius filij productio generatio vocatur, vt superius vidimus. Exprimit autem Scriptura filij productionem, ob pleniorem significationem, vtroque nomine, vt benè Hilarius lib. de synod. Priori quidem figuratè, ob dictam causam; posteriori autem propriè, ad significandam filij consubstantialitatem cum Patre. Accedit, quod etiam communi loquendi vsu generatio filiorum *procreatio* dicitur. Dici etiam potest, hæc pertinere ad Christum secundum humanitatem; ad quam sane referendum necessario videtur illud ibid. v. 12. *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium*: vt exponit etiam glossa interlinearis. Et v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Nisi dicamus, etiam vocabulam *præcepti* accipi impropriè, pro efficaci decreto & voluntate.

12 Secundo obijciuntur illa loca, in quibus filius significatur esse minor Patre; vt Ioannis 14. *Pater maior me est.* 1. Cor. 15. *Tunc & ipse filius subiectus erit ei, &c.*

Respondetur cum Sanctis Patribus, hæc & alia similia intelligenda esse de CHRISTO, secundum Humanitatem, vt pluribus persequitur Gregorius Nazianzenus orat. 3. de Theolog. sub finem. Benè etiam Athanasius libro cont. Apollinarium: *Hæc*, inquit, *humana verba humilitatis filij DEI, ideo ad constituendam suam blasphemiam hæretici detorquent, quia nolunt attendere Apostolo, de Christo ad Ephesios capite tertio dicenti, quod propter nos, cum diues esset, factus est pauper, vt nos illius inopia diuites fieremus.* Est ergo hæc omnium Sanctorum Patrum regula tenenda, vt humiliora eiusmodi, quæ dicuntur de Christo, attribuamus ei secundum humanitatem, qua reuera paulo minor est etiam Angelis; non autem secundum diuinitatem, qua vnum est cum Patre.

13 Tertio obijciuntur ea loca, in quibus dicitur, Filium & Spiritum sanctum mitti à Patre: missio autem imperium & superioritatem significat. Respondetur, non solum inferiores à superioribus mitti, sed quandoque etiam æquales ab æqualibus. Quare in proposito missio personarum in diuinis non inæqualitatem, sed originis ordinem signifi-

cat.

cat. Mitti enim ab alia dicitur illa persona, quæ ex vi personæ alterius à qua procedit, incipit esse seu operari alicubi nouo quodam modo, quo antea non erat, vt pluribus dicetur quæstione quarta, dub. 9.

Quarto obijcitur, quod nonnunquam solus Pater dicitur esse Deus, vt Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et 1. Corinth. 8. Nobis vnus est Deus Pater, & vnus Dominus Iesus Christus, &c.

14 Respondetur ex communi doctrina Patrum, quando per particulam aliquam exclusiuam fit exclusio à diuinis prædicatis, id *ad eos tantum, qui falsò dicuntur Dij*, referendum esse, vt loquitur Basilius lib. 4. cont. Eunom. in fin. non autem ad ceteras personas diuinas; tum quia omnes vnum sunt in essentia cum Patre; tum, quia Pater non potest esse DEVS sine suo verbo, atque spiritu, vt bene Athanasius epistol. ad Serapionem. Addit Sanctus Thomas quæst. 31. art. 4. ad 1. ex Augustino libro 6. de Trinit. capite 5. illud Ioann. 17. intelligi etiam posse, non de sola persona Patris, sed de tota Trinitate; intelligendo nimirum quod sequitur, de missione Filij secundum naturam humanam, iuxta ea, quæ dicentur quæst. 4. dub. 9.

15 Deinde vero ex ratione obijcitur. Si Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnum in essentia diuina, sequitur, etiam esse vnam personam, vel contra; quod variis modis probatur. Primo hoc syllogismo expositorio; Hæc essentia diuina est Pater; hæc essentia diuina est filius: Ergo Filius est Pater. Idem argumentum fieri potest de Spiritu sancto comparato cum Patre & filio; vt & de relationibus cum essentia comparatis.

Secundo. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed Pater, Filius & Spiritus Sanctus, secundum suas proprietates personales, sunt
1 reipsa eadem vni tertio, quod est essentia diuina, ex hypothesi: Ergo sunt eadem reipsa inter se: ac proinde etiam vt personæ sunt, & secundum suas proprietates personales, reipsa inter se non distinguuntur: quod est contra fidem.

16 Tertiò. Omnis res vna numero in essentia, est vna tantum etiam in personis; vt inductione patet: sed Deus est vna res numero in essentia, ex hypothesi; Ergo est etiam res vna tantum in personis.

Quarto. Quodlibet est, vel non est. Item, De eodem non est verum idem affirmare & negare. Ergo impossibile est, vt vna & eadem simplicissima essentia diuina, à parte rei sit plura, scilicet plures personæ, & simul non sit plura, sed vna simplicissima entitas. Item, vt personæ diuinæ à parte rei sint plures & inter se distinctæ, & simul
1 sint vnum quiddam prorsus indiuisum & indistinctum, nempe ipsa essentia diuina. Aut ergo non sunt plures personæ in diuinis, aut certè etiam sunt plures essentiæ.

17 Ad hæc & similia argumenta Respondetur primo generatim, ea omnia aut peccare in forma, quod tunc præcipuè accidit, cum termini non rectè distribuuntur, & qui communis est, aut vim communis termini habet, sumitur pro singulari; vt est *essentia diuina*: vel certè peccare in materia; quod tunc fit, cum assumitur aliqua propositio vniuersalis, collecta ex inductione omnium rerum creatarum ad oppugnandum hoc mysterium fidei: quæ proinde hoc sensu, & cum hac extensione rectè negatur. Tum quia incredibile videri non debet, aut impossibile, si quòd in omnibus rebus creatis verum cernitur, in Deo, qui infinitis modis res omnes creatas excedit, verum non inueniatur; sed potius ille sibi proprium quiddam in ea re vendicet: cum & in rebus creatis, quæ tamen tanto inter se interuallo non dissident, sæpe cernatur aliquid omnibus commune; quod vni tamen soli non competat; V. G. vnum aliquem eorum esse album, cum reliqui omnes sint nigri. Tum quia per communia fidei nostræ motiua euidenter credibile fit, id quod per fidem proponitur, quantumuis abstrusum, & à naturali ratione in speciem abhorrens, esse verum; & ex consequenti falsum, quicquid eidem opponitur, & aduersatur: ita vt euidens sit credibilitas mysterij; non autem veritas; aut oppositi falsitas, vt pluribus dictum supra disputat. 1. quæstione 5. dub. 5.

18 His positis, secundo Respondetur sigillatim ad singula. Ad primum ex communi dicendum est, Syllogismum illum esse Sophisticum & fallacem, non expositorium; similem huic: Socrates est animal; Plato est animal: Ergo Plato est Socrates. Quare in forma neganda est consequentia. Ratio est: quia *hæc essentia diuina*, qui est medius terminus, non est plene distributus; & quamuis singularis sit, & vna numero res, æquiualet tamen termino & rei communi; eo quod ita singularis sit, vt sit etiam communicabilis pluribus, & plura realiter. Medius autem terminus in syllogismo expositorio non solum debet significare quamcunque rem singularem, sed ita singularem, vt non æquiualeat vniuersali aut communi. Omitto ineptam Sectariorum responsionem, qui dicere solent, formam & regulas syllogisticas in diuinis fallere, vt dictum in Examine Huñianæ Relationis de Colloquio Ratisponensi cap. 9. quod etiam perperam quosdam Catholicos respondisse refert Vasquez disp. 122. cap. 3.

19 Ad secundum Respondetur, veram esse maiorem, quando illud tertium prorsus est & singulare, & incommunicabile; adeoque ex sua ratione habet tantummodo vt sit res vnum; si autem non habeat solum, vt sit res vnum, sed vt sit quoque res plura, & communicabile pluribus, non est vera maior; perimeretur enim & tolleretur hac ratione natura illius tertij. Ita vero in præsentiarum cedere ex fide constat: quia essentia diuina est quidem aliquid re vnum, absolutum videlicet, & in ratione essentiæ; simul tamen etiam est res plures respectiua, seu plures personæ diuinæ. In quem sensum etiam Molina quæstione 28. articulo secundo, disputatione secunda & tertia rectè concedit, principium illud generatim procedere tam in diuinis, quam in humanis, si debitè explicetur, & intelligatur de tertio, quod & singulare sit, & penitus incommunicabile; alias

esse pseudographum. Quod si maior plane vniuersaliter accipiatur, & sine limitatione, falsa est: neque valet inductio ex rebus creatis, quia diuersa est ratio in diuinis, vt dictum est, & ex fide constat.

20 Quo sensu etiam Gregorius de Valentia quæst. 2. punct. 4. Suarez lib. 4. c. 3. & Vasquez disp. 122. cap. 21 & tandem etiam Albertinus tom. 1. princip. 7. corol. 1. num. 6. respondent, principium illud vniuersim sumptum, & in diuinis, non habere locum, *ob singulare & illimitatum esse diuinæ essentiæ*; quæ etsi reipsa vna entitas sit, æquiualet tamen pluribus, imo reipsa quoque plura est; nimirum tres personæ, simulque infinitè distat à rebus creatis, ex quarum inductione solum vti Principium illud collectum est, ità inter limites eosdem contineri debet, &c. S. Thomas q. 28. a. 3. ad 2. respondet, axioma procedere de his, quæ sunt re & ratione eadem vni tertio. Quomodo autem formæ ac modi Syllogismorum per se non nitantur hoc principio, sed illo, *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, videri poterit apud citatos.

21 Ad tertium Respondetur, maiorem veram esse, in rebus creatis, ex quibus sumpta est inductio; falsam in diuinis, de quibus aliud fides docet. Cuius simile etiam circa Incarnationis Mysterium accidit, quo fit, vt in Christo sint duæ naturæ perfectæ & completæ, & vna tantum persona: quod itidem in nulla re creata accidit.

Ad quartum Respondetur, axiomata illa sic intelligenda, vt non affirmetur idem de eodem, eadem ratione, & secundum idem: quod etiam in proposito accidit. Quia de eadem simplicissima entitate diuina affirmatur, quod sit multa, & vnum; seu multa, & non multa, non eadem, sed diuersa ratione; nimirum multa relatiua, seu multæ personæ; vnum autem absolutum, seu vna essentia: quantumuis essentia & personæ inter se nunquam nisi ratione differant.

22 Si quis dicat, hoc ipsum esse impossibile, vt vnaquæ eadè à parte rei simplicissima ac indiuisibilis entitas sit simul re vna entitas, & plures entitates; in quocunque etiã diuerso genere entis, præsertim si interim plures illæ entitates nõ nisi ratione differãt ab illa vna entitate: Respondẽdum est, id non esse impossibile, quando vnum illud, seu vna illa simplicissima entitas, re tantum differãt à pluribus, ita tamen ab ijs virtualiter distinguitur, vt simul æquiualeat pluribus realiter distinctis: quod hoc loco accidit, quia entitas essentiæ diuinæ ratione quidem tantum, sed simul tamen etiam ita virtualiter distinguitur à personis diuinis, vt ob singularem eminentiam, æquiualeat etiam pluribus re distinctis. Pari ratione possunt tres personæ, secundum suas proprietates personales, reipsa vnum esse in essentia, & simul tamen plura respectiua, seu plures personæ; quantumuis hæc plura non nisi ratione differant ab illo vno, quod est essentia. Quia, vt dictum, hoc vnum ita saltem virtualiter distinguitur ab illis multis, vt etsi ratione tantum ab ijs distinguatur, ipsa tamen essentia ac persona quælibet inter se comparata, æquiualeant pluribus etiam re distinctis; iuxta ea, quæ de virtuali attributorum diuinorum distinctione generatim docuimus supra disputatione 2. quæstione 2. dubio 3. Quod etsi quidem in nulla re creata accidat; & vero satis capi & intelligi à nobis in hac vita non possit, qui proprias rationes entis illius diuini non nouimus, nec vllum proprium eius conceptum habemus; nihil tamen obstat, quo minus per fidem credatur, de re illa admirabili, quæ infinitis modis ab alijs differt, & cuius adeo etiam Maiestatem decet, aliquid habere singulare & incomprehensibile.

Quod si quis rursum vrgeat inductionem 23
ex omnibus rebus creatis, in quibus nunquam sit; nec fieri potest, vt vnum aliquid sit plura, & vnum re, si vnum & plura illa alioquin inter se non nisi ratione differant; respondendum est, inductionem istam ex rebus creatis collectam, debere se continere intra terminos rerum creatarum, ex quibus collecta est: alioquin si limites suos transgrediatur, falsam fore, vt ex lumine fidei, quod altius & excellentius est lumine naturali, nouimus. Pluta argumenta aduersariorum ex Scriptura, ratione, & Sanctis Patribus petita, præcipuè contra diuinitatem filij, & Spiritus sancti, dissoluunt Gregorius de Valentia citat. quæstione 1. p. 1. §. 21. 22. 23. & 25. & Bellarminus tomo primo controuers. 2. de Christo libro primo, capite decimo tertio, & sequentibus.

DVBIVM V.

Vna ratione vocula & ratio Personæ communis sit omnibus personis diuinis; & de singulis prædicetur.

S. Thom. 1. p. q. 29. a. 4. & q. 30. a. 4.

VAria & multiplex est hac de re dubitatio, nimirum 1. quid nomen persona in genere, formaliter significet, an solam negationem, an secundam intentionem, seu entis rationis; an aliquam rationem positiuam realem. 2. Quid nomen persona in diuinis formaliter significet; an absolutum aliquid, an respectiuum; adeoque, an essentiam ipsam, an relationem. 3. An personæ nomen & ratio vniuocè communis sit personis creatis & diuinis, aut saltem diuinis inter se. 4. An quidditatiuè de singulis prædicetur, an solum denominatiuè. 5. An sit aliquid commune pluribus personis, per modum alicuius vniuersalis: quæ singula sequentibus assertionibus ordine explicamus: quibus etiam varietatem sententiarum, quæ est inter Doctores, de his rebus subijcimus.

Assertio 1. Nomen personæ, siue generatim, 2
siue particulatim (de diuinis) loquamur, formaliter ac directè non dicit solam negationem communicabilitatis; nec intentionem secundam, seu ens rationis; sed conceptum obiectiuum realem & positiuum, aliquo modo non secundum rem, sed secundum rationem communem omnibus

personis. Ita docet S. Thomas hic q. 30. artic. 4. Caietanus, & Thomistæ ibidem. Gregorius de Valentia q. 3. pun. 3. Suarez lib. 1. cap. 30. n. 8. Vasquez disp. 130. cap. 2. Idem docent ex antiquioribus Scholasticis Alensis 1. p. q. 56. memb. 4. art. 2. Bonauentura in 1. d. 25. a. 2. q. 1. Capreolus q. 1. a. 1. Marsilius in 1. q. 17. art. 2. nec dissentire videtur Aureolus in 1. d. 23. q. 1. art. 3. etsi nonnulli contrarium docuerint.

Etenim Scotus in 1. d. 23. q. 1. asserit, nomen personæ formaliter ac directè dicere solam negationem communicabilitatis: si tamen aliquid positiuum significet, quod non omnino improbabile censet, putat id aliud esse non posse, quam aliquid commune relationi & substantiæ. Durandus vero citato d. 23. quæstio. 1. ait, formaliter dicere intentionem secundam; quam vtramq; opinionem refert & refellit S. Thomas cit. a. 4. & Aureolus loc. cit.

3 Ratio est. Tum quia personalitas dicit modum subsistendi incommunicabiliter, adeoque vltimum complementum naturæ rationalis, per quod subsistit; quale complementum esse non potest, neque negatio, neque intentio secunda, siue ens rationis. Tum quia persona formaliter est principium agendi, quale itidem esse non potest negatio, aut intentio secunda. Et quia omnes personæ diuinæ in hoc conueniunt & similes sunt, quod habent modum subsistendi incommunicabiliter, seu vt loquitur S. Thomas, quod vnaquæque eorum subsistit in natura diuina, distincta ab alia, quod formaliter significatur nomine Personæ; hinc fit, vt nomen personæ etiam in diuinis significet cõceptum obiectiuum realem & positiuum, eumque communem, non quidem reipsa, sic enim vna tantum persona esset in omnibus, vt bene etiam notauit Sanct. Thomas ibidem; sed ratione; vt in alijs nominibus communibus accidit.

4 Posito autem, quod nomen personæ etiam in diuinis aliquid reale positiuum significet, adhuc tamen controuertitur, quid sit illud reale positiuum; seu an vocula personæ formaliter significet essentiam, an relationem, an aliquid ab vtraque abstrahens. De quare S. Thomas hic q. 29. a. 4. ex instituto agens, tres recitat sententias; Prima est, *hoc nomen persona simpliciter ex virtute vocabuli, in diuinis significare essentiam, sicut nomen Deus, & nomen sapiens; sed propter importunitatem hæreticorum fuisse accommodatum, ex ordinatione concilij, vt posset poni pro relatiuis; præcipuè in plurali, vel cum nomine partitiuo: vt cum dicimus tres personas, vebalia est persona Patris, alia Filij. In singulari vero, inquiunt, potest sumi pro absoluto, & pro relatiuo.* Sed hanc sententiam bene refellit S. Thomas. Si enim persona ex vi vocabuli, significaret essentiam, non male hæretici Samosateni negassent in Deo pluralitatem personarum; quorum error proinde ea ratione non fuisset apte sublatus per Nicænum concilium.

Secunda sententia est, nomen personæ significare essentiam in recto, & relationem in obliquo. Pro qua sententia nullus refertur author, nec argumentum.

Tertia sententia est, significare relationem in recto; & essentiam in obliquo; quia in definitione personæ natura ponitur in obliquo. *Et isti*, inquit, S. Thomas, *propinquius ad veritatem accesserunt.* Ad quam accedens ipsemet etiam S. Thomas ibidem, ait, personam diuinam significare relationem vt subsistentem, seu relationem per modum substantiæ. *Et secundum hoc verum est* inquit, *quod hoc nomen persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo, non tamen relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis.* Et addit: *Similiter etiam significat essentiam in recto, & relationem in obliquo, in quantũ essentia idem est, quod hypostasis.* Ita S. Thomas. 5

In cuius tamen verbis hoc ipsum dubium est, 6
cum ait, nomen personæ significare relationem per modum substantiæ; an directè significet substantiam, an relationem. Caietanus quidem ead. q. 29. a. 4. docet, in Deo formaliter & directè significare relationem; materialiter vero seu indirectè substantiam. Alij plures, vt Alensis, Bonauentura, Gabriel, Marsilius, Capreolus locis cit. & Torres hic cit. a. 4. è contrario dicunt, directè significare substantiam; consequenter verò relationem; & pro se vtrique citant S. Thomam. Res autem ita facilè explicatur, vt docet & simul probat hæc

Assertio II. Nomen personæ directè quidem & 7
formaliter, etiam in diuinis, significat substantiam seu hypostasin, vt patet ex eius definitione; directe vero & materialiter relationem in concreto; V. G. Patrem; hæc enim est, cui conuenit in diuinis esse hypostasin, quæque incommunicabiliter subsistit; quamuis formaliter & expresè nomine personæ ea non significetur; quod solum probant contrariæ sententiæ Authores: Essentiam autem partim significat consequenter, partim connotat in obliquo; quorum hoc ex definitione personæ patet; est enim persona *rationalis naturæ* individua substantia: alterum colligitur ex eo; quia ipsa hypostasis in Deo idem est cum essentia. Ita docet, & pluribus declarat Vasquez dist. 127. & facile etiam secundũ hæc exponi potest S. Thomas cit. art. 4. eâdemque ratione fere in concordiam redigi possunt authores citati, post relatam S. Thomæ sententiam.

Quâ ratione etiã non malè Scotus loc. cit. cen- 8
suit, positiuũ illud, per nomen personæ formaliter significatũ, esse aliquid commune relationi & substantiæ; quicquid cum Durando cit. dist. 23. q. 1. n. 6. repugnet Vasquez disp. 130. n. 11. Quia enim modus subsistendi incommunicabiliter, vocabulo personæ formaliter significat, in creatis quidem substantijs est aliquid absolutũ; in diuinis autem relatio substantialis, recte dicitur significatũ eius propriũ esse aliquid commune absoluto & relatiuo; non quidem commune vniuocum, sed analogum; sicut conceptus Entis communis est absoluto & relatiuo: ex quo non sequitur, totum esse relationis, si formaliter & adæquatè spectetur, non esse ad aliud, sed solum concipi posse inadæquatè conceptu quodam analogicè communi; quo vt sic actu & expresè non referatur ad aliud; quod verissimum est.

Digitized by Google

9 Assertio III. Nomen seu ratio personæ non est aliquid commune vniuocum ad personas, seu creatas, seu diuinas; ac proinde nec vniuocè de ijs prædicatur, sed analogicè. Hanc sententiam existimo esse probabiliorem, & communiorem apud Philosophos, qui communiter docent, indiuiduum non prædicari vniuocè de pluribus, sed solum analogicè; quod multo magis de indiuiduo vago dicendum est. Quare eadem assertio colligitur ex Sancto Thoma hic quæst. 30. art. 4. vbi dicit, etiam in rebus humanis, *hoc nomen persona esse commune communitate rationis, non sicut genus vel speciem, sed sicut indiuiduum vagum.* Eandem assertionem tradunt Scotus in 1. dist. 26. quæst. 1. §. *Tertia opinio*, & Aureolus in 1. d. 25. quæst. 1. art. 2. & d. 23. quæst. 1. a. 3. tametsi contrarium ex instituto pluribus suadere conatur Suarez hic lib. 1. cap. 3. à num. 8. qui in eandem sententiam citat S. Thomam hic quæst. 29. art. 4. & quæst. 30. a. 4. Caietanum ibidem & q. 27. a. 4. Alensem 1. part. quæst. 56. memb. 4. a. 2. Bonauenturam in 1. d. 25. a. 2. 4. q. 1. Capreolum ead. dist. 25. quæst. 1. art. 1. Marsilium in 1. quæst. 28. art. 2. concluf. 2. Sed isti solum docent, rationem obiectiuam nominis personæ esse realem, & communem pluribus personis; at vero vniuocè communem esse, non dicunt.

10 Probatur assertio. Quia ad nomen commune vniuocum requiritur, vt eadem ratione prædicetur de pluribus, adeoque vt ratio obiectiua per nomen formaliter significata, secundum rationem eadem planè sit in pluribus: sed hoc dici non potest de nomine personę, siue referatur ad personas creatas & increatas simul, siue sigillatim ad alteras earum: Ergo, &c. Maior patet. Minor probatur. Primo; quia ratio communis personæ, non est omnino abstracta, secundum rationem, ab inferioribus; sed includitur in singulis personis, etiam qua personæ tales sunt, & inter se distinctæ; eo modo, quo ratio entis includitur in inferioribus: quia Petrus etiam secundum rationem suam vltimam, qua Petrus est, & vt à Paulo distinguitur, est persona; siquidem per ipsam personalitatem, velut vltimum & incommunicabile complementum substantiæ vltimate constituitur.

11 Secundo; quia terminus vltimus debet esse omnino simplex, ita vt in duos conceptus resolui non possit: alioquin enim ipse non erit terminus vltimus, sed includet simul tum rationem termini vltimi, tum rationem terminabilis: sed personalitates quælibet sunt vltimi quidam termini naturę; Ergo non potest ab eis abstrahi conceptus realis communis, adeoq; nec ratio obiectiua, quæ secundū rationem nostrā eadē planè sit in plurib⁹ personis.

Tertio. Si plures personalitates, seu diuinæ, seu creatæ, habent, in quo conueniant realiter, & in quo differant, tum etiam modus ille, in quo differunt, poterit in communi, & in particulari concipi ac significari; adeoque resolui in duos alios conceptus: sed hoc est impossibile; sic enim dabitur processus in infinitum: ergo sistendum est in primo termino vltimo & simplicissimo, qui secundum rationem nostram non possit eadem ratione communis esse pluribus.

Quarto. Si persona vniuocè prædicatur de pluribus, tū erit vniuersale; quod dici nō potest; cum nullum sit ex quinque vniuersalibus, vt magis patebit assert. 4. & 5. His addi posset specialis ratio in Deo; quia si in eo abstrahi potest ratio obiectiua personæ, quæ secundum rationem nostram eadem planè sit, & communis omnibus personis, tum dabitur in Deo compositio, secundum rationem nostram ex communi & particulari, sed hoc generatim loquendo non esse absurdum, dictum est supra disputat. secunda, quæstione tertia, dubio primo. 12

Neque his argumentis omnino satisfacit Suarez, quando ipsemet ibidem numero decimo sexto fatetur, relationem diuinam, qua constituitur persona Patris, non determinari ad esse paternitatis, siue huius personæ per modum in quo non includatur ipsa communis ratio diuinæ relationis ac subsistentiæ; nec paternitatem constare duobus conceptibus inter se omnino condistinctis; sed dicere solum simplicem conceptum relationis magis expressum & specificum, qui per seipsum determinat conceptum personæ; nec conceptum illum communem esse conceptum generis, vel speciei, aut alterius prædicabilis, sed ad modum transcendentis. Quod est plane dicere, non dari communem rationem obiectiuam personæ; quæ eadem plane sit in pluribus; ad hoc enim necesse foret, vt ratio communis personæ esset plane abstracta ab inferioribus; adeoque etiam vt personalitas quælibet constaret duobus conceptibus inter se omnino condistinctis, vno cōmuni determinabili, & altero particulari determinante. 13

Obijcitur; nomen personæ ad plures personas, præcipuè diuinas, non posse esse analogum; quia simpliciter & perfectissimè dicitur de quacunque persona; & non magis dicitur de vna, ratione alterius; quam è conuerso. Respondetur, esse analogum secundum analogiam proportionalitatis; quo modo etiam nomen Entis seu accidentis prædicatur de pluribus accidentibus absolutis: quia sicut se habet Pater ad suam personalitatem, ita filius ad suam; & Spiritus sanctus ad suam: neque hæc analogia vniuersim ac necessario postulat inæqualitatem inter plura significata nominis; satis est diuersam aliquo modo esse rationem eorundem; quod in animali, alijsque eiusmodi vniuocis cernitur. 14

Assertio IV. An persona significet aliquid commune pluribus personis quidditatiuè, an denominatiuè tantum; adeoque an persona prædicetur de pluribus personis, seu diuinis, seu creatis; quidditatiue, an denominatiue tantum, quæstio nominis est: rectius vero negatur vtrumque. Probatur & declaratur assertio. Sunt enim hac de re pugnantes sententiæ; vna affirmat prædicari quidditatiue. Ita recentiores quidam docent cum Caietano hic quæst. 31. art. 4. Alij docent, prædicari solum denominatiue de Patre, & Filio, vt significantur his nominibus relatiuis. Ita Vasquez disp. 130. cap. 2.

Ceterum hæc tota quæstio nominis est. Nam si quidditatiue prædicari idem sit, quod essentialiter prædicari, clarum est, personam etiam in- 15

diuinis

diuinis, iuxta noſtrum quidem concipiendi modum, quidditatiuè de tribus perſonis (multo minus de perſonis creatis) non prædicari: quia eſſentia in diuinis eſt vna; perſonæ autem plures. Si quis autem dicat, quidditatiue ſeu in quid prædicari omne illud, quod ſubſtantiali & intrinſeca prædicatione, & non in quale prædicatur, is reipſa non male dixerit, prædicari in quid, vt loquitur Caietanus. Sed quia ſenſus prior magis videtur ſeruare proprietatem verborum; nec adeo modus ille loquendi propriè habere locum, niſi inter ea, quorum vnum eſt de eſſentia alterius; cum idem ſit quidditas, quod eſſentia rei, rectius abſolutè negatur quidditatiue prædicari.

16 Neque tamen propterea abſolute & ſimpliciter dicendum eſt, denominatiue prædicari; cum intrinſecè & ſubſtantialiter prædicetur, & non in quale, per modum paſſionis vel accidentis, vt rectè etiam indicat Suarez libro primo, capite tertio, numero decimo nono, qui tales prædicationes appellat *perſonales*: & addit; etiam in rebus creatis, nec indiuiduum vagum nec ſuppoſitum, vel perſonam prædicari in quid, de indiuidua ſubſtantia, quamuis complera & integra; ac proinde has propoſitiones non eſſe quidditatiuas, Petrus eſt aliquis homo; ſeu Petrus eſt ſuppoſitum, aut perſona: quia non dicunt formaliter eſſentiam Petri, ſed modum exiſtendi vel ſubſiſtendi; *quod nos*, inquit, *appellamus in Qualiter*, (non in Quale,) *vel in quo modo*, &c. Dicamus ergo prædicationes has, ſubſtantiales perſonales: ſiquidem eſſentialiter aut denominatiuè prædicari ſolum eſt diuiſio adæquata prædicationis vniuerſalis.

17 Cum quo tam non pugnat, quo minus ratio perſonæ prædicetur quidditatiue de perſonis, ſeu diuinis, ſeu humanis, ſi ſubiectū accipiatur formaliter & cum reduplicatione, ita vt ſermo ſit de perſona hac vel illa, ſecundum formalitatem ſuppoſiti vel perſonæ, vt talis eſt; vt bene aduertit Suarez libro 1. capite 3. numero 19. Sicut etiam relatio diuina prædicatur in quid ſeu quidditatiuè de tribus relationibus diuinis; quicquid hoc ipſum etiam quidam ſine cauſſa negent; etſi genus ad eas non ſit propter tranſcendentiam & ſimplicitatem, vt notauit Suarez loc. cit. & in ſimili de perſona dicetur.

Nec obſtat, quod interroganti, quid eſt Pater, rectè reſpondetur, eſt perſona diuina. Id enim accidit, non ſecundum proprietatem ſermonis, ſed potius vel ex inopia vocabulorū; vel quia ſecundum accommodationem vſūs loquendi, & mentem interrogantis, id etiam eo loquendi modo interrogari ſolet: cum alias propriè, & ex rigore verborum ad eam quæſtionem abſolutè reſpondendum foret, eſſe Deum.

18 Aſſertio V. Perſona non prædicatur de perſonis diuinis per modum alicuius vniuerſalis. Ita Sanctus Thomas cit. quæſt. 30. art. 4. ad 3. vbi ait; *etſi communitas perſonæ in diuinis ſit communitas rationis, & non rei, tamen non ſequi, quod in diuinis ſit vniuerſale, vel particulare, vel genus, vel ſpecies.* Et addit rationem duplicem. 1. *Quia neque in rebus humanis, communitas perſonæ eſt communitas generis vel ſpeciei.* 2. *Quia perſonæ diuinæ habent vnum eſſe* (nimirum tam eſſentiæ, quam exiſtentiæ) *genus autem, & ſpecies, & quodlibet vniuerſale, prædicatur de pluribus ſecundum eſſe differentibus.* Ita Sanctus Thomas.

Et eſt quidem hæc eius doctrina communiter ab interpretibus recepta: ſed neutra ratio caret difficultate. Non prima; quia huius ipſius rei cauſſa quæritur, cur perſona in humanis non ſit vniuerſale; ſi quidem vniuocè prædicetur de pluribus, vt vult Suarez cum alijs nonnullis. Nec ſecunda; quia ad rationem vniuerſalis videtur ſufficere, vt prædicetur de pluribus ſecundum idem nomen: quo modo etiam in diuinis perſona prædicatur de pluribus perſonis. Vt autem illa plura etiam ſecundum eſſe diſtinguantur, vniuerſim non videtur neceſſarium; ſiquidem hoc ex definitione, aut ratione vniuerſalis colligi non videtur.

Reſpondeo igitur ex dictis, rationem aſſertionis eſſe, quia perſona non prædicatur vniuocè de plnribus perſonis, ſeu diuinis, ſeu creatis; eo quod non habeat rationem omnino abſtractam ab inferioribus; ſed incluſam in illis, & inconfuſo ſaltem includentem illa, ſicut de ratione entis dictum eſt. 19

Quare etiam non probatur, quod docet Vaſquez diſp. 130. c. 2. num. 12. vbi rationem reddit, quare quidam homo, quod indiuiduum vagum vocari ſolet, non conſtituatur à Logicis ſextum prædicabile, *quia reuera*, inquit, *nihil commune ſignificat, niſi denominatiue ratione connotati, ſicut vox indiuiduum; ſic autem ſufficienter ad quintum prædicabile reducitur.* Ita Vaſquez. Sed ſanè, ſiquidem homo, vti & perſona, vniuocè prædicaretur de pluribus, cum haberet modum prędicandi peculiarem ex dictis, nulla eſſet ratio, cur non ſextum vniuerſale conſtituerent; præterquam quod ex veriori & communiori philoſophorum doctrina, indiuiduum vagum, ad nullum omnino vniuerſale pertinet, vt diximus: eſto interim non idem plane ſignificetur hoc nomine, *Quidam homo*, quod nomine perſonæ, vt cum Durando q. 1. num. 6. & 7. docet Vaſquez ibidem contra Caietanum hic quæſt. 30. a. 4. male pro ſe citantem S. Thomam ibidem: Quia quidam homo expreſsè ſignificat ſaltem in obliquo naturam humanam, & ſubſiſtentiam particularem in confuſo, hanc vel illam: perſona, niſi aliquid addatur, nec expreſſe naturam humanam ſignificat, nec ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem particularem, ſed communem rationem ſubſiſtentiæ, quæ proinde etiam ſigno particulari determinari poteſt. Magis ab vtroque differt Petrus; quia hoc nomine determinatè certa & particularis ſubſiſtentia, ſeu perſona ſignificatur: tametſi paulo aliter de hac re loquatur Vaſquez cit. num. 12.

DVBIVM VI.

An præter tres ſubſiſtentias perſonales & relatiuas ſit in Deo ſubſiſtentia quædam abſoluta, & communis omnibus perſonis.

Digitized by Google

S. Thom. 1. p. q. 39. art. 4.

1 NOn mouetur quæstio de *hypostasi* absoluta & communi, sed de *subsistentia*. Licet enim alioqui ex vsu S. Patrum, & veteris Ecclesiæ, apud latinos idem sit subsistentia, quod apud græcos hypostasis; ita vt post multas licet controuersias, iam olim fuerit conuentum, vtroque nomine significari personam, vt dictum supra dub. 1. & ex epistola Athanasij ad Episcopos Africanos, & Concilio Sardicensi pluribus persequitur Vasquez 1. part. disput. 124. postquam tamen subsistentiæ vocula apud latinos, præcipuè inter Scholasticos, non concretè, pro persona, sed abstractè pro termino vltimo substantiæ accipi solita est, vt ibidem dictum, disputari cœptum inter Scholasticos, quæ & quot sint eiusmodi subsistentiæ in Deo, re vel ratione distinctæ; ac speciatim, vtrum præter tres subsistentias personales, & relatiuas, quibus constituuntur personæ diuinæ, sit in Deo subsistentia quædam absoluta, & communis omnibus personis, à subsistentijs illis personalibus saltem ratione distincta: cum interim omnes Theologi vno ore fateantur, tres tantū esse in Deo hypostases; intelligentes scilicet hoc nomine siue personas ipsas, siue subsistentias personales, vt bene etiam aduertit Fonseca libro 5. Metaph. capite 8. quæst. 5. sect. 5. & Vasquez disp. 125.

2 Hoc igitur sensu de subsistentia loquendo, tres vniuersim sunt Theologorum hac de re sententiæ. Prima docet, non tres relatiuas; sed vnam tantum absolutam & communem subsistentiam esse in Deo; relationes vero ait, esse personalitates, non subsistentias. In hac sententia sunt Scotus in 3. d. 1. quæst. 2. & in 1. d. 4. quæst. 2. & Durandus in 1. dist. 26. quæst. 1. numer. 6. & in 3. d. 1. quæst. 2. quibus Vasquez disput. 125. capite 1. adiungit Paludanum in 3. distinct. 1. quæstio. 2. Capreolum quæst. 1. artic. 3. Ægidium in 1. dist. 23. quæstione 2. artic. 2. Argentinam dist. 26. quæst. 1. Albertum 1. part. summ. tract. 10. quæstione 43. Fundamentum præcipuum est; quia subsistere est perfectio simpliciter simplex; melius enim est subsistere, quam non subsistere: nulla autem relatio est perfectio simpliciter simplex; alioqui perfectio aliqua simpliciter simplex esset in vna persona, quę non est in alia: Ergo subsistentia est quid absolutum, non relatio. Fauet etiam eidem sententiæ Sanctus Hieronymus epist. 57. & Sanctus Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 4. in fine, vbi negare videtur subsistere in Deo relatiuè dici. Citantur etiam complura loca Sancti Thomæ; sed qui vbique loquitur de actu existendi, quem appellat *existentiam*, seu *Esse*, vt benè Vasquez ibidem.

3 Secunda sententia est Caietani hic q. 39. a. 4. vbi docet esse quidem in Deo tres subsistentias relatiuas & personales, inter se re distinctas: at vero præter has dari etiā quandā subsistentiam absolutam, communem tribus personis, ratione distinctam à relatiuis & personalibus, quæ etiam cogitatione prior sit subsistentijs personalibus, adeoque non sit hypostasis, nec personalitas; cum sit communis, nec adeo etiam constituat personam, sed vt ipse loquitur, quasi semipersonam & semisuppositum seu indiuiduum concretū Deitatis; quod est hic Deus; additque peculiare hoc esse naturæ diuinæ, ob suam infinitatem, quod in ea, præter subsistentias personales, detur subsistentia quædam alia prior; cum alias vbiq; personalitas & subsistentia sint idem, sicut & persona ac prima substātia: quod in sua etiam sentētia docet Scotus loc. cit. Idem repetit Caietanus 3. part. q. 2. a. 2. & q. 3. a. 2. & 3. & supra q. 2. a. Eandem sequuntur Bartholomæus Miranda, in sum. Concil. annot. ad VI. Synodi act. 11. Bartholomæus Medina 3. p. q. 3. a. 2. Bannes hic q. 40. a. 4. dub. 2. Cabrera 3. part. q. 3. a. 3. disp. vn. Zumel hic q. 30. a. 1. disp. vn. & Thomistæ recentiores communiter, item Molina q. 29. a. 2. disp. 3. Fonseca lib. 5. Metaph. c. 8. q. 5. sect. 5. Bellarminus lib. 2. de Christo cap. 15.

Denique eandem acriter propugnat Suarez hic 4
lib. 4. cap. 11. & in 3. p. tom. 1. disp. 11. sect. 3. vbi etiam eam vocat communem omnium Theologorum; saltem quatenus Deo subsistentiam eiusmodi absolutam tribuit, abstrahendo à subsistentijs relatiuis: ac præter Doctores pro præcedenti sententia citatos, allegat etiam Richardum, Gabrielem, Ockamum, Almainum. Sed hi non tribuunt Deo absolutam eiusmodi subsistentiam, sed existentiam substantialem, per quam dicunt, posse assumi & terminari naturam creatam, non terminante personalitate; de quo est alia quæstio, vt rectè idem Vasquez loc. cit. cap. 2. qui proinde addit, sententiam superius expositam (coniunctim quoad partem vtramque) *nullum sequi præter Caietanum, ac dictos recentiores.*

Omitto Dionysium Carthusianum in 1. dist. 5
26. quæst. 7. qui non admodum absurdum existimare videtur, etiam absolutum & commune suppositum ac personam in Deo constituere; licet denique oppositum tenendum statuat.

Rationes præcipuæ sunt. Tum quia subsistentia est perfectio simpliciter simplex: conuenit ergo necessario essentiæ diuinæ; seu Deo vt sic. Tum quia Deus vt sic, cum sit concretum substantiæ, debet significare aliquid subsistens, & pro eodem etiam supponere: non autem vt sic formaliter supponit pro persona; quia Deus est vnus, personæ autem sunt tres: Ergo, &c.

Verum opposita his sententia tertia, tres scilicet tantum esse in Deo subsistentias relatiuas seu personales, nullamque absolutam, visa mihi semper est probabilior, quam sequentibus assertionibus declaro.

Assertio I. Negari nullo modo possunt in 6
Deo tres subsistentiæ personales seu relatiuæ. Ita communis Doctorum, speciatim omnes citati pro secunda sententia, & quos pro tertia sententia citabimus assertione sequenti contra citatos pro prima sententia. Probatur ex Concilijs & Sanctis Patribus, qui passim & frequentissimè non solum tres subsistentes personas diuinas, sed etiam tres subsistentias in Deo constituerunt, vtique personales; speciatim autem ita loquuntur Synodus VI. act. 11. in epistola Sophronij, in qua dicitur, *Deitatem esse numerabilem personalibus subsistentijs*. Et in VII. Synodo epistola Sinod. dicitur, *Trinitatem*

esse

esse diuisam numerabilibus subsistentijs, & personalibus alteritatibus. Vbi Concilia expresè loquuntur de subsistentia in abstracto, prout nimirum est forma, per quam constituuntur & distinguuntur personæ. Quare Vasquez loco citato, cap. 1. dicit oppositam sententiam *aduersari communi modo loquendi Patrum & Conciliorum.*

7 Ratio est. Tum quia subsistentia est vltimus terminus & complementum substantiæ, quo constituitur persona siue suppositum: idque in rebus humanis & creatis verum esse, vltro fatetur Scotus: seruat autem eandem notionem communem etiam in diuinis, siquidem de his, nonnisi ex analogiâ & communibus notionibus rerum creatarum, loqui & disserere possumus. Tum quia alias videtur consequens, vnionem humanæ naturæ factam esse non solum cum persona Verbi, sed etiam eum ceteris personis diuinis. Humanitas enim subsistit non propria subsistentia creata, sed diuina: si ergo hæc non est propria & personalis ipsius Verbi, sed communis omnibus personis, sequitur, eandem naturam humanam subsistere subsistentia communi omnibus personis; ac proinde ratione communis termini vnitam fuisse cum omnibus personis. Quibus argumentis efficaciter probatur, tres esse in Deo subsistentias personales, seu proprias singularum personarum; easdem verò relatiuas, non absolutas esse, patebit ex q. 3. dub. 6. vbi probabimus, personas constitui & distingui inter se non aliquo absoluto, sed relationibus.

8 Assertio II. Multò verius est, tres tantum esse in Deo subsistentias personales & relatiuas; nullam autem communem & absolutam. Hæc est communis sententia veterum Scholasticorum, qui admittunt in Deo tres subsistentias relatiuas. Inprimis autem ita sentit Sanct. Thomas, qui etsi nonnunquam speciatim lib. 4. cont. gent. cap. 28. & 1. p. q. 3. subsistentiam absolutam & communem Deo tribuere videatur, accipiendo vocalam subsistere & subsistentiam, pro existentia substãtiali, videlicet per se, & non in alio, velut subiecto; tamen loquendo de subsistentia, vt est modus seu terminus naturæ existenti superadditus, nunquam eam à persona vel personalitate distinguit. Vnde q. 29. a. 2. dicit, *subsistentiam & suppositum idem significare.* & 3. p. q. 3. a. 3. ad 1. ait, *quod est subsistens in diuina natura, consequens esse, vt sit persona.* Et quæst. 9. de potentia a. 3. & 5. dicit, *ex hoc quod aliquid est subsistens, habere, vt non possit de pluribus prædicari.* Eiusdem sententiæ sunt Alensis 3. p. q. 1. mem. 3. & q. 7. mem. 1. a. 3. Bonauentura in 3. dist. 1. a. 1. q. 3. Richardus in 1. dist. 26. a. 1. q. 1. Henricus quodlib. 5. q. 8. Marsilius in 3. q. 2. a. 3. dub. 2. Genebrardus lib. 2. de Trinitat. quos etiam sequitur Vasquez loc. cit. cap. 3. Eandem sententiam tuentur Gregorius de Valentia hic q. 13. pun. 3. & Albertinus tom. 2. de substant. quæst. seu coroll. 11. dubit. 1.

9 Probatur primo; quia apud SS. Patres, & in Concilijs, inauditum est, esse quatuor hypostases aut subsistentias in Deo; quin potius vbique subsistentiã, hypostasin, personam, & suppositum in Deo, habent pro eodem; nisi cum subinde de controuersiâ de vocibus hypostasis & subsistentiæ nondum satis explicata, accipiunt subsistere, vel subsistentiam, pro existentia substantiali, nimirum per se, & non in alio velut subiecto, vt etiam de S. Thoma dictum: quo quidem sensu nemo negat, subsistentiam communem & absolutam in Deo. Quare etiam Imperator Iustinianus in edicto seu confessione ad Ioannem II. Pontificem latine scripta, ait: [Quoniam non est idem natura & subsistentia. Omnes enim sancti Patres consonantes nos docent, aliud esse naturam siue substantiam, & formam; aliud subsistentiam, siue personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam, hoc quod est commune significare: subsistentiam autem siue personam hoc, quod est speciale. *Et Vasquez cit. c. 3. ait*, nullum ex SS. Patribus tam Latinis, quam Græcis esse, aut inueniri, qui post compositam litem de harum vocum significatione, vt dictum dub. 1. *concedat in Deo absolutam aliquam subsistentiam, aut hypostasin:* quicquid Hieronymus & Augustinus, olim de significatione græcæ vocis adhuc dubij, vt dictum cit. dub. 1. aliter nonnunquam videantur locuti; subsistere accipientes pro existentia substantiali; de quo plura Vasquez cap. 5. qui ad similia aliorum Patrum testimonia, ex parte etiam deprauatè citata, sigillatim respondet.

Secundo in rebus creatis, ac Philosophia naturali, inauditum est, subsistentiam ab hypostasi, adeoque suppositalitate differre, vt etiam fatentur Aduersarij: noua igitur & ficta est illa notio vocalæ subsistentiæ, quam in Deo absolutam diuersa plane significatione constituunt. 10

Tertio. Nisi quasi pro arbitratu nominum significata mutentur & fingantur, de ratione subsistentiæ (prout dicit modum superadditum essentiæ, vel existentiæ substantiali) est, vt reddat naturam incommunicabilem; dat enim esse per se, & non in alio, non solum velut in subiecto, hoc enim facit ipsa per se natura substantiæ; sed nec in alio, velut terminante, & quasi complete substantialiter ipsam naturam; quod non facit illa subsistentia absoluta; qua non obstante, natura diuina communicabilis est tribus personis, vt fatentur authores oppositæ sententiæ: Ergo nulla est in Deo subsistentia eiusmodi communis & absoluta.

Aiunt, vocalam, *in alio vt terminante*, intelligendam de alio re distincto: & hac ratione etiam subsistentiam illam absolutam in Deo dare esse per se, & non in alio. Sed hoc minime satisfacit: quia si substantia illa non facit ex se naturam omnino incommunicabilem, etiam alicui alij virtualiter distincto, videlicet personæ diuinæ; cum ipsa quidem per se nil obstabit, quo minus natura diuina possit communicari alicui etiam re distincto ab essentia, si hoc aliunde in Deo non implicaret contradictionem. Vnde quod natura diuina non possit esse in alio re distincto, non habet per subsistentiam illam absolutam, vt sic; sed per attributum simplicitatis, quæ obstat, quo minus etiam suppositata, quibus diuina natura comuni- 11

catur, possint esse re distincta ab essentia. Denique de ratione subsistentiæ est, ita reddere subsistentem naturam incommunicabilem, vt natura ipsa hoc modo subsistens, iuxta nostrum concipiendi modum, & formaliter, nullomodo possit vlli personæ amplius communicari: siue persona hęc re, siue ratione tantum ab ipsa natura ita subsistente distinguatur: cum tamen iuxta oppositam sententiam ipsamet illa subsistentia, qua talis est formaliter, pluribus personis communis sit; ac peripsas subsistentias personales vlterius determinetur.

12 Ad primum vtriusque oppositæ sententiæ Respondetur, subsistentiam vt sic non magis esse perfectionem simpliciter simplicem, quam personalitatem, seu suppositalitatem, à qua, vt dictum, etiam in diuinis non differt. Hæc autem secundum rationem quidem particularem & indiuiduam, vt est hæc vel illa personalitas, non est perfectio simpliciter simplex, etiam prout in Deo est, vt ex veriori suo loco inferius dicetur q. 3. dub. 4. etsi secundum rationem communem, & quasi abstracte accepta, dici possit perfectio simpliciter simplex; cum sit in quolibet ente melior ipsa, quam non ipsa, seu quam aliud cum ipsa incompossibile. Nisi aliquis malit dicere, eam definitionem perfectionis simpliciter, intelligi de aliquo, quod iuxta suam quandam rationem indiuiduam (qualiscunque demum illa sit) & vt in particulari alicubi existit, melior sit ipsa, quam non ipsa; quo sensu simpliciter negari poterit, esse perfectionem simpliciter. Quod si concedatur, priori modo esse perfectionem simpliciter, non tamen ideo necesse est, eandem numero communicari omnibus personis; quia vt dictum, iuxta suam rationem indiuiduam non est perfectio simpliciter simplex.

13 Ad secundum argumentum primæ sententiæ iam antea responsum est, S. Hieronymum, & Augustinum, re nondum satis comperta, subsistentiam siue subsistere accepisse pro existentia substantiali.

Ad secundum argumentum secundæ sententiæ Respondeo cum Vasquez d. 156. cap. 2. omissis varijs aliorum sententijs, nomen Deus per se ac immediate supponere, nec pro subsistente illo absoluto; tale enim nullum est; nec determinatè, quātum quidem est ex vi nominis, pro vno aliquo certo & determinato subsistente in natura diuina; sed pro concreto seu indiuiduo Deitatis, quod, vti cætera substantiua concreta naturarum, licet suppo-
nat materialiter pro persona, eamq; adeo etiā cōnotet, velut in quo subsistit natura; formaliter tamen & directè significat naturam: vnde etiam dicitur hic homo, non quia sit in hoc supposito, sed quia est hæc natura in hoc vel illo supposito. Eodem igitur modo hic Deus directe quidem, & formaliter dicit & significat singularem naturam diuinam, non tamen particularem & indiuiduam aliquam subsistentiam diuinam; sed abstractè & indifferenter connotat aliquid, seu quicquid est subsistens in natura diuina: ita vt quamuis suppositio illius termini sit particularis & determinata ex parte diuinitatis, tamen ex parte subsistentiæ sit communis, & abstrahens à tribus personis in particulari, qua nimirum sunt hæ personę particulatim, vt suo loco etiam de spiratore dicetur. Quare etiam de omnibus & singulis personis potest prædicari; & ratione quoque prius intelligitur hoc concretū diuinitatis, quā ipsę personę eo modo, quo vniuersale prius dici solet de particulari, iuxta Aristotelem in postprædicamentis cap. 2. de modis prioris.

Ex quibus etiā efficitur primo, licet Deitas vt 14
sic nō concipiatur à nobis vt ens infinitum simpliciter in omni ratione entis, sed essentiæ tantùm, esto subsistentia in genere concepta sit perfectio simplex; tamen Deum, & quamlibet personam diuinam, etiam iuxta nostrum concipiendi modum, esse ens simpliciter infinitum: cùm tam Deus, quam personæ singulæ includant subsistentiam; ille indeterminatè hanc vel illam, seu etiam ōmnes simul; hæ singulæ vero etiam determinatè suam.

Secundo colligitur, licet Deus materialiter idem sit, quod *habens Deitatem*, vt loquitur S. Thomas hic q. 39. a. 4. tamen formaliter & in modo significandi idem non esse, vt recte etiam Suarez, Vasquez & alij: nam habens Deitatem adiectiuum est, & ideo pluraliter dicitur, iuxta eundē S. Thomam; Deus non item, ex certa omnium.

DVBIVM VII.

Qua ratione diuinæ personæ se habeant ad essentiam, ac attributa essentialia: & quomodo tum de vtrisq; inter se comparatis; tum vniuersim de his, quæ pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo loquendum sit.

S. Thomas 1. p. q. 31. & 39.

AD consideranda diuinarum personarum in genere, maximè etiam spectat habitudo earum (vtique intrinseca) ad diuinam essentiam; ex qua nascūtur varij modi loquendi, de his, quæ pertinēt ad vnitatē & pluralitatē in Deo: etsi de hac re S. Thomas duas speciales quęstiones instituat; quę tamen nos omnia, quia ferè ex dictis colliguntur, aliquot assertionibus breuiter explicabimus; præsupponendo, comparari posse diuinas personas ei essentiæ, vel secundùm rem ipsam; vel secundùm prædicationem, seu modum prædicandi. Ad rem ipsam in primis pertinent duæ priores assertiones; ad modum loquendi seu prædicandi cæteræ. 1

Assertio I. Personæ diuinæ ab essentia reipsa nullo modo distinguuntur; sed solùm ratione. Ita S. Thomas cit. q. 39. a. 1. & communis Doctorū, speciatim Alberti Magni in 1. dist. 2. art. 20. Alensis 1. p. q. 44. in fin. Gandauensis in sum. artic. 24. q. 2. & quodlib. 5. q. 6. Ægidij in 1. dist. 2. art. vlt. q. 2. ad 1. Heruæi ead. dist. quæst. 4. quam inter recentiores benè tuentur Caietanus hic q. 39. art. 1. & 2

Digitized by Google

Gregorius de Valentia hic quæst. 13. punct. 1. éstque hæc sententia opposita duabus falsis opinationibus; prima est, quam refert Sanctus Thomas cit. q. 39. a. 1. eorum, qui dicebant, tum relationes vniuersim, tum etiam illas, quibus distinguuntur diuinæ personæ, solum esse assistentes, non autem inexistentes, ac proinde essentiam diuinam non esse idem cum relationibus personalibus, ipsisque personis: quam sententiam Caietanus ibidem putat esse Porretanorum.

3 Secunda sententia est Scoti in 1. d. 1. q. 4. Okami ibidem quæst. 1. & Gabrielis eadem distinct. & quæst. dub. 2. & 3. Marsilij in 1. q. 6. art. 2. qui docent, essentiam diuinam, & personam, distingui, non quidem realiter stricte, sed actu formaliter, siue ex natura rei, ante omnem operationem intellectûs, nimirum in adæquate, & ratione relationum seu proprietatũ personalium. Quæ sententia, vt bene notauit Gregorius de Valentia, inprimis etiam est Durandi in 1. d. 33. q. 1. vt dicetur quæst. 3. dub. 2.

Sed vtraque sententia planè est falsa, & nullo modo probabilis, vt vniuersim docuimus de attributis diuinis disp. 2. q. 2. dub. 2. & de simplicitate Dei q. 3. du. 1. Probatur primo ex Scripturâ. Ioan. 10. v. 30. *Ego & Pater vnum sumus.* & 1. Ioan. 5. v. 7. *Hi tres vnum sunt.* Quæ ad naturam referuntur.

4 Secundo ex communi consensu SS. Patrum, è quibus Gregorius Nazianzenus orat. in sancta lumina, *Vnum*, inquit, *in tribus diuinitas est, & tria vnum, in quibus diuinitas est, vel vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est.* Et sanctus Augustinus lib. 7. de Trinitat. cap. 6. *Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.* &c. Eodem modo loquuntur alij Patres.

Tertio idem colligitur ex definitione Ecclesiæ. cap. *Firmiter*, & cap. *Damnamus*, de Sum. Trinit. & fid. Cathol. ex quibus fide certum est, ea saltẽ inter se non distingui sicut rem à re.

Quarto idem conuincit ratio. Tum quia in Deo 5 nõ est compositio ex supposito & naturâ, ob summam eius simplicitatem, vt dictum cit. q. 3. dub. 1. Tum quia falsum est, relationes personales, aut solùm assistere naturæ, cum sint substantiales, adeoque substantialiter constituentes personam, & comune sit etiam cæteris relationib⁹ creatis; non solum, esse ad terminũ, sed etiã, esse in subiecto: aut ex natura rei, siue ante omnem operationem intellectûs distingui ab essentia, vt pluribus dicetur q. 3. dub. 2. Rationes Scoti dissoluit Gregorius de Valentia loc. cit. & soluuntur ex dictis, tum cit. q. 3 dub. 2. de attributis diuinis, tum hic dub. 4. Plura inferius quæst. 3. dub. 2. Quomodo vero etiam personæ diuinæ identicè vnum sint in essentia, dicetur dub. seq.

6 Assertio II. Etsi tam essentia ipsa, quàm essentialia & absoluta attributa omnia, reipsa æque communia sint tribus personis; recte tamen ex his quædam vni personæ, alia alteri, per quandam appropriationem accommodantur; vt potentia Patri, qui est principium omnium personarum procedentium; Sapientia & veritas, & similia, quæ ad intellectum pertinent, Filio, per intellectum procedenti; Spiritui sancto bonitas, qua procedit per voluntatem, cuius obiectum proprium est bonum; quæque in nobis est subiectum principale bonitatis moralis. Ita sanctus Thomas cit. q. 39. a. 7. & 8. ex communi; & sumitur tum ex scriptura, tum ex SS. Patribus, qui prædicata eiusmodi absoluta & communia nonnunquam appropriant certis personis; ita vt quamuis alioquin ex se, & ex vi nominis communia sint omnibus personis, certam tamen nonnunquam personam designent; in quo etiam differunt à proprijs, vt sunt Pater, Verbum, seu Filius. &c. quia hæc reipsa & per se, ac ex ipsa vi nominis, vni tantum personæ conueniunt.

Ratio est. Quia per eiusmodi accommodationem & appropriationem minimè significatur, 7 eiusmodi attributa, seu prædicata appropriata, reipsa vni tantum personæ conuenire, & non esse communia omnibus, sed solum esse in vna persona peculiarem rationem, ob quam illi tribuantur, quæ non est in alia, vti dictum, quod non solum nullius deceptionis aut erroris est causa; sed facit potius ad cognoscendam & declarandam magis rationem propriam singularum personarum. Quo modo Sanctus Thomas cit. art. 8. cum Augustino lib. 6. de Trinitat. cap. 10. etiam illud Apostoli, Rom. 11. vers. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsa sunt omnia*, aliaque similia plura, ex SS. Patribus, tribus personis diuinis accommodat; quæ apud ipsum videri possunt. Plura de hac re q. 4. dub. 1. 2. 4. & 9.

Assertio III. Recte dicuntur tres personæ esse 8 vnius essentiæ vel substantiæ. Ita Sanctus Thomas cit. q. 39. art. 2. ex communi. Probatur ex Augustino lib. 3. contra Maximinum cap. 14. vbi dicit Homousion, quod in Concilio Nicæno aduersus Arianos firmatum est, idem significare, quod, *tres personas esse vnius essentiæ.* Ratio est, quia tametsi aliàs forma, & id quod se habet per modum formæ, potius dicatur esse suppositi seu personæ, in quâ est; non autem persona formæ; tamen cum addito, esse huius vel illius formæ, similis vel dissimilis, pulchræ vel turpis, vnius aut diuersæ; rectè de persona, aut personis dicimus. Cum ergo tres personæ habeant eandem essentiam, ex dictis, recte dicuntur esse vnius essentiæ, vel substantiæ, vel etiam naturæ, tametsi vocula *essentia* id clarius significet; quia naturæ eiusdem aliquando dicuntur, quæ conueniunt in aliquo actu etiam accidentali; quo modo omnia calefacientia dicuntur vnius naturæ; *vnius autem essentiæ dici non possunt, nisi quorum vnum est esse*, vt notauit Sanctus Thomas ibidem ad 3. De vocula autem *Substantiæ* dictum supra dub. 1. Addit Vasquez hic citat. quæstio. 39. articulo secundo, recte etiam dici *tres personas Deitatis*; quia nimirum vocula *Deitas* vim habet duarum vocum, scilicet naturæ diuinæ, vt in simili respondet Sanctus Thomas ibidem ad 4.

Assertio IV. Nomina essentialia substantiua, 9 & quæ substantiuè vsurpantur, non dicuntur pluraliter, adiectiua autem dicuntur pluraliter de Deo, ac in diuinis. Ita S. Thomas cit. quæst. 39. art. 3. ex communi, idque iuxta vsum loquendi

Scripturæ

Scripturæ ac SS. Patrum. Ratio primæ partis est; quia vt nomina substãtiua dicãtur pluraliter, requritur pluralitas formæ seu naturæ, quã directè significant; suppositа simul pluralitate suppositorum, quam necessariam quoque esse, non negat S. Thomas, sed tacitè supponit. & verò etiam indicat supra quæst. 36. articulo vltim. ad 2. & apertè tradit 3. p. quæst. 3. articulo 7. ad 2. vt ex communi recte notauit Suarez lib. 3. capit. 11. & lib. 4. capit. 12. post Caietanum, Ferrariensem, Torrem, & alios Thomistas; quicquid hic neget Vasquez disp. 155. post Scotum, Capreolum, & alios, de quo plura in 3. parte. Quomodo tamen nihilominus ratione trium personarum & relationum in Deo multiplicentur, tum cetera transcendentia, tum etiam existentia, dicetur quæst. 3. dub. 4. Secunda pars probatur. Quia vt nomina adiectiua pluraliter dicantur, sufficit pluralitas suppositorum, etiamsi forma ipsa formaliter significata non multiplicetur, ex communi.

10 Hac igitur ratione solùm dicitur *vnus DEVS*; non autem plures Dij, vllo sensu proprio; sicut nec tres Creatores, aut supremi Domini, &c. E contrario rectè dici possunt *tres habentes Deitatem*; item *tres existentes*; *tres sapientes*; *tres æterni, & increati & immensi*, ex communi apud citatos. Quod confirmatur etiam ex Concilio Lateranensi, cap. *Firmiter* de Summa Trinitat. vbi dicitur, *Pater generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni.* Quanquam hæc nonnunquam substantiuè accipiuntur, ac propterea solùm singulariter Deo tribuuntur. Quo modo locutus est sanctus Athanasius in symbolo, *Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Non tres æterni, sed vnus æternus: &c.* qui tamen ipse ibidem mox inferiùs ait, tres personas sibi esse *coæternas, & coæquales, &c.* Ex quibus etiam exponi potest ille loquendi modus, etsi reuera quidem à gentilibus potius, quàm ab Ecclesiasticis Scriptoribus vsitatus, & desumptus, *DEVS ter Optimus, maximus*; vt particula *Ter* aut simpliciter tantum sit exaggeratiua particula, aut significet in tribus personis optimum maximum. In particulari tamen cauendum, ne in vsu nominum vel suspecta nouitas introducatur; vel incauto sermone scandalum, aut erroris occasio præbeatur.

11 Assertio V. Tametsi nomen Deus, vt & cætera nomina essentialia concreta, per se quidem & directè significent essentiam, vt in habente ipsam, atque ita etiam pro essentia supponant, vt cum dicitur, *Deus creat*, abstrahendo à personis in particulari; nonnunquam tamen ratione prædicati seu adiuncti suppositio eorum determinatur ad personam, adeoque verè & propriè supponunt pro personâ vnâ vel pluribus. Ita Sanctus Thomas cit. quæstion. 39. articulo 4. ex communi. Probatur & declaratur. Significatio enim nominum non solum pendet ex prima impositione, sed etiam ex accommodatione & vsu, quem habent, iuxta subiectam materiam, siue ex adiunctis circumstantijs; quo modo nonnunquam voce *Oratoris* intelligitur Cicero; *Philosophi*, Aristoteles, &c.

Quare etiam vocabulum *Deus*, pro vna persona supponit, cum dicitur, *Deus de Deo*; siue quod idem est, *Deus generat, vel genuit Deum*; nimirum, Pater filium; gignere enim, quod additur voculæ Deum, Patris proprium est; gigni autem est solius filij: pro duabus autem personis supponit vocabulum DEVS, cum dicimus, *DEVS spirat*; quia spirare commune est Patri & filio. Pro tribus autem, vt vult S. Thomas, post Augustinum lib. 6. de Trinit. cap. 9. cum Apostolus ait, 1. Tim. 1. v. 17. *Regi seculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria*; de quo tamen exemplo, & similibus alijs, aliter existimat Suarez lib. 4. cap. 14. ratus cum Caietano, immediatè supponere pro subsistente in natura diuina, communi & absolutâ subsistentiâ, quam refutauimus dub. præcedent. 12

Atque ex hac regulâ & assertione recte deducit S. Thomas cit. q. 39. art. 4. ad 3. & 5. Vti vera est hæc propositio, *Deus generat*; siue etiam, *Deus generat Deum, qui non est Deus Pater*; ita ex vi verborum falsam esse istam, *Deus non generat*; vti communiter etiam alij Theologi sentiunt: quicquid Aureolus in 1. distinct. 4. quæstion. 1. Durandus distinct. 4. quæst. 2. & Nominales, etiam illam propositionem, Deus non generat, ex vi verborum veram esse contendant. 13

Probatur & declaratur. Veritas enim prioris vtriusq; propositionis patet ex asser. præcedenti; siquidem ex adiũcto determinatur suppositio subiecti ad personam, cui verè conuenit prædicatum.

Posterior autem propositio est falsa; non solum quod in eâ nihil additur, quod determinet nomen DEVS ad personam filij, vt dicit Sanctus Thomas loc. cit. ad 3. sed quia negatio absolutè posita cum termino singulari, est malignantis naturæ; & negat prædicatum de toto subiecto vbiuis existente, cui apponitur; quare ijs verbis significatur, generationem vniuersim repugnare Deo, quod est falsum: esto interim ad veritatem indefinitæ propositionis etiam negatiuæ, quando subiectum terminus communis est, sufficiat, eam verificari in vno aliquo particulari, vt Dialectici docent. 14

Assertio VI. Essentia diuina, seu essentialia nomina in abstracto, non supponunt pro persona; ac proinde falsæ sunt hæ propositiones, *Essentia generat, vel generatur*; *producit, vel producitur*; aliæque similes, in quibus nomina personalia vel notionalia adiectiua prædicantur de essentiali nomine, in abstracto. Ita ex communi & certa S. Thomas cit. quæst. 39. articulo 5. & 6. contra Abbatem Ioachimum, qui circa hoc errauit, asserens, sicut dicitur, *Deus genuit Deum*, ita posse dici, *Essentia genuit essentiam*, accusans hoc nomine Magistrum Sententiarum, quasi negando eiusmodi propositiones; quaternitatem rerum in Deo induxerit, nempe tres personas, & quartam essentiam, seu naturam, vt refertur cap. *Damnamus*, de Summa Trinitat. & fid. Cathol. & ex parte etiam notauit S. Thomas cit. art. 5. Ea vero Abbatis doctrina ex instituto damnatur in cit. cap. *Damnamus*, de Summâ Trinit. & fid. Cathol.

Rationem assignat S. Thomas; quia ad veritatem locutionum non solùm oportet consid erare res 15

signifi-

Digitized by Google

significatas, sed etiam modum significandi. Licet autem secundum rem sit idem Deus, quod Deitas, non tamen est idem modus significandi vtrobiq;. Nam hoc *nomen Deus, quia significat diuinam essentiam* (non abstractè, sed vt) *in habente, ex modo suæ significationis naturaliter habet, quod possit supponere pro personâ: & sic ea, quæ sunt propria personarum possunt prædicari de hoc nomine Deus, vt dicatur, quod Deus est genitus vel generans, sicut dictum est* (assert. præced.) *Sed hoc nomen Essentia* (vt & similia nomina essentialia in abstracto) *non habet ex modo suæ significationis, quod supponat pro personâ; quia significat essentiam vt formam abstractam. Et ideò ea, quæ sunt propria personarum, quibus ab inuicem distinguuntur, non possunt essentiæ attribui: significaretur enim, quod esset distinctio in essentiâ diuinâ, sicut est distinctio in suppositis.* Ita S. Thomas.

16 Sed quia dicet aliquis; esto essentia non supponat pro persona, quid ni tamen saltem in sensu identico vera sit hæc propposito: Essentia diuina est generans, cum essentia diuina identicè idem sit quod Deus; idcirco addendum est ex eodem S. Thoma supra q. 32. a. 2. ad 2. cum de subiecto aliquo prædicatur actio, prædicationē intelligi sensu formali, non identico; ac proinde actionem verè prædicari non posse; nisi vel de supposito agente, vel de principio formali talis actionis. Sic enim rectè dicimus, Deus intelligit, aut intellectus intelligit; non autem voluntas diuina intelligit; licèt voluntas diuina identicè idem sit quod Deus, & intellectus diuinus.

17 Assertio VII. Etsi nomina personalia, vel notionalia adiectiua, vt generans, generatus, &c. non possint prædicari de essentia, seu attributo essentiali in abstracto, cum requirant sensum formalem, vt dictum assert. præced. tamen substantiua nomina possunt de essentia tam in concreto, quam in abstracto prædicari, propter realem identitatem essentiæ & personæ, dicendo; *Deus siue Essentia diuina est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, est Trinitas, est tres personæ, &c.* sicut & contra: *Trinitas siue tres personæ sunt Deus & essentia diuina.* Ita S. Thomas cit. q. 39. a. 6. ex communi, contra Gilbertum Porretanum, quem refert S. Thomas ad 1. negasse hanc propositionem, *Deus est Trinitas*, & contra Abbatem Ioachimum, qui itidem docuit, *nullam rem esse in Deo, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, vt refertur & damnatur cit. capit. *Damnamus* de sum. Trinit. & fid. Cathol. Ratio est, quia ad vnitatē prædicationis substantiui de substantiuo satis est, si ea prædicatio vera sit sensu identico, ac proinde sufficit identitas extremorū inter se, qualis in extremis dictarum propositionum cernitur. Et quamuis prò nullo suppositorum diuinæ naturæ hæc sit vera, *Deus est Trinitas*, est tamen vera pro essentiâ.

18 Nec obstat, quod hæc propositio est falsa, *Homo est omnis homo.* eo quod pro nullo supposito verificari possit, quia *nomen homo*, inquit S. Thomas cit. a. 6. ad 1. *per se habet, vt supponat pro persona, sed hoc nomen Deus per se habet, quod stet pro essentia, vnde licet pro nullo suppositorū diuinæ naturæ hæc sit vera; Deus est Trinitas, est tamen vera pro essentia, quod non attendens Porretanus, eam negauit.* Clarius

1 forte dici potest, discrimen esse, quod à parte rei nulla entitas est, etiamsi sit homo, quæ sit omnis homo; sicut à parte rei Deus est essentia diuina, quæ est Trinitas; adeoque omnes & singulæ personæ. Abbas autem Ioachimus falso nixus est fundamento; quòd personæ diuinæ non sint vnum identicè ac substantialiter in essentiâ, vt dicetur dub. seq.

Vnde etiam colligitur primo, tametsi verè dici non possit, *Essentia diuina* est generans vel genita; tamen eum addito substantiuo rectè dici posse, *est res, aut DEVS generans, aut res generata*; si res, & DEVS (vti fieri potest) supponant pro persona; non autem si supponant pro essentia, sicut etiam dici potest, *Essentia diuina est res generans, & res non generans*; quia hæc non sunt contradictoria; nam in posteriori locutione res supponit pro essentia; in priori pro persona, vt docet S. Thomas art. 5. ad 5. 19

Colligitur secundò, veram esse propositionem illam, quam habet S. Augustinus lib. 4. de Trinitat. capit. 20. *Pater est principium totius Deitatis*; siue vt tota Deitas per modum nominis collectiui sumatur, pro vniuersitate personarum, in sensu tamen accommodo; personarum nimirum procedentium: sicut aliquis dicitur Rector totius populi, non tamen suipsius; siue quia est principium duarum personarum, quæ sunt tota indiuisibilis Deitas; siue quia est principium totius Deitatis; non quia eam generet & spiret; sed quia eam generando & spirando communicat. Ita docet S. Thomas cit. a. 5. ad 6. 20

Addit idem art. 6. ad 2. Sicut illa propositio, *Pater est Deus*, est per se, ita etiam esse istam; *Deus est Pater.* Quod proportionaliter intelligendum videtur, nam hæc iuxta nostrum quidem concipiendi modum, pertinet ad secundum modum dicendi per se, cum subiectum sit de essentia prædicati, altera ad primum: illa directa, hæc quasi indirecta est, vt notauit Vasquez in commentario ibidem. Plura de hac re q. 3. dub. 2. & 3. 21

Assertio IIX. Circa verba significantia in diuinis vnitatem, aut distinctionem, illud studiosè obseruandum, vt inter duos errores extremos ita medium teneamus, vt nec, dum pluralitatem aliquam Deo tribuimus, in errorem Arij impingamus, qui posuit cum Trinitate personarum Trinitatē substantiarum seu naturarū, neq; dum vnitatē profitemur, Sabellij errorē incurramus, qui posuit cum vnitate essentiæ, vnitatē personæ. Hanc regulā statuit S. Thomas q. 31. a. 2. ex communi & certa omnium Catholicorum sententia, quam etiam ipse particulatim ita declarat.

Etenim ad euitandum errorem Arij, ne tollatur vnitas essentiæ, vitare debemus in diuinis nomen *diuersitatis*, & *differentiæ*, quia hæc absolutè pronunciata, substantiæ & formæ distinctionem significant, licet cum addito rectè dici possit, *personas differre proprietatibus*, vt ex Damasceno l. 3. c. 6. & 7. recte notauit Vasquez disp. 131. capite 2. sicut etiam Theologi nonnunquam vocant *personas diuersas*, nimirum proprietatibus personalibus, vt videre est in Anselmo l. de process. spir. san. cap. 2. quem citamus infrà q. 4. 22

dub.

dub. 6. *Possumus* etiam, inquit Sanctus Thomas loco citat. *uti nomine distinctionis, propter oppositionem relationis.* Eàdem ratione, *ne tollatur simplicitas essentiæ, vitandum est nomen separationis, & diuisionis, quæ est totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum est nomen disparitatis. Ne tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni & discrepantis.* Alienum enim vocatur, quod est extraneum & dissimile; quod non significatur voce *alius*, vt dicetur.

23 E contrario ad vitandum errorem Sabellij, *vitare debemus*, inquit Sanctus Thomas, *singularitatem; ne tollatur communicabilitas essentiæ diuinæ.* Vnde Hilarius dicit 7. de Trinitat. *Patrem & Filium singularem Deum prædicare sacrilegium est. Debemus etiam vitare nomen vnici* (dicendo Deus est vnicus) *ne tollatur numerus personarum. Vnde Hilarius ibidem dicit, quod à Deo excluditur singularitas, atque vnici intelligentia.* Ita Sanctus Thomas: Sed rectè notat post Durandum in 1. distinct. 9. quæstion. 1. Vasquez disputat. 131. cap. 4. per se, & secluso erroris Sabelliani periculo, non malè dici, *Deum esse vnicum*, imò & *singularem*, excludendo videlicet plures Deos, vt loquuntur etiam Lactantius lib. 4. diuin. Institut. cap. 29. & Sophronius Synod. VI. act. 11. in confess. fid. Pergit Sanctus Thomas: *Dicimus tamen vnicus Filius* (vnicus Spiritus sanctus, &c.) *quia non sunt plures Filij in diuinis, &c. Vitamus etiam nomen Confusi, ne tollatur ordo naturæ* (siue originis) *à personis. Vnde Ambrosius dicit. 1. de Trinit. Neq; confusum est quod vnū est, neq; multiplex esse potest, quod indifferens est. Vitandū est etiam nomen solitary, ne tollatur consortium trium personarum. Dicit enim Hilarius 4. de Trinitat. Nobis neque Solitarius, neque diuersus Deus est confitendus.*

24 Porro iuxta eandem regulam, rectè in diuinis vsurpatur nomen masculinum *alius*; dicendo: *Filius est alius à Patre, & Spiritu sancto &c.* non autem neutrum, *aliud*; vt omnes sancti loquuntur: & habetur etiam cap. *Damnamus* de sum. Trinitat. sicut è contrario dicimus, *in Christo esse aliud & aliud*; non autem esse alium & alium. Cuius rationem assignat sanctus Thomas ibidem ad 4. *quia neutrum genus est informe, masculinum autem est formatum, & distinctum; similiter femininum. Et ideo cōuenienter per neutrum genus significatur essentia communis, per masculinum autem & femininum, aliquod suppositum determinatum in communi natura. Vnde etiam in rebus humanis, si quæratur, quis est iste? respondetur, Socrates; quod nomen est suppositi. Si autem quæratur, quid est iste? respondetur animal rationale & mortale. Et ideo quia in diuinis distinctio est secundū personas, non autē secundū essentiā, dicimus quod Pater est alius à Filio, sed non aliud. Et è conuerso dicimus, quod sunt vnum, sed non vnus.* Ita Sanctus Thomas. Quod pari proportione & ratione etiam de nominibus *alter, & alterum; vnus, & vnum, idem masculinè, & idem neutraliter*, intelligendum, vt rectè Vasquez disp. 131. cap. 1.

25 Nec tamen ideo rectè dici potest, *Pater genuit alium Deum*, vt ex communi Sanctus Thomas q. 39. artic. 4. ad 4. etsi dici possit *Pater genuit alium, qui est Deus*: hic enim sola distinctio personæ, illic etiam diuersitas naturæ significatur: quâ de causâ etiam dici non potest *Filius est alius DEVS à Patre*, vt docet ead. quæst. 39. art. 4. Sanctus Thomas: quia vocula *Alius*, in eiusmodi locutionibus, *ponit rem suam*, inquit Sanctus Thomas, siue suum significatum, *circa substantiuum Deus; & sic significatur distinctio Deitatis.* Sicut etiam Augustinus non nisi improprie & quadam emphatica locutione dixit epist. 66. ad Maxim. *Deus Pater genuit alterum se*; vt sit sensus, genuit alterum simillimū sibi: cum tamen interim propriè dicatur, *Pater genuit alterum à se*, iuxta sanctum Thomam ibidem, & cōmunem. Bene Augustinus orat. de 5. hæres. à med. *Cum dico Filium, alter est, cum dico Deum, vnus est. Alium est, quia Filius est, aliud quidē non est, quia Deus est.*

Denique ob eandem causam, vocula, *solus*, per 26
modum categorematis, non potest addi termino absoluto in diuinis; dicendo v. g. *Deus est solus*; significaretur enim illum esse solitarium, & sine consortio plurium personarum: per modum autē syncategorematis potest addi; dicendo v. g. *solus Deus creat*, sub quo tamen non licet descendere, dicendo, solus Pater creat: quia *vt Sophistæ dicunt, dictio exclusiua immobilitat terminum, cui adiungitur*, vt non possit sub eo fieri descensus, pro aliquo suppositorum seu inferiorum, vt docet S. Thomas ead q. 31. a. 3. ex communi, &c. Eàdem ratione Vocula *solus*, non potest addi termino personali in Deo, cum prædicatum est absolutum seu essentiale, secus cum est relatiuum seu notionale. Vnde non rectè dicimus, solus Pater creat; sed bene, solus Pater generat, &c. vt docet S. Thomas ibidem art. 4.

Qui simul recte vtroque articulo monet, si quid 27
his notationibus aduersum quandoque, siue in Scripturâ sacrâ, siue apud SS. Patres reperiatur, id piè exponendum esse; vt si quando vocula *solus* addatur termino personali, etiam cum prædicatum est absolutum, excludatur solum aliud seu diuersum in natura, non alius, seu persona alia. Cum enim aliquid essentiale dicitur de Patre, non excluduntur concomitantia, adeoque nec Filius vel Spiritus sanctus, propter essentiæ vnitatem, iuxta regulam Theologicam, & communem SS. Patrum, vt dictum etiam dub. 4. De voculis autem *triplex, multiplex, Trinus, & Trinitas*, de quibus agit S. Thomas q. 31. a. 1. egimus supra dub. 1.

DVBIVM VIII.

An, & qua ratione diuinæ personæ sint inter se similes, æquales (saluo tamen originis ordine) & eidem in essentia, atq; in se mutuo existentes.

S. Thom. 1. p. q. 42. a. 6.

AD cognitionem diuinarum personarū in genere, pertinet etiā comparatio eorundē inter se, quatenus in communi, ac præcisè vt sunt diuinæ personæ, spectantur: quo spectat æqualitas, similitudo, mutua inexistentia, idenditas, & vt Theologi vocant, *Circumincessio* earundem, de quibus breuiter sequentes assertiones statuimus. 1

Assertio

Assertio I. Omnes personæ diuinæ inter se sunt æquales & similes, tùm absolutè quoad perfectionem; tum speciatim quoad durationem, & potentiam. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 42. artic. 1. 2. 4. & 6. ex communi Doctorum; & habetur tùm ex scriptura, Philipp. 2. vers. 6. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*: tum ex symbolo Athanasii in quo dicitur; *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil maius aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Et infrà speciatim de Filio Dz15 *Æqualis Patri secundum Diuinitatem; minor Patre secundum Humanitatem.* Idem habetur in pluribus Conciliis, & passim apud SS. Patres. Optimè Augustinus, seu potius Fulgentius lib. de fide ad Petrum: *Æqualitas intelligitur in Patre & Filio, & Spiritu sancto, in quantum nullus horum aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.*

2 Ratio est. Quia inter eas cum distinctione secundum personam, reperitur vnitas naturæ, & essentialis perfectionis; quæ tam per modum qualitatis, quam quantitatis, non molis, sed virtutis, à nobis consideratur, adeoq; fundat & similitudinem, & æqualitatem. Nam vt benè S. Thomas cit. a. 1. *Æqualitas secundum quantitatem virtutis, includit in se similitudinem, & aliquid amplius; quia excludit excessum.*

Rursum quia vna persona diuina producit alteram, non voluntate & consilio, sed natura, vt dicetur quæst. seq. neque successiuè, aut in tempore, cum persona producens ab æterno ac simul habeat, tum perfectionem productiuam totam, tum omnia requisita ad producendum; terminusque productus sit indiuisibilis, ac partium omninò expers; idcircò productio ea personarum fuit æterna, terminusq; productus coæternus personæ producenti; quod est esse æqualem secundum durationem. Quare etiam SS. Patres productionem Filii comparant splendori, seu lumini à sole aut igne producto; quod non posterius secundum durationem, sed simul cum sole exstitit, quamuis ab eo productum. Bene Augustinus orat. cont. quinque hæres. à med. *Coæui sunt Pater & Filius; splendor & ignis. Nec ignis sine splendore; nec splendor sine igne.*

3 Eandemque ob causam, quia & producens, & terminus productus, ipsaque productio immanens in Deo, eodem penitus inuariato modo se habent, idcirco & *Filius semper generatur, & Pater semper generat*, vt ait S. Thomas art. 2. ad 3. Et rursum resp. ad 4. *Generatio filii*, inquit, *non est in nunc temporis, aut in tempore, sed in æternitate. Et ideo ad significandum præsentialitatem, & permanentiam æternitatis, potest dici, quod semper nascitur, vt Origenes dixit homil. 2. in diuersis. Sed vt Gregorius lib. 29. moral cap. 1. & Augustinus in psalm. 2. dicunt, melius est, vt dicatur semper natus; vt verbula semper designent permanentiam æternitatis, & verbula natus perfectionem geniti.* Ita S. Thomas.

4 Exquibus etiam Arianorum error refellitur, qui dicebant, filium *ex non entibus*, seu *ex non esse* fuisse productum; item *fuisse tempus, quando non erat filius.* Vide Augustinum loc. cit. contra quinque hæreses.

Denique quia potentia agendi consequitur perfectionem naturæ, dubium non est, quin personæ omnes æquales sint, etiam secundum potentiam & potestatem; siue hæc potentia referatur ad creaturas, siue ad internas processiones personarum. Quo modo tamen hinc non sequatur, absolutè Filium etiam posse generare, quantumuis habeat eandem potentiam generatiuam, quam habet Pater, eo nimirum, quod illi desit conditio requisita ad generandum, quæ est habere potentiam generandi ex se, & ratione prius, quam adæquatus eius potentiæ terminus sit productus, iuxta S. Thomam hic cit. a. 6. ad 3. dicetur quæst. seq. Obiectionem ex diuersitate perfectionis personalis singularum personarum petitam dissoluimus supra dub. 4. & rursum q. 3. dub. 4.

Assertio II. Id in quo personæ diuinæ similes sunt & æquales, non sunt relationes seu proprietates personales; sed natura cum suis perfectionibus absolutis. Ita S. Thomas cit. a. 1. ad 4. & a. 4. ad 2. ex communi, cum Magistro in 1. d. 31. & expressè docet Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 6. vbi ait: *Quia filius non ad filium relatiuè dicitur, sed ad Patrem, non secundum hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis est filius Patri, restat, vt secundum id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quicquid autem ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Restat ergo, vt secundum substantiam sit æqualis. Eadem est igitur vtrius substantia.* Ita Augustinus.

Ratio est. Quia relationes personales, cum sint disquiparantiæ, adeoq; diuersæ rationis, non possunt propriè dici similes, nec æquales, aut inæquales; quia æqualitas & inæqualitas non habent locum nisi inter quantitates eiusdem rationis. Supponit enim æqualitas vnitatem formæ, adeoq; similitudinem, & superaddit exæquationem, quæ si desit, dicuntur quidem similes, sed inæquales. Quocirca nec linea superficiei, nec superficies corpori, æqualis aut inæqualis rectè dicitur, vt notauit S. Thomas eod. a. 1. ad 2.

Neq; tamen ideo ipsa essentia vnius personæ dici debet similis essentiæ alterius personæ; cum similitudo non fit nisi inter plura; essentia autem sit in omnibus sit eadem; quam ob causam iam olim ét vocabulum Arianorum ὁμοιούσιος hoc est, *similis essentiæ*, quod pro voce ὁμοούσιος (eiusdem essentiæ) obtrudere nitebantur, à sanctis Patribus reprobatum fuit: sed personæ ipsæ diuinæ sunt similes & æquales in essentia, hoc est, in habendo eandem essentiam. 6

Dices. Si personæ secundum suas relationes non sunt similes; ergo dici poterũt dissimiles. Respondeo negando sequelam. Quia similitudo & dissimilitudo proprie non est secundum relationes; sed secundum qualitates, aut aliquid, quod consideratur per modum qualitatis. Personæ igitur secundum relationes, quia substantiales sint, distinctæ & plures quidem dicuntur, sed non dissimiles.

Assertio III. Æqualitas hæc, & similitudo, inter personas diuinas, non sunt relationes reales, sed tantũ rationis. Ita S. Thomas cit. q. 42. a. 1. ad 4. & apertius Caietanus, Torres, & recentiores Thomistæ ibidem; Durandus in 1. d. 31. q. 1. Capreolus q. 1. art. 1. Ægidius a. 1. q. 1. Richardus a. 1. q. 2. Marsilius in 1. q. 33. a. 1. Ferrariensis 4 cont. gent. c. 11. Gregorius de Valentia q. 16 pun. 1. Molina hic q. 42. a. 1. d. 2. Vasquez disp. 166. c. 2. Suarez lib. 4. c. 15. ex communi; contra Scotum in 1. d. 31. q. 1. & quodl. 6. a. 2. vbi docet, eas relationes esse reales. Ratio vera & solida assertionis est; quia relationes æqualitatis & similitudinis non possunt esse reales, nisi etiam fundamentum, in quo fundantur, sit reipsa distinctum in subiectis, 7

quæ denominantur æqualia, aut similia: quandoquidem fundamentum est id, quod per se primò dici debet simile & æquale, vt apparet in albedine, & quantitate, secundum quas duæ substantiæ dicuntur similes, & æquales. In proposito autem essentia, in cuius vnitate fundantur hæ relationes, non est vllo modo distincta in personis diuinis, sed plane eadem, vt inferius dicetur. Atq; ita rectè rem hanc exposuerunt Vasquez & Suarez loc. cit & sumitur ex S. Thoma loc. cit. ad 4. Qui etiam ibidem rectè docet, relationem non posse esse fundamentum nouæ relationis realis, puta oppositionis, diuersitatis, &c. Daretur enim processus in infinitum; de qua re plura q. 3. vbi de relationibus ex instituto agendum.

8 Assertio IV. Non obstante tñ supradicta æqualitate, est aliquis ordo inter personas diuinas; non quidem durationis vel dignitatis, ex dictis; nec ēt causalitatis; quia vna non pendet ab altera: nec ēt rationis, si personæ inter se conferantur, vt actu ad se inuicem relatæ; sic n. simul sunt natura & ratione, sicut & cætera relatiua, sed originis: secundum quem ordinem, vna persona verè & realiter est ab alia. Ita S. Thomas cit. q. 42. a. 3. & communis Doctorum; & sumitur ex SS. Patribus: qui idcircò ēt nonnunquam Patrē vocant *maiorē*, quod ab eo sint aliæ personæ; salua semper æqualitate dignitatis & perfectionis, vt videre est apud Vasquium d. 121. c. 3. & q. 45. a. 6. in qua tñ re non paulo liberiores sunt Græci, quam Latini. Vnde Augustinus lib. 3. cont. Maximinum Arianum c. 18. *Quod si dixeris; eo ipso maior est Pater filio, quia de nullo genitus, genuit tamen æqualem; cito respondebo: Imo ideo non est maior Pater filio, quia æqualem genuit, non minorem. Originis enim quæstio est, quis de quo sit; æqualitatis autem, qualis aut quantus sit.*

9 Eum ordinem S. Thomas cit. a. 3. cum Augustino orat. de quinq; hæresibus à med. vocat ēt *ordinē naturæ*; non quod ipsa natura personarū hoc ordine ordinetur; vbi enim est identitas seu vnitas, non est ordo: nec quod vna persona sit prior natura, quam alia; talis enim prioritas proprie non est, nisi inter causam & effectum, aut ea, quorum vnum prius est secundū subsistendi consequentiam: sed quia est ordo realis inter illas, inq; reali processione fundatur, seu vt seipsum declarat S. Thomas ibidē ad 3. quia *ordo in diuinis personis attenditur, secundum naturalem originem*; quam ob causam ēt ordo hic non debet dici ordo rationis, sed realis; non tamen adferens aut includens relationem realem distinctam ab ipsis relationibus personalibus. Ordo enim, seu prioritas rationis, inter personas oppositas, & actu ad se relatas, esse non potest, quia relatiua sunt simul natura & ratione; vt dictum, & notauit S. Thomas art. 3. ad 2.

10 Assertio V. Quæstio nominis est, an ideò ēt prioritas aliqua inter diuinas personas cōcedenda sit: absolute rectius negatur; sed cum addito, *Originis*, concedi potest. Declaratur assertio. Simpliciter n. & absolute esse prioritatem aliquam inter diuinas personas, negat S. Thomas hic cit. q. 42. a. 2. quem communiter Thomistæ recentiores sequuntur. Affirmat aūt Scotus in 1. d. 28. q. 3. & in 2. d. 1. q. 1. Equidem sentio recte concedi prioritatem, non absolute & simpliciter; tum quia hoc alienum est à modo loquendi Patrum; tum ne significetur, esse prioritatē durationis, aut causalitatis, inter diuinas personas: sed cum addito, *Originis*, non est cur prioritas negetur; vt bene Suarez lib. 4. c. 16. & Vasquez disp. 167. cap. 2. Ratio est. Quia vbi est ordo, est etiam prioritas; secundum quam vnum altero dicatur eo ordine prius.

11 Addit Vasquez d. 168. c. 2. contra Durandum in 1. d. 12. q. 1. non minus per se esse realem ordinē prioris & posterioris, inter origines passiuas, quā inter personas: quia verè & ex natura rei spiratio passiua supponit generationem passiuam; quandoquidē Spiritus sanctus ex sua ratione necessario procedit à Patre & filio; quem proinde ēt secundum ordinē originis supponit: Et quamuis inter personas, vt actu inter se relatas, non sit ordo rationis, siue secundū intellectū, quia relatiua sunt simul natura & intellectu; in quātum vnum est in definitione alterius, vt dictum ex S. Thoma cit. a. 3. ad 2. recte tñ dici potest, inter origines passiuas, non solum vnam esse priorē alia ordine reali & naturali, sed ēt ordine rationis; quia origines passiuæ non sunt mutuo relatæ; quare ēt per intellectū prius concipimus generari, quam spirari, etsi Patrem non intelligamus relatum prius, quam intelligamus filium, vt cum Bonaventura in 1. d. 12. q. 4. rectè docuit Vasquez cit. disp. 168. cap. 2.

12 Assertio VI. Personæ diuinæ non solum inter se sunt similes, & æquales, vt dictum; sed ēt vnum planè & idē substātialiter & identice in essentia; licet inter se comparatæ realiter distinguantur. Posterior pars assertionis constat ex dictis dub. 3. assert. 7. Priorem partem passim tradit S. Thomas, speciatim q. 39. a. 2. & cōsentiunt oēs Theologi cū Magistro in 1. d. 34. & est de fide contra Ioachimum Abbatem, qui dicebat, etsi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vna essentia, vna substantia, vnaq; natura, tñ vnitatē huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariam esse; quemadmodū dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles, vna Ecclesia. Quæ doctrina ex instituto damnata fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 2. & refertur cap. *Damnamus*, de sum. Trinit. & fid. Cathol.

13 Probatur assertio ex Scriptura Ioann. 10. v. 30. *Ego & Pater vnum sumus.* Et 1. Ioann. 5. v. 8. *Et hi tres vnum sunt.* Idem probatur omnibus locis, quibus probauimus dub. 3. Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse vnum & verum Deum: quia Deus vnus tantum est, & vna numero essentia seu natura diuina. Idem definiunt Concilium Nicænum, aliaque posteriora, quando personas omnes homousias & consubstantiales esse definiunt; vt etiam habetur in omnibus symbolis, & apud SS. Patres passim. Ratio est. Quia vna tantum numero est essentia, seu natura diuina, eaque non nisi ratione distinguitur à personis diuinis, vt dictum dub. præceden. Ergo identificatur à parte rei cum omnibus, & singulis personis diuinis; ac proinde etiam ipsæ personæ diuinæ à parte rei, adeoque substantialiter & identice vnum & idem sunt in essentia diuina.

14 Nec obstat illud, quod Ioachim obiiciebat, Ioann. 17. *Volo Pater, vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus.* Nam vocula, *sicut*, hoc loco non dicit perfectam similitudinem, sed proportionem; vt & in simili. Matth. 5. v. 48. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*, vt bene respondetur cit. cap. *Damnamus.*

Assertio

Assertio VI. Quælibet persona diuina intimè est in alia qualibet; idque secundum se totam, adeoque etiam secundùm relationem; non tantum secundum essentiam, aut aliquid sui: hæcque inexistentia vnius personæ in alia rectè *Circumincessio* dicitur. Ita Sanct. Thomas quæst. 42. artic. 5. ex communi. Prima pars est de fide, ex Ioann. 14. vers. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est*: idemque passim docent SS. Patres. Ratio est. Quia quando plura inter se intimè identificantur in aliquo tertio; neque vnum excedit alterum; recte dicuntur in se inuicem esse: personæ autem omnes intimè identificantur in essentia diuina; neque vna excedit alteram, ex dictis: Ergo &c.

15 Secunda pars est contra Henricum Gandauensem in summa, qui, vt refertur etiam à Scoto in 1. d. 19. quæst. 2. docuit, vnam personam non esse in alia secundum se totam, sed secundum aliquid sui; nimirum secundum essentiam, non secundum personalem relationem, qua alteri opponitur: cui etiam consentire videtur Durandus in 1. distin. 19. quæst. 4. Sed contrarium rectè docent Scotus loc. cit. Caietanus, & Torres hic cit. quæst. 42. artic. 5. Vasquez disp. 169. cap. 2. & Suarez hic lib. 4. cap. 16. idemque significant Bonauentura in 1. distin. 19. quæst. 4. Gabriel quæst. 2. artic. 1. Capreolus quæst. 1. artic. 1. ad 3. Marsilius in 1. quæst. 22. articulo secundo. & Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 9. & ipsemet S. Thomas hic cit. art. 5. vbi ait; *quod in Patre & Filio tria est considerare, scilicet essentiam, & relationem, & originem; & secundum quodlibet istorum Filius est in Patre, & è conuerso.* Idem docet Hilarius lib. 7. de Trinit. circa finem, vbi ait: *Inesse autem non aliud in alio, vt corpus in corpore, sed ita esse ac subsistere, vt subsistens in subsistente insit; ita verè inesse, vt ipse subsistat.* Est ergo vna persona in alia, vt subsistens in subsistente, adeoque secundum se totam, non tantum secundum essentiam. Idem indicat hymnus Ecclesiæ in laudibus feriæ secundæ: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

16 Ratio est. Quia omnes & singulæ personæ secundum se totas identificantur cum essentia: non tantum secundum aliquid sui. Quamuis ergo ratio, ob quam vna persona sit in alia, seu etiam ob quam vna persona continere dicitur aliam, supposita pluralitate personarum, sit identitas essentiæ, non tamen secundum essentiam solum vna persona est in alia. Neque ideo, si etiam relatio Patris est in Filio, sequitur Filium esse Patrem; quia non est in Filio per modum formæ inhærentis, aut per modum formæ, aut proprietatis personalis constituentis Filium, vti est in Patre; sed per simplicissimam & intimam identificationem cum ipsa essentia fisi; à qua identificatione non desumitur ratio aut denominatio personarum.

Tertia pars sumitur ex Damasceno lib. 2. fid. 17
cap. 10 communi vsu loquendi Theologorum apud Carthusianum dist. 19. quæst. 2, neque aliud reipsa eo modo loquendi significatur, quam vnam & eandem essentiam absolutam esse in tribus personis. Vnde Bonauentura loc. cit. ait; *Patrem esse in Filio ratione vnitatis essentiæ, non est aliud, quam Patrem Filio esse consubstantialem, & è contrario.* Et rursum, *hoc modo existendi, per circumincessionem, ita denotari ait, vnitatem cum distinctione, vt vnitas sit indistincta a & distinctio incensusa.* Quo sensu etiam Sabadius lib. cont. Arium tom. 4. biblioth. dicit, per illa verba Christi, *Ego in Patre, & Pater in me est*, duos errores confutari; Sabellii scilicet & Arii. Et quia proprium est hoc diuinarum personarum, vt stante etiam distinctione reali inter se, & reali pluralitate, identificentur cum essentia, ideo hæc inexistentia mutua personarum in se inuicem, *per circumincessionem*, diuinitatis ac diuinarum personarum plane propria est; neque reperitur eius vllum exemplum aut simile in rebus creatis, vt docent SS. Patres, & dictum etiam supra dub. 3. & 4.

Assertio VII. Habitudo illa inexistentiæ mutuæ inter personas, est quidem iuxta nostrum concipiendi modum, relatio quædam æquiparantiæ mutua, eiusdemque rationis in omnibus personis; verum non realis, sed rationis tantum. Ita Scotus cit. dist. 19. quæst. 2. Suarez loc. cit. & Vasquez disp. 169. num. 7. Ratio est. Quia aut fundatur hæc relatio in essentia præcisè, seu immensitate, vt vult Suarez: & tunc non potest esse realis, ob ea, quæ in simili diximus assertione 3. Aut fundatur etiam in relationibus personalibus, seu in ipsis personis, quatenus ad se inuicem referuntur; & tunc etiam non potest esse realis: quia relatio non potest esse fundamentum nouæ relationis realis, aut nouæ relatione reali referri, vt magis patebit quæst. 5. dub. 1. Nec distinguendum est inter fundamentum mutuæ inexistentiæ personarum, & mutuæ continentiæ; vt contra Durandum loc. cit. recte Vasquez num 6. sed eadem essentia communis, connotatis personis, est fundamentum vtriusque. Neque duo illa inter se differunt, nisi vocibus, & forte inadæquatis conceptibus; licet Vasquez ibidem cum Durando relationem illam continentiæ, dicat esse diuersam in distinctis personis, continentis videlicet, & eius quæ continetur: cum tamen hæc continentia non minus sit mutua inter personas, quam inexistentia; neque alia ratione vna persona aliam continere ad hunc modum dicatur, quam quia vna in alia intimè existit, sine excessu & dependentia.

QVÆSTIO II.

De Processione siue origine diuinarum personarum.

S. Thomas 1. p. q. 27. & 41.

1 *ABsoluitur hæc quæstio octo dubitationibus. I. An, quales, & quot sint in Deo processiones personarum, siue ad intra. II. An processiones personarum immediatè sint à naturâ seu essentiâ diuinâ; an per aliquam eius operationem, & qualem. III. Per quasnam operationes intellectus, aut voluntatis procedant diuinæ personæ. IV. Sitne in diuinis actus intelligendi & amandi principium Quo producendi personas, an ipsa productio. V. Quodnam sit principium Quo, ex potentia productiua personarum, seu actuum notionalium; quisue terminus formalis eorundem actuum. VI. Vtrum processiones seu productiones personarum, sint actus voluntarii & liberi, an naturales, seu per modum naturæ. VII. An aliqua processio in diuinis sit vera & propriè dicta generatio. VIII. Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione verbi; & in quo propriè à generatione differat.*

DVBIVM I.

An, quales, & quot sint in Deo processiones personarum, siue ad intra.

S. Thom. 1. p. q. 27. a. 1. & 5.

2 EGimus hactenus de absoluta & intrinseca ratione, essentia, ac veluti proprietatibus, & attributis communibus diuinarum personarum; sequitur nunc, vt earum originem inquiramus; siquidem, supposita absoluta cognitione rei, scire cupimus, vnde res illa sit profecta, seu quam originem habeat. Atq; huc spectat præsens quæstio, de processione & origine diuinarum personarum.

Qua in re, quod ad nominis notionem attinet, notandum primo, *Procedere* ex vi nominis, nihil aliud significare, quam ab aliquo, modo quopiam prodire: qua ratione propriè, formaliter, & in recto non significat actionem in eo, à quo fit processio; sed vel passionem duntaxat in procedente; quo modo dicimus calorem seu lumen procedere ab igne, vel sole; ex terra vel semine herbas; ex causis denique suis effectus, quia efficiuntur, & ex potentia in actum reducuntur ab illis: vel actionem in procedente, si suamet actione ab altero prodeat; idque vel per motum localem, de loco in locum; qua ratione dicitur quis procedere ex ædibus; vel secundum processionem causæ in effectum; idque siue causa physica sit; qua ratione fabrum dicimus procedere ad fabricandum, seu moralis, quo modo consilia dicuntur procedere in sua euenta.

3 Notandum secundo, tametsi verbum *procedere*, vt dictum, non sit verbum actiuum, seu accusatiuum, vt Grammatici loquuntur, sed neutrum; vocalem tamen *processionis* adeò latè quandoque à Theologis accipi, vt non tantum significet quasi passionem procedentis, sed etiam actionem in eo, à quo fit processio: quare etiam duplicem distinguunt processionem, actiuam scilicet, quæ significantius dici poterat *processificatio*, & passiuam, quæ propriè ac simpliciter talis dicitur, & de qua etiam præsens quæstio proprie instituitur, licet alias vna inferat aliam: & vna concessa negari non possit altera. Quo sensu etiam in præsenti quærimus: An sit in diuinis aliqua processio personarum, seu latius, An in Deo sit aliqua vera & realis processio ad intra, hoc est, quæ non transeat extra Deum in creaturas, sed maneat intra entitatem diuinæ substantiæ, adeóque an vere & reipsa aliquid in diuinis procedat ex aliquo. Vbi etiam vocula procedere, & processio vsurpatur communi significatu, non proprio, prout vni tantum personæ, nimirum Spiritui sancto, Ecclesiæ vsu attribuitur, vt dicetur dub. 6.

Assertio I. In diuinis, vera, propria, & realis datur processio ad intra, secundum quam vna persona diuina procedit ab alia. Ita S. Thomas hic quæst. 27. artic. 1. aliique Scholastici cum Magistro in 1. dist. 13. & est de fide, definitum in omnibus Conciliis, speciatim in Nicæno, & Constantinopolitano primo, & habetur in omnibus symbolis, præcipue Nicæno, vbi de filio dicitur, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum*: Et de Spiritu sancto, *qui ex Patre filioque procedit*. Idem constat ex omnibus scripturis, in quibus pluralitas personarum diuinarum asseritur, relatis quæst. præced. dub. 2. in quibus secunda persona dicitur filius, aut verbum DEI patris, & Spiritus sanctus spiritus Dei. Speciatim autem ipsum verbum procedendi seu prodeundi de personis diuinis vsurpatur. Eccli. 24. vers. 5. vbi de filio dicitur: *Ego ex ore altissimi prodiui*. Et Ioann. 8. v. 42. *Ego ex Deo processi, & veni*. Et de Spiritu sancto Ioann. 15. v. 26. *Paraclitus qui à Patre procedit*. Nec habet hæc assertio alios aduersarios, quam eos, qui simpliciter negant pluralitatem diuinarum personarum, vti sunt Sabellius, Arius, & alii noui ac veteres

4

Ariani,

Ariani, & Samosateniani, relati quæst. præceden. dub. 3.

5 Ratio sumitur ex dictis cit. quæst. præced. dub. 3. de pluralitate personarum diuinarum. Quamuis enim hæc veritas sola ratione naturali absolutè non possit demonstrari; quia vt dictum ibidem dub. 2. pluralitas diuinarum personarum solum ex reuelatione innotescit, suppositâ tamen pluralitate diuinarum personarum, euidenter probari potest hæc veritas hac ratione. Sunt reipsa plures personæ in Deo, vt ibidem probatum est: Ergo in Deo est vera, & realis processio personarum. Consequentia probatur. Quia si personæ plures essent in Deo, & nulla earum procederet ab alia, tunc omnes personæ ex se essent; ac proinde nulla inter eas esset oppositio relatiua; Ergo aut nulla inter eas foret distinctio; aut si nihilominus reipsa distinguerentur, distinguerentur secundum perfectiones absolutas, ac proinde etiam secundum essentiam: atque ita essent plures Dii: quod implicat contradictionem. Qua ratione video etiam vti, quamuis ad aliud institutum, S. Thomam quæst. 33. art. 4. ad 4. Accedit, quod reipsa omnis distinctio personarum est penes oppositionem relatiuam; oppositio autem relatiua fundatur in processione producti à procedente: Ergo si processio non esset, nulla esset in Deo personarum distinctio vel pluralitas: Ergò cum sit vera & realis pluralitas personarum in Deo, vti probatum supponimus, cit. dub. 3. erit etiam vera & realis processio personarum.

6 Huc accedit ratio conuenientiæ, quam habet Sanct. Thomas hic cit. quæst. 27. artic. 1. Sicut enim secundum omnem actionem transeuntem, est aliqua processio ad extra, ita secundum omnem actionem immanentem, est aliqua processio ad intra; vti patet in intellectione; *quicunque enim intelligit*, inquit S. Thomas, *ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum; quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiuæ proueniens, & ex eius notitia procedens: quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis*: Cum ergo etiam in Deo sint eiusmodi actiones immanentes, puta intelligere & velle, vt probatum est disp. 2. quæst. 8. & 10. sequitur, etiam in Deo esse processionem secundum actiones eiusmodi immanentes & ad intra. Sed hæc, vt dixi, ratio per se non conuincit. Facilè enim responderi posset, maiorem esse veram, nisi actio illa immanens sit tantum quasi grammaticalis, nec reipsa vllo modo distincta ab agente, vti reuera intellectio & volitio diuina reipsa est eadem simplicissima entitas cum Deo intelligente & volente. Est ergo ratio hæc solum cuiusdam congruentiæ, vt dictum.

7 Assertio II. Processio hæc ad intra non fuit nisi alicuius personæ diuinæ à persona diuina. Ita supponit Sanct. Thomas cit. artic. 1. & Doctores in 1. dist. 13. & 29. & patet ex Scriptura & Conciliis, quæ non nisi de processione personarum in DEO loquuntur, vt dictum assert. 1. & quæst. 1. dub. 3. Ratio est. Quia cum hæc processio sit ad intra, hoc est, in ipso Deo, necessario esse debet alicuius entitatis diuinæ ab ipso Deo procedentis: Ergo aut essentiæ seu prædicati essentialis, aut personæ, siue prædicati relatiui: primum est impossibile; quia essentia & essentialia non producuntur: ergo fatendum est secundum.

Assertio III. Processio hæc personarum est simpliciter & absolutè necessaria in Deo; ita vt per absolutam potentiam non potuerit non esse. Ita omnes Theologi cum S. Thoma loc. cit. & infra quæst. 41. artic. 2. & colligitur ex dictis. Quia pluralitas illa personarum est simpliciter & absolutè necessaria in Deo; cum Deus secundum se sit ens vndequaque necessarium, ex dictis disput. 2. quæst. 1. dub. 5. Ergo etiam processio personarum est simpliciter & absolute necessaria in Deo, quandoquidem sine hac processione, non potuit in Deo vllo modo, & per vllam potentiam, esse pluralitas personarum. Accedit, quod Deus non voluntate generat, sed natura, vt inferius dicemus dub. 6. 8

Assertio IV. Processio hæc nec est causæ in effectum; nec effectus ex causa, propriè loquendo; sed simpliciter termini producti à principio producente; ita vt vere ac proprie vna persona sit principium producens alterius. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 27. artic. 1. & communis Doctorum in 1. disp. 29. & est quoad rem ipsam de fide. Et prima pars est contra Sabellium, qui vt ibidem refert S. Thomas, dicebat, ipsum Patrem dici Filium, secundum quod carnem assumpsit ex virgine; & eundem dixit Spiritum Sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam mouet. Sentiebat ergo, eatenus in Deo esse processionem, quatenus vna & eadem persona Patris procedebat tum ad carnem assumendam ex virgine; tum ad sanctificandam creaturam rationalem. *Cui tamen errori*, inquit S. Thomas ibidem, *repugnant verba Christi de se dicentis* Ioann. 5. vers. 19. *Non potest Filius à se facere quicquam.* Vbi manifestè distinctio personæ inter Patrem & Filium indicatur, simulque significatur, Filium habere suum esse à Patre. Pluribus contra errorem Sabellii, omnem realem processionem ad intra negantis, disseruimus supra quæstion. præceden. dub. 3. 9

Secunda pars, quoad rem ipsam, de fide quoque est contra Arium; qui dicebat filium esse creaturam, adeoque effectum Dei: Spiritum sanctum verò creaturam vtriusque; *quod est*, inquit Sanct. Thomas, *contra id quod dicitur de filio.* 1. Ioann. vltimo. *Vt simus in vero filio eius: hic est verus Deus.* Et de Spiritu Sancto dicitur 1. Corinth. 3. *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Templum autem habere solius Dei est. Vnde & in symbolo Nicæno de filio dicitur. *Genitus, non factus.* Plura cit. dub. 3. 10

Tertia pars est communis contra Aureolum in 1. d. 7. part. 1. artic. 2. negantem personas produci; & constat ex iisdem Scripturis, & Symbolis; in quibus Filius sæpius dicitur genitus; & personæ procedentes dicuntur productæ. Ratio est. Quia processio hæc non est per motum localem, quasi personæ diuinæ localiter prodierint ex Deo, Deus enim non potest moueri localiter, ex disput. 2. quæst. 5. dub. 1. præterquam quod motus hic localis supponeret existentiam, adeoque productionem personarum procedentium. Nec secun- 11

Digitized by Google

dum processionem causæ in effectum; procedere enim in Scripturis, & Conciliis, non tribuitur personæ aliam personam producenti vt sic, puta Patri; sed potius personæ productæ, puta filio genito; Spiritui sancto spirato, &c. Ergo est secundum processionem termini producti à principio producente. Siquidem plures personæ in DEO esse nulla ratione potuissent, nisi per processionem, & productionem vnius ab altera, vt dictum assert. 3.

12 Nec repugnat rationi primi principii creaturarum, vt est etiam filius, esse principium ex principio notionali; quia procedere à primo principio vt extraneum & diuersum, repugnat quidem rationi primi principii; sed non procedere vt intimum, & absque diuersitate, per modum intelligibilem: sed hoc potius aliquo modo includitur in ratione primi principii, sicut in ædificatore & principio domus includitur conceptio suæ artis, seu verbum & conceptus operis efficiendi, vt bene respondet S. Thomas cit. art. 1. ad 3.

13 Quare autem personæ, à qua altera procedit, conueniat ratio principii, non autem causæ, & personæ procedenti ratio termini producti, non autem causati, iuxta consuetum modum loquendi latinorum Patrum, & Theologorum, rationem optimè exponit Sanct. Thomas quæst. 33. articulo primo in corp. & ad 1. Quia [principium, *inquit*, communius est, quam causa; sicut causa communius, quam elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei, dicitur principium; sed non causa. &c. Principium enim nihil aliud significat, quam id, à quo aliquid procedit; omne enim à quo aliquid procedit quocunque modo, dicimus esse principium, & è conuerso. &c. At verò nomen causæ videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim causæ generibus, semper inuenitur distantia inter causam, & id cuius est causa, secundum aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principii vtimur etiam in his, quæ nullam huiusmodi differentiam habent, sed solum secundum quendam ordinem. Sicut cum dicimus, punctum esse principium lineæ; vel etiam cum dicimus, primam partem lineæ esse principium lineæ] Ita S. Thomas. Ratio ergo Sancti Thomæ est, quia ratio causæ & causalitatis, propriè & in rigore includit ordinem ad effectum, intrinsecè in sua ratione includentem imperfectionem *Esse dependentis* & limitati; adeoque diuersi saltem numero ab Esse causæ producentis, quam imperfectionem ex parte termini producti non importat ratio principii.

14 Vbi notandum primo, vtrosque quidem tam Latinos, quam Græcos Patres, vocabulum effectus, multoque magis creaturæ à personis diuinis diligenter semper remouisse; attamen simul Græcos, etiam vbi de processione diuinarum personarum loquebantur, indifferenter vsos nomine *principii* & *causæ* (nimirum τὸ ἀρχῆς, καὶ τὸ αἰτίας, siue ἐξ αἰτίου quod etiam de voce *causatum*, siue αἰτιατὸν refert Vasquez disputat. 139. cap. 6.) vt notauit Sanct. Thomas ibidem, & videre est apud Basilium lib. 1. 3. & 4. cont. Eunomium, apud Nazianzenum orat. 29. Damascenum lib. 1. de fid. cap 8. & 11 & in Concilio Florentino sess. vlt. in orat. Bessarionis cap. vlt. & alios.

Notandum secundò, idipsum tamen nomen causæ, in hac materia, Latinis nec consuetum olim fuisse, nec iam esse licitum; ob dictam superius rationem, vt notauit Sanct. Thomas ibidem, ex communi Doctorum post Hilarium, lib. 4. de Trinitate, vbi negat, Patrem esse causam filii: tametsi ita aliquando impropriè locutus videatur Augustinus lib. 83. quæst. 16. Neque Græci nomine *causæ* aliud intellexerunt, quam simplicem originem, secluſa limitatione, aut dependentia, ex parte termini, vt benè S. Thomas loc. cit. & Bessarion cit. cap. vlt. vbi ait: *Notandum, quod Sancti Doctores Orientales, etiam in diuinis vtantur nomine causæ & causati, largo modo, non quidem vt limitationem & dependentiam importat; sed prout emanationem & productionem à principio, eius, quod est à principio significat: & ideò me etiam ad Græcos loquentem his nominibus vsum fuisse.* Qui etiam cap. 3. aduertit, Cyrillum Alexandrinum, quamuis Græcum, in epist. ad Hermiam, nomen causæ & causati in diuinis non admisisse. 15

Notandum tertiò referri quidem communiter ex Capreolo in 1. dist. 29. Aureolum in contrarium, quasi dixerit, Patrem dici posse Latine causam filii, & filium etiam Spiritus sancti. Sed hoc apud Aureolum non reperi, vt qui potius hac in re communem sententiam tuetur. Solum enim dicit, considerata præcisè ratione formali causalitatis, nihil repugnare, quo minus Pater posset dici causa filii, etsi repugnet ratione connotati. Verba eius sunt in prim. distin. 29. articulo secundo. *Principium & causa se habent, sicut concauum & simum; sicut enim concauitas ad simitatem non contrahitur per differentiam formalem, sed solum per materiam; sic considerata ratione originis, quam importat principium; prout de vna persona dicitur in ordine ad alteram, contrahitur ad causalitatem ratione materiæ; vt intelligatur causalitas origo talium, quorum vnum differt ab alio in natura. Origo enim in distinctis per essentiam est causalitas; origo verò simpliciter est principium. Secundum hoc ergo considerata formali ratione causalitatis, non repugnaret nomen causæ Patri in ordine ad filium; sed considerata determinatione & characterizatione huius formalitatis per talem materiam, videlicet per diuersitatem essentiæ, causalitas repugnat diuinis. &c.* Ita Aureolus. 16

Notandum quarto, nomen *Principii* non dici vniuocè de principio essentiali respectu creaturarum, & principio notionali respectu personarum, vt putauit Henricus Anglicus apud Aureolum loc. cit. articulo tertio. nec omninò æquiuocè, vt dixit Gabriel in prima. dist vigesima nona, quæstione secunda articulo secundo, sed analogicè, vt docent Sanct. Thomas in 1. dist. 29. quæst. 1. artic. 2. Bonauentura artic. 1. quæst. 2. Scotus quæst. 1. Durandus quæst. 1. Capreolus quæst. 1. artic. 1. Marsilius in prim. quæst. 31. artic. 3. dub. 4. Vasquez disputat. 139. cap. 4. & 5. 17

Ratio

Ratio est. Quia relationi reali & rationis nihil potest commune vniuocum assignari, vt cum Scoto rectè Vasquez loco citat. quicquid in contrarium dixerit Aureolus; nec tamen negari potest, esse aliquam similitudinem inter vtrumque principium; sic tamen, vt ratio principij prius & principalius conueniat principio notionali, vtpote priori, magis necessario, & nobiliori, quam essentiali; vt ex veriori Vasquez ibidem, & Suarez lib. 6. cap. 5. post S. Thomam, Marsilium locis citatis, & Torrem q. 33. a. 1. etsi Durandus in 1. d. 29. q. 1. admittens analogiam, existimet potentiam magis proprie dici de potentiâ creatiuâ. Plura de voce principij quæst. 4. dub. 1.

18 Notandum quintò, ita quidem personis producentibus alias personas, tribui rationem principij, vt tamen nomen *principiati* personis procedentibus non tribuatur, vt docet S. Thomas quæst. 33. art. 1. ad 4. ex vsu Doctorum: *quia nihil*, inquit, *ad subiectionem vel minorationem quocunq; modo pertinens, attribuimus Filio, vel Spiritui sancto, vt vitetur omnis erroris occasio: licet apud Græcos inueniatur de Filio vel Spiritu sancto dictum, quod principientur.* Quo modo etiam idem S. Thomas opusc. contra errores Græcorum cap. 1. refert Athanasium in Nicænâ Synodo dixisse, *Spiritum sanctum non esse imprincipiatum.* Ceterum vox *principiatus*, inquit Vasquez cit. disp. 139. cap. 5. nec Latinis, nec Græcis vsitata est: ideo ab eâ abstinendum; tametsi illam admittat Durandus in 1. dist. 11. q. 2.

19 Assertio V. Hæc processio seu productio non est ex nihilo; sed de substantiâ personæ producentis. Est de fide ex Concilio Nicæno contra Arium, & Concilio Toletano I. & XI. in confess. fid. & Concilio Florentino sess. 18. & 19. & cap. *Damnamus.* de Sum. Trinit. Et colligitur ex Scripturâ Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Et Ioan. 16. *De meo accipiet, &c.* Et infra, *Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet.* Idem docent SS. Patres, præsertim Augustinus lib. 18. de Trinit. cap. 19. Ratio est manifesta. Quia alioqui processiones istæ nec essent immanentes, nec processiones diuinarum personarum. Nec dubium, ijs verbis, *de substantiâ Patris*, significari & ordinem originis personæ productæ à producente, tanquam principio actiuo, & consubstantialitatem in naturâ, vt habet communis Doctorum sententia, iuxta S. Thomam quæst. 31. art. 3. & colligitur ex Augustino lib. 7. de Trinitat. & lib. de nat. boni cap. 26. & 27. De qua re plura inferius quæst. 2. dub. 5. in fine.

20 Assertio VI. Hæc processio in diuinis est secundum operationes non transeuntes, sed immanentes ipsius intellectûs & voluntatis; adeoque per modum emanationis immanentis & intelligibilis. Est de fide in reipsâ; siue iam formaliter ac immediatè per intellectum & voluntatem existat talis processio; siue materialiter, aut solum per quandam appropriationem, de quâ re dubio sequenti agendum. Ratio est. Quia processio hæc personarum diuinarum est ad intra, in ipso Deo; ita scilicet, vt persona procedens habeat eandem numero naturam diuinam, sitque adeo idem numero Deus, & in naturâ idem simplicissimum ens cum personâ, à quâ procedit, vt dictum quæst. præcedent. dub. 7. & 8. Hoc autem fieri non posset, si processio hæc esset secundum operationem transeuntem; vtpote quæ necessariò pro termino habet ens creatum extra Deum: cum autem sit secundum operationem immanentem intellectûs, aut voluntatis, id rectè fieri potest. Quia hæ operationes, quo sunt perfectiores, eo magis vnum sunt cum ipso, à quo procedunt: *Quanto enim aliquid magis intelligitur, tanto conceptus intellectualis est magis intimus intelligenti, & magis vnum. Nam intellectum secundum hoc, quod actu intelligit, secundum hoc fit magis vnum cum intellecto*; (idque nimirum ratione ipsius intellectionis, seu verbi mentis.) *Cum ergo diuinum intelligere sit in fine* (siue in termino) *perfectionis, necesse est, verbum diuinum esse perfectè vnum* (in essentiâ) *cum eo à quo procedit, absq; omni diuersitate*; (salvâ tamen distinctione personarum.) Ita S. Thomas hîc cit. q. 27. a. 1. ad 2. Similisque ratio formari potest etiam de voluntate. Quæ ratio tamen absolutè non conuincit, per operationem intellectus & voluntatis procedere aliquid ad intra à Deo; sed solum si quid procedat ad intra, non posse esse diuersum quoad essentiam; sed debere esse vnum cum suo principio in essentiâ: quod ex terminis ipsis quasi constat: alioquin enim id quod procedit, non erit Deus: ac proinde processio ipsa non erit ad intra; sed ad extra, terminata nimirum ad id, quod non est Deus, adeoque ad creaturam: cum in entibus realibus, inter Deum & creaturam, non sit medium.

Assertio VII. Duæ tantum sunt in Deo processiones personarum; vna secundum intellectum, altera secundum voluntatem. Ita S. Thomas ead. q. 27. a. 5. & Doctores cæteri omnes cum Magistro in 1. d. 3. Et est de fide certa, ex Scripturâ, & omnibus symbolis, è quibus duas tantum personas procedentes habemus, nimirum Filium & Spiritum sanctum; & vnam personam non procedentem, quæ est Pater. Vnde sumitur etiam ratio. Tot enim necessariò sunt processiones, quot personæ procedentes; siquidem processiones istæ distingui non possunt, nisi habeant distinctos terminos, qui sunt personæ diuinæ, vt dictum: sed duæ tantum sunt personæ procedentes, vt dictum; Ergo duæ tantum processiones. Præter quas processiones & personas procedentes, necessariò nihilominus admittenda est tertia persona ingenita, & nullo modo procedens. Siquidem personæ illæ duæ à seipsis non possunt procedere; neque etiam ab ipsâ solâ essentiâ diuinâ, cum ab eis nullo modo distinguantur; cum tamen inter personas procedentes, & eam, à quâ procedunt, debeat esse realis distinctio, sicut processio realis est. Ergo necessariò vtraque, aut aliqua illarum procedit à personâ tertiâ. Hæc vero ab aliqua priori origine procedere nullo modo potest. Aut enim procederet ab essentiâ ipsâ; & hoc fieri non potest, ob dictam causam; aut à seipsâ, aut ab aliquâ personâ, quæ ab ipsâ procedit; & vtrumque implicat contradictionem, vt patet; aut ab aliquâ personâ quartâ, & hoc est impossibile, cum tres tantum sint personæ diuinæ, vt supponimus: Ergo suppositâ Trinitate personarum in diuinis, necessariò efficitur, duas tantum esse processiones in Deo. Et hæc est prima ratio huius assertionis, ex principijs fidei deducta. 21

Digitized by Google

22 Secunda ratio est S. Thomæ eodem art. 5. Quia processiones in diuinis constitui debent secundum operationes immanentes, vt supra dictum: Cum igitur in Deo velut agente merè intellectuali duæ sint tantum operationes immanentes, scilicet intelligere & velle, sequitur etiam duas tantum in eo processiones reperiri, & non plures.

Tertia ratio colligitur ex discursu totius articuli eiusdem. Nam si aliæ præterea assignandę essent processiones, ex deberent assignari, vel secundum attributum bonitatis; sed hoc immediatè non est operatiuum, nec operatio, vt patet; vel secundum attributum potentiæ; sed hæc non est operatiua ad intra, sed solum ad extra; ad quam proinde pertinet processio creaturarum, non personarum diuinarum: vel secundum alias, atque alias immanentes actiones intellectûs & voluntatis, sed hoc non; quia secundum rem in Deo vna tantum est operatio intellectûs, & vna voluntatis: vno enim simplicissimo actu Deus omnia intelligit, & similiter omnia vult; secundum rationem verò nostram, etsi plures in eo actus intellectûs & voluntatis distinguamus, tamen id ad rem ipsam nihil refert, & possunt à nobis in infinitum plures & plures ratione distingui; nec tamen infinitas esse personas possibile est. Qui discursus S. Thomæ licet sint optimæ congruentiæ huius mysterij, tamen non sunt ita per se euidentes, vt omninò conuincant intellectum; præsertim quoad partem affirmatiuam, esse duas in Deo processiones; etsi quoad negatiuam, plures non esse, sint non parum efficaces.

23 Obiectiones contra processiones, & pluralitatem personarum in diuinis, dissoluimus suprà q. 1. dub. 4. Illud solum hoc loco notandum ex Vasquio disp. 111. num. 1. falsò à quibusdam recentioribus tribui Richardo de S. Victore, quasi senserit, vtramque processionem esse per voluntatem; cum tamen lib. 3. de Trinit. à cap. 2. vsque ad 10. vbi de hac re disserit, solum probet, ex amoris perfectione, tres debere esse personas; qua ratione vtuntur etiam Alensis 1. p. q. 43. m. 5. & q. 45. m. 7. Bonauentura in 1. d. 2. q. 4. Maior q. 6. a. 1 certi interim, alteram processionem esse per intellectum, alteram per voluntatem. Refertur etiam Raymundus Lullus sensisse, stante quamuis Trinitatis mysterio, vnam tantum esse processionem in diuinis, quæ duo simul consistere non possunt, vt ex dictis colligitur, & fusius persequitur Suarez lib. 1. cap. 9. n. 7. Quid autem omnino de ipso, & ipsius doctrinâ sentiendum, incertum est, vt videre est ex ijs, quæ de hac re disserit Vasquez disp. 133. & dictum suprà q. 1. dub. 2.

DVBIVM II.

An processiones personarum immediatè sint à natura, seu essentia diuina; an formaliter per intellectum & voluntatem.

S. Thom. 1. p. q. 27. a. 1. & seqq.

1 CVm dubio præcedenti constitutum quidem sit, atque inter Scholasticos indubitatum, processiones diuinas esse secundum operationes, seu actiones immanentes, respondentes intellectui & voluntati; quo tamen modo id accipiendum sit, an ita, vt solum quadam accõmodatione & appropriatione secundum eas operationes existant diuinæ processiones; an verò etiam propriè, formaliter, & immediatè per intellectum & voluntatem, seu per operationes intellectus & voluntatis diuinæ personæ procedant, à nonnullis in controuersiam vocatur. Et omisso temerario pronuntiato Hieronymi Zanchij Caluinistæ, qui lib. 5. cap. vlt. de Trinit. dixit, Theologorum axioma, quod filius procedat per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem, esse temerarium; Durandus in 1. dist. 6. q. 2. à num. 6. negat filium propriè & formaliter produci in diuinis per actum intellectûs, & Spiritum sanctum per actum voluntatis; eo quod intelligere & velle nec sunt productiones personarum; vtpote absoluta & communia omnibus personis; nec principia productionum; cùm ex his actibus naturâ suâ nihil aliud sequatur aut constituatur, iuxta Aristotelem 9. metaph. Quare etiam *excluſis à Deo per intellectum intellectu & voluntate, cum omnibus actibus ſuis, adhuc eſſet,* inquit, num. 10. *in diuinis generatio filij & ſpiratio Spiritus ſancti; ita quod hæc ſunt in diuinis ex fœcunditate naturæ radicaliter, quam fœcunditatem habet ex ſuâ infinitate, & non ex hoc, quod eſt intelligens, & volens.*

Fatetur tamen inferius num. 18. per accommodationem quandam rectè dici, filium procedere per modum intellectus, Spiritum autem sanctum per modum voluntatis; *eo quod in naturâ intellectuali creata, quæ eſt imago quædam diuinitatis, prima emanatio eſt ſecundum intellectum; alia autem ſequens, in quâ terminatur emanatio manens infra naturam intellectualem, eſt emanatio pertinens ad voluntatem: quod pari etiam modo & proportione in generatione filij, & ſpiratione Spiritus ſancti accidit. Et ſic intelligenda ſunt,* inquit, *quæ dicuntur circà materiam iſtam, de modo proceſſionis diuinarum perſonarum, quoad verba Doctorum, quæ videntur inſinuare, quod intelligere & velle, ſeu diligere, ſint rationes emanationum diuinarum. Hoc enim dicunt, ſolum ſecundum quandam adaptationem ad ea, quæ inueniuntur in imagine creatâ.* Sentit ergo Durandus, processiones diuinas esse immediatè per naturam, & non per intellectum aut voluntatem; ac proinde personas procedentes propriè ac formaliter non esse Verbum vel Amorem; sed tantum per quandam appropriationem. Similia habet idem Durandus in 1. dist. 10. q. 2. Tribuitur etiam hæc sententia à Gregorio de Valentiâ infra Gregorio Ariminensi; sed cuius diuersa fuit sententia, vt benè Vasquez disp. 11. cap. 1. & dicetur dub. 5.

2

Vt hæc res explicetur, notandum est, non esse in præsenti quæstionem, an natura siue essentia diuina sit aliquo modo principium substantiale *Quo*, respectu productionis personarum; de hoc enim ex instituto agendum dub. 5. nec etiam, an productio personarum sit naturalis, & per modum naturæ, an voluntaria & libera; de hoc enim agetur dub. 6. sed solum an natura ipsa diuina sit *immediatum* principium Quo productionis personarum; ita vt secundum rationem nostram inter naturam diuinam, & personas procedentes, non intercedant medij actus intel-

3

lectûs

lectus & voluntatis, nec tanquam principium Quo producendi personas, nec tanquam ipsa productio personarum.

4 Assertio I. Processiones diuinæ licet ex ipsâ fœcunditate naturæ, velut ex se communicabilis pluribus personis, ortum habeant, immediatè tamen non sunt ab ipsa natura, qua talis est. Hæc est communis sententia Doctorum contra Durandum, quam specialim tradunt S. Thomas hac tota quæstione 27. vbique asserens & supponens, personas diuinas verè, propriè, & formaliter procedere per intellectum & voluntatem; & art. 1. dum idem docuisset, addit in fine: *Et sic fides Catholica processionem penes intima.* Idem docent Alensis 1. p. q. 42. memb. 2. & q. 43. memb. 3. art. 1. Bonauentura in 1. d. 10. & dist. 27. q. 1. Henricus quodlib. 6. q. 1. Scotus quodlib. 2. art. 2. & in 1. dist. 2. p. 2. q. 4. & dist. 27. q. 1. & 2. Richardus in 1. d. 2. q. 1. Gabriel dist. 7. q. 2. a. 1. 2. & 3. Marsilius in 1. q. 6. a. 1. Caietanus hic q. 27. a. 1. & recentiores omnes; qui etiam subinde graui censura Durandi sententiam notant; Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. censet *temerariam, & contra fidem*; Suarez lib. 1. cap. 5. num. 4. ait, *esse temerariam, & erroneam proximam, alienamq; à sensu sanctorum, & à modo loquendi Scripturæ*; Vasquez disp. 111. cap. 2. ait, *in modo saltem loquendi non differre sententiam Durandi ab errore Alogianorum, qui dicebant, non esse in Deo verbum proprie.*

5 Probatur assertio primò ex Scriptura, quæ cum filium vocat *verbum*, Ioan. 1. & 1. Ioan. 5. aperte indicat, eum procedere instar verbi dictione, adeoque per intellectum; cum verbum mentis nonnisi dicendo per intellectum producatur. Idem patet ex nomine *sapientiæ*, quod eidem tribuitur, Prouerb. & Eccles. 24. Sap. 7. vbi etiam dicitur, *Ego ex ore altissimi prodij.* Os enim quasi Dei appellatur mens atque intellectus diuinus, quo nobiscum loquitur. Quod si, iuxta Scripturam, filius procedit immediatè per intellectum, Spiritus sanctus vtique procedet per voluntatem, non immediatè per naturam: tum vt seruetur proportio inter vtramque processionem, & operationem tam intellectus, quam voluntatis. Tum quia alias origine prior esset processio Spiritus sancti, processione filij, sicut ratione prior est natura, & essentia diuina, intellectu seu intellectione diuina; id autem est contra fidem, quæ vbique tradit, Spiritum sanctum esse tertiam personam Trinitatis, non secundam.

6 Secundò probatur assertio ex SS. Patribus, qui non solum supradictum loquendi modum Scripturæ diligenter imitati, atque etiam contra Alogianos hæreticos tutati sunt; sed etiam expressè docuerunt, filium procedere per intellectum, seu memoriam, & Spiritum sanctum per voluntatem, quem etiam vocarunt *Amorem, dilectionem, & charitatem* patris ac filij. Vide Irenæum lib. 2. cap. 48. Basilium homil. in cap. 1. Ioan. Cyrillum lib. 1. in Ioan. cap. 5. Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 6. 13. 14. & lib. de cognit. vitæ vitæ cap. 14. 16. 17. & 18. Theodoretum lib. 2. ad Græcos, Anselmum in monolog. cap. 45. 46. 47. & 48. Damascenum lib. 1. fid. cap. 6. & Fulgentium lib. 3. ad Monimum cap. 7. vbi ait: *Sic est verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, vtiq; cogitando habet; quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare.*

7 Tertiò probatur ratione. Tum quia in nulla natura, productio vel communicatio naturæ immediatè fit per ipsam naturam seu essentiam, sed per potentiam seu operationem propriam tali naturæ; quæ quidem in Deo ipso, & ad intra, velut in enteme rè intellectuali, non est nisi actus intellectus & voluntatis. Tum quia alias filius non propriè, sed tantum per quandam appropriationem esset *verbum*; quod etsi concedat Durandus, est tamen contra proprietatem Scripturæ, & SS Patrum, ac in modo saltem loquendi consonat damnatæ hæresi Eunomij & Alogianorum, qui itidem dicebant, in Deo non esse λόγον seu verbum propriè, vt dicetur quæst. 4. dub. 2. Tum quia alias nulla ratio posset assignari, nec cur processio filij ordine originis prior sit processione Spiritus sancti; aut cur hæc non sit etiam generatio; aut cur non etiam Spiritus sanctus verè ac propriè sit imago Patris ac Filij; aut cur duæ tantum, non plures sint processiones; quæ omnia in Theologia sunt absurda.

8 Assertio II. Processiones personarum immediatè sunt per intellectum, & voluntatem diuinam; ita vt filius per intellectum; Spiritus sanctus per voluntatem procedat; abstrahendo, an actus intelligendi & amandi sint principium Quo producendi personas; an ipsa productio. Ita omnes authores citati pro præcedente assertione; nec verò minus certa est hæc assertio, quam præcedens; siquidem & ijsdem argumentis probatur, & ex præcedenti sequitur. Si enim à natura ipsa diuina, qua tali, non immediatè procedunt personæ; ergo immediatè procedunt per intellectum & voluntatem: præterquam quod de intrinseca ratione verbi est, procedere per intellectum; & de ratione Amoris, procedere per voluntatem.

Obijcitur primò, quod SS. Patres quandoque dicunt, filium procedere per naturam, non per voluntatem. Respondetur hoc ipsos dicere eo sensu, vt significent, filium non esse adoptiuum, seu per electionem & adoptionem; sed naturalem, per communicationem scilicet eiusdem naturæ; aut non liberâ processione, sed merè naturali ac necessaria processione esse filium Dei, vt dicetur dub. 6.

9 Obijcitur secundò, ex ipsa fœcunditate diuinæ naturæ conuenire eidem, quod sit communicabilis personis pluribus: Ergo communicatio immediatè fit per naturam. Respondetur negando consequentiam. Satis est enim, quod mediantibus, iuxta rationem nostram, actibus intellectus & voluntatis hoc fiat; qui itidem fundantur quasi in natura, & ab ea vim habent.

10 Obijcitur tertiò. Intelligere & velle sunt actus essentiales, & communes omnibus personis, nec à parte rei inter se diuersi; processiones autem non sunt communes, & inter se realiter distinguuntur, saltem si actiuas cum passiua conferamus. Ergo intelligere & velle saltem non sunt ipsæ processiones actiuæ, seu productiones personarum.

Respondetur, intelligere & velle posse dupliciter considerari, primò absolutè & in se, ac sine relatione productionis ad terminum productum;

Secun-

Digitized by Google

Secundò cum adiuncta relatione productionis: priori modo sunt actus communes, & inter se non nisi ratione distincti; posteriori sunt notionales, & proprij personarum, atque etiam (si relatiuè oppositi sint) inter se realiter distincti, vt pluribus dicetur dub. 3. & 4.

11 Obijcitur quartò, omnes alias naturas esse fœcundas proximè ipsâ sua substantia; non autem per intellectum aut voluntatem; vt quæ non sunt potentiæ productiuæ alicuius alterius termini saltem realiter distincti, vt ex Philosopho 9. metaph. dictum.

Respondetur, nullam naturam creatam in actu secundo immediatè seipsâ esse fœcundam; sed vel nullo modo esse fœcundam, vt in natura spirituali Angelica accidit; aut solum esse fœcundam ad producendam aliam, adiuncta & mediante potentia generatiua; quæ quidem vti in rebus corporalibus materialis, & ab intellectu & voluntate necessariò diuersa est, ob imperfectionem horum agentium; ita in natura diuina non potest ab intellectualibus potentijs, seu actibus intelligendi & amandi, vllo modo esse distincta. Quod autem in rebus creatis intelligendo aut volendo nulla alia substantia producitur, ob imperfectionem itidem eorundem agentium accidit, satis interim est, & intelligendo produci verbum; & volendo seu amando amorem; quæ in diuinis non possunt esse nisi substantia, & ipse Deus; etsi quidem Aristoteles hoc mysterium minimè agnouit, de rebus creatis solum locutus.

DVBIVM III.

Per quasnam operationes intellectus & voluntatis procedant personæ diuinæ.

S. Thomas 1. p. q. 27. a. 1. & seqq.

1 ETiamsi personæ procedant per intellectum & voluntatem; non tamen constat inter Doctores, per quos actus intellectûs & voluntatis formaliter procedant: an per actus intelligendi & amandi formaliter; an per actus ab intellectione & volitione distinctos. Et ratio difficultatis colligitur ex præcedenti dubio, quæ in hoc consistit. Nam si pater intelligendo generat filium, & Pater simul cum filio amando spirant seu producunt Spiritum sanctum: Ergo omnes personæ in diuinis generant & spirant; quia intelligere & amare commune est omnibus personis.

2 Ad præsentis ergo difficultatis explicationem, sunt de proposita dubitatione quatuor sententiæ; è quibus duæ priores, velut falsæ & improbabiles, sunt à nobis refutandæ; tertia bono sensu exponenda: quarta autem figillatim & distinctè proponenda ac probanda. Prima sententia est Henrici quodlib. 6. quæst. 1. & in summa artic. 54. vbi docet, filium & Spiritum sanctum intelligendo quidem & amando produci, sed non qualibet dilectione vel intellectione; sed speciali quadam, quam *notionalem* vocat; & dicit, esse operationem singulari modo perfectam, intellectûs quidem, quasi reflexam, & certo modo intensam; voluntatis autem, admodum feruentem: cum essentialis & communis dilectio non sint ita perfectæ: Quam distinctionem vult etiam in creata notitia & dilectione locum habere, respectu verbi, seu termini per eas producendi.

Sed hæc sententia distinguens hoc modo duplex 3
intelligere in Deo, tanquam falsa & improbabilis iure ab omnibus refellitur. Est enim distinctio ficta, & contra veritatem ac perfectionem diuinæ essentiæ. Tum quia iuxta communem & veram Philosophiam, nullum est intelligere etiam in nobis adeò imperfectum, quo non producatur proportionatum verbum: cum hoc sit terminus intrinsecus actionis intelligendi; nec vero vllum sit intelligere sine actione intelligendi. Tum quia absurdum est, Deo tribuere intelligere quoddam imperfectum, etiam sola ratione distinctum à perfectissimo; multò autem absurdius dictu, intelligere essentiale, adeoque commune omnibus personis, esse intelligere quoddam minus perfectum; cum omnia attributa essentialia Dei necessariò sint in suo genere infinitè perfecta. Quare quicquid perfectionis notionali illi intelligere tribuatur, siue explicetur per modum reflexionis, siue intensionis, & feruoris, non potest communi & absolutæ intellectioni ac dilectioni denegari.

Secunda igitur sententia est Scoti in 1. distinct. 2. 4
quæst. 7. & d. 23. quæst. 1. & 2. & quodlib. 2. vbi referens & refellens Henrici sententiam, alio modo actiones intellectus ac voluntatis in Deo distinguit. Nam in memoria seu intellectu paterno constituit duas quasi actiones, easque inter se minimè subordinatas; vnam vocat *intelligere*, alteram *dicere*: aitque illam esse communem omnibus personis, sed minimè productiuam verbi; hanc verò propriam patris, & productiuam verbi, seu potius ipsam verbi productionem. Quæ doctrina fundamentum habere posset in eorum sententia, qui dicunt, actum intelligendi, & verbum in nobis, esse duas qualitates realiter distinctas; quod quidem docere Caietanum, Ferrariensem, & alios plures Thomistas refert Suarez lib. 1. cap. 6. & de Thomistis aliquibus fatetur Torres quæst. 27. artic. 1. disput. 4. part. 2. Hi enim consequenter fateri debent, eas per duas actiones realiter item distinctas produci; ita vt dicere sit productio verbi, intelligere autem, vt est actio, sit productio actûs intelligendi. Quæ doctrina proinde seruata proportione, etiam diuinis accommodari posset, iuxta prædictam Scoti sententiam.

Sed quia eiusmodi doctrina, & per se ac reipsa, vt 5
ex Philosophia suppono, & in sententia Scoti falsa est, rectè ex communi sententia docentis, verbum mentis nostræ non esse rem distinctam ab actu intelligendi, vt est qualitas in facto esse; ideo Scoti sententia non potest hoc modo explicari & defendi. Accedit, quod Scriptura & Patres satis apertè indicant, non solum Verbum intellectu, Spiritum sanctum voluntate, sed hunc quoque amando, illum intelligendo formaliter produci, vt videre est locis citatis dubio præcedenti. Denique vt in nobis verbum mentis non producitur nisi intelligendo, ita verbum etiam diuinum, si verè ac propriè verbum est, vt sanè est, necesse est intelligendo produci. Non

ergo

ergo dicere & intelligere sunt duæ actiones distinctæ, & inter se non subordinatæ, vt existimauit Scotus; cuius proinde sententiam meritò reijciunt & pluribus refellunt Caietanus hic q. 27. art. 5. Torres ibidem art. 1. disp. 4. Suarez lib. 1. cap. 6. & Vasquez disp. 112. cap. 2. & 3.

6 Tertia sententia distinguit itidem (vt prima sententia) ratione saltem duplex intelligere in Deo; notionale scilicet, & essentiale; hoc commune, illud proprium patris dicunt, quo producitur filius. Idem secundum proportionem tradunt de actu voluntatis, quod est velle seu amare. Refert & refellit hanc sententiam Aureolus in 1. dist. 32. quæst. 1. artic. 3. vbi eam tribuit S. Thomæ, eo quod quæst. 37. art. 1. dixerit, amorem in Deo dici essentialiter, & notionaliter, seu personaliter. Eandem sententiam Thomistis in genere tribuit Torres quæst. 27. artic. 5. quam etiam ibidem absolutè & prolixè reijcit & impugnat.

7 Cæterum quamuis hæc sententia bono sensu explicari, & defendi potest, vt inferius dicemus, & rectè notauit Vasquez d. 112. num. 10. in hoc reprehendens Torrem, quod absolutè eam vt falsam reiecerit; tamen non omnino satisfacit & probatur, præcipuè in modo loquendi. Tum quia in rigore non rectè dicitur duplex intelligere esse in Deo, vt dicemus. Tum quia non satis explicat, quâ ratione in seipsis illæ duæ intellectiones differant, quarum vni tribuitur productio filij, seu dictio Verbi, non alteri.

Vnde Vasquez eam sententiam quasi explicans ait, intellectionem à dictione, seu productione verbi differre, vt inclusum ab includente. Hanc enim, præter ipsum intelligere, includere quoque relationem productionis ad verbum, veluti terminum productum: quod etiam docet, & fusius declarat Gregorius de Valentia q. 1. punct. 3. & ferè consentit Molina q. 27. art. 5. disp. 2. Sed nec istud per omnia satisfacit, quia nisi aliunde etiam assignetur discrimen, ex parte ipsius intelligere, & intelligentis, quæstio manet, cur in patre solum habeat relationem producentis annexam, & non in cæteris personis, cum alioqui posito eodem fundamento adæquato, sequi soleat eadem relatio.

8 Est igitur quarta & vera sententia, quæ quinque his pronunciatis continetur. I. Intelligere, & dicere, seu producere verbum in Deo, saltem aliquo modo ratione distingui: quod omnes fateri debent; quia intelligere reipsa verè ac propriè commune est omnibus personis; non dicere seu producere verbum. Idem dicendum est de amare & spirare.

II. Abstrahendo à diuersitate obiectorum, propriè loquendo, & considerando rationem ipsius intellectionis, vnum tantum esse intelligere adæquatum in Deo, non modo reipsa, sed etiam iuxta nostrum concipiendi modum; quia vna natura intellectualis; & vnus intellectus; & vna denique solum cuiusque attributi diuini adæquata ratio est.

III. Esse tamen diuersum modum habendi vnum & idem simplicissimum intelligere, in personis diuinis; quia pater illud habet ex se, & sine productione; in quo proinde est ante omnem productionem: filius habet per communicationem à patre, adeoque ratione quasi posterius ipsa filij productione; cum ei sit communicatum per productionem, quâ ipse est. Quod proinde pronunciatum ex ipsis terminis patet.

IV. Hanc ipsam rationem discriminis satis esse, 9
vt Pater intelligendo generet, non Filius, aut Spiritus sanctus; siue intelligere in patre sit ipsa productio Verbi, siue solum principium Quo producendi verbum, iuxta ea quæ dicentur dubio sequent. quia licet intelligere in omnibus personis vnum & idem sit, requirit tamen ex parte quasi subiecti, seu personæ, conditionem, vt formaliter sit dictio, seu vt per eam notitiam quippiam producatur ad intra; nimirum, vt quatenus est in tali personâ, non iam aliunde per eam sit productum, quicquid ad intra per eam produci potest. Si enim per eam, secundum rationem & originem, iam antea productum supponatur, quicquid per eam produci potest, nihil restat, quod à persona filij, cui ratione posterius, quam in patre sit communicatur, per eam amplius producatur: cum produci nihil possit, quod iam antea supponitur productum. Hinc igitur pater producit filium, per illud ipsum intelligere, quod commune est omnibus personis, quatenus illud à se habet, & non per generationem, aut aliam productionem. Ob hoc ipsum enim pater illud alteri potest communicare, ex virtute quidem & fœcunditate ipsiusmet actus intelligendi: filius autem per illud nihil producere amplius potest, quia iam supponitur productum quicquid per illud produci potest.

V. Postremum pronuntiatum est. Intelligere & 10
dicere, differre vt inclusum & includens; quia dicere includit ipsum intelligere; sed præterea quoque non solum dicit relationem ad verbum, velut producentis ad terminum productum; sed etiam ex parte quasi subiecti includit seu deposcit conditionem; nimirum esse in tali persona, ante productionem per talem actum factam, vt explicauimus. Quæ omnia seruata proportione ad voluntatem quoque seu amorem respectu productionis Spiritus sancti applicari possunt ac debent.

Eodemque modo concedi potest, esse duplex intelligere in Deo, non quidem secundum ipsam rationem intelligendi, vt dictum; sed quia accipi potest aut absolutè & secundum se; aut prout simul inuoluit actionem & relationem dicendi seu producendi verbum, cum debita conditione, &c.

Atque hanc doctrinam planè tradere videtur S. 11
Thomas quæst. 34. artic. 2. ad 4. vbi rationem reddit, cur Filius intelligendo non producat verbum, *quia filius*, inquit, *est Deus genitus, non autem generans Deus: vnde est quidem intelligens, non vt producens verbum, sed vt verbum procedens.* Et quæst. 37. artic. 1. ad 4. *Sicut Filio*, inquit, *licet intelligat, non tamen sibi competit producere verbum, quia intelligere conuenit ei, vt verbo procedenti: Ita licet Spiritus sanctus amet, essentialiter accipiendo, non tamen conuenit ei, quod spiret amorem; quod est diligere notionaliter sumptum, quia sic diligit essentialiter, vt amor procedens, non vt à quo procedit amor.* Et rursus quæst. 42. artic. 6. ad 3. cum obiectum fuisset, filium non posse generare, ac proinde non habere eandem potentiam, quam habet Pater; nec adeo æqualem esse patri secundum potentiam; respondet S. Thomas his

verbis:

Digitized by Google

verbis: *Sicut eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio, ita eadem est potentia, qua Pater generat, & qua filius generatur. Vnde manifestum est, quod quicquid potest pater, potest filius; non tamen sequitur, quod possit generare; sed mutatur quid in aliquid. Nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo filius eandem potentiam quam pater, sed cum alia relatione. Quia pater eam habet vt dans; & hoc significatur cum dicitur, quod potest generare: Filius autem habet eam, vt accipiens; & hoc significatur cum dicitur, quod potest generari.* Quibus verbis S. Thomas tria ad institutum docet; 1. potentiam, qua filius generatur, eandem esse in patre & filio. 2. filium tamen non posse generare. 3. rationem huius rei esse, quia filius habet eandem potentiam quam pater; sed cum alia relatione; nimirum vt accipiens; pater vero vt dans: atque ideo patrem posse generare, non filium: quod est dicere, essentiam hoc solo, quod est in patre absque generatione; hoc est, non per generationem ei communicata, esse posse virtutem vndique expeditam ad generandum; quia eo ipso quod in illa persona est ratione prius, quam fit facta generatio, intelligitur in ipso posse esse fœcunda, & non in alijs personis, vt est in ipsis: quod pari ratione etiam de intellectu & voluntate, seu intellectione & volitione dicendum, vt ex ipso S. Thoma dictum.

12 Huc spectat, quod S. Thomas quæst. 27. artic. 5. dicit, *actiones immanentes in natura intellectuali, & diuina, non esse nisi duas, scilicet intelligere & velle.* Et quæst. 41. artic. 6. ait, *Deum omnia intelligere & velle vno & simplici actu.* Et quæst. 37. artic. 1. & 2. ad 1. docet, *intelligere, & esse sapientem, vel intelligentem, tantum dici de Deo essentialiter.* Non ergo iuxta S. Thomam est duplex intelligere in Deo, propriè loquendo, essentiale & notionale; sed vnum quod tamen in patre simul est dicere; in filio & Spiritu sancto non est nisi intelligere, ob dictam causam.

13 Eandem sententiam tradit Aureolus in 1. distinct. 20 quæst. 1. artic. 1. vbi dicit, *posse generare, esse habere diuinam essentiam per modum dantis, posse vero generari, esse habere eam per modum accipientis*, vt dixerat S. Thomas. Et distinct. 32. quæst. 1. art. 3. ex instituto probat, non posse poni *duos amores, aut duas sapientias* seu notitias in diuinis; quarum vna sit essentialis, altera notionalis. Eodem modo non esse duos actus intelligendi & amandi ratione distinctos, secundum proprias rationes talium actuum, sentiunt etiam Capreolus in 1. d. 32 q. 1 a. 1. Caietanus hic q. 37 a. 1. & 2 Torres q. 27. art. 5. part. 3: qui inter alias responsiones etiam ad hunc modum propositam difficultatem dissoluit. Ex instituto vero & particulatim ita rem totam explicauit Suarez lib. 1. cap. 7. à num. 5. Ex quibus etiam patet responsio ad rationem dubitandi initio propositam, qua Scotus in alienam se induci passus est.

14 Obijcitur tamen præterea primo ex S. Thoma q. 37. art. 1. vbi dixit, *Amorem in Deo dici essentialiter & notionaliter*, seu personaliter: sentit ergo duplicem in Deo esse amorem, amoriſque actum, notionalem & essentialem: quod pariter etiam de intellectione diuina dicendum.

Respondetur negando consequentiam; nusquam enim docet S. Thomas duplicem in Deo esse actum amoris, sed vnum & eundem actum amoris dupliciter accipi, essentialiter & notionaliter. Neque id tamen pariter de intellectione, iuxta eundem accipiendum est; quando ead. q. 27. a. 1. diserte scribit, in diuinis intelligere *solum essentialiter dici.*

Quod vt intelligatur, notandum est ex eodem ibidem, discrimen esse quoad hoc, inter intellectum & voluntatem, non secundum rem, est enim in re eadem proportio, vt dictum; sed quoad voces, quibus res significatur. Nam respectu intellectus, dantur nomina, seu voces distinctæ, ad significandum formaliter, vel ipsum actum intellectus secundum se & absolutè, vt est sapientem, & intelligentem esse, &, iuxta eundem, etiam ipsum intelligere; vel actum producendi verbum per intellectum, vt est dicere; vel ipsum terminum ipsius productionis, scilicet verbum: in voluntate autem, ob defectum nominum, vno & eodem vocabulo amoris seu dilectionis, significatur tam actus voluntatis vt sic, quam productio, & terminus productionis. Quo fit, vt sapientem ac intelligentem esse, (sicut etiam sapere & intelligere, si secundum se accipiatur, vt dictum) cum vt sic formaliter nec intellectualem productionem dicant, nec terminum productum, rectè solum essentialiter in diuinis dici asseratur: at verò amare seu amor, quia non solum actum vt sic communem omnibus personis significat, sed etiam ipsam productionem per voluntatem, eiusque terminum, hinc fit, vt non solum sumatur essentialiter, sed etiam notionaliter, tam pro spiratione actiua, quam passiua, qui est Spiritus sanctus, vt videbimus. Et hic est sensus S. Thomæ; non autem quod duplex sit actus amoris in Deo, vnus essentialis, alter notionalis, vt benè etiam exposuit Suarez cit. cap. 7. num. 12. Quæ tamen non obstant, quo minus intelligere, cum addito, prout nimirum est in patre, seu prout relationem paternitatis adiunctam habet, sic & dicatur ipsa productio verbi, vt dicetur dubio sequenti.

Obijcitur secundò. Si propterea intelligere & amare in patre habet rationem generandi aut spirandi adiunctam, quia est in patre ante omnem productionem, sequitur etiam Deum, seu essentiam diuinam, vt sic formaliter, generare aut spirare: quod tamen damnatur capit. *Damnamus*, de summa Trinitat. & fide Catholica. Ita obijcit Molina loco citato.

Respondeo negando sequelam. Quia licet intelligere sit in diuina essentia ante productionem: non tamen est in ipsa, vt in persona formaliter; cuius solius est producere, vt ex fide constat; quæ proinde etiam conditio, præter alias, ex parte subiecti ad producendum necessariò requiritur.

Obijcitur tertiò. Intellectio quatenus intellectio, cum sit propter se, non est productio termini: sed dictio est productio termini, nempe verbi: Ergo dictio non est intellectio. Hoc argumento etiam vsus est Scotus pro sua sententia.

Pro solutione notandum, discrimen aliquod esse inter intellectionem, seu productionem verbi creatam, & increatam. Nam intellectio ex veriori sententia, in nobis formaliter est qualitas in facto esse, adeoque ipsum verbum mentis; identicè autem & materialiter est actio seu productio verbi;

siue potius ipsa productio verbi, materialiter est intellectio, ipsumque verbum mentis; sicut omnis actio realiter identificatur cum suo termino: in diuinis autem intellectio concipitur quidem per modum perfectionis absolutæ & essentialis, quæ etiam secundum se, non minus quam ipsa essentia diuina, cum verbo eiusque productione identificatur, ex dictis quæstion. 1. dub. 7. at vero formaliter & secundum nostrum concipiendi modum, non est ipsum verbum productum; nec, si secundum se solum spectetur, actiua productio verbi; sed perfectio absoluta, ratione prior, vt dictum; eo modo, quo absoluta & essentialia in diuinis ratione priora sunt relatiuis & personalibus. Habet tamen rationem productionis, seu processionis actiuæ, prout simul formaliter adiunctam habet relationem ad verbum: vtiquidem habet, prout est in solo patre, non in alijs personis, ob rationem superius dictam.

18 Qua ratione ipsa etiam productio, seu origo actiua verbi, nec est sola intellectio absoluta, nec sola relatio, sed vtrumque simul includit; ita vt ob hanc causam etiam ab origine seu processione passiua realiter distinguatur; prout vniuersim notionalis actio, & quasi passio, in diuinis realiter differunt; vt quæst. 3. dicemus. Cur autem intellectio in diuinis, etiam prout concipitur in esse perfecto, non sit formaliter verbum ipsum productum per actionem intelligendi, ratio est, quia verbum in diuinis est persona subsistens & distincta à patre eam per intellectionem producente; est ergo ratione posterior intellectione, etiam in esse perfecto; cum intellectio communis & absoluta in Deo, siue in patre, qua producitur filius, non possit non esse etiam formaliter, & in suo genere summè perfecta.

19 Hoc posito, ad argumentum respondeo, intellectionem saltem materialiter & realiter, tam in nobis, quam in Deo esse productionem seu dictionem verbi; sed diuersa ratione, vt dictum: etsi formaliter intellectio vt sic, si secundum se præcisè sumatur, nec in nobis, nec in Deo sit productio verbi. Ex quo fit, intellectionem & dictionem non esse duas actiones inter se distinctas, nec subordinatas, sed potius reipsa vnam esse actionem, vnumque actum, qui prout est in facto esse, est, & vocatur in nobis intellectio, seu verbum mentis; prout autem est in fieri, est ipsa dictio seu productio verbi. Ad quem ferè modum etiam ad hoc argumentum respondet Vasquez disput. 112. cap. 4. vbi rectè annotat, non posse plenam similitudinem deduci ex nostro intellectu, vt intelligamus æterni verbi productionem: hæc enim peculiare illud habet, vt simul sit productio verbi, & intellectio eius, quod producit; nostra vero intellectio est verbum ipsum, quo formaliter intelligimus non ipsum verbum, quod producimus, sed quo intelligimus rem aliam, quæ intellectui verbum producenti obijcitur. Plura de hac re cit. quæst. 3. vbi de originibus disseretur.

DVBIVM IV.

Sitne in diuinis actus intelligendi & amandi principium Quo producendi personas; an ipsa productio.

S. Thom. 1. p. q. 27. a. 1.

1 DIctum est dub. 2. contra Durandum, personas diuinas procedere per intellectum & voluntatem; rursum contra Henricum & Scotum dub. 3. probauimus, easdem personas intelligendo & amando produci; quod cum dupliciter fieri possit, vel vt actus intelligendi & amandi tantum sit principium Quo, seu quasi virtus actiua producendi personas; vel vt sit ipsa productio; explicandum restat hoc dubio, vtro nam ex his duobus modis determinatè actus illi se habeant ad productionem personarum: quandoquidem etsi obiter quandoque insinuatum est hactenus, actus illos esse ipsas productiones personarum, id tamen non est ex instituto definitum & explicatum; quod cum inter Scholasticos Doctores admodum sit controuersum, inprimis etiam explicatione indiget.

2 Sunt enim hac de re duæ sententiæ oppositæ. Prima ait, actum intelligendi & amandi solum esse principium Quo producendi personas; sicut potentia animæ est principium Quo operationis animasticæ; aut sicut calor in calefaciente est principium Quo calefactionis. Ita docet Henricus Gandauensis quodlib. 6. quæst. 1. quem sequuntur Suarez lib. 1. cap. 8. num. 2. & Albertinus tom 2. prædic. ad aliquid, corollar. seu quæst. 12. dub. 2. vbi etiam in patre distinguit ratione duplicem actionem, vnam absolutam, qua filio communicatur ipsum intelligere; alteram relatiuam, qua producitur relatio Filiationis, &c. Simulque supponit, generationem actiuam identificari non cum patre, sed cum filio; quod quæst. seq. dub. 5. refellemus. Rationes potissimas huius sententiæ inferius adducemus & soluemus.

3 Etenim opposita sententia, vt communior, ita verior videtur, nimirum in Deo patre ipsam intellectionem, seu actum intelligendi, esse dictionem & productionem verbi, non solum identicè, sed etiam formaliter; ita saltem vt intellectio ipsa, prout est in patre, adiunctam habeat formalem rationem dictionis; hæcque intrinsecè includat etiam ipsam intellectionem. Ita docent Magister in 1. distinct. 26. Richardus in 1. distinct. 27 artic. 1. Hispalensis distinct. 3. art. 3. Capreolus dist. 9. quæst. 1. & supponit Caietanus hic quæst. 27. artic. 5. & ex instituto tuentur Torres quæst. 27. artic. 5. disput. vnic. part. 3. Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 3. Vasquez disput. 111. cap. 2. & disput. 112. cap. 3. & Molina quæst. 27 art. 1. disput. 8. memb. 4. ad 4. vbi apertè ait, *intellectum per intellectionem producere verbum, tanquam per actionem, quæ est ipsamet verbi productio, non verò tanquam per principium efficiens.* Nec obstat, quod infra artic. 5. disput. 2. contra Torrem disse-

Digitized by Google

rens ait : *Dicere & spirare non esse ipsasmet operationes, seu actus vitales intelligendi & amandi ; sed eas supponere, & in obliquo connotare ; quia dicere est intelligendo producere ; in recto vero esse ipsasmet relationes productionis.* Solum enim negare vult hoc loco Molina, dicere in recto formaliter & adæquatè esse ipsam per se intellectionem; de quo quæst. 3. non tamen negat includere formaliter etiam ipsam intellectionem, ita vt intellectio in patre sit ipsa verbi productio.

4 Eadem videtur sententia communior Scholasticorum, qui cum asserunt, eandem intellectionem in diuinis considerari posse, & vt intellectionem, & vt dictionem, supponunt, eam quoque formaliter esse dictionem, quamuis non semper, & in omni persona, vt dicetur. Eandem sententiam indicat S. Thomas quæst. 34. artic. 1. ad 2. vbi ait : *Dicere Deo esse cogitando intueri, in quantum intuitu cogitationis diuinæ concipitur Verbum Dei.* Et ibidem ad 3. ait : *Pater intelligendo se, & filium, & spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit verbum, &c.* Vbi non dicit, potest concipere, sed concipit. Et quæst. 27. artic. 1. ait : *Quicunq; intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio* (seu verbum) *rei intellectæ, ex vi intellectiua prouenieus, & ex eius notitia procedens.* Quod ipsum postea ad processionem verbi in Deo applicat. Sentit ergo S. Thomas, ipsam actionem intelligendi esse productionem verbi; simulque in Deo esse non tantum actualem notitiam, ex qua (si nimirum per modum actionis consideretur) procedat verbum; sed etiam vim intellectiuam, ex qua velut principio Quo prouenit verbum.

5 Probatur hæc sententia primò. Quia in omni naturâ intellectuali ipsamet intellectionis actio est actio productiua, & productio verbi; quod frustra in dubium vocat Albertinus; sicut etiam ipsum verbum, si propriè verbum est, ex suâ ratione terminus est intellectionis, vt actio est : nec vspiam intelligere est principium physicè effectiuum alterius actionis. Secundò. Quia secundum oppositam sententiam, assignanda foret alia actio, medians secundum rationem nostram, inter intellectionem & verbum, cuius principium esset intellectio: quod non videtur conueniens ; sic enim verbum diuinum non produceretur immediatè per actionem, quæ est intellectio. Tertiò. Actio intelligendi, siue ipsa intellectio, vt actio, necessariò habet aliquem terminum; nec alium, quam verbum: sed ipsum intelligere diuinum, si consideretur, vt secundum rationem emanat ab intelligente, eoque apto ad producendum verbum, est actio intelligendi ; Ergo ipsum intelligere, vt emanat quasi ab intelligente, eoque apto ad producendum verbum, vti in diuinis est pater, est productio verbi. Quartò. Intellectus possibilis non habet aliam actionem, quam intellectionem; ab hoc enim velut adæquato actu specificatur: Ergo aut hac producitur verbum etiam in diuinis, aut nulla.

6 Obijcitur primò. In diuinis propriè locum non habet intellectus seu voluntas, vt per modum actus primi ab intellectione seu volitione distinguitur : Ergo cum ipsa voluntas & intellectus diuinus, iuxta S. Thomam, & communem, constituatur per modum principij Quo, respectu processionis, seu productionis Verbi, siue Spiritus sancti, id de actibus intelligendi & amandi accipiendum est.

Respondeo negando antecedens, loquendo de distinctione rationis ; in Deo enim intellectum & voluntatem esse etiam per modum actus primi, vniuersim docuimus disp. 2. q. 11. dub. 5. Et quamuis S. Thomas q. 41 art. 1. neget, actionem in Deo esse, quatenus ea motum inuoluit, aut connotat, non tamen negat esse sub communi quadam & propria etiam ratione, prout à motu & reliquis imperfectionibus quasi materialibus abstrahit, vt ibidem dictum, & pluribus dicetur dub. 5.

Obijcitur secundò. Si intelligere in diuinis est ipsa actio productiua verbi, sequitur, patrem constitui intelligentem ipso verbo producto; quia verbum humanum per actionem intelligendi ad hoc producitur, vt constituat producentem in actu secundo intelligendi : consequens autem non potest dici, iuxta Augustinum lib. 15. de Trinitate, capit. 7. & 10. & lib. Retract. capit 26. vbi retractat illam propositionem, *Pater est sapiens sapientia genita :* quod etiam notauit S. Thomas quæst. 37. art 2. 7

Respondeo, negando sequelam ; nam quod in humanis, is qui producit verbum, constituatur intelligens ipso verbo producto, ex imperfectione & limitatione creati agentis accidit, quia nimirum ex seipso, & ante productionem verbi, non est intelligens; cuius contrarium in diuinis accidit; siquidem pater ex seipso est intelligens; nec productio verbi ei competit, ob indigentiam intellectionis, sed ex fœcunditate & perfectione ipsius intellectionis, quam is ex se, & sua natura habet. Cum ergo pater sit sapiens & intelligens suamet essentia, adeoque sapientia essentiali & ingenita, veluti forma ; non autem verbo seu sapientia genita, rectè negatur, patrem constitui sapientem seu intelligentem verbo, siue sapientia genita, vt pluribus dicemus quæst. 3. dub. 2. Et quoad hoc libenter agnoscimus discrimen, ab omnibus necessariò admittendum, inter verbum diuinum, & creatum : quia per hoc is ipse, qui id producit, formaliter constituitur intelligens, quia est forma illius & ipsa intellectio in esse perfecto, vt dictum ; at vero in Deo est persona distincta ab intelligente patre. An vero interim in diuinis dici alio sensu possit, *patrem intelligere verbo*, ita vt verbum Intelligere significet actionem intelligendi, non formam seu actum intelligendi in esse perfecto, vt tradit Vasquez disp. 151. cap. 6. num. 22. dicetur quæst 3. dub. 2. & 8. 8

Obijcitur tertiò. Si intelligere in diuinis est ipsa actio producens verbum ; Ergo omnibus personis tribuenda erit productio verbi: siquidem intelligendi actus est communis omnibus personis; & impossibile est, formam in aliquo subiecto esse, & non habere in eodem, seu non tribuere eidem effectum formalem; secus est de principio productiuo Quo, hoc enim benè potest esse in aliquo subiecto ; cum tamen ob defectum alicuius conditionis, non possit agere, seu prodire in actum secundum. 9

Respondeo distinguendo sequelam primæ propositionis ; vera est enim, si intelligere in diuinis, 10

secun-

secundum se præcisè sumptum est actio producens Verbum; secus, si intelligere est actio producens non secundum se præcisè, sed vt simul adiunctam habet in patre relationem producentis ad verbum, vti etiam dubio præcedenti in simili dictum. Neque est hoc planè nouum, vt forma aliqua pro diuersa ratione subiecti, non habeat omninò eundem effectum formalem. Siquidem etiam actiones vitales, ex probabili sententia, per absolutam Dei potentiam, esse possent in lapide, aut alio subiecto inanimato; neque tamen redderent illud formaliter intelligens, aut viuens; nimirum quia effectus formalis eiusmodi formarum, præter absolutum esse ipsius formæ, includit essentialiter habitudinem ad certum subiectum natura sua capax eiusmodi formarum; puta viuens, &c. Ita ergo etiam productio verbi, præter esse absolutum ipsius actus intelligendi, includit etiam certum respectum seu relationem producentis ad verbum, veluti terminum productum; quæ relatio quia in solo patre est, ideo in eo solo actus intelligendi habet rationem productionis verbi. Quare autem non in alijs quoque personis habeat relationem eiusmodi adiunctam, rationem assignauimus dubio præcedenti.

11 Obijci potest quartò. Intelligere essentiale Dei est actus quidam secundus omnino perfectus, & in eo concipitur per modum qualitatis absolutæ: Ergo impossibile est, vt formaliter sit actio, seu productio verbi; siquidem de ratione actionis est, vt concipiatur per modum cuiusdam tendentiæ ad suum terminum. Respondeo cum Gregorio de Valentia quæst. 1. punct. 3. intelligere diuinum, ob suam eminentiam, & habere rationem actus perfecti & absoluti, si secundum se & in ordine præcisè ad obiectum suum concipiatur, qua obiectum est; & simul etiam rationem actionis, si concipiatur prout adiunctam habet relationem, in ordine ad terminum producendum; quod etsi quidem in nulla creata intellectione accidit, nihil tamen obstat, quo minus diuinæ intellectioni tribuendum sit; cum præter hæc etiam alia pleraque, ob excellentiam suam singularia habeat, vt dictum, & magis patebit quæst. 3. dub. 5. vbi de actibus notionalibus agetur.

12 Quintò obijci potest. Productio verbi realiter differt à processione, seu passiua generatione verbi; cum eidem relatiuè opponatur, vt dicetur quæst. 3. at vero intellectio essentialis realiter non differt à processione verbi, seu ab ipso verbo; Ergo intellectio patris (quam ipsam essentialem Dei intellectionem diximus) non est productio verbi. Respondeo minorem esse veram, si de intellectione secundum se præcisè loquamur; falsam, si loquamur de intellectione, in quantum adiuncta relatione productio est: quo sensu etiam conclusio distinguenda est; intellectio enim secundum se præcisè non est productio, sed vt in patre adiunctam habet relationem ad verbum seu filium, vti superius dictum. Interim in omni probabili sententia fatendum, hoc esse singulare, in his diuinis productionibus, quod actiua productio siue processio, non est re eadem cum passiua, vt quæst. seq. dicetur dub. 5 quicquid pauci quidam refragentur.

Sextò obijcitur ex Scoto in 1. distinct. 27. Actio per quam producitur verbum, seu præcisè personalitas verbi, est verus & realis influxus, emanans per realem emanationem à patre; quo fit, vt ista actio sit distincta à patre, & adæquatè identificetur cum Filio: at vero intellectio non est in diuinis per realem emanationem, sicut est in nobis; nec distinguitur à patre: Ergo non potest esse actio, per quam verbum producitur secundum personalitatem. Ita Albertinus. 13

Respondeo, actionem illam esse quidem verum & realem influxum respectu personæ producendæ, quæ proinde etiam ab ipsa quasi realiter emanat ipsam vero actionem nec realiter emanare à patre, nec realiter esse distinctam à Patre, sed à Filio, vt ex communi sententia dicetur quæstione 3. dub. 5. vbi de actibus notionalibus agetur. Et sanè propter hanc ipsam causam displicet sententia opposita, quod & noua ac propemodum singularis sit, & plura alia noua in hac materia intuebar; Verbi gratia, intrinsecum intellectionis terminum non esse verbum; verbum in diuinis produci per aliam actionem, quam per actionem intelligendi; originem seu productionem actiuam verbi non esse eandem cum patre producente, sed cum verbo, seu filio, &c. 14

DVBIVM V.

Quodnam sit principium Quo, & potentia productiua personarum, seu actuum notionalium; quisve terminus formalis eorundem actuum.

S. Thomas 1. p. q. 42. a. 3. 4. & 5.

1 NOn agit quidem S. Thomas hac de re sub titulo de processione diuinarum personarum, quæst. 27. sed inferius quæst. 41. sub titulo de actibus notionalibus, siue de personis comparatis ad actus notionales; sed quia actus notionales nihil aliud sunt, quam actus per quos procedunt personæ in diuinis, quamque ipsæ adeo processiones seu origines personarum; idcirco non abs re hoc loco dubitatio hæc explicatur: cum præsertim processiones seu productiones in diuinis intelligi non possint, nisi & vis actiua seu principium Quo, ex quo procedunt, & terminus earum formalis cognoscatur.

2 Qua in re primò supponendum, rectè etiam in diuinis ratione nostra distingui, tum terminum productionis adæquatum, & formalem; tum principium Quod, & principium Quo; licet à parte rei non differant, vt cum S. Thoma quæst. 41 artic. 5. contra Ariminensem in 1. distinct. 5. quæst. 1. & d. 7. quæst. 2. artic. 2. quem ferè sequitur Gabriel in 1 distinct. 5. quæst. 2. habet communis Doctorum sententia; alias enim si in diuinis idem formaliter esset principium Quo & Quod, non esset in omnibus personis idem principium Quo creandi. Et ad di-

Digitized by Google

stinctionem abstracti & concreti in diuinis, sufficit distinctio rationis, cum virtuali in re, vt dictum vniuersim supra disput. 2. quæst. 2. dub. 3. Neque est dubium, terminum adæquatum, vti & principium Quod productionis personarum in diuinis, non minus quam in rebus creatis, esse personas indefinitè loquendo; siue sit vna, siue plures; quia sola persona dicitur genita vel procedens; & suppositorum est agere, vti docet etiam S. Thomas cit. q. 41. a. 1. & est extra controuersiam.

3 Supponitur secundò, in Deo verè ac propriè esse potentiam actiuam seu productiuam, respectu personæ procedentis seu productæ; vt cum S. Thoma eadem quæst. 41. artic. 4. consentiunt omnes Theologi, excepto Aureolo in 1. distinct. 7. part 1. artic. 2. qui vti negat, veram in Deo productionem, ita etiam negat potentiam productiuam: & ait, *potentiam generandi non dicere principium productiuum, sed esse sicut potentiam, qua Deus potest esse Deus.* Quare etiam in 1. distinct 3. quæst. 1. artic. 3. docet, frustra inquiri terminum formalem processionis diuinæ; *cum nullus sit, vbi nulla est actio, nulla productio.* Sed quæ sententia meritò ab omnibus explodituri: cum enim in Deo sit vna processio vnius personæ ab alia, per communicationem eiusdem naturæ diuinæ; veraque generatio, dans esse personæ procedenti; negari non potest, esse veram in Deo productionem, veramque adeo potentiam productiuam: quod Scriptura pariter, & omnes SS. Patres docent, quando asserunt, æternum patrem verèac propriè genuisse ab æterno filium: cum & de ratione filij sit, habere suum esse per productionem à patre; & de intrinseca ratione generationis, productio: quicquid sit de ratione actionis, quam in rigore sumptam imperfectionem indicare, existimat Suarez lib. 6. cap. 5. num. 1.

4 His positis, controuersum est primò, An sit etiam potentia in Deo, respectu ipsius actiuæ productionis, seu actuum notionalium: secundò quid sit hæc potentia seu principium Quo producendi personas; an aliquid absolutum, an relatiuum: tertiò, an potentia generandi & spirandi, seu principium Quo productionis personarum sit in omnibus personis: quartò, quis sit terminus formalis vtriusque originis, seu productionis; relatione, an essentia: quæ omnia, vna cum varietate sententiarum, sequentibus assertionibus breuiter & ordine explicamus.

5 Assertio I. Rectius admittitur in Deo potentia productiua, non solum respectu personarum procedentium; sed etiam respectu ipsius productionis, seu actuum notionalium. Probatur & declaratur. Diuersa enim quidem est hac de re sententia Doctorum: negatiuam enim tuentur Ariminensis in 1. distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. ad 1. Capreolus quæst. 1. artic. 2. Caietanus, Torres, & ferè Molina hic quæst. 41. artic. 4. Et fauet S. Thomas quæst. 25. artic. 1. ad 3. vbi admittit in Deo potentiam comparatam cum effectu; non tamen cum operatione; eo quod operatio non distinguatur ab ipsa potentia Dei; quod etiam indicat quæst. 41. artic. 4. ad 3. & quæst. 2 de potent. art. 1. Ratio sumitur ex dictis; quia reuera nulla est realis processio productionis actiuæ, seu actus notionalis, à persona producente.

Nihilominus affirmatiuam tuentur Suarez lib. 6. cap. 5. & Vasquez disput. 163. cap. 2. qui meritò etiam pro eadem citat S. Thomam quæst. 41. artic. 4. Cum enim in titulo quæsiisset, *vtrum esset potentia respectu actuum notionalium*, diserte respondet, *quod sicut ponuntur actus notionales in diuinis, ita necesse est ibi ponere potentiam, respectu huiusmodi actuum; cum potentia nihil aliud significet, quam principium alicuius actus.* Et resp. ad 3. ait, respectu illarum actionum, secundum quas aliquæ res procedunt distinctæ à Deo, vel essentialiter, vel personaliter, *posse Deo attribui potentiam, secundum propriam rationem principij:* cum tamen mox in eadem solutione dicat, non esse potentiam huiusmodi in Deo respectu operationis immanentis essentialis, qualis est intellectio & dilectio: *quia non sunt actus*, inquit, *qui designent processionem alicuius rei à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel personaliter. Vide respectu horum actuum non potest saluari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum; prout diuersimodè significatur in Deo intellectus & intelligere.* Ita S. Thomas qui etiam ad eundem sensum intelligendus cit. q. 25. a. 1. 6

Et quamuis hæc quæstio sit de nomine, magis tamen mihi probatur secunda sententia, quam in assertione proposui. Tum quia iuxta S. Thomam, ad hoc, vt dicatur esse potentia realis & productiua respectu alicuius actionis seu productionis, satis est, vt per eam actionem, vt sic, aliquid verè & realiter procedat, tametsi & ipsa actio verè & realiter ab agente seu producente non procedat; cuius ratio esse videtur, quia actio non est id, quod producitur, sed via & medium quo producitur; sicut ergo ad potentiam realem, qua aliquid producitur, non requiritur, vt ipsa distinguatur ab agente; ita neque in actione id necessarium esse videtur. Tum quia saltem secundum rationem nostram rectè constituitur in Deo potentia actiua, etiam respectu actionis immanentis absolutæ & essentialis in Deo, vt suo loco disp. 2. q. 11. dub. 3. dictum, & satis apertè docet S. Thomas verbis citatis. 7

Assertio II. Principium Quo primum & substantiale, adeoque velut remotum, secundum rationem nostram, productionis personarum, seu actuum notionalium est sola essentia diuina; principium autem Quo velut secundarium & immediatum, est intellectus & voluntas: ipsa vero relatio personæ producentis propria, seu coniunctio essentiæ cum ea relatione, seu quod idem est, habere talem potentiam sine tali productione, est conditio necessaria, vt talis potentia in actum exeat. Hæc est mens S Thomæ hic quæst. 34. artic. 2. ad 4. & cit. quæst. 41. artic. 5. vbi etiam infert, *potentiam generandi significare in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.* Idem docent Caietanus & Thomistæ ibidem, Molina eodem artic. 5. Suarez lib. 6. cap. 5. post Magistrum, Scotum, Capreolum & alios in 1. d. 7. ex communi Doctorum sententia; contra alias duas oppositas sententias. 8

Prima est eorum, qui docent, principium Quo formaliter esse relationem. Ita Bonauentura in 1. distinct. 7. quæst. 1. & Durandus quæst. 2. num. 29. Secunda est aliorum, qui docent, esse essentiam 9

& rela-

Digitized by Google

& relationem simul. Ita Henricus in summa artic. 57. quæst. 7. & alij quidam apud Durandum loc. citat, item Gregorius de Valentia hic quæst. 15. punct. 2. & Vasquez disputatione 64. capit. 3. vbi citat etiam Marsilium, Capreolum, Ferrariensem, Torrem, & Caietanum: sed qui potius nostræ sententiæ adhærent, vt bene notauit Suarez loco citato.

10 Et postrema pars patet ex dictis dub. 3. Prima pars probatur. Tum quia principium Quo, in quauis productione non est forma, seu conditio individuans, quæ constituit personam; sed est id, in quo productum assimilatur producenti: qualis in naturalibus generationibus est forma; in nostro proposito est essentia, non relatio, seu proprietas personalis: quæ est ratio S. Thomæ citata quæstione 41. artic. 5. Tum quia si principium Quo esset relatio, seu proprietas relatiua, tum productio personarum esset æquiuoca; quæ est ratio Scoti. Tum quia, si etiam relatio inadæquatè saltem esset principium Quo, tunc non simpliciter & absolutè asserendum esset, personas procedere per intellectum & voluntatem, sed etiam per relationem. Idem probat S. Thomas ex Damasceno lib. 1. orthod. fid. cap. 8. vbi ait, *generationem esse apud naturas, non sicut generantis, sed sicut eius, quo generans generat.* Idem videtur receptum in Concilio Florentino sessione 18. vbi Ioannes Theologus latinus ait; *Dixi, Filium ex Patre, & ex patris substantia generari; dixi tamen, vt pater sit generans; principium autem, quo ipsa persona generat, est id, quod solum communicabile est.* Idem repetitur sess. 19.

11 Secundam partem passim docet S. Thomas præsertim quæst. 27. & alij Doctores sæpe, quando docent, personas procedere, immediatè nimirum, per intellectum & voluntatem; & patet ex dictis supra dub. 2. vbi probauimus contra Durandum, personas non procedere immediatè ab essentia. Idem accidit in generationibus, seu productionibus naturalibus, in quibus non ipsa agentis forma & essentia, sed potentia aliqua superaddita, est immediatè productiua seu generatiua alterius substantiæ. Addit Suarez loco citat num. 9. cum dicitur, intellectum & voluntatem esse principium proximum productionis personarum, id non tantum intelligendum de ipsis facultatibus & potentijs, sed etiam de actibus eorundem; quos ipse nimirum etiam existimat esse principium Quo, non autem ipsas productiones personarum. Sed quoad hoc contrarium probabilius censuimus dubio quarto.

12 Assertio III. Potentia generandi & spirandi, seu producendi personas, quantum ad id, quod habet eorum rationem principij, est in omnibus personis. Hæc est expresè doctrina S. Thomæ quæst. 42. artic. 6. ad 3. vbi de potentia patris ad generandum loquens, vtrex obiectione patet, respondet, *filium habere eandem potentiam, quam pater, sed eam alia relatione.* Et quæst. 41. artic. 5. ad 1 ait; *id quo generans generat, esse commune genito & generanti, eadem numero, non solum specie, sicut in rebus creatis.* Idem recte docet Suarez lib. 6. capit. 5. num. 8. & 9. alijque citati pro assertione præcedenti; etsi contrarium asserant Vasquez, alijque in contrarium ibidem citati. Ratio sumitur tum ex dictis: tum quia hoc necessarium est, ad æqualitatem potentiæ omnium personarum, quam cum S. Thoma tradidimus supra quæst. 1. dub. 8. etsi Vasquez disput. 165. cap. 2. cum alijs nonnullis putet, potentiam illam, in qua personæ dicuntur æquales, solum respicere creaturas: quod est & contra S. Thomam loc. citat. & contra Augustinum lib. 3. contra Maximinum capit. 14. vbi ait: *Si pater genuit filium minorem, aut non voluit, aut non potuit gignere æqualem, si autem dicitur, quod non voluit, eum inuidum esse dixisti: si autem non potuit, vbi est omnipotentia patris?* Vbi omnipotentiam patris expresè refert Augustinus ad productionem æqualis filij.

13 Nihilominus tamen potentia generandi rectè dicitur modo quodam propria patris; quia in ipso solo habet omnia requisita ad generationem, vt dictum dub. 3. In quem sensum etiam S. Thomas q. 41. artic. 5. ad 3. ait: *Quantum ad essentiam, quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis: quantum autem ad notionem, quæ connotatur* (spectando conditionem requisitam, vt in actum exeat) *propria est personæ patris.*

Neque ex hac assertione sequitur, etiam alias personas absolutè loquendo posse generare: quia agere posse quippiam absolutè non dicitur, nisi qui præter intrinsecam vim & facultatem agendi habet omnia requisita ad agendum: quare eum, qui pedes vinculis constrictos habet, absolutè dicimus non posse ambulare, tametsi vim intrinsecam ambulandi & potentiam loco motiuam planè retineat.

14 Assertio IV. Terminus formalis vtriusque originis & productionis, est quidem ipsamet essentia diuina, non vt producta, sed vt communicata personæ; nihilominus tamen requirit relationem tanquam conditionem necessariam. Hæc est sententia S. Thomæ hic quæst. 41. artic. 3. vbi ait: *Filius est genitus de essentia patris, in quantum essentia patris filio per generationem communicata in eo subsistit.* Idem docent Bonauentura in 1. distinct. 5. quæst. 2. Scotus quæst. 2. & 3. Capreolus quæst. 2. Marsilius in 1. quæst. 9. Caietanus, & Thomistæ communiter quæst. 41. artic. 3. Suarez lib. 6. cap. 6. etsi contrarium sentit Durandus in 1. distinct. 5. quæst. 2. vbi docet, relationem personæ productæ esse terminum formalem; & addit, *essentiam potius se habere vt materiam ex qua, vel de qua producitur persona; eo quod supponatur productioni, & determinetur per proprietatem personalem, tanquam per formam*: quod etiam docuit Henricus in summa art. 5. q. 3. eodemque modo exponunt illud, cum dicitur, *patrem genuisse filium de sua substantia.*

15 Sed probatur assertio. Siquidem in omni productione, formalis terminus est natura vel forma, in qua productum assimilatur producenti, vt habet communis philosophia; & probatur ratio: quia producens intendit sibi assimilare productum, & illi communicare suum esse, ac principium producendi: ergo quod est principium Quo producendi, est etiam terminus formalis productionis: sed diuina essentia est, in qua persona producta est similis producenti, &c. quæ primario communica-

Digitized by Google

tur, & est principium Quo productionis, vt dictum assertione 2. Ergo, &c. Quia tamen natura diuina non producitur, sed solum communicatur personæ procedenti, idcirco terminus formalis in obliquo respicit personam; quæ quia sine relatione esse non potest, idcirco idem terminus requirit relationem tanquam necessariam conditionem, vt in simili de principio Quo dictum.

16 Obijciunt Durandus loco citat. & Aureolus eadem distinct. 5. quæst. 1. art. 3. Id quod præexistit productioni, non est terminus formalis eiusdem, sed id solum quod subsequitur: essentia autem ordine originis præexistit productioni: Ergo non est eius terminus formalis.

Respondetur negando maiorem. Nam ex communi Philosophia, etiam in generatione hominis, terminus formalis est anima, non quidem secundum se, sed vt vnita materiæ. Satis ergo est, vt terminus aut communicetur aut vniatur per productionem adæquati & principalis termini.

17 Quare etiam falsum est, in ea propositione, patrem generasse filium *de sua substantia*, significari habitudinem causæ materialis. Nam indicatur quidem eo loquendi modo consubstantialitas inter vtrumque, vt in Concilio Florentino sessione 18. rectè asseruit Ioannes Theologus, adeoque significatur non solum habitudo principij producentis, sed etiam intrinseci; at vero non materialis, sed potius formalis; quandoquidem etiam in rebus creatis essentia se habet ad personas, veluti forma quædam; per essentiam enim formaliter constituuntur & distinguuntur res, & quæ essentialiter conueniunt, formaliter conuenire dicuntur, etiamsi personalitate materialiter differant, vt fusius declarant post S. Thomam quæst. 41. artic. 3. Gregorius de Valentia quæst. 15. punct. 3. Molina q. 41. a. 3. Suarez cit. lib. 6. cap. 6. frustra quibusdam de nomine litigantibus.

DVBIVM VI.

Vtrum processiones, seu productiones personarum sint actus voluntarij & liberi, an naturales, seu per modum naturæ.

S. Thom. 1. p. q. 41. a. 2.

1 VAriè hac de re loquuntur Theologi. S. Thomas hic quæst. 41. artic. 2. cum quæsijsset, an actus notionales sint voluntarij, respondet terminis nonnihil mutatis, duabus assertionibus. 1. Actus notionales esse aut fieri *voluntate comitante*; *secundo dicere quisque potest*, *se esse hominem voluntate*. 2. Non autem esse aut fieri voluntate, *vt principio*: quare etiam priori sensu veram esse hanc propositionem, *Pater genuit filium voluntate*; sicut & est voluntate Deus, quia vult se esse Deum, & vult se generare filium; posteriori autem sensu esse falsam.

2 Ex quibus sequi videtur, iuxta S. Thomam, etiam processionem Spiritus sancti, non esse à voluntate, vt principio: quod Caietanus explicat de principio ad vtrumlibet seu indifferente; Vasquez comment. ibidem eo sensu concedit, quia putat S. Thomam de actu voluntatis locutum; eumque actum non esse quidem principium eius processionis, sed esse tamen ipsam processionem actiuam, seu productionem Spiritus sancti. Addit idem S. Thomas respons. ad 5. *necessarium esse*, *patrem generare filium*; quod pari ratione etiam de processione Spiritus sancti intelligendum.

Scotus autem in 1. distinct. 10. quæst. 1. & quodlib. 16. artic. 2. docuit, processionem Spiritus sancti, licet sit necessaria, non tamen dicendam esse *naturalem*, sed liberam; quod ex parte etiam sequitur Henricus apud eundem.

Rursum Goffredus apud Aureolum in 1. distinct. 3 6. q. 1. art. 1. de Patre docet, filium genuisse naturâ, quia productus est *ab vno*, qui est proprius modus productionis naturalis: Spiritum sanctum esse productum modo voluntatis, quia producitur *à duobus*. Quem ex parte secutus Durandus in 1 distinct. 6. quæst. 2. à num. 15. ait, in productione diuinarum personarum præter ordinem productionum, de quo dictum dub. 2. duo posse considerari, scilicet habitudinem virtutis productiuæ ad actum producendi; secundum quam productio dicitur ab ea prodire necessariò, vel contingenter siue liberè. 2. Suppositâ producentia; an sit vnum, an plura: & priori consideratione, nullam personam in diuinis procedere per modum voluntatis, sed quamlibet per modum naturæ: posteriori autem consideratione, Spiritum sanctum procedere per modum voluntatis; filium autem per modum naturæ, quia modus naturæ in creaturis est, quod vnum sit ab vno tantum, & non à pluribus eiusdem gradus, & ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad totum perfectè producendum. 11

Sed nec SS. Patres constanter & eodem modo de hac re videntur locuti, vt videre est apud S. Thomam cit. art. 2. & Magistrum cit. distinct. 6. Certè Augustinus in Dialogo ad Orosium qq. 65. quæst. 7. ita loquitur: *Voluntate genuit pater filium an necessitate? Nec voluntate, nec necessitate; quia in Deo necessitas non est; præire autem voluntas sapientiam non potest, quod est filium: igitur prius est rationabiliter sapere, quam rationabiliter velle.* Et Hilarius lib. 1. de Synod. cap. 11. definit. 25. *Si quis dicat, quod pater naturali necessitate ductus genuerit filium, anathema sit.* 4

Quare etiam Magister cit. distinct. 6. liter. A. ex Augustino lib. 15. de Trinitat. cap. 20. ita concludit: *Ex prædictis docetur, non esse contendendum, quod Deus voluntate, vel necessitate, vel volens, vel nolens genuerit filium.* Quod tamen litera C. ita explicat, vt de *voluntate præcedente, vel accedente* (seu potius accidente) intelligendum sit; *qualiter*, inquit, *Eugenius intelligebat.* 5 51

Vt res hæc explicetur notandum est, voluntarium quidem propriè solum dici, quod est à voluntate, vt à principio, siue ab illa sit elicitiue, siue imperatiue; & hoc rursum, siue directè, siue indirectè, iuxta S. Thomam 1. 2. quæstione 6. artic. 3. in proposito tamen paulo latius à Doctoribus

sumitur, vt intelligatur etiam de eo, quod est *volitum*; quo modo Vasquez cit. quæst. 41. artic. 2. ex mente S. Thomæ hanc assertionem ponit, *Actus notionales sunt voluntarii voluntate concomitante*; etsi S. Thomas hoc modo non loquatur, vt dictum. Voluntarium autem priori modo rursum aliud est voluntarium liberum, aliud voluntarium necessarium. Hoc posito est

6 Assertio I. Processio in diuinis, adeoque actus notionales in Deo, non sunt voluntarii liberi, siue voluntarium accipiatur pro eo, quod est à voluntate veluti principio, siue pro eo, quod est volitum. Hæc est mens S. Thomæ hic cit. quæst. 41. art. 2. in corp. & ad 3. adiuncta quæst. 19. artic. 3. vbi docet, Deum seipsum, & ea quæ in ipso necessario sunt, velle necessario, eademque est communis reipsa, & ex fide certa Theologorum sententia: hocque etiam sensu contra Eunomium & Arium definitum refertur in lib. de synodis apud Hilarium, *Si quis voluntate Dei, tanquam vnum aliquid de creaturis, filium factum dicat, anathema sit.* Nimirum Eunomius volens filium Dei in censum creaturarum referre, ita dicebat, filium esse voluntate accidente productum, vti creaturæ à Deo libera voluntate productæ sunt, vti refert etiam Augustinus loc. cit. ad Orosium, & lib. 15. de Trinit. cap. 20. Eodemque maxime sensu etiam alii Patres, & Scholastici negant, filium productum esse voluntate. Ratio est. Quia Deus secundum se, suamque entitatem, est ens plane necessarium, nec seipsum libere vult.

7 Neque de re ipsa est controuersia inter Doctores, sed solum de modo loquendi: Henricus enim in summa art. 60. quæst. 1. licet fateatur, Patrem & Filium se naturaliter & non libere diligere, nihilominus ait spirationem (quam dicit comitari illum amorem) non esse naturalem, sed liberam; cum tamen non minus necessario spiratio conueniat amori, quam amor personis spirantibus: quod cum non neget Henricus, necesse est, in verbis absurde deliquisse. Eodem modo Scotus loco citato, dum asserit, tam amorem, quam productionem Spiritus sancti vocandum esse actum liberum, & non naturalem, vocabulis itidem contra communem loquendi vsum Doctorum male abutitur, liberum appellans, quod est *spontaneum*, seu liberum à coactione, non à necessitate: naturale verò, quod est absque præuia perfecta cognitione, vt fusius Vasquez d. 160. c. 1. 2. & 3. & Suarez lib. 6. cap. 4. à num. 12.

8 Assertio II. Productiones in diuinis seu actus notionales, absolute loquendo, non sunt à voluntate, velut principio per modum voluntatis agentis. Hæc est mens S. Thomæ cit. artic. 2. conclus. 2. vt recte Caietanus exposuit, & constat ex ratione eiusdem Sanct. Thomæ. *Ratio*, inquit, *est: quia voluntas & natura secundum hoc differunt, in causando, quia natura determinata est ad vnum; sed voluntas non est determinata ad vnum, &c. Effectus enim assimilatur formæ agentis, per quam agit: manifestum est autem, quod vnum rei non est nisi vna forma naturalis, per quam res habet esse: Vade quale ipsum est, tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est vna tantum, sed sunt plures, secundum quod sunt plures rationes intellectæ. Vnde quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse: eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. &c.* Quare concludit S. Thomas, *dicendum esse, quod Pater genuit filium non voluntate, sed natura.* Quod etiam dicitur in libro de synodis apud Hilarium; *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit; sed naturam dedit filio ex impassibili ac non nata substantia perfecta nativitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit; filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis & Deus est.* Ratio colligitur ex dictis: quia modus proprius agendi voluntatis, prout opponitur naturæ ac naturali modo agendi, est, agere libere, & indifferenter ad vtrumlibet: quod non conuenit actibus notionalibus, seu processionibus & productionibus diuinarum personarum, vt dictum assert. præced.

9 Assertio III. Et quamuis rectè nihilominus dicatur, processionem seu productionem Spiritus sancti esse à voluntate, velut principio, per modum naturæ, adeoque naturaliter & necessario agente; generatio tamen filii nullo modo est à voluntate velut principio. Ita quoad priorem partem Sanct. Thomas cit. quæst. 41. artic. 2. ad 3. vbi ait; *Etiam voluntas, in quantum est natura quædam, aliquid naturaliter vult. &c. Ita Deus naturaliter vult & amat seipsum. &c. Spiritus autem sanctus procedit vt amor, in quantum DEVS amat seipsum, vnde naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis procedat.* Eadem quoad rem est communis Doctorum sententia, speciatim Caietani, Vasquii locis citatis. Nemo enim negare potest, processionem Spiritus sancti esse à voluntate velut principio: saltem si voluntas in actu primo, & per modum potentiæ sumatur, vt ex dictis constat, & magis patebit dub. 8. Secundam partem docet Sanct. Thomas ibidem in corpore, & est communis ac certa Theologorum, & traditur in Concilio Toletano XI. vbi ex Augustino loc. cit. ad Orosium dicitur: *Non enim voluntas sapientiam præuenit.* Ratio est. Quia Filius nullo modo procedit ex voluntate, sed solum ab intellectu, vt dicetur dub. seq.

10 Assertio IV. Sed & omnes processiones sunt volitæ personis producentibus: quare etiam recte dici potest, Patrem voluntate genuisse Filium; & vtrumque, tam Patrem, quam Filium, voluntate spirasse Spiritum sanctum; nempe vt ablatiuus, voluntate, significet *concomitantiam* voluntatis, non habitudinem principii. Ita S. Thomas cit. quæst. 41. assert. conclus. 1. & est extra controuersiam: eodemque sensu apud Hilarium lib. de synod. ex concil. Sardicensi dicitur; *Quod neque consilio, neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat sancta & Catholica Ecclesia*, vt bene explicauit Vasquez disput. 160. cap. 4. Ratio patet ex dictis: quia eadem ratione dicere possumus, nos voluntate homines esse, & Deum voluntate Deum esse; quia & nos volumus nos homines esse, & Deus vult se Deum esse. Quo exemplo etiam Arianorum & Eunomianorum impietatem retudit Catholicus quidam disputator olim, cum inuidiose premeretur, vellet ne

fateri, Patrem voluntate genuisse filium, an non? &c. vt videre est apud Augustinum lib. 15 de Trinit. cap. 20. & cit. quæst. ad Orosium, vbi ait: *Nam quidam noster, cum eum interrogasset hæreticus, vtrum volens, an nolens genuerit Pater filium, laudabiliter respondisse fertur, Dic, inquit, & tu hæretice, Deus Pater necessitate est Deus, an voluntate? Quod si dixisset necessitate, sequebatur illum grandis absurditas: Si autem voluntate, respondebatur illi, Ergo voluntate est Deus, non natura, & itain laqueum, quem volebat ponere, ipse incidit, & videns se convictum obmutuit.*

11 Eodemque etiam sensu recte dicitur, vtramque processionem esse voluntariam; accipiendo scilicet voluntarium obiectiue, non causaliter, vt communiter etiam loquuntur Doctores: nisi quod aliqui dicunt, ipsum velle voluntatis, quo producitur Spiritus sanctus, esse voluntarium non vt Quod, sed vt Quo; quos refellit Suarez lib 6. cap. 4. cum nihil magis sit voluntarium, quam ipse actus voluntatis; quem subinde etiam reflexe volumus.

12 Assertio V. Verius est, voluntatem illam, qua voluntariam esse generationem diximus, secundum rationem esse posteriorem generatione. Probatur & declaratur. Est enim hac de re varia sententia. Priorem esse, affirmat Caietanus hic quæst. 41. artic. 2. pbst Scotum in 1. d. 1. Simul esse, & comitantem; non priorem, nec posteriorem, docent Ariminensis in 1. d 6. quæst. 1. artic. 3. Capreolus quæstion. 1. articu. 1. Ferrariensis 4. cont. gent. cap 11. Torres cit. qnæst. 41. artic. 2. cui fauet Sanct. Thomas ibidem, & quæstion. 2. de potent. artic. 3. ad 2. Gregorius item de Valentia quæst. 15. pun. 4. putat, & priorem, & posteriorem diuersa ratione recte dici posse. At verius est, ratione posteriorem esse, vt docent Henricus in sum. articu. 58. quæst. 2. & quodlib. 5. quæstion. 4. Goffredus apud Scotum loc. citat. Molina cit. artic. 2. quæst 41. disput. 2. Vasquez d. 160. cap. 3. Suarez lib. 6. cap. 4. num. 3. Ratio est. Tum quia prius est, Patrem intelligere, quam velle, quia voluntas fertur in rem cognitam; Ergo etiam prius generat, quam velit generare; cum eo ipso, quod intellectio iungitur cum eius proprietate personali, generet, vt dictum dub. 4.

13 Tum quia Pater non vult generationem per modum desiderii, sed voluntate complacentiæ, quæ res præsentes prosequimur. Ergo voluntas supponit iam obiectum vt præsens. Et Confirmatur. Quia ob eandem causam, prior est processio per intellectum, quam per voluntatem. Nec obstat, quod essentialia priora dicuntur secundum rationem notionalibus: hoc enim verum habet de essentialibus, quæ vt sic non respiciunt notionalia velut obiecta, vt recte Vasquez num. 13. S. Thomas autem hunc amorem vocauit *concomitantem*, non solum quia non præcedit per modum principii, sed etiam quia re & duratione simul est, vt recte Vasquez ibidem, & Suarez num. 5. His accedit Augustinus, & concilium Toletanum XI. citatum assert 3.

13 Assertio VI. Simul tamen recte etiam dici potest, Patrem genuisse Filium, aut vna cum Filio spirasse Spiritum sanctum, *naturaliter*, siue per modum naturæ aut etiam *naturæ*; non solum si hæc vocula substantiale principium Quo productionis significet, sed etiam si modum agendi denotet. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 41. artic. 2. vbi contra Arianorum blasphemias ait: *Nobis autem dicendum est, quod Pater genuit filium non voluntate, sed natura.* Ratio sumitur ex dictis, quia personæ plane per modum naturæ, quæ ad vnum determinata est, procedunt. De Scoto & Henrico, quoad spirationem contrarium asserentibus, dictum assert 1.

Assertio VII. Sed & rectè etiam dicitur, Patrem necessario, seu necessitate quadam genuisse filium; non prout necessitas dicit indigentiam alicuius rei, siue necessitatem respectu finis, vel coactionem, sed vt absolute vocatur necessarium, quod non potest non esse. Ita ex communi Sanct. Thomas cit. quæst. 41. artic. 2. ad 5. vbi ait, *hoc modo Patrem generare filium, est necessarium.* Quod recte etiam probat ibidem simili, quia eodem sensu etiam Deum esse est necessarium. Qui vero necessitatem in diuinis processionibus negarunt, iuxta sensum primæ partis assertionis sunt locuti, vt ex subiecta materia constat. 14

Assertio VIII. Peculiari etiam ratione quadam Filius dicitur procedere per modum naturæ, Ita Goffredus, Durandus, locis citatis, aliique Scholastici communiter. Ratio vero non est, quam ex Goffredo & Durando supra attulimus, quia & naturales effectus sæpe plures causas exigunt, vel admittunt, vt bene Aureolus cit. d. stin. 6. nec verum est, solum per se Patrem, aut solum per se Filium absolute sufficientem esse, & posse producere Spiritum sanctum, tametsi enim singuli habeant vim spiratiuam, quæ per modum principii requiritur, sufficientem, non tamen in singulis reperitur conditio necessaria ad spirandum, si hoc, quod ex parte principii connotatur, nimirum dualitas personarum: cum de ratione Spiritus sancti sit, vt à duabus personis procedat, vti quæst. 4. dub. 7. dicetur. Ratio igitur est, vti recte notauit Suarez lib. 6. cap. 3. quia vt dicetur dub. 7. & 8. filius formaliter, & ex vi specialis suæ processionis, procedit vt similis principio producenti; quæ est communis ratio productionis naturalis substantialis, cum omne agens naturale vi suæ formæ determinatum sit ad simile sibi producendum. 15

Assertio IX. Quando cum hæreticis Arcitrinitariis, aut inter hæreticos agendum, non absolute & simpliciter dicendum, Patrem aut *voluntate*, aut *necessitate* genuisse Filium, seu spirasse Spiritum sanctum; ne aut libera voluntas, seu vniuersim voluntas per modum principii, aut coactio, seu indigentia significari videatur, sed cauto addenda explicatio, modo superius explicato. Hæc est mens & sententia Magistri iuxta Augustinum loci cit. Ratio est. Quia in vitium terminorum, quibus præsertim hæretici abutuntur ad suos errores stabiliendos, non solum cauendus est error, sed etiam erroris periculum, & scandalum; ne cum hæreticis sentire videamur: cum ergo Ariani malo & hæretico sensu dixerint, Patrem *voluntate* genuisse Filium, aut certe fatendum putarint, necessario & coacte genuisse, caute, nec nisi cum adiecta explicatione 16

his

his terminis vtendum est. Et peculiaris etiam ratio est de filio: tametsi enim, vt ex Sanct. Thoma dictum, verè dici possit, Patrem genuisse Filium voluntate, si concomitantia tantum designetur, non autem si principium; quia tamen eo loquendi modo hoc potius significatur, ideo sine explicatione vsurpandus non est; vt contra Vasquium disput. 160. cap. 4. recte Molina hic quæstione 41. articulo 2. disputat. 1. cum Filius nullo modo procedat ex voluntate velut principio, vt dictum assest. 3.

DVBIVM VII.

An aliqua processio in diuinis sit vera & proprie dicta generatio.

S. Thom. 1. p. q. 27. a. 2.

1 POstquam rationem, & attributa communia diuinarum processionum & productionum explicauimus, restat, vt vniuscuiusque processionis particularem rationem exponamus, quod iuxta binarium numerum duarum processionum, duobus sequentibus dubiis sigillatim faciemus.

Ad præsens vero dubium quod attinet, notandum est primo, ex Sanct. Thoma hic quæstion. 27. articulo secundo, non esse hoc loco quæstionem de generatione late sumpta, prout significat quamuis mutationem substantialem de non esse ad esse, seu quamlibet productionem substantiæ ex præiacente materia, siue ea substantia sit animata, siue inanimata, iuxta Aristotelem 5. Physic. tex. 7. & passim in libris de generatione; sed est quæstio de generatione substantiali stricte & particulatim sumpta, prout solis viuentibus conuenit. Quo modo definitur ex Sanct. Thoma hic quæstion. 27. artic. 2. & lib. 4. cont. gent. cap. 11. *Origo siue processio viuentis à principio viuente coniuncto, in similitudinem naturæ.* Quæ definitio colligitur etiam ex Aristotele 8. Eth. cap. 12. & 7. Metaph. cap. 8. & 1. de generat. anim. cap 1. & 2. & lib. 2. de anim. cap. 4. & communiter recipitur non solum à Thomistis, sed etiam à cæteris Theologis in prim. dist. 13. quam defendunt etiam recentiores, speciatim Molina hic quæstione vigesima septima articulo secundo, Gregorius de Valentia quæstion. 1. pun. 2. Suarez lib. 9. de Trinitat. cap. 1. num. 4. Vasquez disputat. 113. cap. 1. & optimè etiam probatur ab ipso Sanct. Thoma quasi per inductionem: Id enim cui omnes eiusmodi particulæ definitionis conueniunt, dicitur natum, seu Filius generantis; secus, si aliqua particula desit; vt in capillis, vnguibus, vermibus, ex viuente productis videre est.

2 Notandum secundo, quod ad sensum eius definitionis attinet, ita habere communem & receptam doctrinam. I. Per *principium viuens* intelligitur principale agens, siue generans, vt abstrahatur ab illa controuersia, An semen sit animatum.

II. Per voculam, *coniunctum*, significatur, generationem viuentis presse sumptam debere esse aliquo modo de substantia ipsius generantis; ita vt ex substantia, vel aliqua parte substantiæ generetur viuens; sic enim viuentia creata generantur ex semine, quæ portio quædam erat generantis.

III. Per *similitudinem naturæ* non ita præcise 3
ac determinate intelligitur specifica naturæ similitudo, vt si qua hac etiam perfectior similitudo geniti cum generante reperiatur, sit contra rationem generationis: imò verò potius quanto perfectior erit similitudo geniti cum generante, tanto perfectior & magis naturalis erit generatio. Quare nec vlla omnino proprie dicta similitudo inter naturam genitoris & naturam geniti requiritur: sed sufficit similitudo inter vtrumque respectu naturæ, hoc est, similitudo in habendo aut similem secundum speciem, aut eandem naturam; ita vt generatio, quæ ad vnitatem etiam naturæ peruenit, sit perfectissima. Per similitudinem igitur naturæ intelligitur, vel proprie dicta similitudo naturæ secundum rationem specificam, inter generantem & genitum, quæ diuersitatem numericam naturæ in iisdem requirit; vel identitas seu communio eiusdem naturæ, vt ex communi recte Suarez lib. 9. cap. 1. num. 4. & Vasquez disput. 113. à num. 4.

IV. Eadem particula, *in similitudinem naturæ* 4
cum processione, quæ per modum generis ponitur, coniungenda est sensu formali; ita vt ex vi processionis, qua talis est, ex propria ratione principii seu potentiæ, vnde emanat, in similitudinem naturæ producatur viuens, vt cum Sanct. Thoma ibidem ad 2. communiter omnes notant, speciatim Gregorius de Valentia, Molina, Suarez. Quocirca etiam Caietanus hic quæstione vigesima septima articulo secundo, & alii quidam expositores ipsi definitioni eam particulam, *Ex vi processionis*, expresse addunt. Sed quia in ipsa definitione subintelligi poterat, ideo satis fuit Sanct. Thomæ hic articulo secundo & quarto, & quæst. 35. artic. 2. & lib. 4. cont. gent. cap. 11. eam ad modum explicatum indicasse. Quod autem Vasquez disputat. 113. cap. 6. putat, nullam in hac particula vim faciendam, & frustra vel addi, vel subintelligi; cum satis ratio generationis per ceteras particulas explicetur, etiam absque hoc supplemento; singulare est, & minime probandum; præsertim quia ad diuersam etiam in aliis quibusdam rebus opinionem, à communi sententia Theologorum alienam, tuendam & stabiliendam tendit, vt dicetur dub. seq. His ergo positis, ad propositam dubitationem cum S. Thoma hic loc. cit. sequentibus assertionibus respondemus.

Assertio I. Processio filii in diuinis est vera 5
& proprie dicta generatio. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 27. artic. 2. omnesque Theologi cum Magistro in 1. d. 5. & 4. & est de fide. Patet ex scriptura passim psalm. 109. vers. 3. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Isai. 53. vers. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Ioann. 1. vers. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Idem constat ex omnibus fidei symbolis; nam in Symbolo Apo-

stolorum,

Digitized by Google

stolorum, credimus *in IESVM Christum Filium Dei Patris*. Et in Symbolo Nicæno dicitur; *Genitum non factum*. Et in Symbolo Sanct. Athanasii: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. Vbi ex ipsamet antithesi patet, Filium proprie genitum dici; cum alias in scriptura improprie etiam *creatus* dicatur, vt quæstione prima dub. 2. dictum.

6 Ratio sumitur ex dictis: quia omnes particulæ, in definitione generationis superius allata, processioni filii conueniunt. Est enim *processio viuentis à principio viuente*, quia persona à persona, ex dub. 1. & quæst. 1. dub. 2. est à principio viuente *conuncto*; tum quia non est ex nihilo, vt Ariani dicebant, sed ex substantia Patris genitus; tum quia est per actum immanentem ex dub 1. Denique Pater in natura identificatur cum filio, iuxta illud Ioann. 10. vers. 30. *Ego & Pater vnum sumus*, vt dictum quæstione præceden. dubio octauo. Quare etiam recte à Concilii Nicæni Patribus filius dictus est Patri ὁμοούσιος, hoc est, *consubstantialis*; cum Ariani illam vocem exosi, nō nisi ὁμοιούσιον, hoc est, similis naturæ, dicerent. Quæ vox licet olim à quibusdam Patribus bono sensu tolerata fuerit, vt videre est apud Hilarium lib. de synodis sub fin. & apud Athanasium epist. de synodis; nobis tamen, quia ab Arianis malo sensu inuentam & obtrusam fuisse nunc constat, omninò respuenda est, vt rectè Vasquez disputat. 109. cap. 5. & dictum supra q. 1. dub. 1.

7 Quod præterea in definitione generationis dicitur, *In similitudinem naturæ*, eo etiam sensu productioni filii conuenit; quia est non solum in similitudinem, sed etiam identitatem naturæ. Denique talis est ex vi processionis; quia est processio per intellectum, cuius est producere, seu exprimere verbum, quod ex sua ratione est similitudo obiecti cogniti: & quidem substantialis & perfecta, si vti in proposito fit, intellectio sit perfectissima; cum è contrario affectus amoris, ex sua formali & abstracta ratione non sit similitudo rei dilectæ, sed quidam motus & inclinatio in eandem, vt pluribus dicetur dub. seq.

Et recte notat Sanct. Thomas eod. articulo secundo, quamuis ratio generationis latè acceptæ non conueniat diuinæ generationi, quia non exit de potentia ad actum, conuenire tamen ipsi propriam rationem generationis viuentium, quæ à tali imperfectione abstrahit; licet alioqui in rebus creatis ratio primæ generationis quasi per modum generis includatur etiam in generatione viuentium.

8 Assertio II. Persona per diuinam eiusmodi generationem procedens vere ac proprie est Filius æterni Patris. Est itidem de fide certa, & ab omnibus Theologis recepta apud Sanct. Thomam & Magistrum locis citatis. Patet similiter ex Scriptura psal. 2. vers. 7. & Heb. 1. v. 5. *Filius meus es tu*. Prouerb. 30. v. 4. *Quod nomen est eius, & quod nomen filii eius, si nosti?* vti etiam SS. Patres interpretantur apud Iansenium ibidem. Idem clare habetur Matth. 3. v. 17. & cap. 17. v. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Matth. 16. vers. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*. Marci 14. vers. 61. *Tu es Christus Filius Dei benedicti? IESVS autem dixit illi, Ego sum*. Et passim Christus in scripturis DEVM Patrem suum nominat. Idem habetur in omnibus symbolis: In Apostolico; *Et in IESVM Christum Filium eius*: In Nicæno; *Et in vnum Dominum IESVM Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula*. In Athanasiano; *Alia est enim persona Patris, alia Filii. &c. Sed Patris & Filii, & Spiritus sancti, vna est diuinitas, aqualis gloria, coæterna maiestas: Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. &c. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. &c. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. &c. Vnus ergo Pater, non tres Patres; vnus Filius, non tres Filii. &c.* Ratio est euidens ex dictis: quia Filius nihil aliud est, quam viuens (præcipue vita intellectuali) productum à viuente per propriam generationem: nec dubium, Filium esse Patris Filium; cum hæc sint correlatiua.

Assertio III. Processio Filii est processio Verbi, secundum intellectum. Ita Sanct. Thomas & Magister locis citatis; & est de fide contra veteres & nouos Valentinianos, Samosatenos, & Sabellianos, qui hæc inter se distinguentes, damnantur vt hæretici à SS. Patribus, vt videre est apud Irenæum lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 18. Athanasium orat. cont. Arianos, & in epist. de decretis Nicænæ Synodi, & Basilium in orat. cont. Sabellianos. &c. cum tamen Verbum in diuinis, & Filius sint vna & eadem persona, adeoque vnum & idem, tam quoad naturam, quam quoad personam, vt probauimus quæstione prima dub. secundo, & patet maxime ex Ioann. 1. vbi idem qui prius dicebatur *Verbum*, postea dicitur *Caro factum, & vnigenitus: Et Verbum Caro factum est: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti*. Item 1. Ioann. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt*. Et mox vers. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*. Et v. 20. *Vt simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus. &c.* Ratio est: quia alias aut essent quatuor personæ in diuinis, aut certe Filius excludendus esset à numero personarum, quorum vtrumque est contra fidem. Plura cit. quæstione præceden. dub. secundo & hic dub. seq. 9

DVBIVM VIII.

Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione Verbi; & in quo proprie à generatione differat.

S. Thomas 1. p. q. 27. a. 3. & 4.

QVatuor sunt hac de re assertiones Sanct. Thomæ locis citatis, quarum tres priores sunt de fide certæ; quarta autem communiter recepta inter Theologos.

Assertio I. Datur in diuinis alia processio à generatione Verbi. Ita S. Thomas artic. 3. ex communi omnium. Patet ex scriptura Ioann. 15. vers. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,* 1

ille

ille testimonium perhibebit de me. Vbi fit mentio Spiritus sancti procedentis à Patre, velut personæ distinctæ à filio: quod etiam constat ex illo Ioann. 14. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Idem habetur in omnibus symbolis: In Apostolico; *Credo in Spiritum sanctum:* In Nicæno seu Constantinopolitano; *Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit:* In Athanasiano; *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Idem ex instituto definitum est in Concilio Constantinopolitano I. contra Arianos, Eunomianos, ac præcipue Macedonianos, diuinitatem Spiritus sancti, & æqualitatem cum Patre negantes. Ratio sumitur tum ex sequenti assertione. Tum quia iam superius quæstione prima dubio primo, & hic dub. 1. probatum est, tres esse personas in diuinis, & duas processiones.

2 Assertio II. Hæc processio est secundum voluntatem, adeoque Amoris. Ita Sanct. Thomas cit. artic. 3. Estque recepta ab omnibus antiquis Patribus; & significatur ipso nomine Spiritus; quod cum de Deo personaliter siue notionaliter dicitur, non nisi motionem aliquam, seu inclinationem à voluntate procedentem significare potest; siquidem voluntatis est, moueri quodammodo in rem amatam. Vnde Sanct. Thomas cit. quæst. 27. articulo quarto. *Nomine Spiritus,* inquit, *vitalis quædam motio & impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.* Ratio est: quia cum processio in diuinis existat secundum actiones immanentes, vt dictum dub. 1. necesse est, vt non minus secundum voluntatem, quam intellectum detur processio; quandoquidem etiam in humanis, non minus in voluntate, respectu actionis amandi datur terminus productus, quam in intellectu, respectu intellectionis; vt satis aperte docet etiam Sanct. Thomas cit. articulo tertio. Esto enim amor formaliter, & præcipuo significatu non sit actio; est tamen qualitas, quam impossibile est sine actione produci, neque alius huius actionis terminus esse potest, quam qualitas, seu actus amoris in facto esse, vt habet communis Philosophia, & iuxta S. Thomam loc. cit. recte notauit Caietanus hic quæstione vigesima septima articulo tertio. etsi repugnare videatur Gregorius de Valentia quæstione prima pun. 3. vbi contra Caietanum simpliciter negat, in rebus creatis aliquid procedere per actum amoris, velut terminum.

3 Assertio III. Hæc processio non est generatio. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 27. artic. 4. Est de fide ex scriptura, in qua non solum Filius distinguitur à Spiritu sancto, & huic commune solum attributum *procedentis,* illi etiam geniti & filii tribuitur, vt ex citatis testimoniis assert. 1. & dub. præcedenti patet; sed aperte etiam mentio fit Vnigeniti Dei Filii. Ioann. 1. v. 14. *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre.* Et v 18. *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et Ioann. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Quod si vnigenitus est Filius Dei; Ergo nec plures filii, nec plures geniti; nec plures generationes. Idem constat ex omnibus symbolis. Nam in symbolo Apostolorum dicitur, *vnicus Filius.* In Nicæno, *Vnigenitus;* in Athanasii symbolo expresse dicitur, *Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Idem docent SS. Patres, qui constanter negant, Spiritum sanctum esse filium, aut natum seu generatum. Ratio assertionis paulo post inquiretur.

Assertio IV. Processio Spiritus sancti recte dicitur, tum *spiratio,* tum absolute *processio.* Ita Sanct. Thomas artic. 4. ad 3. & communis Doctorum; qui vti processionem, sic etiam spirationem aliam vocant actiuam, aliam passiuam; vt illa sit actio spirantis; hæc terminus spirationis actiuæ. Ratio primæ partis est: quia quæuis actio rectè denominatur à suo termino, cum ergo hæc sit processio spiritus, non immerito vocatur spiratio. Secunda pars declaratur. Quia scriptura non alio nomine, quam *processionis,* Spiritus sancti productionem exprimit. Quare etiam Athanasius in symbolo verbis citatis, aliique SS. Patres, vt & Scholastici frequenter, absolute etiam processionis nomine vtuntur, ad specialem Spiritus sancti procedendi rationem significandam; nomen commune, vni rei quasi singulari, vti sæpe fieri solet, appropriantes; ideo, quod eas res proprio nomine, ab initio ad hanc rem proprie significandam impositio, careret. Cuius rei rationem bene assignat S. Thomas loc. cit. *Deum enim,* inquit, *nominare non possumus nisi ex creaturis. Et quia in creaturis communicatio naturæ non est nisi per generationem, processio in diuinis non habet proprium vel speciale nomen, nisi generationis* (illa scilicet, quæ est generatio.) *Vnde processio, quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine: sed potest nominari spiratio, quia est processio spiritus.* Ita S. Thomas. Vtrum verò processionis nomen generaliter, an specialiter vsurpetur, ex subiecta materia, & circumstantiis colligi debet. 4

Cum autem hæc ita se habeant, & apud omnes Orthodoxos certa & recepta sint, in ratione tamen assignanda, cur processio Spiritus sancti non sit generatio, non parua difficultas est. Et ratio difficultatis est. Quia processioni Spiritus sancti conuenire videtur tota definitio generationis propriæ ex S. Thoma dub. præced. allata. Est enim *processio viuentis à principio viuente coniuncto, in similitudinem naturæ,* etiam ex vi processionis diuinæ, qua talis est; quia in Deo ad intra nihil potest procedere, nisi per communicationem eiusdem naturæ, seu quod sit consubstantiale procedenti, vt patet. 5

Ob hanc causam multi SS. Patres non dubitant, hac in re, suam fateri ignorantiam, libere professi, se huius rei rationem reddere non posse. Ita Gregorius Nazianzenus orat. 5. de Theologia, Augustinus lib. contra Maximinum cap. 14 & aperte Damascenus lib. 1. fid. orth. cap. 10. vbi ait: *Et quidem generationem & processionem inter se differre compertum habemus: ceterum quis huius differentiæ modus sit, prorsus nos fugit.* Horum hæsitationem ex Scholasticis sequuntur Magister in prim. distin. 13. Ariminensis ibidem quæstione prima. Gabriel quæst. vnica, Maior quæst. 16. artic. 2. & fere Scotus d. 13. quæstion. vn. 6

Ex iis vero, qui ratione dissoluere hanc difficulta- 7

Digitized by Google

cultatem conantur, alii alias assignant rationes. Primo enim Anselmus in Monolog. cap. 53. & Petrus Alliacensis, in 1. sent. secuti Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 26 hanc rationem assignant, quia in Deo Verbum procedit ab vno, ideo est genitum: nihil autem procedens à duobus, nisi altero vt Patre, altero vt matre, est filius.

Secundo Richardus de Sanct. Victore lib. 6. de Trinitat. cap. 18. Alensis 1. part. quæst. 42. mem. 2. & 3. Maior in 1. d. 13. quæstione prima. rationem esse dicunt, quia Verbum ita accipit naturam à Patre, vt eam etiam possit communicare, & reipsa communicet Spiritui sancto; Spiritus sanctus autem non ita à Patre & Filio naturam accipit, vt eam possit alteri communicare.

8 Tertio idem Alensis 1. p. quæst. 43. mem. 1. Bonauentura in 1. d. 13. quæstion. 2. ad 3. Richardus d. 13. articulo primo quæstione tertia docent, ideo Verbum procedere vt filium, quia procedit modo secundum naturam; quia per intellectum: Spiritum sanctum autem procedere secundum voluntatem; eo nimirum procedendi modo, quo Adamus à Deo voluntate factus est; & ideo non esse Filium.

Quarto Durandus in 1. d. 6. quæst. 2. num. 16. indicat, ideo Spiritum sanctum non procedere vt filium, quia non procedit per modum naturæ, spectando principium processionis; sed per modum voluntatis: eo quod procedat à pluribus eiusdem gradus & perfectionis, quorum vnumquodque per se sufficiens esset ad eundem terminum producendum. Quæ rationes omnes parum videntur solidæ, vt facile cogitanti patebit; & speciatim Durandi super hac re doctrinam iam supra dub. 6. refutauimus.

9 Quinto igitur Torres hic quæst. 27. artic. 2. & Vasquez disput. 113. cap. 7. refutatis omnibus tam supradictis rationibus, quam ea, quæ à nobis sexto loco referetur ex Sanct. Thoma, & nunc communiter inter Theologos recepta est, nouam rationem adferunt & tuentur: nimirum ideo Spiritum sanctum non esse filium, nec per generationem procedere; quia licet procedat ex vi processionis similis in natura, hoc est, eiusdem cum Patre & Filio naturæ, non minus, quam Filius à Patre, non tamen procedit vt imago Patris; quia non procedit per modum *Verbi* formaliter repræsentatiui rem cognitam; nec adeo etiam Patri aut Filio repræsentat, aut repræsentare potest seipsos; cum se in Spiritu sancto non cognoscant.

10 Sed hanc doctrinam prolixe ac merito refellit Suarez lib. 11. de Trinitat. cap. quinto & sexto. Primo, quia falsum videtur, & contra Sanct. Thomam, vt videbimus, ac receptam Theologorum sententiam, non minus Spiritum sanctum, quam Filium procedere vt similem in natura, ex vi processionis, qua talis. Secundo, quia esse imaginem repræsentatiuam prototypi, conuenit omni rei, quæ ex vi processionis, qua talis, in natura aut figura ab altero procedit vt similis: & tamen nec omnis talis imago, nec Spiritus sanctus, etiamsi ita similis procedat, est Filius, vt aduersarii fatentur. Tertio, quia prius est aliquem esse Filium, quam imaginem repræsentatiuam Patris, nec adeo in hoc propria & essentialis ratio filii consistit, vt ex definitione communi generationis facile colligitur: quis enim vnquam ita naturalem generationem definiuit? Quarto non tam certum & indubitatum est, Spiritum sanctum non esse imaginem Patris & Filii, quam certum est, non esse Filium: illud enim quidam Orthodoxi subinde dixerunt; hoc vero nunquam, vt suo loco quæstione quarta dub. secundo dicetur.

Denique etsi hac de re non sit hic locus disputandi, verius tamen fortassis est, Patrem & Filium non tantum cognoscere se in seipsis, aut in Verbo, sed etiam in Spiritu sancto, non quidem vt in imagine, sed vt in suo termino & correlatiuo simili in natura, non quidem vt cognoscendi ratio secundum nostrum modum intelligendi formaliter sit ipsa relatio, seu terminus correlatiuus, qua talis, (sic enim relatiua simul sunt natura & ratione) sed vt ipsa sane persona Spiritus sancti, qua formaliter diuina persona est, sit ratio etiam quædam obiectiua cognoscendi Patrem & Filium, à quibus procedit: eo fere modo, quo effectus in nobis dicitur ratio cognoscendi causam, vt dicetur quæst. quarta dubio secundo.

Sexta igitur communis & vera ratio, quam tuemur, est S. Thomæ hic quæst. 27. artic. 4. vbi diserte tradit, processionem amoris in diuinis non debere dici (nec adeo esse) generationem; assignata hac ratione: *Ad cuius euidentiam*, inquit, *sciendum est, quod hæc est differentia inter intellectum & voluntatem, quod intellectus fit in actu, per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem: voluntas autem fit in actu non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate; sed ex hoc, quod voluntas habet aliquam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; & in tantum potest habere rationem generationis; quia omne generans generat sibi simile: processio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt filius, sed magis procedit, vt spiritus. Quo nomine quædam vitalis motio & impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.* Ita S. Thomas. 11

Quæ verba perspicue hunc sensum reddunt; 12 ideo Spiritum sanctum non procedere vt filium; quia ex vi & propria quasi ac specifica ratione processionis, qua talis, non procedit similis in natura Patri & Filio, qua talis, inquam, non præcise ratione quasi subiecti, quia est in DEO ad intra; hinc enim non possunt distingui processiones in diuinis, cum hac ratione omnes processiones sint in similitudinem seu identitatem naturæ, vt notauit ipsemet Sanct. Thomas citat. articulo quarto ad primum. Sed qua talis formaliter, adeoque per talem potentiam, nimirum per voluntatem, non per intellectum est: cum hoc sit proprium intellectus ex suo genere, non voluntatis, vt mediante verbo mentis, quæ est similitudo quædam formalis rei cognitæ, assimilet sibi, ipsique etiam intelligenti, (saltem vt informato

per

per speciem, qua constituitur in ratione proximi principij cognoscentis) rem cognitam; idque etiam perfecta & substantiali similitudine naturæ, si intelligens sit perfectissimum, vt est Deus.

13 Quam proinde rationem hoc sensu ex mente S. Thomę tuentur non solum Caietanus ead. q. 27. a. 4. & q. 35. a. 2. & Ferrariensis 4. cont. gent. c. 11. sed etiam omnes discipuli & interpretes S. Thomæ, in quibus etiam Gregorius de Valentia q. 1. pun. 4. Molina q. 27. a. 4. Suarez cit. lib. 11. c. 5. esto interim ea ratio non sit ita euidens & certa, quin de ea (minus certè, quam de alia quacunq; hactenus allata) dubitari possit, vt notauit ibidem Gregorius de Valentia: tametsi S. Thomas supposita processione per intellectum & voluntatem, eam videatur habuisse pro euidente.

14 Huic addit Suarez cit. lib. 11. c. 6. n. 14. etiam hanc rationem; quod Verbo ex vi & modo processionis suæ communicatur diuina natura, vt intellectualis est, atque adeo secundum propriam rationem essentialem, qua talis natura est; Spiritui sancto vero formaliter comunicatur essentia diuina, solum sub ratione amoris, qui non ita formaliter & per se primo constituit essentiam Dei: vnde non procedit similis in natura ex vi & formalitate processionis suæ. Sed quæ ratio supponere videtur, nullam esse distinctionem, etiam secundum rationem nostram, inter diuinam essentiam, & actualem Dei notitiam, cuius contrarium docuimus supra disput. 2. quæst. 2.

15 Atque ex his facile etiam dissolui potest argumentum Vasquez, quo rationem S. Thomæ, & communem euertere conatur, hunc in modum: vel Filius procedit similis in natura, ex vi processionis, quatenus est per intellectum, aut quatenus est per talem intellectum: non quatenus per intellectum; sic enim omnis processio per intellectum esset generatio; Ergo quatenus est per talem intellectum. Cum ergo additur illa pars definitioni generationis, *Ex vi processionis*, non de processione per intellectum in vniuersum intelligenda est, sed de tali processione, qua Verbum procedit, scilicet diuini intellectus: sed si ita loquamur de processione Spiritus sancti; eodem modo procedit similis in natura, ex vi talis processionis, nempe per diuinam voluntatem: Ergo Spiritus sanctus non minus erit genitus, quam Filius.

Respondeo, Verbum procedere à Patre in perfectam similitudinem, seu identitatem naturę, formaliter quatenus est per intellectum in tali natura; cum enim ratio formalis & abstracta processionis per intellectum hoc habeat, vt id quod procedit ab eo, procedat vt simile ipsi; idcirco quando ea processio fit in natura perfectissima, qualis est diuina, necesse est, vt ea processio per intellectum sit secundum perfectam & substantialem similitudinem naturæ. E contrario vero, quia ratio formalis & abstracta processionis per voluntatem hoc non habet, vt id, quod à voluntate procedit, procedat simile amanti, idcirco ea processio, quatenus formaliter talis & per voluntatem est, hoc sibi nec in natura quidem perfectissima & diuina postulat, vt id quod procedit, procedat vt simile in natura: sed vtrumque tam quod procedens ab ea terminus procedat similis producenti, quam quod procedat in perfectam similitudinem, solum fit quasi ratione subiecti, quia in Deo est, & ipsa processio diuina est; propria interim & abstracta ratione processionis per voluntatem sibi neutrum deposcente. Contra quam rationem hoc modo explicatam nullam vim habent exceptiones, & instantiæ Vasquez, quamuis operosè multiplicatæ. 16

QVÆSTIO III.

De Relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionalibus, ac proprietatibus personarum; & constitutione earundem.

S. Thomas 1. p. q. 28. 32. 40. 41.

TRactat quidem S. Thomas de hac re in diuersis quatuor quæstionibus; sed quia hæc omnia magnam inter se connexionem & affinitatem habent; nec ferè melius, quam ex mutua eorum inter se comparatione intelligi possunt, ideò omnia simul vna quæstione explicanda proponimus. Absoluetur autem hæc quæstio sex dubitationibus. I. An, quæ, & quot sint relationes reales in Deo. II. Quomodo ab essentia, ac inter se, & à personis distinguantur. III. Vtrum relationes personarum in Deo sint de essentia, ratione, & conceptu diuinitatis, deq; ea in abstracto formaliter prædicentur; & an vicissim essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum. IV. Vtrum relationes reales in Deo formaliter sint perfectiones & quales; & quomodo ratione earundem multiplicentur in diuinis tum transcendentia cætera, tum existentia. V. Quid, & quot in Deo sint notiones, origines, seu actus notionales, ac proprietates personarum; & quomodo hæc tum inter se mutuo, tum ad relationes se habeant. VI. Quanam ratione primo ac formaliter constituantur & distinguantur personæ diuinæ; an per proprietates seu relationes personales, an per origines, seu actus notionales; an vtrisque, seu neutris.

Digitized by Google

DVBIVM I.

An, quæ, & quot sint Relationes reales in Deo.

S. Thomas q. 1. p. 28. art. 1. & 4.

2 QVia sæpe inter explicationem diuinarum personarum ac processionum, relationum mentio facta est, ipsæq; personæ diuinæ vti patet, relationum seu relatiuorum nomine appellantur, vt Patris, Filij, &c. ideo post personas, earumque processiones, de diuinis relationibus agendum; vt distinctè constet, quænam sit ratio eiusmodi relationum, & quanam ratione ad diuinas personas se habeant. Et quod ad præsens dubium attinet, sequentes assertiones statuimus.

3 Assertio I. Non datur in Deo vlla relatio realis ad creaturas, nec prædicamentalis, nec transcendentalis. Hæc est expressa sententia Sancti Thomæ 2. cont. gent. capite decimo, & hic quæstione 28. artic. 1. ad 3. & quæst. 13. articulo septimo vbi ait: *Cum Deus sit extrà totum ordinem creaturæ, & omnes creaturæ ordinentur ad ipsum & non è conuerso, manifestum est, quod creaturæ realiter referantur ad ipsum Deum; sed in Deo non est aliqua realis relatio eius ad creaturas, sed secundum rationem tantum, in quantum creaturæ referuntur ad ipsum.* Idem docent Caietanus, & omnes Thomistæ, alijque Commentatores ibidem, item Scotus, alijque Scholastici plerique in 1. dist. 30. Ferrariensis libro secundo cont. gent, capite decimo. Henricus quodlib. 4. quæstione prima. idemque tuetur Albertinus tomo 2. in prædicam. ad aliquid coroll. seu quæstione 1. & 2. tametsi idem Author tomo 1. princip. 1. coroll. 4. numero 11. cum alijs nonnullis recentioribus, relationes solum prædicamentales ad creaturas à Deo excludat, non autem transcendentales. Præter hunc vero Heruæus in prim. dist. 30. quæst. vn. Soncinnas 5. Metaph. quæst. 25. atque etiam saltem quoad modum loquendi Nominales, Ockam in 1. dist. 30. quæst. 1. & d. 31. quæst. 1. & Ariminensis d. 28. quæst. 2. art. 2. relationes reales, etiam prædicamentales, in Deo constituunt.

4 Quæ sententia contra communem Theologorum non est admittenda: tametsi authores eiusdem eam ità explicent, vt reipsa perfectioni diuinæ naturæ non multum præiudicet; siquidem non ita in Deo ponūt relationē prædicamentalem realē quasi realis quædā habitudo (V.G. Creatoris vel Domini) de nouo ac in tempore primum intrinsecè adueniat Deo; sed solum, quia vel sit realis quædam habitudo in Deo ad creaturas ab æterno, quæ tamen Deum creatorem aut Dominum non denominet, nisi posita creatura tanquam termino: vel quod relatio Creatoris nulla omnino sit habitudo realis ad creaturam, distincta à fundamento, seu perfectione absoluta & potentia creandi; sed sit ipsa potentia creandi, quæ supposito termino extrinsecè connotato, scilicet creatura, faciat Deum formaliter relatum ad creaturas, absque vlla alia realitate, siue habitudine reali distincta; prout vniuersim ipsi de relationibus etiam prædicamentalibus sentire solent.

Quo sensu etiam difficilè est, solida & adæquata ratione eorum sententiam refellere. Sed probatur tamen prima pars assertionis, supposita communi Philosophia. Quia relationes reales prædicamentales formaliter non sunt, nisi existente vtroque termino; ac proinde adueniunt primum posita vtriusque termini existentia: atqui impossibile est, vt primum per existentiam creaturę Deo noua relatio realis adueniat: sic enim Deus mutaretur. Ergo, &c. 5

Secundo pars ab Albertino loco citato probatur. Si aliqua in DEO esset relatio realis transcendentalis ad creaturas, nimirum possibiles, tunc DEVS, etiam abstrahendo ab actionibus eius liberis, quæ vt sic ad eius perfectionem non pertinent, adeoque ipse secundum suum esse quoddam naturale, non esset Ens magis necessarium, quam Entia possibilia creata, à quibus velut terminis relatio illa realis in Deo dependeret; id autem est absurdum: quia Deus, vti ens ratione prius, ita magis necessarium est, magisque independens, quam creaturæ possibiles; si enim hæ possibiles non essent, adhuc Deus esset; non contra: cum possibiles sint per respectum ad Deum velut exemplar & ideam, vt docet Albertinus loco citato. Sed hanc argumentationem non esse firmam, patebit ex quæstione quarta, dubio tertio. Ratio ergo potissima esse videtur; quia absurdum est, Deum intrinsecè secundum aliquid sui dependere quodammodo à creaturâ, saltem velut termino: quo modo omnis relatio realis dependet à suo termino. 6

Assertio II. Dantur in Deo relationes reales mutuæ inter ipsas personas diuinas. Ita S. Thomas hic quæstione vigesima octaua, articulo primo, & quæstione octaua de potent. a. 1. vbi ipsemet notat, hoc esse de fide certum; quod tradunt etiam omnes Scholastici hic, & cum Magistro in 1. dist. 26. Probatur primò ex Scripturis, in quibus non solum diuinæ personæ nominibus relatiuis exprimuntur; *Patris* nimirum, & *Filij*; sed simul etiam constat, rem per ea nomina significatam, verè ac realiter personis diuinis conuenire, vt quæstione prima & secunda dictum. Secundo idem constat ex Sanctis Patribus; qui passim asserunt, personas diuinas distingui relationibus, vtique à parte rei in DEO existentibus, speciatim Dionysius capite secundo, de diuin. nom. Athanasius oratione secunda & quarta contra Arianos, & dialog. de Trinitate contra Anomæos, Basilius sermone de fide & libro primo & secundo contra Eunomium, Gregorius Nazianzenus oratione prima & quarta de Theologia. Cyrillus libro septimo thesauri, capite primo. Augustinus libro quinto de Trinitate capite tertio & quinto. 7

Idem constat ex Concilijs; ex quibus præcipuè ad institutum facit Concilium Toletanum XI. vbi dicitur: *Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrumque refertur: quæ cum relatiuè tres* 8

personæ

personæ dicantur, vna tamen natura, vel substantia creditur. Et infrà : *In relatione personarum seruatur numerus.* Idem habetur in Synodo VI. epist. Sophronij : & in Concilio Florentino sess. 18. & 19. vbi personæ diuinæ dicuntur *esse ad aliquid:* quod etiam habetur in literis seu decreto vnionis sess. 25.

9 Consentit etiam Boëtius lib. 1. de Trinit. cap. 12. cum ait : *Substantia præbet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Qui proinde vbi capit. 6. negare videtur, in DEO esse proprie relationem, locutus est de DEO vt vno, adeoque de relatione ad creaturas, vt seipsum mox explicat cap. 7 & rectè notauit Suarez lib. 5. capite 1. num. 4. licet S. Thomas hîc q. 28. a. 1. & quidam alij aliter respondeant.

10 Ratio assertionis est; tum quia alias non possent inter se distingui ac multiplicari personæ; cum absoluta omnia communia & eadem sint in omnibus, vt magis patebit dub. sext. Tum quia omnia hîc ad relationem realem requisita adsunt. Est enim realis distinctio terminorum seu personarum ex dictis quæstion. prima, dub. primo; vbi tamen hoc singulare est, quod relationes istæ, quia substantiales sunt, non accidentales, vt dicemus, eam distinctionem non supponunt, sed faciunt, vt dicetur dub. sext. Est etiam sufficiens & realis ratio fundandi; quia est realis processio inter personas, ex quæstion. præced. Quod si necessarium est etiam fundamentum distinctum à ratione fundandi, eius officium præstabit ipsa natura diuina, vel secundum se, vel vt est principium Quo productionis; cum etiam in relationibus creatis ratio fundandi sæpe reipsa non differat à fundamento; vt in similitudine duarum albedinum patet. An vero, & quomodo necessarium sit eiusmodi fundamentum, & ratio fundandi in his relationibus, infrà dicetur. dub. 5. & 6.

11 Assertio III. Relationes hæ in diuinis etiam sunt reales, secundum *esse Ad.* Ita Molina quæstion. 28. articulo primo, Gregorius de Valentia quæstion. secunda. pun. 1. Suarez lib. 5. capit. 1. numero 6. Vasquez d. 114. Albertinus tom. 2. prædicam. Ad aliquid, coroll. 5. & quoad diuinas relationes consentit Torres q. 28. art. 2. contra Capreolum in 1. d. 22. quæst. 1. articulo 3. Caietanum hîc cit. art. 2. & 3. quæst. 3. artic. 1. Ratio est. Tum quia vniuersim *esse Ad*, in relatione reali (esto secundum totam analogiam abstrahat ab esse reali) est differentia quasi contrahens rationem Entis, & accidentis realis ad certum genus, puta relationis, iuxta S. Thomam quæstion 28. articulo 2. Ergo est in eodem quasi genere Entis. Tum quia *esse Ad* completè acceptum, cum sit alicuius, & in aliquo, includit velut rationem quandam superiorem ipsum *esse in*, quæ iuxta omnes realis est. Denique peculiaris ratio est in diuinis; quia personæ realiter distinguuntur per relationes qua tales sunt; sicut & Pater formaliter est Pater per relationem qua talis est, ex cap. *Firmiter*, de summa Trinit. Ergo relatio Paternitatis, qua talis formaliter est, & non solum quatenus identificatur cum essentia est realis: quod propterea etiam de fide certum existimant Molina & Albertinus locis citatis.

Assertio IV. Quatuor tantum sunt in DEO 12
relationes reales; nimirum Paternitas, Filiatio, Spiratio (actiua) & processio, seu spiratio passiua. Ita Sanctus Thomas quæstion. 28. artic. 4. & loquendo de relationibus in personarum productione fundatis, certa ac communis est omnium Doctorum, quicquid Scotus de alijs quibusdam relationibus quæstion. prima. dubio 8. relatus & refutatus dixerit. Probatur. Quia relationes reales in Deo esse non possunt, nisi ratione processionum ad intra; secundum esse enim absolutum, & per respectum ad illud, vti nulla est distinctio, ita nulla esse potest oppositio relatiua. Et vero necesse est, vt cuilibet processioni duæ respondeant relationes oppositæ; quarum vna sit procedentis à principio, altera sit ipsius principij. Cum ergo duæ sint processiones, videlicet generatio, & spiratio, necessario quatuor sunt relationes reales; quæ ita se habent, vt illa quidem ex parte principij generantis dicatur paternitas; quo nimirum nomine etiam in humanis affici solet; ex parte vero termini geniti, filiatio; illa vero quæ est ex parte principij spirantis, aliud nomen non habet, quam spirationis; ex parte vero termini spirati, dicitur processio, seu spiratio passiua: Quamuis alias hæc nomina ex prima impositione, potius ad ipsas processiones seu origines pertineant, non ad relationes. Plura quæstion. prima dubio. 8. vbi docuimus, nec relationes æqualitatis seu identitatis; nec diuersitatis, inter diuinas personas esse posse reales; illud quidem, quia non habent fundamentum distinctum; hoc vero, quia pro fundamento habent relationes, quæ non possunt esse fundamentum nouæ relationis realis, ne detur processus in infinitum, vt ex communi Philosophia suppono; quandoquidem si eiusmodi relationes essent reales in Deo, essent in eo non minus perquandâ resultantiâ, quam in creaturis.

Assertio V. Relationes personarum in Deo, 13
non sunt accidentales, nec accidentia; sed substantiales. Ita Theologi omnes cum Magistro cit. dist. 26. & cum S. Thoma hic quæst. 28. a. 2. & est extra controuersiam apud Orthodoxos: Tum quia in Deo nullum est accidens. Tum quia hæ relationes sunt propria & formalia distinctiua & constitutiua diuinarum personarum, vt patebit dub. 6.

Dubitatio quædam est inter Doctores, an 14
spiratio actiua & Paternitas (eadem est ratio Filiationis cum eadem spiratione comparatæ) dicenda sint duæ relationes à parte rei. Negat Gregorius de Valentia quæstion. 6. pun. 2. & pro se citat Caietanum hic quæstion. 32. art. 2. Affirmant apud eundem Ægidius in prim. dist. 27. articulo primo. quæstion. 1. & Capreolus in 1. d. 13. quæst. 1. articulo secundo & alij recentiores. Sed lis facile componitur, si absit æquiuocatio. Aut enim terminus *A parte rei*,

Digitized by Google

appellat voculam *duas*; & sic cum non sint à parte rei distinctæ, vt patebit dubio seq. non sunt etiam à parte rei plures, adeoque nec à parte rei duæ. Aut appellat ipsas solum relationes; & illas nemo vtique negauerit esse à parte rei; sicut nemo negat, esse à parte rei in Deo hæc duo attributa sapientiam & misericordiam; licet à parte rei non sint distincta: id quod Sanctus Thomas cit. quæstione 32. articulo 2. & supra quæstione 28. articulo 4. expresè docet; & cum eo alij communiter omnes. Neque plus dicit Caietanus loco citato, quam non esse duas realiter siue secundum rem, ita scilicet vt à parte rei sint distinctæ, de quo dubio sequenti.

DVBIVM II.

An, & qua ratione relationes diuinæ ab essentia, & inter se, atq; à personis distinguantur.

S. Thom. 1. p. q. 28. a. 3. & 4. & q. 40. a. 2.

SVppositis ijs, quæ de attributorum distinctione generatim docuimus disput. 2. quæst. 2. res breuiter absolui potest.

1 Assertio I. Relationes diuinæ nullo modo à parte rei, seu ante operationem intellectus, distinguuntur ab essentia diuina. Hæc assertio est contra duas falsas sententias. Prima est Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis, qui vt cum Sancto Thoma hic quæstio. 28. artic. 2. & communi Doctorum rectè notauit Suarez libro quarto, capite secundo, planè aliquando docuerat, relationes distingui ab essentia non solum formaliter vel modaliter, siue ex natura rei, vt putauit Vasquez disput. 120. capite 1. sed realiter, vt res à re; ne videlicet simul eadem res diceretur & generans, & genita; eademque seipsam genuisse. Quocirca etiam negabat has propositiones, Deus est essentia diuina, Deus est sua sapientia; accipiendo nimirum vocabulum Deus pro persona, vt videre est ex ijs, quæ verbatim refert ipsemet Vasquez loco citato. Quo sensu etiam non malè, nec falsò Alensis 1. p. quæst. 68. memb. 5. articulo 6. Bonauentura in 1. d. 33. quæst. 1. alijque Scholastici, atque ipsemet Sanctus Thomas hic quæst. 28. artic. 2. ita referunt Gilberti sententiam, vt dixerit, relationes in diuinis esse velut extrinsecus affixas, non inhærentes diuinæ essentiæ; vtcunque Vasquez loc. cit. existimet sententiam Gilberti non rectè ab eis intellectam.

2 Secunda sententia est, relationes, adeoque proprietates personales (quas relationes etiam esse patebit dubio 5.) distingui ab essentia diuina, ante omnem intellectus operationem, non quidem tanta distinctione, quanta solet esse inter res duas omnino condistinctas; sed qualis esse solet inter rem & modum eius; quæ distinctio dici solet modalis, siue latius ex natura rei. Ita Durandus in 1. dist. 33. quæstione 1. & d. 24. quæstione secunda, & in 3. d. 1. quæstione 2. qui etiam eam distinctionem vocat *realem* latè, scilicet vt condistinguitur adæquatè contra distinctionem rationis. Idem vniuersim de attributis diuinis sensisse communiter existimatur Scotus in 1. d. 2. quæstione quarta & 7. & d. 4. quæstione octaua, prout eum etiam intellexerunt Gregorius de Valentia quæst. 13. p. 1. & Vasquez disputatione 120. capite 2. tametsi Scotus nunquam eam distinctionem vocauit realem; sed formalem, vel ex natura rei. Imo quæst. 7. vocat *virtualem*, & negat esse realem actualem, & tandem docet, posse vocari rationis. Eodem ferè modo de relationibus comparatis ad essentiam loquuntur Ockam in 1. q. 1. Marsilius q. 6. Gabriel in 1. d. 2. art. 1. & art. 3. dub. 3. alijque Nominales apud Suarez libro 4. cap. quarto, num. 2. qui proinde existimat, Scotum, & istos forte à communi reipsa non dissentire.

Sed quicquid sit de hoc, contra vtramque sententiam, pro certo habendum est, quod in assertione dictum, vti cum Sancto Thoma hic quæstione vigesima octaua, articulo secundo, & quæst. 39. articulo primo, & quæstione octaua, de potentia habet communis ac certa omnium, tam veterum aliorum, quam recentiorum sententia apud citatos; adeo vt etiam prior illa sententia Gilberti in fide erronea, & reipsa hæretica censeatur; etsi Gilbertus, quod pertinacia abfuerit, nunquam ideo fuerit hæreticus existimatus, vt videre est apud citatos. 3

Alteram vero sententiam Durandi Vasquez loco citato, quia putat à Gilberti sententia non differre, consequenter existimat non minus quam Gilberti errorem, fuisse damnatam; Gregorius autem de Valentia quæstione decima tertia p. 1. & alij communiter iudicant, parum esse fidei consentaneam.

Probatur assertio primum ex Scripturis iam etiam superius relatis quæstione 1. dubio octauo. Ioann. 10. versu 30. *Ego & Pater vnum sumus*; Et 1. Ioann. 5. versu 7. *Hi tres vnum sunt*; nimirum in essentia. Secundo probatur authoritate Ecclesiæ. Nam in Concilio Remensi sub Eugenio III. ex instituto damnata fuit opinio Gilberti: qui eam quoque ibidem, citra pertinaciam, retractauit, præsente Sancto Bernardo; qui multa etiam contra eundem scripsit sermone 80. in Cant. & libro 5. de consideratione. In eodem Concilio definitum fuit, personam esse diuinam substantiam, & Deum, & Deitatem; & relationem etiam esse Deum; item tres personas esse vnam diuinitatem, & vnamquamque proprietatem esse Deum, vt videre est in actis eius Concilij, & fusè prosequuntur Baronius tomo duodecimo, & Vasquez cit. disp. 120. 4

Præterea in Concilio Lateranensi cap. *Damnamus*, de summ. Trinit. & Eid. Catholic. definitur, non esse in Deo quaternitatem, seu quaternarium numerum rerum; ibidemque asseritur, *tres personas esse vnam rem*, esse vnam essentiam & substantiam. Et in fine dicitur; *id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino.* In Concilio quoque Florentino sessione 25. in declaratione fidei à Græcis etiam approbata, hæc verba legimus; *Ne ipsam eandem substantiam seu etiam aut essentiam ab hypostasibus & personis* 5

differre

differre credere videamur. Quod etiam habetur sess. 17. 18. & 19. Atque ex eodem Concilio Florentino loc. cit. & Toletano II. ac XI. desumitur receptum illud Theologorum axioma: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Idem tradidit Boëtius loco citato, assert. 2. & Damascenus libro primo, de fide capite undecimo, ubi ait, *tres personas secundum omnia idem ipse, excepta oppositione relationum.* Quod etiam frequenter docent alij Patres, apud citatos.

6 Tertio probatur ratione. I. Quia omnis eiusmodi distinctio ante operationem intellectus, earum rerum, quæ sunt in vnaquaque persona diuina, pugnat cum simplicitate eiusdem Dei, definita in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, de sum. Trinit. Est enim vera compositio in Deo, si personalitas seu relatio, vllo modo ante operationem intellectus distinguitur ab essentia; quia vnitur cum essentia, vt distinctum quid ab ipsa, sicuti in creaturis accidit: secus est de personis ipsis comparatis inter se; nam sic non vniuntur ad constituendum vnum; & ideo non componunt: si vero comparentur ad essentiam, in illa habent summam vnitatem, atque adeo simplicitatem, citra vllam distinctionem à parte rei, vt suo loco dictum. II. Quia si talis entitas est quiddam à parte rei distinctum à diuinitate, seu essentia diuina, necesse est, esse quiddam creatum; quicquid enim Deus non est, creatura est; quæ est ratio Sancti Thomæ hic citata quæstione vigesima octaua, articulo secundo. III. Quia alias personalitas in DEO non erit essentialiter, nec dici poterit, DEVS; nec Paternitas, aut etiam Pater vere dici posset diuinitas; sicut in humanis Petrus non est humanitas, sed homo; nec suppositum natura.

7 Obijcitur pro sententia Durandi. De eodem in re prorsus indistincto non possent simul affirmari contradictoria de extremo reali, puta producere, & non producere; quorum illud dicitur de persona, & non de natura diuina. Item communicari reipsa conuenit naturæ Patri, non autem personalitati vt sic; hinc enim formaliter propriè Filio non communicat.

8 Ad hæc & alia similia respondetur, ea propriè non esse contradictoria, quia sunt de re virtuse seu eminenter multa, nec eodem modo in vtraque propositione accepta; vnde sufficit ad istam distinctio virtualis, vt dicerunt. Plura quæ huc referri possent, dissoluimus supra quæstione 1. dub. 4.

10 Assertio II. Relationes ab essentia differunt ratione. Ita omnes Scholastici cum Sancto Thoma hic quæstione 28. articulo secundo, excepto Aureolo in 1. d. 2. part. 3. articulo quarto, cui tribui solet contrarium, quia dicit, *non esse aliam conceptum essentiæ à proprietate*: quod tamen nulla ratione potest intelligi; ea enim, quæ formali conceptu differunt, & de quibus contradictoria simul affirmari possunt, necesse est ratione saltem distingui.

9 Assertio III. Relationes ab essentia propriè distinguuntur sola ratione, & quidem virtuali, seu abstractè cognoscentis tantum. Prima pars est communis Sancti Thomæ hic quæstione vigesima octaua articulo secundo, aliorumque Theologorum. Ratio patet ex dictis: quia quæ ratione differunt, & in re nullo modo differunt, nonnisi ratione differunt. Idem expressè habetur in Concilio Florentino loco citato, idque ob consensum tot Græcorum & Latinorum Patrum, iure magnæ authoritatis esse debet; licet directè non sit definitum. Secundam partem tradunt Capreolus in 1. d. 8. quæst. 4. art. 3. Molina hic quæst. 28. art. 2. disput. 3. Suarez libro 4. cap. 4. num. 17. Vasquez disp. 118. cap. 2. contra Henricum quodlib. 5. quæst. 1. Durandum in 1. d. 2. quæst. 3. num. 20. & Torrem hic quæst. 28. a. 2. disp. 2. dub. 3. quidocent, etiam à Deo & beatis ita distingui posse, quod de beatis etiam admittere videtur Cajetanus quæst. 13. a. 4. Ratio assertionis est. Quia hoc est alicuius imperfectionis, intelligere ea, quæ non sunt à parte rei distincta, velut distincta; adeoque ratione distinguere; quandoquidem hoc fieri non potest, sine pluribus & inadæquatis conceptibus, tametsi negandum minimè sit, Deum quoque & beatos hanc distinctionem à nobis factam cognoscere, sicut vniuersim de attributis diuinis diximus, disputatione 2. quæstione 2.

Assertio IV. Relationes seu proprietates personales magis distinguuntur ratione, quam alia pleraque, quæ in diuinis ratione itidem distinguuntur. Ita communis, quam tuentur & declarant Torres quæstione 28. articulo 2. disput. 1. part. 2. Molina ibidem cit. disput. 2. Suarez libro 4. cap. 4. numero 15. Vasquez disput. 117. cap. 3. & disput. 121. cap. 5. Albertinus tomo 1. princ. 7. coroll. 1. num. 20. aliter tamen & aliter. Torres, Molina, Suarez, & ferè Albertinus, ex communi ita explicant, quia aliquando quædam ratione distinguuntur solum, quia pro arbitrio concipientis diuerso conceptu, verbi gratia, subiecti & prædicati, vnum & idem prorsus concipitur, absque omni fundamento in re. Vt cum dico, Petrus est Petrus, vbi distinctio fieri dicitur per rationem absque fundamento in re. Quando quæ vere vna est, sed distinguitur tamen ratione, cum fundamento in re, eò quod pluribus æquiualeat à parte rei distinctis; siue hoc fiat solum per respectum & comparationem ad creaturas; quomodo pleraque attributa diuina, quæ scilicet operationem aliquam immanentem non respiciunt, inter se & ab Essentia diuina distinguuntur, vt omnipotentia, æternitas, immensitas, simplicitas, & perfectio Dei, &c. siue hoc fiat etiam comparatione plurium, quæ formaliter sunt in ipso Deo; quomodo distinguuntur relationes ab essentia, quandoquidem reipsa sunt plures relationes in Deo, & plures personæ. Talis etiam distinctio est inter voluntatem & intellectum diuinum; fundata nimirum etiam in pluralitate personarum, è quibus à parte rei vna solum per intellectum, altera per voluntatem procedit, ex dictis quæst. præced. Oppugnat hunc modum explicandi vtiam distinctionem rationis Vasquez loco citato, & aliam ipse adfert,

sed cui satisfecimus supra disp. 2. quæst. 2. dub. 3. vbi hac de re plura.

11 Assertio V. Ea distinctio rectè vocari potest rationis ratiocinatæ, seu virtualis ex natura rei. Ita communis Doctorum: & *virtualem* ex communi vocant Caietanus quæst. 32. art. 2. Gregorius de Valentia passim, præsertim quæstione 13. punct. 1. Molina quæst. 28. art. 2. d. 2. Suarez lib. 4. cap. 4. & Albertinus loc. cit. Terminum *ex natura rei* addit Molina, & approbat Suarez numer. 15. qui tamen alteram appellationem *rationis ratiocinatæ* videtur præferre, & simul totam quæstionem de modo loquendo ita resoluit: *Si semel*, inquit, *concedatur, in re ipsa non esse actualem distinctionem inter relationē & essentiam, neque etiam in re ipsa personalitatem esse proprium modum, quatenus à vera entitate distingui solet, in alijs solum esse differentiam in locutione; sive illa distinctio vocetur rationis, sive formalis* (quo tamen modo non vult appellari Molina) *sive virtualis, aut fundamentalis. Nam ad hanc distinctionem omnia suo modo conueniunt; & ideo à quolibet illorum denominari potest. Propriè tamen, & ad tollendam æquiuocationem, dicetur rationis ratiocinatæ.* Ita Suarez, qui rectè addit: non simpliciter appellendam ex natura rei, nisi cum addito *virtualis*, seu *fundamentalis*.

12 Ex quibus sumitur ratio: quia *rationis ratiocinatæ* vocari solet distinctio rationis, quæ habet fundamentum in re: *virtualis* rectè dicitur, vt significetur, non esse quidem aliquam actualem distinctionem ante operationem intellectus, esse tamen adeo eminentis entitatis ea, quæ reipsa vnum sunt, vt ea ipsa entitas ob suam infinitatem, & illimitatam perfectionem, æquiualeat & identificetur pluribus re distinctis; quod in nulla creata entitate accidit. Additur, *Ex natura rei*, vt significetur, distinctionem eiusmodi virtualem, æquialere, seu potius eminenter continere actualem ex natura rei, qualis esse solet inter naturam & hypostasin creatam.

13 Vbi tamen notandum, discrimen esse inter virtualem distinctionem, & distinctionem rationis, si formaliter & proprie loquamur: quia virtualis distinctio, non est aliqua distinctio vera & actualis seu formalis; sicut quod eminenter, seu virtute tale est, verè, actualiter, & formaliter tale non est: significat tamen fundamentum, quod est in re ipsa ad distinctionem rationis faciendam. Vnde etiam est ante operationem intellectus, non minus quam ipsum fundamentum, quod est, vt diximus, singularis eminentia ipsius rei, quæ vnite continet ea, quæ in creaturis diuisa sunt. Rationis autem distinctio, cum sit actualis distinctio per rationem facta, propriè non est ante operationem intellectus, vt tradit etiam Sanctus Thomas hic quæstione vigesima octaua, articulo primo. Plura supra disputatione secunda, quæstione 2. & dubio tertio.

14 Assertio VI. Comparando vero ipsas relationes reales personarum inter se; ex quatuor relationibus realibus, quas in Deo esse diximus, vnaquæque quidem realiter distinguitur ab ea, quæ ipsi realiter opponitur; puta Paternitas à Filiatione; & Spiratio (actiua) à processione; at vero tres tantum sunt inter se mutuo ac vicissim realiter distinctæ; nimirum Paternitas, Filiatio, & processio, seu spiratio passiua. Ita sentit Sanctus Thomas quæstione vigesima octaua, articulo tertio, & quæstione 32. articulo tertio ad 3. & est communis Doctorum, contra Durandum in 2. dist. 13. quæstione secunda, qui docuit, spirationem actiuam realiter distinguì à Paternitate & Filiatione: pro qua sententia Gregorius de Valentia quæstione 6. p. 2. citat etiam Herueum quodlib. 7. & Dionysium Carthusianum in prim. d. 27. quæstione 1. Sensus autem est, non quod ex quatuor relationibus aliqua sit, quæ à nulla ex illis quatuor realiter distinguatur: semper enim ab vna altera opposita realiter distinguitur, vt dictum; sed quod vna sit, quæ non distinguatur realiter ab omnibus & singulis.

15 Et vero oppositas relationes eiusmodi inter se realiter distingui est de fide, vt bene notauit Vasquez in commentario eiusdem articuli; non solum quia id ex personarum distinctione necessario colligitur, vt dicemus, sed etiam quia id per se etiam definitum est. Namin cap. *Firmiter*, de summ. Trinitat. & fid. Catholic. dicitur: *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, secundum proprietates personales discreta.* Et in Concilio Toletano XI. *Hæc ergo sancta Trinitas, quæ vnus etiam verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero: in relatione enim personarum numerus cernitur; in diuinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerus insinuatur, quod ad inuicem sunt; & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Idem habetur ex Boetio, Damasceno, locis supra citatis, & Anselmo libro de processi. Spiritus sancti, capite secundo, ex quibus etiam, vt dictum, habetur receptum illud axioma, *In Deo omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.*

16 Ratio vero est manifesta. Quia vt rectè Sanctus Thomas; relativa oppositio (intellige secundum terminos reales) non potest esse, nisi inter realiter distincta: at vero inter relationes diuinas, si vnaquæque cum opposita sibi comparetur, est relatiua oppositio, cum hæc necessario ac intrinsecè consequatur ipsas relationes sibi correspondentes; neque dubium, terminos esse reales, puta realem paternitatem, realem filiationem, &c. ex dictis. Ergo: &c.

17 Ratio secundæ partis, quam specialiter tradunt Sanctus Thomas quæstione vigesima secunda, articulo tertio, & quæstione quadragesima, articulo primo ad 2. Ægidius in 1. d. 27. artic. 1. quæst. 1. Richardus dist. 28. artic. 1. quæst. prima. Capreolus d. 13. quæstion. 1. art. 2. Scotus ead. d. 13. quæstion. vn. Marsilius in 1. quæstion. 30. artic. 4. dub. 2. Caietanus, & alij Thomistæ, ac sententiores citat. quæstio 32. artic. 2. item Gregorius de Valentia quæstio. 6. punct. 2. sumitur ex citato axiomate Theologico. Quia relationes non possunt inter se realiter distinguì, quæ non sunt aut formaliter, aut virtualiter (ratione originis) oppositæ: at vero spiratio actiua,

nullo

nullo modo nec formaliter, nec virtualiter, opponitur Paternitati & Filiationi, sed potius ex parte principij illas supponit, vt suo loco dicemus q. 4. è contrario spiratio passiua, etsi formaliter vt sic non opponatur Paternitati & Filiationi; opponitur tamen illis virtualiter, & ratione originis, quia à Patre & Filio est origo Spiritus sancti, quasi fundans eiusmodi relationem. Accedit, quod in Concilio Lateranensi cap. *Damnamus*, definitur, non esse quaternitatem rerum in Deo. In quem sensum etiam Athanasius epist. ad Epictetum scripsit, *pudendã hæresin esse, quaternitatem vllo modo pro Trinitate inducere*. Denique sequeretur ea relatione spirationis actiuæ constitui distinctam personam, nempe spiratorem, quia relationibus constituuntur personæ, vt dicetur: at si constitutiuum est distinctum, etiam constitutum est distinctum. Quæ de causa etiam loc. cit. Gregorius de Valentia oppositam sententiam erroneam, aut errori proximam censet.

18 Obijcitur primò. Multiplicato inferiori, etiam multiplicatur superius: atqui relatio realis est quiddam inferius ad rem seu entitatem: Ergo illa quadrifariam multiplicata, etiam res toties multiplicabitur; ac proinde in Deo erunt quatuor res. Ob quam etiam causam Ockam & Gabriel in 1. d. 7. quæst. 1. existimant, non posse dici esse quatuor relationes in Deo. Sed falluntur contra communem S. Thomæ loc. cit. & Scoti in 1. d. 13. quæst. 1.

19 Respondeo igitur, hoc argumentum posse fieri in omni materia, vbi plura sunt distincta ex natura rei tantum, non realiter. Ad propositum verò negatur minor, vniuersim loquendo; quia res 1 propriè non est quiddam superius per modum vniuersalis seu prædicabilis, ad relationes illas, quas negauimus realiter distinctas, velut plura particularia, sed vnum quiddam reipsa commune & inclusum in ipsis. Eadem enim realitas seu entitas est tam relatio spirationis actiuæ, quam relatio Paternitatis & Filiationis. Aliter respondet Vasquez q. 28. a. 4. n. 15. variari scilicet appellationem, & propterea non multiplicari superius multiplicato inferiori; quod latius prosequitur disp. 121. num. 24. Sed prior responsio videtur planior.

20 Obijcitur secundo. Si spiratio actiua, quatenus relatio, est realis, & realiter distincta à processione, sequitur esse in Deo relationem aliquam realem per resultantiam, nimirum illam ipsam relationem spirationis actiuæ: Siquidè nulla causa est, cur directè & per se eiusmodi relatio realis in Deo existat, cum numerus & distinctio personarum iam aliunde per paternitatem, filiationem, atque superadditam originem spirationis actiuæ sufficienter constet: at vero consequens est absurdum; esse in Deo relationem realem per resultantiam; tum quia id, quod ad Esse rei alterius resultat, videtur habere esse imperfectum, nec per se subsistens, sed ab altero dependens: tum quia hac ratione sequeretur, Filium non habere spirationem actiuam communicatam à Patre, quod videtur repugnare Concilio Florentino in literis vnionis, in quibus dicitur, *Patrem communicare Filio omnia, quæ habet, præter Esse Patris*. Tum denique quia hac ratione sequeretur, Patrem & Filium aliquid accipere quodammodo à Spiritu sancto. Ergo spiratio actiua nec est realiter distincta à processione, nec omninò realis relatio in Deo.

Ad hoc argumentum respondet Albertinus cit. tom. 2. prædicamento Ad aliquid cap. 11. num. 7. negando sequelam. Ad probationem respondet, Patrem & Filium non satis distingui à Spiritu sancto per solam originem; cum origo tantum sit quodammodo via ad distinctionem, non formale & principale distinctiuum personarum, vt dicetur. Et quamuis hac ratione virtus & relatio spirandi sit prius origine in Patre, quam in Filio, quia Pater eam habet ex se, Filius autem per communicationem à Patre, non tamen ideo Spiritus sanctus prius procedit à Patre, quam à Filio; siquidem prius intelligendus est actus generandi Filium, & postea actus communis spirandi exercitus ab vtraque persona. Ita Albertinus loc. cit. verùm cum Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti; cumque Spiritus sanctus simul & semel eadem relatione referatur ad vtrumque, non videtur satis posse intelligi, relationem actiuæ spirationis, prius esse in Patre, quàm in Filio. 21

Respondeo igitur ad argumentum cum Henrico Gandauensi quodlib. 5. q. 9. & Suarez lib. 5. cap. 8. num. 7. concedendo sequelam, nimirum relationem spirationis actiuæ, secundùm rationem nostram quodammodo resultare, aut concipi resultantem ex origine tam actiua, quam passiua spirationis: idque plane consentaneum est S. Thomæ q. 40. a. 2. & 4. Tum ob dictas causas, maxime ne relatio illa prius sit in Patre, quam in Filio, si ea per se Filio à Patre communicaretur. Tum quia relatio spirationis actiuæ simul ratione est cum relatione spirationis passiuæ, quæ tamen secundum rationem nostram nullo modo est prius in Spiritu sancto, quam relatio spirationis actiuæ sit in Filio, vti patet. Ad primum Respondeo, imperfectiones illas sequi ex natura rerum creatarum, ob terminorum imperfectionem, ex quibus est resultatia. Ad 2. dico, etiam relationem actiuę spirationis communicari Filio, non quidem directa productione, seu comproductione, sed eo modo, qua potest cõmunicari, hoc ipso, quod communicatur illi ipsa natura & via spirandi, quam mediante actione spirandi sequitur, nostro intelligendi modo, relatio spirationis actiuæ. Ad tertium respondeo, proprie nihil accipere à Spiritu sancto, quia spiratio tam actiua, quam passiua, secundum rationem, prior est personâ Spiritus sancti in suo esse constituta, vt dicetur dub. 5. & 6. nec verò Spiritus sanctus habet quicquam, quod non acceperit à Patre & Filio. 22

Assertio VII. Comparando denique Relationes cum personis, certum est, eas etsi realiter differant, à personis, quibus relatiue opponuntur, tamen secundum rem idem prorsus esse cum personis, quibus attribuuntur, in quibus tamen iuxta nostrum concipiendi modum rectè nihilominus esse dicuntur, cum ad hoc sufficiat distinctio rationis cum virtuali in re. Ita S. Thomas q. 40. a. 1. 23

ex communi, contrà Præpositivum, qui cum negaret nomina abstracta propriè DEO conuenire, negauit proprietates seu relationes esse in personis; cum potius dicendum sit esse personas, non in personis.

24 Ratio assertionis est quoad primam partem. Quia ex dictis quæstion. 1. personæ realiter differunt à personis, non ratione essentiæ, aut perfectionis absolutæ, sed ratione relationum, quibus inter se opponuntur. Ergo necesse est, ipsas etiam relationes realiter differre à personis, quibus mediatè vel immediatè opponuntur, vt paternitatem à Filio; Filiationem à spiritu sancto &c.

Ratio secundæ partis est, quia sicut inter essentiam & relationem nulla est oppositio relatiua, ita nec inter personam & relationem eidem inexistentem; puta inter Patrem & paternitatem. Accedit, quod relatio idem est cum essentia, & essentia idem cum persona; ergo cum alioqui, vt dictum, nulla sit inter personam & relationem oppositio, consequens est, etiam personam & relationem eidem inexistentem à parte rei idem prorsus esse. Denique cum persona sit aliquid vnum constans essentia & relatione, si relatio à paternitate re differret, sequeretur personam esse aliquid compositum; quod est absurdum.

25 Ratio tertiæ partis est. Quia relatio ad personam comparata, habet se, iuxta nostrum concipiendi modum, quasi per modum formæ & proprietatis personalis ad suppositum: Ergo rectè dicitur esse in persona; à qua, ob dictam causam, vtique ratione differt, & virtualiter, cum forma seu differentia suppositalis seu personalis in rebus creatis, vtique à parte rei differat à persona.

26 Assertio VIII. De relationibus non possunt absolutè & sine addito prædicari participia & verba notionalia; V. G. *paternitas generans*, aut *paternitas est generans*; etsi prædicentur de personis. Ita S. Thomas cit. quæst. 40. a. 2. ad 3. ex communi. Ratio est. Quia tametsi personæ & relationes ijsdem inexistentes secundum rem idem sint, differunt tamen secundum modum significandi: personæ enim sunt, & significantur vt suppositæ, proprietates autem, non vt suppositæ, seu vt formæ suppositorum: Ergo participia & verba notionalia non possunt absolutè & sine addito de relationibus prædicari: Consequentia probatur. Quia participia & verba notionalia significant actus notionales, actus autem suppositorum sunt, & de his prædicantur, non de formis, quæ vt sic actiuæ non sunt; esto idem sint cum suppositis: quia in his propositionibus, in quibus agere seu actio in actu exercito absolutè prædicatur, ad veritatem non sufficit verificatio in sensu identico, sed requiritur, vt veræ sint in sensu formali, vt dictum q. 1. dub. 7. & dicetur rursum dub. 5. Dixi absolutè non posse prædicari; quia cum addito benè dici potest. *paternitas est sese generans*, vt in simili de Essentia dictum cit. q. 1. dub. 7.

DVBIVM III.

Vtrum relationes personarum in Deo, sint de essentia, ratione & conceptu diuinitatis, deq; ea in abstracto formaliter prædicentur; & an vicissim Essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum.

Ad S. Thom. 1. p. q. 28. a. 2.

TAmetsi ex dictis constet, relationes esse ratione distinctas ab essentia, dubium tamen restat, vtrùm non in ratione & conceptu adæquato essentiæ ineludantur, vel contra; seu vicissim alterum ad rationem alterius quouis modo pertineat; & etiam inter ratione distincta vnum possit esse de ratione & conceptu alterius, sicut definitio de ratione definiti, superius de ratione inferioris, pars de ratione totius, &c. 1

Et quod ad priorem partem quæstionis attinet, est triplex Doctorum sententia. Prima vniuersim affirmat, attributa etiam relatiua, adeoque relationes esse de quidditate, essentia, ratione & conceptu ipsius diuinitatis. Ita Thomistæ quidem recentiores apud Suarez li. 4. c. 5. & tribuitur Caietano hic q. 28. artic. 2. & quæst. 39. a. 1. & videtur consentire Gregorius de Valentia quæstion. 13. punct. 1. Citatur etiam S. Thomas hic q. 28. a. 2. ad 3. cum ait, *in perfectione diuini Esse omnia includi.* 2

Secunda sententia est, relationes seu attributa relatiua esse de ratione seu conceptu Essentiæ: quatenus si in propositionibus seruetur sensus formalis, de essentia in abstracto formaliter non prædicari. Ita vniuersim de attributis diuinis sentiunt Arriminensis & Capreolus in 1. d. 8. Vasquez disp. 119. cap. 2. & alij citati disp. 2. q. 2. dub. 5. particulatim autem de attributis relatiuis, quicquid sit de absolutis, id docent Henricus Gandauensis quodl. 5. q. 6. Ægidius in 1. d. 34. a. 2. Argentina ibidem, Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 12. vbi ait: *Paternitas non est de conceptu diuinitatis, etiamsi præcise in sensu quæ patur.* Idem docent Torres quæst. 28. artic. 2. & Molina eodem artic. 2. disp. 4. & disp. 6. cont. 3. & 4. & Suarez hic lib. 4. cap. 5. qui tres tamen de attributis absolutis opposuit doctrinas, vt suo loco dictum. Idem planè docet S. Thomas quæst. 33. art. 3. ad 1. vbi ait: *in Deo comprehendi omnia intellecta in intellectu proprietatum*, (nimirum personarum;) *at non conuerso: sicut Deus est de conceptu Patris, sed non contra.* Et q. 8. de potentia a. 2. dicit istam propositionem, *Essentia est Paternitas, non esse per se.* Et 3. part. q. 3. a. 4. dicit, *nostrum intellectum intelligere posse bonitatem*, & alia attributa essentialia, non intellecta paternitate, & Filiatione. 2

Tertia sententia est Albertini tom. 1. princip. 7. coroll. 1. dub. 2. qui distinguendo ait, Relationes siue diuisiue (distributiue intelligis) siue collectiuè sumptæ, non esse de essentia Dei; nec communicata essentia cogamur admittere etiam

communicari relationes; disiunctim verò esse de essentia, ne ea vt sic carere dicatur vltimo quasi complemento substantiæ, quæ est personalitas.

Eadem ferè sententiarum varietas est circa alteram partem quæstionis, An essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum. Primo enim Molina hic q. 28. a. 2. disp. 6. & Vasquez disp. 121. cap. 2, & 4. fusè tuentur, non solum conceptum relationis non pertinere ad conceptum essentiæ, sed etiam conceptum essentiæ non includi in conceptu relationis.

4 Secundo Torres & Zumel, hic q. 28. art. 2. & Suarez lib. 4. cap. 7. etsi negent relationes vt sic esse de conceptu, ratione, & essentia diuinitatis, dicunt tamen essentiam diuinam esse de conceptu formali omnium relationum diuinarum.

Tertio denique Bannes hic q. 28. art. 2. vtrumque asserit, & relationes esse de essentia & conceptu diuinitatis, & hanc vicissim de quidditate & conceptu relationum. Nos insistendo ijs, quæ docuimus cit. disp. 2. q. 2. dub. 5. & 6. sentimus, formaliter & iuxta nostrum concipiendi modũ, nec relationem esse de conceptu & ratione essentiæ, nec essentiam esse de conceptu relationis: quod sequentibus assertionibus declaramus.

5 Assertio I. Attributa omnia etiam relatiua, prout à parte rei in Deo existunt, sunt de essentia, quidditate & ratione ipsius DEI ac diuinitatis. Hæc videtur mens auctorum primæ sententiæ superius relatæ. Probatur I. Quia in Esse diuino nullum prorsus est accidens, nec prædicamentale, nec prædicabile; saltem loquendo de ijs attributis diuinis quæ Deo ipsi simpliciter & absolute necessario competunt, vt sunt etiam relationes personarum, ex dictis. II. Quidditas essentiæ diuinæ intrinsecè adeoque essentialiter includit omnes perfectiones, tum simpliciter simplices, tum possibiles in tali ente: cum reipsa sit ens perfectissimum, in seipso intrinsecè includens omnes perfectiones modo possibili & optimo. III. Quia alias fatendum esset, à parte rei vnius rationem obiectiuam & quidditatem, non esse rationem & quidditatem alterius; quo fieret, vt plures essent quidditates seu realitates à parte rei in Deo, etiam non oppositæ: hoc verò est absurdum: sic enim ex consequenti admittenda esset compositio inter essentiam & attributa: conueniret enim ad vnũ aliquid cõstituendum etiam vt distinctæ quidditates à parte rei, & ante operationem intellectus. IV. Si relationes non essent à parte rei, vt in Deo sunt de essentia Dei, tum à parte rei essent modi quidam substantiales, ipsam essentiam vltimate complentes & determinantes; sed impossibile est, vt essentia Dei vllis modis substantialibus vere ac in reipsa perficiatur seu determinetur. Ergo, &c.

6 Obijcitur. Communicata essentia totum communicatur, quicquid est de quidditate ipsius: Ergo cum Pater Filio communicet totam suam essentiam, etiam communicabit Paternitatem, quæ est de essentia ipsius: consequens verò est absurdum: Ergo, &c.

Ad hoc argumentum, quod ab omnibus, saltem propter identitatem realem relationum cum essentia, necessario soluendum est, Respondeo antecedens esse verum, si ea inter se non distinguantur virtualiter, modo explicato dub. præced. Quia vero hæc saltem virtualiter distincta sunt, non est necesse, vno communicato, etiam alterum formaliter communicari. Plura q. 1. dub. 42.

Assertio II. Iuxta nostrum tamen imperfectum concipiendi modum, relationes personarum sunt 7
extra essentiam, seu potius extra cõceptum essentiæ diuinæ, adeoque ita de se mutuo formaliter non prædicantur. Ita docent auctores secundæ sententiæ supra relatæ. Probatur primo ex SS. Patribus & Concilijs. Ita enim docet Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. vbi ait, relationes non prædicari de Deo *secundum substantiam, neque etiam secundum accidens; sed vt ad aliquid.* Et lib. 7. cap. 2. & 4. dicit, *aliud esse in Patre, esse Patrem, vel esse Deum, seu esse simpliciter.* Idem habet Anselmus lib. de Spiritu sancto. Et Boëtius lib. de Trinit. disertè asserit & probat, Trinitatem *non dici substantialiter* (id est, essentialiter) *de Deo.* Idem indicant SS. Patres, quando communia vocant essentialia, propria verò personalia. Fauent etiam Concilium Lateranense cap. *Firmiter* & cap. *Damnamus*, de summa Trinitat. & fid. Cathol. & Concilium Florentinum decreto vnionis, & alia, dum asserunt, *Patrem communicâsse Filio totam essentiam, non vero relationem.* Distinguunt ergo SS. Patres & Concilia secundũ rationem nostram, essentiam & essentialia à relationibus, non solùm tanquam totum à parte, sed etiam adæquatè inter se.

Secundo probatur ratione. Tum quia singula ista habent in nobis conceptus formales adæ- 8
quatè distinctos, quorum vnus scilicet non includit alium. Concipimus enim essentiam veluti formam completam, perfectissimam, omni alia natura superiorem; relationes verò, seu proprietates personales, quasi modos quosdam substantiales ipsius essentiæ, non quod tales à parte rei sint, vere scilicet perficientes naturam; sed quod instar talium seu proprietatum, seu modorum concipiantur, omni imperfectione secluſa. Tum quia alias aut formaliter communicari oporteret ipsas relationes omnibus personis; aut certe nulla persona per se spectata, iuxta nostrum concipiendi modum, esset simpliciter Deus; vtpote secundum se carens formaliter aliqua perfectione, quæ est de ratione intrinseca & conceptu Dei, etiam iuxta nostrum concipiendi modum.

Assertio III. Eodem modo, & cum eadem dis- 9
tinctione, respondendum est ad alteram partem quæstionis: nimirum à parte quidem rei essentiam diuinam intrinsecè & quidditatiuè includi in relationibus; at verò secundum nostrum imperfectum concipiendi modum non item: ac proinde absolute loquendo, essentiam diuinam non esse de ratione formali, & conceptu relationum. Probatur & declaratur ex dictis. Nam cum à parte rei nulla prorsus sit inter hæc distinctio; sed omnis eorum distinctio fiat solum per varios conceptus imperfecte diuinum esse apprehendentes; ipse verò Deus multo minime sub eiusmodi conceptuum varietate, vt est in se, propria notitia concipiatur, nec vel ipse, vel etiam beati ita DEVM

cogno-

cognoscant, distinguentes varijs eiusmodi conceptibus relationes ab essentia, vel essentias à relationibus, ex dictis dubio præcedenti; sequitur à parte rei vnam tantum simplicissimam entitatem ac quidditatem esse, in qua nihil sit, quod sit extra illã, seu rationem obiectiuam illius. Nostro vero imperfecto concipiendi modo, cum alia sit ratio, aliusq; concept⁹ essentię, alius relationum, idea iuxta nostrum concipiendi modum, nec relationes in essentia, nec essentia in relationibus seu conceptu eorundé formaliter includuntur; ac proinde nec formaliter de se inuicé prædicantur.

10 Et confirmatur. Quia alias consequens videretur, Verbum diuinum per essentiam suam terminare naturam humanam, non minus quam per relationem, seu proprietatem personalem. Quarum enim rerum eadem est ratio formalis, earum etiam proprietates & operationes, seu prædicata sunt eadem: seu quod idem est, quod formaliter includit rationem prædicati alicuius, de eo etiam formaliter prædicari potest talis attributi operatio seu functio. Quod etiam hoc syllogismo magis patescit: Verbum diuinum terminat naturam humanam: Verbum formaliter est essentia: Ergo essentia terminat. In quo Syllogismo expositorio conclusio est falsa, & tamen præmissæ in contraria sententia conceduntur. Neque hic valet responsio, terminum *Essentiam*, etiamsi sit singularis, æquiualere tamen pluribus re distinctis; ac reipsa pluribus communicari: quia hoc tantùm obstat, quo minus essentia diuina in eiusmodi Syllogismo expositorio possit esse medius terminus, non autem, quo minus possit esse maius, vel minus extremum, vt in proposito accidit.

11 Atque hæc procedunt de relationibus in abstracto, comparatis cum essentia: at vero si loquamur de relationibus in concreto, hoc est, de ipsismet personis diuinis, tum procul dubio in suo conceptu intrinsecè includunt essentiam, vt suppositum quodlibet, naturam; quod omnes non minus fatentur, quam quod relationes personarum saltem oppositæ, & quæ personas constituunt, vt dicemus, cum inter se realiter distinguantur, non sint de conceptu suiipsarum mutuo inter se.

Obijcitur contra secundam & tertiam assertionem. Si essentia diuina formaliter non includit relationes, nec relationes formaliter includunt essentiam, vt dictum, sequitur, nec essentiam, nec relationes personarum in Deo esse simpliciter infinitas, saltem iuxta nostrum concipiendi modum: hoc autem videtur absurdum, &c.

12 Respondeo, veram esse sequelam, si loquamur de infinito in omni genere entis; falsam, si loquamur de infinito in suo genere, puta essentiæ, seu relationum, siue proprietatum personalium: sicut enim ratione nostra relationes ab essentia distinguimus; ita necesse non est, vt vel relationes sint infinitæ etiam in genere essentiæ, aut vt essentia sit infinita etiam in genere relationum; satis est quaslibet esse infinitas in suo genere, vt in simili etiam respondet Suarez lib. 3. cap. 10. num. 8. Plures huius generis obiectiones dissoluimus cit. disp. 2. q. 2. dub. 5. & 6.

DVBIVM IV.

Vtrum Relationes personarum in DEO *formaliter sint perfectiones, & quidem simpliciter simplices; & quomodo ratione earundem multiplicentur in diuinis tum transcendentia cætera, tum Existentia.*

Ad S. Thomam 1. p. q. 28. a. 2.

NOn est quæstio, an Relationes personarum in Deo, prout idem sunt cum essentia, sint perfectiones; constat enim inter omnes, eas hac ratione spectatas, esse perfectiones, seu poti⁹ ipsammet perfectionẽ essentiæ diuinæ: sed quæstio est, & celebris inter Scholasticos controuersia, de relationibus formaliter sumptis, quatenus ratione nostra distinguuntur ab essentia, non quidem hoc sensu proprie & principaliter, vt quæratur, an relationes diuinæ, præcisè vt relationes sunt, *abstrahendo quod sint tales relationes*, sint perfectiones, vt Bannes, & alij nonnulli Thomistæ recentiores existimasse videntur; hoc enim sensu quæstio merè Philosophica redderetur: sed quæritur, an illæ formaliter, vt sunt etiam *tales relationes*, nempe in Deo, seu diuinæ, ab ipsa tamen essentia Dei ratione distinctæ, sint perfectiones. Ratio autem difficultatis est: quia si non sunt perfectiones, quomodo sunt veræ relationes reales; cum vnaquæque res, vt sic dicat perfectionem: si autem sunt; ergo vna perfectio est in vna persona diuina, quæ non est in alia: ac proinde singulæ non sunt infinitæ. 1

De qua re prima sententia est, relationes in Deo formaliter vt sic, nec perfectionem, nec imperfectionem dicere; ac proinde nec dari plures perfectiones personales in Deo, quæ & inter se realiter, & ab essentiali perfectione ratione distinguantur. Ita docent Scotus in 3. d. 1. quæst. 1. & 4. & quodlib. 5. a. 1. & 2. Durandus in 3. d. 1. q. 3. Richardus in 1. d. 24. art. 1. q. 3. Capreolus d. 7. q. 1. a. 2. Caietanus hic q. 28. art. 2. tametsi idem in 3. part. q. 3. a. 1. de relationibus quatenus formaliter personalitates, & subsistentes sunt, oppositum doceat. Eandem sententiam sequuntur communiter Thomistæ recentiores, & Molina quæst. 42. a. 6. disp. 2. Fundamentum huius sententiæ potissimum sumitur ex ratione dubitandi allata. 2

Secunda sententia est, esse quidem vnamquamque relationem formaliter perfectionem, etiam simpliciter simplicem, sed non distinctam à perfectione ipsius essentiæ diuinæ; ac proinde nec esse plures perfectiones, sed eandem; quæ in Patre sit Paternitas, in Filio filiatio. Ita Maior in 1. dist. 33. ad 2. & Torres 1. part. quæst. 28. art. 2. disp. 3. part 2. Verum recte Suarez lib. 3. cap. 9. notat, hanc sententiam vel sibi non constare, vel à priori non differre. 3

Digitized by Google

Tertia sententia est, ipsas relationes addere perfectioni essentiali Diuinitatis perfectionem simpliciter simplicem ratione distinctam; attamen non esse tres perfectiones reales in Deo, etiã addendo *relatiuas*; nec aliquam perfectionem realem esse in vna persona, quæ non sit in alia; eo quod perfectio hæc realis sit ipsa quasi integritas DEI, quæ vna est, & ex omnibus simul tribus relationibus consurgit. Ita Vasquez disputat. 122. capit. 6. Quæ sententia quantas patiatur difficultates, sigillatim & prolixè ostendit Suarez cap. 9. à num. 5.

4 Quarta sententia asserit, relationes diuinas formaliter dicere perfectiones in DEO, tam ratione distinctas à perfectione essentiæ diuinæ, quam realiter inter se, si quidem singulæ cum sibi oppositis conferantur; ac proinde etiam bonitatem absolutam transcendentalem esse vnam in Trinitate; relatiuam verò vnicuique personæ propriam. Ita Gabriel in prim. d. 7. quæst. 3. artic. 3. Heruæus in 1. d. 2. quæst. 4. artic. 1. Clitouæus notis in Damascenum lib. 1. capit. 11. Gregorius de Valentia quæst. 2. pun. 1. Suarez lib. 3. capit. 9. à num. 15. & videtur sequi Zumel hic art. 2. disp. 5. Differunt tamen hi authores nonnihil inter se; quia aliqui sentire videntur, eas perfectiones esse simpliciter simplices; alij non item; vt dicetur.

5 Assertio I. Relationes personarum in DEO omnes & singulæ formaliter sunt perfectiones ratione distinctæ ab essentia. Hæc assertio est auctorum quartæ sententiæ, contra omnes tres sententias priores: prima enim absolutè negat, formaliter esse perfectiones; secunda negat, esse distinctas à perfectione essentiæ; tertia negat, singulas per se esse perfectiones reales, & inter se distinctas; siquidem omnes vnam duntaxat perfectionem constituere ait.

Probatur primò. Quia omnis relatio realis, etiam creata, qua formaliter talis, est perfectio realis, non tantum secundum *Esse in*, hoc est, sub communi ratione accidentis; sed etiam sub *Esse ad*, hoc est, sub sua ratione propria, qua constituitur tale accidens: quia entis realis differentia quasi constituens, non potest non esse realis; vt etiam superius dictum dub. 1. quicquid in contrarium supponant Thomistæ recentiores citati. Secundo. Relationes in Deo, licet formaliter abstrahant & præscindant ab essentia, non tamen ab omni entitate diuina, cum formaliter sint relationes reales, & proprietates personales, & concipiantur à nobis velut modi substantiales ipsius essentiæ: omnis autem entitas diuina formaliter est vtiq; aliqua perfectio diuina. Tertio negari sine absurdo non potest, Patrem vt Patrem esse bonũ, itemq; Filiũ; alioqui nec vt sic se mutuo amarent, nec à nobis essent amabiles; quod plus quam absurdum est. Quæ argumenta cum procedant tam de omnibus, quam singulis relationibus, sequitur, omnes & singulas esse perfectiones reales.

6 Assertio II. Relationes hæ personarum sunt plures perfectiones reales relatiuæ, atq; si quæque cum opposita conferatur, re distinctæ. Est sententia eorundem contra eosdem; & sequitur ex præcedenti assertione. Quia cum sint relationes inter se re distinctæ, & vnaquæque earum per se dicat propriam perfectionem, necesse est, vt sint plures perfectiones re distinctæ; non absolutæ, vt patet; Ergo relatiuæ.

Nec verum est, quod quidam obijciunt, *Sanctos Patres nunquam ita fuisse locutos*. Nam Damascenus lib. prim. de fid. capit. 11. diserte ait; *Patrem & Filium distingui perfectionibus personalibus*. Alij non negarunt, sed potius ea principia constituerunt, ex quibus id necessario, & per euidentes consequencias deducitur. Notandum tamen, quoad modum loquendi, ex Suarez cit. cap. 9. num. 20. cum perfectio absolute dicta in Deo, soleat intelligi de perfectione absoluta, cautelæ & vitandi erroris periculi causa expedire, vt non dicantur absolute & simpliciter plures perfectiones in Deo realiter distinctæ, sed cum addito relatiuæ.

Assertio III. Hæ perfectiones singulæ formaliter acceptæ sunt quidem infinitæ, etiam iuxta nostrum intelligendi modum; non tamen nisi in suo quasi genere seu specie. Priorem partem omnes authores quartæ sententiæ communiter admittunt. Et ratio est. Quia nulla perfectio potest esse in DEO, nisi infinita, saltem in suo genere seu ratione; cum omnia, quæ sunt in DEO, vt pote Ente simpliciter infinito, sint etiam infinita singula in suo genere seu ordine. Secundam partem rectè tradit Suarez cap. 10. numero 8. etsi videatur aliter loqui Gregorius de Valentia loco cit. Probatur. Quia cum relatiuæ perfectiones ratione nostra distinguantur ab essentia, ceteris que attributis absolutis, nec ea ex dictis dub. præced. iuxta nostrum intelligendi modum formaliter includant, multo vero minus relatio vna includat alteram sibi oppositam, non possunt simpliciter in omni genere entis formaliter dici infinitæ; sunt ergo singulæ infinitæ in genere quasi relationis, seu potius talis relationis; puta Paternitatis, Filiationis. &c. Ad quod satis est, omnem perfectionem relationis, seu talis relationis, formaliter vel eminenter, seu æquiualenter continere, modo possibili optimo; vt quidem continent istæ, quarum singulæ etiam alias sibi oppositas quasi eminenter seu potius æquiualenter continent, ratione essentiæ, in qua omnes identificantur. 7

Assertio IV. Verius dicitur, has non esse perfectiones simpliciter simplices. Ita Suarez cit. lib. 3. cap. 10. num. 4. & 5. contra Gabrielem loco cit. saltem verbo tenus, & vt apparet contra Gregorium de Valentia loco cit. alioſque auctores nonnullos secundæ & tertiæ sententiæ citatos. Tota autem controuersia est de nomine, & de modo loquendi, pendens ex definitione & varia acceptione perfectionis simpliciter simplicis; quam, vt alibi dictum, Theologi ex Anselmo in monolog. cap. 5. communiter ita definiunt; perfectionem, *quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa*; id est, quam alia quælibet cum ipsa incompossibilis. Nam si vocula, *in quolibet*, 8

restrin-

restringatur ad naturam, vt sensus sit, quæ in qualibet natura melior est ipsa, quam non ipsa, vt quidem exponendam esse plurib⁹ contendit Vasquez disp. 122. cap. 4. tum facile ac verè poterit hæc definitio personalibus relationibus seu proprietatibus applicari. Si vero, vt iacet, amplè accipiatur, pro quouis ente, adeoque etiam pro supposito, non potest hęc definitio perfectionibus relatiuis diuinarum personarum applicari; quia nō possumus de singulis vere dicere; Est melior ipsa, quam non ipsa, seu opposita ipsi, in quouis ente; quia Paternitas non est melior in Patre, quàm opposita, seu cum ea incompossibilis, nempe Filiatio, vel contra. Et quia hic sensus verbis definitionis magis congruit, & aliundè etiam melius est, nullam perfectionem simpliciter simplicem personis singulis formaliter denegare, ideo magis probatur hic modus loquendi; cum præsertim restrictio illa, vt vocula illa, *in quolibet ente*, de quauis duntaxat natura accipiatur, nullum habeat fundamentum.

9 Assertio V. Tam bonitas proinde transcendentalis, quàm reliqua transcendentia, vt Res, Ens, vnum, verum, tam in concreto, quam in abstracto, pluraliter dici possunt in diuinis, addito termino respectiua, seu relatiua. Ita Torres quæst. 39. art. 3. & Suarez lib. 3. cap. 6. 7. 8. 10. ex communi recentiorum; conformiter Sancto Thomæ 1. p. quæst. 39. articulo 3. ad 3. Vbi docet, nomen *Res* dici pluraliter de tribus personis, quia transcendens est; quicquid de quibusdam eiusmodi nominibus veteres quidam scrupulosius sint locuti, faciendo discrimen inter *Rem* & *Ens*, vt fecit etiam S. Thomas in 1. d. 25. a. 4. Ratio sumitur ex dictis, cum enim Relationes singulæ formaliter sint perfectiones quædam reales & inter se distinctæ, necesse est, vt sint plures realitates, adeoque etiam entitates (cum hæc plane sint synonyma, & inter se conuertantur) adeoque etiam bonitates, veritates, vnitates, addendo tamen, ad erroris periculum cauendum, relatiuæ. Et quia transcendentia de rebus omnibus tam concretè, quam abstracte prædicari possunt, æque etiam fatēdum est, esse plura entia, plures res, plura vna, vera, bona, relatiua.

10 Assertio VI. Sed & probabilius videtur, esse quoque in diuinis personis plures existentias personales seu relatiuas; adeoq; relationes ipsas personarum formaliter ac immediatè non existere, per existentiam absolutam essentiæ siue naturæ diuinæ, sed per proprias existentias relatiuas, ratione distinctas ab Esse seu existentia essentiæ. Ita docent Barthol. Medina 3. part. q. 17. a. 2. dub. 3. Zumel 1. part. q. 28. Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 8. Suarez hic lib. 3. cap. 5. & in 3. part. disp. 11. sect. 2. & indicant Alensis 1. part. q. 44. Richardus in 3. dist. 1. art. 1. q. 2. & Scotus in 1. dist. 11. quæst. 2. vbi dicit, non solum quidditatem seu rationem formalem relationis distingui ab essentia, sed etiā esse relationis similiter distingui à diuina essentia: tametsi Albertinus tom. 2. prædicamen. Ad aliquid coroll. seu quæstion. 9. cum alijs nonnullis contrarium sentiat, ratus, relationes diuinas existere vnica tandem & eadem existentia absoluta, qua existit essentia; quod etiam indicat Sanctus Thomas 1. part. quæst. 30. artic. 2. & 3. part. quæst. 3. art. 2. & quæst. 17. art. 2. ad 3. & quæst. 2. de potentia art. 6. & quæst. 8. a. 2. & quæst. 9. art. 8. & præsertim 1. part. q. 29. art. 2. vbi dicit, *essentiam & relationem habere idem Esse*. Idem indicant Capreolus apud Suarez hic loc. citat. & Caietanus 3. part q. 17. art. 2.

Probatur tamen assertio primo ex SS. Patribus. 11
Augustinus lib. 5. de Trinitat. capit. 6. & lib. 7. capit. 4. ait, *Aliud est, esse* DEVM, *aliud esse Patrem*; nempe secundum distinctionem rationis, vt explicat S. Thomas 1. part. q. 28. articulo 2. Eundem loquendi modum imitantur Anselmus lib. de Process. Spiritus sancti in principio, & Magister in 1. distinct. 28. §. *præterea*. Idem satis aperte tradit Richardus de Sancto Victore lib. 4. de Trinitat. cap. 12. & sequentibus, præcipuè cap. 17. & 16. vbi ait: *Sciendum est, existentiam designare substantiale esse; sed aliquando, quod sit ex communi, aliquando quod sit ex incommunicabili proprietate.* Nec oppositū sentiunt alij Patres; licet enim diserte non constituant in Deo plures eiusmodi existentias relatiuas (sicut nec tria vna, vera, bona, seu entia diserte ac totidem verbis in DEO asserunt;) sed potius vnum Esse absolutum diuinæ essentiæ; vnumque Ens per essentiam asserant; non tamen negant tres existentias relatiuas: sicut nec tria vna, vera, bona, Entia relatiua, vt superius dictum.

Secundo probatur ratione. I. Quia etiam 12
in creaturis Relationes (quæ minus & imperfectius esse habent, quam diuinæ) habent suam propriam existentiam, distinctam ab existentia termini & fundamenti; vt communiter omnes fatentur. II. Quia essentia & relatio diuina concipiuntur à nobis, vt ratione distinctæ, & simul tamen vtrumque extremum concipitur, vt actuale ens, & non vt potentiale tantum: Ergo extrema illa habent distinctas existentias secundum rationem nostram. III. Essentia eiusque existentia non includitur in ratione & conceptu formali ipsius relationis, ex dictis dub. præced. Ergo relatio necessario habet existentiam ratione distinctam ab existentia essentiæ: siquidem de ratione relationis diuinæ est existentia, eamque ipsa intrinsece includit. IV. Paternitas, prout ratione distinguitur ab Essentia, est veluti quædam forma Patris: Ergo dat illi aliquod esse, quod non est Esse essentiæ, nec potentiale; ergo actuale & existentiæ. V. Cum filius quidem à Patre accipiat & esse DEI, & Esse Filij, tamen Esse DEI non producitur à Patre, sed supponitur in Patre, vt omnes fatentur; Esse autem Filij non supponitur in Patre, sed producitur à Patre, quod nemo potest negare: Est ergo esse Dei ab Esse proprio filij ratione distinctum. VI. Existentia nihil aliud est, quā entitas actualis; seu entitatis actualitas: sed tres relationes & proprietates personales sunt tres entitates actuales inter se realiter distinctæ, & ratione ab essentia: Ergo sunt tres existentiæ relatiuæ: quandoquidem nomina substantiua absoluta, non multiplicantur, nisi multiplicetur forma ex dictis quæst. 1. dub. 7.

Nec

13 Nec obstat, quod relationes sunt duntaxat modi quidam ipsius essentiæ: nihilominus enim sunt etiam perfectissimæ entitates; & non solum res absolutæ, sed etiam modi rerum, habent existentiam propriam sibi accommodatam, ita vt quanta est distinctio inter rem, & modum, tanta sit etiam inter existentiam rei, & existentiam modi, vt bene Suarez loc. citat. & fatetur Albertinus loco cit. tametsi nonnulli contrarium supponant.

14 Nec magis obstat, quod existentia essentiæ est infinita; quia existentia hæc non est magis infinita, quam ipsa essentia, cuius tamen infinitas non obstat, quo minus relatio habeat suam propriam rationem formalem, ac veluti quidditatiuam rationem distinctam ab essentia, vt superius dictum.

Neque Sanctus Thomas locis citatis in contrarium, oppositum videtur sentire, solum enim loquitur de Esse absoluto, quod simpliciter & absolute tale dici solet, non de esse respectiuo, quod prout ab absoluto distinguitur, non nisi cum addito relatiuum, vt si simili antea dictum, dici debet, ad erroris periculum cauendum.

15 Et quamuis assertio potissimũ procedat de relationibus, quę propriè personales dicuntur, quęque etiã inter se realiter distinguuntur, nihilominus tamen etiam de relatione communi spirationis actiuæ recte intelligitur, seruata tamen proportione, vt existentiam propriam habere dicatur, ratione quidem distinctam ab existentia essentiæ, non tamen realiter distinctam ab existentijs aliarum duarum relationum, à quibus in re nullo modo distinguitur, nimirum Paternitatis & Filiationis.

Assertio VII. Essentiæ autem, vel quidditates tres, etiam cum addito, relatiuæ, in Deo non sunt asserendæ. Hæc est communis sententia; nemo enim, quod equidem sciam, ita loquitur, aut loquendum esse concedit; imò & Scholastici, & SS. Patres perpetuo *vnam* tantum in Deo *essentiam* affirmant, plures negant: est autem quidditas idem, quod essentia. Ratio est. Quia hæc nomina, proprie loquendo, propria videntur naturæ; & absolutæ in Deo, non relatiuæ perfectionis; & omni nouitate in materia tam ardua, & periculosa abstinendum est. Quanquam Scotus in 1. distinct. 11. quæstion. 2. sub finem dum quidditatem diuinæ relationis appellat, non ægrè fortassis plures eiusmodi quidditates relatiuas admitteret: sed vt dixi, nouitas fugienda.

16 Atque ex dictis facilè soluitur ratio difficultatis initio proposita, ob quam Authores nonnulli, vt dictum, in oppositam sententiam inducti sunt, quod relationes formaliter non sint perfectiones. Cum enim dicitur: Alioquin consequens fore, vt perfectio aliqua, etiam infinita, sit in vna persona, quæ non sit in alia: Respondetur cum distinctione. Nam si sermo sit de perfectione infinita simpliciter simplici, negatur ex dictis: si de alia, rursum distinguitur: Nam si sensus sit, quæ nullo modo, nec eminenter quidem seu æquiualenter sit in alia, negatur; quæ non sit formaliter vt sic in alia persona, qua talis persona est, conceditur: hoc vero non est absurdum; sed ad Trinitatis mysterium necessario consequens; ac simul satis est, ad omnimodam infinitatem singularum personarum. Quia ad rationem entis infiniti simpliciter satis est, formaliter continere omnem perfectionem simpliciter simplicem, & eminenter seu æquiualenter omnem aliam: vt patet etiam exemplo Essentiæ diuinæ, imo & ipsius Dei secundum se. Neque etiam propterea vna persona non erit æquè perfecta ac duæ, vel tres; quia formalis perfectio non simpliciter simplex, addita vltra continentiam eminentialem, non reddit perfectius; sicut patet in humanitate adiuncta Verbo; vt rectè Suarez cit. lib. 3. cap. 10. num. 7. In quem sensum etiam ad hanc difficultatem respondimus supra quæst. 1. dub. 4.

Sed obijcitur secundo. Perfectiones diuersæ 17
quasi speciei non possunt esse æquales; non magis quam diuersæ rationis quantitates: Ergo si sunt tres perfectiones relatiuæ in Deo, necessario erunt inæquales; ac proinde personæ ipsæ non erunt æquales secundum perfectionem.

Respondeo primo, si proprie loquamur, relationes illas nec æquales esse, nec inæquales, vt cum Sancto Thoma dictum quæstion. 1. dub. 8. Quia tamen aliquando latius vocabulum æqualitatis sumitur, Respondeo secundo, cum Suarez ibidem num. 9. quicquid sit de rebus creatis, antecedens vniuersim sumptum, ac rebus etiam diuinis applicatum, falsum esse, nec posse probari. Ratio in præsenti est; quia tam perfectum terminum & fundamentum habet vna relatio, quam habet alia: sunt ergo in proprijs suis perfectionibus (etiamsi maxime abstrahamus ab essentia, in qua omnes identificantur) æquales. Neque vero in diuinis vbi natura eadem numero communicatur, perfectius est dare, quàm accipere: quicquid Clitouæus in Damascenum lib. 1. cap. 11. videatur concedere, Paternitatem, secundum propriam perfectionem relatiuam, dicere maiorem perfectionem, quam formaliter dicat Filiatio. Quo modo etiam intelligit Damascenum ibidem, & alios Patres græcos dicentes, *Patrem esse maiorem Filio*, non natura, sed dignitate personali; de qua tamen re partim actum est quæst. 1. dub. 8. partim agendum quæst. seq. dub. 1. Atque hæc responsio à nobis antea allata in omni sententia admitti debet. Siue enim relationes formaliter sint perfectiones, siue non; siue singulæ per se sint propriæ perfectiones, siue tantum conferant ad vnam integram & completam Dei perfectionem, nemo negare potest, esse diuersæ quasi speciei & rationis: neque tamen quisquam vel in se inæquales esse dixerit, aut inæqualiter conferre ad integram illam perfectionem Esse diuini. Accedit, quod neque in creatis rebus diuersitas specifica quantitatis semper infert inæqualitatem, vt patet in linea & superficie, quæ proprie nec æquales sunt, nec inæquales, vt pluribus dictum quæst. 1. dub. 8. Cætera ex dictis soluuntur.

Digitized by Google

DVBIVM V.

Quid, & quot in Deo sint notiones, origines, seu actus notionales, ac proprietates personarum, & quomodo hæc tum inter se mutuo, tum ad relationes se habeant.

S. Thom. 1. p. q. 32. 40. & 41.

1 SVppositis ijs, quæ hactenus de diuinis personis, earumque processione, ac relationibus diximus, non habet hæc res opus multa inquisitione, vel disputatione; sed propè sola terminorum explicatione, cum mutua eorundem comparatione; quæ duo notationibus & assertionibus sequentibus breuiter exequimur; neque enim hæc inter se facile disiungi possunt, cum ex sua ratione sint coniunctissima.

Quod igitur ad Notiones personarum diuinarum attinet, Notandum est primo, vocabulum *Notionis* in hac materia vsurpasse Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 6. sed, vt apparet, paulò alio sensu, quàm à Scholasticis postea fuit acceptum. Augustinus enim ipsum actum intelligendi, quo cognoscimus aliquid proprium de aliqua persona, *Notionem* videtur vocasse, dum ait: *Alia est notio, qua intelligitur Genitor; alia qua Ingenitus.* Scholastici vero Doctores, vt notauit Sanctus Thomas hic q. 32. art. 2. & 3. hoc nomine intelligunt rationem aliquam obiectiuam in abstracto significatam, qua cognoscitur, & quodammodo denotatur persona, siue ea sit omnino propria vnius personæ, siue duarum; modo non sit aliquid essentiale, adeoq; commune tribus personis, ita vt proinde *Notio* non sit aliud, quam nota quasi personæ. In quem sensum etiam Basilius epist. 43. de persona Iobi in scriptura descripta dixit: *Quis autem is fuerit, proprijs illis notionibus designat.* Et paulò superius de proprietate indiuidui generatim loquens ait: *Qua quidem peculiari notione res vna ab altera disparatur.* Quæ postea ipse etiam ad diuina applicat, vt dicemus. Et similia habet lib. 2. contra Eunomium, vbi etiam has notiones appellat *formas* proprias personarum, *notas, & characteres.* Et vero in eundem facile sensum accipi etiam potest Augustinus loc. cit. vt intellexerit scilicet non conceptum formalem, sed conceptum seu rationem obiectiuam, non qua, siue per quam formaliter, sed qua, siue secundum quam obiectiuè intelligitur Genitor, vel Ingenitus, &c.

2 Porrò ad rationem Notionis spectat primò, vt sit ratio aliqua per modum quasi formæ in facto esse significata, propria vnius, vel duarum personarum: Secundo, vt iuxta nostrum saltem concipiendi modum sit aliqua dignitas personæ, iuxta Sanctum Thomam quæst. 32. art. 3. ad 4. & communem.

3 Quod vero ad actus Notionales attinet. Notandum secundo, iuxta Sanctum Thomam quæstion. 41. articulo 1. à Notione *Notionale* vocari, quicquid est proprium alicuius personæ: quare actus notionalis est, quo significatur processio personæ, seu actiua, seu passiua; qui actus proinde etiam *origines* personarum dicuntur. Neque enim Doctores solent distinguere inter origines, & act⁹ notionales; sed habẽt hæc pro synonymis, vt videre est apud Suarez lib. 6. capit. 1. & Vasquez citat. quæstion. 41. articulo 1. conformiter S. Thomæ ibidem. Nam & actiua, & passiua productio concipitur, vt quidam actus medius inter vnam personam & aliam; altera vt producentis in productum; altera vt producti à producente. Neque vero negat Sanctus Thomas cit. quæst. 41. art. 1. productionem in Deo esse veram actionem, vt quidem hæc præcisè dicit viam & quasi tendentiam ad terminum, qui producitur, remota imperfectione motus; licet non ideo sit passio in Deo, nisi *grammaticalis*, vt ipse loquitur eodem articulo 1. ad 3. quia in ipso nulla est receptio. Actus ergo notionales seu origines dicuntur Generare, seu Generatio, vel quod idem est, Dicere & Dictio, item Natiuitas, seu Generatio passiua, denique Spiratio actiua & passiua.

Notandum tertio, quod ad proprietates personarum attinet, hoc nomine generatim intelligi rationem aliquam obiectiuam, vni personæ propriam; non autem eam, quæ duabus, aut pluribus est communis. Differt proprietas personæ, iuxta consuetum vsum loquendi Theologorum apud sanctum Thomam quæst. 32. a. 3. à relatione seu proprietate *personali* proprie accepta: Proprietas enim, seu vt loquitur S. Thomas, loco citato, *Notio personalis*, à Theologis dicitur, quæ non solum propria est vnius personæ, sed etiam personam aliquam constituit; proprietas autem personæ generatim est ratio quædam personæ vnius propria; siue illam interim propriè constituat, siue non, vt expresse docet sanctus Thomas loc. cit. His positis, de ratione & numero Notionum, originum, seu actuum notionalium, & proprietatum, eorumque inter se mutuo, atque etiam cum Essentia & personis diuinis comparatione sequentes assertiones statuimus. 4

Assertio I. Necessario in diuinis admittendæ sunt *Notiones*, seu notæ personarum, abstractis nominibus significatæ. Ita S. Thomas q. 32. a. 2. & est communis Doctorum, contra Præpositiuũ antiquum Scholasticum, qui vt refert S. Thomas ibidem dixit, abstracta in diuinis proprie locum non habere, sed cum Deo tribuuntur, poni & vsurpari pro concretis; *ad eum modum*, inquit S. Thomas, *quo consueuimus dicere, Rogo benignitatem tuam, id est, te benignum: ita cum dicitur in diuinis Paternitas, intelligi Deum Patrem.* Cui sententiæ fauet etiam Ariminensis in 1. d. 26. 5

Sed probatur assertio I. Quia alias hæreticorum importunitati non satis commode occurrere possemus, interrogantibus, quo seu per quidnam quæque persona distinguatur ab altera. Pater enim à Filio distinguitur non secundum totum esse Patris (hoc enim etiam includit 6

naturam

naturam, qua Pater à Filio non differt) sed paternitate, quæ est quædam notio, vt dicetur. II. Quia aliquando vni personæ, puta, Patri, duæ relationes diuersæ conueniunt, ad duas distinctas personas, ad Filium scilicet & Spiritum sanctum, qui ambo à Patre procedunt: eæ autem relationes vni personæ conuenientes non possunt satis inter se distingui, nisi abstractis nominibus significatæ, per modum notionum. Non enim possumus dicere in concreto, Alius est Pater, & alius est Spirator; sed alia relatio seu notio est Paternitas, alia Spiratio. Quod tamen interim in diuinis concretum & abstractum non nisi ratione ac virtualiter differant, generatim dictum suo loco disputat. 2. quæstion. 2. & recte contra Aureolum tuentur Capreolus in 1. distinct. 26. quæstion. 1. & Caietanus hic quæst. 32. a. 2. Gregorius de Valentia quæst. 6. punct. 2. Vasquez disp. 136.

7 Assertio II. Quinque tantum sunt notiones personarum diuinarum; nimirum Innascibilitas, seu esse Ingenitum (quibus verbis omnis processio passiua excluditur) Paternitas, Spiratio actiua, Filiatio, & Processio; quarum priores duæ, sunt Patris propriæ; tertia propria est Patris & Filij simul, quarta solius Filij; quinta Spiritus sancti. Ita Sanctus Thomas quæstione 32. articulo 3. & est communis ac certa Scholasticorum veterum ac recentiorum, contra Scotum in 1. distinct. 28. quæstion. 6. qui sextam notionem adstruere conatur, quam vocat *Inspirabilitatem*, propriam Filij.

8 Sed ratio communis numeri petitur, tum ex Sanctis Patribus, qui his duntaxat notis personas nobis designarunt, non alijs: tum ex ipsa ratione notionis superius exposita; quæ adæquatè & quasi ad amussim conuenit solis quinque enumeratis notionibus. Nam non spirare v. g. quod pro nota Spiritus sancti videretur posse constitui, nõ pertinet ad aliquam dignitatem personæ; cum dignius quodammodo sit spirare, quam non spirare, iuxta S. Thomam cit. quæst. 32. articulo 3. ad 4.

9 *Inspirabilitas* autem formaliter, & vt præcisè negatio est, dignitatem non significat in Filio, seu persona alioqui procedente; non magis, quàm non esse genitum, prout de Spiritu Sancto dicitur: non enim attinet ad alicuius personæ dignitatem, secundum nostrum concipiendi modum, non spirari determinatè, aut non generari; si qua persona alioqui quouis processionis modo ab alia persona procedat; cum vna processio non sit alia dignior, aut inferior. Quæ ratio, cur Inspirabilitas non sit notio, etiam à Torre quæst. 32. art. 3. traditur, & inter varias, quæ referuntur à Vasquez disp. 137. maximè placet. Accedit, quod Inspirabilitas in Filio, prout positiuum quiddam indicat, comprehenditur sub spiratione actiua: ideo enim filius non spiratur, quia spirat.

10 Diuersa est ratio *Ingeniti* seu *Innascibilitatis*; hæc enim notio quamuis formaliter etiam negatiua sit, non tamen vnum tantum aliquem processionis modum, nimirum per generationem (etsi hic solum verbo tenus exprimatur) sed omnem processionem negat in Patre, cui conuenit; ac propterea saltem iuxta nostrum concipiendi modum dignitas quædam est Patris; quæ proinde meritò pro peculiari nota seu notione assignatur: præterquam quod ratione positiui sub nulla alia nota, quæ vna sit, comprehenditur; licet quodammodo inuoluatur in duabus simul, videlicet Paternitate & spiratione actiua.

Originēs autem, vt generare, vel generari, 11
spirare, vel spirari, quia non significantur per modum formæ quasi in facto esse, inter notiones non numerantur; licet ad eas reduci possint. Et quanquam non sit de fide, aut eas quinque rationes, quas pro notionibus adduximus, recte dici *Notiones* (quanquam & hoc contra communem negare temerarium esset) aut non esse plures, quam quinque; tamen contra fidem esset, reipsa aliquam ex eiusmodi notionibus negare; dicendo v. g. Innascibilitatem seu ingenitum esse, vt loquuntur Patres, non conuenire Patri, aut conuenire etiam alijs personis in sensu supradicto, & sic de alijs, vt ex S. Thoma q. 32. a. 4. & comuni bene notauit Vasquez q. 32. a. 4.

Has vero notiones eruditè olim descripsisse 12
videtur Basilius cit. epist. 43. ad suum Fratrem Gregorium Nyssenum, cum ait: *Quoniam igitur Spiritus, à quo omnis velut ex fonte ad creaturas promanat bonorum suppeditatio, à Filio quidem dependet; quo cum vna sine vlla distantia concipitur mente: causæ verò Patris insertam habet essentiam, vnde & progreditur, hanc notionem ac cognoscibile signum eius, quæ secundum hypostasin est, proprietatis habet, quo cum Filio simul & ipse se facit internosci, & quo ex Patre subsistit.* Vbi processionem à Patre & Filio pro nota Spiritus sancti constituit; & pergit: *Filius verò qui ex Patre progredientem Spiritum per seipsum, & cum se ipso notum facit, solus vnigenitus ex ingenito lumine reluxit, nullamq; prorsus notionum cõmunicationẽ secundum proprietatem suam* (nempe vnigeniti) *tam cum Patre quam spiritu sancto habet; sed ex dictis iam signis solus agnoscitur.* En Filij notionem. Pergit: *Pater verò, qui super omnia DEVS est, peculiarem hypostaseos suæ rationem solus habet, quod Pater est* (En Paternitas vna Patris nota;) *& quod ex nulla omnino causa subsistit;* (En altera nota Patris Innascibilitas, seu penitus improductum esse:) *atque isto iterum indicio & ipse propriè ac separatim agnoscitur. Huius gratia in communicatione τῆς θεότητος, nullam dicimus habere conuenientiam, aut communionem notiones istas in Trinitate consideratas: quarum proprietas exprimitur, si vnaquæque earum personarum, quæ nobis in fide traduntur, propriis notionibus discriminatim apprehendatur, & agnoscatur: ita vt per dicta iam indicia separatio ac differentia personarum inueniatur.* Ita Basilius, qui mox absoluta illa & essentialia, adeoque communia attributa, infinitum esse, & incomprehensibilem, & increatum, & nullo loco circumscriptum, & quicquid huiusmodi est, à notionum censu excludit. Etsi vero aperte spirationem actiuam pro notione Patris & Filij non constituit, tacitè tamen hoc ipsum facit, quando processionem ab vtroque pro notione Spiritus sancti constituit, vt dictum.

Assertio III. Origines, seu actus notionales 13

personarũ sunt quatuor; nimirũ generatio actiua, generatio passiua, spiratio actiua, & spiratio passiua. Ita cõmunis apud S. Thomã q. 41. a. 1. & colligitur ex dictis notat. 2. Quia origines, seu act⁹ notionales sunt ipsæ productiones personarum, tam passiue, quam actiue acceptæ; at vero hæ simul sumptæ sunt quatuor: siquidem duæ sunt productiones actiuæ, & duæ productiones seu processiones passiuæ, ex dictis q. 2.

14 Dices, Actus notionales seu origines idem sunt cum processionibus: processiones autem tantum sunt duæ: Ergo. &c. Respondeo; si processionis nomen tam actiue, quam passiue accipiatur, vt nomen actus notionalis; tum æque etiam quatuor processiones distingui posse; duas scilicet actiuas, & duas quasi passiuas: sed quia potius passiue accipitur: vel certe quia sub qualibet processione coniunctim & actiua simul, & passiua, respectu eiusdem termini, accipitur, ideo numerari solum duas processiones; cum origines & actus notionales, etiam respectu eiusdem termini, tam actiue, quam passiue sumpti, seorsim & distincte numerentur.

15 Assertio IV. Actus notionalis, seu origo quasi materialiter quidem est ipse actus intelligendi & amandi; at vero formaliter superaddit relationem productionis; quæ relatio nihil aliud est, quam ipsa relatio personalis, puta Paternitas, Filiatio, Spiratio siue processio; non quidem velut in facto esse, sed iuxta nostrum concipiendi modum, quasi in fieri, seu viâ. Ita habet communis doctrina apud Vasquez q. 41. a. 1. & Suarez lib. 6. capit. 1. & colligitur ex dictis quæst. 2. dub. 3. & 4. Ratio est. Quia alioqui si actus notionales dicerent solum per se actum intelligendi vel amandi, tum communes essent omnes omnibus personis; quod est contra fidem; solam autem relationem dicere non possunt; tum quia relationes formaliter, ac per se non sunt actiuæ; tum quia personæ non procedunt per relationes, sed per actus intelligendi & amandi, vt ibidem diximus.

16 Assertio V. Proprietates *personarum* vniuersim sunt quatuor: nimirum Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio passiua siue processio: ex quibus tres solum sunt proprietates, seu relationes *personales*. Ita communis apud S. Thomam q. 32. a. 3. vbi tamen ipse non proprietates personales, sed relationes & notiones personales à proprietatibus personarum distinguit, vt dictum: sed auctores alij vtroq; modo loquuntur. Ratio sumitur ex notat. 2. & 3. quia proprietates personarum vniuersim dicuntur, quæ vnius personæ propriæ sunt; vti sunt quatuor relatæ: proprietas autem & relatio seu notio personalis dicitur, quę personam constituit; quales tantum sunt tres illæ, quas diximus. Innascibilitas enim licet alioqui propria sit Patris, tamen formaliter nec relatio est, nec personam constituit; cum formaliter vt sic sit negatio.

17 Assertio VI. Notiones, actus notionales, siue origines, & proprietates personarum, à parte rei, non magis, quam relationes distinguuntur ab essentia; vtpote à qua non nisi ratione differunt. Ita cum S. Thoma q. 28. a. 2. & q. 32. a. 2. & alibi passim cõmunis Doctorum contra Durandum in 1. d. 13. q. 2. qui putauit, relationes, adeoque origines, ac proprietates personales, ab essentia distingui realiter; & contra Scotum quodlib. 5. a. 2. qui putauit distingui ex natura rei: quę sententiæ eodem prorsus modo reijciendæ ac refutandæ sunt, quo supra q. 1. dub. 7. & hic dub. 2. contra eosdem, ac Gilbertum probauimus, nec personas ac relationes ab essentia; nec spirationem actiuam à Paternitate & Filiatione realiter, aut ex natura rei distingui, vt recte Vasquez disp. 138. c. 3. Ratio est. Quia notiones, origines, & proprietates personarum à parte rei, & vt quiddam positiuum in Deo significant, aliud esse non possunt, quam vel absolutæ quædam perfectiones, vel relatiuæ, seu quod idem est, quam essentia, aut relationes; cum in Deo à parte rei nihil sit præter essentiam, aut relationes: Ergo cum tam absolutæ perfectiones, quam relatiuæ, seu quod idem est, ipsæmet relationes, sint idem re prorsus cum essentia, ex dictis, impossibile est, vt notiones, origines, & proprietates personarum, à parte rei vllo modo ab essentia distinguantur.

Assertio VII. Sicut tamen relationes diuersę absolute de se inuicem non prędicantur, etiamsi à parte rei non differant, vt spiratio actiua respectu paternitatis & Filiationis; ita nec verba actionem significantia prædicantur de notionibus, aut proprietatibus personarum, dicendo V. G. Paternitas generat, vel creat, est sapiens vel intelligens. Ita Sanctus Thomas qnæstion. 32. articulo secundo ad 2. & articulo 3. ad 3. ex communi apud Caietanum & Torrem ibidem, & Vasquezium disput. 136. capit. 3. & disp. 138. capit. 3. 18

Ratio est. Quia quando actio prædicatur de aliquo subiecto, prædicatio intelligitur non sensu identico, sed formali; alias dicere possemus, voluntas diuina intelligit, aut intellectus vult: at vero sensu formali nulla actio prædicari potest de notionibus, aut proprietatibus personarum: quia actiones sunt suppositorum, nec de vllo abstracto prædicantur, nisi idipsum sit principium formale talis actionis; vt cum dicimus, intellectus intelligit, voluntas vult aut amat; &c. Ergo nunquam absolute prædicari possunt nomina actionum de notionibus aut proprietatibus personarum. Eadem est ratio relationum, quando ad se inuicem comparantur: quia etiam quando relatio de relatione prædicatur, sensus formalis efficitur, vt bene Caietanus citata quæstion. 32. art. 3. & Vasquez disp. 138. cap. 3. Non ergo dicere possumus, Spiratio actiua est Paternitas, aut Filiatio, vel contra; quamuis re idem sint iuxta S. Thomam cit. a. 3. ad 3. 19

Verè tamen & recte iuxta eundem q. 32. art. 2. ad 2. dicere possumus, Paternitas est DEVS; & *Paternitas* (ita legendum, vt habet textus apud Torrem, non *Deitas*, vt alij) est Pater. *Et similiter*, inquit Sanctus Thomas ibidem, *propter identitatem rei, possunt substantiua personalia & essentialia prædicari de notionibus.* Quod intellige de personalibus substantiuis, quamuis concretis 20

Digitized by Google

comparatis cum notionibus abstractis eiusdem appellationis vt ex adiecto exemplo liquet: Relationes enim, & notiones relatiuæ non possunt de alijs diuersis relationibus & notionibus prædicari, vt dictum. Et ratio prioris dicti est: quia ad veritatem absolutam illarum propositionum satis est, eas verificari in sensu identico. Sicuti etiam cum addito, *in sensu identico*, vnam notionem seu relationem prædicare possumus de alia, cui illa non opponitur, vt recte Torres cit. a. 2. coment. par. 4.

21 Assertio VIII. Comparando verò origines cum personis & relationibus, atque etiam inter se inuicem; sunt illæ planè adæquatè idem cum personis, quibus correspondent; nimirum origo actiua cum persona producente; origo passiua cũ persona producta, ac in specie generatio actiua cum Patre; generatio passiua cum Filio; Spiratio actiua cum Patre & Filio; Spiratio passiua siue processio cum Spiritu sancto, &c. qua ratione eædem origines identicè idem etiam sunt cum relationibus earundem personarum: sed & inter se æque conueniunt vel distinguuntur origines, ac de relationibus seu personis suo loco dictum. Ita expresse docent Magister in 1. d. 26. & S Thomas cum eodem hic quæst. 41. art. 1. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quod actus notionales secundum modum significandi tantum differunt à relationibus personarum, sed re sunt omninò idem. Vnde Magister dicit in 1. sentent. 26. distinct. quod generatio & natiuitas, alys nominibus dicuntur Paternitas & Filiatio.* Idem communiter sequuntur alij Theologi, speciatim Durandus d. 26. quæst. 2. & dist. 27. quæst. 1 Gabriel, & Capreolus d. 26. quæst. 1. Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 26. Caietanus, Torres, & Thomistæ q. 41. a. 1. Item Molina ibidem, Suarez lib. 6. cap. 1. Vasquez q. 41. a. 1.

22 Etsi contrarium sentiant Henricus quodlib. 6. quæst. 1. & in sum. artic. 54. quæst. 10. & Scotus in 1. d. 2. quæst. 1. & quodlib. 1. quæstio. 3. quos ex parte sequitur Albertinus tom. 2. Prædicamen. Ad aliquid. coroll. 12. dub. 3. vbi docet, actionem quidem absolutam, qua communicatur ipsum intelligere & essentia ipsi Filio, identificari adæquatè cum Patre, at vero actionem relatiuam, qua producitur Filiatio, adæquatè identificari cum persona producta; qua ratione putat etiam conciliari posse Doctores, sed fallitur; Sanctus Thomas enim alijque citati absolute loquuntur, nec agnoscunt duplicem eiusmodi actionem notionalem, vt suo loco dictum.

23 Ratio assertionis sumitur ex assertione 4. cum enim origo quælibet idem sit cum essentia & relatione eius personæ, cui attribuitur, seu ad quam pertinet, necessario efficitur, vt quælibet origo adæquatè idem sit cum sua persona; actiua cum producente, & passiua cum producta, non cum alia; origines autem actiuæ & passiuæ sibi inuicem oppositæ, non minus inter se realiter differant, quam personæ ac relationes. Accedit, quod Pater formaliter generat per actum intelligendi, & spirat per actum amandi; quibus scilicet ipse intelligit & amat: at verò non intelligit & amat per actus à se realiter distinctos: Ergo generat & spirat per actus, qui cum ipso Patre, non cum personis productis, identificantur. Addit Vasquez loc. cit. *eum qui diceret, originem esse quid absolutum secundum rem, graviter erraturum.* Et quamuis Suarez lib. 6. cap. 2. existimet, absque errore & temeritate ita origines posse explicari, vt actiua & passiua processio sint re idem, nec adeo differant à persona producta: recte tamen monet, quia sententia contraria communis est, vt dictum, ab ea non esse recedendum.

Obijcitur primo. In humanis actio identificatus cum passione & termino producto; nec aliud est, quam ipse terminus in fieri: Ergo etiã in diuinis. 24

Respondeo, quicquid sit de antecedẽte; quod tamen à nonnullis, atque ab ipso etiam Albertino negatur loco cit. Nego consequentiam. Quia diuersa est ratio in diuinis actionibus, quibus cum eadem numero essentia communicetur personæ producte, bene fieri potest, vt actio notionalis, qua ea essentia cõmunicatur, quaque adeo etiam producitur persona, sit eadem eum persona producẽte & cõmunicante essentiam. Quo fit, vt in diuinis actionibus immanentibus, præter communem rerum creatarum rationem, actio & passio non sint realiter idem, & in eodem quasi subiecto, vt rectè tradunt citati.

Obijcitur secundo. Origo actiua realiter procedit & emanat à producente; cum sit verus & realis influxus: Ergo debet esse distincta à persona procedente. 25

Respondeo, notionalem actionem esse quidem realem influxum in personam seu terminum producendum; at vero ipsam per se realiter non emanare & procedere à producente, sed solum iuxta nostrum modum concipiendi, quatenus ratione distincta concipitur ab ipsa persona: quo modo etiam de sua illa actione notionali absoluta respondet Albertinus loc. cit.

Illud postremum annoto, *adæquate identificari* cum altero hoc loco dici, non solum quod totam alterius entitatem continet, sed etiam quod identificatur cum illa re, & cum omnibus, quæ sunt idem cum illa, & distinguitur ab omnibus, à quibus illa distinguitur: quo modo Pater aut paternitas non identificatur adæquatè cum essentia, sed inter se, & cum generatione actiua, vt dictum.

Assertio IX. Etsi notiones, actusque notionales, cum relationibus, ac proprietatibus personalibus aliquo modo conueniant; tamen & inter se mutuo, ac ab ijsdem etiam varie differunt. Ita S. Thomas locis citatis præsertim q. 32. a. 2. & 3. alijque citati ex communi. Probatur & declaratur. Conueniunt enim hæc omnia inter se primo, quod si seruata proportione, & paria cum paribus conferantur, nimirum accipiendo & conferendo simul hæc omnia, notiones, actusque notionales, & relationes ac proprietates personales, put vni & eidẽ personæ cõpetũt, à patre rei nõ distinguũtur: sed realiter sunt idem nõ solũ cum essentia, sed etiam inter se, & cum persona, cui conueniunt, vt dictum. Nam v. g. Innascibilitas, quæ est notio; item generatio actiua, quæ est actus notionalis: item paternitas quæ simul est notio, & relatio, & proprietas personalis in patre, à parte re; 26

Digitized by Google

idem planè sunt, & cum essentia, & inter se, & cum Patre; cum hoc tamen discrimine, quod nec essentia sola, nec relatio aut notio, seu proprietas personalis sola, formaliter totum esse personæ, aut etiam actus notionalis includunt: cum tam persona, quam actus notionalis, tam ex relatione, quam ex essentia seu perfectione absoluta intrinsecè cõstent, ex dictis.

27 Secundo conueniunt hæc inter se, quod cum essentia significetur vt *quid*, persona vt *quis*, proprietas, notio, & relatio significentur vt *quo*, vt cum Alensi & alijs ex communi docet Sanctus Thomas cit. q. 32. art. 2. Interrogans enim quid est Pater, inquirit essentiam: rogans quis est Pater, inquirit personam; interroganti quo est Pater, respondetur Paternitate; quæ vt dictum simul est notio, relatio, & proprietas.

Differunt tamen origo seu actus notionalis, à notionibus, relationibus, & proprietatibus, primo ratione modi significandi; notio enim, vt & relatio, ac proprietas personalis, significantur per modum quasi cuiusdam formæ, in facto esse, existentis in ipsa persona; origo autem concipitur & significatur per modum viæ tendentis ad constituendam personam; vnde generare seu generatio formaliter est origo, non autem notio, nec proprietas, vt dictum, & cum Torre q. 32. arti. 3. bene notauit Vasquez disput. 137. num. 3. neque absolutè & simpliciter etiam relatio, licet hanc quoque includat, vt superius diximus.

28 Secundo differunt Notiones, Relationes, Proprietates, & origines, tanquam includens & inclusum, siue vt excedens & excessum. Nam notio comprehendit omnes relationes ac proprietates; sed præterea aliquam, quæ non est relatio, nempe Innascibilitatem, & insuper aliam, videlicet spirationem actiuam, quæ licet sit relatio, non tamen est proprietas. Relatio vero minus late patet quã notio, cum Innascibilitas sit notio, non tamen relatio, vt dictum: excedit autem, & vicissim exceditur relatio à proprietate; quia aliqua relatio nõ est proprietas, nimirum spiratio actiua; & aliqua proprietas, vt Innascibilitas, non est relatio, vt dictum. Alioqui tres relationes sunt proprietates; & tres proprietates sunt relationes, nimirum Paternitas, Filiatio, Spiratio passiua, quatenus pro relatione Spirati ad spirantem, accipitur. Qua ratione & Vasquez hic quæst. 32. articulo 2. notauit, proprietates personales (quæ vt dictum, minus late patent, quam proprietates personarum absolutè) Relationes, & Notiones differre, vt inferius, & superius. Omnes enim proprietates personales sunt relationes; & omnes Relationes, notiones; sed non è conuerso, vt ex dictis patet; quia Innascibilitas est notio, quæ tamen nec est relatio, nec proprietas personalis; & spiratio actiua (vno quodam sensu) est relatio, non tamen proprietas personalis.

29 Tertio differunt Origines & Relationes, adeoque etiam Notiones, & proprietates, quæ & quatenus sunt relationes, ratione prioritatis secundum rationem, & modum nostrum concipiẽdi. Nam vt docet S. Thomas q. 40. a. 4. Origines, iuxta nostrum concipiendi modum, sunt quasi fundamenta, seu rationes fundandi respectu relationum correspondentium; qua ratione etiam generatio fundamentum quasi est Paternitatis, saltem qua formaliter relatio est, non qua personalis forma, vt magis patebit dub. seq.

Quo fit, vt origines partim sint ratione priores relationibus, partim posteriores. Nam actiuæ origines supponunt relationes personales, quibus constituuntur personæ originantes seu producẽtes, vt generatio Paternitatem; Spiratio actiua Paternitatem & Filiationem: hoc tamen discrimine, quod relatio Spirationis nullo modo est prior spiratione, vt est origo; Paternitas verò non quidem vt relatio formaliter, sed vt forma personalis est prior generatione, vt expressè docet S. Thomas q. 40. a. 4. & dicetur dub. seq. quicquid nonnulli contradicant.

Origines vero passiuæ similiter ratione priores sunt personis procedentibus & relationibus personalibus earundem; cum sint quasi viæ ad ipsas; posteriores vero relationibus personarum originantium: nisi quod generatio passiua posterior est Paternitate solũ, vt est forma hypostatica, non vt formaliter est relatio, vt pluribus dicetur dub. sequenti. Nam Paternitas vt sic, quatenus formaliter est relatio, simul est ratione cum Filiatione; (relatiua enim simul sunt natura & ratione) quæ tamen ratione sequitur generationem passiuam, tanquam viam ad Filiationem, vt dictum. 30

Qua ratione etiam Sanctus Thomas cit. quæst. 40. articulo 4. ad 1. docet, vtrumque dici posse de Patre; & quia generat, est Pater, vt quidem etiam olim locutus est Magister in 1. d. 27. & quia Pater est, generat: quæ omnia magis patebunt ex dubio sequenti, vbi diuersas etiam hac de re aliorum Doctorum sententias exponemus.

DVBIVM VI.

Quanam ratione primo ac formaliter constituantur & distinguantur personæ diuinæ; an per proprietates seu relationes personales; an per origines seu actus notionales; an vtrisq;, seu neutrus.

S. Thom. 1. p. q. 40. a. 4.

SVpponimus ex dictis dub. 2. & dub. præced. 1 personas quidem secundum rem idem prorsus esse, tam cum Relationibus & Notionibus, ac proprietatibus personalibus ipsarum personarum, quàm cum actibus notionalibus earundem personarum, vt docet Sanctus Thomas quæst. 40. a. 1. ac proinde etiam in sensu identico tam hæc de personis, quam personas de ipsis prædicari; dicendo Pater est Paternitas, & Paternitas est Pater; itẽ Generatio actiua est Pater, & Pater est generatio

actiua

actiua: at vero qua ratione primo ac formaliter secundum nostrum concipiendi modum constituantur & distinguantur personæ diuinæ, admodum controuersum est inter Doctores; nec sanè facile est explicatu. Et tria sunt, quæ in controuersiam veniunt, nimirum 1. Relationes seu notiones, siue proprietates personales. 2. origines, seu actus notionales. 3. Aliquid absolutum, ab omnibus illis distinctum.

2 Ratio vero difficultatis est. Quia nihil absolutum proprium est alicuius personæ; absoluta enim in diuinis omnia communia sunt & essentialia. Relatio etiam personalis videtur esse non posse; quia ratio adeoque etiam constitutiuum personæ supponitur ad agere eiusdem personæ (cum suppositorum sit agere) ac proinde etiam ad actus notionales; puta personalitas Patris ad generationem; at vero Relationes personales non supponuntur ad actus notionales; cum eos secundum rationem supponant; tanquam fundamenta seu rationes fundandi; Paternitas enim supponit generationem actiuam. Sed neque origines, seu actus notionales videntur posse constituere formaliter personas; tum ob eandem causam; quia persona Patris ratione prior est omni actu notionali, cum supponatur ad ipsam generationem actiuam, quæ secundum rationem est primus actus notionalis; tum quia actus notionalis non habet se per modum formæ in facto esse existentis, sed per modum viæ solum tendentis ad personam constituendam & producendam.

3 Atque huc etiam spectat tota propemodum quæstio 40. S. Thomæ, in cuius articulo secundo quærit, *vtrum personæ distinguantur* (adeoque etiam constituantur) *per relationes*: In tertio; *vtrum abstractis per intellectum relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases*: In quarto; *vtrum actus notionales præintelligantur proprietatibus*: quæ omnia ad propositam difficultatem expediendam pertinent. Loquitur S. Thomas hoc loco, vbique de personarum relationibns non quibuslibet, sed solum de tribus illis, quæ cum sint vnius personæ propriæ, dicuntur *personales*, vt est Paternitas, Filiatio, Processio: de alijs enim constat, propriè non constituere vel distinguere personas: sicut neque Notio Ingeniti, etsi propria sit solius Patris, constituere potest personam; cum formaliter solum dicat negationem, quæ non potest formaliter & intrinsecè constituere ens positiuum.

4 His positis, sunt de præsenti difficultate vniuersim sex Doctorum sententiæ. Prima sententia est Præpositiui, qui vt refert S. Thomas hic q. 40. a. 1. & q. 32. a. 2. cum diceret, nullas esse in personis proprietates, nec absolutas, nec relatiuas, consequenter docuit, nullis proprietatibus constitui aut distingui personas diuinas; sed distingui seipsis, non aliquo sui; nullo verò modo constitui. Idem postea docuit Ariminensis in 1. dist. 26. & 27. q. 1. Sed est sententia falsa & improbabilis; cum de fide certum sit, personas secundum se totas, & omnia, quæ in ipsis sunt, aut quæ ipsæ sunt, non differre aut distingui; cum secundum essentiã sint idẽ, vt dictum q. 1. Quare vti iuxta nostrũ concipiendi modum in personis diuinis distinguimus essentiã & proprietates, seu relationes & notiones, ita etiam rectè quærimus, quanam ratione ex illis formaliter constituantur; & sint tales personæ, quando ad hoc sufficit distinctio rationis, cum virtuali in re, vti non solum Scholastici cæteri omnes cum Magistro in 1. dist. 26. & S. Thoma hic q. 40. a. 1. sed etiam SS. Patres & Concilia loquuntur, vt patebit. Et quamuis ea sententia potius in verbis, quam reipsa à communi & recepto Ecclesiæ ac SS. Patrum & Doctorum loquendi modo dissentiat; non immerito tamen temeritatis arguitur à Vasquez in disp. 158. cap. 2. alijs.

Secunda sententia item falsa & absurda, ac iam 5
dudum antiquata, est, quam refert S. Thomas q. 40. a. 3. quæ dicit, hypostases constitui originibus, personas autem relationibus: cum tamen, vt rectè ibidem notat S. Thomas, *omnis hypostasis naturæ rationalis sit persona, vt patet per definitionem Boëtij lib. de duabus Naturis dictus, quod persona est rationalis naturæ individua substantia. Vnde ad hoc, quod esset hypostasis, & non persona, oporteret abstrahi ex parte naturæ rationabilitatem, non autem ex parte personæ proprietatem.* Ita Sanctus Thomas: & plura de horum nominum notione & significatione diximus supra quæst. 1. dub. 1.

Tertia sententia docet, personas formaliter 6
constitui & distingui proprietatibus absolutis. Ita Ioannes de Ripa apud Scotum in 1. dist. 27. q. 1. qui & ipse quoque eam probabilem censet; Scotumque tuetur Lychetus in 1. d. 26. quæst. vnic. Eandem secutus est Alphonsus Salmeron tom. 2. tract. 12. ad 4. & citatur etiam Rupertus Linconiensis. Et quidem expedita planè sententia esset, si absolutum aliquid in diuinis commune non esset. Sed nunc quid de ea sentiendum sit, dicemus inferius.

Quarta sententia est, personas propriè consti- 7
tui & distingui originibus, non relationibus seu proprietatibus; V. G. Patrem generatione actiua, non Paternitate. Hæc sententia refertur à Sancto Thoma q. 40. a. 2. eamque docuisse videtur Bonauentura in 1. d. 26. q. 2. & d. 27. q. 7. Fundamentum est; quia origo ratione antecedit relationem personalem: Ergo primo ac magis principaliter constituit & distinguit.

Quinta sententia est, propriè constitui & originibus, & relationibns personalibus. Ita docent Gregorius de Valentia q. 14. punct. 2. Molina hic q. 40. a. 2. disp. 2. mem. 4. Ratio esse potest; quia secundum vtraque pariter personæ sibi inuicem opponuntur.

Sexta sententia est, formaliter & intrinsecè con- 8
stitui & distingui Relationibus seu proprietatibus personalibus. Ita ex communi docent S. Thomas hic q. 40. a. 2. & 3. Albertus in 1. d. 27. a. 2. Alensis 1. part. q. 65. n. 3. & 4. Gandauensis quodlib. 5. q. 8. & in summa art 5. 6. q. 4. Scotus d. 28. q. 3. Richardus dist. 26. a. 4. q. 1. Ægidius d. 26. a. 1. q. 2. Heruæus q. vn. art. 3. Durandus q. 1. Gabriel. q. 1. Capreolus quæstio. 1. articulo 1. Marsilius in 1. quæst. 29. artic. 1. dub. 1. & 2. Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 26. Caietanus, Torres, alijque Thomistæ hic quæstione quadragesima, artic. 2. Suarez libro 7. cap. 7. Vasquez disp. 159. cap. 5.

Digitized by Google

Albertinus tom. secund. Prædicam. Ad aliquid, Coroll. seu quæst. 10. dub. 2.

9 Differunt tamen hi authores inter se. Nam I. Capreolus & Ferrariensis docent quidem, personam diuinam constitui per proprietatem relatiuam, sed non vt relatiuam, seu vt relationem, & vt ad aliud est formaliter (licet hoc modo distinguantur personę;) sed per relationem, quatenus forma hypostatica est; quod planè etiam docet S. Thomas hic quæst. 40. articulo quarto vt dicemus.

10 II. Caietanus cit. quæst. 40. articulo 4. dicit, Relationem constituere personam sub ratione quidem formali Relationis, seu vt est forma relatiui; sed non vt actu exercet officium referendi, quanquam hoc modo distinguat personas. Idem docere videntur Torres cit. quæst. 40. art. 2. & 4. & Albertinus loc. cit. qui idcirco negat, relationem vt relationem, siue secundum suam rationem formalem dicere *Ad*, secundum actum exercitum; hic enim actus exercitus, inquit, est veluti quidam actus secundus: sed dicit Ad, secundum suam rationem formalem, quasi in actu primo, seu vt est relatio transcendentalis ad Filiũ. Et paulo superius suam & Caietani sententiam vberius explicans ait: *Dicendum est*, inquit, *cum Caietano 1. part. quæst. 40. art. 4 quod in ipsamet entitate relationis paternitatis, propter suam infinitatem, est distinguere duplicem relationem: altera est, quatenus relatio in primo signo concipitur secundum esse conceptum, vt est forma hypostatica afficiens incommunicabiliter Patrem: in secundo verò signo concipitur secundum esse exercitum, quatenus refert Patrem ad Filium: seu clarius; ipsa paternitas propter suam infinitatem fungitur munere relationis transcendentalis, & prædicamentalis. In primo igitur signo constituit primam personam incommunicabilem, & facit illam fecundam, & potentem producere Filium; & sic in illo primo signo opponitur Filio tanquam principium productiuum ipsius; in secundo verò signo illamet relatio habet rationem originis; & in tertio signo fungitur munere relationis prædicamentalis, exercendo actum referendi ad Filium &c. Et hoc fortè voluit dicere Caietanus loco citat. relationem paternitatis in DEO constituere Patrem, vt conceptam, & non vt exercitam.* Ita Albertinus.

11 Rursum verò III. Durandus, Gabriel, & ferè Scotus loco citat. dicunt vniuersim & absolutè, personas constitui & distingui relationibus personalibus formaliter, qua tales sunt; idem docet etiam Suarez loc. cit.

IV. Vasquez cit. capit. 5. licet fateatur, personam Patris (de qua præcipua est difficultas) distingui formaliter relatione Paternitatis; dicit tamen, non constitui relatione Paternitatis, sed alia proprietate *Innascibilis*, & fœcundi ad producendum; quam vocat etiam rationem *primi principij*.

12 Cur autem hac in re præcipua difficultas sit de Patre non de alijs personis, ratio est; quia de alijs personis, cum non exerceant actum aliquem notionalem productionis, antequam sua relatione personali vnaquaque constituta intelligatur, satis commode & facile defendi potest, eas constitui ipsis relationibus personalibus: at vero quia Pater debet intelligi potens ad generandum, adeoque persona, prius ratione quam generet, adeoque etiam prius quam formaliter sit Pater (cum Paternitatis relatio nostro modo intelligendi sequatur ex generatione, tanquam fundamento seu ratione fundandi) nulla videtur ratione posse intelligi, personam Patris constitui formaliter relatione Paternitatis. Nobis vero in re tam obscura hæc videntur probabiliora.

Assertio I. Nihil distinguendum inter proprium & formale constitutiuum & distinctiuum personæ. Ita cum S. Thoma inferius referendo, & plerisque Scholasticis antiquioribus Suarez l. 7. cap. 4. Gregorius de Valentia, Molina, Albertinus loc. cit. etsi non pauci antiquiores & recentiores contradicant, vt vidimus. Idem tradit Scotus in 1. d. 11. quæst. 2. Ratio est: quia proprium & formale constitutiuum & distinctiuum cuiusq; rei eadem sunt; & quo quæque res formaliter in se constituitur, eodem etiam formaliter ac primario distinguitur & differt ab alijs: secundum enim Esse suum formaliter & intrinsecè differt ab alijs, seu per id, quod est; alias enim si secundum id quod est, formaliter & intrinsecè non differret ab alijs; tunc idem esset cum alijs, à quibus differt; quod intelligi nullo modo potest. 13

Assertio II. Omnium quoq; personarum diuinarum in proposito par & eadem proportionaliter est ratio. Ita communis apud citatos contra Vasquez loc. cit. Ratio est; non solum quia SS. Patres & Concilia eodem modo de omnibus personis loquuntur; sed etiam quia nulla sufficiens ratio assignari potest, cur vna persona constituatur absoluto, altera relatione; si enim vna potest per absolutum constitui & distingui ab altera; cur non omnes vicissim ac mutuo? Contra Vasquez autem speciatim facit; quod aut ratione absolutè illius perfectionis completur persona Patris adæquate in sua ratione, qua ab alijs personis distinguitur, aut non: si sic; ergo per absolutum etiam illud ab alijs distinguitur, & non primum per relationem: si non; ergo nec per illud absolutum sufficienter constituitur. 14

Assertio III. Personæ formaliter constituuntur & distinguuntur non proprietate absoluta, sed relationibus personalibus, seu proprietatibus. Hæc est communis, vt vidimus, veterum ac recentiorum Theologorum sententia, à qua non est tutum satis recedere; cum præsertim Torres, & alij recentiores oppositam sententiam *erroris* arguant: in quem sensum etiam Vasquez disputat. 15. numero 13. ait; *Ioannem de Ripis & Scotum manifeste lapsos fuisse, quod asserant, distinctionem inter diuinas personas ex proprietatibus absolutis oriri, cum SS. Patres vnoore fatentur, ex sola relatione desumi.* Quamuis Suarez lib. 7. capit. quint. de ea paulo mitius censeat: sicut etiam Vasquez loco citato ait; *quod ad constitutionem personarum attinet, non ita plane damnari posse prædictam sententiam.* Et vero relationibus solum, non autem aliquo absoluto constitui & distingui personas, tuetur etiam Aureolus in 1. d. 26. quæst. 1. a. 1. & 2. 15

Proba-

16 Probatur primo ex Sanctis Patribus. Augustinus libro quinto de Trinitate capite secundo, de Patre & Filio ait: *Quicquid ergo ad se dicuntur, non dicitur alter sine altero*; vbi expresè sentit, absoluta omnia vtrique esse communia. Et libro nono de Trinitate capite primo. *Credimus*, inquit, *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum, creatorem vniuersæ creaturæ, atque rectorem; neque Patrem esse Filium, neque Spiritum sanctum vel Patrem esse, vel Filium; sed Trinitatem relatarum ad inuicem personarum, & vnitatem æqualis essentiæ.* Hieronymus in exposit. Symboli ad Damasum, ait; *tres personas proprietatibus distingui*: intelligit autem nomine proprietatum relationes. Boëtius libro de Trinit. versus finem ait, *relatione multiplicari Trinitatem.* Damascenus libro primo, de fid. capite decimo, de persona Spiritus sancti ait: *Omnia habens, quæ Pater habet, & Filius, excepta Ingeniti & Geniti proprietate.* Et capite vndecimo. *Vnum quippe Deum cognoscimus, in solis autem proprietatibus, nimirum Paternitatis, Filiationis, & Processionis, atque quantum ad causam* (originem intelligit) *& ea quæ ad causam proficiscuntur, ac personæ perfectionem, hoc est, existendi modum, discrimen aduertimus.* Anselmus libro de process. Spiritus sancti capite primo. *Hæc*, inquit, *sola causa pluralitatis est in Deo, vt Pater, & Filius & Spiritus sanctus dici non possint de se inuicem; sed alij sint ad inuicem; quia prædictis duobus modis* (generatione & processione) *est Deus de Deo: quod totum dici potest relatio.* Similia habet libro de Incarnat. Verbi capite tertio. Denique Bernardus epistol. 190. ad Eugenium. *Alia illa*, inquit, *sunt profecto vocabula, quæ non ad seipsos dicuntur, sed ad alterutrùm: & ideo est cuiq; suum, & non commune cum altero.*

17 Secundo probatur ex Concilijs. In Concilio Toletano II. in Confess. fid. dicitur: *In relatione personarum cernitur numerus.* In Concilio Florentino sess. 19. Ioannes Latinus Theologus de diuina substantia ait: *Ita vt in nullo alio differat, nisi quia Pater est Pater, & Filius, &c.* Et ibidem in fin. sess. dicit, *hypostases* (seu personas diuinas) *ex essentia & proprietate constare, ita vt persona nihil aliud sit, nisi substantia & proprietas.* Loqui autem eum de proprietatibus relatiuis mox ipsemet declarat, cum ait: *Quæ quidem substantia & proprietas, licet vnum reipsa sint, & per suas proprietates re inter se differant, quandoquidem ad aliquid sunt; ipsas tamen secundum substantiam Deum vnum esse fatemur.*

18 Et clarius sessione decima octaua, idem Ioannes ait: *Diuina substantia & persona re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur. Nam persona ex substantia proprietatibusque consistit, &c. Proprietates vero nequaquam communicabiles sunt: quod quidem ex relationis vi creditur euenire, quemadmodum etiam Doctores vestri* (Græci) *præsertim Sanctus Gregorius Theologus in Epiphania sermone tenet.* Et infra, quid sit proprietas vlterius declarat; *Propterea Doctores inquiunt, nil nisi principij habitudo est. In qua quidem hæc duo considerantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid: ob idque Pater & Filius sunt, quod Pater principium est, Filius autem ex Principio; in quo quidem nequaquam communicant, cum cæterus in rebus inter se dubio procul communicent, &c. siquidem igitur diuina omnia, proprietatibus personarum exceptis, inter se communicabilia sunt, &c.* Et denique inferius concludit: *Sola namque Relatio, quam principalem habitudinem superius nominauimus, apud omnes tam Græcos, quam Latinos Doctores, diuina processione personas multiplicat: cui etiam duo illa, à quo, & ad quod, de quibus est supra dictum, conueniunt. Siquidem igitur Relationes huiusmodi personas multiplicant, ita vt non vlla alia ratione, quam vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differant, &c.* Et quamuis hæc vnius Theologi dicta in Concilio vim definitionis minimè habeant, quia tamen Patrum saltem tacito assensu comprobata sunt, non exiguam authoritatem habent. Denique in cap. *Firmiter* de summa Trinitate & fide Catholica dicitur; *Trinitatem esse discretam per proprietates personales.* Vbi rursum de relatius proprietatibus sermo est.

19 Ex adductis vero authoritatibus, tametsi ad quasdam, quæ de multiplicatione personarum loquuntur, per origines & relationes, respondeant Scotus & Lychetus, posse intelligi de multiplicatione, non qua formaliter aliqua diuersa distinguuntur, sed *quasi principiatiuè, correspondenter principio effectiuo*; aut quoad relationes loqui de distinctione à posteriori, & volut à signo; parum tamen id habet momenti; quia si hoc sensu locuti essent Patres, debuissent aliquando docuisse, propriè, formaliter, & intrinsecè constitui, & distingui per aliquid absolutum; quod tamen nunquam fecerunt, vt bene etiam Aureolus loco citato, præterquam quod allata ex Augustino, & Concilio Florentino (quod Scotus non vidit) clariora sunt, quam vt vllam eiusmodi interpretationem admittant.

20 Tertio probatur ratione, quæ sumitur ex recepto axiomate Theologorum; *In diuinis omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.* Et quamuis Scotus & Lychetus respondeant, etiamsi proprietas personalis absoluta sit, nihilominus tamen relationis oppositionem, quæ est inter personas, obstare, quo minus ea sit communis; siquidem hoc ipso, quod personæ sibi relatiuè opponuntur, non possunt earum proprietates, quamuis absolutæ, esse communes; ea tamen responsio vim non habet: quia secundum oppositam illam Scoti sententiam, persona prius ratione censetur habere proprietatem absolutam, quam relatiuas origines, & proprietates; Ergo in illo priori signo nulla potest obstare relatiua oppositio, quo minus eæ proprietates sint omnibus personis communes.

21 Atque ex hac assertione rectè colligit Sanctus Thomas quæstione quadragesima articulo tertio, *remoto per intellectum relationibus personalibus, non remanere personas*: secus est, si loquamur de relationibus non personalibus, vt est spiratio actiua, communis Patri & Filio. Quæ res nullam habet peculiarem difficultatem.

22 Assertio IV. Personæ diuinæ constituuntur & distinguuntur relationibus personalibus, non

forma-

formaliter qua relationes, & ad aliud sunt; sed qua sunt res per se subsistentes, seu modi quidam substantiales, iuxta nostrum concipiendi modum quasi determinantes, & incommunicabilem reddentes diuinam essentiam; quas idcirco *formas hypostaticas* licet appellare. Hæc est expressa sententia Sancti Thomæ cit. quæst. 40. art. 4. vbi ait: *Personalis proprietas Patris* (Paternitas) *potest considerari dupliciter; uno modo vt est relatio; & sic secundum intellectum præsupponit actum notionalem* (nempe generationem, adeoque personam) *quia relatio in quantum huiusmodi fundatur supra actum: alio modo secundum quod est constitutiua personæ; & sic oportet quod præintelligatur relatio actui notionali sicut persona agens præintelligitur actioni.* Et quæst. 29. articulo quarto ait: *Vocabulum personæ in diuinis significare relationem in recto, &c. non tamen in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis.* Eadem est sententia Capreoli & Ferrariensis locis citatis. Et facilè in eundem sensum intelligi possunt Caietanus & Torres: quid enim est in illo signo, esse formam relatiui, non tamen exercere actum referendi; quam esse quidem à parte rei relationem & formam relatiuam, sed in eo signo, nondum concipi, vt est ad aliud actu & formaliter.

23 Neque reipsa aliud sentire potest Albertinus loco citato. Quid enim est, in primo illo signo, quo constituitur Persona Patris, relationem Paternitatis concipi, vt est forma hypostatica; & opponi filio vt principium productiuum (non actu producens, sed potens producere filium) in posteriori autem aliquo signo habere & rationem originis, & denique etiam relationis prædicamentalis; quid hoc, inquam, esse potest aliud, quam in primo signo nondum concipi, vt formaliter & actu refertur ad filium; sed sub alia ratione formæ hypostaticæ, aut principij productiui in actu primo: quæ ratio in proposito non potest esse diuersa à priore; quia non aliter est, aut constituit principium productiuum filij, nisi tribuendo rationem personæ; principium enim Quo est essentia, vt suo loco dictum. Neque ea ratio vt sic includit veram, actualem, & realem relationem ad Filium, distinctam à relatione originis, & proprietatis relatiuæ; nisi absque fundamento, & contra communem Theologorum doctrinam, multiplicare in DEO velimus relationes.

24 Quocirca pro declaratione assertionis, iuxta apertâ doctrinâ S. Thomæ loc. cit. Notandũ, Relationes personales in Deo, cũ in alijs plerisque, tum hoc maximè à relationibus creatis differre, quod cum formaliter sint substantiales, non solùm materialiter & identicè (prout vnum sunt cum essentia Dei) sed etiam per se ac formaliter duas planè diuersas rationes, & inter se minimè subordinatas includunt. Prima est, actu esse seu referre ad aliud; secunda est, esse modos quasi quosdam substantiales, contrahentes quodammodo seu determinantes naturam diuinam ad esse personale; quos idcirco Capreolus & Ferrariensis appellant *formas hypostaticas*. Quæ duæ rationes ideo virtualiter distinctæ rectè asseruntur, quod in rebus creatis soleant esse re distinctissimæ; nec omnino possint vni quidditati creatæ conuenire. Quo modo etiam superius in simili diximus, actus intelligendi & amandi in Deo, simul habere & rationem perfectionis absolutæ, & rationem actionis seu productionis notionalis: & quo modo etiam Albertinus loco citato dixit, relationes diuinas habere simul rationem & relationis transcendentalis, & rationem relationis prædicamentalis, &c.

Hoc posito probatur assertio ex dictis. Quia 25
constitutiuum personæ Patris debet formaliter esse positiuum quiddam, personæ proprium, & prius ratione, quam generatio; cum actiones non sint nisi suppositorum, præsertim in diuinis, vbi essentia non potest dici generare, vt suo loco dictum q. 1. dub. 7. Atqui ante generationem, non potest concipi Paternitas sub formali ratione relationis, quatenus actu est, & refertur ad Filium; cum vt sic simul sit cum Filiatione, quæ tamen ratione posterior est generatione actiua: Ergo constitutiuum & intrinsecum distinctiuum Patris est quidem relatio, sed non sub ratione & conceptu formali relationis, prout actu & formaliter est & refertur ad alterum. Atq; eadem est ratio cæterarum personarum, vt dictum assert. 2. Neq; tamen idcirco dixerim, quo modo Capreoli & Ferrariensis sententiam refert Albertinus, Relatione Paternitatis solum materialiter constitui & distingui personam Patris: quia ratio formæ hypostaticæ non tantũ materialiter & identicè, sed etiam formaliter & intrinsecè includitur in ratione diuinæ relationis personalis; non minus quam ipsa ratio Entis substantialis, aut actualis habitudo ad aliud, vt dictum.

Assertio V. Originibus constituuntur & di- 26
stinguuntur personæ, non per se primo, & quasi formali & intrinseco distinctiuo & constitutiuo; sed vel à posteriori, vel per modum viæ tendentis ad personas. Ita Sanctus Thomas cit. quæst. 40. art. 2. & communis contra Bonauenturam, Aureolum, & alios, loc. cit. Ratio à Sancto Thoma duplex adfertur. Prima. Quia proprium constitutiuum & distinctiuum vniuscuiusque rei debet formaliter esse intrinsecum rei: origo autem alicuius rei non significatur vt aliquid intrinsecum; sed vt via quædam à re, vel ad rem: sicut generatio significatur, vt via quædam ad rem genitam, & vt progrediens à generante: quam ob causam fieri non potest, vt res genita, & generans distinguantur sola generatione; sed necesse est intelligere tam in generante, quam in genito ea, quibus inter se distinguuntur: In persona autem diuina intrinsecè, & quasi in facto esse, secundum nostrum intelligendi modum, non est aliud præter essentiam & proprietatem. Cum autem in essentia conueniant, consequens est, vt per relationes personę inter se distinguãtur & constituãtur.

Secunda ratio est. Quia si de origine actiua lo- 27
quamur, respectu personæ producentis, persona hæc prior est ratione, quam origo; V. G. Pater, quam generatio; si autem loquamur de processione siue origine actiua, aut etiam passiua, respectu personæ per eam procedentis; hæc (persona

proce-

Digitized by Google

procedens) ratione posterior est origine: cum origo sit quasi via & tendentia ad talem personam. Quocirca nec in rebus creatis terminus formaliter & intrinsecè constituitur, aut distinguitur motu, vel actione, seu etiam passione. Ex quibus concludit Sanctus Thomas; melius dici, quod personæ seu hypostases distinguantur relationibus, quam per originem. *Licet enim*, inquit, *distinguantur vtroque modo, tamen prius & principalius per relationes, secundum modum intelligendi.* Quo sensu etiam idem Sanctus Thomas quæst. 8. de potent. articulo 3. dixit, *rem aliquam posse distingui, & constitui aliquo vt forma, & aliquo vt origine; & id quod distinguit vt forma, principalius distinguere, quam id quod distinguit vt via & productio.*

28 Assertio VI. Secundum rationem igitur Paternitas, quatenus est forma quasi hypostatica, prior est generatione etiam actiua; licet in quantum formaliter est ad aliud, sit posterior generatione. Hæc est expressa sententia, & doctrina S. Thomæ cit. quæst. 40. art. 2. cum disertè ait; *Paternitatem vt est relatio secundum intellectum, præsupponere actum notionalem, siue generationem; quia relatio*, inquit, *in quantum huiusmodi, fundatur supra actum; vt autem est constitutiua personæ præintelligi actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* Idem docent Capreolus, Ferrariensis, Caietanus, alijque Thomistæ & Albertinus locis citatis: etsi Suarez libro 7. capite 6. & lib. 8. cap. 1. alijque nonnulli recentiores apud Albertinum negent, generationem vlla ratione priorem esse paternitate; quasi relationes diuinæ nec supponant suppositum constitutum, (quod aliqua ratione cum Sancto Thoma cit. art. 2. ad 4. nos ipsi etiam fatemur) nec vniuersim supponant actum notionalem, seu productionem, in qua fundentur; sed simul natura constituant, & producant, & referant.

29 Quod tamen intelligi non potest: quia ex communissima ratione Patris, omnis Pater formaliter ideo est Pater, quia genuit filium, vt iuxta Aristotelem 5. Metaphys. text. 20. & auctorem sex principiorum, rectè etiam notauit Aureolus loco citato. Deinde filium esse, secundum rationem posterius est generatione actiua, cum hæc sit via ad Filium, eiusque origo: Ergo etiam formaliter Patrem esse, secundum rationem posterius est generatione actiua: siquidem Pater & Filius sunt correlatiua, quæ simul sunt tempore, natura & ratione; nec vnum sine alio intelligi potest. Ex quo patet secunda pars assertionis.

30 Prior autem constat ex dictis assertione præcedente. Persona enim supponitur ad actum notionalem; ergo etiam forma & ratio personæ, quæ est relatio, non quidem formaliter in quantum actu est ad aliud; sed in quantum est forma quædam hypostatica, vt dictum. Qua ratione etiam difficultati & rationi dubitandi initio propositæ, aliarumque sententiarum fundamentis satisfactum est.

Ex quibus colligitur, plerosque recentiores in hac re aliquo modo à sententia S. Thomæ recedere; Molinam quidem & Gregorium de Valentia, quia æqualiter putant, personas constitui relationibus & originibus, nec inter eas satis distinguunt; Vasquez, quia negat personam Patris formaliter constitui Paternitate: Suarez, quia asserit, Paternitatem formaliter sub ratione relationis, & prout ad alium est, constituere personam Patris, qui proinde etiam non potest explicare, quomodo ipsa sub ratione relationis sit posterior origine seu generatione actiua, vti expressè docuit S. Thomas loco citato.

Assertio VII. Constitutio personæ diuinæ ex essentia & proprietate personali, rectius vocatur realis, quam rationis; quamuis hæc potius sit quæstio nominis, quam rei. Probatur & declaratur. Nam constitutionem rationis appellat Vasquez disputatione 158. capite 2. Realem appellant Thomistæ communiter, quibus consentit Albertinus cit. tom. 2. prædicam. Ad aliquid, Coroll. seu quæstione 10. dubio 1. vbi docet, personas diuinas constitui verè ac propriè ex essentia & proprietate personali, hancque constitutionem esse formalem à parte rei, non tantum fundamentalem, sine tamen vlla compositione, non tantum formali; sed etiam fundamentali, citatque pro ea sententia S. Thomam quæst. 40. Scotum d. 28. quæst. vlt. Gabrielem, & Durandum dist. 26. ac recentiores. 31

Sed vt benè notauit Suarez lib. 7. c. 3. num. 9. & c. 7. num. 9. quæstio hæc de nomine est. Nam quia essentia & proprietas solum ratione distinguuntur, nec adeo à parte rei sunt plura; non videtur à parte rei aliquid ex illis posse constitui; siquidem realis constitutio alicuius ex pluribus videtur requirere realem pluralitatem & distinctionem eorum, ex quibus intrinsecè & realiter constituitur.

Nihilominus tamen, quia extrema constituentia, puta essentia & proprietas, non solum realia sunt, sed etiam ita distincta, vt à parte rei vnum sit commune omnibus personis, alterum proprium vnius, verè dici potest, ea à parte rei constituere personam, siquidem persona realiter vtrumque est, & ex vtroque existit. Quo sensu etiam Suarez loco citato ait, dici posse esse constitutionem *realem ex parte rei significatæ, seu terminorum constituentium*; rationis autem, *ex modo significandi*; qui significatur & concipitur à nobis per modum compositionis, quæ à parte rei nulla est. Verum quia potior est habenda ratio rei significatæ, ac terminorum constituentium, quam imperfecti modi concipiendi, rectius absolutè dici videtur, esse constitutionem realem; quod etiam modo loquendi Conciliorum & Patrum videtur esse conuenientius; præsertim Concilio Florentino l.c. sess. 18. & 19. 32

Sed contra hanc doctrinam præcipuè assertione 4. 5. & 6. propositam obijcitur primo. In illo priori signo, in quo iuxta assertionem quartam, constituitur persona Patris per relationem, vt est forma hypostatica diuina, nondum ponit rationem originis; siquidem in eo signo rationis, nondum est generatio, ex dictis: Ergo in illo priori signo, non potest persona Patris concipi vt distincta ab alijs personis & incommunicabilis; quia distinctio & 33

incom-

Digitized by Google

incommunicabilitas est ex origine relatiua, vt relatiua est. Ita Albertinus loc. cit.

Respondeo negando consequentiam; ad probationem dico, iuxta assertionem quintam, distinctionem personæ Patris ab alijs primario & formaliter non esse ex origine, sed solum secundario & quasi à posteriori: quare etiam ante originem & constituta, & distincta intelligitur persona Patris ab alijs, vt dictum.

34 Obijcitur secundo. Aut Paternitas, qua formaliter Paternitas est, constituit & distinguit personam Patris à Filio; aut non. Si formaliter qua Paternitas; ergo formaliter vt relatio, & ad alium est: si non: ergo relatio non constituit personam Patris, nisi materialiter; & quatenus idem est cum essentia, seu aliquo alio attributo absoluto; quod vult tertia sententia superius relata.

Respondeo ex declaratione assertionis 4. Paternitatem non absolutè, sed Paternitatem diuinam, qua formaliter diuina Paternitas est, constituere personam; non tamen formaliter sub ratione relationis, siue prout actu est ad alium, sed sub ratione substantialis & hypostaticæ formæ determinantis personam: quia, vt dictum, proprietates personales diuinæ duas rationes formales habent, & rationem relationis, & rationem formæ substantialis ac hypostaticæ.

35 Obijcitur tertio. Aut paternitas quatenus constituit personam Patris, formaliter est, & refertur ad alium, nempe Filium; aut non: si sic; ergo sub ratione formali relationis ad alium, constituit Patrem; si non; ergo vt sic est aliquid absolutum; quod enim formaliter vt sic non refertur ad alium, absolutum est; nec datur medium inter absolutum & relatiuum.

Respondeo; Paternitatem vt sic formaliter, ac sub eo conceptu constituentis personam Patris, actu non referri: nec tamen vt sic est absolutum, sed abstrahit ab vtroque: sicut communis ratio entis ab vtraque ratione abstrahit. Et quāuis à parte rei non detur aliquid mediū inter absolutum & respectiuum; datur tamen medium secundum rationem; qualis in proposito est ratio proprietatis personalis, quatenus formaliter est quasi quædam hypostatica.

Obijcitur quarto. Paternitas in quantum est 36
constitutiua personæ Patris, aut formaliter intelligitur talis, aut non intelligitur. Si non intelligitur sub expressa ratione Paternitatis, non est verum, quod magis secundum nostrum intelligendi modum Paternitas constituat, quam generare; quod tamen assertione 5. dictum. Si vero Paternitas sub expressa sua ratione Paternitatis constituit; ergo in quantum huiusmodi vere intelligitur, vt quædam habitudo, & quædam relatio; & per consequens vt sic præsupponit actum notionalem; Ergo impossibile est, vt per prius aut principalius constituat, quam ipsemet actus notionalis. Ita Aureolus.

Respondeo, Paternitatem diuinam sub expressa sua ratione constituere personam Patris, non quidem sub formali ratione relationis & ad aliud, sed sub sua ratione formæ substantialis & hypostaticæ in facto esse, quod non conuenit origini vt sic, ex dictis.

Obijcitur quinto. Aut ratio formæ hypostaticæ 37
eadem est, vel saltem formaliter includitur sub ratione formali relationis, qua ad alium est; aut non: si sic; ergo frustra distinguuntur hæ duæ rationes, neque consequenter negari potest, Relationes diuinas etiam formaliter qua relationes, & ad alium sunt, cōstituere & distinguere personas diuinas; si non: ergo frustra relationi tribuitur hęc constutio & distinctio; cum ratio relationis sit impertinens.

Respondeo, rationem formæ hypostaticæ, nec 38
esse eandem, nec formaliter includi sub ratione formali relationis, prout formaliter & præcisè ad alium est; sed benè sub ratione relationis diuinæ adæquatè spectatæ: quæ, vt dictum, duplicem illam rationem virtualiter distinctam in se formaliter includit; vt proinde tametsi ratio relationis, vt est formaliter ad alterum, non sit formaliter constitutiua personæ, omnino tamen relatio ipsa constituat personam sub ratione modi illius substantialis & formæ hypostaticę; quam nos quidem vndequaq; absolutam diceremus, si non Ecclesia & SS. Patres oppositum nos docuissent.

QVÆSTIO IV.

De personis singulis in specie, earumque missione.

S. Thomas 1. p. q. 33. 34. 35. 36. 37. 38. & 43.

1 *ABsoluetur hæc quæstio nouem dubitationibus. I. De varijs nominibus & appellationibus primæ personæ, nimirum Patris; quæque sit eorum nominum vis & significatio. II. De varijs nominibus & appellationibus secundæ personæ, seu Filij; quæque sit eorum ratio & vsus. III. Procedatne Filius tam ex cognitione omnium eorum, quæ in Deo sunt formaliter; quam ipsarum etiam creaturarum. IV. De varijs nominibus & appellationibus tertiæ personæ, hoc est, Spiritus sancti; quæque sit eorum significatio ac sensus. V. An & qua ratione Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, ac per Filium. VI. An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet. VII. An Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio velut vno Principio & Spiratore, ac duobus spirantibus. VIII. An Pater & Filius se & creaturas diligant Spiritu sancto. IX. De missione diuinarum personarum; an scilicet, qua, à quibus, ad quid, quando mittantur personæ diuinæ.*

DV-

Digitized by Google

DVBIVM I.

De variis nominibus & appellationibus primæ personæ, nimirum Patris, quæque sit eorum nominum vis & significatio.

S. Thom. 1. p. q. 33. aa. 4.

2 POstquam de personis diuinis in genere, earumq; processione; ac de relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionalibus, ac proprietatibus personarum actum est, pauca restant hac quæstione de diuinis personis in specie tractanda; tametsi à S. Thoma sex quæstionibus hac de re agatur, seclusa etiam personarum missione, quæ per modum quasi actus aut passionis, siue proprietatis cuiusdam certis etiam tantum quibusdam personis conuenit, vt dicetur. Quod vero ad præsentem dubitationem attinet, tria sunt nomina, quæ primæ personæ tribui solent: Primum est nomen *Principii*; secundum nomen *Patris*; tertium nomen *Ingeniti*: cum quibus nonnullam affinitatem habent, nomen *initii*, *authoris*, *& causæ*, de quibus sigillatim agendum.

3 Assertio I. Prima persona, in sanctissima Trinitate, recte vocatur Principium ceterarum personarum. Ita passim loquuntur Patres, & Concilia; & recte docet S. Thomas quæst. 33. a. 1. Ratio est. Quia Principium nihil aliud significat, quam id, à quo aliquid procedit: *Omne enim*, inquit S. Thomas, *à quo aliquid procedit quocunque modo, dicimus esse principium, & è conuerso.* Cum ergo Pater sit, à quo procedunt aliæ personæ, sequitur Patrem esse earum Principiũ. Quo sensu etiam Augustinus lib 4 de Trin. c. 20. dixit, Patrem esse *principium totius Deitatis*; hoc est, omnium personarum procedentium Eodemq; sensu et Dionysius cap. 3. de diuin nom. ait, *solum Patrem esse fontẽ supersubstantialis Deitatis.* Quia tamen eæ locutiones impropriæ sunt, siquidem Deitas ipsa non habet Principium, non sunt extendendæ, sed modo explicato commode intelligendæ. Neq; tamen Principii nomen notionaliter acceptum ita proprium est solius Patris, vt non etiam Filius sit principium Spiritus sancti: quare etiam Patres nonnunquam ad distinctionem vtriusq; principii, Patrem vocant *principium sine principio*; Filium autem *principium ex principio*; vt notauit S. Thomas q. 33. a. 4. licet quandoq; etiam per Antonomasiã absolute soli Patri hoc nomẽ tribuatur: quo modo Athanasius orat. cont. gregales Sabellii dixit; *Qui duo Principia* (nimirum prima & non subordinata) *introducit, is duo Numina prædicat.* Loca vero Scripturæ, in quibus Filio nomen principii tribuitur, retulimus q. 1. dub. 3.

4 Assertio II. Accipiendo idem nomen Principii essentialiter, pro principio creaturæ, sic æque omnibus & singulis personis diuinis commune est. Ita omnes Doctores & Patres. Et patet ex Scriptura sacra. Apocal. 1. v. 8. *Ego sum Alpha & Omega, Principium & finis.* Et vero nomen Principii hoc modo de vtroque principio notionali, & essentiali, nec pure æquiuoce, nec vniuoce, sed analogice, ac prius de principio notionali prædicari; neque ideo personas diuinas appellandas esse *principiatas*, diximus quæst. 2. dub. 1. Omitto specialium locorum expensionem, in quibus diuinis personis principii nomen tribui nonnulli existimant, quæ videri possunt apud Vasquez disput. 139. & commentatores Scripturæ.

Assertio III. Nomen Patris in diuinis itidem duobus modis accipitur; notionaliter scilicet, & essentialiter: priori modo proprium est primæ personæ: posteriori modo conuenit toti sanctissimæ Trinitati, adeoque omnibus & singulis personis; seu quod idem est, Deo vt Deo. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 33. art. 2. Probatur prima pars ex dictis q. 1. Siquidem solam primam personam generasse Filium, huneque solum esse verum & naturalem Filium Dei Patris, probauimus quæst. 1. dub. 3. Sed & Paternitatem esse personalem proprietatem, immo formale principium constitutiuum primæ personæ, dictum quæst. precedente dub. 6. Qua de causa etiam hoc nomen significare *Relationem vt subsistentem in diuina natura*, docet S. Thomas q. 39. a. 2. 5

Secunda pars, idem nomen accipi essentialiter, cum habitudine ad creaturas; patet ex Scriptura passim, vt cum dicitur, *Pater noster*; & *Pater misericordiarum.* &c. Quo modo nomen Patris analogum est ad vtramque Paternitatem; sicut & nomen filii de naturali filio Dei, & filiis per gratiam, solum analogice dicitur. Et ratio est: quia ratio filii, quæ requirit naturæ similitudinem perfectam, simpliciter & perfecte solum reperitur in naturali filio: in aliis autem non nisi secundum quandam analogiam. *Dicitur enim Deus*, inquit Sanct. Thomas articulo tertio. *alicuius creaturæ Pater, propter similitudinem vestigii tantum, vtpote irrationalium creaturarum, secundum illud Iob. 38. v. 28. Quis est pluuiæ Pater? aut quis genuit stillas roris? Alicuius vero creaturæ, scilicet rationalis, secundum similitudinem imaginis, secundum illud Deuter. 32. v. 6. Nempe ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te. Aliquorum vero est Pater secundum similitudinem gratiæ; qui etiam dicuntur filii adoptiui, secundum quod ordinantur ad hæreditatem æternæ gloriæ, per munus gratiæ acceptum, secundum illud Rom. 8. v. 16. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes. Aliquorum vero secundum similitudinem gloriæ, prout iam gloriæ hæreditatem possident, secundum illud Rom. 5. v. 2. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ita Sanct. Thomas articulo tertio. Plura testimonia vtriusque Testamenti, in quibus Deus vocatur Pater etiam creaturarum, retulimus quæstion. 1. dubio 3. 6

Assertio IV. Nomen Patris per prius dicitur in Deo notionaliter respectu Filii naturalis, quam essentialiter respectu creaturarum. Ita S. Thomas q. 33. art. 3. ex communi; Probatur & declaratur assertio ex S. Thoma ibidem. Intelligitur enim assertio non solum de prioritate durationis; cum Deus ab æterno sit Pater naturalis Filii; non autem creaturarum: nec solum etiam de prioritate dignitatis; quia relatio Paternitatis ad naturalem Filium, cum sit realis, præstantior est Paternitate ad creaturas: nec etiam de ordine solum quasi naturæ, respectu ipsarum rerum, quæ significantur; quo modo attributa Dei communia seu essentialia & absoluta prio- 7

ra sunt notionalibus: at verò communia, quæ dicunt habitudinem ad creaturas ex tempore, sicut nomen Pater, & nomen Dominus, aut etiam æternam, sed liberam, vt nomen præscientiæ & prædestinationis, natura posteriora sunt notionalibus; sed etiam secundum ipsam significationem & appellationem nominis Paternitatis, quæ principalius & perfectius cernitur in Paternitate notionali, quam essentiali & communi: siquidem prima persona proprie & simpliciter est Pater naturalis filii; noster autem Pater solum improprie & secundum quid, vt dictum.

8 Assertio V. Proprium etiam nomen Patris est esse ingenitum. Ita S. Thomas quæst. 33. a. 4. Probatur & declaratur assertio ex eodem. Tribus enim modis hoc nomen accipi potest; primum vt sit idem, quod increatum, quo modo omnibus personis conuenit, vt ex Damasceno lib. 1. fid. c. 1. notat S. Thomas q. 33. artic. 4. ad 3. Secundo, pro sola negatione seu quasi priuatione vnius tantum processionis, quæ generatio dicitur; quo sensu hoc vocabulum etiam conuenit Spiritui sancto, qui non per generationem, sed per spirationem à Patre Filioque procedit, quo modo locutus etiam videtur Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. & 7. Tertio stricte accipitur hoc nomen pro persona, quæ nullo modo ab alia persona procedit; & hoc modo est proprium nomen Patris, exprimens scilicet alteram eius proprietatem, siue notionem, quæ *Innascibilitas* dicitur. Sicut enim Principium primum in creatis duplici modo innotescit; tum positiue nimirum, quod ab illo sunt alia, tum etiam negatiue, quod ipsum non est ab alio; ita etiam ratio primi principii in Patre, tum per positiuam proprietatem paternitatis, tum per negationem Innascibilitatis seu Ingeniti innotescit, vt optime docet S. Thomas q. 33. a. 4.

9 Et quamuis initio SS. Patres hoc nomen Ingeniti, Græce ἀγέννητος siue ἀγένητος) non admiserint, eo quod ab hæreticis Anomæis & Arianis callide introductum, suspectam aut etiam falsam haberet significationem; quasi aut solum negationem creationis, aut vniuersim negationem generationis in Deo significaret, vt videre est apud Athanasium in Dialogo Orthodoxi & Anomæi, & in epist. de decretis synodi Nicænæ, & orat. 2. cont. Arianos, & Basilium lib. 1. cont. Eunomium; postea tamen significatione nominis melius perspecta, ad supradictam Patris notionem denotandam eo nomine sæpe & libenter vsi sunt, vt videre est apud Basilium lib. 4. cont. Eunom. cap. 2. Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 7. Gregorium Nazianzenum orat. 38. in sancta lum. Iustinum in exposit. fid. Cyrillum lib. 1. thesauri cap. 2. 3. & 4. & Damascenum lib. 1. de fid. cap. 9. vbi tamen notat, apud Græcos aliter scribi id nomen, cum denotat *Increatum* (quo sensu Athanasius in epistola de synodis Arim. & Seleuc. id nomen etiam filio tribuit) aliter cum significat, nullo modo procedentem ab alio; nam priori modo scribitur ἀγέννητος. cum simplici litera N, posteriori vero cum duplici ἀγέννητος.

10 Assertio VI. Nomen Ingenitus, prout Patris est proprium, formaliter & expresse solam negationem significat: Ita contra Bonauenturam in 1. d. 28. q. 1. quem sequitur Vasquez d. 140. c. 3. expresse docet S. Thomas cit. a. 4. ad 1. & Scotus in 1. d. 28. quæst. 2. art. 1. cum aliis post Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 7. Ratio est. Quia alias non satis distingueretur ab aliis notionibus Patris. Ea negatio etiam à S. Thoma cit. artic. 4. ad 2. vocatur *priuatio*, non quasi sit negatio formæ in eo subiecto, quod aptum esset ad eam formam; sic enim diceret imperfectionem; sed quod sit negatio formæ, quæ in alio simili subiecto eiusdem naturæ apta est inesse; puta in Filio, & Spiritu sancto; vt cum S. Thoma loco citato docent etiam Durandus in 1. d. 28. quæst. 1. Capreolus q. 1. a. 1. Torres, aliique Thomistæ q. 32. a 3. & Vasquez disp. 140. cap. 3.

Addit S. Thomas ad 3. nomen Ingeniti ad relationē pertinere, & relatiue dici; non hoc sensu, quasi positiue aliquam relationem significet, sed eo modo, quo negatio reducitur ad genus affirmationis; vt non homo ad genus substantiæ; & non album, ad genus qualitatis. In quem sensum etiam SS. Patres speciatim Gregorius Nazianzenus orat. 3. de Theolog. & alii Græci passim contra Eunomium & Arium contendunt, eo nomine non significari substantiam, hoc est, essentiam; cum sit nomen notionale, & proprium personæ, vt dictum, non essentiale & commune. Secus est, si loquamur de vocabulo Ingeniti, in alia significatione, prout idem est, quod Increatus; sic enim plane est nomen essentiale & commune; quod proinde etiam hoc sensu secundum substantiam dici, docet S. Thomas cit. q. 33. a. 4 ad 3. quia ratione essentiæ commune est omnibus personis, vt dictum. 11

Assertio VII. Cum nomine *principii* affinitatem quidem et quandam habent nomina *causæ*, *authoris*, & *initii*; sed quæ tñ non promiscue omnia de Patre prædicantur. Probatur & declaratur assertio. Nam nomē *causæ*, iuxta propriū & consuetū modū loquēdi latinæ Ecclesiæ, Patri, aut diuinis personis producentibus alias, non conuenire, fusius dictū q. 2. dub. 1. 12

Nomen & appellationem *Authoris Filii*, Patri tribuit Hilarius lib 4. de Trinit. eamque vocem admittunt Caietanus & Torres q. 33. a. 1. Vasquez disp. 139. cap. 6. & expresse etiam S. Thomas in 1. d. 29. quæst. 1. art. 1. & hic quæst. 33. art. 4. ad 1. vbi ait: *Fontalitas & authoritas nihil aliud significat in diuinis, quam Principium originis*: Quo modo etiam Hilarius lib. 2. de Trinit. dicit, à *Patre & Filio authoribus confitendum esse Spiritum sanctum*: tametsi S. Thomas cit. loc. sent. dicat, solum Patrem dici authorem filii; primirum quia nulla alia persona per se sola author alterius personæ dici potest; adeoque nec Filius per se solus author Spiritus sancti; sed bene Filius simul cū Patre, per modum vnius principii, quod vt sic à nullo alio principio est, aut dependet: licet hac de re paulo aliter differat Vasquez disp. 139 cap. 6. vbi notat Phæbadium lib. cont. Arianos post medium, qui habetur tom. 5. Biblioth. sacræ, Patrem appellasse *authorem sine authore*. Sane rei alicuius autor, quem Græci αὐτάρχην & αὐθέντην dicunt, is solum proprie dicitur, qui per seipsum suoq; artificio & inuentione aliquid perficit; nō qui dependenter aut mot⁹ ab alio priori. Eodemq; sensu secundum prioritatē originis Patres aliqui, præsertim Græci, Patrem nonnunquā vocarunt *maiorem Filio*, vt videre est apud Athanasium orat. 2. cont. Arian Basilium lib. 4. cont. 13

Euno-

Eunomium, Gregorium Nazianzenum orat. 35. siue 3. de Theolog. Damascenum lib. 1. de fid. cap. 4: Omitto Originem homil. 1. in diuersos; quos ex Latinis etiam imitatus est Hilarius lib. 9. de Trinit. De qua re dictum etiam supra q. 1. dub. 8.

14 Nomen autem *Initii* nec Patri, nec ceteris personis diuinis tribuendum est. Quia ea vox proprie significat principium durationis, vt docent Magister, & alii Scholastici in 1. d. 29. Quo modo etiam Hilarius lib. 4. de Trinit. & Concilium Toletanum XI. item Concilium Wormatiense in Confess. fid. dicunt, *Filium natum sine initio ante secula, seu ab æterno*; tametsi Bonauentura in 1 d. 29. a. 1. q. 1. ad 2. dicat, initium posse sumi latiori significatione, vt significet etiam principium, à quo aliud procedit Vbi autem Micheæ 5. v. 1. de Messia seu Filio Dei dicitur, *Et egressus eius ab initio*, vocula hæc non denotat Patrem, sed idem est, quod, antequam quicquam fieret, seu ab æterno, vt mox ibidem declaratur, & recte notauit Vasquez disp. 139. cap. 1. Atq; hæc de vocibus & appellationibus Patris satis. Cetera quæ ad ipsius personam pertinent, speciatim de Relatione & Notione Paternitatis, deque proprio & formali constitutiuo eius personæ, satis dictum est q. præced. dub. 1. 5. & 6.

DVBIVM II.

De variis nominibus & appellationibus secundæ personæ, seu Filii; quæq; sit eorum ratio ac vsus.

S. Thomas 1. p. q. 34. & 35.

TRia quoq; sunt nomina magis vsitata, quibus secunda persona sanctissimæ Trinitatis exprimi solet; nimirum *Filius, Verbum, & Imago Patris*; quibus addi potest *Sapientiæ* vocabulum; de quibus sequentes assertiones cum S. Thoma cit. q. 34. & 35. breuiter statuimus.

1 Assertio I. Secunda persona diuina est verus, proprius, ac naturalis Dei Filius. Hanc supponit S. Thomas ex q. 33. a. 3. & est extra controuersiam apud Catholicos. Ratio sumitur ex dictis dub præced. cum de vocabulo Patris ageremus, quod relatiue dicitur ad Filium; vbi etiam notauimus, nomen Filii analogice solum commune esse naturali Filio Dei, & creaturis. Idem contra Arianos probatur ex scripturis & Conciliis, vt dictum q. 1. dub. 3. & quæst. 2. dub. 7.

2 Assertio II. Secunda persona recte etiam dicitur Verbum Dei, siue Patris. Ita S. Thomas cit. q. 34. a. 1. & certa ac communis omnium Doctorum, contra Alogianos veteres, qui reiicientes Verbum in diuinis, simul etiam reiecerunt Euangelium & Apocalypsin S. Ioannis, teste Epiphanio hæresi 51 & Augustino de hæres. hæresi 30. Patet assertio ex Scriptura, & SS. Patribus, vt dictum cit. q. 1. dub. 3. & q. 2. dub. 1. & est apud Orthodoxos extra controuersiam. Ratio est; quia Filius per intellectum, ac per ipsam intellectionem procedit, vt cit. q. 2. dictum.

3 Assertio III. Filius vere ac proprie est ac dicitur Verbum. Ita S. Thomas cit. q. 34. a. 1. & communis Doctorum in 1. d. 27. contra Origenem in cap. 1. Ioann. vbi dicit, Verbum metaphoricè dici in diuinis; quem S. Thomas q. 34. a. 1. ad 1. *fontem Arianorum* vocat: & contra Durandum cit. d. 27 quæst 3. vbi docet, Verbum in diuinis proprie dici *essentialiter*; Filio autem sola similitudine & appropriatione quadam, reuera tamen improprie tribui, eo quod formaliter per intellectum non procedat. Quæ sententia merito ab omnibus temeraria censetur; quam nos etiam refutauimus supra quæst. 2. dub. 2. Vnde etiam sumitur ratio. Quia Verbum, vti habet communis Philosophorum & Scholasticorum Theologorum sententia, proprie dicitur conceptus mentis intelligendo expressus; seu quod idē est, ipse terminus actionis intelligendi, ab intelligente procedens, & in ipso intellectu inexistens; quæ omnia conueniunt Filio Dei. Quod si, vt Augustinus existimauit lib. 15. de Trinit. cap. 15. Verbum non esset quiuis actus intelligendi quasi in facto esse; sed certa quædam solum & determinata notitia veritatis; nec sic quidem negari posset, Filium proprie dici Verbum, vt patet, cum notitia Patris, qua producitur Filius, sit omni ex parte perfectissima.

4 Addit Sanct. Thomas citat. quæst 34. artic. 1. post Augustinum, seu quisquis est autor lib. de cognit. veræ vitæ cap. 14. & Damascenum lib. 1. de fid. cap. 18. Verbum tribus modis dici proprie; nimirum Verbum mentis, Verbum oris, & Verbum imaginationis, quod vel est ipsum verbum oris imaginatione conceptum, vt sentire videtur S. Thomas; ex Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 10. aut conceptus imaginarius rei, quem proprie etiam Verbum dici existimat Vasquez cit. art. 1. in Comment. ratus etiam imaginatiuam potentiam, vtpote aliquo modo rationis influxum participantem, cogitando seu imaginando loqui; non autem cæteras potentias sensitiuas.

5 Nec dubium est, quod docet S. Thomas loc. cit. ex Augustino 15. de Trinitat. cap. 11. & cum eo ceteri Scholastici communiter in 1. d 27. Vocabulum Verbi magis principaliter conuenire Verbo mentis, quam verbo vocis; quicquid nonnulli apud Torrem quæstione vigesima septima articulo primo dixerint, Verbum mentis improprie solum & metaphorice dici Verbum; & quicquid etiam è contrario dixerit Durandus d. 27. quæst. 2. num. 27. Verbum proprie solum dici de conceptu mentis; de voce autem metaphorice: cum vti vocabulum locutionis & dictionis proprie etiam impositum est ad locutionem vocalem, ita etiam vox verbi ad verbum vocale; vt recte Vasquez loc. cit.

6 Assertio IV. Verbum in diuinis proprie acceptum, est nomen personale seu notionale tantum, ac proprium secundæ personæ; non absolutum seu essentiale. Ita S. Thomas cit. quæst 34. artic. 1. & communis Doctorum ibidem & in 1. d. 27 contra variantes quasdam sententias quorundam Scholasticorum. Prima est Durandi relata assert. præcedenti. Secunda est S. Thomæ in 1 d. 27. quæst 2. art. 2. Capreoli ibidem art 1. Ferrariensis 4. cont. gent. c. 13. & fere Gregorii de Valentia, hic quæst 8. pun. 1. qui docent, Verbum in diuinis accipi proprie tam essentialiter, quam notionaliter. Satis enim pu-

Digitized by Google

tant, vt verbum nostro modo intelligendi concipiatur per modum emanantis, quo modo etiam essentialis intellectio in Deo à nobis intelligitur, quamuis vt sic realiter non procedat. Sed contraria sententia est S. Thomæ hic loc. cit. vbi iudicio Caietani & Vasquez infra, sententiam, quam antea docuerat, tacite retractauit; idemq; sentiunt communiter Theologi, Magister sent. Scotus, Gabriel, Bonauentura in 1. d. 27. Caietanus & Thomistæ hic cit. quæst. 34. artic. 1. Vasquez disput. 141. cap. 3. Suarez lib. 9. cap. 3.

7 Probatur assertio. Primo quia in Scriptura, Patribus, & Conciliis, Verbum in diuinis simpliciter & absolute nunquam dicitur, nisi de Filio Dei; adeoque semper notionaliter seu personaliter, nunquam autem essentialiter: quod argumentum in re tam ardua, ne dicam lubrica, non parui momenti ducendum est. Expresse & constanter Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. & 6. de Trinit. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. docet, Verbum relatiue, adeoque non essentialiter dici. Notat quidem Manuel Caleca lib. 3. cont. Græcos initio, etiam Spiritum sanctum Filii Verbum esse, idque lib. 2. pag. 89. & 90. testimonio Basilii in Psal. 32. & lib. 4. cont. Eunomium probat. Sed certum est, Basilium Verbi voce late & improprie vsum, pro omni termino vitaliter siue ex intellectu, siue ex voluntate procedente.

8 Secundo, quia Verbum natura sua est aliquid reipsa procedens per intellectum, adeoque denotat realem emanationem, quę in diuinis locum non habet, nisi respectu & ratione Filii à Patre realiter procedentis.

Tertio, inauditum est in Ecclesia, proprie loquendo, duplex in Deo esse Verbum, seu duo Verba, vnum personale, alterum essentiale: quod si esset duplex eiusmodi Verbum, dici posset Filius Verbum de Verbo; neque negari posset, dari in diuinis *Verbum Verbi*; quod tamen à SS. Patribus ac præsertim Augustino valde alienum est.

9 Quarto, Vnum tantum est intelligere in Deo, à quo realiter procedit Verbum, vt suo loco quæst. 2. dictum. Ergo impossibile est, vt secundum rationem etiam alterum essentiale Verbum in Deo distinguatur; cum vnius Intelligere vnum tantum sit verbum, nec locus sit verbo, quod secundum rationem solum quasi per modum procedentis concipiatur, vbi ab aliquo Intelligere Verbum realiter procedit: esto alioqui si Verbum notionale & realiter procedens non esset, vtcunque secundum rationem concipere in eo verbum possemus, ratione tantum nostra quasi ab actione diuinæ intellectionis procedens. Accedit denique, quod etiam *dicere* (quod relatiue ad verbum dicitur) in Deo solum notionaliter dicitur, vt assert. seq. dicetur.

10 Ex quibus colligitur, cum sæpius in Scriptura fit mentio verbi, quod ad Prophetas, aut alios Deus locutus dicitur, non intelligi de interno aliquo verbo diuinæ mentis, sed vel per metonymiam de re ipsa concepta, vel de exteriori aliqua locutione; quæ esto proprie sit verbum, non tamen est aliquod verbum internum in ipso DEO, de quo disputamus.

Obiicies. Intelligere essentiale secundum se, & vt est commune omnibus personis, aut est perfectum, vt sic, & in esse completo, etiam iuxta nostrum modum intelligendi; aut non: Posterius dici non potest; quia tunc foret imperfectum: Si primum; ergo habebit, aut erit verbum: aut certe per id etiam, vt in Patre est, non producetur aliud verbum: Quia verbum non differt ab Intelligere in esse completo; nec vnquam procedit ab intellectione, prout in facto esse completa & perfecta existit; sed solum prout est quasi in fieri, seu quatenus est actio intelligendi.

Respondetur, esse perfectum; nec tamen vt sic præcise esse vel habere verbum; quia nec ipsum vt sic; nec ab eo aliquid realiter procedit: habet tamen verbum ab eo realiter procedens, prout est in Patre; seu prout coniunctam habet relationem Paternitatis, vt dictum quæstione secunda. Et ratio est. Quia Verbum in diuinis non procedit velut complementum ipsius intelligere, aut perfectio intelligentis; Pater enim nihil accipit à Verbo, seu Filio, quem producit; nec Verbum est forma quædam, per quam Pater producens verbum formaliter intelligit, vt inferius dicetur; nec omnino ex indigentia aut potentialitate aliqua sui principii producitur, sed ex infinita ipsius perfectione & fœcunditate; supponitq; personam iam constitutam in actu perfecto intelligendi. 11

In quo quidem sane, vt & in aliis plerisque est differentia inter Verbum diuinum & creatum; quæ tamen non obstat, quo minus in diuinis sit proprie Verbum; quia est terminus per se primo productus per actum intelligendi, recipiens & identificans sibi ex vi suæ productionis ipsummet intelligere personæ producentis, quo constituitur in ratione quasi formæ repræsentantis intellectualiter obiectum illius intellectionis, quæ sola per se & formaliter requiruntur ad esse Verbi. Cetera quasi materialia sunt, & ad imperfectionem Verbi creati pertinent, vt pluribus Suarez lib. 9. cap. 2. Reliqua argumenta Durandi facile soluuntur ex dictis quæstion. 2. 12

Assertio V. Ipsum etiam *Dicere* internum, proprie loquendo, notionaliter & personaliter dicitur in diuinis; non vero ita, absolute & essentialiter. Ita S. Thomas cit. quæst. 34. art. 1. ad 3. vbi ait: *Sicut proprie loquendo Verbum dicitur personaliter in diuinis, & non essentialiter, ita & dicere.* Idem docent citati pro præced. assertione contra Aureolum in 1. d. 27. part. 2. quæst. 1. art. 3. & contra quosdam, qui vt refert S. Thomas in 1. d. 27. quæst. 2. art. 2. dicebant, Verbum quidem semper accipi notionaliter; actum tamen dicendi accipi posse & notionaliter, & essentialiter; hocque posteriori modo acceptum nihil aliud esse, quam creare, vel intelligere; vel etiam manifestare aliquid in verbo; quod postremum falso putant, conuenire omnibus personis. 13

Ratio sumitur tum ex dictis assert. præced. Dicere enim relatiue dicitur ad Verbum; cum reipsa nihil sit aliud, quam producere Verbum: cum ergo Verbum non nisi notionaliter accipiatur in diuinis proprie loquendo; idem etiam sentiendum est de Dicere. Tum quia nec Dicere in scriptura essentialiter Deo tribuitur, nisi quando narratur, Deum aliquid exterius creasse; tunc autem omnes 14

fatcn-

fatentur, inquit Vasquez disp. 141. cap. 3. vsurpari improprie. Dicitur enim res ipsa producta extra Deum, Verbum ipsius; & illius productio vocatur dictio, & locutio Dei. Ita Vasquez: sed quomodo hæc explicatio verbis illis Genes. 1. *Fiat lux; fiat firmamentum, &c.* accommodetur non video; malim dicere, significari ea voce decretum internum Dei. Sed & subinde etiam externa aliqua prolatio, seu notificatio diuinæ voluntatis, qua Deus instar alicuius hominis loquitur, dictio Dei, vocatur; quæ quidem si verbo fiat, non video, cur non proprie dictio appelletur; sicut & vocale verbum, proprie verbum est. Sed vt dictum, de verbo externo, aut externa dictione non est quæstio.

15 Addit Sanct. Thomas cit. quæst. 34. artic. 1. ad 3. *dicere non nisi improprie quandoque* (speciatim ab Anselmo in Monologio cap. 58.) *accipi pro intelligere: quæ tamen differunt, inquit: nam intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, &c. sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum: sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti. Et sic sola persona, quæ profert Verbum, est dicens in diuinis, cum tamen quælibet personarum sit intelligens & intellecta; & per consequens verbo dicta.* Ita Sanct. Thomas. Et ibidem paulo superius: *Dicitur enim,* inquit, *non solum verbum, sed res quæ verbo intelligitur & significatur. Sic ergo vni soli personæ in diuinis conuenit dici, modo, quo dicitur Verbum. Eo vero modo, quo dicitur res in Verbo intellecta, cuilibet personæ conuenit dici.* Hactenus Sanct. Thomas. Quare non probatur Vasquez disputat. 141. cap. 4. dum contendit, non tam verbum, quam rem intellectam proprie dici, adeoque intelligere & Dicere formaliter idem esse; nisi quod hoc superaddat respectum processionis: cuius contrarium ex Sanct. Thoma, quem ceteri Theologi hac in re communiter sequuntur, audiuimus.

16 Quod si quis tamen, ad proprietatem scripturarum defendendam, cum Aureolo loc. cit. dicere velit, Verbum *Dicere*, esse æquiuocum; quandoque enim sumi pro exprimere & formare verbum, & sic esse notionale, & conuenire soli Patri; quandoque pro retinere verbum & intueri, seu intelligere, & sic esse commune tribus, iuxta Anselmum loc. citat. is nec in re erraret; nec in modo loquendi absurdum aliquid committeret; quando frequentissime diuina Scriptura toti sanctissimæ Trinitati tribuit *Dicere*; quod si iuxta proprietatem verborum accipi possit, nemo improbet.

17 Assertio VI. Secunda persona Deitatis, eo dicitur Verbum, quo Filius. Ita Sanct. Thomas citat. quæstion. 34. artic. 2. & communis. Probatur & declaratur, Quia licet Verbum non sit nomen synonymum cum Filio, tamen vtroque vocabulo eadem solum proprietas Filii designatur; quæ consistit in respectu reali ad producentem Patrem. Nam Verbum eo ipso, quod procedit vt subsistens, procedit etiam necessario vt Filius. Quo fit, vt eadem relatio Verbi in diuinis, sit etiam filiatio; licet interim vtrumque vocabulum diuersum habeat modum significandi; cum verbum etiam inuoluat relationem (rationis) ad res dictas seu cognitas; vt mox dicemus. Idem expresse docet Augustinus lib. 7. de Trinitat. cap. 2. vbi ait: *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad seipsum dicitur; ita & Verbum ad eum, cuius Verbum est refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.*

Assertio VII. Verbum in diuinis respectum habet per modum repræsentantis, non solum ad ipsum esse diuinum, sed etiam ad creaturas, licet diuersimode: nam creaturarum est expressiuum & operatiuum; Esse vero ipsius diuini, quod in Patre est, expressiuum seu manifestatiuum tantum; sicut & non entium. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 34. articulo tertio. Probatur & declaratur. Quia Verbum debet esse proportionatum scientiæ Patris, ex qua procedit. Sicut ergo scientia Patris est vnica, & quidem cognoscitiua duntaxat tam ipsius Esse patris, quam non entium, iuxta dicta superius disputat. 2. quæst. 8. dub. 10. Factiua vero simul & cognoscitiua creaturarum: ita necesse est etiam, Verbum habere similem respectum ad eadem: quod speciatim etiam quoad non entia docuit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. 18

Recte autem notare videtur Gregorius de Valentia quæst. 8. pun. 2. respectum hunc verbi, in quantum præcise est manifestatiuum, esse rationis tantum; partim quia ad creaturas in Deo nulla est relatio realis; vti nec ad ipsum Esse, seu essentiam diuinam, quia nulla est distinctio realis: imo nec ad ipsam Paternitatem vt sic, quatenus præcise manifestatur in Verbo: quia repræsentatio, quæ præcise & formaliter talis, non dicit actionem in ordine ad Patrem, velut obiectum repræsentatum, licet aliunde vtique Verbum, per modum procedentis, relationem realem dicat ad Patrem velut producentem. Ceterum, quomodo in specie Verbum dicat respectum, tum ad res diuinas, tum creatas, magis explicabitur dub. sequenti. 19

Assertio VIII. Persona Filii recte etiam denotatur nomine imaginis: quod in diuinis itidem personaliter solum dicitur. Ita S. Thomas quæst. 35. art. 1. & prima pars constat ex Scriptura Sap. 7. v. 26. vbi de increata Sapientia dicitur, *Candor est enim lucis æternæ; & speculum sine macula maiestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Et Heb. 1. v. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Ratio est. Quia omnis Filius naturalis est imago sui Patris. 20

Secunda pars est communis Scholasticorum cum S. Thoma ibidem & in 1. d. 27. quam tradit etiam Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Quid est absurdius, quam imaginem ad se dici?* Quod si in diuinis ad aliud dicitur, necessario est nomen notionale seu personale. Ratio est. Quia ad rationem imaginis, præter similitudinem, siue secundum speciem & naturam, siue secundum signum specici, quæ est figura, requiritur, vt ex eo, cuius est imago, vel secundum esse reale (vt in quouis filio naturali accidit) vel secundum esse intentionale in mente artificis (quod non aduertit Aureolus apud Caietanum hic cit. quæst. 35. art. 1.) procedat vt similis; nempe ex ipsa vi processionis, qua talis est; quia iuxta Sanct. Augustinum lib. 83. quæst. 73. & 74. 21

vnum ouum non est imago alterius; quia non est de illo expressum: atqui vero in diuinis nihil potest esse procedens ab altero, nisi persona; cum omnia, quæ processionem in diuinis significant, pertineant ad originem personarum. Ergo vox Imago in diuinis proprie non dicitur, nisi secundum processionem vnius personæ ab alia, adeoq; notionaliter.

22 Neque tamen ratio imaginis est aliqua proprietas Filii distincta à Filiatione; quia cum imago dicat duplicem habitudinem ad Patrem, vt similitudinis nimirum, & procedentis; prior illa solum est rationis, vt suo loco quæstione prima dubio octauo dictum; hæc autem eadem est cum relatione Filiationis, vt recte notauit Suarez lib. 1. cap. 9. num. 6. ex communi post Magistrum in 1. d. 27. vbi dicit, quod *eadem proprietate & notione dicitur Filius, imago, & Verbum.* Quod docuit etiam Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 4. vbi ait, *Eo dicitur Filius, quo verbum, & imago.*

23 Vbi rursus etiam in memoriam reuocandum, quod docuimus supra quæst. 1. dub. 8 & notat S. Thomas hic quæst. 35. artic. 2. similitudinem, quæ est inter Patrem & Filium, non esse ex parte relationum; quia *secundum relationes*, inquit, *non attenditur in diuinis nec æqualitas, nec inæqualitas, adeoque nec similitudo*, iuxta Augustinum lib 6. de Trinit. cap. 4. & lib 5. cap. 6. Id ergo in quo assimilatur Patri Filius, est essentia, non quod hæc sit similis in Filio; sed quod Filius similiter habeat eandem essentiam; ita vt similitudinis quasi conditio sit relatio; ratio autem in qua Filius assimilatur Patri, sit essentia, vt pluribus declarat Suarez lib. 1. cap. 9. & dictum q. 1 dub. 8.

24 Assertio IX. Proprie loquendo solus Filius in diuinis est Imago. Ita S. Thomas cit. q. 35. art. 2. & communis Theologorum ibidem & in 1. d. 27. contra Durandum in 1. d. 28. qui dicit, non minus Spiritum sanctum, quàm Filium, dici posse imaginem; cum nec Filius, nisi improprie & quadam similitudine dicatur imago, vt etiam in simili de Verbo dixerat. Tribuitur quoque eadem sententia, quoad priorem partem, Aureolo, sed qui in 1. dist. 27. q. 1. art. 3. expresse negat, Spiritum sanctum esse imaginem Patris & Filii, licet eis alioquin sit similis.

25 Probatur assertio primo ex scriptura & Patribus. Nam & illa solum Filium, & nullam personam aliam vocat imaginem, vt ex citatis locis liquet, & ex his Latini quidem Patres constanter Imaginis nomen soli filio tribuunt, vt speciatim videre est apud Hilarium lib. 7. de Trinit. Augustinum lib. 3. de Trin. cap. 2. Richardum de S. Victore lib. 6. de Trinit. cap. 19. Rupertum lib. 1. de Trin. cap. 2. Et ex græcis etiam Athanasius serm. 4. cont. Arian. & in epist. de decr. Nic. Syn. diserte solum filium imaginem esse docet. Alii vero Græci, vt Basilius lib. 5. cont. Eunomium cap. 12. Gregorius Thaumaturgus in Confess. fid. apud Gregorium Nyssenum in vita illius: Damascenus lib. 1. de fid. cap. 18. & ipse etiam Athanasius in epist. ad Serapionem, vocant quidem etiam *Spiritum sanctum imaginem Filii*; qua de causa etiam S. Thomas cit. q 35. a. 2. dixit, eam sententiam esse græcorum Patrum: sed qui merito in ea re improprie videntur locuti; attendentes solâ ratione similitudinis; non propriam imaginis rationē.

Ratio assertionis inter varias, quas ibidem refert & refellit S. Thomas, ea est optima, adeoque vera & communis, qua vtitur ipse S. Thomas ibidem; quia ad rationem imaginis pertinet, vt ex vi processionis, qua talis, procedat similis ab altero, cuius est imago, siue exemplaris: quod qua ratione soli Filio conueniat pluribus declarauimus q. 2. dub. 8. 26

Addit Albertinus tom. 2 præd. Relat. Coroll. 14 dub 3. etiam hanc declarationem; quod imago iuxta Aristotelem 6. Top. cap. 2. & Augustinum, ac S. Thomam locis citatis est id, *cuius generatio est per imitationem*: quare cum Filius solum producatur in diuinis per imitationem; producitur enim ab intellectu paterno, intelligente seipsum, tanquam exemplar, quod imitetur in productione, ideo solum Verbum diuinū dicitur imago: at vero in productione Spiritus sancti, quamuis voluntati diuinæ proponatur ab intellectu bonitas diuina, nō tñ proponitur vt exemplar ad imitandum, sed vt finis amandus; ac propterea Spiritus sanctus non dicitur proprie imago. Vasquez tñ hic d. 145. c. 5. communi illa S. Thomæ ratione reiecta, aliam parum solidam ex Canarienſi siue Torre cit. q. 35. a 2. profert, nempe quod Spiritus sanctus licet procedat vt similis, non tamen sit similitudo expressa ad repræsentandum, de qua re plura citata q. 2. dub. 8. 27

Assertio X. Filius est imago solius Patris. Colligitur ex Sanct. Thoma cit. quæst. 35. artic. 1. & 2. & est communis omnium; & nec vel Scriptura, vel Patres filium dixerunt imaginem, nisi Patris. Ratio est. Quia licet Filius, vt similis, procedat etiam ex intellectione Filii & Spiritus sancti, imo & creaturarum, vt dicetur dub. seq. tamen non recte dici potest procedere, aut exprimi ab ipsis, ne conceptibiliter quidem, siue secundum Esse mentale; quia videlicet cognitio Patris non sumitur vel causatur ab illis, vti in rebus creatis accidit; vbi verbum seu notitia artificis (cui secundum Esse repræsentatiuum imago quasi immediate assimilatur) sumitur & causatur ab ipsis rebus, à quibus proinde recte etiam dicitur procedere imago & similitudo. Sed neque Filius dici potest imago essentiæ diuinæ; quia nulla est inter hæc distinctio à parte rei, adeoque nec realis relatio procedentis, vt recte declarauit Suarez lib. prim. cap. nono numero octauo. 28

Assertio XI. Filius etiam appropriatione quadam recte dicitur Sapientia Patris: neque tamen Pater est sapiens sapientiâ genita. Ita S. Thomas q. 37. artic. 2. ex communi, & prior pars constat ex dictis supra quæst. 1. dub. 7. Secundam partem tradit Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 1. & 2. & lib. 7. cap. 1. & 3. & lib. 16. cap. 7. & lib. 1. Retract. cap. 26. vbi probat, *Patrem non esse sapientem sapient. a genita*, ac simul merito retractat, quod olim lib. 83. qq. q. 23. in contrarium dixerat. Eadem est communis Doctorum sententia in 1. d. 32. 29

Ratio est. Quia ea locutione significatur, Filium siue sapientiam genitam esse formalem sapientiam Patris, qua nempe Pater formaliter sapit & intelligit; aut sane quouis modo accipere seu habere suam sapientiam à Verbo, seu per Verbum: hoc autem est falsum, quia si Pater haberet suum sapere à Filio, tum etiam suum esse haberet à Filio; cum 30

idem

idem sit patris esse, quod sapere; vt benè etiam argumentatur Augustinus loc. cit. Seipso igitur, & suamet essentiali ac ingenita sapientia pater formaliter est sapiens, *non sapientia genita*, nec per sapientiam genitam, vt rectè Suarez lib. 9. capit. 10. num. 5.

31 Aliud est, cum dicitur, pater intelligit in verbo, siue in Filio, siue in sapientia genita; hoc enim verè ac propriè dicitur; imo etiam quodam modo appropriatur verbo; iuxta Augustinum lib 15. de Trinitate cap. 14. vbi ait: *Nouit omnia pater in seipso, nouit in Filio, &c.* Quanquam id non ita proprium est Patris, aut Filij, quin etiam reipsa alijs personis conueniat. Nam & Pater in Spiritu sancto, & verbum quoque ac Spiritus sanctus in verbo, adeoque etiam quælibet persona & in se, & in essentia, & in alia quauis persona, se & omnia cognoscit, vt rectè contra quosdam recentiores notauit Suarez lib. 9. cap. 10. num. 6.

Qua ratione etiam Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri cap. 1. ait: *Patrem in Verbo tanquam in imagine repræsentari*; iuxta illud: *Qui videt me, videt & patrem.* Cui consentiunt Ambrosius lib. 5. Hexaemeron & 1. de fid. cap 4. & Bernardus serm. 8 in Cantica, & Rupertus 2. de Trin. cap. 2.

32 Et ratio est. Tum quia repræsentatio omnium intelligibilium conuenit verbo, ratione essentiæ, quæ est eadem in omnibus personis. Tum quia idem omnino est intelligere patris, & aliarum personarum. Tum quia non est aliud cognoscere vnam personam in alia, quam vnam cognoscere ex vi cognitionis alterius, ob connexionem vel identitatem; non quod vna erga aliam, aut etiam erga seipsam, exerceat aliquam causalitatem repræsentandi, sed quod secundum nostrum modum concipiendi, ratio cognoscendi, est tum essentia, tum quælibet persona, quatenus identificatur cum essentia.

Aliud est etiam cum dicitur, *Pater dicit Verbo*, seu 33 Filio, vt in simili dicetur dub. 8. Imo etiam addito accusatiuo rei cognitæ, rectè dici potest, *Pater dicit se & creaturas Verbo suo*; vt communiter omnes Theologi docent; non quidem vt præcisè sensus sit, Pater intelligit se & creaturas Verbo suo; sed pater dictione verbi, siue dicendo verbum, siue dicens verbo, intelligit se & creaturas. Et ratio est. Quia verbum dicere non tantum habet respectum ad verbum productum, sed etiam ad rem cognitam eius productione, vt dictum ex S. Thoma assert. 5. & pluribus dub. 8.

An vero etiam aliquo vero & proprio sensu dici possit, *Pater intelligit Verbo*, dubitatur: Concedunt nonnulli recentiores, in quibus Vasquez disput. 151. cap. 6. num. 22. ita vt intelligere, actionem intelligendi non absolutam & essentialem notitiam significet; sed verius cum Scoto in 1. distinct. 32. quæst. 2. & Gabriele quæst. 1. imò & S. Thoma quæst. 37. art. 1. & 2. ex communi negat Suarez lib. 9. cap. 10. num. 5. Quia intelligere absolutè essentialiter solum dicitur, & ipsam formalem notitiam, non actionem intelligendi seu producendi verbum significat.

34 Nec obstat, quod post Magistrum in 1. dist. 32. communiter approbatur illa propositio, *Pater creauit omnia verbo suo*; vt verbum cum patre comparetur quasi *principium subauctoritatis*: quia creare sequitur productionem verbi; eoque modo loquendi solum significatur, verbum in creatione fuisse patri, ordine quadam originis subordinatum; etsi aliter explicet Vasquez loc. cit. num. 21.

Simili etiam ratione propriè non dicitur, *Filius est sapiens sapientia genita, vel ingenita*, per hanc intelligendo patrem; vt videre est ex his, quæ de hac re disserunt S. Thomas in 1. d. 32. quæst. 2. art. 2. Capreolus q. 1. art. 2. Durandus q. 2. Gabriel quæst. 1. art. 1. & 2. quia Filius non est sapiens formaliter, nec per patrem; nec per seipsum, vti principium Quo, aut rationem formalem: etsi dici possit sapiens sapientia ingenita intelligendo essentiam; aut seipso quasi materialiter, ac velut supposito. Vide Vasquez disp. 151. cap. 7. Plura dub. 8.

Ex quibus denique etiam colligitur, ratio alio- 35
rum nominum, quæ Filio seu propriè ac soli, seu appropriatione quadam tribuuntur. Quia enim verbum & Filius est, dicitur *proles, conceptus, & partus mentis*; item, *veritas, sapientia*, & vt refert Aureolus in 1. dist. 27. part. 2. quæst. 1. art. 3. etiam *ars Dei patris*. Dicitur etiam per quandam metaphoram, *splendor & lumen paternæ gloriæ*, eo quod emanat velut notitia obiectiua, cuius est manifestare. Dicitur etiam *speculum, character, figura, & species*; ea ratione, qua imago est repræsentans ipsum Esse patris. De qua re plura Commentatores sacræ Scripturæ, & in primis Augustinus seu autor lib. de Incarna. verbi à cap. 10. & Hilarius lib. de vnit. Patris & Filij; præter ea quæ de proprijs nominibus Christi velut hominis docentur 3. part. de Incarnat.

DVBIVM III.

Procedátne Filius tam ex cognitione omnium eorum, quæ in Deo sunt formaliter, quam ipsarum etiam creaturarum.

S. Thomas 1. p. q. 34. a. 2. & 3.

DIximus cum S. Thoma cit. q. 34. a. 3. Verbum 1
diuinum dicere respectum, per modum repræsentantis, non solum ad Esse diuinum, sed etiam ad creaturas: quod qua ratione intelligendum sit, dubitatur; an ita, vt ex cognitione etiam eorundem procedat verbum; an vt repræsentet quidem illa, sed ex eorum tamen cognitione formaliter non procedat.

In qua re certum & indubitatum est apud omnes, verbum procedere ex cognitione ipsius essentiæ, tanquam primarij obiecti: nec minus certum, procedere verbum illa ipsa cognitione patris, quæ reipsa est vnica cognitio omnium, quæcunque à patre cognoscuntur, vt expressè etiam docet S. Thomas loc. cit. & art. 1 ad 3.

Sed controuersia est, tum de proprietatibus seu 2
relationibus personalibus; tum de creaturis, an formaliter ex earū cognitione vt sic procedat verbum; siue an cognitio earum vt sic, sit principium Quo

Digitized by Google

producendi Verbum, Eratio difficultatis est. I. Quia in primo illo signo rationis seu originis, quo verbum cognoscendo producitur, nondum intelliguntur existere relationes; idque saltem de spiratione non videtur posse negari; cum ordine originis sit posterior generatione verbi: Ergo tunc nondum est scientia intuitiua illarum: ac proinde nec ex illarum notitia formaliter procedere potest verbum.

II. Quia alias Verbum & Spiritus sanctus per modum obiecti cogniti essent principium ipsius verbi; semper enim obiectum cognitionis, ex qua procedit verbum, est principium etiam ipsius verbi: consequens autem est absurdum. Ergo, &c.

III. Quia Verbum est imago patris tantum, non sui, nec Spiritus sancti, vt dictum dub. præced. Ergo non procedit ab ijs tanquam ab obiecto intelligibili, per se requisito ad productionem. Similia argumenta à potiori fieri etiam possunt de creaturis, vt inferius dicetur.

Quam ob causam sunt hac de re quinque sententiæ. Prima absolutè affirmat, procedere Verbum ex cognitione omnium, quæ pater cognoscit, adeoque ex cognitione ipsarum creaturarum, etiam vt existentium. Ita Gregorius de Valentia hic q. 8. punct. 2. Et citari potest pro eadem sententia S. Thomas hic q. 34. art. 2. & 3. vbi indefinitè asserit, *patrem intelligendo se, omnia alia concipere verbum*; item, *verbum esse repræsentatiuum tum ipsius Dei, tum creaturarum.* Referuntur etiam plures alij, nimirum Alensis 1. p. q. 62. memb. 1. a. 4. & memb. 2. Bonauentura in 1. d. 27. art. 2. q. 2. Richardus d. 27. a. 2. q. 3. Ægidius Romanus a. vlt. q. 4. & omnes Theologi sectatores D. Thomæ: sed immeritò. Aut enim non loquuntur de cognitione creaturarum vt existentium; aut loquuntur de cognitione, ex qua verbum procedit solum materialiter, non formaliter, quatenus ex ea verbum procedit: quidam etiam expressè excipiunt scientiam creaturarum vt existentium, vt dicemus.

Secunda sententia absolutè negat, procedere ex cognitione vllarum rerum aliarum, præterquam solius essentiæ diuinæ, & attributorum absolutorum; quantumuis illa cognitio concomitanter sit etiam cognitio personarum. Hæc sententia communiter tribuitur Scoto in 1. d. 27. q. 3. & in 2. d. 1. q. 1. a. 2. & quodlib. 14. & 24. Quibus locis docet, verbum non procedere ex cognitione vllius creaturæ, nec personarum, sed tantum ex cognitione essentiæ: vt proinde dubitari possit, an non etiam cognitionem attributorum voluerit excludere; prout sanè quidem Scotum refert & intelligit Albertinus to. 2. prædic. Ad aliquid.

Tertia sententia asserit, procedere ex cognitione Patris ac Filij, adeoque ipsius verbi; sed neque creaturarum, etiam vt possibilium; neque Spiritus sancti; ne verbum quoque dicatur imago Spiritus sancti. Ita Vasquez disput. 42. cap. 5. & 4. & disput. 43. cap. 3.

Quarta sententia est, procedere ex cognitione tum ipsius essentiæ diuinæ, & attributorum absolutorum, tum etiam personarum omnium; sed non ex vlla cognitione vllarum creaturarum, etiam possibilium. Ita Albertinus tom. 2. prædic. Ad aliquid. coroll. seu quæst. Theol. 14. dub. 1.

Quinta sententia est, procedere ex cognitione tum omnium, quæ in Deo sunt formaliter, ac necessariò, tum etiam creaturarum, non quidem secundum esse actuale existentiæ, sed secundum Esse possibile; seu quod idem est, non procedere ex scientia visionis creaturarum, vtpote libera in Deo, sed simplicis intelligentiæ tantum. Ad quam aliqui addunt etiam scientiam conditionatam futurorum contingentium; aliqui excludunt, vt refert Albertinus loco cit.

Assertio I. Verbum procedit non solum materialiter ex cognitione patris comprehensiua omnium etiam futurorum contingentium; sed formaliter etiam tum ex cognitione ipsius Essentiæ; tum omnium attributorum essentialium siue absolutorum. Ita habet communis & certa Doctorum sententia locis citatis; & quoad priores duas partes est extra controuersiam. Ratio est. Quia scientia æterni patris est vna, simplex & indiuisibilis entitas, quæ simul ac semel terminatur ad omnia obiecta cognita: Ergo principium Filij materialiter est tota illa scientia patris, quæ ad omnia obiecta à patre cognita terminatur. Rursus. Scientia quæcunque patris eo prior est, vt sit formaliter principium, seu productio verbi quo magis necessaria, & independens, adeoque secundum rationem prior est in patre; sed cognitio intuitiua ipsius essentiæ diuinæ est & summè necessaria, & maximè absoluta, ac independens, & secundum rationem si non prior, certè non posterior vlla alia, seu alterius obiecti cognitione in patre. Ergo, &c.

Tertia & postrema pars assertionis, etsi videri possit contra Scotum loc. cit. est tamen certa & communis omnium aliorum. Ratio est. Quia verbum formaliter procedit ex cognitione quidditatiua & intuitiua essentiæ diuinæ, vt omnes fatentur: sed impossibile est, vt sine attributis essentialibus & absolutis essentia diuina quidditatiue ac intuitiuè vllo modo cognoscatur; cum hæc à parte rei planè identificentur & includantur in ipsa essentia, & contra, vt suo loco disp. 2. q. 2. & 8 dictum: Ergo, &c. Nec potest sententia opposita defendi, nisi quis dicat, attributa diuina inter se & ab essentia à parte rei differre: quod planè falsum & improbabile est, vt suo loco dictum.

Procedit autem assertio de omnibus attributis essentialibus, quæ & quatenus formaliter, ac necessariò sunt in Deo; etiamsi quædam, iuxta nostrum modum concipiendi, dicant respectum ad creaturas, vt est potentia, & scientia Dei, &c. Quia nihilominus secundum esse obiectiuum, & prout à parte rei existunt, sunt in Deo aliquid absolutum: quæ proinde etiam secundum absolutam potentiam cognosci quidditatiuè à nobis possunt, non cognita vlla creatura, vt cit. disp. 2. quæst. 6. dub. 11. diximus. Quod si loquamur aut de actibus liberis, aut de omnipotentia, & omniscientia, ac similibus, prout formaliter dicunt respectum ad creaturas; eadem quæstio de his est, an cognitio talis horum actuum seu attributorum, sit principium, seu actio productiua Filij, quæ est de cognitione ipsarum creaturarum, quas vt sic respiciunt; de quibus infra.

Assertio II. Verbum quoque formaliter procedit, non solum ex cognitione Patris, sed etiam ipsius

Verbi,

Verbi, seu Filij, & Spiritûs sancti, adeoque totius sanctissimæ Trinitatis; & per consequens totius Esse diuini, omniumque eorum, quæ & quatenus formaliter ac necessariò sunt in Deo. Postrema pars sequitur ex præcedenti; & solum maioris explicationis gratia additur. Si enim verbum procedit ex cognitione omnium attributorum absolutorum & relatiuorum, seu quod idem est, essentiæ ipsius, ac personarum, nullum relinquitur Esse diuinum, aut quicquam omnino in Deo formaliter ac necessariò existens, ex cuius cognitione non procedat verbum. Dico, necessariò existens; quid enim de actibus liberis dicendum sit, inferius patebit.

11 Prior pars, procedere ex cognitione totius sanctissimæ Trinitatis, contra Scotum loc. cit. est communis Doctorum, quos citabimus pro assert. sequente, speciatim S. Thomæ hic q. 34. a. 1. ad 3. vbi ait: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit verbum, vt sic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* His etiam accedit Albertinus loc. cit. Probatur primò. Quia verbum procedit ex cognitione quidditatiuâ & comprehensiuâ ipsius Dei; at hæc non est sine cognitione relationum & personarum, vt dictum disp. 2. q. 6. dub. 7.

12 Secundò. Negari vix potest, verbum cum sit imago patris, procedere ex cognitione ipsius patris: & quidem etiam vti à parte rei est, adeoque quidditatiua & comprehensiua: talis autem esse non potest, non cognita relatione paternitatis, & spirationis; quæ sunt de ratione patris; adeoque nec sine cognitione Filij, & Spiritus sancti; cum relatiua sint simul natura & ratione.

Tertiò. Verbum procedit ex tota & omni cognitione patris, quæ & quatenus dicit realem & intrinsecam perfectionem in ipso patre; alias enim non procederet ex cognitione patris vndiquaque perfecta: sed cognitio totius sanctissimæ Trinitatis formaliter dicit veram ac realem perfectionem in ipso patre. Ergo, &c.

13 Quartò. Si quicquam obstaret, quo minus verbum procederet etiam ex cognitione Verbi & Spiritus sancti, ratio esset, quia in eo signo, in quo verbum procedit, nondum potest esse intuitiua cognitio verbi & Spiritus sancti; sed est, vt inferius declarabitur. Ergo, &c.

Assertio III. Verius est, verbum procedere etiam
14 ex cognitione creaturarum secundum esse possibile; siue ex scientia creaturarum simplicis intelligentiæ. Ita docent Gabriel in 1. d. 27. q. 3. a. 3. dub. 1. Caietanus & Thomistæ communiter q. 34. a. 3. Torres q. 27 art. 5. disp. vn. part. 3. Gregorius de Valentia loco cit. Suarez lib. 9. cap. 6. Molina hic q. 34. art. 3. disp. vn. & fauent Ferrariensis lib. 4. cont. gent. cap. 13. alijque citati pro prima sententia; tametsi alioqui res hæc ab antiquis Scholasticis vix fuerit explicata. Idem planè sentit S. Thomas cit. q. 34 a. 1. ad 3. cuius verba retulimus assert. præced. Idem indicat art. 3. vbi ait: *Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repræsentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur.* Et paulò pòst: *Quia Deus vno actu, & se, & omnia intelligit, vnicum verbum eius est expressiuum non solum patris, sed etiam creaturarum.* Neque contrarium docet S. Thomas q. 4. de verit. art. 5. Solum enim dicit, verbum non esse de creaturis, seu à creaturis, velut principio; quamuis sit creaturæ repræsentatiuum, velut obiecti: item primariò ac per se primò non procedere ad repræsentandas illas, sed secundariò, & quasi consecutione quadam; quod etiam S. Thomas ibidem vocauit, *repræsentare illas quasi per accidens.*

Probatur assertio primò authoritate. S. Augustinus lib. 15. de Trin. c. 13. cum dixisset de patre: *Vniuersas creaturas suas, & spiritales, & corporales, non quia sunt, ideò nouit; sed ideo sunt, quia nouit. Non enim nescisset, quæ fuerat creaturus. Quia ergo sciuit, creauit; non quia creauit, sciuit:* paulo post subiungit: *Propter hoc sicut nostra scientia illi scientiæ Dei, sic & nostrum verbum, quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi verbo Dei, quod natum est de patris essentia: tale autem est, ac si dicerem, de patris scientia, de patris sapientia, vel quod est expressius, de patre scientia, de patre sapientia.* Vbi absolutè docet, verbum diuinum esse natum *de scientia patris*; nimirum etiam illa, qua paulò ante à patre cognosci creaturas dixerat, quæque est causa creaturarum; adeoque simplicis intelligentiæ, non visionis. 15

Et mox cap. 14. *Proinde*, inquit, *tanquam seipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè perfectèque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius verbo, quam in seipso, &c.* Et infra: *Nouit itaque omnia Deus Pater in seipso, nouit in Filio: sed in seipso tanquam seipsum; in Filio tanquam verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter nouit & Filius; in se scilicet, tanquam ea, quæ nata sunt de ijs, quæ pater nouit in seipso: in patre autem, tanquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius nouit in seipso, &c.* Cum ergo iuxta Augustinum, pater dixerit, & produxerit verbum, *seipsum integrè perfectèque dicendo*; cumque verbum sit *de his omnibus, quæ sunt in ipso patre*; denique cum ea, *quæ Filius nouit, nata sint de ijs, quæ pater nouit in seipso*, planè fatendum est, verbum procedere etiam ex cognitione creaturarum; non quidem formaliter secundum esse actuale existentiæ, hoc enim aliunde fieri non potest, vt dicemus; sed secundum Esse possibile; seu quod idem est, non ex scientia visionis creaturarum, sed simplicis intelligentiæ, de qua disertè antea fuisse locutum Augustinum diximus. Idem indicat Augustinus lib. 11. Confess. cap. 7. dum ait: *Verbum sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia.* 16

Idem sentit Anselmus in Monologio à cap. 28. 17
vsque ad 44. vbi docet, Deum vnico verbo suo omnia dicere; idque esse perfectissimum & verissimum, respectu omnium creaturarum. Nec refert, quod cap. 31. 32. 33. & 34. dicit, Verbum diuinum non esse verbum creaturarum, nec procedere ex creaturis. Hoc enim ideo solum dicit, vt explicat S. Thomas cit. q. 4. de verit. a. 5. ad 2. quia verbum illud non est à creaturis, velut à principio, vt diximus. Quanquam si de modo loquendi agamus, negari non possit Filium Dei etiam esse verbum creaturarum, cum planè creaturas etiam repræsentet, vt cum Augustino rectè Suarez cit. lib. 9. cap. 6. num. 6. & Vasquez disp. 143. cap. 3. quorum ille pro nobis, hic contra nos eundem Anselmum citat.

Secundò probatur ratione. I. Quia verbum pro- 18
cedit ex cognitione comprehensiua diuinitatis; sed cognitio hæc comprehensiua esse non potest, sine

compre-

comprehensione omnium creaturarum possibilium; vt ex S. Thoma suo loco dictum disp. 2. q. 6. dub. 6. vbi docuimus, comprehendi Deum non posse, nisi cognoscantur omnia, quæ sunt eminenter in Deo; esto etiam hæc cognosci possint, absque eo, quod Deus comprehendatur. II. Cognitio creaturarum possibilium, cum necessaria planè, & vndiquaque immutabilis sit; pertinet etiam intrinsecè ac realiter ad perfectionem diuinæ scientiæ; vt rectè Suarez lo. cit. etsi hoc neget Albertinus lo. cit. Ergo cum verbum procedat ex scientia patris, secundum omnem perfectionem intrinsecam, quam habet, non est negandum, procedere etiam ab ea scientia creaturarum. III. Cognitio creaturarum secundum Esse possibile habet sufficientem rationem & prioritatis, & necessitatis, respectu productionis verbi; vt inferius in solutione argumentorum ostendetur: Ergo nulla est causa, cur negetur, ex ea formaliter etiam procedere verbum.

19 Assertio IV. Verbum non procedit formaliter ex scientia visionis creaturarum. Ita præter Scotum, Vasquez, Albertinum, & alios authores secundæ & tertiæ sententiæ, docent etiam Caietanus, Torres, Molina, Suarez locis citatis, adeoq; communis Doctorum. Neque dissentit S. Thomas, sed potius hoc ipsum indicat cit q. 34. a. 3. dum ait: *Verbum procedere ex cognitione creaturarum, vt expressiuum & factiuum earundem.* Esse enim *factiuum*, dicit solum respectum ad creaturas vt possibiles, non vt existentes, vt rectè etiam notauit Suarez lo. cit. Et quamuis art. 1. ad 3. verbis superius relatis dixerit, verbum procedere etiam ex cognitione omnium creaturarum, non tamen dixit, ex qualibet cognitione, etiam visionis; sed locutus est de scientia simplicis intelligentiæ, qua omnes etiam creaturæ cognoscuntur secundum esse possibile, vti postea insinuauit ipse art. 3.

Probatur assertio. Tum quia satis certum est, Spiritum sanctum non procedere ex amore libero creaturarum, vt dicetur dub 4. Tum quia secundum rationem verbum, & processio verbi est omni modo prior scientiâ libera creaturarum: Ergo verbum non potest ab hac cognitione formaliter procedere. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia licet in actibus his diuinis non sit aliquis ordo temporis, vel naturæ; cum nulla sit inter eos actualis distinctio à parte rei; est tamen ordo rationis, secundum nostrum concipiendi modum, cum fundamento in re; eoque prius concipimus in diuinis cognitionem rerum necessariarum, adeoque necessariam; & per consequens prædicata necessaria prius, quam libera. Cum ergo cognitio creaturarum in Deo absolutè sit libera, potueritque simpliciter non esse in Deo; è contrario vero productio verbi sit actio simpliciter necessaria, necessariò fatendum, hanc quoque secundum rationem priorem esse scientia libera visionis creaturarum. Denique per se notum esse videtur, terminum absolutè necessarij principium esse non posse liberum seu contingens; cum effectus non possit habere maiorem necessitatem, quam causa, seu principium, à quo per se dependet.

21 Assertio V. Verius est, verbum non procedere etiam ex cognitione diuina conditionata futurorum contingentium. Ita Suarez num. 9. Vasquez, Albertinus locis citatis. Probatur duabus rationibus posterioribus pro præcedenti assertione allatis. Nam & hæc scientia, in particulari spectata, respectu certi ac determinati obiecti, est contingens, adeoque potuit simpliciter non esse in Deo: Ergo non potuit esse principium emanationis verbi simpliciter necessariæ; tum defectu prioritatis; tum defectu necessitatis, vt dictum.

Atque ex his non difficile est ad obiectiones contra propositas assertiones respondere. Quando enim contra secundam assertionem obijcitur primò: in illo signo emanationis verbi, nõdum cognosci omnes relationes saltem intuitiuè; cum necdum sint; sed in signo aliquo solum posteriori; cum ordine originis generatio præcedat spirationem: omissa responsione eorum, qui dicunt, verbum solummodo produci per cognitionem abstractiuam personarum, quos meritò refellunt Vasquez, & Suarez locis citatis; cum talis cognitio necessariò inuoluat imperfectionem, vel ex parte obiecti, in sua ratione non inuoluentis, seu includentis existentiam; vel ex parte cognoscentis vnum sine alio, etiam in ijs, quæ essentialiter coniuncta sunt, cognoscentis. 22

Respondeo cum eodem Suarez lib. 9. cap 5. num. 3. & 7. Primum quod attinet ad Patrem, & Filium, non esse magnam difficultatem; quia tam pater in eo ipso signo ponitur iam existere, quam Filius; cum simul & in eodem signo cognoscatur verbum & producatur; quandoquidem ipsa cognitio est productio verbi. Deinde verò, quod ad Spiritum sanctum attinet, licet ordine quasi originis prior sit notitia productiua Filij, quam sit relatio Spiritus sancti; tamen nil obstat, quo minus in illo ipso signo Spiritus sanctus potuerit cognosci etiam intuitiuè: non solum quia à parte rei simul erat; sed etiam quia ad cognitionem intuitiuam non requiritur actualis existentia rei, nec reipsa quidem, vel simultate temporis siue durationis; ne dum iuxta nostrum concipiendi modum, & pro quouis signo rationis; sufficit, existentiam ipsam aliquando futuram, vt suo loco dictum de cognitione intuitiua creaturarum, quam Deus ab æterno habuit, etsi creaturis nondum existentibus. Hoc autem modo in illo signo rationis etiam Spiritus sanctus necessariò concipi debet, saltem vt secundum rationem nostram quasi futurus: quando futurum esse simpliciter & absolutè necessarium erat, ex ipsa fœcunditate essentiæ diuinæ, ac potentiæ notionalis in patre, secundum rationem præsuppositæ. 23

Addit Suarez num. 9. licet dici possit, Spiritum sanctum pro illo signo apprehendi à nobis instar futuri; quia imperfectè cognoscimus & apprehendimus illa signa, ac si in vno signo esset cognitio, in quo nondum est existentia obiecti; tamen reuera ita non esse; quia prioritas originis non est prioritas in quo, sed à quo; nec excludit simultatem omnimodam in existentia & cognitione. Quod quidē respectu relationum oppositarum, & ipsarũ personarum; quæ & quatenus ad se mutuò referuntur, verum est: attamen respectu ipsarum originũ seu processionum diuersarum, quatenus inter se inuicē comparantur, non videtur verum; siquidem prior est & origine, & ratione, processio per intellectũ, quam per voluntatem; sicut ratione prior est in Deo intellectio, quam volitio, vt suo loco dictum q. 1. dub. 8. circa assert. 5. 24

Cum

25 Cum obijcitur secundò. Ex assertione 2. consequens esse, Verbum & Spiritum sanctum, per modum obiecti cogniti esse principiũ ipsius verbi, &c. Respondetur, negando sequelam. Quia vt rectè Suarez lib. 9. cap. 5. num. 5. non semper obiectum cognitum est principium Quo cognitionis, seu verbi per illam producti; sed tunc tantum, quando vt dici solet, obiectum non tantum est terminatiuum, sed etiam motiuum: hoc est, quando cognoscens ab ipso obiecto secundum rem vel rationem accipit cognitionem, adeoque quando vel per seipsum vnitur cognoscenti in ratione speciei intelligibilis, vel quãdo est principium speciei intelligibilis, seu habentis se per modum speciei intelligibilis; vti in proposito est ipsamet essentia diuina, nonaliqua relatio, nec paternitatis quidem, vt cum S. Thoma hic q. 34 a. 3. ad 1. Caietano ibidem, Ferrariensi 4. cont. gent cap. 13. Scoto in 1. d. 27. q. 3. Capreolo q 1. contra Aureolum ibidem, rectè docent Suarez lib. 9. c 6. num. 22. & Albertinus loc. cit ex communi. Quod etiam confirmatur ex S. Thoma hic art. 3. ad 3. qui ob eandem causam negat, verbum procedere à creatura, licet procedat ex cognitione creaturæ. *Creaturæ*, inquit, *non cognoscuntur à Deo per scientiam à creaturis acceptam, sed per essentiam suam. Vnde non oportet, quod à creaturis procedat verbum, licet verbum sit expressiuum creaturarum.* Quo modo soluitur idẽ argumentum ad creaturas applicatum, contra assertionẽ tertiam.

26 Cum obijcitur tertiò; Consequens esse, verbum esse imaginem non tantum Patris, sed etiam sui & Spiritus sancti: Respondetur, negando sequelam. Sui enim imago esse non potest, licet procedat ex cognitione sui; quia exemplar & imago debent esse à parte rei distincta; verbum autem à seipso nullo modo distinguitur, vt patet. Neque Spiritus sancti imago esse potest; tum quia Spiritus sanctus origine posterior est; tum quia Spiritus sanctus non est obiectum motiuum, seu principium cognitionis paternæ; nec adeo à Spiritu sancto vllo modo procedit verbum, vt dictum; cum tamen ad imaginem requiratur, vt aliquo modo procedat ab eo, cuius est imago, vt dictum dub. præcedenti.

27 Contra tertiam verò assertionem obijcitur quartò. Scientia creaturarum possibilium non est prior secundum rationem, ipsa origine seu productione verbi: Ergo non potest ab ea procedere verbum. Antecedens probatur. Quia si esset prior secundum rationem productione verbi, tum etiam secundum rationem prius esset, creaturas esse possibiles, quam productio & existentia verbi; siquidem respectu scientiæ speculatiuæ ratione prius est obiectum, quam ipsa scientia: consequens vero videtur absurdum.

28 Respondeo, negando antecedens: Verius enim est etiam scientiam possibilium in Deo ac Patre secundum rationem priorem esse productione verbi, vt rectè Suarez lib. 9. c. 6. num. 18. & c. 7. n. 7. quicquid in contrarium dixerit Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 13. Et ratio est. Tum quia secundum rationem priores sunt perfectiones absolutæ & essentiales in Deo, (quatenus necessariæ) quam relatiuæ. Tum quia creaturæ, vt sunt possibiles, non pendent per se à verbo, vt verbum est; sed vel à nullo, vel non nisi à Deo vt sic, & ab omnipotentia eius, quæ est prior origine in patre, quam processio verbi: Ergo etiam possibilitas creaturarũ secundum se est origine quasi seu ratione prior: Ergo etiam actualis repræsentatio earum in scientia patris est origine prior, vt benè Suarez ibidem.

Ex quo etiam patet responsio ad probationem antecedentis; nimirum etiam obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, scilicet ipsam, vt ita dicam, possibilitatem rerum, ratione priorem esse productione verbi, vt dictum est. Omitto quod etiam Vasquez & Albertinus, cum fateantur verbum procedere ex intuitiua cognitione ipsius verbi, vel etiam Spiritus sancti, non nisi simili ratione explicare possunt, quomodo ea cognitio verbi, aut etiam Spiritus sancti, sit prior ipsa processione verbi; cum in eo signo rationis nondum supponatur existentia actualis ipsius verbi, aut Spiritus sancti; de qua re dictum obiect. 1. 29

Quintò obijcitur. Tantam necessitatem habere debet hæc cognitio, quæ est via & origo ad verbum, quantam necessitatem habet ipsum verbum productum; non enim maior potest esse necessitas in effectu, seu termino, quam in causa vel principio: sed cognitio creaturarum secundum Esse possibile, non habet tantam necessitatem, quantam habet productio & existentia verbi: hæc enim tantam habet necessitatem, quantam ipse Deus, cum absoluta necessitate naturæ verbum emanet ex scientia patris, vt suo loco q. 2. dub. 1. & 6. dictum; cum tamen Esse possibile creaturarum non habeat tantam necessitatem, quantam Deus: è contrario vero hæ non essent possibiles, si Deus non esset. Hoc est fundamentum vnicum Albertini loc. cit. 30

Respondeo cum Suarez cit. lib. 9. cap. 6. à num. 18. concessa maiori, negando minorem. Ad probationem respondeo primò, cum in conceptu Deitatis non inuoluatur relatio, vt suo loco dictum, & vero ratione prior sit Deitas, eiusque necessitas, quam necessitas & existentia verbi, secundum rationem nostram, quadam excellentia priotitatis non quidem propriè maiorem, sed excellentiorem esse necessitatem Deitatis, siue Dei vt sic, quam verbi. Respondeo secundò, abstrahendo ab excellentia necessitatis, ex parte quasi subiecti, & præcisè loquendo, de ipsa per se ratione necessitatis, pari necessitate necessarium esse, res esse possibiles, & Deum actu esse. 31

Quod ita ostendo. Nam primum loquendo de ratione necessitatis, in quantum præcisè dicit negationem impossibilitatis ad non esse, eadem est vtrobique ratio; cum vtrinque sit negatio totalis & absoluta potentiæ ad non esse Deum, & non esse possibiles res creatas. Deinde si loquamur de mutuâ dependentiâ necessitatis vtriusque, tam independens est necessitas possibilitatis creaturarum à Deo, quam existentia actualis Dei, à possibilitate creaturarum. Quia possibilitas seu Esse possibile creaturarum, per se ac intrinsecè non dicitur per respectum ad Deum, nec vt principium efficiens; quia potest eas efficere; nec vt causam exemplarem, quia illas repræsentat, & ad eius similitudinem sunt effectibiles; sed absolutè, quia non implicant contradictionem, vt suo loco dictum disput. 2. quæst. 11. dub. 3. Hoc verò intrinsecè haberent etiamsi Deus non esset. Vnde cum dicitur; Si Deus non esset, creaturæ non essent possibiles; respondeo si de possibilitate intrinseca loquamur, negando sequelam; concedo si de possi- 32

bilitate

bilitate quasi extrinseca, prout dicit denominationem extrinsecam ab ipsa potentia, seu repræsentatione Dei. Eodemque sensu Suarez loc. cit. num. 19. ait: *Si ad modum explicatum concipiatur illa non repugnantia ex parte creaturarum, planè esse tam necessariam, in sua negatione, sicut verbum in suo Esse actuali; quia est sine dependentia ab alio, in illa non repugnantia. Tota autem necessitas Dei est necessitas independentiæ, ac proinde in hoc est æqualitas. Neq; hoc*, inquit, *est inconueniens; quia non est æqualitas in re positiua, sed in negatione quadam.*

33 E contrario, cum dicitur, Deus esset, etiamsi creaturæ non essent possibiles. Primum etiamsi concedatur sequela, id tamen nihil obest creaturarum possibilium necessitati, cum pari ratione possimus dicere, Creaturæ essent possibiles, (intrinseca possibilitate) etiamsi Deus non esset; vt dictum. Deinde si loquamur non tantum de existentia Dei, prout vel à parte rei est, vel etiam secundum rationem nostram prior est attributis absolutis Dei, sed prout secundum rationem nostram adæquatè spectatur, etiam secundum omnia essentialia attributa, tum quia in conceptu omnipotentiæ secundum nostrum modum intelligendi inuoluitur necessarius respectus ad creaturas possibiles, sanè si hæ non essent possibiles, neque iuxta nostrum concipiendi modum Deus esset positiuè omnipotens; ac proinde nec Deus. Quo sensu benè etiam Suarez loc cit. num. 20. dixit, tam impossibile esse tolli possibilitatem non repugnantiæ ex parte creaturarum; quam Deum non esse omnipotentem, siue poni impotentiam in Deo, respectu creaturarum possibilium: nec posse tolli illam possibilitatem ex parte creaturarum, quin tollatur à Deo positiua perfectio omnipotentiæ, ac subinde scientiæ, & totius diuini Esse, &c.

34 Sextò obijcitur. Si creaturæ non essent possibiles, verbum nihilominus procederet, & esset perfectum: Ergo reipsa ab ea cognitione possibilitatis non procedit verbum.

Respondeo primò, loquendo de præsenti ratione processionis, prout nunc à parte rei est in Deo, & ex consequenti etiam, prout secundum ea, quæ de Deo nouimus, necessariò esse debet, falsum assumi: quia cum reuera nunc, vt probauimus, verbum realiter procedat ex scientia creaturarum secundum Esse possibile; neque talis processio sit libera, sed planè necessaria; sanè si hoc Esse possibile non esset, verbum à patre non procederet Quare etiam nec scientia Dei esset tam perfecta, nec Deus ipse, quia non esset omnipotens, vt dictum, & benè Suarez num. 20.

35 Respondeo secundò cum Caietano, & Suarez ibidem, dato antecedenti, falsum esse consequens. Nam etiam è contrario dicere quis potest; licet verbum non produceretur, nec produceret creaturas, creaturas esse possibiles, quia vt sic per se non pendent à verbo, vt dictum. Et tamen non ideo sequitur, eas reipsa non produci per verbum; cum etsi ex parte creaturarum id non sit necessarium, tamen ex parte ipsius Esse diuini hoc sit necessarium. Ita ergo etiam dici potest in proposito: quamuis ex parte verbi præcisè considerati, ad productionem eius, non sit necessaria possibilitas creaturarum, tamen quia alias per se necessaria est, ideo illâ posita, quasi per modum vnius termini relatiui (nempe scibilis in ordine ad scientiam) planè necessarium esse, vt verbum procedat ex scientia actuali earundem creaturarum secundum Esse possibile.

Septimò obijcitur. Si procederet verbum ex cognitione creaturarum possibilium, tum diceret relationem realem ad illas. 36

Respondeo negando consequentiam. Quia procedit etiam ex cognitione essentiæ, & quidem vt vnici obiecti motiui, vt dictum, & tamen non dicit relationem realem ad illam. Ex omnium quoque sententia verbum repræsentat creaturas, & tamen non ideo dicit relationem realem ad illas; nempe quia verbum intrinsecè planè independens est à creaturis, etiam vt à termino: tametsi illæ extrinsecè per modum solius termini necessariæ sint adhoc, vt repræsententur à verbo.

Cæterum contra quartam assertionem obijcitur octauò. Verbum diuinum procedit ex ea cognitione Patris æterni, qua seipsum is comprehendit: sed illa est cognitio, qua pater non solum se, sed etiam creaturas omnes existentes, vt causa earum efficiens cognoscit: Ergo verbum ex cognitione etiam omnium creaturarum existentium procedit. Ita Gregorius de Valentia.

37 Respondeo ad maiorem, verbum formaliter procedere ex cognitione comprehensiua patris, qua comprehensiua est, non formaliter ex qualibet cognitione, quæ à parte rei comprehensiua est: iam verò quod ad minorem attinet, cognitio creaturarum secundum esse actualis existentiæ, vt sic formaliter non est scientia comprehensiua patris, neq; ad eam absolutè loquendo necessariò spectat: alioquin dicendum foret, si creaturæ futuræ nunquam fuissent, patrem non potuisse se comprehendere; quod est planè absurdum.

Nonò obijcitur. Verbum necessariò procedit vt simile intelligenti, qui intelligens est, per speciem, vel quasi speciem intelligibilem: Ergo necessariò repræsentat omnia, quæ pater per suam essentiam, quasi per speciem intelligibilem cognoscit: Ergo etiam procedit ex cognitione omnium. Consequentia hæc probatur; Quia omnia quæ pater intellexit, dixit suo verbo.

38 Respondeo negando postremam consequentiam; quia verbum non procedit formaliter ex cognitione omnium, quæ ab ipso repræsentantur, siue per se & necessario, siue quasi per accidens & consequenter; sed solum ex cognitione omnium, quæ necessariò ab illo repræsentantur, quales non sunt creaturæ secundum esse actualis existentiæ; hæ enim solum quasi consequenter à verbo repræsentantur, quatenus verbum identificatur cum essentia & scientia patris, à qua procedit. Ad probationem respondetur, tametsi pater omnia, quæ intellexit, dixerit suo verbo, hoc est, locutus fuerit, dum verbum produceret, non tamen sequitur, verbum formaliter procedere ex cognitione omnium, vt dictum. Cætera quæ ab authoritate S. Augustini, S. Anselmi, & S. Thomæ petuntur, iam superius in confirmatione nostræ sententiæ dissoluimus.

DVBIVM V.

De variis nominibus & appellationibus tertiæ personæ, seu Spiritus sancti; quæq; sit eorum significatio ac sensus.

S. Thom. 1. p. q. 36. 37. & 38.

TRia itidem sunt nomina consueta tertiæ personæ, de quibus locis citatis agit S. Thomas nimirum *Spiritus sanctus, Amor, & Donum:* de quibus sigillatim agendum.

1 Assertio I. Tametsi nomen Spiritus sancti (si complexè accipiatur) per se ac prima impositione, atque etiam iuxta modum loquendi etiamnum vsitatum, nomen sit essentiale, ac commune omnibus personis; tamen iuxta modum loquendi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quadam accommodatione vsus, prout vim vnius dictionis habet, notionaliter accipitur, ad significandam tertiam personam in Trinitate. Ita S. Thomas q. 36. artic. 1. in corp. & ad 1. ex communi Doctorum. Et prima pars patet. Quia quælibet persona & Spiritus, & sanctus Spiritus est; & quidem etiam *tres sancti*, quia hoc nomen adiectiuum est; sed *non tres Spiritus*; quia nomen hoc substantiuum est, & ad essentiam pertinet; significans immaterialitatem diuinæ substantiæ; quæ nomina non dicuntur pluraliter in Deo iuxta dicta q. 1. dub. 7.

2 Idem ex Scriptura docet & probat S. Hilarius lib. 8. de Trinit. circa med. vbi inter cetera ait: *Quæro nunc in Spiritu Dei, vtrum naturam, an rem naturæ significatam existimes? Non idem est enim natura, quod natura res: sicut non idem est homo, & quod hominis est, &c. Et secundum hoc, non idem est Deus, & quod Deus est. Mentimi enim in Spiritu Dei ita Filium Dei designari, vt in eo Deus Pater esse demonstratus intelligatur; & ad cuiusuis* (personæ) *demonstrationem posse significatum Dei Spiritum pertinere: nec hoc tantum ex prophetica, sed ex Euangelica authoritate monstrari, cum dicitur; Spiritus Domini super me, propterea vnxit me, &c. In Spiritu autem Dei Patrem Deum significari, ita existimo intelligi oportere, quod Spiritum Domini super se esse, Dominum IESVM Christum professus sit, propter quod eum vngat, & mittat ad euangelizandum, &c. Et Patrem quidem in Dei Spiritu ita significari repertum est: Filium verò hoc modo demonstratum intelligamus, cum dicit; Quod si in Spiritu Dei ego ejcio dæmones, vtiq; appropiauit in vobis regnum Dei; se scilicet, id est naturæ suæ potestate dæmones ejcere demonstrans; qui non nisi DEI Spiritu ejci possint. Est autem & in Spiritu Dei, Spiritus Paracleti significatio; neque solum Prophetica, sed Apostolica authoritate; cum dicitur: sed hoc est, quod dictum est per Prophetam, Erit in nouissimis diebus; dicit Dominus; effundam de Spiritu meo in omnem carnem, &c.* Refert hanc doctrinam Hilarij etiam S. Thomas cit. a. 1. obiect. 1. nec improbat: sed in particulari quomodo in vnoquoque eiusmodi Scripturæ loco vocabulum Spiritus accipiatur, an essentialiter, an notionaliter, non est huius loci discutere.

3 Secunda pars patet ex illo 1. Ioann. 5. vers. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et passim in Scriptura alibi, vt dicemus. Ratio est. Quia sicut processio tertiæ personæ, & relatio seu proprietas personalis illi respondes, defectu vocabulorum, non habet proprium nomen; sed communi nomine *processionis* appellatur, vt dictum supra q. 2. dub. 1. ita etiam terminus huius processionis, nimirum ipsa persona procedens, ex prima impositione nō habet nomen vnū sibi proprium, sed vsu loquendi, & appropriatione quadam habet & vendicat sibi nomen, alioqui cōmune ceteris personis; sed cum supradicto discrimine, quod commune est, sub ratione nominis complexi, notionale autē, *Si*, vt loquitur S. Thomas cit. a. 1. ad 1. *accipiatur in vsu vnius dictionis*; hoc est, prout vim habet vnius dictionis, quomodocunque interim scribatur: nam in scriptione discrimen vix obseruatur; vti nec apud Græcos seruari potest, vbi ὄνομα πνεῦμα nunquam per modum vnius dictionis scribitur.

4 Cur autem supposito eo defectu vocabulorum propriorū, nomen potius Spiritus S. quā aliud, fuerit vsu loquendi attributum tertiæ personę, rationem duplicem assignat S. Thomas. Prima est ipsamet communitas processionis à duobus. Vt enim Augustinus inquit l. 15. de Trinit. c. 19. *Quia Spiritus sanctus communis est ambobus* (nempe ratione processionis ab ambobus) *id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter.* Altera ratio sumitur ex propria significatione vocū. *Nam nomen Spiritus, in rebus corporeis, impulsionē quandam & motionē significare videtur: nam flatum & ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moueat & impellat voluntatē amantis in amatum: sanctitas verò illis rebus attribuitur quæ in Deum ordinantur. Quia ergo persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus sanctus nominatur.* Ita S. Thomas; cuius hæc ratio non placet Durando, eo quod neget, Spiritū sanctum formaliter procedere per voluntatem, aliamque rationem eius appropriationis assignat; sed quem refutauimus quæst. 2. dub. 2.

5 Assertio II. Vocabulum Amoris in diuinis, & essentialiter, & notionaliter sumitur: priori modo est commune omnibus personis: posteriori est proprium nomen Spiritus sancti. Ita S. Thomas q. 37. a. 1. ex communi. Et prior pars patet ex S. Augustino lib. 15. de Trinit. cap. 17. vbi ait; *Nescio, cur sicut Sapientia dicitur, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes, non tres, sed vna Sapientia, non ita & Charitas dicatur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes vna Charitas, &c.* Ratio est. Quia sicut intellectus & actus intelligendi, ita etiam voluntas & actus volendi, seu amandi debet esse cōmunis omnibus & singulis personis. Et quia perfectiones absolutæ & positiuæ etiam in abstracto de Deo & singulis personis diuinis prędicari possunt, vt suo loco dictum de diuinis attributis; idcirco etiam recte dici potest, Pater est dilectio seu amor, seu charitas; & Filius, &c. Atque ad hunc actum communem dilectionis pertinent multa Scripturæ loca, vt cum dicitur; *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sapient. 11. vers. 25. Et 1. Timoth. 1. *Vult omnes homines saluos fieri.* Et plura alia suo loco disp. 2. q. 10. commemorata sunt.

6 Secunda pars probatur & declaratur. Quia cum, vt paulo antea dictum, in processione per voluntatem desint propria nomina, quæ ex prima impositione, siue ipsam processionem, siue relationem secundum processionem, siue terminum processionis significant, idcirco vsu loquendi, propter vocabulorum inopiam, tum ipse actus & actio diligendi, ex qua producitur terminus illius processionis, tum relatio inter principium producens, & terminum productũ, tum deniq; etiam terminus ipse productionis, qui velut impressio quædam est rei amatæ in affectu amantis, *Amoris* seu dilectionis vocabulo appellantur. Terminus autem eius processionis in diuinis est tertia persona, seu ipse Spiritus sanctus, vt dictum; qui proinde Amoris vocabulo notionaliter accepto appellatur. Sic igitur, inquit S. Thomas loc. citat. *inquantum in amore vel dilectione non importatur, nisi habitudo amantis ad rem amatam, amor & diligere essentialiter dicuntur, sicut intelligentia & intelligere. In quantum vero his vocabulis vtimur ad exprimendam habitudinem eius rei, quæ procedit per modum amoris, ad suum principium, & è conuerso, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, & per diligere intelligatur spirari amorem procedentem, sic amor est nomen personæ, & diligere vel amare est verbum notionale, sicut dicere vel generare.*

7 Secus fit ex parte intellectus, vbi sunt vocabula propria inuenta, tum ad significandum solum per se respectum intelligentis ad rem intellectam; vt est verbum *intelligere*: tum ad significandum processum intellectualis conceptionis, eiusque terminum, vt est ipsum *dicere*, & *verbum*. *Vnde in diuinis*, inquit S. Thomas, *intelligere solum essentialiter dicitur; quia non importat habitudinem principij verbi* (per modum actionis realis) *ad ipsum verbum procedens; sed verbum personaliter dicitur, quia significat id quod procedit. Ipsum vero dicere dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principij verbi ad verbum ipsum.* Ita S. Thomas.

8 Et confirmari eadem pars assertionis potest ex illo 1. Ioann. 3. vbi dicitur, *Dilectio ex DEO est.* Et mox infra: *DEVS charitas est*: quod vtrumque probabiliter ad Spiritum sanctum refertur. Plura de hac re disseruimus supra quæstion. 2. dub. 2. contra Durandũ, qui negauit, Spiritum sanctum reipsa procedere per voluntatem aut proprie *Amorem* appellari; quod est plane falsum, & contra certam & communem Doctorum sententiam.

9 Assertio III. Spiritus sanctus recte etiam dicitur Nexus Patris & Filij, in quantum est amor. Ita S. Thomas q. 37. a. 1. ad 3. Probatur & declaratur. Quia cum Spiritus sanctus sit amor mutuus inter Patrem & Filium; vt dub. 7. inferius dicetur; & vero iuxta S. Dionysium cap. 4. de diuin. nomin. mutuus amor sit quædam vis vnitiua, adeoque nexus amantium, recte etiam Spiritus sanctus dici potest nexus Patris & Filij. In quem sensum etiam Augustinus lib. 8. de Trinit. c. 10. *Quid est amor*, inquit, *nisi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet & quod amatur.* Cum quo tamen non pugnat, quo minus Spiritus sanctus simul ab vtroque velut terminus quidam productus procedat; quia hoc ipso quod Pater & Filius se mutuo amant, necesse est, vt mutuus amor, qui est Spiritus sanctus, ab vtroque procedat, vt dicetur dub. 5. Quamuis igitur Spiritus sanctus secundum ordinem originis non sit medius inter Patrem & Filium, sed tertia in Trinitate persona; tamen secundum prædictam habitudinem ratione quadam est medius nexus duorum, ab vtroque procedens.

Assertio IV. Spiritus sanctus recte etiam appellatur *Donum*, tum per respectum ad seipsum dantem, tum respectu Patris & Filij, à quibus procedit. Ita S. Thomas q. 38. a. 1. ex communi. Et colligitur ex Scriptura, in qua Spiritus sanctus dari dicitur hominibus Ioann. 14. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Idem docet Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. vbi ait: *Sicut corpus carnis nihil aliud est, quam caro, sic donum Spiritus sancti nihil aliud est, quam Spiritus sanctus.* 10

Ratio est. Quia cum donum dicat respectum ad dantem & accipientem; duo requiruntur ad donum; primum, vt sit alicuius, à quo donari possit; deinde vt aptum sit haberi ab alio, seu esse alterius, qui nempe eo libere possit vti vel frui. Vtrumq; autem hoc conuenit Spiritui sancto: nam & suus ipse est per identitatem, potens seipso vti, vel potius frui; & Patris ac Filij est secundum originem, à quibus procedit: & rursum haberi potest, non quidem à natura rationis experte, sed à natura creata intelligente; quæ sola capax est libertatis, qua Deum libere possit cognoscere & amare, adeoque frui Spiritu sancto; Ergo Spiritus sanctus & à seipso, & à Patre & Filio, à quibus procedit, aptus est donari creaturæ intelligenti; ac proinde sua natura est donum, saltem secundum aptitudinem & in actu primo; licet etiam in actu secundo tum Apostolis, alijsque iustis donatus sit, tum à seipso, tum à Patre & Filio, vt ex citata Scriptura colligitur. 11

Assertio V. Donum per quandam appropriationem est proprium nomen Spiritus sancti. Ita S. Thomas cit. q. 38. a. 2. & colligitur ex Augustino lib. 4. de Trinit. capit. 20. vbi ait: *Sicut natum esse est Filio à Patre esse, ita Spiritum sanctum donum Dei esse est à Patre & Filio procedere.* Ratio est. Quia donum proprie est *datio irreddibilis*, seu gratuita, quæ non datur intentione retributionis; cuius proinde fons est amor. Cum ergo donum ex amore soleat proficisci, imo primum quasi donum sit ipse amor, recte attribuitur nomen Doni personæ illi, quæ & amor est, & ex amore procedit. Accedit, quod inter diuinas personas, solus ille ita est donum, vt non sit etiam donans aliam personam. 12

Assertio VI. Non tamen ita propriũ est Spiritus S. illud vocabulũ Doni; quin etiã Pater & Filius, adeoq; tota sanctissima Trinitas seipsã creaturę intelligenti p gratiã donet, aut donare possit. Colligitur ex S. Thoma q. 38. a. 1. vbi indefinite docet, *Donum esse nomen personale, in diuinis*, (certo sensu, vt dicetur,) *& competere diuinæ personæ.* Addit, *rationalem creaturam eo quandoque pertingere, vt sit in potestate eius frui diuina persona, & vti eius effectu: nempe, cum sic fit particeps diuini verbi, & procedentis amoris* 13

vt pos-

vt possit libere Deum vere cognoscere, & recte amare. Et concludit. *Sic*, inquit, *diuina persona competit dari & esse donum.* Et denique resp. ad 1. docet, non requiri vniuersim distinctionem inter dantem & donum. &c. Idem colligitur ex scriptura Genes. 15. v. 1. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Quod ad totam S. Trinitatem pertinet. Item Ioann. 14. versu 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et speciatim de Filio dicitur. Isai. 9. versu 6. *parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.* Et Ioann. 3. v. 6. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, &c.* Ratio colligitur ex dictis: quia & vnaquæque persona, sua est per idenditatem, & Filius est Patris secundum originem; & creatura rationalis apta est habere vnamquamque personam, eaque frui, ac effectibus eius vti: nihil ergo deest, quo minus vnaquæque persona, & seipsam donet creaturæ intelligenti, & Pater eidem donet suum Filium, qui ab ipso Patre procedit: etsi Filius Patrem donare non possit, quia Pater non est Filij secundum originem, sed è contrario Filius Patris: nec in diuinis vna persona alteram dare, aut mittere dicitur, nisi illa, à qua altera procedit, vt colligitur ex Augustino loc. cit. assert. 5. & pluribus dicetur dub. 8.

14 Addit Sanctus Thomas, etiam Patrem Filio donare essentiam suam, quia essentia est Patris per modum idenditatis, iuxta Hilarium lib. 8. de Trinitat. circa medium, vbi docet, *Essentiam diuinam esse donum, quod Pater dat Filio.* Verum quia donum ac donatio propriè liberam voluntatem donantis requirunt, modus ille loquendi non videtur admodum proprius.

Ex quibus colligitur, *Doni* vocabulum, vt plurimum quidem esse notionale in diuinis; non solum prout propria quadam ratione Spiritus sancti proprium est, vt dictum, sed etiam quoties vna persona ab alia donari dicitur; siue quoties vna persona dicitur donum respectu alterius personæ dantis siue donantis; hoc enim nunquam, nisi secundum processionem & originem personę datæ à persona dante, dicitur, vt ex Augustino vidimus, & recte S. Thomas cit. art. 1. Nihilominus tamen quatenus donum etiam dici potest ab eo dari, cuius est per idenditatem, nulla scilicet facta distinctione inter donum & donantem, nomen doni etiam essentialiter in diuinis accipi potest, cum Deus, & tota Trinitas seipsam ad modum explicatum donet naturæ rationali.

15 Quod etiam sentit S. Thomas cit. q. 38. a. 1. ad 1. vbi docet, donum tripliciter esse dantis; primò per idenditatem; *& sic*, inquit, *donum non distinguitur à dante, sed ab eo cui datur.* Secundo per modũ peculij seu possessionis propriæ, quo sensu necesse est donum essentialiter distingui à dante, & sic donum Dei est aliquid creatum. Tertio modo dicitur hoc esse huius, per originem tantum. Et sic Filius est Patris, & Spiritus sanctus vtriusque. *In quantum ergo*, inquit, *donum hoc modo dicitur esse datum, sic distinguitur a dante personaliter, & est nomen personale.* Sentit ergo S. Thomas, prioribus duobus modis, non esse nomen personale, vt dictum.

Assertio VII. Diuina persona ab æterno dicitur donum, licet ex tempore detur vel donetur. 16
Ita Sanctus Thomas cit. quæst. 38. a. 1. ad 4. Rationem ipse assignat. *Quia donum*, inquit, *non dicitur ex eo, quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem, vt possit dari.* Quod non obstat, quo minus donum accipi possit in actu secundo; quo modo donum non magis ab æterno dicitur, quam Dominus, siue Creator, aut creatura, aut quam ipsa actualis datio siue donatio, quam in tempore fieri, docet etiam idem S. Thomas q. 43. a. 3. & nos infra dub. 8. Atque hæc de nominibus Spiritus sancti, nunc speciales quasdam difficultates, circa eandem personam, quæ magis rem ipsam concernunt, examinare necesse est.

DVBIVM V.

An Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio; ac per Filium.

S. Thomas q. 1. p. 36. art. 2. & 3.

CElebris est hæc controuersia cũ græcis Schismaticis de processione Spiritus sancti à Filio, quam breuiter sequentib⁹ assertionib⁹ explicam⁹.

Assertio I. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Ita S. Thomas cit. q. 36. a. 2. & Scholastici omnes cum Magistro in 1. d. 11. & est de fide, vt patebit. Nec est vlla controuersia de Patre; cum expresse habeatur in scriptura Ioann. 15. vers. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* I

De Filio solum, vt dictum, controuersia est cum recentioribus græcis, qui pertinaciter negãt, Spiritum sanctum procedere à Filio: Cuius erroris primus assertor fuisse existimatur Theodoret⁹, sub Annũ Christi CCCCXXX. dum adhuc Nestorian⁹ esset, vt patet ex impugnatione noni anathematismi Concilij Alexandrini apud Cyrillum. Nouus autem deinde sub Annum Christi D. CCCLXX. suscitator eiusdem erroris, ac publici inde exorti Schismatis incentor fuit Photius, dum ambitiosus Constantinopolitanæ cathedræ inuasor, eam malis artibus cõtra Romani Pontificis iudicium tueretur; seditiosus deniq; restaurator eiusdẽ & propagator fuit sub Annum Christi ML. Michaël Cerularius Patriarcha itidem Constantinopolitanus; adeo vt in Ecclesia græca inde à quingentis amplius annis, communi & aperto iam Schismate vigeat, vt videre est non solum apud Baroniũ Año DCCCLVII. sed etiam apud Bellarminum lib. 2. de Christo cap. 21. Gregorium de Valentia q. 10. punct. 2. Vasquez disp. 146. qui eundem errorem accuratè refellunt.

Probatur assertio primò ex Scriptura, ex qua aperte hæc veritas deducitur. Primus & illustris locus est Ioann. 16. vers. 13. 14. 15. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & qua ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea* 2

Digitized by Google

sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

Ex quibus verbis duplex ad propositum sumitur argumentum. Primum, cum dicit Christus, Spiritum sanctum de suo, (nempe de eo, quod Christi est) accepturum id, quod Apostolis erat annuntiaturus; significans vtique, Spiritum sanctum earum rerum scientiam, quas Apostolis sit nunciaturus, habere ab eo, quod Christi est, hoc autē aliter fieri non potest, quàm accipiendo simul essentiam ab eo, quod Christi est: quia in diuinis reipsa eadem est scientia Dei, quæ essentia Dei, & impossibile est, vt persona diuina ab aliquo habeat vel accipiat scientiam, nisi ab eodem etiam accipiat essentiam.

3 Illud verò *de meo*, nec potest significare solam per se essentiam; quia sicut de essentia per se nulla persona procedit, cum nulla à parte rei sit inter personam procedentem & essentiam distinctio; ita ab ipsa etiam per se essentiâ diuinâ nulla persona accipit suum esse vel intelligere. Nec potest etiam directe significare personam Patris; non solum quia vocula *de meo*, tam in græco, quam latino textu absolutè posita substantiuè accipitur; sed etiam quia nec verbis antecedentibus, imo nec in illa periodo immediate subsequentibus, vlla fit Patris mentio, vt sub vocula *meo*, persona Patris subintelligi possit aut debeat. Et insolentissimè aliquis diceret; Petrus me clarificabit, quia de meo accipiet; per vocula, *meo*, intelligendo Patrem; si Patris antea nullam fecisset mentionem. Multò minùs per vocula *Meo*, intelligi potest humana natura Christi, quia ab hac vtique nihil accipit persona diuina Spiritus sancti. Restat ergo, vt per vocula Meo, intellexerit Christus, suum ipsius suppositum, seu quod idem est, Esse suum suppositale & personale. Ex quibus proinde verbis denique conuincitur, Spiritum sanctum à suppositio ipsius Filij Dei, seu quod idem est, ab Esse eius suppositali scientiam & essentiam accipere; quod fieri non potest, nisi per processionem ab eodem suppositio seu persona Filij Dei: quia in diuinis persona ab altera nihil accipere potest, nisi per processionem ab eadem, vt constat. Procedit ergo Spiritus sanctus à Filio.

4 Alterum argumentum sumitur ex illis verbis Christi ibidem. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Quæ propositio cum vniuersalis sit, nihil excipit, nisi quod ipsi termini eiusdem tacitè excipiendum conuincunt; nimirum, vt quia salua nihilominus subsistere debet distinctio personarum inter Patrem, & Filium, quæ est per oppositas relationes Paternitatis & Filiationis, vt suo loco dictum, intelligantur omnia, quæcunque habet Pater, esse Filij eo solo excepto, quo Filio opponitur, seu quo ipse formaliter Pater est, quæ est ipsa relatio Paternitatis. Cum igitur per Spirationem Spiritus Sancti nec Patris persona constituatur, nec Filio opponatur, clarum est, ipsam etiam spirationem actiuam communem esse debere Filio.

5 Quod ipsum etiam conuincitur ex verbis, quæ mox ibidem subiunguntur, *Propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ratio enim, cur Spiritus sanctus de eo, quod Filij est, accipiat scientiam suam, est, quia omnia quæcunque habet Pater, sunt filij: quæ ratio aptissime redditur, si virtutem & actum spirandi Filius à Patre, & communem cum Patre habeat; non autem si alia habeat communia, præter actum spirandi.

Secundus locus est Ioannis 17. vers. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt: & mea omnia tua sunt: & clarificatus sum in eis.* Vbi similiter pronuntiat Filius, omnia quæ Patris sunt (eo solo scilicet excepto, quo Filius opponitur) etiam sua esse: Ergo & Spiratio actiua Spiritus sancti Filij est. In quem sensum etiam in Concilio Florentino session. vltim. dicitur: *Quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est.* 6

Tertio huc spectant duo loca, in quibus Christus promittit, se missurum Spiritum sanctum. Ioann. 15. vers. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et Ioann. 16. vers. 7. *Expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Nunquam autem in diuinis vna persona alteram mittere dicitur, nisi producens à se productam. Quare nec Filius Spiritum sanctum potuisset mittere, nisi ab eo procederet, vt inferius dub. 8. dicetur. 7

Quarto denique huc spectant ea loca Scripturæ, in quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Christi, aut Filij; ad quem proinde dicit realem relationem, sicut Spiritus, siue amor, aut voluntas, seu anima hominis ad ipsum hominem; talem autem relationem non diceret nisi ab eo procederet: quia relationes eiusmodi inter diuinas personas non sunt, nisi secundum processionem, vt suo loco quæstion. tertia dictum. Talis autem locus est Rom. 8. vers. 9. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus DEI habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et mox vers. 11. *Qui suscitauit IESVM Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Item Galat. 4. vers. 6. *Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Et Hebr. 1. vers. 10. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* Vbi Spiritus suggerens Prophetis ea, quæ circa Christum euentura essent, vocatur Spiritus Christi. Nonnulli etiam ad hunc modum explicant illud 2. Thessal. 2. v. 8. *Quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris eius, &c.* 8

Secundo probatur eadem veritas ex definitione, & Symbolis Ecclesiæ. Comprobata enim hæc veritas fuit in Concilio Ephesino tom. 1. c. 14. vbi dānato Theodoreto, recipitur epistola Cyrilli, 9

(quæ

(quæ est decima inter eius epistolas) in qua apertè dicitur, *Spiritus veritatis nominatur; & est Christus Veritas, & effunditur ab eo, sicut & ex Deo Patre.* Noua editiõ eiusdem Concilij Ephesini, ex veriore Peltani sic habet. *Sed & perinde quoque ab illo, atque à DEO Patre procedit.* Idem factum est postea in Concilio Chalcedonensi action. 5. & 6. vbi etiam in gratiam receptus est Theodoretus, cum suum errorem retractâsset. His accedunt VI. Synodus action. 17. & VII. Synodus act. 7. & Concilium Lateranense sub Innocentio III. præsentibus græcis & latinis, & Concilium Lugdunense sub Gregorio X. vt refertur cap. 1. de Summ. Trinitat. & fid. Cathol. & denique Concilium Florentinum sess. 6. & 7. Omitto Concilia Prouincialia, præsertim Toletana complura, speciatim IV.

10 Huc inprimis etiam spectat Symbolum Athanasij; quod recentiores Græci cum Valentino Gentili, eiusque asseclis Trinitarijs, immeritò negant Athanasij esse: cum & Gregorius Nazianzenus orat. 21. de laudibus Athanasij testetur, eum edidisse *perfectam fidei confessionem, quam totus occidens & oriens veneratur:* & Sanctus Augustinus in psalmum 120. nomine Athanasij integrum versum huius Symboli recitet: sed & tacito Athanasij nomine sententijs eiusdem Symboli vtatur lib. quinto de Trinitat. cap. 8. & epistol. 174. & in Enchiridio capit. 36. Verba Symboli sic habent: *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec genitus, sed procedens.* Hac vero additione deprauatam fuisse idem Symbolum, tam perspicua Græcorum calumnia est, quam parum vllo indicio antiquioris exemplaris eam possunt comprobare.

11 Huc spectat etiam Symbolum Nicænum, prout dudum ante annos plus quingentos, legitima authoritate, ad græci palam iam grassantis Schismatis publicam detestationem, publicè in tota Ecclesia Latina decantari cœpit, addita ad versum illum, *Qui ex Patre procedit*, particula, *Filioque.* Cum quo additamento etiam receptum fuit in Concilio Toletano VIII. & Synodo VII. action. 7. licet quando, vel à quo Pontifice primum hęc additio communiter, & totius Ecclesiæ latinæ authoritate sit facta, non satis constet: Manuel Caleca quidem lib. 4. contra græcos id Damaso Pontifici tribuit; quod negat Bellarminus lib. secundo de CHRISTO capit. 21. Hoc certum, frustra hanc additionem calumniari græcos; cum etiam Concilium Constantinopolitanum I. ad illa verba eiusdem Nicæni Symboli, *Et in Spiritum sanctum*, addiderit, *Dominum viuificantem, qui ex Patre procedit*: sicut & Concilium Chalcedonense postmodum in Symbolo suo, & addidit quædam, & detraxit. Sed & per se liquidũ est, in Ecclesia quouis tempore authoritatem ac potestatem esse, Symbolum fidei, pro ratione emergentium hæreseon, ac præsentis cuiusque temporis necessitate, explicatius edendi; nulla quidem antiquæ fidei immutatione facta, sed adhibita luculentiore explicatione, vt cum S. Thoma 2.2. q. 1. a. 10. de fide docemus q. 1. dub. 8.

Quanquam nec post exortum quidem græcorum Schisma Latini græcos, etiam in communionem receptos, cogere soliti sunt ad hanc additionẽ Symboli inserendã, vt notauit Caleca cit. li. 4. cont. græcos pa. 309. cum olim tempore Caroli Magni Leo III. Pontifex, qui præfuit circa Annum Christi DCCC. etiam laminæ argenteæ Symbolum inscribi & insculpi sine vlla additione curauerit, vt notauit Baronius tomo 10. Anno Christi 883. 12

Tertio probatur eadem veritas ex antiquis Patribus. Et quidem de latinis vix vlla est controuersia. Aperte Tertullianus lib. cont. Praxeam non longè ab initio: *Tertius*, inquit, *est Spiritus à DEO* (Patre) *& Filio; sicut tertius à radice, fructus ex frutice, & tertius à fonte, riuus ex flumine; & tertius à sole, apex ex radio.* Hilarius lib. 2. de Trinitat. prope finem: *Spiritum sanctum de Patre & Filio auctoribus esse confitendum est.* Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. *Spiritus sanctus, cum procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio.* Augustinus lib. 4. de Trinitat. cap. 20. *Nec possumus dicere, quod Spiritus sanctus & à Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus, & Patris, & Filij Spiritus dicitur.* Et infrà. *Qui ergo à Patre procedit & Filio, ad eum refertur, à quo natus est Filius.* Et lib. 15. de Trinitat. cap. 26. *Sicut habet Pater in semetipso, vt de illo procedat Filius, sic dedit Filio, vt de illo procedat Spiritus sanctus.* Leo I. epistol. 91. seu 95. *Alius est, qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroque procedit.* Prosper lib. de vita contemplatiua: *Spiritus sanctus ex Patre Filioq; procedit.* Item habet Fulgentius lib. de fid. ad Petrum cap. 2. Boëtius lib. 1. de Trinit cap. 12. Gregorius lib. 1. Moral. cap. & lib. 2. Dialog. cap. vlt. Omitto recentiores. 13

Ex græcis eandem veritatem aperte docent quã plures. Inprimis Athanasius serm. 4. cont. Arianos: *Nonenim*, inquit, *tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ; cum non tres soles ad comparationem adducamus, sed vnicum solem* (Patrem) *eiusque splendorem* (Filium) *& ex vtroque lucem procedentem*; his verbis vtique Spiritum sanctum intelligens. Et in epist. ad Serapionem: *Mandat Apostolus, hæreticum hominem post vnam, aut alteram correptionem deuita: etiamsi quos videas cum Helia volantes per aëra, & cum Petro & Moyse sicco pede calcantes maria, nisi Spiritum sanctum profiteantur Deum essentialiter ex DEO Filio existentem, vt nos profitemur, eos non retipias.* 14

Basilius lib. 3. cont. Eunomium circa princip. *Cur necesse est, si dignitate & ordine tertius est Spiritus; natura quoq; ipsum tertium esse: dignitate namq; ipsum secundum à Filio, cum ab ipso esse habeat, & omninò ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit.* Quæ verba cum in Concilio Florentino sess. 26. græci excipierent, non in omnibus codicibus haberi (vti nec in editione Basilienſi Anni 1551. leguntur) latini tamẽ Codicem peruetustum ante annos sexcentos; manu scriptum protulerunt; in quo ea continentur. 15

Epiphanius hæresi 69. de Spiritu sancto ait: *Ex Patre procedens, & de Filio accipiens.* Et in Anchorato, dicit, *Spiritum sanctum esse ex Filio; &*

Digitized by Google

iterum, *esse ex Patre & Filio, & ab vtroq.* Quæ adeo perspicua sunt, vt nulla possint tergiuersatione eludi.

16 Chrysostomus tom. 5. homil. 1. de symbolo, *Iste est Spiritus de Patre & Filio procedens.* Et homil. 2. *Spiritum sanctum dicimus Patri & Filio coæqualem, & procedentem de Patre & Filio.*

Gregorius Nyssenus lib. ad Ablatium, quod non oporteat tres Deos dicere: *Eam quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus; per quod solum alterum ab altero discerni deprehendimus: numerum quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud ex causa, & ex eo, quod ex causa est. Et rursus,* inquit, *aliam differentiam consideramus. Nam aliud quidem continenter, & sine medio ex primo est. Aliud verò per id, quod immediate ex continenti est.* His vtique verbis tres personas diuinas denotans.

17 Cyrillus Alexandrinus lib. 13. Thesauri capit. 2. *Ex Filio naturaliter & substantialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre, prouenire credimus.* Similia habet lib. 11. in Ioann. cap. 1. & 25. & lib. 12. cap. 56. & lib. 5. 6. 7. dialogorum de Trinit. & in epistola ad Nestorium, & lib. de recta fide ad Theodosium.

Item Didymus lib. 2. de Spiritu sancto apud Hieronymum tom 6. *De Spiritu sancto veritatis,* inquit, *qui à Patre mittatur, & sit Paracletus, Saluator, qui & Veritas, ait: Non enim loquetur à semetipso; hoc est, non sine me, & sine meo & Patris arbitrio: quia inseparabilis à mea & Patris est voluntate. Quia non ex se est, sed ex Patre, & me est: hoc enim ipsum quod subsistit & loquitur, à Patre & me illi est.* Et paulo post: *Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritus sapientiæ, non potest Filio loquente audire, quæ nescit: cum hoc ipsum sit, quod profertur à filio, id est, procedens à Veritate, Consolator manans de Consolatore, Deus & Deo, Spiritus veritatis procedens.*

18 Denique Metaphrastes etiamnum sub Annum Christi DCCCL. in vita Dionysij Areopagitæ: *Ascendit,* inquit, *meus Christus in cælum; & ad paternam sedem reuertitur, & Spiritum, qui ex ipso procedit, mittit discipulis.* Omitto alios, qui alijs æquipollentibus verbis idem variè tradiderunt, vt ex parte dicetur assert. 3.

Tertio probatur optimis duabus rationibus S. Thomæ hic q. 37. a. 2. Prima est; quia alias Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, vt fusius dicetur dub. seq. Secunda: Quia in nobis etiam amor necessario procedit ex Verbo ac notitia præuia; sicut enim nihil est volitum nisi cognitum, ita nihil amatur, nisi præuiâ notitia & Verbo amati: Cum ergo Spiritus sanctus procedat per modum amoris, vt dictum, necessario etiam procedet à Verbo seu Filio. Præterea cum recentiores græci concedant, Spiritum sanctum procedere *à Patre per Filium*, negare non possunt, aliquo modo procedere etiam à Filio, cum semper id, quod ab alio per aliquid procedit, ab hoc ipso procedere recte dicatur; vt à riuo, quod à fonte, per riuum; à radice, seu ramo, quod ab arbore, per radicem aut ramum; à calore, quod per calorem ab igne procedit, &c. Sicut è contrario etiam id quod est principium principij, est etiã principium eius, quod ex secundo principio oritur.

19 Denique his accedit morale argumentum à diuino iudicio desumptum. Etenim multi notarũt, post factum à græcis Schisma, Deum vindicem publice pœnas à græcis repetere cœpisse; ita vt ex eo tempore res illorum semper deterius haberent, donec tandem Anno Domini M. CCCC. LII. die 28. Maij postridie Pentecostes, quasi ad vindicandam iniuriam Spititui sancto illatam, Imperium illorum, ipso Imperatore occiso, & Constantinopoli à Turcis capta, penitus extinctum est eisque acerbissimum seruitutis iugum impositum, quo etiamnum premuntur.

20 Neque vero vllius momenti sunt quæ in contrarium obijciuntur à Græcis; & facile soluuntur apud citatos; speciatim apud Gregorium de Valentia qit. q. 10. punct. 2. Summa est I. Ioan. 15. v. 26. Spiritus sanctus dicitur procedere à Patre, sed non negatur procedere à Filio. II. In Concilio Ephesino lectum quidem fuit Symbolum Nestorianum, vna cum refutatione anathematum Cyrilli; sed neutrum probatum; alias pariter etiam probatum illic fuisset, Spiritum sanctum, nec procedere per Filium. Approbata potius illic & in pluribus deinceps Concilijs fuit, epistola Cyrilli, contra Nestorium, vt dictum. III. In Concilio Constantinopolitano I. additum fuit quidem Symbolo Nicæno, Spiritum sanctum procedere *à Patre*; quia hoc solum cum Macedonianis controuersum fuit: sed non fuit dictum, *à solo Patre*, vt falsissimè Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in sua Censura Confess. protestantium cap. 1. dixit. IV. Nullus ex Patribus antiquioribus etiam græcis, proferri potest, qui diserte, aut reipsa negauerit, Spiritum sanctum à Filio procedere; licet de modo loquendi nonnulli postea dubitauerint, vt dicetur assert. 3.

21 Assertio II. Spiritus sanctus procedit immediate à Patre & Filio, à Patre tamen simul etiam mediatè, diuersa ratione. Ita S. Thomas q. 36. a. 3. ad 1. ex communi. Probatur & declaratur. Quia vterque in se formaliter habet virtutem spirandi, qua nullo alio medio interueniente, per ipsum actum amoris spirat. Pater tamen etiam, quia communicauit virtutem spirandi Filio, ideo dum Filius spirat, etiam ipse mediate spirare dicitur per Filium. Et eandem ob causam S. Thomas cit. art. 3. ad 2. notauit, quandoque dici Spiritum sanctum *principaliter* procedere à Patre; imo Bonauentura in 1. d. 12. q. 2. & Marsilius in 1. q. 15. art. 2. etiam vtuntur voculâ *principaliter*. Sed eiusmodi locutiones, præsertim in comparatiuo, non sunt extendendæ, ad vitandum erroris periculum; ne ipsa virtus spirandi in vtroque inæqualis existimetur, vt recte Vasquez eodem articulo 3. & alij.

22 Assertio III. Recte etiam dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre per Filium. Ita Sanctus Thomas quæstion. 36. articulo 3. ex communi. eodemque modo non raro SS. Patres Latini, & sæpius Græci loquuntur, vt videre est apud citatos. Ratio est. Quia hoc modo loquendi significatur inprimis Spiritus sancti à Patre processio mediata, quam antea exposuimus, vt recte Gregorius de Valentia quæst. 10. punct. 4. quanquam

simul

Digitized by Google

simul etiam alter processionis modus à Patre non negatur, imo hoc etiam sensu sub ijsdem verbis simul subintelligi potest, quod Pater non solus, nec absque Filio, sed vna cum Filio virtutem spirandi ab eodem Patre habente, spiret Spiritum sanctum. Sicut dicere solemus, ignem producere ignem per calorem; quod tamen multi Philosophi sic accipiunt, vt nihilominus præter concursum illum quasi mediatum, per calorem, ipse etiam ignis sua forma substantiali immediatè influat ad substantiam ignis producendam. In quem sensum etiam in Concilio Florentino sess. vlt. dicitur. *Declarantes, quod id, quod SS. Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur, filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.*

23 Quare antiquiores Patres promiscuè vtroque modo loquendi vsi sunt; & Theodoretus dum negaret Spiritum sanctum procedere *à Filio*, negauit etiam procedere *per Filium*. Quanquam nunc recentiores græci, cum concedant Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, negant tamen procedere à Filio. Quod etiam cernitur in Damasceno lib. 1. de fid. cap. 11. vbi negat, Spiritum sanctum *ex Filio esse*: cum tamen interim fateatur, eum *procedere per Filium*; etsi non ita, vt vocula, *Per*, causam denotet. Quam ob causam etiam S. Thomas hic quæst. 36. art. 2. ad 3. & quæst. 10. de potent. art. 4. alijque nonnulli Scholastici, reijciunt hac in re Damascenum, velut græcorum errorem secutum. Sed verius videtur, quod docent Suarez lib. 10. cap. 1. num. 13. & Vasquez disp. 146. cap. 7. cum Bessarione orat. de process. Spir. sancti cap. 7. & Concilio Florentino sess. vlt. in literis vnionis, ideo negasse aliquos Patres græcos, & in his Damascenum loc. cit. Spiritum esse à Filio, quia putarunt, duas has particulas *A*, & *Ex*, denotare rationem primi principij; itaque ne duo prima principia constituerentur, cum Filius sit principium de principio, dixerunt, Spiritum sanctum esse ex Patre per Filium; non à Filio, &c. Eodemque sensu *Causæ* nomen (pro primo scilicet principio, seu authore) accepisse Damascenum, vti & Maximum in epist. ad Marinum probabiliter credi potest, vt videre est apud Vasquez ibidem; qui eodem etiam sensu in bonam partem accipere & explicare conatur Theophylactum & Euthymium; quod tamen non concedit Suarez loco citato.

24 Quod autem recentiores Græci dicunt, Spiritum sanctum solum dici per Filium à Patre procedere, 1. vt exprimatur alter terminus relationis, quam significat nomen Patris. 2. vt significetur, Filium & Spiritum sanctum esse consubstantiales. 3. vt significetur, à Patre non solum Spiritum sanctum, sed etiam Filium procedere, vt illud *per Filium* tantundem valeat, ac si dicatur, *cum Filio*, planè friuolum & insulsum est, & rectè refellitur à Bessarione in Concilio Florentino, & à Gregorio de Valentia cit. quæst. 10. punct. 2. Quia hac ratione pariter dici posset, Filium procedere à Spiratore, (intellige Patrem) vel etiam à Patre, per Spiritum sanctum: quod plane est absurdum.

Plura videri possunt apud citatos, & alios, qui 25
dudum hunc errorem græcorum refutarunt, in quibus sunt etiam Anselmus lib. de process. Spiritus sancti, Magister & Scholastici in 1. sent. dist. 11. Sanctus Thomas opusc. de erroribus græcorum, & quæst. 10. de potent. art. 4. & 5. item Emmanuel Caleca auctor grauissimus recens Ingolstadij editus Anno M. DC. VIII. Bessarion Cardinalis in varijs lucubrationibus, præsertim orat. quæ inter Acta Concilij Florentini habetur, Gennadius Patriarcha Apolog. pro Concilio Florentino, Hugo Ætherianus de process. Spirit. sanct. tom. 9. Biblioth. SS. Patrum. Humbertus Cardinalis, duobus tractatibus contra Græcos, tom. 6. antiq. lect. Canisij, & ad calcem tomi XI. Baronij, Leo IX. epist. cont. Michaëlem Constantinopolitanum, & ipsum inprimis Concilium Florentinum.

DVBIVM VI.

An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet.

S. Thom. 1. p. q. 36. art. 2.

TRes sunt hac de re Doctorum sententiæ. Prima est affirmatiua; quæ simpliciter docet, fore nihilominus distinctas personas; quam tuentur Henricus quodlib. 5. quæst. 9. & Scotus in 1. d. 11. quæst. 2. Fundamentum potissimum est, quia reipsa nunc Filius distinguitur à Spiritu sancto per Filiationem, per quam in Esse talis personæ constituitur; maneret autem tunc non minus Filius, quam nunc est: Ergo Filius distingueretur à Spiritu sancto, etiamsi ab eo non procederet. 1

Secunda sententia, & quidem communis Theologorum, est simpliciter negatiua. Ita enim docent Sanctus Thomas 4. cont. gent. cap. 24. & de potentia quæst. 10. artic. 4. & hic quæst. 36. art. 2. Caietanus, Torres, Zumel, & recentiores Thomistæ ibidem, Bonauentura in 1. d. 11. quæst. 1. Ægidius d. 11. art. 1. quæst. 3. Herueus quæst. 1. Durandus dist. 11. quæst. 2. Capreolus quæst. 1. artic. 1. Marsilius in 1. q. 15. Ferrariensis cont. gent. loc. cit. item Gregorius de Valentia quæst. 10. punct. 3. Molina quæst. 36. artic. 2. disput. 3. Suarez lib. 10. cap. 2. Vasquez disp. 148. è quibus etiam Thomistæ recentiores quidam contrariam sententiam temerariam & in fide periculosam censent; tametsi Vasquez cap. 3. eam censuram æquo rigidiorem censeat, ratus sententiam Henrici & Scoti nihil periculi habere in fide. 2

Tertia sententia est media, quam tradit Aureolus in 1. d. 11. quæst. 1. art. 3. vbi docet, quod etsi Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc tamen ab eo non quidem personaliter, sed realiter distingueretur. 3

Ceterum pro resolutione huius dubitationis, obseruandum est triplici sensu eam posse proponi. Primo, vt non obstante vlla hypothesi, suppo-

nantur personæ Filij & Spiritus sancti prorsus esse eædem, quæ nunc sunt; hoc solum excepto, quod vna non procedat ab altera; & hic sensus inutilis ac ridiculus est, vt rectè Gregorius de Valentia, Suarez, & alij locis citatis; vtraque enim tunc contradictionis pars sequitur, nimirum & fore distinctas, cum supponantur personæ eædem, quæ modo sunt; & non fore distinctas; cum sit de ratione ipsarum, vt vna ab altera procedat, vt dicemus. Quod si Godfredus quodlib. 7. quæst. 4. (quem refert Scotus loc. cit.) & Ariminensis in d. 11. quæst. 1. art. 2. hoc tantum sensu quæstionem hanc supervacaneam & inutilem pronuntiassent, non malè censuissent. Illud certum est, hoc sensu quæstionem præsentem non tractari.

4 Secundo ita intelligi potest hæc quæstio, vt supponatur quidem, tam Filium, quam Spiritum sanctum nihilominus esse ac procedere à Patre, non tamen determinatè eiusdem omnino rationis & modi persona, sed ab hoc in quæstione abstrahatur. Tertio, vt nihil eorum supponatur, sed solum facta illa hypothesi, de non processione à Filio, quæratur, an & quomodo tunc personæ illæ Filius & Spiritus sanctus futuræ essent, iuxta ea, quæ siue ex naturali ratione, siue ex reuelatione de Deo & diuinis personis nouimus: & in vtroque hoc sensu procedit quæstio, & sententia illa negatiua, quam retulimus. Pro cuius explicatione sit hæc

5 Assertio vnica. Si Spiritus sanctus á Filio non procederet, tum Filius, & Spiritus sanctus, nec personaliter, nec vllo modo realiter á se inuicem distinguerentur. Ita omnes authores secundæ sententiæ, à qua, quia communis est, & maximè consentanea fidei, de processione Spiritus sancti à Filio, non est recedendum; cum præsertim opposita Scoti opinio argumentum maximè efficax Latinorum contra Græcos infirmet, & nullius momẽti efficiat, vt notauit etiã Vasquez c. 7. n. 32.

6 Fundamentum præcipuum est. Tum quia modo est de ratione Spiritus sancti, vt procedat à Patre & Filio: sicut è contrario etiam de ratione Filij, vt ab eo procedat Spiritus sanctus. Ergo si Spiritus sanctus non procederet à Filio, prorsus non essent hæ personæ, ac proinde nec à se inuicem distinguerentur. Tum quia quantum ex ratione naturali, & ipsa reuelatione scimus, in Deo ac diuinis omnia vnum sunt, vbi non obuiat relationis seu originis oppositio; adeo vt personæ in diuinis non distinguantur, nisi relationibus eiusmodi oppositis, vt suo loco q. 3. dub. vlt. dictum; & patet inductione in omnibus cæteris attributis: atqui si non procederet Spiritus sanctus à Filio, iam nulla esset inter eos relationis vel originis oppositio. Ergo, &c. Atque hæc est ratio Sancti Thomæ loco citato. Cum qua reipsa conuenit illa Vasquez cit. disput. 148. capite 6. Quæcunque in Deo non repugnant esse, in eo necessario sunt; intellige seclusis actibus liberis: si autem Filius & Spiritus sanctus non opponerentur, vti quidem fieret tunc, si hic ab illo non procederet, non repugnaret vtrumque esse eandem personam secundum rem: quia in diuinis non est assignanda distinctio & pluralitas, nisi quando, & inter quos fides eam constituit, vel ratio ipsa manifestaque repugnantia demonstrat: quorum neutrum in proposito suppeteret: Ergo reuera vterque esset eadem persona. Omitto alias aliorum rationes minus firmas.

Idem peculiariter probatur testimonio Gregorij Nysseni, quod citat Bessarion capite sexto suæ orationis ex libro ad Ablabium, vbi de diuinis personis, earumque distinctione sic ait: *Eam, quæ circa causam & causatum consideratur, differentiam non negamus, per quod solum discerni alterum ab altero deprehendimus: nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud vero ex causa, & ex eo, quod ex causa est.* 7

Idem significat Concilium Florentinum sessione vltima, vbi dicitur: *Nam credentes Spiritum sanctum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant Spiritum ex solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium.* Quibus postremis verbis hoc absurdum ex Græcorum sententia deduci videtur, videlicet filium omnino ea ratione è medio auferri, si ab eo Spiritus sanctus non procedat: etsi Vasquez cit. disp. 147. cap. 3. ea longe aliter explicet, quasi ex Græcorum sententia solum deducatur, Spiritum sanctum non esse filium: quod non video, qua ratione consequens sit. 8

Ex quibus satis probatur, Spiritum sanctum non fore personam distinctam à Filio, si ab eo non procederet: ex hoc vero vlterius etiam sequitur, prorsus non fore distinctum realiter; quia in diuinis non potest esse distinctio realis, nisi inter personas, & eas, quæ cum ipsis identificantur, origines & relationes, vt suo loco dictum. Si ergo Filius & Spiritus sanctus inter se personaliter non distinguerentur, nec realiter vllo modo distinguerentur. 9

Ad contrarium fundamentum Scoti, omissa responsione Vasquez citata disputatione 147. capite septimo, vbi supponit, alia ratione personam Filij constitui, alia distingui à Spiritu sancto, contra ea quæ quæst. 3. dub. vlt. diximus; Respondetur cum Suarez, Gregorio de Valentia, & alijs, reipsa quidem nunc distingui Filium per Filiationem à Spiritu sancto, non solum ratione vt putauit Vasquez, sed etiam realiter, quia supponitur, hanc ratione adiunctæ originis, & actiuæ spirationis, quam intrinsece etiam includit, vt dicetur dubio sequenti, mediatè saltem opponi Spiritui sancto: tunc autem, si Spiritus sanctus à Filio non procederet, hæc suppositio cessaret; ac proinde nec distingui vllo modo Filius posset à Spiritu sancto. Eadem ratione negandum est, Paternitatem, qua Pater constituitur, sufficienter ipsum distinguere à Spiritu sancto, etiamsi hic ab eo non procederet. Nec obstat, quod spiratio secundum nostrum modum concipiendi non includatur in ratione & formali conceptu Paternitatis & Filiationis; satis est, quod reipsa necessario & essentiali nexu cum ipsa persona Patris & Filij sit coniuncta, sicut intelligere coniungitur Patri, &c. 10

Sed vrget præterea Scotus. Etiamsi Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc essent duæ processiones; vna per intellectum, altera per vo- 11

Iunta-

luntatem: Ergo duæ personæ procedentes. Respondeo ex communi, quam sequitur etiam Vasquez. cit. cap. 7. eo casu nec futuras duas processiones secundum rem, nec duas relationes productí, nec adeo etiam duas personas productas. Cum enim, vt dicetur, processio per voluntatem necessario & intrinsece deposcat duas personas producentes, protinus altera earum sublata, non esset.

Obijcitur etiam contra nostram sententiam Anselmus libro de processione Spiritus sancti capite 2. vbi ait: *Hæc igitur sola causa pluralitatis in Deo, vt Pater & Filius, & Spiritus sanctus dici non possint, de inuicem, sed alij sint ab inuicem, quia præfictis duobus modis* (generatione scilicet & processione) *est Deus de Deo. Nam quoniam Filius existit ex Deo nascendo, Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate nativitatis & processionis referuntur ad inuicem vt diuersi.* Et capite 4. *Nam si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus sanctus, per solum hoc essent diuersi, scilicet quia alter nascendo, alter existit procedendo.*

12 Respondet Vasquez cit. disp. 147. cap. 7. Anselmum Scoti quidem sententiam tradidisse; sed veriori tamen non posse præiudicare. Sed verius existimo, hoc sensu Anselmum non esse locutum, sed alio diuerso, nimirum supponendo, in posteriori dicto, quod Filius & Spiritus sanctus reipsa nunc sint personæ distinctæ, vti Græci pariter cum Latinis affirmabant, ex hac hypothesi dixit, si aliunde non essent diuersi, per hoc tamen fore diuersos &c. nimirum supponendo, quod sint diuersi. In priori autem dicto locutus videtur de processione, prout à parte rei Spiritui sancto conuenit, ita vt per eam à Patre filioque procedat; quod esse de ratione huius processionis mox dicemus

13 Atque ex his colligitur, qua ratione duæ illæ processiones seu emanationes passiuæ Filij & Spiritus sancti inter se distinguantur; cum enim omnium sententiâ realiter distinguantur, non minus quam personæ, vt etiam suo loco quæstione tertia dictum, non tamen ab omnibus eadem huius distinctionis causa & ratio affertur, vt videre est apud Scotum in prim. dist. 13. quæst. prima. Primo enim Ægidius d. 13. art. 2. & Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 24. docent, origines distingui per terminos. Sed cum à termino non tam sumatur distinctio realis & numerica, quam specifica motus; ac simul etiam motus formaliter, & in recto non sit ipse terminus, non videtur hæc responsio sufficiens. Secundo Henricus in summ. artic. 37. quæst. 7. & quodlib. 6. quæst. 1. & Adamus Goddamus in 1. d. 6. quæst. 1. art. 2. causam huius distinctionis realis referunt, in distinctionem formalem & rationis, quæ est inter intellectum & voluntatem, velut principia vtriusque processionis. Sed quia distinctio formalis ac rationis multo minor est, quam realis, præsertim strictè accepta, qualis est inter personas; ac simul etiam principium actionis seu passionis extrinsecè quodammodo se habet ad actionem; ita vt passiua origo formaliter non sit ipsum principium, ea ratio etiam non sufficit, vt rectè Scotus loco cit. Qui proinde tertio cum Bonauentura d. 13. quæst. 3. docet, emanationes has distingui se totis, seu quod idem est, seipsis primò; hoc ipso, quia disparatæ, ac sua natura diuersæ sunt: quod etiam docent Gabriel cit. dist. 13. quæst. vn. art. 2. & Durandus quæst. 2. à num. 32. Sed quia in diuinis distinctio realis non est, nisi secundum oppositionem relatiuam (alias enim etiam Paternitas, & spiratio actiua inter se realiter differrent) ac proinde ea quæ sibi relatiuè non opponuntur, per se primo realiter distingui non possunt; Verior est quarta sententia S. Thomæ quæst. 10. de potent. art. 2. qui eodem modo de processionibus sentit, ac de relationibus; nimirum sola oppositione relatiua distingui posse; siue quia directe secundum se relatiuè opponuntur, siue quia indirectè quasi & ratione adiuncti hanc oppositionem habent. Quod in proposito ideo fit, quia Filiatio siue generatio passiua necessario ac intrinsece adiunctam habet spirationem actiuam, quæ directè ac per se opponitur processioni; siue spectetur vt relatio est, siue vt origo: siquidem etiam origo est relatio quasi in fieri. Atque hæc sententia est etiam Caietani hic quæst. 27. art. 4. & communis Thomistarum, aliorumque recentiorum, quam pluribus tuetur Vasquez disp. 148. cap. 2. Idem docuimus supra quæst. 3. dub. 2.

DVBIVM VII.

Ex quarum rerum amore procedat Spiritus sanctus; & an procedat à Patre & Filio velut vno principio, & spiratore, ac duobus spirantibus.

S. Thomas 1. p. q. 36. a. 4.

SPectat hæc quæstio ad modum processionis ipsius Spiritus sancti ex Patre & Filio melius cognoscendum; siue is consideretur ex parte obiecti terminantis amorem, ex quo procedit; siue ex parte ipsius principij, quod diximus esse Patrem & Filium.

Assertio I. Circa obiectum amoris, ex quo procedit Spiritus sanctus, eodem modo, seruata proportione ratiocinandum est, quo de obiecto intellectionis, ex qua procedit Verbum: ita nimirum, vt sicuti verbum procedit ex cognitione tum ipsius Essentiæ diuinæ, omniumque personarum, tum etiam ipsarum creaturarum, non quidem secundum Esse actualis existentiæ, sed secundum esse possibile consideratarum; ita etiam Spiritus sanctus procedat, tum ex amore Diuinitatis, omniumque personarum; tum etiam ex amore necessario creaturarum secundum esse possibile; non autem ex amore libero earundem secundum esse actualis existentiæ. Prima pars est communis Doctorum, & traditur etiam à Vasquez disp. 143. c. 5. Alteram partem tradunt citati pro eadem sententia de processione verbi dub. 3. Ratio generalis est. Quia sicut se habet diuinus intellect⁹ ad sua obiecta, & terminū inde procedētem; ita etiā voluntas

1

diuina

diuina se habet ad eadem obiecta, & terminum, seruata proportione; saltem supponendo, quod Deus velit & amet creaturas etiam secundum esse possibile; vti nos quidem docuimus disp. 2. q. 10. dub. 1. & cum Scoto agnoscit etiam Vasquez hic disputatio. 132. capit. prim. tametsi id quidam negent.

2 Assertio II. Pater & Filius sunt vnus spirator, seu vnum principium spiritus sancti, non duo; quamuis rectè dicantur duo spirantes. Ita S. Thomas q. 37. art. 4. & communis Doctorum. Et secunda pars est extra controuersiam; quia spirans est nomen adiectiuum; ad hoc autem, vt nomen adiectiuum pluraliter dicatur, sufficit multiplicatio suppositorum; vt iuxta communem doctrinam Theologorum dictum q. 1. dub. 7. & notauit S. Thomas ibidem ad 7.

3 Prima pars habetur in Concilio Florentino, decreto vnionis, atque etiam alias, vbi id sæpius inculcatum fuit græcis, qui latinos incusabant, quasi duas causas, seu duo principia spiritus sancti constituerent. Idem habetur in Concilio Lugdunensi, vbi contrarius loquendi modus damnatur, vt refertur capit. vnic. de sum. Trinit. & fid. Cathol. in 6. quicquid in contrarium dixerint Durandus in 1. d. 29. q. 2. & Arimenensis dist. 12. q. 1. etsi non tam reipsa, quam verbis à communi sententia discrepantes. Cum enim pariter omnes fateantur, esse vnam & eandem numero virtutem spirandi in Patre & Filio; quod eadem numero essentia & voluntas in vtrisque est; duo tamen illi contendunt, nihilominus ex vi verborum duo dicenda principia; eo quod nomē principij sit quasi adiectiuum, ad cuius pluralitatem satis est multiplicatio suppositorum, etiamsi forma non multiplicetur, vt dictum. Quibus ex parte consentiunt Gabriel & Ockam in 1. d. 12. q. 1. rati vtrumque dici ex vi verborum posse, & esse vnum principium spirandi, & esse duo principia; quamuis propter hæreticos, & ne errandi occasio præbeatur, posterior propositio ab Ecclesia negetur.

4 Sed insistendum communi sententiæ S. Thomæ, quæ absque temeritate, etiam in modo loquendi, iam à duobus concilijs generalibus recepto & approbato, reijci non potest, vt recte Torres q. 36. a. 4. com. part. 2. Molina ibidem, Suarez lib. 10. cap. 7. Vasquez disp. 149. capit. 3. & communiter recentiores; tametsi Gregorius de Valentia hic q. 10. pun. 5. non admodum videatur hunc loquendi modum Durandi improbare, certo sensu acceptum. Ait enim; *si dictum illud Durandi intelligatur, quatenus spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, etiam vt inter se distinguuntur, non esse temerarium, tametsi sit falsum.* Sed quia vti dici solet, verbis etiam inordinate prolatis incurri potest hæresis, isque loquendi modus omnino reprobatus est in Concilijs, non potest is sanè absque temeritate vllo sensu defendi.

5 Ratio verò assertionis est, iuxta S. Thomam ibidem ad 7. Quia nomina principium & spirator non sunt nomina adiectiua, vti putauit Durand⁹, sed substantiua; quæ pluraliter non dicuntur, nisi præter suppositа etiam forma multiplicetur, vt suo loco dictum quæst. 1. dub. 7. & recte etiam notauit S. Thomas eod. art. 4. Sicut non dicimus tres Creatores, siue tria principia creandi, nec tres Deos, vel Dominos, aut tres Sapientias. Ea vero forma in proposito est ipsa virtus seu actus spirandi; qui in vtroque est idem.

Accedit insuper, quod vt recte argumentatur etiam S. Thomas ibidem, Pater & Filius in omnibus vnum sunt, in quibus non obuiat relationis oppositio; at vero secundum spirationem actiuam sibi nullo modo opponuntur: Ergo. &c. Quibus de causis etiam Torres q. 39. artic. 3. cum Anselmo cap. 12. de process. spir. docet, non posse etiam simpliciter & absolute dici plura principia, Patrem, vt est principium Filij, & Filium, vt est principium Spiritus sancti; quamuis hæc sint inter se ratione distincta.

6 Obijci potest Hilarius lib. 1. de Trinit. vbi ait, Spiritum sanctum *esse à Patre & Filio auctoribus.* Sed bene respondet S. Thomas cit. q. 36. a. 4. ad 7. eū improprie locutum fuisse, ponendo substantiuum pro adiectiuo: sicut è contrario Athanasius in symbolo dicendo, *Non tres omnipotentes*, posuit adiectiuum pro substantiuo, seu quod idem est, adiectiuum substantiue vsurpauit.

7 Assertio III. Nihilominus tamen, Spiritus sanctus, eiusque processio, per se & ex sua ratione deposcūt sibi ex parte principij duas personas. Est communis Doctorum, post S. Thomam hic q. 36. a. 4. ad 1. & in 1. d. 11. a. 2. & 4. quam tuentur etiam Torres, Caietanus, & recentiores Thomistæ hic eodem art. 4. item Arimenensis, Richardus, Capreolus, & Argentina d. 11. Marsilius in 1. q. 15. a. 3. Henricus Gandauensis in sum. a. 54. Vasquez disp. 150. cap. 2. Suarez lib. 10. capit. 6. etsi contrarium doceat Scotus in 1. d. 12. quæ. 1. vbi dicit, Spiritum sanctum vi suæ processionis, ac proprietatis personalis non postulare ex parte principij duo suppositа spirantia; tametsi quidem potentia spirandi non sit in potentia proxima ad spirandum, quousque sit in duobus suppositis; non quia principium spirandi per se postulet duo suppositа, sed quia quoties in aliquo agente sunt duo principia actiua inter se ordinata, posterius non est in potentia proxima ad operandum, quousque prius operetur: huiusmodi autem sunt potentia generandi & spirandi; sicut etiam intellectus & voluntas. Cui sententiæ ex parte etiam consentiunt Durandus in 1. dub. 11. quæstion. 3. & Gabriel in 1. d. 12. quæstion. 2. articulo 1. & 2.

8 Ratio assertionis est. Quia Spiritus sanctus ex sua ratione ac per se procedit, non solum absolute, vt *Amor*, quod putauit Scotus; sed vt *Amor mutuus*, seu vt loquitur Sanctus Thomas, vt *vnitiuus duorum*, adeoque velut amor amicitiæ Patris ac Filij, vt sæpius indicant Sancti Patres: de ratione autem talis amoris est, vt sit duorum amantium, non vnius. Ex quo etiam refellitur fundamentum tam Scoti, vt dictum; quam Durandi, qui putauit, Spiritum sanctum proprie ac formaliter non procedere vt amorem, quod suo loco refutauimus.

Assertio

Digitized by Google

9 Assertio IV. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio formaliter, vt à pluribus & distinctis personis; non autem vt sunt vnũ quoddã indiuiduũ per relationem spirationis constitutum. Hanc assertionem expressè tradit S. Thomas hic quæst. 36. art. 4. ad 1. & sequuntur Caietanus, Torres, & Thomistæ recentiores ibidem, Arimiensis in 1. d. 12. Suarez lib. 10. cap. 4. & Albertinus tom. 2. Prædicam. Ad aliquid coroll. 15. dubio 1. etsi dissentiant Gabriel in 1. d. 12. quæst. 1. art. 2. & 3. & apud eundem Ockam eadem dist. quæst. 1. Gregorius de Valentia hic q. 10. punct. 4. Molina q. 36. art. 4. disp. 2. qui dicunt, Patrem & Filium spirare, vt sunt vnum quoddam indiuiduum (addit Molina, *subsistens*) constitutum ex essentia & relatione spirationis actiuæ, quod sit prius origine, quam persona Spiritus sancti, & immediatum eius principium Quod; sicut tres personæ sunt vnum principium creaturarũ, vt sunt hic Deus. Addit tamen etiam Gregorius de Valentia, procedere quoque ab ipsis, vt plures sunt, quod tamen non satis video, quomodo cum priori cohæreat; nisi fortè hoc sensu, quod immediatè procedat à duabus personis, non quatenus duæ personę, sed quatenus vnum quoddam sunt indiuiduum; à duabus vero personis, quatenus duæ & distinctæ personæ sunt, procedat vt sic non imediate ab vtraquè, sed ab vna quidem, nempe Filio, imediatè, à Patre vero mediatè, iuxta dub. 5.

10 Ratio vero huius assertionis est. I. Quia spiratio vt sic, per se ac formaliter requirit principium Quod, non solum subsistens, sed planè etiam suppositum aliquod siue personam: non datur autem in proposito aliquod subsistens, multo minus suppositum vnum, quod constituatur ex duabus personis, siue quod complectatur duas personas, Patrem scilicet & Filium: nam quod de vno in diuiduo subsistente, pluribus personis communi, dicit Molina, supra quæst. 1. dub. 6. refutatum est. Ergo personæ illæ sunt vnum principium spirandi, non vt vnum quoddam indiuiduum sunt, sed vt plures personæ subsistentes sunt.

11 II. Pater & Filius, eo ipso quod sunt personæ iam subsistentes, quæ voluntatem communem habent, ante productionem per eandem voluntatem, iam sunt sufficienter constitutæ in actu quasi primo ad producendum Amorem. Idem enim ceteris paribus est immediatum ac sufficiens principium Quod productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum; vt in humanis patet.

12 III. Notabilis est differentia inter paternitatem, & relationem spirationis actiuę, iuxta Sanctum Thomam quæst. 40. art. 4. & dicta superius q. 3. quod Paternitas vt proprietas constituens personam generantem, supponitur quidem ante generationem, quia sine illa nondum intelligitur persona: at vero relatio spirationis sub nulla ratione præsupponitur ad productionem Spiritus sancti; quia iam supponuntur personæ spirantes; ac proinde relatio spirationis nec est conditio ad spirandum requisita, nec principium Quo, seu virtus spirandi, constituens principium Quod spirationis, vt putant contrariæ sententiæ authores; sed principium spirandi Quod complent & perficiunt Paternitas & Filiatio, qua tales sunt, tanquam nimirum conditiones, vt diuinitas, seu potentiæ intellectuales illis coniunctæ, reipsa sint principium Quo, tum generandi (in Patre) tum spirandi, vt rectè Caietanus, Torres, & Suarez loc. cit.

13 IV. Secundum oppositam sententiam sequitur, esse quartum constitutum in diuinis; saltem ratione distinctum à Patre, Filio, & Spiritu sancto; quod tametsi fateantur Ockam & Gabriel; merito tamen velut absurdum improbat Torres attic. 4. part. 2. ne videamur insinuare quaternitatem personarum. V. Spiritus sanctus necessario procedit, vt mutuus amor inter Patrem & Filium: sed mutuus amor vt sic formaliter necessario procedit à duobus, seu pluribus, qua plures sunt: Ergo etiam Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, qua plures personæ sunt. Atque hæc etiam est ratio S. Thomæ cit quæst. 36. a. 4. ad 1.

14 Ex quo colligitur, cum S. Thomas ibidem ait, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio, *in quantum sunt vnum in virtute spiratiua, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate*, non loqui de proprietate spirationis actiuæ; sed indefinite intellexisse proprietatem personalem, seu Patris seu Filij; non quod proprietas formaliter & intrinsecè sit aut constituat virtutem spiratiuam; sic enim non esset eadem virtus spiratiua in vtroque; sed quod sit conditio ad hoc requisita, vt virtus illa in actum prodeat. Argumenta vero cetera contrariæ sententiæ facilè ex dictis soluuntur.

15 Assertio V. Tam Patri, quam Filio, per se ac ex propria sua ratione conuenit spirare Spiritum sanctum. Ita communis cum S. Thoma cit. q. 36. art. 4. contra Scotum in 1. d. 12. qui putauit, esse quasi per accidens, quod Spiritus sanctus procedat à duabus personis, vt dictum. Probatur & declaratur. Quia Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, quatenus se mutuo amant; at vero per se illis conuenit se mutuo amare; sicut omni creaturæ intelligenti per se est amare summum & infinitum bonum debito modo propositum. Accedit, quod etiam conditio ad spirandum requisita, per se ac necessario tam Patri, quam Filio conuenit: ea enim est habere potentiam spirandi ante omnem productionem, per eandem potentiam factam, vt suo loco quæst. 2. dictum: quod quidem tam Patri, quam Filio conuenit: nam & Filio prius origine communicatur voluntas à Patre, quam sit spiratio; cum hæc generationem Filij supponat. Atque ex his etiam colligi potest, pro quo supponat vocabulum *spirator*, seu vnum principium spirationis; de qua re sunt admodum varij modi loquendi, vt videre est apud citatos: adcuius explicationem esto hæc

16 Assertio VI. Si spirator accipiatur pro illo principio, quod non solum includit totam virtutem spirandi, sed etiam omnem conditionem adæquatè necessariam in tali principio (vt sunt paternitas & filiatio simul, ex dictis) sic supponit pro Patre & Filio simul: si vero accipiatur spirator simpliciter pro habente vim spirandi, cum conditione requisita ad spirandum, tum supponit indefinite pro persona subsistente in hac virtute

spiran-

spirandi, ita vt ex parte virtutis dicat singularitatem; ex parte vero subsistentiæ confuse ac indeterminate dicat subsistens in illa virtute, cum conditione sufficienti ad spirandum; adeoque personam habentem talem virtutem seu spirationem: qua ratione etiam de Patre & Filio tam simul, quam sigillatim prædicatur. Ita recte hanc rem exposuit inter alios Suarez lib. 10. cap. 7. num. 6. & sumitur ex S. Thoma cit. q. 36. art. 4 Nam in respon. ad 4. ita ait: *Cum dicimus, Pater & Filius sunt vnum principium, hoc quod dico principium, non habet determinatam suppositionem*; (nimirum pro vna solum persona determinata) *imo confusam, pro duabus personis simul.* Et ibidem respon. ad 6. *Pater & Filius*, inquit, *sunt idem principium, secundum quod hoc principium supponit confuse & indistincte pro duabus personis simul.* Quibus verbis prior pars assertionis traditur. Neque enim *supponere confuse*, vsurpauit S. Thomas *more Sophistarum huius temporis*, inquit Torres cit. a. 4. part. 3. comment. sed hoc vult, nomen principij hoc sensu non supponere singulatim pro Patre solum, neque pro Filio solum, sed pro illis duobus simul.

17 Alteram vero assertionis partem indicat S. Thomas ibidem ad 5. cum ait: *Hæc propositio etiam est vera: Vnum principium Spiritus sancti est Pater, & Filius; quia hoc, quod dico, principium, non supponit pro vna persona tantum, sed indistincte pro duabus*: hoc *est*, indefinitè siue pro Patre, siue pro Filio. Ex quibus efficitur, nomen principij seu spiratoris tam de vtraq; persona Patris ac Filij simul, quam etiam sigillatim de vnaquaque posse prædicari; sed diuerso sensu, vt dictum.

18 Ita in simili etiam diximus supra quæstion. prim. dub. sext. de vocula DEVS, quanquam inter DEVM & spiratorem hoc est discrimen, quod Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, non formaliter vt sunt vnum in essentia, sic enim etiam procederet à seipso; sed vt sunt duæ personæ distinctę, habentes tamen eandem virtutem spirandi, cum debita conditione ad spirandum requisita; creaturæ autem procedunt à tribus personis, non vt formaliter sunt personæ distinctæ; procederent enim quamuis per impossibile tantum esset vna persona, vt docent Sanctus Thomas citat. d. 11. & Caietanus citat. quæstio. 36. articulo 4. ex communi, sed vt sunt vnum in essentia, quod indicat etiam S. Thomas cit. q. 36. a. 4. ad 7.

DVBIVM VIII.

An Pater & Filius se, & creaturas diligant Spiritu sancto.

S. Thomas 1. p. q. 37. a. 1.

1 NON est quidem res hæc magni admodum momenti, non solum quia de modo solum loquendi disputatio est; sed etiam quia nec de ipso quidē loquendi modo aliquid vndequaq; certum, vel ex Scriptura, vel ex Patribus siue Conciliis decerni potest; cum vti quidem modus ille loquendi ab ijs nusquam damnatur, ita nec fere etiam diserte approbetur, vel vsurpetur; si vnum vel alterum Patrem excipias, vt dicemus. Quare etsi quidem de hac re non sit admodum pugnandum, quia tamen hæc res admodum inter Doctores ventilatur, & hinc etiam fere pendet resolutio de simili modo loquendi, An Pater sapiat aut dicat verbo, &c. operæ pretium est, paucis explicare quod sentimus.

2 Tres sunt igitur hac de re Doctorum sententiæ. Prima vniuersim negat, vllo vero sensu proprie dici posse, Patrem & Filium diligere se; vel creaturas Spiritu sancto. Ita Goffredus & Simon Tornacensis apud Capreolum in 1. dist. 32. q. 1. a. 1. Durandus in 1. d. 32. q. 1. Molina hic q. 37. a. 2. & fere Torres ibidem, ac Suarez lib. 11. cap. 3. alijque nonnulli recentiores.

Secunda sententia est, veram quidem esse hanc propositionem, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, vt quæ apud Augustinum reperiatur, vt videbimus: hanc autem falsam, Pater & Filius diligunt creaturas Spiritu sancto; vt quæ apud SS. Patres nusquam reperiatur. Ita Scotus in 1. d. 32. q. 2. Argumenta vtriusq; sententiæ infrà referemus & refellemus.

3 Tertia sententia est, vtramque propositionem aliquo proprio sensu veram esse. Ita S. Thomas q. 37. a. 2. & communior Doctorum, vt videbimus. Differunt tamen isti authores. Quidam enim dicunt, eiusmodi locutiones esse veras, si Spiritus sanctus accipiatur pro amore essentiali; quod à nonnullis Alensi tribuitur, sed immerito, vt notauit Vasquez disp. 151. cap. 1. Communis, & vera sententia docet, esse veras, si diligere notionaliter, ipseq; Spiritus sanctus proprie pro tertia persona accipiatur.

4 Assertio I. Propositio illa, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, aliquo vero ac proprio sensu vera, & admittenda videtur; non absolute neganda. Ita S. Thomas cit. q. 37. a. 2. Caietanus & plerique Thomistæ recentiores ibidem, Bonaventura in 1. d. 32. a. 1. q. 1. & 2. Scotus cit. q. 2. Capreolus q. 1. a. 1. Gabriel q. 2. a. 2. Marsilius in 1. q. 14. a. 4. Gregorius de Valentia q. 11. pun. 2. Vasquez disp. 151. c. 2. adeoq; pleriq; Scholastici veteres & recentiores, vt agnoscit etiā Suarez l. c.

5 Probatur potissimum ex Augustino lib. 6. de Trinit. cap. 5. qui ita locutus videtur, eum ait: *Spiritus sanctus est, quo genitus à generante diligitur, genitoremque suum diligit.* Et quamuis exponi hæc locutio possit, in sensu identico & quasi materiali, vt sensus sit, Spiritus sanctus est id (nimirum essentia) quo genitus à generante diligitur, &c. vt etiam exponit Suarez loc. citat. quia tamen S. Augustinus vocula *id* non vsurpauit, & prædicatū alioqui sensum formalem reddit, rectius etiā formali sensu accipitur.

6 Accedit quod ita etiam expresse loquitur Hugo Victorinus in epist. ad Bernardum: *Si recte* inquit, *dicetur amare amore, qui à te procedit, cur non Pater & Filius dicantur amare amore, qui ab ipsis procedit?* Sed hoc argumentum sane non conuincit; quia nos etiā recte dicimur intelligere & sapere verbo à nobis producto, sed non Pater verbo à se

producto,

producto, vt dictum dub. 2. Addit rursùm idem auctor: *Si spiritus sanctus esset amor cordis tui & Patris & Filij, quis quæso posset negare, spiritu sancto, hoc est, amore tuo te diligere?* Idem significat Hieronymus in psal. 17. vbi ait: *Spiritus sanctus nec Pater, nec Filius, sed Dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre* Et Bernardus lib. de amore Dei, *Amas te*, inquit, *amabilis Domine, cum à Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, Amor Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, & tantus Amor vt sit vnitas.* Quanquam posteriores duo diserte eam locutionem non habeant, vt patet. Ratio exponetur assert. 3. & resp. ad 3.

7 Assertio II. Propositio dicta non est vera proprio sensu, si diligere sumatur essentialiter. Ita S. Thomas cit. a. 2. & citati omnes pro assertione 1. Ratio est. Quia vel Spiritus sanctus accipitur pro tertiâ personâ Deitatis, aut late pro amore essentiali ac communi omnibus personis: si posteriori modo, iam hoc ipso impropriè accipitur; quia Amor essentialis propriè & absolutè non dicitur Spiritus sanctus: Si autem priori modo accipitur, tum propriè loquendo falsa est; quia spiritus sanctus cùm sit persona realiter distincta à Patre & Filio, non potest esse ratio formalis, seu principium aut medium Quo diligendi Patri & Filio; alioquin Pater & Filius haberent suum amorem à spiritu sancto, ab eoque in amando penderent, vt in simili de cognitione Patris diximus suprà dub. 2. Vnde confirmatur assertio. Quia si propositio illa hoc sensu vera esset, tunc etiam vera esset propositio illa, Pater sapit, aut est sapiens sapientiâ genitâ: quia eodem modo habet se sapientia genita ad notitiam siue cognitionem essentialem Patris, sicut spiritus sanctus ad amorem seu dilectionem essentialem Patris & Filij: at verò propositio illa verè & propriè loquendo est falsa, vt ibidem dictum: Ergo etiam hæc, de quâ loquimur, in sensu explicato falsa aut impropria est.

8 His accedit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 7. qui hoc sensu dixit: *Quis audet dicere, Patrem nec se, nec Filium, nec Spiritum sanctum diligere, nisi per spiritum sanctum?*

Assertio III. Si verò diligere accipiatur notionaliter, tum propositio illa, Pater & Filius diligunt se spiritu sancto, vera & propria est. Ita S. Thomas, omnesque citati pro assert. 1. Probatur tum adductis testimonijs pro prima assertione, quæ cùm, vt aliquo proprio sensu pro veris admittantur, consentaneum sit rationi, vt dictum, nec tamen alio sensu defendi possint, vt dictum assert. 2. consequens est, ea posteriori hoc sensu vera esse.

9 Et confirmatur ex simili. Quia propositio hæc vera est; Pater dicit se & creaturas verbo, vt superius dub. 2. ex Augustino & communi diximus: Ergo etian diligit se (adeoque & Filium) spiritu sancto. Consequentia probatur. Quia sicut dicere est verbum notionale significans intelligendo producere: ita diligere non solum essentialiter, sed etiam notionaliter accipitur, pro diligendo producere; ad quam dilectionem etiam eodem modo se habet spiritus sanctus, sicut se habet verbum seu Filius ad dicere. Quo fit, vt quemadmodum dicere duplicem habet respectum, nimirum tum ad obiectum cognitum; tum ad terminum intellectionis, qui est verbum; ita etiam diligere duplicem eiusmodi respectum habeat, tum ad obiectum amatum, tum ad terminum amore productum, qui est Spiritus sanctus.

Rationem vtriusque propositionis assignat 10
S. Thomas cit. a. 2. in corp. & ad 2. Quia verbum significans actionem cum ordine ad definitum terminum, qui nimirum, vt loquitur S. Thomas: *in intellectu actionis includitur*, potest denominare agens, seu tribui principio agenti, non solùm cum reflexione actionis, per modum quasi formæ denominantis ipsum agens; sicut dicimus, ignem calefacere calefactione; arborem florere floritione, & in præsenti materiâ, Patrem dicere dictione; spirare spiratione &c. Sed etiam cum replicatione ipsius effectus seu termini in casu auferendi: sicut dicimus, ignem calefacere lignum calore producto, aut arborem florere floribus: Secus si non significetur ordo ad definitum terminum; tunc enim non potest principium actionis denominari ab effectu, casu ablatiuo, sed solum ab actione. *Nec enim dicimus*, inquit S. Thomas ad 2. *quod arbor produxit florem flore, sed productione floris.* Cum igitur diligere, vti & dicere, dicat respectum ad definitum terminum, Amoris nimirum, aut verbi, ideò rectè dicitur, Pater diligit Filium spiritu sancto, tanquam personâ procedente, & ipsa dilectione, tanquam actu notionali: sicut rectè etiam dicitur: Pater dicit Verbo, tanquam persona procedente, & dicit dictione, tanquam actu notionali.

Impugnant hanc rationem cum Scoto & Du- 11
rando locis citatis, Torres cit. a. 2. & Vasquez disp. 151. cap. 2. & 3. qui proinde cum Scoto aliam assignat; nimirum, quod cum duo sint genera verborum significantium actionem; aliqua enim significant actionem solum cum respectu ad terminum productū, vt in proposito generare, spirare; alia verò cum duplici ordine & respectu, altero ad terminum productum, altero ad rem aliam per modum obiecti vel subiecti se habentem, vt calefacere, dealbare: & in præsenti materia, dicere, diligere; verba prioris generis, non admittunt denominationem à termino producto, in casu effectiuo, seu ablatiuo: & ideo non dicimus, Pater generat filio, nec spirat Spiritu sancto; necesse enim foret, actionem significari, cum respectu ad aliquid aliud, quam ad terminū productum; vt sit sensus, Pater generat filio se, aut aliquid aliud; cum tamen nihil eiusmodi in hoc proposito reperiatur. At vero in verbis posterioris generis optime fieri potest denominatio à termino producto, in casu effectiuo; vt ignem calefacere lignum calore in eodem ligno producto; Petrum dealbare parietem albedine in eo productâ; Patrem dicere se vel creaturas verbo à se producto; item diligere se & Filium Spiritu sancto, accipiendo diligere notionaliter pro productione Amoris; Sic enim tam dicere, quam diligere respectum habet non solum ad

terminum productum, sed etiam ad rem cognitam vel amatam; non autem recte dicitur Pater generare Filio, aut spirare spiritu sancto, vt docet etiam Sanctus Thomas citat. artic. 2. Quæ rationes tam Sancti Thomæ, quam Scoti quantum momenti habeant, dicetur resp. ad 3.

12 Assertio IV. Eodem sensu verè etiam ac proprie dicitur, Pater & Filius diligunt nos, siue creaturas Spiritu sancto. Ita expressè etiam S. Thomas citat. quæst. 37. artic. 2. & alij citati pro assertione secundâ, excepto Scoto, loco cit. Probatur. Tum quia vtrobique eadem est ratio; siquidem dilectio, quâ producitur Spiritus sanctus, etiam respicit creaturas, velut obiectum. Tum quia in simili recte dicitur, Pater dicere se & creaturas verbo, vt dictum citato dubio 2. Nec refert, quod creaturæ non sunt obiectum primarium dilectionis notionalis, quodque secundum esse actualis existentiæ non necessario diligantur à Deo; satis est enim, quod eo dilectionis actu reipsa diligantur: præterquam quod Spiritus sanctus etiam procedit ex amore necessario creaturarum secundum esse possibile, vt dictum; quem amorem etiam agnoscit ipse Scotus alibi, vt notauit Vasquez disputat. 152. cap. 1.

Ceterum contra assertionem 1. 3. & 4. obijcitur primo. Non recte dicitur Pater sapit, aut intelligit verbo; aut sapiens est sapientiâ genitâ vt fatetur etiam S. Thomas cit. a. 2. Ergo nec Pater diligit Spiritu sancto, &c.

13 Respondeo cum eodem Sancto Thomâ ibidem ad 1. discrimen esse inter diligere & intelligere: hoc enim essentialiter solum dicitur, consueto Theologorum loquendi vsu, sicut & sapere, & sapientem esse. Diligere verò ob defectum propriorum vocabulorum, pertinentium ad processionem per voluntatem, & notionaliter & essentialiter accipitur, vt omnes fatentur: tametsi Vasquez disputat. 151. numero 22. existimet, etiam intelligere, & sapere, posse accipi notionaliter; quod supra dubo 2. improbauimus.

14 Secundo obijcitur. Diligere est denominatio intrinseca; Spiritus sanctus autem est aliquid extra Patrem & Filium; cum supposito ab ijsdem distinguatur: Ergo non potest dici Pater diligere Spiritu sancto, tanquam formâ; cum res extrinseca non possit se habere per modum formæ denominantis respectu denominationis intrinsecæ.

Respondeo, diligere notionale partim esse denominationem intrinsecam, quatenus denominatio sumitur ab ipsomet actu amoris, qui est productio Spiritus sancti; partim esse denominationem quasi extrinsecam; quatenus denominatio sumitur à termino producto, qui est Spiritus sanctus: est enim ex hac parte similis ei denominationi, quâ agens denominatur à termino extra agentem constituto. Quare etiam res extrinseca non est forma denominans denominationis intrinsecæ formaliter, quâ intrinseca est: sed potius denominationis alicuius, quę simul etiam extrinseca est, quatenus est talis, vt pluribus dicetur ad 3.

Tertio obijcitur. Non recte dici potest, Aedificator ædificat ædificio; nec etiam: Pater gignit seu generat verbo: nec, Pater & Filius spirant Spiritu sancto; vt de postremis duabus propositionibus fatetur etiam sanctus Thomas citat. quæst. 37 artic. 2. ad 2. & tamen verba hæc significant actionem includentem respectum ad certum & determinatum terminum; nimirum generare ad Filium; & spirare ad Spiritum sanctum. Ergo nec ratio sancti Thomæ allata assertione 3. quicquam concludit; nec adeo defendi possunt illæ propositiones, Pater dicit verbo, aut diligit Spiritu sancto. Nec satisfacit responsio Sancti Thomæ ibidem; qui ad hoc argumentum obiectum plus non respondet, quam *spirare vel generare importare actum notionalem tantum: Vnde non possumus*, inquit, *dicere, quod Pater spiret Spiritu sancto, aut generet Filio.* Quid enim hoc refert, si alioqui nihil desit, quod ad modum eiusmodi loquendi ipsemet sanctus Thomas requirit: cum præsertim etiam dicere, & diligere, si addatur Verbo, vel Spiritu sancto, notionaliter tantum accipiantur, non essentialiter, vt dictum. 15

Ob hanc causam Vasquez cum Scoto loco cit. reiecta ratione sancti Thomæ, quam pro assertione tertia retulimus, aliam assignant: qua vtcunque defendere sibi videntur propositiones illas in assertione positas; Pater dicit Verbo, aut diligit Spiritu sancto, veras & proprias esse, non autem illas quæ obijciuntur; vt superius assertione 3. dictum. 16

Sed reuera difficultas non est omninò sublata. Primum, quia etsi verba habentia duplicem eiusmodi respectum, tum ad terminum productum, tum ad subiectum, vel obiectum, admittant, eiusmodi denominationem in casu ablatiuo, à termino producto; id tamen non fit, quando alioqui terminum productum respiciunt, sibique copulant in casu accusatiuo: nisi hic ipse terminus habeat se velut medium, quo producatur vlterior terminus, qui cum verbo casu accusandi construitur. V. G. rectè dicimus, Ignis calefacit, aut comburit lignum calore in ligno producto; quia calefacere & comburere non respicit caloré nec cum eo construitur in casu accusatiuo; non enim ignis calefacit aut cõburit caloré, sed lignũ, &c. Recte etiam dicimus, Ignis producit ignem calore in ligno producto; quia tametsi alias calor etiam in casu accusandi per modum termini construatur cum verbo producere, hîc tamen solum cum eo coniungitur velut medium ad vlteriorem terminum producendum, qui est ignis. At verò è contrario non recte diceremus, Ignis producit in ligno calorem igne producto; quia ignis productus non habet se velut medium ad producendum calorem; sicut etiam ob eandem causam non rectè diceremus, Ignis producit ignem, aut comburit lignum cinere; quantumuis terminus productus per combustionem sit cinis. Cum ergo in præsenti, vocula *Dicere* respiciat alioqui Verbũ productũ in casu accusandi; nec Verbum habeat se per modum principij aut medij, quo Pater dicit

seu in-

seu intelligit se vel creaturas, sed potius è contrario dictio seu intellectio creaturarum habeat se tanquam via, & quasi medium ad verbum productum veluti terminum, nondum satis apparet, quo sensu, aut qua ratione ea propositio defendi possit, Pater dicit se, aut creaturas Verbo.

17 Deinde si propterea falsæ sunt illæ propositiones, Pater generat Verbo, seu Filio; aut spirat Spiritu sancto; quia hac ratione significaretur, simul etiam aliquid aliud generari, aut spirari, quam Filium aut Spiritum sanctum, vt dicebat Vasquez; tum sequitur, etiam hac propositione, Pater dicit se vel creaturas verbo, pari ratione significari, aliquid aliud dictione produci, quam Verbum, aut Filium. Quia vocula, *Dicere*, in ea propositione, non significat solum intelligere, sed intelligendo producere, accipitur enim notionaliter, non essentialiter vt dictum; perinde est ergo, ac si dicatur, Pater intelligendo se vel creaturas naturali generatione producit Verbo, seu quod idem est, intelligit se vel creaturas naturali generatione producens Verbo: vbi quia Verbum producens non regit accusatiuum se vel creaturas, sequitur, vt aliquid aliud sibi deposcat, quod velut terminum productum accusatiuo casu respiciat, cuiusmodi tamen in proposito nihil reperitur: ac proinde si dici non potest, Pater generat Filio, aut spirat Spiritu sancto; dici etiam non poterit, Naturali generatione Pater producit Verbo: nec consequenter etiam, Pater dicit Verbo, se vel creaturas.

18 Ob has causas, dicere aliquis posset, eius propositionis, Pater dicit se & creaturas Verbo, sensum non esse, nec quod Pater Verbo intelligat creaturas, nec quod producat Verbum intelligendo creaturas, sed hunc; Pater se & creaturas exprimit intelligibiliter Verbo à se producto, hoc ipso, quod Verbum velut imago Patrem, & velut exemplar creaturas repræsentat; quo sensu cum Verbum productum habeat se per modum quasi causæ formalis, respectu eius expressionis, rectè casu ablatiuo coniungi cum verbo exprimere, ac proinde etiam cum dicere. Sed esto hac ratione defendi posset illa propositio, Pater dicit se & creaturas Verbo; non apparet tamen, qua ratione defendatur illa propositio, Pater diligit se & creaturas Spiritu sancto; cum amoris non sit exprimere res amatas, nec vlla alia similis assignari possit significatio verbi diligere, cum qua Spiritus sanctus comparari possit per modum causæ quasi formalis. Quare secundum hanc responsionem, consequenter dicendum foret, veram quidem & probam esse illam propositionem, *Pater dicit se & creaturas Verbo*, idque etiam ex mente Augustini, & aliorum Patrum, qui ad prædictum sensum locuti videri possunt; non vero hanc, *Pater diligit se vel creaturas Spiritu sancto*; quæ idcirco fortassis etiam apud Sanctos Patres in formalibus his terminis vix reperitur.

19 Verum vt à doctrina Sancti Thomæ, & communi Theologorum, quam superioribus assertionibus proposuimus, non recedamus, dicendum existimo, Verbum *Dico*, tum ex sua impositione, tum communi vsu loquendi Doctorum, præterquam quod ordinem habet ad certum obiectum, cum quo accusandi casu construitur, simul hoc habere proprium, quod non solum terminum productum respiciat, sed simul etiam respectu eiusdem termini vim habeat tum verbi actiui & transitiui, tum etiam neutri seu intransitiui: atque ità cum eo vtrouis modo, tum casu accusatiuo, tum ablatiuo construi possit; vt nimirum quemadmodum rectè dicimus, Petrus loquitur Verbum, & loquitur verbo, ita etiam rectè dicamus, Pater æternus dicit verbum, hoc est, producit verbum; & dicit verbo; hoc est, verbo est dicens, siue, vt ita dicam, Dictor. Sicut dicere possemus, Cicero suis orationibus, quas perorauit, est Orator; aut Virgilius sua Æneide est Poëta; aut Apelles sua illa pictura Veneris est pictor, &c. Idem ferè dicendum est de verbo Diligere, prout secundum vsitatum loquendi morem Theologorum, in hac materia refertur ad terminum productum: cuius tamen hoc etiam insuper proprium est, quod terminus ille magis propriè cum illo construitur casu ablatiuo, quam accusatiuo. Valdè enim insolenter diceremus, Diligo amorem, hoc est, produco amorem: sed benè, diligo producto amore; non tantum si diligo pro qualitate in facto esse, sed etiam si pro actione amandi accipiatur; vt sensus sit: Operator sum actionis amandi, siue Exerceo actionem amandi, producto tali amore.

Cum quibus loquendi modis conueniunt illæ locutiones, quibus dicitur, arbor florere floribus; dealbari paries albedine; item calefieri lignum calore producto; aut enim hæc verba nullo modo sunt actiua, (quod, de *floreo* videtur verius) aut si sunt, certè tamen respectu termini producti, more loquendi Grammaticorum, non sunt actiua; quia cum eo non construuntur verbo accusatiuo, sed ablatiuo; atque ita respectu eius termini naturam quodammodo verborum neutrorum seu intransitiuorum induunt. Hinc vero etiam sumitur ratio, quare non rectè dici possit; *Pater generat verbo, aut spirat Spiritu sancto*; quia nimirum hæc verba respectu termini producti, nullo modo intransitiua sunt, sed merè actiua; quod forte dicere voluit Sanctus Thomas supra, quando dixit, *importare tantum actum notionalem*. Secus est, si quis dicat, Pater Genitor est Verbo; Pater Spirator est Spiritu sancto, hæ enim propositiones consequenter non videntur reijciendæ. 20

Ex quibus etiam iudicium fieri potest, de illa propositione, *Spiritus sanctus diligit se seipso*. Breuiter enim dicendum est cum Sancto Thoma in 1. dist. trigesima tertia, quæstione prima, articulo secundo ad vlt. & Marsilio in 1. quæstione trigesima quinta, articulo primo, eam propositionem falsam esse, si diligere notionaliter accipiatur; quia Spiritus sanctus notionaliter non diligit se, hoc ipso, quod seipsum non producit: vera autem erit, si diligere accipiatur essentialiter, non quidem vt vocula seipso denotet principium Quo, 21

Digitized by Google

sed principium Quod, identificatum cum principio Quo; eo modo, quo dicere solemus, Petrus seipso trahit nauem, vt bene etiam Vasquez disp. 151. c. 5. quicquid nonnulli Thomistæ eam propositionem absolutè falsam existimauerint.

DVBIVM IX.

De missione diuinarum personarum: an scilicet, quæ, à quibus, ad quid, & quando diuinæ personæ mittantur.

S. Thom. 1. p. q. 43. aa. 8.

1 NOn est sermo de missione, qua Deus nonnunquam creaturas aliquas præcipuè intelligentes, (aut etiam ipsum Christum Dominum secundum humanitatem) ad certum quendam effectum solet mittere & destinare; sed de missione, qua ex ipsis diuinis personis, vt in natura diuina subsistentibus, vna ab alia mittitur: quam rem sequentibus assertionibus cum S. Thoma loc. cit. commodè hoc loco explicamus; quandoquidem hæc missio per modum proprij & notionalis prædicati certas etiam tantummodo personas concernit.

Assertio I. Mittere ac mitti conuenit diuinis personis. Ita S. Thomas cit. q. 43. art. 1. & Theologi omnes cum Magistro in 1. d. 15. & est de fide. Patet manifestè ex Scripturis assert. 4. inferius citandis. Ratio patebit ex assert. sequenti.

2 Assertio II. Missio hæc non est secundum imperium; nec secundum consilium; vel preces, aut nudam voluntatem mittentis; nec ommino secundum processionem localem; sed secundum substantialem originem vnius personæ diuinæ ab alia. Ita S. Thomas ibidem ex communi, vbi cum dixisset, nomine missionis significari habitudinem missi tum ad mittentem, tum ad terminum ad quem mittitur, subiungit; *Per hoc autem, quod aliquis mittitur, ostenditur processio missi à mittente; vel secundum imperium, sicut Dominus mittit seruum, vel secundum consilium, vt si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum; vel secundum originem, vt si dicatur, quod flos emittitur ab arbore*, &c. Et denique concludit, missionem diuinæ personæ non conuenire, *nisi secundum quod importat ex vna parte processionem originis à mittente.*

3 Ratio est manifesta. Quia mitti per imperium solum conuenit inferiori, respectu superioris: mitti per consilium ei solum, qui erroris & directionis est capax; *quia imperans est maior, & consilians est sapientior*, inquit S. Thomas ad 1. mitti per preces solum est eius, qui non est in plena potestate mittentis; mitti denique per nudam voluntatem non conuenit, nisi ei, qui ex vi alienæ voluntatis, absque naturali dependentia siue subordinatione facit aliquid; è quibus nihil diuinæ personæ per respectum ad alteram mittentem conuenire potest; non solum quia omnes inter se æquales sunt, sed etiam quia vna persona ex vi alterius facere quicquam alia ratione non potest, nisi quatenus vna accepit esse & operari ab alia, quod fit per processionem æternam. Denique nulli personæ diuinæ conuenit moueri localiter; ea enim sicut non incipit esse, vbi prius non fuerat: ita nec desinit esse, vbi fuerat, vt rectè S. Thomas ibid. ad 2.

Assertio III. Duo ergo requiruntur ad hoc, vt 4
vna persona diuina mittatur ab alia; primum, vt persona missa à mittente procedat; alterum, vt ex vi personæ mittentis, nouo modo alicubi esse vel operari incipiat. Ita S. Thomas cit. a. 1. Durandus in 1. d. 15. q. 3. alijque Theologi, speciatim Gregorius de Valentia q. 17. punct. 1. Molina, & Thomistæ recentiores communiter cit. q. 43. n. 1. Vasquez disp. 170. c. 2. Suarez lib. 12. c. 1. 2. & 3. Nec dissentit Caietanus cit. q. 43. a. 1. & Ferrariensis 4. cont. gent. c. 23. qui docent, missionem propriè significare æternam processionem, connotato nouo modo existendi in creatura; tametsi addant, missionem latiori significatione & impropriè accipi posse, pro sola manifestatione temporali.

Quanquam sanè olim quidam aliter hac de re docuerunt. Primo enim fuerunt, qui solam originem, seu processionem personæ missæ ab alia, nomine missionis significari existimantes, dixerunt personam vnam ab alia abæterno mitti. Ita refert Magister in 1. d. 15. sed manifestè refelluntur ijs Scripturæ testimonijs, quibus eam missionem fieri in tempore probabimus assertione 7. Deinde fuerunt alij, qui dixerunt, missionem nihil aliud esse, quam operationem alicuius temporalis effectus, per quem aliqua persona fiat manifesta; quare etiam mitti vnam personam dixerunt tum à se, tum ab alia quacunque etiamsi ab ea non procedat, saltem si alioqui à quacunque persona procedat. Ita Magister in 1. d. 15. Bonauentura d. 15 part. 1. quæst. 2. & 4. Sanctus Thomas olim in 1. d. 15. quæst. 3. art. 1. Scotus d. 14. q. 1. Gabriel q. 1. Marsilius in 1. q. 18. a. 1. 2. 3. & 4.

Sed probatur assertio, authoritate Scripturę; in 5
qua nunquam persona aliqua mitti ab alia dicitur, nisi quæ ab eadem procedit, vt dicetur assert. 4. excepta missione Filij secundum humanam naturam, de qua non est sermo, vt dictum. Deinde huc pertinet illud Ioann. 16. v. 28. *Credidistis quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum.* Quo loco per voculam *Exiui*, significatur exitus & processio Flij æterna à Patre; per voculam autem *Veni*, terminus ad quem, puta operatio, seu nouus existendi mod⁹; nomine missionis itidē denotatus.

Idem probatur ex SS. Patribus. Id enim planè sentit Hilarius lib 9. de Trinit. vbi de missione Filij, in quantum diuina persona est, agens, ait: *A Patre in hunc mundum venerat, quia à Deo exierat. Nam vt natiuitatem suam in exitione significasse intelligeret, subiecit, se à Patre venisse; cum per id à Patre & veneris, quia à Deo* (per æternam generationem) *exieris, exitio eius à Deo, absoluta natiuitas est, quam paterni nominis professio est consecuta.* Et lib. 8. de Trinit. docet, Spiritum sanctum mitti à Filio, nihil aliud esse, *quam ab illo accipere.*

Item Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 5. ait. *Missum se Filius à Patre dicit non mutatione locorum, sed sicut calorem ab igne, vel splendorem à lumine.*

Idem significat Augustinus l. 3. cont. Maximinū 6

cap.

cap. 14. vbi dicit; *Missio non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ.* Et lib. 4. de Trinit. cap. 20. ait: *Filius mittitur, non quia minor, sed quia emanatio quædam claritatis Dei sincera.*

Idem habet Gregorius homil. 26. in Euang. cum ait: *Quamuis mitti, etiam iuxta naturam diuinitatis possit intelligi; eo enim ipso à Patre Filius mitti dicitur, quo à patre generatur. Nam Spiritum quoq; sanctum, qui cum sit æqualis Patri & Filio, non tamen incarnatus est, eisdem se filius mittere perhibet, dicens: Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à patre. Si enim mitti solum incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubio spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est: sed eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit & Filio.* Idem habet Beda lib. 2. homil. 2.

Ratio est. Quia de ratione missionis, qua quis ab alio mittitur, generatim est, vt missus ex vi mittentis, quocunque modo aliquid faciat, vel alicubi sit; quod vt assert. 2. dictum, fieri non potest inter diuinas personas, nisi quatenus per originem vna ab altera esse & operari accepit. Accedit, quod omnis missio, saltem cum efficax est, consequenter annexam habet processionem, secundum quam persona missa à mittente aliquo modo procedat ad aliquid: talis autem processio in diuinis personis locum non habet, nisi secundum ordinem & processionem originis, vt assert. 2. dictum. Ergo, &c.

7 Quia tamen de ratione missionis est, non solum exitus, siue processio ab altero, sed etiam terminus, ad quem quis mitti dicitur; & quia etiam missio, de qua agimus, temporalis est, vt videbimus, idcirco missio hæc etiam requirit, vt persona missa ex vi personæ mittentis nouo modo alicubi esse, vel operari, adeoque manifestari incipiat; quod nonnisi in tempore fit, vt patet. Sic enim Filius Dei missus in hunc mundum assumpta humanitate, nouo modo esse incepit. Sic Spiritus sanctus ad B. Virginem & Apostolos missus, nouo modo in illis operari & manifestari cœpit.

Quo fit, vt missio hæc nihil sit aliud, quam origo seu processio personæ missæ à persona mittente, connotans simul effectum temporalem, in quo ex vi personæ mittentis, persona missa manifestare se nouo modo incipiat: tametsi alioqui effectus ille personis omnibus communis sit, vt cum S. Thoma & Durando locis citatis, rectè Vasquez, Suarez, & alij citati. Vnde Augustinus lib. 4. de Trinitat. cap. 20. *Non eo ipso*, inquit, *quod de patre natus, missus dicitur Filius; sed vel eo, quod apparuit huic mundo verbum caro factum, vel quod ex tempore cuiusq; menti percipitur, sicut scriptum est, Mitte illam, vt mecum sit, & mecum laboret.* Sap. 7. Ex quibus etiam colligitur, missionem aliquid notionale esse, vt rectè Vasquez disput. 170. cap. 3.

8 Nec obstat, quod Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 5. docet, Filium mitti & dari à seipso, & à Spiritu sancto. Hoc enim de Filio secundum Humanitatem intelligendum est; vt satis ex antecedentibus & consequentibus colligitur, & notauit S. Thomas cit. quæst. 43. art. 8. Et quanquam dari à seipso ad Filium Dei, etiam secundum diuinitatem, spectare possit, vt supra dub. 3. dictum, nihil tamen id obstat, explicatæ rationi missionis: quia aliud est, dare siue donare, aliud mittere; illud enim vniuersim non requirit processionem à donante; quare & seipsum quisque dare, & donare in seruum potest, sed non mittere. Cum autem idem Augustinus lib. 2. cit. de Trinit. ait: *Hæc operatio visibiliter expressa, & oculis oblata mortalibus, missio Spiritus sancti dicta est.* Et rursum lib. 4. cap. 20. *Sicut natum esse, est Filio à Patre esse, ita mitti, est Filio cognosci quod ab illo sit*; non vult dicere, missionem solum significare temporalem eiusmodi effectum, sed hoc quidem quasi compleri & perfici, supposita tamen processione personæ missæ à mittente; vti sæpius alibi docet. Quare etiam ibidem paulò superius dixerat; *Pater cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet, de quo missus sit, aut ex quo procedat, &c. Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est, ita Pater misit, Filius missus est.*

9 Assertio IV. Nulla persona diuina mittitur, nisi quæ procedit; nec mittitur nisi ab ea persona, à qua procedit; Pater ergo nullo modo mittitur; Filius (vt subsistit in natura diuina) à solo Patre mittitur: Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio. Ita S. Thomas hic cit. quæst. 43. artic. 4. 5. 7. & 8. ex communi omnium eorum, quos pro assertione præcedenti citaui, contra Magistrum cit. d. 15. qui putauit vnamquamque personam ab alia, & à seipsa posse mitti: item contra Bonauenturam, Scotum, Gabrielem, Marsilium locis supra citatis, qui non quidem patrem, sed personam quamlibet procedentem ab alia quacunque mitti posse existimarunt.

10 Probatur primum ex Scripturis, in quibus, vt dictum, Pater nunquam legitur missus, sed solum mittere: Filius à solo Patre legitur missus. Spiritus sanctus à Patre & Filio. De filio misso, sunt hæc testimonia Psalm. 106. v. 20. *Misit Verbum suum, & sanauit eos.* Psalm. 147. v. 8. *Emittet Verbum suum, & liquefaciet ea.* Isai. 19. v. 20. *Mittet eis Saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Isai. 61. v. 1. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, &c.* quod de Christo explicatur Luc. 4. v. 18. Item Zachar. 2. v. 8. *Post gloriam misit me ad gentes.* Matth. 10. v. 40. *Qui vos recipit, recipit eum, qui me misit.* Luc. 4. v. 43. *Quia ideo missus sum.* Luc. 10. v. 16. *Qui me spernit, spernit eum, qui misit me.* Luc. 20. v. 13. *Mittam Filium meum dilectum.* Ioan. 3. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.* Et v. 34. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Ioann. 4. v. 34. *Veni facere voluntatem eius, qui misit me.* Item Ioan. 5. 6. 7. 8. 12. 13. sæpe. Inter alia cap. 6. v. 58. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem.* Et cap. 7. v. 30. *Vado ad eum, qui me misit.* Ioan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Roman. 8. v. 3. *Deus Filium suum mittens.* Gal. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum.* 1 Ioan. 4. v. 9. *Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum.* Et alibi passim.

11 De Spiritu sancto misso à Patre & Filio loquitur Lucas cap. 24. v. 49. *Ego mitto promissum Patris mei in vos.* Ioan. 14. v. 16. *Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Et v. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, &c.* Ioan. 15. v. 26. *Quem ego mittam vobis à patre.* Ioan. 16. v. 7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Gal. 4. v. 6. *Misit Deus spiritum filij sui.*

12 Secundò idem probatur ex Patribus. Augustinus enim ante hanc conclusionem citatus, expresse ne-

gat, patrem mitti; idque ideo, quia à nullo procedit. Et rursum lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Pater*, inquit, *solus nusquam legitur missus.* Nec vel ipse, aut alij Patres dicunt, aliquam personam à se mitti; aut Filium mitti, præterquam à patre; nisi quando loquuntur de missione Filij secundum humanitatem, & per communicationem idiomatum: qua ratione vtique non minus à se, & à qualibet persona mittitur, quam quælibet alia natura creata, vt superius dictum: cum tamen Filius seu Verbum Dei, vt subsistens in naturâ diuinâ, ad ipsam etiam Incarnationem seu assumptionem humanæ naturæ sit à solo patre missus. De qua re Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap 42. *Non seruilis hæc missio est, quamuis ita dici possit, quia formam serui accepit, sed mittitur etiam, vt verbum ex mente, & splendor ex sole.* Quibus verbis naturalem & substantialem processionem Filij ex Patre indicat. Et Augustinus lib. 4 de Trinitate cap. 20. *Non tantum dicitur missus filius, quia verbum caro factum est; sed etiam verbum est missum, vt caro fieret, & per præsentiam corporalem illa, quæ scripta sunt, operaretur: id est, vt non tantum homo missus intelligatur, quod verbum caro factum est, sed & verbum missum, vt homo fieret.* Ratio sumitur ex assert. 3. Quia missio in diuinis, præter effectum externum, significat processionem vnius personæ ab alia, & quidem personæ missæ à persona mittente.

13 Cum autem S. Thomas quæst. 43. artic. 8. ait: *Si persona mittens solum intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio; sic à tota Trinitate mitti personam missam*; de missione latè & impropriè loquitur. Ad quem modum etiam Caietanus & Torres artic. 1. & 8. intelligunt illud Concilij Toletani I in Confess. fid. vbi dicitur: *Missum tamen Filium non solum à Patre, sed ab Spiritu sancto esse credendus est in eo, quod per Prophetam dicitur; Et nunc Deus misit me, & Spiritus eius* Isai. 48. v. 16. Quanquam & hoc de missione Filij secundum humanam naturam, & per communicationem idiomatum rectè intelligitur.

Assertio V. Personæ diuinæ, quæ mittuntur, nimirum tam Filius, quam Spiritus sanctus, mittuntur non solum ad effectus visibiles, visibili missione; sed etiam inuisibili missione, ad effectus inuisibiles. Ita S. Thomas cit. quæst. 43. artic. 3. 5. 6 & 7. ex communi. Ratio est. Quia ad missionem sufficit, vt persona, quæ ab alio procedit, nouo modo esse incipiat alicubi: hoc autem fit, non tantum secundum effectus visibiles; sed etiam secundum effectum inuisibilem gratiæ sanctificantis, per quam tota Trinitas inhabitat mentem; secundum illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* qui est quartus ac specialis modus, quo Deus esse dicitur in creatura rationali; distinctus à tribus illis communibus & generalibus modis, quibus Deus est in omnibus rebus, per essentiam, potentiam & præsentiam. Vnde cum tam Filio, quam Spiritui sancto conueniat, & inhabitare per gratiam, & ab alio esse, vtrique conuenit inuisibiliter mitti. *Patri autem licet conueniat inhabitare per gratiam, non tamen ipsi conuenit ab alio esse, & per consequens nec mitti*, vt bene dixit S. Thomas cit. art. 5.

14 Addit S. Thomas eadem quæst. 43. hæc quinque notatu digna. I. artic. 3. Missionem inuisibilem *solum fieri secundum communicationem gratiæ gratum facientis*, siue sanctificantis; quod intellige de missione inuisibili perfecta & simpliciter; qua absolutè Deus habitare in homine, ab eoque haberi dicitur: nam secundum quid & imperfectè etiam mitti, dari, & haberi dici potest Spiritus sanctus, seu diuina persona, dono fidei, seu gratiæ gratis datæ, vt rectè Bonauentura in 1. d. 15. art 2. q. 1. Durandus dist. 14. q. 3. & Caietanus cit. q. 43. art. 3. nec dissentit Vasquez ibidem.

II. cit. quæst. 43. art. 3. ad 1. Tametsi quidem omnia dona, in quantum dona sunt, attribuantur Spiritui sancto, habenti rationem *primi Doni* ex dictis dub. 4. illa tamen dona, quæ pertinent ad intellectum, secundum proprias rationes per quandam appropriationem attribui Filio, & *secundum illa dona* (speciatim) *attenditur*, inquit S. Thomas (inuisibilis) *missio Filij*, iuxta illud Augustini lib. 4. de Trinit. cap. 20. vbi dicit, *tunc inuisibiliter Filium cuiquam mitti, cum à quoquam cognoscitur atq; percipitur: non quocunque scilicet modo cognoscitur, sed eâ cognitione, quæ prorumpit in affectum amoris; quæ proprie dicitur sapientia, quasi sapida scientia, secundum illud Eccles. 6. Sapientia doctrinæ secundum nomen eius est*, vt declarat S. Thomas cit. art. 5. ad 2.

III. Eodem art. 5. ad 3. Missionem inuisibilem Filij & Spiritus sancti semper esse coniunctam, nec vnam fieri sine altera; si modo altera earum perfecta sit; quia effectus gratiæ, secundum quos mittuntur, nimirum illuminatio intellectus, quæ filio attribuitur; & inflammatio affectûs, quæ appropriatur Spiritui sancto, sunt inter se connexi & coniuncti: cum tamen per effectus visibiles, visibili missione, vna persona mitti possit sine aliâ; quia tametsi effectus illos visibiles tota Trinitas operetur, tamen fiunt ad demonstrandam hanc vel illam certam personam; vt docet S. Thomas q. 43. art. 7. ad 3. & rectè etiam contra Cordubam lib. 1. q. 41. notaut Vasquez disp. 170. cap. 3. 15

IV. art. 6. Missionem Filij & Spiritus sancti inuisibilem fieri ad omnes, qui renouantur per gratiam sanctificantem: ad sanctificatos autem non dicitur de nouo missio fieri, nisi quando proficiunt, & euehuntur ad nouum statum gratiæ: *Vt cum aliquis*, inquit S. Thomas, *proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quod ex feruore charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quodcunq; opus arduum aggreditur, &c.* Alias si quis in eodem statu gratiæ permaneat, aut non ita notabiliter in eo proficiat, non simpliciter dicitur ad eum de nouo mitti Spiritus sanctus; quia moraliter loquendo, nullo nouo modo in homine esse incipit. *Sicut etiam ad Christum fuit facta inuisibilis missio, in principio suæ conceptionis, non autem postea; cum à principio suæ conceptionis fuerit plenus omni sapientiâ & gratiâ*, inquit S. Thomas eodem art. 6. ad 3. 16

V. eâdem q. 43. art. 7. Tametsi Spiritui sancto, non minus quam Filio, conueniat etiam visibiliter & secundum effectus visibiles mitti, proprium tamen esse Filij quod ita visibiliter in natura aliqua creatâ, nimirum humanâ, mitteretur, vt eam etiam hypostaticè assumeret; in quâ ipse non tantum indicium, vti Spiritus sanctus, cum in aliquo visibili 17

signo

signo mittitur, sed etiam author gratiæ esse posset. Fit autem missio visibilis Spiritus sancti propter publicum bonum Ecclesiæ, vt per huiusmodi visibilia signa fides confirmetur & propagetur: iuxta illud 1. Corinth. 12. v. 7. *Vnicuique datur manifestatio spiritus, ad vtilitatem.* Qua de causa opus fuit, vt docet ibidem S. Thomas, missionem eiusmodi visibilem speciatim ac potissimum fieri ad Christum, ad Apostolos, & ad aliquos primitiuos sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur, ita tamen vt visibilis missio facta ad Christum, demonstraret missionem inuisibilem, non tunc, sed in principio conceptionis ad eum factam.

18 Ad Patres autem veteris testamenti non est facta visibilis missio Spiritus sancti: quia *tametsi*, inquit S. Thomas a. 7. ad 6. *illis factæ fuerint visibiles apparitiones diuinarum personarum; hæ tamen missiones visibiles dici non possunt, quia non fuerunt factæ secundum Augustinum lib. 2. de Trinit. cap. 17. ad designandam inhabitationem diuinæ personæ per gratiam: sed ad aliquid aliud manifestandum.* Addi potest eas apparitiones determinate non fuisse nec Filii, nec Spiritus sancti; sed indistincte Dei, siue Patris: esto columna ignea, & nubes, vti & petra scaturiens, ac rubus ardens figuræ fuerint Christi, seu Spiritus sancti, &c. vt notat S. Thomas ibidem ad 2.

19 Variis autem signis & effectibus visibilibus facta est ea missio Spiritus sancti in nouo testamento, ad varios modos & effectus inuisibilis gratiæ significandos. *Nam in baptismo*, inquit S. Thomas cit. a. 7. ad 6. *facta est visibilis missio Spiritus sancti ad Christum, sub specie columbæ, quod est animal fœcundum; ad ostendendam in Christo authoritatem donandi gratiam, per spirituale regenerationem: Vnde vox Patris intonuit, Hic est Filius meus dilectus, vt ad similitudinem vnigeniti alii regenerarentur. In transfiguratione verò sub specie nubis lucidæ, ad ostendendam exuberantiam doctrinæ: Vnde dictum est, Ipsum audite. Ad Apostolos autem, sub specie flatus; ad ostendendam potestatem ministerii in dispensatione Sacramentorum: Vnde dictum est eis, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sed sub linguis igneis, ad ostendendum officium doctrinæ: Vnde dicitur, Et cœperunt loqui variis linguis.* Ita S. Thomas cit. art. 7. ad 6.

20 Assertio VI. Missio, qua persona aliqua diuina ab altera mittitur, simpliciter & absolute loquendo, est temporalis, non æterna. Ita S. Thomas cit. q. 43. a. 3. & communis Doctorum contra quosdam relatos asserit. 3. Probatur ex illo Gal. 4. v. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Idem colligitur ex aliis locis scripturæ, in quibus de hac missione est sermo, præsertim tempore futuro. Idem docet Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. vti retulimus asserit. 3. Ratio sumitur ex assertione tertia, quia missio non dicit solam processionem substantialem & æternam vnius personæ ab alia, sed simul etiam connotat effectum externum, ad quem fit missio, & quo etiam missio ipsa vltimate perficitur & consummatur; hic autem effectus solum est temporalis. Et vero ad hoc, vt aliquid sit temporale, satis est, vt secundum aliquid sui temporale sit; contra vero, vt dicatur æternum, quodlibet eius æternum esse debet: si enim anima esset æterna, & in tempore vniretur corpori, homo esset temporalis, vt post Durandum in 1. d. 14. q. 1. recte Vasquez disp. 170. c. 3.

Quam rationem optime etiam expressit S. Thomas cit. a. 2. ad 3. vbi ait: *Missio non solum importat processionem à principio, sed determinat processionis terminum temporalem: vnde missio solum est temporalis: Vel; Missio includit processionem æternam, & aliquid additi, scilicet temporalem effectum.* Ita S. Thomas: qui etiam ibidem in corp. erudite notat, discrimen aliquod esse inter nomina significantia originem diuinarum personarum. *Quædam enim*, inquit, *in sua significatione important solam habitudinem ad principium, vt processio, & exitus: Quædam vero cum habitudine ad principium determinant processionis terminum: quorum quædam determinant terminum æternum, sicut generatio & spiratio, &c. Quædam vero cum habitudine ad principium important terminum temporalem, sicut missio & datio. Mittitur enim aliquid ad hoc, vt sit in aliquo, & datur ad hoc, quod habeatur. Personam autem diuinam haberi ab aliqua creatura, vel esse nouo modo existendi in ea, est quid temporale. Vnde missio & datio in diuinis dicuntur temporaliter tantum; generatio autem & spiratio solum ab æterno: Processio autem & exitus dicuntur in diuinis & æternaliter & temporaliter; nam Filius ab æterno processit; vt sit Deus, temporaliter autem, vt etiam sit homo, secundum missionem visibilem; vel etiam vt sit in homine, secundum inuisibilem missionem.* Ita S. Thomas. Atque hæc de missione diuinarum personarum, & toto mysterio sanctissimæ & incomprehensæ Trinitatis, ad laudem & gloriam sempiternam eiusdem, satis. 21

FINIS DISPVTATIONIS QVARTÆ.

INDEX DISPVTATIONIS V.

DE ANGELIS.

Quæstio I. De existentia & productione Angelorum; eorumque substantia, varietate, & numero.

Dubium I. *An dentur in rerum natura Angeli; & à quo, quando, & vbi sint producti.*

II. *Sintne Angeli corporei, an plane incorporei.*

III. *Vtrum Angeli natura sua sint corruptibiles, vel incorruptibiles; atque etiam entia necessaria.*

IV. *Vtrum Angeli sint substantiæ intelligentes, & quidem homine superiores.*

V. *Quot sint hierarchiæ & ordines Angelorum; & an, ac qua ratione inter se specie ac numero differant.*

VI. *De multitudine Angelorum; & speciatim de septem Angelis, qui astare dicuntur coram Deo.*

Quæstio II. De loco & motu locali Angelorum.

Dubium I. *An, & quo modo generatim Angelus sit in loco extrinseco.*

II. *An habeat etiam aliquod vbi intrinsecum, & quale; & an etiam necessario sit in loco.*

III. *Per quidnam formaliter sit in loco.*

IV. *Vtrum Angelus simul possit esse in pluribus locis; an potius necessario sit in vno tantum loco; & quidem sibi adæquato, certoue modo figurato.*

V. *Vtrum plures Angeli simul esse possint in eodem loco, etiam adæquato.*

VI. *An, & qua ratione generatim Angelus possit moueri localiter, & quidnam motus localis ei superaddat, aliquidne intrinsecum, an solam denominationem extrinsecam.*

VII. *Vtrum Angelus possit moueri ab extremo ad extremum, seu quod idem est, ad locum distantem, sine transitu per medium.*

VIII. *De velocitate motus Angelici; & speciatim an & qua ratione Angelus moueri possit in instanti, maxime ad locum distantem.*

Quæstio III. De Intellectu & cognitione Angelorum.

Dubium I. *Quid & quotuplex sit intellectus Angeli, quidq; ipsius intelligere.*

II. *De medio cognitionis Angelicæ, seu speciebus intelligibilibus: an nimirum, vnde, quot, & quales species intelligibiles habeant Angeli.*

III. *De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis, respectu rerum immaterialium: an nimirum & quomodo Angelus naturaliter cognoscat, tum Deum, tum seipsum, tum etiam alios Angelos.*

IV. *De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis, respectu rerum materialium, tum possibilium, tum actu existentium, vel etiam præteritarum, aut necessario futurarum.*

V. *An & quomodo Angeli cognoscant futura contingentia.*

VI. *An & quomodo Angeli naturaliter cognoscant actus internos alienæ mentis & voluntatis, seu cordis.*

VII. *De obiecto cognitionis Angelicæ respectu rerum supernaturalium.*

VIII. *De modo Cognitionis Angelicæ; an scilicet ea cognitio sit semper in actu secundo; & quidem plurium aut omnium obiectorum simul; an etiam discursiua, vel habitualis, aut errori obnoxia.*

Quæstio IV. De voluntate; deque locutione & illuminatione Angelorum, velut actibus communibus intellectui ac voluntati Angelicæ.

Dubium I. *An, & qualis voluntas sit in Angelo, an eiusdem speciei cum humana, an respectu obiectorum libera, vel necessaria, an aliquando indeliberata, & quid de naturalibus habitibus Angelicæ voluntatis sentiendum.*

II. *Vtrum voluntas Angeli sit natura sua immutabilis, ac inflexibilis ab eo, quod semel elegit.*

III. *An, & qua ratione Angeli inter se loquantur.*

IV. *An, & qua ratione, & de quibus rebus inter Angelos vnus alterum illuminet.*

Quæstio V. De Angelorum potentia loco motiua, seu operatiua transeunte; siue de operationibus eorundem ad extra.

Dubium I. *An, qua, & qualis potentia loco motiua, seu operatiua ad extra sit in Angelo; an ab intellectu & voluntate distincta; an etiam actiua in distans, & miraculorum operatiua.*

II. *Quas res Angeli loco mouere possint; an non solum substantias corporeas, sed etiam incorporeas, & quo modo.*

III. *Quid particulatim de translatione sagarum ad conuenticula diabolica sentiendum.*

IV. *An etiam sit in Angelo naturalis vis seu potentia productiua alicuius substantiæ, vel qualitatis: & quid speciatim de conuersione sagarum in varias formas animalium, tempestatumque noxiarum concitatione sentiendum.*

V. *An & qua ratione possint Angeli assumere corpora, & per ea actiones vitales exercere.*

VI. *An & qua ratione generalem ordinem & statum huius mundi immutare, rerumque naturalium efficientiam suspendere vel impedire possint.*

Quæstio VI. De bonitate & malitia, merito & demerito, præmio & pœna, statu beatitudinis & damnationis; studiisque & functionibus bonis & malis Angelorum.

Dubium I. *Vtrum omnes Angeli fuerint creati in gratia, & an propria dispositione, quaue mensura vel proportione eam acquisiuerint.*

II. *De via Angeli boni, qua nimirum ratione, quota & quibus instantibus peruenerint ad gloriam.*

III. *De via & lapsu Angeli mali, ac speciatim quando, quinam, cuius suasu, quo ordine, & quotnam Angeli peccarint.*

IV. *Qualenam fuerit, aut esse potuerit primum Angelorum peccatum, tum ex parte obiecti, tum ratione subiecti.*

V. *De statu damonum quantum ad naturalia, speciatim quæ sit causa obdurationis damonum.*

VI. *De statu damonum, quantum ad eorundem pœnam, speciatim qua ratione, quando, & vbi, per ignem puniantur.*

VII. *De praxis damonum studiis & infestationibus, ad homines seducendos & perdendos.*

VIII. *De præsidio, ministerio, & custodia bonorum Angelorum, erga homines, aliasq; res creatas.*

Digitized by Google

DISPVTATIO V.

De Angelis.

S. Thomas 1. p. à quæst. 50. vsque ad 64. inclusiuè.

Magister & DD. in 2. dist. 2. vsque ad 11. inclusiuè.

Argumentum & ordo Disputationis.

ABsoluimus hactenus, post disputationem proœmialem, tribus disputationibus ea, quæ ipsum esse intrinsecum & substantiale Dei concernunt; siue spectetur, vt vnus est in essentia, & secundum attributa absoluta & essentialia; siue consideretur vt trinus est in personis, & secundum attributa relatiua. Sequitur nunc, vt progressum faciamus ad considerandum Deum, secundum respectum operationis alicuius transeuntis ad creaturas. In quo genere prima est consideratio Dei, velut Creatoris, seu principij efficientis rerum omnium. Sicut enim in rebus creatis esse ipsarum & existentia supponitur ad cætera, quæ eis aduenire possunt prædicata: ita etiam consideratio Dei, velut Creatoris, antecedit considerationem eiusdem in ordine ad alia opera, quæ circa suas creaturas ipse operatur. 1

Quare etiam S. Thomas 1. part. quæst. 44. post explicatum SS. Trinitatis mysterium, mox gradum facit ad considerationem Dei Creatoris; hac ordinis & connexionis ratione reddita: Post considerationem, *inquit*, diuinarum personarum, considerandum restat de processione creaturarum à Deo. *Et quamuis ipse ibidem eam tractationem tripartitam facit*, vt primò, *inquit*, consideretur de productione creaturarum; secundo de earum distinctione; tertio de conseruatione & gubernatione; *eaq; de causa etiam ante tractationem de Angelis, vsq; ad quæstionem 50. quæ tractationem de distinctione creaturarum incipit, aliqua generatim de creaturarum productione asserit: Quia tamen, cum multa in hoc genere mere Philosophica à S. Thoma intermisceantur, animus non est, totam hanc de processione creaturarum materiam, iuxta S. Thomæ methodum pertractare; & quæ de productione rerum in genere, ante materiam de Angelis, à sancto Thoma disseruntur, commodius ad disputationem sequentem de creatione mundi, & operibus sex dierum referuntur; idcirco visum est conuenientius, hanc tractationem de Deo Creatore à materia de Angelis inchoare; cum præsertim alioqui in descriptione creatoris mundi & operum sex dierum, nulla de his expressa à Moyse mentio facta sit; & à nonnullis Angeli etiam ante mundum corporeum creati existimentur.* 2

Quod

Quod video etiam à Francisco Suario in sua summa, siue in Disputationibus ad primam partem S. Thomæ obseruatum; vbi post primum tomum, qui finitur materia de Trinitate, mox subiungit tomo secundo recens edito, Tractatum de Angelis in octo libros diuisum. Quem etsi nondum videre poteram; cum hanc materiam in scholis prælegerem, & siue in commentarium, siue in Disputationis & thesium formam redigerem, non pigebit tamen, his quasi secundis curis, subinde consulere, & citare: quod eo faciam libentius; quod in pleris{que} video eandem ab eo doctrinam iam nunc luculentissimè explicari, quam in scholis, eo nondum viso, ipse etiam tradidi, & disputatione edita proposui. Ex Patribus autem hanc materiã de Angelis præcipue tractant Dionysius in lib. de cœlest. hierarch. & de diuin. nom. Theodoretus lib. 3. græcan. affect. sub fin. & Augustinus de ciuit. Dei lib. 9. 10. 11. & 12. 3

Sex autem omnino quæstionibus hanc de Angelis disputationem complectemur. I. agetur de existentia, & productione Angelorum, eorum{que} substantia, varietate, & numero. II. De loco, & motu locali Angelorum. III. De Intellectu Angelorum. IV. De voluntate; deq{ue} locutione & illuminatione Angelorum; quasi actibus quibusdam communibus intellectui & voluntati Angelicæ. V. De eorundem potentia locomotiua, atque operatiua transeunte. VI. De Esse morali; sub bonitate & malitia; merito & demerito, præmio & pœna, statu beatitudinis & damnationis, studijs{que} bonis & malis eorundem. 4

Cuius distributionis hæc est ratio. Quia Angeli aut considerantur secundum esse naturale; aut secundum esse morale, puta bonitatis, malitiæ, meriti, demeriti, gloriæ, damnationis, &c. De esse morali, quod posterius est naturali, agitur quæstione vltima. Quod verò ad esse naturale spectat, rursum aut spectantur quoad essentiam & substantiam, substantiaq{ue} existentiam & productionem; aut quoad proprietates & potentias; quales in Angelis præter locum, motúmque localem, tres distingui possunt; intellectus nimirum, quo spectat memoria; voluntas, & potentia executiua, seu operatiua ad extra: ex his ad substantiam spectat quæstio prima; ad locum secunda; ad intellectum tertia; ad voluntatem quarta; ad potentiam executiuam quinta. 5

QVÆSTIO I.

De existentia & productione Angelorum; eorumque substantiâ, varietate, & numero.

S. Thomas 1. p. q. 50. & 61.

1 *ABsoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. An dentur in rerum natura Angeli; & à quo, quando, & vbi sint producti. II. Sintne Angeli corporei, an planè incorporei. III. Vtrùm Angeli natura sua sint corruptibiles vel incorruptibiles; atque etiam entia necessaria. IV. Vtrum Angeli sint substantiæ intelligentes, & quidem homine superiores. V. Quot sint hierarchiæ & ordines Angelorum; & an, æqua ratione inter se specie ac numero differant. VI. De multitudine Angelorum; & speciatim de septem Angelis, qui adstare dicuntur coram DEO.*

DVBIVM I.

An dentur in rerum natura Angeli; & à quo, quando, & vbi fuerint producti.

S. Thomas 1. p. q. 50. a. 1. & q. 61. aa. 4.

2 AGit quidem S. Thomas de productione Angelorum primùm post explicatam eorum naturam: sed quia res hæc omnis ad existentiam eorundem, & quæstionem, An est, pertinet, commodiùs hoc loco tractatur. Intelliguntur autem nomine Angelorum in hac tractatione substantiæ quædam finitæ intelligentes, cõpletæ, inuisibiles; quæ proinde nec Deus sunt, nec homo, aut anima humana, nec omnino quicquam eorum, quæ oculis cernimus; sed quiddam ab his omnibus distinctum; de quibus quod ad præsentem dubitationem spectat, sequentes assertiones statuimus.

3 Assertio I. De fide est dari Angelos; hoc est, substantias quasdam finitas, Deo subordinatas, intelligẽtes, completas, à Deo ac homine distinctas; & extra censum omnium rerum harum visibilium positas; qui etiam in scripturis *administratorij spiritus* dicuntur. Hęc assertio sub his terminis videtur extra controuersiam; nec vllus est, qui eam neget, præter Atheos, qui etiam Deum negant; & præter Sadducæos, qui dixerunt, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neq; Spiritum*, vt refertur Act. 23. v. 8. & notauit etiam S. Thomas q. 50. a. 1.

4 Probatur apertè ex Scriptura. Psal. 90. v. 11. & Matth. 4. v. 6. dicitur, *Angelis suis mandauit de te.* Vbi de Angelis fit mentio, tanquã de substantijs ad capessenda diuina mandata Deo subordinatis, adeoque intelligentibus, distinctis ab homine animaq; hominis; vtpote quorum custodiæ homines dicũtur deputati. Item Psal. 103. v. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Quod etsi ad literam immediatè etiam intelligi possit de vento & igne, ad quemuis nutum Dei quodammodo paratis; principali tamen sensu ad Angelos, de quibus agimus, pertinet, vt constat ex Hebræorũ c. 1. v. 7. Vbi Apostolus eundem locũ citans ait: *Et ad Angelos quidem dicit; Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Huc spectat illud Heb. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus.* Et v. 6. ex Psalmo 96. v. 8. refertur illud, *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Omitto alia innumera testimonia inferius suis locis referenda; in quibus semper mentio est de Angelis, tanquam de substantijs quibusdam sua natura inuisibilibus, intelligentibus, à Deo homineque distinctis. Huc spectat etiam decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. vt refertur cap. *Firmiter*, de sum. Trinit. & fid. Cathol. inferius referendum. Idem agnoscunt omnes Patres. De ratione mox videbimus.

5 Quare de Angelorum existentia eorumq; conditione breuiter & præclare Bernardus l. 5. de considerat. c. 3. *Primo quidem*, inquit, *Spiritus ciues esse illic, potentes, glorioſos, beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, corpore æthereos, immortalitate perpetuos, impassibiles, non creatos, sed factos, id est, gratia, non natura, mẽte puros, affectu benignos, religione pios, castimonia integros, vnanimitate indiuiduos, pace securos, à Deo conditos, diuinis laudibus & obsequijs deditos: hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus. Quanquam de corporibus horũ non modo vnde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Vnde si quis inter opinabilia magis id ponendũ censuerit, non contendo.* Ita Bernardus. De qua re tamen plura dub. seq.

6 Assertio II. Angelos esse, tametsi ratione aliqua physica, aut metaphysica, ex solis naturalium rerũ effectis, aut ipsa rerum naturâ deprompta, demonstrari euidenter non possit; moraliter tamen, & ex effectis quibusdam moralibus, id satis certo & euidenter demonstratur. Hæc assertio sumitur ex S. Thoma l. 2. cont. gent. c. 46. & 91. Ferrariensi ibid. Vasquez disp. 178. cap. 1. Suarez Metaph. disput. 35. & hic lib. 1. cap. 1. num. 8. & aperte lib. 7. cap. 1. num. 7.

7 Probatur & declaratur. Rationes enim S. Thomæ cit. c. 91. sunt istæ. I. Quia quod est per se, prius est eo, quod est per accidens; sed dantur substantiæ intelligentes incompletæ, quæ per accidens separatæ sunt à corpore: Ergo dantur aliæ, quæ per se exptes sunt corpis. II. Nõ est de ratione substãtię intellectualis ex suo genere, vt sit corporivnita: Ergo dantur aliquæ substantiæ intellectuales, quæ

corpori

corpori sua natura non vniuntur. III. Datur substantia quædam corporea, puta homo, cuius supremus gradus & perfectio est, esse intelligentem; Ergo datur substantia quædam creata superior, cuius infima, & inter omnes sui generis communissima sit perfectio esse intelligentem; quæ proinde non potest esse corporea: quia natura superior in suo infimo contingit naturam inferiorem in suo supremo, omissis imperfectionibus cum hac excellentia pugnantibus. IV. Perfectum in suo genere natura prius est imperfecto; at verò anima rationalis in genere substantiæ intellectualis est imperfecta: Ergo datur aliqua substantia in eo genere perfecta; quæ proinde sit mere intellectualis, & incorporea.

8 V. Datur gradus substantiæ creatæ corporeæ; Ergo etiam dabitur gradus substantiæ creatæ penitùs incorporeæ; quandoquidem ratio substantiæ vti à quantitate, ita etiam à corpore independens est. VI. In homine composito ex corpore & spiritu, alterum eorum, quod est imperfectius, nempe corpus, seu gradus corporis datur per se, & sine adiuncto spiritu sua natura existens: Ergo etiam spiritus aliquis dabitur sine corpore sua natura existens, cum spiritus sit præstantior, & ex suo genere minus dependeat à corpore, quam corpus à spiritu. VII. Intelligere solum per phantasmata & adminiculo corporis, est in suo genere quiddam imperfectum: Ergo datur aliquod intelligere creatum per se ac sua natura independēs planè à corpore; quod non potest esse nisi in substantia spirituali. VIII. Iuxta discursum Aristotelis 12. Metaph. Motus cœlorum sunt à motoribus immobilibus, indeficientibus, adeoque incorporeis, & simul tamen intelligentibus: Ergo dantur substantiæ incorporeæ intelligentes, adeoque Angeli.

9 Hæ rationes tametsi optimæ congruentiæ sint, ad hanc veritatem persuadendam, præsertim quæ ex gradu substantiæ creatæ spiritualis, ad perfectionem vniuersi requisito petitur; non tamen planè conuincunt intellectum. Tum quia earum creatio, etiam supposito decreto Dei communicandi se creaturis, fuit libera; sicut & arbitrarium Deo fuit, qualem voluit perfectionem mundo tribuere. Tum quia nec iam quidem vndiquaque certũ & euidens existimatur, Angelos esse substantias merè spirituales; vt dicetur dub. seq. cum tamen omnia hæc argumenta eo tendant, vt non solum probent, quocunque modo Angelos esse, sed etiã spirituales & incorporeas substantias esse. Tum denique quia gradus Entis merè spiritualis nihilominus in Deo habiturus fuisset locum, etiamsi Angeli creati non fuissent; præterquam quod fortasse euidenter non constat, eum in creatura possibilem esse. Atque hanc partem assertionis tuetur etiam Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 2.

10 Nihilominus tamen, quæ erat altera pars assertionis, Angelorum existentia, sub notione superius explicata, euidenter, saltem morali quadam euidentia, demonstratur ex effectis quibusdã moralibus, atque à libero arbit. procedentibus, vt indicant etiam Vasquez & Suarez loc. cit. Non solũ quia energumeni ea sæpe agunt & dicunt, quæ cum mala sint, & non minus vires proprias, quam animæ separatæ excedant, necessario videntur malis spiritibus tribuenda: hæc enim cum ipsis energumenis libera non sint, adeoque ex parte eorum culpa vacent, possent fortè materialiter, certum ob finem, à solo Deo effici; sicut in comœdijs quandoque similia absque peccato repræsentantur; vt quoad hoc sentit etiam Gregorius de Valentia loc. cit. sed vel maxime; quia tum occultis suggestionibus, sæpe ab omni humanæ naturæ inclinatione alienis; tum manifestis apparitionibus & effectis, moraliter sit euidens, homines etiam sui compotes, ad malum libera voluntate patrandum, ab extrinseco, eoque alias inuisibili suasore impelli; medijsque nonnunquam plus quam humanis (vti præcipuè in magorum incantationibus & veneficijs, aliisue admirandis eorum operibus videre est) promoueri & adiuuari. Quod cum neque Deo, neque bono spiritui vlla ratione tribui possit; necesse est ab aliquo creato spiritu, seu substantia inuisibili mala, & quidem ab animabus separatis distincta proficisci. Quare etiam loc. cit. notat Vasquez, hoc argumento & experimento plurimos hoc nostro tempore in Gallia & Anglia ab Atheismo reuocatos: etsi Gregorius de Valentia loc. cit. nec hoc argumentum plusquam probabile iudicet.

Neque enim, vt bene notauit etiam Suarez hic 11
lib. 1. cap. 1. num. 8. eiusmodi effectus possunt tribui animabus separatis defunctorum; quia iuxta veram Philosophiam, anima separata sua natura non plus potest circa materiam externam, quã posset coniuncta; imò fortasse minus: siquidem corpori coniuncta saltem per illud poterat, intra certos limites, alia corpora immutare; quod iam non potest. Quare etiam infideles & gentiles omnes iam olim etiam pro comperto habebant, esse aliquas substantias inuisibiles homine superiores; qui & homini benefacere, & malè possent; à quibus proinde & oracula exspectabant, & beneficia petebant; vt videre est apud Cyprianum lib. de idolor. vanit. Lactantium lib. 2. diuin. Instit. cap. 15. Theodoretum lib. 3. græcan. affect.

Assertio III. Angeli neque ex se existunt; neq; 12
eorum alij ab alijs; sed omnes à Deo fuerunt producti. Ita S. Thomas 1. p. q. 6. a. 1. & consentiunt omnes Doctores; & est de fide contra obsoletas quasdam hæreses; in quibus olim Valentiniani *triginta Æones* (spirituales quasdam substantias) alias ab alijs progenitas dicebant, apud Irenæum lib. 1. cont. hæres. c. 1. itē contra Hermannũ Rissuic hæreticũ, qui circa Annũ Christi MDXII. inter alia absurda dogmata negabat, Angelos siue bonos, siue malos fuisse à Deo creatos, vt refert Alphõsus à Castro lib. 2. cont. hæres. verbo *Angelus*. Omitto Manichæos, & Priscillianistas, qui Angelos, ex Dei substantia extitisse docuerunt, contra quos est Canon. 5. Concilij Bracharensis I. in quo dicitur: *Si quis animas humanas, vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema.*

Probatur assertio apertè ex Scriptura. Psal. 103. 13
& Heb. 1. supra cit. *Qui facit Angelos suos spiritus, &c.* Ioã. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Coloss. 1. v. 16. *In ipso condita sunt vniuersa, in cœlis, & in terra, visibilia*

& inuisibilia, sive throni, sive dominationes sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant. Adde illud Iob 40. vers. 10. iuxta communem expositionem Hieronymi & Gregorij, *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* Quibus accedit Symbolum Nicænum; in quo profitemur, Deum *creatorem visibilium & inuisibilium*; & definitio Ecclesiæ cap. *Firmiter* superius citata. Ratio est euidens. Quia omne ens, quod vere & realiter est & Deus non est, à Deo productum est. Accedit, quod Angeli sunt substantiæ spirituales, quæ generandi, aut aliam substantiam producendi vim nullam habent vt partim dub. seq. partim quæst. 5. dub. 4. dicetur: Ergo non à se, sed à solo Deo; nec ex vlla præexistente materia, sed per productionem ex nihilo, sive creationem producti sunt; vti etiam in cit. cap. *Firmiter* definitur.

14 Assertio IV. Angeli non fuerunt producti, nec extiterunt ab æterno; sed aliquando inceperunt esse. Ita Sanctus Thomas quæst. 61. a. 3. & Scholastici omnes, cum Magistro in 2. distinct. 3. consentientibus omnibus SS. Patribus; contra Aristotelem, aliosque nonnullos Philosophos, qui mundum, motum, & motores Angelos posuerunt ab æterno; adeo vt contrarium absque errore defendi non possit. Probatur ex Scriptura, quæ docet, Deum antecessisse duratione omnem rem creatam; cit. Colos. 1. v. 16. Prouerb. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret.* Eccli. 24. v. 5. *Primogenita ante omnem creaturam.* Ioann. 17. v. 5. *Quam habui priusquam mundus fieret.* Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Idem definitur citat. cap. *Firmiter:* Ratio est. Quia nec potuit creatura esse ab æterno, vt dicetur disp. seq. nec si potuisset, erat admodum conueniens, esse, vt ibidem dicetur. Sanctus Basilius autem hom. 1. Hexaëmeron, quando Angelum vocat *æternum*; de æternitate à parte post, & ingenita naturæ incorruptibilitate accipiendus est.

15 Assertio V. Angeli non fuerunt producti ante mundum corporeum; nec primum post creatum cœlum & terram; sed simul cum creatura corporea, cœlo nimirum & terra in principio temporis creatis. Ita habet communis omnium Scholasticorum sententia, cum Magistro in 2. dist. 3. & S. Thoma hic q. 61. a. 3. quam speciatim etiam tuentur Caietanus & Thomistæ ibidem, Ferrariensis 2. cõt. gent. cap. 83. Gregorius de Valentia hic q. 12. pun. 2. Molina cit. q. 61. a. 1. Vasquez disp. 204. cap. 1. Suarez lib. 1. cap. 3. contra diuersas quorundam hac de re opinationes.

16 Primo enim multi ex Patribus, tam græcis, quam latinis, senserunt, Angelos fuisse creatos ante mundum corporeum; speciatim Origenes homil. 4. in Isaiam, & tract. 9. in Matth. Basilius loc. cit. Gregorius Nazianzenus orat. 38. de Natiuit. & orat. 42. in Pasch. Damascenus lib. 2. de fid. cap. 3. Nicetas in orat. 39. Nazianzeni. Ex latinis, Clemens Romanus lib. 8. Constit. capit. 12. Ambrosius lib. 1. Hexaëm. Hilarius lib. 12. de Trinit. Hieronymus ad Tit. 1. & Cassianus collat. 8. capit. 7. Idem habetur in manuscripto libro Reuelationum B. Amadei reuel. 1. vbi dicitur *Angelos simul cum cœlo Empyreo fuisse creatos, per multa seculorum curricula, ante mundum hunc sensibilem.* Quem librum etsi quidam magni æstimant, ego tamen cum dudum diligenter perlegissem, suppositium, aut deprauatum existimaui. Citantur etiam à nonnullis Chrysostomus & Augustinus; sed quos ab hac opinatione vindicat Vasquez disp. 204. cap. 1.

Secundo aliqui, in quibus Geñadius lib. Eccles. dog. cap. 10. idemque & Achatius apud Lipomanum catena in Genes. cap. 1. & Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 11. dicunt, Angelos creatos post cœlũ & terrã, quæ à Deo in principio creata Moyses dixerat, licet ante reliquũ opus creationis, nimirum ante primũ diẽ, vel primo die, quando lux fuit creata. Et fauent alij, qui nomine lucis primo die creatæ Angelos intellexerunt; quos refert Gregorius de Valentia q. 12. pu. 2. cum tamen ante lucẽ productã, iam creatum fuerit cœlum & terra, & *tenebræ essent super faciem abyssi*, Genes. 1. 17

Probatur assertio primo ex scriptura Eccli. 18. v. 1. vbi dicitur, *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Quod etiam iuxta proprietatem verborum, facile intelligi potest, si de totius vniuersi substãtia, seu de substantijs proprie creatis, completisq; intelligatur, hoc sensu, Deus omnia quæ proprie ac per se creauit, seu quod idem est, totam mundi substantiam, quoad perfectionem essentialem, simul creauit. In quem ferè sensum etiam S. Thomas q. 74. a. 2. ad 2. eum locum explicans dicit, *quod Deus creauit omnia simul, quantum ad rerum substantiam quodammodo informem; sed quantum ad formationem, quæ facta est per distinctionem & ornatum, nõ simul, vnde signanter vtitur verbo creationis.* Ita S. Thomas. Et consentit huic explicationi etiam Gregorius 32. Moral. cap. 9. Eam denique ob causam Augustinus lib. 4. Genes. ad lit. cap. 33. & 34. omnia vno momento creata existimat. Quanquam alij, cum hunc locum promiscue de toto operẽ sex dierum accipiant, voculam *simul*, ita explicent, vt vel sit idem solum, quod *pariter*, seu ex æquo, vt exponunt etiam Gregorius de Valentia & Vasquez locis citatis; vel vt *simul* intelligatur moraliter, hoc est eodem breuissimo tempore, sex dierũ, quod ipsum tamen auctoribus oppositæ sententiæ aduersatur, qui volunt Angelos multo admodum tempore ante mundum corporeum creatos. 18

Huc spectat etiam locus Genes. cap. 1. vers. 1. *In principio creauit DEVS cœlum & terram.* Vbi illud *In principio*, inter alia significata, ad literam inprimis etiam significat, In principio temporis seu durationis, vt explicatur etiam cit. cap. *Firmiter*. vel etiam, *Ante omnia*, nimirum reliqua, quæ creata sunt à Deo, vti etiam multi Patres explicant. Cum ergo mundus corporeus sit creatus in principio durationis, seu temporis; neque Angeli ante principium durationis seu temporis fuerint producti (cum tempore enim Angelico, non ab æterno producti sunt) consequens est, Angelos non fuisse productos ante mundum corporeum. Eodemque argumento etiam Augustinus l. 11. de ciuit. c. 6. & Epiphanius hæres. 65. docet, nihil fuisse productum ante cœlum & terram. Denique 19

Digitized by Google

Valde verisimile est, quod docet etiam Procopius præfat. in Genesin, Moysen in illis verbis sub nomine *Cæli* tacite & indirecte etiam significare voluisse Angelos, velut incolas cœli; ne si eorum postea sæpius mentionem fecisset, & productionem tamen penitus tacuisset, increatæ substantiæ videri possent; præsertim cum etiam Dauid Psal. 148. v. 1. *Laudate Dominum de cœlis*, sub nomine *cælorum* Angelos comprehendisse videatur, vt ex sequenti contextu verborum colligitur: sicut & sub nomine cœli & terræ Moysen tacite insinuasse etiam cætera elementa disp. seq. dicetur. His accedunt contra alteram sententiam superius relatam, duo specialia loca scripturæ inferius obiect. 1. & 2. referenda.

20 Secundo probatur eadem assertio ex SS. Patribus. Ita enim ex Græcis docent Epiphanius hæres. 65. Theodoretus quæst. 3. in Genes. Procopius præfat. in Genes. Ex Latinis ita docet Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei cap. 6. 9. 32. & 33. & lib. 22. cont. Faust. cap. 10. & in Genes. opere imperf. cap. 3. & lib. 2. de Genes. ad lit. cap. 8. & in psal. 89. quicqd pseudonymus liber de Deit. & Incarnat. cap. 6. rem sub dubio relinquat. Idem docet Gregorius lib. 32. Moral. cap. 9. siue 10 & cap. 18. seu 24. & lib. 26. cap. 7. siue 14. & lib. 27. cap. 24. vel 25. vbi dicit, Moysen Genes. 1. v. 1. per cœlum intellexisse Angelos. Consentiunt Beda tom. 4. Hexaem. & tom. 8. lib. quæst. in Genes. item Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. part. 1. cap. 5. & part. 5. à cap. 1.

21 Tertio idem probatur ex decreto Concilij Lateranensis, sub Innocentio III. vt refertur cit. cap. *Firmiter* de sum. Trinit. & fid. Cathol. vbi ita de Deo dicitur: *Qui sua omnipotenti virtute simul, ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; & deinde humanam.* Quæ verba postrema satis indicant; voculam *simul*, in proposito significare simultatem durationis. Qua de causa etiam Ferarienſis lib. 2. cont. gentes cap. 83. censet contrariam sententiam modo esse erroneam in fide, & hæreticam: Canus autem lib. 5. loc. Theolog. cap. 5. Bannes & Molina quæst. 61. articulo. 3. Gregorius de Valentia quæst. 12. punct. 2. & Suarez lib. 1. cap. 3. num. 15. ex communi recentiorum, sentiunt, saltem esse temerariam; At vero Vasquez disp. 234. cap. 3. post Caietanum cit. quæst. 91. articulo. 3. & Sixtum Senensem annot. 5. existimat nostram quidem sententiam esse probabiliorem, sed contrariam nulla grauiore nota dignam. Quod etiam ita sensisse videtur Sanctus Thomas hic loc. cit. articulo 3. vbi hanc sententiam vocat *probabiliorem*; & infra ait, *contrarium non esse reputandū erroneum; præcipue propter sententiam oppositam Gregorij Nazianzeni; cuius*, vt ex Hieronymo ait, *tanta est in doctrina Christiana authoritas, vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit*: & tamen vix negari potest, S. Thomam vidisse citatum Capitulum *Firmiter*. Accedit, quod Augustinus, Theodoretus, & Hugo Victorinus, eam sententiam solum vt probabiliorem tradiderunt, vt videre est apud Vasquez cap. 3.

Qua ratione vero ex cap. *Firmiter* contraria sententia non conuincatur erronea, non eodem modo omnes explicant. Vasquez loc. cit. aliorum responsionibus reiectis, putat voculam *simul* non significare simultatem durationis, sed solum idem esse, quod *pariter*: quod tamen certe non cohæret cum contextu verborum; præsertim cū vocula *deinde*, vt dictum. Caietanus igitur, Sixtus Senensis, Gregorius de Valentia, & Suarez locis citatis rectius respondent id quod de simultate durationis dicitur non fuisse ex instituto definitum. Quod probari potest. Tum quia nulla certa regula, nec ex scriptura, nec ex traditione suppetebat, qua hoc definiretur: tametsi nihilominus absolute definiri potuisse, existimet Suarez. Tum quia nulla erat huius definitionis necessitas: neque enim ad fidem aut mores Ecclesiæ interest, hanc veritatem habere ex fide comperta. Tum quia nō est credibile, propositum fuisse Concilio, aut Pontifici, tot grauium & antiquorum Patrum oppositam sententiam damnare, Secluſa uero Ecclesiæ definitione, non est, vnde opposita sententia erroris aut temeritatis arguatur; nisi ob consentientem scholasticorum Doctorum authoritatem; qua de causa ipse etiam sine temeritate oppositū defendi non posse existimo. 22

Quarto probatur eadē assertio ratione S. Thomæ loc. cit. Quia valde consentaneum erat ratiōi vt Deus, cuius perfecta sunt opera, iuxta Deuter. 32. v. 4. statim ab initio crearet vniuersum non imperfectum; sed potius perfectum, in suo genere: Angeli autem non sunt ipsum vniuersum perfectum, vt patet, sed potius pars vniuersi perfecti, constantis ex vtroque gradu corporeæ & incorporeæ naturæ; propterea enim vtraque natura ad se inuicem coordinatur: Ergo nō est verisimile, Deum creasse Angelos ante naturam corpoream; sed simul cum natura corporea. Accedit, quod decens non erat, Angelos in nihilo & ante ac extra congruum cœli habitaculum creari. Denique ex scriptura constat, Angelos peccasse in ipso cœlo, ex quo mox pulsi sunt, iuxta Luc. 10. v. 18. *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* & Isai. 14. v. 12. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer*; & iuxta probabilem multorum explicationem Apocal. 12. v. 4. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Et v. 7. *Et factum est prælium in cœlo: Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt; neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo.* Et vero tamen interim certum etiam est; Angelos *ab initio peccasse*, adeoque post productionem *non* diu *in veritate stetisse*, iuxta Ioann. 8. ver. 44. Ergo fieri non potest, vt quod oppositæ sententiæ auctores volunt, Angeli longo admodum ante creationem mundi corporei tempore fuerint producti. 23

Obijcitur primo illud Iob 38. vers. 4. & 7. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ, &c. Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij DEI.* 24

Respondeo hinc tantum colligi, Angelos simul fuisse creatos, simulque in eodem instāti laudasse Deum (hoc enim opus cum internū ac spirituale

sit, non

sit, non indiget tempore) dum mundus crearetur: quod est contra alteram sententiam superius relatam & refutatam.

25 Objicitur secundo illud Iob 40. vers. 14. Vbi de Behemoth dicitur, *Ipse est principium viarum Dei*; vbi de Luciferi creatione sermo est, iuxta communiorem interpretationem Patrum, apud Pinedam ibidem.

Respondeo, Luciferum dici *Principium viarum DEI*, seu processionis ad extra & productionis, quia & ordine temporis nulla cum creatura antecessit, & simul ipse ordine dignitatis antecessit cæteras, vt explicant etiam Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. vel 24. Isidorus lib. 1. de summ. bono, cap. 10. & Beda quæst. 9. ex varijs. Quare etiam eodem cap. 40. Iob. vi. 10. dicitur, *Ecce Behemoth quem feci tecum*, nempe quasi in radice, dum mundus & elementa crearentur.

26 Objicitur tertio, illud Tit. 1. v. 1. *Quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora secularia*: Ergo ante tempora secularia necesse est saltem fuisse Angelos, quibus id Deus promitteret.

Respondeo, aut nomine promissi intelligi propositum, iuxta similem locum 2. Timoth. 1. vers. 9. *Secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo IESV, ante tempora secularia*: vel per *tempora secularia*, non totum tempus durationis mundi, sed quod à prima promissione de futura salute per Christum, ad primos parentes facta Genes. 3. vers. 5. verbis illis, *Ipsa conteret caput tuum*, elapsum est, vt bene Suarez citat. cap. 3. num. 33. Reliqua Cassiani loc. cit. non sunt magni momenti.

27 Assertio VI. Angeli non fuerunt producti in aëre; nec in cœlo sydereo, aut Empyreo propriè; sed in cœlo tamen ac supremo corporum. Antequam explicetur & probetur hæc assertio, obseruandum est, fuisse, atque etiamnum esse de hac re variam Doctorum sententiam: cum enim omnes in eo conueniant, Angelos fuisse creatos in aliquo corpore, iuxta dicta assert. præced. valde tamen discrepant, circa particularem determinationem eius corporis, siue loci.

28 Prima & communis Scholasticorum sententia est, Angelos fuisse creatos in cœlo Empyreo. Ita sentiunt Magister, & alij Doctores in 2. distinct. 2. Alensis 2. quæst. 19. memb. 3. articulo 2. cum Glossa initio Genes. Hugone Victorino in sum. tract. 2. cap. 1. & Beda in princip. Hexaëm. & significat S. Thomas quæst. 6. art. 4. vbi dicit, fuisse creatos *in supremo corpore siue id dicatur*, inquit, *cœlum Empyreum, siue qualitercunq; nominetur*. Quod hoc etiam sensu tradunt & sequuntur Caietanus, alijque Thomistæ, & Molina ibidem, & ex probabili Vasquez disp. 225. cap. 2.

29 Secundo alij Angelos vniuersim creatos existimant, in cœlo sydereo, siue eo, quod sub Empyreo proximè collocatum est. Ita Lorinus in 2. Pet. 2. Suarez hic lib. 1. cap. 4. num. 7. & fauet Hieronymus lib. 6. in Isai. cap. 14. & Innocentius III. super Psalm. 5. pœnit. vbi dicit, *Angelos peccasse in cœlis, in quibus sunt sydera & luminaria*.

Tertio nonnulli sentiunt, Angelos vniuersim creatos infra cœlos, in regione aëris. Ita Rupertus l. 1. in Genes. c. 11. & Eugubinus l. 7. perenn. Philosoph. c. 38. Sed niruntur falso fundamento, Angelos esse corporeos, de quo dub. seq.

Quarto alij quidam sentiunt, aliquos quidem 30 Angelos fuisse creatos in cœlo Empyreo, alios vero in alio loco: in quo tamen rursum variant. Nã aliqui dicunt, bonos in loco cœlesti, malos in aëre fuisse productos: quam sententiam refert, nec improbat Augustinus lib. 3. de Genes. ad lit. cap. 10. Alij vero distinguunt inter Angelos superiores, & inferiores, qui vel motores sunt orbium, vel elementis præsunt: hos enim in ijsdem illis locis inferioribus, in quibus suum munus obeunt, creatos volunt; illos autem in cœlo Empyreo. Ita videtur sentire S. Thomas cit. q. 61. art. 4. ad 2. Quamuis enim in corpore vniuersim dixerit, Angelos fuisse creatos *in supremo corpore*, tamen in solut. 2. motus auctoritate Augustini loc. cit. ait: *Nihil autem prohibet dicere, quod superiores Angeli, habentes virtutem elevatam & vniuersalem supra omnia corpora, sint in supremo creaturæ corporeæ creati: alij vero habentes virtutes magis particulares, sint creati in inferioribus corporibus*. Idem cum sancto Thoma docet Gregorius de Valentia quæstion. 12. punct. 3. Ex quibus patet, non eundem inter Doctores Scholasticos de loco determinato productionis Angelorum esse consensum, qui est de tempore productionis, vt dictum.

Ego vero cum prima & communi sententia in 31 eo consentio, quod Angelos creatos existimo in supremo corpore, non in aliquo inferiori: cum secunda vero in eo, quod non determinate & particulatim in ipso cœlo Empyreo productos existimo: quod indicasse etiam videtur S. Thomas loc. citat. vbi cum dixisset in supremo corpore fuisse creatos, addit, *siue id dicatur cœlum Empyreum, siue qualitercunq; nominetur*.

Et primo quidem fuisse creatos vniuersim in 32 cœlis, siue in cœlo, non in aëre, aut loco inferiori, præter communem consensum Doctorum, colligitur ex cit. loco Coloss. 1. v. 16. & indicant ea scripturæ loca, quibus dicitur, Angelos per peccatum de cœlo fuisse lapsos, vt superius vidimus. Accedit dignitas naturæ Angelicæ, quæ vti omnem substantiam corruptibilem longe antecedit, ita etiam merito locum sibi digniorem vendicat.

Secundo, quoad hoc nullum esse discrimen 33 faciendum inter Angelos bonos & malos, superiores & inferiores, probatur insuper ex eo; tum quia non conueniebat, malos Angelos ante peccatum puniri, & ob solum præuisum peccatum inferiori loco creari; vt in simili etiam docet Augustinus lib. 11. in Genes. cap. 17. Tum quia in productione Angelorum, nondum erant producta sydera, aut cœli syderei & mobiles, quibus mox præficiendi essent Angeli; cum sydera primum quarto die creationis fuerint producta; cœli autem mobiles secundo primum die, cum produceretur firmamentum, essent consolidati, vt colligitur ex Genes. 1. v. 6. In quem sensum bene etiam Molina cit. art. 4. dicit; *Cum Angeli simul cum mundo corporeo sint conditi, neque statim à principio Deus orbes mobiles creauerit, fit, vt Angeli etiam qui orbes cælestes mouent, in cælo etiam Empyreo*, (siue

supremo illo quali quali corpore) *fint conditi, vna cum cæteris Angelis; inde vero descenderint ad mouendum orbes sibi commissos, cum primum orbes conditi sunt, & moueri cœperunt. Et forte descensus ille, & deputatio Angelorum ad mouendos orbes, fuit post finitam Angelorum viam, atque adeo post peccatum quorundam & beatitudinem reliquorum.* Ita Molina; cum quo tamen in eo minime consentio, quod solum cœlum Empyreum in principio cum terra creatum existimat.

34 Quare tertio etiam probari non potest, Angelos in cœlo sydereo aut vllo alio mobili cœlo fuisse productos, loquendo de cœlo sydereo seu mobili proprie, qua cœlum sydereum, aut mobile est; cum tale nullum tunc extiterit, vt dictū, & mox vlterius declarabitur. Nec verum est, quod dicit Suarez num. 7. etsi in primo momento creationis Angelorum cœli nondum mouerentur, tamen sidereum cœlum immediatè post fuisse motum: quia non poterat moueri ante consolidationem secundo primum die acceptam.

35 Sed nec quarto in ipso cœlo Empyreo proprie creatos fuisse dixerim. Tum quia iuxta communem & probabilem expositionem Isai. 14. v. 13. *In cœlum conscendam*, Lucifer iam creatus ascensum ad hoc cœlum intempestiue ambiuit; etsi Sanctus Thomas cit. quæst. 61. articulo 4. ad 3. respondeat, hoc *non de cœlo aliquo corporeo, sed de cœlo* (spirituali) *sanctæ Trinitatis accipiendum*; *in quod*, inquit, *Angelus peccans ascendere voluit, dum voluit aliquo modo Deo æquiparari*; quæ tamen explicatio valde impropria & metaphorica est. Tum quia non decebat, locum adeo excellentem peccato Angelorum quasi infici & dehonestari. Tum quia sicut homo non fuit productus in ipso paradiso, sed primum post productionem in eo positus, vt eo magis beneficium naturæ indebitum agnosceret; ita verisimile est, Angelos non in ipso loco beatitudinis productos, sed postea primū finitâ viâ eo eleuatos. Quæ oñia p̃cedunt, etiãsi dicam[9] in primo statim momẽto productionis cœlum Empyreũ fuisse à cæteris cœlis propria superficie ambiente & iam consolidata distinctum.

36 Ex quibus omnibus manet, quod in assertione dictum, Angelos non in ipso cœlo empyreo aut sydereo proprie, neque in loco aliquo inferiori fuisse productos. Addidi vero nihilominus, productos *in supremo corpore*, quod ita declaro, suppositis ijs, quæ de cœlorum productione disp. sequenti disserentur. Nam vt ibidem ex instituto probabitur, in primo momento, siue etiam die productionis, quando cœlum & terra fuerunt creata Genes. 1. vers. 1. nondum facta erat aliqua distinctio cœlorum superiorum & inferiorum; quia tunc nullum adhuc cœlum erat consolidatum; sed omnis consolidatio, adeoque distinctio cœlorum facta est, primum secundo die, quando productum est firmamentum. Erat igitur totum cœleste corpus initio vnum quoddam continuum & liquidum corpus; quod, vti cum terra alijsque etiam elementis accidit, distinctionem & ornatum, in suo genere seu ordine primum sequentibus diebus, nominatim secundo & quarto die accepit. In hoc igitur cœlesti adhuc indistincto corpore, (quod proinde verè etiam erat supremum omnium corporum) creati sunt Angeli; non quidem ea parte suprema eiusdem corporis, quæ postea, facta distinctione, cœlo Empyreo respondebat; sed in aliquo loco inferiori, sub illo; eo nimirum, qui nunc cœlo mobili siue sydereo respondet.

Qua ratione optimè & facillimè conciliantur 37
omnia loca Scripturæ. Sic enim propriè & ad literam intelligitur illud, *In cœlum conscendam*, nempe in superiorem eius partem; vti vulgò dicere solet in inferiori parte ædium constitutus; conscendam in ædes &c. siue in ipsum cœlum Empyreum iam ab alijs discretum, si quidem lapsus Angeli factus ponatur post diem, aut ipso die creationis secundo, post productum firmamentum. Et addit, *Super astra DEI*; hoc est supra cæteros, Angelos omnes &c. siue supra locum astrorum: siquidem astra ipsa tunc nondum erant producta. Ita intelliguntur etiam Angeli proprie in ipso cœlo producti, & de cœlo lapsi &c. Fauet huic sententiæ etiam Innocentius III. in psalm. 5. pœnitent. vbi dicit, Angelos peccasse in cœlis, in quibus sunt sydera & luminaria, & ideo probabile esse, illos etiam cœlos esse immutandos & purificandos in fine mundi; quod de cœlo Empyreo dici non potest, vt bene Suarez numero septimo. Plura disp. seq. q. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 1.

DVBIVM II.

Sintne Angeli corporei, an plane incorporei; atque etiam simplices, & sine compositione.

S. Thom. 1. 2. q. 50. aa. 1. & 2.

CVm præcedenti dubio constitutum sit, Angelos existere, & quidem esse quasdam substantias intelligentes, perfectas, & completas: quando vbique scriptura de illis, sicut de hominibus loquitur, eisque velut perfectis agentibus vitæ & intelligentiæ munia ac functiones tribuit; neque unquam Angelos alicuius corporis, siue subiecti formas naturâ sua informantes facit; nec eos vspiam animas vocat, vt notauit etiam Augustinus lib. 1. retract. cap. 10. & 16. & lib. 2. cap. 14. sicut nec vllius compositi substantialis meminit, quod ex Angelo veluti forma, & alio quodam subiecto constet; imo nec ipsum nomen Angeli, quod in omni lingua masculinum est, facile patitur, vt eo imperfecta aliqua forma significetur; superest inquirendum, qualis substantia sit Angelus. In quo genere primum occurrit diuisio substantiæ in corpoream & incorpoream, de qua proinde hoc loco disserendum. Duobus autem modis substantia aliqua potest esse corporea; primo vt totaliter & adæquate secundum omnes suas partes sit corporea, siue simplex, vt sunt elementa; siue composita, vt sunt substantiæ rationis expertes; secundo, vt

secun-

Digitized by Google

secundum vnam quidem sui partem, nempe materialem, sit corporea; cum tamen altera eius pars, scilicet forma, sit incorporea, vt est homo; qui constat corpore & anima: & vtroque sensu de Angelis quærimus, an sint substantiæ corporeæ.

2 Qua de re prima sententia est, Angelos totaliter & adæquate esse corporeos; ita vt nulla etiam plane substantiali parte incorporea constent; etsi corpora eorum sint subtilioris naturæ, quam humana, vt in puro igne, & aëre liquido accidit; qua de causa etiam respectiue, vti de ventis quoque subinde loquitur scriptura, Spiritus vocentur. Ita præter Sadducæos dub. præcedent. relatos, & Philosophos quosdam gentiles, qui nihil esse putabant, præter corpora, vt referunt Aristoteles lib. 1. Metaph. & lib. 1. physic. & lib. 4. Physic. tex. 32. & 67. & Sanctus Thomas opusc. 13. cap. 1. sensisse videtur Tertullianus, etiam Deum faciens corporeum, vt colligitur ex lib. de carne Christi cap. 6. & testantur Augustinus epist. 158. & lib. 10 Genes. ad lit. cap. penult. & vlt. & Isidorus lib. 8. Etymolog. cap. 5. Alij vero saltem res alias præter Deum, faciunt corporeas. Ita docet Cassianus collat. 7. cap. 18. vbi ait: *Licet pronunciemus, nonnullas esse spirituales naturas, vt Angeli, anima nostra, & aër subtilis, tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt; habent enim secundum se corpus, quo subsistunt.* Fauet Hilarius can. 5. in Math. & Ioannes Thessalonicensis, in septima synodo relatus act. 5. cui Patres cæteri non cõtradixerunt, quia de illa re non agebatur.

3 Secunda sententia est Angelos non quidem totaliter & adæquate esse corporeos, nec mere etiam esse spirituales & incorporeos; sed constare corpore & spiritu; qua de causa etiam animalia rationalia immortalia appellentur. Ita sensit Origenes lib. peri archôn proœmio, & lib. 1. cap. 7. & lib. 2. cap. 2. & 8. Item Cæsarius dialog. 1. in tomo. 2. operum Nazianzen. Idem sentire videntur Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 16. Athanasius lib. de communi essent. Patris. Elias Cretensis in orat. 1 Nazianz. Methodius serm. de resurrectione, & ex Latinis Augustinus lib. 83. qq. q. 47. & lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 17. & lib. 3. cap. 10. & lib. 9. de ciuit. cap. 12. & 13. & lib. 11. cap. 23. & lib. 13. cap. 16. & lib. 3. de Trinitat. cap. 10. & lib. 3. de lib. arbit. & epist. 115. & in psal. 85. item Bernardus lib. 5. de consid. ca. 4. & serm. 5. in Cant. Et aperte etiam Rupertus lib. 1. de Trinitat. cap. 11. & lib. 1. de vict. Verbi cap. 28. atque ex recentioribus, Eugubinus lib. 8. perenn. Phil. capit. 27. 30. & 41. Augustinus Niphus lib. 3. de dæmon. cap. 3. Franciscus Georgius lib. problem. capit. 57. & 74. & Caietanus in Epistol. Ephes. cap. 2. Ex Philosophis autem idem sensit Plato cum suis, & Auerroes lib. 1. de anima, fauente non parum Aristotele, lib. 5. Metaph. cap. 8. & plures alij, præsertim Platonici philosophici apud Eugubinum loc. cit.

4 His opponitur tertia sententia, quæ docet, Angelos nulla sui parte esse corporeos, sed plane spirituales, & vndiquaque incorporeos. Ita omnes Scholastici, vt dicemus, qui tamen rursum inter se variant: quidam enim nihilominus dicunt Angelos esse compositos ex materia & forma; plures negant. Nostra sententia sequentibus assertionibus continetur.

Assertio I. Angeli non sunt omni ex parte corporei. 5 Ita contra primam sententiam, habet communis; tum omnium eorum, quos pro sequenti assertione citabimus; tum etiam eorum, quos pro secunda sententia recitauimus; adeo vt hæc assertio plane videatur certa, quæ citra errorẽ vix possit negari. Probatur præter testimonia & argumẽta pro sequenti assertione referenda, hac peculiari ratione. Angelus sua natura est superior homine, vt sequenti dubio probabitur; & tamen homo nõ est omni ex parte corporeus, sed constat anima saltem incorporea; Ergo nec Angelus esse potest omni ex parte corporeus. Consequẽtia patet. Quia esse incorporeum, est grad⁹ quidam superior substantiæ, quam corporeum; ac proinde quod merè corporeum est, inferius est sua natura illo, quod aliqua sui parte substantiali, & quidem primaria incorporeum est. Animam autem hominis esse incorpoream, est de fide, vt recte etiam existimauit Suarez lib. 1. cap. 5. num. 7. & definiri videtur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, de sum. Trinit. & fid. Cathol. vbi dicitur *humanam naturam ex spirituali & corporali esse compositam.* Idem colligitur ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. vbi definitur, animam rationalem esse natura sua immortalem, adeoque independentem à corpore. Quod asseueranter etiam tradit, eaque de causa inuehitur in Tertullianum secus sentientem Augustinus epistol. 157. & in psalm. 145. & lib. 10. de Genes. ad lit. cap. 24. vbi concludit; *Nemo audeat dicere, animam esse corpus.* Idem prosequitur fusius ibidem capitibus sequentibus. Quare etiam Isidorus lib. 8. Etymolog. hæreticis accenset etiam *Tertullianos*, quod animam corpoream, etsi immortalem esse dicerent.

Assertio II. Angeli nullo modo sunt corporei; 6 sed vndiquaque planè spirituales & incorporei. Ita cum Magistro in 1. dist. 8. & cum Sancto Thoma hic quæst. 50. art. 1. & 2. & quæst. 51. art. 1. Scholastici omnes. Idem docent sanctus Thomas quæstione 16. de malo art. 1. & lib. 2. contra gent. cap. 49. & cap. 90. 91. Ferrariensis ibidem, Albertus in sum. 2. part tract. 2. quæst. 6. item Alensis, Altisiodorensis. Ex recentioribus autem hanc assertionem ex instituto tuentur præter Caietanum, & alios Thomistas cit. quæst. 50. art. 1. Molina ibidem, Gregorius de Valentia quæst. 1. punct. 2. & quæst. 2. punct. 1. Vasquez disput. 178. cap. 3. Suarez Metaph. disput. 35. sect. 3. & hic lib. 1. cap. 6. adeo vt hæc sit communis inter Theologos sententia.

Probatur primo ex Scriptura, 7 quæ Angelos constanter vocat spiritus; quod cum proprie accipi possit, nihil est cur in sensum alienum rapiatur. Psalm. 103. vers. 4. & Heb. 1. v. 7. *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Heb. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus?* Ephes. 6. vers. 12. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, &c. contra spiritualia*

nequitiæ. Item, Luc. 6. v. 18. & passim alibi dæmones vocantur *immundi spiritus*. Luc. 10. v. 20. *Spiritus subjiciuntur vobis*. Et cap. 11. v. 26. *Assumit septem alios spiritus nequiores se*. &c. Accedit quod eadem ratione etiã anima rationalis vocatur Spiritus. 1. Cor. 5. v. 5. *vt spiritus saluus sit in die Domini*. Iacobi 2. vers. 26. *Corpus sine spiritu mortuum est*. Et de vtrisque generatim dicitur, Psal. 150. v. 6. *Omnis spiritus laudet Dominum*. & Daniel. 3. v. 86. *Benedicite spiritus, & animæ iustorum Domino*. Quibus accedit citatus locus Act. 23. v. 8. vbi refertur, Sadduceos dixisse, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neq; spiritum*; quasi diceretur, nec vllum omninò spiritum: quia Sadducæi non aliâ ratione negârunt Angelos, nisi quia negârunt spiritus: imo Suarez lib. 1. cap. 5. num. 3. cum nonnullis dubium existimat, an prorsus ac directe negauerint Angelos, an solum eos esse spiritus. Quæ proinde omnia simul sumpta satis hanc rem ex scriptura testatam faciunt.

8 Secundo probatur assertio auctoritate SS. Patrum. Ita enim plane sentit Dionysius cap. 4. de diuin. nom. vbi ait: *Deigratia subsistunt intelligibiles omnes spiritualesque substantiæ*. Et infra: *Incorporales omnino atque materia carentes intelliguntur, & tanquam spiritus supra mundanum intelligunt modum*. Et inferius etiam de dæmonibus: *Sine corpore*, inquit, *malitia potest irrepere, sicut in dæmonibus*. Quare etsi S. Thomas quæstion. 16. de malo art. 1. ad 3. dixerit, probabile esse, Dionysium credidisse, dæmones esse corporeos, nimirum propter verba quædam eiusdem capitis, quibus furorem & indomitam concupiscentiam dæmonibus tribuit, longe tamen verius est, quod sanctus Doctor mox ibidem subiungit, Dionysium ea metaphoricè accepisse; sicut etiam capit. 2. cœlest. hierarch. similes affectus Angelis, ipsique Deo tribui, docet.

9 Similiter Ignatius epist. ad Trallianos, Angelos vocat *incorporales creaturas*. Item Irenæus lib. 3. cap. 23. ait: *Sine carne Angeli sunt*. Athanasius relatus in VI. Synodo art. 4. *Angeli*, inquit, *spiritus & ignes sunt, ab omni corporea figuratione & natura aliena*. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Theolog. *Ne hanc quidem, tametsi corporis expertem, incorporeo modo cernere possumus*. Gregorius Nyssenus lib. de orat. *Omnis*, inquit, *creatura rationalis partim in incorpoream naturam, partim in corpoream diuisa est. Est autem Angelica quidem incorporea, altera vero species nos homines sumus. Atque illa quidem incorporea cum sit, sola mente comprehenditur*. Similia habet lib. de vita Moysis. Basilius homil. 9. quod Deus non sit auctor mali, *Natura eius* (dæmonis) *incorporea est, secundum Apostolum dicentem, Non est nobis colluctatio. &c*. Epiphanius hæres. 26. *Dæmon spiritus est incorporeus*. Chrysostomus homil. 22. in cap. 6. Genes. *Inuidit*, (dæmon) *quia à superna gloria in extremam ignominiam deiectus est, licet esset incorporeus*. Et sæpius ibidem vocat Angelos *incorporeos*, Angelicam vero naturam *incorpoream & spiritualem*. Similia habet homil. 44. in Matth. Idem docent Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap. 10. & lib. 3. in Genes. & expresse Theodoretus qu. 20. & 47. in Genes. & Didymus l. 1. & 3. de Spir. sancto, & Damascenus lib. 1. de fid. cap. 17. & lib. 2. c. 3. & Anastasius Nicænus in quæstionibus sac. script. q. 20. vt plane constet, hanc veritatem fuisse in Ecclesia græca iam olim communiter receptam.

Sed & ex latinis Patribus idem tradit Ambrosius ad Heb. 1. *Qui facit Angelos suos spiritus: Quæris huius natura nomen? Spiritus est. Quæris officij? Angelus est. Ex eo quod est, est spiritus; ex eo quod agit, Angelus est*. Hieronymus epistol. ad Auit. inter errores Origenis numerat, *quod dæmones ob delicta aëreis corporibus sint vestiti*. Leo epistol. 93. ad Turibium capit. 6. *Fides vera*, inquit, *qua est Catholica, omnium creaturarum siue spiritualium, siue corporalium bonam confitetur substantiam*. Gregorius lib. quarto, dialog. capit. 29. *Die, quæso te, Apostatas spiritus à cœlesti gloria deiectos esse corporeos, an incorporeos suspicaris? Quis sanum sapiens, esse spiritus corporeos dixerit?* Idem ex instituto propugnat Richardus Victorinus lib. 4. de Trinit. cap. vltim. 10

Tertio probatur assertio auctoritate Ecclesiæ. Nam in Concilio Lateranensi citat. cap. *Firmiter* de sum. Trinit. & fid. Cathol. definitur: *Simul ab initio temporis*, (Deus) *vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; & deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam*. Vbi vocabulum *spiritualem* proprie accipi, ex contextu, ac præsertim ex postremis verbis liquidissimum est. An vero ideo sit de fide, inferius dicetur. 11

Quarto probatur ratione. Tum quia non implicat contradictionem, substantia incorporea, etiam perfecta; vt ex anima rationali colligere est; & simul ad perfectionem vniuersi pertinebat, eiusmodi substantiæ gradum condere, vt argumentatur etiam S. Thomas q. 50. a. 1. Tum quia corpus non vnitur spiritui, propter se, sed vt deseruiat illi ad functionem intelligendi, quam si absque corpore habere naturaliter possit, nunquam corpus naturaliter deposcet: at vero corpus hoc fine Angelis vniri non potest; quia cum sint substantiæ incorruptibiles, adeoque expertes sensûs, & organorum sensus, sicut & vitæ vegetatiuæ, scientiam suam non possunt accipere à cognitione sensitiua seu phantasmatibus & sensibus, ministerio corporis, qua sola ratione corpus deseruit animæ ad intelligendum, sed habent species intelligibiles sibi naturaliter inditas, vt suo loco docetur. Discursus sumitur ex Sancto Thoma quæst. 51. art. 1. & quæst. 70. a. 3. Quibus accedunt omnes congruentiæ, quibus art. præced. ex S. Thoma probatum est, dari substantias incorporeas completas & perfectas; quæ non possunt esse aliæ, quàm Angeli. His accedunt aliæ rationes, quasi à posteriori. Nam secundum oppositã sententiam explicari non potest, quomodo Angeli etiam mali naturaliter cœlos solidos, & alia quæuis corpora penetrent, aut olim in suo casu penetrarint: aut quomodo tot centuriæ spirituum simul vnum aliquem hominem obsideant, vt pluribus deducit Suarez loc. cit. 12

Assertio III. Neque tamen hactenus est error in fide, dicere, Angelos pro vna sui parte 13

constare

constare ex corpore: tametsi id quidem absque temeritate asseri non possit. Ita Carranza annot. ad 7. Synod act. 5. Canus lib. 5. locor. Theolog. c. 5. Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothec. annot. 8. Caietanus, Bannes, & alij Thomistæ q. 50. a. 1. & q. 51. a. 1. Molina quæst. 50. a. 1. Vasquez disp. 178. cap. 3. Suarez lib. 1. cap. 6. num. 10. Gregorius de Valentia q. 2. pun. 1. qui tamen addit; etsi non sit hæreticum, *nihilominus putari etiam posse erroneum.* Idem docet sanctus Thomas quæst. 16. de malo, articulo 1. cui tamen, vt etiam dubio præced. dictum, decretum illud Concilij Lateranensis vix potuit esse incognitum. Rationem omnes assignant; quia tametsi quidem oppositum asseratur in dicto decreto Concilij Lateranensis cit. cap. *Firmiter.* non tamen fuisse propositum Concilio, ijs verbis id ex instituto definire; sed solum, tam corporalem quam spiritualem naturam fuisse à DEO productam initio temporis; cætera ad pleniorem intelligentiam, iuxta receptam eo tempore doctrinam, obiter addidisse. Quod potissimum etiam suadet auctoritas Patrum, qui vt vidimus, contrarium olim satis frequenter docuerunt.

14 Quia tamen & scripturæ testimonia satis perspicua in oppositam partem suppetunt, & communior S S. Patrum sensus ita tradit, & Ecclesiæ auctoritas non parum vrget, & iam dudum, atque etiamnum Scholastici Doctores omnes in eam sententiam conspirant, certe absque temeritate non potest oppositum asseri, vt citati omnes annotant.

15 Assertio IV. Angeli sunt compositi, non quidem ex materiâ & forma; sed ex esse tamen & essentia; item ex natura & subsistentiâ; ex genere & differentia; ex potentia & actu, siue substantia & accidente. Ita quoad priorem partem, quæ negatiua est, sanctus Thomas quæst. 50. art. 2. & omnes Commentatores ibidem; & communis Doctorum cum Magistro in 2. dist. 8. item Gregorius de Valentia quæst. 1. pun. 4. Molina & Vasquez citat. q. 50. art. 2. Suarez lib. 1. cap. 7. contra Auicebron, apud S. Thomam cit. a. 2. & opusc. 15. c. 5. item contra Alensem 1. part. q. 20. memb. 2. Bonauenturam in 2. dist. 3. 1. part. art. 1. q. 2. Richardum art. 1. q. 2. & Aureolum apud Capreolum in 2. dist. 3. q. 1. a. 2. Qui dixerunt, licet Angeli sint incorporei, constare tamen materia & forma; quâ de causa etiam Vasquez prudenter notauit, à S. Thoma sigillatim fuisse propositam art. 2. hanc quæstionem, *Vtrum Angeli constent materia & forma*; cum ea tamen alias, supposito primo articulo, quod Angeli sint incorporei, videri potuisset superuacanea.

16 Probatur Assertio quoad hanc primam partem primum authoritate. Ita enim docet non solum Aristoteles 12. Metaph. cap. 6. Sed etiam Dionysius c. 4. de diuin. nom. & alij Patres pro præcedenti assertione citati, dum Angelos dicunt esse incorporeos, spirituales substantias, mentes, *& puras naturas*, vt loquitur etiam Nazianzenus orat. 34. & Sophronius orat. de sanct. Ang. tom. 2. Bibliothec. eos vocat *diuinos DEI exercitus, materiæ expertes, mente rationeque præditas intelligentias:* Quo proinde etiam sensu ad hoc propositum accommodari possunt scripturæ ibidem citatæ.

Denique accedit ratio. Quia cum materia sit proprium subiectum quantitatis, & extensionis corporeæ, compositio ex materia & forma propriè non conuenit nisi substantijs quantis & corporeis. Deinde etiamsi generatim & abstractè loquamur de materia, sane necesse est, vt sit aliquid reipsa realiter distinctum à forma, quam proinde etiam per modum subiecti recipiat: sed nec hoc conuenire potest Angelis quia vel hæc materia esset eiusdem rationis cum materia rerum corporalium, vt quidem dixit Auicebron; vel non, vt citati Theologi dixerunt, Non primum; quia sic Angelus esset intrinsecè corruptibilis; ac simul etiam quantus & corporeus, vt dictum. Nec secundum; quia aut ea esset intrinsecè spiritualis; aut non: neutrum potest dici. Non primum; quia cum spiritualis entitas vel maximè sit ens in actu, plane absurdum videtur, aliquam materiam esse intrinsecè spiritualem. Nec secundum, quia tunc Angeli non essent plane incorporei & spirituales; sed ex parte vna etiam materiales. 17

Et fortasse Theologi in contrarium citati, materiam solum improprie acceperunt; siue pro gradu generico; siue pro subiecto determinabili quacunque forma etiam accidentali. Certe Aureolus in 1. dist. 3. quæst. 1. art. 3. vbi affirmat, Angelos componi ex materia & forma, materiam explicat esse intellectum possibilem. Ait enim, *In istis substantijs intellectualibus, & in anima sunt vere substantia duæ, quarum vna est mere potentialis, & alia est meré actus, ex quibus intrinsecè componuntur; vna dicitur intellectus possibilis, æquiuoca substantia* (quæ) *patitur, id est, recipit intellectionem aliorum à se, & per consequens, quo formaliter intelligit alia.* Quibus verbis ipsemet indicat se *substantiæ* vocem improprie accipere. Certè aliter intelligi ea sententia vel admitti non potest. 18

Posterior autem pars assertionis ab omnibus itidem admittitur, nisi quod Durandus in 2. distinct. 3. quæst. 1. negat, in Angelis compositionem ex genere & differentia; cum tamen fateatur, Angelum esse in genere vel sub genere; quod cum altero non cohæret; quia hoc ipso vtique constat ex genere & differentia. Vt bene Suarez. cap. 7. num. 7. Ratio generalis est. Quia de Angeli essentia non est existentia; nec subsistentia; nec ipse est extra omne genus; nec purus actus; aut omnino immutabilis; mouetur enim loco; & nunc hoc, nunc aliud intelligit, & vult, vt ex scriptura constat: quicquid Auerroes 12. Metaph. com. 25. & Simplicius de qualit. Omne accidens ab Angelis remouerint. Cæterum compositionem ex genere & differentia, vt & ex essentia & existentia esse rationis; cæteras autem reales, constat ex dictis supra disput. 2. q. 3. dub. 1. 19

Sed contra vtramque assertionem, secundam & quartam, obijcitur primo authoritas SS. Patrum, qui docuerunt, Angelos esse quadam parte 20

corporeos & materiales, quos supra satis magno numero retulimus.

Respondeo primo, Suarium Metaph. disput. 35. sect. 3. & hic lib. 1. cap. 6 numero 28. plerosque ex relatis patribus speciatim Basilium, Athanasium, Augustinum (secus sentit de Origene, Cæsario, Eliâ Cretensi) in mitiorem partem interpretari. Et sane fieri potest, vt nonnulli nomen *corporis* latiori significatione acceperint pro substantia finita & mutabili, non propriè & stricte pro substantia ex materia & forma composita, & quantitatiue extensa. In quem sensum etiam Augustinus epist. 28. cum animam rationalem dixisset esse incorpoream, addit tamē: *Ne verbi controuersiam vel superfluè faciam, vel inuitus patiar: Si corpus est omnis substantia vel essentia, vel si quod aptius nuncupatur, id, quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam placet incorpoream appellare naturam, quæ summè incommutabilis, & vbique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel mouetur, vt maiori sui parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minusque sit in parte, quàm in toto, non est corpus anima.* Ita Augustinus. Sed quia Gregorius de Valentia, Molina, Vasquez locis citatis plane admittunt, Patres plerosque, pro ea sententia citatos, ita sentire, vti retulimus;

21 Respondeo secundo, etiamsi plerique ex citatis ita senserint, id tamen non debere præiudicare veriori sententiæ; tum quia plures oppositum docuerunt, vt vidimus: tum quia illi ipsi, qui ita senserunt, id non tanquam rem certam, & ex principijs fidei compertam, sed velut opinabile dogma idque forsan ex Platonis Philosophia hausturn, tradiderunt, eo tempore, cum res ex principijs fidei nondum satis esset discussa. Id quod maximè videre est in Bernardo & Augustino locis citatis; qui valde dubie de hac re locuti sunt; imò Augustinus lib. 15. c. 23. Angelos vniuersim spiritus esse docet; & solum de malis dubitat, an non habeant corpora aërea.

22 Obijciuntur secundo quædam scripturæ loca, è quibus colligi videtur, Angelos habere corpora; eo quod corporeas functiones & actiones exercuisse referantur. Ita Iacob vidit in scala Angelos ascendentes & descendentes. Ita Abraham & Loth, Angelos viderunt, & hospitio exceperunt, &c. Ita Angelus Tobiam iuniorem comitatus, visus est edere, & bibere, &c. Præcipue vero huc spectat illud Genes. 6. v. 4. *Postquam ingressi sunt Filij Dei ad filias hominum.* Vbi LXX. legunt, *Angeli DEI.* Quo modo etiam id intelligunt non solum Philo libro 4. de gigantibus, & Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 4. Sed etiam multi ex Patribus apud Pamelium in Tertulliani paradoxo 1. speciatim Iræneus lib. 4. cap. 70. & Lactantius lib. 2. diuin. Instit. cap. 14.

23 Respondeo, prioris generis loca non habere difficultatem; intelliguntur enim vel de Angelis solum, in somno, secundum apparentiam quandā imaginariam, & phantasiam repræsentatis; vt Iacobo nocte dormienti accidit: Genes. 28. v. 12. Vel intelliguntur de Angelis in assumpto corpore aspectabilibus, vt cum Abrahamo, Loth, Tobia &c. accidit. Quamuis enim vt probauimus, Angeli non habeant corpora naturaliter sibi vnita, possunt tamen ea assumere, & mouere, suo arbitratu, vt dicetur q. 5. Quare ipse etiam Tobiæ Angelus c. 12. v. 19. ait *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor.*

Ad locum ex Genesi obiectum respondeo, 24
eum duobus modis recte explicari, & neutrum veritati à nobis probatæ quicquam obesse. Primus est, vt per filios Dei intelligantur descendentes ex Seth per Enos; qui cum sua familia cœpit peculiari modo ac studio inuocare nomen Domini, Deumque colere. Gen. 4. v. 26. per filias autem hominum fœminæ ex impia posteritate Cain progenitæ. Ita exponunt Athanasius quæst. 19. & 98. ad Antioch. Cyrillus lib. 9. cont. Iulian. & l. 3. in Genes. Chrysostomus homil. 22. in Genes. Augustinus lib. 15. de ciuit. cap. 23. Cassianus collat. 8. cap. 21. & ipse etiam Ambrosius lib. de Noe & Arca cap. 4. si bene expendatur; & ad eum sensum intelligi etiam potest versio LXX. quia etiam homines sancti *Angeli DEI* in scriptura vocantur Malach. 2. v. 7.

Secunda explicatio est, vt per *Filios Dei* intelligantur viri robusti, & viribus pollentes: solet enim sæpe scriptura, quod in vnoquoque genere excellens, & quasi singulare est, addito DEI nomine, indigitare, vt *Montes DEI, Cedros DEI.* Atque ita etiam notauit Cyrillus loco citat. & fusius prosequitur Pineda in Iob. 1. v. 6. circa verba illa, *Cum venissent filij DEI.* Certe quidem cum eiusmodi consuetudinem cum fœminis habere non potuerint, siue in corpore assumpto, siue in naturaliter coniuncto, nisi Angeli mali, ipsique adeo dæmones, neque his tamen nomen filiorum Dei competat; satis colligitur, id de Angelis non posse intelligi. Etsi Angeli ita communi & consueto more tum temporis id factitassent, cur non idem simliter ab eis sæpius postea fuisset perpetratum?

Obijciuntur tertio alia quædam loca scripturæ 26
quibus significatur, Angelos, præsertim malos, peculiarem quandam sympathiam, vel antipathiam habere cum rebus quibusdam corporeis, vt cum ad pulsum cytharæ Dauidis diabolus à Saule recessit, eumque infestare desijt, 1. Reg. 16. v. 23. & cap. 19. v. 9. Item cum fumo iecoris seu cordis, ex pisce Tobiæ, maleficium depulsum est. Tob. 6. v. 8. & cap. 8. v. 2. Quorum priore loco plane naturalis quædam efficientia eius pei ad hunc effectum, satis aperte describibitur: *Cordis eius particulam,* inquit Angelus, *si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra ad eos non accedat.* Et in posteriori loco iuxta LXX. dicitur, dæmonem *fugisse ad odorem fumi &c.* Quibus accedunt varia experimenta; vt eum varijs antipharmacis & amuletis corporeis dispelli aliquando videntur, aut arceri dæmonum infestationes.

Respondeo

27 Respondeo, quicquid nonnulli dixerint nullam veram & mere naturalem esse antipathiam inter Angelos, & res corporeas, sed videri solum idque varijs de causis. Prima est, quia Deus damnatos spiritus ad hanc etiam subinde pœnam videtur damnare, vt refugere res quasdam corporeas cogantur (etiamsi nullum forte interim ipsi significatum rei aduersæ apprehendant) aut semper; aut aliquo certo casu: vbi præsertim simul arcani alicuius mysterij dæmonibus aduersi significatio, ex diuina mente interuenit. Vti in iecore illo piscis prunis impositio, Christique patientis humanitatem significante accidit. Tob. 8. v. 2. vbi proinde iuxta Latinum & Hebraicum textum non dæmon sponte fugisse, sed ab Angelo *apprehensus & religatus* dicitur; licet antea ita de ea re locutus videatur fuisse Angelus, ac si per se ac naturâ sua vim ad pellendum dæmonem haberet; tum quia secundum effectum ita apparebat; tum quia ea ratione vis & efficacacia Christi patientis ad seruitutem diaboli dissoluendam allegorice significabatur.

Secunda causa est, quia naturalibus subinde medijs tetrica illa, & Diabolicæ illusioni magis obnoxia, humani corporis, vel cordis complexio, affectioue corrigitur & mitigatur: quo facto diabolus vltro cedit; vt in Saule ad citharam Dauidis mulceri solito accidisse videtur; & in maniacis à melancholico humore purgatis accidere sæpius experimur. Tertia causa est pactum occultum vel apertum cum dæmone; quod in eiusmodi corporalium amuletorum genere facile potest interuenire: vt cum certis gemmis aut lapidibus pretiosis vel radicibus ex sola rei natura vis attribuitur arcendi dæmones: quibus licet effectus quandoque respondere videatur, id simulatione tamen sola diaboli, eaque sæpe non constanti accidit, &c.

28 Tertio speciatim obijci potest ex Trithemio lib. 8. quæst. mag. quæst. 5. vbi ait: *Dæmones, qui labentes è sedibus altis, terræ magis coniuncti, cauernas spelunca sque inhabitant, cæteris profecto sunt obtusiores; vsque adeo, quod & gladios metuant, & virgas, minisque moueri videntur terrentiùs hominum: quemadmodũ in his contueri licet, quos energumenos appellamus.*

Respondeo hanc doctrinam Trithemij non probari: tum quia incredibile est, quod de tanta stupiditate dæmonum asserit, vt dicemus dub. seq. Tum quia facile hæc simulate à dæmonibus fieri possunt, præsertim quando ad gladiorum vibrationes, vti fieri assolet, adduntur maledicta & blasphemiæ. Virgæ autem & similes vel humiliationis, vel castigationis corporalis modi, adhibiti energumenis, aut ijs, qui à diabolo infestantur, pellunt quandoque seu compescunt dæmonum infestationes: aut quia hi contemni se non ferunt; aut quia hoc ipso fit, vt obsessi eorum voluntati minus velint obtemperare; aut quia etiam subinde corpus per inediam, sanguinis diminutionem, aliasque afflictationes alteratum, meliorique temperiei restitutum, minus dæmonum illusionibus redditur obnoxium, vt dictum. Vt de virtute supernaturali nihil dicam, qua constat, per S. Benedictum dæmonis infestationem à fratre quodam, qui dæmonis impulsu intempestiue solebat ex diuino officio excedere, admotâ virgâ depulsam, vt est apud S. Gregorium lib. 2. dialog. c. 4.

Obijcit quarto Caietanus in Comment. script. loco citat. Ad perfectionem vniuersi spectare vt sint etiam quædam substantiæ intelligentes, corporeæ quidem & quantæ, adeoque loco mobiles, instar aliorum corporum; sed incorruptibiles & impassibiles, adeoque & insensiles.

Respondeo, frustra fingi gradum illum substantiæ intelligentis corporeæ insensitiuæ. Nam vt rectè notauit Sanctus Thomas quæst. 51. artic. 1. Corpus intelligenti naturæ non conuenit, nisi vt sensuum ministerio cognitioni intellectuali subseruiat; qui finis sublatis sensibus ac sensitiua cognitione planè tollitur, vt superius etiam dictum.

DVBIVM III.

Vtrum Angeli natura sua sint corruptibiles, vel incorruptibiles; atque etiam entia necessaria.

S. Thomas 1. p. q. 50. a. 5.

HAbet hæc dubitatio connexionem cum præcedenti, non solum quia ratio entis corruptibilis, vel incorruptibilis, adhuc communis admodum & generica est, adeoque prior gradu seu ratione intelligentis, vel non intelligentis naturæ; cum vterque vtrique communis esse possit, imò reipsa sit, vt in homine & bruto; & rursum in anima rationali & cœlo patet; sed etiam quia incorruptibilitas spiritualis substantiæ, si qua est, ex hac ipsa ratione spiritualis & incorporeæ substantiæ nascitur, vt dicemus, Potest autem hæc quæstio dupliciter institui, primo vt directè ac potissimum de reipsa quæratur; Vtrum Angeli, quantum est ex naturis rerum; vlla potentia creata naturali possint corrumpi, aut vllo modo destrui; seu quod idem est, vtrum sua natura, vt cætera entia corruptibilia, tendant ad corruptionem & desitionem; an vero ex se & sua natura apti sint perpetuò durare, adeoque etiam perpetuo duraturi sint, nisi per ipsam diuinam potentiam annihilentur & destruantur. Et hoc sensu non est inter orthodoxos vlla quæstio seu controuersia, vt dicemus. Secundo quæstio potissimum esse potest de nomine & modo loquendi; vtrum, cum Angeli saltem per diuinam potentiã possint destrui & annihilari, dicendi sint natura sua corruptibiles, an incorruptibiles; item vtrum absolute ac simpliciter dici possint Entia necessaria, vel non necessaria, &c. 1

De qua re est quidem nonnulla inter Scholasticos Doctores controuersia; quæ nata potissimum videtur esse tum ex diuerso modo loquendi SS. Patrum; tum ex diuersa acceptione & significatione terminorum, vt dicemus. Etenim Vasquez hic disputat, 182. cap. 2. & sequentibus prolixe contendit, *si loquamur respectu potentiæ* 2

Digitized by Google

DEI, & nomina hæc mortale & corruptibile sumantur pro eo, quod desinere potest, saltem per destructionem & annihilationem, & immortale & incorruptibile significent negationem oppositam, nullam creaturam esse natura sua immortalem & incorruptibilem; sed potius natura sua, ex potentia reali, (passiua) in ipsa existente, esse corruptibilem & mortalem, licet interim Angelus, & anima rationalis respectu creatæ potentiæ planè sit incorruptibilis & immortalis, quocunque modo incorruptibile & immortale accipiatur. Ita loquitur cap. 2. numero 4. Et infra numero 7. addit, *Angelum non esse sua natura immortalem, sed sola gratia DEI, si immortale & incorruptibile referatur ad potentiam DEI conseruantis & potentis destruere; idque esse dogma fidei, & contrarium erroris notam mereri.* Et rursum numero 17. *Etsi non liceret,* inquit, *vendo his nominibus, asserere, Angelos, aut animas rationales sua natura mortales esse, aut sua natura non esse immortales; quia nisi aliud explicaretur, significaremus has substantias à creato aliquo agente posse corrumpi; cum additamento tamen dicere debemus, non esse incorruptibiles respectu DEI, sed respectu illius corruptibiles, & mortales natura sua; non modo potentia agentis* (DEI) *verum etiam potentia reali passiua ipsarum, &c.* Quare mox etiam concedit, Angelos & animas dici debere *naturâ sua destructibiles & annihilabiles*; quia natura sua subduntur potentiæ DEI vt possint destrui & annihilari; non autem natura sua indestructibiles; *quia nomen hoc negaret,* inquit, *potentiam ad non esse respectu cuiuscunque agentis, quod est proprium solius DEI.* Ita Vasquez.

3 Qui pro hac sententia cap. 2. numero 5. citat etiam Alensem 1. part. quæstione 4. memb. 3. Bonauenturam in 1. distinct. 8. part. 1. articulo 2. quæstione 2. Richardum articulo 2. quæst. 2. Scotum quæst. 5. & in 4. distinct. 49. quæst. 6. Ockam in 2. quæst. 7. Gabrielem in 2. distinct. 2. quæst. 1. articulo 2. concluſ. 6. *Quoniam,* inquit, *pronuntiant omnem creaturam ex se mutabilem esse, non tantum secundum accidentia, sed etiam secundum substantiam, definendo, idque suapte natura creaturæ conuenire:* quo sensu etiam speciatim Bonauentura & Richardus dicunt, *nulli creaturæ eam immutabilitatem, quam ipsi inuertibilitatem* (nimirum in nihilum) *vocant, conuenire per naturam, sed per gratiam tantum.* In contrarium est sancti Thomæ, & communis Thomistarum sententia, vt dicemus. Nos quid tam de re ipsa, quam de modo loquendi sentiamus, sequentibus assertionibus explicamus.

4 Assertio I. Angeli ex sua natura, hoc habent, vt nulla potentia creata naturali possint corrumpi vel destrui. Hæc assertio rem ipsam inprimis concernit, vt dictum, & est extra controuersiam apud omnes, non solum Scholasticos Doctores; (quicquid Gabriel infra durius hac de re locutus sit, vt dicemus) sed etiam SS. Patres. Quamuis enim vt vidimus, nonnulli Angelos fecerint corporeos; & quidam etiam dixerint, natura esse corruptibiles, nullus tamen in ordine ad potentiam seu agens creatum naturale, eos dixit esse corruptibiles, sed solum in ordine & per respectum ad Deum, qui eos potest annihilare.

5 Imò S. Thomas citat. quæst. 50. a. 5. ad 2. nec Platonem quidem in ea fuisse sententia concedit, quasi dixerit, Angelos esse natura sua corruptibiles. Cum enim obiecisset dictum Platonis in Timæo, vbi ita Deum loquentem facit: *O Dij Deorum, quorum opifex Paterque ego; Opera siquidem vos mea dissolubilia naturâ:* Id quod à Platone de Angelis dictum videatur. Respondet S. Thomas, Platonem per *Deos* intelligere *corpora cælestia, quæ existimabat esse ex elementis composita. Et ideo secundum suam naturam* (ex eâ Platonis sententia) *erant dissolubilia; & secundum voluntatem DEI, semper conseruabantur in esse.* Eodemque modo Platonis sententiam retulit & intellexit Aristoteles libro 1. de cœlo tex. 109. & Eusebius Cæsariensis libro 11. præparat. Euang. cap. 17.

6 Neque vero idcirco, quod nonnulli SS. Patres, Angelos existimarunt esse corporeos, necessario sentire cogebantur, esse etiam corruptibiles aut dissolubiles natura sua, etiam per respectum ad agens naturale creatum: quia incorruptibilitas naturalis, etsi quidem sequatur etiam ex conditione & gradu incorporei, vt dicetur, non tamen ex eo solo, cum etiam substantiæ quædam corporeæ sint incorruptibiles, vt de cœlis in dissertatione propria cap. 5. diximus, & rursum dicetur disp. seq.

7 Probatur nunc assertio primo ex scriptura, quæ peculiarem quandam perennitatem, tum Angelis, tum cœlis, rebusque cœlestibus tribuit psal. 148. v. 1. & seqq. *Laudate Dominum de cœlis laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, &c. Quia ipse dixit & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt. Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.* Vbi cœlos & Angelos ex ipsa sui creatione & productione naturali perpetuitatem habere significatur. Huc spectant ea scripturæ loca, quibus docetur, Angelos esse incorporeos, vt dictum dub. præced. omnique alia creatura superiores, vt dicetur dub. seq.

8 Secundo idem probatur ex SS. Patribus. Dionysius cap. 4. de diuin. nom. in principio ita loquitur de Angelis: *His* (diuinæ bonitatis radijs) *constiterunt omnes, & quæ ratione cernuntur, & quæ mente præditæ sunt essentiæ; atque virtutes & actiones. Horum vi sunt, vitamque habent sempiternam, & quæ immixtui non potest, ab omni interitu, morte, materia, ortuque solutæ ac liberæ; nec in eas cadit instabilis & fluxa, & qua alias aliter fertur mutatio; eademque & vt corpore ac materia vacantes intelliguntur; & vt mentes præstanti modo intelligunt, &c.*

9 Athanasius quoque tractatu de definit. *Angeli,* inquit, *non dicuntur sine principio; dicuntur autem æterni; quandoquidem immortales sunt, & æternum vtuntur.* Basilius in psal. 44. ait, Angelos *perpetuo seruare simplicem, & eandem immutabilem propriæ naturæ substantiam.*

10 Theodoretus lib. 3. de Dijs & Angelis ita scribit: *Mortale itaque animal* (homo) *instrumentum hoc* (generationis) *habet ad immortalitatem tuendam, sibi à creatore Deo tributum, quo filios ex se gignere potest; eâque ob rem moriturò quidem homini fœminæ vsum necessarium*

sarium esse cognoscimus. Angelis vero, quos immortales Deus creauit, fœmineus ille sexus omnino superfuisset: neque enim augeri propagarique indigent, qui decrescere comminuique non possunt: neque item commiscendi opus habent, qui corporum sunt expertes. Et Damascenus lib. de decret. & placit, cap. 7. ait; *Quod vacat corpore id rationis est particeps & immortale, vt animus, Angelus, & dæmon.*

11 Ex latinis Augustinus libro 12. de ciuit. cap. 15. Angelos vocat *creaturas immortales.* Et addit: *Quarum immortalitas in tempore nec præterita est, quasi iam non sit; nec futura, quasi nondum sit.* Isidorus quoque lib. 1. sent. cap. 1. *Animæ*, inquit, *& Angeli immortales sunt: sed immutabiles non sunt: ideoque solus Deus dicitur immortalis, quia solus est incommutabilis.* Et Iulianus Toletanus libro 1. de orig. hum. mort. cap. 2. tom. 9. Biblioth. dicit, Angelum ita à Deo esse conditum, vt licet peccaret, *omnino mori non posset*; hominem verò ita, vt si obediens esset, *non moreretur, sed Angelica eum immortalitas sequeretur.* Denique in VI. Synodo act. 11. dicitur, *Deum animas & Angelos condidisse immortales & incorruptibiles.* Qui verò ex Patribus aliter quandoque locuti videntur, ad sensum sequentis assertionis intelligendi sunt, vt dicemus.

12 Tertio idem probatur ratione. Primo, quia Angeli sunt substantiæ plane spirituales, incorporeæ, ac simplices, non constantes materia & forma: vt dictum dub. præced. Ergo non possunt naturaliter ab vllo agente naturali corrumpi, siue destrui. Consequentia probatur. Tum quia omnis destructio ab agentibus naturalibus ex eo prouenit, quod in materiam passi inducuntur dispositiones contrariæ, & repugnantes formæ in ea materia præexistenti. Tum quia nullum agens naturale per se intendit corruptionem alterius; sed solum per accidens, quatenus ex materia passi conatur producere sibi simile. Vbi ergo nulla est materia receptiua dispositionum contrariarum; aut in potentia existens ad aliam formam, non habet locum naturalis corruptio substantialis ab agentibus naturalibus efficienda. Secunda ratio sumitur à simili, seu potius à minori ad maius. Nam anima rationalis naturaliter est incorruptibilis, vt constat ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 7. vbi damnantur omnes, *asserentes animam esse mortalem:* Ergo multo magis id sentiendum est de Angelo, qui natura superior est homine, vt dicetur dub. seq.

13 Huc etiam spectat duplex ratio sancti Thomæ citat. quæst. 50. art. 5. ex quibus priorem ita formal Caietanus ibidem: omne quod corrumpitur, per hoc corrumpitur, quod eius forma separatur à materia: Ergo Angeli carentes materia sunt incorruptibiles. Antecedens probatur. Esse per se conuenit formæ: Ergo inseparabile est à forma; Ergo in omni corruptione fit separatio à materia, &c. Sed sane hæc ratio, quicquid in explicatione satagat Caietanus, non caret difficultate, nisi ad sensum primæ argumentationis nostræ reducatur. Altera ratio est. Quia cuius operatio est ex se æterna, & excedens tempus, siue independens à tempore, id etiam sua natura & secundum substantiam est perpetuum siue perenne: sed operatio intellectualis Angeli est ex se æterna, & excedens tempus, ab eoque independens: Ergo, &c. Maior probatur. *Quia cum vnumquodque operetur secundum quod est actu, operatio rei indicat modum ipsius esse.* Minor probatur. *Quia species & ratio operationis ex obiecto cognoscitur:* Obiectum autem intelligibile, formaliter vt sic cum sit supra tempus, necessarium scilicet ac immutabile, quod non potest aliter se habere, est sempiternum ac perpetuum saltem negatiue.

Atque ex his colligitur, assertionem hanc adeò 14
certam esse, vt quamuis non sit plane ex fide comperta, tamen certe absque temeritate negari non possit, vt ex communi rectè notauit Gregorius de Valentia quæst. 1. pun. 4. vbi oppositum etiam *erroneum* vocat.

Assertio II. Nihilominus tamen tam Angeli, 15
quam res quælibet creatæ, per se ac sua natura ita subijciuntur Deo, ab eoque dependent vt possint ab eo pro arbitratu destrui & in nihilum redigi. Ita omnes etiam Orthodoxi consentiunt; & est de fide, vt notauit non solum Vasquez cit. disp. 182. cap. 2. num. 7. sed etiam Suarez hic lib. 1. cap. 9. num. 5. Et patet ex scriptura Sap. 11. v. 26. *Quomodo autem aliquid posset permanere, nisi tu voluisses; aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur.*

Idem frequenter docent SS. Patres. Iustinus 16
in lib. quæst. 13; *Quorum immortalitas*, inquit, *ex alterius voluntate pendet, ea immortalia esse non possunt. Itaque solum DEVM immortalitatem habere dicimus.* Cyrillus Alexandrinus lib. 8. thesauri cap. 2. *Quæ naturis præcipuè insunt, ea respectu creatoris Deo nihil sunt. Quare sicut ignis combustiuus quidem est, sed non DEO* (qui nimirum facere potest, vt is non comburat) *sic & Angelus immortalis quidem est, sed non DEO.* Et in eundem sensum Damascenus lib. 2. fid. Orthod. cap. 3. *Immortalis*, inquit, *Angelus est, non natura, sed gratia: nam omne quod cœpit, & desinere suapte natura potest.*

Et Sophronius in epistola relata Synod. VI. 17
act. 11. & approbata act. 13. de substantijs spiritualibus ita loquitur: *Nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur iuxta quod sensibilia defluunt atque pertranseunt: non tamen sunt immortalia per naturam; neque in essentiam incorruptibilem transeunt, sed gratiam eis largitus est, à corruptione eos & à morte coercentem. Sic hominum animæ permanent incorruptæ; sic Angeli immortales perseuerant, non naturam reuera, sicut asserunt, proprieue immortalem habentes essentiam; sed gratiam à DEO sortiti sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis præsidet.* A quo vti & à Damasceno loc. citat. *gratia* vocatur ipsum beneficium creationis seu conseruationis à DEO libere continuatum: simul tamen Angelos à nulla causa creata naturaliter corrumpi posse eo ipso significatur, quod negatur, eos *sicut sensibilia defluere, atque pertransire.* Dicuntur autem immortales non naturâ, quia non ex vi essentiæ suæ (vti DEVS) immortales sunt, vt

dicetur

dicetur infra assert. 5. Similia habent Cyrillus lib. 2. cont. Iulianum & Elias Cretensis in 1. orat. Nazianzeni, & alij.

18 Ratio est manifesta. Quia vt constat ex scriptura citat. Sap. 11. & Act. 17. v. 28. *In ipso mouemur, & sumus*, & S. Augustino libro 4. in Genes. ad lit. cap. 12. & S. Thoma 1. p. quæst. 9. a. 2. & lumen ipsum naturale conuincit, res creatæ ita intrinsece pendent, à positiuo eoque libero Dei conseruantis, & quasi continuo producentis influxu, vt si Deus eum suspenderet & cohiberet, mox in nihilum redigerentur omnia; idque rebus existentibus non quasi accidentariè tantum, sed ex natura sua ac necessario conuenit: Ergo verè dicimus, etiam Angelos per se ac suam naturam ita subijci Deo, & ab eo dependere, vt possint ab eo quouis momento destrui, & in nihilum redigi; si nimirum ipse, vti absolute potest, liberū suum concursum velit subtrahere. Accedit, quod de nullius rei creatæ essentia est existentia; quæ proinde quantum est ex eorum essentia, possunt æque non esse, sicut olim non erant, ac esse: Ergo ad omnipotentiam Dei pertinet, posse eas in nihilum redigere, etiam postquam semel creatæ & productæ sunt.

19 Assertio III. Non tamen ideo Angeli, aut animæ rationales potentiam realem & intrinsecam habent, qua desinant, aut à Deo destrui possint; sed solam non repugnantiam; quare nec desinere possunt per intrinsecam potentiam realem, sed per solam extrinsecam potentiam Dei; supposita ad hoc ex parte creaturarum sola non repugnantia. Ita expresse S. Thomas, Caietanus, Ferrariensis, alijque Thomistæ & Doctores, quos pro assert. 5. citabimus; Idque ex instituto tuetur Suarez libro 1. cap. 9. numero 6. contra Vasquez loco citat. cuius hac in re sententia videtur singularis, nec antiquioribus Scholasticis cognita; è quibus etsi nonnulli dicant, nullas res creatas natura sua in ordine ad Deum esse immortales aut incorruptibiles, nusquam tamen videntur eiusmodi potentiam intrinsecam realem ad eam desitionem creaturis tribuere.

20 Probatur assertio. Quia omnis potentia realis intrinseca, vel est actiua, vel passiua, vti patet: neutram autem habent Angeli ad non esse: Ergo. Non actiuam, vti agnoscit ipsemet Vasquez: quia Angelus nihil potest agere, vt seipsum destruat; sicut nec per vllam potentiam destruere seipsum naturaliter potest ex assert. 1. Nec passiuam. Quia potentia passiua realis, hoc ipso quod realis est, per se non est ad non esse, sed ad esse aliud incompossibile cum præcedenti: quare etiam adueniente nouo esse seu termino, non destruitur ea potentia passiua, sed permanet, vt habetur etiam ex sancto Thoma citat. quæstione 9. articulo 2. at vero potentia Angeli ad annihilationem, non est ad aliquod esse, vt patet; nec verò quicquam remanet reale ex parte Angeli, adueniente seu præsente ipso termino annihilationis; cùm terminus iste sit ipsum Nihil Angeli. Ergo impossibile est, vt sit in Angelo, aut vlla alia creaturâ potentia passiua realis intrinseca, per quam annihiletur, vti dixit Vasquez.

Et quia tamen nihilominus tam Angelus, quam substantia creata quælibet à Deo annihilari vtique potest, necesse est, vt saltem habeat aliquam non repugnantiam ad eam desitionem: sicut reuera nulla ratione, aut vlla sui parte Angelus, aut vlla substantia creata, DEO repugnare & obsistere potest, quo minus ab eo annihiletur. 21

Et confirmatur. Quia talem habet potentiam Angelus, aut alia creata substantia, ad nihil esse per annihilationem, qualem ante productionem habebat ad esse per creationem, siue ad hoc, vt á Deo immediate produci & creari posset, vti fatetur etiam Vasquez cap. 3. numero 14. sed ad hoc etiam habebat solam non repugnantiam; non autem vllam potentiam realem intrinsecam; siquidem talem prius habere non potest, quam sit; cum tamen esse possibile, seu potentiá quasi passiua ad esse præsupponatur ante eius productionem, imo etiam secundum rationem, ante conceptum diuinæ potentiæ ad eam producendam, vt suo loco dictum disputat. 2. q. 11. dub. 3. 22

Quare ipsemet etiam Vasquez cap. 2. numero 10. ait, hanc potentiam, quam ipse realem vocat, esse solum *non repugnantiam*; quæ idcirco etiam non ineptè vocatur logica, non physica; sicut etiam citat. numero 14. possibilitatem rei ad existendum, item in non implicantia contradictionis, vocat *logicam* quidem *potentiam*, sed *realem*: quæ tamen quomodo inter se cohæreant non video. 23

Assertio IV. Sed & actualis destructio, seu annihilatio repugnat aliquo modo naturæ & inclinationi naturali ipsius Angeli; ac proinde perpetuitas ac necessitas essendi est illi aliquo modo naturalis. Ita contra Vasquez loc. cit. docent Suarez loco citat. item sanctus Thomas, Caietanus, & alij mox citandi pro assertione sequente. Probatur & declaratur. Primum, quia Angeli destrui non possunt, nisi per annihilationem & subtractionem diuini concursus: at vero repugnat aliquo modo naturis rerum, ipsorumque adeo Angelorum, subtractio eiusmodi influxus diuini conseruantis; quandoquidem eis naturaliter quodammodo debitus est; sicut omni causæ secundæ agenti proportionatus concursus DEI. Quare ipsemet etiam Vasquez cit. disp. 182. cap. 3. num. 13. fatetur, annihilationem esse *contra naturam rei, vt existentis*. 24

Secundo Angelus & res quælibet habet naturalem quodammodo appetitum & inclinationem ad hoc, vt non annihiletur, quod maximè in Angelo cernitur, qui postquam semel est, etiam appetitu elicito, naturæ suæ vtique consentaneo, appetit perpetuo esse & conseruari. In quo discrimen est inter inclinationé ad esse rei, antequam res sit, & inclinationem ad esse, postquam semel producta est; illa enim non potest esse realis, sed solum obiectiua, & quędam non repugnantia, hoc ipso, quod est rei nondum existentis; hæc autem est realis & rei insita. 25

Digitized by Google

26 Tertio. Sicut igni naturale est calefacere præsente passo; & contra seu præter naturam ignis, si quando DEVS ad calefaciendum suum illi concursum subtraheret: ita etiam Angelo postquam semel existit, naturale est perpetuo esse, ac proinde contra ac præter naturam foret, si quando DEVS influxum suum conseruatiuum illi denegaret. Vtitur hoc exemplo etiam Cyrillus citatus assertio. 2.

27 Dices, Angeli natura sua habent non repugnantiam, vt à Deo annihilentur: Ergo perpetuitas non potest illis esse naturalis. Respondeo cum Suarez citat. cap. 10. num. 7. negando consequentiam, quia hæc duo inter se non pugnant, siquidem non repugnantia conuenit Angelo præcise secundum Esse essentiæ, quia vt sic indifferens est ad esse & non esse: at vero connaturalitas essendi perpetuò conuenit illi ex hypothesi existentiæ, adeoq; vt actu existenti: Sic enim sibi sua natura deposcit perpetuitatem.

28 Assertio V. Recte proinde Angeli sua natura dicuntur incorruptibiles, immortales, & indissolubiles, adeoque perpetui; corruptibiles autem, seu dissolubiles, & destructibiles solum extrinsece; scilicet non per potentiam passiuam realem, quæ in ipsis sit, sed per actiuam potentiam DEI; qua sicut producti sunt, ita etiam annihilari possunt. Hæc est assertio principalis in hac quæstione, quam inprimis tradit Sanct. Thomas hic quæstion. 9. artic. 2. vbi ait: *Sicut in potentia Creatoris fuit, vt res essent, antequam essent in seipsis, ita in potentia creatoris est, postquam sunt in seipsis, vt non sint. Sic igitur per potentiam, quæ est in altero, scilicet in Deo, sunt mutabiles, in quantum ab ipso ex nihilo potuerunt produci in esse, & de esse possunt reduci in non esse.* Et infra: *Substantiæ incorporeæ, quia sunt ipsa forma subsistentes, quæ tamen se habent ad esse ipsarum, sicut potentia ad actum, non compatiuntur secum priuationem huius actus: quia esse consequitur formam, & nihil corrumpitur, nisi per hoc, quod amittit formam: Vnde in ipsa forma non est potentia ad non esse: & ideo huiusmodi substantiæ sunt immutabiles & inuariabiles secundum esse.*

29 Idem non minus perspicue repetit Sanct. Thomas hic quæstion. 50. articu. 5. vbi ait: *Necesse est dicere, Angelos secundum suam naturam esse incorruptibiles.* Et mox: *Impossibile est*, inquit, *quod eius substantia sit corruptibilis.* Et rursum: *Ipsa immaterialitas Angeli*, inquit, *est ratio, quare Angelus est incorruptibilis secundum suam naturam.* Et in fine corp. *Vnde omnis substantia intellectualis est incorruptibilis secundum suam naturam.* Et resp. ad 3. cum in argumento illatum fuisset, *Cum Angeli sint à Deo facti, videtur, quod sint corruptibiles secundum suam naturam*: Respondet ipse: *Dicendum, quod quoddam necessarium est, quod habet causam suæ necessitatis. Vnde non repugnat necessario, nec incorruptibili, quod esse eius dependeat ab alio, sicut à causa. Per hoc ergo, quod dicitur, quod omnia deciderent in nihilum, nisi conseruarentur à DEO, & etiam Angeli, non datur intelligi, quod in Angelis sit aliquod corruptionis principium; sed quod esse Angeli dependeat à Deo, sicut à causa. Non autem dicitur aliquid esse corruptibile, per hoc, quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conseruationem, sed per hoc, quod in seipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ.* Ita S. Thomas.

Quibus verbis quatuor ad propositum diserte asserit. 1. Angelum, & omnem substantiam intellectualem (scilicet incorpoream) esse secundum suam naturam incorruptibilem. 2. Esse eius necessarium. 3. Destrui quidem à Deo posse, sed non per principium seu potentiam realem intrinsecam, sed per extrinsecam potentiam DEI. 4. Corruptibile absolute aliquid dici, non ex eo, quod Deus illud sua potentia in nihilum possit redigere, sed per hoc, quod in seipso principium corruptionis habeat. Neque vero Sanct. Thomas præcise facit vim in vocula *incorruptibilis*, prout solam destructionem physicam, remanente eodem communi subiecto, significat; sed loquitur absolute etiam de substantiali destructione rei; & ideo priori loco dicit, huiusmodi substantias *esse immutabiles, & inuariabiles secundum esse*; cum tamen ibidem paulo antea dixisset, esse hoc modo *mutabiles per potentiam Dei*: quod de propria corruptione physica nullo modo dici potest; quia implicat contradictionem, vt ab ipso etiam DEO ita corrumpantur, vt recte Suarez citat. cap. 9. num. 4. & agnoscit etiam Vasquez cap. 4. num. 16. & vel ex ipsis terminis patet. Qua de causa etiam in assertione vsus sum voce *indissolubilis* seu *indestructibilis*. &c. 30

Eandem doctrinam habet Sanct. Thomas lib. 2. cont. gent. cap. 30. & 55. quam ex instituto etiam tuentur Ferrariensis ibidem, Petrus Bergomas in concordant. dub. 122. Caietanus citat. quæstione nona articulo secundo. Suarez citat. cap. 9. & sequitur Durandus in 1. distin. 8. pun. 1. quæstion. 3. Et Gregorius de Valentia hic quæstione prim. pun. 4. vbi ait, *Angelos natura sua esse incorruptibiles, etsi non omnino ex fide compertum est, tamen existimatur à Theologis ferme certum ex fide. &c.* Sed hæc censura ad rem ipsam, iuxta sensum assertionis 1. non ad modum loquendi pertinet. 31

Ratio sumitur, tum ex dictis assert. 3. & 4. Quia in Angelis non est potentia realis & intrinseca ad desitionem; & naturalis est illis perpetuitas. Tum quia vt optime citat. articulo quinto dixit Sanct. Thomas, corruptibilis seu mutabilis secundum substantiam absolute non dicitur res, per respectum ad diuinam potentiam, à qua destrui & annihilari potest, sed quia in seipsa habet aliquod principium corruptionis seu mutationis substantialis; quale tamen in Angelis nullum est. 32

Neque contrarium sentiunt SS. Patres; licet enim aliquando dicant, Angelos sua natura non esse perpetuos, sed defectibiles. &c. vt retulimus assertione secunda. id tamen solum eo sensu dicunt, quia Angelus non habet hoc ex se, & ex vi suæ essentiæ, sine influxu DEI quasi gratuito, vt perpetuo duret; licet supposito ordinario & quasi debito influxu, quem sua natura sibi quasi deposcit, perpetuo duret, vt bene declarat Suarez citat cap. 10. num. 4. Quare alii Patres absolute pro- 33

nuntiant, Angelos esse immortales & incorruptibiles, vt assert. 1. retulimus.

34 Assertio VI. Recte etiam Angeli, aliaque eiusmodi entia natura sua perpetua seu incorruptibilia, dicuntur entia necessaria. Ita Sanctus Thomas citat. quæst. 50. articulo quinto, & 2. cont. gent. cap. 30. & 55. & quæstion. 5. de potentia, Caietanus, Ferrariensis, Bergomas, Gregorius de Valentia locis supra citatis & Suarez cap. decimo, numero octauo, qui tamen addit, non esse tribuendam eam vocalem creaturis, *sine additione aliqua, quæ verum sensum declaret*, V. G. quantum est ex se, & ex suis principiis intrinsecis, vel negatiue, non positiue &c. quod tamen per se non existimo esse necessarium; quia sensus falsus facile excluditur ex ipsa subiecta materia, vt alii citati sentiunt & loquuntur.

35 Contrarium tamen docent Scotus in 1. distin. 8. quæstione quinta, articulo secundo, & in 4. distin. 49. quæst. 6. Ockam in 2. quæstion. 13. & Gabriel in 2. dist. 2. quæst. 1. articu. 2. concl. 6. qui durius etiam loquitur, quod *Angelus non magis determinet sibi ex se esse perpetuum, quam substantia corruptibilis*: quem loquendi modum merito etiam reprehendit Gregorius de Valentia loc. citat.

Ratio assertionis est. Quia Ens necessarium non solum dicitur illud, cui absolute & secundum essentiam repugnat non esse, vt est Deus: sed etiam cui suppositа semel existentia, sua natura repugnat non esse; quod verum esse de Angelis constat ex assert. 4. & 5.

36 Assertio VII. Non tamen absolute dicendum, nec verum est, Angelum sua natura à Deo indissolubilem, seu inannihilabilẽ, vel etiam incorruptibilem esse; etsi vero aliquo sensu dici possit, non esse natura sua defectibilem, vel corruptibilem; vel annihilabilem, etiam respectu Dei. Priorem partem à fortiori tradit Vasquez citat. capit. secundo, numero septimo, ex communi; vbi id etiam vult esse dogma fidei, tametsi terminis paulo generalioribus vtatur. Ratio est, Quia qui hoc modo loquitur, absolute, significat, à Deo destrui, vel corrumpi, seu annihilari non posse, siue quod idem est, non ita secundum suam naturam subiici Deo, vt ab eo destrui possit; quod esse falsum & erroneum patet ex assertione secunda.

37 Secundam partem à potiori tradit Suarez capit. decimo, numero quinto, vbi contra Vasquez paulo antea citatum, defendit hanc propositionem, *Angelum esse natura sua indefectibilem, etiam respectu Dei*; & paulo inferius idem dicit de voce *Inannihilabilem*. Quia hoc modo loquendi, inquit, solum significatur, quod talis annihilatio non possit esse secundum naturam Angeli, nec ex interna potentia reali, aut inclinatione eius: sicut lapis dici non potest natura sua mobilis sursum etiam respectu Dei. Sed equidem nolim hoc sensu relatam ex Suarez propositionem tueri; quia hoc modo etiam priores propositiones, in assertione reiectæ, admittendæ forent, diuersa autem est ratio aliarum propositionum, quas ibidem probauimus.

38 Vnde noto, aliud esse, cum dicitur aliquid non posse secundum suam naturam dissolui à Deo, ita vt negatio directe afficiat solum vocalem *secundum naturam*; aliud, aliquid sua natura esse indissolubile à Deo, ita vt negatio directe neget dissolubilitatem etiam respectu DEI. Priori enim locutione solum negatur, eiusmodi dissolutionem posse esse secundum naturam rei; posteriori simpliciter negatur, rem eius esse naturæ, vt possit dissolui: sicut etiam in allato exemplo recte dicitur, Lapis non est secundum naturam mobilis sursum etiam à Deo, non tamen meo iudicio absolute recte diceretur, Lapis sua natura est immobilis sursum à DEO, ob dictam rationem.

Ita ergo non recte absolute dici existimo, Angelum sua natura esse inannihilabilem, seu indissolubilem, etiam respectu Dei: sed solum non esse natura sua defectibilem, vel corruptibilem, vel dissolubilem, vel annihilabilem à Deo, ob dictam rationem.

Dices. Angelus natura sua ita subiicitur Deo, 39
vt ab eo possit annihilari ex assertione secunda. Ergo est secundum naturam suam annihilabilis à Deo. Respondeo, negando consequentiam; quia variatur appellatio. Nam in antecedente, vocula *natura sua* appellat verbum subiici, quod significat veram, realem, & intrinsecam dependentiam à DEO, ob quam fit, vt ab eo etiam possit annihilari: in conclusione autem appellat etiam, vt ita dicam, ipsam receptionem annihilationis; quasi ea secundum naturam Angeli esse possit; quod est falsum.

Assertio VIII. Angelus simpliciter & absolute loquendo, dicendus est immortalis, & incorruptibilis, non autem, inconuertibilis, aut inannihilabilis. Prior pars est Sanct. Thomæ, & aliorum, quos pro assertione quinta citauimus, & sumitur ex SS. Patribus, quos pro assertione prima citauimus: neque negatur à Bonauentura, & aliis, quos pro se citat Vasquez; imo nec ipse quidem eam negat numero 16. & 17. Ratio est Quia ea locutione proprie solum negatur defectibilitas ex vi causarum naturalium: quo sensu etiam in citato Concilio Lateranensi sub Leone X. absolute negatur, animam esse mortalem: hoc est, quæ per mortem hominis, seu ex vi separationis suæ à corpore, corrumpatur. Quo sensu ita absolute immortalis est, vt nec respectu quidem Dei mortalis dici possit, vt bene Suarez capit. decimo, numero secundo. 40

Secundam partem tradunt Bonauentura & Richardus locis supra citatis, & sequuntur non solum Vasquez, sed etiam Suarez citat. cap. decimo numero tertio. Ratio est. Quia sicut *conuertibilem* (scilicet in nihilum) & *annihilabilem* esse, proprie & ex sua ratione non dicuntur de re aliqua, nisi per respectum ad DEVM, qui solus potest substantiam aliquam annihilare, & in nihilum conuertere; ita etiam *inconuertibilem* & *inannihilabilem* esse non dicuntur de re, nisi per respectum ad eundem DEVM: at vero per respectum ad DEVM falsum est, Angelum esse inannihilabilem, aut inconuertibilem, vt dictum assertion. præcedent. Ergo etiam falsum est, simpliciter & absolute loquendo, Angelum esse inannihilabilem, seu inconuertibilem in- 41

nihi-

Digitized by Google

nihilum. Et vniuersim, quando negatur potentia ad defectionem in Angelo, cauendum, ne vel ex vi vocis, aut ratione alicuius particulæ additæ, significetur, nec à Deo quidem destrui vel dissolui posse. Quare licet absolute recte dici possit, Angelum sua natura esse indefectibilem ex assert. 5. non tamen absolute recte diceretur, esse *indefectibilem omnino*, seu *omni ex parte*, nisi addatur aliqua explicatio, V. G. per naturalem corruptionem, seu ab agente naturali. &c. iuxta ea, quæ de hac re disserit etiam Suarez cap. 10 num. 4.

42 Atque ex his non solum facile soluuntur argumenta Vasquez, quæ contra propositam doctrinam præcipue assert. 5. obiicit, sed simul etiam magna ex parte conciliari possunt inter se non solum SS. Patres, sed etiam Scholastici veteres in principio adducti; licet nonnunquam diuersimode hac de re loquantur, vt vidimus. Certe de reipsa nulla est controuersia, sed solum de modo loquendi; in quo tamen ipso nihil est consultius, quam vt S. Thomæ vestigiis insistatur, qui nostræ sententiæ patronum habemus, vt vidimus.

DVBIVM IV.

Vtrum Angeli non tantum sint substantiæ intelligentes, sed etiam tum naturâ sua, tum quoad vim intelligendi homine superiores.

S. Thom. 1. p. q. 50. a. 1.

1 ANgelos esse substantias intelligentes, tametsi quidem ex instituto hactenus non probauimus, colligitur tamen ex iis, quæ de notione Angeli eiusque existentia dub. 1. dicta sunt. Est enim hoc prædicatum adeo cum ipsa notione Angeli coniunctum, vt hæc sine eo vix possit concipi & explicari. Quare omnibus etiam prope locis Scripturæ, ex quibus probatur, Angelos esse, simul etiam probatur, eos esse substantias intelligentes: maxime vero cum eis tribuuntur eæ actiones, quæ non nisi naturæ intelligenti conuenire possunt, vt sunt visio, laus, & benedictio Dei; item custodia hominum, obseruatio, & transgressio diuinæ legis, adeoque peccatum, meritum & demeritum, siue damnatio. Quo spectat illud Matth. 18. vers. 10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei.* Item illud 2. Pet. 2. vers. 4. *Angelis peccantibus non pepercit Deus. &c.* Ex quibus proinde locis plane de fide est, Angelos esse tum liberi arbitrii, tum naturæ intelligentis, vt recte etiam Suarez hic lib. 1. cap. 1. quando peccatum fuit vi intelligendi, & libero arbitrio esse nullo modo potest, vt suo loco in 1. 2. docetur.

2 Quare cum S. Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 4. ait: *Angelos intellectu præditos esse, non fide, non opinione, sed intellectu rapimus: quia non possunt horum expertes, Dei simul participes esse*; non negat hoc etiam fide credi; sed non capi, hoc est, euidenter cognosci fide; cum tamen intellectu, seu vi ratiocinandi capiatur, & quodammodo euidenter, dum consequentia & ratiocinatione euidenti, ex fidei principiis, atque ex variis etiam experimentis, vt superius dictum, deducitur.

Hoc igitur cum certum sit, controuersum tamen est aliquo modo, vtrum Angeli, tum natura sua, tum etiam quoad vim intelligendi, sint homine superiores. Qua in re fuit sententia Francisci Georgii in harmonia mundi tom. 6. sect. 1. cap. 32. homines non solum gratia (quod de quibusdam verissimum est) sed etiam potentia & natura Angelos superare; falso nixus fundamento, quasi gratia semper naturæ proportionetur. Quam sententiam refert & ex instituto refellit Ioannes Arboreus lib. 1. Theosoph. cap. 2. Et fauent huic sententiæ ex parte Reuelationes, quæ sub nomine B. Amadei scriptæ circumferuntur; in quibus post reuelationem 2. serm. 6. dicitur, *dæmones aliquos ita rudes esse, vt linguam ad loquendum mouere nesciant, & hos* (in scriptura) *dici mutos: alios non intelligere omnem sermonem; & dici surdos. &c. nec esse omnes tam alti ingenii, vt homines putant. &c.* Quo spectat quod Trithemius lib. octauo. quæstione quinta, dicit: *non omnes dæmones esse intelligentia pares*; sed aliquos adeo hebetes & vecordes esse, *vt pladis mouari, & virgis*, vt retulimus dub. præcedente. Sed vera sententia sequentibus assertionibus continetur.

Assertio I. Angeli natura sua & gradu essentiali sunt perfectiores & excellentiores homine. 4
Ita cum Magistro in 2. distin. 3. & Sanct. Thoma hic quæstion. 50. artic. 1. omnes Scholastici; & constat ex dictis dub. 2. vbi probauimus, Angelos esse substantias plane incorporeas & spirituales; cum tamen homo constet corpore, ideoque sit substantia corporea: cum ergo ratio & gradus entis incorporei & spiritualis sit multo excellentior, quam ratio entis corporei, necesse est, vt substantia penitus spiritualis, sit nobilior & excellentior substantiâ corporeâ, siue quæ pro aliqua sui parte constet corpore. Plura assert. sequentibus.

Assertio II. Angeli etiam quoad naturalem potentiam, seu vim intelligendi, sunt nobiliores & excellentiores homine. Ita communis apud citatos: & sequitur ex assertione præcedenti. Potentiæ enim naturales per se ac ex suo genere sequuntur esse naturale seu essentiam ipsam; cum ergo Angeli, secundum essentiam, habeant gradum naturæ intelligentis altiorem & excellentiorem, sequitur, etiam potentiam intelligendi in Angelo esse ex se ac suo genere excellentiorem: ita saltem, vt vis ipsa intelligendi in actu primo præstantior sit in Angelo, quam in homine, quæ quidem nec in malis Angelis sublata vel extincta est, vt dicetur quæstion. 6. 5

Assertio III. Angeli igitur absolute loquendo, secundum naturam suam sunt aliquid quasi medium inter Deum & hominem, præstantiores quidem homine, vt dictum, sed inferiores Deo, vt patet. Ita iidem. Et colligitur ex dictis. Quibus accedit scriptura, qua simul omnes tres assertiones positæ probantur & confirmantur. Psalm. 8. v 6. 6

de homine dicitur, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, vti legit non solum vulgata versio sed etiam interpretes LXX. & Hebræi communiter exponunt, imo etiam Paulus ipse Hebreor. 2. vers. 7. ita retulit & intellexit, tametsi in textu Hebraico habeatur vocula *Elohim*, quæ alias solet DEVM significare; vti etiam in citato Psalmi loco vertit Hieronymus. Nihilominus enim ea ipsa vocula, etiam Angelos in scriptura significat, Psalm. 96. vers. octauo. *Adorate eum omnes Angeli eius.* Nec obstat, quod Apostolus loc. citat. ea verba de Christo solum exponit. Quia hæc expositio, cum sit quodammodo allegorica, aut certe interalia, primaria quidem, non tamen proxima & quasi immediata, non excludit sensum illum, vt generatim de homine intelligatur, de quo etiam cætera psalmi verba loquuntur, vt communiter quoque Interpretes, & SS. Patres intellexerunt.

7 Huc spectant alia loca scripturæ, in quibus potestas Angelica supra humanam exaggeratur. Iob. 41. vers. 24. de Satana dicitur, *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Et 2. Pet. 2. vers. vndecimo, *Actas* (hæretici) *non metuunt introducere vbi Angeli fortitudine & virtute cum sint maiores, non ferunt aduersum se execrabile iudicium.* Quo spectat etiam illud Ephes. sexto, vers. decimo: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, &c.* Vbi dæmonis potestas extollitur, supra omnem potestatem corpoream, constantium carne & sanguine. Atque hæc loca de diabolo loquantur, maiorem vim habent, quia non possunt intelligi de potentia aliqua supernaturali, seu extraordinaria diuino munere ei concessa, qualis Angelis bonis aliquoi communicari solet, sed solum de naturali, qualis ei à natura insita est, quæ vt suo loco dicetur, per peccatum non est destructa.

8 Idem probatur authoritate SS. Patrum, è quibus ex instituto Sanctus Dionysius de diuin. nom. cap. quarto & à capit. quarto cæl. hierarch. prolixe de Angelorum excellentia disserit. Et Augustinus tractat. 110. in Ioann. *Tanto damnabilior*, inquit, *iudicata est* (Angelorum) *culpa, quanto erat natura sublimior.* Et libr. vndecimo de ciuit. capit. quinto. *Angelica natura*, inquit, *omnia cætera, quæ Deus condidit, natura dignitate præcedit.* In quem sensum etiam alii Patres loquuntur. His accedunt experimenta varia diabolicæ potentiæ in Energumenis, & in magis ac maleficis; è quibus apparet, dæmones humanas vires longe superare.

9 Ad id vero, quod Trithemius in contrarium obiiciebat, iam responsum est dub. secundo. Muti véro & surdi spiritus in scriptura dicuntur, non quia in obsessis corporibus nequeant formare voces, aut intelligere, sed quia loquelam vel auditum hominis obsessi impedium. Cum enim Angeli omnes sint substantiæ intelligentes, nec intellectio corpore adhærente aut operatione corporea per se impediatur, certe negari non potest, vlli dæmonum, etiamsi corpora obsidet, intellectio rerum eiusmodi notissimarum ac facillimarum; vt neque vis sonum articulatum edendi; qui solamodus vocalis instrumenti aeriique effici potest.

Solum adhuc obiici potest Augustinus, qui in variis locis, homines secundum naturam æquare Angelis videtur. Nam in libr. de quantitat. anim. cap. 34. ait: *Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse DEVM, ita præsumendum, nihil inter omnia, quæ creauit, Deo esse propinquius.* Et infra dicit, *aliquid esse deterius anima hominis, scilicet animam bruti, aliquid par, vt Angelum, melius autem nihil.* Et libro tertio de lib. arbit. capit. vndecimo dicit, *animas rationales superioribus potestatibus esse officio impares, natura vero pares.* Et lib 83. qq. quæst. 34. *Nihil est*, inquit, *melius rationali anima, nisi Deus.* 10

Et diserte libr. tertio cont. Maxim. capit. 25. *Quod autem*, inquit, *tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici, si forma ipsius maior est, quæ maiores videntur & Angeli; non recte cogitas, quem locum in rebus habeat humana natura, quæ condita est ad imaginem DEI. Maiores Angeli dici possunt homine, quia maiores sunt hominis corpore, maiores sunt animo; sed infirmo, quem peccati originalis mente corruptibile aggrauat corpus. Natura vero humana, qualem naturam CHRISTVS humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit deprauari, solum maior est DEVS. &c.* 11

Accedit ad hæc etiam Sanctus Bernardus libro quinto de consid. cap. tertio vbi ait: *Spiritus est DEVS: sunt & Angeli, & hi supra te. Sed Deus natura, Angeli gratia superiores sunt. Vnum siquidem tui, & Angeli, optimum, ratio est. DEVS vero non sui aliquid optimum habet; vnum optimum totus.* 12

Respondeo, hæc loca sane difficultate non carere; quæ fortassis ex eo principio originem sumpserunt, quod vterque tam Augustinus, quam Bernardus, Angelos vna ex parte corporeos constituerunt. Sed quia tamen Sanctus Augustinus tam diserte alibi, vt dictum, Angelos quoad naturam homine superiores fecit, pie explicari possunt & debent, vt notauit etiam Suarez hic libro primo cap primo numero decimo, cui tam certum fuit, Angelos homine superiores esse, quoad naturam, vt hoc attributum etiam in ipsa Angeli notione includi existimaret.

Ad primum igitur & secundum locum Augustini dico, intelligendum esse, homines & Angelos esse inter se pares, ac proximos Deo, secundum gradum & genus naturæ intellectualis: nullus enim gradus alius ab eo diuersus propius accedit ad Deū; quanquam nihilominus intra latitudinem huius ipsius gradus magna sit differentia inter Angelos & homines. 13

Ad tertium locum ex qq. 83. respondeo, Augustinum eo loco per animam intelligere spiritum etiam Angelicum. In quem sensum eum locum exposuit & retractauit lib. 1. Retract. cap. 26. cum ait: *Vbi dixi*; quod omni anima melius, id Deum dicimus, magis dici debuit, omni creato spiritu melius.

Ad quartum locum dico, Augustinum seipsum 14

expli-

explicare; non enim loquitur de natura humana secundum se præcise, sed excellentibus gratiæ donis instructa, qualis in Christo fuit: qua ratione verissimum est, naturam humanam (nempe in Christo, & B. Virgine &c.) superiorem esse omnibus Angelis, soloque Deo inferiorem. Alias si secundum se, & suam præcise naturam spectetur homo, agnoscit ibidem Augustinus, Angelum esse superiorem, cum ait: *Maiores sunt animo* (humano) *sed infirmo. &c.*

15 Ad locum Bernardi respondeo, eum itidem loqui de homine & Angelo comparatis præcise secundum gradum & rationem genericam naturæ, siue substantiæ intelligentis; quo modo inter se pares sunt, vt dictum, cum tamen in genere gratiæ homo peccator, seu peccatis obnoxius, de quo ibidem loquitur Bernardus, multo sit inferior Angelo.

DVBIVM V.

Quot sint ordines & hierarchiæ Angelorum: & an, ac qua ratione Angeli inter se specie ac numero differant.

S. Thom. 1. p. q. 50. a. 4. & q. 108. aa. 8.

1 QVod ad primam huius dubitationis partem attinet; Notandum est primo, ex S. Dionysio cap. 6. cœlestis Hierarchiæ, & S. Gregorio homil. 34. in Euang. & communi Scholasticorum, cum Magistro in 2. dist. 9. & S. Thoma hic q. 50. artic. 4. & ex instituto quæst. 108. artic. 1. tres esse hierarchias, hoc est, quasi sacras principales acies siue exercitus Angelorum; quarum vnaquæque rursum in tres ordines siue choros diuiditur, ita vt sint vniuersim nouem Angelorum chori siue ordines. Verba S. Dionysii loco cit. sunt hæc: *Quot sint, & qui, cœlestium naturarum ordines, & quemadmodum eorum hierarchiæ consecrentur, solum eorum diuinum Principem certo scire iudico; & præterea eos nosse vim suam, atque illustrationes, sacramque suam & cœlestem descriptionem. Nos enim cœlestium mentium mysteria, sanctissimasque eorum perfectiones intelligere non possumus, nisi forte ea contendat aliquis nos intelligere, quæ nos per eos, vt qui sua præclare cognita habeant, diuinitas docuit. Itaque nihil nos impulsu vique nostra dicemus. Quæ autem Angelorum visa & formas sancti Theologi contemplati sunt, & cognouerunt, eos, quoadeins fieri potest, exponemus.*

2 Et mox rem aggrediens: [Omnis, *inquit*, quæ de Deo diuinisque rebus disserit ratio & scientia (*nimirum sacra Theologia,*) omnes cœlestes naturas nouem nominibus appellauit. Has diuinus noster sacrorum initiator, in tres terniones distribuit atque distinxit: ac primum vult esse eorum, qui semper Deum circumstant, & quibus hoc datum est, vt cum eo toto animo, & præ cæteris nulla re interiecta coniungantur. Nam & sanctissimos Thronos, & quæ multos oculos, & quæ multas alas habent, Cherubim & Seraphim, Hebræorum sermone vocata, quam proxime Deum circumstare, scriptis diuinis proditum esse dicit. Hanc igitur, quæ ex tribus constat distinctionem, vt vnam ac eiusdem generis, ac vere primam Hierarchiam clarissimus Præceptor noster tradidit; qua non est altera diuinior, & quæ inprimis diuinitatis in agendo illustrationibus sine interuallo, maiori studio occupatur. Alteram esse dicit eam, quam Potestates, Dominationes, Virtutesque expleant. Tertiam in extremis cœlestibus hierarchiis Angelorum, Archangelorum, Principatuumque descriptionem.] Ita Sanct. Dionysius, ex versione Perionii, eademque plane ordinum dispositio habetur hoc loco apud alios interpretes Dionysii, speciatim in paraphrasi græca Pachymeris, & in versione Latina Ambrosii Camaldulensis, & aliorum apud Dionysium Carthusianum comment. in Dionysium, & consentit editio recens græcolatina nuper à Lenselio edita: vbi Græce legitur: *δευτέραν δὲ εἶναι φησὶ, τὴν ὑπὸ τῶν ἐξουσιῶν καὶ κυριοτήτων, καὶ δυνάμεων συμπληρουμένην.* Etsi fatendum, cum cæteros quidem ordines hoc loco retulerit Sanct. Dionysius, ascendendo ab inferioribus ad superiores, in secunda tamen hierarchia hoc non obseruasse; dum Dominationes refert ante Virtutes; cuius contrarium in hac dispositione faciendum fuisse, patebit ex notatione sequenti.

Illud modo hic obseruandum, distinctionem eiusmodi nouem ordinum, habere præclarum fundamentum in ipsa scriptura; in qua singulorum fit mentio, nimirum *Seraphim* Isai. 6. vers. 2. & 6. *Cherubim* Genes. 3. vers. 24. & Ezech. 1. v. 26. *Thronorum* Coloss. 1. vers. 16. *Dominationum, Virtutum, Potestatum, & Principatuum.* Ephes. 1. vers. 21. *Archangelorum* 1. Thessal. 4. vers. 15. & in epist. Iudæ, vers. 9. *Angelorum.* Rom. 8. v. 38. & 1. Pet. 3. v. 22. Quo fit, vt nomen *Angeli* in hac materia tribus modis dicatur, primo generaliter & substantialiter, pro omnibus substantiis eiusmodi incorporeis: Secundo stricte, pro illis duntaxat Angelis, qui sunt in infimo ordine; qui commune nomen omnium sibi quodammodo proprie vendicant: tertio, late quidem, sed accidentaliter, prout nomen officii, nimirum Legati siue Nuncii diuini significat; ex quocunque demum ordine sit alioqui hic Angelus, vt colligitur etiam ex Sanct. Gregorio loco citat. Ex quibus denique patet, impudenter magis, quam scite scripsisse Caluinum lib. 1. Instit. cap. 14. sect. 4. *Relinquenda esse illa, quæ ab hominibus ociosis de Angelorum natura, ordinibus, multitudine, absq; Dei verbo traduntur.* 3

Notandum secundo; cum inter omnes certum & extra controuersiam sit, tres illas quas diximus hierarchias, secundum dignitatis ordinem, ita inter se esse coordinatas, quemadmodum ex Sanct. Dionysio retulimus; nonnullam tamen esse diuersitatem, inter Dionysium & Gregorium, quoad dispositionem duorum ordinum siue chororum, nimirum Virtutum & Principatuum. Siquidem iuxta Dionysium cap. 7. 8. & 9. hæc est ordinum dispositio, vt in prima quidem hierarchia primo loco collocentur Seraphim; secundo seu medio Cherubim, tertio Throni: in secunda vero hierarchia, primo Dominationes, secundo Virtutes, tertio Potestates: in tertia hierarchia, primo Princi- 4

Digitized by Google

patus, secundo Archangeli, tertio Angeli; quemadmodum notauit etiam Sanct. Thomas cit. quæst. 108. artic. 6. argument. *sed contra*, & ex Dionysio refert etiam & sequitur Damascenus lib. 2. cap. 3. At vero Gregorius citat. homil. 34. in prima quidem hierarchia cum S. Dionysio prorsus consentit; at vero in secunda & tertia hierarchia nonnihil, quoad supra dictos duos ordines, dissentit. In secunda enim hierarchia constituit ipse primo loco Dominationes, secundo Principatus, tertio Potestates; in tertia hierarchia primo loco Virtutes, secundo Archangelos, tertio Angelos. Itaque Dionysius collocat Virtutes sub Dominationibus, & supra Potestates in secunda hierarchia; Principatus autem sub Potestatibus & supra Archangelos, in tertia hierarchia. Gregorius autem statuit Principatus in medio Dominationum & Potestatum, in secunda hierarchia; Virtutes vero in medio Potestatum & Archangelorum in tertia hierarchia.

5 Quam varietatem referens S. Thomas cit. quæst. 108. articulo sexto, non resoluit, quid absolute sentiendum sit, sed solum dicit, vtramque dispositionem habere & congruitatem, seu rationem conuenientiæ, & nonnullum fundamentum in Apostolo; *qui medios ordines*, inquit, *ascendendo enumerans, dicit Ephes. 1. vers. 21. quod Deus constituit illum (scilicet Christum) ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Vbi Virtutem ponit inter Potestatem & Dominationem secundum assignationem Dionysii. Sed ad Coloss. 1. vers. 16. enumerans eosdem ordines descendendo, dicit: Quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra; visibilia & inuisibilia; siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. vbi Principatus ponit medios inter Dominationes & Potestates, secundum assignationem Gregorii.* Ita Sanct. Thomas. Neque sane de hac re quicquam certi potest statui; præsertim quando etiam in communi præfatione Missæ, vbi ordines nonnulli Angelorum commemorantur, nulla, vt apparet, certæ dispositionis seu collocationis habetur ratio. Siquidem post Angelos, ascendendo primo loco referuntur Dominationes, secundo Potestates, tertio Virtutes, quibus denique subiunguntur Seraphim; cum tamen tres illi medii ordines hoc ordine immediate siue descendendo, siue ascendendo, neque apud Dionysium, neque apud Gregorium collocentur. Sed nec ex officio de Angelis, aut ex Scriptura sacra, aut ex aliis Patribus (qui ipsi inter se passim variant) quicquam certi constitui potest; vt pluribus persequitur Suarez lib. 1. cap. 13.

6 Nihilominus absolute loquendo, quia præcipua quædam hac in re est autoritas Sanct. Dionysij, Scholastici communiter ipsius dispositionem sequuntur, vt videre est apud Magistrum citat. distinct. 9. & Gregorium de Valentia hic quæstione prim. pun. 3. & Suarez loc. citat. numer. 15. vbi concludit: *Licet in variis locis forte Dionysius diuersimode illos ordines recensuerit, non semper rigorose ordinem perfectionis seruans; quod in aliis Patribus, & in officio Angelorum, quod Ecclesia recitat, & in Paulo ipso obseruare licet; nihilominus quod ad rem attinet, ex capit. octauo cœl. hier. esse euidens, Dionysium ordine superius proposito illos tres ordines declarasse.*

Cæterum in hac serie illud equidem sæpe admirari solitus sum, cur ex communi omnium sententia *Seraphim* collocentur ante *Cherubim*; cum tamen hi à scientia siue intellectione, illi à charitatis ardore nomen habeant; & intellectus ex suo genere sit præstantior voluntate. Attingit hoc Sanct. Thomas citat. quæstion. 108. articu. 6. ad 3. & respondet, *Inferiorum quidem cognitionem præeminere dilectioni* (nimirum eorundem;) *superiorum autem dilectionem, & præcipue Dei, præeminere cognitioni.* Sed quia hinc consequens foret, Visionem DEI, esse ignobiliorem actum, dilectione eiusdem, quod est contra Sanct. Thomam in multis locis; idcirco malim respondere, Seraphim continere omnem, imo maiorem perfectionem intelligendi, quam habent Cherubim; & insuper addere insignem quandam affectus excellentiam, à qua sortiuntur nomen; non quod ex suo genere hæc maior sit, quam proportionata perfectio scientiæ; sed quia hic in terris maior & melior est dilectio, quam scientia, iuxta Apostolum 1. Corinth. 13. 7 8

Tertio notandū, ex fide quidem certum esse, in his ipsis ordinibus Angelorum, alios quidem esse officio & dignitate superiores; alios inferiores; id enim satis manifeste colligitur, ex vtroque loco Apostoli superius citato, vt recte notauit Gregorius de Valentia citat. quæstion. 1. pun. 3, attamen qua ratione particulatim hierarchiæ ipsæ, & in his singuli quique ordines inter se differant, & quodnam proprium vniuscuiusque ordinis siue in ordine ad Deum, siue in ordine ad gubernationem vniuersi, sit officium, seu quæ cuiusque superioris ordinis supra inferiorem specialis sit ratio prærogatiuæ & excellentiæ, ille solus nouit, qui fecit & instituit Deus, vt initio ex S. Dionysio retulimus. Bene hac de re Augustinus contra Priscillian. cap. 11. *Esse itaque Sedes*, ait, *Dominationes, Principatus, & Potestates, in cœlestibus apparatibus firmissimè credo, & differre inter se aliquid, indubitata fide teneo: sed quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio.* Differunt tamen nihilominus hac de re probabiliter, etsi non vndiquaque consentienter, tum Dionysius, & Gregorius locis citatis; tum Sanct. Thomas cit. quæst. 108. articulo sexto, quæ apud ipsos videri possunt, & breuiter referuntur à Gregorio de Valentia cit. quæstione prim. pun. tertio, & plenius explicantur à Suarez citat. cap. 13. Summa est, quod suprema Hierarchia per se non est destinata ad ministrandum, sed ad assistendum DEO. Secunda ad ministrandum per modum imperii & directionis. Tertia ad ministrandum per executionem. &c.

Multo vero minus constat, quod ad nostrum propositum attinet, an & qua ratione eiusmodi distinctio hierarchiarum & ordinum desumpta sit etiam ex quadam diuersitate substantiali & essentiali Angelorum: quod proinde præsuppositis iis, quæ hactenus notauimus, in præsenti nobis est inuestigandum; iuxta posteriorem partem huius dubitationis, qua quærimus, An & qua 9

tione

ratione Angeli inter se specie ac numero differant; de qua re variæ sunt Doctorum sententiæ. Aliqui enim simpliciter negant, esse inter Angelos vllam distinctionem specificam, seu essentialem. Aliqui putant, omnes Angelos specie differre. Alij mediam tuentur sententiam, vt dicemus. Nos nostram sententiam sequentibus assertionibus breuiter explicamus.

10 Assertio I. Non est certum, inter Angelos reipsa esse distinctionem specificam seu essentialem; imò hoc à nonnullis non planè improbabiliter negatur. Ita Vasquez disputatione 181. capite 3. Suarez Metaph. disputatione trigesima quinta, sectione tertia. Probatur & declaratur assertio. Primò quia ex Scriptura nihil certi hac de re potest concludi, vt agnoscit etiam Suarez libro primo capite duodecimo numero quinto. Tametsi enim ex ea constet esse aliquam varietatem inter Angelos, quoad dignitatis & excellentiæ ordinem, & officiorum gradus, vt ex dictis constat; non tamen inde certò conficitur aliqua distinctio naturarum, siue secundum essentiam; siquidem ea, quæ de illa varietate graduum referuntur, explicari possent per solam diuersitatem donorum gratiæ, siue dignationis diuinæ, accommodatæ ad propriam cuiusque dispositionem; sicut inter homines ipsos vero similius est, alios ad alios Angelorum choros eleuari, pro diuersitate meritorum, iuxta S. Thomam quæst. 108. artic. 8.

11 Secundò quod ad Sanctos Patres attinet, tantum abest, vt ex illis diuersitas specifica seu essentialis euincatur, vt potius oppositum non pauci satis apertè tradant; vt post Vasquez capite 2. refert etiam, & agnoscit Suarez libro 1. capite duodecimo. Basilius enim libro tertio contra Eunomium ait: *Angeli omnes, sicut appellationis vnius, ita eiusdem naturæ sunt inter se.* Et addit, *licet sint dispares in dignitate & principatu non ideo naturam alteram habere.* Gregorius Nyssenus de opific. homin. capite 17. dicit, *Angelos ad infinita propè millia sic esse diffusos, vt vna natura, & multi esse numero possint.* Et in libro de orat. dom. circa illa verba, *Fiat voluntas tua*, de natura angelica, & humana, tanquam de duabus essentijs & speciebus loquitur.

12 Et Athanasius orat. in illud, *Omnia mihi tradita sunt*, circa finem ait: *Angeli quoque inter se generis ratione, & cætera omnia cognata sunt, & eiusdem naturæ.* Et in quæstionibus ad Antiochum quæst. 7. vel 3. dicit, *dæmonem ab Angelo essentia non differre, sed voluntate; sicut boni & mali hominis animus inter se differt.* Et rursum quæst. 8. aliàs 4. *Vna*, inquit, *& eadem est essentia Angelorum, sicut etiam vna tantum est essentia hominum.* Et mox subiungit: *Ordines verò, sicut multum valens in Theologia Dionysius inquit, sunt nouem: Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, sex alis alata Seraphim, multis oculis ornata Cherubin, & Throni.*

13 Apertè etiam Damascenus libro de decret. & placit. capite primo. *Vniuscuiusque speciei*, inquit, *vna est natura; & omnium Angelorum vna est natura, & omnium hominum*, &c. Et capite septimo *Intelligendum est ea, quæ sola individua continent, species infimas vocari, cuiusmodi est Angelus, homo, & equus*, &c. Et eodem capite ait: *Incorpoream essentiam appello animum, Angelum, dæmonem; vnumquodque enim istorum species est infima.* Vbi tamen Damascenus indicat, saltem dæmonem ab Angelis specie differre, quod per se verum non esse, constabit ex quæstione sexta. Denique Anselmus libro secundo, *Cur Deus homo*, capite vigesimo primo dicit, *Angelos esse eiusdem naturæ; licet non sint eiusdem generis* (scilicet per generationem propagati) *sicut homines: nec enim sunt omnes Angeli de vno Angelo, sicut omnes homines de homine.*

14 Tertiò quod ad Scholasticos Doctores attinet; neque ipsi quidem in hoc consentiunt, Angelos quosdam inter se specie siue essentialiter differre. Negant enim hoc Guilielmus Parisiensis antiquus & grauis Theologus, in libro de Vniuerso 1. part. secundæ partis, per multa capita, item Albertus Magnus in summ. 2. part. tract. 2. quæstione octaua, & Bonauentura idem tanquam probabilius tuetur in 2. distinct. 9. articulo primo, quæstione prima. Marsilius quoque in 2. quæstione tertia, articulo primo, & Argentina in 2. distinctione tertia quæstione secunda articulo tertio fatentur, sententiam magis communem esse, omnes Angelos, aut plures, esse eiusdem speciei.

15 Quartò consulendo etiam lumen naturale, difficile videtur, assignare rationem, cum spiritualis substantia in gradus sit distincta, rationalem scilicet siue discursiuũ; & intellectualem seu intellectiuum absque discursu, cur in illo ex communiori, nequeat esse diuersitas specifica & essentialis; in hoc possit. Difficile etiam intelligitur, cum Angeli in attributis omnibus, & potentijs, speciatim intellectu & voluntate, atque etiam in modo operandi conueniant non minus, vt apparet, quam homines ipsi inter se, quomodo nihilominus inter se specie differre possint: præsertim quando in Scriptura, & apud Sanctos Patres, tam multa alioqui de Angelis traduntur; neque tamen nobis vel de vnica inter eos differentia specifica constat. Denique tametsi inter Angelos alij alijs intelligendi perspicuitate præstent, nihil tamen videtur obstare, quando hæc differentia solum est secundum magis & minus, quin id fieri possit, etiam salua essentiæ vnitate, ob solam differentiam indiuidualis perfectionis: quemadmodum Suarez capite decimo quarto, Vasquez loc. cit. & alij id etiam in anima rationali, circa homines contingere, non planè improbabiliter sentiunt. Verum est igitur, quod de hac re scripsit Damascenus libro secundo de fide capite tertio. *Ac de essentia quidem, æquales naturâ inter se, an dispares sint, haudquaquam compertum habemus. Solus ille scit, qui eos creauit DEVS, quique omnia perspecta & explorata habet.* In quem sensum loquitur etiam Augustinus libro contra Origenistas & Priscillianistas ad Orosium capite vndecimo.

16 Assertio II. Probabilius tamen videtur, non modo per absolutam DEI potentiam posse esse, sed etiam reipsa inter Angelos esse aliquam differentiam essentialem & specificam. Ita habet communis Scholasticorum sententia, quam speciatim tradunt Sanctus Thomas hic quæstion. 50.

Digitized by Google

art. 4. Caietanus ibidem, & cap. 4. de ente & essentia q. 7. Petrus Bergomas concord. dub. 115. & Heruæus in 2. dist. 3. q. 2. a. 2. qui etiam sentiunt, nec posse quidem Angelos inter se solo numero differre; quamuis S. Thomam sentiunt Suarez capite 15. & Thomistæ recentiores, solum de potentia Dei ordinaria fuisse locutum. Alij vero quamuis concedant, posse etiam solo numero differre, simul tamen docent, aut aliquos, aut omnes, inter se differre etiam specie. Ita sensit olim S. Thomas opusc. 16. cont. Auerroistas in solut. argum. & constanter docent Ægidius quodlib. 2. q. 7. Alensis 2. p. q. 20. memb. 6. a 1. & 2. Gabriel in 2. dist. 3. q. 1. a. 2. Argentina in 2. dist. 3. q. 2. art. 2. Richardus a. 5. q. 1. Aureolus in 2. dist. 9. q. 3. Carthusianus q. 3. Marsilius in 2. q. 3. a. 1. & ex Thomistis Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. a. 3. Ferrariensis lib. 2. cont. gent. cap. 93. & communiter recentiores, Bannes, Zumel, Ripa, item Molina cit. q. 50. art. 4. Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 3 Suarez Metaph. disput. 35. sect. 3. & hic lib. 1. cap. 12. Vasquez cit. disp. 181. capite 3.

17 Probatur assertio. Tum quia hoc magis videtur consentaneum Scripturæ, & quibusdam modis loquendi SS. Patrum. Vt quando dicunt, Luciferum fuisse perfectiorem etiam quoad naturalia, cæteris Angelis; vt videre est Ezech. 28. & 31. siue secundum sensum mysticum, siue secundum sensum literalem quasi secundarium. Item quando Patres dicunt, Angelos recepisse gratiam iuxta proportionem naturalium, vt dicetur quæst. 6. Tum quia non potest demonstrari, id implicare contradictionem; eoque posito, ad perfectionem maiorem vniuersi, & demonstrandam Maiestatis diuinæ magnitudinem, conuenientius erat, vt reipsa plures eiusmodi Angelorum velut Aulicorum ac Ministrorum diuinorum species ad seruitium Dei paratæ existerent.

18 Nec est eadem ratio Angeli, quæ animæ rationalis. Nam hæc est forma incompleta & vltimata vnius infimæ speciei, scilicet hominis. At vero Angelus seu Spiritus est immediata species constituta sub genere substantiæ incorporeæ, ex æquo vna cum gradu substantiæ corporeæ diuidentis genus substantiæ. Sicut ergo sub genere substantiæ corporeæ sunt plures species, vti patet, ita verisimile est, etiam sub genere substantiæ incorporeæ, ex æquo diuidentis idem genus substantiæ, vt dictum, esse possibiles plures species. Deinde similitudo attributorum, perfectionum, & modi operandi, non conuincitur esse maior in Angelis, quam in brutis; quorum vltimas & essentiales differentias non magis ferè perspectas habemus, quam Angelorum. Solum hæc differentia inter vtrosque est, quod in illis accidentium magna quædam diuersitas in ipsos sensus incurrit, ex qua distinctionem specificam rectè colligimus; cum tamen Angelicum Esse & accidentia à sensibus & humana cognitione longè sint remotiora: nisi quod ex Scriptura & Patribus nouimus, magnam inter eos esse quoad gradum & dignitatem diuersitatem; quæ ipsa ad diuersitatem quoque naturæ rectissimè refertur, vt ex communi docet S. Thomas q. 108. a. 4. & inferius dicemus.

19 Assertio III. Possunt tamen, secundum absolutam Dei potentiam, Angeli inter se solo numero differre. Ita docent Durandus in 2. dist. 3. q. 3. Scotus in 2. dist. 3. q. 7. item Albertus, Richardus, Argentina, Bonauentura, Alensis, Gabriel, Carthusianus, Marsilius, Aureolus, Gregorius de Valentia, Vasquez locis citatis, Suarez hic cap. 15. & ex Thomistis Ferrariensis, Capreolus, alijque recentiores citati, & ipsemet S. Thomas cit. opusc. 16. contra Caietanum & Heruæum loc. cit. Et verò contrarium fuisse olim in articulis Parisiensibus damnatum, refert Richardus, & ipsemet Heruæus.

Probatur assertio sufficienter hac vnica ratione. 20
Quia nulla in hac re potest ostendi implicatio contradictionis; vti patet ex refutatione argumentorum contrariorum, quæ assumunt falsa principia; nimirum I. Quod materia sit solum & adæquatum principium intrinsecum distinctionis numericæ, etiam in substantijs spiritualibus; quod suo loco in Metaphysica refellitur; & nec Aristoteles quidem fortè sensit; quicquid de substantijs corporeis & materialibus dixerit, vti annotat Vasquez disp. 181. cap. 3. II. Quod cum Angelus secundum substantiam sit forma simplex, & non compositus ex pluribus entitatibus, saltem strictè realiter distinctis, non possit ab altero differre nisi formaliter siue essentialiter; quod in anima rationali manifestè falsum conuincitur. Quod si assumatur, Angelum esse ita simplicem, vt nec admittat compositionem rationis, ex natura & differentia indiuiduante, petitur principium, & falsum assumitur ex dictis dub. 4. III. Quod cum Angelus sit forma abstracta, & per se subsistens, necessario habeat totam perfectionem possibilem suæ speciei, non solum essentialem, sed etiam indiuidualem, quod nulla ratione potest probari; & argumento item animæ rationalis falsum conuincitur. Quare etiam S. Thomas cit. opusc. 16. §. vlt. contra Auerroem ait: *Valdè ruditer argumentatur, ad ostendendum, quod Deus facere non posset, quod sint multi intellectus eiusdem speciei, credendo hoc implicare contradictionem.*

Assertio IV. Sed & verius est, etiam secundum 21
Dei potentiam ordinariam, & consentaneam naturis rerum, fieri posse, vt Angeli inter se solo numero differant. Ita docent Alensis, Albertus, Richardus, Bonauentura, Scotus, Durandus, Aureolus, Argentina, Gabriel, Carthusianus, Marsilius, Gregorius de Valentia. Suarez, Vasquez locis citatis, & ex Thomistis Ferrariensis; contra Ægidium, Heruæum, Capreolum, Caietanum, & vt apparet, contra S. Thomam hic q. 51. art. 4. & Thomistas recentiores ibidem. Hæc assertio optimè probatur à Scoto, Durando, & Suarez cit. cap. 15. à num. 6.

Ratio breuiter est. Quia supponitur ex parte re- 22
rum aliarum, nullam esse repugnantiam, quo minus reipsa sint plures Angeli: sicut aliquo modo natura rerum respuit plures soles, ne nimio ardore omnia tabescant, &c. Sed nec ex parte ipsorum Angelorum vllam esse repugnantiam, ita probatur. Si enim in Angelis secundum suam naturam spectatis est possibile principium substantiale intrinsecum, quo inter se solo numero distinguantur, tunc etiam secundum potentiam Dei ordinariam, & consentaneè ipsorum naturæ, possunt solo numero distingui, vti videtur ex terminis constare: sed verum est antecedens. Minor hæc probatur. Quia non possent etiam

secun-

secundum absolutam Dei potentiam, inter se solo numero distingui, nisi possibile esset in illis principium eiusmodi distinctiuum substantiale & intrinsecum: sicut nec per absolutam Dei potentiam esse possent, nisi per se ac sua natura essent possibiles. Nihil enim potest ab altero numero differre, nisi per substantiale & intrinsecum principium distinctiuum; veluti per causam formalem intrinsecam; quam Deus supplere non potest, dando scilicet effectum formalem intrinsecum, sine causa formali intrinseca: & aperte impossibile est, vt natura aliqua per aliquid supernaturale seu præternaturale substantiali numero differat ab altero; quia hoc ipso quod supernaturale aut præternaturale est, non potest esse nisi accidentale rei, supponens ipsam rei substantiam; Ergo impossibile est, vt per hoc substantialiter, adeoque numero substantiali ab alio differat. Ergo cum per absolutam potentiam Angeli solo numero differre possint, necessario præsupponitur in ipsis principium eiusmodi distinctiuum substantiale intrinsecum, non quidem actu existens, sed possibile.

23 Et confirmatur assertio. Quia si Deus ipsa simul crearet duos Angelos, tunc tam naturalis esset creatio utriusque Angeli, quam vniuscuiusque illorum; & vniuscuiusque illorum creatio, tam esset naturalis, quam si solus crearetur; non enim maior esse potest ratio, cur creatio vnius potius esset naturalis, quam alterius; nec idcirco in altero, vel vtroque illorum plus minusue; aut quicquam supra, aut præter naturam illorum esset faciendum à Deo. In quem sensum rectè etiam dixit Durandus loco citato, numero quinto. *Quando effectus dependet solum ex vna causa, tota possibilitas vel impossibilitas illius effectus dependet ex conditione & possibilitate causæ. Entitas autem Angelorum, & per consequens vnitas, & pluralitas, immediatè & solum dependet à causa prima. Et ideo tota possibilitas vnitatis & pluralitatis Angelorum in vna specie arguenda est ex natura potentiæ diuinæ. Potentia autem diuina se extendit ad omne illud, quod non implicat contradictionem.*

24 Assertio V. Valde etiam probabile est, reipsa Angelos quosdam solo numero inter se differre. Ita habet communior Scholasticorum sententia; quam tuentur Alensis, Albertus, Bonauentura, Scotus, Gabriel, Durandus, Marsilius, Aureolus, & ex recentioribus Gregorius de Valentia, Molina, Suarez locis citatis; nec dissentit Vasquez, etsi rem dubiam & incertam esse pronuntiet. Contrarium tamen sentiunt cum Sancto Thoma, Capreolus, Heruæus, Caietanus, & omnes Thomistæ locis citatis, excepto Ferrariensi loc. cit. dum ait, *Fortasse de facto sunt in vna specie plures; licet nobis causa distinctionis illorum non sit manifesta.*

25 Probatur assertio. Tum quia multi SS. Patres apertè ita sentiunt, vt vidimus; neque negant alij. Tum quia supposita possibilitate iam antea probata, conuenientius id erat; non solum ex parte Dei, vt in sua aula haberet plures ministros eiusdem ordinis & conditionis: sed etiam ex parte ipsorum Angelorum, vt haberent singuli plures suæ speciei, cum quibus maiori quadam familiaritate & societate coniungerentur; imo etiam ex parte vniuersi, ad cuius pulchritudinem maiorem spectat, esse plura in qualibet specie individua, præsertim si ea essent sempiterna; & per se à Deo intenta, vt de Angelis, præsertim electis, dubitare non licet, ex Sancto Thoma 1. p. quæst. 23. articulo 7. Tum quia multi ex Angelis eidem officio in huius vniuersi gubernatione præsunt, vt videre est in custodia hominum singulorum; item in cœlorum motu, &c. quod ordinarie, & per se loquendo, multo fit conuenientius ab eiusdem speciei Angelis. Tum quia verius est, ex corporibus etiam cœlestibus quædam solo numero differre, vt dicetur disp. seq. & ex parte etiam agnoscit Suarez cit. cap. 15. num. 19. Tum quia non erat conueniens, vt tot species Angelicæ perirent & damnarentur, quot Angeli ceciderunt: imo magis consentaneum erat bonitati diuinæ, & perfectioni totius chori beatorum, vt ex singulis speciebus aliqui saluarentur. Denique multitudo individuorum eiusdem speciei non repugnat multiplicationi specificæ; poterat igitur Deus non obstante illa identitate specifica quorundam individuorum, nihilominus multiplicare species Angelorum suo arbitratu: idque vt faceret, ad pleniorem diuinæ potentiæ ac Maiestatis perfectionem pertinebat.

Nec verum est, multitudinem individuorum eiusdem speciei, solum esse propter bonum speciei conseruandum; vt videre est non solum in corporibus cœlestibus, sed etiam in ipsis hominibus, qui per se ad gloriam magno numero creati & electi sunt, iuxta S. Thomam cit. quæst. 23. a. 7. Ex quibus etiam patet solutio ad rationes in contrarium. 26

Assertio VI. Tametsi præcisè determinari nulla ratione possit, quinam, aut quot Angeli solo numero differant; aut quænam etiam, vel quot sint species Angelorum; probabilius tamen videtur, non solum tres Hierarchias, sed etiam ordines ipsos cuiusque hierarchiæ specie inter se differre. Ita docet S. Thomas hic cit. q. 50. a. 4. & tota eius schola ibidem; idem cum Magistro in 2. dist. 9. frequentius docent alij Theologi, speciatim Richardus a. 2. q. 4. Gabriel quæst. 1. art. 2. Alensis, Scotus, Durandus, locis cit. Suarez lib. 1, cap. 14. 27

Ratio est. Tum quia hoc significant nonnulli SS. Patres, speciatim Dionysius cap. 5. cœl. hierar. Gregorius Nazianzenus orat. 34. Chrysostomus homil. 2. de Incomprehens. Dei, & Isidorus lib. 1. de sum. bono capite 10. tametsi de hac re dubie loquantur idem Gregorius Nazianzenus orat. 40. de sanct. baptis. & Damascenus libro 2. cap. 3. Tum quia alias explicari non ita facilè posset, quomodo secundum proportionem naturalis perfectionis, dona gratiæ & gloriæ inter Angelos fuissent distributa; cum sola individualis perfectionis diuersitas in hominibus hac in re non attendatur. Tum quia supposita possibilitate distinctionis specificæ, ad maiorem perfectionem vniuersi spectabat, eam reipsa inter Angelos existere; nec verò ea distinctio vllis maiori ratione tribuitur, quam qui aliundè tanto inter se interuallo dissidere noscuntur. 28

Assertio VII. Sed & probabilius est, non omnes etiam eiusdem ordinis Angelos esse eiusdem speciei infimæ. Ita cum Sancto Thoma & Thomistarum Schola Henricus quodlib. 7. q. 8. Carthusianus in 2. dist. 9. q. 5. Suarez cit. cap. 14. num. 13. & sauet Richardus in 2. dist. 9. a. 2. quæst. 4. Ratio est, 29

Quia

Quia cum sint tot species rerum inferiorum, non est verisimile, nouem tantum species in supremo gradu naturæ intelligentis & incorporeæ, multo magis ad perfectionem vniuersi spectante, & à Deo authore vniuersi inprimis intento, fuisse productas. Accedit, quod etiam Dionysius cap. 10. cœl. hierarch. in vnoquoque ordine distinxit insuper tres quasi classes Angelorum, nimirum primos, medios, & infimos: quanquam neque ad hunc præcisè numerum contrahenda videtur distinctio specifica Angelorum, vt benè Suarez num. 14. ob dictam superius rationem.

30 Atque ex his colligitur primò, naturam Angeli continere sub se non tantum plures species infimas, sed etiam species plures subalternas, seu genera media, in quibus Angeli eiusdem v.g. hierarchiæ, vel etiam ordinis, immediatè conueniant, & per quæ simul etiam distinguantur ab Angelis alterius hierarchiæ vel ordinis, vt cum Henrico cit. quodlib. 7. q. 8. Alensi 2. p. q. 20. memb. 6. art. 1. Vdalrico libro 4. sum. docet Suarez cap. 14. num. 8. & fauet nonnihil S. Thomas q. 108. & quæst. 50. artic. 4. ad 1. item Richardus in 2. dist. 9. art. 2. q. 4. & Marsilius in 2. q. 3. a. 1. & alij cum Magistro in 2 dist. 9. etsi contrarium sentiant Albertus in tract. de quatuor cœtus 1. p. q. 5. art. 22. & in sum. 2. p. tract. 2. q. 8. item author opusc 42. apud S. Thomam cap. 5. Durandus in 2. dist. 3. q. 1. & ferè Ægidius in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 4. ac Bannes 1. p. q. 56. art. 2. dub. 2. Ratio est. Quia vti certa quædam conuenientia sub genere bruti arguit conuenientiam in certo genere seu specie subalterna, puta aquatilis, volatilis, vel terrestris; ita etiam de Angelis probabilius sentitur; cum præsertim compositio ex genere & differentia non sit realis, sed tantum rationis; ideoque facilè in quouis ente huius compositionis capace multiplicari possit.

31 Colligitur secundò, distinctionem hierarchiarum & ordinem, fundamentaliter quidem esse à natura, eaque ratione etiam ab initio, productionis fuisse in Angelis, & nunc permanere in dæmonibus: vt cum S. Thoma cit. q. 108. art. 4. & Alensi in 2. quæst. 20. m. 6. Magistro in 2. dist 9. communis habet Doctorum sententia: at verò completè & formaliter esse ex donis gratiæ, tum sanctificantis, tum etiam gratis datæ; per quæ accommodatè, & secundum proportionem ad ipsam naturæ cuiusque excellentiam, ad diuersos gradus officiorum, seu ministeriorum diuinitus fuerunt destinati. In quem sensum intelligi possunt quidam Patres hac de re dubiè loquentes. Vt Gregorius Nazianzenus orat. 40. de sanct. bapt. vbi dubitat, *vtrum præditi sint suæ ordinisq; ratione splendore, an potius pro diuinæ illuminationis modo; hunc vel illam sedem accipiat.* Et Damascenus lib. 2. cap. 3. dicit, *ordines differre in splendore diuino: siue pro splendoris portione sedes vnicuique constituta sit; siue contra pro sedis classisque sua discrimine splendoris participes sint, aliisque alios ob ordinis naturæque præstantiam illustrent, &c.* Ea verò destinatio executiuè & in actu secundo primum facta est, finita Angelorum via, incipiente iam statu gloriæ.

32 Neque ea distinctio quoad diuersas eiusmodi dignitates officiorum cessabit post diem iudicij, nisi quoad executionem actualem ministeriorum erga hoc vniuersum; & fortasse etiam quoad nouas illuminationes & reuelationes, vt docet S. Thomas q. 108. a. 7. Et quamuis ex hominibus prædestinatis assumantur à Deo, vel assumi possint aliqui, ad omnes Angelorum ordines, quoad gradum & statum gratiæ sanctificantis & gloriæ; non tamen vel quoad naturæ dignitatem, vti patet; neque quoad ministeria & officia, quę Angeli erga Ecclesiā seu vniuersum hoc obeunt, iuxta ea, quæ de hac re docet S. Thomas quæst. 108. art. 8. & pluribus persequitur Suarez cap. 14. à num. 15.

DVBIVM VI.

De multitudine Angelorum; & specialim de septem Angelis, qui astare dicuntur coram Deo.

S. Thomas 1. p. q. 50. a. 3.

SErmo est de multitudine numerica Angelorum vniuersim; siue ij simul etiam inter se specie differant, siue non; de qua re actum dubio præcedenti. Ea verò multitudo considerari potest, aut absolutè & secundum se; aut comparatè, siue per comparationem ad res alias. De vtroque breuiter agendum. 1

Assertio I. Numerus certus Angelorum absolutè & in particulari definiri nullo modo potest. Ita communis omnium Theologorum cum S. Thoma hic quæst. 50. a. 3. & Magistro in 2. dist. 9. quicquid nonnulli definitè dixerint, esse centum, vel trecenta, aut sexcenta millia millium, vt refertur in notatione quadam marginali apud Ægidium in 2. dist. 3. q. 2. a. 2. dub. 3. & quicquid etiam Aristoteles (de quo plura assert. seq.) dixerit. Ratio est. Quia nullum planè est principium, ex quo vel probabili etiam ratione deducatur definitus eiusmodi Angelorum numerus: cum Angeli neque propter cœlorum motus solum, aut primario creati sint; neque ex Scriptura, aut Patribus, aut alia quauis ratione quicquam definitè colligi possit. Licet enim Scriptura ministrorum Dei, siue cœlestium Spirituum, & Angelorum numerum aliquem determinatum subinde videatur assignare; tamen sub eo nec malos spiritus comprehendit; nec eundem semper determinatum numerum bonorum Spirituum assignat, sed varium; vt vel hinc manifestum sit, numerum certum pro incerto positum fuisse, vt magis patebit assert. seq. 2

Assertio II. Est tamen numerus Angelorum planè ingens & secundum æstimationem humanam, quasi innumerus. Ita Theologi omnes locis citatis, contra Aristotelem, lib. 12. Metaph. cap. 7. & 8. vbi docet, Intelligentias solum esse quadraginta septem, pro numero orbium cœlestium; quam sententiam secutus est etiam Rabbi Moyses, vt refert S. Thomas quæst. 50. art. 3. Sed & Auicenna apud Baconem in 2. d. 11. penitus negasse fertur multitudinem Angelorum. Sed patet assertio ex Scriptura ac SS. Patribus. Iob. 25. v. 3. iuxta communem & planam interpretationem de Angelis dicitur: *Nunquid est numerus militum eius?* Daniel 7. v. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Apocal. 5. v. 11. *Et erat numerus eorum mil-* 3

lia mil-

lia millium. Matth. 26. v. 53. *Exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones Angelorum.* Quibus locis de Angelis solum bonis sermo est; quibus si mali adijciantur, necessario augebitur numerus.

4 Ex Patribus Sanctus Dionysius cap. 14. cœl. hierarch. cum dixisset, *ordines cœlestium naturarum* (nempe Angelorum) *à nobis numerari non posse*; subiungit: *Multi enim sunt beati cœlestium mentium exercitus, qui infirmum & contractum numerorum corporeorum, quibus vtimur, modum superant & transeunt, atque scienter definiuntur à sola earum summa cœlestique intelligentia, ac scientia.* Vbi proinde sermo est de numeris naturalibus siue corporeis, non ex parte rerũ numeratarum, sed ex parte hominum numerantium, vt rectè notauit Vasquez disputatione 180. capite 2. & benè defendit Suarez lib. 1. cap. 11. cont. Ripam. Eodem modo Angelorum numerum esse quodammodo respectu nostri infinitum, aut innumerabilem, docent Irenæus lib. 2 c. 6. Gregorius Nyssenus lib. de hominis opific. c. 17. Gregorius lib. 17. Moral. c. 9. vel 7. Anselmus in Apocal. 5.

5 Quibus accedit optima ratio S. Thomæ cit. q. 50. art. 3. Ad perfectionem enim totius vniuersi pertinet, vt quo substantiæ quæque sunt perfectiores, eò maiori in excessu sint à Deo creatæ; siue excessus ille sit secundum magnitudinem corpoream, vt in corporibus cœlestibus accidit; *quæ incomparabiliter quasi secundum magnitudinem excedunt corpora inferiora & corruptibilia; cum tota sphæra activorum & passivorum, siue corruptibilium corporũ, sit aliquid duntaxat modicum respectu corporum cœlestium:* siue sit excessus secundum numerum seu multitudinem, loquendo de substantijs incorporeis; quæ cum sint incapaces corporeæ extensionis & magnitudinis, necesse est, vt earum excessus in multitudine cernatur. Cum ergo Angeli sint substantiæ immateriales, quæ toto genere superãt res corporeas, rectè colligitur, eas maximo numero esse creatas; ita vt secundum multitudinem excedant substantias materiales quasi incomparabiliter. Quam rationem velut optimam congruentiam contra Durandum rectè defendit Caietanus eod. artic. 3. & Gregorius de Valentia quæst. 1. punct. 3.

Sed & Aristotelem in meliorem partem explicant & defendunt Eugubinus lib. 4. perenn. Phil. Suarez disp. Metaph. 35. sec. 1. Vasquez disp. 180. c. 1. vt nimirum eo loco solum locutus sit Aristoteles de Intelligentijs motricibus; cum tamen idem Aristoteles lib. 1. de cœlo cap. 9. text. 09. dicat, extra cœlum seu supra verticem illius, esse substantias separatas, beatam vitam degentes.

6 Assertio III. Absolutè maior est Angelorum etiam bonorum numerus, quam hominum. Ita docent S. Thomas cit. a. 3. Caietanus, & Thomistæ ibidem, Gregorius de Valentia quæst. 1. punct. 3. & ex probabiliori Vasquez disp. 180. cap. 3. & Suarez hic lib. 1. cap. 11. etsi nihil de hac re definire velit. Molina cit. a. 3. disput. vn. vti reuera res parum certa est; & verò absolutè contrarium tradunt Magister in 2. dist. 11. Durandus in 2. dist. 3. quæst. 4. ad 1. qui putant, maiorem esse numerum hominum, quam Angelorum. Quod etiam necessario sentit Guilielmus Parisiensis, tract. 3. de vniu. part. secundæ partis à capite 64. vbi prolixè nititur probare, in gloria futurum esse æqualem numerum & hominum, & Angelorum; quod etiam dicit Sanctus Gregorius homil. 34. in Euang. & veluti pro certo supponit Magister loc. cit. Hinc enim necessario sequitur, absolutè maiorem esse hominum, quam Angelorũ numerum: siquidem mali Angeli longè pauciores sunt, quam boni; è contrario homines reprobi multo plures quam prædestinati. Si ergo de cætero æqualis erit numerus hominum & Angelorum in gloria, necessario sequitur, absolutè multò maiorem esse numerum hominũ quàm Angelorũ, vt argumentatur etiam Magister loco citato. Huc etiam spectant alij, quos Athanasius in quæstione ad Antiochum quæstione secunda refert sensisse, homines & Angelos futuros esse multitudine æquales: quod tamen absque omni fundamento dicitur.

Probatur assertio. Tum quia Luc. 15. humanum 7
genus vniuersum per Christum reparandum, comparatur tum oui centesimæ, quæ reliquis nonaginta nouem in deserto relictis (per quas SS. Patres communiter Angelos intelligunt) studio pastoris denuò aggreganda sit: tum drachmæ decimæ perditæ, quæ magno studio quæsita nouem reliquis sit adijcienda; id quod non tantum de multitudine hominum prædestinatorum, sed vniuersim de toto humano genere, omnibusq; adeò hominibus intelligendum: siquidem non solum prædestinati, sed omnes homines vniuersim per Christum redempti, & quantum ex parte Dei est, reparati fuerunt.

Quare fuerunt etiam nonnulli, vt refert Athana- 8
sius in quæstionibus ad Antiochum q. 2. qui priori parabola inducti dixerunt, *Angelorum numerum nonaginta nouem partibus excedere numerum hominum.* Id quod etiam indicat Ambrosius lib. 10. in Lucam, ad cap. 15. vbi ait: *Diues Pater, cuius nos centesima portio sumus, habet Angelorum, Archangelorum, aliorumque innumerabiles greges.* Sed hoc non est firmum, vt mox ex subiuncta parabola drachmæ perditæ patet; quare non est vis facienda in determinato certi alicuius numeri excessu; sed absolutè in excessu numeri: ita vt hominum multitudo se habeat ad numerum Angelorum, velut vnum ad multa, quibus vnum deest. In quem sensum Augustinus l. 85. q. 65. ait: *Variari per breuitatem, vel magnitudinem numeri possunt, quibus vnum deest, vt perficiantur.*

Ratio pro eadem assertione petitur, tum ex 9
congruentia Sancti Thomæ pro assertione præcedenti allata; tum ex alio duplici capite. Primo, quia iuxta veriorem sententiam Sancti Thomæ in 1. distinct. 39. quæst. 2. art. 2. ad 4. absolutè maior est numerus prædestinatorum, quam reproborum, vt suo loco dictum: & probabile censet Sanctus Thomas ibidem, plures esse solos Angelos beatos, quam sint omnes damnati simul: Ergo cum incomparabiliter sit maior numerus reproborum, quam prædestinatorum hominum; necesse est, vt Angeli sancti incomparabiliter plures sint, quam homines prædestinati, adeoque etiam, vt numerus Angelorum numerum omnium hominum superet. Secundò, quia singuli homines simul viuentes habent suum proprium Angelum: ergo saltem tot sunt Angeli infimi chori, quot homines simul viuentes. Et quia iuxta discursum Sancti Thomæ

verifi-

verisimile est, tanto magis in vnoquoque ordine multiplicari Angelorum numerum, quanto ordo ipse altior & præstantior est, sequitur, Angelorum numerum facilè, imo plus trigecuplo maiorem esse, quam sit numerus hominum simul viuentium; quod adiunctis simul malis Angelis, sufficere etiam videri posset, ad hoc, vt absolutè sit maior Angelorum, quam hominum numerus.

10 Sed addendum est; quod vt communiter sentiunt Theologi, verisimilius est, vnum & eundem Angelum, nec diuerso quidem tempore ad custodiam plurium hominum deputari; sed singulis quibusque hominibus, quouis tempore viuentibus, aut victuris, semper alios & alios Angelos custodes præfici: ne vbi par est personarum conditio, dispar sit, absque causa, onerum quasi partitio. Quo posito, habita ratione aliorum ordinum, Angelorum numerus hominum multitudinem necessario magno interuallo superat.

11 His accedit, quod B. Brigittæ reuelatum fuit, adeò maiorem esse numerum Angelorum, quam hominum, vt vnicuique decem possint in custodiam designari, vt refert Dionysius Carthusianus super Dionys. de cœl. Hierarch. cap. 14. & Vasquez citat. disp. 180. cap. 3. qui rectè addit, multum deferendum esse sanctitati, adeoq; & reuelationibus B. Brigittæ. Quæ tamen ipsa reuelatio si intelligatur, non de hominibus tantum simul, & eodem tempore viuentibus, sed omnibus absolutè, consequenter dicendum erit, aut ex hominibus non totam ruinam Angelorum reparandam (quod quidem etiam pro incomperto habet Suarez cap. 11. num. 7.) aut quod verius est, locum Apocal. 12. v. 4. de dracone *trahente secum tertiam partem stellarum*, non loqui de tertia parte Angelorum lapsa; sed potius de tertia parte iustorum sub Antichristi persecutionem defectura, vt cum Viega in eum locum rectè Vasquez & Suarez locis citatis. Quanquam etiamsi de casu Angelorum sermo esset, non tamen foret necesse, præcisè ac definitè tertiam partem intelligi; sed indefinitè magnam partem, vt ostendit Viegas ibidem.

12 Ex quo etiam satisfit alteri cuidam obiectioni; cum ex eodem loco Apocal. deducitur, hoc ipso, quod Angelorum lapsorum numerus non nisi triplo sit minor, quam bonorum Angelorum; & verò reproborum hominum, facilè decuplo sit maior numerus, quam prædestinatorum; neque tamen hominum prædestinatorum, minor sit numerus, quam Angelorum malorum; adeoque non nisi triplo minor, quam Angelorum bonorum; consequens esse, vt maior absolutè sit hominum, quam Angelorum numerus. Respondetur enim ex dictis, locum citatum Apocal. non intelligi præcisè de tertia parte Angelorum lapsa; quo posito, ruit tota argumentatio, vt benè Vasquez & Suarez locis citatis.

13 Assertio IV. Probabile est etiam, numerum Angelorum superare numerum omnium specierum, quæ in substantijs corporeis & materialib⁹ cernuntur, imò etiam numerum omnium perfectorum indiuiduorum substantiæ corporeæ, saltem eorum, quæ simul existunt, & per se ac ipsa quodammodo rerum natura exigente, inter se diuisa & distincta sunt. Hæc est sententia S. Thomæ quæst. 50 art. 3. vbi concludit, vt vidimus, *quod substantiæ immateriales excedunt secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter.*

Quam doctrinam quidam sic accipiunt, vt existiment, etiam procedere de numero omnium omninò indiuiduorum corporalium, simul aut successiuè existentium, etiam arenarum maris, aut granorum milij, siue papaueris, &c. quod tamen videtur incredibile, vt bene censent Molina & Suarez, ac Thomistæ recentiores communiter locis citatis. Alij in quibus Linconiensis in cap. 14. Dionysij, id asserunt de numero omnium indiuiduorum corporalium, simul in vnoquoque tempore existentium: quod tamen itidem ad numerum arenæ maris, & granorum milij, ac similium relatum, nimis multum est. Alij, in quibus Bannes ibidem, nimium restringunt, vt nec intelligatur quidem de omnibus planè naturis specificis, sed de illis duntaxat, quæ sunt partes primariæ vniuersi: quod nimis parum est, vt benè Suarez; cum præter Angelos, qui præsunt singulis rerum speciebus, sint alij innumeri præsides & custodes Prouinciarum, Ciuitatum, hominum; præter alios superiorum ordinum innumeros, qui per seipsos hæc inferiora non administrant, vt dictum dub. præced. & magis patebit quæst. 6. Quare etiam Gregorius de Valentia quæst. 1. punct. 3. certum esse pronunciat, maiorem esse multitudinem Angelorum, *quam rerum omnium corporalium, saltem secundum speciem.* 14

Communis igitur & vera interpretatio S. Thomæ est, vt dictum illud inprimis intelligatur de omnibus omninò speciebus rerum corporearum, vt docent Caietanus & Thomistæ recentiores communiter eodem art. 3. Molina ibidem, Ferrariensis libro 2. cont. gent. cap. 2. Gregorius de Valentia cit. quæst. 1. punct. 3. Vasquez loc. cit. Suarez cap. 11. num. 14. Eodemque modo interpretari seipsum videtur S. Thomas lib. 2. cont. gent. cap. 92. vbi ratione quarta vniuersalem doctrinam, de tota multitudine rerum materialium, definitè accommodat ad species rerum materialium: sicut etiam quæst. 6. de potent. art. 6. ratione 1. solum concludit, *quod substantiæ incorporeæ omnem multitudinem specierum materialium transcendunt.* Ratio patebit ex altera parte assertionis. 15

Quæ sumitur ex eodem S. Thoma tum cit. q. 50. artic. 3. vbi absolutè de multitudine rerum materialium loquitur. Quo modo etiam eadem 1. part. q. 112. art. 4. ad 2. cum iuxta sensum primæ partis assertionis dixisset, *naturas incorporeas superare naturas corporeas*, subiungit: *Nec hoc pro tanto dicitur, quod tantus solum sit Angelorum numerus; sed multo maior: quia omnem materialem multitudinem excedit.* 16

In quem fere sensum etiam Suarez cit. cap. 11. num. 16. ait, credibile esse, numerum Angelorum excedere numerum etiam indiuiduorum corporalium, saltem eorum, quæ non omnino per accidens, nimirum per solam diuisionem quantitatis continuæ, in rebus homogeneis, vt sunt elementa, mixtaque omnia non viuentia, multiplicantur. Vbi loquitur etiam de omnibus successiuè existentibus, exceptis tamè indiuiduis speciei humanæ, propter animarum nobilitatem & permanentiam; siquidem, vt vidimus, quidam existimant, solum etiam homi- 17

num.

num numerum aut æqualem, aut maiorem esse numero Angelorum. Sed tum propter hanc ipsam causam, ne fiat exceptio eius speciei, cum qua vel maximè debet comparari; tum vt comparatio fiat intra latitudinem rerum simul existentium; siquidem mundus ex sola duratione aut successione indiuiduorum vndiquaque corruptibilium non acquirit maiorem perfectionem; sed perfectio eius constat & desumitur ex perfectione rerum simul coexistentium; idcirco conuenientius existimaui, eam assertionis partem restringere ad omnia & sola indiuidua perfecta simul existentia, quæ per se, & ipsa quodammodo natura rerum postulante, inter se diuisa ac distincta existunt; vt est multitudo omnium hominum simul viuentium, omnium item brutorum & bestiarum, seu animalium irrationalium; omnium arborum & plantarum, omnium vnionum seu gemmarum, &c. simul existentium: non autem omnium animarum rationalium, quæ ad finem vsque mundi existent; nec omnium seminum seu granorum milij; aut papaueris; siue etiam fructuum; quia hæc non sunt indiuidua perfecta substantiæ; sed imperfecta; nec omnium arenarum, aut lapidum; quæ sola discontinuatione continui quasi per accidens multiplicantur.

18 Quo sensu vtraque pars assertionis probatur: tum quia iuxta Sanctos Patres, numerus Angelorum est quodammodo infinitus & innumerabilis; tum quia hoc postulat proportionata perfectio vniuersi, & analogia substantiarum, ex quibus vniuersum constat, inter se comparatarum, vt assertione secunda in ratione Sancti Thomæ retulimus. Denique hoc modo facile defenditur, & maiorem esse numerum Angelorum, quam hominum simul vel successiue existentium; quod alias, si multitudo Angelorum solum compararetur cum multitudine specierum rerum materialium, difficulter posset defendi: siquidem verisimile est, maiorem absolutè omnium hominum, quam omnium specierum materialium numerum esse.

19 Cæterum contra totam hanc doctrinam, qua tantam multitudinem Angelorum, præsertim superioris alicuius hierarchiæ constituimus, obijci potest, quod in scriptura septem tantum Angelorum fit mentio, qui, vt apparet, ex suo ordinario munere perpetuo coram Deo assistant, & nihilominus tamen extraordinariè saltem aliquando à Deo ad alia ministeria obeunda dimittantur. Ita enim Tob. 12. v. 15. loquitur Raphael: *Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Et Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* Et ibidem cap. 8. v. 2. *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: & datæ sunt illis septem tubæ.* Et cap. 15. v. 1. *Et vidi aliud signum in cœlo, magnum & mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem nouissimas.* Et cap. 16. v. 1. *Et audiui vocem magnam de templo, dicentem septem Angelis: Ite & effundite septem phialas iræ Dei in terram.* Et cap. 17 versu 1. *Et venit vnus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ.*

20 Respondeo, de septem his Angelis, qui & quales sint, vtrum tantum sint septem; aut cur omnino sint, vel dicatur septem, rem plane incertam esse; & nihilominus in omni sententia illud certũ, quod ad præsẽs institutũ attinet, quales quales, & ex quocunque demum ordine vel hierarchia sint septem illi Angeli, præter eos adhuc esse alios innumeros, eiusdem hierarchiæ & ordinis, si quidem illi definitè numero septenario circumscribantur, vt patebit ex varia explicatione eius septenarij. Primò enim sunt nonnulli, qui existimant non designari præcisè ea appellatione numerum septenarium, sed hoc nomine iuxta phrasin Scripturæ, significari vniuersitatem, vt vniuersim docet Sanctus Gregorius homil. 25. in Euang & libro primo Moral. capite sexto vel vndecimo. Sed cum tam signanter, præcisè, ac toties septenarij huius numeri in Scriptura fiat mentio, verius est, eum numerum definitè aliquo modo intelligendum, vt docet Ribera & Viegas citat. Apocal. 1. Vasquez disputatione 180. capite primo, Suarez hic libro sexto capite decimo, numero 31. Quod dudum etiam docuit Clemens Alexandrinus libro 6. Strom. vbi ait: *Septem quidem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti (siue præcipui) Angelorum Principes.*

Secundo dici potest, vocalem *septem* definitè accipi, si non ex parte ipsius rei denominatæ, puta ipsorum Angelorum; certè tamen ex parte eius rei, quæ quadam allusione connotatur, & à qua sumitur denominatio. Quod rursum variè explicari potest. Vno modo ita, vt quia in Persica olim Monarchia siue regimine, septem præcipui Consiliarij seu Magnates Regi proximi celebrari solebant, vt patet Esdræ 1. cap. 7. versu 14. & libro 3. cap. 8. v. 12. & Esther 1. versu 10. ideo etiam quadam allusione seu imitatione, præcipui quidam Angelorum Deo assistentium, à numero septenario denominentur; etiamsi reipsa non sint præcisè septem, sed multo plures. Perinde ac si Magnates Rempub. aliquam regentes imitatione quadam Reip. Romanorum dicantur Septemuiri, ac Triumuiri; etiamsi reipsa plures aut pauciores essent. Refert hanc sententiam inter alias etiam Serrarius in cap. 12. Iob. à q. 7. 21

Sed nec hoc probatur. Primum enim constitutos à Deo ad imitationem regiminis Persici fuisse septem eiusmodi Angelos, dici nequaquam potest: cum designatio & distributio illa Angelorum vtiq; fit prior, regimine & Monarchia Persica. Allusione verò quadam ita solum appellatos non esse, ex eo probatur, quia tempore Tobiæ, nondum existebat Persarum Monarchia; Assyrijs eo tempore imperantibus, vt ex primo cap. Tob. colligitur. Tempore vero S. Ioannis ea iam desierat, Romanis dudum imperantibus: & valde mirum esset, si à Regimine Persarum pro tempore parum celebri, nec vel ad Iudæos, vel ad Christianos magnoperè attinente, quadam imitatione seu allusione, ea denominatio fuisset desumpta. Maiori ratione denominatio illa à S. Ioanne desumpta dici posset à Septemuiris Romanis: sed quia & hoc loco Tobiæ accomodari nullo modo potest; & parum etiam aptè congruit locis illis S Ioannis; quandoquidem Septemuirũ Romanorum officium non erat assistere Regi, siue Cæsari: ideò nec hoc probari potest.

Alio modo explicari id posset, per consignificationem septem distinctorum numerorum, quibus in 22

terra obeundis seu procurandis totidem, aut plures etiam Angeli diuina ordinatione sint destinati: siue quod nimirum illi septem peculiaria attributa Dei; quæ in gubernatione diuina inprimis eluceſcunt, vario operationum seu ministeriorum genere singulariter orbi demonstrãt; vti quidem eorum gesta & nomina ex parte præ se ferunt; siquidem Michael, hoc est, (*Quis vt Deus*) infinitam Maiestatem Dei, in debellando diabolo, & protegenda Ecclesia; Gabriel (*Fortitudo Dei*) diuinam potentiam in Mysterio Incarnationis ostendendam; Raphael (*Medicina Dei*) bonitatem & beneficentiam seu misericordiam Dei erga afflictos, & nomine, & actis suis aptè repræsentarunt. Et similia dici possent de alijs, nisi eorum nomina essent incognita, vt dicemus. Siue quia septem virtutibus præcipuis, tribus scilicet Theologicis, & quatuor Cardinalibus, inter homines promouendis specialem nauant operam. Et vtraque hæc explicatio refertur etiam à Serrario, nec displicet: præsertim quia facilè ambæ coniungi possunt.

23 Tertiò dici posset, eo septenario designari determinatè septem Angelos, qui septem diuersis ac præcipuis plagis, seu partibus totius mundi regendis præsunt. Sed nec hoc rectè defendi potest. Quia si trium istorum, è septem, officia & acta, nobis ex Scriptura, & sensu Ecclesiæ cognita, expenderimus, facilè deprehendemus, eiusmodi distributionem partium diuersarum mundi in illos non quadrare. Nam & Michael honoratur vt Princeps Synagogę, & Ecclesiæ vbiuis gentium constitutæ, vt colligitur ex Daniel. 10. & officio Angelorum. Idem Michael vna cum Gabriele in eadem Babylonia Danielem de futuris edocebat. Daniel. 8. 9. 10. Rursum Gabriel & in Babylonia Danieli cap. 8. & in Iudæa B. Virgini aderat. Raphael in Assyria non toti Regno aut Prouinciæ præerat; sed paucis priuatis hominibus opem laturus mittebatur. Ergo ex diuersitate locorum seu partium mundi, quibus Angeli illi præsint, non potest sumi hęc denominatio aut distinctio numeri septenarij.

24 Quarto Vasquez cit. disput. 80. cap. 1. cum alijs nonnullis recentioribus septem hos Angelos iuxta Apocal. 1. & 8. dicit, esse septem Angelos, qui veluti Principes vniuersæ terræ præfecti sint; & qui, cum ipsis sit cura vniuersi orbis demandata, nihilominus semper ante Deum assistant, & faciem illius intueantur. *Hos ergo septem Spiritus*, inquit Vasquez, *curam habentes vniuersi orbis se vidisse Ioannes testatur, Apocal. 8. illis verbis, Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei. Eorundem facit mentionem cap. 15. 16. & 17. Denique cap. 1. de ipsis ait, Et à septem Spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* Sed & hæc sententia difficultatem habet; non solum quod, vt inquit Suarez, in Scriptura non inuenitur, vocatos esse Principes, nec illis esse curam orbis demandatam; sed simpliciter esse septem Spiritus, *missos in omnem terram*, Apocal. 8. quodque ex cap. 15. & 16. potius colligitur, illos tantum esse ministrantes, & exequentes ea, quæ illis præcipiuntur; sed etiam quia Raphaelis functio non attinebat ad curam vniuersalem orbis terrarum. Accedit quod communiter creditur Sanctus Michael esse præses ordinarius totius Ecclesiæ Christianæ: hoc si ita est, quid præfecturæ relinquitur alijs?

Quinto igitur Suarez cit. lib. 6. cap. 10. numer. 25 33. ait: *Si in re adeò obscura coniectare licet, fortè in ordine Angelorum, qui ad custodiam hominum communiter deputantur, sunt aliqui septem, qui nunquam destinantur ad custodiendam peculiarem personam, sed expediti sunt & liberi à certo ministerio, vt ad extraordinaria negotia illi ordini proportionata mittantur: & ita ordinarium munus eorum solum esse assistere, & præsto esse, vt mittantur, & exequantur, quicquid eis iniunctum fuerit.* Sed quia obijci poterat, Michaelem esse vnum ex superiori Angelorum ordine, subiungit ibidem Suarez, *fortasse in quolibet ordine ministrantium Angelorum esse septem eiusmodi Angelos*, ad id officij destinatos; quod colligit etiam ex Apocal. 15. & 16. Nam septem Angeli habentes phialas, destinati videntur à septem Angelis, quibus septem tubæ datæ sunt.

Sed nec hæc explicatio satisfacit: quia Sanctus 26 Michael, qui communiter solet primus inter septem numerari, non videtur destinatus ad extraordinaria negotia; siquidem creditur esse ordinarius Ecclesiæ præses & custos, vt dictum. Nisi quis velit dicere, per Michaelem non significari vnum tantum Angelum, sed esse nomen pluribus impositum, iuxta varias actiones & ministeria, ex quibus tale nomen sumptum est, vt colligi videtur ex Hieronymo in cap. 18. Daniel. & refert Magister in 2. dist. 10. & ex instituto defendit Abulensis Iud. 13. q. 35. Quo posito, dici posset, esse quidem etiam Michaelem aliquem ex illis septem, sed non eum, qui est ordinarius præses Ecclesiæ; siquidem etiam Scriptura nusquam de Michaele asserit, esse vnum ex illis septem, qui astant coram Deo.

Equidem existimo, rem hanc omnem planè incer- 27 tam esse; & malim dicere, eo numero septenario designari inter Angelos septem officiorum seu officialium genera, vt circa secundam sententiam dictum in fine est; eademque non in vno aliquo solum ordine, sed in quolibet ordine ministrantium Angelorum, iuxta proprium cuiusque gradum, reperiri; siue functiones ex eo officio obeundæ sint ordinariæ, siuæ extraordinariæ. Tum quia incredibile videtur, Angelos eiusmodi solum ac præcisè septem esse. Tum quia hac ratione facilius conciliantur ea, quæ de septem his Angelis, partim in Scriptura referuntur, partim Ecclesiæ authoritate traduntur. Sed vt dictum res incerta est. Hoc solum addo, nomina eorum, præterquam trium, videlicet *Michaelis, Gabrielis, Raphaelis*, (fortè etiam *Vrielis*, quod legitur libro 4. Esdræ capite 4. & 6. & à quibusdam Sanctis est receptum) apocrypha esse, iuxta sententiam Bonifacij, & decretum Concilij Romani, ac Pontificis Zachariæ, apud Serrarium citato capite duodecimo Tobiæ quæstione vndecima, duodecima, decima quarta, & Abulensem in caput decimum tertium. Iud. quæst. 35. quamuis & cætera quoque in quibusdam Ecclesijs, vt in Reuelationibus nomine Beati Amadei legantur, atque insuper defendantur ab Antonio Duca in proprio loco.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

De loco, & motu locali Angelorum.

S. Thomas 1. p. q. 52. & 53.

1 *ABsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. An, & quomodo generatim Angelus sit in loco extrinseco. II. An habeat etiam aliquod vbi intrinsecum, & quale; & an etiam necessariò sit in loco. III Per quidnam formaliter sit in loco. IV. Vtrum Angelus simul possit esse in pluribus locis; an potius necessariò sit in vno tantum loco, & quidem sibi adæquato, certoue modo figurato. V. Vtrum plures Angeli simul esse possint in eodem loco etiam adæquato. VI. An & qua ratione generatim Angelus possit moueri localiter; & quidnam motus localis ei superaddat; aliquidne intrinsecum, an solam denominationem extrinsecam. VII. Vtrum Angelus possit moueri ab extremo ad extremum, seu quod idem est, ad locum distantem, sine transitu per medium. VIII. De velocitate motus Angelici: & specialim An & qua ratione Angelus moueri possit in instanti, maximè ad locum distantem.*

DVBIVM I.

An, & quo modo generatim Angelus sit in loco extrinseco.

S. Thom. 1. p. q. 52. a. 1.

2 REcte Sanct. Thomas, post naturam Angeli explicatam quæst. 50. & 51. mox q. 52. & 53. aggreditur tractationem de loco, motuque locali eiusdem, etiam ante tractationem de intellectu & voluntate Angeli, quia magis generalis, magisque necessaria rerum creatarum proprietas seu affectio est, esse in loco, & moueri posse localiter, quam velle aut intelligere. Quod vero ad præsens dubium spectat, vocatur locus extrinsecus, corpus aliquod, seu corporeus locus, cum quo Angelus per indistantiam simul est in eodem spatio: & præcipua quæstio est, vtrum Angelus sit in loco vere ac proprie. De intrinseco vero Vbi, quod itidem circa existentiam in loco considerari potest, agetur dubio sequenti.

3 Assertio I. Angelus potest esse, & est aliquo modo in loco. Ita communis & certa Theologorum sententia, cum Magistro in 1. distinct. 37. & lib. 2. dist. 2. & cum S. Thoma hic quæst. 52. artic. 1. & in 1. dist. 37. quæst. 3. artic. 1. vbi in contrarium refert Philosophos, qui dixerunt, *Intelligentias vel Angelos nullo modo esse in loco. Hæc autem opinio*, inquit Sanct. Thomas ibidem, *hæretica est.* Constat enim ex scriptura passim, Angelos in loco existere, & ex eo moueri, vt dicemus. Referri huc potest illud Apoc. 12. v. 8. *Neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.* Etsi iuxta veriorem explicationem Augustini homil. 9. in Apocal. item Bedæ, Anselmi, glossæ ordinariæ, & S. Thomæ ad literam, eo loco non describitur bellum inter Angelos bonos & malos, sed inter draconem & Ecclesiam; ita vt per locum intelligatur potestas in homines iuxta illud Eph. 4. v. 27. *Nolite locum dare diabolo.* Ratio est. Quia omne quod est, & vbique non est, sed hoc vniuerso continetur, definitur aliquo loco, vt pluribus dicetur assert. 7. Explicatione proinde & limitatione indiget, quod Boetius lib. de hebdom. apud S. Thomam hic cit. artic. 1. relatus, dixit, *Communem animi conceptionem apud sapientes esse, incorporalia in loco non esse*: nimirum in loco physico, iuxta assert. 4.

4 Assertio II. Angelus vere, & non solum abusiue est in loco. Ita ex communi & certa asserit Vasquez disputat. 187. cap. 1. vbi cum retulisset quorundam sententiam, Angelos vere & proprie loco corporeo secundum substantiam ptæsentes nunquam esse, sed abusiue; quod hoc tempore quosdam sensisse, testatur Mirandulanus Apolog. 1. de descens. anim. Christi ad inferos, & plane etiam ipsa sensit Heruæus tractat. de motu Angeli quæst. 1. artic. 1. & alii apud Durandum in 1. distin. 37. quæst. 1. num. 22. qui dixerunt, Angelum esse tantum in loco, eo modo, quo causa dicitur esse in effectu: subiungit Vasquez, *Cæterum Catholica sententia est, Angelos posse vere esse in loco secundum suam substantiam præsentes*; & oppositum affirmat, *hæreticum esse S. Thomas in 1. dist. 37. quæst. 1. artic. 1.* Ita Vasquez; qui pro eadem doctrina allegat omnes cæteros Scholasticos. Ratio est. Tum quia si Angeli non vere, sed solum abusiue sunt in loco, etiam non vere, sed solum abusiue mouebuntur loco; quod est absurdum.

5 Neque vel Augustinus, vel Sanctus Thomas vspiam dixerunt, Angelos solum esse abusiue in loco; sed ille quidem hoc asseruit de Deo in lib. 83. qq. q. 20. De Angelis vero libro 8. Genes. ad lit. capite vigesimo sexto ait: *Deum mouere creaturas corporales per tempus, & locum, spirituales autem per tempus, &c.* quasi non etiam mouearitur per locum: sed intelligit comparatè; locum mensurantem locatum, vt in corporibus accidit.

Sanctus Thomas verò in 1. sent. loco citato ad 1. ita loquitur: *Dicendum, quod locus est nomen mensuræ vnde esse in loco proprie significatur, vt esse in mensura;*

Digitized by Google

& sic nulli rei incorporeæ conuenit in loco esse, scilicet vt in loco: sed tamen alicui rei corporeæ conuenit esse in loco, non vt in loco, sed sicut operans in operato, vel sicut forma in materia. Vnde etiam Angelus localis dicitur non nisi secundum quid, in quantum scilicet habet aliquid simile rei locali, vt scilicet determinetur ad hunc locum potius, quam ad illum. Et itidem ad 2. ait: *quod esse in loco, vt in loco, non conuenit Angelo, nisi per accidens, in quantum scilicet corpus assumptum, vel corpus cui per operationem applicatur, in loco est.* Et ad 4. *Non reputo,* inquit, *inconueniens, quod Angelus sine loco esse possit, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet: nec est inconueniens, vt tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur.* Ita S. Thomas.

7 Quæ quidem fateor durius dicta esse, sed existimo tamen, S. Thomam in 1. parte citat. quæstion. 52. articu. 1. tacita quadam retractatione modum loquendi emendasse. Siquidem ibidem absolute pronunciat, *Dicendum, quod Angelo conuenit esse in loco.* Et rursum: *Per applicationem,* inquit, *virtutis Angelicæ ad aliquem locum quælitercunque, dicitur Angelus esse in loco corporeo.* Et quamuis ibidem quoque asserat, *aquiuocè dici Angelum esse in loco, & corpus;* non tamen negat, vtrique suo modo id vere conuenire: sicut etiam substantia & accidens est ens æquiuocè, (secundum analogiam) & tamen interim vtrumq; vere est ens. Porro Caietanus quæstion. 52. art. 1. ait quidem, Angelos non esse proprie in cœlo Empyreo, (quia in eo scilicet nihil ad extra operantur) sed abusiuè & metaphoricè; verum non negat interim, alibi vere esse in loco. Cætera quæ obiici possunt, solum probant, Angelum non esse in loco physico, seu Aristotelico, qui corporis naturalis proprius est, vt mox dicetur assert. 4.

8 Assertio III. Cum addito recte dici potest, Angelum existentem in hoc vniuerso proprie esse in loco extrinseco, & non tantum improprie, loquendo nimirum de loco late, prout dicit substantiam aliquam corpoream, in qua Angelus simul existat, seu cui Angelus secundum substantiam intime præsens sit. Colligitur ex Vasquez loc. cit. dum contra quosdam defendit, Angelum *vere esse in loco, & non abusiue,* seu vt ipsos loquentes retulerat, *non improprie tantum.* Si enim improprie solum in loco diceretur esse, abusiue tantum in loco esset. Eodem sensu Suarez hic lib. 4. cap. 1. num. 2. ait: *simpliciter dicendum esse, si per esse in loco tantum significetur esse realiter præsentem & indistantem ab aliquo loco, etiam corporali, sic omnino dicendum esse, Angelos posse esse in loco.* Et infra num. 5. ait: *Quia verba illa, secundum communem Ecclesiæ vsum, à scripturis desumptum, hanc habent significationem, quando de Angelis dicunt, esse alicubi, ideo assertio posita simpliciter vera & Catholica est.* Et cap. 2. num. 13. docet, Vbi Angelicum esse sub eodem genere vniuoco, cum Vbi corporeo; ac simul exemplo etiam temporis, aliorumque nominum probat, ea quamuis primo ad res corporeas significandas fuerint imposita, proprie tamen etiam de incorporeis dici: sicut etiam Sanctus Thomas 1. p. quæst. 67. articu. 1. ait: *nomen loci proprie in spiritualibus dici.*

9 Vnde sumitur ratio. Quia proprie esse in loco, generatim loquendo, recte dici potest, quod secundum suam substantiam ita est præsens siue indistans ab aliquo loco, vt non sit simul vbique; siue locus is sit physicus, & strictè acceptus, siue latè. Imo quamuis locus solum improprie dictus esset, tamen in eo proprie esse dici posset Angelus, per eandem indistantiam seu præsentiam substantiæ suæ: sicut aues proprie dici possunt esse in cœlo aereo; hoc est, in aëre, etiãsi aër improprie solum cœlum dicatur: nimirum vt vocula *proprie* appellet, *esse in,* non autem ipsum *locum,* &c. Et confirmatur. Nemo enim facilè negarit, corpus gloriosum in cœlis existens, proprie esse in loco; & tamen non est in loco Aristotelico; quia non est in superficie corporis, sed penetratiuè in ipso corpore. Contrarium tamen cum nonnullis asserit Gregorius de Valentia hic quæstione tertia punct. 3. sed plus non probat, quam Angelos non esse in loco commensuratiuè, seu in loco physico, ab Aristotele 4. Physic. definito; & fortè etiam, non esse in loco proprie simpliciter & absolutè loquendo, vti etiam Sanctum Thomam in primum sententiarum loquentem vidimus.

Assertio IV. Rectè tamen etiam dicitur, Angelum, respectu corporis, esse in loco extrinseco solum æquiuocè, siue analogicè. Ita Sanctus Thomas citat. prim. sent. & hic quæstione quinquagesima secunda articulo primo, & videtur communis. Ratio est. Tum quia sicut corpori solido, & ipsi superficiei nihil est commune vniuocum, ita etiam ratio loci extrinseci & corporei, solum analogicè communis videtur loco Angelico, & loco naturali seu physico corporum. Tum quia esse in loco, corporis, & Angeli, plurimum inter se differunt. 1. Quia corpus commensuratur & coextenditur loco, non Angelus. 2. Corpus habet situm in loco, non Angelus. 3. Corpus naturale continetur à loco etiam proprio, ratione superficiei ambientis; *Angelus* autem *seu substantia incorporea virtute contingens rem corpoream, continet eam, & (proprie) non continetur ab ea: sicut anima est in corpore, vt continens, & non vt contenta,* inquit Sanctus Thomas loco citato. Quod tamen ex parte ad modum loquendi pertinet; quia loquendo de loco communi, non malè dici potest, Angelum eo loco, puta cœlo, vel aëre, &c. contineri, quia reuera locus hic excedit præsentiam Angeli; vti etiam loquitur Alensis infrà citandus. 4. Locus naturalis corporis ad se quasi trahit & conseruat corpus; non locus Angeli Angelum. 5. Proinde corpus saltem corruptibile dependet quodammodo à loco, saltem ratione influxus cœlestis, qui in vacuo cessaret; Angelus per se nullo modo dependet à loco, sicut nec supremum cœlum.

Ex quibus differentijs, quod ad ipsam rationem loci attinet, prima, secunda, & tertia videtur magis formalis; quia in loco magis proprie est illud, quod commensuratur, continetur, & ambitur loco; quam illud, quod quasi penetratiuè & per intimam coexistentiam est in altero: quo fit, vt etiam corpus beati in cœlis existens minùs proprie sit in loco, saltem adæquato & proprio; non enim est in superficie ambiente, vt dictum. Eodemque sensu Damascenus libro primo de fide capite decimo septimo dixit, *Angelum intellectualis modo adesse loco, in quo esse*

11

dicitur:

dicitur: quia nimirum modo indiuisibili est in loco totus in toto, & totus in qualibet parte, vt benè Vasquez disput. 187. num. 5.

12 Assertio V. Angelus non est vbique, sed quisque proprio & certo loco definitur; ac proinde est in loco non quidem circumscriptiuè, sed definitiuè. Hęc assertio est communis, & certa contra Durandum in 1. dist. 37. part. 2. q. 1. & 2. qui vt benè expendit etiam Suarez hic lib. 4. c. 1. n. 9. planè significat, Angelum simul esse substantialiter (etiamsi Durandus illam *præsentiam* vocet *ordinis*) vbicunque operari potest, siue simul, siue successiuè; adeoque in omnibus corporibus vniuersi, quamuis illa porro semper multiplicarentur. Vnde cit. q. 2. colligit, Angelum propriè non moueri localiter, ita vt transferatur de loco ad locum; quia non est in loco circumscriptiuè, neque definitiuè; sed simul est in omni loco, in quo esse potest. Quæ sententia, vt ait Suarez n 12. *sine dubio est plus quàm temeraria, & communiter erronea iudicatur.*

13 Ratio est. Tum quia Scriptura soli Deo immensitatem & omnipræsentiam tribuit, vt suo loco dictum. Tum quia eadem Scriptura, & SS. Patres passim dicunt, Angelos moueri localiter; & vno loco deserto, esse in alio, vt dicetur dubio quinto. Tum quia idem conuincit ratio: Vis enim existendi in loco sequitur perfectionem essendi: ac proinde nulla creatura potest esse immensa, adeoque nec omnipræsens in locis multiplicatis in infinitum, nisi infinita; etsi nescio quare Sanctus Thomas 1. sent. loco citato, hanc rationem videatur habuisse pro infirma.

14 Hinc autem colligitur posterior pars assertionis; quia esse circumscriptiue in loco, est commensurari loco, ita vt totum locatum toti loco, & pars parti respondeat. Definitiue autem esse in loco, est ita esse in aliquo loco, vt simul non sit vbique, aut alibi; etiamsi res locata interim loco non coextendatur, quia non est quanta. Neque vllius momenti sunt rationes Durandi in contrarium allatæ.

15 Dicuntur tamē etiam aliquando Angeli loco circumscribi, vti loquuntur Damascenus 2. de fid. capite 3. Athanasius epist. ad Serap. Theodoretus q. 3. in Genes. Gregorius 1. Moral. capite 2. & homil. 34. in Euang. Sed non alio sensu, nisi quia certo loco definiuntur & limitantur, vt ex communi rectè Vasquez cit. disputatione 187. capite 1. An verò & qua ratione Angelo necessariò conueniat esse in loco extrinseco, dicetur dub. seq. assert. 6.

DVBIVM II.

Vtrum Angelus habeat etiam aliquod vbi intrinsecum, & quale, & an etiam necessariò.

S. Thomas 1. p. q. 52. a. 1.

1 Assertio I. Angelus existens in loco, habet etiam intrinsecum vbi, seu intrinsecum modum præsentiæ, substantiam ipsius Angeli immediatè afficientem, & ex natura rei ab ea distinctum; sine quo existere in loco non potest. Ita ex instituto docent & probant Molina hic q. 52. a. 1. disp. vii. memb. 5 Suarez Metaph. disp. 51 sect. 3. & 4. & hic lib. 4. c. 2. & sequitur Albertinus tom. 2. prædic. Quant. coroll. 15. dub. 1. 3. & 4. vbi citat etiam Scotum in 2. dist. 2. q. 6. Bassolem eadem dist. q. 3. a. 2. Richardum in 1. distinct 37. art. 2. quæst. 1. nec immeritò, vt dicemus. Eandem assertionem ex recentioribus sequuntur Pesantius & Malonius, quos citat Suarez cit. cap. 2. num. 4.

Ex antiquioribus autem Theologis, tametsi res hæc ex instituto ab eis non fuit disputata, idem significat Richardus in 1. dist. 37. a. 1. quæst. 1. vbi ait, *Formalis applicatio Angeli ad locum est simultas sua cum loco, vel cum re existente in loco.* Item Henricus quodlib. 2. quæst. 9. dum docet, existentiam Angeli in loco non esse operationem in corpus, nec passionem Angeli à corpore, nec esse nudam substantiam Angeli. Item Alensis 2. part. quæst. 32. memb. 1. dum concludit, posse dici, Angelum non esse in loco, *nisi quia est præsens loco, sine dependentia ab ipso*; licet antea hac de re obscurè fuerit locutus, vt benè expendit Suarez hic lib. 4. cap. 2. n. 10. Fauent etiam Bonauentura in 2. dist. 2. part. 2. art. 2. quæst. 1. Scotus dist. 2. q. 6. Gabriel q. 2. a. 2. Ariminensis q. 2. art. 2. Marsilius in 2. q. 2. a. 2. quatenus aiunt, Angelos esse in loco per suam substantiam; nempe tanquam per fundamentum & subiectum eius rationis, per quam Angelus formaliter est in loco.

Contrarium tamen sentit Vasquez disp. 188. capite 7. qui negat eiusmodi vbi Angelicum, in ipsa Angeli substantia inhærens, ratus, Angelum non posse per se immediatè esse in loco; sed solum per aliquem modum vnionis realis ad corpus, cui per indistantiam coniungitur; ratione cuius modi dicatur Angelus esse in loco, itemque realiter præsens vel absens, siue distans esse ab aliquo loco vel corpore, vt dub. 3. dicetur & refelletur. Aduersari etiam huic assertioni videntur illi, qui docent, Angelum solum esse præsentem loco per actionem transeuntem, aut applicationem potentiæ ad illam; aut alium modū voluntariū Angelo: qui proinde etiam sentiunt, Angelū posse esse nullibi præsentē, vt dicem⁹.

Probatur vero assertio communi ratione, qua idem, seruata proportione, probatur de corporibus. Quia Angelum v. g. esse in hoc, vel illo loco, est effectus aliquis realis positiuus in rerum natura, ad quem est motus, & qui per motum acquiritur; nec is sequitur ex sola existentia talium rerum, puta ipsius loci, & Angeli: Ergo est aliquid reale illis superadditum. Consequentia probatur. Quia non potest esse, nec intelligi nouus aliquis effectus realis, sine noua forma, vel modo reali: qua ratione etiam de vnione animæ cum corpore, deque mysterijs Incarnationis & Eucharistiæ Theologi communiter philosophantur; cum illud principium in omni materia, sit per se & ex terminis necessarium, vt benè Suarez hic cit. cap. 2. num. 5. & agnoscit etiam Vasquez loco cit. qui propterea fatetur, Angelum non esse in loco extrinseco, quin præter ipsum locum, & actionem transeuntem, sit in ipso Angelo aliquis intrinsecus modus accidentalis, & ex natura rei ab eius substantia distinctus, tametsi postea hunc modum aliter explicet, vt dictum. Et confirmatur. Quia motus localis Angeli, non minus quam corporum, est

aliquid reale & intrinsecum Angelo: Ergo habet terminum realem intrinsecum, qui per ipsum acquiratur, & cum quo idontificetur: sed non potest fingi alius, quàm Vbi illud, seu modus præsentiæ localis. Ergo, &c.

5 Hoc verò Vbi immediatè ac realiter afficere ipsam substantiam Angeli, contra Vasquez & Thomistas assert. 4. referendos, ex eo probatur. Quia Angelus subiectiuè per suammet entitatem substantiæ, immediatè est præsens seu indistans in hoc vel illo loco seu spatio; neque indiget ad hoc vel operatione aliqua, vel vllo modo coniunctionis realis cum corpore, ratione cuius illi conueniat esse in loco, seu præsentem esse alicubi, vt dicetur dub. 3.

6 Assertio II. Vbi hoc Angelicum est modus quidam accidentalis ipsius Angeli, qui refertur ad prædicamentum Vbi. Ita Suarez, & alij citati pro assertione primæ. Et quidem esse modum accidentalem, adeoque accidens, ex eo patet, quod in particulari ac in sensu distributiuo potest ab essentia & substantia Angeli separari. Non esse verò quantitatem, aut vllum accidens materiale, patet ex eo, quia est in subiecto planè spirituali, cum quo identificatur. Non esse qualitatem, ex eo probatur; quia hic modus per se motu acquiritur, velut terminus eius intrinsecus; quod nulli qualitati conuenire potest; aliàs enim motus localis esset alteratio. Nec potest esse sola ac mera relatio præsentiæ; etsi ita locutus videatur Scotus loco citato. Tum quia nec ad relationem per se est motus. Tum quia relatio præsentiæ necessariò requirit & supponit fundamentum; quod aliud esse non potest, quàm modus ille absolutus, in substantia Angeli existens, quem vocamus intrinsecum eius Vbi. Qui proinde ad prædicamentum Vbi refertur. Et verò putant Molina hic quæst. 53. articulo 1. & Suarez cit. disput. Metaph. 51. sec. 4. & rursum hic libro 4. capite 2. num. 13. Vbi hoc Angelicum, habere cum Vbi corporeo sufficiẽtem proportionem & conuenientiam, vt ab vtroque communis conceptus vniuocus abstrahi possit, quo simul in eodem prædicamento ponantur: quod non displicet. Nihilominus enim, hoc etiam concesso, stat assertio 4. dubio primo ex Sancto Thoma proposita; quia aliud est locus extrinsecus; aliud Vbi intrinsecum, in qualicunque demum loco: siquidem hoc absolutè etiam sine omni loco extrinseco esse potest, vt dicemus. Neque Scotus dum eam relationem vocat, intelligit meram relationem, quam nos prædicamentalem dicimus; sed relationem transcendentalem, quam ipse alias extrinsecus aduenientem solet dicere; qui proinde à nostra sententia reipsa non discrepat.

7 Assertio III. Vbi hoc intrinsecum Angeli per se non dependet à loco seu corpore extrinseco; neque ad illum adeò transcendentalem habet relationem; sed ad spatium, vel quasi spatium, in quo Angelus constituitur. Ita Molina loco cit. Suarez lib. 4. cap. 8. Albertinus & alij loc. cit. qui hunc modum agnoscunt; tametsi Vasquez de suo illo modo, per quem Angelum putat esse in loco, oppositum asserat, vt dicetur dubio sequenti. Ratio sumitur ex dictis. Tum quia Angelus quoad suam existentiam à loco extrinseco nullo modo dependet; cum tamen hoc modo carere vndiquaque non possit, vt dicetur. Tum quia vbi intrinsecum immotum & inuariatum existit, quamdiu Angelus localiter non mouetur, manente scilicet eadem distantia ad fixas partes mundi, etiamsi corpus, seu locus extrinsecus materialiter mutetur; iuxta communem Philosophiam, & sensum. Nec obstat, quod spatium illud, vt sic, non est aliquid positiuum reale; imo respectu Angeli, vt apparet, nec proprium quidem spatium, intra terminos videlicet reales interceptum. Siquidem relatio transcendentalis esse potest ad terminum etiam non realem; vt scientiæ ad priuationem vel negationem cognitam; potentiæ operatiuæ ad obiectum non existens. Præterquam quod præsentia quoque, seu vbi Angelicum, habet aliquam extensionem in ordine ad spatium; cuius proinde terminis ipsum quasi spatium intercipitur, vt dicemus. An vero eiusmodi relationes transcendentales sint veræ relationes reales, & secundum Esse; an potius secundum dici, siue secundum nostrum modum concipiendi tantum, communis est difficultas omnibus eiuscemodi relationibus transcendentalibus; quam non est huius loci discutere: etsi nos ex communiori philosophia supponimus, easdem esse relationes reales.

Assertio IV. Idem vbi est immediatum fundamentum relationis realis præsentiæ vel distantiæ eiusdem Angeli, à locis siue corporibus, à quibus per suam substantiam indistans vel distans est Angelus. Ita Suarez cit. 3. part tom. 3. disp. 47. & 48. & hic lib. 4. c. 8. & consentiunt alij, qui eundem præsentiæ modum agnoscunt; quique simul fatentur, non solum corpus, sed etiam Angelum, per suam existentiam in loco habere, secundum entitatem substantiæ suæ, realem relationem præsentiæ vel distantiæ ad corpora, quibus adest, vel à quibus abest tametsi Capreolus, Ferrariensis, & Caietanus existiment, non esse in substantia Angeli, etiam quando est in loco, relationem aliquam præsentiæ substantialis, hoc est, præsentiæ ipsiusmet substantiæ Angeli ad locum, sed solam indistantiam negatiuè. Quod etiam sentit Vasquez cit. c. 7. dum negat, Angelũ per se, & secundũ suam substantiam immediatè, posse realiter distare, vel præsentem esse alicui, siue corpori, siue alteri Angelo, siue loco, absque modo vnionis realis cum corpore in quo est, de quo dub. seq. 8

Ratio assertionis est. Quia simile Vbi, in corporibus est fundamentum eiusmodi relationis præsentiæ vel distantiæ, neque hæc relatio realis magis repugnat substantiæ Angeli, quam ipsum Vbi, ex quo oritur, vt pluribus dicetur dub. seq. vbi contrariam obiectionem Vasquez, & aliorum dissoluemus. Neque ab hac conclusione dissentit Molina l. c. dum pro fundamẽto eiusmodi relationum assignat, ipsam substantiam Angeli; pro ratione autem fundandi actionem, qua Angelus tali vel tali loco constitutus est. Intelligi enim id debet de substantia Angeli affecta illo modo præsentiæ, quem ibidem apertè agnoscit & tradit, vt dictum. Quod ipsum etiam indicauit Gregorius de Valentia q. 3. punct. 2. dum ait, earundem relationum fundamentum esse substantiam Angeli, cum negatione distantiæ. 9

Assertio V. Modus ille præsentiæ, seu vbi Angelicum 10

Digitized by Google

licum, etsi sit spiritualis, adeoque indiuisibilis ex parte subiecti, in ordine tamen ad locum seu spatium, in quo Angelus est, aliquo modo est diuisibilis, & constans ex pluribus partibus entitatiuis, ex quibus quasi integratur, & constituitur, atque per spatium seu locum extensum quasi continuatur, & coextenditur, sine vlla ipsius Angeli coextensione. Hanc assertionem late defendit & explicat Suarez Metaph. disputat. 51. num. 36. & disp. 30. num. 49. 50. 51. & in 3. part. tom. 3. disp 48. sect. 1. & hic lib. 4 cap. 17. & sequuntur multi recentiores, vt ex Vasquez fatetur Albertinus infra; etsi non solum repugnet Vasquez, qui suum etiam illum, quem in Angelo alicubi existente, constituit modum vnionis realis cum corpore locante, solum dicit esse virtualiter extensum, sed etiam Albertinus citat. tom. 2. Prædicam. Quantit. quæst. seu coroll. 5. dubit. 5. qui itidem docet, Vbi illud Angelicum, quod vna cum Molina & Suarez asseruerat antea, solum esse virtualiter diuisibile & extensum, formaliter autem plane indiuisibile, non solum in ordine ad subiectum, sed etiam in ordine ad locum seu spatium.

11 Sed probatur assertio primo. Quia pars aliqua huius Vbi potest amitti, vel etiam acquiri, manente reliqua. Vt cum Angelus existens in loco sibi adæquato, suo arbitratu, vti potest, minorem locum seu spatium occupat; vel cum existens in loco inadæquato, maiorem locum seu spatium occupat. Sit enim V. G. Angelus existens in loco quadripalmari, & contrahat se ad duos palmos; tunc ergo quando præsentia Angeli definit esse in duobus palmis; aut pars tantum aliqua ipsius vbi, quæ nempe duobus palmis respondebat, definit; aut nihil ipsius Vbi definit; sed manet totum vbi indiuisibile, sicut erat antea, aut totum Vbi indiuisibile desinit; & producitur aliud de nouo adæquatum duobus palmis: non enim datur quartum. Si primum dicatur, habetur intentum. Secundum dici non potest. Quia si totum vbi maneret, tum Angelus esset in eodem loco adæquato, in quo erat antea: siquidem effectus quasi formalis & immediatus ipsius Vbi, est actualis, vt ita dicam vbificatio; quæ cum nunc sit diuersa à præcedenti, impossibile est, vt Vbi sit plane idem & immutatum. Tertium etiam dici non potest; tum quia per se incredibile est, cessante Vbi ipsius Angeli, in parte solum aliqua loci, eo ipso cessare & desinere totum Vbi, etiam in ea parte loci, in qua adhuc Angelus permaneret. Tum quia inde sequeretur, si Angelus se contrahat successiue, futurum, supposita communi Philosophia, vt tunc corrumpantur & producantur infinita Vbi indiuisibilia, vnum immediate post aliud; quod plane est absurdum; siquidem inde etiam vlterius sequeretur, futura esse infinita instantia immediata, quandoquidem vnumquodque eiusmodi Vbi habet durationem suam intrinsecam indiuisibilem, nec vllum est assignare tempus vel instans, in quo non acquiratur nouum Vbi.

12 Secundo, simile argumentum fieri potest de motu Angeli continuo. Potest enim Angelus moueri motu continuo, vt supponimus. Ergo vel successiue acquirit Vbi extensum in ordine ad locum; vel in quolibet instanti temporis totum Vbi simul amittit, & aliud nouum Vbi acquirit: Sed hoc fieri non potest, nisi infinita vbi, per infinita instantia sibi immediate succedentia, acquirantur. Si enim vel in vno instanti non acquiritur nouum Vbi priori corrupto; Ergo aliquantillo tempore intermedio non erit motus, sed quies; imo cum non sit maior, aut alia ratio de vno instanti intermedio, quam de alio; si in vno instanti intermedio non acquiritur nouum Vbi indiuisibile & adæquatum toti Angelo, in nullo acquiretur: vnde sequitur, nullum penitus nouum vbi eo motu ab Angelo posse acquiri. Quia cum vbi hoc Angelicum actu sit plane indiuisibile, fieri nullo modo potest, vt successiue vel in tempore acquiratur; sic enim alia pars post aliam acquireretur: Ergo fatendum est, in motu continuo Angeli successiue acquiri & amitti, aut Vbi extensum in ordine ad locum; aut infinita vbi totalia, adæquata & indiuisibilia, ac inter se plane distincta ac diuersa: quod est absurdum.

Ad hoc vtrumque argumentum respondet 13
Albertinus loc. citat. concedendo, quod in motu continuo Angeli infinita indiuisibilia Vbi producantur & corrumpantur. Sed inde, inquit, nullum sequitur absurdum: eo quod hoc Vbi Angelicum, sicut est formaliter indiuisibile, & virtualiter diuisibile in ordine ad locum, habeat etiam suam durationem proportionatam, formaliter scilicet indiuisibilem, & virtualiter diuisibilem; ita vt quodlibet vbi duret per aliquod tempus indeterminatum, sicut duraret pars extensa ipsius vbi, si daretur vbi extensum. Sed hæc responsio minime satisfacit; tum quia admittit in rebus successiuis infinitum actu; idque actu etiam ac reipsa successiue pertransitum: quod est impossibile, vt suo loco dictum. Tum quia implicat contradictionem, vt si motus, aut extensio localis Angeli sit continua, idem plane Vbi vllo tempore etiam indeterminato permaneat; cum in quolibet non solum tempore, sed etiam instanti tē- 1
poris, acquiratur aliquod nouum Vbi: si enim hoc non fieret; iam aliquo tempore intermedio esset quies, ac proinde motus non esset continuus, quod est contra hypothesin.

Tertio. Sicut se habet vnio spiritualis animæ 14
rationalis ad corpus, ita se habet Vbi Angelicum ad locum, vt communiter concedunt etiam oppositæ sententiæ auctores: sed vnio hæc, licet in se & ex parte subiecti siue animæ, spiritualis sit, tamen in ordine ad corpus est diuisibilis: quia cum brachium V. G. hominis abscinditur, pars huius vnionis, cum ipso brachio, destruitur: reliqua autem vnio cum reliquo corpore permanet. Item cum homo per augmentationem siue diminutionem etiam continuam crescit aut decrescit, non continuo tota vndiquaque noua & indiuisibilis vnio cum toto corpore producitur, vel amittitur; sed pars post partem: alioquin aut continua esse non poterit ea mutatio, contra communem Philosophiam; aut sequetur, infinitas eiusmodi vniones per infinita instantia sibi immediate succedentia fuisse productas; quod plane est absurdum, ex dictis. Idem argumentum fieri potest de simili vnione vel præsentia corporis Christi cum speciebus.

Digitized by Google

15 Ad hoc argumentum Respondet Albertinus loc. citat. hæc duo exempla, nihil probare. *Dicitur enim*, inquit, *quod quando anima desinit informare* (vnam partem corporis;) *vel quando corpus Christi desinit esse in aliqua parte hostiæ, tunc totum vbi corrumpitur, & producitur aliud de nouo.* Sed hoc plane videtur incredibile, vt dictum.

16 Contra nostram vero sententiam obiicitur, quod in ipsis terminis videatur implicare, vt res spiritualis sit extensa in ordine ad locum, præsertim si ex parte subiecti non sit extensa; cum vnaquæque forma det effectum & rationem suam formalem suo subiecto, quam habet. Respondetur, id non esse impossibile; quod ostenditur variis exemplis. Tum quia spirituali qualitati non repugnat compositio & diuisibilitas secundum intensionem; imo nec secundum extensionem (in habitibus) in ordine ad obiecta. Tum quia non repugnat vnioni animæ in ordine ad corpus, vt dictum. Tum quia si Angelus esset in pluribus locis discretis inadæquatis, vti absoluta saltem D E I potentia fieri posse nemo negauerit, haberet sane in eodem subiecto indiuisibili plura eiusmodi Vbi partialia reipsa distincta: sicut etiam corpus Christi in diuersis locis, sub diuersis speciebus existens, habet plane diuersa eiusmodi vbi partialia: Ergo non repugnant etiam in eodem subiecto plura eiusmodi partialia vbi in ordine ad diuersas partes loci seu spatii. Nihilominus enim vbi hoc suam rationem formalem, quam habet, etiam communicabit subiecto; non quidem faciendo, vt illud in seipso etiam immediate sit extensum, in ordine ad locum; hoc enim proprium est quantitatis præstare: sed vt habeat vbi extensum, in ordine ad locum; cum tamen ipsum subiectum, secundum entitatem suam, indiuisibiliter sit totum non minus sub qualibet parte huius Vbi, quam in qualibet parte loci siue spatii.

17 Assertio VI. Angelus existens in hoc vniuerso, necessario est in loco, etiam extrinseco & corporeo: nec vero vspiam, aut vllo modo existere potest absque illo intrinseco modo præsentiæ seu Vbi localis. Primam partem tradunt Alensis 2. part. quæstione 32. mem. 1. vbi dicit, Angelum necessario *intra locum aliquem corporeum contineri.* Idem sentit Durandus citat. quæstione secunda, & aperte hic Molina loc. citat. Suarez libro quarto, capit. tertio, numero tertio, & capit. sexto, numero 14. & Albertinus tom. 2. Præd. Quant. coroll. quinto, dubio primo, & videtur communis; tametsi contrarium, vt vidimus, asserant Sanctus Thomas in 1. sent. loc. citat. & cum eo nonnulli Thomistæ alii, qui docent, Angelum esse in loco per solam operationem transeuntem, vt dicemus dubio sequen. & præter hos etiam Vasquez disputat. 188. cap. septimo. Probatur & declaratur assertio. Quia Angelus est in loco extrinseco, per ipsam intimam præsentiam, seu indistantiam substantiæ suæ ab eo loco, ex dictis: at vero supposita lege Dei ordinaria, & conditione præsentis vniuersi, Angelus in hoc vniuerso existens, necessario est per suam substantiam indistans, adeoque præsens alicui loco extrinseco & corporeo; siquidem vacuum nullum in hoc vniuerso datur; nec est vllum spatium sine corpore; Ergo vbi vbi existat Angelus, in hoc vniuerso, necessario est in aliquo loco corporeo extrinseco.

18 Addit Alensis, & consentit Suarez capite secundo, numero decimo, nec posse quidem Angelum, secundum ordinariam Dei legem, extra vniuersum hunc mundum se constituere; etsi sua natura posset, nisi ordo vniuersi à Deo constituendus, siue lex Dei extrinseca obstaret; de quo dubito; quia sicut Angelus natura sua non potest discontinuare inter se corpora, constituendo vacuum; ita etiam forte non potest se, aut aliquid aliud, per naturæ vires, extra totum vniuersum in nihilo, vt ita dicam, constituere, propter eam, quam vniuersum ipsum, omnesque eius partes sua quasi natura postulant, vnionem & coniunctionem.

19 Secundam partem tradunt Molina, Suarez, Albertinus loc. citat. & indicat Alensis loc. citat. & fauent alii eius modi assertores, contra Vasquez, qui putat, Angelum posse suo arbitratu se absoluere ab omni modo præsentiæ localis, non tantum in particulari, sed etiam vniuersim, vt dicemus, & ex instituto refellemus dub. sequent. Ratio assertionis breuiter est. Quia sicut existere absque duratione aut durationis momento, nihil potest; nec motus esse sine tempore; ita existere substantia creata non potest nisi alicubi, seu cum habitudine ad locum, seu loci spatium, cui aliquo modo adæquetur; multo minus esse alicubi potest, nisi per vbi, seu modum illum intrinsecum ad Vbi spectantem. Tum quia vbi illud, ex dictis, non dependet à loco extrinseco; potest enim esse & permanere idem Vbi, etiam mutato, imo penitus sublato loco extrinseco; modo ipsum mobile sit immotum: Ergo siue Angelus sit, vel constituatur intra hoc vniuersum, siue extra, vti reuera esse potest, vbique tamen eodem modo habebit suum illud Vbi intrinsecum. Plura Suarez hic capit. octauo, num. 13.

Idem indicant Aristoteles 4. Physic. capit. 1. vbi sentit, ea quæ sunt, *esse alicubi.* Et Tullius Tuscul. 1. ait; *Id quod est, nusquam esse non potest.* Et Hilarius capit. quinto in Matth. dicit, *Omne quod creatum est, alicubi esse*, vt bene Molina loc. citat. Nec obstat, quod Angelus suo arbitratu deserere potest hoc vel illud vbi; sæpe enim accidens aliquod particulare in indiuiduo à subiecto potest separari, non tamen vniuersim; vt hæc vel illa figura à quantitate; non tamen omnis figura: hæc vel illa intensio à qualitate, non tamen omnis. &c. hic vel ille locus à corpore, non tamen omnis.

Obicies contra traditam hactenus doctrinam. Sicut se habet res ad *Quando*, seu durationem, & esse in tempore, ita etiam ad *Vbi*, seu esse in loco: sed neque duratio, saltem permanens, neque esse in tempore, dicit modum intrinsecum à parte rei distinctum ab ipsa existentia rei: Ergo neque *Vbi* est modus intrinsecus à parte rei distinctus ab existentia rei. Maior probatur. Quia duo illa prædicamenta *Vbi* & *Quando* ab Aristotele & Philosophis inter se quasi ex æquo condistinguuntur; & Esse in tempore, & Esse in loco, simili modo & ratione de re prædicari videntur. Minor de duratione à parte rei non distincta ab existentia rei videtur communior in Philosophia sententia; quam speciatim tradunt Ockam in 2. quæstion. 10. Gabriel in 2. dist. 2.

Digitized by Google

quæst. 1. art. 1. Suarez Metaph. tom. 2. disputat. 50. sec. 1. num. 5. & significant Scotus in 2. d. 2. quæst. 1. Bassolis quæst. 1. art. 3. Capreolus q. 2. art. 1. & 3. & Soncinas ibidem.

Respondeo primo, minorem non esse certam. Primo enim fatendum est, saltem durationē rei successiuam, scilicet motum & tempus intrinsecum, esse aliquid à parte rei distinctum ab ipsa existentia rei permanentis, quæ mutatur aut tempore mensuratur, puta motum & durationem nutritionis, augmentationis, ab ipsa existentia animalis quod nutritur & augetur. Secundo valde probabile est, ipsam etiam durationem permanentem cuiusq; rei, ab ipsa re seu existentia rei, à parte rei, seu ex natura rei esse distinctam. Ita docent Richardus in 2. distin. 2. q. 1. a. 1. Mairon q. 2. Argentina quæstion. 1. art. 1. à quos sequuntur Conimbricenses lib. 4. Physic. cap. 14. quæst. 2. artic. 2.

Ratio est. I. Existentia rei esse potest sine duratione; vt si res in instanti per primum sui esse incipiat, & simul in eodem instanti per vltimum sui Esse desinat, vti fieri posse, contra Aminaensem, alibi diximus, & concedit etiam Suarez tom. 1. Metaph. disput. 19. sec. 9. num. 8. II. Vtraque habet conceptum primo intentionalem, plane diuersum, quorum vnus non est alius, nec includit alium: quia ratio existentiæ solum in eo consistit, vt res sit extra suas causas; duratio vero moram & perseuerantiam eiusdem existentiæ significat. III. Sicut hoc vel illud Vbi est separabile à re, non tamen omne Vbi; ita etiam hæc vel illa, tanta vel tanta duratio est separabilis à re & existentia rei: esto duratio vniuersim non esset separabilis ab existentia rei. IV. Existentia & duratio siue æternitas Dei distinguuntur inter se virtute, vt suo loco dictum: Ergo existentia & duratio rei creatæ inter se distinguūtur à parte rei. V. Si tempus non distingueretur à parte rei ab existentia, tunc non posset poni in prædicamento; siquidem existentia per se in prædicamento non ponitur.

Nec obstat, quod creatio & conseruatio rei à parte rei non distinguantur; cum tamen creatio tendat formaliter in existentiam rei; conseruatio autem in eiusdem rei durationem. Respondetur enim negando eam esse rationem creationis & conseruationis. Vtraq; enim formaliter tendit in existentiam rei, hoc solum discrimine, quod creatio cum nouitate essendi, conseruatio sine nouitate essendi; quæ sola connotatione extrinseca differunt. Dices. Existere in vnico solū instanti, non est aliquid à parte rei distinctum ab existentia. Ergo nec duratio. Respondetur negando consequentiam, quia duratio dicit modum existentiæ, rei existenti superuenientē; non autem sola existentia per vnicum instans.

Quia tamen etiam opposita sententia probabilis est, & multis forte magis probatur; responderi potest secundo, discrimen esse inter Vbi & durationē. Nam Vbi per se est terminus motus localis distincti ab ea mutatione, qua res producitur: duratio vero non est per se terminus alicuius eiusmodi motus; ac proinde ratio nulla est, cur hæc ab existentia à parte rei distingui dicatur. Deinde duratio solum dicit perseuerantiam & permanentiam ipsius existentiæ: permanentia verò rei prioris, vt sic, non dicit aliquā mutationem eius rei; sed potius constantem & immutatum statum seu conditionem: acquirere autem hunc vel illum locum, cum idem sit, quod moueri localiter, dicit intrinsecam mutationem rei existenti superuenientem. Nec obstat, quod res in prima sui creatione vel productione est in loco & acquirit locum absque mutatione locali. Nihilominus enim, quia id ipsum esse in loco, ex se & sua natura potest esse terminus motus localis rei existenti superuenientis, satis patet, id esse aliquid à parte rei ab ipsa existentia distinctum. Adfert quidem Suarez tom. 2. Metaph. disput. 50. sect. 2. num. 19. alias rationes discriminis inter Vbi & durationem rei: sed quæ parum solidæ videntur.

DVBIVM III.

Per quidnam formaliter Angelus sit in loco; seu quæ sit Angelo ratio existendi in loco.

S. Thom. 1. p. q. 52. a. 2.

1 COrpora in loco circumscriptiuo formaliter esse per quantitatem, omnes consentiunt; sed per quidnam Angelus, seu substantia alia incorporea, vt anima rationalis, cum sit quantitatis expers, formaliter, proprie & immediate sit in loco, valde controuertitur inter Theologos. Et referuntur hac de re septem vel octo sententiæ, vt fere referunt etiam Gregorius de Valentia quæstione tertia, pun. 2. Vasquez disp. 188 & Suarez hic lib. 4. à cap. quarto, tametsi forte reipsa non omnes dissentiant, vt dicemus.

2 Prima sententia est, Angelum esse in loco, per qualitatem, seu proprietatem quandam diuinitus ei superadditam. Pro hac communiter refertur Alensis 2. part. quæstion. 32. mem. 1. Sed quem, etsi obscurius locutum, Suarez tamen capit. secundo, numero decimo, benigniore sensu explicat, vt per *proprietatem* illam (non enim vocat qualitatem) solum intellexerit, extrinsecam Dei legem, qua fit, vt Angelus semper aliquo corpore contineatur, vt dub. præced. assert. 6. dictum.

3 Secunda sententia est, Angelum formaliter esse in loco per operationem transeuntem. Ita docent Egidius in prim. distinct. 37. 2. part. articulo primo quæstione prima. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 68. & plane videtur olim fuisse sententia Sanct. Thomæ in 1. distin. 37. quæstion. tertia, vti retulimus dubio primo, assertione secunda; siquidem ibidem etiam asserit, Angelum nullibi fore, si nusquam operetur ad extra: quod ita etiam docent citati, referentes etiam pro eadem sententia Sanct. Thomam hic quæst. 52. art. 1. sed immerito, vt dicemus.

4 Tertia sententia est, Angelum formaliter esse in loco, aut per operationem transeuntem, aut per aliquid instar operationis, seu actiuæ, seu passiuæ, dum nempe Angelus præest loco, eumque conseruat, aut tuetur &c. Ita docuit Sanctus Thomas quodlib. prim. articulo quarto, & sequitur Capreolus in 2. distinct. 1. quæstione 1. artic. 1. conclus. prim. qui ex Sanct. Thoma ibidem

ita hanc rem explicat: *Dico autem operationem communiter, secundum quod Angelus se habet ad corpus contentum in loco, per modum præsidentis, aut ministrantis, aut aliquo modo agentis, aut patientis.* Idem docet Picus Mirandulanus in Apolog. quæstione prima.

Quarta sententia est, esse formaliter in loco, per applicationem virtutis qualemcunque ad operandum operatione transeunte. Ita loquitur Sanctus Thomas hic quæstion. 52. articulo primo, & præter Caietanum ibidem, ac recentiores Thomistas, sequitur etiam Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 16. numero 9. qui id explicat de applicatione virtutis saltem potentiali. Idem docent Argentina in 1. distinct. 37. quæstion. 1. & 2. & Goffredus quodlib. 8. quæstion. 13. apud Scotum infra. Requirit autem ea applicatio virtutis secundum Caietanum, notitiam practicam de aliquo operabili.

Quinta sententia est, Angelum immediate per suam substantiam esse in loco; seu communi & vniuersali, vt docet Durandus in prima distinct. 37. part. 2. quæstione prima, iuxta dicta dub præceden. assert. 5. seu proprio & determinato; vt docent Bonauentura in 1. distin. 37. articulo primo, quæstione prim. & in 2. distin. 2. part. 2. artic. 2. quæstione prima. Scotus in 2. distin. 2. quæstione sexta. Gabriel distinct. 2. quæstione secunda, articulo secundo. Ariminensis quæst. 2. artic. 2. Marsilius in 2. q. 2. art. 1.

Sexta sententia est, Angelum omnibus his modis posterioribus quatuor esse in loco, diuersa tamen ratione, iuxta ea, quæ inferius dicentur. Ita Gregorius de Valentia hic citat. quæstione tertia pun. 2.

Septima sententia est, Angelum nulla ratione ex prædictis esse in loco; sed modo aliquo absoluto, addito substantiæ Angeli, & ex voluntate ipsius pendente, vt pro libito possit eo penitus carere: quo nempe ipse Angelus realiter coniungatur alicui corpori, ratione cuius ipse secundario in loco sit, quique diuersus sit ab ipso modo propinquitatis secundum locum, seu præsentiæ localis; & proinde inuariatus maneat, etiamsi varietur distantia Angeli à fixis partibus mundi. Ita Vasquez citat. disputat. 188. capit. 7. qui putat, idem indicare Henricum quodlib. 2. quæst. 9. dum confutatis aliorum sententiis dixit, Angelum *non posse esse in loco ex sua substantia.* Sed quod dictum melius iuxta sequentem sententiam intelligitur.

Est igitur octaua sententia, Angelum formaliter esse in loco per vbi seu modum intrinsecum, dub. præced. explicatum, & in ipsa substantia Angeli immediate inhærentem, qui motu Angelo etiam ipse mutetur & desinat, alio tamen succedente. Ita Suarez in Metaph. disputat. 40. & hic libro quarto cap. 7.

Vt autem nostram de hac re sententiam explicemus; proponemus prius aliquot assertiones negatiuas aliquibus ex relatis sententiis oppositas, deinde aliis subsequentibus conclusionibus, præmissa aliqua notatione, veriorem sententiam breuiter declarabimus & confirmabimus.

Assertio I. Angelus non est in loco per aliquam qualitatem, vel proprietatem, præter aut supra naturam ipsi, seu corpori in quo est, à Deo communicatam. Ita communis & certa sententia Doctorum, contra primam superius relatam. Ratio est manifesta. Quia Angelus naturaliter acquirit & mutat locum. Quare etiam oppositam Alensis sententiam eo modo intellectam Suarez capit secundo, numero decimo, valde *absurdam & inintelligibilem* iudicat; sed qui simul, vt dictum, Alensem in meliorem sensum interpretatur.

Assertio II. Angelus etiam non est in loco, per solam operationem transeuntem, seu virtutem operatiuam ad extra, eiusue applicationem ad operandum. Ita contra secundam, tertiam, & quartam sententiam, omnes authores pro quinta, sexta, septima, & octaua sententia relati. Probatur: Quia etiamsi Angelus nihil operetur ad extra, nec statuat operari; imo per impossibile nec possit quicquam operari, erit tamen in loco, dummodo suam retineat entitatem & substantiam, per quam in distans seu præsens sit alicui loco, seu corpori ipsius vniuersi. Quod adeo certum habuisse ferunt Doctores Parisienses, referente Henrico, loc. citat. Molina quæstion. 52. articulo primo. & Vasquez disputat. 188. cap. sexto, vt contrariam sententiam vocarint *erroneam.* Accedit quod ita anima etiam Christi olim apud inferos, & animæ beatorum nunc in cœlis vere existunt, vbi tamen ad extra forte nihil, aut non semper operantur: eas vero abusiue solum & metaphorice in cœlis esse, vt de Angelis in cœlo Empyreo existentibus, dixit Caietanus, plane absurdum videtur, ne dicam periculosum.

Assertio III. Angelus etiam proprie & formaliter non est in loco, per modum absolutum, à modo præsentiæ Angeli in loco distinctum; quo Angelus corpori alicui realiter coniungatur, quique idem ac inuariatus maneat, etiamsi varietur distantia Angeli, à fixis partibus mundi. Ita contra septimam sententiam Vasquezii, cæteri authores omnes, & ex instituto Suarez hic lib. 4. cap. 6. Probatur. I. Quia etiamsi Angelus nulli corpori reali vnione coniungatur, erit nihilominus suamet entitate & substantia præsens seu indistans ab aliquo corpore, in quo est, adeoque in loco. II. Quia modus ille, quo Angelus coniungitur cum corpore velut mobili, habet se sicut modus, quo corpus aliquod coniungitur vasi vel vesti; qui certe talis non est, vt eius ratione corpus sit in loco. III. Ex opposita sententia sequitur, Angelum realiter mutari, quoties mutato corpore, cui erat coniunctus, alterum ibi succedit, etiamsi distantia à polis fixis non varietur: quod plane est absurdum, cum sit independens à corpore, vt bene etiam Suarez capit. octauo numero quinto. IV. Impossibile est, vt distantia Angeli seu corporis, cui vnitus secundum substantiam est Angelus, variata, non varietur modus ille, quo Angelus formaliter est in loco; sicut fieri non potest, vt mutato loci spatio, non mutetur vbi locale corporis. Ratio est. Quia id, per quod formaliter Angelus est in loco, est quasi forma quædam ipsi Angelo essendi in loco; ita vt esse in loco sit formalis effectus eius quasi formæ: sed impossibile est effectum formalem variari, non variata forma; Ergo etiam impossibile est, vt Angelus seu corpus illud cui per in-

distan-

distantiam coniunctus est, moueatur loco, seu mutet substantiam ad fixas partes mundi, adeoque vt in alio sit loco, & modus ille per quem est in loco, sit inuariatus. Quod si quis dicat, Angelum non mutare locum, etiamsi corpus, cui per substantiam suam præsens & coniunctus manet, mutet locum. certe hoc ipso dicet rem impossibilem, & quæ intelligi nullo modo potest; vt bene etiam Suarez libro quarto, cap. nono, numero quinto, præsertim cum concedatur, Angelum eo casu mutare distantiam à fixis partibus mundi. V. Denique hæc sententia loquitur de loco Angeli, velut de vase mobili; quod iuxta Aristotelem tamen & Philosophos, 4. Physic, vtique differt à loco; qui vt sic immobilis esse debet. Omitto quod multis Suarez citat. capit. sexto dixerit, hunc modum vnionis realis cum corpore, neque esse necessarium, neque secundum naturas rerum, aut ordinariam Dei potentiam possibilem. &c.

12 His præmissis, vt vera sententia etiam affirmate explicetur, animaduertendum est, iuxta ea, quæ docent etiam Molina hic quæstion. 52. articulo primo, disputat. vnic. & Suarez 3. part. tom. 3. disput. 47. & 48 cum quæritur, per quidnam res aliqua sit in loco, posse vel inquiri ipsam causam formalem, seu rationem, qua formaliter res est in loco; qualis quidem in corporibus ex recepta Philosophia, est modus quidam realis, intrinsecus rei locatæ, pertinens ad Prædicamentum Vbi, qui mutatur, quoties res loco mouetur; & est fundamentum relationis propinquitatis seu præsentiæ: vel propriam & immediatam causam subiectiuam, ac materialem, seu id, quod est immediate susceptiuum illius formæ; cuique adeo per se primo conuenit esse in loco; quæ si de loco circumscriptiuo corporum loquamur, est quantitas. Vel denique etiam inquiri potest id, quod est causa extrinseca, vt aliquid sit in loco; siue sit causa effectiua, qualis solet esse generans corpus in tali loco; aut ipsum corpus sese ad talem locum mouens, in eoque constituens; siue sit causa finalis; quæ cum corpus ab exintrinseco mouetur, est operatio, vel quies in eodem loco. Quo posito, eodem modo, seruata proportione, de loco Angeli ratiocinandum est, vt sequentibus assertionibus declaratur.

13 Assertio IV. Causa & ratio formalis existentiæ localis, seu essendi alicubi, in Angelo est ipsum Vbi Angelicum; seu modus realis & accidentarius præsentiæ in Angeli substantia immediate existens, præcedenti dubio explicatus. Ita Molina loc. citat. Suarez cit. disp. Metaph. 40. sect. 22. & in simili 3. part. tom. 3. disputat. 47. & 48. & hic libro quarto, capit. septimo, quem ex recentioribus sequuntur Besantius & Malonius ab eodem ibidem citati; & ex antiquioribus non obscure indicant Richardus, Alensis, Henricus, citati dub. præcedent. assertion. 1. Nec dissentiunt alii Scholastici, citati pro quinta sententia, qui docent, Angelum esse immediate in loco per suam substantiam; non enim excludunt vbi seu rationem existendi in loco, sed solum aliquid à substantia Angeli diuersum, habens se per modum subiecti, cui immediate conueniat esse in loco, vt dicetur. Idem plane indicat Hugo Victorinus lib. de sacram. part. 3. cap. 18. vbi ait: *Angelum esse in loco, quoniam alicubi præsens cernitur; & esse localem, quoniam tum sit alicubi, non vbique inuenitur.* Et infra dicit: *Spiritum esse localem, quoniam in loco per præsentiam naturæ, & operationis concluditur.*

Ratio pro hac assertione petitur; tum ex refutatione aliarum sententiarum, quatenus huic assertioni aduersantur: Tum quia hoc modo optime seruatur proportio inter Angelum & Corpus, quatenus in loco existunt, vt dictum. Tum quia non repugnat, Angelo seu spirituali substantiæ, habere modum intrinsecum Vbi localis, vt dictum dubio præcedenti. Eo vero posito, sufficienter explicari possunt omnia, quæ de loco Angeli, eiusque existentia in loco in scriptura ac SS. Patribus dicuntur, aut inde deducuntur; Nam vt ex proportione corporum bene declarat Suarez citat. capit. septimo, numero secundo, dum Angelus dicitur esse alicubi, vel hic, vel alibi, duplex denominatio ipsius Angeli potest considerari: vna intrinseca Angelo, in eoque immutabilis, quamdiu ipse loco non mouetur; alia est extrinseca desumpta à præsentia seu quasi continentia loci extrinseci: ad vtramque autem denominationem sufficit Vbi Angelicum, simul cum coexistentia simultanea extrinseci corporis in eodem quasi spatio: nam primam denominationem habet Angelus ex modo illo intrinsecæ præsentiæ; hanc vero ex coexistentia cum corpore, vt dictum. 14

Solum obiicitur, ex hac sententia consequens esse, inter Angelos posse esse propinquitatem & distantiam, fundatam immediate in illis, sine interuentu corporum: & similiter posse Angelum realiter distare à corpore, etiamsi neque Angelus sit in corpore, nec inter ipsum & corpus reale ac corporale spatium interiectum sit: quorum vtrumque videtur absurdum. Quia spiritus est indiuisibilis, ac proinde ex se non est capax distantiæ vel propinquitatis: nec secluso quantitate vllum reale interuallum, adeoque nec distantia realis intelligi potest. 15

Respondeo cum Suarez hic lib. quarto, capit. octauo, concedendo sequelam, & negando minorem. Quia per hoc, quod Angelus est indiuisibilis entitas, solum efficitur, vt is à seipso non possit, secundum aliam & aliam sui partem distare, sicut caput hominis distat à pedibus: nihil autem obstat, quo minus ab aliquo alio, siue corpore, siue spiritu, secundum se totum vere ac realiter distare possit, etiam nullo reali spatio intercedente. Id quod etiam in rebus corporeis variis exemplis potest demonstrari. 16

Nam parietes huius cubiculi V. G. non minus vere ac proprie inter se distarent, etiamsi aer intermedius annihilaretur, quam nunc distant. Et cœlum Empyreum ab inferno non minus distaret, quam nunc, etiamsi corpora omnia intermedia annihilarentur. Et si extra & super cœlum Empyreum, DEVS plures cœlos crearet, & postea medios annihilaret, supremum certe non minus distaret, quam ante annihilationem mediorum distabat. Sicut etiam distantia realis inueniretur inter duo puncta extrema distantium linearum vel corporum, & inter eadem permaneret, si separata & immota possent conseruari. Ex qui-

bus

bus efficitur, fundamentum proximum præsentiæ, vel distantiæ realis (accipiendo distantiam pro ipsa relatione distantiæ, non pro intermedio spatio) non esse quantitatem corpoream, nec intermedium corpus, sed vbi reale & intrinsecum, siue corporale sit, siue spirituale ipsorum extremorum; vt pluribus ibidem persequitur Suarez. Neque tamen ideo concedendum, Angelum per se & ratione sui etiam habere posse situm: quia situs significat partium positionem in loco, seu modum ex tali partium positione in toto resultantem, qui non conuenit Angelis: vt nec sine respectu ad corpora, siue ad centrum vniuersi, *supra* aut *infra* esse dici possunt.

17 Assertio V. Causa vero & ratio quasi materialis & subiectiua, per quam Angelus immediate etiam est in loco, est ipsamet entitas & substantialis perfectio, seu quasi quantitas quædam virtutis ipsius Angeli. Ita Molina, Suarez, & Gregorius de Valentia locis citatis; eademque plane est mens authorum quintæ sententiæ, qui, vt dictum, non excludunt medium per modum formæ, sed solum per modum subiecti. In quo etiam recte discrimen constituunt inter corpus & Angelum. Quia causa & ratio materialis, seu quasi subiectiua, per quam corpus circumscriptiue est in loco, est quantitas corporea, vt dictum: hanc vero non habet Angelus; sed habet tamen quasi quantitatem virtutis, in ipsamet perfectione suæ entitatis & substantiæ positam, per quam fit, vt possit esse in tanto vel tanto loco; Ergo loquendo de causa & ratione quasi materiali & subiectiua, Angelus immediate per suammet substantiam, mediante tamen, vt dictum, per modum causæ & rationis formalis ipso vbi intrinseco eiusdem, est in loco. Et confirmatur ex dictis dubio primo. Nam & sua entitate ac substantia necessario Angelus est in aliquo loco, seu diuisibili, seu indiuisibili: quantitate autem illa perfectionis substantialis fit, vt possit esse in tanto, & non in maiori loco, vt dictum.

18 Assertio VI. Loquendo de ratione, & causa extrinseca, existendi in loco, causa quidem efficiens principalis, vel est DEVS, dum Angelum creat in tali loco; vel ipse Angelus, sese hoc aut illo loco constituens: secundaria per modum applicantis, est voluntas Angeli; hac enim pro arbitrio potest esse in hoc vel illo, atque etiam in maiori vel minori loco, intra latitudinem tamen loci adæquati: per modum vero exequentis, est ipsamet potentia motiua Angeli. Causa finalis est, aut quies in loco, aut etiam operatio aliqua transiens.

Vtraque enim de causa Angelus locum aliquem occupat V. G. cælum, vt ibi Dei fruitione beatus & quietus degat; terram, vt ibi varia ministeria obeat, vti patebit quæstione sexta. Quæ omnia fere etiam notauit Molina loc. citat. & partim ex terminis patent; partim magis declarabuntur in sequentibus.

19 Ex quibus colligitur primo, quid de sententiis superius relatis sentiendum sit. Prima enim intellecta, vt sonat, eodemque modo septima, plane falsa est, ex prima & tertia assertione. Secunda, tertia, & quarta falsa est, siue loquantur authores illi (vt sane loquuntur) de ratione formali, siue siue de ratione quasi subiectiua, per quam Angelus est in loco, ex assertione secunda & quinta: ad verum autem sensum possent reduci, si de causa extrinseca finali loquerentur; iuxta sensum assertionis sextæ: sed huc non respexerunt citati authores; neque de hoc proprie est controuersia. Si tamen, quod circa quartam sententiam retulimus, per potentialem applicationem virtutis ad operandum, intelligatur ipsa locatio Angeli, qua se secundum suam substantiam præsentem seu indistantem constituit alicui loco; quo fit, vt iam saltem possit in eo loco operari, non differet hæc sententia à nostra, nisi in modo loquendi, in quo tamen ipso & obscuritas, & minus propria loquendi ratio displicet. Quinta sententia verissima est, iuxta sensum assertionis quintæ.

Vbi præterea obseruandum, etsi hoc loco quæstio sit, & controuersia, per quidnam proprie & formaliter Angelus sit in loco, quod quidem inprimis ad ipsam causam seu rationem formalem, per quam Angelus est in loco, pertinet; 20 nihilominus tamen id etiam referri posse, ad immediatam causam seu rationem subiectiuam, hoc sensu, vt per eam dicatur Angelus esse formaliter in loco, non tanquam per causam formalem, sed subiectiuam; adeoque vt vocula *formaliter* appellet verbum esse in loco, non ipsam rationem, per quam Angelus dicitur esse in loco. Sicut dicere possumus, corpus formaliter esse in suo loco per quantitatem, non quod quantitas sit ipsa ratio formalis existendi in loco, sed quod sit ratio immediata ex parte subiecti, per quam subiectum aptum est esse hoc modo in loco, & cui per se primo conuenit, eo modo esse in loco.

Hoc ergo sensu rectissime dicere potuerunt authores illi, Angelum formaliter esse in loco per suammet substantiam immediate, hoc est, nulla alia ratione ex parte subiecti, seu per modum causæ subiectiuæ mediante: cuius oppositum in corporibus accidit, vt dictum.

Sexta sententia hæc ad mentem authorum 21 quatuor posteriorum modorum, nec ad quæstionis statum, seu rem ipsam, de qua proprie quæstio est, satis videtur respexisse: siquidem operatio ipsa aliquid plane extrinsecum est Angelo; ac proinde per eam Angelus ipse proprie ac intrinsece non est in loco, nisi velut per causam quasi finalem, vti dictum. Octaua denique sententia coniuncta quintæ nobis probatur, quam assertion. quarta & quinta probauimus & explicauimus, siquidem, vt dictum, quinta sententia octauæ minime aduersatur, sed plane cum ea congruit, iuxta diuersam acceptionem rationis illius, per quam Angelus est in loco, vt dictum.

Colligitur secundo, quid hac in re de sententia Sanct. Thomæ iudicandum sit. Quamuis enim 22 & ipse diuersis locis, varie de hac re locutus sit, vt vidimus, & varie etiam ab eius sectatoribus explicetur & defendatur, vt superius quoque retulimus, considerando tamen postremam eius resolutionem, quam hic quæst. 52. art. 1. in summa

nobis

nobis expoſuit, videri poteſt eius ſententia ab ea, quam explicauimus, reipſa non valde eſſe aliena, neque forte niſi in modo loquendi differre. Itaenim loquitur ibidem: *Corpus eſt in loco per hoc, quod applicatur loco, ſecundum contactum dimenſiuæ quantitatis, quæ quidem in Angelis non eſt; ſed eſt in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercunque, dicitur Angelus eſſe in loco corporeo.* Vbi per *virtutem* plane intelligit ipſam quantitatem virtualem (vti antea vocauerat) perfectionis ſubſtantialis, quæ in Angelo eſt; & reſpondet quodammodo quanticati corporis locati, vt ipſe antea dixerat, & nos ſuperius explicauimus aſſert. 5. Vnde etiam idem ſanctus Thomas quæſtione 53. articulo 2. ad 2. ait: *Dum Angelus mouetur, eius eſſentiam* (quam nimirum antea dixerat virtutem) *applicari diuerſis locis.* Per *applicationem* autem illam *qualitercunque*, intelligit ipſam præſentiam ſeu vbi locale, à quocunque demum cauſatum, ſeu quocunque modo quoad cætera, nimirum ſecundum operationem, aut quietem, ſe ſe habens: etſi idem ſanctus Thomas in 1. ſent. loco citat. plane videatur ſenſiſſe, Angelum formaliter non eſſe in loco, niſi per operationem aliquam tranſeuntem; ſine qua etiam eum nullibi futurum dixerat, vt ſupra retulimus dubio 2. aſſert. 2. Quomodo autem cum ſententia hoc modo explicata, cohereant ea, quæ idem ſanctus Thomas quæſtione 52. articulo 3. docet, non poſſe duos Angelos ſimul eſſe in eodem loco, fateor difficile eſſe explicare: tametſi hæc difficultas in omni fere etiam ſententia, ſiue explicatione ſancti Thomæ locum habeat; ſiquidem etiam eius diſcipuli fatentur, ex mente ſancti Thomæ non eſſe opus actuali operatione, vt Angelus ſit in loco; ſed ſufficere applicationem qualemcunque; multo minus opus erit, vt tanquam cauſa totalis operetur in loco. Ad quem modum etiam Molina quæſtione 53. articulo 1. contra Thomiſtas ſatis oſtendit, ea, quæ de loco, & motu locali Angeli, ex mente ſancti Thomæ, vt putant, ipſi aſſerunt, non ſatis inter ſe cohærere. Sed hac de re plura dubio 6.

DVBIVM IV.

Vtrum Angelus ſimul poſſit eſſe in pluribus locis; & an neceſſariò ſit in loco ſibi adæquato, & quanto, quoue modo figurato.

S. Thom. 1. p. q. 52. a. 2.

1 COnſiderata quaſi ſubſtantia ipſius loci, ſeu vbi localis Angelici, ſequitur vt eius quantitatem inueſtigemus, ſiue diſcretam, in multitudine locorum inter ſe non coniunctorum poſitam, ſiue quaſi continuam, in certa vnius loci magnitudine conſiſtentem, cui ſimul etiam annexa eſt conſideratio de figura loci Angelici.

2 Aſſertio I. Angelus naturaliter non poteſt eſſe in locis pluribus ſeparatis & diſſitis, adæquatis. Ita Theologi omnes, cum Magiſtro in 2. diſtinctione 2. & ſancto Thoma hic quæſtione 52. articulo 2. Ratio eſt. Quia locus adæquatus dicitur ille, qui adæquat ipſam vim exiſtendi in loco ex parte locati: Ergo ſi Angelus habeat locum adæquatum, impoſſibile eſt, vt maiorem locum occupet; & per conſequens etiam multo magis, vt locum alium plane diſtinctum, & ſeparatum occupet; quia plus eſt occupare locum alium plane diſſitum, quam locum maiorem propinquum & contiguum, ſiue continuum. Quare hoc ipſo, quod Angelus naturaliter eſt, & ponitur in locis pluribus, ſiue coniunctis, ſiue diſſitis, fieri non poteſt, vt vllus ex illis ſit adæquatus.

3 Aſſertio II. Sed neque Angelus naturaliter eſſe poteſt in locis pluribus ſeparatis & diſſitis, etiam inadæquatis. Hæc aſſertio eſt contra Ferrarienſem 3. cont. gent. cap. 68. & Caietanum hic cit. quæſtione 52. articulo 2. qui docent Angelum poſſe eſſe in locis diuerſis etiam diſſitis, ita tamen vt ſi contigua fierent, aut continua, vnum locum adæquatum non excederent. Quod ferè etiam docuit Dionyſius Ciſtercienſis in 2. diſtinctione 6. quæſtione 1, articulo 1. nec diſſentire videtur Marſilius in 2. quæſt. 2. articulo 2. & fauent Scotus in 2. diſtinctione 2. quæſtione 7. & Gabriel quæſtione 2. articulo 3. dub. 3. qui docent, nihil in alterutram partem certi affirmari poſſe.

4 Sed noſtra aſſertio eſt communior Theologorum; quam inprimis tradere videtur ſanctus Thomas citat. quæſtione 52. articulo 2. Cum enim ex inſtituto rem hanc ibidem diſputet, nunquam tamen concedit, Angelum eſſe poſſe in pluribus locis diſſitis; ſed potius negat, vt ex ſolutionibus argumentorum cum ipſis argumentis collatis patet. Idem ſentiunt Alenſis 2. part. quæſt. 32. mem. 3. Bonauentura in 2. diſt. 2. p. 2. artic. 2. quæſt. 2. Ægidius artic. 2. quæſt. 2. Argentina in 1. diſt. 37. q. 3. artic. 2. Richardus a. 2. q. 3. & Ockam quodlib. 1. quæſt. 4. dum abſolutè aſſerunt, Angelum non poſſe eſſe in locis diuerſis ſimul. Ex recentioribus vero idem aperte docent Molina hic q. 52. a. 2. Vaſquez diſp. 190. cap. 3. Suarez hic lib. 4. cap. 10.

5 Nec diſſentit Gregorius de Valentia quæſt. 3. pun. 3. Quamuis enim abſolutè aſſerat, poſſe Angelum eſſe in pluribus locis ſuæ perfectioni inadæquatis, intelligit tamen de locis pluribus coniunctis, vt mox exemplo animæ rationalis declarat. Et forte etiam Caietanus, & Ferrarienſis, cum docuerint Angelum tantummodò eſſe in loco ratione operationis tranſeuntis, ſolum intelligunt, Angelum intra latitudinem vnius loci adæquati, operari poſſe in partibus diuerſis, & diſſitis, non operando in ſpatio ſeu locis intermedijs; quod veriſſimum eſt, & noſtræ aſſertioni minime aduerſatur, vt bene Suarez ibidem. Siquidem hæc

Digitized by Google

operatio est illi plane arbitraria; & sicut potest nihil plane operari in toto loco, ita potest suo arbitratu in his vel illis locis, etiam inter se dissitis operari; cum secundum suam substantiam æquè ponatur præsens omnibus.

6 Ratio verò assertionis est. Tum quia hæc videtur communis proprietas rerum, vt vno tempore non possint habere, nisi vnicum vbi seu locum, non plures dissitos & separatos; vt inductione ex omnibus alijs rebus creatis patet; & maximè exemplo animæ, quænon potest plures corporis partes inter se plane discontinuas informare. Tum quia alioqui sequeretur, Angelum posse esse in locis pluribus, quamuis maximè distantibus, vt simul in cœlo & in terra, quod tamen ex scriptura & SS. Patribus refellitur; qui propterea docent, Angelum certo loco definiri & circumscribi, vt dictum dubio 1. Optime Didymus lib. de Spiritu sancto: *Angelus* inquit, *qui aderat Apostolo in Asia, non poterat adesse alijs in cæteris partibus mundi constitutis.* Et Damascenus libro secundo fid. cap. 3. dicit Angelos, vbi imperatum fuerit, *illic spiritualiter adesse, & operari, neque eodem tempore hic, atque illic esse, atque operari posse.* Et rursum: *Circumscripti quidem*, inquit, *sunt: neque enim in cœlo versantur, cum in terra sunt, neque cum à DEO ad terram mittuntur, in cœlo remanent.* Neque vllum argumentum suppetit in contrarium, quod vim habeat.

7 Assertio III. Locus tamen adæquatus Angeli non est punctum indiuisibile; sed locus quantus: ac proinde Angelus non est necessario in puncto aliquo solum indiuisibili; sed potest per suam substantiam immediate præsens esse in loco aliquo quanto; adeoque etiam simul indiuisibiliter in pluribus partibus eiusdem loci continui. Ita communis Theologorum cum Magistro & sancto Thoma locis citatis, etsi quidam olim fuerunt, qui cum existimarent, Angelum habere se per modum puncti, dixerunt, eum simul non posse esse nisi in loco punctuali, seu puncto indiuisibili, vt refert & refellit sanctus Thomas citat. quæstione 52. articulo 2. *Sed hi*, inquit, *manifestè decepti sunt. Nam punctum est indiuisibile habens situm* (hoc est indiuisibile quantitatis positionem in ea habens, velut terminus eius indiuisibilis) *sed Angelus est indiuisibile* (altiori modo) *extra genus quantitatis & situs existens: vnde non est necesse, quod determinetur ei vnus locus indiuisibilis, secundum situm; sed vel diuisibilis, vel indiuisibilis, vel maior, vel minor, secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus maius vel minus.* Ita sanctus Thomas. Ratio est ergo. Quia etsi Angelus sit indiuisibilis entitatiue, habet tamen vim existendi indiuisibiliter, in spatio seu loco etiam quanto & extenso; vti etiam anima rationalis, quæ simul indiuisibiliter informat totum corpus; adeoque plures partes corporis, continuas tamen, & in eodem spatio continuo. Idem multo magis patet in DEO: quamuis & hic vtique secundum entitatem planè indiuisibilis sit.

8 Assertio IV. Locus adæquatus Angeli secundum magnitudinem diuersus est; pro diuersitate perfectionis substantialis & naturalis ipsius Angeli: ita vt sit vel maior, vel minor, prout Angelus ipse secundum naturam maioris aut minoris est perfectionis: eumque locum Angelus naturaliter non potest excedere. Ita communis ibidem Theologorum cum Magistro, & sancto Thoma locis citatis. Ratio est. Quia sicut in corporibus locus adæquatus commensuratur quantitati molis eorundem corporum; ita in substantijs spiritualibus commensuratur quantitati virtutis, seu perfectioni spirituali earundem; non quidem supernaturali; siquidem esse in loco est proprietas solum naturalis, naturâ prior omni perfectione supernaturali; Ergo naturali. Et quia locus adæquatus adæquat vim seu facultatem existendi in loco ipsius locati; fieri non potest, vt locatum naturaliter eum locum excedat, vt dictum assert. I. Et confirmatur. Quia est alicuius perfectionis tantum locum occupare: Ergo occupare maiorem, requirit maiorem perfectionem, loquendo scilicet de loco adæquato.

Assertio V. Probabilius tamen est, posse 9
Angelum non solum secundum operationem (de quo non est difficultas, nec controuersia) sed etiam secundum suammet entitatem & substantiam, intra latitudinem loci adæquati, suo arbitratu esse in loco maiori, vel minori; & hoc quidem in infinitum syncategorematice. Hæc est planè mens sancti Thomæ citat. quæstione 53. articulo 2. in verbis antea relatis; coniunctis simul cum quæstione 53. articulo secundo ad 2. quam enim priore loco vocat *applicationem virtutis*, posteriore vocat *applicationem essentiæ*, vt etiam dictum dub. præced. Idem docent Bonauentura in secundo, distinctione 2. articulo 2. quæstione 3. ad 3. Ariminensis distinctione 2. articulo 2. Gabriel quæstione 2. articulo 3. dub. 2. Maior quæstione 9. Richardus in 1. distinctione 37. articulo 2. quæstione 2. Ægidius articulo 1. quæstione 2. Ockam quodlib. 1. quæstione 4. Marsilius in 2. quæstione 2. articulo 2. & ex recentioribus Caietanus alijque Thomistæ citat. quæstione 52. articulo 2. Molina ibidem, Suarez hic libro 4. cap. 11. adeoque communis Theologorum, contra Hibernicum quendam, relatum apud Gregorium Ariminensem loco citat. & contra Gregorium de Valentia quæst. 3. punct. 3. qui putant, Angelum secundum suam entitatem necessario esse in loco sibi adæquato, ita vt nec in maiori, nec in minori vllo modo esse possit: item contra Scotum in 2. dist. 2. qui partim rem hanc omnem censet esse incertam; partim etsi concedat eum posse esse in loco minori, negat tamen, posse esse in loco minori in infinitum: cui fere etiam consentit Vasquez disp. 191. qui putat, saltem de hoc in neutram partem nobis quicquam constare.

Ratio assertionis est. Primo enim Angeli substantia ex se vtique non est magis determinata ad certâ quantitatē loci, quâ anima humana; siquidē ille minus quodammodo dependens est à loco quā anima: hæc autem potest naturaliter esse in loco 10 1

minori

minori, quam sit eius locus adæquatus: nam infantis anima per nutritionem & augmentationem paulatim acquirit maiorem locum quam habuerat antea; Ergo & Angelus naturaliter potest esse in loco minori, loco eius adæquato. Deinde vt Angelus naturaliter sit in loco minori, quam sit locus eius adæquatus, id prouenire non potest ex aliqua dispositione corporis, cui coniunctus sit, vel in quo tanquam in loco insit, cum à nullo tali corpore vel dispositione pendeat; & hac etiam ipsa re ab anima corpus informante differat, quæ quoad informationem, & per consequens etiam quoad loci maioris vel minoris occupationem, pendeat à magnitudine corporis, quod informat. Nec vlla alia causa extrinseca potest assignari, à qua Angelus quoad hanc rem dependeat; Ergo pendet id solum ex arbitratu Angeli; ac proinde poterit is suo arbitratu esse in loco minori. Denique in Angelo cessat ratio, ob quam anima rationalis non potest esse in loco minori & minori in infinitum: ea siquidem ratio est, quod anima quoad informationem pendet à certâ quantitate corporis, velut à necessaria dispositione, sine qua non potest corpus informare, quæ ratio in Angelo non habet locum, vt patet: nec vero vlla alia causa potest assignari, quæ certum paruitatis terminum Angelo præfigat; cum sit ens spirituale, quod ex se totum in qualibet minimâ parte loci aptum est existere. Ergo potest, non solum in loco minori, quam sit locus eius adæquatus, naturaliter, idque suo arbitratu existere; sed etiam in minore ac minore in infinitum syncategorematice, suppositâ saltem communi philosophia de diuisibilitate quanti in infinitum. Accedit quod Angelus suo arbitratu hunc vel illum locum occupat; neque est quicquam quod illum necessitet, ad substantiam suam toti loco adæquato applicandum: Ergo suo arbitratu potest in loco minori se constituere. Denique difficulter alias intelligi posset, quomodo tot aliquando mali spiritus V. G. integra legio, in vno eodemque homine existerent.

11 Nec obstat, quod corpus naturaliter non potest minorem locum occupare, quam sit locus ipsius adæquatus. Præterquam enim quod hoc negari posset, si de ipsa per se corporis substantia agatur, etiam vt hac vel illa quantitate affectum est: siquidem per rarefactionem aut condensationem manente etiam eadem quantitate, vt habet communior Philosophia, reipsa corpus naturale occupat maiorem, vel minorem locum sibi adæquatum; simul etiam diuersa est ratio corporis & Angeli. Corpus enim sicut per ipsam quantitatem in loco est, ita etiam si non ipsa per se quantitate, certe tamen ipsa actuali extensione quantitatis, determinatum est naturaliter ad locum huic extensioni æqualem occupandum. Angelus vero nec quantitate, nec quantitatis extensione est in loco; ac proinde nec hac de causa, nec ex vlla alia causa, naturaliter determinatur ad certam loci quantitatem, intra latitudinem loci adæquati occupandam; sed eam suo abitratu sibi libere determinat.

Assertio VI. Non repugnat etiam Angelo, ex parte ipsius, esse in solo puncto indiuisibili. 12
Hæc assertio est contra Alensem 2. part. quæst. 32. memb. 3. Bonauenturam in 2. distinctione 2. articulo 2. quæstione 3. & Bassolem quæstione 4. articulo 2. Ægidium in 2. distinct. 37. part. 2. articulo 1. quæstione 2. qui etsi admittant puncta indiuisibilia, putant tamen, in puncto Angelum esse non posse: quibus fauent Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 6. & Vasquez disputat. 192. cap. 2. qui rem dubiam relinquunt. Omitto Gabrielem, Ariminensem in 2. distinctione 2. Maiorem ibid. quæst. 9. Marsilium quæst. 2. art. 2. Ockamum quodlib. 1. quæst. 4. & alios, qui cum negent talia puncta dari, etiam negant, Angelum in puncto esse posse: sed ij, quia præsens quæstio procedit facta suppositione eorundem, vt recte Vasquez citat. disp. 192. cap. 2. propriè huic assertioni non aduersantur. Eam vero tradunt S. Thomas quæst. 52. art. 2. & in 1. distinct. 37. quæst. 3. art. 2. item Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, Molina locis citatis, Suarez cap. 11. numero 23. item Bannes, Zumel, alijque Thomistæ recentiores communiter cit. a. 2. qui absolute etiam sentiunt, eiusmodi puncta indiuisibilia reipsa dari.

Ratio est. Tum quia Angelus, quoad vbi suum intrinsecum, à nullo penitus loco extrinseco dependet, vt supra dub. 2. dictum. Tum quia Angelus indiuisibiliter in loco suo existit; & potest esse naturaliter in loco quouis minore minimo naturali: Ergo ex se ei non repugnat, etiam esse in loco quasi punctuali seu indiuisibili. Et confirmatur. Quia Angelus existens in loco quanto & diuisibili reipsa totus indiuisibiliter est etiam in punctis quibuslibet ipsius loci continui; si modo eiusmodi puncta dentur: alias enim non haberet præsentiam continuam in toto loco, sed discretam & interceptam punctis seu lineis indiuisibilibus: Ergo non repugnat ei ex se esse in puncto indiuisibili: ac proinde cum modus existendi in loco, quoad paruitatem & magnitudinem, (intra latitudinem loci adæquati) pendeat ab eius voluntate, poterit suo arbitratu etiam esse in punctis indiuisibilibus, si ea dentur. An verò absolutè hæc puncta dentur, disputauimus supra disp. 2. q. 4. dub. 2. 13

Assertio VII. Angelus non deposcit sibi certam figuram loci; sed per se loquendo, atque intra certos terminos, potest quemuis locum cuiuscunque figuræ occupare. Ita communis Doctorum locis citatis, contra Hibernicum superius citatum, qui solus oppositum docuit, ratus Angelorum locum esse figuræ circularis tantum. Ratio assertionis est. Quia cum Angelus sit spiritualis substantiæ, nullum habens situm quantitatiuum in loco, nec ab vlla corporea dispositione pendeat, non est cur hanc potius, quam aliam figuram loci postulet. 14

Sed obijcitur ex Scoto, citat. 2. sent. distinct. 2. quæst. 6. hoc argumentum. Si enim Angelus 15

non requirit ex se certam figuram loci, tunc poterit etiam esse in quolibet quadrangulo, æquali loco ipsius adæquato, ac proinde in quolibet angustissimo quadrangulo, etiamsi magis semper ac magis (etiam in infinitum vsque syncategorematice) coarctetur, & in angustum, manente eadem magnitudine, contrahatur: Ergo etiam fieri poterit naturaliter, vt sit in aliquo loco angulari angustissimo, qui hinc à cœlo ad terram vsque pertingat & extendatur, quod tamen est contra scripturam, & SS. Patres, ex quibus colligitur, Angelos non posse naturaliter simul esse in cœlo, & in terra; sed malos ex cœlis ad terram & infernum fuisse deturbatos; bonos autem ex cœlo, & ad cœlum libere commeare. Consequentia vero probatur, ex demonstratione Euclidis 25. lib. 1. ex quo constat, omne illud quod potest esse in aliquo loco sibi adæquato, posse esse in omni alio loco eidem æquali, modo figura eius non repugnet locato: quadrangulum autem quodlibet, etsi bipedale tantum, potest, manente eadem magnitudine, ita coarctari, vt longitudine cœlum & infernum, & quoduis spatium finitum excedat; cum in infinitum syncategorematice fieri possit, & angustius, & longius: Ergo si Angelus potest esse in quolibet loco cuiusque figuræ puta quadrangularis, etiam naturaliter fieri poterit, vt Angelus simul sit in cœlo & in terra. Idemque argumentum fieri potest de figura elliptica, aut etiam triangulari, & similibus.

16 Propter hoc argumentum Scotus loco citat. ait, Angelum non posse esse in loco minori & minori in infinitum; adeoque nec in quadrangulo arctiori & arctiori in infinitum. Sed hoc primum superius assert. 5. reiecimus. Deinde non satisfacit argumento. Quia non ideo Angelus esset absolute in loco minori; cum quadrangulum ita arctatum & extensum, non sit minus quadrangulo altero habente latera ampliora, vt supponitur. E contrario Maior loco citat. non habet pro absurdo, quod infertur, nempe Angelum naturaliter in cœlo & in terra esse posse, modo dicto. Sed contra communem; nec satis consonè Patribus, vt dictum. Caietanus verò citat. quæstione 52. articulo 2. Gregorius de Valentia quæstione 3. pun. 3. & Vasquez disputat. 191. cap. 3. respondent, propositionem illam Euclidis procedere de corporibus, non de spiritibus: nec tamen vllam rationem propriam & formalem diuersitatis assignant. Et quamuis directè quidem Euclides solum loquatur de corporibus, nil tamen obstat, quò minus ea doctrina etiam spiritibus possit applicari, nisi ratio diuersitatis assignetur: alias enim ex ipsis quasi terminis vniuersalibus & communibus substantiæ tam corporeæ, quam incorporeæ, verum habere videtur.

17 Respondeo igitur cum Molina quæstione 52. articulo 2. (quem sequitur etiam Suarez hic libro 4. cap. 11. numero 20.) pronunciatum illud formaliter & vniuersaliter procedere, de re qualibet, quæ non habet terminum magnitudinis, nec secundum longitudinem, nec secundum vllam aliam dimensionem. Angelus vero, vti ex scriptura, & Patribus colligitur, habet certum terminum magnitudinis secundum longitudinem, & latitudinem: ita, vt quamuis Angeli locus non sit necessario sphæricus, tamen eius magnitudo adæquata secundum extensionem sphæricam sit computanda; vt scilicet possit quidem esse in quolibet loco cuiuscunque figuræ, qui intra talem sphæram continetur, sed non tamen in loco aliquo secundum vllam dimensionem excedente talem sphæram. Quod non aliunde, quàm ex scriptura, & Patribus, velut à posteriori colligitur, vt dictum. Accedit ratio congruentiæ. Quia cum sphærica figura sit perfectissima, recte per comparationem ad illam, spatium & extensio loci Angelici determinatur: sicut etiam terminus actiuitatis agentium naturalium secundum extensionem sphæricam determinatus est, vnde etiam vocatur *sphæra actiuitatis*. An vero Angelus in nullo penitus loco esse possit, dictum est dub. 2.

DVBIVM V.

Vtrum plures Angeli naturaliter simul esse possint in eodem loco; & quidem etiam adæquato.

S. Thom. 1. p. q. 52. a. 3.

NON est sermo de loco communi, in hoc enim plures simul esse posse constat; V. G. in cœlo; sed de proprio. Et triplex est hac de re Doctorum sententia. Prima absolutè negat, plures Angelos simul esse posse naturaliter in eodem loco. Ita sanctus Thomas hic quæstione 52. articulo 3. in corp. vbi concludit: *Cum Angelus dicatur esse in loco, per hoc, quod virtus eius immediate contingit locum, per modum continentis perfecti, non potest esse nisi vnus Angelus in vno loco.* Et resp. ad 1. absolute negat, plures Angelos esse in vno loco posse. Idem docent Bonauentura in 2. distinctione 2. part. 2. articulo 2. quæstione 4. Richardus in primo distinctione 37. articulo 2. quæstione 4. Ægidius eadem distinctione parte 2. articulo 1. quæstione 3. Capreolus in 2. distinctione 2. quæstione prima articulo 1. & Bassolis quæstione 4. articulo 4. Qui tamen diuersis nituntur fundamentis. Sanctus Thomas quidem; quia Angelus non est in loco nisi per applicationem sui, siue virtutis suæ ad operandum operatione transeunte, idque in ordine causæ secundæ, per modum causæ totalis & perfectæ; fieri autem non potest, vt sint plures causæ totales eiusdem generis & ordinis, respectu eiusdem effectus. Bonauentura vero, quia etsi hoc non repugnet secundum particularem naturam rei spiritualis, putat tamen repugnare ordini & debitæ dispositioni totius

1

vniuers

vniuersi, sicut vacuum, &c. Richardus verò, quia *non potest*, inquit, *vnus Angelus penetrare alium; quæ autem simul sunt in eodem loco, se penetrant.* Et in eundem ferè sensum Bassolis ait, hoc esse *supra cursum & modum naturæ:* Et quia alias etiamsi infiniti essent, possent esse in eodem loco adæquato.

2 Secunda sententia priorem sancti Thomæ sententiam varijs modis limitat; nimirum vt intelligatur 1. Juxta ordinarium operandi modum, maximè conuenientem naturæ Angelicæ. 2. de existentia in eodem loco adæquate. 3. de existentia in loco secundum eandem operationem. Ita Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 68. Caietanus hic citat. quæstione 52. articulo 3. & Thomistæ recentiores communiter; qui cum nolint aperte recedere à sancto Thoma, generalem eius doctrinam ad modum explicatum limitant, & tuentur; cum tamen sanctus Thomas, vt vidimus, non minus vniuersaliter fuerit locutus, quam cæteri Authores primæ sententiæ. Est igitur Thomistarum recentiorum sententia, absolutè quidem posse Angelum esse in eodem loco, saltem inadæquate; quia potest esse causa partialis duntaxat alicuius operationis transeuntis; V. G. motus localis; etsi hoc sit quasi præter consuetum modum operandi ipsius Angeli: item posse esse plures in eodem loco etiam connaturaliter, & consentaneè suæ naturæ, secundum diuersas operationes: ita vt vnus moueat motu circulari, alius motu recto; vel vterquè motu recto, sed disparato vel opposito V. G. in orientem simpliciter, in occidentem secundum quid; vel vt medijs causis secundis vnus lumen, alius calorem in eodem subiecto, V. G. in aëre ad præsepe CHRISTI producat, &c. At vero non posse plures Angelos esse adæquate in eodem loco; saltem per eandem, operationem; neque etiam inadæquate secundum consuetum & ordinarium modum operandi Angelorum: eo quod ipsis connatum quodammodò sit, esse causas totales, non partiales eiusdem effectus.

3 Tertia sententia simpliciter affirmat, posse naturaliter plures Angelos esse in eodem loco extrinseco: quam tanquam veriorem sequentibus assertionibus declaramus.

Assertio I. Non possunt plures Angeli habere idem numero vbi intrinsecum, siue in eodem, siue indiuersis locis. Hæc assertio est extra controuersiam: & patet ex dictis dubio 2. Nam vbi hoc intrinsecum identificatur cum ipso subiecto in quo est, & ab eo solum modaliter distinguitur: sicut ergo ipsæ personæ Angelorum non possunt inter se identificari, ita nec vbi hæc eorundem intrinseca.

4 Assertio II. Possunt tamen plures Angeli naturaliter simul esse in eodem spatio, seu loco extrinseco inadæquato, per immediatam præsentiam seu indistantiam substantiæ suæ. Ita absolutè docent Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 8. Gabriel quæstione 2. articulo 3. dubio 2. Ariminensis quæst. 3. Maior quæst. 10. Marsilius in 2. quæst. 2. articulo 2. Ockam quodlib. 1. q. 4. & ex recentioribus Gregorius de Valentia quæst. 3. pun. 4. Molina quæst. 52. articulo 3. Vasquez, disputat. 193. Suarez hic libro 4. cap. 9. qui contra Caietanum & Ferrariensem recte addunt, id nec superuacaneum, nec rarum, nec consueto modo agendi Angelorum saltem indeterminatè loquendo, aduersum esse. Probatur ex dictis dubio 3. Angeli enim sunt in loco propriè per suam substantiam, & cum sint expertes quantitatis & molis corporeæ, non habent repugnantiam, quo minus simul intima præsentia existant in eodem loco seu spatio; idque etiamsi Angeli in infinitum syncategorematicè multiplicentur; quantum quidem est præcisè ex natura & physica consideratione Angelorum; siue hæc mutua & intima eorundem præsentia in eodem loco seu spatio dicenda sit propria penetratio, siue non, de quo solum potest esse quæstio nominis: cum addito certè dici possit, *quasi penetratio*: frustraque dicitur, id aut ordini vniuersi, aut naturis rerum repugnare, quando id nulla potest ratione probari. Ex quibus etiam patet solutio ad singula fundamenta authorum primæ sententiæ. Et confirmatur assertio. Tum quia Angeli per præsentiam suæ substantiæ simul sunt cum anima humana in eodem corpore obsesso. Tum quia, ex scriptura, & historijs constat, aliquando ingentem multitudinem dæmonum obsidere vnum & idem corpus, vt de legione patet Luc. 8. Neque est credibile, singulos tunc esse in diuersis partibus corporis.

Assertio III. Etiamsi Angeli solum per operationem, vel applicationem ad operandum, essent in loco, adhuc tamen nihil obstaret, quò minus etiam naturaliter & conuenienter esse possent in eodem loco; tam per eandem, quam per diuersas operationes. Ita recentiores citati pro præcedente assertione, contra Caietanum, & alios. Probatur & declaratur. Quia esto naturaliter fieri non possit, vt idem effectus prodeat à duabus causis totalibus eiusdem ordinis & generis, tamen in eodem corpore duo Angeli efficere possent tum diuersos effectus, vt superius dictum, & fatentur Thomistæ; tum etiam vt causæ partiales eundem effectum V. G. eundem motum cum tanta celeritate, quanta ab vno solo effici non posset, vt recte Molina, Vasquez & alij. Neque id tunc esset superuacaneum, aut vllomodo inconueniens, sed necessarium ex suppositione talis effectus. Vt si olim ædes V. G. Lauretana esset suo loco mouenda, & in alium locum transferenda, tanta cum celeritate, quantam vnus Angelus efficere non posset; hoc enim non est impossibile: Siquidem Angelorum vis & facultas motiua est determinata & finita, tum respectu mobilis, tum respectu celeritatis in motu, vt quæstione 5. dicetur. Et sane vtraque de causa fatendum, argumentationem S. Thomæ superius pro negatiua parte allatam, non esse firmam.

Assertio IV. Vtrum Angeli plures possint esse in eodem loco indiuiduo, ex eo pendet, an dentur plures Angeli eiusdem speciei & perfectionis? Verius est, absolutè posse. Ita Molina

alijque ferè recentiores citati, assert. 2. Ratio sumitur ex dictis dub. 4. Quo enim quisque Angelus perfectior est, eo locus cuiusque adæquatus maior est: Ergo fieri non potest, vt plures sint in eodem loco adæquato, nisi sint eiusdem speciei & æqualis perfectionis; id verò ita esse ex veriori dictum est quæst. 1. dub. 5. Vnde consequenter facile suadetur æqualitas perfectionis secundum vim occupandi locum. Quanquam Gregorius de Valentia loco citat. putet etiam ob solam differentiam numericam fieri non posse, vt plurium Angelorum idem sit locus adæquatus; quod non credo; idque exemplo corporum, & ni fallor etiam animarum, satis refellitur. Atque hæc est vera resolutio de loco adæquato: huius enim rationem non esse petendam ex eo vtrum Angelus toto conatu, aut omni quam habet vi operandi, se se ad locum applicet, ex eo facile probatur, quia hac ratione semper Angeli essent imperfecte & incompletè, seu inadæquate in loco; quia nunquam aut vix vnquam operantur in loco quantum possunt; siquidem aut plura, aut idem maiori vi & celeritate operari absolute possent, siue loquamur de Angelis existentibus in cælo siue in inferno, vel in corporibus obsessis, &c. vt bene Suarez cit. cap. 9. num. 13.

7 Ex quibus etiam colligitur, non solum naturaliter posse Angelos modo explicato esse in eodem loco, sed quantum est ex naturis rerum etiam nihil obstare, quo minus ita reipsa plures sint simul in eodem loco. An verò Angeli boni, quasi ciuilitatis & mutuæ reuerentiæ ac honoris causa, vbi nulla peculiaris causa vel necessitas vrget, sibi locum quasi cedant, sicut inter homines assolet, & de animabus sanctis nonnulli docuerunt, incertum est, & liberum est cuique vt volet sentire. Probabile tamen est, quod docet Suarez, numero 7. fortasse sanctos Angelos in cœlo Empyreo non esse plures simul in eadem parte cœli, propter maiorem pulchritudinem & ornatum: secus fortasse accidere in malis Angelis inhabitantibus infernum; vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

DVBIVM VI.

An, & qua ratione Angelus possit moueri localiter, & quid motus localis ei superaddat, aliquidne intrinsecum, an potius solam denominationem extrinsecam.

S. Thom. 2. p. q. 53. a. 1.

1 ASsertio I. Angeli possunt vere moueri localiter. Ita communis & certa Doctorum sententia cum Magistro in 1. distinctione 27. vel in 2. distinctione 2. & 6. & cum sancto Thoma hic quæstione 53. articulo 1. quicquid Durandus in 1. distinctione 37. part. 2. quæstione 1. & 2. itemque Heruæus tract. de motu Angeli quæstione 1. articulo 1. & 2. negarint, Angelum vere moueri localiter: ille quia Angelum secundum substantiam putauit esse vbique; hic quia putauit Angelos non vere esse in loco; quorum vtrumque supra dub. 1. refutauimus. Probatio patebit ex assertione sequenti. Quod autem S. Thomas 3. cont. gent. cap. 102. & Ferrariensis ibidem indicant, incorporalia proprie moueri localiter non posse, id de motu secundum locum physicum accipiendum est. Etsi Molina hic qu. 53. art. 1. contra S. Thomam ibidem, & q. 52. art. 1. asserit, sicut vbi Angelicum, ita etiam motum localem Angeli, vniuoce conuenire cum vbi & motu locali corporum; illumque poni in prædicamento vbi, hunc vero in prædicamento quantitatis; de quo viderint Philosophi.

Assertio II. Angeli effectiue à seipsis & proprijs naturæ viribus moueri possunt localiter. 2 Ita communis etiam & certa Doctorum, cum Magistro & S. Thoma locis citatis; rectèque censet Suarez hic lib. 4. cap. 18. num. 3. id absque errore negari non posse; quicquid Capreolus in 1. dist. 6. q. 1. a. 1. neget, posse Angelum seipsum mouere, nisi per accidens: & quicquid etiam dubiè hac de re locutus fuerit Ariminensis in 2. dist. 6. q. 1. art. 4.

Probatur assertio primo apertè ex scriptura, 3 quę non solum motum localem Angelo tribuit, sed eum etiam ijs verbis exprimit, quæ docent, eum à principio naturali & vi intrinseca ipsius Angeli prouenire. Sic enim Iob. 2. v. 2. Satanas dicitur *circumisse terram, & perambulasse eam* Luc. 1. v. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilea.* Et v. 28. *Et ingressus ad eam dixit.* Et v. 38. *Et discessit ab illa Angelus.* Luc. 8. v. 32. *Et rogabant* (legio dæmonum) *Christum, vt permitteret eis in porcos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos.* Eodem modo Marci 1. Luc. 4. Act. 8. Ioann. 1. & 5. *exire* dicuntur ex corporibus obsessis. Item Matth. 28. v. 2. Angelus dicitur *descendisse de cælo.* & Ioann. 5. v. 4. *in piscinam.* 1. Pet. 5. *Circuit quærens quem deuoret.* Optimus etiam est locus Matth. 12. à v. 43. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Plura similia passim occurrunt.

Secundo probatur ex SS. Patribus. Dionysius 4 cap. vlt. de cœl. hier. dicit, Angelorum pedes depingi *alatos*, propter *motus celeritatem.* Tertullianus apolog. cont. gent. cap. 22. *Omnis*, inquit, *spiritus ales est; hoc Angeli & dæmones; igitur momento vbique sunt.* Gregorius Nazianzenus orat. 34. siue 2. de Theolog. *Loca omnia peragrant, omnibusque impigre adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem.* Hieronymus

epist.

epistol. 53. contra Vigilantium docet, Angelos vbique præsto esse, propter naturæ suæ celeritatem. Damascenus lib. 1. de fid. cap. 17. ait: *Angelus ob naturæ pernicitatem, & quia prompte ac celeriter transit, in diuersis locis operatur.* Similia habent Ambrosius lib. 1. de Spirit. sanct. Chrysostomus homil. 3. in epist. Hebr. Gregorius homil. 34. in Euang. Bernardus in serm. in Cant. & alij.

5 Tertio probatur assertio ratione. Tum quia Angeli cum sint spirituales substantiæ, non dependeat ab vno loco; & cum nobiliores sint quam corpora, multo magis quam ista, mouere se poterunt; cum in substantijs finitis, quæ vbique non sunt, sit cuiusdam perfectionis posse alia & alia loca occupare, & ad ea se mouere. Tum quia multo probabilius est, etiam animam rationalem separatam posse naturaliter seipsam mouere: tametsi Vasquez disp. 194. num. 8. putet, hoc ex doctrina Patrum, & scripturæ, non ita compertum esse. Certè quidem etsi de fide sit, Christi animam etiam quoad substantiam descendisse ad inferos, non tamen ex fide constat, hoc naturali, & non supernaturali virtute animæ factum. Quod autem Durandus in 1. dist. 37. part. 2. q. 2. ad 6. & in 3. dist. 22. q. 3. num. 5. ait, animam separatam secundum se nullibi esse, & inferno aut purgatorio *solum per deputationem* adesse, rectè errorem vocauit Vasquez disput. 194. cap. 2. de quo alibi.

6 Assertio III. Angelus seipsum per se mouet, & non solum per accidens. Ita communis Doctorum loc. cit. saltem eo casu, quo Angelus seipsum absque corpore, quod secũ deferat, mouet; quamuis assertio etiam extra hunc casum procedat, vt dicemus. Est autem assertio contra Capreolum loc. cit. qui vniuersim asseruit, solum per accidens Angelum se mouere posse: quasi nimirum Angelus per se solum possit mouere corpus; à corpore verò ex consequenti & per accidens simul quasi trahatur; perinde ac si quis in curru sedens directe & per se moueat currum, & ex consequenti seipsum, vel sicut anima directe mouet corpus, se verò solum per accidens vna cum corpore. Quod sane non videtur probabile, vt bene Suarez hic cit. cap. 28. cum alijs citandis pro assert. 5.

Probatur assertio. Tum quia Angelus, sicut est in loco per suam substantiam, etiamsi in eo nihil efficiat, ita potest se loco mouere, etiamsi nullum corpus moueat. Tum quia Angelus nullo vinculo reali alligatus est corpori, quod mouet, vt ab eo trahi possit; sed sola voluntate extrinsece ei coniungitur, vt contra Vasquez etiam dictũ dub. 3. Tum quia quando Angelus mouet corpus & ab vno loco defert ad alium, per se ipsum, absque impulsu impresso, (quo modo Angelum posse mouere corpora certius est, ex dicendis quæst. 5.) tunc prius quasi naturâ & ratione seipsum loco mouere debet, quam corpus mobile; quandoquidem tunc mediante motu Angeli corpus transfertur. In quem sensum Lychetus in 2. dist. 2. q. 9. ait, Quod *si Angelus sit in lapide, qui mouet lapidem, non mouebit Angelum per accidens; sed si Angelus semper vult esse præsens lapidi, necesse est, vt propria voluntate & actione se moueat, vt lapidem comitetur.* Accedit denique quod nusquam in scriptura, vel apud Patres legitur, quod corpus aliquod loco mouerit, aut alio tulerit Angelum, sed quod Angelus corpus, v. g. Habacuc in Babylonem ad Danielem, porcos in mare, &c. Recte tamen notat Suarez hic lib. 4. cap. 14. num. 1. Angelum quando mouetur cum corpore, dici posse per accidens moueri, alio sensu nimirum quia concomitanter simul cum corpore mouetur, vel quia non propter se, sed propter corpus mouetur, &c.

Assertio IV. Angelus mouere seipsum potest motu tum continuo, tum discreto. Ita expresse S. Thomas q. 53. a. 1. & communis Doctorum loc. cit. quicquid de continuo neget Hibernicus apud Ariminensem in 2. dist. 6. q. 2. & vt apparet olim etiam ipse S. Thomas in 1. dist. 37. q. 4. a. 1. & de discreto Ariminensis in 2. dist. 7. q. 3. apud Gregorium de Valentia hic q. 4. punct. 1. Probatur & declaratur. Quia motus continuus est, quando mobile locum quantum occupans, successiuè & per partes, ac sine interruptione priorem locum deserit, & alium acquirit. Motus discretus est, quando mobile locum priorem quantum simul totum deserit, & toti alteri loco simul se applicat: at vero nihil obstat, quo minus Angelus & locum aliquem quantum seu diuisibilem occupans, successiuè eundem locum absque interruptione deserat, & alium eadem ratione acquirat: vel etiam, vt priorem locum simul totum deserat, & alium nouum totum simul acquirat, siue vtrũque hoc fiat simul in eodem instanti, siue in diuerso, de quo dub. 8. quia cum sit spiritualis & indiuisibilis, non est necesse, quemadmodum in corpore accidit, vt vna pars eius prius, altera posterius eundem locum occupet, sed potest se totum simul indiuisibiliter toti loco etiam diuisibili præsentem sistere, vt pluribus dicetur dub. 7. & 8. Ergo, &c. 7

Nec obstat, quod ad motum continuum 6. Physic. cap. 4. & 10. requirit Aristoteles, vt mobile partim sit in termino à quo, partim in termino ad quem. Id enim etiam in Angelo suo modo accidit; non quod Angelus secundũ aliquam sui partem sit in termino à quo, & secundum aliam in termino ad quem; sed quia habet partem termini à quo, & partem ipsius termini ad quem; vt recte declarauit S. Thomas hic cit. art. 1. ad 1. 8

An verò si Angelus esset solum in aliquo puncto indiuisibili, moueri posset motu continuo, nõ est operæ pretium hic fusè disputare: eadem enim difficultas est, quæ de ipso puncto indiuisibili quãtitatis, si separatum constitueretur. Et vero quãuis negatiuam sententiam tradat Aristoteles 6. Physic. tex. 32. eo ipso argumento, quia hoc mobile non potest partim esse in termino à quo, partim in termino ad quem; verior tamen videtur sententia affirmatiua, quã Scotus in 2. dist. 2. q. 9. tuetur, & sequuntur etiam Vasquez disp. 195. cap. 6. & Albertinus tom. 1. princ. 1. coroll. 46. dub. 4. quia ad motum continuum, in re indiuisibili, absolute loquendo, sufficit, vt mobile successiuè & continuo alium & alium locum, seu Vbi acquirat. Et cum in motu continuo & successiuo corporis nullum sit punctum, quod non simul etiam 9

cum eo vtique successiue moueatur; cur id repugnabit puncto separato; si modo puncta eiusmodi dentur? Quod si quis vrgeat, hinc consequens esse, punctum puncto, & instanti instans immediate subsequens esse, is hoc solum efficiet, vt absolute concedamus, eiusmodi puncta non dari, de quo disp. 2. q. 4. dub. 2.

10 Atque hactenus explicauimus, an & qua ratione, generatim loquendo, moueri possit Angelus: quid vero sit ipse motus localis Angeli, quidque ei superaddat, iam restat explicandum. De qua re sunt tres Doctorum sententiæ. Prima absolute docet, motum in Angelo solum esse formam seu denominationem extrinsecam, nempe vel præsentiæ denominationem à loco extrinseco; vel distantiæ à fixis partibus mundi. Ita docent Ægidius in 1. distinct. 37. part. 2. art. 2. quæst. 1. Ariminensis in 2. dist. 6. quæst. 1. art. 2. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 102. Caietanus hic q. 53. *art* 1. quorum nonnulli idem etiam docens de motu corporum. Fauet huic sententiæ tum Aristoteles 4. Physic. cap. 7. text. 59. vbi ait: *Sola latione nihil in hisce, quæ insunt sibi, mutatur*: tum etiam Sanctus Thomas hic q. 53. a. 1. vbi obscure ait, motum localem nihil aliud esse, quam *diuersos contactus diuersorum locorum* successiue; quod tamen, vt de loco dictum dub. 3. in varios posset sensus accipi. Et infra q. 100. art. 3. docet, Angelos mouere posse corpora secundum locum, non tamen alio motu, quia corpus per motum secundum locum *non est in potentia ad aliquid intrinsecum*. Quare Molina hic q. 53. a. 1. ita etiam S. Thomam intelligit; sed quem non sequitur, vt dicemus.

11 Secunda sententia distinguit; idque rursum dupliciter. Quidam enim dicunt, priorem sententiam veram esse, quando Angelus solum mouetur motu corporis, quod mouet; non autem, quando per se absque motu corporis mouetur. Ita refert Vasquez cit. disp. 195. cap. 2. & Suarez lib. 4. cap. 12. num. 4. idque significat Ferrariensis cit. cap. 102. At vero ipsemet Vasquez cap. 4. aliter distinguit. Fatetur enim quidem, quando Angelus solum per accidens vna cum corpore mouetur, nullam fieri in ipso intrinsecam mutationem; fieri autem, quando per se mouetur loco, eo quod tunc Angelus verum modum realem vnionis acquirat, quo coniungatur realiter alicui corpori, vt dictum supra dub. 3. at vero simul ait, motum localem formaliter non consistere in acquisitione aut variatione illius modi, sed in extrinseca quadam denominatione distantiæ à punctis fixis, ita vt terminus motus non sit motus ille realis, sed distantia. Vbi eadem ratione putat, etiam animam in corpore, & corpus Christi sub speciebus, moueri localiter solum per denominationem extrinsecam.

12 Tertia sententia vniuersim docet, tam corpus, quam Angelum non moueri localiter, nisi per mutationem intrinsecam in ipsis receptam, quam vt veriorem sequentibus assertionibus explicamus.

13 Assertio V. Omnis motus localis Angeli, siue per se, siue per accidens loco moueri dicatur, est mutatio quædam realis intrinseca in ipso Angelo, adeoque vera acquisitio noui termini realis & intrinseci. Hanc assertionem aperte tradit Lychetus in 2. distinct. 2. quæstion. 9. & 10. Molina, & Zumel quæstion. 53. articulo 1. & fuse Suarez hic lib. 4. capit. 13. & 14. qui etiam cap. 12. eandem sententiam vocat communem Scholasticorum; tametsi veteres ex instituto hac de re vix differant. Ita tamen sentire videtur Alensis 2. part. quæstion. 33. membr. 1. & 3. inter se bene collatis, apertius Scotus in 2. distinct. 2. quæstion. 9. & 10. & in 4. distinct. 10. quæstion. 6. vbi docet, corpus Christi moueri proprio motu, quando cum speciebus defertur. Quare Scotum in hanc quoque sententiam citant Lychetus loco citat. Herrera, & Pesantius infra. Consentit Richardus in 1. distinctione 37. articulo 3. quæstione 1. præsertim ad 5. & Bonauentura articulo 1. quæstion. prima. His addit Suarez ex recentioribus Herrerum in 3. distinction 7. disputat. 2. & 3. Malonium in 2. distinct. 8. disputat. 14. iunctâ 15. & Pesantium 1. part. quæstion. 53. articulo 1. disputat. 3. Imo ipsemet Sanctus Thomas in 1. distinct. 37. quæstion. 4. articulo 1. ad 1. non parum eidem sententiæ fauet, dum dicit, propositionem Aristotelis 3. physic. text. 9. quod *motus est actus imperfecti*, habere locum in Angelo etiam beato: cum tamen constet Aristotelem illic loqui de subiecto motus.

Probatur assertio. Tum quia motus localis 14
corporis subiectiue & realiter est in ipso corpore, vt non solum habet communis Philosophorum & Theologorum sententia, consentiente quoque Vasquez 1. part. quæstion. 29. cap. 3. & disputat. 188. capit. 7. sed etiam aperte tradit Aristoteles 9 Metaph. text. 9. & lib. 3. Physic. cap. 3. vbi ait, *Perspicuum est, motum esse in eo, quod mouetur*: id quod ex ipsa etiam definitione motus colligitur, dum dicitur, *actus entis in potentia*, quod ens non est aliud, quam ipsum mobile. Ergo motus habet terminum realem & intrinsecum in ipso corpore, cum quo identificetur: Ergo in Angelo; siquidem quoad hoc est par ratio corporis & Angeli. Tum quia motus localis est aliquis effectus positiuus realis, qui de nouo producitur, vti patet: Ergo habet terminum realem de nouo productum, at non alium, neque alibi, præterquam in ipso mobili; siue hoc mobile sit corpus, siue Angelus: siquidem impossibile est, vt motus localis sit forma alterius subiecti, quam ipsius mobilis, quod denominat. Denique supra dub. 2. probatum est, tam in motu locali Angeli, quam corporis terminum positiuum realem & intrinsecum, qui per motum acquiritur, esse ipsum Vbi intrinsecum, Vnde est.

Assertio VI. Terminus qui per motum local- 15
lem ab Angelo acquiritur, non est aliqua vnio realis Angeli cum corpore, quæ moto etiam corpore, simul cum Angelo inuariata permaneat, sed modus realis intrinsecus ipsius Vbi localis; qui toties mutatur & variatur, quoties Angelus per se siue per accidens loco mouetur, mutata nimirum distantia ad fixas partes mundi.

Digitized by Google

Ita Molina, Suarez, alijque citati, contra Vasquez. Probatur ex dictis citat. dub. 3. Tum quia nulla datur eiusmodi vnio realis Angeli cum corpore. Tum quia etiamsi daretur, is tamen non posset esse terminus motûs localis: quandoquidem motu locali per se ac necessario non variatur aut mutatur, vt dictum: quare non potest etiam esse fundamentum relationis distantiæ, ad fixas partes mundi. Denique ipsemet Vasquez fatetur, eum modum non semper, neque necessario acquiri, vel haberi ab Angelo, quoties mouetur localiter.

16 Vnde sequitur altera pars assertionis. Quia per illud vbi intrinsecum optime explicantur omnia, quæ ad terminum motus localis requiruntur: nimirum 1. quod sit aliquid positiuum, reale, accidentale in ipso Angelo. 2. quod per se motu acquiratur etiam in vacuo. 3. quod motus cum illo identificetur. 4. quod semper mutetur, quoties Angelus siue per se, siue per accidens loco mouetur. 5. quod sit fundamentum distantiæ ad fixas partes mundi; quæ omnia patent ex dub. 2.

17 Et confirmantur hæc omnia ex analogia motus corporei; nam & hic alium terminum proprium ac intrinsecum non habet, quam hoc Vbi locale corporum; tum ab exemplo cœlorum inferiorum, qui motu primi mobilis mouentur; aut etiam nautæ, qui motu nauis mouetur; imo etiam animæ in corpore, & corporis CHRISTI sub speciebus; nam & hæc nouum Vbi intrinsecum acquirunt, quoties loco mouentur; etiamsi per accidens tantum moueantur; vt suo loco docuimus, & rectè etiam tradit Suarez hic cap. 14. Neque propterea vel corpus Christi in hostia, vel anima in corpore, simpliciter & absolutè dicenda sunt per se moueri; quia vis motiua non directè, sed indirectè solum illis applicatur; ita vt moueantur solum ad motum alterius; qui est vnus ex præcipuis modis motûs per accidens, iuxta Aristotelem 5. Physic. capit. 1. etiamsi non moueantur per accidens alio sensu, quasi formaliter moueantur per solum motum alienum.

18 Ex quibus etiam dissoluuntur fundamenta sententiarum oppositarum; vt nimirum 1. quod motus localis, etiam corporum, solum sit denominatio extrinseca: vel 2. quod Angeli non noueantur loco, nisi secundum operationem transeuntem. vel 3. nonnisi per vnionem realem & formalem cum corpore, &c. quæ falsa esse, ex dictis constat. Aristoteles autem in contrariû citatus loquitur de termino motus, qui sit res distincta à subiecto, vt est forma substantialis, quantitas, qualitas, &c.

19 Assertio VII. Tametsi vero, vt dictum, in omni motu locali Angeli, Vbi eius intrinsecum realiter aliquo modo varietur; non tamen quolibet motu locali Angeli terminus positiuus acquiritur, & amittitur, sed præter motum localem, quo Angelus amisso priori Vbi locali intrinseco, acquirit nouum Vbi locale intrinsecum, esse potest in Angelo etiam alius motus localis, quo vel toto permanente priori Vbi locali, accedat eidem solum noua pars Vbi localis; aut quo parte solum prioris Vbi localis permanente, pars solum aliqua amittatur; ita vt in primo casu motus quidem localis Angeli sit inter terminos positiuos, & partim deperditiuus, partim acquisitiuus: in secundo tamen sit mere acquisitiuus, adeoque inter terminû à quo priuatiuum, qui est priuatio maioris Vbi, & terminum ad quem positiuum: in tertio sit mere deperditiuus siue priuatiuus inter terminum à quo positiuum, & terminum ad quem priuatiuum. Ita Suarez hic lib. 4. cap. 16. & patet ex dictis supra dub. 3. assert. 5

Probatur assertio Quia Angelus suo arbitratu 20
potest esse in loco adæquato, vel inadæquato, idq; per Vbi diuisibile in ordine ad locum, vt ibidem diximus. Ergo potest vel totum priorem locû amittere, & acquirere nouum; vel in loco inadæquato existens, potest suum Vbi extendere, retento quidem priori Vbi, sed noua ad eum facta accessione: vel in loco adæquato, aut etiam inadæquato existês potest contrahere se ad minus Vbi, sola parte prioris Vbi amissa, vt ibidem diximus. Qua ratione etiam in locali motu Angelorum omnis illa varietas cernitur, quam Aristoteles 5. Physic. cap. 1. generatim motui attribuit, vt nimirum sit, vel à subiecto ad subiectum, vel a non subiecto ad subiectum, vel à subiecto ad non subiectum.

Contrarium tamen docet, non solum Bassolis 21
in 2. dist. 2. q. 4. a. 1. & quotquot cum illo sentiunt, Angelum per suam substantiam esse non posse nisi in loco adæquato; sed etiam qui negant, Vbi locale Angeli, ex parte loci seu spacij, esse extensum & diuisibile; qui proinde asserunt, quoties Angelus se in eodem loco permanens, ad maiorem locû extendit, aut contrahit ad minorem, semper amitti prius Vbi, & acquiri nouum, vt cit. dub. 3. retulimus. Sed quas sententias ibidem refutauimus; vbi etiam diximus, esse quoad hoc discrimen inter corpora, & Angelos, illa enim cum non possint esse nisi in locis adæquatis, non possunt localiter moueri nisi à termino positiuo, ad alium positiuum, non autem à positiuo ad priuatiuum, vel à priuatiuo ad positiuum, vt consideranti facile patebit.

DVBIVM VII.

Vtrû Angelus possit moueri de extremo ad extremû, seu ab vno loco ad aliû sine trâsitu per mediû.

S. Thomas p. 1. p. 53. art. 2.

PRoponit S. Thomas loc. cit. hanc difficultatem 1
sub terminis paulo generalioribus, idq; dupliciter: nam initio citatæ quæstionis 53. ita articuli secundi argumentû proponit, *Vtrum Angelus moueatur de loco ad locum, per transeundo medium*, at verò titulus, qui eidê articulo præfigitur ita habet, *Vtrû Angelus transeat per medium*, scilicet dum mouetur. Et vero res omnis eodem fere pertinet; siquidem cum in quouis motu Angelico, quo priori loco diuisibili relicto, nouus locus acquiritur, inter principium prioris loci, & extremum alterius (quæ sunt duo quasi extrema) intercedant plura loca media, ita vt Angelus semper in priori ac priori

motum

motum sistere, ac ibi quiescere potuerit, quæstio hæc ad omnem motum localem Angeli potest extendi, saltem eũ, quo, vt dictum, Angelus priori loco diuisibili relicto, alium acquirit. Respondet vero S. Thomas loc. cit. motu quidem continuo Angelum ab vno extremo in alterum moueri non posse, nisi transeat per medium; per motum vero discretum posse: de quorum tamen verborum sensu, quoad posteriorem partem, non minus, quam de re ipsa est controuersia.

2 Etenim quod dicitur, Angelum posse motu discreto moueri de extremo ad extremũ, dupliciter intelligi potest, vel de loco medio participante, ab vtroque extremo, vel de loco medio non participante. Sit enim V. G. locus Angeli decempedalis, & moueat se Angelus in alterum locum decempedalem contiguum, & adæquate à priori diuersum; tum inter initium primi, & extremum secundi loci designari possent alij infiniti (syncategorematice) decempedales loci communicantes seu participantes; non communicans autem locus nullus; cum nullum plane sit spatium, imo nec punctum intermedium, quod non vel ad priorem vel ad posteriorem locum pertineat, & sub eo contineatur. Moueatur porro idem Angelus à priori loco ad alium non contiguum, sed decempedali V. G. spatio distantem, tum locus medius non communicans erit decempedalis. Nunc igitur est quæstio, quo modo vel ex mente S. Thomæ, vel secundum rei veritatem, possit Angelus de extremo ad extremum locum, siue motu continuo, siue motu discreto, naturaliter moueri, non transeundo per medium; an scilicet hoc intelligendum sit, de medio communicante tantum, an de vtroque, an de neutro: quæ quæstio solet à nonnullis etiam sub his terminis proponi, vtrum Angelus moueri possit naturaliter ab vno loco ad alium etiam distantem, & non contiguum. Dico naturaliter, quia omnes supponunt, supernaturaliter, & per absolutam Dei potentiam hoc fieri posse.

3 De hac re sunt tres Doctorum sententiæ. Prima vniuersim affirmat, posse Angelum absque transitu per medium moueri motu discreto, ab vno loco ad alium, etiam distantem, & non contiguum. Ita docent Heruæus in 1. dist. 37. q. 1. a. 2. & tractatu de motu Angeli q. 1, 3. & 4. Marsilius in 2. q. 7. a. 3. Carthusianus in 1. dist. 37. q. 4. Capreolus in 2. dist. 6. q. 1. a. 1. Hispalensis dist. 6. q. 2. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 102. Caietanus, & plerique Thomistæ recentiores hic q. 53. a. 2. Vasquez disp. 196. cap. 2. & tribuitur etiam communiter S. Thomæ cit. q. 53. a. 2. non solum ab auctoribus huius sententiæ, sed etiam à Suarez hic lib. 4. c. 18. & inclinant etiam Henricus quodlib. 4. q. 17. & Ariminensis in 2. d. 6. q. 3. a. 2.

4 Secunda sententia absolute ac vniuersim negat. Ita sentire videntur Alensis 2. part. q. 33. mem. 2. Albertus in 1. dist. 37. art. 23. Bonauentura dist. 37. part. 2. art. 2. q. 2. Richardus a. 3. q. 2. Ægidius 2. part. dist a. 2. Henricus quodlib. 13. q. 7. quam proinde communiorem inter antiquos Theologos vocãt Richardus loc. cit. & Suarez hic lib. 4. cap. 19. num. 1. Quibus etiam Alberinus tom. 1. princip. 1. coroll. 16. pun. 1. accenset Molinam, sed qui de loco solum distante loquitur.

Tertia sententia est, posse Angelum motu discreto, de extremo moueri ad extremum, sine transitu per medium non participans, seu quod idem est, posse moueri sine medio de extremo ad extremum locum coniunctum vel contiguum, non distantem & dissitum, aliquo spatio inter vtrumque interiecto, nisi hoc ipso spatio prius transito. Ita cum Scoto in 2. dist. 2. q. 12. siue vltima, docent & distinguunt Gregorius de Valentia q. 4. pun. 1. Albertinus loc. cit. à num. 4. & videtur, vt dictum, consentire Molina hic q. 53. a. 2. Eademque plane, vt bene citauit Gregorius de Valentia loc. cit. est sententia Gabrielis in 2. dist. 2. quæstion. 3. vbi expresse dicit, *Angelum posse mutari de loco ad locum, & non per medium, si termini illius mutationis sunt indistantes; si vero termini distent, per medium* (scilicet non communicans) *non posse* naturaliter ita moueri. Quanquam à nonnullis in eam sententiam referatur, quasi dixerit solum posse Angelum motu discreto moueri sine transitu per medium, cum est in loco inadæquato, & mouetur ad locum contiguum adæquatum, v. g. ex loco bipedali extendendo suam præsentiam ad decempedalem; non autem, cum est in loco adæquato: cum tamen hac in re de loco adæquato vel inadæquato Gabriel nihil distinguat. Ad eundem sensum recte etiam à Valentia intelligitur Richardus loc. citat. quia loquitur de medio inter duo loca Angeli interiecto. Eadem procul dubio est sententia Suarez hic lib. 4. cap. 19. quamuis enim absolute negatiuam sententiam, vt probabiliorem tueatur, semper tamen loquitur de motu ad locũ distantem. Hanc igitur sententiã, cũ & ego probabiliorem semper existimauerim, sequentib⁹ assertionib⁹ declaro.

Assertio I. Motu continuo non potest Angelus de loco moueri ad locum, siue communicantem, siue non communicantem, & siue interiecto spatio distantem, siue contiguum, absque transitu per medium. 6 Ita communis omnium, quos citaui, cum Sancto Thoma hic cit. q. 53. art. 2. adeo vt hæc assertio sit inter Doctores plane certa, & extra controuersiam: quam etiam optime probat S. Thomas ibidem. Quia iuxta Aristotelem 4. Physic. tex 99. continuitas motus localis secundum prius & posterius sumitur ex continuitate loci, secundum partes successiue deperditi & acquisiti; ita scilicet vt mobile prius veniat ad medium, quam ad extremum. Quare etiam Aristoteles de eodem motu locali loquens 6. Physic. tex. 77. ait, *quod prius ad medium oportet peruenire, id quod fertur.* Et lib. quinto, tex. 22. simili sensu ait: *Inter* (hoc est inter duo medium) *esse id, in quod prius aptum natura est peruenire id, quod mutatur, quam in quod vltimum mutatur.* Quæ omnia æquè etiam procedunt, de loco contiguo ac distante. Et confirmatur. Quia si motus est continuus, necesse est, vt etiam acquisitio termini sit continua, adeoque successiua: Ergo mobile non in instanti est in extremo loci, quem eo motu acquirit; ac proinde necessario

prius

Digitized by Google

prius fuit in medio; nullibi enim interim fuisse non potest, ex dictis dub. 2. Quo fit, vt motus continuus sine transitu per medium plane implicet contradictionem; ita vt nec per absolutam Dei potentiam fieri possit.

7 Assertio II. Sed nec motu discreto Angelus naturaliter moueri potest, ab vno loco ad alium, interiecto spatio distantem, sine transitu per medium: ac proinde non potest moueri ab extremo ad extremum, sine transitu per medium non communicans, si quidem tale medium inter extrema sit interiectum. Ita sentio cum authoribus secundæ & tertiæ sententiæ, contra primam sententiam; quæ etsi non sit omnino improbabilis; minus tamen probatur; non solum quia hæc opposita est comunior veterum Scholasticorum, vt dictum, sed etiam quia melioribus rationibus nititur. Cum oppositæ sententiæ authores fere non nisi falsis fundamentis nitantur, vt dicetur.

8 In rationibus autem pro hac assertione referendis, tametsi Authores discrepent, & vero difficile sit, rationem à priori, aut plane conuincentem adferre, vt patet ex ijs, quæ fuse disserit Suarez cit. cap. 19. mihi tamen hæ maxime probantur. Prima sumitur à posteriori seu effectu. Quia minus est agere in distans, seu virtutem vel actionem suam transmittere in distans, sine transitu per medium, quam suam substantiam in loco distanti collocare sine transitu per medium: sed Angelus non potest naturaliter agere in distans, nisi transmittendo virtutem seu actionem per medium, vt patebit quæst. 5. Ergo, &c.

9 Secundo; Eadem quoad hoc videtur proportio inter duo loca extrema, quæ aliquo medio seiuncta sunt, quæ est inter tempus præteritum & futurum, quæ tempore seu nunc præsenti intermedio seiunguntur: at vero impossibile est, vt supposita exsistentia temporis, res aliqua, in suo Esse permanens, à tempore præterito transeat in futurum, nisi per medium tempus seu nunc præsens: Ergo etiam impossibile est, vt res aliqua in suo esse permanens naturaliter transeat de extremo ad locum extremum distantem, sine transitu per medium, vt argumentatur etiam Gabriel loc. cit. Fateor tamen esse aliquam disparitatem, inter tempus & locum; quia eum tempus intrinsece successiuum sit, non potest nec discreto quidem motu, aut per vllam etiam potentiam, res in suo esse permanens coexistere tempori præterito & futuro simul aut successiue, nisi per medium transeundo, coexistat etiam ipsi Nunc temporis præsentis; quare etiam ratio præsens etsi non omnino conuincat, facit tamen rem probabilem.

10 Tertio, si Angelus posset moueri ad locum distantem, sine transitu per medium, nulla causa esset, cur non vno instanti ad quemlibet locum remotissimum naturaliter se posset transferre; ita vt cum toto tempore præcedente quieuisset in cœlo Empyreo V. G. vno momento posset esse in terra, vel in purgatorio: at hoc videtur incredibile & plane excedens vires naturales substantiæ creatæ: esset enim hac ratione virtus motiua Angeli, quasi infinita; cum etiam multiplicata in infinitum distantia loci, par facilitas esset, illic momento sit collo candi; neque hac ratione inter Angelos quoad celeritatem motus esset differentia. Quarto. Nullum corpus, seu res naturalis nobis cognita potest moueri de loco in locum distantem, absque transitu per medium; neque vlla ratio, aut experientia, vel authoritas probat oppositum de Angelo: Ergo probabilius est, nec Angelum id posse.

11 Assertio III. Potest tamen Angelus motu discreto naturaliter se mouere ad locum coniunctum, vel contiguum, siue communicantem siue non communicantem cum priore, absque transitu per medium. Ita authores primæ & tertiæ sententiæ, adeoque communis Theologorum; cui existimo, etiam ex authoribus secundæ sententiæ teipsa neminem aduersari, prætereos qui motum discretum Angeli plane negant, in quibus est Ariminensis, vt dictum dub. præced.

12 Probatur primo; Quia si Angelus motu discreto necessario transiret per loca media participantia, tum necesse foret, transire per omnia eiusmodi loca participantia; cum sit eadem ratio omnium: sed hoc est inpossibile; sequeretur enim in fine motus esse quasi nnmerata ab Angelo loca infinita participantia; quæ inter vtrumque extremum intersunt: nam motus discretus, qui per interrupta instantia fit, facit numerum; continuus non item. Quæ est ratio S. Thomæ, & Scoti locis citatis.

13 Secundo, Quia eodem modo anima rationalis V. G. simul & in instanti, adeoq; sine transitu per medium, informaret totam partem aliquam corporis, si simul dispositam reperiret. Tertio. Hoc ipso, quod Angelus motu discreto simul & in instanti se constituit in toto loco adæquato subsequente, non prius est in loco medio, quam in extremo adæquato: Ergo hoc motu non transit per medium.

14 Quarto. Moueri localiter ad extremum, transeundo per medium, proprie est acquirere prius locum medium, & eo relicto venire ad extremũ; transire enim relinquere quoddam est: atqui cum Angelus de loco ad locum coniunctum, siue contiguum, motu discreto mouetur, nullus locus medius potest assignari, ad quem ita prius moueatur Angelus, vt eũ, veniendo ad extremum relinquat: nulla enim pars loci acquiritur, quæ deseratur, vel contra: sed posterior locus totus simul acquiritur, prior itidem totus simul deseritur. Ergo impossibile est, vt motu discreto Angelus moueatur de loco ad locum coniunctum, siue contiguum, transeundo per medium: ac proinde nisi omnino negetur motus discretus Angeli, negari non potest, eum fieri absque medio participante. Diuersa est ratio corporis; quod cum plane motu discreto de loco ad locum moueri non possit, ob intimam suam extensionem & diuisibilitatem, nõ potest vllo modo de loco ad locum moueri, sine transitu per medium, vt recte etiam notauit S. Thomas cit. q. 52. a. 2.

15 Posset tamen aliquis de nomine contendendo, dicere, sufficere ad motum discretum Angeli per medium, vt prius ratione, vel natura, relinquatur

& ac-

& acquiratur vna pars loci, quam alia; sed hoc est contra receptum loquendi vsum, & proprietatem verborum, vt recte Vasquez loc. cit. quicquid in contrarium disserat Suarez hic lib. 4. cap. 22. num. 3. Cum enim Aristoteles loc. cit. dixit in motu prius peruenirì ad medium, quam ad extremum, non sane locutus est de prioritate solum rationis seu naturæ, sed temporis, cui etiam motum æquiparari docuit.

16 Argumenta vero authorum primæ sententiæ iam aliunde refutata sunt: supponunt enim plerique falsa principia; vt quod Angelus secundum se ac substantiam suam, vere non sit in loco, nec moueatur loco; sed solum secundum effectum; vt de Heruæo dub. 1. dictum: vel quod Angelus non sit in loco nisi per operationem transeuntem, seu applicationem virtutis ad illam; quam cui velit loco possit applicare; vel non applicare; vt de Thomistis dictum dub. 3. vel quod Angelus sit in loco per vnionem realem & voluntariam ad aliquod corpus; quam ita possit vni loco seu corpori etiam remoto applicare, vt non necessario etiam applicet locis seu corporibus intermedijs, vt de Vasquez dictum dub. 3.

17 Quod vero ad Sanctum Thomam attinet, equidem cum Gregorio de Valentia & Albertino locis citatis probabiliter existimo, eum reipsa à nobis non dissentire; sed locutum solummodo fuisse, iuxta sensum tertiæ assertionis, de medijs participantibus, non de alijs: quia de illis solum procedit eius ratio, non de istis; hæc enim infinita non sunt, sed illa tantum; quod etiam magis patebit eius verba considerantì.

DVBIVM VIII.

De velocitate motus Angelici: & speciatim, an & qua ratione Angelus moueri possit in instanti, maxime ad locum distantem.

S. Thomas 1. p. q. 53. a. 3.

1 EXplicata ratione motus Angelici, tum quoad substantiam, tum respectu loci seu spatij, superest, vt de eo etiam disseramus per comparationem ad tempus, quo peragitur, & ex quo etiam desumitur velocitas motus: siquidem motus localis velocior est ille, qui eodem tempore plus spatij conficit.

2 De qua quidem re, generatim loquendo, certum est, motum Angeli (pro arbitratu tamen ipsius Angeli, vt optime notauit etiam S. Thomas q. 53. a. 3. ad 1.) esse posse velocissimum, siue is motu continuo, siue discreto velit moueri. Ita enim expresse docent SS. Patres, qui propterea motum eorundem alitibus comparant, & addunt momento posse esse vbique, nempe quasi moraliter, vt retulimus supra dub. 6. assert. 2. Et ratio sumitur, tum à perfectione naturæ; quæ vti cæteras proprietates naturales, ita etiam vim motiuam vtique perfectiorem habet, quam in corporibus cernatur; spectat autem ad perfectionem facultatis motiuæ posse celeriter mouere: tum ex conditione mobilis, & habitudine Angeli ad medium; siquidem ex neutro capite, cum ipse spiritualis & incorporeus sit, vllam penitus patitur resistentiam, cum sine vlla diuisione medij, penetratione quadam peruadere & percurrere possit omnia; tum denique ex impatibilitate spiritualis naturæ, quæ nullo motus aut spatij longitudine siue continuatione fatigatur.

Duo vero sunt dubia. Primum, vtrum Angelus etiam in instanti moueri localiter possit; 3 secundo, vtrum velocitas motus Angelici sit determinata ad certum tempus, seu longius, seu breuius, pro maiori aut minori perfectione Angeli; quod sequentibus assertionibus declaramus.

Assertio I. Motus Angeli continuus fieri non 4 potest in instanti; sed solum in tempore continuo. Ita communis & certa omnium Doctorum sententia cum S. Thoma cit. quæst. 53. a. 3. neque de hoc est vlla controuersia. Ratio patet ex dictis dub. præced. Quia de ratione motus continui est, vt mobile partim sit in termino à quo, partim in termino ad quem; adeoque vt prius sit in medio, quam in extremo loco, seu termino loci, iuxta Aristotelem 6 Physic. cap. 4. & 10.

Assertio II. Nullus etiam motus Angeli, ab 5 vno loco ad alium locum ita distantem, vt cum suo spatio excedat locum adæquatum eiusdem, fieri potest, nisi in tempore. Hæc assertio est contra Albertum in 1. dist. 37. a. 23. & 24. (qui tamen non satis constanter loquitur) item contra Henricum quodlib. 13. q. 7. Ariminensem in 2. dist. 6. q. 3. a. 2. Maiorem dist. 2. q. 12. Marsilium in 2. quæst. 7. & vt citat Ariminensis contra Hybernicum; qui existimant, motu discreto Angelum moueri posse etiam ad locum ita distantem in instanti: & addit Hybernicus, ita etiam necessario moueri.

Sed nostra assertio est communis cæterorum 6 Theologorum, quam tradunt sanctus Thomas hic quæst. 53. a. 3. Caietanus, & Thomistæ recentiores ibidem, Bonauentura in 1. dist. 37. part. 2. q. 3. Richardus art. 3. q. 3. Ægidius part. 2. dist. q. 3. Scotus in 2. dist. 2. q. 11. Gabriel q. 3. a. 3. Capreolus in 2. dist. 6. q. 1. a. 1. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 102. item Gregorius de Valentia q. 4. punct. 2. Molina hic cit. q. 53. a. 3. Vasquez disp. 197. c. 2. Suarez hic lib 4. cap. 22.

Probatur assertio. Quia si Angelus hoc casu 7 moueretur in instanti, tunc simul ac in eodem instanti esset in loco medio adæquato, & vltra illum in loco remotiori; vt necessario concedunt Ariminensis, & Maior, alijque nonnulli aduersæ sententiæ authores: at vero consequens excedit naturalem virtutem ac facultatem Angeli; vt qui naturaliter esse non potest, in maiori loco, quam sit locus eius adæquatus: ac præsertim etiam quia ea ratione sequeretur, Angelum simul esse posse etiam in duobus locis adæquatis, & per consequens etiam in pluribus, imo in quibusuis locis etsi remotissimis, cum par sit ratio de duobus

locis

locis adæquatis, & de pluribus quibuslibet: Ergo naturaliter impossibile est, vt Angelus ita in instanti moueatur.

8 Fundamentum autem oppositum contrariæ sententiæ, quod successio motus solum oriatur ex resistentia medij, iuxta Aristotelem 4. Physic. falsum est; oritur enim etiam tum ex extensione mobilis; tum ex distantia terminorum; tum hac supposita, ex limitata virtute motiua, seu essendi in loco ipsius mobilis. Alias enim etiam corpus, dum moueatur in vacuo, vel in eodem instanti amitteret totum terminum à quo, & acquireret totum terminum ad quem, vel simul esset in vtroque, ac in omnibus spatijs intermedijs: quod totum etsi concedat Ariminensis, plane tamen absurdum est, & contra ipsum Aristotelem, vt bene Suarez n. 9.

9 Assertio III Imo nullus omnino motus Angeli, qui fit per medium, siue is continuus sit, siue discretus, fieri potest in instanti; sed solum in tempore, siue continuo, si motus continuus sit; siue discreto, si motus sit discretus. Hæc assertio quoad motum discretum est contra Albertum, Henricum, Ariminensem in 2. dist. 6. q. 3. a. 2. Maiorem, Marsilium, Hybernicum, locis citatis, & denique quoad modum loquendi fere etiã contra Suarez cit. cap. 22. num. 3. extra casum præcedentis assertionis. Est tamen assertio communis cæterorum Theologorum, quam tradunt S. Thomas hic q. 53. a. 3. Caietanus & Thomistæ recentiores ibidem, Bonauentura, Richardus, Ægidius, Scotus, Gabriel, Capreolus, Ferrariensis, Gregorius de Valentia, Molina, Vasquez locis citatis.

10 Probatur assertio. Quia si Angelus ex priori loco in instanti moueretur ad extremum per medium, tunc simul & in eodem instanti esset in extremo & medio, & nihilominus tamen simul moueretur per medium, adeoque pertransiret medium; sed impossibile est, vt Angelus simul & in eodem instanti sit in extremo & medio, quod pertransit: dum enim per medium transeundo venit ad extremum, necessario in instanti eius motûs terminatiuo, est extra medium: quia transire localiter per aliquid, est illud relinquendo vltra tendere. Accedit, quod de ratione motus localis per medium, est, vt prius tempore mobile sit in medio, quam in extremo, vt ex Aristotele ibidem docuimus: Ergo impossibile est vt Angelus per medium moueatur in instanti.

11 Et quia continuitas temporis est ex continuitate motus, iuxta Aristotelem 4. Physic. tex. 99. & S. Thomam cit. quæst. 53. a. 3. necesse est, vt motus continuus sit in tempore continuo; motus autem discretus per medium, fit in tempore discreto; quanquam tempus hoc Angelicum, siue sit continuum, siue non, *non est idem cum tempore, quod mensurat motum cæli, & quo mensurantur corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu cæli*; siquidem motus Angeli nullo modo pendet ex motu cœli, sed est alterius & altioris rationis; cuius mensura per se non est motus cæli, vt notauit Sanctus Thomas ibidem; etsi per accidens & secundum nos, nihil obstet motu cœli tanquam notiori mensurari etiam motum Angeli, vt rectè Caietanus ibidem.

Atque hæc ratio vniuersim procedit de quouis motu per medium, etiamsi Angelus locum solum modo contiguum & propinquum, priori relicto, occupet; imo etiamsi ex loco inadæquato solum moueatur, extensione quadam ad locum adæquatum: nam etiam huius extensionis motus propriè dici non potest fieri per medium, nisi fiat successiuè, adeoque in tempore, iuxta descriptionem motûs per medium, quam ex Aristotele exposuimus dub. præced. Simul vero etiam ea ratione probatur, nec perpotentiam quidem Dei absolutã, Angelum posse proprie loquendo, per medium moueri in instanti, nisi forte Angeli præsentia localis multiplicetur, de quo non est quæstio, vt recte Vasquez ibidem, quanquam ne hoc quidem casu, Angelus propriè, transeundo scilicet, moueretur per medium in eodem instanti, quo est in extremo; quia transire per medium est, relinquendo medium vlterius pergere: at vero si in eodem instãti simul esset in medio, & in extremo, tunc Angelus nec in eo instanti relinqueret medium, quia esset in illo; nec immediate post, quia post hoc instans non est aliud instans, nisi fortè quod correspondeat nostro tempori: Ergo necessario aliquãto tempore etiam post illud instans maneret in medio: Ergo nec quamdiu est motus relinquitur medium; nec in aliquo instanti indiuisibili subsequente motum: Ergo per motum illum nullo modo relinquitur medium.

12

13 Fateor tamen, hanc assertionem, secundum id, quod superaddit præcedenti assertioni, posse reuocari ad quæstionem nominis tantum. Nam si dicatur, ad motum localem per medium non requiri, vt mobile prius duratione sit in medio, quam in extremo, ad quod per medium transit, sed sufficere, vt prius ratione vel natura in illo sit mobile, eo modo, quo sol dicitur illuminare terram per aerẽ, in quem sensum disserit Suarez contra hanc assertionem citatus; tunc sane fatendum erit, motum discretum Angeli per medium, qui fit per solam extensionem loci inadæquati ad locum adæquatum, aut ex loco adæquato, ad alium locum adæquatum coniunctum siue contiguum, posse fieri in instanti, vt docet ibidem Suarez. Sed vt dictum dub. præced. modus hic loquendi minus proprius est: in quem sensum etiam ipse Suarez capit. 21. num. 3. dicit, Angelum occupando simul totum aliquem locum, etsi naturæ ordine prius occupet partem proximam, quam remotiorem, *non tamen dici posse transire, cum ibi permaneat.*

14 Assertio IV. An motus Angeli discretus, qui fit sine medio, fieri possit in instanti, videtur fere esse quæstio nominis; sed rectius affirmatur. Probatur & declaratur assertio. Negatiuam enim partem tuentur Sanctus Thomas hic cit. quæstio. articulo 3. alijque Thomistæ citati pro præcedenti assertione; quos sequitur Gregorius de Valen. cit. quæst. 4. punct. 2. Illi enim absolute loquuntur de motu Angeli; ac simul etiam eas rationes afferunt, quæ procedunt de omni motu, siue sit per medium, siue non.

15 Videtur autem S. Thomas pro hac sententia vti duplici ratione. Prima petitur ex ratione motus. *Quia de ratione motus est*, inquit Sanctus Thomas, *vt mobile aliter se habeat nunc, & prius*: quod fieri non potest in instanti. Qua quidem ratione, cum moueri in recto dicat existentiam mobilis, sub vtroque termino, à quo videlicet, & ad quē, procul dubio fatendum est, nullum motum fieri posse in instanti: quia non potest in eodem instanti, mobile in vtroque termino existere: quod solum vult Valentia cit. pun. 2.

16 Sed hac ratione ex præsenti controuersia solum efficitur quæstio nominis: in qua facile oppositum ex alia terminorum non minus probabili explicatione defendi potest. Nimirum, si quis dicat, de ratione motus in recto non esse, existentiam mobilis sub vtroque termino; sed solum acquisitionem noui termini, cum connotatione prioris, qui fuerit derelictus; quod plane consonat cum recepta motus seu mutationis definitione, quæ est, vt per eam *mobile nunc aliter se habeat, quam prius*; quo modo loquuntur multi Doctores inferius citandi. Qua ratione etiam plane fatendum est, motum discretum vnicum, adeoque non compositum ex pluribus mutatis esse eiusdem motus fieri posse in instanti, quod sit intrinsecum motui, & extrinsecum quieti; saltem quantum est ex ratione motus, vt dictum.

17 Secunda autem ratio S. Thomæ ad rem ipsam pertinet, & videtur esse hæc. Quia ad motum pertinet etiam initium motus: sed initium motus non est ipsum mutatum esse, sed instans aliquod præcedens mutatum esse, quod non est aliud, quam vltimum esse quietis, seu vltimum instans quietem terminans; quod semper ac necessario in omni motu interuenit. *Quia de ratione quietis est, vt quiescens non aliter se habeat nunc & prius, ac proinde in quolibet Nunc temporis mensurantis quietem, quiescens est in eodem* (statu) *& in prius, & in medio, & in vltimo. &c. vnde non est possibile, vt aliquid in toto tempore præcedente quiescat in vno termino, & postea in vltimo instanti illius temporis, sit in alio termino; sed oportet assignare Nunc in quo vltimo fuit in termino præcedenti*; ac proinde necessario acquisitio alterius termini, debet fieri in alio instanti; subsequente vltimum instans intrinsecum quietis. *Vbi autem sunt multa Nunc sibi succedentia, ibi de necessitate est tempus, cum tempus nihil aliud sit, quam numeratio prioris & posterioris in motu.* Necesse est igitur, vt motus Angeli sit in tempore. Hæc videtur mens Sancti Thomæ citat. quæstione 53. articulo tertio, etsi discursus ipsius varie explicetur, vt videre est apud Caietanum.

18 Et vero potest is etiam in hunc modum conformari. Si in motu Angelico datur vltimum Nunc intrinsecum quietis, tunc impossibile est moueri Angelum in instanti: sed verum antecedens ex dictis: Ergo, &c. Sequela probatur. Tum quia autores oppositæ sententiæ, qui Angelum in instanti posse moueri dixerunt, contra quos ibidem disserit Sanctus Thomas, ea nituntur ratione; quod fieri possit, vt Angelus toto aliquo tempore præcedenti quieuerit, & in vltimo instanti extrinsecè quietis moueatur, & sit in termino ad quem; qui proinde negant, Angelum quiescentem aliquo tempore, necessitari ad quiescendum etiam vsque ad vltimum terminatiuum instans illius temporis: alias si hoc concederent, non dicerent, motum fieri in instanti. Tum quia si datur instans præcedens motum Angeli, iam in eo ipso instanti incipiet motus extrinsecè, qui proinde non fiet in tempore. Addi potest etiam hæc ratio. Quia si datur instans vltimum quietis; Ergo non potest immediate subsequi instans intrinsecum motus; sic enim darentur duo instantia immediata Ergo necessario inter instans vltimum quietis, & quodlibet mutatum esse, seu esse intrinsecum motus, intercedit tempus. ac proinde motus fiet in tempore, non in instanti.

19 Verum omnis hic discursus Sancti Thomæ, quomodocunque formetur & instituatur, vtitur hoc principio, quod omne mobile aliquo tempore quiescens, necessario quiescat, vsque ad vltimum terminatiuum instans illius temporis: quod tamen non satis probatur à Sancto Thoma; & negant contrariæ sententiæ auctores, qui dicunt, satis esse vt quiescat qualibet parte intrinsecâ & constituente ipsius temporis, etiam si in ipso instanti terminatiuo illius non quiescat, sed moueatur; quod etiam optima ratione probatur, vt dicemus.

20 Quare omnibus consideratis, & absolute loquendo, probabilius & rectius dici existimo, motum localem Angeli discretum vnicum, adeoque non compositum ex pluribus mutatis esse eiusdem motus, fieri in instanti. Ita docent complures veteres & recentiores Theologi, speciatim Albertus in 1. dist. 37. art. 23. & 24. Ariminensis in 2. dist. 6. quæst. 3. art. 2. & apud eundem Hybernicus; item Maior dist. 2. quæst. 12. Gabriel q. 3. a. 3. Scotus q. 11. & 12. Marsilius in 2. q. 7. a. 3. Henricus quodlib. 13. quæst. 7. & ex recentioribus Molina cit. quæst. 53. articulo 3. Vasquez disputat. 197. cap. 4. Suarez hic lib. 4. cap. 21. Albertinus tom. princip. 2. coroll. 16. punct. 1.

21 Probatur hæc sententia. Si enim datur vnicum instans, quo verum est dicere, Angelus iam mouetur localiter, & immediate ante non mouebatur localiter, nec immediate post mouebitur localiter, tunc verum est dicere, motum localem Angeli (nempe discretum, & qui fit absque transitu per medium) fieri in instanti: sed verum est antecedens: Ergo, &c. Maior constat, quia quælibet res in vno tantum dicitur instanti esse, de qua pro vno tantum instanti verum est dicere, iam est, & immediate ante non fuit, nec immediate post erit: præsertim quia tunc talis res non incipit extrinsecè, sed intrinsecè, ita vt præcedens tempus seu instans, qualecunque demum illud sit, ad existentiam eius rei in recto nullo modo pertineat, nec intrinsecè vt patet, nec extrinsecè, tanquam principium eius extrinsecum

Digitized by Google

secum; quia ex hypothesi supponimus rem incipere intrinsece.

22 Minor probatur. Quia per motum discretum Angelus, cum immediate antea quieuisset, simul ac in eodem instanti, acquirit alium locum, siue deserendo simul priorem (licet hoc absque causa neget Gabriel loc. cit.) siue cum inadæquatus est, extendendo se ad nouã partem loci, conseruando priorem; siue etiam solum amittendo aliquam partem prioris loci iuxta variam mutationem localem Angeli, vt dictum dub. 1. quod principium totum etiam concedunt S. Thomas & Thomistæ; cum plane fateantur, omnem locum, qui per motum discretum Angeli acquiritur, simul & non successiue acquiri, vt superius dictum dub. 1. Hoc autem velut principio posito, ita licet argumentari; Ante hoc instans immediate non est verum dicere, Angelus mouetur; siquitem immediate ante quieuit; dum autem quieuit nullo modo dici potest moueri; nec motus vnquam in vllo casu à quiete incipere potest, nisi extrinsece; vt verum sit dicere, iam non est motus, sed immediate post erit motus. Nec post illud instans vere dici potest, Angelum moueri; cum enim tunc sit in termino, ac proinde etiam sub eo quiescat, fieri non potest, vt tunc moueatur: Ergo solum vere dici potest hoc casu Angelum localiter moueri, tunc ac in eo tantum instanti, quo acquirit alium locum.

23 Nec obstat primo, quod tunc moueri transeat in mutatum esse: nam in mutationibus instantaneis simul est moueri seu mutari, & mutatum esse, vti patet in generatione, illuminatione, &c.

Nec obstat secundo, quod in motu locali corporum quies necessario duret, vsque ad instans terminatiuum totius temporis, in quo mobile est in termino à quo. Est enim quoad hoc diuersa ratio corporis & Angeli. Cum enim motus corporum, propter extensionem mobilis, necessario sit successiuus, etiam quoad acquisitionem termini, vt dictum, fieri non potest, vt motus corporis incipiat intrinsece; sed necessario incipit extrinsece, in illo ipso instanti, quod quietem intrinsece terminat. Secus est in Angelo, qui suum locum per motum discretum in instanti acquirit: cuius proinde motus potius respondet alijs mutationibus instantaneis corporum, vt generationi, & illuminationi.

24 Nec obstat tertio, quod hæ mutationes, sunt quasi termini (extrinseci) motus continui, puta alterationis vel motus localis. Hoc enim per accidens est, nec ista est causa adæquata cur aliqua mutatio sit aut possit esse instantanea, vt ex dictis constat.

Ex quibus etiam patet responsio ad fundamenta contrariæ sententiæ. Ad primum enim, quod à ratione motus petitur, iam antea responsum est; ad motum satis esse, vt mobile nunc se aliter habeat, quam antea; quod etiam fieri potest in instanti, vt dictum, maxime cum ipsemet etiam Sanctus Thomas citat. quæstion. 53. artic. 3. generationem & illuminationem vocet *mutationes instantaneas*.

Ad secundum, negatur mobile quod sit in omni motus quietem necessario vsque ad vltimum instans temporis, in quo mobile fuit in termino à quo; seu quod idem est; quietem definere necessario in vltimo sui esse: sed potest in nostro casu definere, ac reipsa desinit extrinsece, in primo sui non esse, quando iam est motus, ita vt illud instans sit intrinsecum motui, in quo proinde motus intrinsece incipit, & simul perficitur, per primum sui esse; & extrinsecum quieti, vt dictum; quemadmodum etiam sentiebant auctores illi, quos refert & refellere nititur S. Thomas ibidem: quem proinde licet Albertinus explicare conetur in fauorem nostræ sententiæ, nihil tamen est, cur in eo explicando laboremus, quando tam aperte suam mentem exposuit, vt quoad hoc bene etiam dixerit Caietanus. 25

Accedit, quod etiamsi quies terminaretur in instanti intrinseco, nihil tamen obstaret, quo minus in instanti immediate subsequenti moueri 26 posset localiter Angelus, vt recte notarunt Caietanus, Suarez, & Albertinus locis citatis; quia instans temporis discreti bene potest esse immediatum præcedenti instanti; non quidem vt vltimum præcise & adæquate respondeat instanti nostri temporis, vt indicat Caietanus, sic enim etiam in tempore nostro darentur eiusmodi instantia immediata: sed vt posterius respondeat tempori nostro, vt recte Suarez & Albertinus. 1

Assertio V. Probabilius videtur, velocitatem motus continui, in vnoquoque Angelo determinatam esse, ad certum tempus breuius aut longius, pro maiori aut minori perfectione Angeli: adeoque nec posse Angelum moueri pro libitu, ad quodcumque spatium, in tempore minori & minori in infinitum syncategorematice. Ita docet Vasquez disputatione. 197. capit. 4. & Delrius libro secundo disquisit. mag. libro secundo quæstio. 16. & fauet Suarez Metaphys. disputat. 35. sect. 6. licet oppositum ex probabili defendant Albertinus loc. citat. numero decimo quinto, & Suarez hic capite 24. numero 6. post Alensem 2. part quæstione 33. membr. 1. ad 1. & Capreolum in secundo distinctione 6. quæst. 1. 27

Probatur assertio. Tum quia velocitas motus in actu primo pertinet ad quandam perfectionem potentiæ motiuæ; non ergo potest esse maior & minor in infinitum; nisi etiam hæc pari proportione crescat; quod fieri in Angelis non potest. Tum quia hoc magis est consentaneum modo operandi potentiæ motiuæ, ad extra, quæ itidem est determinata quoad velocitatem, vt dicetur quæstio. 5. Tum quia alias Angeli omnes essent inter se æquales, quoad virtutem seipsos mouendi; cum tamen passiones & proprietates sequantur perfectionem naturæ, ac ei, cæteris paribus, seruata debita proportione respondeant. 28

Ex quibus proinde efficitur, Angelum quemque, quo est superior, eo velocius posse seipsum mouere localiter, motu continuo. Quoad motum vero discretum fatendum est, non esse in 29

æqualitatem, nisi quantum ad hoc, quod Angelus, quo quisque perfectior est, eo maiorem locum adæquatum sibi vendicat, ac proinde etiam cæteris paribus, hoc ipso velocius moueatur, quod æquali tempore, seu potius in paribus instantibus temporis discreti, semper maiorem simul locum acquirit, & deserit, maiusque adeo spatium percurrit, quam Angelus aliquis inferior; licet quoad singula mutata esse, non maior mora consumatur, vel incrementa in vno Angelo, quam in altero, quia singula mutata esse æquè omnia fiunt in vno instanti; nec opus est in vno Angelo, post singula mutata esse, maiori quiete, quam in alio: siquidem mouendo non defatigantur, vt idcirco cogantur seu breuiori, seu longiori tempore quiescere.

QVÆSTIO III.

De intellectu & cognitione Angelorum.

S. Thomas 1. p. q. 54. 55. 56. 57. 58.

Absoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. Quid, & quotuplex sit intellectus Angeli; quidque ipsius intelligere. II. De medio cognitionis Angelicæ, seu speciebus intelligibilibus: an nimirum; vnde, quot, & quales species intelligibiles habeant Angeli. III. De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis, respectu rerum immaterialium: an nimirum, & quomodo Angelus naturaliter cognoscat, tum DEVM, tum seipsum, tum etiam alios Angelos. IV. De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis respectu rerum materialium, tum possibilium, tum actu existentium, vbi etiam præteritarum, aut necessariis futurarum. V. An & quomodo Angeli cognoscant futura contingentia. VI. An & quomodo Angeli naturaliter cognoscant actus internos aliene mentis & voluntatis. VII. De obiecto cognitionis Angelicæ, respectu rerum supernaturalium. VIII. De modo cognitionis Angelicæ; an scilicet ea cognitio sit semper in actu secundo, & quidem plurium aut omnium obiectorum simul, an etiam discursiua, vel habitualis, aut errori obnoxia.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit intellectus Angeli; quidque ipsius intelligere.

S. Thomas 1. p. q. 54. aa. 1.

POst locum, & motum localem Angeli, inter actus & potentias, quæ eidem Angelo conueniunt, proximus est intellectus & intellectio, tum vt naturâ prior voluntate, & operatione ad extra, tum etiam vt cæteris notior. Etenim Angelum esse substantiam naturæ suæ intelligentem & intellectu præditam, tam clarum & perspicuum est, vt id etiam in communi Angeli notione includatur, vt dictum dub. 1. quæst. 1. Quomodo vero hic intellectus Angeli se habeat, tum quoad substantiam, & actum suum; tum quoad principia interna seu species intelligibiles; tum quoad obiecta; & denique quoad modum & affectiones suas, restat deinceps explicandum, secundum seriem dubitationum superius propositam. Et quod ad ipsam substantiam ipsius intellectus & intelligere Angelici attinet, iuxta præfixum huic dubitationi titulum, sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Est in Angelo, intelligere seu actualis intellectio; & quidem nec de essentia Angeli, nec idem cum essentia, aut existentia eiusdem, sed realiter ab vtroque distincta. Ita S. Thomas cit. q. 54. a. 1. & 2. & communis & certa Theologorum ibidem, & cum Magistro in 2. dist. 3. quicquid Aristoteles in 12. Metaph. c. 6. & 9. insinuet, non solum Dei, sed etiam reliquarum Intelligentiarum essentiam, esse intelligere: quem ita etiam explicant, & sequuntur Auerroes, Aphrodisiensis, & Philoponus. Sed quod absque errore defendi non potest, vt bene Vasquez disp. 198. c. 1. & Suarez hic lib. 2. cap. 2. hum. 5. & quicquid etiam Durandus in 2. dist. 3. q. 5. indicet, cognitionem, qua Angelus seipsum cognoscit, esse suam substantiam.

Probatur assertio quoad singulas partes. Prima enim pars indubitata est; quia Angelus est substantia intelligens; Ergo naturaliter conuenit illi actus intelligendi seu actualis intellectio.

Secunda pars, intellectionem actualem nec esse essentiam, nec de essentia Angeli, quod ex instituto probat S. Thomas a. 1. Probatur. Tum quia de nullius entis creati essentia est agere; cum omnis essentia creata sit in potentia ad esse; ac proinde multo magis ad agere, quod supponit esse. Tum quia essentia ipsa est inuariabilis & determinata: intelligere vero Angeli est varium & multiplex, etiam à parte rei. Tum quia plus differt actio rei à

substan-

substãtia eius, quã ipsum esse eius: nec tamẽ vllius entis creati esse, est sua essentia, siue de esẽtia ei⁹.

5 Tertia pars, eandem intellectionem, siue intelligere Angeli, non esse etiam ipsius Esse siue existentiam, ex instituto probat S. Thomas art. 2. & videtur esse hæc eius ratio. Quia intelligere respicit omnia entia velut obiecta, & speciem recipit ab ijs velut ab obiectis: at vero existentia Angeli, non minus quam essentia, est determinata ad vnum, secundum genus & speciem. Adde; quod existentia reipsa non differt ab essentia: cum ergo intelligere Angeli à parte rei differat ab eius essentia, etiam se ipsa distinguetur ab existentia, vt recte Vasquez cit. a. 2.

6 Quarta pars, intelligere distingui realiter ab essentia & existentia Angeli, tum ex dictis sequitur; tum etiam ex eo probatur. Quia intelligere à parte rei variatur in Angelo; cum tamen essentia & existentia eius maneat inuariata. Item intelligere est vera & realis, & non tantum grammaticalis actio, cuius terminus est absoluta quædam ac perfecta entitas: Ergo realiter procedit ab eius essentia, siue immediate, siue mediate, per potentiam, de qua assert. seq. Accedit, quod dantur actus intelligendi intrinsece supernaturales, qui non possunt realiter identificari cum substantia & agente naturali, vt suo loco docetur: eadem verò quoad hoc est ratio omnium intellectionum: Ergo intelligere Angeli non solum differt à substantia Angeli modaliter seu formaliter, sed etiam realiter stricte. Et quamuis naturaliter non possit separatum ab Angelo existere, potest tamen de potentia Dei absoluta. Quare nonaudiendus recens quidam scriptor quem refert Suarez cit. cap. 1. num. 9. contra communem docuisse, intelligere distingui ab essentia Angeli solum formaliter, non autem realiter stricte: quod nec ratione, nec authoritate probatur.

7 Assertio II. Est etiam in Angelo intellectus seu potentia naturalis intelligendi; eaque tum à substantia Angeli, tum ab actu intelligendi realiter distincta. Ita S. Thomas cit. quæst. 54. a. 3. & fere communis Theologorum ibidem & in 2. dist. 3. Et prima pars est extra controuersiam. Quia vbi est naturalis intellectio, est etiam naturalis vis seu facultas, per quam immediate intelligimus; quæ generatim vocatur intellectus.

8 Secundam partem, intellectum seu potentiam intelligendi distingui realiter à substantia Angeli, præter S. Thomam, & Thomistas loc. cit. tradunt Alensis 2. part. quæst. 21. memb. 1. & omnes Scholastici, qui de anima & intellectu eius ita docent, excepto Durando in 2. dist. 3. quæst. 5. qui cum hoc de anima affirmet, eo, quod sit actus corporis; de Angelo tamen negat. E recentioribus autem ita etiam speciatim docent Gregorius de Valentia q. 5. pun. 3. Molina & Vasquez cit. q. 54. art. 3. Suarez Metaph. disp. 18. sect. 3. & hic lib. 2. cap. 1. n. 2. contra Scotum in 2. dist. 16. quæst. vn. & in 4. dist. 12. quæst. 3.

9 Probatur ea pars assertionis. Tum quia vniuersim in substantijs creatis, potentiæ per quas immediate solent operari, distinguuntur realiter ab ipsis, tanquam proprietates naturales superadditæ. Tum quia, vt argumentatur S. Thomas cit. art. 3. Ea, quorum actus sunt realiter distincti, necesse est inter se etiam realiter distingui; sed essentia siue substantia Angeli, & eius intellectus habent actus realiter distinctos; siquidem actus essentiæ est existentia, actus autem intellectus est intellectio, quę realiter differt ab existẽtia, ex dictis priore assert. Ergo & essentia siue substãtia Angeli, & intellectio ei⁹ inter se realiter distinguuntur. Tum quia potentia intelligendi, vti & quæuis alia potentia, specificatur ab actibus & obiectis: ipsa vero per se essentia & substantia animæ non item. Denique si intellectus non distingueretur realiter à substantia Angeli, tum nec voluntas, nec vlla potentia eius realiter ab ea differret; cum par sit ratio omnium: sed consequens est absurdum: sic enim Angelus nullas haberet passiones reales ab eius essentia effluentes, eamque realiter perficientes.

His accedunt SS. Patres, qui communiter in omni re creata, hęc tria inter se distinguunt, essentiam, potentiam seu virtutem operandi & ipsam operationem. Speciatim Dionysius cap. 11. cœl. hier. de Angelis loquens ait: *Quoniam in tria omnes diuinæ mentes cœlesti ratione sua diuisæ sunt, in essentiam, in virtutem, & in actionem, &c.* Et Anselmus lib. de concept. Virg. cap. 4. *Aliud*, inquit, *est vis illa animæ, per quam ipsa anima vult aliud, quæ vis instrumentum volendi dici potest, sicut visus instrumentum videndi, quam voluntatem nominauimus; & aliud est iustitia, quam habendo iusta voluntas, & qua carendo iniusta vocatur.* Quæ omnia simul considerando, plane persuadent, quod etiam cum Caietano cit. art. 3. docet Suarez hic cit. cap. 1. num. 2. nec creabilem quidem esse vllam substantiam intelligentem, in qua intellectus, seu naturalis potentia intelligendi non realiter distinguatur à substantia, etsi contrarium asserat Gregorius de Valentia cit. q. 5. pun. 3. Si enim hoc possibile esset, nulla ratio esset, cur non Angelis quam plurimis, aut saltem perfectissimo Angelorum reipsa conueniret.

10

11 Tertia pars assertionis, in qua diximus, intellectum Angeli realiter distingui ab actu intelligendi, est communis Doctorum, quam supponit Sanctus Thomas cit. art. 1, 2. & 3. Scotus in 4. distinctione 1. quæstio. 1. Probatur. Quia actus intelligendi elicitur à potentia intellectiua, & multiplicatur ac variatur in Angelo, sicut in anima, manente eadem potentia: Ergo necesse est, ab intellectu saltem ex natura rei, siue à parte rei distingui, ante omnem operationem intellectus. Quia verò intellectio est qualitas & forma perfecta atque absoluta, & non tantum nudus quidam modus ipsius intellectus, fatendum est, distinctionem illam esse realem stricte, nempe duarum rerum mutuo separabilium, saltem de potentia Dei absoluta. Quod ex eo etiam confirmatur; quia datur intellectio intrinsece & entitatiue supernaturalis, quæ non potest cum naturali entitate intellectus realiter identificari, vt superius in simili dictum.

12 Assertio III. In Angelo vnicus tantum est intellectus: ac proinde in eo proprie locum non habet distinctio duplicis intellectus, agentis

Digitized by Google

nimirum & possibilis. Ita Sanctus Thomas hic quæstione 54. articulo 4. Caietanus & Thomistæ ibidem, Gregorius de Valentia hic quæst. 5. pun. 2. Molina cit. quæst. 54. art. 4. Vasquez disp. 199. cap. 2. Suarez hic lib. 2. cap. 1. num. 13. & Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 7. numer. 19. etsi contrarium non pauci veteres Scholastici docuerint, in quibus Albertus lib. 4. de coæuis part. 5. q. 5. art. 11. & 12. & in sum. part. 2. tractat. 4. q. 14. memb. 3. art. 2. Richardus in 2. dist. 3. art. 6. quæst. 2. Scotus distinct. 3. quæst. vlt. Bassolis q. 4. art. 3. & significant Alensis 2. part. q. 22. mem. 3. & quoad modum loquendi sequitur etiam Bonauentura in 2. distinct. 3. part. 2. artic. 2. quæst. 1. qui tamen non ijsdem rationibus & fundamentis rem explicant. Albertus enim intellectum agentem Angelis tribuit, non ad producendas, sed ad illuminandas species, etiam concreatas & innatas. Sed frustra & contra communem Philosophiam. Scotus, Richardus, Bassolis, intellectum agentem Angelis tribuunt ad producendas species: sed supponunt, Angelos sumere species à rebus materialibus; quod falsum esse patebit dub. sequent. Alensis verò ea ratione intellectum agentem Angelis tribuit, *quia educit potentiam intellectus possibilis in actum per acceptionem quandam specierum*; quod aut idem esse debet cum præcedenti fundamento, aut si quid aliud est, sane non magis est intelligibile & probabile.

13 Quare etsi hæc quæstio aliquo modo sit de nomine, vt notauit etiam Sanctus Thomas ibidem, proprie tamen, & iuxta consuetam ac receptam ex Aristotele Philosophiam, loquendo de intellectu agente & possibili, probatur assertio, Quia intellectus agens, & possibilis in homine non alia ratione distinguuntur, nisi quia ille à phantasmatibus abstrahit & producit species, & sic quasi obiectiue aut efficienter illuminat intellectum possibilem: possibilis vero ab agente intellectu recipit in se species, ijsque receptis producit & recipit intellectionem: id vero non conuenit Angelis, qui non accipiunt species à rebus materialibus siue obiecto; sed habent eas naturaliter congenitas, vt dicetur dub. sequent. Addit etiam Sanctus Thomas loc. cit. ad intellectum possibilem requiri, vt aliquando sit in pura potentia ad intelligendum, cum tamen Angelus nunquam ab omni plane intellectione cesset, vt dicetur dub. 8.

14 Quod si quis dicat, ad distinctionem intellectus agentis & possibilis in Angelis sufficere, quod vna & eadem potentia simul & producat intellectionem, & recipiat, is quidem de nomine tricabitur, sed simul abutetur nominibus: hac enim ratione etiam in quolibet sensu, & quauis potentia eliciente operationes immanentes, nomen & distinctio agentis & possibilis, seu patientis locum habebit; quod est absurdum.

15 Assertio IV. In Angelis non est alia cognitio, quam intellectiua; ac proinde nec alia potentia (immanenter operatiua) quam voluntas & intellectus, quo etiam spectat memoria. Ita Sanctus Thomas quæst. 54. art. 5. Caietanus, & Thomistæ ibidem, & communis Doctorum in 2. d. 3. quos sequuntur recentiores citati. Ratio est. Quia aliæ potentiæ omnes sunt corporeæ. Quare etiam Commentator 12. Metaphys. dixit, *substantias separatas diuidi in intellectum & voluntatem*. Memoria autem aut est ipse intellectus, prout retinet species, & suo arbitratu per earum quasi vsum, intelligit, ac in mentem, siue actualem considerationem reuocat præterita; aut si est potentia intellectualis diuersa, subseruit tamen intellectui & intellectioni; iuxta varias de memoria intellectiua sententias Philosophorum. An autem nihilominus in Angelis detur potentia operatiua ad extra, distincta ab intellectu & voluntate, suo loco q. 5. dicetur: idcirco enim nunc, vt ab hac controuersia abstraheretur, addidi in assertione limitationem, potentia *immanenter operatiua*; quæ est ex mente S. Thomæ, vt ibidem dicetur, licet hoc loco non fuerit ab eo addita. Vtrum vero intellectus Angelicus specie differat ab humano, dicetur quæst. sequente.

DVBIVM II.

De medio Cognitionis Angelicæ, seu speciebus intelligibilibus: an numerum, vnde, quot, & quales species intelligibiles habeant Angeli.

S. Thom. 1. part. q. 55. aa. 3.

RECTÈ post declaratam quasi substantiam ipsius intellectus, & intellectionis Angelicæ, S. Thomas de comuni medio eiusdem cognitionis agit; quæ sunt species intelligibiles, de quibus cum eodem S. Thoma sequentes assertiones statuimus. 1

Assertio I. Angelus non omnia cognoscit immediatè per suam substantiam, sed quædam per species intelligibiles essentiæ superadditas. Ita cum S. Thoma cit. quæst. 55. art. 1. Thomistæ omnes, cæteriquè Theologi communiter, speciatim Alensis 2. part. quæst. 24. memb. 2. & 3. Albertus 2. part. sum. tract. 4. q. 19. art. 11. Bonauentura in 2. dist. 3. part. 2. artic. 2. quæst. 1. Richardus a. 6. q. 1. Scotus q. 10. Ægidius eadem dist. part. 2. q. 2. a. 1. Heruæus q. 4. a. 2. & 3. Maior q. 6. & 7. Argentina q. 2. a. 4. Capreolus q. 2. a. 1. Marsilius in 2. q. 7. a. 1. Henricus quodlib 1. q. 12. & quodli. 4. q. 7. Ferrariensis 2. cont. gent. c. 96. & ex recentioribus Molina cit. q. 55. a. 1. Gregorius de Valentia q. 6. punct. 1. Suarez Metaph. disp. 35. sect. 4. & hic lib. 2. cap. 3. Albertinus tom. 1. Princip. 7. coroll. 8. punct. 1. 2

Quanquam contrarium docent Durandus in 2. dist. 3. q. 6. Gabriel q. 2. a. 2. & 3. Ockam in 2. q. 15. & 16. Bassolis in 2. dist. 3. quæst. 3. & Ariminensis in 2. dist. 7. q. 5. a. 1. alijque Nominales, & ferè Henricus quodlib. 5. q. 14. qui negant species intelligibiles in Angelis, & ferè etiam in animabus humanis, rati solam potentiam cum obiecto, vel effectiue, vel alio modo concurrente, sufficere ad intellectionem. In quam sententiam, 3

quoad

quoad Angelos, magis etiam inclinat Vasquez disp. 200. cap. 3. vbi ait: *rationes quidem efficaces suppetere, ad probandum, humanum intellectum instrui speciebus ad intelligendum; at vix certe vllam esse rationem, quæ id de intellectu Angelico eodem modo aperte conuincat.* Et disp. 201. num. 6. ait, *Facilius ad intelligendum videri, Angelum speciebus non indigere, vt intelligat, sed sola sua virtute posse intelligere aliquid, eo ipso, quod intra limites sui obiecti continetur.*

4 Ratio assertionis ex S. Thoma loc. citat. est. Quia ipsa essentia Angeli, cum finita sit, nec contineat omnia intelligibilia in se formaliter vel eminenter, sicut Deus, non potest omnia per seipsum repræsentare: Requirit ergo species. Accedit quod cognitio Angelica vera & reali dependentia pendet ab obiectis, seu concursu obiectiuo iuxta receptum axioma Philosophicum, *Ex obiecto & potentia oritur notitia*, quod traditur etiam ab Augustino lib. de Trinit. c. 12. vbi ait: *Ab vtroque enim notitia paritur, cognoscente & cognito*: Ergo vel obiectum ipsum per se, vel aliquid aliud ex parte obiecti, eiusque vim supplens, concurrit causaliter ad cognitionem Angeli: obiectum vero ipsum, saltem quando vel distans, vel materiale est, id per se non potest præstare, nec ipsa substantia Angeli, quia nec est naturalis similitudo rerum omnium quæ intelliguntur; nec continet formaliter vel eminenter eiusmodi perfectiones obiectorum materialium, alias enim etiam producere illa posset; Ergo concursus obiecti per species debet suppleri. His accedunt Aristoteles lib. 3. de anima c. 1. vel 4. vbi laudat Platonem, quod diceret, *intellectum esse locum formarum.* Et Proclus lib. de causis, propos. 10. ait: *Intelligentias plenas esse formis rerum*; hoc est speciebus intelligibilibus. Citat etiam S. Thomas cit. a. 1. argum. sed contra. Dionysium cap. 4. de diuin. nom. *quod Angeli illuminentur rationibus rerum.* Verba, ad quæ respexisse videtur S. Thomas, secundum Perionij versionem, sunt ista. *Eorum quæ sunt rationes discunt diuina sibi accommodata illustratione.* Eodemque referri possunt illa verba inferius subsequentia, quæ ad Deum refert: *Quæque in summo bono sunt excellentis formarum fabricationis, in ijs quæ formam non habent.* Et cap. 5. sub fin. docet exemplaria & rationes rerum vnitè & simplicissimè esse in diuina mente, & inde inferioribus communicari. Fateor tamen, non satis constare, an hæc & similia ex mente Dionysij ad species intelligibiles pertineant. Rationes verò in contrarium solum petuntur ex difficultate explicandi siue modum acquisitionis, siue vsum specierum: de qua re inferius agendum.

5 Assertio II. Angelus non accipit vllas species ab obiectis; sed habet naturaliter sibi congenitas omnes illas, quæ naturali eius intellectioni deseruiunt. Ita S. Thomas hic cit. q. 55. a. 2. & 2. cont. gent. cap. 96, & cum eo Ferrariensis, Caietanus & Thomistæ omnes; item Albertus 2. part. sum. tract. 4. quæst. 14. memb. 3. articulo 2. & libro de quatuor coæuis 1. part. quæstione 5. articulo 12. Bonauentura, Ægidius, Heruæus, Argentina, locis citatis assert. præced. quos sequuntur Gregorius de Valentia q. 6. pun. 2. Molina q. 57. a. 2. Vasquez disp. 201. Suarez loc. cit. & hic lib. 2. cap. 8. & Albertinus loco citato.

Contrarium docent Scotus in 2. dist. 3. q. 11. Richardus art. 6. q. 2. Maior q. 7. Bassolis q. 4. a. 2. & 3. Marsilius in 2. q. 7. art. 1. & Alensis in 2. part. q. 24. memb. 2. & 3. quorum iste, vniuersim omnium rerum, cæteri vero rerum saltem corruptibilium & singularium species Angelis primum post creationem ab obiectis aduenire docent; admittentes interim, rerum incorruptibilium, & vniuersalium species esse Angelo ab initio creatonis suæ congenitas. 6

Probatur autem assertio. Tum quia obiecta materialia non possunt agere in substantiam spiritualem; immaterialia vero extra se producere nihil possunt, nisi motum, motusue naturale instrumentum. Tum quia sæpe ab Angelis intelliguntur obiecta prorsus distantia, quæ nec per tantum spatium transmittere species possunt; nec agere in distans. Denique ad perfectionem vniuersi spectat, esse substantias quasdam creatas, quæ vi ipsius conditionis suæ, connaturaliter innatum habeant omne principium, ad intelligendum requisitum; adeoque & species sibi congenitas. Argumenta vero contrariæ partis, quia petuntur ex modo cognoscendi varia obiecta, & augmento seu noua acquisitione scientiæ Angelicæ respectu quorundam obiectorum, inferius dubijs sequentibus diluentur. 7

Assertio III. Probabilius tamen videtur, species non fluere effectiue ab essentia Angelorum, sed esse ac dici ipsis connaturales, seu etiam velut naturales proprietates eisdem congenitas, quia in ipsa creatione sunt congenitæ ipsis à Deo, potentia eorum passiua id exigente, velut connaturale debitum; libere tamen à DEO persoluendum, etiam suppositâ tam ipsorum Angelorum, quam cæterarum rerum existentia seu futuritione. Ita Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 98. Molina q. 55. art. 2. disp. 2. Zumel eodem art. 2. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 8. num. 2. & prolixè Suarez hic lib. 2. cap. 7. à num. 1. vbi citat etiam Pesantium, Danielem Malonium, & Radum. Et fauet S. Thomas cit. q. 55. a. 2. in corp. & ad 1. & q. 56. a. 2. ad 4. & in 3. part. q. 9. art. 3. etsi contrarium doceant Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. a. 3. Caietanus in 1. 2. q. 50. a. 6. & q. 51. a. 1. & in 3. part. q. 19. a. 3. Medina ibidem, Bannes hic q. 55. a. 2. & Gregorius de Valentia quæst. 6. pun. 1. qui species Angelorum tanquam proprietates strictè acceptas, ab eorum essentia effectiuè fluere dixerunt. 8

Sed probatur assertio. Tum quia si fluerent ab essentia, causa nulla esset, cur ipsa essentia per se non sufficeret ad intellectionem per modum repræsentantis; quandoquidem tunc eminenter contineret perfectionem imaginis repræsentatiuæ, neque vel ob distantiam, vel materialitatem vlla posset ratio afferri, cur ipsa per se tunc non immediate sufficeret ad repræsentationem. Tum quia Angeli non habent species proprias omnium rerum possibilium, sed solum rerum quandoque existentium, vt inferius dicetur suis locis: Ergo species Angelicæ in particulari, 9

pendent à libero decreto Dei idque supponunt, quo nimirum Deus has potius, non alias species, aut individua rerum voluit creare; quod si Deus, vti potuisset, alias res ac individua rerum creare voluisset, Angeli non has, quas nunc habent, sed alias species fuissent habituri: Ergo non est verisimile, essentiam Angelorum esse ex se determinatam ad harum potius, quam aliarum rerum species per emanationem producendas; nec adeo etiam species emanare ab ipsorum essentia; alias enim semper ac eodem modo, etiam supposito alio quocunque libero Dei decreto, de producendis rebus alijs, emanarent.

10 Objicitur primo, hac ratione species non posse dici Angelis connaturales, aut proprietates eorundem. Respondeo negando sequelam; non solum quia secundum S. Thomam, & multos alios, motus cœlorum est ipsis naturalis, cum tamen solum passiuè ab ipsis dependeat; sed etiam quia omnium iudicio forma & quantitas materiæ dicitur naturalis, & hæc quidem etiam quasi proprietas naturalis, licet materia passiue solum ad easdem concurrat. Sufficit ergo ad proprietatem seu passionem naturalem generatim, vt subiectum capacitatem & appetitum naturalem ad eam habeat, secundum quem ei naturaliter quodammodo debita sit talis forma.

11 Objicitur secundo; Omni potentiæ passiuæ naturali respondet potentia actiua naturalis: hoc autem in proposito non fieret. Respondeo negando minorem, quia etsi hæc naturalis potentia actiua non sit intrinseca in ipso Angelo, est tamen in ipso Deo, qui per modum causæ naturalis hoc quasi debitum naturale Angelo persoluit; ad eum modum, quo etiam Deus in dispositum corpus humanum infundit animam, & cæteris causis naturalibus agentibus per modum causæ vniuersalis debitum concursum exhibet.

12 Assertio IV. Angeli nec omnia per vnam speciem intelligunt; nec singula per diuersas; sed habent species plures, quarum singulæ distinctè repræsentant plura; quæque eo sunt in quouis Angelo in repræsentando vniuersaliores, quo perfectioris naturæ est Angelus. Ita S. Thomas q. 55. a. 3. & q. 8. de verit. artic. 10. & in quæst. disp. de anima art. 7. & cum eo Capreolus loc. citat. Caietanus, & Thomistæ recentiores eodem art. 3. item Molina ibidem. Gregorius de Valentia q. 6. pun. 3. Albertinus loc. cit. Suarez Metaph. loc. cit. & hic lib. 2. cap. 14. 15. 16.

13 Probatur assertio figillatim secundum omnes partes, referendo simul etiam eos, qui particulatim vnicuique parti eiusdem vel accedunt, vel aduersantur.

Etenim prima pars est communis etiam cæterorum Scholasticorum, quos pro assert. 1. retuli: contra Henricum quodlib. 5. q. 14. qui cum concedat, habitum cognoscitiuũ Angeli vocari posse speciem, dicit, esse vnicum tantum. Sed & Caietanus cit. a. 3. etsi concedat vniuersim plures species in Angelis, simul tamen putat, saltem supremum Angelum per vnicam tantum speciem omnia intelligere, quæ naturaliter intelligit; quod non videtur satis consentaneum S. Thomæ, nec est necessarium, & forte nec possibile, vt inferius dicetur. Probatur vero ea pars. Quia quo ratio seu medium cognoscendi magis est vnum & simplex, eo cognoscens ipse perfectior est; & è contrario, quo ratio & medium cognoscendi cæteris paribus magis multiplicatur, eò cognoscens est imperfectior: propterea enim sensus externi, eorumque cognoscendi media, magis quam sensus internus, & huius media siue species, cæteris paribus, & respectu eorundem obiectorum, magis quam intellectus species multiplicantur; & inter ipsos homines, quo quisque perfectioris est intelligentiæ, eò plura per vnum medium siue principium intelligit; Vnde etiam sumitur principium illud, Ea quæ inferioribus insunt diuisa; in superioribus reperiri vnitè: Ergo per vnum tantum simplex medium cognoscere omnia, proprium est perfectissimi cognoscentis, aliorum vero per plura. Quæ videtur ratio S. Thomæ citat. artic. 3. & procul dubio procedit etiam secundum absolutam DEI potentiam, respectu totius infinitæ multitudinis omnium cognoscibilium, quæ à Deo cognoscuntur. Accedit etiam alia ratio. Quia species intelligibilis, vt colligitur ex specie visibili (in qua hoc meo iudicio ad sensum patet) est formalis quædam & naturalis similitudo rei in repræsentando; atqui vix fieri posse videtur, vt vna & eadem species sit rerum adeo diuersarum qualis qualis similitudo; vt magis inferius dicetur: Ergo, &c.

Secundam partem, Angelos non cognoscere 14
singula per diuersas species, præter citatos, tradunt etiam Albertus lib. de quatuor coæuis 1. part. quæst. 5. articulo 12. Ægidius in 2. distinct. 3. part. 2. quæstione 2. articulo 2. dub. 3. & 4. Argentina quæst. 2. articulo 4. Capreolus quæst. 2. articulo 1. & 3. Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 99. quos sequitur etiam Vasquez disputat. 202. cap. 2. & fauent Bonauentura dist. 3. part. 2. articulo 2. quæst. 1. & Henricus quodlib. 5. q. 14. etsi contrarium sentiant Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 10. Richardus articulo 6. quæst. 2. Bassolis qu. 3. & Maior qu. 6. qui docent, singularum naturarum, & singulorum individuorum, singulas species in Angelo esse. Sed probatur ea pars assertionis ex dictis. Quia quo intelligens est perfectius, eo principium ipsius intelligendi est simplicius, vt ita magis ad Dei perfectionem accedat, qui vt dictum, omnia per vnam quasi speciem cognoscit.

Nec vero obstat quicquam, quo minus vna 15
species altioris ordinis, plura distincte repræsentet quamuis diuersa: cum vna visio sit plurium obiectorum simul, & vnus conceptus seu notitia mentis possit esse plurium simul veritatum, præsertim in Angelis; & vna visio beatifica repræsentet DEVM infinite perfectum, & quidem ex veriori etiam, vna cum pluribus rebus creatis, vt suo loco dictum: cum tamen & visio, & intellectio, sit formalis & expressa quædam similitudo rei. Et vniuersim potentia intelligendi eo plura simul & per eandem notitiam intelligit, quo perfectior est, vt pluribus declarant Valentia, Vasquez, Suarez locis citatis.

Digitized by Google

16 Tertia pars, quod species sint eo vniuersaliores, quo perfectior est Angelus, est contra Scotti, Bassolem, Richardum locis citatis, qui cum existiment, Angelos cognoscere singula per diuersas species, absolute docent superiores Angelos non intelligere per pauciores species; item ex parte contra Heruæum, Ferrariensem, & fere Ægidium locis citatis, dum sentiunt, Angelos eiusdem ordinis, vel vt Heruæus dicit, eiusdem generis proximi, habere æquales species, etiamsi specie inter se differant. De qua re etiam Vasquez disput. 203. cap. 4. ita censet, *vt nec probabile quidem coniecturam nullam partem quicquam affirmari posse existimet.* Sed ratio sancti Thomæ citat. a. 3. non est contemnenda, quam recte tuentur Valentia, Albertinus, Suarez locis citatis. Quia perfectior est, maioremque cum modo diuino intelligendi similitudinem habet, intelligere plura per vnam speciem, quam per plures cæteris paribus: Ergo quo naturalis perfectio Angeli, saltem specifica, maior est, eò etiam cæteris paribus, & quoad natura rerum patitur, perfectiores adeoque vniuersaliores habet species.

Accedit auctoritas Dyonysij hoc ipsum indicantis cap. 12. de diuin nom. vbi generatim ait: *Sanctos vero, & Reges, dominosque ac DEOS, scripta diuina appellant gradus & ordines, qui in singulis primas obtinent, quorum opera secundi siue inferiores manerâ, quæ à Deo proficiscuntur, accipientes, tributionis diuisionisque illorum simplicitatem in suis distinctionibus multiplicant & augent, earumque varietates primi ordines vtiliter & diuine ad vnitatem sibi contrahunt, &c.* Qua generali doctrina docemur etiam, Angelos superiores scientiam vniuersaliorem & celsiorem participare. Quod clarius docet idem Dionysius cap. 12. cœl. hierarch. vbi ait: *Sanctorum Cherubim ordo sapientiæ, scientiæque altioris est particeps. Ordines autem earum essentiarum, quæ eos subiectæ sunt, participes quidem etiam ipsi sunt & sapientiæ & scientiæ; sed tamen eius, quæ pars est ad illos, & quæ inferiorem locum tenet.* Vbi non solum docet, scientiam inferiorum Angelorum esse de pauciorib obiectis, sed etiam inferioris ordinis.

Quomodo vero hæc multiplicationis proportio in Angelis particulatim se habeat, melius est, nostram in ea re fateri ignorantiam, quam pluribus inquirere. Videri possunt Ægidius & Suarez locis citatis: cuius illud cap. 16. numero 7. mihi probatur, pauciora illa vel plura non intelligenda de solis speciebus, sed etiam de indiuiduis. Quod autem numero 9. addit, omnes Angelos saltem habere tot species, quot sunt essentiæ specificæ rerum, quas intelligunt, mihi non probatur, & ipse etiam numero 10. in dubio ponit.

1 Sed obijcit Scotus primo. Si datur in Angelis vna species repræsentans naturam ipsam, & indiuidua illius, aut è rebus naturalibus vnam speciem aliquam superiorem, cum alijs inferioribus, tunc sequitur, vna specie repræsentari posse infinita, quia indiuidua eiusdem speciei possunt esse, & quædam etiam reipsa sunt infinita syncategorematice, puta infinitæ cogitationes etiam naturales vniuscuiusque Angeli, vel animæ, &c. Species etiam possibilis rerum sub qualibet specie superiori determinata, deorsum descendendo, sunt infinitæ syncategorematice. Sed consequens est falsum: quia cum in qualibet specie intelligibili sit aliquis perfectionis, vnam aliquam speciem, vel vnum aliquod indiuiduum repræsentans, maioris sit perfectionis, plura; ac proinde simpliciter infinitæ perfectionis sit necesse est, posse infinita repræsentare.

18 Respondeo cum Vasquez citat. disputatione 102. cap. 2. quod ad indiuidua attinet, concedendo sequelam, & negando minorem. Ad probationem respondetur, calculationem illam de infinito augmento procedere, quoties augmentum fit vniuoce in eadem forma secundum intensionem vel extensionem quantitatis: non autem quando augmentum fit in perfectione & natura diuersæ rationis; tunc enim solum sequitur, speciem illam debere esse altioris rationis & perfectionis specificæ; quæ quidem ea ratione dici poterit infinita secundum quid, quia eminenter continet infinita; non autem simpliciter: alioqui enim pari ratione colligeremus, etiam visionem DEI in beatis simpliciter esse infinitam.

Quod vero ad species rerum attinet, negatur sequela; tum quia forte non sunt infinitæ species rerum possibiles, deorsum descendendo; tum quia non est necesse vt species intelligibilis repræsentans aliquam naturam superiorem, repræsentet omnes etiam inferiores; sicut in nobis species hominis non repræsentat speciem leonis, vt bene etiam Vasquez citat. disp. 102. cap. 2. Qui tamen addit, etiamsi species infinitæ rerum vnica specie repræsententur; absurdum tamen, quod Scotus inde deducebat, non magis inde consequens esse, quàm de indiuiduis dictum.

19 Obijcitur secundo. Eadem ratione consequitur, vna specie ab Angelo cognosci posse omnia, quæcunque naturaliter per speciem intelligit: Si enim quo perfectior est Angelus, eo plura per eandem speciem cognoscit; nec tamen ea quæ ab Angelis naturaliter cognoscuntur, aut cognosci possunt, sint infinita, nisi secundum rationem solam indiuiduam, quæ per se non multiplicat species, sequitur aperte, saltem ascendendo in perfectione Angelica (quod fieri potest in infinitum syncategorematice) tandem deueniri posse ad aliquem Angelum tantæ perfectionis, qui vt alios inferiores omnes perfectione intelligendi superet, non nisi per vnam speciem omnia cognoscat: id vero est absurdum: tum quia hoc ipso talis Angelus non poterit habere se perfectiorem & superiorem, cum perfectio intelligendi non possit vlterius crescere, quam vt per vnam speciem omnia cognoscantur: siquidem omnia per essentiam cognosci à creatura, impossibile iudicat S. Thomas cit. a. 3. quanquã etiam si huc vlterius ascendatur, hic tamen salté necessario con-

quiescendum

quiescendum est, manente interim eadem vi argumenti. Tum quia vna species debet habere vnam rationem adæquatam obiecti, qualis ab omnibus simul creatis obiectis abstrahi non potest. Tum quia si possibilis est Angelus tam perfectus, non est ratio, cur negetur reipsa talis existere.

20 Respondetur primò, cum Caietano, etiamsi concedamus, deueniri posse ad Angelum, qui omnia cognoscat per vnam speciem, nunquam tamen ideò deueniri posse ad aliquem, qui vel per solam essentiam intelligat omnia: vel qui non intelligat per paucores species omnia, quæ intelligit, quam quilibet inferior Angelus. Quia hoc ipso, quod in illo progressu conderetur superior Angelus, accederet inferiori cuilibet noua species eiusdem Angeli superioris, qua proinde inferior excederet numerum specierum in superiori; vt qui seipsum non per speciem, sed per suam essentiam intelligit. Quæ responsio locum habet, etiamsi in infinitum fieret progressio in superioribus Angelis creandis. Ad quem ferè etiam modum respondet Suarez cit. lib. 2. cap. 16. num. 9. etsi contingere possit, vt aliqui Angeli inæquales in perfectione cognoscant omnia, quæ sunt, per æqualem numerum specierum, nihilominus semper Angelum superiorem cognoscere per vniuersaliores species, per extensionem ad repræsentationem plurium rerum seu individuorum possibilium: neque doctrinam de paucioribus speciebus S. Thomæ intelligendam, nisi cæteris paribus, ex parte rerum repræsentatarum.

21 Respondeo secundo cum Gregorio de Valentia cit. q. 6. punct. 3. negando sequelam; quia doctrina illa S. Thomæ, quod perfectiores Angeli cognoscant per species pauciores, intelligenda est vel de facto tantum, vel etiam de absolutâ Dei potentia, sed eousque tantum, quousque indiminuendo specierum numero, respectu tantæ varietatis, & multitudinis obiectorum, peruenirì potest: at vero vt vnica species sit naturalis similitudo tantæ varietatis & diuersitatis rerum omnium, quæ nunc ab Angelis naturaliter cognoscuntur, equidem existimo impossibile: etsi cum Caietano contrarium sentiat Suarez hic cap. 16. num. 15. Poterit tamen nihilominus ereſcere perfectio intelligendi Angelorum in infinitum syncategorematice, non diminutione numeri specierum, sed tum claritate cognitionis eorundem obiectorum, tum multitudine obiectorum cognitorum. Neque vero ideo necessarium est vt vna quælibet species habeat vnum obiectum adæquatum, secundum vnam rationem vniuocam; satis est, si in vnam aliquam rationem analogicè communem conueniant, vt rectè cum Capreolo cit. art. 3. Ferrariensi cit. cap. 98. notauit Vasquez disp. 202. num. 8.

22 Dices. Vnde ergo constat, reipsa nunc Angelos perfectiores semper per pauciores species eadem obiecta cognoscere, si id absolute ac vniuersim secundum totam Angelorum multitudinem possibilem, non est necessarium, nec possibile. Respondeo hoc nihilominus recte probari non solum authoritate Dionysij citata, sed etiam ratione S. Thomæ, facta tamen hac tacita suppositione; quod varietate & multitudine Angelorum nondum fuerit eò peruentum, vt respectu obiectorum, quæ per Angelos modo cognoscuntur, non potuerit vlterius diminui numerus specierum, quod ad decorem & maiorem varietatem vniuersi aliquo modo pertinere videtur: eaque de causa supra in probatione tertiæ partis dixi, *quod naturaretum patatur*.

23 Obijcitur tertio. Quisque Angelus inferior per vnam aliquam speciem distincte cognoscit speciem etiam vniuersalissimam supremi Angeli: Ergo etiam omnia obiecta, quæ per eandem speciem vniuersalissimam representantur, ac proinde species inferioris Angeli non erit minus vniuersalium repræsentandi, quam supremi.

24 Respondeo negando primam consequentiam: quia ad distincte cognoscendam aliquam potentiam, vel habitum, seu actum, non est necesse distincte cognoscere omnia eius obiecta, ad quę terminatur, siue quæ transcendentaliter respicit, saltem per vnam & eandem speciem: sed sufficit intrinsecam & essentialem eius rationem habere perspectam; si modo saltem interim obiecta, quæ essentialiter respicit, per aliam vel alias species simul distincte cognoscantur, vti in propositio accidit. Omitto, quod scientia diuina à beatis distincte, vtique videtur, nec tamen interim omnia illius obiecta distincte vllo modo cognoscuntur, vt suo loco dictum.

25 Assertio V. Angelinon omnia quæ cognoscunt etiam naturaliter, per species cognoscunt. Ita S. Thomas q. 56. a. 1. & communis Theologorum, & patebit ex dub. sequenti, vnde constabit, Angelum per species ab initio infusas cognoscere omnia, præter Deum & seipsum, suasque adeo operationes, vt rectè etiam notauit Suarez Metaph. disp. 35. sect. 4. An verò præter species naturaliter & à principio congenitas Angelo, dentur etiam ei progressu temporis aliæ, ad certa quædam obiecta cognoscenda, pendet ex particulari explicatione singulorum obiectorum, de quibus dubijs sequentibus agendum est.

DVBIVM III.

De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis, respectu rerum immaterialium: an numerum & quomodo Angelus naturaliter cognoscat seipsum, alios que Angelos, & Deum.

S. Thomas 1. p. q. 55. aa. 3.

EXplicato medio communi Angelicæ cognitionis, optima ratione sanctus Thomas sigillatim obiecta eiusdem cognitionis explicare aggreditur. Ea autem varij sunt generis. Quædam enim naturalia sunt, alia supernaturalia. Illa rursum aut immaterialia sunt; vt est Deus, Angelus ipse cognoscens, Angeli alij; aut materialia, tam vniuersalia, quam singularia; præsentia, futura, præterita; de quibus sigillatim agendum, initium

cum

cum S. Thoma faciendo ab obiectis immaterialibus; tum quia hæc sua natura magis sunt proportionata spirituali cognitioni & substantiæ ipsius Angeli; tum quia hæc magis etiam necessario ac naturaliter ab Angelis cognoscuntur. De singulis vero his obiectis, quæ ipse etiam Sanctus Thomas citata quæst. 56. tripartita facit; sequentes assertiones statuo.

2 Assertio I. Angelus naturaliter cognoscit, tum seipsum, tum alios Angelos, ac Deum. Ita communis omnium Doctorum, cum S. Thoma cit. q. 56. a. 1. 2. & 3. & cum Magistro in 2. dist. 3. Et patet ex scriptura variis in locis, quæ etiam dæmoni tribuit hanc cognitionem, qui non aliam quam naturalem cognitionem habet. Ratio patet tum ex dictis; quia horum obiectorum cognitio, ex suo genere, est maximè proportionata Angelo. Tum à posteriori; quia etiam homo naturaliter cognoscit non solum seipsum aliosque homines sibi similes, sed etiam Deum, vt suo loco disp. 1. quæst. 6. dub. 3. dictum.

3 Assertio II. Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam; & non per speciem superadditam. Ita S. Thomas 2. cont. gent. c. 98. & q. 8. de verit. c. 6. & hic cit. q. 56. a. 1. & cum eo Thomistæ omnes ibidem, item Richardus, Bonauentura, Argentina, Capreolus in 2. d. 3. Fauet Gandauensis quodlib. 1. q. 12, & quodlib. 4. q. 7. & aperte tradunt Gregorius de Valentia q. 7. pun. 1, Molina cit. q. 56. art. 1. d. 1. Vasquez d. 204. c. 2. Suarez Metaph. d. 35. sect. 4. & hic lib. 2. c. 4. idemque docuit Aristoteles lib. 3. de anima tex. & 15. & lib. 12. Metaph. tex. 51. Commentator, Soncinnas, & alij ibidem; adeo vt Durandus in 2. dist. 4. q. 6. non immerito dixerit, in hac assertione omnes tã Theologos, quam Philosophos conuenire. Contrarium tamen significat Marsilius in 2. d. 7. a. 1. concl. 2. qui absolute videtur negare: & ex parte Scotus in 2. d. 3. q. 10. Maior q. 4. Bassolis q. 3. qui etsi concedant, Angelum seipsum cognoscere intuitiuè per suam essentiam, putant tamen etiam cognoscere seipsum alia quadã cognitione abstractiua, per speciẽ superadditam. Marsilio Suarius hic loc. cit. secutus Scotũ adiungit Henricũ quodl. 5. q. 14. quãuis eũ conetur tueri Vasquez loc. cit.

4 Probatur assertio optimâ, eademq; communi ratione S. Thomæ loc. cit. Quia substantia Angeli cuiusq;, cum & immaterialis sit, & connaturaliter ac intime præsens, ipsi satis est proportionata, vt per modum obiecti actualis, vna cum ipso concurrat ad intellectionẽ, sine alia specie. Quæ proinde nec dari potest, saltem naturaliter, & secundum naturalem modum intelligendi ipsius Angeli; siquidem hæc non datur, nisi quando obiectũ ipsum non est per se satis proportionatum, vt obiectiue per seipsum immediate concurrat ad cognitionem, vt in simili de Deo dictum d. 2. q. 6. dub. 2. Quanquam Vasquez ob contrarium fundamentum, quod ibidem secutus est, multum hic circa rationem allatam disceptet. Idem vero etiam de anima separata asserit S. Thomas, q. 89. a. 2. non autem de existente in hac vita; vtpote quæ in intelligendo dependet à corpore; de quo Philosophi. Accedit contra Scotum, quod cum Angelus per suam substantiã intuitiuè se cognoscat, vt ipse fatetur, necab ea cognitione vnquam cesset, vt inferius dicetur, superuacanea plane esset altera illa cognitio abstractiua per speciẽ impressam adeoq; contra consuetum naturæ ordinem quæ refugit superflua.

5 Assertio III. Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam immediatè, ita vt ipsa ex parte obiecti immediatè influat & concurrat ad eam cognitionem. Hæc est mens S. Thomæ loco citat. quem ita etiam sequuntur & intelligunt Ferrariensis 2. cont. gent. c. 98. Capreolus in 2. d. 3. q. 2. concluſ. 5. Soncinnas 12. Metaph. q. 59. item Molina cit. a. 1. Gregorius de Valentia q. 7. pun. 1. ad 4. Suarez hic lib. 2. c. 4. n. 9. & consentiunt Ægidius in 2. d. 3. p. 2. q. 2. a. 1. Argentina q. 2. a. 3. Richardus a. 6. q. 1. Durandus q. 6. Scotus q. 8. & Henricus quodlib. 4. q. 7. etsi contrarium dixerint Caietanus hic q. 54. a. 3. & q. 56. a. 1. Bannes & Ripa eodem a. 1. qui docent, non ipsam substantiam Angeli immediatè, sed solum intellectũ tanquam virtutem ab ea dectisam seu manantem, tam ex parte potentiæ, quam obiecti immediate, concurrere in Angelo ad cognitionem sui, quod generalius etiam sequitur Vasquez, disp. 204. c. 2. Sed ratio in contrarium est manifesta. Nam alius est concursus ex parte obiecti, & alius ex parte potentiæ; hunc præstat potentia, illum verò aut ipsum per se obiectum, quando est ex se proportionatum ad hoc officium, aut eius loco species intentionalis, qualis non est ipse intellectus; vt inductione in cæteris rebus omnibus patet.

6 Assertio IV. Angelus etiam per suam substantiam immediate cognoscit naturales suas potentias & proprietates, quæ ab eius essentia manant; species verò intelligibiles, & ipsam sui cognitionem, vti & cætera accidentia intrinseca, etiamsi libera & contingentia sint, cognoscit per seipsa, cum existunt, & non immediatè per substantiam, aut species impressas. Ita Suarez cit. cap. 4. à n. 20. ex communiori, post Henricum, Richardum, & fere omnes Scholasticos loc. cit. Ratio est; quia qui comprehensiue cognoscit subiectum, simul etiam & eadem cognitione ac medio cognoscit eius passiones naturales; alia ratio est aliorum accidentium. Quia tamen & species, & cætera accidentia, quæ dixi, & spiritualia sunt, & in eadem substantia intimè præsentia suæ intellectui Angelico, nihil deest, quo minus per se intelligi possint: præsertim quia si Angelus suas species cognosceret per alias species, daretur processus in infinitum. Dixi vero *cum existunt*: Quia actus suos præteritos non videtur Angelus posse cognoscere aliter, vti etiam citati veteres Scholastici videntur supponere, quam per suam substantiam, supposita hac quasi conditione, quod ea semel fuerit eiusmodi actu informata; etsi Suarez per species acquisitas cognosci putet, quod dub. seq. assert. 7. refelletur.

7 Assertio V. Quilibet Angelus clare & perfecte etiam cognoscit omnes alios Angelos, idq; nec per suam substantiam, neq; per substantiam Angeli cogniti, nec per species ab eo impressas; sed per species sibi à Deo naturaliter inditas. Ita S.

Thomas

Thomas. cit. quæst. 56. artic. 2. Caietanus, & Thomistæ ibidem, Ferrariensis 2. cont. gent. c. 98. & alij communiter, qui necessitatem specierum in Angelis admittunt, speciatim Gregorius de Valentia q. 7. pun 2. Molina citat. artic. 2. Suarez hic lib. 2. cap. 5. contra Durandum, & Nominales, species in Angelis vniuersim negantes, vt dictum dub. præcedenti; quos sequitur Vasquez ibidem citatus, & hic disp. 205. cap 3. item contra Alensem, qui has species ab obiectis imprimi docuit, vt ibidem diximus.

8 Probatur assertio. Nam à quouis Angelo clarè cognoscit alios omnes, consentiunt Doctores, vt dictum assert. 1. Nam si quęuis apis omnes alueares socias, si cines vnius ciuitatis se mutuo vtcumque norunt; cur non multò magis Angeli cæteros suos consocios perfectè norint; quando multo maiorem inter se subordinationem & dependentiam habent, quam eiusdem ciuitatis ciues. Neque tamen vnus cognoscit alterum, per suam essentiam; nec veluti per speciem, seu medium non cognitum; quia nec formaliter nec eminenter continet alterum; nec similitudinem habet ad perfecte repræsentandum requisitam: nec tanquam per medium cognitum; quia talis cognitio non esset quidditatiua, sed imperfecta; quicquid author libri de causis proposit. 8. erroneo fundamento nixus, quasi vnus Angelus sit causa vel effectus alterius, dixerit, merito idcirco refutatus à S. Thoma q. 8. de verit. Neque item vnus cognoscit alterum Angelum, per ipsam eius essentiam aut per species ab eo impressas; tum quia essentia naturaliter & ad libitum cognoscentis, non est coniuncta Angelo cognoscenti; qui tamen sibi connaturaliter & ab initio vim sufficienten ad eam cognitionem deposcebat. Tum quia Angeli non accipiunt cognitionē ab obiecto externo cognito; nec etiam species; vt generatim dictū dub. præced. Superest ergo solum, vt quisq; Angelus cognoscat alium clarè & quidditatiuè per species à Deo sibi naturaliter & à principio inditas.

9 An autem simulcum hac cognitione, locum habeat cognitio abstractiua eiusdem obiecti, per medium cognitum, dubitari potest. Affirmat Alensis loc. cit. Vasquez cit. dist. 205. cap. 1. & alij. Breuiter dico cum Suarez num. 20. eam, esto fortasse absolute non sit impossibilis, esse tamen valde imperfectam & superuacaneam, adeoque parum consentaneam Angelis, qui perfectè se cognoscere possunt. Cum autem dicit Iustinus l. qq. q. 76. Angelos & dæmones sese mutuo non cognoscere & intelligere; & Chrysostomus homil. 5. in Matth. Angelum voluntate sua fieri dæmoni inuisibilem; aut de cognitione secretorum cordis intelligendi sunt, iuxta dub. 6. aut non de eo, quod ex natura rei, sed ex peculiari Dei dispositione accidit, vt notauit Vasquez cit. c. 1.

10 Assertio VI. Cognitio illa, qua quisq; Angelus alterum intelligit, est quidditatiua; an etiam sit vniuersim comprehensiua, quęstio nominis est: rectius negatur. Primam partem docent omnes: & patet ex dictis; quia est per propriam speciem rei; quare cum etiam feratur in obiectum vt existens & præsens, etiam intuitiua dicenda erit.

Secundam partem declaro. Nam si comprehendere est, non tantum cognoscere ea, quæ formaliter rei insunt, sed etiam omnia, quæ ex ea oriri possunt, velut ex causa, tum vtique nullus Angelus alium comprehendit; quod Vasquez citat. disp. 205. cap. 3. asserit. Si vero nihil est aliud, quam totam latitudinem essentialem intelligendo penetrare & perlustrare, tunc non solum superior inferiorem, sed etiam superiorem inferior naturaliter comprehendit; quod asserunt Molina & Bannes cit. a. 2. Si denique idem est, quod tam perfecta cognitione cognoscere, secundum ea quæ rei formaliter ac necessario insunt, quam ipsa res ex se est cognoscibilis, tunc quidem & Angelus quisque seipsum, & superior inferiorem, non autem hic superiorem comprehendit; vt sentiunt alij apud Vasquez loc. cit. & velut probabiliorem sequitur Suarez hic lib. 2. cap. 31. numero 14. idque mihi etiam magis probatur, vt in simili de Deo dictum disp. 2. q. 6. dub. 6.

Assertio VII. Angelus non cognoscit Deum naturaliter, per ipsam essentiam diuinam, concurrentem per modum speciei intelligibilis, neque per aliquam essentiæ diuinæ speciem creatam. Ita S. Thomas cit. art. 3. Caietanus & Thomistæ omnes ibidem, item Molina eadem qu. 56. a. 3. Gregorius de Valentia q. 7. pun. 3. Vasquez disp. 206. cap. 2. Suarez hic lib. 2. cap. 17. Et prima pars est extra controuersiam; quia cognitio Dei per suam essentiam est intuitiua, quæ nulli creaturarum potest esse naturalis, vt supra disp. 2. q. 6. dub. 3. diximus. 11

Secunda pars est contra Scotum in 2. d. 3. q. 9. & in 4. d. 49. q. 11. & cont. Marsilium in 2. q. 7. a. 1. concluf. 8. quorum ille docet, Deum ab Angelo naturaliter cognosci, per speciem propriam & quidditatiuam ipsius Dei; hic vero per speciem quidem Dei, sed non quidditatiuam. Scoto fauent etiam Bassolis in 2. d. 3. q. 3. a. 2. & cum Marsilio Nominales in prologo, qui saltem id fieri posse tuentur. Omitto Molinam, qui etsi neget, de facto cognosci Deum ab Angelo per speciem, siue naturalem, siue supernaturalem, dicit tamen, nil obstare, quo minus diuinâ potentiâ detur species abstractiuè repræsentans Deum, & sanctissimam Trinitatem, non quidem naturalis, sed supernaturalis, de qua re actum cit. disp. 2. quæst. 6. dub. 2. & 3. Vnde etiam probatur assertio. Tum quia non potest dari species intelligibilis ipsius Dei, vt ibidem dictum. Tum quia omnis cognitio Dei quidditatiua, adeoque etiam per propriam speciē ipsius, si qua detur, est intuitiua; cum sit impossibile, vt abstrahat ab existentia, & præsentia, seu immensitate Dei; siquidem vtraque est de essentia Dei; intuitiua autem visio repugnat naturalibus viribus Angeli, vt ibidem ostensum. 12

Assertio VIII. Angelus cognoscit Deum naturaliter inprimis per suam essentiam; non quidem, vt per speciem intelligibilē, sed vt per similitudinem seu imaginem, & medium cognitum. Hæc est mens & doctrina S. Thomæ cit. q. 56. a. 3. vbi distinguit triplicem modum aliquid cognoscendi; I. *per præsentiam*, inquit, *sua essentia in cognoscente; sicut si lux videatur in oculo: & sic Angelus intelli-*

Digitized by Google

intelligit seipsum, 2. per præsentiam suæ similitudinis (siue speciei) *in potentia cognoscitiua, sicut lapis videtur ab oculo. 3. per hoc, quod similitudo rei cognitæ non accipitur immediate ab ipsa re cognita, sed à re aliqua, in qua resultat; sicut videmus hominem in speculo.* Et subiungit, primo modo cognosci Deũ à beatis; tertio modo velut per speculum & in ænigmate, ex rebꝰ creatis, à nobis viatoribus; inter vtramque vero mediam esse cognitionem Angeli; quæ magis tamen accedit ad tertiam seu specularem; *quia & ipsa*, inquit, *natura Angelica est quoddam speculum, &* (vt superius dixerat) *imago, diuinam similitudinem repræsentans.* Vbi proinde in hoc similem facit cognitionem Angelorum de Deo, cognitioni per speculum, quia vti necesse est aliquid in speculo reflexe videntem, prius ratione videre ipsum speculum; ita necesse est, vt Angelus seipsum cognoscat, ad hoc, vt in se Deum cognoscat. Eadem est ratio cognoscendi aliquid in imagine. Idem docet Sanct. Thomas 3. cont. gent. cap. 98.

14 Prima vero pars huius assertionis est certa, & extra controuersiam apud omnes. Cum enim quisq; Angelus sit tum præstantissimus quidam effectus Dei, tum etiam elegans & naturalis quædam imago & similitudo Dei, sequeipsum quisque etiam secundum habitudinem intrinsecam, qua à Deo pendet, intime cognoscat, vtique poterit optime, ac præ aliis etiam modis accommodatissime, & inprimis naturaliter eorum quisq; Deum cognoscere per seipsum, ac per suam substantiam; seu quod idem est, in seipso, nempe velut effectum in sua causa, aut prototypum in imagine.

15 Secundam vero partem expresse docent Molina q. 56. art. 3. Gregorius de Valentia q. 7. pun. 3. Vasquez disp. 206. cap. 2. Suarez hic lib. 2. cap. 18. & significant Bonauentura in 2. dist. 3. part. 2. a. 2. q. 2. Richardus dist. 4. a. 1. q. 1. & 2. Bassolis dist. 3. q. 3. a. 3. & est plane mens S. Thomæ cit. art. 3. vt retulimus; etsi contrarium significare videantur Alensis 2. part. q. 24. mem. 1. Capreolus in 2. distin. 3. q. 2. a. 1. Ferrariensis cont. gent. 98. Caietanus, & Zumel cit. q. 56. a. 3. qui etsi concedant, Angelum posse cognoscere Deum per suam substantiam, vt per medium cognitum, addunt tamen, posse etiam cognoscere, vt per speciem, licet adæquatam & imperfectam; quamuis cum isti non negent, Angelum cognoscentem Deum per seipsum, necessario etiam cognoscere seipsum, in modo forte loquendi potiꝰ, quam reipsa à nobis dissentire videantur; adeo vt etiam à Valentia & Molina pro nostra sententia citetur.

16 Ratio est. Quia licet Angelus sit quædam similitudo Dei, non tamen est similitudo intentionalis, sed obiectiua, per modum imaginis, quæ in prototypi cognitionem solum ducit velut obiectum cognitum. Accedit quod omnis cognitio naturalis Dei, solum est ab effectu, qui itidem causam repræsentat solum per modum medii cogniti. Alias nulla ratio esset, cur Angelus non repræsentaret Deum, etiam supra mensuram illius similitudinis, quam habet cũ Deo in essendo; vti species intentionales faciunt: aut cur non etiam vnus Angelus quemuis alium cognoscat per suam substantiam, tanquã per speciẽ; siquidem maiorẽ similitudinem cũ eo habet, quã cũ Deo.

17 Assertio IX. Angelus etiam quisq; naturaliter cognoscit Deum, ex aliis rebus creatis, tanquam Dei effectibus; adeoq; vt per medium cognitum, ac per species concreatas tum aliorum Angelorum, tum cœlorum, aliarumque rerum naturalium. Ita Bonauentura in 2. dist. 3. part. 2. a. 2. q. 2. & omnes interpretes S. Thomæ cit. art. 3. ex certa & communi. Ratio est manifesta. Cum enim ab hominibus quoque *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur*, iuxta Apostolum Rom. 1. multo magis ab Angelis, qui natura perspicaciores sunt, & lõge melius res naturales omnes, earumq; dependentiam à Deo cognoscunt. Quare etiam Vasquez disp. 206. cap. 7. putat, Angelum Dei proprietates melius nosse, ex pluribus rebus aliis, quam ex se solo; quod nisi ad Angelos alios, præsertim superiores, referatur, non satis probatur.

Illud dubitari potest, an perfectius Angelus quisque Deum cognoscat, per seipsum, an per Angelum superiorem; de quo fuse disputat Suarez lib. 2. c. 20. Breuiter dico, etsi concedi possit, Angelum perfectiꝰ cognoscere Deum per Angelum superiorem, perfectione nobilitatis ex parte obiecti seu medii cogniti; tamen perfectione claritatis, ex parte actus cognoscendi, perfectius cognoscere per seipsum; cum vti Angelus quisq; seipsum multo naturalius, & vt ita dicam, penitius, adeoq; etiam clarius cognoscit, quã Angelum superiorem; ita etiam consentaneum rationi sit, vt clarius etiam Deum ex seipso cognoscat, quam ex alio Angelo superiore, quem minus clare & perfecte, quam seipsum cognoscit. Quæ etiam forte causa est, cur S. Thomas cit. art. 3. eum modum cognoscendi Deum solum expresserit, nulla expressa aliarum creaturarum facta mentione. 18

Assertio X. Angeli cognoscendo Deum per suam substantiam, vna & eadem cognitione cognoscunt seipsos, & Deum per seipsos, siue per suam substantiam. Ita Gregorius de Valentia q. 7. pun. 3. Vasquez disp. 206. & consentit Suarez hic lib. 2. cap. 19. post Ferrariensem cit. lib. 2. cont. gent. cap. 98. etsi contrarium sentiat Molina cit. a. 3. vbi dicit, Angelos ita ex se, & aliis rebus cognitis Deum cognoscere, vt nõ sit vna cognitio, qua res eiusmodi & Deum per seipsos cognoscunt; sed duæ, specie ac numero diuersæ; cum nequeat vna cognitio esse intuitiua simul & abstractiua, etiam diuersorum obiectorum: quod adeo verum censet Molina, vt potius existimet, concedendum Angelo discursum in ea cognitione Dei exercenda; ad quod veluti absurdum deuitandum, Scotus in 2. dist. 3. q. 9. negauit, Angelum per suam substantiam cognoscere Deum. 19

Sed probatur assertio. Tum quia naturale est Angelo, cum sit expers discursus, vna & eadem cognitione cognoscere in effectu causam; & in principiis conclusionem. Tum quia impossibile videtur, vt euidenter cognoscatur aliquis effectus, simul cum actuali dependentia, quam habet à sua causa, & non simul etiam eadem cognitione cognoscatur causa, saltem quoad quæstionem An est; siquidem relatio & terminus eodem actu necessario cognoscuntur: sed Angelus cognoscendo quidditatiue & comprehensiue, necessario cognoscit se, vt rem participatam & dependentem à Deo veluti causa: Ergo &c. Neq; vero repugnat, eandem realiter intellectionem respectu diuersorum obiectorum, simul esse intuiti- 20

uam & abstractiuam, cum id etiam in ipsa scientia Dei, vel visione Dei reperiatur, vt suo loco dictum: & Angelus sæpe in vna re existente visa, cognoscat aliam esse possibilem, vt recte Suarez num. 2.

21 Addit tamen Suarez ibidem à num. 3. posse nihilominus Angelum habere propriũ actũ cognitionis & cõceptionis Dei, distinctũ ab actu, quo se vel alios effectus Dei, & per illos Deum cognoscit; nimirum concipiendo Deum sub ratione absoluta entis à se, seu non ab alio, infiniti, immensi, omnipotentis. &c. idq; ita, vt etiamsi per impossibile se non intelligeret, nihilominus post habitam semel eiusmodi absolutã cognitionem de Deo, ipse postea mediante specie, quam eius vsu acquisierit, possit pro libitu eã denuo reassumere: id quod suo modo ẽt in hominib⁹ putat accidere. Sed hæc res mihi dubia est; non solum, quia S. Thomas absolute docuit, Angelos cognoscere Deum per suam substantiam; vel si addamus ẽt iuxta dicta, per alios effectus Dei, velut medium cognitũ, quæ communis est Doctorum sententia, vt vidimus; sed quia consulendo ẽt rationem, non apparet, quo medio talis cognitio Dei ab Angelo, sine cognitione sui, aliarumue rerum, haberi possit. Cum n. Deum Angelus naturaliter non possit cognoscere, per substantiam, vel etiam per speciem propriam ipsius Dei, vt dictum, necesse est, vt cognoscat Deum vel per suã substantiam tanquam medium cognitum, vt dictũ, vel per species aliarum rerum velut effectuum Dei; qui modus cognoscendi Deum non est, nec esse potest, sine cognitione earundem rerum. Ergo etiamsi Angelus cognoscat Deum velut Ens ex se, immensum, infinitum, omnipotentem. &c. vti quidem ab Angelo cognosci, negari non potest, necessario tamen idipsum in se vel alio effectu Dei, vtique velut medio cognito, cognoscet: Ergo impossibile est, vt Deum cognoscat, quin simul se vel alium Dei effectum cognoscat. Et quia quod est medium cognoscendi, per modum obiecti cogniti, non cognoscitur ab Angelo distincto actu ab ipsa re cognita, vt qui non ex effectu causam, sed in effectu causam cognoscit, necesse est, vt illa cognitio Dei semper etiam simul sit cognitio alicuius effectus Dei.

22 Quod aũt Suarez de specie prioris cognitionis ab Angelo acquisita docet, multo magis insolitũ videtur: sic n. Angelo denegari nõ posset intellectus agẽs, contra cõmunem doctrinam traditã dub. 1. quamuis etiamsi per talem speciem Angelus Deũ intelligeret, nihilominus simul ẽt saltẽ ipsius præcedentis cognitionis (rei vtiq; creatæ) memoria & cõsideratio velut medium cognoscendi interueniret, ac proinde ne sic quidẽ cognitio Dei esset sine omni cognitione creaturæ. Neq; vero existimo, etiam homines naturaliter vnquam ita abstractam de Deo cogitationẽ vel cõtemplationem habere posse, quin simul saltẽ confuse & in obliquo ad rem ẽt aliquam creatam terminetur cognitio, ob eandem causam: quia nullam de Deo cognitionem naturaliter habemus, aut habere possumus, nisi per effectus Dei, velut medium cognitũ; idq; non habitualiter tantum, sed etiam actualiter; alias enim continuo aliquid aliud, ex parte obiecti, ad eam cognitionem Dei actualiter concurrens, assignandum esset: quod commodè assignari non potest. Atque hæc de immaterialibus obiectis Angelicæ cognitionis satis.

DVBIVM IV.

De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis, respectu rerum materialium; tum actu existentium, vel etiam præteritarum; tum possibilium.

S. Thom. 1. p. q. 57. a. 1. 2. & 3.

EXplicata cognitione obiectorum immaterialiũ, quam Angeli habent, cum S. Thoma progredimur ad explicandam cognitionem obiectorum materialium; non tamen simul omnia hæc obiecta vno dubio comprehẽndendo; sed reseruando ea, quę specialem difficultatem habent, nimirum futura contingentia, & occultas cogitationes seu affectiones mentium ad duo dubia subsequentia. In præsenti vero de triplici genere rerum materialium, nimirum 1. singularium actu existentium. 2. præteritarum. 3. mere possibilium, sequentes assertiones ponimus. 1

Assertio I. Angeli directe & per se, propriaq; adeo & intuitiua cognitione cognoscunt res materiales singulares existentes. Ita S. Thomas hic q. 57. art. 1. & 2. & communis omnium Doctorum ibidem, & cum Magistro in 2. dist 3 contra duos errores oppositos gentilium, vnus est, quod Angeli nullo modo cognoscant singularia, cui errori fauent Auerroes & Auicenna, qui ita videntur docuisse de Deo; quicquid sit de Aristotele, de qua re actum disp. 2. q. 8. dub. 4. alter error est, quod ea solum cognoscant abstracte in suis causis vniuersalibus. 2

Sed vt bene dixit S. Thomas cit. a. 2. Primus ille error *derogat Catholicæ fidei, quæ ponit hæc inferiora administrari per Angelos, secundum illud Heb. 1. Omnes sunt administratorii spiritus.* & Eccles. 5. v. 5. *Ne dicas coram Angelo, Non est prouidentia. Deinde derogat*, inquit S. Thomas, *Philosophiæ documentis, secundum quæ ponuntur Angeli motores cœlestium orbium, & quod eos moueant secundum intellectum & voluntatem.*

Ex quibus ẽt refellitur secundus error. Nam ad recte prouidendum rebus singularibus, necesse est, eas non tantũ in genere vel in confuso habere cognitas, sed etiam in particulari ac indiuiduo, qua singulares sunt: cum tamen ex causis vniuersalibus non possint cognosci indiuidua, nisi secundum rationem communem; eo ipso quod causæ vniuersales ex se ad plura indiuidua indifferentes sunt. 3

Ratio a. vniuersalis assertionis sumitur ex S. Thoma cit. a. 2. Quanto n. aliquid, in aliquo rerũ genere superius est, tanto habet in eo genere virtutem magis vnitam, & ad plura se extendentẽ; sicut patet in homine; in quo vnica potentia sensûs communis tanquam superior proprio sensu, omnia cognoscit, quæ quinq; sensibus exterioribus cognoscuntur; & quædam alia, quæ nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi & dulcis: Cum ergo Angelus naturæ ordine in genere naturæ cognoscentis sit supra hominem, necesse est, vt Angelus per vnicam, quam habet vim cognoscentem, scilicet intellectũ, intelligat omnia quæcunq; homo sua potentia 4

cogno-

cognoscit: homo autem directe, clare & intuitiue cognoscit etiam singularia materialia si (non directe per intellectum, vti putat schola S. Thomæ, fauente nonnihil Aristotele 1. poster. tex. 43.) saltem per sensum: Ergo. &c. Qua de causa etiam S. Thomas cit. a. 1. ad 2. eam cognitionem materialium obiectorum appellauit *visionem intellectualem*. Cum quo non pugnat, quo minus simul ea cognoscantur, secundum gradus etiam vniuersales omnes, seu generis, seu specificos; imo hoc necessarium est ad eorum intuitiuam & quidditatiuam cognitionem; vt inferius dicemus assert. 4.

5 Assertio II. Angeli non cognoscunt hæc indiuidua materialia, nec per solam præsentiam obiecti, sine aliqua specie eiusdem obiecti; nec per species ab ipsis obiectis acceptas, sed per species sibi ab initio congenitas. Ita S. Thomas 2. cont. gent. cap. 96. & hic cit. a. 2. Caietanus, & omnes Thomistæ ibidem, Ferrariensis loc. cit. Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 2. item Bonauentura eadem dist. part. 2. art. 2. quæst. 1. Ægidius q. 2. a. 1. dub. 2. & art. 2. dub. 2. Argentina q. 2. a. 4. Heruæus q. 4. a. 3. Albertus art. 15. & in sum. part. 2. tract. 4. q. 14. mem. 3. a 2. & de quatuor coæuis 1. p. q. 5. a. 12. Henricus quodlib. 5. q. 14. Guiliel. Parisiensis tract de vniuersalibus, quos sequuntur recentiores communiter, Gregorius de Valentia q. 8. pun. 2. Suarez hic lib. 2. cap. 6. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 8. contra duplicem aliorum sententiam. Prior est Durandi in 2. distin. 3. q. 6. Gabrielis q. 2. a. 2. & aliorum Nominalium, quos citauimus dub. 2. & fere sequitur Vasquez ibidem citatus & hic disp. 208. cap. 4. qui docent, indiuiduum materiale cognosci ab Angelo per solam præsentiam obiecti, sine aliqua specie eiusdem in se recepta. Altera est Alensis 2. part. q. 23. mem. 3. & 4. & q. 24. memb. 3. Richardi in 2. dist. 3. q. 2. Scoti q. 11. Bassolis q. 4. art. 3. Maioris q. 4 Heruæi q. 2. & quodlib. 5. q. 6. Marsilii in 2. q. 7. a. 1. qui docent, Angelum videre singularia materialia per species ab obiectis acceptas.

6 Ratio assertionis est. Quia ad quamuis intellectionem creatam requiritur non solum terminatio, sed etiam realis concursus, & vera causalitas ex parte obiecti, vt sæpius dictum: eam vero in præsenti præstare non potest, nec ipsum per se obiectum materiale, quia non potest agere in substantiam immaterialem: nec ipse intellectus Angelicus; quia hic solum concurrit ex parte potentiæ, non ex parte obiecti: nec species ab obiecto materiali Angelo impressa: quia, vt dictum, non potest agere in subiectum immateriale; multo minus qualitatem spiritualem producere. Restat ergo, vt intelligantur per species à Deo congenitas, vti generatim docuimus dub. 2.

7 Assertio III. Angeli habent species innatas omnium rerum naturalium (abstrahendo tamen à futuris contingentibus, & occultis cordium) creatarum & creandarum, ab initio mundi vsque ad finem, non solum quoad genera & species, sed etiam quoad indiuidua. Ita communis Doctorum, quos pro præcedenti assertione adduximus; idemque fusè prosequuntur Albertinus loc. cit & Suarez citat. cap. 6. & 8. & colligitur ex S. Thoma cit. art. 1. & 2. vbi expresse dicit, *habere species connaturales ad omnia intelligenda, quæ naturaliter cognoscere possunt.* Ratio est: quia cum Angeli non accipiant suam cognitionem ab his obiectis, vt dictum; neque adeo in hac cognitione quoad habitum proficiant, vti nos homines; conueniens erat, vt eorum obiectorum omnium, quæ homines successiue & diuisim cognoscunt, habitualem notitiam, seu potius species repræsentatiuas, simul ab initio congenitas acciperent.

Assertio IV. Non sunt in Angelo species distinctæ, ad repræsentandam existentiam eiusmodi rerum singularium, aut essentiam; vel etiam ad repræsentanda genera, species, & indiuidua earundem; vel denique ad repræsentandam substantiam, & accidentia earundem rerum: sed eædem species, tum directe indiuidua eiusdem speciei; tum ipsas eorundem naturas, gradusque & rationes essentiales communes; tum omnia eorundem accidentia, modosque, & mutationes; tum deniq; simul & essentiam, & cum existunt, etiam existentiam repræsentant. Ita ex mente S. Thomæ loc. cit. citati pro assertione præcedenti, & fusè Suarez cit. cap. 8. etsi Bonauentura in 2. dist. 2. part. 2. art. 2. q. 1. putet, non omnia accidentia, quæ subiecto contingenter insunt, simul cum subiecto per vnam speciem repræsentari, sed per varias; idque velut quadam compositione seu simultanea applicatione specierum. 8

Ratio est. Quia partim quædam ex his, puta essentia & existentia; natura communis & singularis; adeoque gradus Metaphysici eiusdem rei, ex veriori non distinguuntur nisi ratione: partim ipsa præstantia naturæ & intellectus Angelici, species sibi earum rerum connaturales deposcebat, quæ & in repræsentando vniuersales essent; & simul res ipsas perfectissime, adeoque secundum totum suum esse, quod habent, repræsentarent; quicquid Scotus loc. cit. dixerit, Angelos habere innatas species rerum vniuersalium, non autem singularium. Imo verius est, Angelos nunquam habere proprios & præcisos conceptus generum vel specierum, quæ in indiuiduis reperiuntur; quandoquidem ipsi cognoscunt res prout sunt, nec adeo ratione distinguunt ea, quæ à parte rei distincta non sunt; etsi à nobis ratione distingui intelligant, vt pluribus differit Suarez cit. cap. 8. num 9. & 11. 9

Assertio V. Eiusmodi species congenitæ Angelo, quamuis numero finitæ; imo etiam vna quæpiam ex illis, repræsentare successiue possunt infinita singularia accidentium, reipsa quandoq; existentium, tam materialium, quam immaterialium, quę in substantiis, siue corporeis, siue incorporeis, syncategorematice in infinitum multiplicantur. Ita Caietanus, & omnes Thomistæ hic q. 57. art. 2. & supra q. 55. a. 3. & fieri posse fatentur etiam Gregorius de Valentia quæst. 8. pun. 2. & Suarez hic lib. 2. c. 14. num. 13. Id vero necessario sequitur ex communi & recepta doctrina S. Thomæ, quod Angeli res naturales extra se per species cognoscant; nec tamen accipiant species à rebus ipsis; nec successiue eas acquirant, vt supra dictum. Hinc enim fit, vt per species congenitas omnia eiusmodi singularia, quæ aliquando existentiam habent, aut habebunt, cognoscere possint. Et quia hæc singularia in infinitum syncategorematice multiplicantur, cum sint infinitæ motiones corporum, passiones animorum (vt de 10

occultis cogitationibus & affectionibus mentis nihil dicam) partim in Angelis, partim in hominibus, tam beatis, quam damnatis futuræ; quæ accidentia, saltem cum existunt, Angeli naturaliter per inditas naturales species cognoscere possunt, vt dictum, sequitur species eiusmodi ex se sufficere ad infinita eiusmodi indiuidua repræsentanda.

11 Et vero vlterius quia species illæ non sunt, nec esse possunt infinitæ (esset enim tunc infinitum actu, quod est impossibile) necessarium est, vt etiam vna aliqua eiusmodi species per se sufficere possit ad eiusmodi indiuidua infinita syncategorematice successiue cognoscenda. Fac enim, vt quantolibet numero finito multiplicentur species; quæro, an aliqua ex illis repræsentare possit infinita eiusmodi singularia, an non: si affirmas, habemus intentum: si non; ergo totum etiam aggregatum singularium, quæ ab istis repræsentantur, solum est finitum; quia ex finita multiplicatione numeri finiti non potest exurgere nisi numerus finitus: Ergo cum numerus solum finitus ex infinita syncategorematice multitudine illorum indiuiduorum repræsentetur; necessario adhuc restabit infinita multitudo repræsentanda; ad quam proinde repræsentandam nullus finitus numerus specierum sufficere potest, si non vna aliqua species ad infinita repræsentanda sufficiat. Posito autem quod vna species ad infinita indiuidua repræsentanda sufficiat, non est ratio, cur ad ea saltem in certa aliqua specie, & in vno aliquo indiuiduo, cognoscenda, multiplicentur species; quia natura odit superflua. Quomodo autem hinc non sequatur, species eiusmodi esse infinitæ perfectionis, dictum est dub. secundo.

12 Assertio VI. Angeli quoque cognoscere possunt eiusmodi obiecta naturalia præterita, etiam vt præterita; idque non tantum in aliquo suo effectu, aut signo externo, vel etiam per attestationem extrinsecam Dei, vel alterius Angeli, aut hominis; sed etiam vi naturali intrinseca, & ex internis principiis, quæ Angeli ipsi in se habent; & quibus in actu primo constituuntur, vimque naturalem intrinsecam habent, ad ea cum voluerint recognoscenda. Hæc assertio in his terminis est communis Doctorum, nullo quod sciam repugnante; quam tradit etiam Augustinus libro secundo, de Genesi ad lit. c. 17. & lib. de diuinat. dæm. & lib. decimo de Trinitat. cap. vndecimo, vbi Angelis tribuit memoriam præteritorum. Et ratio primæ partis, quod nimirum præterita saltem materialiter cognoscant, est. Quia Angeli omnium eiusmodi rerum naturalium, quæ aliquando habent vel habuerunt, aut etiam habituræ sunt existentiam, species congenitas habent, vt dictum: Ergo saltem eas cognitione abstractiua, & in se, atque abstrahendo ab existentia cognoscere possunt: quod etiam de rebus futuris non negatur, vt dicemus.

13 Secunda & tertia pars constat ex SS. Patribus, qui sæpe memoriam & experientiam, seu experimentalem cognitionem Angelis etiam malis tribuunt, vt ex Augustino dictum. Ratio est. Tum quia Angeli habent memoriam, vt dub. prim. dictum. Tum quia nos ipsi etiam præterita vt præterita cognoscimus, idque sæpe sola vi intrinseca, nullo effectu aut vestigio externo rei præteritæ, nec vlla attestatione extrinseca interueniente.

Assertio VII. Angeli naturaliter ita, sine medio extrinseco, cognoscere possunt præterita, etiamsi ea iam antea, cum præsentia essent, actu non cognouerint; idque non solum per speciem alienam, multo minus per speciem de nouo primum acquisitam ipsius præteritæ cognitionis seu visionis; sed directe & in se, per speciem ipsius rei præteritæ naturaliter congenitam. Hæc est plane mens & sententia Sanct. Thomæ. quando de his rebus singularibus agens quæstion. 57. articulo primo & secundo vniuersim docet, cognosci ab Angelis, eiusmodi singularia, etiam perfecta cognitione, idque per species naturaliter congenitas; & ibidem articulo tertio, ab hac generali doctrina solum excipit futura contingentia; & articulo quarto occultas cogitationes cordium: sentit ergo præterita etiam vt præterita ab Angelo cognosci per species congenitas. Accedit, quod cum articulo tertio, obiect. 3. obiecisset hoc argumentum: *Angelus non cognoscit per species acceptas à rebus, sed per species innatas vniuersales: sed species vniuersaliter se habent ad præteritum & futurum: Ergo videtur, quod Angeli indifferenter cognoscant præterita, & præsentia, & futura*; Respondet ipse his verbis: *Dicendum, quod licet species, quæ sunt in intellectu Angeli, quantum est de se, æqualiter se habeant ad præsentia, præterita, & futura: tamen præsentia, præterita, & futura non æqualiter se habent ad rationes. Quia ea quæ præsentia sunt, habent naturam, per quam assimilantur speciebus, quæ sunt in mente Angeli; & sic per eas cognosci possunt; sed quæ futura sunt, nondum habent naturam, per quam illis assimilentur; vnde per eas cognosci non possunt.* 14

Quibus verbis aperte concedit S. Thomas, quod argumentum sumebat, Angelum cognoscere hæc omnia, (quando cognoscit) per species innatas: & simul cum minor propositio argumenti vrgeret & obiiceret repræsentationem præteritorum, ad probandam similem etiam repræsentationem futurorum, ipse in responsione non negat, per species innatas etiam præterita repræsentari; sed vtendo termino *præsentium*, ait, diuersam esse rationem futurorum; quæ sola negat ab Angelis cognosci, idque ob eam rationem, quia *nondum habent* (nimirum actualiter) *naturam*; quod ad res præteritas referri non potest. Comprehendit ergo S. Thomas præterita sub præsentibus; eo nimirum, quod in ordine ad cognitionem Angelicam, idem quasi sit, fuisse, aut esse præsentem, vt dicemus. 15

Denique in tota q. 55. vbi S. Thomas ex instituto tractat de speciebus Angelicis, ne semel quidem mentionem facit specierum aliquarum, quas Angelus acquirat, sed vbiq; solum innatas & congenitas species ei tribuit: quod maxime patet ex artic. 2. in verbis paulo post referendis. Est ergo plane hæc sententia Sanct. Thomæ, quam proinde eadem ratione supponunt Caietanus, & Thomistæ. Idem expresse docent Gregorius de Valentia quæst. 8. pun. 2. in fin. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 8. & Vasquez disp. 208. cap. vlt. saltem supponendo, quod Angeli habeant species: alias vero sine his ipse sola

vi natu-

Digitized by Google

vi naturali intellectus, ab Angelis cognosci præterita existimat, etiam in se, & directe, sine vlla specie acquisita superaddita.

16 Contrariū vero, Angelos scilicet non cognoscere præterita, qua talia sunt, directe & in se, per species inditas, docet Suarez hic lib. 2. cap. 12. vbi etiam pro se citat Zumel & Pesantium; & putat consentire S. Thomam hic cit. art. 3. ad 3. quasi præterita futuris, non præsentibus, vti nos diximus, æquiparet; item Marsilium in 2. quæst. 7. artic. 1. & Ariminensem in 2. distin. 3. quæst. 3. articu. 3. Sententia autem Suarez de modo cognoscendi præterita hæc est; nimirum Angelum non cognoscere præsentia vt præterita, nisi vel per effectus aut vestigia externa, aut quando Angelus ea iam antea vt præsentia videndo intellexit; neque vero tunc ea cognoscere per species ipsarum rerum, quæ præterierunt, siue innatas, siue de nouo acquisitas, sed per speciem quandam propriam de nouo acquisitam præteritæ visionis, quæ immediate quidem & directe repræsentet actum illum visionis, indirecte autem & mediate etiam rem ipsam præteritam, eiusque præteritionem; ita proinde vt cognitio hæc rei præteritæ non sit per propriam speciem, sed per alienam; nec sit cognitio rei in se, sed in alio, puta in visione præterita, velut medio cognito.

17 Sed probatur nostra assertio, ex fundamento generali superius posito dub. 2. Angeli enim omnia creata & naturalia obiecta, quæ per species cognoscunt, cognoscunt per species inditas sibi & congenitas, & non per acquisitas. In quem sensum diserte etiam S. Thomas q. 55. a. 2. ait, *Angelos habere species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda, quæ naturaliter cognoscere possunt.* Deinde species Angelicæ repræsentant rem vnamquamq; cum omnibus suis accidentibus: Ergo etiam cum certis differentiis locorum & temporum excepta sola futuritione, vt dicetur dub. seq. Denique hoc ex vna parte non repugnat, vt inferius declarabitur; ex altera parte pertinet ad perfectionem cognitionis Angelicæ.

E contrario alter ille modus cognoscendi præterita, per speciem alienam acquisitam, multis de causis non probatur. 1. Quia vniuersim verius est, nullas species ab Angelo acquiri; vti docet S. Thomas loc. cit. & dictum dub. 1. & 2. alias enim haberet etiam intellectum agentem. 2. Multo minus habet Angelus speciem acquisitam suæ intellectionis præteritæ, cum ipse suas illas operationes omnes cognoscat per seipsas, aut certe cum præterierunt, per suam substantiam, vt dictum dub. præced. 3. Memoria sensitiua probabiliter cognoscit præterita, absque vlla specie ipsius sensationis acquisitæ, vt recte Vasquez loc. cit. 4. Alter ille cognoscendi modus rem præteritam est valde imperfectus, vtpote solum per alienas species, & per medium cognitum. 5 Exeo sequitur, tot species ab Angelo acquiri, quot habet diuersos actus cognitionis: quod etsi concedat Suarez, valde tamen nouum & insolens videtur.

18 Assertio VIII. Probabilius est, Angelos per easdem species, à parte rei plane inuariatas, cognoscere res præteritas, quibus cognouerant, aut cognoscere poterant præsentes; mutata solum conditione ipsius obiecti. Hæc assertio explicat determinate modum cognoscendi præterita. Probatur & declaratur. Quia omnes authores, pro præcedenti assertione citati fatentur, species Angelicas repræsentare obiectum prout est, adeoque varie, prout ipsum obiectum varie se habet: circa modum explicandi autem variant. Primo enim quidam Thomistæ dicunt, hoc fieri, per quandam modificationem intrinsecam, quæ, Deo quasi naturaliter agente, speciebus accedat; quod indicat etiam Suarez Metaph. d. 35. sect. 4. & non solum euidenter refelli non potest; sed etiam non parum habet probabilitatis, vt fatetur quoque Albertinus loc. cit. etsi repugnet Vasquez loc cit.

Secundo alii probabilius docent, id fieri per species reipsa plane inuariatas, mutata solum conditione ex parte obiecti. In qua re rursum est variatio. Quidam enim dicunt, species inditas Angelorum directe repræsentare tum præsentia, tum præterita, pro varietate ipsorum obiectorum; etiam sine vlla alia conditione requisita. Ita Vasquez loc. citat. Alii docent, ad hoc, vt species Angelicæ determinate & in particulari secundum modum etiam particularem suæ existentiæ, repræsentent sua obiecta, requiri, per modum conditionis, præsentiam seu coexistentiam actualem earundem specierum cum obiecto; ita nimirum, vt vel de facto etiamnum coexistant speciebus, vel certe coextiterint aliquando: ad eum modum, quo quidam existimant, ad visionem requiri præsentiam & coexistentiam obiecti visi; adeo, vt etiamsi species visibilis supernaturaliter sine obiecto conseruaretur, ea tamen obiectum ipsum non sit repræsentatura. Ita docet Gregorius de Valentia quæstion. 8. pun. 2. & 3. & consentire videntur Caietanus quæst. 57. artic. 2. & Ferrar. l. 2. c. 96. Quod plane etiam intellexisse videtur S. Thomas relatus assert præceden. iis verbis art. 3. ad 3. dum dixit, *ea quæ præsentia sunt* (sub quibus etiam intellexit præterita) *habere naturam*, (reipsa nimirum ad actum existentiæ redactam) *per quam assimilantur speciebus*; *futura autem nondum habere*; & ideo illa cognosci posse, hæc non posse. Ex quo sequitur, si Angelus de nouo crearetur, cum omnibus speciebus naturalibus, quas nunc Angeli habent, eum tamen per se & directe non cognoturum præsentia, ob defectum conditionis requisitæ.

19

Et confirmatur hic modus ex simili. Si enim Angeli possunt occultas cogitationes alienas cognoscere, sine mutatione reali ex parte specierum, aut potentiæ, sola mutatione cuiusdam conditionis extrinsecæ, ex parte obiecti interueniente, quia nimirum locutio alterius Angeli accessit, vt dub. sexto cum Sanct. Thoma dicemus, etsi hoc ipsum etiam neget Suarez, multo facilius intelligi potest, easdem species, licet in se inuariatas, varie tamen repræsentare idem obiectum à parte rei variatum. Denique eadem species plane inuariata successiue repræsentat omnia accidentia, quamuis sæpe contraria, eiusdem rei existentis, vt fatetur etiam Suarez; quidni ergo possit etiam directe idem obiectum tum præsens, tum præteritum repræsentare. Et vterque modus assignatus in hoc conueniunt, quod species inditæ præterita etiam, qua talia, adeoque præteritionem ipsam directe repræsentent, tunc cum obiectum præteritum est, vt expresse docet Vasquez loc. cit.

20 Nihilominus est tertius modus, non minus probabilis, quod nimirum species Angelicæ, cum res præsentes esse desierunt, ipsas in se quidem, & in particulari, vna cum sua existentia, quam habuerunt, directe repræsentent, sed non vt actu iam præsentes & existentes. Quo ipso velut indirecte (cum futura non ita repræsentent, vt dicetur dub. seq.) per species rerum præsentium cognoscere possunt præterita. Quod significare etiam videtur Albertinus loc. citat.

21 Assertio IX. Angeli non habent species proprias rerum pure possibilium; nec eas adeo etiam in se, & quidditatiue cognoscunt; sed solum quatenus aliquæ in potentia actiua aliquarum rerum productarum continentur; per quas proinde cognoscuntur velut per medium cognitum. Hæc est mens S. Thomæ 1. p. q. 56. a. 2. ad 4. vbi ait, quod si *Deus facturus fuisset plures Angelos, vel plures naturas rerum, plures species intelligibiles mentibus Angelicis impressisset.* Sentit ergo, non habere species rerum, quas Deus nunquam statuit facere. Et q. 55. a. 2. solum tribuit Angelis species intelligibiles, directe repræsentantes ea, quæ aliquando habent existentiam. Eadem est communis doctrina Thomistarum ibidem, quã tradunt velut communem etiam Vasquez disp. 208. cap. 4. & Suarez hic lib. 2. cap. 13. num. 10 contra Gandauensem quodlib. 5. q. 14. qui Angelo tribuit habitum quendam cognoscitiuum naturaliter concreatum, quo inclinetur & habilitetur, ad cognoscendum rerum omnium, etiam mere possibilium, quidditates.

22 Ratio est. Tum quia mere possibilia, sicut actu secundum se nullum habent Esse, adeoque non sunt actu entia, ita etiam in se non videntur actu intelligibilia; saltem potentia naturali creaturæ, cuius cognitio ab obiectis pendet. Tum quia ob eandem etiam causam Angeli non habent species, quæ directe & formaliter repræsentent futura, qua futura, nimirum quia non sunt, nec fuerunt actu entia. Tum quia nec anima Christi, nec intellectus beati cognoscit omnia possibilia. Cognoscunt ergo Angeli quædam eiusmodi possibilia solum per species rerum existentium, in quibus virtute continentur; vt in posteriore assertionis parte dictum est.

23 Assertio X. Cognitio rerum naturalium existentium, per proprias species, est intuitiua; at vero non existentium, siue sint præteritæ, siue mere possibiles, (quatenus quidem hæ ab Angelo cognoscuntur) solum est abstractiua. Ita communis, idemque mox de futuris dicetur dub. sequenti. Ratio sumitur ex notionibus nominum. Nam cognitio intuitiua est, qua res ipsa in se, vt existens & quasi præsens, clare conspicitur; quæ proinde non est nisi existentium: abstractiua generatim dicitur, quæ vel non est per proprias species; vel ab existentia abstrahit: & vtroque hoc modo cognitio mere possibilium est abstractiua: priori autem modo solum, cognitio rerum præteritarum. Has enim, vt dictum, per proprias species cognoscit Angelus, etsi non vt actu existentes.

24 Atque ex his etiam, quæ diximus, facile solui possunt omnia argumenta, quæ contra inditas species rerum singularium materialium obiicit Scotus; præter ea quæ dub. secundo retulimus & dissoluimus; & de futuris contingentibus dub. seq. dicentur. Videri potest præter alios Gregorius de Valentia cit. quæst. 8. pun. 2.

DVBIVM V.

An & quomodo Angeli naturaliter cognoscant futura, præsertim contingentia.

S. Thom. 1. p. q. 57. a. 3.

1 PRæcipuæ difficultates, quæ contra doctrinam S. Thomæ de speciebus Angeli, & modo cognoscendi obiecta materialia singularia, à Scoto & aliis obiiciuntur, petuntur ex cognitione futurorũ, præsertim contingentium; horum enim absoluta & perfecta cognitio cum Angelis tribui non possit, videtur inde consequens esse, Angelũ nec habere species omnium rerum naturalium congenitas; nec eas etiam adeo cum existunt, aut extiterunt, sine nouis speciebus cognoscere posse. Est igitur cum S. Thoma loc. cit. hæc dubitatio hoc loco explicãda; quod assertionibus sequentibus præstabimus, distinguendo nimirum inter rem ipsam futuram materialiter, & rem futuram, qua futura est; & vtriusque cognitionem in se, vel in sua causa; itemque inter contingentia mere naturalia, & inter contingentia libera.

2 Assertio I. Res omnes naturales, quæ futuræ sunt, naturaliter cognoscere possunt Angeli abstractiue, & secundum suam essentiam; ita nimirum, vt non solum abstrahatur ab existentia earum, sed etiam à ratione ipsarum indiuidue determinata: quod est cognoscere naturas ipsorum secundum se, vel vt summum etiam, prout substant gradui & conditionibus indiuiduantibus confuse & indeterminate. Hæc assertio est communis Doctorum, quos referemus, & patet ex dub. præcedent. assert. 3. Ratio est. Quia Angeli habent species congenitas, omnium rerum naturalium aliquando existentium, adeoque etiam futurarum, vt ibidem dictum: Ergo per eas saltem cognoscere possunt essentias & quidditates earum: abstrahendo ab existentia, & ratione indiuidua particulari: esto confuse simul etiam eas cognoscant, prout substant gradui & conditionibus indiuiduantibus indeterminate, puta his vel illis: quod eatenus quidem, ab eis fieri posse, facile intelligitur; quatenus nimirum in ipsa natura, vel etiam in aliis indiuiduis existentibus, velut medio cognito, intelligere possunt, etiam plura eiusmodi indiuidua, hæc vel illa esse possibilia; prout etiam vniuersim ab eis mere possibilia intelligi posse diximus.

3 Vt autem directe & determinate rationem indiuiduam futurorum cognoscant, etiam abstrahendo ab eorum existentia actuali, fieri non potest, vt recte etiam docet Albertinus infra; etsi contrarium sentiat Suarez lib. secundo, cap. vndecimo, numero 14. sic enim ipsam etiam futuritionem eorundem certe & determinate cognoscerent: quandoquidem cum nulla entia mere possibilia in se directe cognoscant, eo ipso, quod futura, sub ratione indiuidua determinata, directe & in se cognoscerent, scirent, ea nõ esse mere possibilia, sed plane aliquãdo

futu-

futura, quandoquidem euidenter scire possent, ea actu non esse, nec fuisse. Ad cognitionem vero directam essentiæ ipsorum, satis est, quod ea habuerit, aut habeat existentiam in aliis indiuiduis, præsentibus, aut præteritis eiusdem naturæ.

4 Dices. Quid si specifica essentia nunquam antea extiterit: nonne tunc saltem ex directa eius cognitione futuritio ipsa determinate scietur? Respondeo, assertionem procedere secundum consuetum ordinem rerum naturalium; quo modo nullæ sunt nouæ rerum species & essentiæ futuræ, quæ non antea fuerint: si tamen in aliquo casu ponatur contrarium, tum ob eam ipsam causam dicendum erit, eiusmodi naturam ab Angelo directe & in se, adeoque sine medio cognito, non cognosci; sed solum per modum entis mere possibilis, in aliquo medio cognito, vt si ex nouo & innaturali coitu, ponatur noua species animalis futura.

5 Assertio II. Nullum futurum vt futurum in seipso cognoscitur ab Angelo, adeoque nec per speciem, quæ directe & immediate repræsentet ipsa vt futura. Ita S. Thomas cit. q. 57. a. 3. & communis omnium Doctorum, quos citabimus, cum Magistro in 2. d. 3. vel 7. Probatur ex scriptura & SS Patribus, qui hoc velut proprium, tribuunt Deo, quod vt loquitur Apostolus Rom. 4. v. 17. *vocet* vel cognoscat *ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*; hoc est directe, in se, ac velut per propriam speciem. Ratio à priori est. Quia futura cum in se nec habeant nec habuerint existentiam; non magis in se sunt cognoscibilia à creato intellectu; cuius cognitio naturalis ex obiecto pendet, quam pure possibilia, de quibus actum dub. præceden assert. 9. quam rationem etiam indicat Sanctus Thomas articu. 3. ad 3. & 4. Ratio à posteriori est. Quia quoad hoc par ratio est omnium futurorum; siquidem omnia in hoc conueniunt, quod in se nullam penitus habent existentiam; & species Angelicæ ex se æqualiter se habent ad omnia: est autem erroneum dicere, omnia futura vt futura posse in se & directe naturali virtute cognosci ab Angelis, vt dicetur: Ergo de nullo hoc affirmandum est, etiamsi rerum ipsarum futurarum species Angelis naturaliter inditæ sint.

Qua ratione autem fieri possit, vt futura determinate & directe non præcognoscant Angeli; cum tamen species ipsarum rerum futurarum habeant congenitas, dictum est dub. præced. Quia nimirum species vt directe & determinate sua obiecta repræsentent, requirunt per modum conditionis, coexistentiam sui cum obiecto, præsentem aut præteritam; vel certe quia species directe non repræsentant res nisi vt præsentes & existentes, idque tunc solum cum existunt. Certe quidem vt futuras directe naturaliter repræsentare non possunt, ob dictas causas.

6 Assertio III. Futura, quæ iuxta naturæ ordinem, constitutum à Deo, necessario eueniunt, certo ab Angelis præcognoscuntur in sua causa secunda, velut medio cognito; non quidem vt absolute euentura, sed quantum est ex vi causæ secundæ, nisi per causam primam extraordinarie impediantur. Hæc est mens S. Thomæ cit. artic. 3. vbi absolute affirmat, eiusmodi futura certo ab Angelo in sua causa præcognosci; quod iuxta sensum explicatum intelligendum. Ratio est. Tum quia Angeli præsentes causas secundas quidditatiuè & intuitiuè cognoscunt: Ergo etiam euidenter in ipsis velut medio cognito cognoscunt id, quod ex vi earum necessario futurum est. Tum quia nos ipsi etiam hoc modo quædã eiusmodi futura cognoscimus, v. g. Solem cras orituram, futuras Eclipses, & coniunctiones, seu aspectus astrorum, &c.

Quia tamen Deus omni creaturæ dominatur, ac solus ipse nulli legi ac necessitati subijcitur, in administrandis huius vniuersi creaturis, potest ipse etiam statas, & ex se necessarias earum creatarum leges immutare, vt non semel accidit, v g. tempore Iosuæ, Ezechiæ, &c. Et quia libera eiusmodi decreta Dei, de rebus futuris, naturaliter ab Angelis cognosci non possunt, hinc fit, vt nec de ipsa quidem futuritione absoluta eiusmodi rerum, absolutè & omni ex parte certi esse possint, sed solum, quantum est ex vi causarum secundarum, & consueti ac connaturalis concursus diuini, vt dictum.

Assertio IV. Futura, quæ ex suis causis frequenter, & vt plurimum eueniunt, cognoscere potest 7
Angelus in ijsdem causis, velut medio cognito, per coniecturam, eo modo, quo medicꝰ cognoscit ægritudinis euentum ex signis: & quidem tantò perfectius, quam medicus, quanto Angelus perfectius nouit & penetrat causas. Ita S. Thomas citi. art. 3. & omnes Thomistæ ac Commentatores ibidem, nullo Doctorũ dissentiente. Et vero assertio facilem habet explicationem, de quibuscunque demum futuris euentis, siue merè naturalibus; siue liberis intelligatur: modo comparatio eorum fiat ad eas causas secundas, ex quibus non semper, nec necessario, sed solum frequenter, & vt plurimum, hoc vel illud futurum euenit. Vt si verum ponamus, quod nati sub hoc vel illo concursu syderum, fortiantur naturam admodum cholericam, quæ frequenter ac vt plurimum (siquidem *stultorum* qui passionibus ducuntur, est *infinitus numerus*; *sapientum* verò, qui *astris*, & astrorum inclinationibus, suoque appetitui *dominentur*, exiguus,) iurgia & rixas ciere solet: vel quod hoc vel illo syderе oriente; seu in hoc planetarum concursu, tempus soleat esse pluuium; poterunt Angeli probabiliter scire, ex vi causarum illarum, seu rixas & iurgia ab eo homine excitandas; seu pluuias futuras, &c. In quo tamen genere Angeli beati, ne erroris periculo se exponant, nunquam absolutum elicient assensum, de hac vel illa re, ex vi eiusmodi causarum, absolutè futura, sed solum modo assensum concipient modificatum, per modum quasi propositionis modalis, probabile esse, quantum est ex vi earum causarum, hoc vel illud esse futurum; in quo assensu nunquam ipsi falluntur, etiamsi id reipsa postea non ita eueniat. Ratio verò assertionis est, quia & homines eo modo futura huiusmodi præcognoscere possunt: nec ea cognitio ob imperfectionem repugnat naturæ Angelicæ; saltem quando melior & euidentior modus naturalis ea futura cognoscendi non suppetit, & moderatio superius dicta in assensu adhibetur; quamuis etiam sine hac moderatione esse possit, & sæpe sit in dæmonibus, etiam reipsa cum errore coniuncta, vt suo loco dicetur. quæst. 6.

Assertio V. Futura quæ rarò eueniunt, & ideo simpliciter casualia, aut fortuita dicuntur contingentia, 8

comparatione etiam omnium suarum causarum naturalium simul, non possunt ab Angelo naturaliter vllo modo cognosci. Ita S. Thomas quæst. 88. de verit. artic. 12. vbi dicit: *Cognitione naturali illa tantum per formas innatas futura præscire possunt Angeli, quæ in causis naturalibus sunt determinata, vel in vna tantum causa, vel in collectione plurium. Quia aliquid est contingens respectu causæ vnius, quod respectu concursus plurium causarum est necessarium. Angeli autem omnes causas naturales cognoscunt. Vnde quædam, quæ contingentia videntur, aliquibus causis eorum pensatis, Angeli vt necessaria cognoscunt, dum omnes causas ipsorum cognoscunt.*

In eundem sensum intelligendum est, quod absolutè docet S. Thomas hic quæst. 57. art. 3. *ea quæ proueniunt ex causis suis, vt in pluribus, penitus esse ignota: sicut casualia & fortuita*; vt benè exposuit Ripa ibidem; nec opus est hic aliqua distinctione inter contingentia libera & naturalia. Ratio est manifesta. Quia futura non cognoscuntur ab Angelo directè & in se, sed naturali quidem cognitione cognoscuntur ab Angelo, solum (siquidem cognoscuntur) in suis causis naturalibus, ex assert. 2. & 3. hæc autem contingentia futura nullo modo sunt cognoscibilia in suis causis naturalibus; cum respectu ipsarum æquè possint & soleant non esse ac esse: Ergo hæc nullo modo sunt ab Angelo naturaliter cognoscibilia.

9 Idem constat ex Scriptura, quæ hoc etiam sensu, futurorum cognitionem, tanquam Deo propriam reseruat. Isai. 41. v. 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum; & scienius, quia Dij estis.* Et Isai. 46. v. 9. *Ego sum Deus, & non est vlra Deus; nec est similis mei, annuntians ab exordio nouissima, & ab initio, quæ nondum facta sunt.* Quod sæpè etiam ita tradunt Patres, & quidem etiam ex fide certum censetur, quoad contingentia futura libera: siue quæ à causis liberis pendent. Vnde Chrysostomus homil. 18. in Ioann. ait: *Certa prædictio futurorum immortalis duntaxat Dei opus est.* Et Origenes lib. 6. contra Celsum, dicit, *Diuini sermonis characterem esse prædictionem futurorum.*

Quæ sit autem ratio, cur in Angelis non detur, aut dari possit species naturalis, (seu propria, seu aliena) eiusmodi futurorum contingentium, varij variè ratiocinantur; & Vasquez tandem disp. 207. cap. 2. & disp. 208. cap. 4. alijque recentiores nonnulli existimant, non posse huius rei rationem à nobis afferri ex Philosophia; sed constare solum de fide, ex Scripturis & reuelatione. Albertinus verò tomo 1. princip. 1. coroll. 12. num. 6. reiectis aliorum rationibus, nouam ipse assignat; quòd nempe Angeli, non vt Deus, eminenter contineant eiusmodi futura contingentia. Quod ego ita magis declarandum existimo. Quia eo ipso, quod contingentia sunt, causæque secundæ ponuntur ad ea producenda adhuc indeterminatæ; necessariò fit, vt eorum futuritio determinata, nec in natura Angeli, nec in vlla causa naturali, qua tali, contineatur. Sicut autem se res habet ad esse, ita etiam ad repræsentari: cum ergo futura contingentia non habeant vllum determinatum esse, nec in se, nec in sua causa; non possunt etiam naturaliter vllo medio determinatè repræsentari.

Sed controuertitur inter Doctores, an posità assertio etiam locum habeat in futuris contingentibus solum liberis, seu quæ à causa libera dependent: an verò etiam in merè naturalibus, hoc est, quæ à nulla causa libera, sed solum à causis naturalibus dependent: & ideo solum sunt & dicuntur contingentia, quod à causis naturalibus naturaliter impedibilibus, seu impediri solitis proficiscantur; quod est quærere, an dentur reipsa futura contingentia etiam merè naturalia, hoc est, quæ respectu omnium suarum causarum etiam merè naturalium, & seclusa omni causa libera agente, sint contingentia, ita vt æque possint esse, ac non esse. 10

De qua re est triplex sententia. Prima absolutè existimat, non dari futura contingentia respectu omnium suarum causarum, nisi libera, seu quæ à libera causa aliquo modo dependent: quare propositam assertionem solum habere locum putat in contingentibus liberis, aut quæ ab eis quomodocunque pendent; non autem in contingentibus merè naturalibus, quibus etiam animalium motus annumerantur: hæc enim in suis causis, vt & impedimenta eorum naturalia, putant isti non minus certo ab Angelis cognosci, quàm ea quæ dicuntur necessariò euenire. Cum enim habeant causas ex se determinatas ad vnum, quas intimè pernoscunt, & comprehendunt Angeli, non potest fieri, inquiunt, vt aliquid ab ipsis efficiendum nesciant. Nam si per aliam causam naturalem sint impedienda, hoc ipsum habebunt exploratum. Ita docent Corduba q. 55. dub. 4. Vasquez disp. 207. cap. 2. Albertinus citat. 1. tom. Princip. 1. coroll. 12. numero 3. Suarez Metaph. disp. 19. sect. 1. num. 9. & hic lib. 1. cap. 9. post Alensem part. 2. q. 26. memb. 4. Durandum in 2. dist. 7. quæst. 3. num. 3. & dist. 3. q. 8. num. 9. Albertum dist. 7. art. 5. idemque probabile censet Richardus in 2. dist. 7. a. 2. quæst. 2. Idem videtur sentire Augustinus de diuin. dæm. capite 5. & lib. 4. de Trinit. cap. 17. 11

Secunda sententia propositam superius doctrinam, simpliciter & absolutè asserit ac intelligit, de omnibus contingentibus futuris, etiam naturalibus. Ita apertè docent Bonauentura in 2. d. 7. part. 2. a. 1. quæst. 3. Ægidius eadem dist. quæst. 2. artic. 1. & tract. de cognit. Angel. quæst. 10. Heruæus dist. 7. a. 2. (vbi etiam ita S. Thomam intelligit) & Dionysius Carthusianus eadem dist. 7. vbi eam adeo veram existimat, vt oppositæ notam erroris inurat; eò quòd putet eam damnatam in quodam articulo Parisiensi; (vti etiam putauit Richardus loc. cit. nihilominus vtramque sententiam probabilem ratus) qui tamen solum Wicleffi errorem damnat, vt rectè Vasquez & Albertinus locis citatis. Idem ex recentioribus docent Bannes hic cit. quæst. 57. art. 3. qui oppositæ sententiæ audaciæ notam imponit, & Zumel ibidem quæst. 1. vbi ait: *Omnino fatendum esse omnibus, præter humanas operationes à libero arbitrio dependentes, esse pleraque alia futura contingentia; etiam relata ad omnes suas causas secundas.* Idem planè significant alij, qui absolutè & indiscriminatim loquuntur, in quibus S. Thomas hic quæst. 57. a. 3. & in 3. cont. gent. cap 154. Ferrariensis ibidem, Caietanus cit. art. 3. Marsilius in 2. quæst. 7. Argentina in 2. d. 7. & Gregorius de Valentia quæst 8. punct. 3. In ho- 12

rum

rum ergo Doctorum sententia, euentus naturales, prouenientes ex ipsis corporibus cœlestibus, qui nullo modo impediri possunt, vt sunt eclipses, & concursus seu aspectus syderum ac planetarum &c. certo ab Angelis cognoscuntur; alii vero procedentes ex causis inferioribus, quæ ab aliis per accidens impediri possunt, sola coniectura sciuntur. Eiusdem sententiæ videntur esse Athanasius lib. qq. q. 23. & Tertullianus in Apologetico.

13 Tertia sententia videtur media, quæ docet, futura contingentia causarum mere naturalium, ac ad vnum prorsus determinatarum, certo cognosci ab Angelis: causarum vero liberarum, aut saltem aliquo modo in agendo indifferentium, ac indeterminatarum (quibus isti animalia, pueros & amentes annumerant) nonnisi per coniecturã cognosci posse, modo explicato. Ita Molina q. 57. a. 3.

Hæc res sane ambigua, & ad explicandum difficilis, proprie pendet nõ ex aliquo fundamento Theologico, sed Philosophico; an videlicet omnes causæ naturales secundæ, ad omnes suos effectus, in particulari & indiuiduo, plane sint determinatæ; an potius animalia, aliæque eiusmodi nonnullæ causæ, quandam habeant in agendo indifferentiam respectu certæ materiæ, vel obiecti: quod proprie Philosophorum est disputare. Interim vt meam breuiter sententiam exponam, sequentes assertiones statuo.

14 Assertio VI. Moraliter & regulariter loquendo, Angeli futura contingentia, quæ à causis secundis impedibilibus pendent, certo præcognoscere nõ possunt. Ita sentiunt omnes authores secundæ ac tertiæ sententiæ: nec reipsa dissentiunt authores pro prima sententia citati. Ratio est. Quia omnes in hoc conueniunt, futura contingentia, quæ quouis modo à causa libera & libere agente dependent, aut impediri possunt, ab Angelis certo sciri non posse: at vero constat reipsa nunc istarum causarum naturalium efficientiam plurimum & plerunque à libero arbitrio, saltem vt applicante; partim etiam vt à causa morali, puta precibus & meritis piorum, intercessionibusque Sanctorum aliquo modo dependere: Ergo plerunque & regulariter loquendo, Angeli nihil certi de iis scire naturaliter possunt. Minor declaratur. Quia constat, ad tempestatum mutationem seu conditionem, præter operam dæmonis, & opera humana libera; vt sunt V. G. incendia, & vastitates Vrbium ac Prouinciarum; copiosæ cædes & strages hominum, sordida ac immunda cohabitatio magnæ multitudinis. &c. quibus aer varie afficitur aut inficitur; multum sæpe conferre merita & demerita hominum: ex aeris autem & tempestatis varietate & conditione pendent alteratio & dispositio varia aliarum omnium causarum secundarum, siue de animatis, siue inanimatis loquamur. V. G. terræ fertilitas, nutrimenta animalium, generatio horum vel illorum animalculorum; motus & affectus brutorum. &c. Quibus de causis non tantum varietas inducitur in his locis, quæ multum habitatione hominum frequentantur, sed etiam in locis remotioribus; è quibus vel nubes & vapores abducuntur; vel ad quæ iidem deferuntur. &c. Potest ergo hęc velut moralis cuiusdam regulę instar haberi, futura contingentia ab Angelis naturaliter sciri non posse.

Assertio VII. Angeli etiamsi naturaliter & absolutè possent omnia futura contingentia merè naturalia certò præcognoscere; quantum saltem est ex dispositione omnium simul causarum naturalium, inter se comparatarum, moraliter tamen & particulatim, ne sic quidem hæc cognoscunt. Ita sentio cum Authoribus secundæ & tertiæ sententiæ. Probatur & declaratur. Quia cum determinata horum futuritio, ab innumeris quodammodò causis cœlestibus & elementaribus directè vel indirectè dependeat, planè fit, vt Angeli nisi accuratè admodum, & non momentanea opera, attendant ad omnium causarum naturalium concursum, quantum saltem est ex vi naturæ, facilè possint in ijs dijudicandis decipi; vti omnes fatentur. Quo posito, ita ratiocinor: Aut enim sunt Angeli beati aut damnati. Si damnati; Ergo quia pleraque præcipitanter agunt, facilè etiam in his iudicijs ferendis decipientur. Si sunt beati, non se occupabunt rerum harum inanium operosa consideratione. Neutros ergo existimo, certò cognoscere, quot formicæ, v. g. iuxta naturæ cursum sint futuræ, ab hinc mille annis; & quoties quoquo versum hæ ipsæ sint mouendæ; quot etiam culices, muscæ, & vermes, hoc aut sequenti anno sint nascituri; & alia id genus. 15

Assertio VIII. Alias Physicè loquendo, verius existimo, omne agens naturale, positis omnibus ad agendum prærequisitis, esse ad agendum, certumque actionis modum effectumque determinatum; etiamsi alias per cognitionem, vt bruta animantia, vel infantes, agant; nec habere per se propriam in agendo indifferentiam: ac proinde absolutè etiam posse Angelos, omnia eiusmodi futura contingentia merè naturalia, saltem quantũ est ex dispositione causarum naturalium, certò præcognoscere. Ita sentio cum authoribus primæ sententiæ. Ratio est Quia hæc videtur esse ratio & definitio causæ naturalis, vt positis omnibus prærequisitis, necessario agat; & quidem etiam in particulari hunc vel illum effectum producendo, pro ratione circumstantiarum: hoc autem posito, cum Angeli naturales omnes causas earũq; dispositiones merè naturales intimè pernoscant, certè poterunt, Physicè loquendo, si ad omnes simul causas, earumque contemperationem attendere velint, tandem scire, quid ex vi earum præcisè futurum esset, vel non esset, si per causas liberè agentes non forent impedienda: siquidem etiamsi vna causa naturalis ab alia fortè fit impedienda, hoc ipsum nosse poterunt. Quare cum respectu eiusmodi futurorum contingentium causæ naturales, quantum est ex se, iam sint determinatæ, saltem mediatè, poterunt ab Angelis physicè loquendo, præcognosci. v. g. ex hoc vel illo aspectu syderum, simul cum omnibus causis secundis merè naturalibus comparato, scire poterunt; quando & quanta pluuia sit futura; ex hac scire possunt qualis terræ aërisque dispositio sit futura; hinc qui fructus, quæ & quot animantia ex terra progignenda, &c. semper hac conditione subintellecta, nisi causa naturales à causis liberis impediantur, seu quantum præcisè est ex concursu seu dispositione causarum merè naturalium. 16

Nec

17 Nec obstant, quæ in contrarium objiciuntur argumenta, & fundamenta. Etenim 1. quod brutum inter duo pabula æqualia constitutum, ad alterutrum feratur; dico hoc non futurum indifferenter, sed determinatè pro varia eius tum interna dispositione vel imaginatione; aut externa aëris ventique aspiratione, &c. Quod si omnia ponantur æqualia, casus erit Metaphysicus, in quo facilè negari poterit, brutum quicquam eorum, ob defectum conditionis requisitæ, nimirum debitæ propositionis obiecti, operaturum, donec aliundè ab extrinseco determinetur. Nam vt ait Sanctus Thomas quæst. 57. a. 4. ad 3. *appetitus brutalis non est dominus sui actus, sed sequitur impressionem alterius causæ, corporalis vel spiritualis.*

18 2. Si globus igneus in centro terræ constituatur, dico eum sursum in omnes partes raptum iri; etiam ad minimas vsque sui, quantum naturaliter fieri potest, partitiones, donec tandem penitus dissoluatur & euanescat. Nec enim ob fugam corruptionis, naturalia agentia connaturales actiones suas prætermittunt, vt in igne & fumo sursum ascendente videmus, etsi Suarez Metaph. loc. cit. putet non motum iri ob defectum conditionis ad agendum requisitæ.

19 3. Vt perfectum planum, in perfectum planum vitreum prorsus vniforme, lapidi itidem plano superpositum indciat, casus metaphysicus est; attamen si admittatur, puto nihil eo casu confractum iri, quia non est maior ratio, cur in has potius quam illas partes diffringatur; & violentæ confractioni quantum possunt resistunt partes omnes; nec tamen superari omnes ab agente possunt; alioquin in omnes suas partes comminuendum esset vitrum, quod est impossibile. Idem in simili accidit, in quotidiano exemplo, dum ouum secundum longitudinem inter duas manus, quasi ad angulos rectos acceptum, & quamuis summa vi fortissimè compressum, nulla vi frangi potest.

20 4. Quod agentia naturalia, quoad indiuiduam rationem actionis & effectus, dicuntur agere determinatione diuina, id quidem primum ad propositum nil facit: quia non loquimur de effectu naturali, quatenus à Deo, sed præcisè quatenus à causa naturali dependet. Deinde principium illud, licet à Suarez loc. cit. Metaph. defendatur, minus tamen probabile videtur, & contra communem Philosophiam, secundum quam omnes causæ naturales, cum omnibus suis circumstantijs, his vel illis, ad agendum applicatæ, ad suos effectus; etiam in particulari & indiuiduo sua natura determinatæ existimantur, vt etiam Vasquez, & alij docent. Sed de his rebus plura Philosophi.

DVBIVM VI.

An & quomodo Angeli naturaliter cognoscant actus internos mentis alienæ, seu cogitationes cordium.

S. Thomas 1. p. q. 57. a. 4.

1 PErtinet quidem etiam hæc quæstio ad cognitionem singularium, & quidem si ad humani cordis, aut interni sensus affectiones & apprehensiones respiciamus, materialium; sed quia specialem difficultatem continet, meritò à S. Thoma seorsim, & in speciali articulo tractata est. Procedit autem quæstio præcipuè quidem de actibus internis intellectus & voluntatis, tam hominum, quam Angelorum; at vero propter rerum similitudinem & nonnullam connexionem, etiam ad actus imaginationis & appetitus sensitiui extenditur. Difficultas autem est, vtrum hæc per se, & neque locutione, neque vllo signo exteriori manifestata, cognosci ab Angelis naturaliter possint: nam si alicui locutione congrua manifestentur; aut exteriori aliquo indicio se prodant, nullum est dubium, quin ab Angelis naturaliter cognosci possint, vt dicetur.

2 De qua re est prima sententia Heruæi in 2. dist. 8. quæst. 3. vbi docet, cogitationes cuiusuis alterius hominis, aut Angeli, cognosci posse naturaliter ab Angelo quolibet; hoc solum excepto, quod intensionis modum in his actibus nescit, vt videlicet in harum cognitione aliquid saltem soli Deo relinquere videatur. Sed quæ sententia defendi nullo modo potest; quia non solum in seipsa non cohæret; sed etiam principale assertum erroris periculo non caret, vt dicetur; vnde etiam Suarez hic lib. 2. cap. 22. num. 4. eam temeritatis arguit.

3 Secunda sententia est Durandi in 2. d. 8. quæst. 5. num. 10. qui non solum eam Heruæi sententiam, quoad priorem partem probabilem censet; sed & insuper addit (magis quidem consequenter sed auctiore errore) etiam ipsam actus intensionem ab Angelis naturaliter cognosci posse: ratus proinde, solius Dei proprium esse, omnes omninò cogitationes, tam futuras, quam præsentes seu præteritas cognoscere. Fundamentum autem vtriusque sententiæ est. Quia isti actus omnes sunt entia quædam naturalia: Ergo naturaliter cognoscibilia à creato intellectu perfectissimo, qualis est Angelicus.

4 Tertia sententia est, de facto quidem, Deo sic statuente, vel prohibente, nesciri ab Angelis eiusmodi cordium secreta, (cogitationes scilicet intellectus, & operationes voluntatis) vt Scriptura & SS. Patres inferius citandi docent: attamen natura sua illis ignota non esse, ob rationem dictam. Ita Scotus in 2. d. 9. quæst. 2. & in 4. d. 10. q. 8. Bassolis in 2. d. 9. quæst. 2. Lychetus quæst. 1. Ockam in 2. q. 20. & quodlib. 4. q. 13. Gabriel in 2. d. 9. q 2. a. 2. & in Canonem Missæ lect. 31. Maior in 2. d. 9. q. 3. & Holkot in 2. quæst. 4. Differunt tamen à Scoto nonnihil cæteri. Hi enim asserunt, omnibus Angelis, etiam bonis, eiusmodi secreta esse à Deo abscondita. Scotus autem solum malis eiusmodi secreta abscondita esse indicat.

5 Quarta sententia est Argentinæ in 2. d. 7. q. 1. qui putat cognosci quidem ab Angelo cogitationes quoad simplicem apprehensionem; non verò quoad compositionem; hoc est, cognosci quidem, quid alius apprehendat, & de qua re cogitet; vtrū autem assensu, an dissensu, compositione affirmante, an negante de eo cogitet, naturali vi nescire. Atque in eundem etiam fere sensum docuit Ægidius in 2. d. 7.

Digitized by Google

q. 2. art. 2. & tractatu de cognit. Angel. quæst. 11. scire quidem Angelos, qui quis specie intelligibili vtatur, sed non quo modo, vel circa quid in particulari. Eandem opinionem probabilem censet Durandus loco citato.

6 Quinta sententia est Henrici quodlib. 3. quæst. 3. cognosci quidem naturaliter ab Angelis tum cogitationes cordium, non solum de quo obiecto sint, sed etiam vtrum sint affirmationes, an verò negationes; tum affectus seu actus voluntatis, quoad substantiam; non tamen ex qua intentione prouenian̄t, seu ad quem finem cogitationes vel affectiones illæ dirigantur. Quæ, vt dicetur, nec tuto defendi possunt; nec inter se cohærent: siquidem ipsa vtique etiam intentio finis substantialiter est affectus seu actus voluntatis: quare & hanc sententiam, temeritatis arguit Suarez loc. cit. num. 6.

7 Sexta sententia est, cognosci ab Angelo naturaliter, tum cogitationes interioris sensus, seu phantasiæ, adeoque & motus appetitus sensitiui; tum etiam cogitationes intellectus quoad substantiam & secundum se, seu quatenus sunt præcisè cogitationes talis obiecti; non tamen quatenus pendent aut procedũt à voluntate. Ipsas autem voluntatis affectiones seu liberæ sint, seu necessariæ, dicunt isti nec quoad substantiam quidem ab Angelis per se & in se cognosci. Refert hanc opinionem Durandus loc. cit. eamque postea docuit Alphonsus Deza apud Vasquez disp. 210. c. 2. vbi hunc suum præceptorem laudat, eiusque sententiam etiam ipse velut probabilem tuetur: quanquam simul addit, se nolle in re tam abstrusa cuiquam præiudicare, sed potiꝰ aliorum doctiorum iudicio, quid verius sit, integrum relinquere, &c. Idem videtur dicere Zumel q. 57. a. 4. q. 1. ad 2. vbi ait, *omnes operationes, præterquam operationes voluntatis liberas, manifestas esse Angelo, secundum suam substantiam, tantumque esse occultas intellectiones omnes, sensationes, & appetitiones, in quantum liberæ sunt aut humanæ.* Inferius tamen ad 3. sentire videtur, tantum cogitationes connaturales Angelo, seu quæ ex necessitate naturæ consequuntur, alteri Angelo esse manifestas.

8 Sed vera & communis sententia affirmat, liberas cogitationes & affectiones mentis, quæ scilicet intellectu & voluntate peraguntur, naturaliter ac per se, nisi aliquo signo externo prodantur ac manifestentur, ab Angelo cognosci non posse: quam sententiam sequentibus assertionibus distinctè explicamus.

9 Assertio I. Apprehensiones & motiones potentiarum sensitiuarum, etiam internarum, vt imaginationis, & appetitus sensitiui, si quidem secundum se spectentur, & non vt à voluntate reguntur aut pendent, etiam in se ac directè ab Angelis cognosci naturaliter possunt. Hæc est communis sententia Doctorum, non solum quos hactenus citauimus, sed etiam aliorum, quos pro assert. 5. citabimus: idque expresè docet S. Thomas hic q. 57. art. 4. ad 3. vbi ait: *Quia Angeli cognoscunt res corporales, & dispositiones earum, possunt per hoc cognoscere, quod est in appetitu, & in apprehensione phantastica brutorum animalium, & etiam hominum, secundum quod in eis quandoque appetitus sensitiuus procedit in actum, sequens aliquam impressionem corporalem, sicut in brutis semper est. Non tamen oportet, quod Angeli cognoscant motum appetitus sensitiui, & apprehensionem phantasticam hominis, secundum quod mouentur à voluntate & ratione. Quia etiam inferior pars animæ participat aliqualiter rationem, sicut obediens imperantis, vt dicitur in 1. Ethic. Nec tamen sequitur, quod si Angelus cognoscit, quod est in appetitu sensitiuo, vel phantasia hominis, quod cognoscat id, quod est in cogitatione vel voluntate: quia intellectus & voluntas non subiacent appetitui sensitiuo & phantasiæ, sed potest eis diuersimodè uti.* Ita S. Thomas, quem sequuntur etiam Thomistæ omnes.

Et quamuis Sanctus Thomas in verbis citatis, significet, hæc solum cognosci ab Angelo per alias res corporales & dispositiones earum, velut per medium cognitum, verius tamen est, ea etiam in se & directè cognosci posse ab Angelo eo modo, quo suprà dub. 2. & 4. vniuersim docuimus, easdem species inditas directè repræsentare subiectum vnà cum suis accidentibus naturalibus & materialibus. Vnde etiam petitur ratio. Quia actus isti sunt actus materiales, qui & per corpus exercentur, & in corpore recipiuntur: sunt ergo obiecta eodem modo naturaliter cognoscibilia ab Angelo, sicut cætera accidentia naturalia & materialia.

Assertio II. Angeli naturaliter quoque cognoscere possunt, etiam in se ac quidditatiuè, tum species intentionales, tum habitus quoslibet naturales potentiarum, seu in alijs Angelis, seu in hominibus, etiamsi habens talem habitum nollet cognosci. Ita de speciebus expresè Sanctus Thomas citat. artic. 4. ad 2. & vniuersim Vasquez disput. 211. numer. 44. ex communi contra Marsilium in 2. quæstione 6. art. 2. cuius sententiam quoad habitus ex actibus liberis acquisitos, non improbabilem censet Albertinus infrà. Ratio assertionis est. Quia habitus isti sunt mera entia naturalia; nec ab his secreta cordium vllo modo pendent. 10

Assertio III. Sed & interni quoque actus intellectus & voluntatis naturaliter cognosci possunt ab Angelo, quando & quatenus seu locutione Angelis accommodata, de qua quæstione sequente; seu externis signis aut effectibus, (vt est etiam quælibet corporis actio vel immutatio, inde consequens, aut cum tali affectu coniuncta) vel etiam ipsis internis motibus seu actibus potentiarum sensitiuarum produntur, aut in ijs relucent: idque eo maiori vel minori certitudine, quo maiorem vel minorem habent hæc signa cum interno voluntatis affectu connexionem; tantò verò, quam nos homines perspicacius, quantò melius ipsi modos & rationes omnes particulares eiusmodi actuum seu effectuum norunt. Ita Sanctus Thomas citata quæstione quinquagesima septima, articulo quarto in corp. & communis Doctorum, post Hieronymũ in illud Matth. 15. *De corde exeunt, &c.* & Augustinum libro de diuinat. dæm. cap. 5. 11

Neque id libro secundo Retract. capite trigesimo ipse retractat, sed solum specialem quendam modum eiusmodi notificationis, in dubiũ vocauit, vt notat S. Thomas ibidem, nimirũ per quædam signa *sensibilia dæmonibus, & nobis occulta*; Verba eius sunt: *In eius libri quodã loco, vbi dixi, dæmones aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas; cum signa quædam*

ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere: Rem dixi occultissimam audaciore asseueratione, quam debui. Nam peruenire ista ad notitiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed vtrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi & ea spirituali ista cognoscant, aut difficillimè potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri.

Supposuit autem Augustinus in eo libro de diuinat. dæmon. dæmones habere corpora aërea, & sensus acutissimos; & ideo signa illa subtilia quæ à dæmonibus sentiri possint, etiamsi nobis non pateant, excogitauit, vt notauit Suarez libro secundo capite vigesimo primo, numero secundo. Ratio autem assertionis est manifesta. Quia Angeli & signa illa externa, simul etiam cum motionibus internorum sensuum, vt dictum, optimè norunt: & nos ipsi etiam per externa signa sæpe internas mentis cogitationes & affectiones non improbabiliter perdiscimus.

12 Assertio IV. Probabile est, ipsos etiam internos actus intellectus & voluntatis, qui per se & ex sua ratione Angelis naturales & planè necessarij sunt, ab alijs Angelis etiam per se ac intuitiuè cognosci: Secus est, si qui actus solum sint necessarij quoad specificationem, aut tantum per accidens. Primam partem docent Zumel hic citat. quæstione 57. articulo quarto. Albertinus tomo primo Princip. 1. Coroll. 10. punct. 1. & Thomistæ recentiores cit. artic. 4. & significat Sanctus Thomas ibidem, cum ait, *ea, quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo esse (in se) nota. Ex sola autem voluntate dependere*, significat illud, quod à libera eius voluntate, nec obiecto scilicet, nec vlla re externa ad hoc necessitante, dependet, *sicut*, inquit, *cum aliquis habet habitum scientiæ, vel species intelligibiles in eo existentes, vtitur eis, cum vult.* Ratio est. Tum quia actus isti, habent se per modum quasi naturalium passionum; vt de naturali cognitione & amore Dei, ac sui, suo loco inferius dubio octauo, ex probabili sententia dicemus; adeoque sunt in genere non rerum liberarum & occultarum, sed naturalium & naturaliter ab Angelis cognoscibilium. Tum quia hoc ipso, quod naturaliter ab Angelis emanant, cognita essentia Angeli quidditatiuè & intuitiuè, non videntur posse latere.

13 Secunda pars, quoad actus solum necessarios, secundum specificationem, est communis omnium, qui ita de actibus liberis docent, vt dicemus; & ratio est eadem: quia hi actus simpliciter liberi sunt: quoad actus vero per accidens solum necessarios, etiamsi necessarij sint quoad exercitium, vt sunt motus voluntatis primo primi, seu indeliberati, &c. videtur ex mente Sancti Thomæ loco citato, non solum quando in corpore vniuersim dicit, *cogitationes prout sunt in intellectu, & affectiones prout sunt in voluntate*, à solo Deo cognosci; sed etiam quia resp. ad 1. de statu beatitudinis loquens ait: *Et tamen qualitatem mentis, quantum ad quantitatem gratiæ & gloriæ representabit claritas corporis. Et sic vnus mentem alterius videre poterit.* Si ergo à beatis Angelis quantitas gloriæ (extra visionem beatificam) non videtur in seipsa, sed solum in signo externo, idem videtur dicendum de actibus naturalibus per accidens necessarijs, comparatis ad naturalem cognitionem alterius Angeli. Idem significant Zumel loco cit. item Gregorius de Valentia quæst. 8. punct. 4. & alij, dum vniuersaliter loquuntur; licet Albertinus loco citato, & Thomistæ recentiores etiam hæc per se ab Angelo vnoquoque cognosci posse existiment.

Ratio est. Quia sicut in genere & ordine entis, 14
ita etiam in genere cognoscibilis, quodlibet est, & æstimatur, ex eo potius, quòd est illi per se, quam ex eo, quod est illi per accidens: Ergo hoc ipso quod actus illi, de quibus loquimur, per accidens solum necessarij sunt, per se vero ac sua natura liberi, censendi sunt potius esse ex genere & numero secretorum cordis, quam naturalium rerum vel proprietatum. Accedit, quod quisque etiam meritò velit eiusmodi occulta, ac sæpe vitiosa, quæ patitur, alteri per se non esse manifesta. Denique cùm eadem sit entitas eiusmodi actuum, imò vnus & idem actus possit successiuè liber esse & necessarius, vt omnes fatentur, non videtur probabile; eum in se prorsus inuariatum, intuitiuè cognosci, cum necessarius; non item cum liber est, vt sectè etiam Vasquez loc. cit.

Verius est ergo, hæc non cognosci ab alio Angelo per se & in se; sed solum prout in causa, vel effectu, seu alio signo exteriore aliquo modo manifestantur, iuxta assertionē tertiā. Et tale signum etiam esse potest ipse habitus per aliquem actum acquisitus iuxta assertionem secundam. Neque tamen ideo actus etiam liberi, qua liberi, in eiusmodi habitu cognosci possunt; quia idem planè habitus ex actibus generatur, siue ij sint liberi, siue necessarij. Atque hanc assertionem quoad vtramque partem video eodem planè modo traditam à Suarez hic libro secundo capite 22. numero vndecimo, vbi addit, de actibus voluntatis per accidens solum necessarijs, *nec veram, nec probabilem sententiam* esse, quod per se naturaliter ab Angelo cognosci possint.

Assertio V. At vero ipsos per se actus liberos 15
alienæ voluntatis seu humanæ, seu Angelicæ, Angeli naturaliter cognoscere nullo modo possunt. Sensus est, non solum naturaliter non posse cognosci in se & quidditatiuè, seu intuitiuè, sed nec vllo modo, si per se spectentur; ita vt neque locutione, neque signo exteriori manifestentur. Ita docet Sanctus Thomas hic quæstione 57. articulo 4. & quæstione 16. de malo art. 8. & quæst. 8. de verit. a. 13. & 3. cont. gent. capite 154. Ferrariensis ibidem, Caietanus & Thomistæ omnes hic cit. art. 4. Alensis 2. part. quæst. 26. memb. 3. Bonauentura in 2. d. 8. part. 2. art. 1. quæst. 6. Richardus art. 2. q. 4. Capreolus quæst. 1. art. 1. Arminensis in 2. dist. 9. quæst. 1. Marsilius in 2. q. 6. a. 2. item Gregorius de Valentia q. 8. punct. 4. Molina hic q. 57. art. 4. Vasquez disp. 209. cap. 3. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 10. Suarez Metaph. disp. 35. sect. 4. num. 5. & hic lib. 2. cap. 21. qui etiam censet, esse de fide, eos actus naturaliter non posse in se certò & euidenter ab illis cognosci, nisi ab habente manifestentur; quod etiam tradit Gregorius de Valentia loco citato.

Probatur primò ex Scriptura, quæ id Deo velut 16
proprium tribuit. 3. Reg. octauo, versu 39. &

Digitized by Google

2. Paralip. 6. v. 30. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Iob. 16. versu 20. *Ecce testis meus, & conscius meus in excelsis.* Psal. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* Psal. 43. v. 22. *Ipse enim cognouit abscondita cordis.* Sap. 1. v. 6. *Quoniam renum illius testis est Deus; & cordis illius scrutator.* Ierem. 17. v. 9 *Prauum est cor hominis & inscrutabile; & quis cognoscet illud? Ego Dominus, scrutans cor, & probans renes.* 1. Corinth. 4. v. 5. *Hebr. 4. v. 12. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c. & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.*

17 Secundo probatur ex Patribus. Origenes libro primo in Iob, ad illa verba, *Circuiui terram*, ait, *nescire daemonem ea, quæ in corde atque animo tractantur.* Cyrillus libro secundo in Ioann. capite decimo nono. *Nulli alij, sed diuinæ tantummodo naturæ Propheta attribuit illud, scrutans corda & renes Deus.* Chrysostomus homil. 30. in Matthæum. *Solius est Dei, mentem atque animos hominum cognoscere.* Hieronymus in illud Ierem. 17. *Prauum est cor hominis*, ait; *Hinc discimus, quod nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus.* Athanasius quæst. 27. ad Antiochum. *Præscius rerum & cordium cognitor solus est Deus: Nec enim Angeli cordis abscondita, vel futura videre possunt.* Item Gennadius de Eccles. dogm. capite 81. *Interna animæ cogitationes diabolum non videre, certi sumus.* Idem habet Augustinus libro decimo Confess. cap. 2. & in Psal. 7. & 141. & Cassianus Collat. 7 cap. 13.

18 Tertio probatur ratione; quamuis enim eius rei causam, ex ipsa rei natura, reddere difficillimum sit, ita vt affirmet Vasquez eam nescire; tamen ratio Sancti Thomæ non est mala; quam ea mihi videntur rectè exposuisse Caietanus & Bannes citat. articulo quarto, & Albertinus prim. part. corolli. 10. numero decimo quarto. Intellectus Angelicus tantum habet facultatem naturalem ad ea cognoscenda, quæ pertinent ad ordinem naturæ; sed cogitationes & volitiones liberæ non sunt eiusmodi; cum dependeant solum à causa libera; quæ proinde pertinent ad ordinem quendam superiorem exemptum ab ordine naturæ. Ergo, &c. His accedit causa moralis. Quia ad decentem gubernationem, & subordinationem liberorum agentium inter se, planè spectabat, vt cogitationes cordium essent occultæ, nisi manifestarentur. Cum ergo species Angelicæ non profluant ex essentia Angeli, rectè & conuenienter naturæ Angelicæ Deus eiusmodi cogitationum species vel non indit priusquam manifestentur; vel certe, quod verius est, earum vsum quoad hæc obiecta dependere voluit à voluntate alterius Angeli, vt à conditione, vt rectè Valentia loco citato, & in simili dictum de cognitione futurorum dubio præcedenti, & pluribus dicetur quæstione sequenti dubio primo, etsi Suarez capite vigesimo tertio & 24. priori solum rationi insistat.

19 Assertio VI. Idem dicendum de actibus intellectus sua natura liberis in Angelo. Ita Sanctus Thomas hic cit. quæst. 57. art. 4. & omnes pro præcedenti assertione citati. Est contra sextam sententiam superius relatam: & colligitur ex citatis Scripturæ & Patrum testimonijs; quæ generaliter ferè de cordium & mentium secretis loquuntur; nonnulla etiam apertè de cogitationibus mentis. Ratio est. Tum quia tam secundum entitatem, quam mores, par est ratio actuum intellectus & voluntatis; maximè cum secreta cordium in actib⁹ consilij & iudicij practici potissimum consistant. Tum quia ex intellectus aduertentia, seu cognitione ac dispositione dependet libertas ac necessitas actuum voluntatis, aliorumque qui ex voluntate dependent. Cum ergo certum sit, nec actus internos voluntatis, nec etiam aliarum potentiarum, quatenus à libera voluntate dependent, cognosci posse naturaliter ab Angelo; necessariò fatendum est, internam intellectus dispositionem, & actus, per se naturaliter ab Angelo cognosci non posse: Aliàs dicendum esset, naturaliter scire Angelum, quoties motus praui appetitus sensitiui in homine indirectè saltem voluntarij; adeoque peccata essent.

Nec obstat, quod communiter dici solet, vtrumque tam bonum, quam malum Angelum, qui vnicuique homini assistunt, scire & notare, ad Christum Iudicem deferenda, omnia peccata etiam occulta & interna hominis. Id enim Angelis bonis, siue per specialem reuelationem Dei, siue per visionem beatificam rectè conuenire potest: malis verò id non tribuendum, nisi quatenus ex signis externis de secretis cordium iudicare possunt, vt assert. 3. dictum; quamuis cum spiritus illi temerarij sint, in eo iudicio sæpe decipiantur, vt in simili dictum dub. præced. Nec verò ex solis phantasmatibus certò potest cognosci, quid ratio aduertat, quia *ex eisdem phantasmatibus ratio nostra in diuersa tendit cognoscendo*, vt dixit S. Thomas q. 8. de verit. a. 13. ad 4. 20

Atque ex his colligitur, primam, secundam, & quintam sententiam ex superius relatis, non satis esse tutas; cæteras verò non admodum conformes Scripturæ & Patribus, partim nec rationi; vt rectè Gregorius de Valentia & Suarez lib. 2. cap. 23. alijque recentiores citati. 21

DVBIVM VII.

De obiecto Cognitionis Angelicæ, respectu obiectorum supernaturalium.

S. Thomas 1. p. q. 57. a. 5.

OMissis varijs disputationibus, quas in particulari hic multi instituunt, de hoc vel illo fidei mysterio, doctrinam huius loci breuiter sequentibus assertionibus comprehendimus.

Assertio I. Res seu effectus supernaturales solum quoad productionis modum, eò quod fiant præter naturæ ordinem, & supra vires agentis naturalis, cum tamen interim in se sint ordinis naturalis, adeoque formæ quædam sua natura producibiles ab agente naturali, vt est verbi gratia illuminatio cæci, mortuus resuscitatus, lumen in aëre productum absque corpore lucido, &c. possunt, cum existunt, naturaliter & intuitiuè ab Angelis cognosci. Ita recentiores citandi, post Durandum 4. dist. 10. q. 4. ex communi. Ratio est. Quia hoc ipso, quod sunt res & 1

effectus in se ac intrinsece plane naturales, spectant ad obiectum naturalis scientiæ Angelorum, iuxta dicta dub. 4. Quomodo tamen non ideo semper ipsum etiam eius productionis modum cognoscant Angeli naturaliter, fuse persequitur Suarez lib. 2. cap. 30.

2 Assertio II. Res supernaturales quoad substantiam, quæ secundum se scilicet sunt supra debitum & exigentiam omnis subiecti creati vel creabilis, non possunt ab Angelis naturaliter, hoc est, absque diuina reuelatione, certo cognosci, nec in particulari, nec in genere; neque secundum esse actualis existentiæ, neque secundum Esse possibile. Ita S. Thomas hic cit. q. 57. a. 5. & communis Doctorum, dum absolute asserunt, mysteria gratiæ supernaturalia, non posse ab Angelo naturaliter cognosci; in specie vero ita docent Molina ibid. a. 5. Gregorius de Valentia q. 8. pun. 4. Vasquez disp. 214. cap. 2. Albertinus tom. 1. princip. 1. coroll. 13. pun. 1. Suarez hic lib. 2. c. 29. & 30. quicquid dixerint Aureolus in 2. d. 9. & Henricus in sum. artic. 33 q. 2. Et procedit hæc assertio tum de cognitione quidditatiua & propria ipsius mysterii, seu intuitiua, seu abstractiua dixeris; tum etiam de qualibet cognitione certa (quicquid sit de coniecturali & incerta) habita solo lumine, & ex principiis naturæ, adeoque prorsus independenter ab omni reuelatione. Neq; ab hac assertione ita generatim posita dissentit Scotus, de quo assert. seq.

3 Ratio est. Quia res eiusmodi, sicut in se, & quoad suum esse, ita etiam quoad cognosci (quod ex suo genere sequitur conditionem ipsius Esse) sunt supra omnem naturam creatam. Addit S Thomas ibidem etiam aliam rationem. *Quia hæc mysteria gratiæ*, inquit, *ex pura Dei voluntate dependent. Si autem vnus Angelus non posset cognoscere cogitationes alterius ex voluntate eius dependentes; multo minus posset cognoscere ea, quæ ex sola voluntate Dei dependent. Et sic argumentatur Apostolus 1. Cor. 2. Quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis qui in ipso est: ita & quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei.* Sed hæc ratio difficilis est, & vt summum hoc solum probat, ab Angelo non posse naturaliter cognosci actualem existentiam eiusmodi mysteriorum, absque Dei reuelatione. Tale vero secundum omnes est mysterium Trinitatis, de quo speciatim actum supra disp. 4. q. 1. dub. 2. Tale est etiam mysterium Incarnationis, saltem si spectetur ex parte ipsius Verbi subsistentis in humana natura; de quo plura in 3. parte. An vero talia sint etiam res quædam creatæ, mox dicetur.

4 Assertio III. Res eiusmodi intrinsece supernaturales, non tantum sunt mysteria fidei increata, sed etiam modi & accidentia quædam creata. Ita communis Doctorum locis citatis, contra Scotum quæstione prima prolog. & in 4. distin. 10. quæstion. 8. Bassolem quæstione quarta, articulo tertio, Ockamum in 4. quæstion. 5. artic. 3. Gabrielem in Can. lect. 43. Tartaretum in 4. d. 10. qui sentiunt, omnia mysteria gratiæ, postquam facta sunt, posse ab Angelo intuitiue videri virtute naturali: existimantes videlicet, ea omnia solum esse supernaturalia quoad modum, non autem quoad substantiam, vt pluribus persequitur Albertinus loc. citat. Vbi speciatim singula mysteria gratiæ percurrens, ordine probat, tam mysteria gratiæ, quæ sunt absolutæ realitates, vt sunt lumen gloriæ, visio beatifica, ipsa gratia, & habitus, actusque virtutum, quæ illam consequuntur; quam alia quædam mysteria, quæ sunt modi rerum naturalium, vt est vnio Hypostatica Humanitatis Christi cum Verbo, ex communi; item præsentia indiuisibilis corporis Christi sub speciebus panis, & modus positiuus per se existendi accidentium in Eucharistia, si quis detur, (secus est de panis desitione) esse intrinsece supernaturalia; quod etiam ex communi docet Suarez citat. cap. 29. etsi quoad duo vltima repugnet Vasquez citat. disputat. 214. cap. 4. qui etiam in 1. 2. disputat. 21. capit. 2. non recte, nec conuenienter his, quæ hic docuerat, sentit, ratione naturali posse demonstrari, visionem beatam, quamuis intrinsece supernaturalem, esse possibilem; vt recte Suarez ibidem à numero 25. Sed de his rebus sigillatim non est hic disputandi locus. Satis est generalem hic doctrinam breuiter proposuisse.

Ratio vero assertionis est. Quia loquendo de 5
accidentibus (substantiam enim creatam intrinsece supernaturalem impossibilem esse, ex disputat. 2. quæstion. 6. dub. 3. supponimus) res intrinsece & quoad substantiam seu ipsam entitatem supernaturalis est, & recte dicitur, quæ non solum quoad modum suæ productionis, aut respectu certi alicuius agentis aut subiecti, sed secundum se, & entitatem quoque suam, & respectu cuiuslibet subiecti, vel agentis, excedit omnem vim, & debitum seu capacitatem naturæ: ita vt non solum nulla vi creata produci possit, sed nec vlli etiam subiecto connaturalis, seu connaturaliter debita esse possit; talis vero est non solum vnio hypostatica, sed etiam actus & habitus virtutum Theologicarum, aliarumque virtutum infusarum, &c. vt suo loco in 1. 2. docetur, & nunc adeo compertum est, vt in dubium vocari vix possit. Idem de visione beatifica docuimus supra disputat. 2 quæstion. 6. dub. 3. Sed quanam ratione hæc mysteria ab Angelis cognoscantur, aut cognosci possint, restat sequentibus assertionibus explicandum.

Assertio IV. Cognoscunt Angeli ea mysteria 6
gratiæ intrinsece supernaturalia supernaturaliter; & inprimis quidem illi, qui beati sunt, visione beatifica. Ita S. Thomas hic quæst. 57. artic. 5. vbi expresse ait: *Est autem & alia Angelorum cognitio, qua eos beatos facit, qua vident Verbum, & res in Verbo. Et hac visione cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia, nec æqualiter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis reuelare, secundum illud Apostoli 1. Cor. 2. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum; ita tamen quod superiores Angeli perspicacius diuinam sapientiam contemplantes, plura mysteria & altiora in ipsa Dei visione cognoscunt; quæ inferioribus manifestant eos illuminando.* Hæc S. Thomas, eademque est communis Doctorum sententia, iuxta ea, quæ de hac re docuimus supra disput. 2. q. 6. dub. 8. quicquid nonnulli negauerint, res creatas in Verbo vel per beatificam visionem cognosci, quos ibidem refutauimus.

Vnde sumitur etiam ratio, quia etiam homines ea 7
mysteria gratiæ per visionem beatificã cognoscunt; & quidẽ omnia, (loquendo de generibus singulorũ) quæ hic per fidem credimus. Quare quod S. Thomas

loc.

loc. cit. ait, *non cognoscere omnia*, intelligendum est, vel de singulis generum, v. g. de singulis mysterijs Eucharistiæ, quæ in terra celebrantur, aut singulis iustificationibus, siue sanctificationibus hominum in particulari; vel de mysterijs gratiæ possibilibus, vltra ea, quæ nunc reipsa operatus est Deus.

8 Assertio V. Omnes etiam Angeli eiusmodi supernaturalia quædam gratiæ, seu fidei, speciatim verò Incarnationis, & Trinitatis mysteria cognouerunt olim statim à principio suæ creationis, cum adhuc viatores essent, per supernaturalem fidei cognitionem. Ita Sanctus Thomas ibidem in corp. & ad 1. & quæst. 64. articulo 1. & in 22. quæst. 2. art. 7. quanquam expresè quidem de Angelis malis nihil asserat; sed est ratio omnium. Idem docent cæteri Theologi communiter apud citatos, post Augustinum libro quinto de Genes. ad lit. cap. 19. & significat Apostolus 1 Timoth. 3. versu decimo sexto, vbi dicit, *Angelis apparuisse magnum illud sacramentum pietatis*, tametsi quidam Patres apud Vasquez disputatione 215. capite 2. significent, Angelos mysteriũ Incarnationis ab initio non cognouisse. Ratio est. Quia omnibus viatoribus, qui propria voluntate gloriam consequi debent, necessaria est fides; & quidem eorum potissimum mysteriorum fidei, quæ sunt principium quoddam & origo omnis salutis, vt sunt Sanctissima Trinitas, & Verbum Incarnatum. Neque tamen ideo statim Angeli cognouerunt mysterium Incarnationis, etiam quoad circumstantias particulares, vt quod in carne passibili, propter homines redimendos, &c. futurum esset: sed de particularibus eiusmodi circumstantijs postea primum sunt edocti, vt ex Esai. 63. v. 1. & Dionysio cap. 7. cæl. hierarch. rectè notauit S. Thomas hic cit. q. 57. a. 5. ad 1. & suo loco in 2. 2. de fide docetur.

Assertio VI. Probabile est etiam, Angelos beatos 9 cognoscere hæc mysteria fidei per scientiam infusam; & quidem ea, quæ merè creatæ absolutæque entitates sunt, per proprias species; non quidem ab initio beatitudinis congenitas; sed post statum beatitudinis infusas; idque etiam non simul, sed successiuè; prout successiuè hæc illis nonnunquam reuelantur: præsertim quæ ad particulares facti alicuius circumstantias pertinent. Hæc assertio colligitur ex S. Thoma cit. quæst. 57. art. 5. dum in verbis citatis ait, superiores Angelos *plura* eiusmodi obiecta *cognoscere, quæ inferioribus manifestant, eos illuminando*. Et mox subiungit: *Horum etiam mysteriorum quædam à principio suæ creationis cognouerunt; quædam verò postmodum secundum quod eorum officijs congruit, edocentur*. Et resp. ad 1. dicit, ipsos etiam *superiores Angelos, quædam postmodum didicisse*, iuxta Dionysium cit. cap. 7. cæl. hierarch. Et quæst. 106. art. 1. & 4. vniuersim docet, Angelos inferiores illuminari à superioribus, idque præcipuè circa eiusmodi diuinorum mysteriorum cognitionem. Quod etiam docet Sanctus Dionysius cap. 4. 5. & 8. cæleſt. hierarch.

Ex quibus etiam sumitur ratio. Quia negari non 10 potest, vt dictum, Angelos etiam beatos multarum rerum supernaturalium cognitionem acquirere, per nouas reuelationes & illuminationes; nec tamen potest dici, res eiusmodi cognosci per cognitionem beatificam, quia hæc est immutabilis, vt dictum disputatione 2. quæst. 6. dub. 10. & speciatim de Angelis docet etiam S. Thomas quæst. 62. art. 9. Debent ergo cognosci in proprio genere, adeoque per scientiam infusam, & per species de nouo infusas; cuiusmodi scientiam etiam habuit Christus, vt suo loco docetur.

Nec obstat quod S. Thomas cit. q. 57. a. 5. signi- 11 ficare videtur, Angelos proficere in ipsa scientia, seu cognitione beata, per quam dixerat, eos cognoscere hæc mysteria. Nusquam enim dicit, nec sentit, eos in ipsa scientia beata proficere; sed generatim docet, eos quamuis iam beatos in cognitione quoque horum mysteriorum proficere, &c.

Assertio VII. Sed & facta ac supposita iam re- 12 uelatione, possunt & Angeli (etiam mali) & animæ separatæ naturaliter, seu viribus naturæ, aliqua eiusmodi mysteria cognoscere, cognitione abstractiua, euidenti, & per species alienas, quæ nitatur experientia, seu euidentia Dei reuelantis. Ita ex communi Suarez hic libro 8. capite 6. à numer. 8. & libro 2. capite 33. numero 24. Colligitur ex illo Iacobi 2. versu decimo nono. *Dæmones credunt, & contremiscunt*. Ex quibus verbis ita licet argumentari. Dæmones habent imperfectum aliquem assensum fidei de rebus supernaturalibus; at verò assensus iste non est supernaturalis; nec etiam est spontaneus, quoad specificationem actus; alioqui facilè dissentirent, pro eo, quo in Deum, & res diuinas feruntur odio & contemptu: Ergo est necessarius, saltem quoad specificationem; Ergo nititur quadam euidentia; non ipsius rei in se, vt patet; Ergo reuelantis: 1

Ratio est. Quia tam dæmones, quam animæ 13 damnatæ, euidenter sciunt, se à Deo esse damnatos, & supernaturali beatitudine seu visione Dei, ad quam conditi erant, priuatos: Ergo habent euidentiam de ea re, saltem in reuelante. Item multi damnati euidenter sciunt, se à Deo damnatos propterea, quod hoc vel illud v. g. fidei mysterium non crediderint: Ergo rursum naturaliter cognoscent aliquo modo ea mysteria fuisse à Deo reuelata. Denique ipsa damnatio siue spectetur secundum pœnam damni, siue secundum pœnam sensus, est res aliquo modo supernaturalis; cum ergo eam naturaliter cognoscant damnati, necessariò fatendum est, eos posse naturaliter aliquo modo eiusmodi mysteria cognoscere, & imperfecto assensu credere.

Dices. Assensus qui nititur euidentia reuelantis, 14 non minus videtur perfectus, aut supernaturalis, quam qui nititur reuelatione obscura: sed hic assensus semper ac necessariò est supernaturalis, vt suo loco de fide docetur: Ergo, &c.

Respondeo, negando maiorem. Quia vt aliquis certò & euidenter cognoscat & assentiatur reuelationi seu attestationi Dei euidenti, id vniuersim ex suo genere non excedit vires naturæ, siue intellectus: at verò vt quis assensu certo & infallibili assentiatur reuelationi Dei obscuræ & inuidenti, id planè excedit vires ac naturam intellectus; potest ergo assensus prior esse naturalis, sicut & obiectum ipsum formale naturale quodammodo est; posterior verò non item.

Nec obstat primò, quod assensus euidenti reuelatione nixus, in Prophetis, & Apostolis fuit supernaturalis. Diuersa enim ratio est Prophetarum & Apostolorum: non solum quia in his assensus reuelationis ex pia applicatione voluntatis ad eius actus exercitium processit; sed etiam, quia ipsi, spectando peculiarem modum reuelationis euidentis, indigebant ad eam reuelationem cognoscendam, eleuatione intellectus per lumen supernaturale: cum tamen dæmones ad euidentiam illam diuinæ reuelationis cognoscendam, ipsa quodammodo experientia, seu memoria naturali rerum præteritarum vel inuiti cogantur.

16 Nec secundò refert, quod entitas reuelationis euidentis, vtique non minus præstans & perfecta est, quam reuelationis obscuræ: quia supernaturalitas huius obiecti non sumitur ex entitate absoluta ipsius reuelationis, sed ex proportione, quam sub ratione intelligibilis habet ad intellectum. Sicut etiam ipse Deus, etsi per se ac intrinsecè vtique sit Ens, vt ita dicam, supernaturalissimum, tamen in quantum est vnus, & vt auctor & finis naturæ, habet rationem obiecti naturalis; non autem vt est trinus, vel author & finis ordinis supernaturalis. Eadem ratione potest DEI substantia aliquo modo naturaliter cognosci; & tamen vnio eius Hypostatica cum Verbo; aut etiam existentia Christi sub sacramento naturaliter & sine reuelatione non potest cognosci.

17 Fatendum est tamen, aliquod esse discrimen inter res creatas, & inter Deum authorem creaturarum; quia supernaturalitas Dei, in ordine ad cognitionem non sumitur ex intrinseca ipsius entitate & substantia vt dictum; sed ex proportione in ordine ad intellectum; quod pariter etiam de diuina reuelatione dicendum videtur: at verò aliarum rerum seu accidentium supernaturalitas, etiam per modum obiecti, & respectu intellectus sumitur ex ipsa intrinseca, & vt ita dicam, entitatiua supernaturalitate earundem, vt diximus. Et ratio diuersitatis est. Quia DEVS, licet intrinsecè secundum suam entitatem sit planè supernaturalis, tamen per effectus suos, qui ab illo necessariam habent dependentiam, naturaliter obijcitur facultati intelligendi: at verò accidentia supernaturalia nec per se & suam entitatem, eo ipso, quòd supernaturalia sunt; nec per effectum aliquem naturalem; siquidem nullus effectus naturalis per se à re vel causa supernaturali dependet; vllo modo naturali vi intelligendi obijciuntur. Quod discrimen etiam insinuauit Suarez hic libro 2. citat. capite 29 à numero nono.

DVBIVM VIII.

De modo Cognitionis Angelicæ: an scilicet ea cognitio sit semper in actu secundo; & an possit esse plurium obiectorum simul; an sit discursiua; an etiam habitualis; aut errori obnoxia.

S. Thomas 1. part. q. 58. aa. 7.

AGit Sanctus Thomas de hac re, tota quæstione 58. citata; & verò possunt omnia attributa cognitionis Angelicæ ad quinque capita in titulo dubitationis proposita reuocari. Nam quod præterea artic. 6. & 7. speciatim quærit Sanctus Thomas, an cognitio Angelica possit etiam dici matutina & vespertina, & qua ratione hæ cognitiones inter se differant, non habet opus peculiari explicatione; siquidem hac de re, per comparationem ad beatos, in genere, actum est iam supra disputatione 2. quæst. 6. dub. 8. De cæteris ergo solum attributis aliquot assertionibus agendum. 1

Assertio I. Intellectus Angeli nec est in potentia, quoad spectantia ad actum primum intelligendi ea, quæ naturaliter cognoscit; nec vnquam est in nuda potentia, respectu actus secundi; siue loquamur de cognitione supernaturali visionis beatificæ in beatis; siue de cognitione naturali. Ita S. Thomas cit. quæst. 58. art. 1. qui ex Aristotele lib. 3. de anima text. 8. & 8. Physic. text. 32. notat, intellectum dupliciter posse esse in potentia; vno modo; *sicut ante addiscere & inuenire*, id est, antequã habeat habitum scientiæ, seu species intelligibiles, ad actum scientiæ requisitas: alio modo, *sicut qui iam habet habitum scientiæ, sed non considerat*; quod est dicere, vel respectu alicuius spectantis ad actum primum intelligendi, vel respectu ipsius actus secundi, vt in assertione diximus. Eadem est communis sententia Doctorum, quos assert. sequenti referemus. 2

Ratio primæ partis est; quia Angelus habet species ad naturalem cognitionem requisitas, ab ipsa creatione inditas, vt dictum dub. 2. habitus autem cognoscitiui naturalis non est capax, vt dicetur assert. 7. Ergo quantum ad actum primum attinet, nihil penitus Angelo deest, quod ad naturalem eius cognitionem requiratur; quicquid Scotus, & ex parte Suarez, alijque relati cit. dub. 2. 4. & 5. dixerint, species etiam rerum naturalium, aut omnium, aut aliquarum, ab Angelo acquiri; quos ibidem refutauimus. 3

Confirmat idem Sanctus Thomas etiam à simili. *Sicut enim corpora cælestia*, inquit, *non habent potentiam ad esse, quæ non sit completa per actum; ita cælestes intellectus, scilicet Angeli, non habent aliquam intelligibilem potentiam, quæ non sit totaliter completa* (respectu naturalium obiectorum) *per species connaturales eis.* Et mox addit, diuersam esse quoad hoc rationem cognitionis supernaturalis. *Nam quantum ad ea*, inquit, *quæ eis diuinitus reuelantur, nihil prohibet intellectus eorum esse in potentia: quia sic etiã corpora cælestia sunt in potentia quandoque, vt illuminentur à sole.*

Secũda pars, quoad visionẽ beatificã, est extra controuersiã, quia hæc visio est perpetua & inuariabilis: *Quare ad cognitionem Verbi*, inquit S. Thomas, *& eorũ, quæ in Verbo videt, intellectus Angeli nunquam est in potentia; quia semper actu intuetur Verbum, &* 4

ea quæ

ea quæ in Verbo videt. In hac enim visione eorum beatitudo consistit. Beatitudo autem non consistit in habitu, sed in actu, vt dicit Philosophus 1. Ethic. capite 8. Quod notandum est, contra quosdam, qui dixerunt, beatos non omnia statim ab initio videre, quę in Verbo vident, quos refutauimus supra disp. 2. q. 6. dub. 10.

5 Tertia pars, de cognitione naturali, insinuatur à S. Thoma ibidem, cum docet eatenus tantum esse in potentia respectu naturalis cognitionis, quatenus *non omnia*, inquit, *quæ naturali cognitione cognoscit, semper actu considerat.* Et resp. ad 3. vniuersim ait, *intellectum Angeli non sic esse in potentia, quod sit absque actu.* Idem expresè docet lib. 2. contra gent. cap. 97. & in alijs locis, vt dicetur assert. seq. ex qua etiam magis confirmabitur hæc assertio. Ratio verò communis est. Quia naturale agens, semper, quantum potest, satagit, vt perfectionem suam naturalem obtineat: actus verò naturalis intelligendi est naturalis quædam perfectio Angelici intellectus; ergo Angelus quoad potest, semper in hoc incumbit, vt hac perfectione non destituatur. Potest autem, si velit, semper hanc perfectionem obtinere; nec enim vt homo fatigatur, aut somno vel morbo, alijsue modis impediri potest, quo minus actu semper aliquid intelligat. Deinde anima rationalis nunquam omnino ab omni actu cessat; semper enim saltem vegetationis, aut respirationis actum exercet: Ergo nec Angelus, qui magis actiuus est, ab omni omnino actu naturali potest cessare: Ergo nec ab omni intellectione naturali; siquidem cum Angelus sit agens merè intellectuale, non potest vllum actum merè naturalem alterius potentiæ exercere, nisi præuia intellectione naturali accommodata. Addit Suarez infra citandus etiam alias duas rationes. Tum quia Angelus non potest voluntate sua suspendere omnem actum intellectus. Tum quia impossibile esset Angelo, omni actu suspenso, ab intrinseco redire ad cogitandum; quod perfectioni Angelicæ repugnat.

6 Assertio II. Angelus seipsum, & Deum cognitione naturali semper actu ac necessariò cognoscit. Primam partem de cognitione sui tradit S. Thomas libro 2. cont. gent. cap. 97. & quæst. 8. de verit. artic. 6. ad 7. & art. 14. ad 6. & in 2. d. 11. quæst. 2. art. 3. ad 4. Herueus in 2. dist. 3. quæst. 4. Ægidius dist. 3. part. 2. quæst. 2. art. 1. Capreolus quæst. 2. art. 3. Durandus quæst. 8. num. 9 Ferrariensis cap. 97. Caietanus & alij Thomistæ communiter cit. quæst. 58. art. 2. Molina ibidem disp. 1. Gregorius de Valentia quæst. 9. punct. 1. Suarez hic libro 2. cap. 35. adeoque communis Doctorum; ita vt Vasquez disp. 219. c. 3. dicat, se non legisse vllum ex scriptoribus, qui oppositum doceat; nec esse rationem vllam, quæ probet, Angelum à cognitione sui cessare posse; quamuis interim ipse rem totam in dubio ponat. Ratio est. Quia cum pro ratione suæ perfectionis, semper debeat esse in actu aliquo secundo, etiam respectu cognitionis naturalis, vt dictum; non potest vllum obiectum ei magis esse connaturale, quod actu semper intelligat, quam propria substantia. Accedit, quod hoc sit necessarium, vt Angelus seipsum libere applicare possit de nouo ad intelligendum, vt dicetur assert. 5.

Ex quo etiam colligitur secunda pars, nimirum Angelum actu quoque semper considerare Deum, saltem vt authorem & principium sui Esse, vt rectè docent Capreolus, Caietanus, Molina, Valentia, Suarez cap. 36. alijque recentiores Thomistæ locis citatis, & fatetur, consequenter dicendum Vasquez loc. cit. licet absolute dubius. Quia enim Angelus se intuitiuè ac comprehensiue cognoscit, non potest non etiam simul cognoscere eam, quam à Deo habet, dependentiam, vt potè quæ realiter ab ipso Angelo non distinguitur. Quę cum ita sint, consequens est, Angelum naturaliter ac necessario seipsum ac Deum intelligere, vt etiam Zumel, Bannes, alijq; citati indicant. Si enim liberè hoc faceret, certè aliquando desisteret; præsertim malus Angelus; cui non potest non esse ingrata Dei memoria. Existimandum verò est, hanc necessitatem habere ex vi naturæ, ita vt hæc cognitio naturaliter debita sit Angelo, & quasi per modum proprietatis ab ipso emanet; vt explicat Suarez cit. cap. 35. num. 22. 7

Assertio III. Potest quidem Angelus naturaliter cognoscere non solum multa simul, per modum vnius, v. g. partes lineæ, prout vnum continuum efficiunt; atque etiam omnia simul, quæ per vnam speciem ipsi repræsentantur; sed etiam multa vt multa, quæ per species siue media diuersi planè generis & ordinis ei repræsentantur; v g. Deum per ipsius essentiam, visione beatifica; seipsum per suam essentiam; & alium Angelum, seu rem aliam, per speciem sibi cognitam. 8

Prima pars est S. Thomę q. 58. a. 2. & communis, atq; extra controuersiam; & patet ex eo, quia vt rectè S. Thomas ibidem, nos ipsi etiam hoc modo multa simul videmus & intelligimus; puta omnea partes animalis, hominis, &c. item prædicatum & subiectum; duo comparata vel correlatiua, &c. secundum Aristotelem 3. de anima tex. 23. & 24. 9

Secundam partem tradit S. Thomas cit. quæst. 58. art. 2. vbi hoc accommodat tam visioni beatificæ, quam cognitioni naturali, sed diuersimodè; per illam enim docet necessario omnia simul cognosci; per hanc verò posse ab Angelis omnia simul cognosci, quæ per vnam speciem repræsentantur. Idem docent Caietanus, Bannes, Zumel, Valentia locis citatis, etsi neget Molina quæst. 55. a. 2. & quæst. 58. art. 2. disput. 2. Rationem assignat S. Thomas hoc modo. *Multa*, inquit, *secundum quod vniuntur in vno intelligibili, sic simul intelliguntur. Vnumquodque autem est intelligibile in actu, secundum quod eius similitudo est in intellectu. Quæcunque igitur per vnam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur vt vnum intelligibile: & ideo simul cognoscuntur. Quæ vero per diuersas species intelligibiles cognoscuntur, vt diuersa intelligibilia capiuntur. Angeli igitur ea cognitione, qua cognoscunt res per Verbum, omnia cognoscunt vna intelligibili specie, quæ est essentia diuina. Et ideo quantum ad talem cognitionem omnia simul cognoscunt: sicut & in patria non erunt volubiles nostræ cogitationes, ab alijs in alia euntes atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram simul vno conspectu videbimus, vt Augustinus dicit 15. de Trinitate cap. 16. Ea verò cognitione qua cognoscunt res per species innatas, omnia illa simul possunt intelligere, quæ vna specie cognoscuntur; non autem illa, quæ diuersis.* Ita Sanctus Thomas. Quod et- 10

iam Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 1. Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 101. item Caietanus, Valentia, Suarez, alijque Thomistæ locis citatis absolutè, vt sonat, accipiunt; etsi Vasquez disputatione 221. capite 3. existimet, cum limitatione solum accipiendum, vt solum intelligatur de tota latitudine specifica; non indiuiduali earum rerum, quę per vnam speciem repræsentantur; aliàs enim futurum putat, vt possit simul etiam naturaliter cognoscere infinita, saltem si infinita indiuidua causarum naturalium ac necessariarum essent futura; quandoquidem singula tam futura, quam præsentia naturaliter aliàs cognoscere potest Angelus. Sed quia reipsa infinita eiusmodi indiuidua non sunt futura; contingentia verò & libera, quæ in infinitum futura sunt, Angelus per se naturaliter non potest distinctè cognoscere; vt suo loco dictum dub. 5. ideò loquendo de facto, nulla videtur opus limitatione, vt rectè etiam Suarez loco citato num. 11. quandoquidem etiam oculus noster suo modo etiam innumeram quodammodo stellarum aut hominum multitudinem simul videre potest: cur ergo hoc negetur intellectui Angelico, respectu cuiusuis multitudinis finitæ, quæ per vnam speciem Angelo naturaliter ex se potest repræsentari. Quod si infinita futura essent causarum naturalium ac necessariarum indiuidua, facilè concesserim, non posse per has species omnia simul distinctè, sed solum confusè repræsentari. Et confirmatur assertio. Quia propterea Angelis inditæ sunt species magis vel minus vniuersales, vt sint vniuscuiusque lumini eiusque efficacitati naturali, etiam in extensione ad obiecta proportionatæ: alioqui enim superflua esset species vniuersalis impressa, si expressa ei non posset esse adæquata, vt rectè Suarez loc. cit.

11 Tertiam partem tradit Sanctus Thomas quodlib. 9. quæstione 4. art. 7. & est itidem communis, & extra controuersiam: quia alias Angelus aut seipsum non semper actu intelligeret, aut nō posset vnquam aliud quicquam, v. g. alium Angelum, per inditam speciem intelligere; quorum vtrumque est absurdum. Accedit quod nos ipsi etiam diuerso cognitionis genere plura vt plura simul cognoscere possumus, dum aliud videmus, aliud audimus; aliud intelligimus: sicut & Christus in terris perpetuò visione DEI beatus fuit, & tamen alia simul diuersa cognitione cognouit. Quod si nos ipsi per eandem potentiam intellectiuam, non possumus naturaliter plura vt plura diuerso cognitionis genere cognoscere, ratio esse debet; quia vnum solum cognitionis genus nobis est naturale, nempe per species acquisitas, cum dependentia à phantasmatis; licet alias nulla etiam in nobis foret repugnantia, vt dicemus.

12 Assertio IV. An verò Angelus, vel anima nostra, simul possit intelligere multa, per species eiusdem generis & ordinis, controuersum est: & verior videtur sententia affirmatiua, posse nimirum eos simul intelligere multa vt multa; adeoq; & diuersis conceptibus seu actibus, & diuersis speciebus eiusdem etiam ordinis repræsentata; licet non tam perfectè, quam si vnum tantum intelligeretur obiectum; quia pluribus intentus minor est ad singula sensus. Ita sentit Durandus in 2. d. 3. q. 8. n. 7. nisi quod ille species vniuersim reijcit; item Ariminensis in 1. d. 1. q. 1. a. 3. Sotus lib. 1. poster. q. 1. Gregorius de Valentia q. 9. punct. 3. Molina cit. q. 58. a. 2. disp. 1. Vasquez disp. 220. c. 2. & Suarez hic lib. 2. c. 37. à n. 14. consentientibus etiam Thomistis recentioribus; etsi S. Thomas hic. cit q. 58. a. 2. Caietanus ibidem, alijq; discipuli S. Thomæ antiquiores, vt Ægidius in tract. de Angel. cognit. q. 7. & in 2. d. 2. part. 2. q. 2. a. 3. Capreolus q. 2. a. 1. & 3. Heruæus de motu Angeli q. 1. & Ferrariensis 1. cont. gent. c. 55. vti & Scotus in 2. d. 3. q. 9. oppositum asserant; quibus consentire videtur ipsemet S. Thomas cont. gent. cit. c. 55. & 2. cont. gent. c. 101. & q. 8. de verit. a. 14. & hic q. 58. art. 2. vbi expressè dicit, *patere, quod multa secundum quod sunt distincta, non possint simul intelligi*: quamuis recentiores Thomistæ, cum ad sensum additæ limitationis nostræ explicant, vt solum locutus sit de perfecta vndiquaque cognitione plurium, qua plura sunt; de quo non litigamus.

Probatur assertio ex Augustino id significante 13
libro 4. in Genes. ad lit. capite 32. & 34. vbi docet, posse Angelum simul cognoscere omnia, quæ initio mundi creata fuerunt. Quo spectat illud cit. cap. 32. *Sed secundum potentiam spiritualem mentis Angelica, cuncta quæ voluerit, simul notitia facillima complectentem.* Ratio est. Tum quia Angelus naturaliter se & alia quædam, etiam diuersis medijs repræsentata, simul cognoscit, vt dictum; cur non ergo etiam medijs ijsdem generis repræsentata; si modo interim Angelus, respectu extensionis ad obiecta, non vtatur adæquatè specie sibi naturaliter indita; quod quidem necessarium esse, cum Suarez loco citato, numero 13. ex communi libenter concedimus. Tum quia potest Angelus vno actu intelligendi duo inter se comparata distinguere, etiamsi diuersis speciebus repræsententur, vt agnoscere videtur etiam Sanctus Thomas hic citat. quæst. 58. art. 2. nequeid sanè potest negari; cum nos etiam ita distinguere possimus hominem à bruto: at vero distinguens duo, præcipuè per diuersas species repræsentata, non potest non duo vt duo, adeoq; vt plura cognoscere. Tū quia visus etiam noster, & sensus interior, plura vt plura cognoscit; v. g. album & nigrum. Tum quia nec ex parte speciei, nec ex parte actus, est repugnantia, quo minus simul idem subiectum informare, vel ab eodem agēte prodire possint: siquidem nil obstat, plura accidentia etiam solo numero, ne dum specie differentia (vt in hac cognitione Angelorum accidit) ex ijs, quæ se mutuo non intendunt, vt sunt duæ species, vel duæ intellectiones numero diuersæ, eidē subiecto ineſſe.

Objicitur Aristoteles 2. Topic. capite quarto, loco 32. vbi ait, *Contingit plura scire, cogitare autem non.* Et 4. Metaph. capite 2. text. 10. dicit: *Nihil contingit intelligere, nisi intelligenti vnum.* Sentit ergo aut vnum tantum aut nihil intelligi. Respondent multi, ptioris loci sensum esse, non omnia, quæ simul scire habitualiter possumus, posse etiam actualiter simul cogitare: sed melius Suarez ait, Aristotelem solum dicere, contingere, vt is, qui plura scit, vnum tantum, non plura cogitet. In posteriori loco solum vult, in vsu nominum, de quibus ibidem loquitur, non plura significata eodem nomine significata, sed vnum tantum significatum

14

deter-

determinate intelligi oportere; qui enim vnum determinate non intelligit, nihil intelligit. Quo spectant illa verba eiusdem, *Non vnum significare, nihil est significare; nominibus autem non significantibus perit disputatio,* vt pluribus Molina, Vasquez, & Suarez locis citatis.

Quæres, an etiam per eandem speciem possit Angelus plura vt plura, & per plures actus simul cognoscere. Negant Vasquez disp. 221. cap. 3. Zumel q. 58. a. 2. & Suarez olim iunior; qui tamen senior etiam affirmatiuã censet probabilẽ hic lib. 2. cap. 37. n. 33. Ego priori magis assentior; quia imperfectionis est, per plura facere, vbi vnum æque sufficit.

15 Assertio V. Neq; tamen ideo potest Angelus omnia simul cognoscere, quæcunq; naturaliter intelligere potest; neq; si posset, actu semper omnia considerare. Primam partem & secundam post S. Thomam hic q. 58. a. 1. & 2. & communem Doctorum in 2. d. 3. tradũt Thomistæ & Molina cit. q. 58. a. 2. disp. 2. Vasquez disp. 221. c. 3. Suarez lib. 2. c. 34. contra Durandum in 2. dist. 3. q. 8. vbi docet, Angelum actu simul intelligere omnia, quæcunque naturaliter potest intelligere: & contra Ariminensem in 2. dist. 11. q. 1. & Aureolum q. 3. a. 3. qui asserunt, saltem posse Angelum omnia simul intelligere, quæcunque naturaliter potest intelligere.

16 Ratio primæ partis est: Non quia alias Angelus simul cognosceret infinita; nimirum infinitos actus motusque imaginationis, & appetitus sensitiui, in tota æternitate futuros; hos enim non potest naturaliter cognoscere antequam sint; vt ex dub. 5. colligitur; infiniti autem, nec actu sunt, nec fuerunt: sed quia cuiusque agentis creati vis agendi, & sphæra quodammodo actiuitatis, per extensionem ad passum, vel obiecta, finita est & determinata: at vero si Angelus simul omnia posset intelligere, quæcunque naturaliter potest intelligere, tum sphæra quodammodo actiuitatis secundum extensionem ad obiecta simul intelligibilia, esset quodammodo infinita & indeterminata: siquidem Angelus naturaliter potest intelligere omnia indiuidua rerum existentium: possunt autem plura & plura in infinitum indiuidua existere: Ergo haberet vim cognoscendi simul plura & plura in infinitum; quod est nullam habere vim intelligendi determinatam respectu obiectorum simul intelligibilium. Putat tamen probabile Suarez, esse aliquos Angelos tam perfectos, vt naturaliter omnia simul possint cognoscere, quæ possunt cognoscere, de quo non disputo.

17 Ratio secundæ partis est; quia multarum rerum singularium, præsertim materialium cognitio, per se non spectat ad perfectionem intellectus, V. G. qui vel quot sint culices, muscæ, vel formicæ in mundo, quid singulæ agant: &c. Non ergo credibile est, Angelum semper his intendere velle mentem; etiamsi posset. Vbi etiam rursum supponimus, Angelũ posse suo arbitratu inadæquate vti aliqua specie indita respectu extensionis ad obiecta; siquidẽ vti species non necessitant absolute ad sui vsum, ita nec ad tantum vel tantum vsum, vt ex communi recte Ferrariensis 2. cont. gent. cap. 101. Vasquez disp. 221. cap. 3. & Suarez hic lib. 2. cap. 37. num. 14. consentiente etiam Sanct. Thoma quæstione octaua, de verit. articulo 13. ad 2. & 8. Sed vt intelligamus, qua ratione Angelus ab vna intellectione, ad aliam progredi possit, esto

Assertio VI. Angelus ad intelligenda ea, quæ de nouo intelligit, potest quidem nonnunquã ab ipso Deo determinari; ordinarie vero & naturaliter determinatur à libera voluntate propria: præuia ea solũ cognitione naturali, qua Angelus seipsum, & suas adeo etiam species naturales, ipsa verò obiecta specierum in confuso, aut oblique tantum cognoscit. Primam partem tradit à potiori Vasquez d. 221. c. 3. dum vniuersim docet, non nisi à Deo ita determinari Angelum, eaq; satis probatur ex generali doctrina S. Thomæ, quam de prima cogitatione creatæ intellectionis tradit 1. 2. q. 9. a. 4. & q 109. a. 2. vbi de hac re plura. Neque ideo sequitur, in Angelis admittendos actus subreptitios; quia actus ille intelligendi, ad quem mens determinatur à Deo, est quidem necessarius, sed non subreptitius, hoc est, casualis, seu per inaduertentiam causatus. 18

Secundam partem, quod seipsum Angelus libere determinet, tradunt Molina loc. citat. disputat. 2. & Suarez lib. 2. cap. 35. à num. 17. post S. Thomam & Ferrariensem 2. cont. gent. cap. 101. & Ægidium supra loc. cit. Et ratio est. Quia ad hoc, vt quis libere se ad actum aliquem determinet, satis est, eum eius ue obiectum in confuso seu oblique præcognoscere; quomodo Angelus præcognoscit omnia, seipsũ, suasq; species cognoscendo. Et quia hic modus cognoscendi magis est conueniens perfectioni & libertati Angelicæ naturæ, videtur etiam priore probabilior; præsertim cum alter ille modus dæmonibus difficulter possit applicari; & in cæteris etiam difficultatem ingerat, ne vlla vnquam cogitatio Angeli sit libera, quoad exercitium, vt fusius prosequitur Suarez ibidem. 19

Addit Molina ibidem, Angelum sæpe decursu tẽporis, sine vllo imperio voluntatis, ad multa aduertere, in varias cogitationes, non secus ac nos, incidẽdo; sic tamen, vt sit in potestate voluntatis Angelicæ, vel cooperari cum intellectu, vt persistat in cogitationibus, & de quibusdam deueniat ad alias; vel impedire cogitationem, eam supprimendo; aut aciem intellectus ad alia conuertendo; vt nimirum hac ratione (quod idem Molina q. 60. a. 1. & 2. ex communi docet, & dicetur quæst. seq.) ab Angelis excludantur actus subreptitii & indeliberati, vt in nobis sunt. 20

Assertio VII. Intellectus Angelicus sua natura plane expers & incapax est omnis discursus, vel etiam compositionis & diuisionis in intelligendo. Ita S. Thomas hic q. 58. a. 3. & 4. & q. 8. de verit. art. 15. ad 2. vbi loquitur etiam de obiectis supernaturalibus & 3. cõt. gent. c. 44. & 91. item Ferrariensis ibidẽ Caietanus, Bannes & Thomistæ hic cit. a 3. Alẽsis 2. p. q. 20. mem. 5. Albertus 2. part. sum. q. 9. Capreolus in 2. d. 3. q. 2. a. 1. conclus. 10. Gregorius de Valentia q. 9. pun. 2. Suarez hic lib. 2. cap.

Etsi contrarium sentiant Scotus in 2 d. 7. a. 1. & d. 1. q. 6. & in 3. part. prolog. q. 4. & 5. Ariminensis 2. d. 7. q. 5. a. 2. Ockam in 2. q. 16. & Gabriel in 2. d. 3. q. 2. a. 3. qui docent, Angelos discurrere, non secus ac homines. Quod Vasquez disput. 222. cap. 2. in obiectis quidem supernaturalibus, non autem in naturalibus verũ habere censet: Molina vero hic q. 58.

a. 3. & 4. in vtrisq; non quidem per se, sed per accidens; cum scilicet intuendo rem vnam, cognoscunt rem alteram abstractiue, vt ex creaturis Deum, quā doquidem ipse existimat, non posse eandē cognitionem simul esse intuitiuā & abstractiuam, ēt respectu diuersorum obiectorum; quod tñ fundamentū superius dub. 3. refutauimus. Suarez deniq; hic lib. 2. c. 33. à num. 18. existimat, Angelum tum in materia supernaturali, tum in his omnibus, quæ non euidenter, sed solum probabiliter seu per coniecturam iudicat, vere discurrere.

21 Sed probatur assertio authoritate S. Dionysii c. 7. de diuin. nom. qui non obscure eam significat, dum Angelis tribuit *simplices, beatasq; mētis susceptiones.* &c. Fauet ēt Augustinus de Genes. ad lit. lib. 4. c. 32. & 34. & Bernardus serm. 5. in Cantic. Ratio assertionis petitur, tum ex ipsis Angelorum nominibus. Vocantur enim mentes cœlestes, & *Intelligentiæ*, seu *intellectuales* substantiæ; idq; ad differentiam nostrarū animarum, quæ *rationales* vocantur; est autem intellectus & intelligentia stricte loquendo, *primorum principiorum*, seu eorum *quæ statim naturaliter apprehenduntur*, vt notauit S. Thomas hic cit. a. 3.

22 Tum quia alias *Rationale* non esset vltima differentia hominis. Tum quia cum Angeli sint altioris naturæ intellectualis, habeāt lumen ēt superius, & modū cognoscendi altiorem, quo in principiis seu causa effectum; & in effectu causam; vti & in subiecto prædicatū simul ac eadē cognitione, adeoq; sine discursu & complexione cognoscant; saltem intra latitudinē obiectorum, quæ simul ab eis possunt cognosci: quia non est necesse, eadem cognitione cognosci posse omnia, quæ absolute ex eodem principio possunt inferri. Sic enim simul cognoscere possent infinita; V. G. infinitas Eclipses possibiles, quod tamen non sine causa contra Ariminensem negat Molina, & fere Valentia; qui tamen simul id concedere non admodum putat absurdum.

23 Accedit optima congruentia S. Thomæ cit. q. 58. art. 3. vbi ait: *Angeli illum gradum tenent in substantiis spiritualibus, quem corpora cœlestia in substantiis corporeis, nam & cœlestes mentes à Dionysio dicuntur. Est autē hæc differentia inter cœlestia & terrena corpora, quod corpora terrena per mutationem & motum adipiscuntur suā vltimam perfectionem, corpora vero cœlestia statim ex ipsa sua natura suam vltimam perfectionem habent. Sic igitur & inferiores intellectus, scilicet hominum, per quendam motum & discursum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiscuntur, dum scilicet ex vno cognito in aliud incognitum procedunt. Si autem statim in ipsa cognitione principii nota inspicerent quasi notas omnes conclusiones consequentes, in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in Angelis, qui statim in illis, quæ primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia, quæcunque in eis cognosci possunt.* &c.

24 Similiratione probat S. Thomas a. 4. Angelos etiā non componere, nec diuidere; *quia in ipsa statim apprehensione quidditatis subiecti habent notitiam de omnibus, quæ possunt attribui subiecto, vel remoueri ab eo.* &c. Etsi nonnunquam saltem per accidens componere & diuidere concedat Molina ibidē; & Vasquez disp. 223. speciatim quando extrema habent diuersas species: Vt cum intelligunt V. G. hominem distinguī à lapide, vel non esse lapidem. &c. Sed nec hoc est necesse: quia neq; tunc faciunt formaliter hanc diuisionem conceptuum, Homo nō est lapis; sed eo ipso cognoscunt extrema esse distincta, quod vtrumq; vt est, intuitiue, esto conceptu ac notitia diuersa, concipiant; ad eum fere modum, quo ēt sensus distinguit lucē à tenebris, seu dulce ab albo. &c. Accedit, quod nil obstet, vno ēt simplici conceptu, concurrente vtriusq; extremi specie, directe cognosci distinctionē extremorū, vt recte Suarez cap. 32. n. 11. qui tñ n. 17. probabile putat, Angelū cōponere & diuidere in iis, quæ euidenter non cognoscit, vti de discursu dictū.

Sed non probatur. Nam etiam in probabilibus principiis euidenter Angelus cognoscit probabilitatem consequentis, seu ipsam probabilitatem connexionis: neq; si prudenter agat Angelus, aliter, quam sub modo probabilitatis iis assensum prębet; nec potest ex assensu eiusmodi modificato principiorum, vero & illatiuo discursu elicere absolute assensum conclusionis, vt potē plane inconsequentis. Quod si ponamus, Angelum malum temere & imprudenter agēdo, absolute & sine modificatione assentiri principiis probabilibus; tunc non minus simul ac eodem simplici actu, adeoq; sine discursu, absolute etiam assentiri poterit consequenti; quam alias prudenter agendo in principiis euidentibus absolutē cognoscere & assentiri solet conclusioni euidenti. Solum hoc inter vtrumque casum erit discrimen, quod hoc prudenter, illud imprudenter; hoc necessario, saltem quoad specificationem; illud libere, adeoque non absque inclinatione præuia voluntatis faciet. 25

Quod si deniq; ponamus, Angelum prius elicuisse assensum modificatum circa probabilia principia, postea vero suo arbitratu, temere agendo, assensum absolutum circa conclusionem, tum id reuera non fiet per verum & formalem discursum causalem, qui solus proprie dictus discursus est; sed vt summum solum per discursum successiuum, siue successionis; qui plures assensus successiue quidem, sed sine nexu & dependentia elicitos complectitur, nec adeo verus & proprius, sed solum improprie dictus discursus est, vt fatetur etiam ex communi Logicorum doctrina Suarez; nec aliter fere de discursu, quem Angelis tribuunt, loquuntur Scotus & Nominales citati. Videri de vtroq; discursus genere potest S. Thomas hic q. 14. a. 7. & q. 8. de verit. a. 4 ad 14. Ex quib⁹ existimo fundamento Suarii satisfactum esse. 26

Interim non negandum, Angelos (quod etiam de Deo suo loco dictum) diuisionem & compositionē ac discursum, vt sunt in nostro intellectu, cognoscere, vt recte S. Thomas ibidem a. 4. Sicut neq; negandum est, in Angelico intellectu proprie esse veritatē aut falsitatem; quia Angelica cognitio vere iudicatiua est; & licet non formaliter, tamen eminenter est diuisio & compositio, vt cum S. Thoma ex communi agnoscunt etiam Molina & Vasquez cit. q. 58. a. 5. & in simili de diuina cognitione dictum. Neque in contrarium restat aliud alicuius momenti argumentum, quo probetur, Angelos formaliter discurrere, aut componere. &c. 27

Assertio VIII. In Angelis non sunt habitus naturales cognoscitiui; seu cognitio habitualis acquisita. Supponimus ex dictis dub. 2. esse in Angelis habitus naturales repræsentatiuos (nimirum species intelligibiles) qui ex parte ipsius obiecti ad cognitio- 28

nem

nem Angelicam concurrunt; sed negamus, esse in eis habitus cognoscitiuos naturales seu acquisitos, qui ex parte potentiæ ad facilitandam seu efficiendam naturalem cognitionem Angeli concurrant, prout in nobis sunt quinq; illæ virtutes intellectuales, item fides acquisita, vel opinio &c. Hæc q; est sententia S. Thomæ hic q. 58. a. 1. vbi absolute negat, intellectū Angeli esse in potentia ad actum primum, vt dixim⁹ assert. 1. Idem expresse docent Scotus in 2. distin. 3, q. 11. § *Contra istam*. vers. *Ad aliud*. Durandus in 3. d. 23. q. 1. ad 1. Mayron in 3. d. 33 q. 1. a. 5. Caietanus 1. 2. q. 54 a. 4 & q. 63. a. 1. Vasquez disput. 219. cap. 2. & disp. 43. cap. 7. & 1. 2. disp. 78. cap. 3. & 4. Fonseca 9 Metaph. cap. 1. q. 2. sect. 1 & fere Ferrariēsis 1. cont. gent. cap. 56. eamq; communem vocat. Suarez hic lib. 2. cap. 38. num. 5. etsi contrarium dixerint Henricus quodlib. 5. q. 14. Medina 1. 2. q. 51 a. 1 & q. 54. a. 4 Molina hic q 58. artic. 1. & ex parte Suarez Metaph. disput. 35 sect. 4. num. 23, & 24, & disp. 44. sect. 3. num. 8 & hic lib. 2. cap. 38. à num. 8. vbi fatetur quidem, in Angelo non esse habitus cognoscitiuos naturales, seu inditos, seu acquisitos, respectu eorum obiectorum, quę Angelus naturali cognitione euidenter nouit; at vero simul ait, esse in ipso habitus naturales acquisitos, circa ea, quæ solum probabiliter per fidem aut opinionem naturalem nouit. Pro qua sententia citat è recentioribus etiam Pesantium cit. q. 58. a. 1. Herreram in 2. d. 12. q. 1. notab. 1. & pro parte posteriori etiam Bannem & Zumel cit. q. 58. a. 1.

29 Sed assertio nostra generalis est verior. Ratio est. Quia ex parte cognitionis, circa obiecta naturalia, nulla est difficultas in Angelo; neq; circa ea, quæ euidenter, neq; circa ea, quæ solum probabiliter cognoscere potest. Quia in vtrisque siue connexione terminorum in se, siue connexionem cum principiis euidentibus; siue in vtramque partem argumenta probabilitatis, facile & sine vllo impedimento, si modo ipse animum & mentem applicare velit, (quod à voluntate eius dependet) cognoscit: idque in probabilibus eam etiam ob causam, quod Angelus, prudenter agendo, vt dictum, in eo casu non elicit absolutum assensum circa neutram partem, sed solum modificatum assensum; nimirum hoc vel illud esse probabile, aut probabilius, quod etiam euidenter ex vtriusque partis motiuis seu argumentis cognitis scire potest; non minus quam ipsam veritatem propositionum euidentium de inesse. Quod si malus Angelus temere agendo de obiectis probabilibus absolutum assensum velit elicere, vti sane potest, ipse verò in se determinando difficultatem sentiat, tum quia res tota à motione voluntatis dependet, acquirere quidem poterit habitum in voluntate, qua ad hanc potius, quam ad aliam partem facile eligendam determinetur; sed hic habitus non erit cognoscitiuus, vt patet. Neque argumenta in contrarium sunt alicuius momenti.

Assertio IX. Etsi Angelus non decipiatur in cognitione naturali earum rerum, quas intuitiue seu quidditatiue cognoscit, tamen in cognitione abstractiua aliarum rerum, quas non cognoscit proprio aut quidditatiuo cōceptu, sed per coniecturam; aut fidem acquisitam, vt sunt supernaturalia, secreta cordium, aut futura contingentia, potest Angelus sua natura decipi; etsi boni Angeli reipsa nunquam, mali sæpe decipiantur. Hæc est doctrina S. Thomæ hic q. 58. a. 5. quam fusius explicant & sequuntur Caietanus, Bannes, Zumel, Vasquez, Molina ibidem, Gregorius de Valentia q. 9 pun. 4. & Suarez hic lib. 2. cap. 39. 30

Et prima pars per se patet; quia omnis cognitio euidens, seu intuitiua, seu quidditatiua, est vera. Vnde etiam Aristoteles 9 Metaph. tex. 22. dixit, in intelligendo quidditates simplices non esse falsitatem; quia vel totaliter non intelliguntur, vel cognoscuntur vt sunt. Et lib. 3. de anima tex. 26. & 51. dicit intellectum semper esse verum. 31

Secunda pars ex eo probatur, Quia sicut Angeli sua natura sunt obnoxii peccato, ita etiam erroribus intellectus; alias enim nec dæmon erroribus his obnoxius esset, cum naturam habeat eandem cum bonis Angelis.

Tertiam partem tradit Augustinus 9. de ciuit. Dei cap. 22. Et ratio est. Quia boni Angeli ratione status nulli plane errori, nec peccato sunt obnoxii: siquidem etiam error seu falsitas intellectus vitium quoddam & defectus, seu miseria est, qualis locum non habet in beatitudine. Quare etiam boni Angeli de rebus incertis definite & absoluto assensu non iudicant, donec de illis diuinitus instruantur, vt optime docuit Augustinus loc. cit. sed probabilia solum vt probabilia iudicant; non autem tanquam veris absolute assentiuntur; nec in illo iudicio vnquam falluntur, etiamsi quod probabile iudicant, reipsa falsum sit. Vnde non probandum, quod ex Malonio in 2. dist. 3. disput. 6. refert Suarez hic lib. 2. cap. 33. num. 26. *Angelos bonos interdum, malos verò sapissime decipi.* hoc enim quidem verum, vt mox dicetur, sed prius falsum. 32

Quartam partem tradit etiam Dionysius 4. cap. diuin. nom. vbi ait, in dæmonibus esse *phantasiam proteruam*. Et cap. 7. diuin. nom. dicit, dæmones *prolapsos à sapientia*, & habere rationem deprauatam, seu mentem *à ratione auersam*. Et ex scriptura constat, dæmones initio existimasse, Christum non esse Deum. Ratio est; non solum quia isti relinquuntur conditioni naturali: sed etiam hoc ipso; quod peccatis & prauis affectibus deprauatam habent voluntatem, multa sæpe inordinate ac præcipitanter agunt, ad eam etiam partem, in rebus dubiis, inclinantes intellectum, quæ inordinato affectui magis deseruit, etiamsi forte à parte rei falsa sit. Atque hæc de modo cognitionis Angelicæ, atque vniuersim de intellectu Angeli satis. 33

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De Voluntate; deque locutione & illuminatione Angelorum, velut actibus quibusdam communibus intellectui ac voluntati Angelicæ.

S. Thomas 1. p. q. 59. 60. 106. & 107.

1 *ABsoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. An & qualis voluntas sit in Angelo; an eiusdem speciei cum humana; an respectu obiectorum libera, vel necessaria; an aliquando indeliberata & quid de naturalibus habitibus Angelicæ voluntatis sentiendum. II. Vtrum voluntas Angeli sit naturâ suâ immutabilis ac inflexibilis ab eo, quod semel elegit. III. An, & qua ratione Angeli inter se loquantur. IV. An & qua ratione, & de quibus rebus inter Angelos vnus alterum illuminet.*

DVBIVM I.

An, & qualis voluntas sit in Angelo; an eiusdem speciei cum humana; an respectu obiectorum libera, vel necessaria; an aliquando indeliberata; an denique naturalium habituum, virtutum aut vitiorum capax.

S. Thom. 1. p. q. 59. & 60.

2 INtellectum Angeli sequitur voluntas; quæ est altera potentia Angeli operatiua ad intra: cui adiungimus etiam duas operationes Angeli, quæ simul ab intellectu & voluntate Angeli dependent, nimirum locutionem, & illuminationem Angelorum inter se; quamuis enim hæ proprie intellectu peragantur; voluntas à. ad eas solum se habeat per modum applicâtis, vt dicemus; quia tñ reuera etiam voluntatẽ supponunt, & ab ea quomodocunq; dependent, merito ad hunc locum reuocantur; præsertim quando ẽt S. Thomas de iisdem non in ipso Tractatu de Angelis, sed postea primum in Tractatu de gubernatione Dei (de qua nihil attinet peculiarem Tractationem instituere) cit. q. 106. & 107. tractauit. Quod vero ad præsentem dubitationem spectat, eam iuxta seriẽ capitũ in ea propositorũ, sequentib. assertionib. resoluim.

3 Assertio I. Est omnino in Angelis naturalis potẽtia voluntatis, seu appetitus intellectiuus, simul cum actu volitionis proportionato: quæ eadem modo ab Angeli substantia, & inter se, à parte rei differũt, quo ad intellectu & intellectione dictum. Ita communis Doctorum cũ S. Thoma hic q. 59. a. 1. 2. & 3. & in 2. d. 7. Et prima pars est de fide, ex scriptura, quę passim obedientiam, & inobedientiam; bonitatem moralẽ & actum, meritum & demeritum, præmium & pœnam (quę quidem sine voluntate consistere nullo modo possunt) Angelis tribuit, vt patebit q. 6. Ratio est. Quia in omni natura cognoscente, potentiã cognoscendi necessario sequitur vis, & potentia naturalis appetendi, cognitioni proportionata, nec ista proportionato sibi actu, impedimentis sublatis, deficiunt: Cum ergo in Angelo sit vis cognoscendi intellectualis, necessario etiam in eo erit appetitus intellectualis, qui voluntas dicitur, simul cum actibus volendi proportionatis; quandoquidem nullum in Angelis esse potest impedimentum præsertim perpetuum eiusmodi operationis; maxime cum superius q. 3. dub. 1. probauerimus, esse in Angelo non solum actum primum, sed etiam actum secundum cognoscendi. Et quia quoad distinctionem à substantia & operationibus Angeli, aut etiam horum inter se mutuo, par est ratio vtriusque potentiæ; vtique fatendum erit, non minus etiam voluntatem, & voluntatis actus, tam inter se, quam à substantia Angeli reipsa distingui, quam de intellectu eiusque actibus dictum quæstion. præceden. dub. primo.

4 Assertio II. In Angelis non est appetitus sensitiuus; adeoque nec proprie appetitus concupiscibilis & irascibilis, prout hæc differentias quasdam sensitiui appetitus significant: tametsi prout hæc quadam proportione & similitudine ad voluntatem referuntur, suo modo etiam Angelis tribui possint, absque tamen vlla reali eorum inter se, distinctione. Hæc est doctrina S. Thomæ cit. q. 59. art. 4 cum absolute negat, in Angelis esse appetitum concupiscibilem & irascibilem.

5 Et prima pars est indubitata; quia Angeli non sunt corporei; neque adeo habent cognitionem sensitiuam: Ergo nec appetitum sensitiuum. Ex quo sequitur secunda & quarta pars; quia diuisio illa appetitus in concupiscibilem & irascibilem, propria est appetitus sensitiui; cum interim voluntas vna & indiuisa in vtrumque obiectum boni ardui, & non ardui (vnde ea appetitus distinctio sumitur) feratur: vtpote pro obiecto formali & adæquato

habens

habens bonum in communi; non certam aut particularem huius vel illius boni rationem: quo fit, vt quæ in inferiori appetitu sensitiuo sunt diuisa, in voluntate sint vnite & per modum vnius.

6 Tertia pars colligitur ex Sanct. Dionysio cap. quarto, de diuin. nomin. vbi per analogiam quandam concupiscentiam & iram dæmonibus tribuit, cum dicit in illis esse *concupiscentiam amentem, & furorem irrationabilem.* Neque Sanctus Thomas negat, has denominationes etiam voluntati Angelicæ tribui posse; sed solum negat, per hæc voluntatem reipsa distingui sicut distinguitur appetitus sensitiuus, vt recte Vasquez ibidem, & ex solutione argumentorum patet: præsertim quando omnes actus eiusmodi potentiarum abstracte sumpti proprie Angelis conueniunt, vt sigillatim ostendit Suarez hic libro tertio, capit. primo, à numero quinto.

7 Assertio III. In Angelis est liberum arbitrium; ac proinde voluntas Angelica respectu quorundam obiectorum est libera. Ita Sanctus Thomas hic quæstion. 59. artic. 3. & communis Doctorum cum Magistro in 2. d. 7. Et est itidem de fide ex indicatis scripturæ locis assert. 1. Ratio est. Quia vbicunque est intellectus, ibi est liberum arbitrium; hoc ipso, quod intellectus cognoscit vniuersalem rationem boni; non solum delectabilis, aut vtilis, sed etiam honesti: quo fit, vt vnum & idem obiectum iudicari possit alia & alia ratione bonum, & non bonum, seu appetibile, & non appetibile: qua proinde ratione idipsum obiectum libere appeti poterit, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem: Secus accidit in brutis, quorum appetitus vnam tantum rationem boni delectabilis, aut sensibilis intelligit & proponit, vt recte Sanctus Thomas ibidem. Ex quo intelligitur, etsi quidem intellectus formaliter non sit liber, esse tamen ipsum fontem & radicem libertatis, vt suo loco dicetur.

8 Assertio IV. Voluntas Angelica specie ac essentialiter differt à voluntate humana: eademque est ratio Angelici intellectus cum humano comparati. Ita docent Durandus in 3. d. 14. quæstion. 1. num. 8. Maior in 4. d. 49. quæst. 11. Sotus ibidem quæstion. 3. artic. 2. Vasquez 1. part. disput. 43. capit. 5. Suarez hic lib. 2. cap. 2. num. 15. & lib. 3. cap. 1. num. 4. & communis ac certa Scholasticorum sentientium, Angelum & animam specie differre, vt videre est apud Sanct. Thomam 1. p. quæstion. 75. artic. 7. & 2. cont. gent. cap. 94. Alensem in 2. p. q. 20. mem. 5. Ægidium in 2. d. 3. p. 2. quæstione secunda, articulo quinto. Bonauenturam distin. 1. p. 2. articu. 2. & alios ibidem, quicquid in reuelationibus B. Amadei Rapti 1. & 5. in contrarium dicatur; quasi voluntas & intellectus Angeli & hominis sint eiusdem speciei & essentiæ; de qua re dubius etiam fuisse videtur Scotus in 2. d. 1. q. 6.

9 Ratio est. Quia illæ potentiæ habent se in vtrisque velut propriæ passiones, ab essentia effluentes: Ergo sicut essentiæ specie differunt ex dictis q. 1. dub. 1. ita necesse est, etiam ipsas species differre.

Neque tamen inde consequitur, omnes actus earundem potentiarum in hominibus ac Angelis specie differre: non solum quia causarum specie differentium possunt esse iidem specie effectus, vt de calore à sole, & ab igne producto, communis habet sententia; sed etiam quia dantur in vtrisque actus aliqui, videlicet supernaturales, ad quos eiusmodi potentiæ solum concurrunt vt principia communia & incompleta; cum interim principium specificum & particulare, quo potentiarum vis vltimate completur, sit in vtrisque tam hominibus, quam Angelis eiusdem speciei: quo fit, vt cum diuersitas actuum secundum speciem ex diuersitate principii specifici & particularis, non generici, desumenda sit, tales actus sint eiusdem speciei.

Qua ratione idem Vasquez loc. cit. ex communi tradit, visionem & dilectionem Dei, cum ab habitibus eiusdem speciei procedant, in vtrisque eiusdem etiam esse speciei; esto interim, actus naturales, ac solis naturæ viribus ab vtrisque eliciti, in genere, quasi naturæ inter se specie differant, quod ipsum tamen fortasse non vndiquaque est certum, ob dictam superius rationem.

Assertio V. Voluntas Angelica non potest sua natura ab omni penitus actu cessare seu vacare; sed necessario est in aliquo actu secundo. Hanc assertionem cum cæteris Doctoribus citandis assert. seq. supponit Sanctus Thomas quæst. 59. artic. 1. & 3. & quæst. 16. de malo artic. 2. ad 2. & 2. cont. gent. cap. 97. & aperte tradunt Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 109. Bannes hic quæst. 60. dub. vlt. Suarez hic lib. 3. cap. 3. num. 3. & refert nec improbat Vasquez q. 60. a. 3. Et est assertio non quidem certa, sed probabilior. 10

Ratio est. Tum quia naturalis perfectionis est, semper in actu secundo interno versari, nec ab hac perfectione quicquam iure potest Angelum auocare, vt supra etiam de intellectione dictum quæstion. præceden. dub. 8. Tum quia comparatione Angeli, nulla potest inueniri boni ratio in cessatione ab omni actu; vti nec mali ratio, in exercitio actus alicuius indeterminate: Ergo sicut propter hanc causam amor Dei in patria est necessarius; ita etiam exercitium alicuius actus indeterminate in Angelo. Denique idem à posteriori confirmatur ex eo; quia alias nulla ratio esset, cur iuxta communem doctrinam, omnes Angeli in primo statim instanti suæ productionis operari cepissent. 11

Assertio VI. Angelus naturali quodam amore amicitiæ naturaliter, seu quod idem est, secundum naturalem inclinationem, diligit tum seipsum; tum alium Angelum; & Deum; & hunc quidem magis quam seipsum. Ita Sanctus Thomas hic quæstion. 60. articulo tertio, quarto & quinto, ex communi Doctorum; nisi quod circa vltimam partem refragatur Gabriel in 3. distin. 29. quæst. vn. articulo primo, notab. 3. vbi docet, voluntatem ex inclinatione naturali magis diligere se, quam Deum; quod Sanctus Thomas non solum hic cit. articulo tertio, sed etiam in quodlib. 1. articu. 8. & in 1. 2. quæst. 99. & 2. 2. quæst. 26. artic. 3. ex instituto reprobat, ac præsertim etiam hic cit. quæst. 60. articulo 1. ad 3. vbi ait: *Sicut cognitio naturalis semper est vera, ita dilectio naturalis semper est recta;* 12

cum

cum amor naturalis nihil aliud sit, quam inclinatio naturæ indita ab authore naturæ. Dicere ergo quod inclinatio naturæ non sit recta, est derogare authori naturæ. At vero vt idem dicit art. 5. *Si Angelus naturæ aliter plus seipsum diligeret, quam Deum, sequeretur, quod naturalis dilectio esset peruersa, & quod non perficeretur per charitatem, sed destrueretur.* Accedit, quod vt idem recte argumentatur eodem articu. 5. *In rebus naturalibus id, quod secundum naturam, hoc ipsum quod est, alterius est, principalius & magis inclinatur in id cuius est, quam in seipsum*; nimirum pars magis in conseruationem totius, quam suiipsius; qua de causa etiam manus, periclitante capite, seu toto corpore, naturali motu seipsam exponit ad conseruationem totius corporis. Ex quo satis etiam probata manet tertia & quarta assertionis pars, de qua plura locis citatis. Nec obstat, quod amor erga se est magis necessarius; quia nihilominus amor erga Deum potest esse maior æstimatiue, iuxta ipsam naturæ inclinationem.

13 Prima pars probatur. Primo enim amor, cum sit actus prosecutionis & simul abstrahat ab omni particulari conditione & limitatione boni amati, inter omnes actus voluntatis sua natura primus est, fonsque & origo cæterorum: Est ergo quidam amor naturalis Angelo, vt docet idem S. Thomas q. 60. a. 1. Deinde respiciendo particularia obiecta amoris; cum amare nihil aliud sit, quam velle alicui bonum; qua ratione vnus & idem actus amoris fertur & in substantiam siue subiectum, cui volumus bonum, amore amicitiæ; & in bonum, quod volumus, amore concupiscentiæ; plane fatendum est, Angelum naturaliter seipsum diligere amore amicitiæ, quatenus sibiipsi naturaliter vult, tum suum esse intrinsecum & substantiale, tum etiam cæteras suas perfectiones naturales intrinsecas; cum nemo sit vel coniunctior, vel notior, vel minus dissimilis; aut cui quis diutius familiarius ue conseuerit, quam vnusquisque sibimetipsi.

14 Qua ratione etiam ex Aristotele 9. Ethic. cap. 8. refertur illud: *Amabile bonum; vnicuique autem proprium. Et amicabilia ad alterum esse ex amicabilibus ad se.* Et quidem ille pluribus in eundem sensum disserit citat. lib. nono, capit. octauo, vbi ait: *Maxime est amicus, qui vult bona ei, cui maxime vult, illius causa, etiam si id sciturus sit nemo. At hæc vnicuique erga seipsum; & cætera etiam omnia, quibus amicus maxime definitur, maxime in sunt. Dictum siquidem est, omnia quæ ad amicitiam attinent, a seipso ad alios quoque deuenire. Proverbia item omnia, consentiunt; vt Vna anima; & Communia omnia amicorum. Et, Æqualitas amicitia: Et, Tibi a genu propinquus.* Omnia enim hæc vnicuique erga seipsum maxime insunt: quippe cum amicus maxime sibiipsi sit. *Amare igitur seipsum maxime oportet.* Quæ licet Aristoteles ex aliorum mente referat, ipsemet tamen postea etiam approbat.

15 Addit Sanctus Thomas citat. articulo tertio, tametsi amor Angeli erga seipsum sit naturalis, respectu boni in communi, vel etiam respectu boni naturalis intrinseci, tamen respectu aliorum bonorum extrinsecorum, ad quæ Angelus non est naturaliter determinatus, esse ac dici *electitium*, hoc est, consilio & electione susceptum: ita vt amor Angeli erga seipsum alius sit naturalis, alius electitius, respectu diuersorum bonorum, quæ sibi vult & amat.

Secunda assertionis pars probatur. Quia etiam in naturalibus vna res inclinatur ad aliam similem sibi. Vnde Eccli. 13. vers. 19. dicitur. *Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi.* Ratio est. Quia quisque naturaliter diligit suam naturam, ac proinde etiam quicquid vnum est in natura cum ipso. 16

Assertio VII. Angeli naturali amore necessario quoad specificationem amant tum seipsos, tum Deum secundum se, aliumque Angelum secundum suam naturam spectatum. Hæc est, plane mens & doctrina Sancti Thomæ citat. articulo tertio, quarto & quinto. hac enim potissimum ratione naturalem amorem erga se distinguit ab electiuo citat. articulo tertio. Et articulo 4. ad 3. de naturali dilectione alterius Angeli, expresse docet, eam esse necessariam, etiam in dæmonibus, cum ait: *Nec illa dilectio naturalis remoueri potest etiam ab Angelis malis, quin dilectionem naturalem habeant ad alios Angelos, in quantum cum eis communicant in natura. Sed odiunt eos, in quantum diuersificantur secundum iustitiam & iniustitiam.* Idem habet articulo quinto ad 5. de amore Dei. Eadem est communis Doctorum, omniumque interpretum sententia. Nec reipsa dissentit Suarez hic libro tertio, capit. quinto, numero quinto, vbi ait, amorem amicitiæ seu beneuolentiæ erga DEVM non esse necessarium *in rigore* quoad specificationem, sed tantum *secundum quid*; eo quod amor hic abiici possit, vt in dæmonibus accidit. Loquitur enim ille de DEO non secundum se præcise, sed prout considerari potest etiam vt vindex mali, aut secundum alios effectus; qua ratione ipsemet Sanctus Thomas citat. resp. ad 5. docuit, amorem naturalem DEI non esse necessarium quoad specificationem in Angelis vniuersim. 17

Ratio assertionis est. Quia Angelus nec in seipso vllo modo, nec in DEO secundum se spectato, nec in altero Angelo secundum suam naturam spectato, inuenire potest vllam rationem mali, ob quam absolute eos odisse, seu malum ipsis sub ratione mali velle possit; licet hæc posteriora obiecta (DEVM scilicet, & alium Angelum) secundum aliam quandam rationem, vel extrinsecam in DEO, vel accidentalem in Angelo possit odisse; non seipsum vllo modo; quia etiamsi quis in se reperiat defectum aut malum, id tamen non potest facere, vt quis seipsum absolute oderit, sed solum, vt defectum illum oderit, quo ipso tamen odio diligit seipsum. 18

Quod si quis etiam sibiipsi optet aut inferat mortem, seu non esse, nec id quidem fiet, nisi sub specie boni alicuius erga se, vt ita scilicet euadat malus seu intolerabilius malum. Et ratio est; quia necessitas amandi amore amicitiæ, quoad specificationem, oritur ex coniunctione amati ad seipsum, vt ex Aristotele dictum: cum ergo quisque sibiipsi sit coniunctissimus, fit, vt multo magis homo sit determinatus natura ad amandum se, quam aliquid extra se.

Assertio VIII. Angeli amor erga amicitiæ seu beneuo- 19

lentiæ

lentiæ necessario amat seipsum, etiam quoad exercitium. Ita docent Gregorius de Valentia q. 9. punct. 2. & quæst. 11. punct. 1. Bannes hic quæst. 60. art. 3. & q. 8. de verit. a. 6. ad 7. & art. 14. ad 6. etsi contrarium asserant Ferrariensis 3. contra gent. cap. 109. & Vasquez quæst. 60. art. 3. cum quibus ex parte consentit Suarez hic lib. 3. cap. 4. num. 6. & 16. vbi docet, Angelum quidem semper se amare aliquo amore naturali, nullum tamen actum particularem amoris sui habere, qui absolutè necessarius quoad exercitium sit, ne quidem amorem benevolentiæ seu complacentiæ de suis bonis naturalibus & intrinsecis.

20 Sed probatur assertio. Quia Angelus seipsum semper ac necessario intelligit intuitiva visione, eaque adeo etiam sufficienti, ad causandum amorem, vt fatetur Suarez; nec potest in cessatione seu omissione amoris vllam causam reperire; siquidem nec labor, nec tædium, aut difficultas eius actus quicquam obstat; cum & per se sit maximè connaturalis, & iucundus Angelo; nec in suis actionibus naturalibus Angelus vnquam defatigetur, vt patet; nec vero ex perturbatione aliqua, vel applicatione animi ad alios actus voluntatis, seu actum amoris erga alios, quicquam potest impediri; quia Angelus perturbationibus non est obnoxius; nec amor naturalis erga se alijs actionibus impeditur; nec ipse impedit alios, vti nec cognitio sui, cognitionem aliorum obiectorum: Ergo nec in cessatione ab illo actu vlla ratio boni apprehendi, nec in ipso amore illo vlla ratio mali apprehendi potest, ob quam ab eo actu Angelus cesset; ac proinde est necessarius in illo, etiam quoad exercitium.

21 Nec obstat, quod dæmones seipsos solum prauo amore diligunt, qui tamen non potest esse naturalis, aut absolutè necessarius. Primo enim ob hanc causam limitari posset assertio, de Angelo in statu rectitudinis, aut puræ naturæ constituto, saltem quamdiu status is permanet. Deinde respondeo, etiam malum Angelum ex inclinatione naturali, adeoque necessario amare seipsum, spectando amorem illum, secundum suam substantiam; quamuis amor ille adæquate spectatus etiam secundum intentionem finis, & aliarum circumstantiarum, prauus eaque ratione nec naturalis, neque absolute quoad exercitium necessarius sit in dæmone.

22 Assertio IX. Deum secundum se, aut alium Angelum secundum suam naturam, aut vllam, omnino rem aliam naturalem à se distinctam, Angeli non amant necessario quoad exercitium. Hæc est communis sententia Doctorum, quam contra nonnullos recentiores tradunt Vasquez articulo quinto, & Suarez hic libro tertio, capit. quinto, numero quarto, vt & Ferrariensis loc. citat. & satis indicat ipsemet Sanctus Thomas articulo quinto, ad 5. vbi docet dæmones odisse DEVM; non potest autem cum absoluto odio alicuius, stare amor amicitiæ erga eundem, sub vlla ratione, vt recte Suarez; etsi Gregorius de Valentia hic quæstione 11. punct. 2. existimet, forte probabiliter asseri posse, Deum ab Angelis ipsisque dæmonibus necessario amari etiam quoad exercitium: *Nam fieri posse*, inquit, *vt DEVM secundum se summè per actus diligerent, & tamen eundem sub alia quadam ratione, nimirum vt eos punit, odio haberent.* Sed reuera hoc fieri non potest; quia verum & absolutum odium alicuius personæ (quo modo vtique dæmones DEVM oderunt) excludit omnem amorem benevolentiæ seu amicitiæ erga eundem. Ex quo etiam sumitur ratio assertionis. His accedit, quod cognitio naturalis Angelica de DEO solum sit abstractiua & imperfecta, quæ ad amorem Dei necessitare non potest.

Est autem hic sermo de DEO, vt amato amore amicitiæ; quia amore concupiscentiæ necessario etiam quoad exercitium, Angeli necessario aliquo modo saltem implicitè, amant Deum hoc ipso, quod finem sibi esse dependens ab Authore naturæ amant & volunt, vt indicat etiam Suarez citat. cap. 5. num. 10. Eâdemque ratione forte explicari possent Bannes cit. quæst. 60. articulo 5. & Gregorius de Valentia cit. punct. 2. dum docent, Angelos necessario etiam quoad exercitium amare siue diligere Deum; tametsi illi reuera etiam de amore amicitiæ loquuti videantur. 23

Ex quibus à fortiori patet secunda & tertia pars assertionis, quæ ab omnibus Doctoribus videntur receptæ, quia Angeli & seipsos mutuo (vt in dæmonibus accidit,) & quamuis rem aliam naturalem particularem odisse & respuere possunt: nec potest in illis assignari ratio tanti boni cognita, quæ absolutè necessitet ad amandum. 24

Assertio X. In Angelis naturaliter non habent locum actus voluntatis subreptitij & per inaduertentiam indeliberati. Ita ex communi & certa Suarez hic lib. tertio, cap. 4. numero 16. Ratio est: Quia nec habent appetitum, aut phantasiam à qua inducantur; & cum sufficienti aduertentia seu cognitione semper operantur, vt colligitur ex dictis quæst. præced. dub. 8. 25

Assertio XI. In Angelis secundum suam naturam spectatis possunt esse habitus naturales voluntatis, tum boni; tum mali; quamuis in bonis Angelis ipsa nulli esse videntur. Primam partem tradunt Scotus in 3. distinctione 33. quæst. vnic. Maior in 3. dist. 33. quæst. 3. ad vltim. Angelstus in Moralibus cap. 8. Molina hic quæst. 58. articulo 1. Suarez hic lib. 3. cap. 12. à numero 3. nec dissentit Azor tom. 1. lib. secundo, cap. 25. quæstio. 4. Etsi contrarium docuerint Durandus in 3. dist. 23. quæst. 1. ad 1. Mayron dist. 33. quæst. 1. articulo 5. Caietanus hic quæst. 54. articulo 1. & 4. & quæst. 63. articulo 1. & Vasquez 1. part. disputat. 43 cap. 7. numero 32. & disput. 219. cap. 6. & in 1. 2. disput. 78. cap. 30. num. 20. 22. 25. 26

Probatur assertio. Tum quia verosimillimum est, dæmones reipsa habere habitus vitiosos superbiæ & odij Dei; nec enim dubium videtur, quin 27

quin hos actus facilius nunc eliciant, quàm ab initio fecerint: quare etiam superius quæstion. præcedent. dub. 8. concessimus, in dæmonum voluntate habitus, quibus determinantur ad assensus incertos & coniecturales eliciendos. Tum quia in Angelorum voluntate per se spectata est sufficiens indifferentia, ad bene vel male operandum, actusque virtutum aut vitiorum eliciendos; quæ indifferentia proinde capax est determinationis per habitus. Tum quia in Angelis sua natura spectatis, non abesse videtur difficultas, tum ad exercendos actus quosdam excellentiores virtutum, v. g. naturalis dilectionis Dei; aut constantis amicitiæ naturalis erga alios Angelos colendæ; tum ad perpetuam mediocritatem & innocentiam vitæ naturalis retinendam, præceptorumque naturalium violationem vitandam.

28 Secundam partem assero cum Durando, Mayrone, Caietano, & Vasquez locis citatis, contra Suarez, & alios quosdam authores pro præcedenti parte assertionis relatos; qui bonis etiam Angelis virtutum naturalium habitus tribuunt. Ratio est. Quia Angeli boni, ratione status beatifici, nec capaces sunt vllius actus vel habitus vitiosi, vt patet; nec vllam difficultatem, aut repugnantiam sentiunt in exercitio vllius virtutis naturalis; multo minus indifferentes sunt aut indeterminati ad legem naturalem seruandam, aut non seruandam: Ergo nulla est ratio, cur in illis sint naturales virtutum habitus.

Dices, satis esse, quod sint indifferentes ad multos virtutum naturalium actus alioqui non præceptos exercendos aut non exercendos. Respondeo, negando assumptum; quia stante impossibilitate peccandi, & simul summa facilitate bene naturaliter operandi, melius est, vt illa indifferentia, intra latitudinem actuum non præceptorum, pro arbitratu operandi, integra plane permaneat, quam vt per habitum non necessarium ad alteram partem determinetur, adeoque diminuatur. Quamuis ergo forte natura sua tales habitus ab Angelis acquiri possent; conuenienter tamen, iuxta diuinam dispositionem accidit, vt eos re ipsa non acquirant.

DVBIVM II.

Vtrum voluntas Angeli sit natura sua immutabilis & inflexibilis, ab eo, quod semel elegit: & qua ratione Angelus capax sit beatitudinis naturalis.

S. Thom. 1. p. q. 64. a. 2.

1. EXplicatis ijs attributis Angelicæ voluntatis, quæ quod minus controuersa essent, facile simul omnia explicari potuerunt, restat speciale dubium de naturali inflexibilitate Angelicæ voluntatis; quod veluti magis controuersum, & longiorem postulans explicationem, in hunc proprium locum seorsim discutiendum reseruauimus. Quamuis enim à Theologis, occasione lapsus, & pœnitentiæ malorum Angelorum moueatur, reuera tamen ad naturalem conditionem Angelicæ voluntatis declarandam pertinet. Inde vero oritur alterum etiam quæsitum, de capacitate naturalis beatitudinis; nam si Angelus sua natura est ad bonum & malum æquè flexibilis, videtur esse incapax beatitudinis naturalis, quæ perpetuitatem & immutabilitatem in bono requirit.

Certum autem, & extra controuersiam est, hac in re, primo, Angelos quoslibet posse naturaliter suam mutare sententiam, ac voluntatem, quando vel non cum omnimoda libertate, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, vel non cum plena & vndiquaque perfecta deliberatione, ac consideratione omnium circumstantiarum ad rem pertinentium, aliquid statuerunt. Nam ob priorem causam, Thomistæ (qui alioquin inflexibilitatem voluntatis Angelicæ tuentur) aiunt, Angelum malum, peccando, ac Deum odio habendo, mutasse suam sententiam, postquam antea amoris actum, erga eundem, non minus, quam boni Angeli, exercuerat. Dicunt enim, illum amorem, etsi fuerit liber quoad exercitium, non tamen quoad specificationem: eo quod in primo instanti non potuerint Angeli peccare Deumque odisse: de qua re quæst. 6. 2

Propter secundam causam aiunt, diabolum, cum antea per Iudam intendisset & procurasset mortem CHRISTI Ioann. 13. tamen postea per vxorem Pilati eam conatum esse impedire, Matth. 27. vt communis & valde probabilis multorum habet explicatio; licet Maldonatus ibidem, cum nonnullis Patribus, aliter sentiat. In quem sensum etiam Suarez hic lib. 3. cap. 10. numero 22. dicit, valde probabile esse, somnium illud vxoris Pilati non de dæmone sed à Deo fuisse, vt ex Patribus ipse etiam notauit 2. tom. disputat. 31. sect. 3.

Secundo certum & extra controuersiam est, saltem diuina virtute, & per extraordinariam quandam gratiam posse aut potuisse dæmones, post peccati electionem, rursum ad pœnitentiam & statum salutis reduci. Quis enim, aut qua ratione, hoc negare possit? 3

Controuersum est autem, vtrum Angelus possit sua natura, id quod perfecta libertate & deliberatione semel elegit, vt quidem peccando fecisse aiunt Thomistæ, nolle; adeoque de tali electione pœnitentiam, esto infructuosam habere. De qua re est duplex sententia; prior negatiua, quam tuentur S. Thomas quæst. 64. a. 2. Alensis 3. p. q. 2. mem. 2. Capreolus in 2. dist. 7. q. 2. Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 95. Caietanus, Bannes, Zumel, alijque recentiores Thomistæ hic citat. quæst. 64. art. 2. & Heruæus quodlib. 3. q. 11. qui tamen ab alijs relatis differt in assignanda ratione. Nam priores illi totâ causam huius immutabilitatis referunt ad perspicacitatem intellectus Angelici: 4

hic

hic autem in magnum & liberrimum impetum, quo fertur voluntas Angeli, vt & animæ separatæ, in rem volitam. Sed verior est sententia affirmatiua, quam sequentibus assertionibus explicamus.

5 Assertio I. Verius est, Angeli voluntatem non esse ita natura sua inflexibilem, quin id quod semel perfecta libertate & deliberatione elegit aut voluit, absolute possit mutata voluntate, nolle, adeoque & facti pœnitudinem concipere. Hæc est communis sententia Doctorum, extra Scholam S. Thomæ; quam speciatim tradunt Bonauentura in 2. d. 7. part. 1. art. 1. quæst. 1. Scotus in 2. d. 7. q. vn. & in Reportatis eadem dist. q. 3. Ægidius q. 1. a. 2. Durandus q. 3. Ariminensis q. 1. art. 3. Gabriel ibidem. Marsilius in 2. quæst. 5. a. 5. Ockam in 2. q. 19. & Paludanus in 4. d. 50. q. 1. quos sequuntur Gregorius de Valentia q. 15. punct. 2. Molina tit. q. 64. art. 2. disp. 2. Vasquez disp. 239. cap. 4. & 7. & Suarez hic lib. 3. cap. 10. à num. 5.

6 Probatur primo autoritate Sanctorum Patrum, qui eam sententiam non obscure indicarunt, Hieronymus epist. 146. ad Damasum, *Deum*, ait, *solum est, in quem peccatum non cadit; cætera cum sint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, in vtramque partem suam possunt flectere sententiam.*

7 Gregorius Nyssenus lib. de orat. dom. de humana pariter & Angelica natura loquens, ait; *Boni & honesti studium æqualiter vtrimque naturæ essentiæ simul insitum & attributum est. Plenamque item ac summam in sese potestatem, & ab omni necessitate liberam voluntatem in vtrasque partes, rerum vniuersarum præses effecit, vt animus libero quodam arbitrio, atque proposito regatur, quicquid ratione pariter ac mente honoratum est.*

8 Et aperte Fulgentius lib. de fid. ad. Petrum. cap. 3. *Si possibile esset, vt humana natura, postquam à Deo auersa, bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursum eam habere potuisset, multo possibilius hoc natura haberet Angelica, quæ quanto minus grauatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate.* Quæ ratio supponit, ex parte mutationis voluntatis nihil obstare, quo minus Angelus summ peccatum retractet; sed deesse solum facultatem ad satisfaciendum Deo, sicut in homine accidit. Idem etiam significat Fulgentius infra. capit. 23. cum ait. *Hoc ipsum, quod Angeli ab illo statu beatitudinis mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum; sed postquam creati sunt, gratia diuina largitate collatum. Sicenim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus & eius Angeli cecidissent.*

9 Secundo probatur assertio ratione. Primo. Quia Angelus, antequam se determinaret ad vtrumlibet, erat indifferens, non obstante vlla quantumuis perfecta deliberatione; adeoque ea stante, poterat vtrumuis oppositorum eligere: Ergo etiam facta determinatione id facere poterit: siquidem ea determinatio in se necessario non manet; nec post se alium potuit effectum relinquere, quam habitum prauum; qui tamen vt sic subiacet voluntatis arbitrio; quia habitibus vtimur, quando volumus.

Secundo, Nulla conueniens ratio potest assignari, cur Angelus, cum potuerit à bono in malum flecti, & à malo vno in aliud oppositum malum, vt ex prædictis exemplis liquet, non possit absolute etiam à malo quamuis perfecte deliberato, saltem imperfecta & inutili, atque ex solo sui amore & desiderio euitandi pœnas profectâ pœnitentiâ in bonum flecti. Nam quod dicitur, amorem Dei initio à malis etiam Angelis conceptum, non fuisse liberum, quoad specificationem actus, id primum difficiliorem solum reddere debebat retractationem. Deinde cum actus ille in momento non desierit, sed aliquanto tempore duraverit, necesse est fateri, eum fuisse non solum plene deliberatum, sed etiam pro tempore consequenti primum instans creationis liberum, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem.

Tertio. Si non posset Angelus suam mutare voluntatem, causa esset, vel ipsa conditio naturæ Angelicæ; quasi ea sit ex se, ab eo, quod semel elegit, immutabilis: vel perfectio deliberationis & cognitionis Angelicæ; quasi nihil accidere possit, ad mutandam voluntatem idoneum, quod antea non fuerit ab eo prægnitum aut prægitatum; aut ipsamet firmitas adhæsionis seu applicationis voluntatis ad aliquid volendum, eo quod summo liberrimoque impetu facta sit: Sed nihil horum dici potest. Non primum. Quia solius Dei proprium est, vti naturam, ita etiam voluntatem penitus habere immutabilem; vt ex Patribus citatis constat; idque eo magis, quod alioqui voluntatem Angeli naturaliter mutari, ac mutatam esse, negari non potest. Nec secundum. Tum quia non est credibile, Angelum malum, antequam peccaret; omnia ea expresse cogitasse, quæ ob peccatum ei postea acciderunt, puta æternam in momento damnationem, & pœnam damni ac sensus irreuocabilem. Tum quia etiamsi id gratis concederetur, ea tamen perfectio deliberationis nihil obstaret mutabilitati voluntatis. Siquidem vti etiam cum perfectissima deliberatione, initio stare poterat indifferentia ad vtrumlibet, ita etiam post electionem ea nihil obstare potest, quin absolute voluntas mutari possit ad alteram partem: præsertim quando, vt suo loco dicetur, verius est, peccatum in voluntate esse posse absque omni præuio errore vel incogitantia intellectus. Neque tertium. Tum quia frustra dicitur, Angelum summo & liberrimo impetu se se ad peccandum determinasse; quo enim eius voluntas erat liberior, eo magis in potestate eius esse debebat, impetum & conatum voluntatis moderari. Tum quia etiamsi impetus ille fuisset summus, postquam tamen transijt, nec per se impedire poterat conatum contrarium, vt patet, nec per aliquem effectum à se relictum, vt superius diximus.

Denique si deliberata illa Angeli voluntas esset sua natura penitus inflexibilis; tunc & Angeli boni ex sua natura facti fuissent impeccabiles; & rursus Angelus in statu puræ naturæ creatus, eo ipso redderet se impeccabilem, quod vel semel

naturalem Dei dilectionem super omnia libere prorsus & deliberate elicuisset: siquidem cum ea etiam dilectione omne peccatum, præsertim contra legem naturæ pugnat: id vero est contra citatos Patres, præcipue Fulgentium. Ex quibus etiam fundamentis oppositæ sententiæ satisfactum est.

10 Assertio II. Angeli tamen voluntas semel ad malum libere determinata, non nisi difficulter admodum sua natura in bonum flecti potest. Hæc est communis sententia, etiam eorum, quos pro priore assertione citauimus, eoque sensu cum Paludano, Vasquez, Suarez & alij existimant, posse fortassis S. Thomæ sententiam explicari. Probatur & declaratur. Cum enim Angelicus intellectus multo perspicacior sit humano, vt qu. præced. dictum, accurate vtique prouidet omnia ea quæ ad rem statuendam pertinet: Cum ergo in hominibus frequentia & facilitas pœnitudinis ex eo potissimum oriatur, quod homo ab initio non plane omnia expendere soleat, quæ ad plenam deliberationem spectant, fit, vt Angelus ex hac parte multo difficilius pœnitudine facti præteriti capiatur. Deinde cum Angelus neque ex fragilitate seu passione, vel concupiscentia, neque ex ignorantia, sed ex certa & destinata voluntate, adeoque ex malitia, & ingenti superbia, summa libertate peccarit; idque adeo cum actu quodammodo reflexo permanendi in hac eadem voluntate perpetuo, quicquid super ea re mali euenturum sit; sane negari non potest, voluntatis hanc applicationem ad peccatum fuisse ex se firmissimam, ac quodammodo perpetuam: quo fit, vt quanto ea alioqui secundum esse naturæ præstantior fuit, tanto etiam moraliter difficiliorem reddiderit retractandi facultatem; ita vt vere dici possit, Angelum ex eadem illa superbiæ magnitudine, qua semel ad peccatum inductus est, moraliter quasi obstinatam habere in peccato voluntatem; licet ex sua natura absolute loquendo voluntatem mutare posset. Videri potest Carthusianus in 2. dist. 7.

11 Quod vero ad alteram difficultatem attinet, de beatitudine naturali Angeli, sunt hac de re tres Doctorum sententiæ. Prima absolute negat, Angelum sua natura capacem esse alicuius beatitudinis naturalis. Ita Vasquez 1. p. d. 116. c. 2. qui mouetur argumento superius allato, de mutabilitate Angelicæ voluntatis, adeoque defectu perpetuitatis & immutabilitatis ad beatitudinis statum requisitæ. Secunda sententia est, Angelum necessario esse beatum beatitudine naturali; ita vt etiam dæmon retineat quicquid est perfectionis in naturali beatitudine secundum se spectata, puta perpetuam contemplationem Dei auctoris naturæ, cum amore naturali eiusdem super omnia, tametsi in eo statu nomen beatitudinis non meretur, ob contrariam infelicitatem & damnationem adiunctam; quod sentire plures moderni Thomistas 1. part. quæst. 56. articulo tertio & quæst. 60. art. 5. & quæst. 62. a. 1. refert Suarez hic lib. tertio, cap. 11. numero 2. sed in medio consistit veritas, sequenti assertione declaranda.

Assertio III. Est quidem Angelus, tum in statu puræ naturæ, cum in statu naturæ elevatæ ad supernaturalem beatitudinem consequendam, sua natura capax beatitudinis naturalis; nitamen ea nec perfectum beatitudinis statum, ex sola natura Angeli habere potest, neque omnino ab Angelo est inseparabilis, etiamsi de illa secundum se loquamur. Ita communis Doctorum. 12

Et primam partem passim indicant Patres & 13
Doctores, qui naturalem quandam beatitudinem Angelis à Deo creatis (non autem dæmonibus) tribuunt; in quibus Augustinus lib. 12. de Genes. ad lit. c. 26. & lib. 11. de ciuit. cap. 11. Fulgentius de fid. ad Pet. cap. 3. Gennadius de Eccles. dog. cap. 59. quo modo etiam de homine loquitur Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 10. 13. 26. item Sanctus Thomas cum suis 1. part. quæst. 62. articulo 1. Scotus 2. distinct. 5. quæst. 9. & distinct. 4. quæst. 1. Durandus ibidem quæst. 1. Molina cit. quæst. 62. art. 1. Gregorius de Valentia quæst. 13. punct. 2. Suarez hic lib. 3. cap. 11. qui etiam naturalem beatitudinem positam asserunt, præcipue in contemplatione naturali Dei, iuxta Aristotelem, lib. 10. Ethic. cap. 7. & 8. vbi beatitudinem hominis in contemplatione substantiarum separatarum posuit: cui Molina, Gregorius de Valentia, Suarez & alij non male adiungunt rectitudinem quandam voluntatis, qualis qualis Angelo circa præcepta naturalia est possibilis, præcipue quoad naturalem dilectionem Dei. Ratio est. Quia supremum bonum naturale, ad quod Angelus ex sua natura ordinatur, recte dicitur beatitudo ipsius naturalis, consentanee Aristoteli cit. lib. 10. cap. 7. & 8. vbi aliquam hominis beatitudinem in contemplatione substantiarum separatarum posuit.

Quia ergo Angeli natura sua habent perfectam Dei cognitionem abstractiuam, simul cum amore amicitiæ erga eundem; hosque actus, si velint, continuare perpetuo possunt, vt dictum: quid impedit, si coniungantur cum carentia defectuum & infelicitatis, sufficiant ad quandam naturalem beatitudinem; cum sint operationes naturales omnium præstantissimæ? 14 8

Secundæ partis ratio est. Quia Angeli cum sint sua natura mutabiles & flexibiles etiam à bono in malum; possunt ab ea beatitudine excidere; cum tamen ad statum perfectæ beatitudinis requiratur perpetuitas & immutabilitas.

Tertia pars patet ex dictis dub. 1. Quia in dæmone post peccatum non manet dilectio Dei naturalis super omnia, nec contemplatio naturalis Dei; velut summi boni; sed quidem vt iusti vindicis, & ipsam naturam dæmonis retinentis ad debitam punitionem. Quod vero dicitur, naturalem Angelo post peccatum mansisse integram; non intelligitur vniuersim de operationibus seu actibus secundis, naturalique rectitudine ex his actibus pendente, sed de actibus primis, seu naturalibus potentijs, quæ cum Angelica natura necessario & inseparabiliter coniuncta sunt, vt recte Suarez cit. cap. 11. 15

num. 4.

DVBIVM III.

De locutione Angelica: an nimirum, & quomodo Angeli inter se, nobiscum, & cum Deo colloquantur.

S. Thomas 1. p. q. 107. a. 1.

1 QVa ratione hanc, & sequentis dubij difficultatem ad hunc locum reuocauerim[9], initio huius quæstionis dictum est. Supponimus vero, Angelos inter se mutuo loqui, sibique ea locutione manifestare posse secreta cordium, vt cum S. Thoma cit. quæst. 107. a. 1. & in 2. d. 11. docent omnes Theologi, & aperte constat ex scriptura Isai. 6. 3. *Seraphim stabant super illud; & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Zachar. 2. v. 3. *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum.* 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominũ loquar, & Angelorum.* Apocal. 7. v. 3. *Angelus vnus clamauit ad quatuor alios dicens, Nolite nocere terræ & mari, &c.* Idem docent SS. Patres, speciatim Dionysius cap. 4. cœl. hier. & Isidorus lib. 1. sent. sine de sum. bono cap. 10. & 12. vbi ait, *inferiores obedire Superioribus.* Et Gregorius 2. Moralium cap. 5. *Dignum est*, inquit, *vt mens nostra qualitatem corporea locutionis excedens, ad sublimes atq; incognitos modos locutionis intimæ suspendatur.*

2 Ratio est. Tum quia hoc omnibus intelligentibus creaturis commune est, vt inter se colloqui possint. Tum quia id postulat & socialis vitæ consuetudo, & decens gubernatio vniuersi. Cum enim vt quæst. præcedent. dub. 6. dictum, Angeli naturaliter & ex se non nôrint secreta cordium alterius Angeli, & nihilominus tamen tum ad communicationem mutuam, tum ad decentem gubernationem vniuersi qua inferiora reguntur per superiora, necessarium sit, vt Angelus quisque etiam secreta cordium cuiusque alterius Angeli, eo volente, cognoscere possit, planè opus erat, vt naturali hac facultate Angeli essent præditi, qua per locutionem sibi mutuo secreta cordium manifestare possent.

3 Hoc posito, de modo locutionis Angelicæ est difficultas, ac non parua inter Doctores dissensio, in decem sententias diuisa, quas ita ordine, referam, vt mox quid de singulis sentiam, breuiter exponam: inde vero sententiam veriorem paucis explicem & confirmem, & quæ sunt consequentia inde deducam.

4 Est igitur prima sententia, Angelum cogitationes alterius Angeli cognoscere per illa ipsa, quæ naturaliter in altero Angelo cognoscit; si modo hic velit suas cogitationes ad illa naturaliter nota referre: ita vt locutio fiat, per relationem mentalem secretorum, ad ea, quæ iam antea naturaliter in loquente ab altero Angelo cognoscuntur. Refertur à Durando in secundo distinctione 11. quæst. 2. & refellitur merito ab omnibus, quia ista naturalia non habent connexionem cum liberis cordium secretis. Et si realis horum connexio & inhæsio cum substantia & natura Angeli, non facit ea cognoscibilia, quanto minus sola mentalis relatio eorundem ad ipsa. Denique hac ratione secreta cordium vni manifesta, mox omnibus essent manifesta.

Secunda sententia dicit, Angelos colloqui per 5
quædam signa seu characteres cœlo impressos. Refertur & refellitur item à Durando loc. citat. Quia vanum est, existimare, aut signa corporea effici ab Angelis loquentibus; aut non nisi in cœlis effici; à quibus sæpe cum loquuntur, longissimè absunt; aut quomodocunque in cœlis effecta per se significare tam recondita animi sensa: Si vero ex institutione significant; quis instituit? Si Deus, ergo locutio Angelis ex seipsis non conuenit. Si Angeli; quomodo instituere poterant, nondum inuenta locutione & sermone, quo inter se communicarent? Si vnus Angelus pro omnibus: non paruo tempore opus erat ad hoc negotium; quo inter se interim Angeli an nulla ratione communicabant? Denique hac ratione locutio ad vnum facta, simul omnibus esset manifesta.

Tertia sententia ait, conceptus occultos, & hoc 6
ipso minus expressos, exprimi per alios conceptus & verba mentalia magis expressa & determinata. Refert item, & refellit Durandus ex communi. Quia cum natura sua omnes isti conceptus liberi sint occulti, vt dictum loc. cit. certe etiam quamuis explicatissimi sint, non eo ipso erunt manifesti. Præterquam quod hac ratione impediretur Angelus, ne vnquam secreta cordium, quæ ab altero nollet intelligi, expressis eiusmodi & determinatis conceptibus posset concipere. Postremo nunquam vni loqui posset, quin simul omnibus animi sensa faceret manifesta.

Quarta sententia est ipsius Durandi loc. cit. as- 7
serentis denique, se non videre, quo modo Angeli inter se colloquantur, sua inuicem secreta pandendo, nisi eo modo, quo homines inter se colloqui solent, formando nimirum voces in aëre. Sed est absurda sententia. Quia sic loqui non possunt, nisi in aëre constituti, & nisi pariter omnibus Angelis, si auscultare velint audientibus: cum voces in aëre expressas, tanquam naturalia entia omnes vtique cognoscere possint, si velint. Vnde eam sententiam merito etiam refellit Bonauentura in 2. d. 10. a 3. q. 1. & improbant Patres, Basilius homil. 3. in id, *Attende tibi*, Gregorius lib. 18. Moral. cap. 3. & Damascenus lib. 2. c. 3. Quorum doctrina pariter etiam prioribus sententijs aduersatur.

Quinta sententia est Scoti in 2. d. 9. quæst. 2. 8
vbi docet, Angelum eo ipso loqui alteri Angelo, quod ipsi effectiue imprimit conceptum rei manifestandæ, ita vt ipsa locutio fiat, eiusdem concept[9] manifestãdi impressione in altero Angelo. Quam sententiã ita etiã defendere conatur Bassolis in 2. dist. 9. q 2. ad 1. Sed est improbabilis sententia. Tũ quia actio vitalis, vti nimirũ est conceptus mentis, naturaliter procedere non potest, nisi à principio vitali intrinseco, habẽte ipsam, vt omnes fatentur. Tum quia sic Angelus inferior loqui non posset, supe-

superiori, in quem nihil potest agere. Tum quia locutio non consistit in manifestatione rei à loquente conceptæ, vtpote quam Angelus alter per se plerumque potest intelligere; sed in manifestatione ipsius conceptus, eius, qui loquitur, ad quã rei conceptæ conceptus per se non potest conferre. Tametsi enim cognoscam res illas, quas alter concepit, non tamen eo ipso scire possum, quid alter conceperit. Neque recte Scotus ibidem distinguit in Angelo auditionem & visionem, quas, vt animo insunt, non distingui tradit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 10. *In animo*, inquit, *non est aliud, atq; aliud, videre, & audire.* Nisi quis hæc velit distinguere ex parte obiecti inadæquate, tanquam includens & inclusum; vt visio sit omnium, quæ clare & intuitiue cognoscit Angel⁹, auditio sit solius locutionis, seu conceptionis alienæ manifestatæ.

9 Sexta sententia est, locutionem Angelicam fieri per impressionem speciei ipsius interni conceptus, ab Angelo loquente in altero Angelo audiẽte factam: ita vt vnus Angelus eo loquatur alteri, quod ipsi speciem sui conceptus libere imprimit. Ita docet Suarez hic lib. 2. cap. 27. à num. 30. & pro eadem citat Bassolem loc. cit. Aureolum in 2. dist. 9. q. 1. art. 1. & 4. item Herreram, Zumelium, & Pesantium; & fauent nonnihil Scotus loc. cit. item Alensis 2. part. quæst. 27. mem. 3. & 5. Bonauentura in 2. dist. 10. art. 3. q. 1. Richardus dist. 9. art. 2. q. 1. eamque sub nomine recentiorum refert Vasquez infra.

Sed non probatur. Tum quia, vt dictum, conuenienter non dicitur, Angelum inferiorem, loquendo, agere aliquid in superiorẽ. Tum quia vel agere deberet Angelus in distans loquendo; vel non posset absenti loqui. Tum quia sic non posset Angelus alteri in quauis maxima distantia etiã in infinitum syncategorematicè loqui, quod fatentur quidem authores ijdem; sed est expresse contra Sanctum Thomam cit. quæst. 107. art. 4. & communem, vt dicetur inferius, coroll. 3. Tum quia vniuersim diximus dub. 10. species rerum intelligendarum Angelos habere ingenitas à principio. Tum quia species ab intellectione alterius Angeli productæ (si darentur) non essent alteri Angelo superiori vel inferiori proportionatæ, & per consequens deberent in diuersis Angelis diuersæ species ab eadem cogitatione produci, &c. Tum quia species, si quæ ab obiecto producuntur, naturaliter & non libere producuntur. Tum quia ratio non esset, cur non eodem modo Angelus loqui posset animæ nostræ, etiam in hoc corpore constitutæ. Plura contra hanc sententiã Vasquez disput. 211. cap. 5. & Albertinus infra. Nec ea sane est S. Thomæ consona, vt dicemus, quicquid Suarez dixerit.

10 Septima sententia ait, vnum Angelum alteri loqui, per hoc, quod ipsi imprimit non speciem, sed conceptum, seu notitiam, non rei conceptæ, vt dixerat Scotus, sed ipsius conceptus, seu notitiæ, quam habet loquens; idque non libere, sed necessario. Ita Ockam in 2. quæst. 20. & quodlib. 1. quæst. 7. Gabriel in 2. dist. 9. quæstione 2. articulo 4. Sed refellitur fere, vt duæ præcedentes. Et accedit, quod locutio inter Angelos ex communi omnium debet esse libera non necessaria.

11 Octaua sententia ait, vnum Angelum alteri loqui, expressione cuiusdam signi spiritualis, seu naturaliter, seu vt plures indicant, ex institutione significantis; & vel manentis in ipsomet loquente, vel producti in Angelo audiente. Pro qua sententia à Vasquez citat. disputat. 211. cap. 10. & Suarez hic lib. 2. cap. 26. num. 5. citantur Ægidius in 2. d. 10. quæst. 3. art. 1. Argentina quæst. 1. art. 2. Ariminensis quæst. 2. Marsilius in 2. qu. 7. art. 2. Clitouæus in Damascen. lib. 2. capit. 3. Quibus consentiunt Molina q. 57. a. 4. & q. 106. a. 1. & Albertinus tom. 1. princ. 1. coroll. 11. à n. 9. qui docet, hæc signa significare ex institutione Dei, à quo etiam data sint Angelis, & esse cuique Angelo propria, adeo vt tot sint diuersæ Angelorum linguæ & signa, quot sunt Angeli numero. Citatur etiam ab eodem S. Thomas. q. 102. a. 5. & q. 9. de veritate a. 4. sed non recte, vt dicetur.

Nec placet ea sententia, tum ob causas pleraſque in sexta sententia relatas, tum quia qualianam sint ea signa, non possunt dicere. Et cum in Angelis tantum sint intellectus & voluntas, & potentia motiua, non apparet, à qua potentia hæc signa effici debeant, cum nec sint motus, seu qualitas motiua, nec volitio, nec intellectio. Accedit quod illa tanta signorum & quasi linguarum varietas & multiplicatio per se incredibilis videtur, nec decere eam, quæ inter Angelos, præsertim eiusdem speciei esse debet, naturæ, morum, & perpetui conuictus similitudinem. Et tamen sublata ea varietate, & multitudine, iam per se cadit ea sententia, quandoquidem explicare ipsa non potest, qua ratione alias cognito signo communi, particulatim vnusquisque loquens, propriaque eius animi conceptio nota fiat.

12 Nona sententia supponens, quascunque cogitationes mentis (non autem motus voluntatis) esse saltem quoad substantiam cuicunque Angelo naturaliter notas, dicit, fere ad modum tertiæ sententiæ, locutionem Angelicam consistere in quodam conceptu velut reflexo (quia est de cogitatione, vel certè de actu voluntatis, & secreto cordis) explicante & exprimente secretum cordis, peculiariter directo ad eum, à quo eum loquens Angelus vult percipi. Ita Vasquez cit. disp. 211. cap. 11. & 12. vbi citat etiam Henricum quodlib. 5. quæst. 15. a. 2. Heruæum in 2. d. 11. quæst. 1. & Maiorem dist. 9. q. vlt. licet Suarez cap. 27. num. 2. eam sententiam existimet esse singularem, & Vasquezij propriam. Sed nec ista sententia probatur. Tum quia fundamentum quod supponit, falsum est, ex dictis supra quæst. 3. dub. 6. Tum quia hac ratione non posset Angelus aut homo cognoscere suum affectum & intentionem voluntatis, quin hoc ipso illos actus alijs Angelis atque etiam dæmoni faceret manifestos, quod plane est absurdum. Tum quia eadem ratione non posset vnus Angelus alteri loqui secreto, quin ea locutio omnibus fieret manifesta, siquidem supponit hæc sententia, omnes cogitationes mentis, ac præcipuè reflexas, in quibus constituit locutionem, per se ac sua natura omnibus Angelis esse manifestas; quod tamen rursum non leue incomodum est.

Est

13 Est igitur decima sententia, locutionem Angeli non fieri aliter, quam per liberam ordinationem seu directionem secreti ad eum, cui id ipse Angelus velit facere manifestum: ita vt hæc ordinatio sit conditio sine quâ secretum non intelligeretur; ea vero posita, absque alia mutatione statim intelligatur. Ita plane docet S. Thomas (frustra repugnantibus Vasquio cap. 8. Suario & Albertino locis citatis) quæst. 107. a. 1. vbi ait: *Quando mens conuertit se ad actu considerandum, quod habet in habitu; loquitur aliquis sibi ipsi: nam ipse conceptus mentis interius verbum vocatur. Ex hoc vero quod conceptus mentis Angelicæ ordinatur ad manifestandum alteri per voluntatem ipsius Angeli; conceptus mentis vnius Angeli innotescit alteri. Et sic loquitur vnus Angelus alteri. Nihil est enim aliud, loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.* Et in eundem sensum art. 2. ait: *Angelum loqui Angelo nihil aliud est, quam conceptum suum ordinare ad hoc, vt ei innotescat, per propriam voluntatem.*

Et rursum art. 1. resp. ad 1. ait: *In nobis interior mentis conceptus quasi duplici obstaculo claudituir: primo quidem ipsa voluntate, quæ conceptum intellectus potest retinere interius, vel ad extra ordinare. Et quantum ad hoc, mentem vnius nullus alius potest videre, nisi solus Deus, secundum illud: 1. Cor. 2. Quæ sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Secundo autem clauditur mens hominis ab alio homine, per grossitiem corporis; vnde cum etiam voluntas ordinat conceptum mentis ad manifestandum alteri, non statim cognoscitur ab alio, sed oportet aliquod signum sensibile adhibere, &c. Hoc autem obstaculum non habet Angelus; & ideo quam cito vult manifestare suum conceptum, statim alius cognoscit.* Ita S. Thomas, qui expresse docet, discrimen esse inter homines & Angelos sibi mutuo loquentes, quod homo absque alio signo exteriori homini proportionato, non intelligit alterius secretum, etiamsi hic ordinet illud ad ipsum, & velit ab eo cognosci; inter Angelos autem vnus alterius secretũ hoc ipso statim cognoscat, quod alter vult manifestari suum conceptum. Eandem sententiam tradunt Capreolus in 2. dist. 11. quæst. 1. Caietanus cit. q. 107. artic. 1. Gregorius de Valentia disp. 8. pun. 2. & multi Thomistæ recentiores. Fauent etiam Alensis 2. part. quæst. 27. mem. 6. Albertus in 2. part. sum. tract. 9. quæst. 35. a. 2. Bonauentura in 2. dist. 10. a. 3. q. 1. Henricus quodlib. 5. q. 15. & Durandus in 2. dist. 11. q. 2. num. 11. nisi quod hic simul negat, locutione manifestari Angelis conceptus internos; vtpote quos iam antea ipsis esse perspectos existimat. Eandem sententiam esse valde celebrem in Scholis, fatetur Suarez hic lib. 2. cap. 27. num. 12. & quia ipse etiam veriorem existimo, eam sequentibus assertionibus breuiter explico.

14 Assertio I. Locutio Angelica formaliter est manifestatio secreti cordis, seu conceptus interni ab Angelo loquente, alteri Angelo verbis quibusdam facta. Ita S. Thomas cit. q. 107. a. 1. cum ait: *Nihil est enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.* Ratio est. Quia de ratione locutionis ad alterum est, vt loquens suos mentis conceptus, siue sensa animi alteri exponat; ac reipsa etiam quantum in se est manifestet, si alter eos per se non norit. Cum ergo Angeli secreta cordium per se non norint; necesse est, vt locutio ad ea manifestanda referatur. In quo differt hæc locutio à locutione, qua Deo loquimur, cui quod peccata cordium iam antea sunt manifesta, non aliter loquimur, nisi quatenus voluntariè cor nostrum, siue sensa, illius notitiæ subijcimus. Non tamen est de ratione locutionis, vt locutio, seu animi sensa iam exposita ab altero reipsa percipiantur; satis est quod ipsa locutio, quantum est ex se, sufficienter alteri ea faciat manifesta; etiamsi alter ob distractionem seu inaduertentiam actu non percipiat, modo percipere possit, si attendat. Addidi verò verbis quibusdam facta. Quia si conceptus nostri & animi sensa alio modo patefiant. V. G. per naturalia signa exteriora, aut motus & passiones corporis V. G. gemitus aut suspiria, prout etiam Angelis sensa nostra, & partim etiam aliorum Angelorum innotescere posse docuimus, supra q. 3. dub. 6. ea sanè proprie non erit, nec vocari à Theologis solet locutio, vt recte etiam notauit Durandus loc. cit.

Assertio II. Ea manifestatio secretorum cordis, adeoque ipsa locutio inter Angelos fit, ipsa directione voluntaria, seu ordinatione libera secreti ad alterum, qua nempe Angelus vnus velit sua secreta alteri esse manifesta, ab eoque percipi; absque vlla alia aliorum signorum expressione, aliaue operatione in mente audientis Angeli. Ita auctores relati pro vltima sententia, vt dictum. 15

Probatur primo. Quia locutio Angelica fit verbis ad alterum directis, vt dictum: at hoc inter Angelos aliter (modo saltem ordinario & connaturali) fieri non potest, quam ipsis verbis mentalibus seu conceptibus internis libere ad alterum directis & ordinatis; siquidem in Angelis alia verba, puta vocalia, aut scripta, secundum ordinarium & connaturalem agendi modum, locum non habent.

Secundo. Si Angelis hoc ipso naturaliter patefiunt alterius Angeli secreta, quod ab hoc ad eos libere ordinantur, vt dictum, negari non potest, locutionem Angelicam hac ipsa ordinatione perfici: sed verum est antecedens: Ergo &c. Maiorem facile concedunt omnes; siquidem ob eam solum causam, cæteri auctores huic sententiæ refragantur, quia existimant impossibile, vt ita alijs Angelis patefiant secreta cordis, absque alia signorum expressione, vel operatione in mente eorum, quibus fit locutio. Minor probatur. Quia secreta cordium sunt alioqui ex suo genere entitates naturales; quæ proinde etiam naturaliter ab Angelis omnibus cognosci possent; nisi ratio moralis secreti ex eorum parte obstaret; qua nimirum ipse Angelus loquens cupit hæc esse occulta omnibus, quibus ea ipse non manifestat; at vero hoc impedimentum & quasi velum obtegens secretum, tollitur ipsa voluntaria directione secreti ad alium Angelum, ea mente facta, vt ab eo secretum percipiatur, vti patet: Ergo facta hac ordinatione, nihil iam deest, quo minus secreta vnius Angeli alteri Angelo patefiant. 16

17 Tertio. Omnis Angelus habet sufficientem vim naturalem sibi à principio congenitam, cognoscendi omnia plane entia naturalia, quæ ad se suamque personam aliquo modo pertinent: sed hæc secreta cordium vnius Angeli, hoc ipso, quod ad alium Angelum libera voluntate referuntur, iam ad ipsum aliquo modo pertinent, non solum vt obiectū terminans eum actum, sed vt eum etiā quem iuxta debitum inter Angelos politiæ ordinem, deceat esse conscium talis conceptus: Ergo credibile est, ita fuisse à Deo connaturaliter institutum modum cognoscendi Angelorum, vt ea conditione posita, absque alia vlteriore operatione ex parte loquentis, secretum mox intelligeretur.

18 Quarto. Homines etiam, & animæ separatæ, ex veriori sententia, ita loquuntur Angelis, absque vlla productione aliorum signorum, vel etiam vlla operatione transeunte in mente Angelorum peracta; quid enim homo aut anima efficere possit in mente Angeli? neque alius oportunior & generalior loquendi modus pro homine & anima separata assignari potest: Ergo & Angeli ita inter se colloquuntur. Denique idem probatur ex refutatione aliarum sententiarum; nullus enim alius modus locutionis Angelicæ conuenientior & facilior assignari potest.

19 Nec obstat, quod per eam ordinationem secreti ad alium Angelum factam, obiectum in seipso, nihil immutatur. Non est enim necesse, vt obiectum realiter mutetur, vbi de conditione sine qua non sermo est: cum etiam in humanis obiectum sæpe visibile reddatur, per solam appropinquationem videntis oculi, etiamsi ipsum obiectum in se maneat inuariatum. Idem hic de appropinquatione, quasi morali ipsius obiecti cogitandum: præsertim vbi ratio impediens cognitionem secreti, solum est moralis, & extrinseca, tam obiecto cognoscendo, quā subiecto cognoscenti. In quem sensum etiam S. Thomas quæst. 106. art. 1. ait: *Idem facere in spiritualibus ordinem conuersionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis.* Nec mirum est, Angelos cum sint excellentioris naturæ, habere modum etiam operandi altiorem, nec cum hominibus alijsue rebus naturalibus omni ex parte communem. Siquidem aliæ quoque sententiæ pleræque modum eis operandi singularem tribuunt, vt ex dictis colligi potest: speciatim illa, quæ in specierum impressione locutionem constituit, quandoquidem hoc singularissimum conceptui loquentis Angeli tribuit, quod pro solo arbitratu ipsius Angeli efficiat, aut non efficiat speciem sui in altero Angelo; quod fere perinde est, ac si quis dicat, calorem pro solo arbitratu subiecti calefacere, aut non calefacere.

20 Accedit, quod superius dictum, speciem Angeli repræsentare obiectum præsens, facta sola mutatione ex parte obiecti, etiamsi ipsa species, aut vis cognoscendi ex parte Angeli nihil mutetur. Quo casu pariter fatemur, aliquid proprium tribui & conuenire Angelo; quod ob eius excellentiam, non sit illi cum homine vndiquaque commune.

Assertio III. Etsi reipsa parum referat, siue ordinatio illa secreti sit & dicatur essentialiter ipsa locutio Angelica; siue tantum conditio, vt ipsa interna conceptio mentis Angelo patefacienda habeat rationem locutionis, etiam ad alterum; posterius tamen hoc magis probatur. Nam vtrouis modo loqui videntur auctores; & res tota potius videtur esse quæstio denomine, quam de reipsa. Nihilominus tamen magis placet posterior modus loquendi; eo quod Doctores de ordinatione illa communiter loquuntur, velut de conditione remouente obstaculum cognitionis, vt etiam ex dictis quæst. 2. dub. 6. colligi potest. Speciatim vero hoc modo loquitur S. Thomas citat. quæ. 107. articulo 2. ad 1. vbi voluntatem retinendi secretum vocat *obstaculum, quo clauditur secretum,* vt superius retuli, ex quo sequitur, ordinationem illam esse quasi remotionem obstaculi eiusdem. Remotio verò obstaculi, impedientis cognitionem seu perceptionem sermonis, proprie non est sermo siue locutio. 21

Et ratio est. Quia ordinatio illa, cum ad internam conceptionem Angeli, solum supperaddat liberum actum voluntatis, quo Angelus loquens velit sua sensa interna ab altero percipi (qua de causa etiam tribuitur à S. Thoma hæc ordinatio voluntati, vt vidimus) non potest propriè esse locutio; cum non sit aliqua verborum expressio: sed ipsa potius interna conceptio Angeli, qua sibi alias soli loqueretur, vt ex S. Thoma dictum, iam fit etiam locutio ad alterum, quod accidente illa ordinatione velut requisita conditione, directe etiam & in se ab altero Angelo percipitur. 22

Nec absurdum est, idem realiter esse secretum cordis, seu rem sermone manifestandam; & accedente debita conditione, ipsum etiam sermonem ad alterum: hoc enim nihil aliud est dicere, quam mentis illos internos conceptus, antea occultos, in se se manifestos fieri Angelo, si debita conditio ac obstaculi remotio accedat. Exemplum est; siquis cubiculo clausus ita loquatur, vt ab altero, cui vult loqui, audiri extra cubiculum non possit: quo casu si quis ianuam aperiat, vt sermo intus loquentis foras porrigi possit, non is certe loqui dicetur, sed ille qui antea, etsi sibi ipsi quodammodò soli, loquebatur. Quod si principale secretum sit actus voluntatis, etiam tunc, vt manifestetur alteri, necesse erit, intellectu aliquo modo ab Angelo loquente concipi (sine apprehensione enim non potest referri ad alterum) quæ conceptio proinde ad alterum relata locutionis rationem habere poterit.

Assertio IV. In locutione Angelica, ex parte loquentis, vniuersim non interuenit excitatio ad audiendum, distincta ab ipsa relatione seu ordinatione occultorum ad alterum. Hæc est aperta doctrina S Thomæ hic quæst. 107. artic. 1. ad 3. vbi cum obiectum fuisset, quod *loquens excitat audientem, vt attendat suæ locutioni,* quod Angelis non videatur conuenire, &c. Respondet his verbis: *Dicendum, quod quantum ad Angelos bonos, qui semper se inuicem vident in Verbo;* 23

non esset

Digitized by Google

non esset necessarium ponere aliquid excitativum, quia sicut unus semper videt alium, ita semper videt, quicquid in eo est ad se ordinatum. Sed quia etiam in statu naturæ conditæ sibi invicem loqui potuerunt, & mali Angeli etiam nunc sibi invicem loquuntur, dicendum est, quod sicut sensus movetur à sensibili, ita intellectus movetur ab intelligibili. Sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum. Quibus verbis sanctus Thomas primum quidem inter Angelos beatos, docet, non opus esse vlla eiusmodi excitatione ex parte loquentis; eo quod ij iam antea sint attenti ad se & sua mutuo cognoscenda, &c. In alijs autem Angelis addmittit quidem subinde opus esse excitatione; sed nusquam dicit eam esse distinctam ab ordinatione secretorum ad alium Angelum facta; sed potius huic ipsi siue ordinationi, ipsisue secretis cordium sic ad alterum ordinatis tribuit *virtutem intelligibilem*, qua mens possit excitari, hoc ipso, quod vim habent obiectiue mouendi intellectum alterius Angeli ad sui cognitionem, vt bene declarauit Caietanus ibidem, & sequuntur alij authores citati pro nostra sententia; etsi repugnet Suarez hic lib. 2. cap. 27. num. 35. cum alijs. Eodemque fere sensu idem sanctus Thomas ibidem resp. ad 2. ait, *linguam Angelorum metaphorice dici ipsam virtutem Angeli, qua conceptum suum manifestat.*

24 Probatur assertio. Tum quia communiter etiam inter homines, non est necessaria aliqua excitatio distincta ab ipsa locutione humana, adeoque vocali hominibus congrua; sed hoc ipso, quod aliquis intelligibili voce coram altero loquitur aliquid, iam hoc ipso excitat illum etiam ad audiendum. Tum quia etiamsi inter homines hæc excitatio quandoque sit distincta, id tamen est per accidens, eo quod homo est distractus & impeditus, siue somno, siue aliarū rerum cogitatione, qua ab attentione ad loquentem hominem auocatur: hoc autem in Angelis non ita euenit, qui & pluta simul cognoscunt, & sæpe ac breuissimo interuallo facile se mutuò omnes, saltem quatenus sua interesse prudenter existimare possunt, recognoscunt. Quod si in aliquo casu forte opus foret distincta & peculiari excitatione, ea ab Angelo non melius fiet, quam præsentatione suæ personæ, suiue legati. Verisimile est enim, Angelos intra certum spatium loci, cui præsentes aut propinqui sunt, peculiarem habere mentis attentionem & applicationem ad ea, quæ intra illud spatium peraguntur.

25 Atque ex his facile colliguntur cætera, quæ ad rationem & modum seu vim locutionis Angelicæ pertinent, quæ breuiter recensere operæ pretium est, vt vel ex his etiam tanto magis confirmetur tradita doctrina. Et quidem primo colligitur, cuius potentiæ actus sit locutio. Respondetur enim ex dictis, esse formaliter actum intellectus, vt ex communi recte Vasquez disp. 211. cap. 8. nu. 44. & Albertinus cit. princip. 1. corol. 16. numero 2. in quem sensum etiam Theophylactus in id 1. Cor. 13. *Si linguis, &c.* ait: *si quidem potentia quadam intelligendi, qua inuicem animæ communicant sensa, Angelorum est lingua.* Neque proinde id est contra S. Thomam, vel Caietanum, vt putauit Vasquez, cui satisfacit Albertinus ibidem. Ratio est, non solum quia ordinare elicitiuè ad intellectum pertinet, sed etiam quia ipsa hæc locutio sit per verba mentalia ad alium relata, vt diximus. Communem tamen nihilominus locutio hæc etiam actum voluntatis, quia ordinatio illa est libera, ac sit media inter voluntatem, vt dixit S. Thomas loc. cit. Imò Suarez cit. c. 27. n. 19. putat, non esse absurdum, locutionem Angelicam in voluntate ponere, si aliud nil obstaret: & infra c. 28. n. 31. ex sua sententia dicit, locutionem elicitiuè esse interdum intellectum, interdū voluntatem, prout secretum per sermonem manifestandū est: vel actus intellectus, vel voluntatis, quem ab eo ipso actu species imprimatur; in qua impressione, secundum ipsum, consistit locutio.

Colligitur secundo, vnū Angelū posse loqui alteri, non audientibus alijs, si videlicet ad illum solum dirigatur conceptus & secretum cordis, vt cum S. Thoma q. 117. a. 5. & q. 9. de verit. a. 4. docent communiter omnes, conformiter & scripturæ loc. cit. & ipsi rationi ac debitæ politiæ inter Angelos: etsi iuxta sua principia, & eam quam de Angelorum locutione habet sententiā, contrarium sentiat Vasquez disp. 211. c. 12. post Arriminensem, Gabrielē, Heruæum, superius relatos & refutatos. 26

Colligitur tertio, vnum Angelum posse loqui alteri, in quauis distantia maxima etiam in infinitum, vt expresse etiam docet S. Thomas citat. quæst. 117. art. 4. & q. 9. de verit. art. 6. ad 4. vbi rationem addit, *quia Angelus loquens nihil facit in audiente.* Idem docent Thomistæ ibidem, Vasquez & Albertinus loc. cit. ex communi: etsi iuxta sua principia contrarium dixerint Scotus, Arriminensis, Suarez Metaph. disp. 18. num. 44. vbi immediatam distantiam videtur requirere; quod tamen hic lib. 2. cap. 28. num. 13. retractat, licet adhuc de re ipsa dubius. Ratio est. Quia suppositis principijs intelligendi, cum debitis conditionibus, localis distantia obiecti non impedit intellectionem. 27

Colligitur quarto, posse Angelum vnum simul loqui pluribus, idq; sine termino: quia semper potest ad plures & plures alios referre suos conceptus, iuxta S. Thomam cit. a. 5. & communē; etiamsi alij quidā hic rursum iuxta suam opinionem, de modo locutionis Angelicæ cogantur propemodum in diuersam abire sententiam, in quibus Suarez hic cap. 28. num. 23. 28

Colligitur quinto, Angelum, etsi facile possit, quin etiam regulariter soleat, non tamen absolutè ac physicè necessario audire alterum sibi loquentem; vt colligitur ex tertia assertione. Potest enim ille alibi mentem habere distractam. Idque pariter etiam fere dicendum foret, tametsi locutio fieret per impressionem speciei, vt contra Suarez & quosdam recentiores recte Vasquez disp. 211. num. 31. Quia etiam species per se Angelum non necessitat ad cognitionem obiecti, præsertim distinctam, vt alibi etiam agnoscit Suarez. 29

Colligitur sexto, ex mente & sententia sancti 30

Thomæ

Thomæ, quam secuti sumus, Angelos intelligere eiusmodi secreta sibi per locutionem patefacta, mediante aliqua specie intelligibili, vt præter auctores quintæ & sextæ sententiæ, tradunt etiam plerique recentiores, qui nostram sententiam de locutione Angelica sequuntur, & expresse etiam docet S. Thomas infra citandus: quicquid Albertinus coroll. 12. num. 2. cum nonnullis asserat, non posse dari species eiusmodi occultorum. Hæc autem species ex dictis supra q. 3. dub. 2. non est diuersa ab ea, quâ ipsa Angeli loquentis substantia repræsentatur, ac proinde non est de nouo indita, sed ab initio congenita, vt cum sancto Thoma quæst. 55. articulo secundo recte Bannes citat. quæst. 107. artic. 4. Zumel ibidem quæst. 3. & Gregorius de Valentia loc. cit. quicquid in contrarium dixerint, Ferrariensis, Caietanus, Suarez, & alij quidam. Ea vero species, secreta iam patefacta repræsentat, vel noua quadam modificatione in ipsa interueniente, vt Zumel existimat, vel quod verius existimo, sine vlla ipsius mutatione, eo solum, quod impletur conditio, ad talem repræsentationem requisita, vt recte Bannes, & indicat Valentia loco cit. Atque hæc ipsa videtur sententia sancti Thomæ quæstione 9. de verit. articulo 4. ad 11. vbi ait, quod *Angelus per speciem innatam, per quam cognoscit alium Angelum, cognoscit etiam eius cogitationes, cum primum sibi reuelantur ab alio.* Ipse vero Angelus loquens proprias eiusmodi affectiones cognoscit, seu per suam essentiam, seu potius per seipsas, vt dictum q. præced. dub. 3. & recte Albertinus coroll. 10. num. 11.

31 Colligitur septimo, eodem etiam modo Angelum loqui tum inferiorem Angelo superiori; vt habet communis apud S. Thomam quæst. 107. artic. 2. ex Dionysio cap. 7. cœlestis hier. vbi inferiores Angeli inducuntur superiores interrogasse. *Quis est iste Rex gloriæ?* Tum Angelum etiam quemlibet ipsi Deo, iuxta illud Zachariæ 1. v. 12. *Respondit Angelus DEO, & dixit, Domine exercituum, vsquequo non miserebris Ierusalem?* & Iob. 2. à. v. 2. *Respondens* (Satan DEO) *ait, Circuiui terram, &c.* nisi quod Angeli per relationem suorum conceptuum ad Deum, nihil ipsi manifestum faciunt, sed solum suos conceptus illi ea ratione submittunt, vt cum S. Thoma cit. quæstione 107. articulo 3. rectè citati pro nostra sententia.

Nobis vero Angeli non ita loquuntur. Quia cum nos in intelligendo dependeamus à corpore, non potest sola voluntas Angeli ordinantis ad nos suos conceptus, sufficere nobis ad ipsos intelligendos. Loquuntur ergo nobis vel in assumpto corpore, aut aliter mouendo sensus exteriores, vel interius excitando seu immutando phantasmata, mediante commotione spirituum animalium, iuxta sanctum Thomam, tota quæstione 111. & Vasquez disput. 218. de qua re plura quæst. 5. Animæ verò separatæ eadem ratio videtur, quæ Angeli, vt ex communi idem disput. 216. num. 29. & Suarez cap. 28. à num. 63.

Colligitur vltimo, etiam nos ad modum supra explicatum loqui posse Angelis; ita, vt naturaliter nostra cogitata modo superius explicato intelligant, vt etiam supponunt auctores nostræ sententiæ; quicquid alij necesse habeant, aliter ratiocinari, rati Angelos in se ac intuitiue non posse cognoscere nostros conceptus; cum nullam ipsis speciem possimus imprimere; vt videre est apud Suarez hic cit. lib. 2. cap. 28. à num. 63. 32

DVBIVM IV.

De illuminatione Angelica: an, qua ratione, & de quibus rebus quique Angelorum alios illuminent.

S. Thom. 1. p. q. 106. a. 4.

A Ffinis est locutioni Angelicæ illuminario; quia vt S. Thomas dicit. q. 107. art. 2. *Omnis illuminatio est locutio in Angelis; sed non omnis locutio est illuminatio*: cuius proinde rationem & modum sequentibus assertionibus breuiter explicamus. 1

Assertio I. Inter Angelos vnus aliquis illuminat alterum. Ita cum S. Thoma cit. q. 106. art. 1. & in 2. dist. 9. art. 2. & dist. 11. q. 2. a. 2. & de verit. quæst. 9. art. 1. & in comment. in 1. Cor. 13. Theologi omnes, excepto Durando in 2. dist. 11. q. 3. num. 10. qui dum dicit, omnes Angelos proprie solum illuminari à Deo; vnum autem ab alio non aliter illuminari, nisi quia vnus post alium, ordine quodam consequentiæ à Deo illuminatur, reipsa illuminationem vnius Angeli per alium negat; qui etiam idcirco merito ab omnibus Theologis reijcitur. 2

Probatur assertio ex S. Dionysio qui idipsum etiam ex scriptura probat, cap. 7. cœl. hier. vbi ait: *Hoc enim Theologi plane tradunt; inferiores cœlestium naturarum ordines à superioribus ritè diuinas scientias discere; summos autem à Deo ipso pro suo captu docta mysteria. Quædam enim earum inducunt ritè à prioribus hoc discere, Dominum esse virtutum cœlestium, regemque gloriæ eum, qui in cœlos vt hominem decuit, elatus est.* 3

Et cap. 8. *Media*, inquit, *cœlestium Spirituum distinctio, quæ diuinas has proprietates in se continet, purgatur quidem, & illustratur, atque perficitur, vt dictum est, à diuinis illustrationibus, quæ ei secundo loco dantur & inseruntur, per primam illam hierarchiæ distinctionem, ac per mediam illam secundo loco diffunduntur, &c. Itaque ea quæ nobis de sacerdotali pontificioque munere prodita sunt, primos spiritus, virtutes inferiorum perficientes, illustrantes, atque purgantes appellant, quod eorum procuratione, & ad principium quod præstat cæteris efferantur, & participes fiant pro captu suo diuinarum purgationum, illustrationumque, ac perfectionum. Hoc enim in vniuersum diuina præscriptione ac lege pro Dei dignitate sanctum est, ea quæ secunda sunt, primorum procuratione participare diuinis illustrationibus.* 4

Idque

Idque mox probat idem Dionysius particularibus quibusdam scripturæ exemplis. *Id quod multis*, inquit, *locis à Theologis* (seu scriptoribus sacris) *enuntiatum, expositumque inuenies. Cum enim diuina paternaque humanitas* (seu diuina benignitas) *Israeliticum populum conuersionis ac pœnitentiæ eius studio, sanctæque salutis causâ erudisset, ac ferox crudelibusque gentium corrigendum tradidisset, cum omni prouidentia ad meliora reuocatione, captiuitatisque liberatione, benigne etiam ad pristina beneficia reuocauit. Videt Zacharias Theologorum vnus* (Zachariæ cap. 1. & 2.) *vnum ex primis Angelis, vt mihi videtur, & qui DEVM circumstant, &c. alterum autem inferioris ordinis Angelum, qui priori obuiam antecedebat, eo consilio vt illustrationem acciperet, fieretque particeps; deinde eundem cum ab eo diuinum consilium, vt à Principe didicisset, etiam Theologum ipsum ex impositio munere docuisse, fore vt Hierusalem à magna hominum multitudine incoleretur.*

6 *Hos etiam Ezechiel* (cap. nono) *Theologos alios à præclara dignitate in Cherubim sedente sanctitum esse dicit. Israeliticum enim populum, vt dictum est, Paterna Humanitas castigatione ad meliora traducens, æquitate, quæ DEO digna est, ab insontibus innocentes secernendos distinguendosque censuit. Hoc primus secundum* (siue post) *Cherubim, discessit, cuius rotæ Sapphiro præcincti erant, quique talari veste Hierarchiæ insigni amictus erat. Reliquos autem Angelos, qui secures tenebant, diuinum ordinum Princeps, diuinum do ea re iudicium iubet à priore discere. Nam hunc quidem iussit medium Hierusalem prætergredi, signum imprimere in virorum innocentium frontibus: alijs autem dixit, Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Ad omnem autem, super quem videritis signum, ne accedite.*

Et cap. 5. de Eccles. Hier. de supremis Angelis loquens ait: *Ea in subiectos* sacros ordines benigne, atque pro captu cuiusque, data sibi à perfecta, sapientiæque effectrice diuinitate, diuinarum rerum scientiam cognitionemque diffundunt. Idem docent SS. Patres alij, speciatim Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioann. cap. 9. Augustinus in psal. 118. conc. 18.

7 Ratio est. Tum quia, vt sanctus Dionysius dixit, DEVS solet infima per media, & media per summa regere & administrare: quo spectat etiam illuminatio creaturarum intelligentium. Tum quia, vt sanctus Thomas cit. art. 1. argumentatur: *Lumen secundum quod ad intellectum pertinet, nihil est aliud, quam quædam manifestatio veritatis, secundum illud ad Ephesios 5. Omne quod manifestatur, lumen est. Vnde illuminare nihil aliud est, quam manifestationem agnitæ veritatis alteri tradere; secundum quem modum Apostolus dicit ad Ephesios 3. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia, illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti abscondisti à seculis in DEO. Sic igitur vnus Angelus dicitur illuminare alium, in quantum ei manifestat veritatem, quam ipse cognoscit.* Ita sanctus Thomas; cuius ratio petitur ex ipsa notione nominis, suppositâ veritate facti, quod vnus Angelus alteri veritatem manifestat; vti etiam inter homines accidere solet, &c.

Assertio II. Hæc autem illuminatio, qua vnus Angelus alterum illuminat, reipsa est etiam purgatio, & perfectio quædam intellectus eius qui illuminatur; quæ proinde tria reipsa vnam & eandem actionem significant. Ita sanctus Thomas citat. quæstione 106. articulo 2. ad 1. & sumitur ex S. Dionysio citat. cap. 8. cœl. hierarch. vbi docet, vnum Angelum ab alio non solum illuminari, sed etiam purgari, & perfici, vt vidimus. Id quod ita optime declarat sanctus Thomas ibidem: *Secundum modum*, inquit, *illuminationis est accipienda & purgatio, & perfectio. Ea enim Deus illuminat, immittendo intellectum & veritatem, purgat à defectibus intellectus & voluntatis, & perficit in finem intellectus & voluntatis. Angeli autem illuminatio refertur ad intellectum vt dictum est; ideo etiam purgatio Angeli intelligitur à defectu intellectus, qui est nescientia: perfectio autem est consummatio in finem intellectus, qui est veritas cognita.*

Sensus est, purgationem Angeli ab Angelo factam nihil aliud esse, quam depulsionem ignorantiæ, nec perfectionem aliud, quam perductionem intellectus ad proprium suum finem, qui est cognitio veritatis; ex quo sequitur, ea reipsa non differre ab illuminatione, sed esse vnam & eandem actionem sub triplici respectu, vt ibidem amplius declarat sanctus Thomas: *Et hoc est, quod dicit Dionysius 6. cap. cœl. Hierarch. quod in cœlesti hierarchia purgatio est in substantijs & essentijs, tanquam ignorantiæ illuminatio in perfectionem scientiæ inducens. Sicut si dicamus visum corporalem purgari, in quantum remouentur tenebræ; illuminari verò, in quantum perfunditur lumine; perfici verò secundum quod perducitur ad cognitionem colorati.* Eandem assertionem tradunt Caietanus & Thomistæ ibidem, Gregorius de Valentia infra, & Suarez hic libro 6. cap. 11. num. 9. ex communi. An vero ad hanc purgationem pertineat illud Iob. 41. v. 16. *Timebunt Angeli, & territi purgabuntur*, videri possint interpretes scripturæ, & Vasquez disp. 216. n. 28. vbi id recte negat.

Assertio III. Illuminatio Angeli in hoc formaliter & essentialiter consistit, quod Angelus ille, qui alterum illuminat, interueniente locutione Angelica, dub. præced. explicata, veritatem aliquam, per modum quasi Magistri docentis alteri Angelo, accommodatè ad eius modum intelligendi, proponit, distinguendo & proponendo rem manifestandam etiam sub pluribus conceptibus, quatenus id modus intelligendi eius Angeli, qui illuminandus est, requirit. Ita docent Alensis 1. p. q. 38. mem. 3. Bonauentura in 2. d. 10. a. 2. q. 2. Ægidius d. 9. q. 1. a. 5. Argentina q. 1. a. 3. Marsilius in 2. q. 7. a. 4. Caietanus, Molina, & recentiores Thomistæ cit. q. 106. a. 1. Gregorius de Valentia disp. 8. quæst. 4. pun. 1. Vasquez disp. 216. cap. 5.

Probatur & declaratur assertio. In quo enim consistat hæc illuminatio, non minus varia est Doctorũ sententia, quã de locutione Angelica dictũ dub. præced. Vniuersim autem sententiæ omnes

ad duas possunt reuocari. Prima est, ab Angelo illuminante, aliquid effectiue imprimi illuminato; videlicet vel ipsam notitiam rei ab illuminante conceptæ, vt docent Scotus in 2. distinct. 2. q. 2. & Bassolis q. 1. a. 2. vel notitiam conceptus eius qui illuminat, vt dicunt Gabriel in 2. d. 9. q. 2. a. 4. Ockam in 2. q. 20. a. 2. aut lumen supernaturale, vt nonnulli aiunt, seu vt loquitur Richardus in 2. dist. 9. a. 2. quæst. 1. radium spiritualem, aut intensionem luminis naturalis, vt inter alios modos tuetur Heruæus cit. dist. 9. quæst. 2. a. 1. aut virtutem quandam intentionalem, vt docet Capreolus in 2. dist. 11. q. 3. a. 3. aut denique speciem intelligibilem illius actus, quem Angelus illuminans manifestat, & per quem etiam ipse cognoscit rem, de qua alterum illuminare incæpit, vt docet Suarez hic lib. 6. cap. 13. à num. 24.

11 Cui sententiæ generatim acceptæ videtur etiam non parum fauere sanctus Thomas cit. q. 106. art. 1. vbi docet, illuminationem Angelicam in duobus positam esse; nimirum, & quod intellectus Angeli illuminandi ab illuminante fortificatur & corroboratur, & quod superior ille Angelus veritatem, quam ipse vnico simplici & communi conceptu distincte cognoscit, in plures particulares rationes quasi dispertit, vt Angelus inferior, qui illuminandus est, capere possit. Vbi sub nomine fortificationis seu confortationis videtur S. Thomas constituere aliquam actionem & efficientiam Physicam Angeli illuminantis in illuminatum. Quo quidem sensu etiam eam quoque doctrinam intellexerunt & refutarunt Ægidius, Durandus, & Vasquez locis citatis, defenderunt autem & secuti sunt Heruæus, & Capreolus locis citatis, vt dictum.

12 Verum altera & verior est sententia, Angelum illuminantem nihil physicè agere in eum, quem illuminat, sed solum ad modum alicuius Magistri, extrinsecus ei proponere & manifestare veritatem, accommodate ad modum ipsius intelligendi, vtendo simul locutione, qua suos illi conceptus manifestat, vt in assertione dictum, cui faciunt Augustinus in Psal. 118. conc. 18. & Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioann. cap. 9. vt persequitur Vasquez cit. cap. 5. Rationes sumuntur ex dictis de locutione Angelorum dub. præced. speciatim quia Angeli nullam formam præter motum localem, possunt ad extra producere; præsertim in distans, aut per ipsum actum immanentem intellectus non naturaliter, sed quasi libere agentem, pro arbitratu Angeli. Item quia alias etiam in nos ita agere possent illuminando, &c.

13 Neque diuersum sentit S. Thomas loc. cit. vt rectè Caietanus & Thomistæ recentiores ibidem, itemq; Gregorius de Valentia loc. cit. non solum quia S. Thomas ibidem ad 2. expresse ait, Angelū illuminantem *non tradere alteri, quem illuminat, lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ*; sed etiam quia quæstione 9. de verit. articulo 1. docet, corroborari intellectum Angeli illuminati, eò solum, *quod inspicit aliquid cognitum in Angelo superiori*, ad alia cognoscenda; quo modo ait *etiam inter homines discipuli intellectum & lumen corroborari à Magistro.*

Qui etiam cum infra q. 117. a. 2. assignat discrimen inter hominem docentem, & Angelum illuminantem, quod maximè vrget Vasquez loco citat. non aliud dicit, quam quod illuminatio ab Angelo superiori fiat per virtutem actiuam superioris naturæ; cum inter homines omnis vis intelligendi, adeoque & docendi alterum, sit eiusdem speciei ac naturæ. Quocirca ex mente S. Thomæ, confortari intellectum Angeli inferioris & ei accommodate ad ipsius intelligendi modum proponi rem manifestandam, non sunt duæ actiones re diuersæ, sed vna solum ratione distincta; quæ vt reddit potentem Angelum ad intelligendum obiectū sua natura ac per se excedens ipsius vim intelligendi, dicitur confortatio intellectus eiusdem, eo fere modo, quo etiam purgari, illuminari, & perfici Angelum inferiorem à superiore non sunt nisi ratione distincta, vt supra ex eodem S. Thoma diximus.

Dices; quomodo potest Angelus accommodate ad modum intelligendi inferioris veritatem proponere, cum vnum tantum certum habeat intelligendi modum. Respondeo id fieri, siue quia hic ipse modus intelligendi, licet secundum entitatem suam semper sit superior modo intelligendi inferioris, in vsu tamen ipso (cum latitudinem habeat & quandam indifferentiam cognoscendi rem eandem vel cognitione adæquata suæ speciei, vel inadæquate) se accommodat ad modum intelligendi inferioris: siue, quia etsi suo ipse modo intelligendi rem cognoscat, potest tamen quibusdam similitudinibus, aut exemplis, alijsue declarationibus vtendo docere, qua ratione inferior Angelus eam capere possit.

Assertio IV. Ad illuminationem non sufficit cuiusuis veritatis manifestatio, sed necesse est, vt ea veritatis cognitio perfectiorem reddat intellectum audientis; siue interim sit quoad ipsam substantiam supernaturalis, siue non; & siue ab illuminante cognoscatur in Verbo formaliter, siue extra Verbum, per propriam & specialem DEI reuelationem: siue denique concernat aliquas circumstantias ad fidei mysteria spectantes, siue sit de cæteris rebus, & præcipue futuris contingentibus, quæ pertinent ad diuinam prouidentiam & dispositionē mundi & præcipuè ad salutem electorum. Ita docet S. Thomas q. 106. a. 4. qui etiam eodem sensu q. 109. artic. 3. docet, illuminare non esse manifestare quamcunque veritatem, sed eam solum, quæ ordinat, aut ordinem habet ad Deum; nimirum esto alioqui sit ordinis naturalis, vt rectè Vasquez disp. 206. cap. 5. qui ex communi sententia vniuersim tradit, illuminationem esse explicationem veritatis, quæ perfectiorem reddat intellectum audientis: quibus consentit etiam Suarez hic lib. 6. cap. 14. & 15. vbi de hac re prolixius agit.

14

15 Ratio est. Tum quia alias quælibet locutio Angelica, etiam inter dæmones, esset illuminatio, quod est absurdum, & à S. Thoma cit. quæst. 106. artic. 3. & quæst. 107. articulo 2. & q. 109. artic. 3. ex instituto refellitur. Tum quia illuminatio, ex communi ratione, dicit perfectionē

quandam

quandam rei, adeoque etiam intellectus, qui illuminatur. Non spectat autem cuiuslibet veritatis cognitio ad perfectionem intellectus; sed vel vniuersalis tantum & perpetuæ; vel eius, quæ & quatenus pendet à Deo tanquam prima veritate & regula omnis veritatis.

16 Quod S. Thomas cit. quæst. 107. artic. 2. his verbis declarat: *Quia veritas est lumen intellectus, & regula omnis veritatis est ipse Deus, manifestatio eius quod mente concipitur, secundum quod dependet à prima veritate, & locutio est, & illuminatio. Puta si vnus homo dicat alij, Celum est à Deo creatum: vel, homo est animal. Sed manifestatio eorum quæ dependent ex voluntate intelligentis* (vt sic) *non potest dici illuminatio, sed locutio tantum: Puta si aliquis alteri dicat, volo hoc addiscere, volo hoc vel illud facere. Cuius ratio est, quia voluntas creata non est lux, nec regula veritatis, sed participans lucem. Vnde communicare ea, quæ sunt à voluntate creata, in quantum huiusmodi, non est illuminare. Non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei, quid tu velis, vel quid tu intelligas, cognoscere; sed solum quid rei veritas habeat.* Et resp. ad 3. dicit: *Omnis locutio Dei ad Angelos, est illuminatio. Quia cum voluntas DEI sit regula veritatis, etiam super quid DEVS velit, pertinet ad perfectionem & illuminationem mentis creatæ. Sed non est eadem ratio de voluntate Angeli, vt dictum est.* Ex qua doctrina colligit Caietanus ibidem, ad illuminationem requiri, vt veritas proponatur per modum veritatis, hoc est, vt ipse ex S. Thomæ verbis explicat, prout consonat, aut dependet à Deo, velut summâ regulâ veritatis.

17 Assertio V. Angelus illuminans non ostendit veritatem propositam in verbo formaliter, sed peculiari notitia, extra verbum, cognoscendam: licet hæc ipsa possit dici cognitio veritatis in verbo causaliter. Hanc assertionem ex communi tradit Suarez cit. lib. 6. cap. 14. post Capreolum in 2. dist. 11. q. 2. art. 3. Heruæum dist. 9. q. 1. a. 2. ad 3. & Aureolum in 2. dist. 9. q. 1. art. 3. licet Ægidius in 2. d. 9. q. 1. a. 5. & Argentina art. 3. dicant, Angelum illuminantem ostendere veritatem in Verbo formaliter: quibus nonnihil fauent Scotus distinctione 9. quæstione 2. & Bassolis ibidem quæstione 1. cum interim è contrario Vasquez disp. 117. cap. 2. dicat, nec illuminari quidem Angelos ab alijs Angelis, de veritatibus quas in verbo vident causaliter; cum potius de his omnibus, quæ in verbo vident, seu formaliter, seu causaliter, illuminentur ab ipso DEO.

18 Sed probatur assertio quoad priorem partem. Tum quia visio beatifica, adeoque cognitio in ipso verbo formaliter, est immutabilis; ac proinde non pertinet ad ea cognoscenda, quæ successiue primum à beatis cognoscuntur, vt alibi sæpius dictum. Tum quia visio beatifica multo sublimior est, quam vt ab alio Angelo respectu vllius obiecti causari & effici possit. Tum quia cognitio Angeli illuminati aliquo modo respondere debet cognitioni Angeli illuminantis, per quam alterum illuminat: hæc autem non est visio ipsa beatifica, quia hanc alteri Angelo ostendere nequaquam potest, vt pluribus ibidem persequitur Suarez.

Posterior pars, quam præter citatos pro parte præcedenti, tradunt etiam Scotus, Bassolis locis citatis, & Caietanus 1. parte, quæstione 57. articulo 5. contra Vasquezium loco citat. ex eo probatur. Quia omnis illa cognitio beati, rectè dicitur cognitio in Verbo causaliter, quia fundatur in ipsa visione beatifica, eamque supponit, ac ex ea aliquo modo deriuatur & proficiscitur, iuxta congruentiam ipsius status beati; siue immediate proficiscatur ab ipso Deo; siue per medium aliquod ab Angelo, alioue beato, vt habet communis modus loquendi Theologorum; talis autem est etiam cognitio per illuminationem Angeli accepta: Ergo quæ per eam cognoscuntur, recte dicuntur cognosci in Verbo causaliter, tametsi simul etiam cognoscantur per reuelationem diuinam; quandoquidem Angelus illuminans ea proponit vt à Deo reuelata, seu quod idem est, vt consona diuinæ veritati, eidemque innixa. 19

Vnde etiam assensus ille, quo Angelus illuminatus eidem veritati assentitur, est assensus cuiusdam fidei infallibilis, nixus vltimate euidentia DEI reuelantis, ac proinde etiam ipse euidens in reuelante, vt post Scotum & Bassolem locis citatis recte Suarez citat. cap. 14. numero 14. Nec hoc est contra perfectionem status beatifici, vt putauit Ægidius loc. cit. cum ea sit ex suo genere perfectissima cognitio, proximum post visionem beatificam locum tenens. Ratio est. Quia Angelus illuminatus euidenter videt Angelum sibi loquentem, & de tali re testificantem, & illum esse beatum, nec posse mentiri. Quare scit etiam eundem Angelum à quo illuminatur, accepisse veritatem propositam ab ipso Deo, vel immediate, si Angelus sit supremæ hierarchiæ; vel saltem mediate, si sit alicuius ordinis intermedij vt bene Suarez ibidem. 20

Dices; hac ratione effici, vt etiam dæmones possint illuminari, saltem ab Angelis bonis; cum eâdem ratione de veritate aliquâ diuinâ sibi manifestata, elicere possint assensum euidentem in reuelante. Respondeo cum sancto Thoma citat. quæst. 109. artic. 3. & artic. 4. ad 1. negando sequelam, proprie loquendo: non solum quia dæmones non recipiunt eam manifestationem per modum ordinantis ad DEVM; sed etiam quia veritatis illa qualis qualis cognitio non perficit dæmonem, sed potius punit, cruciat, & ratione mali vsus, deformat. Etsi fatendum, quod docet Gregorius de Valentia disp. 8. quæst. 4. pun. 3. hoc totum pendere ex vsu vocabuli illuminationis in proposito. 21

Assertio VI. Illuminare solum conuenit Angelis superioribus respectu inferiorum; non autem inferioribus erga superiores. Ita expresse sanctus Thomas citat. quæstione 106. articulo 3. Caietanus, Molina, & Thomistæ omnes ibidem & Doctores communiter in 2. distinctione 9. speciatim Ægidius quæst. 1. articulo 4. dub. 2. Richardus articulo 2. quæstione 2. & 3. Scotus quæst. 2. Bassolis quæstione 1. articulo 1. Gabriel quæst. 2. articulo 4. Marsilius quæstione 2. a. 4. Maior quæst. 2. Gregorius de Valentia disput. 8. 22

Digitized by Google

quæst. 4. pun. 1. & tandem fere consentit Suarez cit. lib. 6. cap. 15. à num. 30. quamuis antea diu multumque in contrarium disputasset. Probatur ex S. Dionysio cap. 5. de Eccles. hier. ex quo hæc verba refert sanctus Thomas loco citat. *Hæc est lex diuinitatis immobiliter firmata, vt inferiora reducantur in DEVM per superiora*, seu vt habet versio Perionij, *Mos quidem hic est diuinitatis sanctissimus, per prima, secunda & inferiora ad diuinissimam lucem suam deducere.* Idem expresse docet Dionysius cap. 8. cœl. hierarch. in verbis supra relatis.

23 Ratio est. Tum quia illuminare est quoddam perficere & purgare, vt dictum; quod ab inferioribus Angelis erga superiores, in statu beatitudinis, (vbi omnia quam ordinatissima, nec vlla ordinis perturbandi ratio esse potest; vt notauit sanctus Thomas citat. quæstione 106. articulo 3.) non conuenienter præstatur. Tum quia circa res à DEO reuelatas, seu vniuersim circa cognitionem, qua intellectus perficitur aut nihil sciunt Angeli inferiores, quod superiores nesciant, aut si in casu extraordinario secus fiat, id accipiunt inferiores quasi sub secreto, alijs proinde non reuelandum, nisi Deus ipse reuelet.

24 Denique credibile est, nihil inferioribus reuelari, quod saltem non sit supremis Angelis cognitum: hi vero cum sint maximè boni & communicatiui suæ perfectionis, sicubi secreti lex non obstat, omnia manifestant inferioribus, quæcunque sciunt, vt ex Dionysio cap. 15. cœl. hierarch. asserit sanctus Thomas quæst. 106. art. 4. & sequuntur Thomistæ ibidem, & Gregorius de Valentia loc. cit. conuenienter etiam sancto Gregorio homil 34. in Euang. vbi ait: *in cœlesti patria licet quædam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter*: Ergo nihil restat, quod superiores Angeli doceantur ab inferioribus. Nihilominus tamen per absolutam Dei potentiam, nihil obstat, quo minus etiam superiores aliquando illuminentur ab inferioribus, vt cum Gabriele in 2. d. 9. q. 2. a. 4. rectè Gregorius de Valentia loc cit.

Assertio VII. Potest quidem Angelus etiam 25
alterius Angeli mouere voluntatem, sed non per se immediate eam inclinando, sed solum ex parte obiecti; tum per modum obiecti amabilis; tum per modum proponentis tale obiectum, siue creatum sit, siue increatum: quamuis neutro modo per se sufficienter & infallibiliter voluntatem moueat Ita S. Thomas citat. quæst. 106. a. 2. ex communi. Prima pars patet; quia Angelus supremus exemplo suo traxisse putatur alios ad peccatum, vt suo loco dicetur. Secunda pars probatur. Quia proprium est authoris naturæ, naturam per se immediate, absque alia causa sufficiente immutare. Tertia pars sequitur ex præcedenti; & quia etiam inter homines, ita vnus alterius voluntatem potest mouere. Quarta & vltima probatur. Quia inter bona extrinseca, solum summum & infinitum bonum clarè & quidditatiue cognitum (quod est DEVS visus) necessario quoad exercitium, & infallibiliter mouet voluntatem: cætera autem bona particularia non item: Ergo non potest ipse per se sufficienter & infallibiliter inclinare voluntatem. Ex quo sequitur, vnum Angelum non necessario quoad exercitium diligere alterum Angelum; vt etiam superius dictum dub. 1.

Dices; superiorem Angelum mouere posse infallibiliter inferiorem, per modum præcipientis. Respondeo, etiamsi inter Angelos præcipiendi authoritas admittatur, vt ex sancto Thoma quæstione 108. articulo 4. & quæstione 109. articulo 2. docet Gregorius de Valentia disput. 8. quæstione 4 pun. 3. eam motionem tamen non esse infallibilem per se, & ex ipsa præcipientis motione; cum Angelus sua natura etiam Deo præcipienti potuerit repugnare; sed inter beatos tamen est infallibilis, ex vi diuinæ visionis ac motionis; qua Angelus beatus non potest voluntati Dei, per se, aut subordinatos Ministros præcipientis, obluctari.

QVÆSTIO V.

De Angelorum potentia locomotiua, seu operatiua transeunte; siue de operationibus eorundem ad extra.

S. Thomas 1. p. q. 51. 110. 111. 112. 113. & 114.

ABsoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. An, quæ, & qualis potentia locomotiua seu operatiua ad extra sit in Angelo, an ab intellectu & voluntate distincta; an etiam actiua in distans; & miraculorum operatiua. II. Quas res Angeli loco mouere possint, an non solùm substantias corporeas, sed etiam incorporeas: & quo modo. III. Quid particulatim de translatione sagarum ad sua conuenticula sentiendum. IV. An etiam sit in Angelo naturalis vis seu potentia productiua alicuius substantiæ, vel qualitatis: & quid speciatim de sagarum conuersione in varias formas animalium; tempestatumque noxiarum concitatione sentiendum. V. An & quâ ratione possint Angeli assumere corpora; & per ea actiones vitales exercere. VI. An & quâ ratione generalem ordinem & statum huius mundi immutare, rerumque naturalium efficientiam suspendere, vel impedire possint. De Angelorum verò bonorum custodiâ, & malorum infestatione agetur quæst. sequente.

DVBIVM I.

An, quæ, & qualis potentia loco motiua, seu operatiua ad extra, sit in Angelo; an ab intellectu & voluntate distincta; an etiam actiua in distans; & miraculorum operatiua.

S. Thom. 1. p. q. 110. a. 1. 3. & 4.

2 POstquam de duabus Angelorum potentijs operatiuis ad intra, de intellectu nimirum & voluntate actum est, sequitur vt de eorundem potentia operatiua ad extra (qualis imprimis est vis naturalis, alia à se distincta loco mouendi) agamus; & quidem hoc ordine, vt primum rationem & vim huius potentiæ generatim & secundum se, hoc præsenti dubio; deinde in specie, aliquot dubijs subsequentibus, actus & obiecta eius particulatim explicemus; accommodando doctrinam, vt vtilior sit, sigillatim ad ea, quæ dæmones per sagas & maleficas actitare videntur. Ettametsi quidem sanctus Thomas hac de re non agat, in ipsa tractatione de Angelis; nihilominus tamen postea agens de gubernatione DEI, simul etiam aliquot quæstionibus exquirit, qua ratione diuina Prouidentia mundum gubernet per Angelos; quæ proinde ad hanc materiam pertinent. Speciatim verò quod ad præsens dubium attinet, spectat huc quæstio sancti Thomæ 110. vbi agit de naturali potentia Angeli, tam ad corpora transmutanda, quam ad mouenda localiter. De qua re sequentes assertiones statuimus.

3 Assertio I. Est in Angelis potentia quædam naturalis operatiua ad extra, qua saltem corpora localiter mouere possunt: Ita sanctus Thomas citat. quæst. 110. art. 3. & communis omnium Doctorum; post Aristotelem libro 12. Metaph. tex. 44. aliosque Philosophos, qui docent reipsa cœlos moueri ab intelligentijs, siue substantijs spiritualibus.

Nec dissentit Guilielmus Parisiensis, licet à Delrio libro secundo Disquisit. Mag. in diuersum citatus. Etenim Tract. de vniuerso part. 2. secundæ partis cap. 71. expresse ait: *Cum ex narrationibus historicis, atque Propheticis manifestum sit, huiusmodi substantias & ciuitates subuertisse, & alia non pauca similia fecisse, manifestum est, eas virtutem huiusmodi habuisse. Si vero quis dixerit, quia huiusmodi perfectio, non fuit innata, siue naturalis, sed potius de nouo data, cum ad huiusmodi facienda creator illas miserit; dico, quia & hoc vane dicitur: eodem quippe modo dicere posset, & de virtute intellectiua.* Idem docet cap. 70. Nec obstat, quod vtroque loco docet, Angelos solum mouere corpora imperando; non enim negat mouere efficaciter per seipsos, ita vt vis effectiua motus sit in Angelis; sed solum docet, eam vim effectiuam aliam non esse, quam imperium voluntatis, absque alia potentia exequente realiter distincta, de qua re inferius.

4 Probatur assertio passim ex scriptura, præsertim ex Danielis cap. 14. v. 35. vbi de Propheta Habacuc in Judæa constituto dicitur: *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Et mox v. 38. *Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.* Et Matth. 4. v. 5. de Christo dicitur: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi &c.* Et v. 8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, &c.* Ex quibus locis certissimum est, vim motiuam ad extra naturaliter conuenire Angelis, tum bonis, tum malis.

5 Neque enim dici potest, vim hanc mouendi solum miraculose fuisse communicatam his Angelis, tum ob dictam causam, ex Parisiensi, tum quia DEVS ea ratione conuenientius per seipsum mouisset absque Angelo; tum quia illud, *In impetu spiritus sui*, manifeste vim naturalem significat. Deniq; cum diabolus peruersa voluntate Christum detulerit, non est dicendum, voluisse Deum per miraculum ipsi eam vim communicare, cooperando quasi speciali influxu ad malum.

6 Idem patet pluribus alijs exemplis eorum Angelorum, qui ad homines formaviisibili missi sunt; vt in Angelis, qui apparuerunt Abrahæ Genes. 18. & Loth Genes. 19. item in Raphaële, qui comitatus est Tobiam cap. 5. & Gabriele qui ad Virginem missus Luc. 1. & Angelis qui ministrarunt Christo, Matth. 4. Idem docent SS. Patres, inprimis Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9.

7 Ratio S. Thomæ est. Quia vt dicit Dionysius cap. 7. diuin. nom. *Diuina sapientia coniungit fines primorum principijs secundorum.* Ex quo patet; quod *natura inferior* (vti est corporea) *in sui supremo attingitur à natura superiori*, nimirum spirituali: in corporibus autem motus localis ex suo genere est supremus & perfectissimus omnium: Ergo necesse est, vt Angeli saltem motum localem in corporibus efficere possint. Minor probatur, tum ex Aristotele 8. Physic. tex. 57. Tum quia motus localis inter omnes minimè corruptiuus est, nec mutacione corruptiua quicquã in mobili intrinsecũ ponit, aut destruit: His accedit, quod Angeli naturaliter seipsos; & animæ corpus sibi vnitum, eoque mediante corpora cætera possunt mouere: quid ni ergo etiam Angeli, cum sint substantiæ viuentes & spirituales multo perfectiores, quam animæ, corpora mouere possint?

8 Assertio II. Potentia hæc loco motiua, seu operatiua ad extra, non est reipsa distincta à potentia naturali Angeli, qua seipsum mouet. Hanc assertionem supponunt doctores citandi pro, & contra assertionem sequentem, & expresse tradit Suarez hic libro 3. cap. 29. numero 4. Ratio est. Tum quia idem est vtrobique terminus formalis; nempe vbi locale. Tum quia etiam in anima, eadem est potentia locomotiua, qua suum corpus, & alia extra se constituta mouet. Tum quia Angelus, non mouet alia

uet alia à se diuersa, saltem ad locum plane diuersum, nisi vel seipsum simul mouendo, vel imprimendo impetum, ab eadem naturali potentia motiua profectum: sicut etiam homo pariter eâdem potentia loco motiua tum deferendo, tum imprimendo impetum alia extra se posita mouet; quando nimirum pilam vel manu gestans circumfert, vel impresso impetu proijcit.

9 Assertio III. Potentia hæc locomotiua, à substantia Angeli non minus re differt, quam intellectus & voluntas: à quibus tamen ipsis etiam re differre probabilius videtur. Prior pars est communis Doctorum, nec est vlla specialis de hac re controuersia. Probatio sumitur à paritate rationis, præsertim quia maior ratio est, cur potentia ad operationes transeuntes re distinguatur à substantia agentis naturalis, quam ad operationes immanentes.

10 Secunda pars assertionis est controuersa inter Doctores: Eam enim quidem tradunt ac tuentur Henricus quodlib. 13. quæst. 6. Aureolus in 2. distinct. 8. quæst. vn. art. 3. Godfredus (apud Capreolum infra) quodlib. 1. quæst. 4. Mayron in 1. distinct. 43. quæst. 5. Caietanus q. 54. artic. 5. Suarez Metaph. disp. 35. sect. 2. num. 21. & hic lib. 4. cap. 29. à num. 4. Conimbricenses lib 2. de cœl. cap. 5. quæst. 6. & fauet sanctus Thomas tum ijs locis, quibus indicat potentiam executiuam in Deo ratione distingui ab intellectu & voluntate eiusdem, vt dictum supra disp. 2. quæst. 11. dub. 2. tum alijs locis, quibus sentit, actus immanentes non esse operatiuos ad extra, vt quodlib. 9. art. 10. ad 2. & q. 6. de potent. art. 7. ad 12.

11 Contrarium verò docent Guilielmus Parisiensis loc. cit. assert. 1. Herueus in 2. distinct. 14. quæst. 1. artic. 4. Durandus in 2. dist. 2. quæst. 5. Argentina distinct. 8. quæst. 1. artic. 1. Bassolis distinct. 14. quæst. 1. Capreolus in 2. distinct. 7. quæst. 2. Soncinnas 12. Metaph. quæst. 35. Vasquez disp. 288. numero 10. Delrius lib. 2. Disquisit Mag. quæst. 16. & magis inclinat Molina quæst. 54. artic. 5. & sentit ipsemet S. Thomas quæst. 16. de malo artic. 1. ad 14. & quodlib. 2. art. 2. & opusc. 11. art. 3. & 13. vbi docet, Angelum mouere corpus solo imperio voluntatis, & fauet idem hic q. 54. art. 5. & quæst. 79. artic. 1. ad 3. vbi docet, ex viribus animæ non posse Angelis competere, nisi intellectum, & voluntatem. Omitto alios in vtramque partem citatos supra disp. 2. q. 11. dub. 2. circa eam quæstionem, An potentia executiua in Deo ratione distinguatur ab intellectu & voluntate.

c 1 Probatur tamen nostra sententia I. Quia po-
12 tentiæ naturales distinguuntur penes operationes & obiecta: atqui actus & obiecta potentiæ huius locomotiuæ, plane diuersa sunt, ab obiecto & actibus intellectus & voluntatis: Ergo, &c. Nec obstat, quod actus illi dicuntur subordinati; vt actus imperans & imperatus; nam etiam in brutis sunt hac ratione subordinati; in quibus tamen vtique potentia locomotiua distinguitur ab appetitu. In homine etiam sensus exterior subordinatur interiori; & vtrque intellectui: & tamen inter se differunt. II. Actus immanens non est per se operatiuus ad extra, vt docet Aristoteles 9. Metaph. cap. 9. & 1. Eth. c. 7. & consentit S. Thomas locis supra dictis: Ergo motus localis ad extra non proficiscitur per se & immediate ab actu intellectus aut voluntatis: ac proinde nec ab intellectu & voluntate; cum hæ potentiæ nihil agunt nisi intelligendo, aut volendo. III. In anima nostra, etiam separata, datur potentia motiua qua saltem seipsam moueat, distincta seipsa ab intellectu & voluntate, ex communi: quid ni ergo etiam in Angelis? IV. Potest in Angelo non minus, quam in homine, voluntas efficax motus post horam efficiendi, esse; ita vt motus non continuo subsequatur voluntatem efficacem motus: Ergo ab hac immediate non prouenit. 2

Omitto quod opposita sententia explicare vix potest, quænam sit ratio & subordinatio inter intellectum & voluntatem ad motum efficiendum; nec sanctus Thomas eodem modo de hac re loquitur, vt videre est apud Suarez citat. cap. 29. Omitto etiam, quod supra citata disput. 2. quæst. 11. dub. 2. docuimus, has potentias in DEO ratione distingui: quæ verò potentiæ in DEO ratione distinguuntur, in creaturis distinguuntur reipsa; cum ab hac distinctione reali sumatur distinctio rationis inter attributa diuina, vt suo loco dictum.

Rationes vero in oppositum satis ibidem dissoluimus: vbi etiam de sensu ac mente S. Thomæ nonnihil actum. Sane quod loco supra citato docet in Angelis solum esse potentiam intellectus & voluntatis, commode cum Caietano de potentijs operatiuis ad intra intelligi & explicari potest. Sed quia ad distinctionem rationis inter potentiam executiuam Dei, eiusque intellectum & voluntatem, sufficit distinctio realis earundem potentiarum in homine, etiamsi in Angelo non esset, ideo nihil opus est de mente S. Thomæ, quod ad Angelos attinet, fusius disputare: quando nihilominus iuxta eundem in Deo ratione distingui debent, vt ibidem ostendimus.

Assertio IV. Angelus non potest agere in distans, adeoque nec immediate mouere corpus, 13
nisi cui secundum substantiam suam præsens est. Ita habet communis Doctorum sententia, & speciatim tradit sanctus Thomas hic quæst 52. artic. 1. & quodlib. 6. articulo 2. ad 1. & quodlib. 9. à 10. ad 2. Caietanus & omnes Thomistæ cit. a. 1. cæterique Scholastici communiter in 1. distinctione 37. & in 2. dist. 2, & 3. in quibus etiam Scotus in 2. distinctione 2. q. 5. & 6. nec dissentit Durandus in 1. distinctione 37. part. 2. quæst. 1. & in 2. dist. 8. quæst. 3. & sequuntur Vasquez disp. 189. cap. 3. Conimbricenses 7. Physic. cap. 2. q. 1. Suarez Metaph. disput. 18. sect. 8. & hic. lib. 4. cap. 30. num. 5. & 6. vbi tamen non satis constanter loquitur, maxime propter eam, quam de locutione Angeli amplexus est sententiam quæst. præced. dub. 3. relatam & refutatam.

Quanquam non desunt plures, tam veteres, quam recentiores Theologi, qui docent, Angelum posse immediate operari, vbi non est 14

præsens

præsens secundum suam substantiam, adeoque in distans. Ita Hæreus tract. de motu Angeli q. 1. ad 3. & in 1. d. 37. q. 1. Ockam ibidem, Gabriel ibidem a. 3. dub. 1. qui ita fere etiam de agentibus corporeis sentiunt. Et fauent Magister in 2. distinct. 8. cap. vlt. & Scotus in 1. distinct. 37. quæst. 1. & sequuntur non pauci recentiores teste Vasquez loco citat. cap. 1. speciatim Albertinus tom. 1. Princip. 2. coroll. 16. num. 10. post Auiconnam & Aphrodisiensem.

15 Sed probatur assertio primum auctoritate. Ita enim generatim de naturalibus agentibus docet Aristoteles 7. Physic. cap. 2. & speciatim de Intelligentia cœlum mouente lib. 2. de cœlo cap. 2. Idem docet Damascenus lib. 1. de fid. cap. 17. vbi de Angelo ait: *Nec alibi est; verum intellectualem in modum illic circumscribitur, vbi operatur.*

16 Secundo probatur ratione. I. Quia alias nulla ratio esset, cur non posset operari Angelus in quouis loco remotissimo: Si enim distantia passi actioni agentis nil obest, nec opus est per medium transmittere actionem, aut vim actiuam: nihil obstat etiam, quantumuis magna distantia eiusdem agentis actioni: hoc vero nec aduersarij facile concesserint. II. Quia sic etiam Angelus assumere posset corpus; etiamsi ei præsens non esset; id vero non satis consonum est, tum apparitionibus Angelorum in assumpto corpore; tum communi sensui Ecclesiæ, quoad energumenos seu obsessos à diabolo, aduersus quem preces Ecclesiæ & exorcismi velut præsentem adhibentur. III. Quia vniuersali inductione, & experimento satis constat, res cæteras naturales & corporeas non posse operari in distans, sine actione, aut via actiua transfusa per medium; quicquid authores oppositæ sententiæ in contrarium dixerint: nec apta ratio assignari potest diuersitatis in Angelis. IV. Quia ex opposita sententia non esset causa, cur Angeli substantialiter mitterentur de cœlo in terras, siue ad custodiam hominum, siue ad punitionem, siue ad alia peragenda aut denuntianda. V. Opposita sententia iamuam aperit superstitionibus, & superstitiosis medijs ad varij generis effectus procurandos; V. G. per vnctionem vulneratiam, & similia.

17 Nec obstat, quod Angeli voluntate agunt etiam in exteriora: voluntas autem ad suam actionem non requirit præsentiam obiecti. Primo enim ex nostra sententia Angeli immediate ad extra non agunt voluntate, sed potentia executiua realiter distincta, vt dictum. Deinde etiamsi voluntate immediate agerent ad extra, nihilominus tamen argumentum ab obiecto ad effectum nullius esset momenti: quia cum obiectum tantum moueat voluntatem in quantum cognitum est, nihil obstat eius localis & realis distantia; at vero in subiectum passum ipsumque effectum debet agens naturale realiter influere; cum quo proinde debet realiter coniunctum esse, siue per se, siue per virtutem suam actionem à se transmissam; quod proinde etiam de voluntate & intellectu dicendum, si immediate ad extra operarentur. Quod notauit etiam S. Thomas quodlib. 9. art. 10. ad 2. vbi ait, *quod licet Angelus moueat per imperium, nihilominus imperium hoc non dicitur sine virtute actiua, quam oportet aliquo modo contingere corpus motum.*

Assertio V. Angeli virtute naturali non possunt facere vera miracula. Ita S. Thomas q. 110. a. 4. & q. 114. a. 4. & 3. cont. gent. cap. 102. & 103. Caietanus, Ferrariensis, commentatores ibidem, Alensis 2. part. q. 42. & 43. Bonauentura, & alij Scholastici communiter in 2. distinct. 7. quos sequitur Gregorius de Valentia disputat. 8. quæst. 5. pun. 2. & Suarez hic lib. 4. cap. 39. 18
Ratio S. Thomæ, eaque optima est. Quia de ratione veri miraculi, & quod simpliciter tale sit, est, vt sit præter ordinem totius naturæ creatæ: Angelus autem virtute propria & naturali non potest facere aliqd præter totum ordinem naturæ creatæ; hoc ipso quod propria etiam eius virtus creata est: Ergo, &c. Minor patet. Maior probatur. Quia ad miraculum non sufficit, vt aliquid fiat, præter ordinem naturæ alicuius particularis; sic enim ille, qui proijcit lapidem sursum, miraculum faceret; cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis.

Idem confirmatur ex ipsa notione nominis miraculi, iuxta S. Thomam quæst. 105. artic. 7. Miraculum enim dicitur, quasi *admiratione plenum*: quod per se & absolute non conuenit, nisi illi, quod habet causam simpliciter, & omnibus occultam, vti est DEVS. Cætera vero quæ habent causam naturalem, licet nobis incognitam, non sunt per se occulta, vel admiratione plena; sed solum per accidens, ratione ignorantiæ nostræ; cum alioqui causa naturaliter sit cognoscibilis, qua cognita, cessat admiratio.

Ex quibus colligitur, solum Deum virtute propria & naturali facere posse vera miracula; siue actiones ipsæ tales sint, quæ secundum se etiam & ex suo genere, à nulla re creata naturaliter fieri possint, vt est resuscitatio mortui; siue ex parte modi ita fiant, vt eo modo naturaliter à nullo agente creato fieri possint; vt est sanatio subita ægri, sine applicatione causæ secundæ, etiamsi morbus ille ex suo genere non fuerit incurabilis, &c. Atque hanc doctrinam tradunt etiam scriptura & SS. Patres. Psal. 71. vers. 18. *Benedictus Dominus DEVS Israel, qui facit mirabilia solus.* Psal. 76. v. 15. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es DEVS, qui facis mirabilia.* Psal. 135. v. 4. *Qui facit mirabilia magna solus.* De qua re plura, Basilius Theodoretus, Chrysostomus, Augustinus in eadem psalmorum loca, & cursum Augustinus epist. 3. ad Volusianum. Interim non negandum, fieri posse quædã ab Angelis mirabilia, quorum causa & ratio cum nobis occulta sit, dici possunt, *miracula quoadnos, & secundum quid*, vt notauit idem S. Thomas cit. q. 110. a. 4. ad 2. 19

DVBIVM II.

Quas res Angeli loco mouere, aut sistere possint; an non solum corporeas, sed etiã alias spirituales substantias; & quo modo; an etiam impresso impetu; & virtute illimitata ad mouendum.

S. Thomas 1. p. q. 109. a. 4. & 110. a. 3.

1 DVo hac dubitatione quæruntur. Primum spectat subiectum mobile; cum enim ex dubio præcedenti constet, corpora ab Angelo moueri posse, nunc quæstio est, tum de Angelis, tum de animabus; an scilicet Angeli animas, & vnus Angelus alium Angelum loco mouere naturaliter possit; aut etiam in loco sistere seu detinere. Alterum pertinet ad modum mouendi; siue is spectetur ex parte medij, an scilicet fieri possit etiam impresso impetu seu impulsu, quo mediante Angelus moueat: siue spectetur ex parte subiecti, & virtutis motiuæ naturalis: vbi quæstio est, an hæc sit determinata, tam in ordine ad magnitudinem subiecti mobilis; quam velocitatem motus.

2 Assertio I. Angeli propria sua & naturali potentia, non solum corporeas substantias, sed etiam animas hominum; adeoque vnus aliquis eorum, etiam Angelum alium loco mouere, in eoque sistere potest. Hæc assertio quoad animas est communis sententia, & traditio Patrum, ac Theologorum, qui docent, animas damnandas, cum primum separantur à corpore, à dæmonibus violenter raptari ad tartara. De Angelis vero inter se comparatis res non est tam certa, nec ab antiquis Theologis admodum disputata; eam tamen tradunt Maior in 2. dist. 2. q. 7. Molina q. 52. a. 3. Suarez Metaph. disp. 35. sect. 6. n. 28. & hic lib. 4. cap. 28. Zumel hic q. 53. art. 3. q. 5. & Pesantius a. 1. disp. 2. etsi Vasquez disp. 194. cap. 3. contrarium sentiat, asserens, *frivolum esse, quod quidam comminiscuntur, Angelos aliquos tanta esse virtutis, vt aliquo impulsu quasi impresso alteri Angelo, ipsum moueant ad alium locum, vel aliter localiter agant*, cum hoc sit proprium corporum.

3 Sed abstrahendo nunc à modo, eum motum efficiendi, an scilicet fiat impresso impulsu, an non, probatur assertio I. Quia dæmones naturali virtute raptant & mouent animas damnatas ad infernum, vt dictum: nec enim vlla est ratio, cur hoc ab eis fieri dicatur virtute supernaturali; Ergo etiam Angeli possunt alios Angelos ita mouere: quandoquidem par est ratio vtrobique; tam ex parte mobilis, cum vtrumque sit spirituale, quam ex parte mouentis, saltem si Angelus alium Angelum mouens ponatur esse superior respectu huius, adeoque maioris virtutis naturalis. II. Angelus sua natura est loco mobilis ab extrinseco, nimirum à Deo; nec iste effectus, cum sit finitæ perfectionis, per se requirit infinitam virtutem; alias enim nec seipsum Angelus naturaliter mouere posset: Ergo non est ratio, cur negetur posse effici ab aliquo Angelo saltem superiore, eo, qui mouendus est. III. Omnis substantia viuens, quæ seipsam potest loco mouere, potest etiam ab alia sui generis moueri, si modo fortiorem habeat vim ad mouendum, quam altera ad resistendum: Vel quod idem est: Omnis substantia, quæ seipsam naturaliter loco mouere potest, potest etiam eadem vi naturali etiam similem sibi, adeoque capacem naturaliter motus localis, loco mouere; si modo alias virtute naturali huius resistentiam superet; vt patet tum inductione, tum ratione, quia eadem est potentia ad se, & ad aliud sibi simile mouendum, cæteris paribus. IV. Non male argumentatur Maior loc. cit. Angelus potest mouere corpus secundum omnes: Ergo potest mouere Angelum inferioris, vel eiusdem speciei. Denique nulla est ratio in contrarium.

4 Assertio II. Angelus non potest naturaliter mouere alium Angelum inuitum, adeoque resistentem, se superiorem, nec omnino æqualem; sed tantummodo inferiorem, siue secundum speciem, siue secundum rationem indiuiduam. Hanc assertionem quoad superiorem Angelum secundum speciem, expresse tradunt Maior, Suarez, & alij citati; eademque est ratio superioris secundum rationem indiuiduam, aut etiam plane æqualis; si quidem talis detur inter Angelos eiusdem speciei, naturalis virtutis excessus aut æqualitas. Ratio est. Quia à proportione inæqualitatis, aut etiam omnimodæ æqualitatis, tam ad agendum ex vnius parte, quam ad resistendum ex parte alterius, non sequitur actio; sed bene ab excessu virtutis ad agendum respectu passi ad resistendum; quo autem Angelus natura superior est, eo habet maiorem vim agendi & mouendi, quam inferior; ac proinde etiam habet maiorem vim ad mouendum, quam hic ad resistendum: Ergo potest hunc quamuis inuitum & repugnantem loco mouere. Etsi Zumel loco citato putet, nec inferiorem quidem Angelum posse inuitum loco moueri à superiori, sed absque fundamento, vt recte Suarez hic loco citato num. 9. & 10.

5 Assertio III. Potest tamen Angelus inferior naturaliter loco mouere etiam superiorem, si hic non resistat. Ita Suarez cum alijs loc. cit. Ratio est. Quia cum alioqui superior Angelus sit naturæ suæ mobilis loco; & resistentia illa arbitraria sit ipsi, sane hac sublata, nihil est, quod motui etiam ab inferiore adhibendum impediat. Nec enim, vt in corporibus accidit, resistentia illa in Angelis naturalis & necessaria est: alioquin etiam respectu motus intrinseci resistentiam haberent; sed arbitraria, vt dictum. Nisi quis dicat, propter naturalem improportionem, & defectũ virtutis, ex parte Angeli mouentis, fieri non posse, vt Angelus inferior superiorem vnquam mouere naturaliter possit; sicut corpus non potest mouere spiritum, &c. Quod non videtur omnino incredibile.

6 Assertio IV. Diuina autem virtute fit, vt sicut Angelus malus, licet natura superior, nequeat mouere inferiorem bonum; ita possit inferior bonus superiorem malum mouere aut sistere loco, quantumuis renitentem. Ita iuxta Sanctum Thomam quæst. 109. art. 4. Suarez, & recentiores citati pro assert. præcedent.. Ratio est. Non solum quia plane indecens est, & inconueniens statui beatorum, vt vim vllam patiantur ab vllo agente creato; nedum ab Angelis damnatis; sed etiam quia cuiusdam imperfectionis est, moueri solum ab extrinseco; quæ proinde imperfectio à beatis Angelis abesse debet. Qua de causa existimat Suarez hic numero octauo, etiam inter beatos Angelos, nunquam moueri vnum ab alio; non solum inuitum, sed nec etiam volentem. Præsertim quia Angelus beatus ad nutum alterius se mouet, quando alter imperandi potestatem habet; quo fit, vt sola locutio; sine alia extrinseca actione, inter sanctos Angelos sufficiat.

7 Nec obstat, quod Christus homo beatus à dæmonibus translatus & loco motus est. Christus enim simul Viator erat, cui sicut alia huius vitæ mala, & defectus naturales, vti mors & tormenta, ab extrinseco inferri potuerunt, ita etiam motus localis à dæmonibus, si quidem ipse illis nollet resistere.

8 E contrario autem, quia diuina lege & ordinatione dæmones nunc, in statu damnationis, Angelis beatis subiacent, eorumque potestate compescuntur & coërcentur, vt docet Sanctus Thomas loc. citat. & ex scriptura constat, hinc fit, vt diuina virtute Angeli beati, licet naturæ inferiores, possint dæmones quamuis resistentes facile loco mouere aut continere; quia virtus gratiæ maior est, quam naturæ: siue quia dæmonum vis alioqui naturalis ad resistendum diuinitus cohibetur; siue quia vis motiua Angeli beati diuino munere auctior est. Nec obstat, quod Angeli per peccatum naturalia non amiserunt; sed eadem etiam post peccatum integra conseruant. Hoc enim intelligendum est, de naturalibus viribus in actu primo spectatis; non autem de vsu ipso naturalium virium, vt etiam quæst. præced. dictum.

Atque hæc de subiecto mobili, ad priorem sui dubitationis partem pertinent. Ad alteram vero partem, de modo mouendi, sequentes assertiones spectant.

9 Assertio V. Cum Angelus alium Angelum seu spiritum loco mouet, non mouet impresso impetu; sed immediatè per seipsum. Ita à potiori Suarez citandus assert. 8. Ratio est. Quia hoc ex vna parte non est necessarium; siquidem Angelus potest mobile, cui præsens est, per seipsum immediate mouere, vt dicetur. Ex altera vero dubium est, an Angelus impetum seu virtutem motiuam immediate per seipsum mobili imprimere possit; & probabile est, non posse, nisi per instrumenta corporeum, quod respectu spiritus locum non habet.

10 Assertio VI. Quando Angelus corpori alicui secundum aliquam eius partem præsens est & permanet, tam potest & solet Angelus pro suo libitu id mouere immediate per se ipsum, sine vllo impetu ipsi impresso, adeoque etiam lapidem in aëre tũ oblique ciere; tum sistere vbi voluerit. Ita sentio cum Suarez Metaph. d. 35. sec. 6. n. 25 & hic li. 4. c. 31. contra Vasquez d. 182. d. 218. n. 9. vbi docet, non solum posse Angelum per se imediate imprimere impetũ corpori, eoq; mediante corpus etiam distans mouere; (quod docet etiã Molina q. 110 a. 3.) sed etiã necessariã esse eam impetus impressionem, quoties corp⁹ ab Angelo in medio aëre quasi suspensum detinetur, vel per aërem secundum lineam transuersam mouetur.

11 Probatur assertio. Primo enim modus magis connaturalis est, absque impresso impetu mouere; non solum quia per se minor hic violentia intercenit; sed etiã quia natura odit superflua; & quod æquè facilè & commodè potest fieri per pauciora, non solet fieri per plura: potest autem Angel⁹ corpus sibi præsens sine impetu impresso mouere; quia nec vis actiua, nec cõditio requisita ad hunc effectum deest. Deinde quod specialim ad detentionem corporis in libero aëre attinet, nihil opus est impetu impresso. Quia sicut Angelus per seipsum mouere corp⁹ potest, adeoq; successiuè & cõtinuo aliud & aliud vbi in eo producere; ita potest etiã per se imediate idem vbi constanter in eodem cõseruare, quo facto nihil opus est alio impetu seu qualitate ab Angelo impressa: sicut idẽ agens calidum vt quatuor, potest in aqua calore vt quatuor producere, & simul etiã perpetuo influxu eũdem conseruando, obstare, ne eadem aqua ad suum statũ naturalem frigiditatis se reducat. Idem est, cũ lapis ab Angelo in aëre per transuersam lineam mouetur; quia nec tunc opus est impresso impetu, sed satis est Angelo imediata sui applicatione, & permanente coniunctione cum eodem, eundẽ ita mouere; hæc ipsa enim efficacia Angeli per seipsũ immediate mouentis, sufficit, tum ad lapidem mouendum, tum ad eundem detinendum, ne descendat, vt bene Suarez cit cap. 31. n. 7. & 8.

12 Ex quo colligitur, reipsa etiam cœlum ab Angelo moueri, absque impresso impetu, seu virtute motiua & impulsiua in eodem producta: quia Angelus cœlo à se mouẽdo substantialiter præsens est; vt cum Aristotele lib. 8. Physic. c. vlt. & 2. de cœlo c. 2. docent S. Thomas 1. p. q. 52. a. 2. Bonauentura, Scotus, & alij in 2. d. 2. qui dicunt, Angelum esse in aliqua determinata cœli parte, vnde motum inchoat; potest ergo Angelus cœlũ per seipsum mouere, etiamsi ipse interim cum eo non circumuoletur; sed immobilis persistat: Ergo superuacaneus est impetus impressus. Deinde omnis impetus mobili impressus, cum in progressu deficiat & debilietur, hoc sua natura habet, vt initio celeri⁹, quam circa finem, aut medium, idem mobile moueat: motus autem cœli est æqualis & vniformis: Ergo impossibile est naturaliter, vt impresso impetu efficiatur. Quia tamen Angelus non potest totius cœli substantiæ immediatè præsens esse (sic enim simul etiam facile in cœlo posset esse, & in terra) ideo fatendum est motum cœli ab vna certa parte, cui præsens est Angelus, inchoari, & sic per totum corpus eiusdem cœli consequenter diffundi; ita vt non quidem tempore, sed natura prius

moueatur illa pars cui præsens est, hæc vero secum alias, ob mutuam solidamq; connexionem, quasi pertrahat, vt pluribus declarat Suarez cit. c. 31.

13 Assertio VII. Potest tamen etiam Angelus mediante corpore, seu instrumento corporeo, alteri corpori, mobili, impetum seu vim motiuam imprimere, & ita mediante impetu impresso mouere; idque reipsa necessario fit, quando Angelus mouens, mobili, dum ita mouetur, præsens non est. Ita Suarez hic & Metaph. disp. loc. citat. & consentiunt à fortiori Vasquez & Molina mox citandi. Ratio est, Quia quisquis per seipsum immediatè potest aliquod corpus mouere, eo ipso etiam potest idipsum corpus violenter impellere in aliud corpus; vt ita huic impetus seu vis motiua imprimatur. Quibus consentiunt ea, quæ à spiritibus nocturnis non nunquã factitari audimus, vt cum lapides, vasa, resq; alias in ædib⁹ hinc inde proijciunt, & collidunt. Ex quo sequitur Angelos posse mouere corpora, nõ solũ quasi portãdo, aut trahẽdo, sed etiam proijciẽdo, saltẽ mediante alio corpore, tãquam instrumento, vt dictum.

14 Assertio VIII. An vero possit Angelus per seipsum imediatè corpori imprimere impetũ, seu qualitatẽ motiuã, vel nõ, incertũ est, & vtrumq; probabile. Probatur & declaratur. Affirmantem enim sententiã tradũt Molina q. 110. a. 3. & Vasquez cit. d. 218. n. 9. & suaderi potest. Tũ quia vtroq; modo posse mouere corpus, scilicet immediate per se, & mediãte impetu seu impulsu, cuiusdã perfectionis est, quæ cũ hominibus conueniat, non videtur deneganda Angelis, cũ habeant virtutẽ motiuã multo præstantiorẽ, quã homines. Tũ quia eiusdẽ virtutis esse videtur, mouere aliquid violẽter, & qualitatem motiuam transeuntem ad hoc imprimere.

15 Negatiuam autem velut probabiliorem tuetur Suarez Metaph. d. 35. sec. 6. n. 24. & 25. tametsi hic cit. l. 4. c. 31. a. n. 9 rem in medio dubiã relinquat, ratus vtramq; partẽ esse probabilẽ. Ratio est, Tum quia ex cõmuni Doctorũ sentẽtia, Angeli nõ possunt aliquid extra se efficere imediate, præter motũ localem, non autem aliquã qualitatem, qualis est etiã impetus ille seu impulsus, qui nihil aliud est, omniũ sententia, quã qualitas motiua. Tum quia ex suo genere perfectior est mod⁹ ille mouẽdi per seipsum immediate, quam mediante impetu, non solum quia magis cõnaturalis est, vt dictũ, sed etiã qa hac ratione motus ipse magis in potestate mouentis est, eiusq; arbitrio plenius subiacet. Cũ ergo Angelus facile possit oñia mouere imediate per seipsum, vt ex dictis colligitur, non opus habet vi productiua impulsus: præterquã quod ipsum etiã impulsũ, si eo quandoq; op⁹ est, efficere potest saltẽ mediante alio corpore, velut instrumẽto, vt dictum; sicut etiã cæteras qualitates & formas, quas corpora per seipsa immediate producunt, Angeli non possunt producere, nisi mediantibus causis secundis vt dictum. Ex quibus etiam patet responsio ad contraria fundamenta.

16 Assertio IX. Vis motiua Angeli determinata est, non solũ quoad pondus mobilis, seu qualitatem corporis mouendi, si in motu resistentiã habeat; sed etiã quoad velocitatẽ motus, in quocunq; demũ mobili efficiendi: ita vt non possit Angelus naturaliter quodcunq; velit corpus & quanta velit celeritate loco mouere, sed vt determinatã suisq; viribus non imparem molẽ ea celeritate mouere possit, quæ naturali ipsius Angeli perfectioni respondeat. Ita ex cõmuni & certa Vasquez d. 197. Suarez Metaph. d. 35. sec. 6. & hic l. 4. c. 32. & Delrius l. 2. disquisit. Mag. q. 16. vbi etiam contrarium damnasse fertur articulus quidam Parisiensis.

Ratio est. Quia virtus motiua Angeli finita est: Ergo determinata ad certã veluti quãtitatẽ obiecti, & velocitatis perfectionẽ. Dixi tamen, *si mobile resistentiã habeat*: hinc enim tantũ, & nõ ex ipsa præcise magnitudine mobilis petenda est limitatio & determinatio virtutis motiuæ. Quod si corpus resistentiã ad motũ non habeat, vti est cœlũ, nil obstat, quo min⁹ aliud maius etiã in infinitum syncategorematicè ab Angelo moueri possit, vt recte Suarez hic lo. cit. & particulatim dicetur dub. seq. q. 4. dub. 3. Sicut ob eandem causam diximus supra, posse Angelum non resistentem etiam superiorem à quolibet inferiori Angelo moueri.

E contrario, si mobile resistentiã habeat, vt habent omnia grauia, imo etiã oñia sublunaria, siue ex se, siue ex parte medij, fieri poterit, vt mobile tãta sine resistentiæ, quæ ab Angelo naturaliter superari nõ possit, vti credibile est, reipsa ob hanc quoque causam, etiã abstrahẽdo à lege Dei hoc impediente, totã terrã ab vno Angelo moueri nõ possit. Vti verò nonnulli docuerunt, posse Angelũ seipsũ 3
maiori & maiori celeritate in infinitũ mouere, eo quod resistentiã non habeat, ita existimat Suarez hic non improbabile, posse Angelũ qualibet maiori celeritate in infinitum mouere cœlum, aliúdue mobile, quod nullã resistentiã habeat: sed contrarium est verius, vt ipsemet fatetur, & suo loco dictũ supra q. 2. du. 8. De motu verò cœlorum per Angelos pluribus agetur d. 6. q. 4. dub. 3.

DVBIVM III.

Quid particulatim de trãslatione sagarum ad earundem conuenticula sentiendum: an vere, & qua ratione à diabolo transferantur.

Ad S. Thomæ p. 1. q. 110. art. 3.

QVia generalis doctrina per se parum vtilitatis habet, nisi quoad opus est, etiam ad particularia, velut ad praxin possit applicari, operæ pretium est, illam multorum iudicijs ventilatam quæstionem, cum tredina hactenus doctrina coniunctam discutere, an nimirum, & qua ratione sagæ seu striges, vtriusque sexus, à dæmone verè & corporaliter transferantur, ad nocturna illa, quæ omnium ore celebrantur, conuenticula, in quibus omnis generis nefaria crimina, nefandasque voluptates exercent. Quæ quæstio tametsi ad iudicia de sagis rite ferenda non parum habeat momenti, non tamen, ad tribunalia iudicum, sed cathedras Theologorum ventilãda pertinet, vt pote ex principijs Theologicis potissimum, non ex fori legibus decidenda.

Sunt autem hac de re vniuersim duæ scriptorum sententiæ. Prima vniuersim negat, sagas siue

striges

striges verè & corporaliter ad eiusmodi conventicula à dæmone transferri; rati eas trãslationes solum esse phantasticas, & delusiones imaginarias, à dæmone huic hominum generi missas, vt somnijs delusi existiment, se vere corporaliter à dæmone transferri, cum reipsa tamen domi immobiles perseverent. Ita sentiunt nõ solum Catholici Scriptores communiter Wierus, Codelmanus, Agrippa, & Sectariorum huius temporis Antesignani, Luthe-rus & Melanchthon, quos refert Martinus Delrius lib. 2. Disquisit. Mag. q. 16. sed ex ijs etiam, qui Catholicum nomen profitentur, non pauci Iureconsulti seu phylici apud eundem, tum Itali, in quib⁹ Ponzinibius, lib. sing. Porta, Alciatus; tum Galli, speciatim Duarenus, Ærodius, Michael Montan⁹, & ex Hispanis, F. Samuel lib. sing. Author Fortalicij, Martinus de Arles; denique ex Germanis, Philippus Camerarius, Vlricus Molitor, Leonardus Vairus, & alij.

3 Cuius quidem sententiæ fundamentum præcipuum petitur ex Iuris Canonici decreto, Can. Episcopi 26. q. 5. qui tribuitur ibidẽ Cõcilio Acquirensi seu Ancyrano c. 1. Verba autem Canonis ita habent: *Episcopi, eorumq; ministri, omnibus modis elaborare studeant, vt pernitiosam, & à Zabulo inventam sortilegam magicam artem, ex parochijs penitus eradicent; & si aliquem virũ aut mulierẽ huiusmodi sceleris sectatorẽ inuenerint, turpiter deboneſtatum, de parochijs suis eijciant. Ait enim Apostolus* (ad Tit. 3.) *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est. Subuersi sunt, & à diabolo captiui tenentur, qui relicto Creatore suo, diaboli suffragia quærunt: & ideo tali peste debet mũdari sancta Ecclesia.* Hæc prima pars Canonis est. Sequitur altera.

4 *Illud etiam non est omittendum, quod quædam scelerate mulieres, retro post Satanam conuersæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur, se nocturnis horis, cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum, equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempesta noctis silentio pertransire, eiusq; iussionibus obedire, velut dominæ; & certis noctibus ad eius seruitium euocari. Sed vtinam hæ solæ in sua perfidia perisſent, & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo, hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, & credendo à recta fide deuiant, & errore paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut Numinis, extra vnum Deum arbitrantur.* Hæc est propositio de sagarum ei⁹ temporis crimine & infideli persuasione, sequitur decretum & constitutio, cui simul adiungitur ratio & declaratio.

5 *Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas, populo Dei omni instantia prædicare debẽt, vt nouerint, hæc omnino falsa esse, & non à diuino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Siquidẽ ipse Satanas, qui transfigurat se in Angelũ lucis, cum mentẽ cuiuscunq; mulierculæ ceperit, & hanc per infidelitatem sibi subiugauerit, illico transformat se in diuersarũ species personarũ, atq; similitudines, & mentẽ, quã captiuã tenet, in somnijs deludens, modo lata, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostẽdens, per deuia quæq; deducit: & cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, sed in corpore euenire opinatur.* Ad confirmationem autem rationis spectant sequentia.

Quis enim non in somnijs, & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquã videtur vigilando? Quis vero tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiã in corpore accidere arbitretur? cũ Ezechiel Propheta (c. 1. 2. &c.) *visiones Dei in spiritu, non corpore vidit, & Ioannes Apostolus Apocalypsis Sacramentũ, in spiritu, non in corpore vidit & audiuit, sicut ipse dicit, statim in spiritu* (Apocal. 1. v. 10.) *fui in spiritu. Et Paulus* (2. Cor. 12.) *non audet dicere se raptum in corpore.* 6 His denique subiungitur confusio Canonis, in qua definitio repetitur & extenditur.

Omnibus itaq; publicè nunciandũ est, quod qui talia, & his similia credit, fidẽ perdit, & qui rectã fidem in Domino non habet, hinc nõ est eius, sed illum in quẽ credit, id est, diabolo. Nãde Domino nostro scriptũ est (Ioan. 1. v. 3.) *Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquã creaturam in melius aut in deterius immutari, aut transformari in aliã speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior.* 7 Ita Canon.

Ad quem, vt apparet, respiciens Burchardus li. 19. c. de arte magica, ita scribit: *Credidisti, vt aliqua fœmina sit, quæ hoc facere possit, quod quædam à diabolo decepta, se affirmant necessario & ex præcepto facere, id est, cum dæmonum turba, in similitudinem mulierum transformata* (quam vulgares stultitia Haldam vocat) *certis noctibus equitare debere, super bestias, & in eodem se consortio annumerandam esse, si particeps fuisti istius incredulitatis, annum vnum per legitimas ferias pœnitere debes.* 8 Ex quibus satis patet fundamentum primæ huius sententiæ.

Sed nihilominus vera & certa est contraria sententia, striges non raro etiam vere & corporaliter ad sua illa conventicula à dæmone transferri. Ita nunc habet communis Theologorum ac Iurisperitorum inter Catholicos sententia: quam ex Theologis tradunt Guilielmus Parisiensis part. vlt. de vniuerso c. 23. Abulensis in c. 4. Matth. q. 47. Sylvester V. Hæresis. n. 3. Caietanus 2. 2. q. 95. a. 3. Alphonsus à Castro de hær. punit. c. 16. Sixtus Senensis l. 5. Biblioth. annot. 73. Victoria relect. de Mag. q. 7. Picus Mirandulanus l. 3. dialogo strix, Angles in 2. q. vn. de Mag. a. 4. Binsfeldius conclus. 11. Delrius lib. 2. Disquisit quæst. 16. & lib. 5. sect. 16. & apud eundem ex Canonistis Turrecremata, Remigius, Grillandus, Basinus, Pegna, Arnoldus & Malleus Maleficarum; quos sequitur Nauarrus Man. cap. 11. numero 38. Idem habet Inquisitorum fidei à summis Pontificibus constitutorum, & omnium in Italia, Hispania, Germania, Gallia, Ecclesiasticorum tribunalium communis sensus & praxis, vt videre est, tum ex gestis & fama publica, tum ex diuersis Bullis Pontificum ad Inquisitores fidei cõscriptis, speciatim Innocentij VI. Iulij III. Adriani VI. Clementis VII. relatis apud Binsfeldium edit vlt. & Delrium lib. 5. sect. 16. 9

Idque probatur non solum constanti & concordi confessione ipsorum vtriusque sexus veneficorum, sed etiam alijs varijs aliorum experimẽtis, & oculari inspectione, quibus fides sine temeritate denegari non potest, vt videre est apud citatos. Quibus accedit Theologica ratio. Nam

vt dub. 1. & 2. probatũ est, Angeli tam boni quam mali habent naturalem vim & potentiam corpora localiter mouendi, qua proinde etiam dæmones reipsa facile vtuntur; sicubi & ipsi hoc suis rebus opportunum esse norint; & Deus, vtid faciant, permiserit: non est autem ratio, cur vbiuersim Deus id fieri prohibeat: cum & olim in rebus alijs, & in seipso fieri hoc permiserit; & potestatem sæpe non minorem permittat dæmonibus, ad alia mala hominibus inferenda, vt in Energumenis videre est.

10 Ceterum qua ratione hæc veritas cum citato Canone conciliari possit, non eodem modo explicant authores. Nauarrus loc. cit. Man. cap. 11. num. 38. citatum Canonem ita explicare videtur, vt communiter quidem & regulariter locum habeat: nihilominus in aliquo raro casu etiam oppositum verum habere possit. Ita enim cum hunc Canonem citasset, scribit: *Peccat mortaliter qui credit, veneficos, aut veneficas, vel striges corporaliter per aëra vehi, ad diuersa loca, vt illi existimant. Quamuis credere, quod aliquando, licet raro, dæmon aliquas de loco in locum, Deo permittente, transferat, non est peccatum: & experientia iudicum compertum est, in Germania, & traditur in malleo maleficarum & probatur rationibus late deductis ibidem.* Ita Nauarrus; in quem sensum etiam citatum Canonem intellexisse videtur Caietanus loc. cit. quẽ pro se allegauit Nauarrus. Verum si Canonis mens fuit, penitus negare translationem, non licet exceptionem ab eo facere.

Alij vero putant, hunc Canonem non spectare ad nostri temporis striges; sed alias mulieres illas, quæ describuntur in eo Canone: quasi nostræ quidem corporaliter transferantur; non tamen de illis hoc sentire fas sit, ita definiente Canone. Ita Alphonsus à Castro lib. 1. de punit. hæret. cap. 16. sed reuera parua est differentia inter vtrasque mulieres; nec quoad translationem ratio vlla diuersitatis, cur illæ solum phantastice, hæ reuera transferri à dæmone existimari possint, vt recte etiam Vasquez disput. 184. cap. 3. num. 16.

Alij vt breuius, & vndiquaque ab hoc Canone se expediant, putant, hunc Canonem nullius auctoritatis esse. Quod fusè persuadere conatur Delrius lib. 5. Disquisit. Mag. sect. 6. & 16.

11 Equidem de hac re sane graui & difficili ita iudico. Primum existimo, huic decreto Ecclesiastici Canonis authoritatem derogari non posse: quod his rationibus probatur. I. Quia Canon hic corpori Iuris Canonici, & iam olim ab antiquo, & nouissime à Gregorio XIII. recognito & approbato, ita insertus est, vt nullo verbo aut signo, quod in alijs suppositicijs fieri solet, ei Canonis Ecclesiastici authoritas abrogetur.

II. Quia à glossa, alijsque Canonistis & interpretibus ibidem ita receptus est, vt nec vnus quod sciam Canonista eum repudiet, quem ita etiam, vti diximus, recipiunt Burchardus, Nauarrus locis citatis: nec Theologi hactenus eum repudiarunt; sed defendit recens etiam Suarez tom. 1. de relig. lib 2. de superstit. cap. 16. n. 26. nec dubitant Vasquez disp. 184. cap. 3. & Valentia disp. 4. q. 2. pun. 2. Durum est autem in materia propriè Canonica, & Canones concernente, à communi Canonistarum omnium cæterorumque Doctorũ sententia recedere.

III. Idem Canon prima etiam origine suâ maximæ & vetustissimæ auctoritatis esse comprobatur; cum sit vel ipsius Concilij Ancyrani I. vt Gratianus, & communiter Canonistæ, & Doctores in decreto ibidem notarunt; non quidem vnus ex ordinarijs eius Concilij Canonibus, sed ex quadam appendice, seu generali decreto ab eodem Concilio edito, vt referunt Binius tom. 1. Conciliorum (vbi etiam Concilium illud Ancyranum refertur approbatum à Concilio Nicæno) & Carranza in summa Conciliorum, sub finem Concilij Ancyrani, vbi refert, id approbatum à synodo Trullana can. 2. vel certe sit Damasi Papæ, è quodam Concilio Romano, vt sentiunt Baronius Anno Christi 314. & Binius loc. citat. Quandoquidem prorsus similia leguntur in vita Damasi Papæ, quæ exstat Romæ, in peruetusto de vitis Sanctorum Codice S. Mariæ Maioris; vbi postquam reliqua relata essent ex synodo Romana, in qua Damasus Macedonium & Apollinarem damnauit, adiungitur, *anathematizatos in ea synodo esse, maleficijs, superstitionibus, & incantationibus seruientes*: ac simul, ne quis alio hoc trahat, expressa fit mentio earum mulierum, quæ putabant, *si nocturno silentio, cum Herodiade, & vniuersa multitudine mulierum, super bestias equitare, & multa terrarum spatia peragere*, vt refert recens quædam annotatio Gregorianæ editionis Decreti. Et fieri etiam potest, vt Canon ille à Concilio Ancyrano dudũ editus, denuo quasi renouatus, & ad praxin reuocatus fuerit decreto Damasi, vt bene Suarez loco cit.

IV. Accedit, quod de mulieribus illis eadem habentur tom. 3. Augustini lib. de spiritu & lit. cap. 28. qui etsi non sit Augustini, sed authoris non paulo recentioris, *est tamen liber doctus & pius*, vt censet Bellarminus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Augustino: & multo verisimilius est, hunc auctorem ex illo decreto partem descripsisse, quam contra.

V. Denique nullum est firmum argumentum, quo probetur, Canonem illũ suppositicium esse, imo nullum fere aliud, quam quod à materiæ in eo decisæ & assertæ inconuenientia nouiter à nonnullis desumptum est; quod argumentationis genus ad conuellendam antiquorum scriptorum, & antiquitus receptorum authoritatem, & per se odiosum, & sæpe fallax, & hoc loco importunum infirmumque est; cum sine vllo absurdo Canonis illius doctrina recte explicari & defendi possit, vt mox dicetur.

Neque admittere aut credere possumus, quod sine sufficienti probatione asserit, an suspicatur Delrius cit. lib. 5. sect. 6. quædam quæ scilicet minus probantur, à Burchardo, vel aliis inserta; cum ea dudum ante Burchardum, siue in decretis ipsius Concilij Ancyrani, siue in vita Damasi, legantur; vt taceam auctorem libri de spiritu & litera locis citatis. Ex quibus omnibus concludimus, hunc Canonem, secundum id, quod in eo

Digitized by Google

per se & principaliter intentum ac definitum est, plane habere vim Ecclesiasticæ regulæ. Et hoc est primum pronuntiatum, quod de hac re statuim⁹.

12. Secundo dico, priorem partem citati Canonis nihil habere difficultatis, sed plurimũ vtilitatis & solidæ prudentiæ: vt magi scilicet & venefici deprehensi *turpiter dehonestati*, ex Ecclesia seu fidelium congregatione eijciantur. Ex quo patet etiam crimen hoc iam olim à foro imprimis Ecclesiastico fuisse diiudicatum: id quod postea etiam Ecclesiæ praxis non immerito obseruauit. Cum enim ipsa per se Magiæ, Infidelitatis, Idololatriæ, & sacrilegij crimina, quę in veneficis præcipua esse solent, plane ad forum Ecclesiasticum spectent, assimul etiam circa consuetudinem nefariam cum diabolo, aliorumque maleficiorum perpetrationem, quam plures sæpe difficultates sese ingerant, quæ non solum prudentem Iurisconsultum, sed & acutũ quoque Philosophum, grauemque Theologum exercere ac dubium reddere possint, plane optandum videtur, vt præter humani Iuris peritorum prudentissimos quosq; & pijssimos Iudices, etiã Theologus grauis & eruditus, tam graui ancipitiq; & periculoso Iudicio, quasi Inspector siue director adiungatur; eo saltem loco futurus, quo cõmodo ab alijs consuli possit. De quo plura tomo 3. de processu aduersus sagas.

Tertio. Sed & quod ad posteriorẽ eiusdem Canonis partem attinet, in qua de mulierum translatione agitur, cum omnes quidem fateantur, sæpenumero mulierculas illas præstigijs ac somnijs à diabolo immissis deludi, vt existimẽt, se vere trãsferri, cum reuera non transferuntur: illud mihi etiam simul persuadeo, nõ malè, nec imprudenter scripsisse Caietanum, & Nauarrũ locis citatis, qui censent, sæpius quoad hoc deludi sagas, quã vere localiter transferri; quod etiam sentit Vasquez d. 184. c. 3. etsi post Iaquerium, Sprengerum, Binsfeldium, contrarium sentiat Delrius l. 5. sect. 16.

Moueor his rationibus. I. Quia modus hic operandi, & per delusiones phantasticas decipiendi hominem, magis est familiaris & consentaneus dæmoni, qui mendacij Pater est, & ab impostoris diabolus dicitur. Patet hoc in alijs eiusdem operibus, quæ erga sagas exercet, vt cum pecunijs, epulisque falsis & præstigiosis sæpissime sagas decipit & ludificat. Et cum dæmon ex assensu & approbatione etiam phantasticorum criminum parem propemodum fructum, in animarum perditione, Deique offensa positum, habeat, parum ipsius interest, virtutene, vt ita dicam, an fraude vincat, animasque irretiat.

II. Delusio eiusmodi phantastica, facillima est diabolo, iuxta doctrinam generalem S. Thomæ 1. p. q. 111. a. 3. & q. 16. de malo a. 11. præsertim circa id genus mulierculas pathicas & plerumque semifatuas, si non etiam, vt Caietanus loquitur, *insensatas ac melancholicas vetulas*. E contrario realis illa & corporalis translatio non leui etiam opere & labore constat diabolo: non solum quia iumẽti quodammodo operã præstare debet tã vilib⁹ propudiis; sed etiã quia in corporibus phantasticis cõpingẽdis, varioq; adornãdo apparatu epularum, symphoniæ &c. vario opus est labore & industria.

III. Cum sine diuina permissione nihil horum à diabolo fieri possit, iure creditur, facilius à Deo permitti, vt somnijs & imaginationibus deludat sua mancipia, quam externa & reali translatione toties oblectet.

IV. Cũ pleræque ex strigibus sint matrimonio iunctæ, quæ in eodem cum viris thoro cohabitare solent, impossibile esset moraliter, si frequenter totis propemodum noctibus à viris abessent, quin earum absentia à viris notaretur: & tamen cum sæpe decem, viginti, triginta & amplius annis in eo statu veneficij viris cohabitarint, nunquam tamen audiuimus, à viris aut earum præsentiam fuisse desideratam, aut absentiam nocturno & suspecto illo tempore animaduersam. Dicere autem, quod mariti vel ab ipsis vxoribus sagis, vel à dæmone, immisso tam profundo somno aut somnio, vel etiã substituto vxoris loco, trabe aut phantastico corpore, & inter tot conatus nunquã fallente euentu, quasi pro arbitratu deludantur, videtur incredibile. Tum quia patribusfamilias quamplures facile seu ordinariæ seu extraordinariæ solent occurrere causæ rumpendi somnum. Tum quia incredibile est, Deum facile & adeo frequenter permittere, vt innocui mariti, præsertim etiam alieno corpore substituto, non sine peccati periculo, quasi pro arbitratu diaboli deludantur.

V. Multæ etiam ex his sagis, tum coniugatæ, tum solutæ puellæ, de nocte, tum ferreis clatris in fenestras inductis, tum occlusis foribus cubiculi, totiusque domus ita quasi obseptæ sunt, vt nec aperire pronum sit diabolo fores, quin aliquis subinde strepitus audiatur; nec tamen, nisi apertis januis educere possibile sit, vt inferius dicetur.

VI. Ipsæmet sagarum confessiones tem sæpe 13
dubiam admodum reddunt. Tum quia non consentiunt in denuntiatione frequentationis conuenticulorum, quæ inter se complices ipsæ celebrarint, & adiuerint; tum quia per rimas, fenestras, aut foramina tam angusta, sæpe etiam in aliena forma felis, aut muris, aut auis, à diabolo abductas se fuisse confitentur, vt nulla ratio permittat credere, eiusmodi translationes fuisse veras, & non phantasticas. Præterquam quod aliquæ frequenter, aliæ non nisi raro corporales fieri translationes, præsertim coniugatarum, asserunt.

VII. Viri pij, docti, & prudentes, qui diu eiusmodi feminarum confessionibus audiendis operam dederunt, partim & quidem non raro dubij & perplexi redduntur, an reuera ijs, quæ in hoc genere sibi cõtigisse asserũt sagæ, sit fides habẽda, an potius delusæ somnia pro factis narrẽt; partim etiã manifestè experiuntur, nõ raro delusiones & somnia esse, quas ipsæ corporales translationes esse firmissime sibi persuaserunt.

In quo genere Caietanus, qui tamen vt appareat, non diu admodum hanc materiam tractauit, duo exempla notatu digna refert cit. 2. 2. q. 95. a. 3. cuius verba referre placet: *Contingit*, inquit, *& secundum interiorem sensum apparitiones dæmonem causare, vel in alienatione à sensibus, siue per nimiam attentionem, accidit superbis contemplatiuis,*

qui à

qui à dæmone illuduntur in varijs imaginibus; siue per vnctionem corpoream, vt accidit his, qui ire se credunt, vespere quintæ feriæ, ad ludos Dianæ; vel similia diabolica. Sunt enim hæc in imaginatione, vt experienti teste visum est à fide digna persona, quæ mihi narrauit, se vetulam illam, quæ promiserat, se ituram in suam cameram, nocte illa inuenisse nudam, in propria camera insensibiliter constitutam. Vnde & postea conuertit eam ex tali confusione.

Ego quoque ab vna muliere amante quendã, scio, quod diabolus vnxit eam nudam, suadens illi, quod sic duceret eam ad domum sui dilecti, & postmodum, postquam fuit extra se multo tempore, & vrederet se cum dilecto suo fuisse, &c. inuenit se in suo loco, ita lassatum, quod refocillatione indiguit. &c. Et nisi ego declarassem ei, quod imaginatio fuit, & ex tali imaginatione ita lassa esset, nesciret forte vsque hodie, quod illud non fuerit in veritate. Ita Caietanus; & similia referuntur etiam apud Abulensem in cap. 13. Gen. q. 354. Delrium & alios, & ab ipso etiam Augustino lib. 18. de ciuit. cap. 18. Est ergo probabile, sæpius hac in re deludi sagas, quam vere transferri. Denique hoc saltem etiam probat authoritas citati Canonis; in quo idem etsi non definitur tamen supponitur, vt dicemus.

14 Quarto nihilominus moraliter certum est, sagas quandoque ad eiusmodi conuenticula à diabolo vere tranferri; neque id de nostris strigibus, iam ab annis circiter centum quinquaginta publice cognitis (vt post Bernardum Commensem notauit Delrius cit. lib. 5. sect. 16.) vllo modo negari potest, vt superius probatum est. Neque desunt vtiles regulæ, quibus eiusmodi phantasticæ translationes à veris discernãtur, vt videre est apud Delrium ibidem. Sane quidem putandum minime est, striges à dæmonibus, è quibuslibet etiam occlusis locis ita transferri, vt muros ipsos, aliáue vlla corpora penetrent: sed fit ea ex locis occlusis translatio, aut silenter celeriterque remotis, ac mox rursum repositis ianuarum repagulis, aut per caminum, seu fenestram, tali corpori saltem presse capiendo sufficientem; nonunquã etiam forte tabula remota, ac denuo restituta; quod de muro fieri ita subito posse, non videtur. De qua re vide Petrum Tyræum de locis infestis, & Delrium lib. 2. q. 16. & 17.

15 Quintò. Id vero quod de reali translatione sagarum diximus, cum definitione Canonis citati non pugnare, ita declaratur. Mens enim & intentio Canonis eo minime spectabat, vt definiret, an mulieres illæ reipsa ad nocturna illa conuenticula à diabolo deferrẽtur; sed an eo modo deferrentur, quo mulieres illæ deferri se iactabant, in ipsius Christianæ fidei pernitiem & contumeliam. Nimirũ palam affirmando, se veluti ad diuini cuiusdam numinis commercium ac societatem adscitas, nõ à malo dæmone raptas nec eo comite deductas, sed Diana Dea olim paganis celebrata siue Herodiade (ad Diuorum itidem felicitatem euecta) euocante ac honorifice ducente, bestijs quibusdam, ad hoc seruitium diuinitus destinatis, inequitantes, multarum terrarum spatia peragrare, nocteſque certas in eius, siue Dianæ, siue Herodiadis seruitio religiose consumere.

Id quod cum alij quam plures, inquit Canon, impie credant, *paganorum errore impie inuoluuntur; aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantes*: cum tamen hæc prorsus sint falsa; eaque phantasmata, non à diuino, sed à maligno spiritu proficiscantur; qui in somnis varijs modis homines, præsertim mulierculas eiuscemodi, iam antea per infidelitatem sibi deuinctas, solet deludere. Quo fit, vt cum solus spiritus eiusmodi phantasmatum illusionem patiatur, mens iam illa infidelitate impie præoccupata, ea nõ in animo, sed in corpore euenire opinetur.

Sed & aliorum etiam hominum nullus est, qui non plurimis visis & phantasmatibus in somno quandoque deludatur; neque tamen quisquã tam stultus est, qui hæc omnia (in somnijs scilicet visa) quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur. Neque vero vel ipsorum etiam Prophetarũ & Apostolorũ, speciatim Ezechielis, Ioannis, & Pauli diuinæ visiones & raptus in corpore, sed in mẽte acciderunt: quanto ergo minus, mulierculas istas, vt cũque diuini spiritus familiaritatẽ iactẽt, ipso etiã corpore vere à diuino quopiã Numine, in alienas terras rapi credendũ est.

Palam itaque omnibus denunciandum, eos qui talia, & his, quæ à mulierculis istis impie iactãtur, similia credunt, fidẽ pdere, ac in diaboli potestatẽ transire. Vnus est enim Deus, & Dominus, per quẽ facta sunt oñia. Quisquis ergo credit, aliquid fieri posse, aut creaturã vllã in aliam speciem, siue similitudinẽ posse transmutari, ab alio quopiã Numine, præterquã ab ipso vnico Creatore cœli & terræ, infidelis; & quia à vera fide Apostata, pagano deterior est. Hactenus Canonis sententia, quam ita etiam cõmuniter tradunt Doctores, speciatim Turrecremata in illum textum art. 3. Abulensis in c. 13. Genes. q. 354. Syluester V. *Hæresis* 3. Suarez cit. tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 16. fin. & ferè Delrius lib. 5. sect. 16.

16 Atque hanc esse ipsissimam mentem, & quasi paraphrasin Canonis illi9, quoad posteriorem illã partem, ex ipsis verbis Canonis aperte intelliget, quisquis hanc interpretationem cũ ipso Canone voluerit conferre: præsertim quando in eo tam aperte Dianæ, paganorum Deæ, fit mentio; simulque dicitur, mulierculariũ illarum, aliorũque similium persuasionem, fuisse *cũ perfidia & infidelitate coniunctam, & errorem paganorum inuoluisse; cum aliquid diuinitatis aut Numinis, extra vnum verum Deum arbitrarentur.* Item cum in ipsa definitione Canonis asseritur, *talia phantasmata non à diuino, sed à maligno spiritu mentibus fidelium irrogari.* Vbi vides, definitionem Canonis eo nõ spectare, vt ea trãslatio quoad substãtiã habeatur phãtastica; sed vt à diuino aliquo eiuscemodi spiritu, pfecta nõ credatur.

17 Et mox quidem in modo diabolicæ deceptionis explicando, ea ratio initur, qua ipsa etiã trãslatio phantastica esse significetur: potuisset enim alias Canon dicere, transferri quidem illas subinde, at non à diuino, sed à maligno spiritu, Diãæ aut Herodiadis speciem assumente: verum illud nec definitur; sed solum vt ratio & modus facilis rem definitam explicandi additur; qui vt plurimum fortassis etiam in illis mulierculis à

diabolo

diabolo fascinatis locum habebat; nec vspiam asseritur, translationem veram à diabolo nunquam fieri; sed non fieri ab aliquo Numine gentilitio, vti secum fieri mulierculæ illæ palàm gloriabantur. Quæ proinde tametsi quoad ipsam substantiam criminis, ipsorumque etiam diabolicorum conuenticulorum impiam celebrationem, cum nostris strigibus planè conuenirent; tamen ea gloriatione & sacrilega iactatione alieni Numinis à nostris differebant: tametsi nostræ quoque striges cum vnius veri Dei fidem abiurent, & dæmonis cultui ac veneration i se addicant, vtique alium quoque Deum, nempe diabolum ipsum, sibi pro numine constituant: sed quem tamen palàm velut Deum profiteri & iactare non audent.

18 Quo fit, vt neque Burchardus, neque Nauarrus locis supra citatis, mentem Canonis satis assecuti fuerint; neque tamen ex eo quicquam argumenti desumi possit, ad probandum, striges nostri temporis à diabolo ad conuenticula illa magica, quantumuis dissita non transferri.

DVBIVM IV.

An etiam sit in Angelo naturalis vis seu potentia productiua alicuius substantiæ vel qualitatis: & quid speciatim de sagarum conuersione in varias formas animalium, tempestatumq; noxiarum concitatione sentiendum.

S. Thomas 1. p. q. 110. a. 1. & 2.

1 DE hac re sequentes assertiones statuo. Assertio I. Non est in Angelis potentia, immediatè aut per se productiua vllius substantiæ; quare nec possunt ipsi vllam formam substantialem per se ac propria virtute producere. Ita Sanctus Thomas cit. quæstione 110. artic. 2. Bonauentura in 2. distinct. 8. part. 1. artic. 2. quæst. 2. Albertus dist. 7. art. 8. Ægidius quæst. 3. art. 1. Richardus artic. 4. quæst. 1. Durandus quæst. 4. Scotus d. 8. quæst. vn. Argentina quæst. 1. art. 2. Bassolis quæst. vlt. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 103. omnesque recentiores; quam idcirco etiam Vasquez disp. 218. cap. 1. vocat *concordem Scholasticorum sententiam*; & Suarez hic libro 4. cap. 25. num. 4. ait, *eam sine magna temeritate non posse negari.* quicquid & Plato olim dixerit apud Augustinum libro 12. de ciuit. cap. 24. Angelos ex præiacente materia produxisse res corporeas: alijque nonnulli hæretici apud Irenæum & Epiphanium contra hæres. damnati idcircò in Concilio Bracharensi I. can. 8. & 12. & fortè etiam notati ab Apostolo Coloss. 2. versu 8. & 18. creationem etiam quarundam substantiarum Angelis tribuerint. Contra quem errorem disserit S. Thomas 1. part. quæst. 44. art. 1. & quæst. 45. art. 1. & 5. & quæst. 61. art. 1. & quæst. 65. art. 1. & 3. & dictum nonnihil suprà quæst. 1. dub. 1.

Probatur assertio primum authoritate. Ita enim videtur definitum in Concilio Bracharensi cit. can. 8. vbi dicitur, *Si quis credit, quod aliquantus naturas diabolus in mundo fecerit: tonitrua & fulgura, & tempestates & siccitates, ipse diabolus authoritate sua faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Et can. 12. speciatim de plasmatione hominis: *Si quis plasmationem humani corporis, diaboli dicit esse figmentum, & conceptiones in veteris matrum, operibus dicit dæmonum figurari; propter quod resurrectionem carnis non credit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Quanquam cum hoc loco directè agatur contra Manichæos & Priscillianistas, qui hasce creaturas tanquam opera diaboli incusabant, mens fortassis non fuit, vniuersim negare, Angelos habere potestatem aliquâ Deo primo authori subordinatam per se producendi aliquas substantias. Huc spectat etiam Canon *Episcopi* 26. quæst. 5. ex Concilio Ancyrano citatus dub. præced. quem ad hoc propositũ etiam adducit Vasquez loc. cit. n. 5. Idem docent Ambrosius lib. 1. de fid. cont. Arian. cap. 8. & Augustinus lib. 12. de ciuit. cap. 24. & lib. 3. de Trinit. c. 7. & 8. Leo epist. 93. ad Turibium cap. 8. & fauet etiam Aristoteles 7. Metaph. cap. 6. à text. 22.

Secundò probatur ratione. I. Quia ad has formas producendas, sunt aliæ causæ naturales per se constitutæ; & quidem non subordinatæ Angelis: Ergo neque necessaria est hæc vis agendi in Angelis, neque rectè eis attribui potest: Tum quia vt natura in necessarijs non deficit, ita nec amat superflua, præsertim plures causas secundas & particulares, toto genere diuersas, & inter se non dependentes, ad eosdem effectus per se producendos destinando. Tum quia cum Angeli sint superioris naturæ, quàm agentia corporea, sanè si ipsi per se haberent vim producendi substantias seu substantiales formas, par esset, vt agentia corporea illis subordinarentur. 3

II Non est ratio, cur Angeli has potius formas substantiales, in se eminenter contineant, adeoque per se producere possint, quam alias; siue loquamur de formis actu existentibus, siue de possibilibus; omnes autem in se continere eminenter, solius Dei proprium est.

III. Substantiæ naturales omnes, producunt substantias mediantibus accidentibus velut instrumentis naturalibus; ac sua natura necessariò actiuis & productiuis suorum effectuum; in Angelis autem nulla talis potentia est cogitabilis, præsertim quæ per se possit producere tam varios effectus; cum in ijs non sit alia potentia ad extra operatiua, quàm potentia locomotiua, cui tam varij ac diuersi, imo etiam contrarij effectus attribui non possunt; cum adæquatus eius actus sit motus localis.

IV. Accedit ratio Sancti Thomæ citat. quæstione 110. articulo secundo. Quia vna substantia non potest producere aliam corpoream substantiam, nisi vel totam illam eminenter contineat, vt Deus, vel habeat similitudinem cum effectu, saltem in modo essendi, seu compositionis substantialis ex materia & forma, vt sunt substantiæ corporeæ: quorum neutrum inuenitur in Angelis: Ergo, &c.

4 Assertio II. Angeli per se non possunt etiam producere vllum accidens, seu qualitatem materialem corruptiuam. Ita cum Sancto Thoma, Richardo, Bonauentura, Argentina, Durando, Ferrariensi, locis citatis, ex communi Gregorius de Valentia disp. 8. quæst. 5. punct. 2. Molina quæst. 110. a. 2. Fonseca lib. 7. Metaph. c. 7. q. 7. sect. 1. & 3. Vasquez disp. 218. capite 3. Suarez Metaph. disputatione 35. sect. 6. & hic libro 4. capite 26. Probatur tum aliis rationibus pro præcedenti assertione adductis: tum quia si Angeli possent per se & propria virtute hæc accidentia producere, possent etiam per hæc ipsa producere formas substantiales; cum hæc accidentia sint naturalia instrumenta, siue dispositiones, ad producendam formam substantialem, verbi gratia, calor cum siccitate ad producendum ignem.

5 Assertio III. Angeli etiam per se non possunt producere vllam qualitatem materialem intentionalem sensibilem, puta lumen, aut species sensibiles. Ita citati. Et ratio sumitur tum ex assertione prima. Tum quia hæ qualitates, magis quam reales aliæ, ex sua propria ratione, certam causam efficientem deposcunt. Tum quia absurdum est dicere, Angelum posse per se illuminare aërem, absque alio corpore luminoso; item posse producere species visibiles, vel audibiles, siue obiecto; aut sonum sine vlla aëris percussione; hæc enim planè sunt incredibilia; & quæ si admittantur, facilè aperire viam poterunt, vt Angelis etiam plures aliæ præternaturales actiones tribuantur.

6 Assertio IV. Angeli etiam per se non possunt producere ad extra vllam qualitatem, seu accidens, præter vbi, seu motum localem; eiusue impetum. Ita cum Sancto Thoma & communiori veterum ac recentiorum Gregorius de Valentia, Molina, Vasquez locis citatis; etsi contrarium sentiant primum Thomistæ quidam, qui dum docent, cum Sancto Thoma in 2. dist. 15. quæstione 1. art. 2. Angelos nonnunquam agere per corpora tanquam instrumenta, etiam eleuando illa ad agendum aliquid vltra naturalem virtutem corporum, aiunt, hoc fieri per impressionem virtutis, quæ sit qualitas quædam intentionalis, vt docent Soncinnas 7. Metaphys. quæstione 25. & alij nonnulli Thomistæ. Alij docent, posse ab Angelo produci ad extra saltem qualitates quasdam intentionales spirituales, vt lumen intelligibile, conceptus, species intelligibiles; vt retulimus supra quæstione 3. dubio 2. 5. & 6. & in ijs etiam Suarezium, tametsi hoc loco cit. capite 26. nullam eius rei mentionem faciat. Ratio est. Tum quia accidentia materialia non producuntur nisi à causis materialibus, ob dictam superiùs rationem: accidentia intentionalia non nisi ab obiectis, vel à causa eminenter continente ipsa obiecta, vt est Deus; vel etiam ab intellectu quidem, seu agente, seu possibili, sed actione solum immanente. Speciatim verò contra instrumentariam illam virtutem ratio est. Tum quia si Angeli producerent in corporibus eiusmodi qualitates instrumentarias ad operandum, vltra naturalem virtutem corporum, tum necesse foret, eos esse causas principales eiusmodi effectuum: quod ipsimet authores isti negant. Tum quia nulla opus est virtute eiusmodi instrumentaria; cum ad eiusmodi effectus mirabiles & extraordinarios producendos, Angeli tantum applicent actiua passiuis, nec ad eos adeò aliud conferant, quam conditionem sine qua non; qua posita, agentia naturalia sua virtute eos effectus producunt, vt recte Molina loco citato, & dicetur assertione sequenti.

Assertio V. Possunt tamen Angeli, applicatione agentium naturalium, seu causarum secundarum, in rebus naturalibus efficere, quicquid per eadem causas naturales effici potest: & tum ob celeritatem applicandi; tum ob sollertiam miris modis eas inter se contemperandi, admirabiles sæpe effectus producere, qui secundum ordinarium alioqui naturæ cursum fieri non possent. Ita Sanctus Thomas quæst. 110. articulo 2. ad 2. & 3. & art. 4. ad 3. 3. & 4. & cum Magistro in 2. d. 7. omnes Doctores. Ratio est. Quia vt dictum dubio 2. & 3. Angeli possunt naturali virtute summa celeritate mouere corpora localiter, & quia cognitionem omnium rerum naturalium habent, ea singulari sollertia & artificio inter se commiscere, vt mutua eorum actione effectus ipsis agentibus & dispositioni materiæ proportionati admirabiles inde exoriantur. Qui tamen effectus non ideò simpliciter sunt miraculosi, cum sanè in virtute naturali causarum naturalium contineantur; sed solum secundum quid, & quoad nos, vt dictum dubio primo. De qua re eleganter & erudite disputat Augustinus citato libro 3. de Trinitate capite 7. 8. 9. 10. 7

Assertio VI. Non igitur possunt dæmones, siue Angeli, hominem seu corpus humanum conuertere & transmutare in bestias, seu corpora bestiarum: ac proinde transmutationes illæ strigum in varias formas brutorum; puta luporum, felium, bufonum, ranarum, auium, &c. non sunt veræ conuersiones, sed apparentes tantum, & fictitiæ. Ita Sanctus Thomas quæstione 114. articulo 4. ad 2. Caietanus, & Thomistæ ibidem, Petrus Tyræus de spirituum apparitionibus capite 14. Delrius libro 2. quæstione 24. & communis Doctorum, quos citauimus pro assertione secunda. 8

Probatur primò ex Augustino libro decimo octauo de ciuit. capite decimo septimo & decimo octauo, vbi hoc ex instituto docet & probat. Cum enim capite 17. obiectionem de Circe proposuisset his verbis: *Hoc Varro vt astruat, commemorat alia non magis incredibilia, de maga illa formosissima Circe, quæ socios quoque Vlyssis mutauit in bestias, & de Arcadibus, qui sorte ducti transnabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum similibus feris, per illius regionis deserta viuebant. Si verò carne non vescerentur humana, rursus post nouem annos, eodem renatato stagno, reformabantur in homines.* 9

Et capite decimo octauo addit sui temporis historias; *Nam & nos*, inquit, *cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi stabularias mulieres, imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent seu possent viatoribus, vnde in iumenta illicò verterentur, & necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent; nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamque seruari: sicut*

Apuleius

Apuleius in libris, quos asini aurei titulis inscripsit, sibi ipsi accidisse, vt accepto veneno, humano animo permanente, asinum fieret, aut indicauit, aut finxit. Ad hæc respondet ipse cit. cap. 18. *Hæc vel falsa sunt, vel tam inusitata, vt merito non credantur.* Et infra: *Nec sane dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de qualibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à vero Deo sunt creata commutant, vt videantur esse, quod non sunt.* Et addit: *Non ita solum animum, sed nec corpus quidem vlla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti: &c.*

10 Secundo probatur ratione. Tum quia, vt dictum, Angeli non possunt per se, aut formas substantiales, aut vlla accidentia materialia & corruptiua producere; sine quibus tamen ista conuersio fieri non potest; nec omnino quicquam in hoc genere possunt efficere, nisi quod vi causarum naturalium earumque applicatione effici potest: at vero vt cito ac subito, ac solo alicuius V. G. casei aut veneni gustu, corpus humanum in bestiale vere & realiter transmutetur, nulla ratione fieri potest. Tum quia etiamsi per causas naturales, aut etiam immediate per ipsos Angelos, posset subito ita in aliam figuram & temperiem commutari humanum corpus, fieri tamen non posset, vt anima humana illud informaret; vtpote quæ certam, & humani quidem corporis, non bestialis, figuram ac complexionem & dispositiones requirit; ideo enim cum ab his dispositionibus notabiliter dimouetur status humani corporis, mori hominem necesse est: postquam autem anima semel à corpore separata est, non potest denuo vlla virtute naturali ad corpus informandum reuocari; alioqui posset Angelus naturaliter mortuos ad vitam reuocare. &c.

11 Fieri igitur eiusmodi transmutationes videntur tantum, (præterquam quod nonnunquam mera figmenta sunt, vt de asino Apuleii, & similibus non immerito censet Plinius lib. 8.) siue quia sola phantasia strigum dormientium, aut etiam quandoque vigilantium à dæmone deluditur, vt existiment se esse, quod non sunt, vti etiam in Lycanthropiæ morbo accidere docet Pomponatius libr. 2. q. 28. siue quia dæmon effigiatum ex aere bruti corpus sagæ, aut sibiipsi, loco sagæ per phantasiam delusæ, circundat; vulnera simul vulneribus, in apparente bruti corpore, alicunde forte illatis, similia in corpore sagæ infligendo; siue quia aliquando etiam homini veras bruti exuuias circumponit; aut verum animal, loco soporati vspiam, ac somnio delusi venefici hominis substituit, agitatque, vt ferè etiam docet Augustinus citat. lib 18. de ciuit. cap. 18. & pluribus persequuntur citati, atque etiam Alensis 2. part. q. 43. mem. 3. a. 1. & Gabriel in 2. d. 8. quæst. 1. art. 2 3.

12 Nec obstat, quod vxor Loth, eiusue corpus, in statuam salis conuersa est Genes. cap. 19. v. 26. quodque Nabuchodonosor ad vitam & victum bestiarum redactus, Daniel. 4. vers. 30. Primo enim hæc non virtute Angelica, sed diuina facta sunt; neque impossibile est quicquam in hoc genere Deo, vt etiam notauit Augustinus cit. cap. 18. Deinde quod ad Nabuchodonosorem attinet, verius est eius corpus non fuisse transmutatum substantialiter in corpus bestiale; sed potius in humano corpore ad vitam seu victum bestiarum translatum, vt indicatur cit. loco Danielis, vbi dicitur: *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium*: manente nimirum nihilominus figura & idiomate humani corporis.

Assertio VII. Possunt quidem Angeli seu dæmones seu sponte sua, seu per sagas externo aliquo symbolo ac quasi tessera fidei datæ, euocati, DEO permittente, tempestates noxias ciere; adeoque imbres, grandines, pruinas, fulmina, typhones, procellasque excitare vel immittere: at non nisi applicatione & interuentu causarum secundarum & naturalium; aut etiam per solum motum localem. Ita iuxta Sanctum Thomam citata quæstione 110. articulo quarto ad 2. communis Doctorum apud Binsfeldium quæstione quarta, & in libro quarto Cod. de Malefic. & Mathem. & apud Delrium libro 2. quæstione 11. contra Senecam lib. 4. quæstionum natural. vbi negat hanc potestatem sagis ac dæmonibus. Sed res adeò certa est, tum ex confessionibus sagarum; tum aliis argumentis, vt sine temeritate non possit negari. 13

Probatur primò ex Scriptura Iob. 1. versu 16. & 19. vbi narratur ex Satanæ procuratione ignem seu fulmen de cœlo lapsum, tactas oues puerosque consumpsisse; & rursus ventum irruisse à regione deserti, & concussisse quatuor angulos domus, oppressis liberis ipsius Iobi. Item Apocal. 7. versu primo, referuntur quatuor Angeli *stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram.* Et capite decimo quinto & decimo sexto, septem Angelis committuntur septem plagæ nouissimæ. Vbi speciatim capite 16. vers. 17. dicitur: *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno dicens, Factum est. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit, &c.* 14

Deinde idem confirmat ratio. Quia Angeli per se quidem res aut qualitates corporeas non possunt producere, ex dictis assert. 2. & seq. attamen possunt causas secundas ad eas efficiendas applicare, vt dictum assertione quinta. Quod in præsenti materia facile ipsis esse, ita ostenditur. Etenim materiam quidem vaporum exhalationumque facile est ipsis, aut iam productam aliunde celerrimo motu adducere, vt accidit Iob. 1. versu decimo nono; aut subinde, fauente præsertim cælo, in cauernis terræ, montiumque recessibus, vbi etiam aquæ calidæ, item nitri, sulphuris, & aluminis copia est, igne excitato, nouaque adeò agentium naturalium applicatione producere. Ex parte verò causæ efficientis, aliud opus non est, quàm vt dæmon eiusmodi materiam ad eam aëris regionem, plerumque mediam, euehat, in qua tum causæ superiores, tum calor aut frigus circumstans, vim suam ad efficienda eiusmodi meteora ex subiecta materia requisitam, aptè exercere possint. Ad quam rem conferre potest tum certa figuratio & collocatio vaporum, exhalationumque, respectu 15

radiorum solis; maiorque vel minor, in eadem media regione aeris, eleuatio; tum obseruatio syderum, & aspectuum, ad eiusmodi tempestates ciendas idoneorum; quarum rerum dæmon est scientissimus. Nec impossibile videtur, vt sereniſſimo etiam cœlo tonitrua à dæmone excitentur, sola concussione & commotione aeris, ab eodem profecta; sicut nec vt lapis, aut viscosa aliqua exhalatio in altum eleuata, accensa, non accensa; aut etiam particula quædam solius aeris violento motu, fulminis instar, ab eodem in terras euibretur; etiam nulla interueniente alia causa secunda motum ciente.

16 Nec obstat Concilii Bracharensis Canon 8. superius assert. 1. citatus. In eo enim solum negatur, diabolum eiusmodi tempestates excitare propria *sua authoritate*; hoc est per se & independenter à permissione diuina, sicut Priscillianus dixerat.

Dixi vero in assertione, dæmonem aliquando à sagis euocatum hoc facere; quia sagæ vtcunque ollam suam commisceant vel affundant, hoc non faciunt, nec quidem per modum applicantis actiua passiuis, sed vt Sanctus Thomas citat. quæstion. 110. articulo quarto ad secundum, ex Augustino lib. 83. quæst. 79. dicit, hæc magi per dæmones faciunt, seu per pactum initum cum dæmone; quia iuxta pactum, externo illo symbolo euocatus, adest, & postolatum effectum, mediantibus causis secundis operatur, vt dictum.

DVBIVM V.

An & qua ratione possint Angeli assumere corpora; & per ea actiones vitæ exercere.

S. Thom. 1. p. q. 51. a. 1. & 3.

1 HAbet hæc res difficultatem non paruam, præsertim quando particulatim ad dæmones cum strigibus negotiantes applicatur. Difficulter enim explicari potest assumptio illa corporum tam frequens, tam subita, tam ad sensum solida, vt non solum à sagis, velut genuina hominum aut bestiarum corpora, videri & tangi; sed & omnis libidinis cum iisdem exercendæ instrumenta esse possint, vti ex confessionibus sagarum est manifestum; similis ratio est bonorum Angelorum, quando ab hominibus contrectari se permiserunt, vt in tribus Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, in Angelo Tobiæ, & similibus accidit. Quæ res proindeetiam valde dubium habuit Augustinum in Enchiridio capit. 59.

2 Ratio difficultatis est I. Quia hoc dæmones facere non possunt, nisi vel insessione agitationeque verorum animalium; quod tamen de hominibus aut humanis corporibus, nemo facile dixerit: de aliis bestiis vniuersim nec dixit hactenus quisquam; nec est ratio asserendi: vel per nouam productionem seu formationem phantasticorum corporum, mediante motu aut etiam actione naturalium agentium; vti quidem communiter fieri existimatur. Cum autem actio hæc omnis fiat, interuenientibus qualitatibus primis, puta calore, frigore, humiditate, siccitate; contemperationeque secundarum, inprimis densitatis & raritatis; quarum actio aut mixtio omnis, quia intercontraria est, successiua est; qui fieri potest, vt momento quasi, omnibusque promiscue locis, hæc omnia à diabolo aut fiant, aut fieri videantur; corporis, inquam, humani figmentum cum ea tot organorum varietate & distinctione, sine qua corpus humanum, tactus præsertim, & oculorum iudicio, nec videri quidem potest?

II. Aut si hæc omnia ita facile fieri possunt, cur magi Pharaonis non potuerunt suis incantationibus efficere sciniphes? Exod. 8. v. 18. 3

III. Cur nullum agens naturale fuit hactenus visum, quod elementa reuelue alias in humanam speciem ita subito conformare posset?

IV. Qua ratione Christus à mortuis resurgens, adeo diserte vel ipso tactu verum corpus à phantastico discerni posse docuit? *Videte*, inquit, *manus meas, & pedes; quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Luc. 24. v. 39.

V. Cur ipse etiam cibi assumptione, se verum esse hominem demonstrauit? Ibidem v. 43. Hæc sunt, quæ difficultatem faciunt.

Assertio I. Certum dogma est, Angelos, seu bonos, seu malos, vere aliquando assumere corpora, præsertim humanæ figuræ; in quibus appareant. Ita docent omnes Scholastici, cum S. Thoma cit. q. 51. a. 2. & cum Magistro in 2. dist. 8. excepto Vdalrico, qui putat eiusmodi apparitiones solum fieri per illusionē phantasiæ & sensuum; & citat pro eadem sententia Albertum Præceptorem suum, apud Dionysium Carthusianum citat. dist. 8. q. 1. cum tamen Albertus in 2. d. 8. artic. 2. & in opere de quatuor coæuis 1. p. quæst. 9. artic. 10. & 11. & in sum. tractat. 9. quæstion. 33. expresse docuerit oppositum, vt etiam ex parte notauit ibidem Carthusianus. 4

Probatur assertio primo ex Scriptura, quæ sæpius eiusmodi corporum assumptionem ab Angelis factam tradit. Ita enim tres Angeli apparuerunt Abrahæ, in specie virili; qui etiam comedisse ab eo visi; ac postea Sodomam ingressi, vltrice flamma nefandum scelus expiarunt. Genes. 18. vers. 9. & cap. 19. v. 13. Ita Gedeonem Angelus, in humana specie, ad bellum contra Madianitas animauit, & victoriam prædixit, Iud. 6. vers. 14. Ita rursum Angelus apparens Manue, eiusque Vxori, Samsonis conceptionem, Philistæorumque internecionem prænuntiauit, Iud. 13. vers. 3. & 12. Ita Angelus humana specie assumpta, Tobiam iuniorem in Rages ciuitatem Medorum duxit, & reduxit, visus palam manducare & bibere, Tob. 5. vers. 25. & cap. 12. vers. 19. Ita Christo nato, Angeli exultantes Pastoribus apparuerunt Luc. 2. vers. 9. & 13. Angeli quoque Christi resurrectionem, in vestibus albis apparentes, mulieribus denuntiarunt, Matth. 28. v. 5. Marci 16. v. 5. Luc. 24. v. 4. Ioann. 20. vers. 12. Angeli item duo, virili forma, Christi ad cœlos ascensum, & futurum aduentum ad iudicium 5

Apostolis denuntiarunt, Actor. 1. v. 10. Item Angeolus Petrum ex Hierosolymitano carcere mirabiliter eduxit, Actor. 12. v. 7. 9. 10. Denique Christum malus Angelus humana vtiq; forma indutus, tentauit. Matth. 4. v. 3.

6 Huius autem generis apparitiones non contigisse per solam imaginationem, seu delusionem sensuum, sed verè ipsa etiam externa specie & forma, ex eo optimè probat Sanctus Thomas citata quæstione 51. articulo secundo, quia visa imaginaria, cum interius peragantur, non promiscuè videntur ab omnibus, sed solum ab eo, qui talem habet imaginationem. Idem est, si quis ab Angelo sine obiecto sensibili, externos sensus ludificari posse existimet, siue per impressionem specierum, sine obiecto; siue per transmissionem specierum sensibilium, quæ sunt in phantasia, ad sensus exteriores, qui ab eiusmodi speciebus ita immutentur, ac si reuera à rebus externis ad eos deriuarentur, vt cum S. Thoma in 2. dist. 8. quæst. vn. art. 5. ad 4. fieri posse existimat Gregorius de Valentia disputatione 4. quæstione 2. punct. 2. Quia & tunc ludificatio hæc non fit generatim ex parte principij alicuius communis, sed particularis; quæ proinde ludificatio, per se & ex suo genere non est, nec esse facilè potest communis omnibus. De qua re plura Richardus in 2. dist. 8. art. 2. quæst. 3. & Angles in Floribus super 2. p. 1. quæst. vnic. de dæmonibus.

7 Secundo probatur assertio ex Sanctis Patribus. Ita enim docet Tertullianus in libro de carne Christi, Athanasius serm. 4. contra Arian. Gregorius homil. 34. in Euang. Isidorus libro primo de sum. bono capite 12. Bernardus serm. 5. in Cant. Damascenus libro 2. fid. cap. 3. & 4. vbi cum addit καὶ φαντασίαν, non loquitur de interiori sensu phantasiæ, sed de externa apparentia, vt idem sit, quod *secundum apparentiam*, vt cum Billio rectè Vasquez disputatione 184. capite primo. Idem sæpe docet Augustinus præsertim libro tertio de Trinit. capite 10 & 11. & libro 15. de ciuit. capite 23. vbi ait: *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ non solum videri, verum etiam tangi possent, verissima Scriptura testatur:* idque adeo multorum experimentis confirmant, *vt hoc*, inquit, *negare impudentia videatur.* Nec obstat Epiphanius contra hæres. 26. vbi ait: *Quomodo potest dæmon, qui spiritus est immundus & incorporeus, corpora assumere?* Loquitur enim iuxta subiectam materiam, de corpore vitali, quo veræ animasticæ operationes exercerentur, vt Gnostici fabulabantur.

8 Ratio sumenda est; tum ex rei possibilitate, de qua infrà; tum ex fine. Quamuis enim, vt docet Sanctus Thomas quæstione quinquagesima prima, articulo secundo ad 2. *Angeli non indigeant corpore propter seipsos*, tamen si boni sunt, vtuntur corpore assumpto propter nos, vt familiariter cum hominibus conuersando, *demonstrent intelligibilem societatem, quam homines expectant, cum eis habendam in futura vita*; vel vt sub similitudinibus rerum sensibilium, repræsententur hominibus *intelligibiles Angeli proprietates*, vt dicit idem Sanctus Thomas ibidem ad 2. & articulo 3. ad 1. & 2. aut si mali sunt, faciunt hoc, vt sensibili ac familiari repræsentatione sui tanto magis decipiant homines, deceptosque in sua potestate retineant, ad exitium sempiternum perducendos.

Assertio II. Assumptio hæc corporum non fit 9
per hypostaticam, aut vllam substantialem vnionem eorundem cum Angelis; aut per solum motum localem, seu coniunctionem nudam eorum in ratione mobilis; sed fit ea corporum assumptio, quatenus Angeli corpora sibi coniungunt, tanquam motoribus repræsentatis per corpus mobile assumptum. Ita Sanctus Thomas citata quæstione quinquagesima prima, articulo 2. ad 2. vbi ait: *Corpus assumptum vnitur Angelo, non quidem vt formæ, neque solum vt motori; sed sicut motori repræsentato per corpus mobile assumptum. Sicut enim à sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium sub similitudinibus rerum sensibilium describuntur, ita corpora sensibilia diuina virtute sic formantur ab Angelis, vt congruant ad repræsentandum Angeli intelligibilis proprietates. Et hoc est; Angelum assumere corpus.* Ita Sanctus Thomas, idemque docent omnes Scholastici ibidem vel in 2. distinct. 8. contra Tertullianum loco citato, vbi indicat, corpora hypostaticè assumi ab Angelis.

Ratio est. Tum quia vnio substantialis corporis, velut materiæ cum forma, est impossibilis in 10
Angelis, vt qui sunt formæ & substantiæ perfectæ & completæ ex quæstione prima. Idem de hypostatica etiam vnione verius esse suo loco docetur 3. part. Tum quia finis & vsus eiusmodi assumptionis, non postulat vllam substantialem coniunctionem; cum præsertim assumptiones illæ ordinariè non nisi breui admodum tempore durent.

Nec tamen sufficit quælibet corporis coniunctio velut mobilis cum motore; sic enim non rectè dicerentur Angeli in assumptis corporibus apparere: neque etiam Angeli dicuntur assumere cælos, etiamsi eos moueant; nec dæmones assumunt corpora strigum, dum eas transferunt; nec Energumenorum corpora, etiamsi ea obsideant & moueant; nec si per magiam efficiant aliqua corpora, aut ea moueant, v. g. immittendo fulgura, concitando ventos, assumi corpora hæc dicuntur ab Angelis, etiamsi ab his moueantur.

Necesse est ergo, vt corpus & cum Angelo coniungatur velut mobile cum motore; & vt ob peculiarem aliquam similitudinem per illud, & in eo ipso corpore Angelus repræsentetur, tanquam præsens & inexistens motor; ita vt coniunctum ex corpore & motore illo dici possit Angelus: siue ob *similitudinariam vnionem materiæ & formæ*, vt cum Aureolo in 2. dist. 8. art. 1. docet Suarez hic libro 4. cap. 36. siue quia Angelus eo corpore quasi vestitus ac personatus apparet. Qua de causa nubes aut ignis Israëlitas, motore Angelo, præcedens, non dicitur ab eo fuisse assumptus; sed quidem serpens à dæmone in paradiso, &c. vti etiam hodie hircorum, aliorumue animalium corpora assumere dicitur, quando inter striges apparet; quantumuis hæc vnio ad Angelum solummodo dicat respectum rationis, vt ex communi docet Suarez ibidem.

Assertio III. Verius est, ipsum etiam Deum, 11
in vtroque testamento, non nisi ministetio Angelorum apparuisse, ita vt Angeli in assumptis & à se formatis corporibus Deum repræsentarent. Ita

Gregorius de Valentia disputatione 4. quæstione 2. punct. 2. Vasquez disputatione 185. & est communior sententia Sanctorum Patrum, in quibus speciatim Dionysius capite quarto cæl. hierarch. Hieronymus in illud ad Galat. 3. *Ordinata per Angelos*, Cyrillus libro octauo thesauri capite 2. Gregorius libro 28. Moral capite secundo, & ex instituto Augustinus libro tertio de Trinitate capite vndecimo, & libro 4. capite vlt. & epist. 102. tametsi contrarium sentiant Eusebius libro 1. demonstr. Euang. capite 5. & libro 5 capite 10. & 11. Chrysostomus homil. 16. in Acta ad illa verba capite 7. *Expletis annis quadraginta*, & Theophylactus in eundem locum; rati, non omnes huiusmodi apparitiones factas fuisse ministerio Angelorum; quod speciatim etiam de columba, & alijs eiusmodi apparitionibus noui testamenti, docet Auctor operis imperfecti in cap. 3. Matthæi.

12 Probatur assertio ex collatione Scripturarum, vt benè deducit Augustinus cit. c. 11. lib. 3. de Trinit. Nam Exodi 3. legimus, Deum apparuisse Moysi in rubo ignis, & Exod. 19. dedisse Moysi legē; & tamen eadem Scriptura docet, apparitiones has factas esse ministerio Angelorum, Gal. 3. v. 19. *Lex per Angelos ordinata est in manu mediatoris.* & Heb. 2. v. 2. *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus.* Et Stephanus Actor. 7. v. 35. diserte asserit, *Angelum apparuisse Moysi in rubo.* Et nihilominus tamen Deus ipse dicitur apparuisse; quia non in persona sua, sed in persona Dei, Angelus in corpore à se formato apparebat & loquebatur; quod in alijs Angelorum apparitionibus non fiebat.

13 Ratio est. Quia hoc ex vna parte erat facile Angelo; siquidem corpora illa non erant viua, sed ex aëre formata, vt inferius dicetur; id quod de columba etiam verius est, cum Augustino libro secundo de Trinitate capite quinto, Chrysostomo homil. 12. in Matth. & Caietano part. 3. quæst. 39. articulo 7. probabilius sentit Valentia loco citato, etsi post Tertullianum libro de carne Christi, Ambrosium libro de ijs, qui initiantur, capite 4. contrarium sentiat Sanctus Thomas 3. part. quæst. 39. artic. 7. Ex altera parte id magis conueniebat, tum ob maiestatem Dei, cuius personam dignius repræsentabat Angelus, quàm sola creatura insensibilis: tum ob consuetam subordinationem causarum mediarum, inter causam primam, & causas inferiores, hoc est, Angelorum, inter Deum & homines.

14 Assertio IV. Angeli communiter non assumunt viua aut vera hominum, seu aliorum animalium corpora; sed veris ac viuis externa specie similia; quæ sibi plerumque ex impuro aëre, seu vaporibus & exhalationibus nubibusue aëri admixtis formant; idque virtute propria & naturali. Primam partem ex communi tradit Sanctus Thomas quæstione 51. art. 3. in corp. vbi vniuersim negat, posse Angelos exercere opera vitæ per assumpta corpora. Et in resp. ad 1. supponens, assumpta corpora non esse viua, docet id fieri posse absque fictione: *Sicut enim non est contra veritatem*, inquit, *quòd in Scriptura intelligibilia sub figuris sensibilibus describuntur, quia hoc non dicitur ad astruendum, quod intelligibilia sint sensibilia, sed quod per figuras sensibilium proprietates intelligibilium secundum similitudinem quandam dantur intelligi: ita non repugnat veritati sanctorum Angelorum, quod per corpora ab eis assumpta videntur homines viuentes, licet non sint. Non enim assumuntur, nisi vt per proprietates hominis, & opera hominis, spirituales proprietates Angelorum, & eorum spiritualia opera designentur. Quod non ita congruè fieret, si veros homines assumerent: quia proprietates ipsorum dicerent in ipsos homines, non in Angelos.* Ita S. Thomas.

Idem communiter docent cæteri Theologi veteres ac recentiores, locis citatis, & pluribus Tyræus libro primo de spirit. apparit. capite 9. num. 166. Delrius libro secundo disquisit. quæstione vigesima octaua, sect. 1. & Suarez hic libro quarto, capite trigesimo quinto, post Augustinum in Enchirid. capite 59. & libro 2. de Trinit. cap. 2. & lib. 3. cap. 2. & Damascenum loco citato contra Tertullianum libro 3. contra Marcionem capite 9. & 11. & libro de carne Christi cap. 6.

Ratio est. Tum quia viua animalia perfecta ab Angelis subitò ac de nouo fieri non possunt, nec per applicationem quidem causarum secundarum; sicut nec verum corpus humanum, extra vasa naturalia generationi destinata. Tum quia ad propositum Angelis scopum, opus non est viuis aut veris eiusmodi animalium corporibus: quando communiter breui rursum sunt dimittenda. Tum quia Deus tam facilè non permittit, vt dæmon, etiamsi velit, vera animalia suis Dominis subducat, aut ijs pro libitu ad sua sacrilegia abutatur.

Qua de causa etiam existimandum non est, posse dæmonem defuncti alicuius hominis cadauer assumere, nisi fortè cadauer alicuius hominis damnati, in casu raro & extraordinario, vt notarunt Tyræus & Delrius locis citatis: quod ita etiam fieri posse, & quandoque rejpsa fieri, docet Sanctus Thomas 1. p. quæst. 117. art. 4. ad 2. cum Augustino lib. 10. ciuit. cap. 10. & Chrysostomo homil. 29. in Matth. & sequitur ex communi Suarez hic lib. 4. cap. 37. num. 5. & cap. 35. num. 5. Sicut etiam verius videtur, serpentem illum, in paradiso, primorum parentum seductorem, à diabolo assumptum, fuisse verum serpentem; nec incredibile etiam, bestias dæmonem repræsentantes, quibus sagæ inequitantes per aëra vehuntur, nonnunquam esse veras & viuas bestias; quando, vt refertur, nonnunquam ex eiusmodi transportatione catti ex aëre decidere visi sunt. Sed hæc rarius contingunt: & idcirco in assertione dixi *communiter*.

15 Ex quibus etiam sequitur secunda pars assertionis; quæ ita magis declaratur. Etenim quando corpora ab Angelis assumpta non sunt ipso tactu exploranda, facillimus & maximè obuius modus formandi & assumendi corpus aliquod est ex impuro aëre, seu halitu aëri mixto ad instar nubis condensato; hic enim & magis obuius est, & facilè quamuis figuram recipit, ac ad nutum dissipatur. Atque ita etiam speciatim de impuro aëre docent S. Thomas quæstione 51 art. 2. ad 3. & Durandus in 2. distinct. 8. quæstione 1. item Bonauentura in 2. dist. 8. part. 2. articulo 2. quæst. 2. Richardus art. 1. q. 3. Scotus q. 1. Gabriel q. 1. a. 2. quos sequuntur Vasquez disp. 185. cap. 4. & Suarez hic libro 4. cap. 34. contra nonnullos, qui ex cælesti materia corpora hæc

assumi

assumi docuerunt, in quibus Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 10. & Beda lib. variar. q. 9. sed qui bono sensu explicari possunt de aere. Nec dissentiunt Alensis 1. part. quæst. 34. memb. 4. & Albertus 2 part. tract. 9. quæst. 33. memb. 2. & in lib. de quatuor coæuis 1. part. quæst. 9. articu. 11. nisi quod hi etiam de aere puro loquuntur, quibus, loquendo de bonis Angelis, fauent Isidorus lib. 1. de sum. bono cap. 12. num. 19. & Beda citat. lib. qq. quæst. 9. Nec obstat, quod aer, cum sit liquidus, nullius certæ figuræ aut coloris tenax est: *Licet enim*, inquit Sanctus Thomas citat. articulo secundo ad tertiũ, *aer in sua raritate manens non retineat figuram, neque colorem; quando tamen condensatur, & figurari, & colorari potest; sicut patet in nubibus.*

16 Quamuis autem Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus & Gabriel locis citatis dicant, condensationem illam fieri sola compressione & motu locali partium intra seipsas, absque alia alteratione; difficile tamen videtur intellectu, quomodo id naturaliter fieri possit sine penetratione. Quare etiam Vasquez disputat. 184. cap. quarto, rem hanc dubiam relinquit; Suarez vero numero sexto concedit, aliquando interuenire alterationem.

17 Dixi tamen *plerunque*; quia quando corpora ipsa ab Angelis assumpta durabiliora esse debent, ac ipso sagarum, vt fit, contactu sunt exploranda, verius est, solum aerem halitumque non sufficere, vt recte Molina quæstion. 51. artic. 2. disp. 2. Delrius lib. 2. quæst. 28. sect. 2. contra Chirlandum de sortilegiis q. 1. & Anglesin 2. d. 8. q. 2 quibus consentire videntur Suarez hic lib. 4. c. 35. num. 8. & Vasquez disput. 184. cap. 3. & 4. qui diuersitate inter partes assumpti corporis, quoad duritiem & mollitiem, solum referunt in maiorem vel minorem resistentiam ipsius Angeli respectu tactus; quod in diuturno & vario attactu eiusdem corporis videtur difficillimum, & moraliter impossibile.

Verius est igitur, eo casu, præter aerem, iungendam præterea aquam, terram, lutum, sulphur, resinam, lignum &c. forte etiam accedunt quandoque à cadaueribus animalium damnatorumque hominum ossa; vti etiam subinde verum à brutis homineue decisum semen, iuxta S. Thomam quæst. 51. art. 3. ad 6. aliaque similia, è quibus inter se vtcunque coagmentatis, iunctisque multo facilius citiusque dæmon, etiam sine alia diuturna actione, alteratione que physica, speciem humani corporis configurare potest, quam ex præsuppositа materia, vlla dexterrimi artificis cuiusq; manu, vt recte citati. Plura de hac formatione Alensis 2. part. quæst. 43. mem. 3 art. 1. & Gabriel in 2. d. 8. quæstion. 1. artic. 2. & 3.

18 Tertiam partem cum Alberto & Bonauentura loc. citat. tradit Vasquez disp. 184. cap. 4. & Suarez lib. 4. c. 37. à nu. 7. contra Alensem 1. part. quæst. 34 memb. 5. & vt apparet S. Thomam hic q. 51. art 2. ad 3. vbi ait; *Et sic Angeli assumunt corpora ex aere, condensando ipsum virtute diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.* Quod ita etiam tradit Petrus Bergomus in Concordant. dub. 117. Ratio est. Tum quia alias conuenientius quodammodo Deus per seipsum ea corpora formaret, præsertim quando ille ipsemet in eiusmodi corporibus apparet. Tum quia cum sæpius mali Angeli corpora assumant, idque ad fines pessimos, non est credibile, Deum propria virtute & speciali concursu illa formare: imo Suarez loc. cit. putat id esse impossibile, & plane alienum à diuina bonitate. Denique non apparet, cur id naturali virtute Angelorum fieri non possit, vt ex dictis colligitur; nisi forte in extraordinario casu tam perfecta & eximia corporis formatio fiat, tantaque membrorum soliditate & pulchritudine, vt vires Angelicas planè excedat; vti fieri posse, & forte factum esse in Angelo Gabriele, aliisue Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, vel Iacob, & Tobiæ, concedit Suarez cit. cap. 27. num. 8. vbi etiam in eundem sensum S. Thomam non incommode explicat, quasi S. Thomas, de bonis animirum Angelis solum locutus, dicere voluerit, *quoad opus est, virtute diuina.* &c.

Assertio V. Non possunt tamen Angeli naturali 19
virtute tam perfecta efformare & assumere eiusmodi hominum aut animalium perfectorum apparentia corpora, quin à veris plurimum distent; nec difficulter adeo, præsertim accuratiori tactus experimento discernantur. Colligitur ex Sanct. Thomæ quæstion. 54 artic. 3. ad 2. & tradunt communiter Doctores locis citatis, speciatim Vasquez disputat. 184. cap. 2. & Suarez hic lib. 4. cap. 35. num. 10. & optime Caietanus 2. 2. quæstio. 95. articulo tertio, vbi speciatim de dæmonibus loquens, his verbis rem explicat: *Frequenter accidit*, inquit, *vt cum dæmones in assumptis corporibus humanis apparent vigilantibus, conuersentur cum eis familiariter, colloquentes & concumbentes; quandoque etiam munera vera offerentes eidem. Non enim habent veras carnes, & vera ossa*, (nisi forte aliunde ascita, vt dictum) *nec membra; sed carnis & membrorum similitudinem, non solum visibilem, sed palpabilem & solidam, ita vt sentiantur tanquam humanæ personæ, vt à multis fide dignis, ex propria experientia narrantibus audiui. In duobus tamen deficere ab humanis percepi corporibus. Primo in temperamento carnis. Nam confessim est ipse mendacii pater, cum eius caro, quasi glacialis, molesta esset tactui humanæ carnis, se non posse melius facere. Non potest enim sic commiscere naturalia, absque vera generatione hominis, vt carnem humanam efficiat. Et simili ratione non potest semen humanum efficere, propter perfectionem horum, & similium effectuum, requirentium propria naturalia actiua perfecta. Et ex hoc patet, quòd verissimum est, quod Christus post resurrectionem suam dicit, Palpate & videte, quia spiritus seu dæmonium carnem & ossa non habet. Ioann. 20. & Luc. vltimo. Secundo* (deficit corpus à dæmone assumptum) *in delectatione tactus & concubitus. Est enim tanto personarum humanarum commixtio naturalis delectabilior, quanto verum excedit verisimili.* Ita Caietanus.

Et ratio est; quia ars perfecte naturam exprimere non potest, præsertim quoad eiusmodi effectus tam perfectos, & miram contemperationem partium corporis viuentis, non solum quoad qualitates primas, sed etiam secundas, vt densitatem, raritatem, duritiem, mollitiem, læuitatem, asperitatem, colorem, odorem, &c. 20

Taceo, quod vt ex Alexandro ab Alexandris lib. 4. genial. cap. 19. Rhodigino lib. 16. lect. antiq. & Remigio lib. 1. dæmonolat. docent Binsfeldius de Confess. malef. prælud. 12. Delrius lib. 2. q. 28. sect. 3. & Suarez hic lib. 4. cap. 35. plerunque effigiem humani corporis à diabolo assumptam, parte aliqua apparere mancam, aut monstrosam, insigniterue horridam, vocemque stridulam, obscuram, confusamque; velut è dolio fractaue olla prodeuntem.

21 Assertio VI. Angeli per assumpta corpora non exercent vllas veras actiones vitales & animasticas: adeoque proprie nec comedunt, nec generant, nec loquuntur, nec ambulant; etsi opera vitalibus his actionibus similia exerceant. Ita S. Thomas q. 51. a. 3. corp. & ad 2. 3. 4. 5. 6. Caietanus, Molina, & omnes Commentatores ibidem; item Vasquez disput. 186. cap. 2. & Suarez hic lib. 4. cap. 38. Et prima pars est communis Doctorum in 2. distin. 8. Ratio est. Quia ad operationem vitalem, quæ per corpus exercetur, (de qua solum in præsenti sermo est) requiritur, vt sit à principio vitali intrinseco & substantialiter coniuncto ipsi corpori, per quod eiusmodi operationes exercentur: quod in præsenti non fit, quia Angelus non est substantialiter coniunctus corpori; nec corpus ipsum, cum sit expers vitæ, habet vllam potentiam vitalem, nec vllas actiones, quæ recipiantur in subiecto viuente à quo procedant.

Secundæ parti contradicunt quidem nonnulli Doctores, saltem quoad modum loquendi. Etenim Alensis 2. part. q. 35. memb. 2. Scotus in 2. dist. 8. q. vn. & fere Gabriel q. 1. art. 3. dubit. 2. docent, Angelum in assumpto corpore vere posse comedere; sed cum S. Thoma verius negant Bonauentura, Richardus, & alii Doctores communiter in 2. dist. 8. & Scotus ipse in 4. dist. 45. q. vn. art. 5. & Clitouæus in Damasc. lib. 2. cap. 3. E diuerso Bonauentura in 2. dist. 8. part. 1. art. 3. q. 2. Angelis tribuit verum motum progressiuum & ambulationis, quod cum S. Thoma verius negant Scotus in 2. cit. dist. 8. adeo, vt etiam secunda illa pars sit communior inter Scholasticos; quamuis vt notauit Gregorius de Valentia hic disp. 4. q. 2. pun. 3. hæc fere tantum sit quæstio nominis, de qua non magnopere etiam disputandum censuit Augustinus lib. 15. de ciuit. cap. 22.

22 Ratio est. Quia comedere, generare, loqui, ambulare, seu motu progressiuo moueri, proprie non significant meram actionem transeuntem, secundum se & materialiter acceptam, vt est V. G. sumptio & traiectio cibi, productio qualiscunque substantiæ viuentis, formatio alicuius soni in aere, motus localis; sed significant has actiones cum modo vitali, atque adeo vt procedunt à principio vitali intrinseco & substantialiter coniuncto; quod in Angelis deest, vt dictum. Alioquin enim etiam ventus, dum casu format sonum articularem in aere, loqui diceretur: & ignis aut mare comedere cibum, quem ad interiora recipit, & transmittit. &c.

23 Ex quibus facile patet tertia pars assertionis. Quia vt iuxta S. Thomam loc. cit. recte notarunt Vasquez & Suarez locis citatis, duo sunt genera actionum vitalium; vnum earum, quæ etiam secundum se & substantiam suam non possunt esse nisi à principio vitali, vt sunt operationes sensuum: aliæ, quæ secundum substantiam ipsam, seu quoad suum terminum materialiter spectatum, non sunt vitales, nec adeo requirunt principium vitale; sed solum sunt vitales quasi quoad modum seu specificam rationem, vt sunt illæ, quas diximus; nimirum locutio, deambulatio, manducatio, itemque risus, fletus, & fere generatio. Prioribus non possunt Angeli similes actiones producere; quia cum etiam quoad substantiam sint vitales, nulla actio non vitalis potest illis proprie esse similis. At vero actionibus posterioris generis, possunt Angeli interueniente motu locali similes actiones producere; vt allisione aeris ad corpus, certo modo conformatum, vocem locutioni similem producere; item in assumpto corpore, moto illo pedum simulacro, motum animalis progressioni & ambulationi similem conformare; cibum quoq; factitio ore sumere, ac masticare, & quasi per fauces in viscera, seu interiora corporis assumpti traiicere; multo etiam artificiosius omnia hæc repræsentando, quam olim caput Buconis loquelam, aut Architæ columba volatum repræsentauit; cum tamen interim in his nec sit vera locutio, nec vera ambulatio, nec vera manducatio, vt dictum. &c.

Paulo diuersa est ratio generationis animasticæ; 24
cuius terminum etiam secundum se & materialiter spectatum, cum Angeli proprie ac per se efficere non possint, sed solum per accidens, applicando actiua passiuis, idcirco nec ipsi proprie ac per se exercere possunt actum generationis, aut generationi reipsa similem; sed solum exterius per motum localem applicando actiua passiuis, nimirum semen à viro acceptum transfundendo in matricem mulieris, causa esse per accidens generationis; ita quidem, vt etiam inde proles generetur, quæ tamen non propterea dæmonis, sed hominis qui semen emisit, & feminæ quæ recepit proles sit, vt post Augustinum lib. 15. de ciuit. cap. 23. & lib. 3. de Trinit. capit. 8. recte S. Thomas cit. q. 41. a. 3. ad 6. Bonauentura, Scotus, Carthusianus, Gabriel in 2. dist. 8. Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. c. 16. Medina in 1. 2. q. 72. articu. 1. & Suarez hic lib. 4. capit. 38. num. 10. & alii.

Atque hæc causa est, cur Angelus Tob. 12. v. 19. 25
dixerit: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu vtor.* Abraham autem Genes. 17. cum cibos offerret Angelis, eos Angelos esse necdum cognouerat; *in quibus tamen Deum venerabatur, sicut solet Deus esse in Prophetis*, vt post Augustinum l. 16. de ciuit. c. 29. dicit S. Thomas cit. artic. 3. ad 5. Alia ratio fuit Christi Domini, qui cum post resurrectionem cibum vitalibus organis, veraque actione vitali assumpserit, atque ad stomachum transmiserit, vere ac proprie comedit, tametsi eum non concoxerit, aut in suam substantiam conuerterit; quod ad propriam manducationem minime requiritur, vt habet communis cum S. Thoma cit. a. 3. ad 5. & pluribus perfequitur Suarez hic lib. 4. cap. 38. num. 17. & 18.

Ex quibus fere etiam colligitur responsio ad dif- 26
ficultates & rationes dubitandi initio propositas. Ad primam enim patet solutio ex assert. 4. & 5.

Ad 2. de Magis Ægyptiacis respondeo, eos non potuisse ope dæmonis efficere scinıphes, siue defectu dispositionum naturalium, siue potius Deo impediente. In quem sensum Augustinus lib. 3. de Tri-

nit.

nitat. cap. nono ait: *Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia maior aderat dominatio prohibendi per Spiritum sanctum; quod etiam ipsi magi confessi sunt, dicentes, Digitus Dei est hic.*

27 Ad 3. ex comparatione agentium naturalium petitum, Respondetur, Angelos ad hæc corpora effigianda multo maiori facultate pollere, quam vlla alia agentia naturalia vel artificiosa; ob vim singularem motiuam, & penitissimam cognitionem rerum naturalium, vt dictum assert. quarta & quinta.

Ad 4. patet ex assert. 5. responsio. Siquidem tactus experimento moraliter certum & euidens esse poterat, corpus Christi rediuiui, verum & naturale corpus esse, vt recte etiam post Caietanum 2.2.q. 95. artic. 3. Vasquez citat. disput. 184 cap. 2. num. 12. & Suarez hic lib 4. cap. 35. num. 11. & 12.

28 Ad 5. Respondeo, solum quidem per se esum non fuisse sufficiens signum veri ac naturalis corporis; sed aliis tamen signis additum merito augere poterat eiusdem rediuiui fidem. In quem forte 8 sensum etiam Sanctus Thomas 3. part. quæst. 55. articulo sexto docet, singula illa argumenta resurrectionis per se non fuisse sufficientia, bene tamen coniuncta cum testimoniis Prophetarum. Quanquam aliud est resurrectio, aliud absoluta præsentia veri & viui corporis. &c. Sed de hac re suo loco plura.

DVBIVM VI.

An & qua ratione Angeli generalem ordinem & statum huius mundi immutare, causarumque naturalium efficientiam suspendere vel impedire possint.

S. Thomas 1. p q. 110. a. 1. & 2.

NOn agit quidem hac de re Sanctus Thomas ex instituto his locis; at quia tamen ad multa explicanda necessaria est, quæ diabolus per striges aut magos factitare videtur, faciendo V. G. vt magi reddantur inuisibiles, vt ignis subiectum stramen non comburat. &c. operæ pretium est eam breuiter explicare.

1 Assertio I. Non potest Angelus substantialem statum huius Vniuersi destruere; aut vniuersalem seu essentialem rerum naturalium ordinem immutare: quare nec potest vacuum, aut penetrationem corporum efficere; nec cœlum aut stellam aliquam ad terram detrahere; nec terram vniuersam ad cœlum attollere, aut suo loco dimouere; nec vniuersalem elementorum situm peruertere; aut integrum aliquod elementum destruere; nec solis astrorumue cursum turbare; nec lumen præsentis solis sine medio intercipere; nec influxum cœli impedire; nec intrinsecas & naturales rei proprietates tollere; adeoque nec naturales causarum naturalium actiones, positis omnibus ad agendum requisitis, impedire: solus Deus negato concursu necessario suspendere eas potest. Ita supponunt passim Theologi, vbi de his rebus agunt; inprimis Sanctus Thomas 3. p. quæstion. 13. articulo secundo, vbi etiam animæ Christi talem potestatem negat, secundum propriam naturam & virtutem, siue naturalem, siue gratuitam. Et hic 1. p quæst. 110. articu. 2. negat materiam corporalem obedire Angelo ad nutum. Quibus locis idem docent Theologi, speciatim Suarez ibidem & Metaph. disputat. 19. sect. 1. num. 14. & disput. 43. sect. 4. & hic lib. 4. cap. 27. num. 6. vbi ait; *Cum ordo vniuersi certis Dei legibus definitus sit, Angelus simpliciter vniuersi ordinem inuertere non valet.* Eandem doctrinam habent Guilielmus Parisiensis in 2. part. de Vniuerso, Albertinus tom. 1. quæst. 1. coroll. 2. & Delrius lib. 1. & 2. disquisit.

In eundem sensum Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8. ait: *Non est putandum, istis transgressoribus Angelis, ad nutum seruire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi & spirituali sede incommutabilis iudicat.* Et cap. 9. *Aliud est*, inquit, *ex imo ac summo causarum cardine condere atque administrare creaturam; quod qui facit, solus creator est Deus.* 2

Ratio assertionis est. Quia quædam ex his superant naturalem virtutem omnis agentis creati; quædam etsi forte non superent; tamen iuxta constitutam legem & ordinationem Dei, de statu vniuersi huius conseruando vsque ad finem mundi, iuxta promissum illud factum ad Noe Genes. 8. vers. 22. & cap. 9. vers. 11. & 13. Angelis non permittuntur; vt V. G. sistere cœlum, aut cursum solis, vel astrorum perturbare; quare etiam cœlos mouere dicuntur per modum naturæ. Et conuenientissimum erat vt status & ordo vniuersalis mundi soli authori Deo subiaceret: sicut vniuersalis regni status à solo Rege dependet, qui solus etiam vniuersales regni leges figit & refigit. 3

Quanquam idem Augustinus ibidem inferius sentiat, difficillimum esse, particulatim definire, quid Angeli per naturam possint, & Deo prohibente non possint. Ait enim: *Quid autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non finantur, homini explorare difficile est; imo verò impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens; Alii diiudicatio spirituum. Nouimus enim hominem posse ambulare, & nequaquam hoc posse, si non permittatur; volare autem non posse, etiamsi permittatur. Sic & illi Angeli quædam possunt facere, si permittantur ab Angelis potentioribus ex imperio DEI; quædam vero non possunt, etiamsi ab eis permittantur; quia ille non permittit, à quo illis est talis natura modus, qui etiam per Angelos suos & illa plerunque non permittit, quæ concessit, vt possint.* Ita Augustinus. 4

Nihilominus, quia Angeli ad extra nihil possunt efficere, nisi motum, aut quod ex motu naturaliter sequitur, vt superius dictum, facile est intelligere, 5

abiis

ab iis naturaliter effici non posse penetrationem corporum, nec vacuum; præsertim quando hæc vniuersalis natura rerum respuit; cui Angelus minime dominatur; vti neque influxum cœli, aut actionem causarum naturalium, omnibus ad agendum positis, impedire. E contrario, quia Angeli naturaliter, & quantum est ex intrinseco operationis modo, libere cœlum mouent; neque natura sua ad tantam præcise velocitatem, aut hanc vel illam rationem motus, determinati sunt, vtique possent sua natura & naturalibus viribus cœlum aliter mouere, aut omnino sistere, si diuina lex & ordinatio non obstaret; quæ etiam communiter prohibet alia multo minora, ne ab Angelis effici possint. Possent enim Angeli, vt recte ait Suarez hic loc. citat. si nudam facultatem naturalem spectes, animalia occidere, arbores eradicare, montes transferre, & similia, quæ per violentum localem motum fieri possunt: sed moraliter ac Deo permittente non possunt; & boni non volunt, nec velle possunt, mali etiamsi velint, non valent.

6 Assertio II. Potest quidem Angelus naturaliter sensuum etiam externorum sensationem varie impedire, ipsosque sensus ludificare; at vero vt potentia videndi simul cum organo non læsa aut turbata, siue distracta, obiectum visibile debito modo præsens, nulloque tegumento coopertum, clara cæteroqui luce videri non possit, nulla vi naturali efficere potest. Ita communis Doctorum. Et priorem partem tradit Sanctus Thomas quæstione sexta, de potentia articulo quinto ad sextũ, & quæstion. 16. de malo articulo nono ad secundũ, & in 2. distin. 8. quæstion. vn. articulo quinto ad quartũ. Alensis part. 2. quæstion. 43. mem. 3. Gabriel & alii Doctores in 2. distin. 8. Caietanus 2. 2. quæstion. 95. articulo tertio. Gregorius de Valentia disputat. 4 quæstion. 2. pun. 2. Post Augustin. 18. decimitat. capit. 18.

7 Ratio est. Quia cum ad sensationem, præter animam ipsam & potentiam innatam, requirantur etiam tum per modum principii, organum sanum, item obiectum, ac species; tum per modum conditionis necessariæ, debita approximatio obiecti, item medium certo modo dispositum, & ne animæ attentio tota in alias res sit distracta & abrepta; hinc fit, vt Angelus variis modis sensum ludificare, aut sensationem impedire possit; 1. Ex parte organi; tum replendo illud humore aliquo & rheumate; tum figuram organi, præcipue oculorum, quadam compressione aut distractione immutando; tum spirituum influxum, sine quibus non fit sensatio, tantisper inhibendo. Qua ratione in deliquio animæ, homo etiam apertis sensibus nihil sentit, & in catarrhis facile alii aliique sensus quasi obstruuntur & obtunduntur 2. Ex parte obiecti, subito vel formando, aut adducendo, vel remouendo, aut dissoluendo, aut immutando, & aliter atque aliter conformando obiectum, vt dub. præceden. dictum. 3. Ex parte speciei, aut interposito obstaculo impediendo propagationem eius vsque ad oculum, siue sensum; aut respectu sensus interni, spiritus vitales, qui sunt vehicula siue receptacula specierum, varie commouendo, retrahendo, agitando, conturbando, vt dictum. Atque ad hunc modum nonnulli putant, aoras iam Sodomæorum factam fuisse spirituum animalium repressione. 4. ex parte approximationis, remouendo, vel post tergum reiiciendo obiectum, vt dictum. 5. Ex parte medii interposito obstaculo tegendo, vel occultando obiectum; item colorando, vel condensando, aut in figuram certam, concauam, aut conuexam, regularem vel irregularem conformando, partem aliquam medii; ita vt quemadmodum per specula seu vitra colorata, aut aliter & aliter configurata, obiectum aliter & aliter, maius vel minus; rectum vel distortum repræsentatur, vti in specillis quotidie videre est; ita etiam per similem conformationem medii, seu partis medii, aliter & aliter visus afficiatur. *Sicut*, inquit Sanctus Thomas citat. 2. sent distin. 8. *ad vaporationem cuiusdam fumi trabes domus videntur serpentes. &c.* 6. Ex parte attentionis, commouendo phantasmata, & distrahendo mentem, vt aliis, non præsentibus rebus & obiectis animi attentio applicetur.

Addit Sanctus Thomas citat. distin. 8. quæstion. vn. articulo 5. ad 4. alium modum ludificandi sensum externum, cum ait: *Fieri potest, vt species, quæ sunt in imaginatione seruatæ, operatione dæmonum, ad organa sensuum fluant, sicut contingit in somno; & ideo quando contingunt illæ species organa sensus exteriorus, videntur, ac si essent res præsentes extra, & actu sentirentur.* Quod etiam tradit & sequitur Gregorius de Valentia disputat. quarta, quæstione secunda, pun. 2. vt dictum dub. præceden. Sed hoc difficile est; non solum quia sic dæmon sensationem in externo sensu efficere posset, sine vllo obiecto; sed etiam quia species, quibus mouetur sensus externus, non sunt phantasmata, sed species sensibiles ab obiecto immediate productæ, & dependentes. Quod si solum de visione phantastica loquitur S. Thomas, quid ad eam conferre potest transmissio specierum ad organa sensus externi? 8

Atque ex his sequitur secunda pars assertionis: Nam si remoto omni obstaculo, tam ex parte potentiæ, & organi, quam medii, aliarumque conditionum, obiectum præsens & illuminatum videri non posset, id vel fieret, impedita specierum visibilium productione, seu propagatione vsque ad oculum, aut positis etiam omnibus ad videndum requisitis, ipsa per se facultate videndi, ab eliciendo visionis actu impedita: at neutrum est possibile, ex prima assertione; quia diabolus non potest causarum naturalium actiones, positis omnibus ad agendum requisitis impedire, vt dictum. 9

Reddere igitur hominem ἀόρατον & inuisibilem diabolus duntaxat potest, sublato aliquo ad eum videndum principio, aut dispositione, vel conditione, siue ex parte obiecti, siue medii, aut ipsius potentiæ seu organi requisita: nimirum aut subita ipsius hominis in alium locum distantem occultumue translatione, seipsum subinde interim, cum opus videtur, hominis absentis, somnioque 10

forte

forte delusi, loco, per aliquam externam operationem præsentem substituendo; aut nubis seu aerei cuiusdam operimenti, alteriusue corporis, ad res cæteras præsentes bene accommodati obiectu; aut potentiæ visiuæ seu organi reali physicaque alteratione; siue quia crasso fumo aut fuligine interius excitata, oculi à visione impediuntur; siue quia spiritus animales ad visionem requisiti ita suo loco mouentur, vt visioni subseruire non possint; siue quia ipsum organum humore crasso repletum, aut pellicula inductum, seu alias deprauatum, species apte recipere, vel ad locum visionis transmittere non potest.

11 Assertio III. Non potest quidem diabolus facere, vt ignis stramen debite approximatum & dispositum, adeoque omnibus ad agendum requisitis positis, non comburat; attamen vt exterius videatur ab igne non comburi, quamuis debite approximatum, facere potest; sicut & humanum aut animalis corpus intrinsece incorruptibile seu intractabile reddere non potest, sed solum extrinsece reprimendo seu cohibendo vim globi, seu ferri in corpus impacti, vel adacti. Hæc assertio quoad partem negatiuam sequitur ex prima assertione, & est ex mente Doctorum, quos citauimus; quia nec impedire actionem naturalem, omnibus ad agendum prærequisitis potest; neque naturales, & intrinsecas rerum proprietates tollere vel immutare. Pars autem affirmatiua eiusdem assertionis patet experientia magorum, quibus cum dæmone pactum intercedit.

12 Fieri autem potest, vt stramen videatur ab igne non comburi; siue delusione sensus externi, per fatui alicuius fictique ignis aut straminis repræsentationem; siue quia inter ignem & stramen, ferrum aut lapis artificiose interpositus est; siue etiam quia stramen liquore igni resistente imbutum est, vti fieri posse tradit Fallopius. Atque in hunc modum intelligi & explicari debet, quod de Zingaris (superstitiosa illa & vaga gente) iactari ab imperita plebe solet, eos in stramine ignem accendere posse; ita vt stramen interim non comburatur. Nam subtractione virtutis seu influxus naturalis ignem ab actione naturali cohibere solus Deus potest, qui tres pueros in caminoignis illæsos conseruauit.

13 Eodem modo potest dæmon vim vel impetum globi aut ferri subito inhibere & retundere, ne corpori vulnus vllum aut læsionem inferat: quia hoc solum est impetum, & motum localem rerum naturalium sistere & inhibere; quod potest quisquis mouendi vim & impetum fortiorem habet, quam sit in re mobili; cum sit eiusdem rationis & virtutis mouere aliquid, & motum seu impetum aliunde impressum cohibere, vt superius suo loco dictum.

14 Qua quidem in re est aliquod discrimen inter vim motiuam rerum naturalium, ipsumque motum vndecunque tandem rei impressum; & inter alias agentium naturalium virtutes actiuas earumque actiones. Quia enim Angelus ad extra directe & per se producere nihil potest, præterquam motum vel impetum ad mouendum, idcirco potest ipse quidem per seipsum immediate etiam sine alia mutatione interueniente, conatum seu applicationem causæ naturalis ad se vel aliam rem mouendam retundere, & quoad effectum irritum reddere; sicut & motum in medio cursu suo arbitratu intercipere; at vero cæteras virtutes ad agendum, earumque naturales actiones & effectus impedire non potest, nisi vel interpositu causæ secundæ contrariæ seu resistentis; aut facta alia mutatione, siue ex parte agentis, siue passi, aut medii, seu debitæ approximationis: quod facere dæmon aliquando potest per motum localem, aliquando non nisi per applicationem aliorum agentium naturalium, iuxta variam & peculiarem vniuscuiusque agentis, seu actionis naturalis & præsentium circumstantiarum rationem.

Ex quibus denique colligitur, motum localem quidem ignis dæmonem suo arbitratu per se immediate inhibere & intercipere posse; calefactionem ignis in subiecto apto & approximato per se immediate cohibere aut interrumpere non posse, nisi aliqua alia mutatione interueniente, vt dictum. Qua ratione etiam in homine longum somnum, aut mediam causare potest. An vero dæmon suo arbitratu, siue per se, siue per striges, hominibus nocere possit, dicetur quæst. sequente dubio vltimo, in quo etiam cætera tum ad boni, tum ad mali Angeli functiones & studia erga homines spectantia declarabuntur.

QVÆSTIO VI.

De Bonitate & malitia, merito & demerito, præmio & pœna, statu beatitudinis & damnationis, studiisque bonis & malis Angelorum.

S. Thomas 1. p. q. 62. 63. 64. 109. 111. 112. 113. 114.

Absoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I Vtrum omnes Angeli fuerint creati in gratia, & an propria dispositione, quanæ mensura vel proportione eam acquisierint. 1
II. De via Angeli boni: qua nimirum ratione, quotque & quibus instantibus pervenerit ad gloriam. III. De via & lapsu Angeli mali; ac speciatim quando, quinam, cuius suasu, quo ordine, & quotnam Angeli peccarint. IV. Qualenam fuerit, aut esse potuerit primum Angelorum peccatum, tum ex parte obiecti, tum ratione subiecti. V. De statu dæmonum quantum ad naturalia, speciatim quæ sit causa obdurationis dæmonum. VI. De statu dæmonum, quantum ad eorundem pœnam: speciatim qua ratione, quando, & vbi per ignem puniantur. VII. De prauis dæmonum studiis & infestationibus, ad homines seducendos & perdendos. VIII. De præsidio, ministerio & custodia bonorum Angelorum, erga homines aliasque res creatas.

DVBIVM I.

Vtrum omnes Angeli fuerint creati in gratia & gloria; & an propria dispositione, quanæ mensura vel proportione gratiam acquisierint.

S. Thom. 1. p. q. 62. a. 1. 2. 3. & 6.

EGimus hactenus de Angelis secundum Esse naturæ spectatis; sequitur nunc, vt iuxta distributionem & ordinem initio constitutum, de Esse morali, adeoque de bonitate & malitia, merito & demerito, præmio & pœna, studiisque bonis & malis eorundem agamus: sicut etiam Sanctus Thomas postquam de Esse naturali eorundem egit, à quæstione 50. vsque ad 62. hinc deinceps, sequentibus aliquot quæstionibus, de Esse morali eorundem agit; non tamen simul & continua serie omnia, quæ ad bonitatem & malitiam Angelorum pertinent persecutus; sed plura ex iis, quæ nimirum ad bona vel mala eorundem studia erga res creatas, ac præcipue hominem pertinent, ad tractationem de Gubernatione diuina retulit, vbi sex quæstionibus à quæstione 109. vsque 114. de hoc argumento tractat. Sed quia nihil causæ est, cur peculiaris tractatio de diuina gubernatione à nobis instituatur; vti nec in scholis sub proprio titulo hæc res communiter tractari solet, quando ea, quæ ad illam pertinent, ex declaratione ipsarum causarum secundarum, actionumque & virtutis earundem, satis intelliguntur; idcirco nos ea, quæ Angelos concernunt, ad hanc ipsam tractationem, de Angelorum moribus adeoque bonitate & malitia eorundem, velut ad proprium locum reuocabimus. 2

Quod vero ad præsentem dubitationem attinet, merito ea, quæ de gratia Angelorum proposita est quæstio, primum in hoc argumento locum sibi vendicat; quandoquidem gratia est fundamentum omnis bonitatis moralis, saltem eius, per quam creatura intelligens ad supernaturalem finem & beatitudinem ordinatur; de qua bonitate hic potissimum agimus; nam de bonitate morali ac mere naturali eorundem satis egimus supra quæstione quarta, dub. primo, cum de voluntate actibusque voluntatis eorundem ageremus. Ad considerationem vero de gratia Angelorum, refertur etiam ea quæstio, quisnam fuerit Angelorum in prima eorum conditione status, quoad gloriam. 3

Assertio I. Angeli non fuerunt creati in beatitudine supernaturali, sed naturali tantum. Prima pars est communis & constans omnium Doctorum sententia cum Magistro in 2. distin. 4. & 6. & Sanct. Thoma hic quæstio. 62. articulo primo. Et aperte colligitur ex eo; quia ex eis quidam peccarunt, alii saltem peccare poterant; cum tamen ad veram & supernaturalem beatitudinem, in visione Dei positam, spectet immutabilitas & perpetuitas, adeoque & peccandi impotentia; nec vero etiam absque miraculo, visio Dei semel inchoata desinere possit; cum sit natura sua perpetua, vt suo 4

loco

loco tomo 2. dicetur. Idem docent communiter SS. Patres referendi dub. seq. & consentit Augustinus in libr. de corrept. & gratia capit. decimo, vbi ait: *DEVM sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium.*

5 Ex quo loco explicanda sunt alia quædam obscuriora loca eiusdem Augustini, in quibus indicat Angelos, saltem bonos, in beatitudine supernaturali fuisse creatos: loquitur enim duntaxat de beatitudine imperfecta, qualis etiam Viatoribus sanctis in hac vita nonnunquam à sanctis tribuitur. Neque Sanct. Augustinus, vt vult Suarez hic lib. 5. cap. 2. num. 13. vspiam docuit, Angelos in primo instanti creationis habuisse cognitionem rerum in Verbo, seu matutinam; sed solum primo die, post cognitionem vespertinam, vt ex Augustino lib. 11. de ciuit. cap. 7. & 9. colligit idem Suarez loc. citat. tametsi Sanctus Thomas hic cit. articulo primo ad tertium, & alii nonnulli Theologi distinguant duplicem cognitionem rerum in Verbo, naturalem & supernaturalem, quod Suarez putat non satis consonum Augustino. Alii vero vt Gregorius de Valentia disputat. 5. quæstion. 2. pun. 2. & Molina Tractat. de oper. sex dier. putant, Augustinum hac in re non satis sibi constare. Certé mentem Augustini ea in re certo assequi difficillimum est; nec est operæ pretium operose insequi; quando præsertim eius fundamentum ex cap. primo Genes. de operibus sex dierum disputat. sequen quæst. 1. dub. 4. refelletur.

Cætera loca sigillatim bene declarat Vasquez hic disputat. 226. cap. 3. & 4. & Suarez citat. capit. secundo, contra Ludouicum Viuem; qui illud lib. vndecimo de ciuit. cap. nono, sanctos Angelos *nunquam esse peregrinatos à Domino*, intelligit de peregrinatione viæ, existimans proinde sanctos Angelos semper vidisse Deum: cum potius sit intelligendum de peregrinatione per elongationem à peccato, quo modo filius prodigus *peregre profectus* est à Patre Luc. 15.

6 Secunda pars assertionis traditur à Sanct. Thoma eodem articulo primo, & patet ex dictis quæst. 4. dub. vlt. vbi de naturali beatitudine Angelorum egimus, contra Vasquez citat. disput. 226. capit. 2. Nec obstat, quod omnis ea felicitas naturalis esse, potest cum summa miseria peccati, vt obiicit Vasquez loc. cit. Primo enim hoc verum non est in Angelis, in quibus suauis illa & perennis contemplatio Dei secundum se, simul cum dilectione naturali eiusdem, non fuit, nec moraliter esse potuit post peccatum. Deinde etiamsi id verum esset, id tamen nihil referret; quia propterea additur; eam esse naturalem solum beatitudinem, quæ non excludit omnem capacitatem defectus in natura defectibili; nec adeo etiam statum perfectæ & completæ beatitudinis habet, vt loco citato diximus.

7 Assertio II. Omnes Angeli tam boni, quam mali, fuerunt creati in gratia habituali sanctificante. Ita verior, & nunc communis Doctorum sententia, quam speciatim tradunt Sanctus Thomas hic quæst. 62. articulo secundo, Caietanus, Molina, & omnes Thomistæ ibidem; item Albertus 2 part. sum. tractat. 4 quæst. 18. memb 1. Durandus in 2. distin. 4 quæst. 2. Capreolus quæst. 1. art. 3. ad 1. Ariminensis quæst. 1. artic. 3. Maior quæst 1 Holcoth in 2. quæst. 3. Clitouæus comment. in Cyrill. lib. 6. in Ioann. cap. 6. Gregorius de Valentia quæst. 13. pun. 1. Vasquez disputat. 227. capit. 2. Suarez hic lib. 5. cap. 3. tametsi olim non pauci, de malis Angelis contrarium docuerint; speciatim Rupertus libro primo in Genes. cap. 16 Antisiodorensis lib. 2. sum. tract. 1. cap. 1. Bonauentura in 2. d. 4 artic. 1. quæst. 2. Richardus artic. 2. quæst. 2. Argentina quæst. 1. artic. 2. Ægidius quæstione prima, articulo quarto. Marsilius in 2. quæstion. 4. articulo primo. Bassolis quæst. 1. articu. 3. Henricus quodlib. 4. quæstione decima, nec obscure ipsemet Magister in 2. d. 3. cap. 6. & distin. 5. capit. 2. eandemque probabiliorem censent Alensis 2. part. quæst. 19. mem. 2. & Henricus quodlib. 4. quæst. 10. & fere Scotus in 2. d. 5. quæst. 1. vbi in hanc denique magis inclinat, tametsi antea priorem sententiam defenderit. Eandem problematice defendit Gabriel in 2. distin. 4. quæstione prima, articulo secundo, è quibus etiam plerique dicunt, nec ipsos quidem Angelos bonos fuisse creatos in gratia sanctificante, licet omnes interim concedant; non defuisse Angelis etiam malis auxilium gratiæ actualis sufficiens, qua ad Deum supernaturaliter conuerti possent, ac se ad gratiam sanctificantem disponere; quam etiam reipsa boni postea fuerint consecuti.

Probatur assertio primo, ex scriptura, quæ licet 8
hoc non aperte tradat, multum tamen fauet, præsertim ex communiori Patrum interpretatione. Talia loca sunt hæc Isai. 14 v. 12. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris.* Ezechiel. 28. v. 12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore. In deliciis paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. &c. Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis, à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Quo modo etiam hæc loca intelligit Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 15. Nec obstat, quod prior locus Isaiæ de Nabuchodonosore Rege Babylonis, posterior Ezechielis, de Rege Tyri, ad literam intelliguntur; quia simul nihilominus, etiam literali sensu, & quidem magis principaliter intento, recte etiam de Lucifero intelliguntur, vti in simili sæpius in psalmis, & in Iob accidit.

Huc spectat illud Iob. 4. v. 18. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles; & in Angelis suis reperit prauitatem.* Et Ioann. 8. v. 45. *In veritate non stetit.* Hoc enim merito ad gratiæ perseuerantiam refertur, iuxta consuetam scripturæ phrasin Rom. 5. v. 2. *Habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide stas.* Et cap. 14. v. 4. *Domino suo stat aut cadit. Stabit autem.* 1. Corinth. 10. vers. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 2. Corinth 1. vers. 24. *Nam fide statis.* Gal. 5. v. 1. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.*

Denique huc spectat illud Iudæ v. 6. *Angelos vero, qui non seruauerunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis*

æternis sub caligine reseruauit. Quæ loca in hunc sensum etiam interpretantur Sancti Patres apud citatos.

9 Secundo probatur assertio ex SS. Patribus, qui ita communiter sentiunt, speciatim Basilius in illud Psal. 32. *Et spiritus oris eius*, Hieronymus in c. 3. Oseæ, & in illud Iob 4. *Et in Angelis suis reperit prauitatē*, Theodoretus lib. quinto, hæret. fab. cap. de diabolo. Augustinus (etsi obscure locutus alibi) lib. decimo, de ciuit. cap. nono, & de corrept. & grat. cap. decimo. Prosper lib. primo de vit. contempl. capit. tertio. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. vel 25. Isidorus lib. 1. sent. cap. 12. Damascenus lib. 2. de fid. cap. 3. Anselmus lib. de casu diaboli cap. 4. 17. & 27.

10 Tertio probatur ratione. Tum quia primus homo fuit creatus in gratia, iuxta illud Eccles. 7. v. 30. *Deus fecit hominem rectum*; & Concil. Tridentinum sess. 5. can. 1. Non est autem credibile, minus à donis supernaturalibus instructum fuisse Angelum, quam primum hominem. Tum quia decebat vtrosque quamprimum statui in via, qua tendere possent ad vltimum finem; id autem fit per gratiam sanctificantem. Tum quia valde consentaneum est rationi, credere, etiam Angelos malos quandoque fuisse intrinsece ordinatos ad supremam beatitudinem; alioquin enim ab ea non excidissent: Ergo aliquando habuerunt gratiam supernaturalem; neque tamen eam acceperunt primum post creationem; cum eam mox post creationem perdiderint; Ergo in ipsa creatione: Denique Angeli etiam mali in primo statim instanti sufficientem habebant dispositionem ad gratiam, vt dicetur assert. seq.

11 Nec in contrarium sunt alleuius momenti argumenta. Illud Ioannis Papæ epist. ad Isaac Syracus. vt habetur 16. quæst. 2. Can. 1. *Dolet satis* (dæmon) *& erubescit, charitatem, quam in cælo nequiuit habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra*, intelligendum est, de constanti & perfecta possessione charitatis in cœlis, vt recte glossa ibidem. Quo modo etiam glossa can. vlt. de pœnit. distin. 2. exponit verba quædam Gregorii obscuriora ex lib. 32. Moral. cap. 18. vel 25.

12 Assertio III. Angeli acquisiuerunt gratiam propria dispositione, quam in eodem instanti creationis habebant. Prior pars quoad bonos Angelos, est communis Doctorum, præcipue eorum, qui dixerunt, Angelos non fuisse creatos in gratia, quos retulimus assert. præceden. Tota vero simul assertio est plane sententia Sanct. Thomæ quæst 62. art. 6. & quæst. 95. art. 1. ad 5. quam ita etiam tradunt & sequuntur Caietanus 2. 2. quæst. 24. artic. 3. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 110. Gregorius de Valentia quæst. 13. pun. 1. Vasquez disput. 228. cap. 1. Suarez hic lib. 5. cap. 8. tametsi oppositum sentiant Alensis 2. part. quæst. 29. mem. 1. artic. 7. Hugo de S. Victore in summ. tract. 2. cap. 2. & Henricus quodlib. 8 quæst. 10. item Capreolus in 2. d. 4. Soto lib. 1. de grat. cap. 5. & Molina hic quæstio. 62. artic. 3. quorum primus frustra putauit, Angelos non potuisse in primo instanti operari; duo sequentes, non potuisse libere operari; quartus & quintus, non potuisse supernaturaliter: quod aliquando etiam existimauit Sanctus Thomas quæstion. 16. de malo artic. 4. ad 3. sed postea in 1. parte loco citat. & quæst. 63. articu. 5. ad 4. expresse contrarium docuit: Molina vero non aliud habet fundamentum, quam quia putat, gratiam saltem prius natura datam fuisse Angelis, quam operarentur; cum tamen oppositum sit verius, vt dicemus.

Probatur assertio. Tum quia verius est, Angelos in primo instanti habuisse actum supernaturalem dilectionis Dei, vt dicetur dub. seq. actus autem talis, qui simul est cum infusione gratiæ, in nobis est dispositio ad gratiam; abstrahendo iam, vtrum is ipse actus simul procedat à gratia sanctificante, an non: Ergo etiam in Angelis. Tum quia conuenientius est, creaturam intellectualem liberam in operando, non ordinari intrinsece & habitualiter ad finem supernaturalem, nisi interueniente libero ipsius consensu. 13

Porro ad eliciendum talem actum, Angeli, non minus quam nos, indigebant auxilio supernaturali Dei, vt recte Sanctus Thomas quæst. 62. articulo secundo, ex certa & communi; quicquid nonnulli sine fundamento quoad hoc discrimen inter Angelos & homines constituant, quos merito refellunt Vasquez loc. cit. cap. tertio, & Suarez loc. cit. c. 9 n. 2.

Assertio IV. Non omnes Angeli æqualem gratiam acceperunt, sed maiorem vel minorem singuli, pro maiore vel minore perfectione naturali specifica. Ita Magister, & alii Doctores communiter in 2. dist. 3. S. Thomas, Caietanus, Molina, & recentiores Thomistæ hic quæst. 62. artic. 6 & 2. 2. q. 34. a. 3. ad 3. Gregorius de Valentia quæst. 13. pun. 3. Vasquez cit. disp. 228. cap. 2. & Suarez hic lib. 5. cap. 10. ex communi, adeo vt Vasquez neget, se legisse qui oppositum doceret, tametsi Suarez numero septimo existimet, hanc sententiam non esse certam. 14

Probatur tamen assertio primo auctoritate. Id enim satis perspicue docent Dionysius capit. 6. & 7. cœl. hier. Basilius lib. de spiritu Sancto cap. 16. Damascenus lib. 2. fid. cap. 3. 15

Secundo idem etiam probatur à S. Thoma duabus rationibus. Prima, quia decebat Deum, velut sapientem Architectum, vt eas creaturas intelligentes, quas per se & speciali intentione secundum naturam magis elaborauit, & in altiori ordine constituit, etiam ad nobiliorem statum & conditionem supernaturalem destinaret; ita vt sicut tota natura Angelica est euecta ad gratiam & gloriam, ita etiam gradus & species diuersæ ipsius naturæ ad varios & diuersos gradus gratiæ & gloriæ destinarentur. Quemadmodum cum ædificator lapides aptat ad constituendam domum, hoc ipso quod aliquos elegantius ac maiori artificio perpolit, *videtur eos ad honoratiorem partem domus* destinare. Alia est ratio perfectionis indiuidualis in homine, cuius diuersitas non ita per se intenta est, vt docet idem Sanctus Thomas citat. articulo sexto ad tertium.

Secunda ratio est. Quia cum Angeli nullâ repugnãtia passionis, seu appetitus alicuius inferioris impediantur, vt inter homines accidit, verisimile est, eos, quo perfectioris erant naturæ, eo perfectius quoque 16

cum

cum auxilio maiori Dei ad Deum se conuertisse; vt ita inæqualitas gratiæ simul & inæqualitati naturæ, & dispositionis responderet; cum hoc tamen discrimine, quod ipsa perfectio naturæ per se spectata nullo modo esset causa gratiæ ipsis collatæ, vt recte declararunt Gregorius de Valentia. Vasquez; nisi forte materialis & remota, per modum occasionis & motiui ad dandam maiorem gratiam actualem, vt notat Suarez cit. cap. 10. num. 9. An vero etiam soli maiori perfectioni indiuiduali (qualem quoque in Angelis dari verius censuimus, etsi neget S. Thomas) maior gratia respondeat, non ita certum est, tamen etsi prior ratio, ad hoc affirmandum, non magnum momentum habeat, probabilitatis tamen aliquid adfert ratio secunda; vt consideranti patebit. Quocirca etiam authores indiscriminatim de maiori perfectione naturali loquuntur. In qua re etiam discrimen esse potest inter hominem & Angelum; quia maior perfectio indiuidua in homine aut nullo modo, vt quidam existimant, aut non tota, oritur ex maiori perfectione ipsius formæ per se & principaliter intentæ; sed ex varia & diuersa dispositione corporis; quæ ex varia vi aut applicatione causarum secundarum oritur; cum tamen omnis diuersitas perfectionis in Angelis sicut à solo Deo efficitur, ita etiam ab eodem per se videatur intenta.

17 Atque ex his colligitur primo, non solum Angelos omnes fuisse creatos cum virtutibus Theologicis, nimirum fide, spe, & charitate; itemque cum cæteris virtutibus infusis, quæ Angelis conuenire possunt; cum omnes istæ virtutes sint indiuiduæ comites charitatis & gratiæ: sed etiam Angelos omnes reipsa elicuisse statim à principio suæ creationis liberos actus fidei, spei, & charitatis; cum hæ sint dispositiones necessariæ ad gratiam habitualem consequendam, vt suo loco de gratia docetur.

De fide expresse docent S. Thomas quæst. 18. de verit. art 2. & in 2. 2. quæst. 5. artic. 1. & omnes Commentatores ibidem, item Albertus 2. part. sum. quæst. 20. memb 2. Viguerius Instit. cap. 20. §. 1. vers. 4. Turrecremata lib. 1. de Eccles. cap. 25. num. 1. Ruardus artic. 2. & 8. & Suarez hic lib. 5. cap. 5. à num. 6. etsi fidem in Angelis fuisse negarit Durandus in 3. distin. 23. quæst. 9. à num. 12. cui sententiæ fauent etiam Alensis 3. part. quæst. 64. mem. 8. Bonauentura in 3. dist. 23. artic. 2. quæst. 3. Gabriel d. 23. quæst. 9. Scotus quæst. 4. & quoad supremum Angelum aperte etiam consentit Paludanus q. 4. Mouentur præcipue; quia Angeli habuerunt euidentiam rerum fidei, saltem in reuelante seu attestante.

Sed hoc non obstat; quia assensus fidei non propterea nitebatur ipsa naturali euidentia signorum, quibus reuelatio manifestabatur; sed solum auctoritate supernaturali Dei reuelantis, ipsa vero illa euidentia signorum solum habebat se per modum conditionis proponentis obiectum fidei, idque credibile efficientis; quæ de causa etiam assensus fidei & multo certior erat, & natura sua excellentior (vtpote supernaturalis quoad substantiam) quam iudicium illud naturale euidens, de reuelatione à Deo facta, vt recte etiam docet Suarez hic citat. cap. 5. à num. 16. & suo loco de fide pluribus docui 2. 2. q. 5. art. 1. vbi etiam addidi alium modum hanc veritatem defendendi, si nempe dicamus, Angelos præter reuelationem hanc euidentem, habuisse etiam aliam ineuidentem reuelationem aliis signis factam, de quo suo loco plura tomo 3. disp. 1.

Quæri hic posset, quos actus fidei, & circa quæ 18
obiecta fidei assensum elicuerint Angeli viatores. Sed quia res hæc ad alias materias spectat, breuiter dico, habuisse fidem explicitam non solum Dei, finis vltimi & remuneratoris supernaturalis, vt docet Sanct. Thomas 2. 2. quæst. 5. a. 1. nec solum Trinitatis mysterii, vt habet communis Doctorum sententia; sed etiam Incarnationis quoad substantiam, vt cum S. Thoma 1. p. q. 64. a. 1. ad 4. & in 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 1. & in 2. dist. 11. quæst. 1. art. 4. & opusc. 1. cont. errores græc. cap. 26. & comment. ad Ephes. 3. lect. 3. docent plures Theologi, non solum ii, qui dicunt, Angelos peccauisse ex inordinato appetitu & inuidentia hypostaticæ vnionis, &c. sed etiam alii, quos sequitur Suarez cap. 6. à num. 9. tametsi contrarium dixerint Marsilius 2. part. quæstion. 26. mem. 1. & Gabriel in 2. distin. 9. quæst. 2. artic. 3. dub. 4. Et cohæret ea doctrina cum eo, quod thesi 73. de Incarnat. docuimus, Christum esse caput Angelorum etiam secundum influxum gratiæ. De qua re plura in 3. parte.

DVBIVM II.

De via & statu Angeli boni: quanam ratione, quotque & quibus instantibus seu moruli peruenerit ad gloriam.

S. Thomas 1. p. q. 62. a. 4. 5. 7. 8. 9. & q. 63 a. 6.

DE hac re conuenit inter Doctores, & certum est 1
primo, Angelos bonos vere fuisse promeritos suam beatitudinem, vt docet S. Thomas hic q. 62. a. 4. & Magister in 2. dist. 5. cap. vlt. & est doctrina S. Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 11. & communis aliorum Patrum, in quibus Gelasius in disput. contra Pelagium, Prosper lib. 1. de vit. contemplat. cap. 3. Fulgentius lib. de fid. ad Pet. cap. 3. Isidorus lib. 1. de sum. bono cap. 10. Gregorius homil. 7. in Ezechiel. Anselmus de casu diaboli cap. 6. 13. 14. 15. & 24. & Rupertus lib. de Trinitate Dom. cap. 7. Ratio huius rei communis est Angelo cum homine: quia & generalis illa lex Dei, *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*, æque ad vtrosque pertinet: & consentaneum erat, vt creaturis ratione vtentibus nec vlcima beatitudo, nisi per modum præmii, nec præmium sine labore & certamine tribueretur.

Secundo conuenit inter Doctores Scholasticos, 2
etsi certum admodum fortasse dici non possit, viam Angelorum tam bonorum, quam malorum, non admodum diuturnam fuisse, vt cum S. Thoma q. 62. a. 5. & q. 63. art. 6. ex communi tradunt Gregorius de Valentia hic q. 13. punct. 2. & alii inferius citandi. Quod etiam non obscure colligitur ex scriptura indicante, diabolum nec diu in veritate & gratia ste-

tisse, & mox post lapsum è cœlis fuisse deturbatum, vt diximus etiam dubio præcedente. Ratio sumitur ex S. Thoma cit. quæst. 62. artic. 5. & quæstion. 63. artic. 6. Quia modus adipiscendæ perfectionis supernaturalis in Angelis, debet aliquo modo esse proportionatus modo & acquisitioni perfectionis eorundem naturalis: at hic talis est, vt non egeant longo tempore ad suam perfectionem naturalem obtinendam, sicut alioqui in homine accidit: Ergo etiam modus & via adipiscendi perfectionem vltimam supernaturalem breui tempore circumscribi debebat. Accedit, quod Angeli sua natura difficulter, si non omnino immobiliter, dimouentur ab eo, quod semel plena cum libertate & deliberatione elegerunt seu decreuerunt, vt dictum quæst. 4. dub. 2. Quare non erat ratio, in voluntate quodammodo obfirmata, diutius protrahendi viam, & exspectandi vel diuturnam constantiam in iustis; vel pœnitentiam in lapsis. Contrarium tamen habetur in Reuelationibus MS. sub nomine B. Amadei, Raptu 1. vbi dicitur, *Nos Angeli omnes non paruis & breuibus moralis, vt vos creditis, sed multis temporibus viatores fuimus.* Quod tamen non est credendum, donec ab Ecclesia recipiatur; quod vt existimo, nunquam fiet.

3 Conuenit tertio, viam bonorum & malorum Angelorum fuisse æqualem, ac proinde simul & in eodem instanti cœpisse & beatitudinem bonorum, & supplicium malorum, vt ex communi etiam tradunt Gregorius de Valentia loc. cit. & Molina q. 63. art. 6. consentaneè S. Thomæ q. 62. a. 5. & q. 63. a. 5. ad 4. & art 6. præcipue ad 4. Ratio est. Quia in quo instanti mali Angeli peccando ad terminum peruenerunt, in eodem boni constanter perdurando in iustitia, itidem viam concluserunt, vt inferius dicetur. Et par erat, vt in eadem natura adeo vniformiter agente, idem omnibus præfiniretur viæ terminus.

4 His positis, controuersum est inter Doctores, per quos, & quotnam actus, boni Angeli promeruerint consecutionem gloriæ: vbi simul etiam eadem occasione de via mali Angeli agendum. Et prima sententia est Magistri in 2. dist. 5. cap. vlt. vbi docuit, Angelos fuisse promeritos beatitudinem, per opera consequentia, non antecedentia beatitudinem. Quam sententiam tradiderunt etiam Antisiodorensis lib. 3. tract. 1. cap. 7. & Præpositiuus apud Marsilium in 2. q. 4. art. 2. & probabilem censet Albertus in 3. dist. 18. a. 4. Ex qua sententia sequitur, viam Angelorum bonorum perduraſſe vna cum statu beatitudinis.

Sed merito refellitur à S. Thoma cit. q. 62. a. 4. & aliis. Tum quia & charitatis, & reliquarum virtutum actus in beatis aliquo modo procedunt ex beatitudine, velut ex principio; principium autem meriti non potest cadere sub idem meritum. Tum quia nulla ratio est, cur non cum assecutione beatitudinis æque in Angelis, ac in hominibus cesset via, ac meritum, saltem respectu ipsius beatitudinis essentialis. Quia vt optime dixit S. Thomas cit. q. 62. a. 4. *Meritum habet rationem viæ ad finem: ei autem qui iam est in termino, non conuenit moueri ad terminum; & sic nullus meretur quod iam habet*: ac proinde est contra rationem meriti, quod Angeli mereantur beatitudinem per ea, quæ iam beati operantur in diuinis ministeriis. &c. Denique hac ratione sequeretur, Angelos bonos toto tempore, quod antecessit beatitudinis consecutionem, fuisse eiusdem conditionis cum Angelis malis, saltem spectatis secundum eam durationem, quæ peccatum præcesserat: Sed hoc est absurdum: si enim ita eiusdem cum illis conditionis erunt; nulla ratio est, cur non omnes pariter facti sint beati; quandoquidem Angeli mali, pro eo tempore, non minus digni erant beatitudine, nec minorem ad illam aptitudinem habebant, quam boni, dum beatificarentur.

Secunda sententia est, Angelos in primo instanti 5
fuisse creatos in pura natura; deinde in secundo simul & beatos fuisse, & promeritos beatitudinem, sic tamen, vt meritum naturâ antecederet beatitudinem. Ita Albertus 2. part. tractat. 4. quæst. 19. S. Thomas quodlib. 9. q 4 articu. 3. & in 2. dist. 5. quæst. 2. art. 2. Bonauentura art. 3. quæst. 2. Richardus art. 2. quæst. 1. Ægidius quæst. 2. artic. 2. Marsilius in 2. quæst. 4 artic. 2. Mayron in 3. d. 17. quæst. 1. & probabilem censet Argentina in 2. dist. 4. & 5. quæst. 1. art. 4. Qui etsi varie suam hanc opinionem explicent, in eo tamen fundamento omnes pariter consentiunt, Angelos non fuisse creatos in gratia. Sed & hæc sententia bene refellitur à S. Thoma hic cit. quæst. 62. art. 4. vbi quod antea hac de re docuerat, retractat: non quia vniuersim repugnet, simul esse meritum & præmium, vt patet in merito augmenti gratiæ, sed quia non potest meritum simul esse cum beatitudine. Nam gratia, per quam meremur, est gratia viæ, ac proinde adhuc mobilis ac perfectibilis ex ratione status: qui autem est in beatitudine, habet gratiam consummatam: Ergo non potest simul stare beatitudo cum merito beatitudinis: vti in homine etiam est manifestum, cui sine ratione quoad hoc dissimiles constituuntur Angeli: Accedit, quod fundamentum huius sententiæ falsum esse ostendimus, dubio præcedente.

Tertia sententia est Caietani hic quæstion. 63. 6
articulo sexto, qui asserit duobus instantibus fuisse transactum negotium tam à malis, quam à bonis Angelis. In primo, inquit, fuerunt omnes Angeli creati in gratia, & meruerunt beatitudinem. In secundo boni continuantes suum meritum, simul consecuti sunt beatitudinem; mali vero non continuantes meritum, sed præcedens meritum mortificantes per peccatum, simul fuerunt damnati. Sed & hæc sententia communiter refellitur, quoad expositionem secundi instantis; tum ob dicta, non enim recte ac in eodem instanti iungitur meritum vel demeritum cum beatitudine, vel damnatione. Tum quia est contra S. Thomam (cuius tamen defendendi studio fuit excogitata) cit. quæst. 62. art. 4. vbi expresse negat, meritum beatitudinis simul esse posse cum beatitudine. Quod pariter etiam & ob eandem causam de damnationis merito dicendum; nam & hoc prius est damnatione, vt in hominibus patet.

Vide etiam Raphael Ripa quæstione sexagesima tertia, articulo sexto, ita Caietani sententiam explicat & defendit, vt dicat quidem in eodem instanti Angelico Angelum & promeritum esse suum

termi-

terminum, & simul in termino fuisse, sed non secundum idem instans nostri temporis, sed potius secundum diuersas partes eiusdem temporis, cui vnum illud instans coexistere potuerit; ita vt in priori parte fuerit meritum, in altera præmium, seu merces. Quod reipsa nihil aliud est dicere, quam operationem, qua bonus Angelus meruit, vel malus demeruit, durasse simul cum termino. Sed hoc est extra propositum; nec ad mentem Caietani: quin etiam falsum esse videtur; non solum quia vna & eadem actio non est meritum suiipsius, sed etiam quia in termino, tam bonis, quam malis Angelis, suppetebant noua motiua & incentiua, quibus ad operandum circa Deum & diuina mouerentur, vt proinde etiam actiones variari necesse esset, vt recte Vasquez disp. 229. cap. 11.

7 Quarta sententia est Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 10. qui itidem duobus instantibus rem perfectam fuisse asserit, sed aliter, quam Caietanus. Nam in priori, ait, vtrosque tam bonos, quam malos Angelos meruisse beatitudinem, quamuis sine perfecta libertate, quod in eo instanti peccare non possent: in secundo bonos non ponentes obicem, nec mortificantes præcedens meritum, consecutos fuisse gloriam, malos vero peccando obicem posuisse, simulque fuisse damnatos. Sed merito etiam refellitur à Gregorio de Valentia q. 13. punct. 2. Vasquez disput. 229. cap. 9. Suarez hic lib. 5. cap. 11. & aliis. Tum quia nulla ratio est, cur dicantur Angeli in primo instanti non habuisse plenam libertatem, esto peccare non potuerint, (de quo infra;) cum & natura sua liberi essent, nec omnino ad perfectam deliberationem tempore indigeant. Tum quia etiam hic meritum damnationis non recte simul iungitur cum damnatione: damnatus enim est in termino, qui autem demeretur, in via. Denique durum est, Angelos bonos & malos, toto tempore terminum antecedente, fuisse eiusdem inter se conditionis & meriti.

Quare sunt alii, qui existimant viam Angelorum tribus instantibus fuisse consummatam. E quorum numero est

8 Quinta sententia Capreoli in 2. dist. 4. q. 1. a. 1. & 3. qui instantia illa sic distinguit. In primo, ait, fuerunt omnes Angeli, tam boni, quam mali, in gratia, sed sine merito beatitudinis, quia vt dictum dub. præceden. ex Capreoli sententia, Angeli receperunt gratiam, sine propria dispositione. In secundo boni, vtendo acceptæ gratia, promeriti sunt beatitudinem; mali autem peccando amiserunt gratiam. In tertio boni beatitudinem, mali autem damnationem adepti sunt. Atque eandem sententiam recentioribus Thomistis tribuit Vasquez loc. cit. quamuis Banne. q. 63. a. 6. & Zumel q. 62. a. 5. quæstiunc. 2. eam potius refellant. Quid autem nos de ea sentiamus, mox dicetur.

9 Sexta sententia est Gabrielis in 2. dist. 5. q. 1. a. 2. & Bassolis quæst. 1 artic. 3. qui hoc differunt à Capreolo, quod in primo instanti constituunt Angelos sine merito quidem, sed simul etiam in pura natura. Eandem sententiam & instantium designationem velut probabiliorem refert etiam Scotus eadem distin. 5. quæst. 1. Sed vtraque hæc sententia refellitur ex dictis dub præceden. in quo docuimus, Angelos & in gratia creatos fuisse, & ad eam se proprio actu disposuisse. Qua ratione refelluntur etiam omnes illæ sententiæ, quæ quatuor instantibus negotium hoc transactum fuisse docent: omnes enim supponunt, Angelos non fuisse creatos in gratia; præterquam quod aliis etiam modis parum probabiliter philosophentur, vt ex dictis colligi potest, & videre est apud Scotum & Gabrielem locis citatis.

Quare idem Scotus loc. citat. hanc septimam sententiam cæteris anteponit; quæ tria instantia, siue tres moras in hunc modum disponit ac distinguit, vt in prima omnes Angeli fuerint creati in gratia ac meruerint; in secunda mora, boni perstiterint in merito, & mali ceciderint; in tertia morula seu instanti vtrique fuerint in termino. Declarans vero Scotus ibidem articulo secundo, quæ fuerit ratio secundæ moræ, docet, eam continere plures actus, quodam ordine sibi succedentes, tam bonos ex parte boni Angeli, quam malos ex parte mali. Quæ sententia est probabilis, & defenditur etiam à Suarez lib. 5. cap 11. num. 14. & Molina quæstion. 63. articulo sexto, eidemque fauet Sanctus Thomas quæst. 63. artic. 6. ad 4. vbi expresse duo instantia etiam viæ boni Angeli videtur tribuere, vt dicemus. 10

Octaua igitur, & verior sententia est, quæ totum negotium sic ait fuisse transactum, vt in primo instanti omnes Angeli creati in gratia, meruerint beatitudinem; Angeli vero boni aliquamdiu perseuerantes in eodem merito, denique in secundo instanti assecuti sint beatitudinem; mali vero dum priores illi meritum continuarent, mox in secundo instanti peccarint, & denique in tertio instanti fuerint damnati, ac in termino. Vbi instans accipitur pro instanti Angelico, quorum vnum constituitur ex vna, seu pluribus operationibus Angeli simultaneis; plura vero instantia, ex pluribus operationibus Angelicis succedentibus; quæ in vna aliqua durabili & permanente operatione Angeli non fundentur, vt inferius dicetur: esto interim singulæ operationes, adeoque & instantia coexistant, aut saltem coexistere potuerint tempori nostro, iuxta S. Thomam q. 62. a. 6. ad 4. 11

Atque hæc sententia colligitur ex S. Thoma hic cit. quæstio. 62. artic. 5. vbi dicit, sanctos Angelos per vnicum actum charitatis ad terminum peruenisse, & quæst. 63. artic. 5. & 6. inter alia docet, malos Angelos per meritum primi instantis consecuturos fuisse beatitudinem, nisi impedimentum posuissent peccando, &c. quicquid Suarez & Thomistæ nonnulli refragentur. Eandem sequuntur Gregorius de Valentia sitat. quæstion. 13. punct. 2. Vasquez disputat. 229. cap. 10. & vt apparet Banne quæstion. 63. artic. 6. Nec videtur dissentire Zumel ibidem; quamuis enim in secundo instanti nouum meritum tribuat bonis Angelis, vt ita non minus boni, quam mali Angeli, duo instantia viæ habuerint; non tamen collocat nouum hoc meritum in diuersa operatione Angelica, succedente priori, & potest nouum meritum esse, ac dici, vel ob solam continuationem prioris meriti, vel ob solam accessionem nouæ alicuius operationis se- 12 1

cundariæ, qua primum meritum, primumque instans in se non variantur, vt dicemus.

13 Quare in hoc ipso, etiam quoad modum loquendi, magis probatur quod docent Valentia, Bannes, & Vasquez locis cit. Angelos bonos ad terminum peruenisse, in duobus instantibus intrinsecis, in quorum priori, habuerint durabile aliquod meritum beatitudinis; altero, beati fuerint effecti: malos vero in tribus, quorum primo promeruerint beatitudinem, non minus quam Angeli boni, vt expresse docet Sanct. Thomas quæst. 63. artic. 6. in secundo peccarint; in tertio damnati fuerint: è quibus tamen priora duo instantia non fuerint diuturniora, quam prius & vnicum illud instans viæ Angeli boni; Ex quo sequitur, viam Angeli boni vnum tantum habuisse instans intrinsecum; viam vero Angeli mali duo, quibus tamen vnicum illud instans boni Angeli secundum durationem fuerit æquale.

14 Atque hæc sententia non aliter probatur, nisi quia & conformis est naturæ Angelicæ, & proportionata modo, quo homines perducuntur ad suum terminum; & recte tuetur omnia, quæ de Angelorum conditione, qua cum creati fuerunt, dicta sunt dubio præcedenti: præsertim etiam fauet modus loquendi Patrum, dum dicunt Angelos bonos perseuerando (non variando) in statu innocentiæ, fuisse gloriam consecutos, vt videre est in Gelasio, Gregorio, Prospero, & aliis citatis initio.

15 Dices. Ex communi doctrina Patrum; Luciferum in sua secunda mora excitasse bellum in cœlo contra Deum, aliosque Angelos ad rebellionem prouocasse; Michaelem vero principem cum reliquis sanctis Angelis sectatoribus suis illi restitisse, & Dei gloriam & honorem zelasse: Ergo necesse est, Angelos bonos post primum meritum beatitudinis, primumque instans exercuisse nouos actus, tum intellectus, tum voluntatis, quibus Lucifero resisterent, eiusque allectationi ad peccatum contradicerent, puta per peculiares actus humilitatis, subiectionis, & feruentioris charitatis erga Deum; & forte etiam orationis, quibus auxilium ad perseuerandum & resistendum implorarent.

Idem confirmatur ex S. Thoma quæst. 63. a. 6. ad 4. cum ait, *primam operationem* (primi instantis) *in omnibus Angelis bonam fuisse: sed ab hac operatione quosdam* (nempe bonos) *per naturalem cognitionem ad laudem Verbi fuisse conuersos; quosdam vero in seipsis remanentes, peccasse &c. Et ideo in primo instanti omnes fuisse bonos, sed in secundo fuisse bonos à malis distinctos. &c.* Quibus verbis aperte S. Thomas duo instantia etiam viæ boni Angeli tribuere videtur; idque iuxta Augustinum 4. super Genes. ad lit. c. 24.

16 Respondeo ad primum, concedendo, plures eiusmodi actus fuisse secutos; sed nego idcirco, absolute loquendo, eos in Angelo bono aut nouum instans viæ constituisse, aut abrupisse prius meritum, primosque actus merendi in primo instanti habitos, saltem secundum substantiam, & loquendo à potiori, vnde sumenda est denominatio: quia nihilominus & primi actus fidei, spei, & charitatis erga Deum, in quibus principaliter consistebat primum meritum, & primum instans viæ boni Angeli, permanere & perdurare potuerunt; quibus proinde perdurantibus, etiam ipsum primum instans viæ Angeli (sumendo à potiori denominationem) perduraſſe recte dicitur. Quia vt instantia multiplicentur, non satis est, vt numerus actuum augeatur, sed necesse est, vt à priori actu principali, & quasi aliorum fonte cessetur, & ab illo ad alium transitus fiat.

17 Quod ex eo etiam comprobatur. Nam alias non tantum duo, sed etiam tria, quatuor, vel quinque instantia viæ Angeli boni constituenda forent: quando ipsemet etiam Suarez fatetur, in secundo illo instanti rursum varios actus, & quidem sibi succedentes, intercessisse; sed quia tamen fuerunt connexi cum vno principali actu in se indiuisibili, ac permanenti, à quo sumitur vnitas illius instantis, seu moræ, ideo ait, eos vnum tantum instans constituere, citat. capit. 11. numero 19. Accedit, quod etiam in secundo instanti viæ mali Angeli, dum præliarentur cum Michaele, credibile est, fuisse nonnullam moram transactam; qua etiam ipsi Angeli mali vtique plures actus malos sibi succedentes elicuerunt; & tamen nemo ideo pluta instantia peccatis Angelorum tribuit.

18 Qua de causa etiam dici potest, instantis vnitatem in proposito non ita stricte & mere physice accipi, sed quasi moraliter, pro aliqua mora, seu modo operationis Angelicæ, quæ secundum moralem æstimationem eadem sit, & æstimari possit; esto in ea physice sit aliqua pluralitas, & forte etiam successio actuum. Qua de causa etiam Scotus, & alii nonnulli Theologi, magis proprie eiusmodi instantia appellant moras seu morulas; & Suarez quoque, & alii vtrumque modum loquendi vsurpant. Neque his aduersatur Sanctus Thomas citat. quæstion. 62. artic. 5. vbi docet, Angelos per vnum actum charitatis beatitudinem fuisse consecutos; non enim excludit actus fidei & spei; neque forte etiam plures actus secundarios succedentes: nihilominus enim vni actui charitatis recte tribuitur consecutio beatitudinis, quod in illo reliqui omnes fundentur, aut ex illo velut fonte profluant.

19 Quare nec illud obstat, si quis cum Suario contendat, ipsos etiam actus fidei, spei, & charitatis in Angelis bonis, fuisse deinceps quoad indiuiduam rationem mutatos; eo vel maxime, quod Angeli semper ex tota intensione præexistentis habitus operarentur, habitus autem ipse continuo ex ipsa duratione meriti cresceret, &c. Nam & hanc obiectionem pariter omnes dissoluere debent; si enim propter eiusmodi varietatem secundum intensionem constituendum est nouum instans, iam non vnum tantum, sed multo plura, imo infinita instantia constituenda erunt: cum in continua duratione meriti, necesse fuerit continuo impendi habitum, si augmenti intensionis continuum subsequebatur meritum. Dico ergo, augmentum habitus solum, finito iam actu merendi, adeoque in termino viæ, collatum fuisse Angelo; aut certe quicquid sit de hoc, tamen ex variata intensione actus præcise non constitui in proposito nouum instans; cum nihilominus moraliter, & quasi quoad substantiam in communi spectatam, idem actus, eademque conditio seu modus operandi permanserit; quod ad durationem & identitatem vnius instantis satis est, vt diximus.

Ad

Ad locum Sancti Thomæ superiùs obiectum, fateor, cum planè esse obscurum, vt agnoscit etiam Caietanus eodem art. 6. Sed ne tamen pluribus alijs eiusdem Sancti Thomæ locis aduersetur, dico, cum secundum instans & secundam operationem boni Angeli referre ad terminum eiusdem, in quo iam erat conuersus ad Deum per cognitionem matutinam in verbo, vt explicat etiam Caietanus; non quòd in eo adhuc mereretur, vt putauit Caietanus, sed quod tunc primum intrinsecè & adæquatè à malo Angelo distingueretur; cum aliàs primaria operatio viæ bonæ Angeli secundum se (non quoad durationem) fuerit vtrique communis.

21 Cæterum cum moræ illæ, seu instantia Angelica, per respectum ad nostrum tempus, non fuerint ita indiuisibilia, quin coëxistere potuerint, & reipsa coëxtiterint nostro tempori, vt dictum, quæri potest, quanta absolutè mora à creatione Angelorum, vsque ad eorundem terminum interceserit. Respondetur, in particulari nihil constare, vt rectè Molina citata quæstione 63. articulo 6. Vasquez disputatione 229. capite 11. & disp. 234. numer. 4. & alij, tamen cum omnes fateantur, non fuisse longam moram, videtur etiam omnibus persuasum, multò citiùs, quam intra spatium vnius diei naturalis fuisse transactum totum negotium, adeoque & lapsum ac ruinam diaboli contigisse, ante creatum primum hominem; quem ipse iam damnatus ad peccatum impulit Genes. 3.

Et quia Angeli fuerunt creati in principio seu primo instanti durationis creatæ, simul cum cælo & terra, adeoque ante creatam lucem, vt dictum quæst. 1. dub. 1. consequenter dicendum videtur, aliquo spatio primi illius diei, quo lux creata fuit, hoc negotium fuisse transactum; quanquam vt dixi in particulari nil certi potest definiri. Ita etiam post Augustinum lib. 1. de Genes. ad lit. c. 17. & imperfecto cap. 5. & lib. 11. de ciuit. cap. 19. item post Bedam, Rupertum, & Glossam in Genes. cap. 1. *Et diuisit lucem*, ex communi docet Suarez hic lib. 7. cap. 21. num. 13. quicquid Iustinus in dialog. cum Tryphone, & Irenæus lib. 4. cap. 78. dixerint, non peccasse Luciferum, donec homines tentaret. Certè dicere, non peccasse ante lapsum primi parentis, error in fide est, contra Genes. 3. & Sap. 2. vers. 24. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, vt rectè Molina loco citato.

22 Quis verò status sit Angeli boni ac beati, constat partim ex dictis suprà disp. 2. quæst. 6. partim restat dicendum in 1. 2. de hominis beatitudine: siquidem communis est ea causa Angeli, cum cæteris beatis. Summatim autem res tota in hoc consistit. I. quòd in Angelo permaneant naturalia, adeoque etiam cognitio & dilectio naturalis, vt docet S. Thomas quæst. 62. a. 7. II. quòd impeccabilis sit, vt docet art. 8. cont. Origenem homil. 20. & 24. in Num. & 13. ac 35. in Lucam; cuius errorem damnat inter alios Fulgentius de fid. ad Petrum. III. quod in beatitudine essentiali non possit proficere, nec ad diem quidem vsque iudicij, vt docet artic. 9. quicquid olim in contrarium dixerit Magister in 2. dist. 10. sed in accidentali tantùm; respectu cuius aliqui beatis etiam nouum concedunt meritum, in quibus Richardus in 2. d. 10. a. 1. q. 1. Bonauentura in 2. dist. 11. art. 2. q. 2. & Gabriel q. 1. a. 2. dubio 2. Sed rectiùs cum suis negat Sanctus Thomas cit. art. 9. ad 3. Gregorius de Valentia q. 13. punct. 4. Vasquez disp. 230. cap. 2.

Qui etiam addit, præmium seu gaudium hoc accidentale in beatis tantùm crescere vsque ad diem iudicij, quod consentaneum est etiam S. Thomæ, & alijs, loc. cit. Sed de quo tamen video dubitari posse; quia etsi nullum nouum gaudium concipiant, de conuersione peccatorum, aut ijs, quę in terris aguntur, tamen nil videtur obstare, quò minùs de alijs rebus, præsertim supernaturalibus, nouis subinde reuelationibus & illustrationibus recreentur, vt etiam indicat Valentia loco cit. Sed quia verius est, etiam has post diem iudicij cessaturas, rectè absolutè dicitur, hoc augmentum solum durare vsque ad diem iudicij, vt communiter loquuntur Theologi, post Sanctum Thomam loco citato, & rectè declarauit Suarez hic libro 6. capite 8. à numero 9.

DVBIVM III.

De via & lapsu Angeli mali; ac specialim quando, quinam, cuius suasu, quo ordine, & quotnam Angeli peccarint.

S. Thomas 1. p. q. 63. a. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

DE via mali angeli, quantum ad ordinem variorum instantium, quibus eam peragit, satis actū est dubio præcedenti. Ad cætera hoc dubio proposita quod attinet, octo fere quæruntur. 1. Vtrum Angelus natura sua necessario sit peccabilis. 2. Vtrum reipsa peccarit. 3. An statim in primo instanti suæ creationis peccarit, aut peccare potuerit. 4. Vtrum supremus inter Angelos malos, fuerit absolutè supremus inter omnes Angelos. 5. An alij Angeli eius suasione & exemplo peccarint. 6. An simul omnes peccauerint. 7. Vtrum plures peccarint, quam perseuerauerint. 8. Ex quo ordine fuerint Angeli lapsi: quę nos totidē assertionib⁹ breuiter resoluem⁹. 1

Assertio I. Non est quidem Angelorum vllus sua natura malus; sed potuit tamen eorum quilibet sua natura peccare: nec fieri potest, vt vlla creatura intellectualis natura sua sit impeccabilis. Ita S. Thomas hic q. 63. a. 1. & 4. Et prima pars est de fide, & extra controuersiā, contra Manichæos & Priscillianistas, ex Concilio Bracharensi I. can. 7. & Leone I. ep. 1. ad Turibium c. 6. & Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter* de sum. Trinit. & fid. Cathol. Et patet ex illo Genes. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ratio est. Quia omne quod est, hoc ipso quod est, bonum est: seu quod idem est, Omne ens, qua ens, bonum est; Angelus secundum naturam suam est ens: Ergo secundum naturam bonus est. Quæ ratio probat Angelum secundum suam naturam non esse aliquid malum in genere Entis, vt videntur etiam intellexisse Manichæi. Item quicquid Deo auctore fit, vt sic, malum non est; quia Deus non est auctor mali; Angelus quilibet secundū naturam suam Deo auctore factus est; 2

imò ab eo solo factus & creatus est, ex quæst. 1. dubio 1. Ergo secundum naturam suam malus non est. Quæ ratio procedit etiam de malitia morali. Denique quod natura sua inclinatur non in aliquod bonum particulare, sed in bonum vniuersale, Deumque ipsum, illud natura sua non inclinatur in malum: sed solum quod inclinatur in bonum particulare verbi gratia sensibile, cui per accidens coniunctum solet esse malum, siue quod maiori bono repugnat, & priuat, potest inclinari etiam natura sua in id quod est malum, vt est appetitus sensitiuus, &c. Quæ est ratio Sancti Thomæ, & probat etiam, Angelum sua natura non inclinari ad malum seu peccatum; vt quidem inclinatur homo ratione appetitus sensitiui. Quare etiam Dionysius capite quarto, de diuin. nom. *Verum, ne dæmones quidem*, inquit, *naturæ sunt mali. Si enim naturæ mali sunt, nec ex ipso bono sunt, nec in ijs quæ sunt, nec verò ex bonis mutati sunt, si naturæ semperque mali erant.*

3 Secunda pars est itidem certa, & extrà controuersiam. Ratio sumitur tum ex probatione tertiæ partis; tum ex eo, quia Angeli quidam reipsa peccarunt; Ergo etiam alij singuli peccare potuerunt; cum sit eadem quoad hoc ratio omnium.

Tertiam partem cum S. Thoma loc. cit. tradunt communiter Thomistæ, & Molina ibidem, item Ægidius in 1. dist. 23. quæst. 1. articulo 1. Richardus art. 1. quæst. 1. & dist 6. quæst. 1. Scotus in 1. d. 23. q. 1. Bassolis q. 1. a. 3. Carthusianus q. 1. Bonauentura a. 1. q. 1. Heruæus in 2. d. 5. q. 1. a. 1. & dist. 7. q. 1. item Gregorius de Valentia q. 14. punct. 1. Vasquez disp. 231. cap. 2. Suarez hic lib. 7. cap. 3. etsi contrarium docuerint Ockam in 1. d. 44. q. 1. Gabriel in 2. d. 23. a. 1. & 2. Maior q. 2. item quoad finem & præcepta naturalia, Durandus in 2. d. 6. q. 1. & dist. 23. q. 1. Capreolus in 2. dist. 23. q. vn. art. 3. Caietanus hic quæst. 63. a. 1. & Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 109. qui tametsi negent, fieri posse naturam intelligentem, sua natura impeccabilem, in ordine ad finem & præcepta naturalia, putant tamen impeccabilem sua natura esse posse in ordine ad præcepta naturalia.

4 Probatur assertio primum authoritate Patrum. Ita enim docent Ambrosius lib. 3 (de fid. ad Gratian capite 2. Hieronymus Comment. Epist. ad Galat. cap. 6. & epist. 146. Augustinus lib. 2. de ciuit. capite 1, & 6. Fulgentius libro de fid. ad Petr. capite 3. Gregorius libro 25. Moral. cap. 5. & Damascenus lib. 2. de fid. cap. 3.

Deinde ratio est. Quia si creatura intelligens est, necessario habet arbitrium liberum (quod frustra negarunt Nominales citati,) adeoque indifferens, ad quod uis obiectum, quod ex se non necessitat voluntatem: tale autem est quodlibet bonum particulare creatum, etiam honestum; imò & increatum, adeoque Deus ipse, non intuitiuè & in se cognitus, vt dictum etiam disp. 2. q. 3. dub. 3. & pluribus docetur in 1. 2. Hinc autè sequitur, peculiarem gratiam collatam fuisse Angelis bonis, ad hoc vt non peccarèt, vt cum S. Thoma q. 62 a. 2. & q. 63. a. 1 docet Suarez lib. 5. c. 1. à num. 8. & cap 9. à num. 2.

5 Assertio II. Angeli quidam reipsa peccarunt, grauissimoque peccato iustam damnationem promeriti sunt. Ita Theologi omnes, cum S. Thoma cit. q. 63. art. 1. & cum Magistro in 2. dist. 4. Est de fide ex Scriptura. Iob. 4. versu 18. *In Angelis suis reperit prauitatem.* Et epistol. Iudæ versu sexto. *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Et alibi sæpe, vt dicemus.

Assertio III. Angeli non peccarunt in primo instanti suæ creationis; sed statim post primum instans, in instanti secundo: an peccare in ipso creationis instanti absolutè potuerint, incertum est; & verior videtur affirmatiua sententia. Priorem partem cum Sancto Thoma hic quæstione sexagesima tertia, articulo quinto, & Magistro in 2. dist. 4. docent omnes Theologi, excepto Eugubino libro 8. perenn. Phil capite 38. cum Theodoro quodam Theologo, quem ipse citat. Eandem assertionem tradunt communiter SS. Patres, præsertim Augustinus libro vndecimo de ciuit. capite 15. etsi in libris de Genesi ad lit. maximè libro vndecimo capite 23. dubius. 6

Probatur vera sententia primum omnibus illis Scripturæ locis, quibus suprà dub. 1. probauimus, Angelos omnes fuisse creatos in gratia: quibus testimonijs etiam vtitur S. Thomas hic cit. a. 5. Deinde idem probatur ex Concilio Bracharensi I. can. 7. vbi dicitur: *Si quis dicit, diabolum non fuisse primùm Angelum bonum, à Deo factum, anathema sit.* Quare opposita sententia fuit iam olim meritò damnata à Theologis Parisiensibus, vt refert Bonauentura in 2. d. 4. qui & ipse etiam ait, *ad hæresin proximè accedere*, & S. Thomas hic cit. a. 5. ita de ea censet: *Quia hæc opinio authoritati Scripturæ contradicit, &c. ideo à Magistro hæc opinio tanquam erronea rationabiliter reprobata est.* In quem sensum de eadem sententia loquuntur etiam recentiores. Rationes conuenientiæ eodem dubio 1. attulimus. Addit Sanctus Thomas aliam rationem ab impossibili; sed quæ forte non conuincit, vt mox dicetur.

Nec obstat illud Ioann. 8. *Ille homicida erat ab initio*, & 1. Ioan. 3. *Ab initio diabolus peccat.* Hoc enim non intelligitur de ipso instanti creationis Angeli; sed de tempore propinquo creationi mundi, ipsiusq; hominis respectu cuius homicida dicitur.

Secundam partem assertionis tradit Sanctus Thomas citata quæstione 63. articulo sexto ex communi. Intelliguntur autem non instantia nostri temporis, sed instantia Angelica temporis discreti, vt Caietanus, Molina, Vasquez, & alij communiter notant, & consentit Suarez hic libro 7. cap. 21. à num. 3. post Altisiodorensem, Alensem, Scotum, Ariminensem: licet absolutè existimet, potuisse primum instans mali Angeli, etiam esse instans nostri temporis, ita vt prima & bona eius operatio solum duraret per instans indiuisibile nostri temporis, adeoque intrinsecè in eodem instanti inciperet & desineret; etsi neget hoc esse possibile Ariminensis in 2. distinctione quinta. De quo alibi. Ratio assertionis est; quia si malus Angelus etiam in secundo instanti benè fuisset operatus, vel saltem nullum posuisset impedimentum gratiæ: mox in eo fuisset confirmatus, vti boni Angeli. Idem patet ex dubio præcedenti. 7

Quod

8 Quod vero ad tertiam assertionis partem attinet, fatendum est quidem, plures & graviores Theologos ex antiquioribus esse, qui sentiant, nec fieri quidem vllo modo potuisse, vt Angeli in primo instanti peccarent. Ita enim docet Hugo Victorinus in sum. tit. 2. cap. 2. S. Thomas hic q. 63. art. 5. & q. 16. de malo art. 4. Albertus in 2. d. 3. a. 14. Alensis part. 2. q. 29. mem. 1. a. 7. Bonauentura in 2. d. 3. part. 2. a. 1. q. 2. Richardus a. 2. q. 2. Durandus dist. 5. q. 2. Heruæus q. 2. a. 2. Capreolus d. 4. q. 1. art. 1. & 3. Argentina d. 6. quæst. 1. art. 2. Henricus quodlib. 8. q. 10. Holcoth in 2. quæst. 3. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 109. Caietanus & Thomistæ recentiores hic q. 63. art. 5. Et fauet Aureolus in 2. d. 4. a. 2. dum ait, potuisse quidem Angelum in primo instanti habere actionem cum defectu, sed non quæ imputaretur ad culpam.

9 Nihilominus tamen contrarium tradunt non pauci, nec contemnendi Doctores, speciatim Scotus in 2. dist. 5. q. 3. & in 3. dist. 18. q. 1. Ariminensis in 2. dist. 5. q. 1. art. 2. Bassolis quæst 1. art. 2. Maior q. 3. Gabriel dist. 4. quæst. 1. art. 3 Marsilius in 2. quæst. 3. art. 2, quos sequuntur Molina cit. quæst. 63. art. 5. & Gregorius de Valentia hic quæst. 14. pun. 4. vbi negatiuæ sententiæ præfert affirmatiuam; item Vasquez hic disp. 236. cap. 3. licet vtrinque dubius, censet tamen negatiuam nulla solida ratione fulciri. Eodem modo Suarez hic lib. 7. cap. 20. num. 47. diserte etiam pronuntiat, & fuse tuetur, absolute loquendo, non esse impossibile, Angelum peccare in primo instanti creationis, loquendo in sensu diuiso, & de absoluta potentia Dei, adeoque non supposita aliqua speciali prouidentia & manutenentia Dei; pro qua assertione citat etiam ipse Malonium in 2. distin. 6. disput. 7. & Herreram in 2. dis. 17. quæstion. 2.

10 Ratio vero huius sententiæ est. Quia nulla ratio firma, aut valde probabilis adferri potest, quæ ostendat, id esse absolute impossibile, vt sigillatim expendendo singulas ostendunt Scotus, Ariminensis, Vasquez, & fuse Suarez locis citatis.

11 Etenim omissis aliis leuioribus & minoris momenti, speciatim quod multi existimant, in primo instanti non potuisse ab Angelo exerceri operationem liberam & deliberatam, quod refutat ipsemet S. Thomas hic cit. q. 63. a. 5. vbi ait: *Manifestum est, quod creatio est instantanea, & similiter motus liberi arbitrii in Angelis; non enim indigent collatione & discursu rationis; vnde nihil prohibet, simul & in eodem instanti esse terminum creationis, & terminum liberi arbitrii:* potissima inter omnes est, qua vtitur S. Thomas ibidem, cum ait; *Quamuis res aliqua in primo instanti, quo esse incepit, simul incipere possit operari, tamen illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse; sicut moueri sursum, inest igni à generante. Vnde si res aliqua habeat esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiua actionis, poterit in primo instanti, in quo incipit esse, habere defectiuam operationem: sicut si tibia quæ nascitur clauda ex debilitate seminis, statim incipiat claudicare. Agens autem, quod Angelos in esse produxit, scilicet Deus, non potest esse causa peccati. Vnde non potest dici, quod diabolus in primo instanti suæ creationis fuit malus.* Ita Sanctus Thomas; cuius proinde ratio in hoc fundatur, quod alias DEVS esset author & causa peccati; cum operatio, quæ in primo instanti productionis ab aliqua re producta exercetur, sit ipsius generantis seu producentis; aut certe ei etiam velut causæ & auctori tribuatur.

12 Sed hoc quidem verum habet, in actione naturali, seu quæ necessario, aut per se ab eiusmodi re producta proficiscitur: sed de actione, quæ libere, & per accidens solum à causa illa producta exercetur, etiam contra intentionem & voluntatem primæ causæ producentis, non videtur probabile: alias enim cum Deus in quocunque instanti, tam hominem, quam Angelum intrinsece conseruet, pari ratione ei imputari possent peccata, quæ ab istis fiunt; quod est absurdum.

13 Nec obstat primo, quod prima cogitatio Angeli sit à Deo; nam hoc non obstante, potuit Angelus in eodem instanti libere se determinare, mediante cognitione sui, ad varia obiecta cognoscenda, vt dictum quæstione tertia, dubio octauo, imo etiam seipsum cognoscendo, inordinate ferri in suam ipsius excellentiam, iuxta Sanct. Thomam quæstion. 63. articulo primo ad quartum, cum ad hęc omnia nullo Angelo discursu aut mora indigeat.

14 Nec obstat secundo, quod Angelus in primo instanti creationis necessario habere debuit veram & realem potentiam & facultatem se conuertendi ad Deum: quod videtur fieri non potuisse, si in primo instanti creationis peccasset; quia impossibile est, conuersionem illam stare cum peccato. Nihilominus enim Angelus vere eam facultatem habuit, non quidem in sensu composito, ita vt conuersio coniungeretur cum peccato: sed in sensu diuiso; quia potuit omisso peccato se conuertere ad Deum; eo modo quo peccator quilibet, in eo instanti, quo peccat, potest & potuit non peccare: nimirum quia in eo instanti, prius naturâ quam peccaret, posset non peccare.

15 Nihilominus tamen quia ad perfectionem diuinæ prouidentiæ spectare videtur, vt creaturam rationalem, supposita ordinatione ad finem supernaturalem, condat in actu primo perfecte instructam ad eius consecutionem, neque eam primum productam statim in eodem instanti sinat à se deficere, & quasi in nihilum recidere, ne quasi exosus, aut ex necessitate, non bonitate spontanea, eam fecisse videatur, ideirco concedi potest, secundum ordinariam Dei legem fieri non potuisse, vt Angelus in primo instanti suæ creationis mox peccaret, vt docet Suarez loc. citat. numero 54. qui ita etiam priorem Sanct. Thomæ sententiam bono sensu interpretari conatur.

16 Assertio IV. Probabilius est, Angelum supremum inter malos, fuisse absolute supremum inter omnes Angelos. Ita cum Sanct. Thoma hic cit. quæst. 63. artic. 7. & Magistro in 2. d. 6. communis omnium scholasticorum; & consentiunt plures SS. Patres, speciatim Tertullianus lib. 2. cont. Marcionem cap. 10. Chrysostomus tom. 1. homil. de primo homine, & de casu primi hominis, Hieronymus in illud Iob 40. *Ipse est initium viarum Domini*, Gregorius lib. 4. Moral. cap. 12. vel 13. & lib. 9. cap. 2. Isidorus lib. 1. de sum. bon. cap. 12. Bernardus serm. 1. de aduentu, & author de mirabil. script.

Digitized by Google

lib. 1. capite 2. apud Augustinum: & fauet non parum sacra Scriptura Iob. 40. versu decimo quarto. *Ipse est principium viarum Domini*: tametsi hic locus iuxta literam immediatè spectet ad *Behemoth*, quem aliqui putant animal terrestre, vt Elephantem vel Rhinocerotem, alij genus quoddam serpentis siue Draconis: quod tamen non obstat, quia nihilominus etiam ad literam, & quidem sensu magis principali, ad diabolum pertinet, vt communiter Sancti Patres interpretantur. Accedit quod motiuum ad peccatum superbiæ, quo peccarunt Angeli, magis locum habuit in primo & supremo Angelo, quam in inferioribus, vt argumentatur Sanctus Thomas loco citato.

17 Contra hanc tamen assertionem Damascenus libro 2. de fide cap. 4. docet, Luciferum fuisse de infimo ordine Angelorum; quam opinionem etsi neget defendi posse Augustinus lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 19. tamen rectè notauit Sanctus Thomas citat. art. 7. fidei non aduersari; imò verò addit, *præiudicandum illi non esse*. Quocirca etiam Vasquez disput. 237. cap. 2. & Suarez hic lib. 7. cap. 16. rem incertam esse indicant; præcipuè si de Angelo positiuè supremo sermo sit: cum nihil obstet, plures esse eiusdem perfectionis specificæ & indiuidualis. Imò Suarez hoc sensu Luciferum non fuisse supremum, sed Michaëlem (supremum inter bonos) ei æqualem esse, probabilius videtur existimare: de qua re non est contendendum.

18 Assertio V. Probabilius est, Angelos inferiores à supremo fuisse exemplo, & suasione inductos ad peccandum. Ita cum Sancto Thoma cit. quæstione 63. articulo octauo, docent Caietanus & omnes Thomistæ ibidem; item Alensis 2. part. quæst. 99. memb. 2. Antisiodorensis lib. 2. sum. tract. 2. capite 5. Bonauentura, & Richardus in 2. dist. 5. Ægidius, Argentina, Gabriel, Maior, Durandus in 2. distinct. 6. Gregorius de Valentia hic quæst. 14. punct. 6. Molina cit. quæst. 63. a. 6. & Suarez lib. 7. c. 17. etsi res sit incerta, vt post Durandum rectè Gregorius de Valentia loc. cit. & Vasquez disp. 238. capite 2. qui in oppositam sententiam magis inclinat; quam tradiderunt Albertus in 2. d. 6. art. 3. Guilielmus Parisiensis de vniuerso prima part. 2. partis, cap. 112. & Alphonsus à Castro contra hæreses V. *peccatum hæresi 3.*

19 Probatur assertio Primò ex Scriptura. Nam locus ille Apocal. 12. versu 4. de cauda Draconis secum trahente tertiam partem stellarum, licet immediato, & maximè literali sensu, intelligatur de hominibus in Ecclesia militante peruertendis, ope diaboli; nihil tamen obstat, quo minus simul etiam intelligatur de Angelis per Luciferum seductis, vt cum Sancto Thoma hic citato articulo octauo, & cum Magistro 2. distinct. 6. Scholastici communiter, & iam olim etiam Prosper in dimid. temp. capite tertio, & Andreas Cæsariensis in Apocal. capite trigesimo quarto siue sermone 12. interpretati sunt, & benè etiam notauit Suarez hic lib. 7. cap. 17. numer. 20.

20 Secundo probatur assertio ex SS. Patribus. Ita enim docent Origenes lib. 1. Periarchon in proœmio, Eusebius libro 7. de præparat. Euang. cap. 6. & lib. 4. demonst. Euang cap. 9. Lactantius lib. 2. Instit. cap. 14. Gregorius Nazianzenus carm. 6 de substantijs mente præditis, Cæsarius dialogo primo, Chrysostomus in Psal. 14. Ambrosius epist. 33. vel 84. ad Demetriam, Hieronymus Isai. 14. vbi illa verba, *Tu terrã tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti*, ad Luciferum applicat. Gregorius lib. 3. moral. cap. 18. vel 23. Damascenus lib. 2. cap. 4. Bernardus tract. de gradibus humilitatis, & alij.

Tertiò idem suadet ratio. Primum enim hoc non 21
erat impossibile, vt rectè demonstrat S. Thomas cit. art. 8. & fatetur Vasquez loc. cit. Angelus enim non indiget ad eligendum, vel exhortandum, vel etiam consentiendum, temporis mora: deinde verisimile est, Angelum supremum in electione status sui non fuisse alijs tardiorem; adeoque nec posterius peccasse, quam alios; sed nec etiam defuisse ipsi in eodem instanti, quo peccauit, voluntatem sua authoritate alios in societatem peccati pertrahendi, eosque mediante locutione instantanea, ad illa pertrahendi: Verisimile est ergo id reipsa fecisse, adeoq; in eodem instanti etiam alios ad peccatum exemplo & suasione pellexisse.

Assertio VI. Verisimilius est, Angelos quot- 22
quot peccauerunt, omnes simul peccasse. Ita Sanctus Thomas cit. a. 8. ad 1. Caietanus, & Thomistæ ibidem; item Ægidius, Durandus, Argentina locis citatis, & consentit Gregorius de Valentia quæst. 14. punct. 6. Vasquez disp. 238. cap. 3. & Suarez hic libro 7. cap. 18. numer. 24. Ratio est. Quia hoc facilè fieri potuit; & magis consentaneum est naturæ Angelicæ, quæ ad deliberandum tempore non indiget; simulque ita faciliùs defenditur, eos simul omnes ad terminum venisse, vt dictum dubio præced. Etsi nec ista assertio certa est; siquidem contrarium docent Bonauentura cit. d. 5 art. 2. quæst. 2. & Molina hic q. 63. art. 6. In quorum tamen sententia dicendum est, eũ qui priùs peccauit, non ideò 23
prius ad terminum damnationis peruenisse, vt notat Molina ibidem.

Assertio VII. Licet absolutè non constet, quot 23
Angeli peccauerint, satis tamen certum est, plures perseuerasse, quam peccasse. Ita communis cum Sancto Thoma cit. quæst. 63. art. 9 & Magistro in 2. dist. 5. Et probatur ex citato loco Apoc. 12. de tertia parte stellarum per caudam draconis abstracta, &c. iuxta probabilem explicationem allatam assertione quinta. Vbi tamen nil opus est, præcisè tertiam partem; satis est, minorem hac in re numerum intelligere, prout sæpe alias in Scriptura incertus numerus per certum numerum significatur. Ratio est. Quia, vt inquit Sanctus Thomas loc. cit. *Peccatum est contra naturalem* (vtique Angelorum) *inclinationem. Ea verò quæ* (hoc modo) *contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt: natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel in pluribus.* Alia ratio est hominum, qui secundum appetitum sensitiuum naturaliter inclinantur in bonum sensibile, idque ipsum melius cognoscunt, quam bonum rationis; vt respondet Sanctus Thomas ibidem ad 1. Vid. supra quæst. 1. dub. 1.

Assertio VIII. Probabile est, è quolibet ordine 24
Angelorum aliquos cecidisse. Ita cum Sancto Thoma cit. art. 9. ad 3. & Magistro in 2. dist. 6. & 9. communis Doctorum, contra Damascenum, & alios

relatos

relatos assert. 4. qui dixerunt; Luciferum siue supremum inter dæmones, fuisse ex ordine infimo; qui consequenter sentiunt, Angelos qui ceciderunt, fuisse solùm ex eodem ordine infimo, vt notauit ibidem S. Thomas. Ratio assertionis secundùm quandam conuenientiam est. Tum quia homines pro diuersitate meritorum & gratiæ in supplementum ruinæ Angelicæ, ad quemlibet ordinem Angelorum assumuntur. Tum quia hac ratione magis demonstratur & enitescit libertas liberi arbitrij, quæ secundùm quemlibet gradum creaturæ in malum flecti potest. Idem docent nonnulli Patres apud Suarez hic libro 7. capite 17. numero 2. & fauet Scriptura, dum Angelis malis tribuit nomen Cherub Ezechiel 28. & Ephes. 6. nomina *Principum* & *Potestatum*, quos simul Apostolus vocat *mundi Rectores tenebrarum harum.*

25 Addit tamen S. Thomas cit. resp. ad 3. In sacra Scriptura nomina quorundam ordinum, vt *Seraphim & Thronorum*, dæmonibus non attribui; *Quia hæc nomina*, inquit, *sumuntur ab ardore charitatis, & ab inhabitatione Dei, quæ non possunt esse cum peccato mortali. Attribuuntur autem eis nomina Cherubin, Potestatum, & Principatuum; quia hæc nomina sumuntur à scientia, & potentia, quæ bonis malisque possunt esse communia.* Ita Sanctus Thomas. In quem sensum etiam suprà articulo septimo ad 1. rationem reddit, cur Ezechiel. 28. versu decimo quarto. *Tu Cherub extentus, & protegens*, &c. ex probabili explicatione supremus malorum Angelorum fuerit vocatus *Cherub*, siue *Cherubin*, cùm tamen esset ex supremo ordine Seraphim, nimirum quia lapso Angelo non conueniebat nomen Seraphim & ardentis præamore; sed solùm Cherubim, qui à scientia nomen habet.

DVBIVM IV.

Quale nam fuerit aut esse potuerit primum Angelorum peccatum, tum ex parte obiecti, tum ratione subiecti.

S. Thom. 1. p. q. 63. a. 2. & 3.

1 QVæstio est, quale fuerit peccatum Angelorum, tum quoad substantiam, & ex parte obiecti; tum quoad accidentia, & ex parte subiecti. Circa primum plura sunt controuersa. 1. An fuerit verum & formale peccatum superbiæ. 2. an absolutè potuerit esse aliud peccatum, quàm superbiæ. 3. quodnam fuerit obiectum eius superbiæ; an similitudo cum Deo, an beatitudo naturalis vel supernaturalis; an vnio hypostatica cum Verbo; vel aliqua alia excellentia. 4. An cum peccato superbiæ fuerint coniuncta alia peccata, & quænam. Circa secundum quæritur, an peccatum illud fuerit ex aliqua incogitantia, an ex malitia commissum. Deniq; dicendum est, an fuerit quoad hoc peccatum eadem ratio omnium Angelorum, etiam inferiorum. Quæ omnia sequentibus assertionibus breuiter explicamus.

2 Assertio I. Primum peccatum Angelorum fuit proprium & speciale peccatum superbiæ. Ita cum S. Thoma hic q. 63. a. 2. & 3. & Magistro in 2. d. 6. cap. 2. habet communis ac certa Theologorum sententia; quam speciatim tradunt Alensis lib. 2. sum. tract. 2. c. 2. Albertus 2. part. tract. 5. q. 21. memb. 2. Alensis 2. part. q. 98. memb. 2. qui tamen addit, radicem fuisse cupiditatem & auaritiam; sed non intelligit hoc nomine speciale aliquod peccatum, sed cupiditatem generaliter acceptam, pro inordinato amore, & inclusam in ipso peccato superbiæ; vt rectè exposuit Vasquez disp. 232. c. 3. Idem docent Bonauentura in 2. d. 6. a. 1. q. 1. Ægidius quæst. 1. art. 3. Richardus art. 1. q. 1. & 2. Gabriel in 2. d. 6. q. 1. a. 1. Nec dissentiunt alij, qui dicunt, peccâsse, aut immoderato appetitu beatitudinis, aut inuidiâ hominum, vt inferius dicemus. Idem docent recentiores omnes, Caietanus, & Thomistæ cit. q. 63. a. 2. & 3. Gregorius de Valentia q. 14. pun. 3. Vasquez disp. 232. c. 3. Suarez hic lib. 7. c. 8. & 9. & Molina cit. a. 3. disp. vn. memb. 5. vbi addit, contrarium *non esse tutum in fide.*

Solus inter Scholasticos Scotus in 2. d. 6. q. 2. negat, primum Angelorum fuisse proprium & speciale peccatum superbiæ, asserens, fuisse nimium amorem amicitiæ erga seipsum; ex quo ortus fuerit etiam amor concupiscentiæ inordinatus, & quasi cuiusdam luxuriæ spiritualis, in quo concupierit beatitudinem & delectationem spiritualem, vltra modum debitum. Ita post Lychetum cit. art. 2. rectè Scotum intellexerunt Vasquez disp. 232. cap. 1. & Suarez hic libro septimo capite nono, etsi Caietanus hic quæst. 63. art. 3. aliter Scoti sententiam referat. Cum eâ doctrinâ Scoti consentit Gabriel loco citato; nisi quòd fatetur, illum ipsum amorem inordinatum erga se, fuisse speciale peccatum superbiæ, vt dictum.

Probatur assertio primò ex Scripturâ, quæ non 3
obscurè indicat, primum peccatum in hoc mundo commissum, fuisse superbiam. Tob. 4. versu 14. *In superbiâ initium sumpsit omnis perditio.* Eccli. 10. versu 15. *Initium omnis peccati superbia.* Quibus accedunt alia Scripturæ loca, quibus cùm speciatim de peccato Angelorum sermo sit, significatur, primarium ac principale illorum peccatum fuisse superbiam. Iob. 41. v. 25. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Isaiæ 14. versu duodecimo. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Ezechiel. 28. versu 2. *Elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum.*

Et tametsi tria hæc posteriora loca, secundum immediatum literæ sensum, aliò referantur; videlicet primus ad Behemoth, siue Cete maris, seu balænam, iuxta Pinedam; secundus ad Regem Babylonis; tertius ad Regem Tyri; negari tamen vix potest, etiam ad diabolum spectare, vt habet communis & recepta interpretatio Patrum ac Doctorum, apud Gregorium de Valentia quæstione decima quarta punct. 3. & Suarez loco cito. Idquod etiam de literali sensu, eodemque primario accipiendum, vt sæpe aliàs in Psalmis & Prophetis accidit: quo modo etiam Augustinus l. 3. de doct. Christ. &

lib. 11. de Gen. ad lit. capite 24. & libro 11. de ciuit. cap. 15. dicit verba illa Isaiæ dicta esse de dæmone, in figura Regis Babylonis, quicquid Vasquez cit. disput. 232. cap. 2. non ita multum virium in his locis repositum existimet.

Huc spectat etiam illud Luc. 10. v. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Cuius loci videtur probabilissima ea explicatio, voluisse Christum repræsentato Luciferi superbientis casu, tacitè eo loco notare & comprimere nonnullam discipulorum inanem complacentiam, quòd dæmonia sibi subijcerentur, vt cum multis SS. Patribus docet Suarez cit. cap. 8. à num. 12. etsi cum Theophylacto refragetur Toletus in eundem locum.

Deniq; eodem modo illud 1. Tim. 3. v. 6. *Ne in superbiam elatus in iudicium* (hoc est, parem sententiam & damnationem) *incidat diaboli*, interpretantur Patres, speciatim Theodoretus & Theophylactus ibidem, Chrysostomus homil. 10. & Hieronymus epist. 83. ad Oceanum, vbi ait; *Iudicium & ruina diaboli, nulli dubium, quin arrogantia fit. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, nondum discipuli iam Magistri sunt.*

4 Secundò probatur assertio ex communi sensu & doctrina SS. Patrum, apud citatos. Ambrosius lib. 4. epist. 33. vel 48. *sine in lapsu diaboli*, inquit, *sine in prævaricatione hominis initium peccati superbia est.*

Chrysostomus homilia decima quinta in Ioann. *Quid hac amentia scelestius? quid superbia maius? non esset è cælo eiectus; nec in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere inquinasset. Hoc malorum omnium ei causa fuit.*

Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 11. *Superbus Angelus, ac per hoc inuidus, per eandem superbiam à Deo ad se fuit conuersus, & quodam tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus elegit.* Similia habet lib. 12. c. 1. 6. & lib. 14. cap. 13. & lib. 22. cap. 1.

Fulgentius libro primo ad Monim. capite septimo, *Si initium peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia inuenitur. Dicit enim scriptura, Initium omnis peccati superbia: quæ tunc initium sumpsit, cum Angelus aduersum Deum elatus est.*

Prosper l. 1. de vit. contemp. c. 3. causam damnationis Luciferi assignat, *Quia contra Creatorem suum typho superbiæ lethalis hostiliter se extulit.*

Leo I. serm. 4. de collect. de diabolo loquens, *Inuentor ille*, inquit, *auctorque peccati, primum superbus, vt caderet, deinde inuidus, &c.*

Bernardus serm. 17. in Cant. *Lucifer, qui manè oriebatur, præpropere eleuabatur*, &c.

5 Tertiò probatur ratione. I. Quia in naturâ tam excellenti, & adhuc incorrupta, nihil erat quòd proclive, ac per immoderatum amorem & appetitum boni proprij, propriæque excellentiæ (in quo consistit peccatum superbiæ) peccare. Quod ex Sancto Thoma citat. quæstione 63. art. 1. & 2. ita declaratur. Primo enim nullum peccatum carnale committere per seipsum potuit Angelus; nec vlla esset ratio cur approbatione eiusmodi peccati primum peccare vellet. Deinde valdè difficile erat, vt circa obiectum per se malum, v. g. odij erga Deum, nullo alio prauo affectu prævio, peccaret; præsertim quando odium peruersum supponit amorem peruersum. Denique ex obiectis spiritualibus, boni speciem habentibus, nullum erat, quod magis tam excellentem naturam afficere posset, quam propria excellentia, quod est obiectum superbiæ.

II. Quia ille ipse inordinatus amor amicitiæ erga seipsum, quem in Angelo Scotus assignauit, respectu boni sibi desiderati, fuit etiam amor concupiscentiæ; & quia hoc amore bonum, quod sibi primò desiderauit ac voluit Angelus, erat excellentia quædam, non conueniens ipsi secundum rectam rationem, vt ex Scriptura & Patribus colligitur; idcirco is ipse amor sui inordinatus in Angelo, erat verum ac formale peccatum superbiæ; quod iuxta S. Thomam in 2. 2. q. 162. Bonauenturam in 2. dist 5. art. 1. quæst. 1. in illo appetitu excellentiæ propriæ consistit.

III. Si Angelus solũ peccasset per inordinatũ amorem & complacẽtiam seu delectationem de proprio bono naturali, aut supernaturali, peccatũ illud non fuisset tã magnum, quàm in Scriptura & à Patribus describitur. Sicut peccatũ (quo exemplo vtitur Scotus) quo inordinatè delectatur quis in speculatione conclusionis geometricæ, esto ad spiritualem quãdam luxuriam reducatur, vt vult Scotus, non est tamen per se grãde aliquod, sed vix veniale peccatum.

IV. Denique quodcunque peccatum speciale Scotus luxuriæ spiritualis nomine intellexerit, & abusus est voce; nec effugere potest, quin in eius peccati declaratione, ad veram & specialem superbiæ rationem delabatur, vt pluribus cũ Caietano q. 63. art. 2. & 3. Vasquez disp. 232. cap 3. & Suarez cit. cap. 9. Addi potest etiam alia ratio assertionis ex S. Thoma sumpta, ab impossibilitate alterius peccati, quàm superbiæ; sed de qua mox disceptabitur.

Nec obstat, quod nonnulli Patres significant, primum peccatum Angelorum fuisse inuidiæ erga hominem; seu ob conditionem naturalem, seu quod eiusdem beatitudinis consors esset futurus, seu quod Verbum diuinum humanam naturam esset assumpturum, vt videre est apud Irenæum libro 4 cont. hær. cap. 78. Tertullianum lib. de patient. capite 5. Cyprianum opus. de zelo & liuore, Basilium in Conc. de inuid. Nyssenum in orat. catech. cap. 6. & Bernardum serm. 17. in Cantica. Respondetur enim cum Augustino libro 11. de Genes. ad lit. c. 14. Peccatum hoc inuidiæ, vti solet, natum fuisse ex superbiâ, non contrà. Quò fit, vt peccatum inuidiæ alio sensu primum dici non possit, nisi quia prius duratione aliud non fuit, licet formale peccatum superbiæ ordine naturæ antecesserit. *Porrò hæc inuidia*, inquit Augustinus, *sequitur superbiam; non enim causa superbiendi est inuidia, sed causa inuidendi est superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur, satis in promptu est. Amando enim quisq; excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei æquentur; vel inferioribus, ne sibi æquentur, vel superioribus, quod eis non æquetur. Superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus est.*

7 Assertio II. Possunt quidem in Angelis esse omnia peccata secundum reatum culpæ & pœnæ, adeoque secundum consensum & complacentiam voluntatis; non tamen propriè & formaliter, & secũdum propriũ actum, quo peccatum ipsum perficitur: etsi possint etiã hoc modo in eis esse quędãalia præter superbiã, & inuidiã. Primã & secũdã

pars est communis Doctorum cum S. Thoma hic cit. q. 63. a. 2. quem sequuntur Caietanus, & omnes Thomistæ, vti & Molina ac Vasquez ibidem, item Gregorius de Valentia q. 14. pu. 2. Suarez hic l. 7. c. 9. n. 31. nec dissentiunt alij Scholastici.

Ratio est manifesta. Quia dæmones & cõsentire possunt in omnia peccata hominum, eadem q; reipsa procurare: quo ipso iam fiunt participes eorundem peccatorum secundum reatum tam pœnæ, quã culpæ. Nec tamen possunt ipsi per se proprios actus peccatorũ carnalium vere exercere & perficere, vt gulæ, luxuriæ, &c. imo nec possunt habere inclinationem naturalem ad ista; quia sunt substantiæ incorporeæ, quæ per se non delectantur aut afficiuntur obiectis corporeis, nec eiusmodi corporeos actus exercent, vt suo loco q. præced. dub. 5. dictum. Eodemque sensu Augustinus lib. 14. de ciuit. cap. 3. dixit, *diabolum non esse fornicatorem, nec ebriosum, nec aliquid huiusmodi: esse tamen superbum & inuidum.* Et hoc est quod S. Thomas cit. a. 2. dixit, omnia peccata posse esse in diabolo, *secundum reatum, non secundum affectum.*

8 Tertia pars assertionis ita declaratur. Quamuis enim S. Thomas quidem cit. art. 2. ad 2. diserte pronuntiet, *solam superbiam & inuidiam esse pure spiritualia peccata, quæ dæmonibus competere possint*; sicut & art. 1. asseruerat, primum peccatum Angelorum non potuisse esse *circa obiectum per se malum*; contrarium tamen docet Molina cit. a. 2. & Vasquez eodem art. 2. multis ostendit difficultatẽ eius doctrinæ; imò etiam Caietanus eodem art. 2. doctrinam S. Thomæ, etsi forte parum accommodatè ad eius verba & mentem, restringit ad primũ peccatum Angelorum. Sed & Suarez l. 7. c. 15. affirmat, Angelum etiam alijs modis peccare posse.

9 Ratio est. Quia præterquam quod Angelus peccat etiã vero & formali odio erga Deũ, (quod Molina etiam putat absolutè potuisse esse primum peccatum Angeli,) cur Angelus non possit aut potuerit etiam primo peccare formali peccato inobedientiæ; cur non possit committere peccatum formale idololatriæ erga alium Angelum, venerando illum vt Deum? Cur non peccatum curiositatis? cur non blasphemiæ erga Deum, aut contumeliæ erga alios Angelos?

Omitto peccata omissionis; itẽ peccatũ hæresis & infidelitatis, vti & iniustitiæ circa res temporales hominũ, quã tamen vrget etiã Vasquez. Quia enim habuit euidentiã in reuelãte circa veritates credendas, vt superius dictũ, verius est, nõ potuisse committere verũ ac positiuum peccatum hæresis seu infidelitatis per dissensum aut dubitationem, circa rem fidei sufficienter ipsi propositã, vt videre est apud Suarez l. 7. c. 15. Res vero externas hominis etsi lædere prauo & iniquo affectu possit, qa tamen nihil horum facere potest, nisi Deo permittente, existimari fortè potest, eo ipso lęsionem hanc in ipso opere externo non esse reipsa contra Iustitiã. Similis est ratio proprij peccati Iræ, prout mansuetudini opponitur: quo sensu hoc peccatũ in Angelis propriè esse rectè negat S. Thomas cit. a. 2. ad 2. esto possit in eo esse prout est inordinata vindictæ cupiditas: qua ratione ad Iniustitiam pertinet, vt pluribus Suarez cit. cap. 15.

Nec obstat ratio S. Thomæ, quę videtur esse talis. In Angelis non potest esse peccatũ, nisi spirituale, siue circa obiecta spiritualia: affectus autem erga obiecta spiritualia peccatum esse non potest, nisi talis sit affectus, vt superioris regulâ conęmpta, vel neglecta, in ea obiecta feratur: atqui contemnere vel negligere regulam Superioris, est peccatum superbiæ; Ergo in Angelis solum potest esse peccatum superbiæ, & quod inde nascitur inuidię. Ex dictis enim vtraque propositio minor facile negari potest. Neque enim aut odium Dei malum est, quia superioris regula negligitur; aut omnis neglectus vel contemptus regulæ superioris est superbia, cum possit esse inobedientia, &c.

Quod si ex eodem S. Thoma a. 1. in corp. & ad 4. rationem ad primum peccatum Angeli accommodaueris hoc modo: Angelus circa obiectum per se malum eligendum primo peccare non potuit; cum id non possit fieri absque aliqua ignorantia vel errore; sed circa bonum tantum, idque spirituale, per immoderatum eius appetitum, quod ad superbiam pertinet. Ergo, &c. rursum nec maior propositio cum sua ratione firma subsistit, vti eam etiã negat Molina loc. cit. & quod ad rationẽ attinet, fusè Suarez l. 7. c. 4. 5. 6. & de minore manet eadem difficultas, quam antea notauimus. Quare si de physica & absoluta impotentia sermo sit, verius videtur oppositum eius, quod ratio illa concludit. Sed qualenam in specie fuerit peccatum illud superbiæ Angelorum, explicandum sequitur.

Assertio III. Peccatum illud superbiæ angelorum fuit quidem in hoc situm, quod angeli ex cõtemplatione suæ perfectionis elati, & immoderato quodam sui suæque perfectionis etiam naturalis amore capti, inordinatè concupierint aliquam cũ Deo similitudinem: at verò quænam de cætero fuerit specialis ratio primæ illius superbiæ Luciferi, & angelorum ei adhærentium, certo constare non potest: credibile tamen est, eam non fuisse vnã & simplicẽ; sed minimum duplicem, tum in amore seu appetitu inordinato beatitudinis seu naturalis, seu supernaturalis; tum in superba affectatione vnionis hypostaticæ cum Deo positam.

Probatur & declaratur assertio. Prima enim pars est communis omnium Doctorum, quos citabimus, cum S. Thoma hic q. 63. art. 3. & cum Magistro in 2. dist. 6. & sumitur apertè ex citatis scripturæ locis Isai. 14. *Similis ero altissimo.* & Ezechiel. 28. *Dixisti, DEVS ego sum.* Idem docent SS. Patres frequenter, speciatim Ambrosius loco cit. & in illud Psalmi 118. *Increpasti superbos*, Gregorius Nazianzenus orat. 27. & carm. 6. Chrysostomus tom. 5. homil. 3. de verbis Isaiæ, Gregorius lib. 34. Moral. cap. 17. vel 14. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. Damascenus lib. 2. de fide, cap. 4. & Beda tom. 8. lib. qq. quæst. 9. Ratio est. Quia supremus angelus, cum sit proximus post Deum, vix potuit aliter inordinato appetitu excellentiæ efferri, quam inordinate affectando aliquam cum Deo similitudinem: cuius peccatum cæteri angeli seruata proportione imitati sunt. Quare etiam S. Thomas loco citato dicit, *absq; omni dubio peccasse angelum, appetendo esse, vt Deus.*

Secundam partem rectè tradũt Vasquez d. 235. 13

cap. 1. & 3. & Suarez hic lib. 7. cap. 13. numero 13. Et facile probatur. Quia nec ex scriptura, nec ex Ecclesiæ definitione, nec ex Patribus, vel Doctoribus alijs, seu traditione, firmum aliquid & constans habetur: & si rationem spectemus, peccatum illud mille modis variare potuit. Quod magis patebit, si breuiter Doctorum hac de re sententias retulerimus & expenderimus.

14 Prima igitur sententia est, Angelum peccasse appetitu superbo (simplicis complacentiæ) æqualitatis cum Deo, etiam secundum naturam & essentiam. Ita docet Maior in 2. dist. 6. q. 1. & fauet huic sententiæ non parum Nazianzenus superius relatus. Sed hæc sententia communiter ac meritò à cæteris Scholasticis refellitur; quorũ complures putant, fuisse impossibile, vt ita Angelus peccaret. Ita S. Thomas, Caietanus, & recentiores Thomistę hic cit. q. 63. a. 3. & idem S. Doctor q. 16. de malo a. 3. Alensis 2. part. q. 98. mem. 3. Guilielmus Parisiensis 1. part. 2. partis de vniuerso cap. 109. Albertus in 2. d. 5. a. 3. Bonauentura a. 1. q. 2. Ægidius q. 1. a. 2. Heruæus q. 1. a. 3. Durandus q. 1. Marsilius in 2. q. 5. a. 2. Capreolus in 2. d. 4. q. 1. a. 1. & 3. Ferrariensis 3. cont. gent. c. 109. & significat Gregorius de Valentia q. 14. pun. 3. Alij vero etsi concedant, hoc absolute fuisse possibile, negant tamẽ ita reipsa peccasse Angelum. Ita Scotus in 2. d. 6. quæst. 1. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2. Bassolis quæst. 1. a. 1. Lychetus q. 1. alijque Scotistæ, quos sequuntur Vasquez disp. 234. cap. 2. & Suarez lib. 7. cap. 12. num. 14.

Quare Gregorius de Valentia loco cit. hoc inter reliqua certa, commemorat, Angelos hoc modo non peccasse; at Vasquez loc cit. c. 3. id certũ esse negat. Mihi quidem ob authoritatem Doctorum oppositum sentientium, hęc sententia videtur parum habere probabilitatis. Accedit, quod etsi absolute impossibile non videatur, affectu simplici hoc modo peccare Angelum, certe tamen moraliter impossibile fuit, vt primum ita peccaret Angelus: siquidem affectus ille simplex per se, aut nullum, aut non ita grande peccatum superbiæ esse poterat, nisi ex priori aliquo velut insatiabili appetitu excellentiæ prodiret, vt pluribus persequitur Suarez loco citat. nec credibile est, tam amentem primo statim fuisse perfectissimam mentem. Atque eodem sensu explicari possunt alij Doctores, dum negant, hoc fuisse possibile; etsi nonnulli, & in ijs Sanctus Thomas loc. citat. de efficaci & absoluto appetitu eius æqualitatis loqui videantur, quem palam est in Angelum cadere non potuisse.

15 Secunda sententia est, Angelum supremum peccasse per superbiam, appetendo vnionem hypostaticam cum Verbo; ac simul auersando Christum hominem; submissionemque ac reuerentiã ei debitam recusando. Ita docent Viguerius Inst. Theol. cap. 3. §. 2. ver. 15. Iacobus de Valentia in Psalm. 83. Catharinus opusc. propr. & Genes. 3. in princip. Naclantus ad Ephes. 3. Ascanius Martinengus in Genes. Ruardus artic. 8. Suarez hic lib. 7. cap. 13. num. 22. & in 3. part. tom. 1. disp. 42. sect. 1. eamque satis probabilem censet Molina q. 63. a. 3. disp. vn. memb. 5. & fauent Alensis 3. part. quæst. 2. memb. 13. Dionysius Carthusianus in 2. dist. 5 quæst. 1. Parisiensis lib. 2. de vniuerso parte 1. partis 2. cap. 106. & ante omnes Bernardus serm. 1. Aduentus, & serm. 2. in octaua Paschæ, & serm. 17. in Cantica; qui fere ab omnibus ita in hanc sententiam citatur; etsi nihil his locis diserte hac de re tradat. Apertius meo iudicio tradit illam Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, circa medium, vbi ita Christum loquentem facit: *Inuiderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, angelus & femina: ille potentiæ; illa scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Hanc vero sententiã refellunt & reijciunt Gregorius de Valentia cit. q. 14. pun. 3. & Vasquez disp. 233. cap. 2. non quod absolute sentiant esse impossibile, ita peccatum fuisse à Lucifero, quod quidam recentiores dixerunt; sed tum quod hæc sententia nullo fundamento nitatur; tum quod ex ea consequens sit, Christum fuisse prædestinatum ante præuisum Angelorum peccatum, cuius ipsi contrarium tuentur. 16

Mihi vero ob contrarium fundamentũ non parum probabilis videtur hæc sententia. Nam suppono, Incarnationem Verbi fuisse Angelis reuelatam in via, vt dictum dub. 1. itemque Christum fuisse prædestinatum ante præuisionem peccati, vt docui disput. 3. dub. 7. & 8. Quo posito, superbienti naturæ Angeli nihil fere procliuius erat, quam ob amorem excellentiæ propriæ, vnionem hanc siue affectare contra decretum Dei; siue odisse in homine Christo; sicque adeo & Christo debitum honorem recusare, eumque despicere; & homini ob eam dignitatem inuidere. Præterquam quod ad hanc sententiam optime explicari possunt loca scripturæ, & fere etiam SS. Patrum, dum docent, Luciferum affectasse esse Deum, vt superius retulimus, & fusius persequitur Suarez hic loco citato. Idem à posteriori confirmari potest, ex summo odio, quo diabolus etiamnum Christum hominem persequitur. 17

Tertia sententia, eademq; admodum communis, est Scholasticorum, qui docent, Angelos peccasse immoderato appetitu suæ beatitudinis; seu naturalis, vt magis inclinant S. Thomas q. 63. art. 3. & 3. cont. gent. cap. 109. Caietanus, Thomistæ, & Ferrariensis ibidem suis locis, Richardus in 2. d. 5. art. 1. q. 1. & 2. Ægidius q. 1. a. 2. Capreolus in 2. dist. 4. q. 1. a. 3. Marsilius q. 2. a. 2. & q. 5. a. 1. Heruæus in 2. dist. 5. q. 1. a. 3. Bassolis q. 1. art. 2. seu supernaturalis, vt communiter sentiunt alij, speciatim Albertus in 2. d. 5. Durandus q. 1. num. 14. Argentina dist. 6. quæst 1. a. 1. & 4. item Alensis 2. part. q. 98. memb. 3. Altisiodorensis lib. 2. sum. tract. 2. cap. 2. Maior dist. 6. quæst. 2. Scotus dist. 5 q. 2. & sub disiunctione, ex citatis antea S. Thomas, Heruæus, Ægidius, Richardus, Bassolis, & Thomistæ. 18

Sed qui tamen authores non eodem modo hanc sententiã explicant. Quidam enim, vt Altisiodorensis, Heruæus, Durandus, Argentina, Marsilius, Maior, Ferrariensis, & Caietanus, docent, eo solũ peccasse Angelum per appetitum supernaturalis 19

beati-

Digitized by Google

beatitudinis, quod non simul consideraret, auxilio & gratia Dei eam consequendam esse; ad quem modum etiam appetitum immoderatū beatitudinis naturalis Caietan⁹ & Thomistæ aliqui recentiores explicant, quasi ideo solum immoderatus fuerit, quod interim negatiue se haberet Angelus ad beatitudinem supernaturalem.

20 Sed hic modus explicandi hanc sententiam merito refellitur à Molina cit. a. 3. disp. 1. mem. 5. Gregorio de Valentia q. 14. pun. 3. Vasquezio disp. 235. capit. 2. & Suario hic. 7. capit. 10. & 11. Quia vix, ac ne vix quidem explicari & defendi hoc modo potest, Angelum aut per superbiam primum peccasse, aut tam grauiter peccasse, quam omnes merito censent; præsertim quia peccatum illud hoc modo explicatum formaliter solum est omissionis, non commissionis.

21 Scotus verò loco cit. eam immoderationem ac intemperantiam positam fuisse existimat in eo, quod vel intensius suam beatitudinem amarit; vel quod eam citius consequi voluerit, quam Deus decreuerat. Sed vtrumque facile refellitur. Quia posterius frustra, & sine fundamento excogitatum est; intentio actus vero per se vti præcepta non est, ita nec culpabilis est, vt suo loco de charitate docetur. Præterquam quod hac ratione non defenditur, primum Angeli peccatum fuisse superbiæ.

22 Communior igitur & verior modus explicādi hanc sententiam, est, quod Angelus vltimum beatitudinis finem voluerit proprijs viribus adipisci; siue quia ne à diuina gratia pendere hac in re cogeretur, ipsam beatitudinem naturalem, quam alioqui proprijs viribus consequi poterat, sibi pro fine absolute vltimo constituit, contemnendo quasi aliam beatitudinem superiorem, Dei gratia consequendam; siue quia ipsam etiam beatitudinem supernaturalem proprijs viribus consequendam affectauit, non quidem per errorem intellectus, vt putauit Ægidius loc. cit. neque adeo voluntate absoluta & efficaci; sed affectu simplicis cōplacētiæ, præuia ex parte intellectus aut sola simplici apprehēsiōe, qua id velut bonū apprehēderet, aut certe nullo alio iudicio præuio, nisi quo iudicaret, id bonum sibi delectabile esse.

23 Atque hæc est aperte sententia S. Thomæ cit. q. 63. a. 3. vbi ait *In hoc appetijt indebite esse similis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat peruenire; auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est gratia Dei. Vel si appetijt vt vltimum finem illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, nō ex diuino auxilio, secundùs Dei dispositionē. Et hoc consonat dictis Anselmi* (lib. de casu diab. c. 4.) *qui dicit, quod appetijt illud, ad quod peruenisset, si stetisset. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt; quia secundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei.* Quibus verbis postremis indicat S. Thomas, hæc duo facile simul potuisse esse coniuncta, vt primario quidē ac principaliter Angelus vellet suis viribus supremā consequi beatitudinē, affectando hoc modo etiā simplici affectu ipsam visionem Dei; sed cum simul videret, hoc esse impossibile, despiciendo illam, in seipso suáque beatitudine naturali voluerit conquiescere.

Quam sententiam hoc etiam fere modo explicant & defendunt, præter Ægidium loc. cit. Albertus, Alensis, Bonauentura, Bassolis, & Ægidius locis citatis, quos sequitur Vasquez loc. cit. Et quamuis eam impugnent & reijciant Gregorius de Valentia cit. q. 14. p. 3. Molina cit. q. 63. a. 3. disp. vn. m. 5. assert. 5. Suarez cit. l. 7. c. 10. & 11. est tamen valde probabilis; mihique præ omnibus maxime probatur. Tum, quia communior est grauiorum Theologorum; quam etiam complures Patres satis aperte tradunt, speciatim Augustinus lib. 4. Genes ad lit. cap. 24. & 32. & lib. 11. cap. 13. & 23. & lib. 12. c. 1. & l. 14. c. 13. & l. 22 de ciuit. c. 1. vbi ait: *Deus cum præsciret, Angelos quosdā per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatē.* Similia habet Ambrosius epist. 84 & Gregorius l. 34. Moral. c. 7. vel 14. *Relicto*, inquit, *cui debuit inhærere principio, suum sibi apperijt quodammodo esse principium, relicto eo, quod vere illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit.* Tum quia negari non potest, & maximam hāc esse superbiam, nolle in suprema beatitudine cōsequēda à diuina gratia pendere, eique se submittere; & possibile fuisse, vt Angelus hunc superbię affectum conciperet.

Quarta sententia est, Angelum ideo peccasse per superbiam, & affectionē similitudinis diuinæ, 24
quod aut indebite præesse alijs, aut non debite subesse voluerit. Quæ sententia rursum varijs modis explicatur. 1. quod voluerit esse exemptus ab ōni actuali & positiuo Dei imperio; quod post Guilielmum Parisiensem l. de vniuerso parte seu lib. 2. part. 1. cap 109. & 110. sequitur Valentia loc. cit. & significant etiam noñulli ex Patribus, vt dicetur. 2. quod Angelus noluerit se submittere Christo & verbo incarnato, nec homines sibi pares in gratia & gloria ferre, de qua re dictum supra in relatione secundæ sententiæ. 3. quod voluerit omni reliquæ creaturæ suapte authoritate & pro libitu præesse. Quod docet Molina loc. cit. post Bonauenturam in 2. dist. 5. art. 1. q. 2. Nec dissētiunt alij quidā, vt dicemus. 4. quod affectauerit officium Saluatoris seu Redemptoris, siue per vnionem hypostaticam, siue in persona propria, vt etiam docet S. Thomas q. 16. de malo art. 3. ad 4. 5. quod affectauerit diuinos honores, quibus coleretur vt Deus, quod etiā nunc vel maxime consequi studet. De qua re sit hæc

Assertio IV. Potuit quidem Angelus his alijsue similibus modis superbe efferri, adeoq; peccare 25
per superbiam; nec incredibile est eum vno aliquo, pluribusue eiusmodi modis reipsa peccasse; sed non ita tamen, vt hoc peccatum esset primarium, sed secundarium, & ex alio consequens. Ita aperte etiā docet S. Thomas cit. q. 63. a. 3. vbi post relata superius verba subiungit: *Quia vero quod est per se, est principium & causa eius, quod est per aliud, ex hoc etiam consecutum est quod appetijt aliquem principatum super alia habere, in quo etiam peruerse voluit Deo assimilari.* Quasi dicat, principale intentum Angeli fuisse, in seipso absolute modo explicato excellere; hinc vero etiā cōsequens fuisse vt alijs etiā

Digitized by Google

dominari peruersè cuperet. Eodem modo loquitur Alensis 2.part.q.98. mem. 3.

Et consentiunt Bonauentura in 2. dist. 5.art.1. q.2. Lyranus in illud Isai.14. *In cælum conscendam*, Burgensis & Repliçator ibidem post Basilium orat. 17. de humilit, Augustinum lib.14.de ciuit. cap, 11. Gregorium lib, 34. Moral.cap,17. vel 14. & Bernardum serm. 17. & 69. Nec dissentit Suarez cap.14. & Vasquez disp. 235. cap. 6. qui cum Burgensi addit potuisse etiam peccare, nolendo simplici affectu (vti circa primam sententiam diximus) subesse Deo, siue ab eo dependere etiam secundum naturam; etsi hoc absolutè videatur negare S. Thomas cit. a. 3.

Ratio assertionis, supposita rei possibilitate, quæ nõ indiget probatione, sumitur ex S. Thoma: quia prius ratione est, habere absolutam in se excellentiam, quàm relatiuam, & per comparationẽ ad alios. Prior etiam est affirmatio, quam negatio, adeoque actus prosecutionis, quàm fugę; prius ergo Angelus positiuè affectauit excellentiam indebitam, quam fugerit oppositam subiectionẽ; prius etiam in seipso voluit excellere; quam alijs præcellere & præesse; adeoque posterius hoc peccatũ velut secundarium ex priori natum est.

Et confirmatur assertio; quia cum SS. Patres, tũ diuersi, tum etiam ijdem, ijsdem vel diuersis locis, vt ex dictis colligi potest, diuersis modis peccatum illud superbiæ Angeli explicent, merito ad eos cõciliandos, plures eiusmodi modi superbiæ admittuntur &c. His consentit etiã Suarez cit. l. 7. c. 14. & 15. à nu. 6. vbi docet, plures rationes & quasi species superbiæ in peccato Luciferi fuisse vt arrogantiam, ambitionem, vanã gloriam &c. & addit num. 17. *non tamen ideo multiplicata fuisse peccata in Angelo, sed vnam superbiam variis nominibus secundum diuersam habitudinem & circumstantias explicari*; de quo hic non disputo.

26 Assertio V. Angelus in via constitutus, comisit quidem plura alia peccata, præter superbiam, vt Inuidiæ erga homines; & forte etiam odij, ac contumeliæ, iniqui appetitus vindicandi, erga Deum, Christum, & homines: sed hæc peccata nata sunt ex peccato superbiæ. Ita S. Thomas cit. q. 63. a.2.corp.& ad 3. Et de inuidia est certa & communis Doctorum ac Patrum sententia, de qua iam superius diximus, qua ratione ex superbia soleat nasci. De alijs peccatis relatis probabiliter docet Suarez lib.7.c.15.à n.18.& ferè Vasquez q.63.a.2. ex SS. Patribus; nec aduersantur Scholastici. Ratio est. Quia proprium est superbiæ, odisse & vlcisci velle eos, qui cõcupitæ excellentiæ obstare, eiusq; eminentiam diminuere videntur.

27 Assertio VI. Peccatum Angeli fuit in suo genere grauissimum, adeoque nec ex fragilitate, nec ex ignorantia priuationis, aut prauę dispositionis, sed ex certa scientia profectum; non tamen sine aliqua inconsideratione eorum, quæ considerari debent, quæq; eum à peccando auertere poterãt, comissum. Ita expresse docet S. Thomas cit. q.63. a.1.ad 4.& prior assertionis pars est extra controuersiam: postrema est communis Thomistarum ac recentiorum ibidem, quam tuetur etiam Suarez lib. 7.c.7. etsi quoad vltimam partem contrarium doceant Scotus in 2. d.6.q.1. Gregorius de Valentia q. 14.pun. 2. & 3. Palacius in 2. dist. 5 disp. 2. rati, Angelos absque omni incogitantia & actuali inconsideratione peccasse.

Ratio totius assertionis quoad singulas partes est. 1. Quia peccatũ superbiæ Angeli, tum ex obiecto fuit grauissimum; tum ex parte subiecti cum deliberatione sufficientissima coniunctũ, vt mox dicetur. 2. In Angelis nulla est passio, nullus appetitus sensitiuus rationi repugnans, ex cuius inclinatione nascitur fragilitas peccandi. 3. In Angelis perfecta erat scientia naturalis, & supernaturalis rerum omniũ, quæ ad recte viuendũ requiruntur; adeoq; & libertas seu facultas plenissima deliberãdi de agendis; vt patet tum ex dictis supra quæst. 3. de scientia Angeli; tum ex ipsa eius conuersione ad Deum, in primo instanti habita.

4. Non tamen actu cogitauit omnia quæ illum à peccando poterant auocare. Tum quia iuxta Aristotelem 3. Eth. c. 1. *omnis peccans est ignorans*, de quo alibi. Tũ quia moraliter impossibile fere, aut sane valde difficile est, omnia quæ ad eam rem faciunt cogitantem peccare, vt experientia constat. Tum quia plurima erant, quorum cogitatione à peccãdo auerti potuit Angelus, quæ omnia simul cogitare non facile erat Angelo, præsertim voluntaria mentis applicatione, suæ excellẽtiæ, eorumq; quæ eo spectabant cogitationi & amori (ex se nondum malo) affixo. Ea vero quæ in contrarium obijciuntur, facile soluuntur à Suarez ibidem.

Assertio VII. Ea quæ de peccato primi Angeli hactenus dicta sunt, seruata proportione, etiam de 28 peccatis aliorũ Angelorum, intelligenda sunt. Ita habet cõmunis Doctorũ sentẽtia; quia S. Thomas cit. q.63. a.2. & 3. de Angelis indefinite loquitur; vti fere etiam alij, ipsiq; Patres citati.

Probatur & declaratur assertio. Primo enim omnes Angelos etiam inferiores peccasse primum per superbiam, omnes æquè fatentur, speciatim Alensis, Bonauentura, Richardus, Gabriel, Maior locis citatis, quicquid Lactantius lib. 2. Instit. cap. 14. errore lapsus dixerit, inferiores Angelos ad custodiam hominũ deputatos, à Lucifero ad concupiscentiam fœminarum & carnalia peccata fuisse inductos, & hoc fuisse illorum peccatum. Quę sententia simul etiam falso supponit, Angelos esse corporeos, quod suo loco refutatum est. Et ratio sumitur tum ex dictis assert. 1. tum quia cæteri Angeli exemplo supremi Angeli inducti peccarũ; exemplum autem solet vel maximè ad peccatum simile inducere.

Secundo quoad imoderatum appetitum & cõplacentiã propriæ beatitudinis, similis fuit ratio omnium, isq; modus peccandi æquè in omnibus locũ habere potuit, vt S. Thomas, & alij citati pro tertia sententia docent, quicquid hac etiã in parte reluctetur Suarez l. 7. c. 18. n. 4. 29

Tertio quoad ambitionẽ vnionis hypostaticæ, nõ est credibile quidẽ singulos appetijsse, vt ea fieret in sua vniuscuiusq; natura individua; hac enim ratione aduersus Luciferũ, & inter se ipsi contrarij fuissent, neq; suasione supremi Angeli huc ducebantur; sed solũ vt fieret in natura sui generis, nempe Angelica, non humana; & forte etiam

determi-

determinatè, vt fieret in suprema natura eiusdem generis, nempe Luciferi.

30 Quarto quoad alios modos superbiæ, credibile est, singulos appetijsse, Deo vti Regulæ seu imperanti non subesse; sed potius alijs inferioribus pro ratione & conditione sui gradus suo arbitratu præesse, saltem sub Lucifero. Quod autem Gabriel & Maior locis citatis, peccatum Angelorum in eo solum constituunt, quod concupierint Angelo supremo hanc excellentiam, vt ei, non Deo omnes subijcerentur, parum est probabile, vt pluribus Vasquez d. 238. c. 4. & Suarez lib. 7. c. 18.

DVBIVM V.

De statu damonum, quantum ad naturalia; speciatim quæ sit causa obdurationis damonum.

S. Thom. 1. p. q. 64. a. 1. & 2.

EXplicata via mali Angeli, sequitur vt de statu damnationis eiusdem; ac primo quidē quantum ad conditionem naturalem perfectionum eiusdem secundum se; deinde speciatim quantū ad pœnam agamus, de quo dubio sequenti.

1 Quod vero ad primum attinet, certum est primo, Angelos per peccatum naturalia, hoc est potentias & affectiones seu proprietates naturales, non amisisse, vt docet S. Thomas cit. q. 64. a. 1. & consentiunt omnes Theologi in 2. dist. 7. post S. Dionysium c. 4. de diuin. nom. vbi ait: *Non igitur malum est damonum genus, quatenus ineſt in eo, quod ineſt ſecundum naturā, ſed quatenus abeſt: nec mutatum bonum vniuerſum quod eis tributum eſt: ſed ipſi à toto bono, quod eis datumerat, deflexerunt: datáq; eis Angelica munera nequaquā* (hæc vocula in versione Perionij desiderarur; in græco est, ὡ μήποτε) *mutata eſſe dicimus; ſed ſunt & integra, & nitidiſſima, ipſiq; non vident, quod ſuas facultates cernendi cauſā benigne conceſſas obſtruxerint.* Vbi tamen ipse etiam Dionysius indicat, vsum naturalium potentiarum non esse planè incorruptum, sed per peccatum deprauatum, vt mox dicemus. Ratio est. Quia Angelica natura est incorruptibilis; Ergo tam ipsa secūdum se, quam secundum suas naturales proprietates & affectiones, quæ ab ipsa necessario emanant, si quidem secundum se & in actu primo spectentur, est integra & incorrupta.

2 Secundo tamen; quod ad vsum intellectus attinet certum est, actualem cognitionem Angeli per peccatū varie deprauatā esse. Quod ita declarat S. Thomas cit. q. 64. a. 1. Distinguit enim duplicē veritatis cognitionē; vnam quæ habetur per naturā, & aliam quæ habetur per gratiam; hancq; rursus duplicem, vnam speculatiuam tantum, sicut cum alicui aliqua secreta diuinorū reuelantur, aliā quę est affectiua & producens amorem Dei: ex quibus cognitionibus, ait, primam dæmonibus nec ablatā esse, nec diminutā; secundā autē non esse ab eis totaliter ablatā, sed diminutā; tertia vero esse totaliter priuatos, sicut & charitate. Ita S. Thomas, quē Thomist. oñes, & Molina ac Vasquez ibidē, vti & Gregorius de Valentia q. 15. pun. 1. sequitur.

Id vero ita intelligendum est, vt primum illud dictum accipiatur, de cognitione naturali secundū se; & prout à motione voluntatis independens est. Nam ex defectu & peruersa motione voluntatis accidit, vt in vsu ipsius etiā cognitionis naturalis, non solum inordinate distracti sint, sed etiā in iudicijs naturalibus, quando abest euidentia, varijs modis sint errori obnoxij, vt dictum est supra quæst. 3. dub. 8. & bene etiam notauit Molina loco citato, & Suarez lib. 8. cap. 6. 3

Secundum vero dictum accipiendū est, iuxta ea quæ docuimus cit. qu. 3. dub. 7. non quod in illis vllo fidei, alteriusue cognitionis, etsi mere speculatiuæ actus, seu habitus supernaturalis remaneat, vt suo loco de fide docetur, & ex communi benè docent Molina, Valentia, Vasquez locis citatis, & Suarez hic lib. 8. cap. 6. quicquid in contrarium dixerint Alensis 3. part. q. 64. memb. 7. Durandus in 3. d. 23. q. 9. & Salmeron in Iacob. 2. mansisse in dæmonibus fidem supernaturalem, de quo alibi; sed quod in eis certe ipse assensus, etsi mere naturalis, & vel ab effectis desumptus, iuxta S. Augustinum 9. de ciuit. capit. 2. vel bonorum Angelorum informatione, seu vniuersim euidentia reuelantis nixus, de rebus fidei, alijsq; secretis diuinis in dæmonibus sit & permaneat, vt indicat quoque S. Thomas hic cit. q. 64. a. 2. ad 5. Quo sensu etiam S. Thomas in 2. 2. q. 18. a. 3. ad 2. dicit, damnatos esse capaces *fidei informis*, licet non sint capaces spei. Atque ad hunc modum explicanda est intellectus cæcitas, quam Angeli per peccatum incurrerunt.

Tertio certum est, ipsam etiam voluntatem Angelorum post peccatum adeo esse depraua- 4
tam, & in malo obstinatam, vt & perpetuo actum acerbissimi odij & impatientiæ erga Deum exerceant, nec possint moraliter loquendo ab eo cessare; propter perpetuam & incessabilem cogitationem & experientiam æternæ suæ damnationis, iuxta illud Psal. 73. versu 23. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; & communem Doctorum sententiam; nec omnino vllius salutaris pœnitentiæ, adeoque nec redemptionis sint capaces, vt docet S. Thomas q. 64. a. 2. & cōsentiunt omnes Doctores in 2. d. 7. & definitur in 5. & 7. synodo act. 11. & cap. *Firmiter*, de summa Trinit. & fid. Cathol. contra oppositum errorem Origenis, quem tamen post Ruffinum excusare, & ab eo errore purgare conantur Sixtus Senensis libro 6. Bibl. annot. 290. Scotus in 4. dist. 45. quæst. 2. a. 2. & dist. 50. q. vn. art. 1. & Picus Mirandulanus in sua Apolog. Videri hac de re potest Hieronymus epist. 65. ad Pamachium & Oceanū, & in Apologia pro suis libris, contra Ruffinum, Sanderus lib. 7. visib. Monarch. hæresi 46 & Castro V. Beatitudo, hæresi 3.

Idem patet ex Scriptura Eccles. 11. v. 3. *In quocunq; loco ceciderit lignum, ibi erit.* Isai vlt. v. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. 25. v. 41. *Discedite maledicti in ignē æternū qui paratus est diabolo.* Apocal. 20. v. 10. *Cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.*

Idem docent SS. Patres speciatim Augustin⁹ de ciuit. Dei lib. 11. & 12. passim, Fulgentius de fide 5

ad Petrum cap. 3. Prosper lib. 1. de vita contemplatiua cap. 3. Cassianus collat. 4. cap. 13. & 14. Nyssenus siue Nemesius lib. 1. Philosoph. cap. 3. Gregorius 2. Moral. cap. 3. vel 4. & lib. 4. c. 9. vel 10. Isidorus lib. 1. sent. seu de sum. bono c. 10. Bernardus serm. 22. in Cantica. Optime Damascenus li. 2. de fid. cap. 3. & 4. vbi ait: *Quod hominibus mors, hoc Angelis est lapsus; post lapsum enim non est illis pœnitentiæ locus.* Ratio congruentiæ est. Tum quia dæmones non peccauerunt ex aliqua fragilitate carnis, vt homo; quam rationem reddunt Gregorius lib. 4. Moral. cap. 9. Cassianus collat. 4. cap. 14. & Damascenus lib. 2. fid. ca. 3. & 4. Tum quia naturale quodammodo est Angelis, non moueri ab eo, quod semel deliberatè elegerunt. An autem hæc ratio absolutè conuincat, inferius dicetur.

6. Hæc igitur cum inter Theologos certa sint, sunt tamen alia eodē spectantia controuersa, non pauca, nec leuia. Primo enim dubitatur, quandonam cœperit ea voluntatis obduratio. In qua re Scotus in 4. dist. 6. q. 2. ad 4. & Gabriel eadem dist. q. 1. articulo 2. asserunt, non à prima determinatione ad peccandum, eam obdurationem incepisse, sed in ea mora seu duratione, quæ post primum instans peccati, vsque ad damnationem interceßit, potuisse adhuc Angelum dolere de peccato commisso, adeoque ab eo non secus ac hominem pœnitendo resurgere ac liberari; quandoquidem adhuc erat in via. Quod etiam acriter propugnat Salmeron 2. Pet. 2. disp. 3. dub. 3.

7 Sed contraria sententia est omnino tenenda, nimirum Angelum post primum instans peccati, nullo vnquam tempore vel instanti recuperare potuisse amissam gratiam, nec adeo post primum peccatum euadere potuisse damnationem æternam. Ita docent S. Thomas q. 64. a. 2. Caietanus, & Thomistæ ibidem, Gregorius de Valentia q. 15. pun. 2. Molina q. 63. a. 6. Vasquez d. 229. cap. 7. & Suarez lib. 8. c. 1. à n. 5. ex communi Doctorum in 2. dist. 7. quos inferius referemus. Probatur ea vel maximè ex superius citatis Patribus, qui hoc indicant. Fauet etiam scriptura 2. Pet. 2. vers. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit*: quod perinde est, ac si dictum fuisset, Nullis Angelis peccantibus pepercit Deus; at verò si non statim post peccatum commissum adempta erat eis facultas pœnitentiæ, nulla causa erat, cur non pauci saltem aliqui reipsa peccatum per pœnitentiam expiassent, atque ita fuissent saluati. Quæ etiam ratio est à posteriori.

A priori vero, præter rationes congruentiæ superius allatas, ratio esse debet. Quia Christus Redemptor non venit pro Angelis, sed solum pro hominibus, quantum ex scriptura colligi potest: Ergo nec gratia Christi Redemptoris, seu quod idē est, gratia redemptionis, sine qua nemo potest à peccato resurgere, vnquam obtigit Angelis, nec efficax, nec sufficiens; sed Deus iusto decreto omnem eam gratiam illis denegauit. Quam rationem tradunt Bonauentura, Scotus, Richard⁹, Ægidius, Durandus, Ariminensis, Gabriel, Maior, & Bassolis in 2. d. 7. & Marsilius in 2. q. 5. a. 5. & sequuntur Molina, Gregorius de Valentia locis citatis, & alij, etsi neget Suarez, vt dicetur. Cur autem Christus Redemptor non etiam Angelis obtigerit, & diuinitus fuerit destinatus, SS. Patres varias assignant causas, apud Molinam & Valentiam locis citatis; easque præcipue, quas supra in certo tertio recensuimus, de quibus plura in materia de Incarnatione.

Obijcitur; quod non solum iuxta Scotum loco citato, sed etiam iuxta S. Thomam q. 63. a. 6. ad 4. & doctrinam superius traditam dub. 3. instans secundum peccati Angelici, per ordinem ad nostrū tempus, non fuit penitus indiuisibile, quia alioquī cum post illud immediatè consecutū sit nouum instans damnationis eorundem, ex eodem S. Thoma ibidem, fuisset vnum instans Angelicum prorsus indiuisibile, etiam per respectum ad nostrum tempus, alteri instanti, secundum primam sui existentiam itidem indiuisibili, immediatum; quod fieri non potest, nisi pariter etiam in nostro tempore talia instantia immediata esse posse dicamus. Quod si ergo secundum illud instans viæ Angelorum peccantium fuit diuisibile, per respectum ad nostrum tempus, potuit ergo fieri, vt saltem post dimidiam quasi partem durationis eius instantis (per comparationem ad nostrum tempus) & à peccato cessaret Angelus, & gratiam obtineret; quia erat in via, & peccatum libere continuabat. 8

Propter hoc argumentum Suarez cit. cap. 1. à n. 21. concedit, Angelis non fuisse denegatum in via auxilium gratiæ sufficiens ad resurgendum, etiam post peccatum commissum; sed solum efficax & speciale; quo fieret, vt quamuis absolute resurgere possent, moraliter tamen, & sine maxima difficultate, propter insitam quasi voluntatis immobilitatem, non possent; nec eorum quisquam reipsa esset vnquam ad gratiam, & salutarem pœnitentiam rediturus. Sed hanc doctrinam nec doctrinæ SS. Patrum superius relatæ, nec communi sensui Doctorum, imo nec scripturæ, satis consonam existimo, vti ex dictis colligi potest. 9

Respondeo igitur, Angelum post primum statim peccati instans, etiam indiuisibiliter acceptū, per comparationem ad nostrum tempus, adeoque toto mox tempore consequenti inchoationē peccati, priuatum fuisse omni gratia, non solum habituali, sed etiā actuali, qua resurgere posset, adeoq; penitus obduratum in peccato, vt dictum: etsi quidem potuerit interim (pro insita naturæ libertate alio mentem conuertendo) ab eo peccato cessare; quod negari non potest, nisi quis absolute neget, peccatum formaliter in via continuatum. Neque tamen idcirco sequitur, Angelū adhuc in via existentem pœnam damni sentire cœpisse; non solū quia sententia damnationis prolata & intimata ipsi necdum fuerat, sed etiam quia pœna illa damni, prius (cum propriè sit priuatio beatitudinis, quæ nulli potest contingere in via) non incipit, nisi finita via, quandō iā alioquī beatitudo ipsi ex diuino decreto poterat & debebat contingere. 10

Secundo dubitatur, quænam sit propria & immediata causa obdurationis dæmonum in malo; qua nempe fit, vt à peccato resurgere non possint, nec vnquam potuerint. Et negari non potest, causam velut per accidens esse negationem gratiæ diuinæ: si enim Deus sanare ipsos vellet, vtique 11

absolutè

absolute loquendo posset, vt omnes fatentur. Sed an in ipsa quoque natura & voluntate Angelorum sit sufficiens & efficax huius rei causa, quæritur; nam illi dicunt, Angelicam voluntatem esse natura sua inflexibilem ab eo, quod semel plena libertate & deliberatione elegit: consequenter obdurationem Angelorum ad eam voluntatis inflexibilitatem, velut ad sufficientem causam referunt, in quibus speciatim est S. Thomas hic cit. q. 64. a. 2. Caietanus & omnes Thomistæ ibidem, alijque relati q. 4. dub. 2.

12 Sed verior est aliorum sententia, quos ibidem retulimus, nimirum peti quidem aliquam congruitatem huius obdurationis ex ipsa natura Angelorum posse, attamen absolutè causam in natura ipsorum positam non esse, sed in decreto DEI statuentis, vt mox post primum peccatum, imò & post primum peccati instans, facultatem non habeant salutaris pœnitentiæ, vt recte docent Molina q. 64. a. 2. d. 2. Gregorius de Valentia q. 15. pun. 2. Vasquez d. 239. cap. 7. & d. 240. cap. 3. & quoad tempus, viam peccantis Angeli consequens, consentit Suarez lib. 8. cap. 7. à n. 6. post Bonauenturam, Richardum, Scotum, Ægidium, Durandum, Ariminensem, Maiorem, Bassolem, in 2. d. 7. & consentiunt Altisiodorensis libro 2. sum. tract. 2. c. 6. Albertus 2. p. tract. 5. q. 25. a. 4. Marsilius in 2. a. 5. q. 3. Ockam in 2. q. 19. & quodlib. 1. q. 14. & alij.

13 Ratio est. Tum quia falsum est contrariæ sententiæ fundamentū, vt probauimus loc. cit. Tum quia etiamsi verum esset, adhuc tamen sine causa diceretur, non potuisse Angelos natura sua peccatum commissum retractare; non solum quia non cōstat, Angelos ita plena cum deliberatione peccasse, vt considerarint omnia ad rem pertinentia; cum præsertim multi auctores sentiant, nullū vnquā peccatum comitti sine aliqua inconsideratione; sed etiam quia illi ipsi Thomistę sentiunt, Angelum primo per inaduertentiam seu incogitantiā peccāsse, vt nos etiā docuimus dub præced.

14 Quomodo autem Deus deneget dęmonibus facultatem salutaris pœnitentiæ, non omnes eodem modo explicant. Scotus in reportatis 2. d. 7. q. 3. a. 2. putat hoc ideo fieri, quod etsi dæmones habeāt, aut habere possint contritionem naturalē de peccatis, eamque talem, qualis in nobis, ex eius sententia, iuxta diuinam acceptationem, est dispositio sufficiens ad gratiam, tamen ea dispositio in dæmonibus non ita à Deo acceptetur. Sed hæc sententia cum suo fundamento in 1. 2. ex instituto refellitur. Vide tom. 2. d. 6. q. 3. dub. 3. & 7.

15 Secundo Aureolus in 2. d. 7. q. vn. art. 1. (citatus etiam à Marsilio in 2. q. 5. a. 3.) dicit Deum voluntati dæmonis post peccatū infudisse habitū malitiæ & displicentiæ, seu odij Dei, adeo vehementē & intensum, vt non admittat actum pœnitentiæ, nec voluntas adeo inclinationi ipsius vllo modo possit resistere. Sed & hæc sententia merito ab omnibus refellitur. Tum quia talis habitus fictitius est; vtimur enim habitibus, quando volumus; ac proinde omnis inclinatio habitus, saltem naturalis (qualis hic necessario esse debet) subiacet quoad vsum libertati volūtatis. Tum quia plane videtur alienum à diuina bonitate, infundere habitum necessitantem ad malum.

Quibus rationibus etiam refellitur sententia eorum, qui dixerunt, Deum infundere dæmonibus, aut certe in ijs speciali concursu perpetuo conseruare odium sui ipsius; quod probabile etiam censent Ockam & Gabriel loc. cit. & refert ac refellit Aureolus cit. q. vn. a. 2. Quia hoc esset perpetuum sine causa miraculum, & præter naturam ac consuetum diuinæ prouidentiæ modum, non per seipsum immediatè, sed per subordinata media gubernantis inferiora. Addit Molina q. 64. a. 2. vtramque hanc sententiam contra Deum impiam esse, eumque peccati auctorem facere: quod tamen improbat Vasquez d. 241. cap. 2. quia si odium est absolute necessarium, iam non est formaliter malum & peccatum, sed solum materialiter & obiectiue, vti naturalis concupiscentia carnis, seu inordinatus dormientium motus, cuius etiamsi Deus author esset, non tamen proprie ideò peccati author esset; de qua re in 1. 2. tomo 2. disp. 4. q. 9. dub. 4. & 5.

16 Vera igitur sententia est, id ideo fieri, quia Deus dæmonibus post peccatum, omnem gratiam, tam actualem ad conuersionem peccatoris, vt suppono, necessariam, non solum efficacem, sed etiam sufficientem, quam habitualem denegat, vt dictū. Ita habet communis Doctorum sententia, quos superius citauimus, & sequuntur Gregorius de Valentia q. 15. pun. 2. Suarez cit. lib. 8. cap. 7. n. 10. & fere Vasquez d. 241. cap. 3. & colligitur ex S. Thoma & Patribus apud eosdem: licet Vasquez de gratia sufficiente ordinis naturalis (iuxta peculiarem suam, quam de gratia tradit sententiam) nonnihil subdubitet, de quo alibi. Sicut & Molina loco citat. potius ad negationem concursus, quam gratiæ sufficientis præuiæ videtur confugere. Nec verum est, quod dicit Aureolus cit. art. 2. Sanctos Patres significare, Deum ex sua parte *esse paratum dare dæmonibus gratiam*, nisi ipsi obstarent.

Eademq; est ratio quoad hoc animarum damnatarum; quas male Caietanus q. 62. a. 2. asserit, non in hac vita, sed primum post hanc vitam, per primum actum promereri impotentiam à peccato resurgendi; quæ sententia satis aperte repugnat scripturis, vt recte Vasquez cap. 3. ex communi.

17 Tertio dubitatur, an voluntas dæmonum ita sit in malo obdurata, vt nullum vnquam opus bonum morale possint velle aut facere. Affirmant complures Theologi; speciatim Magister in 2. d. 7. S. Thomas ibidem q. 1. a. 2. Ægidius q. 1. a. 2. Richardus a. 2. q. 2. Capreolus q. 1. a. 1. Ariminensis q. 1. a. 2. Maior q. 1. Sotus in 4. d. 51. q. 1. a. 5. Holcoth in 2. q. 4. Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 95. itemque Caietanus, Molina, & recentiores Thomistæ hic q. 64. a. 2. & fauent Antisiodorensis lib. 2. sum. tract. 2. c. 7. q. 1. Bonauentura in 2. dist. 7. p. 1. art. 1. q. 2. & Marsilius in 2. q. 5. art. 3. dum asserunt, dæmonem nunquam bene operari.

Fauet etiam S. Thomas hic q. 64. a. 2. ad. 5. vbi ait, *Actus dæmonis est duplex. Quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens, & is proprie dici potest actus eius, & talis actus dæmonis semper est malus. Quia etsi*

aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit. Sicut dum veritatem dicit, vt decipiat; & dum non voluntarie credit, & confitetur, sed rerum euidentia coactus. Alius autem actus dæmonis est naturalis, qui bonus esse potest, & attestatur bonitati naturæ. Et tamen tali bono actu abutuntur ad malum. Ita S. Thomas, quem proinde in hanc etiam sententiam intelligunt & allegant Caietanus, & alij recentiores.

18 Cæterum hi authores non ijsdem, sed varijs ac diuersis nituntur fundamentis: quæ omnia sigillatim refert & refellit Vasquez disp. 241. cap. 2. 3. & 4. vbi ipse ad eandem sententiam tuendam, hanc nouam & singularem adfert rationem, quod Deus iusto suo iudicio deneget ijs auxilium bonæ inspirationis, cum quo possent bene operari, siue illud vocetur auxilium gratiæ, siue generale tantum. Quia tamen hæc inspiratio siue cogitatio bona à Deo immissa, alia est congrua, alia tantum sufficiens ad recte operandum, ne dicendum sit, dæmonem nullam vnquam bonam cogitationem habere, sine qua tamen libera ad peccandum determinatio non videtur satis posse consistere, ideo dicit idem author, dæmoni non denegari omnem cogitationem bonam moralem, etiam non congruam, sed tantum congruam & efficacem; quò fit, inquit, vt dæmones impossibilitate non antecedente, sed consequente solum, nequeant bonum morale operari.

19 Addit, nihilominus discrimen esse inter reprobos, seu eos, qui tentatione vincuntur in hac vita; & dæmones, non ex parte impossibilitatis, cum eadem sit in vtrisque; sed quia dæmonibus post primum instans peccati ita denegatur congrua cogitatio, vt lege Dei iam manifesta illis denegetur, & ita nulla ipsis supersit, nec supereesse possit spes salutis: secus est de reprobis in hac vita.

Sed hic modus explicandi hanc sententiam non placet; tum quia falsam supponit sententiam de ratione & necessitate gratiæ, supponens nullum opus bonum morale fieri posse sine præuio gratuito auxilio inspirationis diuinæ, seu gratiæ præuenientis, quod est contra S. Thomam 1. 2. q. 109. a. 2. & suo loco tomo. 2. disput. 6. q. 3. dub. 2. à nobis refutabitur. Tum quia supponit, non posse Angelum suopte nutu ac per sé, ad rem quamlibet cogitandam seipsum determinare, & quid in eâ boni, quidue mali sit intelligere atque apprehendere; quod supra quæst. 3. dub. 8. refutauimus.

20 Vnde contrariam sententiam, posse scilicet dæmones bonum aliquod morale operari, tuentur Scotus in 2. dist. 7. q. 1. & in Reportatis q. 3. Bassolis in 2. dist. 7. q. 1. a. 3. Durandus q. 2. & probabiliorem censet Gregorius de Valentia q. 15. pun. 2. qui etiam indicat cum Durando, eos reipsa quandoque benè moraliter operari, V. G. diligendo suam, aut alterius Angeli naturam, etiam absque omni praua circumstantia, etsi hoc negat Scotus & Bassolis locis cit.

Mihi hac in re quatuor videntur dicenda I. Dæmones posse aliquod opus morale saltem ex obiecto bonum operari, quod tamen aliqua circumstantia mala deprauatur. Hoc cum S. Thoma hic loco cit. fatentur omnes, & patebit ex sequentib9.

II. Non solum dæmones semper male operari; quod itidem in confesso est apud omnes, cum semper actu perseuerent in odio Dei, vt dictum supra certo tertio: sed etiam omnes illorum actus deliberatos reipsa esse malos, vt aperte docet S. Thomas hic cit. a. 2. & communis habet Doctorũ, ipsius etiam Scoti & asseclarum, sententia locis citatis; contra Durandũ & Valentiã locis citatis; idque ob eam causam, quod ob illam ipsam sumi erga Deum odij obstinationem, suamet malitia bono naturæ recte vti nolunt, cum Deo quicquid Deo placet, vti est bonum morale omne, pariter exosi. Accedit, quod cum seipsos semel sibi pro fine vltimo præstituerint, in cuius etiam amore actuali perpetuo perseuerant, quicquid agunt, ad eundem finem peruerse referunt; nulla quidem absoluta necessitate, sed propria ac pertinaci malitia. Idem tradit Fulgentius de fid. ad Petrum cap. 3. Prosper lib. 3. de vit. contemp. cap. 12. & Innocentius de contemp. mundi cap. 10. 21

III. Ob hanc ipsam proinde causam, non posse dæmones moraliter loquendo bonum operari; vt habet prima sententia: ad eum modum, & maiore etiam ratione, qua assuetus diu immersusq; vitio, & praue peccandi consuetudini, occasione durante, moraliter censetur à peccato se non posse continere; vel qua etiam in statu peccati constitutus, moraliter non potest diu à nouo peccato abstinere, nec homo iustus perpetuo omni peccato veniali carere, &c. vt suo loco de gratia docetur. Quæ impotentia etiam non tollit libertatem & facultatem physicam, nõ committendi hoc vel illud peccatum: præterquam quod dæmones ex actibus malis possint modò hos, modò alios exercere, liberi proinde non solum quoad exercitiũ, sed in plerisque etiam quoad specificationem. Dico in plerisque, quia actum dilectionis Dei super omnia, oppositum odio Dei, verius est eos non posse in hoc statu elicere. 22

IV. Posse tamen absolute ac Physice loquendo potentia nunquam in actum redigenda, bonum aliquod opus morale facere; cum nullũ illis principium ad eiusmodi potentiam requisitum desit, aut peculiari lege Dei abiudicatum sit. Siquidem etsi gratia omnis, etiam sufficiens illis denegetur, vt superius dictum, ea tamen minime est necessaria ad quodlibet opus bonum morale peragendũ, vt dictum: sec9 est de ijs actionibus, ad quas peculiare auxilium gratiæ requiritur, vt cum S. Thomâ suo loco dicetur. Atq; in hunc modum plures auctores primæ sententiæ cum secunda conciliari poterunt: quem etiam video tradi à Suarez hic l. 8. cap. 8. & 11. præsertim num. 23. 23

Quarto dubitatur, An dæmones etiamnũ peccando aliquid demereantur. Respondetur, etiamsi continuo peccent, nihil tamẽ amplius promereri, nec nouam pœnam essentialem, siue principalem damni, vel sensus, vt fatentur omnes; nec accidentalem; tametsi hęc pœna variè crescat ex vi precedentis demeriti. Ita habet communis apud Vasquez disp. 241. num. 19. etsi demeritum in dæmonibus admiserit Richardus in 2. d. 6. a. 2. q. 1. Ratio est. Quia ratio meriti seu demeriti consequitur bonitatem & malitiam operis, non absolute 24

Digitized by Google

lute, sed in via & agone: dæmones autem iam sunt in termino, vt in simili etiam de bonis Angelis dictum. Quæ ratio etiam redditur in supplemento S. Thomæ q. 98. a. 6. quantum attinet ad pœnam essentialem & primariam.

Quod vero ad pœnam accidentalem attinet, additur ibidem, dæmones vsq; ad diem iudicij, præsertim eos, qui in hoc mundo adhuc versantur, & homines ad peccatum incitant, posse adhuc mereri: quia isti non sunt omnino in termino. Sed reuera par est ratio omniū: cum omnes absolute & simpliciter sint in termino, adeoq; incapaces meriti. Alioq; nulla causa esset, cur non pariter etiā dānati omnes in inferno per suā peccata mererentur. Dicendū igitur tristitiā illorū, aliasq; eiusmodi pœnas varie quidem crescere, sed non ex vi noui, sed præcedentis meriti, vt de beatis quoque diximus loco citato.

DVBIVM VI.

De statu dæmonum, quantum ad eorundem pœnam, siue damni, siue sensus, adeoq; ignis; speciatim qua ratione, quando, & vbi hac pœna puniantur.

S. Thom. 1. p. q. 64. a. 3. & 4.

1 CÆcitas & obstinatio voluntatis, quam dæmones per peccatum incurrisse, dubio præcedenti demonstratum est, pertinent quidem etiam ad pœnam dæmonum; sed quia illa naturā etiam quodammodo suā, in Angelis peccatū consecuta sunt, & simul non tantū pœnæ, sed etiam culpæ rationē habent, idcirco de ijs hoc loco amplius non agimus; sed solum de pœna essentiali & primaria eorundem, ab ea intellectus & voluntatis deprauatione distincta.

2 In qua re certum est primo, Angelos damnatos pati nunc æternam pœnam, eamq; duplicem, nimirum damni & sensus, iuxta communem partitionem æternæ pœnæ, quam tradunt Doctores in 4. dist. 44. & 50. & S. Thomas 1. 2. q. 87. a. 4. & libro 3. cont. gent. capite 145. & colligitur ex illo Matth. 25. vers. 41. *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Vbi per priora verba, *Discedite à me*, pœna damni, nimirum priuatio diuinæ visionis; per posteriora, pœna sensus designatur: siue interim tristitia ipsa, seu dolor mentis, quem Angeli capiunt ex priuatione beatitudinis, pertineat ad pœnam sensus, vt volunt Sotus in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. dub. 2. & dist. 50. a. 4. Molina hic q. 64. a. 3. & Vasquez disp. 242. cap. 2. & fauent Bonauentura, Durādus, Paludanus, Capreolus, Gabriel, Bassolis in 4. dist. 22. dum asserunt, pœnam damni non recipere magis vel minus; siue spectet ad ipsā quoque pœnam damni, vt cum alijs fauente Scoto in 4. d. 50. q. 6. docet Suarez tom. 4. de pœnit. disp. 53. sect. 2. num. 17. & hic lib. 8. cap. 9. à num. 4. de quo, cum sit omnium damnatorum eadem ratio, alibi agendum est.

Secundo certum & indubitatū vt apud Scholasticos in 4. d. 44. & dist. 50. & in 2. d. 6. & 7. & hic apud S. Thomam cit. quæst. 64. artic. 4. ad 3. dæmones aliquo tandem modo torqueri ab igne, & quidem vero, corporeo, ac sensibili; idque patet ex scriptura cit. Matth. 25. vers. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Item Apocal. 20. v. 9. *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte, in secula seculorum.* Ad quem modum etiam anima epulonis Luc. 16. vers. 24. ait, *Crucior in hac flamma.* Item habet communis SS. Patrum sententia. 3

Ex quibus satis aperte refellitur ea quorundam 4
sententia, quæ docet, pœnam ignis, qua dæmones & animæ damnatæ iuxta scripturam puniuntur, solum metaphoricè accipi: nec dæmonum & animarum separatarum aliam pœnam esse, quam & pœnam damni in priuatione beatitudinis positam, & pœnam sensus, ortā ex consideratione illius. Quod præter Philonem lib. de congressu eruditionis, indicat etiam Tertullian⁹ Apologet. cap. 48. & aperte tradidit Origenes lib. 2. Periarchon cap. 20. aut 11. & homil. 9. in diuersos Matthæi locos, & sequutus est postea, præter quosdam sectarios nostri temporis, apud Coccium in thesauro lib. 10. aut. 7. Catharinus in lib. de præmijs bonorum & supplicijs malorum; de qua re etiam aliquando dubius fuit Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 16. & lib. 21. cap. 10. & lib. de Genes. ad lit. cap. 32. Et quamuis Vasquez disp. 245. cap. 1. & 2. putet, rem hanc nondum esse de fide certam, Suarez tamen hic lib. 8. cap. 12. n. 3. & 9. vocat hanc, quam docuimus, sententiam *certam & Catholicam*; & oppositam *erroream*.

Optime Hugo Victorinus lib. 2. de sacrā. part. 16. cap. 3. *Verissime* inquit, *auctoritate sacri eloquij, & Catholicæ veritatis probatur testimonio, corporali & materiali igne, animas etiam ante susceptionem corporum cruciari.* Quæ vero in contrarium obijciuntur, eorumque solutiones videri possunt apud citatos: siue interim ignis ille sit eiusdem speciei cum nostro saltem impuro igne, vt rectius docent Sotus in 4. dist. 50. & fere Suarez cit. cap. 12. numero 18. siue non. Patres vero sancti secus quandoque locuti, pie sunt explicandi.

Tertio certum est, dæmones (eadem est ratio 5
animarum damnatarum) torqueri ab igne infernali, saltem *per alligationem*, vti loquuntur; hoc est, eo quod intelligunt, se diuina virtute illo velut carcere quodam inuitos detineri, aut saltem si adhuc in hoc aëre degunt, & nihilominus igne velut carcere cruciantur, eundem ignem sibi etiam deberi, eidemque olim realiter addicendos, vti docet & explicat Sanctus Thomas quæstion. 64. articulo quarto ad tertiū & fusè lib. quarto cont. gent. capit. 90. & quæst. 26. de verit. artic. 1. & quodlib. 2. a. 3. & quodlib. 3. a. 2. & consentiunt Bonauentura, Scotus, Gabriel, Durandus, Paludanus, Maior, Capreolus in 4. dist. 44. Fertariensis cont. gent. cit. cap. 90. Caietan⁹ hic cit. a. 4. Gregorius de Valentia q. 15. punct. 3. & Vasquez disputatio. 243. capit. 6. &

fauet Hugo Victorinus epist. ad Thessal. quæst. 4. vbi ait, *Spiritus pati ab igne, etiamsi ab illo non contingantur*; Neque dissentit quoad hoc Suarez lib. 8. cap. 14.

Ratio est; quia hic modus pœnæ & possibilis est; & consuetus etiam in humanis; cum aliquis carcere aut vinculis inuitus detinetur; siue interim ignis ipse effectiue etiã tanquam instrumentum supernaturale Dei ad eiusmodi apprehensionem Angelorum concurrat, qua ignem illum velut carcerem apprehendere cogantur; siue hoc ab ipso Deo immediate efficiatur; siue supposita sententia Dei, qua fit, vt locus ille debeatur dæmonibus, hi ipsi per se ac sua natura ignem apprehendant, tanquam ineuitabilem carcerem diuino iudicio sibi debitum, atque hoc ipso etiam aduersantem; etiamsi alioqui physice & naturaliter ab eo nihil patiantur: sicut accidit, cum aliquis est in sua domo vel horto arrestatus; nam hoc ipso grauis est ipsi & molesta ea habitatio; etiamsi alias non incommoda esset: quod facile fieri in Angelis ob superbiam & odium, quo aduersus Deum & diuinam voluntatem feruntur, non est incredibile.

6 His autem suppositis, dubium & controuersum est, an aliqua alia etiam ratione, præter alligationem, dæmones ab igne crucientur; & quandonam ea pœna dæmonum, & vbi cœperit. Etenim quod ad primum attinet, sunt vniuersim duæ contrariæ Theologorum sententiæ. Prior negat, dæmones alio modo ab igne cruciari, quam per alligationem. Ita significant S. Thomas, Capreolus, Maior, Paludanus, Ferrariensis, Caietanus, & Thomistæ recentiores locis citatis, dum alios modos affligendi dæmones & animas separatas igni denegant.

7 Nihilominus altera sententia est communior inter Theologos, dæmones non solum ab igne torqueri per alligationem, sed etiam alio modo: in quo ipso tamen ijdem admodum variant. Primo enim nonnulli etsi fateantur, alium esse modum, quo dæmones ab igne torquentur, præter alligationem, dicunt tamen, eum modum nobis esse incognitum, nec posse alium in particulari probabiliter assignari; qua de causa etiam eos modos omnes, qui hactenus assignati sunt, particulatim refellunt. Ita Vasquez disp. 243. cap. vlt & fauent Augustinus lib. 12. de ciuitate cap. 10. Hugo Victorinus lib. 2. de sacramen. part. 9. capite 11. & part. 16. capite tertio. Sed sane nulla ratio est, cur non saltem sub disiunctione, & in confuso, alius modus particularis huius pœnæ probabiliter assignetur; sicuti de modo locutionis Angelicæ & similibus probabiliter discurrimus.

8 Secundo alij concedunt, dæmones & animas separatas puniri & affligi quidem ab igne etiam effectiue, sed per actionem tamen tantum intentionalem; eo quod ignis in dæmonibus aut speciem sui, aut apprehensionẽ actualem quæ sui cogitationem efficiat. Ita generatim sentiunt Albertus in 4. d. 44. a. 20. ad vltimum, Bonauentura in 4. dist. 44. a. 3. q. 2. Richardus a. 2. q. 9. Scotus q. 5. a. 2. Gabriel q. 3. a. 2. Ægidius quodl. 2. q. 9. & quodlib. 4. q. 15. Ockam quodlib. 1. q. 9. Variant tamen inter se. Nam Albertus, Bonauentura, Ægidius, Richardus dicunt, ignẽ effectiue dæmonibus imprimere sui speciem; at vero Scotus, Ockam, & Supplementũ Gabrielis docent, ab igne in dæmonibus effici ipsũ actum intelligendi, simulq; impediri liberam & expeditam aliarum rerum considerationẽ. Item Bonauentura dicit hoc fieri per naturalem vim & actionem ignis infernalis; alij quoad hoc melius dicunt fieri per virtutem & actionem eius supernaturalem in quantum ignis est instrumentum Dei.

Impugnant hanc sententiam fuse Vasquez disp. 243. capit. 3. & Suarez lib. 8. capit. 13. Mihi ob eam causam non probatur, quod hac ratione, nisi aliquid præterea addatur, non satis defendatur & explicetur magnus ille dolor, quem iuxta sensum Ecclesiæ & SS. Patrum, ipsiusque scripturæ, dæmones ab igne patiuntur; non solum quia species, aut cogitatio ab igne producta, per se non potest affligere dæmones, si alioquin ignis nullo alio modo ponatur dæmonibus discomueniens; sed etiam quia tametsi hac ratione recte explicetur, dæmonum pœna, quam per alligationem ab igne necessario patiuntur, vt superius dictum, alius tamen & maior ille dolor est, quẽ dæmones præterea ab igne patiuntur, vt dicemus.

9 Tertio dicunt nonnulli, ignem cruciare dæmones productione caloris in ijsdem. Ita sentire videtur Henricus quodlib. 8. quæst. 35. dum ait, 1 *ignem agere sua actione naturali in spiritum, ipsum affligendo.* Sed est absurda sententia; cum Angelus nec sit capax corporei accidentis; nec ignis naturaliter actiuus in spiritum; nec calor etiamsi in Angelo esset, vllum ipsi per se & sua natura dolorem posset inferre.

10 Quarto docent alij, dæmones torqueri p quãdam qualitatem spiritualem doloriferam, eorumque substantiam fœdantem, supernaturaliter ab igne productam; eo modo, quo corpus animalis per intemperiem, aut simulem qualitatem ab igne productam immediate torquetur. Ita tradit Suarez hic citat. lib. 8. capit. 12. à numer. 41. quem secuti sunt, vt ipse refert, Malonius in 2. dist. 6. disputat. 20. Pesantius 1. part. quæstion. 64 artic. 4. disput. 5. vbi etiam Zumel eandem probabilem censet. Sed hanc fuse impugnat Vasquez cit. disp. 243. cap. 5.

Mihi idcirco parum probatur; tum quod nouum genus rerum in mundum infert, nec vllum habet in antiquis Scholasticis fundamẽtum. Tum quia qualitas aliqua non affligit subiectũ, nisi aduersetur alteri qualitati naturali eiusdẽ subiecti, quam expellat; cum tamen hæc qualitas non habeat contrarium in Angelis. Tum quia nulla qualitas causat dolorem, nisi quatenus lædit bonam temperiem subiecti; idque adeo hoc ipso dispõit ad corruptionem. Tum quia qualitas spiritualis perficit potius, quã deformat subiectũ. Aut enim subiecto naturalis est, & tunc necessario perficiet illud: aut supernaturalis, & tunc magis perficiet. Denique difficile est intellectu, in quonam illa defœdatio naturæ Angelicæ consistat, aut

cuinam

cuinam pulchritudini opponatur: non enim naturali; quia hæc manet; nec supernaturali per gratiam; quia tunc esset fæditas culpæ, quam Deus per se non potest producere.

11 Est igitur quinta sententia, dæmones ab igne affligi eo modo, quo anima corpori iuncta affligitur ab eodem igne, quando corpus viuum comburitur; non quidem quod ignis naturaliter calefaciendo agat in dæmones; vt Henricus dixerit; sed quod obiectiue soli ad hunc dolorem concurrat. Ita cum Scoto in 4. dist. 50. q. vn. a. 2. Gregorius de Valentia q. 15. pun. tertio. Quam sententiam fuse impugnant Vasquez disp. 243. capit. 4. & Suarez hic lib. 8. cap. 14. à numero 24. Mihi hoc solum in ea displicet, quod ignem solum obiectiue ad hunc dolorem concurrere asserit, vt dicetur. Vt igitur meam de hac re sententiam explicem, pono sequentes assertiones.

12 Assertio I. Ignis alio etiam modo torquet dæmones, & animas separatas, quam per alligationem, aut solum obiectiue. Ita iuxta ea, quæ retulimus, circa primam, secundam, tertiã, & quartam sententiã, habet communior Doctorũ veterũ & recentiorũ sententia, ipsiusq; S. Thomæ in 4. dist. 44. q. 3. a. 2. qu. 3. etiamsi alijs locis, vt vidimus, aliter loquatur. Probatur primo ex scriptura, quę longe acriorem vim affligendi dæmones, & animas, igni tribuere videtur. Psal. 10. v. 9. *Pluet super illos laqueos; ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorũ.* Matth. 3. v. 12. *Paleas autẽ comburet igni inextinguibili.* Matth. 25. v. 14. *Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo.* nimirũ ad supplicium. Luc. 16. v. 24. *Crucior in hac flamma*: nempe per modum adustionis, cui opus sit refrigeratione, vt ibidẽ subiungitur. 2. Thessal. 1. v. 8. *In flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum.* Apocal. 14. v. 10. *Cruciabitur igne & sulphure.* In quibus omnibus locis scriptura loquitur de igne eo modo cruciãte dæmones & animas, quo modo solet cruciare homines, quos comburit; quod quidem facit non obiectiue tantum, sed effectiue.

13 Secundo idẽ probatur ex SS. Patribus, qui eodem modo loquuntur. Cyprianus l. de laud. martyr. cap. 5 *Paradisus Dei testibus floret, negatores gehennæ complexa æternus ignis inardescit.* Cyrillus Alexandrinus orat. de exit. anim. *Qualis est gehenna ignis inextincti, vrentis, neque lucentis.* Ambrosius in 1. Cor. 3. *Ipse autem saluus eris &c. Ostendit*, inquit, *saluum quidem illum futurum, sed pœnam ignis passurũ.* Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 10. ait, spiritus cruciari ab igne, *miris, sed veris modis.* Fulgentius de fid. ad Pet. cap. 3. dicit, *peccatores interminabilia gehennæ sustinere supplicia, vbi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est.* Gregorius lib. 4 dialog. cap. 28. *Sicut electos*, inquit, *beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exurat.* Omitto alios.

Tertio probatur ratione. Tum quia alias difficulter explicari posset, quomodo nunc ab igne 14 dæmones in hoc mundo existentes torqueantur, vt inferius videbimus. Tum quia si ignis, solũ p modũ carceris apprehensus cruciat, nõ cruciabit magis, nec aliter, quã cruciaret aqua, vel terra, vel aër, si eodem modo diuino decreto ad ea loca velut carcerem damnarentur dæmones. Denique non est conueniens, vt minus ab igne puniantur dæmones, quam damnati homines; qui saltem post resumpta corpora physice & effectiue ab igne cruciabuntur.

Assertio II. Non tamen est necesse, vt dæmones & animæ separatæ ab igne torqueantur effectiue, per actionem ignis physicam, ab intentionali actione distinctam, hoc est quæ alium habeat terminum, quam aliquam speciẽ, aut operationẽ intelligibilem. Ita contra authores tertiæ & quartæ sententiæ, sentio cum cæteris. Ratio est. Quia tametsi scriptura & Patres eodem modo loquantur de dæmonibus, & hominibus per ignem gehennæ puniendis; non tamẽ est necesse, vt omnia verba eadem proprietate vtrisq; applicentur; sed seruata proportione, & iuxta capacitatem vniuscuiusq; subiecti, siue; vt vniuersim loqui solemus, pro diuersitate & ratione materiæ subiectæ: præsertim quia illa verba aduri, incendi, inardescere, proprie non possunt vllo modo spiritibus accommodari, vt dictum. Tum quia vix etiam fieri posse videtur; vt eo modo dæmones ab igne crucientur, vti ex dictis colligi potest. Accedit quod non minus realiter & proprie torquere potest dæmones efficiendo aliquam operationem mentis, quam aliquem alium effectum, vt dicemus.

Assertio III. Probabilissimũ videtur, ignem 16 velut instrumentum Dei, ad eum prope modum torquere dæmones & animas separatas, non solũ obiectiue, sed etiam effectiue physice, sicut anima solet torqueri, dum corpus quod informat, exuritur. Ita sentio cum auctoribus secundæ & quintæ sententiæ; quarum vtramq; coniungo; cum per se neutra sufficiat, vt ex dictis colligitur. Actionem vero illam ita explico, quod ignis virtute supernaturali, seu per potentiã obedientialẽ, velut instrumentum Dei, in Angelis effectiue producat, non quidem speciẽ ignis; hanc enim iam ante habent Angeli; nec istud ad eos inuitos cruciandos sufficeret; cum speciebus huiusmodi vtantur quando volunt: nec solum cogitationem, seu cognitionẽ ignis; quia etiam hac ratione fere solũ obiectiue, nõ proprie effectiue cruciaret dæmones; sed ipsũ quoq; dolorem Angelicæ voluntatis (neque enim alius dæmonũ dolor esse potest) seu tristitiam mentis, qua dæmones & animæ separatæ immediate & formaliter cruciantur; non ita quidem, vt hic dolor à solo Deo per ignem producatur, cum sit operatio vitalis vitaliter afficiens subiectum, in quo est; sed vt simul producatur ab ipsius Angeli voluntate, sic tamen per ipsum ignem, velut instrumentũ Dei ad hunc actũ determinata, vt non possit ab eo cessare; etiam sepositoex parte intellectus Angelici omni errore; prævia solum apprehensione ignis, velut mali contrarij & afflictiui, ad eum fere modũ, quo affligere solet animam in corpore viuo, quod comburitur: siue interim hęc ipsa quoque apprehensio eodem modo per ignẽ vna cũ intellectu Angelico efficiatur; siue eã suppsita, nihilominus aliunde ac magis immediate voluntas ad eum doloris actum determinetur.

minetur. Quæ res non alia indiget probatione, nisi quia & possibilis est, & sufficiens ad eam pœnam ignis declarandam.

17 Altera vero pars de cruciatu per modum combustionis &c. aperte satis colligitur ex scriptura & SS. Patribus, dum vbique fere hoc tormentum ignis per modum adustionis seu concremationis corporeæ & sensibilis explicant; cui proinde recte dicitur hic dolor similis, non similitudine eiusdem rationis specificæ, hoc enim bene refellunt Suarez & Vasquez; sed similitudine proportionis & analogiæ; etsi propriam eius rationem in altero extremo, nempe in Angelis perspectam non habemus. Sicut igitur perspicacitatem intellectus Angeli, eiusque institutionem vocamus lumen, lucem, illuminationem, quia per modũ luminis seu lucis se habet; ita ignis infernalis cruciare dæmones dicitur per modum adustionis seu concremationis, tametsi propriam huius rationẽ in dæmonibus non cognoscamus.

Quo modo etiam intelligendum videtur illud S. Augustini citato lib. 21. ciuit. cap. 10. cum ait; *spiritus dæmonum, licet miris, veris tamen modis cruciari ab illo igne.* Et lib. 12 de Gen. ad lit. cap. 32. *Quamuis*, inquit, *non sint corpora ista, sed similia corporibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene seu male, cum ipsa corporibus suis similes sibimet apparuerint. sunt & vera lætitia, & vera molestia, facta de substantia spirituali:* hoc est, de igne, ratione incorruptibilitatis & efficientiæ, quasi spiritualem naturam consecuto. Et Gregorius lib. 4. dialog. c. 29. *Ignem visibilis*, inquit, *ardor ac dolor inuisibilis trahitur, & per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma cruciatur.*

18 Ratio est. Quia hoc modo sufficienter explicatur, quo modo ignis infernalis vere cruciet dæmones, non solum obiectiue, sed etiam physice, non quidem per productionem alterius immediati obiecti doloris, sed quod etiam aliquanto plus est, per productionẽ immediatã ipsius doloris. Neque impossibile, vel absurdum est (quod fatetur etiam Suarez loc. cit.) actum vitalem partialiter & inadæquate etiam produci à causa extrinseca; cum alioquin etiam naturaliter obiectum per se, aut per speciem, ex communi sententia, vnacum potentia vitali effectiue physice concurrat ad intellectionem, vel volitionem.

19 Dices. Dolor ille spirituum, cum sit actus vitalis, debet habere obiectũ sibi proportionatum; quod non videtur posse aliud esse, quam doloriferaaliqua qualitas ab igne profecta; quia dolor hoc differt à tristitia, quod requirit obiectum præsens & physice inhærens subiecto. Nam vt ait S. Thomas 3. part. quæst. 15. art. 6. *obiectum & motiuum doloris est læsa sensio tactus percepta, sicut cum aliquis vulneratur. Obiectum autem & motiuum tristitiæ est malum seu malum interius apprehensum.*

20 Respondeo, S. Thomam loqui de dolore sensibili, qualis non est dolor dæmonum: in quibus alius dolor, quam voluntatis esse non potest: ad quem proinde etiam sufficit obiectum quoduis vere & realiter eosdem crucians, etiamsi ipsis formaliter non inhæreat. Dices, obiectum præsupponitur actui quem terminat; Ergo etiam dolor dæmonum supponit obiectum doloriferum; at vero ignis, in quantum est producens dolorem, adeoque contrarius voluntati dæmonum, non præsupponitur ad dolorem, sed simul efficit dolorem, dum est ipse dolor; imo potius natura posterius ignis videtur effici doloriferus, per ipsam productionem doloris. Respondeo, satis esse vt dolor in facto esse, siue natura posterior igne cruciante, siue hic consideretur per modum causæ effectiuæ doloris, siue per modum obiecti; imo vero etiam eo ipso, quod ignis efficit dolorem, fieri non potest, vt dolor in fieri sit prior ipso igne, in quantum doloriferus est; cum passio nullo modo sit prior actione, etiam secundum rationem, sed potius causalitate quadam posterior. Cum quo tamen non pugnat, quin ignis prius ratione efficiat dolorem, quã eum per modũ obiecti doloriferi terminet.

Assertio IV. Dæmones non minus, quã damnatæ animæ, pœnam ignis (per modum adustionis modo explicato) patiuntur vbique, & passi sũt statim ab instanti suæ damnationis seu termini: licet dæmones illi, qui extra infernum adhuc vagantur, ab igne per alligationem, ac veluti per carcerem, proprie loquendo, nondũ puniantur. 21

Priorem partem tradunt communiter Patres & Doctores citati in 4. dist. 44. specialim glossa in cap. 3. Iacob. *Sicut gehenna semper ardet, ita diabolus vbicunq; sit secum fert tormenta suarum flammarum:* quæ glossa est ab omnibus recepta. In quem sensum etiam S. Thomas generatim de pœna sensus loquens hic cit. q. 64. a. 4. ad. 3. ait: *Aliqui dixerunt, vsque ad diem iudicij differri pœnam sensibilem, tam dæmonum, quam animarum, & similiter beatitudinem sanctorum differri vsque ad diem iudicij. Quod est erroneum & repugnans Apostoli sententiæ 2. Cor. 5. Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, domũ habemus in cælo. &c. Alij vero licet hoc nõ concedant de animabus, concedunt tamẽ de dæmonibus. Sed melius est dicendũ, quod idẽ iudicium sit de damnatis animabus, & malis angelis: sicut idem iudicium est de bonis animabus, & bonis Angelis.* Ita S. Thomas. Idem communiter docent Scholastici in 4. d. 44. & recentiores omnes locis citatis, quicquid in contrariũ dixerint Bonauentura in 2. dist. 6. a. 2. q. 2. Richardus ibidem q. 1. neque omnino dissentiat Bannes 1. p. q. 64. a. 4. dub. 4. post Canum, quem refert. Ratio est. Quia cum iam sint in termino, nulla ratio est, cur pœna essentialis & primaria differatur. Quodsi pœnam ignis aliquam patiuntur, eam vtique inprimis patientur, quæ à loco ipsius inferni independẽs est. 22

Secundam partem tradit idem S. Thomas cit. a. 4. ad 3. dum ait: *Similiter dicendum est, quod dæmones licet non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aëre isto caliginoso, tamen ex hoc ipso, quod sciunt illam alligationem sibi debitam, eorum pœna non diminuitur.* Idem expresse docet Toletus Luc. 8. annotat. 63. vbi ait dæmonibus iam esse inflictam essentialem pœnam damni & ignis æterni; *pœnam autem incarcerationis nondum esse illatam, sed reseruari in diem iudicij.* Idem asserit Suarez hic lib. octauo cap. 14. à numero 17. eodemque modo intelligi potest, quod nimis absolute dixit Caietanus 2. 23

Pet. 2. dæmones adhuc non esse extremæ damnationi subiectos, sed hoc extremo iudicio reseruari.

Probatur ex scriptura, quæ satis aperte docet, dæmones in hoc mundo existentes, reformidare detrusionem ad inferos, vtique tanquam incarcerationē, & violentam alligationē. Vnde Matth. 8. v. 29. dicitur, *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Et Luc. 8. v. 28. Legio dæmonū rogabat Christū, *Obsecro te ne me torqueas.* Et mox vers. 31. *Rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Et Petrus 2. epist. cap. 2. vers. 4. describens pœnam alligationis dæmonum ait: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* Et similia leguntur Apocal. 20. vers. 1.

24 Idem ex Patribus docet S. Ambrosius in Luc. 8. *Dæmones*, inquit, *ante tempus debita sibi tormenta formidant.* Similia habent Chrysostomus homil. 19. in Matth. & Euthymius in Matth. 8. Ratio est. Quia pœnam incarcerationis proprie loquendo nemo dicitur pati, nisi quando quis reipsa & actu est incarceratus; ea vero pœna, quæ ex sola imaginatione futuri carceris concipitur, proprie non est ipsa pœna incarcerationis.

Nec probabile est, quod dixit Malonius 2. dist. 6. disputat. 2. sect. 2. ad 8. dæmones vbicunque sint, portionem quandam ignis secum circumferre, vt post Ægidium in 2. d. 6. quæstio. 2. artic. 2. & Argentinam in 4. d. 44. quæstion. vn. a. 4. recte Suarez lib. 8. c. 16. n. 25.

Et quamuis S. Thomas loc. cit. significet, non tamen ideo minus puniri dæmones; verius tamen videtur, quod citati Patres indicant, & sentiunt Toletus & Suarez, alijque citati, pœnam, quam ex apprehensione ignis velut futuri carceris sentiunt, nondum esse tantam, quanta erit in inferno; vt quid enim alias tantopere infernum formidarent? Recte quidem igitur dici potest, dæmones in hoc mundo pati pœnam similem alligationis pœnæ, & quæ eo etiam referatur; at vero ipsam pœnam alligationis proprie necdum patiuntur. Sicut etiam damnatarum animarum dolor, post extremum iudicium, cum resumpserint corpora, auctior fiet.

25 Assertio V. Dæmones magna quidem ex parte pœnas, quas diximus, in ipso inferno damnatorū patiuntur; non tamē omnes, sed multi adhuc liberi in terris vagantur. Ita S. Thomas hic q. 64. a. 4. idemq; & Doctores alij in 4. d. 44. Et prior pars, etiamsi oppositū indicare videatur Augustinus lib. 11. de ciuit. c. 33. & 20. de ciuit. c. 14. satis patet ex scriptura Isai. 14. v. 11. *Detracta est ad inferos superbia tua.* Et v. 15. *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* 2. Pet. 2. v. 4. *Angelis peccantibus non pepercit Deus, sed inferni rudentibus detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Eodemq; modo facile explicari potest illud Iudæ v. 6. *Angelos qui non seruauerunt suum principatum. &c. in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* vt pluribus persequitur Suarez lib. 8. cap. 16. à n. 5.

Idem significatur Apocal. 20. v. 1. *Et vidi Angelum ascendentē de cælo, habentē clauem abyssi & catenā magnam in manu sua. Et apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille; & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illū, vt non seducat amplius gentes, donec consummarentur mille anni: & post hæc oportet illum solui modico tempore.* Quod de Luciferi alligatione, facta post Christi passionē, vsq; ad postrema tempora vltimo iudicio ꝓpinqua intelligendū, vt communiter explicant Interpretes. Idē sæpe docent SS. Patres.

Ratio est. Quia cum infernus sit proprius locus damnatorum, ac dæmonū, vt constat ex Matth. 25. v. 41. ipsique dæmones iam sint damnati, non min⁹ quā animę impiorū, nulla causa erat, cur omnes in hoc aëre liberi relinquerentur; cū ad tentādos homines pauciores aliqui sufficerent: quando dæmonum numerus longe maior videtur, quam sint omnes homines simul viuentes.

Altera pars est extra controuersiam, & patet 26
ex scripturis passim, præsertim præcedente assertione adductis; quib⁹ accedit, quod Marci vltimo datur potestas eijciendi dæmonia; item quod Apostolus ait Ephes. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio &c.* item 1. Pet. 5. v. 8. *Aduersari vester diabolus tanquam leo rugiens circuit.* &c. Nec obstat illud Ioañ. 12. vers. 3. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Nam hoc vel intelligendum est, de redemptione per Christum facta, qua genus humanum ipse ex potestate diaboli eripuit, aut de ipsa persona Luciferi ad inferos detrusa, ibidemq; alligata vsque ad nouissima tempora Antichristi, iuxta Apocal. 20. v. 3. & 9. vt post S. Gregorium lib. 4. Moralium c. 13. vel 12. recte Ribera & Viegas ibidem.

Ratio conuenientiæ, quam attingit S. Thomas cit. q. 64. a. 4. est. Quia cum secundum consuetum diuinæ Prouidentiæ modum, inferiorum bonum per superiora procuretur: ea vero procuratio boni aduersus homines duplex sit, nimirum directa, quæ fit per bonos Angelos; alia indirecta, in eo posita, quod homines exercentur impugnatione aduersaria, conueniens fuit, vt hæc procuratio per malos Angelos fieret, *ne penitus post peccatum ab vtilitate naturalis ordinis excideret.* Quo fit, vt dæmonibus duplex locus pœnalis debeatur; vnus quidem ratione culpæ, & hic est infernus; alius autem ratione exercitationis humanæ, qui est caliginosus hic aër; donec post iudicium extremum omnes mali, tam homines, quam Angeli, ad inferos reipsa detrudantur; sicut tunc boni omnes ad cœlos euehentur.

Et valde probabile est, quod docent Magister 27
in 2. d. 6. Ægidius ibidem a. 2. Bonauentura a. 2. q. 100. m. vlt. a. vlt. & Suarez c. 17. n. 2. nullos dęmones esse perpetuo inferno alligatos, (excepto Lucifero vt dictum) nec alios ꝓpetuo esse in hoc aëre; sed mutatis quasi vicibus, eosdem modo hic, modo in inferno esse; non quidem quasi cum vincuntur à Sanctis, ad inferos abducantur, vt dixit Origenes homil. 15. ad c. 12. Ionæ, contra Matth. 4. & 12. sed prout vel princeps ipsorum ordinat, vel Deus interdum per bonos Angelos, aut ministerium Ecclesiæ disponit: cum alias ex æquo omnibus infernus debeatur; quicquid in contrarium dixerit Canus.

An vero dæmones simul etiam capaces sint ali- 28

cuius delectationis, disputatur inter Vasquez disp. 242. c. 3. & Suarez hic c. 15. Breuiter dico, nullam vnquam veram delectationem, sed solum phantasticam & affectatam esse in dæmonibus, prout homines peruicaces, amaritudine repleti, ostentant nonnunquam lætitiam, quam non habent. Ita docent S. Thomas in 4. dist. 45. q. 1. a. 2. quæstiun. 1. Gabriel in 2. d. 7. q. 1. a 3. Ockam in 2. qu. 19. & Vasquez loc. citat. etsi contrarium sentire videantur idem S. Thomas hic. q. 46. a. 3. ad 1. cum Augustino lib. 2. de Genes. cont. Manich. c. 17. & Alensis 2. part. q. 100. m. 4. a. 1. & 2. & Suarez loc. cit. Ratio est, quia iuxta Aristotelem 7. Eth. cap. 14. Omnis voluptas vehemens pellit dolorem: Ergo etiam dolor vehemens pellit & impedit voluptatem seu lætitiam; etsi non impediat desiderium, sed potius accendat. Atque hæc de pœna dæmonum satis.

DVBIVM VII.

De prauis dæmonum studijs & infestationibus, ad homines seducendos & perdendos: speciatim an dæmones absque speciali permissione Dei, siue per se, siue per striges, maleficosque homines, nocere hominibus possint.

S. Thomas 1. p. q. 64. a 4. & q. 114.

1 DE hac re solum generatim & breuiter agit S. Thomas q. 64. a. 4. ex instituto vero & particulatim q. 114. Nos supponimus id veluti principium, quod dubio præcedenti docuimus; dæmones quosdam ex diuinæ prouidentiæ dispositione in hoc mundo inter homines degere, partim vt dum Deo permittente, ijs tentandis & exercendis operam ponunt, bonum eorundem, Deiq; gloriã, vel inuiti, & quasi præter intentionẽ procurent & promoueant, vt pluribus disserit Chrysostom⁹ homil. 1. ad populũ & psequitur Barradius lib. 2. concord. c. 8. & seq. partim etiã vt veluti ministri diuinæ iustitiæ, homines ob sua peccata castigẽt & puniant; quod Deo etiã nonnunquã pcipiente & directe volente facere possunt, in ijs pœnis exequendis, quæ p se culpa vacant, vt bene declarat Suarez hic l. 8. c. 20. n. 7. & 8. Vnde Beda l. var. q. q. 9. *Quoties*, inquit, *Deus quocunq; flagello huic mundo trascitur, ad ministerium vindictæ Angeli* (mali) *mittuntur: qui tamen diuina potestate coercentur, ne tantum noceant, quantũ cupiunt.* Hoc principio posito, rẽ hãc omnẽ aliquot quæstiun. breuiter explicabimus.

2 Primo igitur quæritur, vtrum omnes dæmones promiscue ad tentandos homines in hac vita incumbant. Respondeo breuiter ex dictis dub. præc. imediate ac per seipsos non tentare, nisi eos, qui in terra seu aëre inter homines degunt; quod quidẽ contingit non omnib⁹ simul, nec determinate ac ppetuo certis quibusdã, sed alternatis quasi vicibus, modo his, modo alijs; hoc solum excepto, quod suprem⁹ Lucifer in inferno vsq; ad tempora Antichristi alligatus creditur, iuxta Apocal. 20. At vero mediate & consilio atq; hortatione credibile est, omnes pariter ad seducendos homines operam conferre: cum id & facile possint, & ob sum̃um, quo erga homines feruntur, odium & inuidiam, vtique etiam velint.

Secundò quæritur, vtrũ inter dæmones, quoad homines tentandos, sit aliqua subordinatio, ita vt alij aliorũ iussu & auctoritate hac in re ducãtur. Respondeo cum S. Thoma q. 109. a. 2. Guilielmo Parisiensi 2. part. de vniuer. p. 2. c. 14. 15. 16. & Magistro, & cõmuni Doctorũ in 2. d. 6. sentẽtia, quã bene explicant Gregorius de Valentia disp. 8. q. 4. pun. 3. & Suarez hic l. 8. c. 21. esse plane inter dæmones aliquã prælationem, fundatam quidem in ipsa eorundẽ natura, prout alij alijs sec undum speciẽ sunt superiores; sed quæ tamẽ tum ex voluntario eorundẽ consensu, tum etiam ex ipsa ordinatione diuinæ prudentiæ ac sapientiæ, partim id permittentis, partim etiã ad bonum finem ordinantis ac dirigentis eam subordinationem; cõpleatur & perficiatur. Hoc significatur à Christo Luc. 11. v. 17. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. &c. Etsi Satanas &c.* Et ab Apostolo Ephes. 6. v. 12. inter dæmones referuntur *principatus & potestates.* quibus 1. Cor. 15. v. 24. adduntur *virtutes*, vbi dicitur: *Deinde finis; cũ tradiderit regnũ Deo & Patri, cũ euacuauerit omnẽ principatũ, & potestatem, & virtutem.* vbi glossa ordinaria: *Quamdiu*, inquit, *durat mũdus, Angeli Angelis præsunt, dæmones dæmonibus, homines hominibus, ad vtilitatẽ viuentium, vel ad deceptionẽ; sed hominibus collectiu, iam omnis prælatio cessabit, quia necessaria non erit.* Et Augustinus l. 83. q. 69. ait: *Euacuando omnem principatũ & potestatem, manifesturi & omnibus notũ fieri, nullum principum vel potestatum, siue cælestium, siue terrestrium, per se habuisse aliquid principatus vel potestatis, sed abillo, ex quo omnia, non solum vt sint, verum etiam vt ordinata sint.* Et ratio est. Quia prælatio inter naturas speciẽ distinctas, & ex se inuicem sua natura pendere aptas; fundatur in ipsa præstantia naturæ, secundum quam inferior à superiori dependet; hæc autem diuersitas naturarũ conuenit Angelis, tam bonis, quam malis, vt dictũ q. 1. dub. 1. Ergo. Qua ratione etiam S. Thomas loc. cit. sentire videtur, ex ipsa quoq; præcise natura rei, atque in omni statu, Angelos inferiores fuisse superiorib⁹ subiectos: quod tamen negat Suarez cit. capit. 21. à num. 14.

Sane quia Angeli mali ab initio motioni Luciferi se peccando submiserunt, tum etiam vt post lapsum eorum regnum in ordine ad seducendos homines stabile esset, valde credibile est, inferiores etiam voluntarie consensisse in prælationem superiorum; etsi nec dubiũ, quin in ipsa executione, pro libertate arbitrij sui, sæpe etiam reluctentur, vt recte Valentia loc. cit. præterquã quod diuinæ prouidentiæ ordo ad bonum finem hæc omnia ordinantis non permittit, vt suo arbitratu singuli ad hæc studia ferantur: etsi quidem positiue etiam nõ velit aut intendat, vt inferiores superiorib⁹ in prauis eiusmodi studijs & curationibus obtemperent; quia malũ velle non potest.

3

4

Sed nec Deus ipse, ob eandem causã, positiue

inter

inter dæmones ministeria nocendi distribuit, vti significat Bonauentura in 2. d. 6. quæst. vlt. sed potius Lucifer, vt eum S. Thoma q. 114. a. 1. & Guilielmo Parisiensi recte Suarez cit. capit. 21. à numero 25. Quæ autem præterea in particulari à nonnullis circa hanc prælationem referuntur, tum à Guilielmo Parisiensi loco citato capit. 5. 8. & seq. tum ab alijs, incerta sunt, vt post Binsfeldium libro 6. de maleficijs prælud. 10. recte notauit Suarez cit. capit. 21. numero 21. Quomodo autem superiores dæmones etiam possint inferiores violenter loco mouere, vel sistere; etsi directe eos ad aliquid agendum cogere non possint, patet ex dictis quæst. 5. dub. 2.

5 Tertio quæritur, an dæmones ab exordio mundi, & nunc etiam cunctos homines ex æquo infestent. Respondeo, sine permissione Dei, dæmones nihil in hac re facere posse, vt inferius dicetur; & vero hac permissione non excluſa, iuxta SS. Patrum & Scripturæ doctrinam, discrimē est inter varios status seu ætates mundi. Nam in statu innocentiæ non permissus est dæmon ita tentare hominem, sicut post peccatum: illic enim solum exterius suadendo tentauit; postea vero etiam interius alliciendo seu inclinādo, vt dicetur.

6 Secundo post peccatum vsq; ad Christum multo infestius tentare ac persequi homines permissus est, quā post aduentū Christi: hinc enim passim idolorū responsa cessabant; nec tam frequentes, ac prodigiosæ elementorū perturbationes à dæmonibus excitari potuerunt, præsertim vbi crucis Christi trophæum erectū, aliaq; fidei nostræ symbola in vsu essent. Quo tempore etiam vsque ad persecutionem Antichristi, Lucifer in inferno alligatus creditur. Apocal. 20. v. 2.

7 Tertio inter ipsos etiam homines hoc tempore discrimen est, quia baptizatos vniuersim & à toto genere minus permittitur infestare, præsertim externis & violentis machinationibus, quam infideles non baptizatos; vti etiam è terris Ethnicorum ac gentilium, nempe Indiæ tam Orientalis, quam Occidentalis, multo horribiliora diabolicæ virtutis ac potentiæ documenta ad nos scriptà transmittuntur, quam in terris Christianorum audiantur. Vt cum illic dæmones visibiliter ac familiariter palā inter homines versantur, docent, monent, puniunt &c. cum supra fidem prodigiosas sæpe tempestates cient, aliaq; eis nocumenta inferunt; quorū etsi nonnunquam etiam vicini, seu permixti inter Ethnicos Christiāi participes fiant, credibile tamen est, ea non nisi ob Atheismi seu gentilismi impietatem, communiter ijs locis adeo inolitam, à DEO permitti. Idem fere seruata proportione dici potest de fidelibus iustis, si cum peccatoribus conferantur.

8 Quarto discrimen est inter tempora postrema, seu extremo iudicio vicina; & anteriora. Nam sub tempus persecutionis Antichristi, rursum soluetur Lucifer, maioriq; tyrannide sæuire permittetur, vt colligitur ex Apocal. 20. v. 3. 7. & 9. De qua re passim agunt SS. Patres, speciatim Cyprianus lib. 7. epist. 4. seu epist. 77. Lactantius lib. 2. Instit. capit. 15. Athanasius in orat. cont. gentes, Chrysostomus homil. 1. ad populum, Gregorius Nazianzen⁹ orat. de natiu. Christ. Augustinus 20. de ciuit. cap. 7. & serm. 197. de temp. & Gregorius lib. 32. Moral. cap. 12. vbi tempore gratiæ dæmonem dicit esse ligatum; *quia potentia diuinæ dispositionis adstringitur, ne in quantum nocere valet, effrænetur.*

9 Interim recte Suarez citat. cap. 18. numero 17. annotat, eam dæmonis potentiam non semper limitari à DEO, pro ratione, aut certa conditione, seu statu personæ, vel Ecclesiæ; sed sæpe Deum, pro solo suæ voluntatis consilio, ac libera electione, hunc grauius, illum leuius; hunc frequentius, illum rarius; vel in hac, vel in illa materia tentari permittere; ac vniuersim aliter electorum tentationes moderari, quam cæterorum. Quia in hoc nulli facit iniuriā, & cui vult, facit maiorem gratiam.

10 Quarto quæritur, qua ratione vniuersim dæmon homines infestet. Respondeo iuxta S. Thomam q. 111. a. 1. 2. 3. 4 & q. 114. a. 4. & 1. 2. q. 8. a. 1. & 2. generatim hoc eum facere duobus modis; primo exterius, & per effecta externa affligendo, siue tentando; siue interim simul visibilis ipse in assumpto corpore appareat; siue non; iuxta ea, quæ de hac re generatim docuimus quæstion. 5. Secundo interius alliciendo; non quidē directe & imediate inclinando voluntatē; hoc enim Dei proprium est; sed prauas suggestiones seu cogitationes, phantasmatum seu humorū comotione, ingérendo. Quia vt ex communi bene docet Suarez lib. 8. c. 18. n. 8. diabolus non aliter tentat hominē, quam immittendo prauas cogitationes, vel interius phantasmata (motis spiritibus animalibus, quæ sunt quasi vehicula phantasmatum) aut etiam ipsum corpus humoresque commutando, vel exterius obiecta sensibilia incitantia ad malum offerendo, vel etiam aliquando exterius sub diuersis figuris apparendo, & loquendo; adde, vel varijs effectibus, quos ipse per se, aut per causas secundas producere potest, hominē cruciando, vt fuse persequitur Cassianus collat. 7. à cap. 9. vsq; ad 16. In qua re tamen omni, *Benedictus Deus non patitur nos tentari supra id, quod possumus, sed facit cum tentatione proventum.* 1. Cor. 7. v. 13.

11 Quinto quæritur, an diuersi dæmones sub diuersis ducibus destinati sint, qui ad diuersa vitia ex instituto impellant, eorumque propagationē promoueant. Affirmant Origenes homil. 15. in Iosuē, Hieronymus in Abacuc 3. & Ephes. 6. Cassianus collat. 7. cap. 17. Magister in 2. d. 6. & Guilielmus Parisiensis loc. cit. alijque apud Binsfeldium citat. prælud. 10. Nec est incredibile; sed incertum, vt bene Suarez lib. 8. capit. 21. numero 28. Sicut enim idem bonus Angelus ad cuiusque virtutis honestatem promouet, ita vero simile est, ad quodlibet vitium pro re nata impellere ex dæmonibus quemlibet, vt docet etiam Gregorius lib. 32. moral. cap. vlt. Et quamuis in scriptura quidam dicatur *spiritus mendax* 3. Reg. 22. alius *spiritus fornicationis* Oseæ 4. alij *spiritus seductores* 1. Timoth. 4. non est tamen necesse; vt hi spiritus intelligantur ex parte subiecti seu personæ esse diuersi.

12 Sexto quæritur, an dæmon victus in oppugnatione hominis, saltem ad tempus recedat, hominemque dimittat; statim enim ad inferos detrudi, præced. dubio negatum est. Respondeo iuxta communem affirmatiue. Ita tradunt S. Thomas 1. p. q. 114. a. 5. Ægidius, Richardus, Durandus & alij in 2. dist. 6. & colligitur ex Luc. 4. v. 13. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus.* Et Iacob. 4. v. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Verum hoc intelligendum moraliter & ordinarie nō post singulas partiales quasi tentationes, sed post totā aliquam machinationem, quæ pluribus sæpe insultibus constat, perfecte deuictam: pudet enim tunc quodammodo dæmonem amissæ victoriæ, sibiq; à victore metuit: præterquā quod hoc benignitati diuinæ prouidentiæ admodum consentaneum est, vt victorem aliquantisper subleuet. Quod tamen non obstat, quo minus postea dæmon audacior insistat, iuxta Matth. 12. & Iob. cap. 1. & 2. & Gregorium lib. 10. epist. 38. & lib. 3. Moral. c. 8. & l. 32. c. 16. & Cyprianū epist. 6. vbi ait: *Fortiorem magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipso, quod victus est, superantē superare conatur.*

13 Septimo quæritur, an sicut de bonis Angelis sequenti dubio dicetur, ita etiam Deo permittente, & Lucifero disponente, ex malis Angelis, singulis hominibus à natiuitate proprius adiunctus sit aduersarius & impugnator. Respondeo ex cōmuni & valde probabili sententia Doctorum, affirmatiue. Ita enim cum Magistro in 2. d. 6. communiter tradunt alij Scholastici; & docent Origenes homil. 35. in Luc. & 3. periarchon cap. 2 Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis, Tertullianus lib. de anim. cap. 39. vbi multa Pamelius n. 451. & plura Eugubinus lib. 8. de perenni Philosophia, & probabile censent Gregorius de Valentia disp. 8. q. 3. pun. 4. Vasquez disp. 245. cap. 1. Suarez hic lib. 8. cap. 21. num. 31.

Ratio est. Quia dæmon studio nocendi cupit ex aduerso, quoad potest, paria facere cum Deo; nec deest facultas: quia tametsi non sit tanta multitudo dæmonum, quanta Angelorum, facile tamen credi potest, etiam ex infimo ordine tantum esse numerum dæmonum, quantus est omnium hominum simul viuentium; præterquam quod verisimile est, aliquando etiam fortasse ex superiori ordine ad idem officium aliquos destinari. Deus autem ob eandem causam hoc ipsum facile permittit, ob quam vniuersim homines à dæmonibus tentari permittit.

14 Octauo quæritur, vtrum dæmones suo arbitratu, sine speciali permissione Dei possint homines tentare, eisque siue per se, siue per striges nocere. Respondetur in modum sequentem. I. sine permissione aliqua diuina nihil in hoc genere dæmones præstare possunt. Ita omnes; & tradunt passim SS. Patres, speciatim Cyprianus in exposit. orat. domin. Augustinus in Psal. 61. & 100. Damascenus lib. 2. cap. 4. & Bernardus lib. ad sororem cap. 67. Ratio est. Quia nihil fit, nisi Deo vel faciente, vel permittente.

15 II. In consuetis tamen modis impugnandi non est opus speciali permissione Dei; tametsi etiā in his subinde Deus per se, vel p Angelos eorū conatus impedit vel infringit. Ratio est. Quia hæc potestas permissa intelligitur, sub generali permissione homines tentandi.

III. Specialia tamen nocumenta, siue in rebus externis, siue in personis, inferre hominibus per seipsos non possunt, neque extraordinarios & prodigiosos tentandi modos adhibere, absque speciali, in vnoquoque casu particulari, permissione Dei: Colligitur aperte ex scriptura, exemplo Iobi c. 1. v. 12. & c. 2. v. 6. & exemplo Achab lib. 3. Reg. c. 22. v. 22. item documento porcorū Matth. 8. v. 39. Idem docent Damascenus lib. 2. fid. cap. 4. Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 8 & in psal. 77. & serm. 193. de temp. & lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. Ratio mox afferetur.

IV. Sed nec per striges aut maleficos, sine speciali, in vnoquoque casu particulari, permissione 16
Dei, dæmones nocere hominibus possunt; si ubi striges non adhibeant res naturaliter homini nociuas. Colligitur ex ijsdem scripturis, & testimonijs. Quocirca nec potest dæmon, suo arbitratu, tempestates ciere, etiamsi striges scopis adhibitis, ollaue malefica effusa, diaboli in eam rem opem inuocent; tametsi facilius hoc casu permittat Deus, exoptatum à strige malum per dæmonem inferri; quia saltem aliqua ad eam rem hominis cooperatio accedit.

V. At vero quando striges à diabolo vnguentum venenosum seu naturaliter noxium acceperunt, tunc sane suo ipsæ arbitratu, nisi Deus speciatim conatui obsistat, eo vti, eiusque vsu & applicatione, quibus volunt, nocere possunt. Ratio est, Quia Deus ligauit diaboli potestatem, ne per se, suoque arbitratu noceat, vt colligitur, ex Luc. 11. versu 22. & Apocalyp. 20. versu 2. nec vnquam generalem fecit ei potestatem, naturis rerum suo arbitratu vtendi, aut nocendi vti liberet. At vero hominibus, in hac vita, reliquit liberam potestatem, rebus naturalibus vtendi suo arbitratu, seu bene, seu male. 17

Atque ita quoque docet Trithemius lib. quæst. ad Maximil. I. Imperatorem q. 7. vbi inter cætera etiam recte cauet, ne maleficium nouo maleficio depelli à Magistratibus permittatur. *Absurdum*, inquit, *inter Christianos tolerandi, O sacratissime Cæsar, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem, qui per maleficia curant maleficiatos; qui furta ministerio dæmonum reuelant & adulteria; qui lapidum aut speculi inspectione præuntiant futura. Non exaudias illos, precor, qui diuinarum legum ignari, huiusmodi ministros dæmonum imperio tuo existimāt vtiles; propterea quod maleficio nouerunt maleficia dissoluere. Quoniam ista permittiosa curatio corporum mortem inducit animarum, & facit homines à Deo creatore omnium recedere, & impijs apostatis dæmonibus adhærere; cum quibus post mortem damnabuntur in æternum.* 18

Nono quæritur, Vtrum omnes tentationes, omniaque peccata hominum, ex dæmonum machinatione proueniāt. Respondeo cum S. Thoma q. 114. a. 3. mediate quidem & remote omnia peccata, omnesque tentationes à dæmone prouenire; quatenus induxit primū hominē ad peccatū, 19

ex quo

ex quo concupiscentia & naturæ corruptio, adeoque cætera peccata consecuta sunt, de quo nulla est controuersia: directe vero & immediate non est omniũ peccatorũ seu tentationum causa; sed quædam ex libertate arbitrij nostri propriæq; carnis corruptione nascuntur; iuxta illud Iacob. 1. v. 14. *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.*

Idem docent Origenes lib. 3. Periarchon capit. 2. Basilius in reg. breu. num. 75. Chrysostomus homil. 54. in Acta & in opere imperf. homil. 49. Gregorius Nanzianzenus carm. seu metro 52. Gennadius libro de Eccles. dogm. capit. 81. & Gregorius lib. 11. Moral. capit. 25. etsi contrarium significent Leo serm. 4. de Collect. Auctor serm. 68. ad Fratres in Eremo, apud Augustin. Hieronym. in Eph. 6. Cassianus Collat. 7. Damascenus lib. 2. capit. 4. quibus fauet Suarez hic lib. 8. capit. 19. à num. 20. cum nonnullis recentioribus.

Ratio patet ex dictis. Quia cum concupiscentia partim sua natura sæpe fortuitis quibusq; casibus ab extrinseco excitetur, non est verisimile, à dæmonib⁹ omnes eiusmodi tentationes immitti; vtcunq; alias in suo labore & perdendi studio sint indefessi, de qua re pluribus disserit Cassianus collat 7. c. 7. 15. 20. & collat. 8. c. 12.

20 Decimo quæritur, quid sentiendum sit de varijs dæmonum partitionibus, quas nonnulli graues authores à varijs nocendi studijs, aut habitationum diuersitate desumptas tradunt. Respondeo. De hac re agit Trithemius l. 8. qq. q. 6. vbi Orpheum, Psellum, & ipsius Apollinis Pseudooraculum, apud Eusebium lib. 4. demonstrat. Euang. fere secutus, sex dæmonum genera recensет, nimirum *igneum, aereum, terrestre, aquaticum, subterraneũ, & lucifugum*; eorumque etiam studia & affectus plixe describit. Sed hæc examine indigent; & vniuersim nec probanda sunt, nec improbanda videntur, vt notauit etiam Delrius lib. 2. qu. 27. sect. 2. Certe S. Ignatius Martyr epistol. ad Epheſ. ab ipso etiam Trithemio relatus, duo tantũ eorũ genera, omisso igneo, assignat, cum ait: *Nihil melius est, quam pacẽ habere, in qua omne telum euacuatur, aereorũ simul, & terrestrium spirituũ.* Sub quibus vtique eos etiam, qui in aquis, & speluncis quandoque hominibus infesti sunt comprehendit.

Nec vero simile est in regione ignis aliquos dæmones ordinarie habitare, quando ab Apostolo Ephes. 6. Rectores *tenebrarum*, & à Iuda *caligini*, seu caliginoso aëri adscripti dicũtur: nec est quicquã, quod in regione ignis aduersus homines machinentur. Quod si dæmonũ genus igneum dicatur, ab igne infernali, iam omnes dici poterunt ignei; non solum quia ab igne omnes patiuntur, sed etiam quia alternatim, & ad tempus omnes aliquandiu inferis addicuntur; vt superius dub. præced. dictum. Ob quam causam etiam non est verosimile, eosdem numero spiritus perpetuo aut in aquis, aut in speluncis degere, sed pro occurrentium circumstantiarum varietate, varijs in locis, ad seducendos homines, incumbere.

Plenius ex scriptura varia dæmonum studia & affectus describit Cassianus collat. 7. capit. 32. 21 vbi tamen & illud, tum Trithemio commune, pia interpretatione indiget, cum ait, quosdam dæmonum solummodo Ioculatores esse; *vt non tormentis hominum, sed derisione delectentur; & illusione contenti, fatigare potius studeant, quam nocere.* Quorum similia etiam habet S. Antonius apud Athanasium in vita eiusdem: nimirum quia plus illis diuinitus non permittitur, vt recte ab Henrico Cuickio in citatum locum Cassiani annotatum. Vide quæ in simili diximus supra quæst. 1. dub. 1. de imperitia & inertia dæmonum. Plura de dæmonum tentationibus & studijs ex Patribus & historijs Coccius tom. 1. l. 4. a. 5. & 6.

DVBIVM VIII.

De Præsidio, ministerio, ac custodia bonorum Angelorum, erga homines, aliasque res creatas.

S. Thom. 1. p. q. 112. & 113.

Contra malum bonum est, & contra mortẽ vita, &c. Et sic intuere in omnia opera Altissimi; duo & duo; & vnum contra vnum, inquit Ecclesiasticus c. 33. v. 15. Quando igitur de infestationibus dæmonũ actum est dub. præced. sequitur, vt etiam de protectione & custodia bonorum Angelorum agam⁹, totamq; adeo materiam de Angelis hoc argumento feliciter concludamus; de quo S. Thomas ex instituto agit cit. q. 112. & 113. Nos vero vt in præcedenti dubio factum, aliquot quæstiunculis rem paucis complectemur. 1

Vbi tamen primo illud veluti ex fide certum principium vniuersim supponimus, bonos Angelos esse ministros Dei, in procuranda & promouẽda hominum salute, ac proinde in hæc studia varijs modis, iuxta benignissimam diuinæ prouidentiæ dispositionem, incumbere; ac sæpe tum visibiliter (vti dictum quæst. 5. dub. 5.) tum inuisibiliter ad homines, seu in has terras mitti; vti patet tum ex plurimis alijs Scripturæ testimonijs, paulo post inferius referendis, & ex parte relatis supra cit. dub. 5. tum generatim ex illo Apostoli Heb. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* 2

Supponimus secundo, id quod non minus certum, & extra controuersiam est, absolute loquendo, à Deo mitti posse ad hanc procurationẽ omnes Angelos, imo vero reipsa quoq; aliquando à Deo destinari omnes, si non missione externa, quæ fit per motũ localẽ, certe tamẽ internâ, (licet hæc sit minus proprie dicta missio, vt bene Suarez lib. 6. cap. 9. num. 17.) quæ fit per illuminationem, qua superior Angelus, in gratiam & commodum hominum, Angelos inferiores illuminet: vt vel ob hanc etiam causam ab Apostolo omnes Angeli dicantur *administratorij spiritus* cit. Heb. 1. prout etiam docet S. Thomas q. 112. a. 2. ad. 1. His positis, 3

Quæritur primo, an ex omni hierarchia, & or- 4

dine, aliqui nonnunquam Angeli etiam externa missione à Deo immediate ad homines mittantur. De hac re sunt duæ Doctorum sententiæ. Prima docet, omnes Angelos ab infimo vsq; ad supremũ, aliquando ministrare ac mitti; esto ex suprema hierarchia nonnisi raro & quasi extraordinarie mittantur; ita sentiunt Alensis 2. part. q. 36. mem. 3. Scotus in 2. dist. 10. q. 1. Durandus q. 1. Argentina a. 1. Gabriel act. 2. Marsilius in 2. q. 7. art. 3. Molina 1. p. q. 112. disp. vn. & Gregorius de Valentia disp. 8. q. 6. pun. 2. Et indicat Athanasius serm. 3. cont. Arian. vbi ait: *Ad ministerium autem non vnus, sed ex omnib⁹ plures ad manum præsto sunt, quos Dominus, si velit, amandet. Multi enim Archangeli, multi Throni, multæ Potestates, & Dominationes; millies millies, & decies millia centena millia ministrorum assistunt, & apparent, qui se promptos offerunt, vt emittantur.*

5 Et fundatur hæc sententia in cit. Heb. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi.* Accedunt peculiaria scripturæ exempla. Sic enim Tob. 12. vers. 15. Raphael missus ad Tobiam, erat *vnus ex septem, qui astant ante Dominum.* Isai. 6. vers. 6. dicitur, *Volauit ad me vnus de Seraphin, & tetigit os meum.* Daniel 10. vers. 13. *Ecce Michael vnus de Principibus primis, venit in adiutorium meum.* Luc. 1. v. 26. *Missus est Angelus Gabriel* ad Mariam Virginem, quem vnum fuisse è supremis, Theologi complures sentiunt, cũ Magistro in 2. dist. 10. post S. Bernardum homil. in *Missus est*, etsi negent alij. Omitto Cherubinos ad custodiã paradisi positos Genes. 3. & alios quatuor, quos vidit Ezechiel cap. 10. in diuino ministerio occupatos.

6 Et esto, ob specialem rationem subiectæ materiæ, probabilis sit illa interpretatio S. Dionysij cap. 13. cœlest. hierarch. & S. Thomæ cit. q. 112. art. 2. ad 2. qua adductum ex Isaiâ locum explicat, vel de aliquo inferiori Angelo, qui ab officio erga Prophetam exercito, dictus fuerit *Seraphim*; vel de ipso quidem Seraphino, sed per inferiorem Angelum, suum velut ministrũ, operante; quod similiter etiã de apparitione Seraphim S. Francisco facta dici potest: minime tamẽ probatur, quod in Reuelationibus B. Amadei Raptu 4. legitur, *Raphaelem non in propria persona, sed in nuntio suo; id est, Angelo de infimo choro, comitatum esse Tobiam*: quod etiam ibidem asseritur, de Michaele apparente in monte Gargano. Id enim nec sensui fidelium, nec scripturæ satis consonum videtur; quæ proprie interpretanda, vbi nullum sequitur absurdum. Nec vllus, quod sciam; ita historiã Tobiæ hactenus intellexit: sed potius cõmunis Ecclesiæ sensus videtur habere, ipsumet Raphaëlem, quisquis tandem eo nomine Angelus significetur, per se apparuisse, & vere fuisse vnum de septem Angelis coram Deo assistentibus, non ad contemplandũ solũmodo ipsum, sed ad ministrãdum, quasi extra ordinem, vt dictum superius q. 1. dub. 6.

7 Secunda sententia est, Angelos assistentes & ministrantes proprie acceptos, qui scilicet reipsa & missione externa ad homines mittuntur, ita distingui, vt illi è cœlis nunquam, sed solum isti ad ministrandũ mittantur & abeant. Ita docent S. Thomas cit. q. 112. a. 2. & 3. Caietanus ibidẽ, item Albertus in 2. d. 10. artic. 3. Bonauentura art. 1. q. 2. Richardus art. 11. q. 2. Ægidius q. 1. & 2. & Capreolus q. 1. Inter quos etiã S. Thomas, Ægidius, Capreolus, Caitanus, & alij Thomistæ sentiunt, tres tantũ esse ordines assistentiũ, nempe Seraphim, Cherubim, & Thronos, alios vero ex ordines Angelorũ ministrantes esse; etsi Richardus significet, etiam Dominationes mitti.

8 Fundamentum præcipuum huius sententiæ sumitur ex S. Dionysio cœl. hierarch. cap. 7. 8. 9. & 13. qui ita plane sentire videtur, quem sequitur Gregorius homil. 34. in Euang. vbi refert Dionysium sensisse superiora agmina *ab intimis*, (cœlorum vel Dei) *nunquam recedere.* Addit rationem S. Thomas cit. artic. 2. Quia à constituto naturæ ordine, dispensatione diuina aliquando receditur quidẽ, sed solum propter superiorem ordinẽ gratiæ; at vero ordo gratiæ, quo nititur illa Angelorum, secundum varios gradus & ordines, distinctio, nõ habet aliquẽ superiorẽ ordinẽ, propter quẽ ab eo recedatur. Accedit quod ordo naturę plerumq; solum imutatur ob attestationẽ & confirmationem fidei, qua de causa etiam conspicue in sensus incurrit; at vero imutatio illa ordinis inter Angelos constituti, cum sit inuisibilis, & nobis ignota, non potest ad hunc finem deseruire. Ex his duabus sententijs Vasquez disp. 244. cap. 2. neutram certam, aut aliquo probabilitatis momento altera superiorem censet.

9 Equidem sentio cum auctoribus secundæ sententiæ, non esse negandam distinctionem, inter Angelos ministrantes, & assistentes, qui nempe ex officio ad laudandum solum & contemplandũ Deum, eiusque illuminationem recipiendam, quasi contemplatiuam solum vitam agentes, Deo semper assistant; ea enim distinctio auctoritate S. Dionysij, Gregorij, & S. Thomæ satis probatur: quicquid nonnulli recentiores apud Suarez cit. lib. 6. cap. 10. num. 44. eam distinctionem plane è medio tollere videantur.

10 Nihilominus existimo, cum auctoribus primæ sententiæ, nihil obstare, quo minus præter consuetum ordinem, & ordinariam legem Dei, nonnunquã aliqui etiam ex suprema hierarchia, imo primo ordine eiusdem hierarchiæ mittantur. Ita docet etiã Suarez cit. cap. 10 à num. 45. Moueor non tam adductis scripturæ testimonijs & exemplis, sigillatim spectatis, quæ si aliquid probarẽt, fere etiam nimium probare viderentur, nimirum non solum raro, sed etiã frequenter, & quasi ordinarie mitti quoq; supremæ hierarchię Angelos, vt bene etiam notauit Suarez cit. cap. 10. nume. 44. Sed primo, quia valde probabile est, saltem indeterminate vnum vel alterum exemplum esse ad rem accomodatum; idque de Gabriele nuntio B. Virginis mihi maxime est credibile, etsi nec illud sit certum. Secundo quia dum in Natiuitate Christi dicitur Luc. 2. *factam esse cum Angelo multitudinem cœlestis exercitus*, valde probabile est, eam multitudinem aut omnes Angelos fuisse complexam, aut ex omnibus Angelorũ choris conflatam, iuxta illud Heb. 1. v. 6. *Et cum iterum*

intro-

introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius. Quod etiã docet Chrysostomus in psal. 8. vbi ait: *Supernorum Chororum Cherubim & Seraphim hoc est munus, Deum assidue laudare, & hymnis celebrare. Ex his Choris etiam in terra apparuerunt, cum vigilantibus pastoribus cantantes.* Tertio idem multo certius est futurum in extremo iudicio, iuxta illud Matth. 25. v. 31. *Cum venerit filius hominis, in Maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo* In huiusmodi ergo occasionibus, inquit Suarez cap. 10. num. 47. mihi pro indubitato est, assistentes Angelos descendere; ac proinde mitti; quia non veniunt nisi ex imperio & voluntate Dei.

11 Nec obstat ratio S. Thomæ; Tum quia ordo vnionis hypostaticæ, superior est ordine gratiæ sanctificantis habitualis, qua nititur illa distributio Angelorum: quid ni igitur saltem propter Verbum Incarnatum aliquando ea mutari possit? Tum quia etiam in ipso ordine gratiæ, ad ostendendum peculiarem fauorem erga electos, Deus aliquando consuetum ordinem immutat, vt inferius etiam de Angelis Custodibus dicetur, & patet in sanctificatione B. Virginis, & aliorum, facta in vtero. &c.

12 Secundo quæritur, An singulis hominibus suus sit Angelus Custos designatus. In qua re certũ est, ex illis Angelis, qui ad nos mittuntur, quosdã præsidij & custodiæ causa mitti, vt constat ex scriptura. Etenim Genes. 19. v. 15. *Angeli eduxerunt Loth, & posuerunt extra ciuitatem, dicentes, salua animã tuam.* Genes. 48. v. 16. Iacob ait, *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis.* Idem habetur Tob. 12. v. 15. Act. 12. v. 15. & in Psal. 90. v. 12. dicitur, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Quod optima ratione & conuenientissima diuinæ prouidentiæ dispositione accidit; quia per se alioqui *cogitationes mortalium sunt timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Sap. 9. v. 14.

An vero singulis hominibus proprius ac peculiaris Custos Angelus à Deo sit attributus, olim quidem fuit dubitatum; asserentibus quibusdam, solum prædestinatis, in natiuitate ipsorum; alijs solummodo sanctis, à die baptismatis, attribui Angelos custodes, vt refert Origenes tract. 5. in Math. & fere S. Thomas q. 113. a. 5. Magister quoque in 2. dist. 11. videtur dubitare, vtrum singulis hominibus singuli Angeli deputentur; an vero vnus Angelus multorum simul hominum curam habeat; etsi Suarez hic l. 6. cap. 17. n. 10. eum in meliorem partem interpretetur. Taceo Caluinum lib. 5. Instit. cap. 14. sect. 7. & in Psal. 90. sect. 7. vbi ait, tantũ esse vulgi opinionẽ, singulis hominib⁹ singulos Angelos esse custodes.

13 Nihilominus vera & certa est etiam hac in re Doctorum sententia, quam tradunt Scholastici omnes cit. dist. 7. & S. Thomas quæst. 113. art. 2 & 5. statim ab ipso momento natiuitatis, singulis hominibus singulos & proprios Angelos custodes diuinitus destinatos adesse; quæ proinde etiam sine magna temeritate negari non potest, vt recte Gregorius de Valentia d. 8. quæst. 6. pun. 3. Vasquez disp. 245. cap. 1. & Suarez lib 6. cap. 17. num. 8. etsi Molina q. 113. disp vn. dicat, id non esse de fide: sicut etiam Suarez ibidem num. 10. solum dicit, *esse verisimilius* vnum Angelum nunquam custodire simul nisi vnum hominem.

Probatur primo satis aperte ex scriptura. Matt. 14
18. v. 10. dicitur, *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Et Act. 12. v. 15. fideles de S. Petro ex carcere educto *Angelus*, inquiunt, *eius est* Vnde constat, tam ex Christi doctrina, quam ex Ecclesiæ primitiuæ sensu, vnumquemquo hominem suum proprium habere custodem.

Secundo idem docent SS. Patres communi 15
consensu. Optime Basilius lib. 3. cont. Eunom. *Quod adsit*, inquit, *singulis credentibus Angelus tanquã pædagogus, & pastor vitam dirigens, nemo contradicet, qui memor fuerit verborum Domini, vbi dicit, Ne contemnatis vnum de pusillis istis; Nam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est:* Et: *Aderit Angelus Domini in circuitu timentium eum*, Psal. 33. Et: *Angelus, qui liberauit me à iuuentute mea.* Gen. 48. & quæcunque huiusmodi sunt.

Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis: *Occultior*, inquit, *traditio est, verus sermo ad nos vsque descendit, quo creditur, posteaquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino à clementia diuina neglectam, nec absque suo patrocinio dimissam, sed Andelorum, qui natura incorporei sunt aliquem in adminiculum cuique constitutũ esse.* Theodoretus in cap. 10. Daniel. *Ex his* inquit, *docemur, singulis Angelis vnius cuiusque nostrum creditam esse curam, vt custodiant, tueantur, & à praui dæmonis nos liberent insidijs.*

Et Hieronymus in cap. 18. Matth. *Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu Natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Idem asserunt præter alios Chrysostomus homil. 60 in Matth. Athanasius lib. de communi essent. Eusebius lib. 3. de Præparat. Euang. c. 7. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. & ante omnes Origenes homil. 23. in Lucam.

E quibus plerique vniuersim de hominibus loquuntur: aliqui vero etsi de fidelibus & baptizatis tantum loquantur, non tamen excludunt cæteros; sed indicant, in his non tam esse locum Angelo custodi, quam liberatori seu monitori. Ratio est. Quia cum homines etiam in individuo singuli sint quoad animam incoruptibiles, æquũ fuit vt eis, non minus, quam cæterarum rerum generibus atque speciebus, vti dicetur, singuli Angeli custodes adhiberentur.

Tertio quæritur, quanam ratione in particulari 16
fiat executio huius custodiæ. De hac re breuiter notanda sunt sequentia. I. Custodiam incipere à natiuitate; adeoque infantes non habere proprios Angelos custodes, nisi posteaquam in hanc lucem editi sunt; antea enim vnum quodammodo cum matribus æstimantur, ac proindè non proprios, sed communes cum matribus custodes habent, vt docet S. Thomas cit. q. 113. a. 5. ad 2. etsi contrarium post Tertullianum lib. de anim. cap. 37. & Anselmum in Elucidario, sentiat Suarez hic l. 6. c. 17 n. 18. quod parum existimo probabile.

II. Munus Angelorum custodum in morte finiri, saltem vt nec in inferno, nec in cœlis locus 17
custodiæ sit amplius, vt ex communi post S. Thomam quæst. 113. a. 4. docent cæteri; nec dissentit

Digitized by Google

Suarez cit. cap. 17. n. 11. etsi contrarium significare videatur Iustinus lib. vlt. q. 30. Nihilominus verisimile est, Angelum custodem animas in gratia decedentes, & non plene purgatas, non deserere, donec ad beatitudinem perueniant, vt docet Suarez cit. cap. 17. n. 11. Certe quidem eas ab vnoquoque Angelo custode saltem ad purgatorium perduci; sicut & vndiquaque sanctas & purgatas ad cœlum, satis colligitur ex historia Lazari mendici Luc. 16. & ex Patribus docet Suarez c. 19. n. 9. Imò etiam vnumquemque Angelorum eas secum ad iudicium extremum ducturum, quibus præfuit, valde probabiliter asserit Origenes hom. 11. in Numer.

18 III. Christum Dominum non habuisse custodē Angelum, sed vnum vel plures Angelos Ministros, vt docet S. Thomas q. 113. art. 4. ad 1. iuxta illud Matth 4. v. 11. *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Et Ioann. 1. v. 51. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* Ratio est. Quia cum ipse esset penitus impeccabilis, & plenus scientia, & veritate, ipsisque Angelis potentior, non indigebat Angelorum custodia. Secus est de B. Virgine, vti & de primo homine, etiam in statu innocentiæ posito, alijsque tam veteris, quam noui testamenti hominibus viatoribus, ipsoque etiam Antichristo ex communi.

19 IV. Angelum custodem nunquam omnino dimittere clientē suū, quamdiu hæc vita durat, etiāsi peccet, & peccata multiplicet: licet actuale custodię exercitium interdum remittat, propter eius incapacitatem & indispositionem, vt docet Sanctus Thomas q. 113. a. 6. & in 2. d. 11. q. 1. a. 4. ex cōmuni Doctorum ibidem, eodemque modo intelligendi sunt Patres, quando dicunt, homines peccando à se Angelos profligare, vt videre est apud Origenem homil. 2. in Ierem. Basilium in Psal. 33. Hieronymum & glossam in id Isai. 5. *Auferam sepem eius*, Ambrosium in Psalm. 37. & Bernardum serm. 1. de S. Michaele, & serm. 7. in Cant.

20 V. Neque tamen Angelos custodes, hominibus (eademque est ratio aliarum rerum inferiorum, quibus præsunt, vt dicetur) ita inseparabiliter assistere, vt nunquam plane ad cœlos, aut aliorsum digrediantur; nam etiam absentes loco *non desunt, quoad effectum custodiæ; quia etiam dum sunt in cœlo, cognoscunt quid circa hominem agatur. Nec indigent* (multâ) *morâ temporis ad motum localem, sed semper possunt adesse.* vt bene docuit Sanctus Thomas cit. quæst. 113. a. 6. ad 3.

21 VI. An vero singulis hominibus etiam successiuè viuentibus diuersi semper adsint custodes Angeli, incertum esse, affirmant nonnulli post Iustinum lib. vlt. q. 30. Negat Magister in 2. dist. 11. cuius sententiam magis probat Suarez cit. cap. 17. n. 11. Mihi suppositā multitudine sufficienti Angelorum, de qua actum est qu. 1. dub. 1. affirmatiua magis probatur. Quia consentaneum est rationi, vt in eo munere obeundo, Angeli, qui alioquin sunt eiusdem conditionis, vicissim, siue potius successiue mutentur.

22 VII. Quamuis ordinariè Angeli custodes sint ex infimo ordine infimæ hierarchiæ, vt tradit ex communi S. Thomas q. 113. a. 3. & apud antiquos scriptores in confesso asserit Vasquez loc cit. tamen nil videtur obstare, quo minus extraordinariè quandoque sint ex superiore ordine, si non ex superiori etiam hierarchiâ, vt docet Gregorius de Valentia loc. cit. & fere Suarez cap. 18. nu. 10. & sentiunt plures recentiores, quos sine causa reprehendit Vasquez cit. cap. 1. Idem persuadent probatæ quorundam sanctorum historiæ, vt de S. Francisca Romana habetur in eius historia & in Panegyri Valaderij, & de S. P. IGNATIO, in vita eiusdem apud Ribadeneiram. Hoc certum, communi quadam ratione, aut extra ordinem, etiam cæteros Angelos salutem hominis procurare. Vnde Origenes homil. 4. in Psalm. 36. *Nunquam solus est iustus, sed ne vnius quidem, aut duorum, vel trium tantummodo Angelorum societate subnixus est, sed exercitus ei virtutum præsto est.* Quod confirmatur etiam ex historia Elisæi 4. Reg. 6. v. 16.

VIII. Angelos custodes duodecim fere modis 23
suorum Clientum salutem tum corporis, tū præcipuè animæ, iuxta beneplacitum tamen diuinæ volūtatis procurare, vt ex Gabriele in 2. d. 11. q. vn. recte notauit Gregorius de Valentia cit. d. 8. q. 6. pun. 3. Primo enim peccata clientum reprehendunt, iuxta illud Iud. 2. v. 1. *Ascendit Angelus Domini de Galgalis, ad locum flentium, & ait, Eduxi vos de Ægypto, &c. & noluistis audire vocem meam. Cur hoc feciſtis?* II. Proinde suadēdo, & conscientiæ morsibus pūgendo à catenis peccatorum liberant, iuxta figurā Petri Act. 12. v. 7. III. Illecebras occasionesq; peccandi remouent. IV. Dæmones arcent, eorumque conatus cohibent. Ita Tob. 12. v. 3. *Dæmonē ab vxore meâ compescuit.* V. Docent & illuminant Daniel. 9. v. 22. *Nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres.* Quomodo autem Angeli possint homines docere & illuminare, constat ex dictis suprà q. 4. dub. 3. & 4. VI. Secreta Dei consilia quandoque reuelant. Genes. 18. v 17. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum.* VII. Consolantur afflictos. Tob. 5. v. 13. *Fortis animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris.* VIII. Confirmāt & addunt animum ad progrediendum in via Dei. 3. Reg. 19. v. 7. *Surge & comede; grandis enim tibi restat via.* IX. Pericula corporis depellunt, & in via feliciter deducunt. Tob. 5. v. 15. & c. 16. v. 4. X. Depellunt & profligant hostes etiam visibiles. Isai. 37. v. 36. *Egressus est autem Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* XI. Vim tentationis infringunt, iuxta figuram Genes. 32. v. 25. XII. Offerunt preces suorū, & pro his peculiariter intercedunt. Tob. 12. v. 12. & Apocal. 8. v. 4. Quibus adde XIII. Quod ipsos etiam suos clientes nonnunquam castigant & puniunt, saltem pœna medicinali, vt tradit Augustinus lib. 9. de ciuit. cap. 5. & fusius persequitur Suarez cit lib. 6. cap. 19. n. 5. Plura de hac re videri possunt apud Gersonem trac. 8. super Magnificat, part. 3. & apud Franciscum Albertinum in proprio opusculo de hac re.

Postremo circa hoc ministerium Angelorum 24
notandum, Angelos, etiamsi vel maximè cupiant clientum suorum bonum promouere, non tamen proprie tristari, vel angi, etiamsi præter ipsorum vota secus accidat, cum habeant voluntatem diuinæ per omnia consonam; vt docet S. Thomas

cit. q.

cit. q.113. a.7. quicquid in contrarium suo errori male innixus dixerit Origenes, de quo actum supra dub. 2. Alij vero Patres, aliter quandoque locuti, piè explicandi sunt, in sensu metaphorico, prout etiam de Deo ipso quandoq; loquitur scriptura. Certum est enim in beatitudine nullum locum esse tristitiæ, vt fusius docui tomo 2. disp. 1. q. 3. dub. 2.

25 Quarto quæritur, an etiam rebus alijs, ac præcipuè Regnis & Prouincijs seu communitatibus singulis atque etiam substantijs inanimis, aut rationis expertibus Custodes aut Præsides Angeli sint deputati. Respondeo primo. Valde probabile esse, singulis saltem speciebus perfectis substantiarum corruptibilium, singulos Angelos præsides ac veluti custodes esse designatos. Ita docent S. Thomas hic 113. a. 2. alijque Theologi communiter, quicquid neget Caietanus ibidem, & colligitur ex scriptura Apocal. 14. v. 18. vbi dicitur. *Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem.* Quo loco idem tradunt Arethas, & Andreas Cæsariensis. Eodem spectat illud Apoc. 16. v. 5. *Et audiui Angelum aquarum dicentem, &c.* Idem docent comuniter Patres, speciatim Origenes hom. 8. in Ierem. & 23. in Iosue, & Augustinus l. 8. de Genes. ad lit. c. 24. & l. 83. q. 79. vbi ait: *Quæquæ res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi propositam, sicut aliquot locis diuina scriptura testatur.*

Et l. 3. de Trinit. c. 4. *Sicut corpora crassiora*, inquit, *& inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ, & spiritus vita irrationalis, per spiritum vitæ rationalis, & spiritus desertor per spiritum pium & iustum, & ille per ipsum Deum.* Quod maxime de indiuiduis etiam cœlorũ corporibus tradit Aristoteles, & communis Philosophorum sensus; tametsi proprie custodes cœlorum non sint Angeli, cum cœli nulli corruptioni sint obnoxij, sed quodammodò Præsides & Procuratores.

Ex quibus etiam sumitur ratio. Quia inferiora Deus gubernat per superiora; & si cœlis singulis suus ex Angelis est motor attributus, qui vni cuidam certæ parti cœli applicatus, totum cœlum circumferat, vt superius dictum, & magis patebit d. seq. q. 4. dub. 3. cur non & naturis cæteris, iuxta debitum naturæ cursum moderandis, præsertim cũ alioqui quotidiano facile corruptionis & perturbationis periculo subijciantur? Difficilem autem quendam locum Hieronymi, qui contrarius videtur, explicauimus supra d. 2. q. 8. dub. 3.

26 Respondetur secundo, valde item probabile esse præter singulos Angelos custodes particularium personarum, alios quoque Angelos destinatos esse pro custodia & tutela Regnorum, Prouinciarum, aliarumque Communitatum, præsertim Ecclesiasticarum & Religiosarum. Ita docent communiter recentiores, speciatim Gregorius de Valentia cit. disp. 8. q. 3. punct. 6. Molina quæst. 113. disp. vn. Vasquez disp. 245. cap 1. & Suarez hic lib. 6. cap. 17. à num. 22. ex communi Patrum sententia. Nam de regnis seu prouincijs ita docent Dionysius cap. 9. cœl. hierarch. Basilius lib. 3. cont. Eunom. Theodoretus lib. 5. diuin. decret. cap. 7. Hilarius in Psalm. 129. Epiphanius hæresi 51. Augustinus q. 48. in Iudic. Gregorius lib. 17. Moral. cap. 8. vel 7. & optime Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. propè finem, *Per gentes*, inquit, *& ciuitates diuisæ sunt Angelorum præfecturæ.* Idem repetit lib. 7. initio. Idem sumitur ex scriptura Danielis 10. vbi fit mentio Principis Persarum & Græcorum, & Iudæorum; per quos intelliguntur Angeli ad custodiam earundem prouinciarum seu regnorum destinati, vt etiam Hieronymus, & Theodoretus ibidem notant; ex quo etiam loco præsens institutum probant citati Patres.

De Episcopatibus singulis (eademque est ratio aliarum eiusmodi Communitatum) ita docent Origenes lib. 1. Periarchon cap. 8. Hilarius citat. Psal. 129. Gregorius Nazianzenus orat. 32. Ambrosius in Lucam lib. 2. Hieronymus Micheæ 6. Isidorus Peluſiota lib. 2. epist. 85. & citati recentiores. Et colligitur ex Apocal. 1. 2. & 3. non quod Angeli eo loco propriè accipiantur, cum Episcopos significent, sed quia eo ipso modo loquendi significatur, officio Episcoporum similia Angelorum munia respondere, à quibus sumpta est denominatio. Addit Suarez cit. cap. 17. num. 23. *de hac re dubitandum non esse.* 27

Quintò quæritur, vtrum inter Angelos præsides seu custodes nonnunquam sit, aut esse possit dissensio, iuxta illud Daniel. 10. v. 13 *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum:* quem locum de bonis, non malis Angelis intelligendum communiq; & verius sentiunt SS. Patres & interpretes, speciatim S. Thomas hic quæst. 113. art. 8. Lyranus, Carthusianus, & Pererius post S. Dionysium cap. 9 cœl. hierarch. Theodoretum in Danielem, Gregorium lib. 17. Moral. cap. 8. vel 7. & sequuntur Suarez lib. 6. cap. 19. num. 13. alijque Scholastici communiter; etsi de malis intelligant Hieronymus, Cassianus, Rupertus, & nonnulli alij. Respondeo cum sancto Thoma cit. q. 113. a. 8. ex communi, proprie & secundum absolutam voluntatem, nullam inter bonos Angelos esse discordiam; cum in diuinæ voluntatis beneplacito plane conueniant: secundum affectum tamen simplicem, & voluntatẽ conditionatam (si Deo placeret) nonnunquam diuersa volunt, & reipsa etiam quodammodo in diuersa, imo materialiter opposita tendũt, quamdiu ipsis diuina voluntas in alterutram partem nondum est comperta. Quo quidem fiebat, vt dum singuli ex illis Præsidibus Angelis suo populo vellent esse quam optimè consultum, Angelus quidem Persarum apud Deum vrgeret diuturniorem populi Hebraici in Babylonica captiuitate commorationem, quam Persis seu Chaldæis sciret esse proficuam; contra vero Angelus Iudæorum maturum eorum discessum vrgeret, pro eiusdem populi commodo & felicitate. De qua re plura Pererius lib. 12. in Danielem. Atque hæc de Angelorum natura, statu & officijs ad laudem bonorum, & confusionem malorum, communis autem Dei ac creatoris omnium gloriam, dicta sufficiant. 28

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONIS VI. ET VLTIMÆ.

DE CREATIONE MVNDI CORPOREI, TAM COELESTIS, QVAM SVBLVNARIS; ADEOQVE DE OPIFICIO SEX DIERVM.

Quæstio I. De Creatione mundi corporei in genere.

Dubium I. *Quid, & quarum rerum propriè sit creatio; & an sit actio immanens in Deo, vel potius transiens.*

II. *An creatura possit esse causa, vel instrumentum creationis secundum absolutam Dei potentiam.*

III. *An, & quomodo mundus corporeus cœperit, & an aliqua creatura potuerit esse, vel creari ab æterno, etiam secundum absolutam Dei potentiam.*

IV. *An, & quo ordine temporis, siue dierum, mundus corporeus sit à Deo productus: & quandonam cœperit tempus ac mundus.*

Quæstio II. De opere primæ diei; nimirum cœlo, terra, luce.

Dubium I. *An cœlum & terra primo die, an potius ante primum diem sint creata.*

II. *Quid cœli & terræ nomine significetur; an solum cœlum Empyreum, an potius omne corpus cœleste, omniáq; elementa, adeoque totus mundus corporeus quoad essentiam.*

III. *Qualis lux, & quo spatio primi diei sit producta; an post tenebras, & quis finis & vsus eius lucis.*

IV. *An, & ex qua materia cœlum constet.*

V. *An cœlum sit animatum.*

VI. *An sit natura sua corpus generabile & corruptibile.*

Quæstio III. De opere secundæ diei; nimirum firmamento, ac soliditate cœli; itemque de aquis supra & infra firmamentum existentibus

Dubium I. *Quæ sit ratio Firmamenti, & aquarum, quas dividit firmamentum.*

II. *Sitne firmamentum, adeoque cœlum, solidum an liquidum corpus.*

III. *An soliditati vel incorruptibilitati cœlorum obstent noua phænomena.*

Quæstio IV. De operibus tertiæ, & quartæ diei; nimirum Congregatione aquarum, germinatione terræ; & syderum productione.

Dubium I. *De opere tertiæ diei; nimirum congregatione aquarum, & germinatione terræ.*

II. *Ex qua materia quartâ die producta sint sydera, & quomodo firmamento seu cœlis inserta.*

III. *Terrâne an potius cœlum ac sydera motu diurno mouentur, & à quo motore, an à Deo immediate, an ab Angelis.*

IV. *Quot sint cœli præcipuè syderei, & an eiusdem omnes essentiæ.*

V. *An, & qua ratione cœli in fine mundi sint interituri.*

Quæstio V. De operibus quintæ & sextæ diei; nimirum de animalium, ipsiusque hominis productione.

Dubium I. *Quodnam fuerit vniuersim opus quintæ & sextæ diei, & in specie quomodo homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus sit.*

II. *Quænam fuerit conditio hominis in statu innocentiæ, seu natura integra & incorrupta.*

Synopsis totius opificij sex dierum, ad textum Moysis Genes. 1. accommodata.

DISPVTATIO VI.

De Creatione mundi corporei, tam cœlestis, quàm sublunaris; adeoque de opificio sex dierum.

S. Thomas 1. p. q. 45. 46. 47. & q. 65. vsque ad 102.

Argumentum & ordo Disputationis.

1 *POst tractationem de Angelis, agit S. Thomas, de creatione mundi corporei, descripta cap. 1. Geneseos; cuius in hac parte methodum sequimur. Interponit vero idem S. Thomas à quæst. 75. vsq; ad quæstionem 89. prolixam disputationem de homine, eiusq; naturalibus potentijs; sed quæ tota ad Philosophos pertinet; quæ proinde omissa, in id potius incumbemus, vt quando inter opera creationis citat. Genes. 1. cap. tam sæpe & enucleate de cœlo, firmamento, ac syderibus agitur, naturam ac proprietates cœlorum, hodie tantopere inter Theologos naturalesq; Philosophos, ac Mathematicos controuersas, iuxta scripturæ sacræ, ac SS. Patrum doctrinam, quoad fieri potest, explicatas reddamus: vti iam antea fecimus, in proprio de cœlis opusculo, edito ineunte Anno M. DC. XXI. ex quo huc pleraq; (nostris rebus nostro iure & arbitratu vsi) mutata tamen nonnihil methodo, in gratiam Lectoris transferemus; præsertim quando eam dissertationem multis viris doctis non improbatam fuisse perspeximus.*

Quinq; autem quæstionibus vniuersam hanc disputationem complectemur. I. De creatione mundi corporei in genere. II. De opere primæ diei; nimirum cœlo, terra, & luce. III. De opere secundæ diei; nimirum Firmamento, ac soliditate cœli; itemq; de aquis superioribus & inferioribus, quas diuidit firmamentum. IV. De opere tertiæ & quartæ diei, nimirum congregatione aquarum, germinatione terræ; deq; syderibus, ac cœlo sydereo. V. De opere quintæ & sextæ diei; nimirum de animalibus terra; atq; homine.

DVBIVM I.

Quid, & quarum rerum propriè sit creatio: an sit actio immanens in Deo, vel potius transiens; & qualis.

S. Thom. 1. p. q. 45. a. 1. 3. 4.

2 TOta hæc quæstio de Creatione in genere, per se quidem ac sua natura antecedit omnem tractationem de Creaturis in particulari; quare etiam à S. Thoma 1. part. q. 45. & sequentibus tribus, Tractationi de Angelis merito antepositа est: sed quia maximam habet affinitatem cum creatione mundi corporei, atque etiam vt materia de Angelis magis esset simplex & inter se coniuncta, atque à reliquis separata, consultius existimaui, eam in hunc locum transferre.

Quod vero ad præsentem dubitationem spectat, quatuor quærūtur; 1. quid sit creatio. 2. quibus rebus proprie conueniat creari. 3. An sit actio immanens in Deo, vel transiens. 4. Qualis.

3 Quod ad primum attinet, sermo est de creatione proprie dicta, prout opponitur generationi, alijsque mutationibus. Et certa atque ab omnibus recepta est doctrina S. Thomę hic q. 45. a. 1. argum. *sed contra*, & resp. ad 3. vbi cum glossa super illud Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, dicit Creare esse *aliquid ex nihilo facere*, seu producere; quo fit, vt creatio sit productio rei ex nihilo, seu ex non ente; Quod declarans ait, illud *Ex nihilo*, non designare causam materialem, sed *ordinem tantum*, vtique solum cum respectu rationis; quia res creata ad nihilum non habet respectum realem, vti recte notauit Gregorius de Valentia disp. 3. q. 2. pun. 1. *Sicut cum dicitur*, inquit, *post mane, fit meridies.*

4 Et addit, eum ordinem dupliciter ijs verbis significari posse; affirmatiuè scilicet, & negatiuè. Affirmatiuè quidem, quando illud, *Ex nihilo*, ita accipitur, vt negatio subiungatur præpositioni *Ex* quasi nimirum dicas, *Ex non aliquo*, seu *Ex non ente*: negatiuè autem, quando negatio intelligitur anteponi præpositioni; ita vt sensus sit, *Non ex aliquo. Et vtroque modo*, inquit, *verificatur illud*, cum (in descriptione creationis) dicitur, *Ex nihilo aliquid fieri*; cum aliquo tamen discrimine, vt mox addit: *Nam primo modo præpositio Ex importat ordinem* (nudum cuiusdam prioritatis.) *Secundo modo importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur.* Ita S. Thomas; Quod intelligendum iuxta ea, quæ dicentur dub. 3. vt prior expositio posteriorem fulciat; nec ab ea planè seiungatur.

5 Eodemque modo Creationem definierunt Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. part. 1. cap. 1. Anselmus. c. 8. Monolog. & consentiunt Scholastici in 2. d. 2. Ratio est. Quia creatio, put ab alijs mutationibus seu productionib⁹ differt, est emanatio seu productio totius Esse: Ergo nullum esse præsupponitur ad creationem, adeoque est productio ex nihilo. Consequentia probatur: quia in nulla productione præsupponitur id quod fit, sed potius priuatio seu negatio eius quod fit; sic enim homo fit ex non homine; album ex non albo, &c. cum ergo totum Esse rei per creationem producatur, necesse est, vt nihil ipsius rei præsupponatur; proinde Creatio est productio ex nihilo. Quare etiam ex communi fatetur Vasquez hic d. 172. c. 3. particulam *Ex* saltem significare ipsi⁹ Nihili velut termini à quo antecessionem *naturæ*, vt docuit etiam Scotus in 2. d. 1. q. 2. etsi quidam etiam antecessionem temporis requirant, de quo dub. 3.

6 Quod ad secundum attinet, recte docet idem S. Thomas ead. q. 45. art. 4. Creari proprium esse subsistentium; *siue sint*, inquit, *simplicia, sicut substantiæ separatæ, siue sint composita, sicut substantiæ materiales.* Vbi expresse docet, etiam composita materialia proprie creari. Ratio est. Quia creari cum terminetur ad Esse, non nisi ijs propriè conuenit, quibus proprie & simpliciter conuenit esse; hoc autem non conuenit nisi subsistentibus. Idē probat in argum. *Sed contra* ex illo Gen. 1. v. 1. *in principio creauit Deus cœlum & terram*; vbi creationem proprie accipi supponit ipse, & omnes communiter affirmant: speciatim Molina tract. de oper. sex dierum disp. 2. ex instituto probat, cœlum, vna cum terra & aqua, *productum à Deo fuisse ex nihilo, per creationem presse sumptam.*

7 Nec obstat, quod composita non sunt ex nihilo, sed ex suis principijs componentibus, quæ natura priora sunt ipso composito. Nam vt ipsemet S. Thomas cit. q. 54. art. 4. ad 2. respondet, Creationi non obstat, quod compositum fit ex præexistentibus natura principijs, si modo nullum ex ijs tempore præcesserit. *Quia compositum*, inquit, *sic dicitur creari, quod simul* (tempore) *cum omnibus suis principijs in esse producitur.* Idem docet Gregorius de Valentia disp. 3. q. 2. p. 1.

Qua de causa non probatur, quod Vasquez hic disp. 174. cap. 4. num. 17. & cum eo nonnulli recentiores docent, *compositum secundum rationem compositi nunquam creari, sed ex aliquo produci; etiamsi secundum se totum omnino incipiat: eo quod vocula, Ex nihilo, in definitione creationis posita, excludat omne subiectum, vel etiam principium constituens, quod saltem naturæ prius sit.* Id quod etiam sensisse putat Gabrielem in 2. distinct. 1 q. 4 a. 1. Sed hoc plane repugnat S. Thomæ, & communi antiquorum Theologorum sententiæ, vt dictum.

8 Rectius idem Vasquez disput. 172. cap. 3. num. 10. rationem creationis propriè & strictè acceptæ explicans, ait, *perinde esse rem ex nihilo, tanquam ex termino à quo, produci, atque nihil præexistere ante productionem, quod ad illius rei constitutionem quodammodo pertineat: vel quod idem est*, inquit, *atque rem fieri secundum se totam*; seu vt dixerat S. Thomas loco citato ad 2. *simul* (vtique tempore) *cum omnibus suis principijs in Esse produci.*

Ex quo colligitur, cum in vno eodemq; instanti temporis, cœlum factum sit secundum se totum atque in Esse productum, cum omnibus suis principijs; nec adeo vllum ex his ante instans illud productionis præextiterit, propriè vtique cœlum ex nihilo creatum dici debere, etiam si natura prius, quam forma eius, ipsumq; totum cœlū

produ-

produceretur, præcesserit materia: vt etiam in terra accidit, iuxta illud Sap. 11. v. 18 *Omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa.*

9 Quod ad tertiũ attinet, cõtrouersũ est; quid à parte rei sit hęc productio, quam diximus esse creationem. Etenim S. Thomas cit q. 45. a. 3. in corp. & ad 1. dicit, creationẽ actiue sumptã, *significare actionẽ diuinã*, (vtiq; intellectionem aut volitionẽ) *quæ est eius essentia, cũ relatione* (rationis) *ad creaturã*: passiue à acceptã nil aliud esse, quam *relationẽ quandã creaturæ ad creatorẽ, vt ad principiũ sui esse.* Quod ità ẽt simpliciter asserunt & tuentur Caietanus, & Thomistæ ibidẽ, itẽ Richardus in 2. dist. 1. a. 1. q. 2. & 3. Durandus q. 2. Capreol⁹ q. 2. & Ferrariẽsis 2. cont. gẽt. c. 16. & 18 quos sequitur fere Gregorius de Valentia hic disp. 3. q. 2. pun. 1. Vasquez hic disp. 173. c. 2. vbi dicit, creationẽ nihil aliud esse, secundũ rẽ, præter relationem ipsam creaturæ pẽdentis à creatore. Differt tñ à sententia S. Thomę, dum negat actionẽ ipsam creationis in Deo esse. Ait n. n. 4. *Actio & passio, quæ sunt motus, sunt in passo: sed actio, quæ non est motus, in agente, passio vero est in passo. Quocirca creatio actio esset quidẽ, inquit, in Deo creãte, sicut et relatio creatoris, nisi alias ipse nõ esset capax alicuius relationis ex tẽpore, &c.* Nec videtur distinguere Scotus in 2. d. 1. q. 5. nisi quod sentit, creationem esse relationẽ transcendentalẽ, vt refert ẽt Caietanus hic q. 54 a. 3.

10 Fundamentum est. Nam si actioni desit ratio motus & transmutationis, nihil aliud videtur superesse,
1 quam pura relatio; nec alio modo à nobis explicari, aut etiam intelligi potest, quam cõceptu solius relationis: talis autẽ actio, est creatio, eo ipso, quod non habet, nec supponit subiectũ, quòd vtrlq; termino à quo, & ad quem subsistando, moueatur aut mutetur.

11 Nihilominus verior, & receptæ Philosophiæ conformior sententia est, creationẽ non esse quidẽ proprie motũ, aut mutationẽ, vt cum S. Thoma loc. cit. fatẽtur omnes, esse tñ in ipsa creatura modum quendam absolutum, nõ realiter stricte, sed modaliter distinctum à creatura, cum respectu transcẽdentali ad Deũ creantem, quo creaturæ ex Deo emanant; quiq; adeo habeat veram & propriam rationẽ, tum influx⁹ cuiusdam & actionis transeuntis, tum passionis, adeoq; dependentiæ, diuerso respectu. Ita post Ægidiũ, Ockamum, Gabrielem, Argentinam, Aureolũ, docent Molina hic cit. q. 45. a. 3 & Suarez Metaph. disp. 20. sect. 25. Fauet etiam ipse S. Thomas in 1. d. 40. a. 1. ad 1. quatenus creationem vocat *actionem transeuntẽ*, & æquiparat illam calefactioni. Sed & Gregorius de Valentia q. 3. pun. 1. expresse docet, Deum non producere creaturas per respectum, siue sit rationis, siue realis; sed per aliquid prius eo respectu &c.

12 Probatur. Tum quia creatio nõ minus sortitur nomen ab effectũ transeunte, quã calefactio aut frigefactio; Est ergo nõ minus, quã illę, idẽ cũ suo termino, adeoq; in ipsa creatura quasi recepta. Tum quia iuxta vniuersalẽ Aristotelis doctrinam, omnis actio trãsiens transit extra agẽs, & recipitur in subiecto passo; trãsions a. est, cuius terminus proprius & intrinsecus est, aliquid extra principiũ agens productũ; vti in creatione accidit. Tum quia nulla actio vel passio est mera relatio; alioquin n. actio poneretur in prædicamẽto relationis. Tum quia relatio prędicamentalis ad agens sequitur actionem vel passionẽ tanquã fundamentũ; quæ proinde debent esse distincta ab ipsa relatione prædicamentali. Antecedens probãtur. Quia relatio ad agens, requirit necessario aliquod fundamentum; vti patet: nec vero aliud in præsenti assignari potest; quam ipsa realis processio seu dependentia creaturæ à creatore, quæ sub ratione dependentiæ à Deo, est creatio passiua, sub ratione autem influxus rei creatæ suum esse tribuentis, est creatio actiua: quandoquidem ipsa essentia, aut volitio, seu cognitio diuina, cum ab æterno sint in Deo, per se immediate nequeunt esse proximum & immediatum fundamentum eiusmodi relationis temporalis. Tũ quia voluntas & intellectus diuinus, actusque earundem potentiarum, sunt principium quo creationis: Ergo non sunt ipsa creatio. Deniq; verius est, potentiam executiuam in Deo, quæ est immediatum principiũ creationis, esse ratione distinctam ab intellectu & voluntate, seu actibus intelligendi & amandi eiusdẽ Dei, vt suo loco dictũ disp. 2. q. 11. dub. 2. Ergo creatio, quæ formaliter & immediate est actus potentiæ executiuæ in Deo, non est ipsa intellectio aut volitio diuina, aut vllus omnino actus immanens in Deo.

Ad fundamentũ oppositum, negatur assumptum: 13
quia ratio, cur actio & passio nõ sint purę relationes, sed aliquid distinctum à relatione, nõ est ratio mutationis vel motus; sed id potius habent ex communissima ratione sua, quatenus actio & passio sunt, vt dictũ.

Quod vero præterea S. Thomas, Caietanus, aliiq; nonnulli in contrarium citati authores, vbiuersim subinde indicant, actionem etiam tranleuntem esse in ipso agente formaliter, supponunt ex communi tñ Philosophia parum esse probabile. Deniq; notandum, etsi creatio formaliter non sit pura relatio, vt dictum; eam tamen esse fundamentum relationis realis & prædicamentalis in creatura resultantis; cuius è contrario relatio Creatoris ad creaturam sit tantum rationis, iuxta S. Thomam hic cit. q. 45. art 3. ad 1.

Quod ad quartũ attinet, controuertitur, an Creatio, 14
siue consideretur vt actio, siue vt passio, sit in aliquo prædicamento. Cuius difficultatis decisio pẽdet ex eo, an sit verũ accidens. Etenim non esse verũ accidens, vrget ratio S. Thomæ, quã ipse sibi obiicit cit. a. 3. obiect. 3. Si enim esset verum accidens, tunc vt sic formaliter esset in subiecto; nec vero subiectum eius aliud esse posset, quam ipsa res creata: at verò hoc est impossibile. Quia subiectũ prius est accidente, & cõseruat accidens: res vero creata, cũ sit terminus creationis, in quantũ actio est vel passio, posterior est ipsa creatione: quandoquidem vniuersim terminus est aliquid posteri⁹ actione & passione, cuius est termin⁹.

Ad hoc argumentũ respondet S. Thomas 1. p. q. 45. 15
a. 3. ad 3. quod *Creatio secundum quod significatur vt mutatio, creatura est terminus: sed secundum quod vere est relatio, creatura est eius subiectum, & prius ea in esse, sicut subiectum accidente: sed habet quandã rationem priuitatis ex parte obiecti, ad quod dicitur, quod est principium creaturæ.* Ita S. Thomas: & sensus videtur esse, creaturam nõ esse vere & proprie terminũ creationis, sed significari per modum termini, si cõsideretur creatio per modũ mutationis, cũ tñ reipsa non sit mutatio. Reipsa verò creaturam esse subiectũ creationis, in quãtum nuda relatio est, vti esse iã antea dixerat S. Thomas, ac proinde nihil obstare, quo minus creatio sit verum accidens, & in prædicamento Relationis. Sed reuera hæc responsio non satisfacit; quia creatio, er-

iamsi non sit mutatio, est tamen vera actio, seu productio adeoq; via ad creaturam, velut terminum, siue interim sit mera relatio, siue modus absolutus; id quod etiam fatetur Vasquez cit. disp. 173. c. 2. n. 5.

16 Qui tamen nihilominus negat, creationem esse in aliquo prædicamento; quia siue sit modus absolutus, siue, vt ipse putat, mera relatio, non est tamen verum accidens; eo quod non sit aliquid ex natura rei distinctum à substantia; cum tamen, etsi quidem vniuersim non requiratur, vt prædicamenta omnia distinguantur inter se ex natura rei, certe tamen ad verum accidens prædicamentale requiratur, vt à substantia à parte rei distinguatur; quandoquidem alias non est verum & reale accidens substantiæ.

17 Sed nec ista responsio probatur. Quia, cum creatio sit vera productio substantiæ, omnis a productio rei creatę ex natura rei distinguatur ab ipsa re producta, non videtur recte negari, creationem ex natura rei (modaliter) distingui à re creata. Et cõfirmatur, Quia creatio secundum sententiã, quã sequitur Vasquez, à parte rei formaliter est relatio; res autẽ creata formaliter non est relatio. Taceo, quod creatio formaliter nõ semper durat, quãdiu res est, vt expresse docet S. Thomas cit. q. 45. a. 3. ad 3. vbi ait: *Neq; tamẽ oportet, quod quãdiu creatura fit, dicatur creari; quia creatio importat habitudinem creaturæ ad creatorem, cum quadam nouitate seu inceptione.* Sed de hac re plura dubio 3.

18 Respondeo igitur, creationẽ, siue consideretur, vt est actio, siue vt est passio, conuenire quidem cũ accidente in hoc, quod nullo modo est, nec esse potest sine substantia, cui quasi inexistat, siue cum qua idẽtificetur; reuera tamen verũ ac propriũ accidens non esse; ac proinde nec in prædicamento actionis cõstitui. Tum quia constituit vnum per se cum substantia rei creatæ, de cuius substantia est illa dependentia à Deo, per actionem, quæ est creatio, saltẽ si consideretur simul, prout est conseruatio. Tum quia ex natura sua independens est à subiecto; siquidem hoc de ratione eius est, quod sit actio, seu productio indepẽdens à subiecto. Alia ratio est calefactionis, vti patet; alia itẽ (ex parte) ratio generationis substantialis; siue hæc consideretur, vt est productio formę substantialis; hæc enim fit depẽdẽter à materia, velut subiecto; siue vt est vnitio materiæ cum forma, nam & hæc fit dependenter ab extremis vniẽdis, natura præsuppositis, in quorũ vno vel vtroq; inhæret vnio; siue interim generatio seu actio substãtialis sit in prędicamẽto actionis, siue non; de quo Philosophi disceptant.

19 Est ergo actio creationis, modus quasi quidã substantialis, qui proprie non dependet à subiecto; tametsi nullo modo esse possit nisi per identitatem cũ re modificata, hoc est, creatura. In qua re conuenit aliquo modo cum actione illa, per quã quantitas in Eucharistia cõseruatur sine subiecto: quia neq; ista actio formaliter vt sic inhæret, aut inhærere põt in aliquo tanquã subiecto, quia est via, per quã quantitas ponitur extra subiectum, vt docet Albertinus tõ. 2. Prædicam. Quantit. disp 1. q. 3. n. 11. Vbi tñ nihilominus addit, actionem, per quã quantitas conseruatur sine subiecto, habere rationẽ accidentis; quia ad hoc, inquit, sufficit, vt illa actio sit via ad terminũ accidentalem & sit inseparabilis saltem naturaliter à suo termino, & non faciat vnum per se cum illo, de quo alibi

DVBIVM II.

An proprium sit solius Dei creare.

S. Thom. 1. p. q. 45. a. 2. 5. 6. 7. 8.

SVpponendũ in hac re primo, tanquã ex fide certum, Deum reipsa, tanquã causam principalem & independentem, creasse & produxisse cœlũ & terrã; adeoq; totum mundum, & omnia quæ in ipso comprehenduntur; creando nimirum propria creatione saltem Angelos, animas, & materiã primã; quæ sine cõtrouersia capaces sunt proprię creationis, nec possunt nisi per propriã creationẽ existere; quicquid sit de creatione compositorum, (de quib. actũ dub. 1.) quæ tamen ipsa quoq;, iuxta fidem, velut causa principalis produxit, quicquid hæretici mox citandi dixerint: Patet hoc ex innumeris Scripturæ locis, præsertim Gen. 1. Neq; vero creare est proprium alicuius 1 personę, iuxta cõmunem S. Thomę q. 45. a. 6 sed cõuenit omnibus tribus personis, & earum singulis, secundum essentiam, nimirum reduplicatiue; nã specificatiue conuenit ẽt singulis quoad propriam personalitatẽ; quo modo intelligẽdus Gregorius de Valentia disp. 3. q. 2. pun. 3. Interim tamen vti quadam appropriatione Patri tribuitur potentia, Filio sapiẽtia, Spiritui sancto bonitas, ita creatorẽ esse, *attribuitur Patri, vt ei qui non habet virtutem creandi ab alio; Filio tribuitur, quod per illum creata sint omnia; Spiritui sancto, quod per illum guberuentur omnia*, vt docet S. Thomas cit q. 45. a. 6 de qua re supra disp 4. q. 1. dub. 7.

Secundo suppono, reipsa solum Deum creasse & 2
produxisse mundum ex nihilo; vti eadẽ scriptura testatur, Genes. 1. & definitur in Concilio Lateran. cap. *Firmiter*, de sum. Trin. & fid. Cathol. & docet S. Thomas q. 44. a. 1. & q. 65. a. 3. etsi id perperam negatum olim fuerit à multis hæreticis, qui aut totius mundi, aut saltẽ rerũ corporearũ, vel certe quarundã singularium rerum productionem, Deo abrogatã, Angelis, aliisue Virtutibus seu Intelligẽtiis, aut malo cuidã Principio tribuerunt. In quib. fuerunt Simon Magꝰ, apud Irenæum l. 1. aduer. hęres. c 20. & Menander eiusdem Magi discipulus apud Irenæum ibidẽ c. 21. item Saturninus, apud Irenęum ibidem, Tertullianũ lib. de præscript. & Augustinum lib. de hæres. hær. 3. item Basilides Menandri discipulus, apud eundem Irenæum l. 1. c. 23. item Carpocratiani & Gnostici apud Irenæum c. 24. qui hæretici omnes dicebant mundum non à Deo, sed ab Angelis conditũ fuisse; in qua re tamen variabant, vt videre est apud citatos, & notauit Gregorius de Valentia disp. 3. q. 1. pun. 1. Huc spectant etiã Cherintus apud Irenæum cap. 25. & Manichæi, apud Augustinũ hæres. 46. & Epiphanium hæres. 66. item Audiani apud Theodoretum l. 4. hist. c. 10. & lib. 4. hæret. fab. & apud Augustinum hæres. 75. Deniq; Albigenses cum Manichæis senserunt, creaturas visibiles non esse à Deo bono, sed à malo Deo, vt inter alios errores eorundem refert Antoninus 3. part. hist. tit. 19. cap. 1. Quæ omnia manifeste aduersantur Scripturæ Gen. 1. Item Psal. 145 v. 6. *Qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt.* Quod etiã habetur Act. 14. v. 14. Et Rom. 11. v. 36 *Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia.*

His positis, est Assertio I. Solius Dei velut causæ 3
principalis adeo proprium est creare, seu rẽ aliquam ex nihilo producere, vt id nec secundũ absolutã Dei

potentiã, creaturæ cõuenire possit. Ita docet S. Thomas cit. q. 45. a. 5. & consentiunt omnes Doctores, cũ Magistro in 2. dist. 1. excepto Durando ibid. q. 4. vbi affirmat, posse aliquã creaturam produci, cui velut principali agẽti natiua virtute cõueniat creare. Quæ sententia aperte aduersatur non solũ ceteris Scholasticis omnibus, sed ẽt SS. Patribus, contra Ariũ disputantibus, qui ex eo ẽt probant, Filium esse verũ Deũ, quia fuit principium creationis, per quod facta sunt omnia: vbi plane supponunt, nullam creaturã posse esse causam principalẽ creationis, ẽt secundum potẽtiã Dei absolutam. Vide Athanasiũ serm. 3 cõt. Arianos, Cyrillũ Alexandrinum l. 2. in Iulianum, Basiliũ l. 4. cont. Eunomium, Augustinũ lib. 9. de Gen. ad lit. & l. 12. de ciuit. c. 24. & l. 3. de Trinit. c. 8. Quo fit, vt opposita sententia Durandi non solum improbabilis, sed etiam non admodum tuta in fide existimetur.

4 Ceterũ rationem contradictionis hac in re ostendere, difficile est, vt videre est apud Gregoriũ de Valentia hic disp. 3. q. 2. pun. 4. Suarez Metaph. disp. 20 sect. 2. Vasquez disp. 175. c. 1. & 2. Albertinũ tom. 1. princ. 1. coroll. 17. Et quidẽ Suarez loc. cit. tandẽ fatetur, potẽ à posteriori, & ex ipso facto probari, hanc impossibilitatẽ, quã vlla ratione à priori. Eodẽ modo Gregorius de Valentia loc. cit. ait, se rationem hujus à priori nondum compertam habere, tamen propter scripturæ & Patrum auctoritatem, huic sententiæ adhærendum esse.

5 Mihi tñ satis firmæ videntur tres rationes S. Thomæ, quarũ prima sumitur ex ipso hic cit. q. 45. a. 5 & est talis Quia creare est producere rẽ non tm vt est in certo genere entis, puta hominis, lapidis, &c. sed etiã absolute, vt ens est Fit n. ex nihilo tota; ipsumq; adeo Esse, ẽt vt præcise Esse est, accipit per creationẽ: Debet ergo creans principali virtute, potestatem habere super ens creabile, vt tale est: atqui hoc est impossibile, vlli creaturæ; non solum quia non potest dari creatura suprema, qua nequeat esse perfectior, quæque adeo vim habeat producendi ceteras res omnes, sed etiam quia talis creatura deberet posse producere seipsam; cũ & ipsa sit ens creabile: hoc vero manifeste implicat cõtradictionẽ: Ergo & illud, ex quo sequitur.

6 Secunda ratio colligitur ex eod. S. Thoma q. 3. de potentia a. 4. quã ceteris præfert Albertinus loc. cit. à n. 25 Quia actio transiẽs, respectu principalis agẽtis, non potest habere altiorẽ modũ essendi, quam actio imanens eiusdẽ; cũ hæc sit potior, nobilior, & radix alterius: atqui impossibile est, vt actio imanens vllius creaturæ formaliter vt sic habeat esse per se subsistẽs, & independens à subiecto; cũ necessario sit accidens, nec dari possit vllũ ens creatũ, in quo non sit cõpositio actus & potentiæ, seu subiecti & accidẽtis, vt suppono ex dictis de simplicitate Dei disp. 2. q. 3. dub. 1. Ergo nec actio eiusdem transiens põt esse per se subsistens, & à subiecto independens: quod si dependens est, non potest esse creatio, vt patet.

7 Tertia ratio est eiusdẽ S. Thomæ hic cit. q. 45. a. 5. ad 3. Quia ad creandũ requiritur potentia agendi infinita; quæ impossibilis est creaturæ. Assumptũ probatur. Quia in agente tanto maior virtus requiritur, quanto potẽtia passiua est magis remota ab actu; minusq; ad actũ proportionata; cum ergo in creatione nulla penitus supponatur potẽtia passiua, nullaq; sit proportio inter nullam potentiã passiuã, & aliquam potentiã passiuã, quã agens naturale ad agendũ supponit, fit vt infinita virtus seu potentia in principio principali creationis requiratur. Oppugnat quidem hanc rationem Albertinus cit. tom. 1. princ. 1. corol. 17. num. 13. ratus, non requiri ad creandum virtutem infinitam in agente, sed actum purum; ex quo quidem infinitas infertur. Sed probabilitatem argumento non adimit.

Assertio II. Probabilius videtur, secundum absolutam Dei potentiam, posse creaturam assumi à Deo, & adhiberi, velut instrumentum supernaturale physicum ad creandum. 8

Hæc assertio non est certa, sed solum videtur probabilior, vt dictũ: est enim hæc res inter Doctores etiamnũ hodie admodũ cõtrouersa.

Etenim negatiuam sententiã tradunt, vt apparet, S. Thomas hic cit. q. 45. a. 5. & 2. cont. gẽt. c. 21. item Ferrariensis, Caietanus, & recẽtiores Thomistæ ibid. Albert⁹ in 2. d. 1. a. 7. Scot⁹ in 4. d. 1. q. 1. Richard⁹ dist. 5. Heruæus q. 2. quos sequuntur Gregorius de Valẽtia disp. 3. q. 2. pun. 4. Molina q. 45. a. 5. disp. 2. Fonseca 5. Metaph. c. 2. & Vasquez hic disp. 176. c. 2 & 3.

Ratio præcipua est. Quia putant, esse de ratione instrumenti physici, vt habeat in passo propriã, & sua virtute natiua actionẽ prætiam, quasi dispositiuã ad principalem effectũ; quæ non potest habere locũ in creatione, vt patet. Addit Vasquez c. 3. ex eodẽ fundamento, non esse vim seu potentiam obedientialem actiuam in Sacramẽtis, aut in humanitate Christi, ad gratiam physice producendam, nec in rebus vllis ad vllos effectus supernaturaliter producendos, nisi ad quos res ipsæ habeant connaturalem quandam proportionẽ: quæ tamen qualis sit, non potest explicari. 9

Quare in hac re proprie Philosophica, veriorẽ existimo contrariam sententiam affirmatiuã; quã olim tradiderunt Magister in 4. dist. 5. c. vlt. & S. Thomas ibid. q. 1. a. 3. quæstiun. 3. ad 4 & in 2. dist. 1. q. 1. a. 3. & tuentur Suarez Metaph. disp. 20. sect. 3. Albertin⁹ tom. 1. princ. 2. coroll. 1. n. 32. aliiq; recentiores cõplures. Fundamentũ est. Quia nulla potest ratio cõtradictionis adferri, nec ẽt vlla ratio à posteriori, qua probetur hęc impossibilitas. Allatas n. esse falsas, suppono ex materia de Incarnatione, & de Sacramẽtis, vbi de potentia actiua obedientiali ex Instituto agẽdum est. Quod si principia illa admitterentur, tũ nec verba Consecrationis possent esse instrumentũ Physicum transubstantiationis, nec vlla Sacramenta instrumenta Physica sui effectus; nec ignis infernalis instrumentum physicum ad cruciandos dæmones; quorum hoc refutauimus disp. præced. q. 6. dub. 6. illa autem falsa esse dicetur suo loco. 10

Accedit, quod si S. Thomas hic cit. q. 45. a. 5. accurate legatur & expendatur, vix possit aliũ sensum admittere, quam non posse dari instrumentũ creatum, quod habeat vim connaturalẽ, & sua natura ordinatã ad creationẽ; sicut calor habet vim ad producẽdũ ignẽ; de quo non est difficultas, vt recte Suarez loco citato. Ita n. inter alia habent verba S. Thomæ: *Causa secunda instrumentalis non participat actionẽ causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis. Sequitur nihil ibi ageret, secundum illud, quod est sibi proprium, frustrà adhiberetur ad agendum. &c.* Quæ verba non significant absolutam impotentiam; sed id quod iuxta rerum naturam fieri solet & potest. 11

DVBIVM III.

An & quomodo mundus corporeus cœperit; & an aliqua creatura per absolutam Dei potentiam potuerit esse ab æterno.

S. Thom. 1.p.q.46.aa.3.

IN hac re certum est primo, mundum corporeum aliquando cœpisse, nec vllam creaturam, prout reipsa actualiter existit extra suas causas, reipsa fuisse coæternam Deo, nec participata quidem æternitate, vt passim Scriptura & fides docet, & probatū est supra disp.2.q.5.dub.2.& q.8.dub.6. principue vero cōstat ex illo Gen.1.v.1. *In principio creauit Deus cælū & terrā*; vbi nomine *principii* significari principium tēporis (aliis interim bonis explicationibus non exclusis, iuxta Augustinū l.1.in Gen ad lit c.2.& S.Thomā hic q 46.a 3.) cōmuniter tradunt SS.Patres, & definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III.& refertur cap. *Firmiter*, de sum.Trinit.& fid.Cathol.

1

Eadē quoad mundi inchoationem fuit cōmunis sententia veterum Philosophorū, vt testatur ipse Aristoteles l.1.de cœlo tex.102. licet ipse variis locis,& constanter mundum ab æterno fuisse docuerit, vt videre est apud eund.lib.8.Phys.& l.1.de cœl.& l.2.de generat.& 12.Metaph, nec videtur dissentire Auerroes 8.Physic.& lib.1.de cœlo. Idē tribuunt Platoni Porphyrius, Iamblichus; Plotinus, Proclus, Apuleiꝰ, & alii: sed verius videtur, Platonē quoad hoc antiquis Philosophis adhæsisse, vt referunt Cicero in Tuscul. quæst. Laertius in vita Platonis, Philo Iudæus, Plutarchus, Aphrodisæus, & testatur ipse Aristoteles lib.8. Physic.c.1.tex.10.& satis colligitur ex ipsis Platonis libris, Timæo, Critia, & libris de Repub. si bene expēdantur. Nec desunt, qui etiā Aristotelem ab eo errore vindicare conētur; quasi solum ad hominē fuerit argumentatus, nec, nisi per motum, vt veteres dicebāt, mundum incipere non potuisse, demonstrare voluerit; in quibus est S.Thomas hic q 46.a.1.Albertus 8. Physic.tract.cap.1.Argentina in 2.dist.1.q.2.a.1.Sed Aphrodisæus, & veteres Interpretes repugnant, nec facile ipsa Aristotelis lectio, & tam fi equēs ac iterata repetitio eiusdem sententiæ eā explicationē admittit, vt recte notarunt Conimbricenses lib.8.Physic.c. 2.q.3.a.1.& sequitur Vasquez disp.177.cap.1.etsi contrarium sibi persuaserint Gregorius de Valentia disp.3.q.3.pun.1.& nonnulli alii.

2

Alius fuit error Platonis, & Platonicorum, qui saltē materiam Deo coæternam & ingenitam fuisse tradiderunt; quod ēt Pythagorici & Stoici tradiderunt, & secuti sunt multi hæretici, vt Marcion, apud Tertullianū lib.5.cont.eundē, & Hermogenes, apud eundē in proprio lib.cōt.Hermog vbi Tertullianus eos, qui ita senserunt, vocat *hæreticos materiarios*: item Manichæi, apud Gregorium Nyssenum lib.de opific.hom. c.23.& Augustinū hæresi 59.tametsi nullus hæreticorū mundum ipsum fuisse æternū docuerit, vt notarunt Gregorius de Valentia cit.disp.3 q.3.pun.1.& Vasquez disp.177.ca.1. Et vero præter alias rationes congruentiæ, adductas à Valentia loc.cit.quib. probatur, mundū non fuisse æternū, optimū ēt, & quasi morale argumentū sumitur ex eo, quod nulla extant antiquitatis monumenta, quæ superent memoriam quinq; vel sex milliū annorum. Etenim ex historiis profanis vetustissima creditur esse ea, quam Berosus Chaldæus conscripsit, quæ tū non excedit memoriā diluuii Noetici, vt testatur Ioseph.l.1.cōt.Apionē. In sacris antiquissima est Moysis, vt ostendunt Iosephus ibidē, Iustinus Apolog.2 Clemens Alexandrinus l.1. Strom. Tertullianꝰ in Apologet.c.19. Augustin.l.18. de ciuit.c.37. Et ea tū ipsa Moysis historia, memoriā solum mille ducentorū & 50 circiter annorum ante diluuiū, & in ea ipsam quoq; mundi originē cōplexa est. Cum aūt à diluuio vsq; ad hoc tempus secundum Chronologiā Hebræorum, non fluxerint plures, quā ter mille nongenti & viginti octo anni; vel secundū Chronologiam LXX. Ecclesiæ & SS. Patribus magis vsitatam, quater mille, quadringenti, octoginta, & aliquot anni: necessario sequitur, non habere nos historiam antiquiorem, quam sit memoria annorum quinquies mille, quingentorum, octoginta quatuor, vel secundum aliam Chronologiam annorum quinquies mille, sexcentorum, octoginta & aliquot annorum. Rationes vero Aristotelis, Auerrois, Procli, & aliorum pro æternitate mundi facile dissoluunt S. Thomas hic q.46. a. 1. & lib. 2. cont. gent. c.31.& fuse Pererius lib. 15. Physic.

3

Secundo certū est, mundum corporeū cœpisse cū aliqua duratione creata, intrinseca & propria, siue ea fuerit æuum; siue tēpus proprie sumptum; prout nimirum aut Philosophi varie sentiūt de duratione rei corporeę permanentis; vel prout etiā de primo statu mūdi creati, ipsiusq; tēporis initio varie licet philosophari, vt dicetur dub.seq. Ex quo interim supponimꝰ, simul cū mundo corporeo incepisse tēpus, mundūq; adeo creatū fuisse initio veri ac proprii tēporis. 4

His positis, celebris est controuersia, an saltem per absolutam Dei potentiam mundus, aut vlla omnino creatura potuerint esse ab æterno. De qua re sunt vniuersim sex Philosophorum & Theologorum sententiæ. Prima absolute affirmat, potuisse mundum ab æterno produci, quoad omnes suas partes. Ita Ariminēsis in 2.dist.1.q.3. Gabriel ibidē, Ockā in 2 sent.q. 8.& quodl.2.q.5.aliiq; Nominales; & quoad res permanētes cōsentiunt; quoad successiuas a. problematice defendunt Conimbricēses l.8.Physc.2.q.6.& 7. 5

Secunda absoiute negat vllam creaturam potuisse esse vel produci ab æterno. Ita docēt Guielmus Parisiensis 1.parris de vniuerso part. 2.cap.8. Albertus in sum.part.2.tract.1.q.4.mem.2.& in 2.sent.dist.1. art.10. Henricus Gandauensis quodlib.1.q.7.& 8. Marsilius in 2.q.1.a.2. quos sequitur Toletus lib. 8. physic.q.2. & Murcia lib. 8. Physic. disp. 1.

Tertia sententia est Bonauenturæ in 2.dist.1.a.1. q.2.vbi negat, potuisse vllam creaturam ab æterno produci ex nihilo; tametsi concedat simul, potuisse ab æterno produci ex materia Deo coæterna & ingenita, si qua nimirum talis daretur. Quod est dicere absolute loquendo, non potuisse ab æterno produci.

Quarta sententia est, potuisse produci ab æterno quoad partes permanentes, non autem quoad successiuas. Ita Durandus in 2.dist.1.q.2 & 3. & sequitur Vasquez hic disp. 177. cap.3. & Ruuius Physic. quæst.2.& 3.

Quinta sententia est, potuisse mundum produci ab æterno, quoad omnes res, cum quarum æterna duratione non sit coniunctum aliquod infi- 6

nitum

nitum secundum omnes suas partes actu existens; non aût quoad aliquam rem, cum qua sit coniunctũ eiusmodi infinitum actu; seu quod idem est, potuisse mundum cũ omnibus suis rebus tã permanentibus, quã successiuis esse ab æterno, modo ne simul ponatur aliquid, ex quo eiusmodi infinitum sequatur; vti V.G. sequeretur, si fuissent generationes humanæ ab æterno; tunc enim simul actu existerent infinitę animæ. &c. Ita docet S. Thomas hic q. 46. art. 2. vbi ait: *Mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile. Et hoc*, inquit, *vtile est, vt consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare præsumens, rationes nõ necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere, quæ fidei sunt.* Idem prosequitur fusius in solutionibus argumentorum, præsertim resp. ad 8. Idem docent Heruæus in 2. dist. 1. q. 1. Capreolus in 2. dist. 1. q. 1. Sonzinnas 12. Metaph. q. 31. Caietanus hic cit. a. 2. & fere Sotus lib. 8. Physic. q. 2.

7 Sexta sententia est, etsi quidem consulendo rationẽ naturalẽ, & argumenta hactenus ex ea deprõpta, nõ possit demonstrari impossibilitas æternitatis mũdi, saltem quoad res permanentes; tñ perpendendo simul, vt par est, authoritatem SS. Patrum, absolute sentiendum, mundum quoad nullã omnino rẽ potuisse esse ab æterno; ac proinde existimandum esse, huius impossibilitatis subesse aliquam rationem, licet ea nondum satis comperta videatur. Ita docet Gregorius de Valentia hic disp 3 q. 3. pun. 2.

8 Assertio I. Impossibile est, ẽt secundum absoluram Dei potentiã, vt ẽtiã intrinsece successiua, qualia sunt tempus & motus, fuerint ab æterno. Ita sentiunt Authores 2. 3. 4. & 6. sententiæ; quo fit, vt hęc assertio sit cõmunis Doctorum, quam fere omnes ẽt recentiores sequuntur, teste Ruuio. Probatur, præter ea, quæ dicuntur pro assertione 2. & 3. Primo. Quia impossibile est, vt sit æternum, de cuius ratione intrinseca est habere esse, post non esse: talia sunt entia successiua: Ergo. Maior patet. Minor probatur. Quia est de ratione intrinseca motus, vt supponat suum subiectum etiã prius duratione existens: siquidem est de ratione motus, vt ratione illius subiectum nunc aliter se habeat, quam prius; & impossibile est, cogitare motum esse, quod nunc & in omni duratione antecedẽte eodem modo se habuit. Et cum tempus sit numer9 aut duratio motus, eadem ẽt ratio procedit de tempore.

9 Secundo. Quod necessario successiue producitur, nõ potest esse ab ęterno: sed omne ens intrinsece successiuũ, vt tempus, motus, necessario successiue producitur: Ergo. &c. Maior tanquam extra controuersiam posita tribuitur S. Thomæ hic q. 46. a. 2. ad 1. à Valentia cit. pun. 2. notab. 4. & probatur. Quod enim successiue producitur, necessario tempore est posterius causa producente; quandoquidẽ ad eius productionẽ requiritur successio, quæ non potest esse sine mora. Minor videtur per se nota; quia impossibile est, vt simul producatur (productione transeunte) quod intrinsece successiuum est; quin eo ipso & simul esset, cum simul producatur; & non simul esset; quia est ens successiuum.

Tertio. Ad cuius existentiam necessario requiritur mora, impossibile est, vt sit ab æterno: sed ad entis successiui existentiam necessario requiritur mora: Ergo. &c. Maior & minor constant ex dictis.

Quarto. Si entia successiua, vt motus & tempus, fuissent ab æterno, tunc daretur infinitum actu; nimirum infiniti dies, infinitæ circulationes actu in rerum natura positæ. Sed consequens est impossibile, ex dictis supra disput. 2. q. 4. dub. 2.

Quinto. Aut tempus ponitur ab æterno, secundũ se totum, vel secundum aliquam tm̃ sui partem: neutrum potest dici. Non primũ; quia alias omnes partes temporis fuissent inter se coæternæ, adeoq; simul; quod est impossibile; cũ necessario vna sit alterâ posterior. Nec secundum; tum ob dictam causam, quia argumentum pariter procedit de qualibet parte tẽporis. Tum quia per se absurdum est, vt pars tẽporis diutius durauerit, quã totum tempus. Atq; hæc meo iudicio euidenter probant positam assertionem. 10

Assertio II. Impossibile item est, secundum rationẽ 11
naturalẽ, vt mundus fuerit ab æterno, quoad res permanentes. Ita sentio cum Auctoribus secundæ sentẽtiæ, à qua reipsa non dissentit Bonauentura, vt dictũ: eademq; plane est sententia SS. Patrum, vt sequenti assertione dicetur. Probatur. Primo, quia nulla creatura, etiam permanens, potuit esse ab æterno, nisi per creationem, seu productionem ex nihilo; aut saltem præsupposita secundum naturã creatione alicui9 ex nihilo, vt omnes fatentur: sed impossibile est, vt per creationẽ ex nihilo aliqua creatura fuerit ab æterno: &c. Ergo. &c. Minor probatur. Quia, vt dictũ dub. 1. in definitione creationis, vocula *Ex nihilo*, significat terminum à quo intrinsecum ipsius creationis; vt cũ S. Thoma ibidem, & cõmuni Theologorum docet ẽt Vasquez disp. 172. c. 3. n. 12. Atqui in omni mutatione vel productione, terminus à quo debet natura vel tempore præcedere terminum ad quem, seu existentiam eiusdem, vt fatentur omnes: Ergo etiam in præsenti Nihilũ rei debet natura vel tempore præcedere existentiam rei creatæ: quod libenter ẽt cũ Marsilio in 2. q. 1. a. 2. Bonauentura in 2. dist. 1. a. 1. q. 2. & a. 3. q. 1. Scoto in 2. dist. 1. q. 2. adeoq; cõmuni Doctorũ, fatetur Vasquez loco citato: atqui impossibile est, vt Nihilum rei præcedat solum natura, & non ẽt duratione ipsam existentiam rei creatæ: Ergo debet ẽt tẽpore antecedere rẽ creatã: ac proinde impossibile est, vt res aliqua creetur, seu producatur ex nihilo ab æterno. Duæ cõsequentiæ posteriores sunt manifestæ.

Assumptio, vnde tota vis argumenti pendet, pro- 12
batur. Quia vt Nihilũ natura antecedat, non satis est, vt res aliqua ex se ac sua natura nihil futura fuisset, nisi à Deo præueniretur; hoc n. non est natura prius rẽ fuisse nihil, sed futurã fuisse nihil, nisi præueniretur; vti ex terminis patet: sed necesse est, vt à parte rei Nihil ipsius rei fuerit saltem natura prius, quã res esset: at vero impossibile est, & manifestã in terminis contradictionem inuoluit, vt Nihil ipsius rei vere præcedat, seu existat, & solũ sit natura, & non ẽt tempore vel duratione prius, quam res ipsa: tunc n. Nihil rei, & res ipsa, simul esse deberent in eodem instanti temporis vel durationis, quod est impossibile; Ergo impossibile est, vt Nihilum rei præcedat solum natura, & non etiam duratione existentiam rei creatæ.

Idem docent in simili, qui recte philosophantur, 13
de priuatione ad generationem prænia; nempe priuationem in omni generatione naturali, de qua locutus est Aristoteles, & ad quam velut Principiũ requisiuit priuationem, necessario & natura, & tem-

pore antecedere instans generationis; quod si per creationem simul producatur materia cũ forma, eius generationis seu productionis principium non esse priuationem in materia; nec de hac productione locutum esse Aristotelem. Eademque est communis & solidissima ratiocinatio SS. Patrum contra Arianos, vt inferius dicetur assert. 3.

14 Duo solum contra eã obiici possunt: primo, quod iuxta Anselmum in Monolog. c. 8. S. Thomam hic q. 46. a. 2. ad 2. & Durandum loc. cit. vocula, *Ex nihilo*, in definitione creationis, accipi potest etiam negatiue dumtaxat; vt sensus sit, Non ex aliquo, seu ex nullo subiecto præsuppositio; quod verificari potest, etiamsi nunquam præcesserit Nihilum, velut terminus à quo, nec naturâ, nec tempore.

15 Respondeo, hanc non esse sufficientẽ, & adæquatã explicationẽ eius vocis, vt ex S. Thoma dictũ dub. 1. non solum quia hac ratione ẽt generatio æterna Filii esset creatio; quia est ex nullo subiecto; nec omnino ex aliquo secundũ durationẽ præsuppositio; sed etiã quia cum omnis creatura sit ex se ac sua natura nihil, debet ipsa per creationem (quando fit tota simul) ex suo quasi nihilo extrahi; ita vt terminus à quo, sit ipsũ nihil eiusdẽ rei. Quo posito, infallibiliter sequitur, nihil, & non esse ipsius rei debuisse ẽt tempore antecedere creationẽ; sicut vniuersim terminus à quo nõ solum natura, sed ẽt tempore antecedit productionẽ instantaneam & existentiam termini ad quem: licet non ideo, quicquid altero natura prius est, etiam tempore sit prius, vt patet in substantia solis, respectu lucis ex ea emanantis.

16 Secundo obiici potest instãtia desumpta à personis diuinis. Quia si hoc argumentũ aliquid probaret, simul probaret etiam, productionem Filii in diuinis esse debere à non esse Filii, velut termini à quo, tempore vel natura prioris ipsa productione eiusdem: quo posito, pariter concludetur, Filium non fuisse coæternum Patri; quod est contra fidem.

Respondeo, esse manifestam disparitatem inter Filium Dei, & creaturas: quia cũ existentia sit de ratione & essentia Filii, non potest in ipso nuda essentia secundum ordinẽ naturæ prior esse existentia; at proinde nec potest eius productio habere terminum à quo, Non esse Filii; sed ea potius est nuda & simplex emanatio sine termino à quo: qua de causa ẽt SS. Patres contra Arianos tantopere pugnabant, Filiũ non esse ex non entibus, seu ex non Ente; sed esse ex essentia Patris, non vt hæc dicat terminum à quo, sed Esse intrinsecũ; sola origine, nõ natura præexistens in Patre, vt suo loco dictum disp. 4. q. 1. dub. 7. & 8. Aliter se hic res habet cum creaturis, vt dictum.

17 Secundã rationem ita formo. Nulla res creata potuit produci ab æterno, nisi eius productio absolueretur & finiretur in instanti conceptibiliter indiuisibili, & coexistente æternitati: sed hoc est impossibile: Ergo. &c. Maiorem primum declaro. Voco n. instans conceptibiliter indiuisibile, quod nullã penitus nec actualem, nec virtualem habet extensionem, sed in genere seu ratione durationis penitus indiuisibile est, ita vt nullam inuoluat motam seu durationem, siue permanentem, siue successiuam; cuiusmodi est instans nostri temporis.

18 Hoc posito probatur maior. Quia si productio illa creaturæ nõ absoluitur & finitur in tali instanti; ergo non finitur nisi in aliqua duratione longiori, quã sit tale instans; ac proinde indiget mora, ad hoc vt finiatur & perficiatur: Ergo impossibile est, vt sit æterna seu ab æterno; quandoquidem nihil potest esse æternum, quod ad sui productionem & existentiam moram requirit, vt supra etiam de rebus successiuis argumentati sumus.

Nec obstat, quod tale instans, cum sit instans temporis, quod antea probauimus æternũ esse nõ posse, non sit possibile, adeoq; nec cogitabile in æternitate. Primo n. instans eiusmodi indiuisibile etiam esse potest in re, quæ non mensuratur tempore nostro, sed æuo, aut tempore discreto, vt agendo de Angelis, & Angelicis operationibus diximus, & communiter omnes admittunt; & sane cum aliqua creata duratio in re ab æterno creata admitti debeat, necessario admitti debent eiusmodi instantia eiusdem durationis saltem conceptibilia. Secundo cum instans ẽt temporis nostri non sit res successiua, sed permanẽs, hoc est, tota simul, quid nî ab Authoribus oppositæ sententiæ, qui fatentur res permanentes potuisse esse ab æterno, concedatur etiam, eiusmodi instans esse potuisse ab æterno? Tertio deniq; quæramus saltem per impossibile, de hac propositione conditionata; si instans eiusmodi fuisset possibile, aut cogitabile ab æterno, an tunc in eodem instanti perfecta fuisset creatio illa rei permanẽtis; certe negari id nullo modo potest, ob factum superi⁹ discursũ. Cõstat ergo Maior. 19

Minor propositio probatur primo; quia tunc res creata habuisset principium durationis; Ergo non fuisset æterna. Antecedens probatur. Quia quicquid est, aut producitur in primo instanti suæ durationis, seu quod idem est, cuius rei productionis seu existẽtiæ primum instans est assignare, illa res habet principium durationis; sed ex hypothesi, si res, de qua agimus, producta fuisset in instanti modo superi⁹ explicato, producta fuisset in primo instanti; quia illud est primum instans durationis, ante quod non est aliud, & post quod tamen sequitur duratio maior: ante illud vero instans productionis, cum ponatur ab æterno, non fuisset aliud; Ergo fuisset primum. 20

Secundo probatur eadem Minor. Quia si productio illa ab æterno fuisset absoluta vnico ei⁹ modi instanti indiuisibili; tunc ipsum etiam eiusmodi instãs indiuisibile, in quo res ponitur producta, saltem cõceptibiliter fuisset ab æterno, adeoq; æternũ: sed hoc manifeste est impossibile, & inuoluit contradictionem: quia hoc ipso, quod tam formaliter, quam virtualiter est indiuisibile; nequit coexistere vlli durationi, multoque minus æternitati. 21

Potest ẽt eadem ratio in alium modũ conformari, vt hæc sit ratio tertia; Si creatio vllius rei permanentis ab æterno fuisset possibilis, tum ea non potuisset finiri, nisi lapsũ totius æternitatis à parte ante; consequens est impossibile: Ergo &c. Maior probatur. Quia ponatur quodcunq; tempus seu duratio finita, ante lapsum totius æternitatis à parte ante; quæro vtrum supersit tempus seu duratio finita, an infinita, post finitam creationem: non finita; quia cum antea etiam præcesserit solum finita duratio ex hypothesi, sequeretur hoc ipso rem solum fuisse tẽpore seu durationẽ finita; imo etiam ipsam æternitatẽ, qua ponitur duxisse res creata, solum fuisse durationem vndiquaq; finitam; quia ex duabus durationib⁹ finitis, 22

non

non potest fieri infinita duratio, vt patet. Nec dici potest, supereſſe infinitam durationē: quia ex hypotheſi, ea duratio ſupponit aliam priorem durationē, in qua res fuit creata: Ergo impoſſibile eſt, vt duratio, quæ ſupereſt, ſit infinita. Quare cum creatio rei non potuerit finiri tempore finito, neceſſario ſequitur, eā non potuiſſe finiri, niſi lapſu totius æternitatis à parte ante, vti propoſitio maior affirmabat.

23 Minor autem, nempe hoc ipſum eſſe impoſſibile, probatur ex dictis; quia ſic creatio illa rei indiguiſſet mora & lapſu totius æternitatis; ac proinde hoc ipſo non potuiſſet eſſe æterna; quandoquidē non potuit exiſtere prius, quam eſſet producta; nec vero potuit etiam eſſe producta ex dictis, niſi in termino totius æternitatis: ſiquidem productio ſolum finita & perfecta eſſe poterat, poſt lapſum, adeoque in termino totius æternitatis antecedentis.

24 Aduerſus vtramq; hanc rationem hoc ſolum videtur obiici poſſe; quod ſi aliquid probaret, probaret ēt nec productionem ſeu generationē filii potuiſſe eſſe æternam: quia pariter applicari poteſt ratio; eam nō potuiſſe eſſe niſi inſtantaneam, aut finitam primum poſt lapſum totius æternitatis: ex quo ſequitur, non potuiſſe eſſe æternam.

25 Reſpondeo, negando totum aſſumptum: quia eſt diuerſiſſima ratio, quoad hoc, generationis æterni filii, & æternæ productionis creaturæ; primū ex parte ſubiecti; quia creatura, vtcunq; fuerit æterna, eſt tamen mutabilis, & natura ſua defectibilis; Filius æternus nequaquam: ſecundo ex parte durationis; quia creatura non potuit intrinſece durare & exiſtere per ipſam increatam & immutabilem durationem æternitatis; ſed ſolum per creatam aliquam, adeoq; hoc ipſo mutabilem durationem: tertio ex parte productionis; quia productio ſeu creatio creaturæ, quantumuis ęterna, ponitur ſua natura, ac reipſa ēt finita, productio vero ſeu generatio Filii, cū ſit immanens in Deo, ac ipſa entitas Deitatis, ex ſe ac natura ſua penitus immutabilis eſt, nec vnquam poteſt ita eſſe perfecta, vt ſit finita ſeu terminata. Quo fit, vt ei nequaquā poſſit applicari ſupradicta ratio, eam ſcil. aut eſſe inſtantaneam, aut non niſi lapſu æternitatis perfectam & finitam; ſed eſt ac fuit ſemperq; ac neceſſario erit in omnem ęternitatem interminabiliter ac perpetuo perfecta, ſed nunquam finita; nec opus habet ad ſuam perfectionem lapſu æternitatis: quia intrinſeca ipſi⁹ æternitas, cum ſit infinita, increata, immutabilis, & interminata, nunquam labitur, ſed ſemper eſt eadē; idemq; in illa eſt fieri & eſſe, perfici & perfectā eſſe, ſemel eſſe ac ſemper perpetuoq; eſſe: quod tamen in creatura eo ipſo, quod neceſſario ac intrinſece mutabilis eſt, nec exiſtere poteſt intrinſece niſi per creatam aliquam & natura ſua mutabilem durationem, ſiue exiſtentiam, longe ſecus accidit, vt dictum: vt proinde in productione creaturæ recte procedat argumentatio, ſed non in æterna filii Generatione.

26 Atq; hæ tres rationes, omiſſis aliis, quas nihil attinet examinare, ad propoſitum mihi videtur ſufficere: nec meo iudicio ſunt minus efficaces, quam quibus probatur exiſtentia Dei. Neq; opus eſt, vt fidem noſtram, de initio mundi his rationibus fulciamus; quando ea longe firmiori fundamento nititur; & aliud eſt, mundum reipſa non fuiſſe ab æterno productum, quod eſt de fide, aliud non potuiſſe ab æterno produci, quod non eſt de fide, ſed extrinſece ſolum confirmare poteſt propoſitionem priorem de fide, quod adeo non eſt improbandum, vt ſit etiam magnopere laudandum, ac nonnunquā poteſt eſſe neceſſarium, aut ſaltem valde opportunū apud eos, qui fidem & fidei principia nondū admittunt. Alioquin etiam S. Thomas nullam debuiſſet rationem naturalem adhibere ad probandam exiſtentiam, aut infinitatem, vel ſimplicitatem Dei, aliaque attributa diuina, quod tamen, vt ſuo loco diſp. 2. vidimus, accurate ipſe & diligenter præſtitit.

Aſſertio III. Sed etiam iuxta SS. Patres fatendum 27
eſt, impoſſibile eſſe, vt mundus, ſiue quoad res permanentes, ſiue ſucceſſiuas, fuerit ab æterno. Hæc aſſertio contra Vasquez eſt non ſolū Gregorii de Valentia ſupra, ſed etiam omnium aut horum ſecundæ, & tertiæ ſententiæ; imo etiam ipſius S. Thomæ loc. cit. qui ſolum negat, id poſſe probari ex ratione naturali euidenti, non autem ex principiis fidei, vel auctoritate Patrum. Probatur ipſis Patrum teſtimoniis, quibus ſane quidem meo iudicio non ſatisfacit Vasquez cit. diſp. 177. c. 3. Etenim Baſilius lib. 2 cōt. Eunomium ante med. ait: *Nos eiusdem dementiæ eſſe putamus, & creaturæ æternitatis teſtimonium præbere, & creaturæ Dominum hac confeſſione priuare.* Vbi notandum, non dicere, eſſe eiusdē falſitatis, aut erroris, aut infidelitatis, ſed *dementiæ*; quæ non poteſt niſi illi dicto tribui, quod ipſi ēt rationi naturali aperte aduerſatur, vti & adiunctum exemplum, cum quo Baſilius rem præſentem comparat, aperte demonſtrat.

Ambroſius lib. 1. hexaem. cap. 3. *Quomodo*, inquit, 28
coæternum Deo mundum aſſerunt, & creatori omniū ſociant, atq; æqualem (duratione) *eſſe diſputant creaturam?* Vbi contra Philoſophos diſputans, ex ipſa ratione creaturæ ſuperius expoſita, argumentum ſumit, ad probandam impoſſibilitatem æternitatis mundi.

Auguſtinus lib. 12. de ciuit. cap. 15. de Angelis lo- 29
quens ait: *Quomodo creati dicendi ſunt, ſi ſemper fuiſſe intelliguntur?* Vbi rurſum æternitatem cum ratione Creationis pugnare ſentit. Et multo apertius lib. cont. Felicianum Arianū ante med. ita definit Creaturam: *Creatura eſt ex eo, quod aliquo non eſt, aut aliquā do non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in ſe eſt* (niſi videlicet à Deo ſuſtentaretur) *Patris omnipotentis Dei voluntate facta ſubſtantia.* Et ſubiungit: *Hæc definitio vtrum in Dei cadat Filium, videamus.* Vbi plane vides, iuxta Auguſtinum, rationem ipſius Creationis & creaturæ depoſcere præuium *nihil*, ex quo creatura produci debuit, vt in prima ratione primæ aſſertionis argumentati ſumus.

Deniq; Damaſcenus lib. 1. fid. cap. 8. *Naturâ*, in- 30
quit, *minime comparatū eſt*, (quaſi dicat, minime patitur) *vt quod ex nihilo in ortum producitur, eandem cum ſuo principio æternitatem habeat.* Et ibidem: *Creatio cum à voluntate proficiſcatur, Deo profecto coæterna non eſt.* Vbi tum ex eo, quod creatura eſt ex nihilo, tum quod voluntarie à Deo producta eſt, probari putat Damaſcenus, eam non poſſe ſuo principio eſſe coæternam. De cuius tamen poſteriore ratione nihil diſputo; ſatis eſt ad propoſitum, hanc eius fuiſſe mentem, vt exiſtimaret, æternitatis poſſibilitatem repugnare naturali rationi.

Digitized by Google

DVBIVM IV.

An & quo ordine, siue successione temporis, ac dierum, mundus corporeus à Deo sit productus: & quandonam cœperit tempus & mundus.

S. Thomas 1. p. q. 66. a. 4. & q. 74. aa. 3.

1 QVæstio est, an mundus corporeus, & totum opus hexaemeron, cuius productio Genes. 1. narratur, fuerit simul, & in eodem instanti, an verò successiuè per plures dies ordine sibi succedentes productum. Et quamuis Sanctus Thomas primum q. 74. art. 2. post opus sex dierum sigillatim explicatum, eam quæstionem pertractet, quia tamen ad rationem genericam eius operis cognoscendam pertinet, meritò ac necessariò prius explicanda est, vt benè etiam notauit Gregorius de Valentia disput. 5. quæst. 2. punct. 2.

2 Sunt autem hac de re, vt notauit ibidem S. Thomas, duæ SS. Patrum & Doctorum sententiæ. Prima docet, simul ac eodem momento facta fuisse omnia, quæ per sex dies producta fuisse narrat Moyses. Huius sententiæ præcipuus author est Augustinus l. 1. super Genes. ad lit. c. 15. & lib. 4. c. 34. & lib. 5. cap. 4. & 5. & l. 11. de ciuit. c. 9. & alibi sæpe. Idem docent Philo lib. de allegor. leg. Mos. Procopius in c. 1. Genes. & Caietanus ibidem, & Canus apud Molinã hic disp. 1. & fauet Origenes lib. 4. peri archon. c. 2.

3 Sed qui tamen varie senarium illum dierum numerum interpretãtur. Augustinus h. diem eo loco vult significare cognitionem Angelicã, prout ad vnumquodq; opus alicui diei assignatum terminatur; quia nihil Deus produxit in rerũ natura, quod non impresserit menti Angelicæ; ac proinde sex dies nihil vult aliud esse, quàm cognitionem Angelicã ordine quodam, non temporis, aut durationis, sed rationis, fundato in ipso naturali rerum ordine, ad sex illa diuersa rerum genera, & opera terminatam. Mane autem cuiusq; diei vult esse cognitionem rerũ in Verbo; aut certè cognitionem rerum in suo genere, relatã ad laudem creatoris; vesperã autem, cognitionẽ earundem rerum in proprio genere absolutè.

4 Philo senario illo dierum numero solum vult significatam conditarum rerum perfectionẽ, quæ senario numero denotari solet. Procopius ait, ideò per sex dierum interualla fuisse adumbratum opus creationis, vt faciliùs à rudi populo intelligeretur. Caietan⁹ & Canus dicũt, id fecisse Moysẽ, vt eâ re ostenderet naturalem ordinem, & consequentiã productarum rerum talem esse, vt si successiuè producendę essent, non possent comodiùs, quàm tali ordine produci. Addit tamen Augustinus l. 6. super Gen. ad lit. c. 5. & 6. non omnia, quæ à Moysẽ narrantur, simul fuisse producta in seipsis, sed quædam tantum quasi potentialiter in suis seminib⁹, nimirum illa, quæ tertio, quinto, & sexto die facta narrantur.

5 Secunda & communis Patrum sententia, vt videbimus, docet, opera illa sex dierum, quæ à Moysẽ narrantur, planè successiuè, proprijs ac diuersis sex diebus sibi succedentibus, vti litera ipsa sonat à Deo fuisse perfecta. Atque has duas opiniones referens S. Thomas cit. q. 74. a. 2. ait, illas quidem, *si referantur ad expositionem literæ Genesis, magnam diuersitatem habere: si verò referantur ad rem significatam, seu ipsum modum productionis rerum, non multum differre.*

6 Quia quamuis S. Augustinus doceat, omnia opera sex dierum facta esse simul, ea tamen non ita explicat, sicut alij Patres. *Nam primò Augustinus per terram & aquam prius creatam intelligit materiam totaliter informem; per factionem autem firmamenti, & congregationem aquarum, & appositionem aridæ, intelligit impressionem formarum in materiam corporalem. Alij verò Sancti per terram & aquam primò creatas, intelligunt ipsa elementa mundi, sub propriis formis existentia.* Ita S. Thomas cit. a. 2. Conueniunt ergo vtrique in hoc, quod cælum & terra, omniaque elementa simul eodemq; die fuerint creata. Neque enim Augustinus materiam informem putauit duratione antecessisse reliquum corpus, sed solùm naturâ, vt rectè notauit Molina disp. 1. de oper. sex dierum, & ipsemet Sanctus Thomas q. 66. a. 4. & q. 69. art. 1.

7 Deinde, cũ inter opera sex dierũ referuntur plantæ & animalia tertio, quinto, & sexto die producta, Augustinus non intelligit, ea producta fuisse in se, sed solùm in suis principijs & elementis vt dictum; actu verò ac formaliter in seipsis fatetur posteà primùm fuisse producta. Quò fit, vt in eo vtriq; conueniant, mundum totum substantialiter, & quoad suas partes essentiales, hoc est, elementa, fuisse simul à Deo producta; vtcunque interim in numero dierum, & proprio vnicuique diei opere assignando, inter se dissentiant, vt dictum.

8 Ex quo concludit S. Thomas ibidem, *in hoc quod Augustinus ponit opera sex dierum simul esse facta, sequi eundem* (reipsâ) *modum productionis rerum. Nam secundum vtrosque in prima rerum productione*, (primo die factâ) *materia erat sub formis substantialibus elementorum; & secundum vtrosque in prima rerum institutione, non fuerunt animalia & plantæ in actu.*

Sed remanet, inquit S. Thomas, *differentia quantum ad quatuor. Quia secundum alios sanctos, post productionem creaturæ, fuit aliquod tempus, in quo non erat lux. Item in quo non erat firmamentum formatum. Item in quo non erat terra discooperta aquis. Et in quo non erant formata cæli luminaria; quod est quartum: quæ non oportet ponere secundum expositionem Augustini.* Ita S. Thomas: qui denique de vtrâque sententiâ iudicium ferens, *neutri* censet *præiudicandum, sed vtriusque rationibus respondendum*, vti mox ibidem facit.

9 At verò saluâ vtriusq; tanti Doctoris authoritate, planè dicẽdum existimo, opera illa sex dierum, qualiacunque demum illa sint, non simul ac eodem instanti temporis, sed successiuè, sex dierum succedentium spatio fuisse à Deo producta. Hæc est communis sententia SS. Patrum, vti fatetur S. Thomas loc. cit. quam speciatim tradunt Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Strabus, Beda & alij in c. 1. Genes. item Gregorius Nazianzenus oratione 43. in Theol. Hieronymus in quæstionibus hebraicis super Gen. Gregorius lib. 32. Moral. c. 10. Rupertus Tuitiensis l. 1. de operibus Trinit. c. 37. Eadem quoq; est communis ac receptissima sententia Scholasticorum cum Magistro in 2. dist. 12. & 15. vbi affirmat, hanc sententiam.

tentiam *magis approbari ab Ecclesia Catholica*. Eandem è recentioribus Theologis fortiter propugnant Molina 1. part. tract. de opere sex dierum, disp. 1. Gregorius de Valentia cit. disp. 5. q. 2. punct. 2. Pererius tomo 1. in Genes. lib. 1. disput. penult.

10 Probatur primò ex aperto contextu Genes. c. 1. vbi apertè ac disertè, verbisque repetitis, singuli dies ordine recensentur, primus, secundus, tertius, vsque ad sextum; & singulis proprium ac peculiare opus à Deo productum tribuitur: adeò vt nec posset quidem clarius idipsum doceri. Cum verò iuxta ipsius Augustini regulam lib. 8. de Genes. ad lit. scriptura propriè intelligenda sit, quando sine absurdo potest, (vti sanè in proposito optimè posse, docebit tota disputatio sequens,) ita hoc inprimis necessarium est, in historicâ narratione; & eâ quidem maximè, quæ pro simplici rudique populo conscripta est; vti est historia Geneseos, à Moyse pro populo Israëlitico inprimis conscripta: cui quid attinebat metaphoras, adeò remotâ, obscura, & longè petitâ, & vix summis ingenijs intelligibili, ipsius tam variæ Angelicæ cognitionis (cum præsertim de Angelis eorumque productione nihil vspiam à Moyse apertè commemoratum adhuc esset) rem alioqui in se planam, velut Cymmerijs tenebris inuolutam proponere?

11 Secundò pugnat opposita sententia cum nonnullis, quæ particulatim in eâ narratione à Moyse referuntur; Vt v. 2. quòd *tenebræ essent super faciem abyssi*: vbi apertè docetur; ante creationem lucis, aliquanto tempore præcessisse tenebras; vt magis patebit quæstion. seq. quod tamen iuxta Augustini sententiam, dici non potest, vt fatetur Sanctus Thomas, & magis patebit quæst. seq. Item quòd versu nono dicitur. *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*; vbi rursum apertè significatur, terram anteà fuisse aquis coopertam. Omitto quod versu secundo dicitur, *terram fuisse inanem & vacuam*; vt proinde plantæ, arbores, & animalia non potuerint vnà cum terrâ esse producta: nam vt anteà notauimus, ipse Augustinus fatetur, hæc in se non fuisse simul cum terrâ producta: etsi hoc faciat contra alios, pro oppositâ sententia relatos, qui in hac parte Augustino non consentiunt.

12 Tertiò pugnat ea sententia cum alijs Scripturæ testimonijs, quibus de sex diebus creationis ac sabbato fit mentio. Vt Genes. 2. versu 2. *Complenitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo.* Item Exodi vigesimo versu octauo. *Memento vt diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini tui est: non facies omne opus in eo, &c. Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei sabbathi, & sanctificauit eum.* Et Exodi 31. v. 16. *Custodiant filij Israel sabbatum, &c. sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in septimo ab opere cessauit.* Ex quibus verbis triplex argumentum sumitur ad propositum. 1. Quia dies septimus sabbati, planè significat aliquam durationem à reliquis diebus, seu durationè reliquorum dierum, quomodocunque explicentur, distinctam; non enim fieri potuit, vt Deus in eodem momento crearet mundum, & ab hac creatione quiesceret: Ergo & dies sex illi inter se durationè distinguuntur. 2. Quia dies sabbati, tanquam dies quietis, non rectè opponitur sex alijs diebus, si Deus in ijs nihil distincti operis fecit; neque ratio erat, cur ideò dies septimus festiuus indiceretur, si sex veri dies operum non antecesserunt. 3. Imò non potuit septimus dies esse sabbati & quietis; sed potiùs ipse primus dies creationis nempe dominicus, erat sabbati nomine appellandus; cum ex oppositâ sententiâ, mox eo ipso die, post instans creationis quo inuerit; aut si in vltimo instanti eius diei ponatur facta creatio, sabbatum incidet in ipsum diem lucis.

Quartò aduersatur ea sententia opinionis congruentijs; quæ pro successiuâ eorum productione afferri possunt; Nimirum 1. vt hac ratione Deus ipse se suo quodammodo exemplo initium faceret vniuersi temporis futuri in septem dies, repetitâ eâdem numeratione, dispertiendi, (vti ab omnibus gentibus receptum) & vnoquoque die certum creationis beneficium (vti facit Ecclesia) præter sabbatum seu quietis memoriâ, grato animo recolendi. 2. Vt elementa statum naturis suis maximè conuenientem priùs obtinerent, quàm sequentibus diebus in gratiam hominis, diuinâ voluntate materiam varijs mixtis producendis subministrando, ab eo deficerent; sicque adeò homo creationis & dispositionis diuinæ beneficium erga se magis agnosceret. 3. Vt prima productio magni mundi aptius exemplar esset & prototypum microcosmi, seu parui mundi, nimirum hominis; qui cum breui quidem tempore, (velut vnico die) quoad substantiam in vtero generetur, tamen vt perficiatur, multò longiori tempore, & quasi quinque dierum spatio opus habet. 4. Vt quisnā esset inter res ipsas naturæ ordo, faciliùs patesceret. 5. Vt sola voluntate, nō aliqua Deū necessitate, mundū creasse, clariùs innotesceret.

Postremò longè conuenientius fuit, primo die totum mundum quoad substantiam simul producere; & deinde addito vario ornatu ac perfectione accidentali, quasi perficere & elaborare; item pro vsu hominis, domum primùm atque habitationis locum producere; deinde eam supellectile ac necessario quasi commeatu instruere, & denique domus eiusdem incolam, nimirum hominem in eam introducere; quod in opere Creationis iuxta legitimam sex dierum distributionem fecit Deus; quàm aut primò materiam tantùm informem producere; cum Dei opera in vnoquoque genere perfecta sint; nec vllo modo rerum naturis sit conforme, materiam omni forma priuatam esse; aut simul omnia ac sine ordine, incolam cum domo, & vt ita loquar, quem cū nido & iumentū cū stabulo producere.

Omitto alia particularia, quæ in Augustini sententiâ, aut inter se non benè cohærent, aut difficulter explicari possunt, vt videre est apud citatos, præcipuè Molinam, qui sigillatim diuersos explicandi modos authorum oppositæ sententiæ refellit. Sit ergo hoc ratum ac firmum, quod etiam nobis deinceps, in multis difficultatibus, quasi fundamenti loco deseruiet, opus creationis planè sex dierū naturalium spatio, qui ex mane & vespere, hoc est, diurni & nocturni temporis horis viginti quatuor constituuntur, vt dicemus, à Deo fuisse perfectum.

Neque

16 Neque difficile est oppositæ sententiæ fundamentis satisfacere. Obiciunt primò quædam loca Scripturæ, quæ simul omnia fuisse producta indicant. Vt illud Eccles. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Et Genes. 2. *Ista sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri.* Et Iob. 40. *Ecce Behemoth* (hoc est, diabolus) *quem feci tecum*; adeoque simul cum homine.

Ad 1. omissâ illâ explicatione, quod vocula *simul* idem sit quod *pariter*; Respondeo sensum esse, aut quod eodem tempore sex dierum Deus fecerit omnia, aut etiam quod ea, quæ inter opera sex dierum fuerunt propriè creata, Deus simul ac eodem etiam momento creaverit omnia: aut denique quòd omnia creaverit simul, quoad sua principia & elementa; quæ omnia simul facta esse patebit quæst. sequenti. Quo ferè sensu etiam eum locum explicat Sanctus Thomas q. 74. art. 2. ad 2. post S. Gregorium lib. 32. Moral. cap. 10.

Ad secundum respondeo, sæpe Scripturam aliàs diem pro tempore indefinitè sumere; at verò nunquam dies sex in aliquâ narratione distinctè recensere, & singulis proprium opus assignare, eo nomine vnum diem, aut instans intelligendo. Dici etiam potest, per diem designari diem septimum, & illud, *quo fecit*, perinde esse, ac si dictum fuisset, quo fecerat, seu creaverat, hoc est creationem absolverat; eo sensu, quo initio capitis ibidem dictum fuerat; *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.*

Ad tertium locum Respondeo, *Behemoth* cum homine factum dici, non quia eodem momento, sed sub idem tempus productionis mundi factus est.

18 Secundò objcitur decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. & habetur cap. *Firmiter*, vbi definitur, *Deum ab initio temporis simul vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corpoream.*

Respondeo, sermonem esse de mundo corporeo, quoad substantiam, eumque simul fuisse productum cum Angelis, nos ipsi docuimus suprà disputatione 5. dub. 1. Gregorius de Valentia hic loc. cit. cum S. Thoma, quem citat. opusc. 23. putat voculam *simul* significare idem quod *pariter*, siue ex æquo, de quo vide locum citatum.

19 Tertiò obijciuntur quædam, quæ ex nostrâ sententia videntur sequi absurda, vt quod lux sine sole, cælum sine firmamento, & stellis fuisset productum, &c. Sed hæc & similia, si benè intelligantur, absurda non esse, quæstionibus sequentibus declarabitur.

Postremò objici potest, hac ratione consequens esse, tempus statim incepisse cum mundo condito; seu cum cælo & terrâ in principio creatis; quia dies naturalis sine tempore esse non potest: consequens autem est falsum; quia tempus non cœpit ante motum firmamenti ac syderum; aut certè non ante lucem conditam; cùm tamen firmamentum primum secundo die, sidera primò quarto die, lux verò primo quidè die, sed non nisi post tenebras fuerit creata.

Respondeo, fatendum omninò esse, cælum & terram, adeoque mundum, in principio temporis fuisse creatum; adeoque tempus simul (extrinsecè) cœpisse cùm ipso mundo corporeo. Ita enim definitur cit. cap. *Firmiter* de summâ Trinit. & fid. Cathol. Isque inter alios maximè proprius ac literalis est sensus illorum verborum, Genes. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*, vt docet S. Thomas q. 46. art. 3. & plerique Patres, vt Basilius homil. 1. Hexaem. Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 6. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 20. & 28. & lib. 1. de Genes. imperfecto cap. 3. & alij. Idem docet Sanctus Thomas cit. q. 66. a. 4. vbi etiam ex communi Doctorum quatuor coæua recenset, nimirum Angelicam naturam, cælum Empyreum, materiam corporalem informem, & tempus; etsi quidem hoc ipsum dictum ibidem non vsquequaq; approbet.

Sed quænam ratio fuerit illius temporis, dubitatur, vt videre est apud S. Thomam quæst. 66. art. 4. ad 3. Quidam enim tempus illud solùm putant fuisse Angelicum, in successione videlicet plurium cogitationum seu actionum Angelicarum positum; à quâ sententiâ non multum abhorret S. Thomas cit. q. 66. a. 4. ad 3. Alij in altero extremo, existimant, ab initio quoque statim fuisse tempus consequens motum primi mobilis & firmamenti; quod docet Gregorius de Valentia hic disputatione quinta quæst. 2. punct. 1. 20

Sed suppositis ijs, quæ dicuntur quæst. seq. Respondendum est, cùm initio mundi simul cœpisse tempus, non solùm Angelicum, sed etiam rerum corporearum; verùm cum distinctione. Dupliciter enim loqui possumus de tempore rerum corporearum; primò vt est realis & intrinseca duratio earundem rerum, præsertim corruptibilium, ipsiusque motus successiui, qui in rebus corporeis cernitur. Et hac ratione simul cum ipso mundo corporeo, atque elementis mundi in principio creatis, incepit tempus; statim enim ac terra, cæteraque elementa fuerunt creata, cœpit actio, ac mutua alteratio eorundem, secundum frigus, calorem, siccitatem, humiditatem; vt nihil dicam de motu locali eorundem secundum partes; nihil de ipsâ eorundem substantiâ, cuius tamen intrinsecam durationem probabilior philosophia aliam esse non putat, quàm tempus. 21

Secundò loqui possumus de tempore, vt est mensura extrinseca motus naturalis cuiuscunque; ad quod requiritur, vt sit duratio motus maximè regularis, & vniuersalis, ac notissimi; nempe ipsius primi mobilis, aut certè alterius corporis cælestis, quod eundem motum exprimat, vel imitetur. Et hac ratione fatendum est, in principio creationis mundi, tempus eiusmodi reale ac positiuum nondum cœpisse; sed postea primùm creatâ luce, post duodecim horas tenebrarum exactas, vt dicemus. Quanquam cùm cõtrariorum sit eadem ratio, tempusque adeò non tantùm sit mensura motus, sed etiam oppositæ quietis; ipsa etiam quies corporis cælestis, quatenus est priuatio tanti vel tanti motus, qui tunc ad similitudinem primi mobilis peragi potuisset, perinde secundùm rationem nostram tempore mensurari potest, ac si verè motus ille extitisset, vt quæst. sequenti dubio primo dicetur. Atque hoc principium temporis à initium mundi corporei sufficit. 22

Quæri hic solet, quo die, quoque anni tempore mundus fuerit conditus. Respondeo, de die nullam. 23

lam esse posse controuersiam. Constat enim primum diem creationis (quo nimirum cælum & terra, adeoque vt dicitur quæst. seq. tota mundi substantia fuit creata) fuisse dominicum, cum dies ab eo septimus fuerit dies sabbati, vt patet ex Genes. 2. v. 2. Idque profitetur Ecclesia in illo Hymno; *Primo dierum omnium, quo mundus ex stat conditus.*

24 Sed quonam anni tempore seu mense mundus fuerit conditus, non omnino certum est. Gerardus Mercator in suâ Chronolog. putat, mundum fuisse conditum in æstate, mense Iunio. Sed est noua & improbabilis sententia, nulloque fundamento solido nititur. Nimirum quia Genes. 8. legitur, mense vndecimo columbam fuisse reuersam ad arcam, cum ramo oliuæ virentibus foliis; quasi tunc primum germinauerit oliuæ arbor; quod iuxta Plinium libro 16. c. 25. fieri solet mense Maio. Sed nec probatur, mensem illum dictum fuisse vndecimum, potiùs à creatione mundi, quam ab initio diluuij: aut ab Anno sexcentesimo ætatis Noe; nec virentia folia oliuæ soli Maio, sed toti anni tempori conueniunt.

25 Secundò igitur Abulensis & Lyranus in cap. 1. Genes. putant, mundum conditum initio autumni, adeoque mense Septembri. Sed nituntur itidem incertis coniecturis, & consequentijs. Vt, quia ante legem per Moysen promulgatam, Hebræi numerarunt initium Anni à Septembri, iuxta Hieronymum in cap. 1. Ezech. quod tamen ob aliam causam facilè fieri potuit, vt mox dicetur. Item quod Exod. 23. eiusdem mensis tempus vocatur *Exitus Anni*, quod tamen potius ob fructus eo tempore perfectè collectos & reconditos, dictum erat, vt colligitur ex eodem loco, & Exodi 34. Denique quod tunc fructus arborum fuerint maturi, Genes 1. & 3. cum tamen in omni sententia, hac in re peculiare quid diuina virtute interuenerit; eo quod nunquam naturaliter omnes plantæ & arbores, in eodem terræ climate, simul fructus ferre soleant; quod tamen tunc accidisse ex Genes. 1. versu 11. & capite 2. versu 9. colligitur.

26 Verior igitur, & cæteris antefrenda est communis sententia Patrum, mundum fuisse productum in vere (iuxta Clima terræ Palæstinæ circa æquinoctium vernum, & secundum hodiernum computationem, mense Martio, vt pluribus Pererius Genes. 1. versu 11. & Valentia quæstione 3. punct. 3. Molina disp. 14. Tum quia tunc etiam terra naturaliter germinare solet. Tum quia vix naturalius principium anni constitui potest, quam æquinoctium vernum, saltem in nostro hemisphærio, ob eandem causam. Tum quia eo tempore etiam alia præcipua Dei opera sunt peracta, vt liberatio populi ex Ægypto, Incarnatio, Mors & Resurrectio Christi &c. Denique valdè verisimile est, SS. Patres id per traditionem accepisse, quod ita specialim tradunt Athanasius q. 17. ad Antioch. Gregorius Nazianzenus orat. de nouâ dom. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 14. Theodoretus quæst. 22. in Exod. Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 4. & 6. serm. 9. de pasch. Dom. Isidorus libro 5. Etymol. capite 8. Beda libro de rat. temp. capite 40. & consentit Virgilius libro 2. Georg. post med.

QVÆSTIO II.

De opere primæ diei, nimirum cælo, terra, luce.

S. Thomas 1. p. q. 66. & 67.

ABsoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. An cælum & terra primo die; an potius ante primum diem sint creata. II. Quid cæli & terræ nomine significetur; an non solum cælum Empyreum; sed etiam omne corpus cæleste, omniaque elementa; adeoque totus mundus corporeus quoad essentiam. III. Qualis lux; & quo spatio primi diei sit producta; an post tenebras; & quis finis & vsus eius lucis. IV. Ex qua materia cælum constet. V. An cælum sit animatum. VI. An sit natura sua corpus generabile & corruptibile.

DVBIVM I.

An cælum & terra primo die; an potius ante primum diem sint creata.

S. Thom. 1. p. q. 66. aa. 4.

1 ENarrationem Creationis Mundi Moyses Geneseos primo, versu primo, his verbis orditur. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Vbi voculam, *In principio*, inter alia significata, propriè significare, in principio temporis, quæstione præcedenti dubio quarto, dictum est. Creationem autem propriè accipi, diximus ibidem dubio primo.

2 Cæli verò nomen etsi latè quandoque omne corpus sublime diaphanum, terrâ & aquâ superius significet; ipsumque adeò etiam aërem comprehendat, iuxta Scripturam, quæ & *cataractas cæli*, Genes. capite 7. versu vndecimo, & sæpe aliàs *volucres, seu volatilia cæli nominat*, Genes. 1. versu 30. Genes. 9. versu secundo, Psalmo 8. versu 9. Ieremiæ 7. versu 33.

Matth.

Matth. 6. vers. 26. & cap. 8. vers. 10. &c. in disputatione tamen de cælo à Theologis & Philosophis sumitur presstius, pro corpore non sublunari, sed elementis omnibus superiori, quod à concauo lunæ sursum magnis spatijs protenditur; quodque siue à *cælando*, quasi stellis cælatum, siue à *celando* dicitur, *quod totam naturam inferiorem integraliter ambiat, & in se ac sua continentia claudat*, vt post Ambrosium in Hexaemeron notarunt Beda expos. in Genes. & Sanctus Thomas, seu quisquis est author postillæ in Genesin.

2 Quibus positis, dubium est, quandonam cælum, quod in principio dicitur creatum, fuerit productum; an primum die creationis secundo, quando productum est firmamentum; an vero aliquo instanti, ipsius primi diei, quo creata ibidem lux dicitur; an potius in aliquo instanti antecedente; ita vt tempus aliquod saltem breue, inter instans creationis cæli & terræ, & ipsum initium primi diei intercesserit; cælumque adeo & terra, non in aliquo sex dierum creationis, sed tempore antecedente fuerint producta.

3 Et non desunt graues quidam authores, qui asserunt, Moysen per illa verba, *In principio creauit Deus cælum & terram*, non significasse certum aliquod opus, ante cætera opera productum, sed summam duntaxat eorum omnium, quæ postea sex dierum spatio à Deo facta speciatim narrantur, retulisse. Ita Cyrillus Alexandrinus contra Iulianum lib. 2. Burgensis Add. 2. in Genes. Strabus in Cosmopœia. Eandem interpretationem inter alias habent etiam Augustinus lib. 12. Confess. cap. 17. & S. Thomas 1. p. q 68. a. 3. ex S. Chrysostomo. Ex qua doctrina necessario sequitur, cælum non fuisse opus primæ diei, sed secundæ, quando factum est firmamentum, cui simul etiam cæli nomen impositum.

4 Secundò docent alij, cælum & terram, fuisse creata tempore diem primum antecedente; ita vt inter eorundem creationem, & primi diei initium, aliquod saltem breue tempus intercesserit. Ita præter Augustinum libro 12. Confess. capite octauo, aperte sentiunt Alensis p. 2. quæst. 44. memb. 4. S. Thomas in 2. dist. 12. Aureolus in 2 d. 14. q. 2. art. 2. Tostatus in Genes. Carthusianus ibidem. Pererius ibid. n. 4. Gregorius de Valentia tom. 1. disp. 5. quæst. 3. punct. 1. Ascanius Martinengus Gloss. lit ad c. 1. Genes. circa verba illa, *In principio*; qui pro eadem sententia adducit omnes SS. Patres & Scriptores, *qui tenebras ante lucem constitisse, cum Mose existimant*, vt & eos, *qui primo compactum chaos volunt, & post sex dies perfectum & venustatum*; speciatim Clementem Romanum, Irenæum, Tertullianum, Gregorium Nazianzenum, Nyssenum, Basilium, Ambrosium, Chrysostomum, Theodoretum, Damascenum, Gennadium, Acatium, Diodorum, Strabum, Hugonem, Bedam, Alcuinum, Rabanum, Isidorum, Magistrum, Sanctum Thomam, Bonauenturam, *omnesque*, vt inquit, *Iuniores*: imò pagina 81. ait, *omnium Græcorum ac etiam Latinorum Patrum esse sententiam, quod à primo momento, quo Deus ex nihilo cælum & terram condidit, ad primæ diei initium, quo lux emanauit, & diei primæ exordium dedit, tempus decurrerit.*

5 Argumenta huius sententiæ sunt ista. Primum sumitur à communi sensu Patrum & Doctorum, vt paulò antea dictum.

Secundum: quia dies prima non cepit ante lucem creatam; cum ipsa lux in primo instanti primi diei creata, vt nonnulli Patres dicunt, initium dederit primo diei; nec verò sine luce dies esse possit; iuxta illud Genes. 1. versu 5. *Appellauitque lucem diem*: & tamen ante lucem creatam constat, *tenebras fuisse super faciem abyssi*; cælo vtique & terra iam creata, Genes. 1. v. 2.

Tertium. Quia aliàs prima dies non constaret præcisè viginti quatuor horis, æqualiter in lucis & tenebrarum tempus diuisis, sed pluribus. Nam vt colligitur ex illis verbis Gen. 1. v 5. *Factumque est vespere & mane dies vnus*, dies primus, vt & ceteri deinceps subsequentes, prius habuerunt vesperum, quam mane, & in ipso mane fuerunt completi: hoc autem fieri non potuit, nisi dies cœperit ab oriente luce, quæ paulatim, horis vtique duodecim, ad horizontem accedes, vesperum; & deinde totidem horis alterum terræ hemisphærium obiens, mane constituerit.

Quartum. Ante lucem, eiusque motum, non fuit tempus: ergo nec dies. Antecedens probatur; quia non fuit motus; cuius siue mensura, siue duratio est tempus.

Tertia sententia est, cælum vnà cum terra fuisse 6
creatum, ipso primo die; seu in instanti inchoante primum diem creationis. Idem sentit aperte Ambrosius lib. 2. Hex. c. 1. vbi ait: *Diem primum, vel potius vnum, vt potiùs, absoluimus; in quo conditum cælum, terram creatam, aquarum exunduantiam, circumfusum aerem; discretionem factam lucis atque tenebrarum, Dei omnipotentis, & Domini nostri Iesu Christi, Spiritus quoque sancti operatione cognouimus.*

Et Damascenus libro 2. fid Orth. capite decimo. *Terra*, inquit; *quatuor elementorum vnum est, siccum & frigidum, grauissimum & immobile à DEO ex nihilo ad esse prima die deductum. In principio enim, inquit, fecit Deus cælum & terram, cuius sedem & basin nullus homo dicere valuit.*

Item Procopius in Genes. *Primus dies*, inquit, *dignitate reliquos sequentes longe anteit. Nam in illo, quæ nunquam fuerant, suam creationem sumpsere diuinitus. Cetera diebus nihil effecit, cuius seminaria non in primo die sparsisset.*

Item Alcuinus lib. 1. Diuin. Offic. tit. de die sancto siue Dominico: *Apparet autem*, inquit, *hunc diem etiam in sacris Scripturis esse solennem. Ipse est enim dies primus seculi, in quo formata sunt elementa mundi, in ipso creata sunt Angeli, &c.*

Idem tuentur Beda libro de sex dierum creatione, Petrus Comestor Histor. Eccles. capite 3. & Caietanus in Genes. 1. vbi ait: *Illud met instans, quod fuit principium temporis, mensurans creationem cæli & terræ, fuit instans initiatiuum diei primæ artificialis.* Item Molina 1. p. de opere sex dierum disp. 7. §. *Hic autem*, pro absurdo habet, *Deum ante primum, atque adeo ante omnem diem, creasse cælum & terram.*

Vtramque sententiam posteriorem, velut probabilem referunt Tostatus in Genes. Bonauentura in 7
2 d. 12. a. 2. q. 2. Ægidius 1 p. Hexa. c. 12. Dionysius Carthusianus in Gen. c. 10.

Differunt tamen hi Authores inter se. Nam aliqui dicunt, simul ac in eodem instanti temporis,

quod

quod fuit initium primi diei, creatum fuisse non solum cœlum & terram, sed etiam ipsam lucem. Ita præter Augustinum, Beda, Comestor, Caietanus: Item Bonauentura & Tostatus pro vna sententia. Alii vero docent, eodem quidem die primo, sed non eodem instanti creatam fuisse lucem.

8 Assertio I. Illis verbis Moysis, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, designatur certum & peculiare opus diuinum, ante cætera creationis opera factum; ita vt cœlum illud, vna cum terra, creatum sit à Deo, ante opus secundæ diei, ipsumq; diem secundum. Ita communis, & iure dixerim certa sententia omnium cæterorum scriptorum, quos post primam sententiam retulimus. Et colligitur aperte ex contextu Moysis, qui cum dixisset Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, mox subiungit v. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Vnde manifeste sequitur, terram, de qua prius mentionem fecerat, iam tunc productam fuisse antequã nimirum lux produceretur, ceteraque fierent, quæ postea à Deo facta Moyses narrauit: Alioquin terram dixisset Moyses vacuam, antequam esset producta; nec explicari etiam posset, quænam fuerit illa *facies abyssi*, aut quænam *aquæ*, super quas *Spiritus Dei ferebatur*, si non ante lucem, cœlum & terra fuissent à Deo creata.

9 Quam rem acute etiam pluribus expendit Tertullianus lib. 6. cont. Hermogenem cap. 26. *Nobis autem*, inquit, *vnus Deus, & vna est terra, quam in principio fecit Deus. Cuius ordinem incipiens scriptura decurrere, primo factam eam edicit; dehinc qualitatem ipsius edisserit: sicut & cœlum primo factum professa; In principio fecit Deus cœlum: dehinc dispositionem eius superinduxit; Et separauit inter aquam, quæ erat infra firmamentum, & quæ super firmamentum; & vocauit Deus firmamentum cœlum, ipsum quod in primordio fecerat. Proinde & de homine, Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum; dehinc qualiter fecerit, reddit, Et finxit Deus hominem de limo terræ; & flauit in faciem eius flatum vitæ, & factus est homo in animam viuam. Et vtique sic decet narrationem inire; primo præfari, postea prosequi; nominare, deinde describere. Alioquin vanum, si eius rei, cuius nullam præmiserat rationem, id est, materiæ, nec ipsum quidem nomen, subito formam & habitum promulgauit; ante enarrat, qualis esset; ostendit figuram deformati, nomen abscondit. At quanto credibilius, secundum nos, eius rei dispositionem subiunxit, cuius institutionem, simulque nominationem præmisit. Quam denique integer sensus est, In principio fecit Deus cœlum & terram; terra autem erat inuisibilis & rudis, quam Deus scilicet fecit, de qua scriptura cum maxime edixerat. Nam & Autem ipsum, velut fibula coniunctiua particula, ad connexum orationi appositum est. Terra autem. Hoc enim verbo reuertitur ad eam, de qua supra dixerat, & alligat sensum. Adeo aufer hinc, Autem; & soluta compago est, vt tunc possit de alia terra dictum videri, Terra erat inuisibilis & rudis.* Hactenus neruose Tertullianus. Vbi simul etiam docet, firmamentum esse ipsum cœlum, quod Deus in principio fecerat, vt dicetur dub. sequen. assert. 1. in fine sequentis quæstionis verbatim allegatus. Accedit, quod Chrysostomus & Cyrillus, pro contraria sententia adducti, intelligi forte possunt de summa, non sequentis narrationis, sed operis; siue de illo imperfecto *chao*, seu primordiali seminario rerum omnium deinceps faciendarum.

Assertio II. Multo probabilius videtur, cœlum & terram eodem primo die, quo lux facta est, adeoque ipso initio, seu primo instanti primi diei fuisse creata. Ita sentio cum Authoribus tertiæ sententiæ. Probatur primo ex Scriptura, quæ id satis aperte indicat. Exodi 11. vers. 20. dicitur: *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Et Exodi 31. vers. 17. *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in septimo ab opere cessauit.* Similia habentur alibi. Si ergo cœlum & terra sex dierum aliquo facta sunt, certe non ante primum diem, sed ipso primo die creationis facta sunt. Adducunt etiam Caietanus & Molina illa verba Genes. 2. vers. 4. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus cœlum & terram.* Sed quia mox ibidem additur, *Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis.* &c. satis constat, *diem* illic sumi late, pro tempore, vt quæstion. præced. dub. vlt. dictum. 10

Secundo idem probatur authoritate ac testimoniis SS. Patrum; non solum iis, quæ citauimus, sed etiam pluribus aliis, dum mundi opificium vocant *Hexaemeron*, siue *sex dierum*; vt speciatim videre est apud Basilium, Ambrosium, Gregorium Nyssenum, & alios. Quibus accedit authoritas Ecclesiæ, in officio diei dominicæ ante matutinum canentis: *Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus.* Atque in eundem sensum optime etiam intelligitur illud Concilii Lateranensis cap. *Firmiter* de summa Trinitate & fid. Cathol. *DEVM simul in principio temporis* (adeoque primi diei) *vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam & mundanam.* &c. 11

Tertio probatur ratione. Tum quia alias Moyses in sua narratione Geneseos, non satis determinasset certum initium creationis mundi. Si enim cœlum & terra creata fuerunt ante primum diem, sane cum Moyses interim ne verbo quidem insinuet, quanta duratio primum diem antecesserit, existimari posset, quantum est ex ea Moysis narratione, cœlum vna cum terra, creatum fuisse, non solum aliquot centuriis seculorum ante primum diem, sed etiam ab æterno; saltem ex eorum sententia, qui existimant, non implicare contradictionem talem mundi creationem ab æterno: verbis interim illis, *In principio*, vt multi interpretantur, significantibus solum, *Ante omnia*, siue *Primum omnium.* Est autem incredibile, Moysen perfectionem & ornatum cœli & terræ tam diligenter ac definite, per sex dies, distinxisse; ipsam vero primam, ac substantialem productionem cœli & terræ nullo certo tempore definisse. Tum quia contextus ipse Moysis Genes. 1. vers. 1. 2. 3. 4. 5. satis indicat, ea quæ ibidem facta narrantur à Deo, ad vnum & eundem diem spectare. Præsertim cum deinceps etiam sequentibus aliquot diebus plura sæpe, vno die à Deo facta esse referantur. 12

Ad primum argumentum, pro contraria sententia secunda obiectum, Respondetur, Opposi- 13

tam sententiam neutiquam esse communem, multò minùs *omnium sanctorum Patrum & recentiorum*, vt dixit Martinengus; quæ potius est paucorum. Licet enim plerique omnes (Augustino, & paucis quibusdam exceptis) docuerint, ante creationem lucis, cælo terraque iam creatis, præcessisse tenebras *super faciem abyssi*, id quod nos etiam conclusione sequenti docebimus; minimè tamen sequitur, cælum & terram fuisse creata ante primum diem, cum hic ipse dies primus à tenebris, non à luce cœperit, vt dicetur ad tertium. Multò minùs repugnant illi, qui docent, chaos, siue ipsum cælum ac terram, rudemue mundi substantiam fuisse primò creatam, & post sex dies perfectam & absolutam: quia hoc verum est, etiamsi, ipso primo instanti primæ diei fuerit creatum cælum & terra; instans enim illud, quod antecessit sex dies, nihil adimit durationi sex dierum, ad quos se habet, sicut ad lineam punctum, sine quo manet quantitas, & extensio tota lineæ.

14 Ad secundum & tertium respondetur, diem primum (naturalem intelligit Moyses,) fuisse viginti quatuor horarum, nec tamen cœpisse à luce, vt quidam dicunt, sed à tenebris, *quæ operiebant faciem abyssi*: sicut & sequentium dierum initium sumitur, non à mane, seu oriente luce in terra creationis siue Palæstinæ; sed à *vespere*, vt Scriptura loquitur, seu ab initio noctis, vt post Magistrum in 2. distinct. 13. lit. D. declarat, & probat Molina disputatione septima, de opere sex dierum, super illa verba, *factum est vespere & mane dies vnus*. Secundus, inquit, sensus, qui mihi omninò placet, & quem inter alios probat hoc loco Abulensis, est, quod produxerit Deus lucem primi diei, post duodecim horas à creatione mundi, & produxerit eam in puncto Arietis, comparatione Palæstinæ; ita vt puncto creationis illius, inceperit esse mane in Palæstina; ac si tunc oriretur Sol: eaque ratione primus dies naturalis in Palæstina fuerit viginti quatuor horarum, duodecim tenebrarum seu noctis, à puncto creationis mundi, vsque ad productionem lucis; & aliarum duodecim diei artificialis, à puncto creationis illius, vsque ad occasum eiusdem lucis, comparatione Palæstinæ. Iuxta hunc ergo sensum, nomine *vespere*, in prima die, intellexit Moyses tempus illud tenebrarum seu noctis, eo quod nox à vespere seu occasu Solis soleat incipere (licet nox illa non ita inceperit) & terminetur mane, seu ortu solis: nomine verò *Mane* intellexit diem artificialem, ab ortu directorum radiorum lucis, vsque ad occasum; propterea quod dies artificialis incipiat à mane ortuue Solis, & terminetur vespere, seu occasu Solis.

15 Iuxta hunc secundum sensum, quem germanum esse Scripturæ arbitramur, verum est, Deum prima die creasse cælum & terram, vt Scriptura aperte sonat; Creauit namque cælum & terram & aquas, in instanti initiatiuo duodecim horarum noctis seu tenebrarum, quæ lucem antecesserunt, fueruntque prima pars primi diei naturalis. Ex eodem sensu est manifestum, cur in enumerando primo die, & cæteris diebus sequentibus, exordium sumpserit Moyses à *vespere*, dicens, *factum est vespere & mane dies vnus, secundus, tertius*, &c. quia si tempus noctis seu tenebrarum anteoesset tempus lucis, fuitque prior pars primi diei, supputationem dierum meritò inchoauit à vespere seu nocte. Consentit cum his omnibus mos Hebræorum, quo ab occasu Solis supputabant dies.

Et confirmatur hæc doctrina. Quia *vespere & mane*, per se sola, non constituunt integrum diem naturalem, de quo sine dubio loquitur Moyses, sed solam noctem, cum adiunctis terminis eam vtrinque concludentibus. Ergo necessariò subintelligendus est dies artificialis, qui rectius per *mane*, quàm per *vespere*, sicut etiam nox rectiùs per *vespere*, quàm per *mane* significatur. 16 Quod autem Scriptura dicit *lucem* vocatam fuisse *diem*, quasi producta primùm luce dies cœperit, intelligendum est de die artificiali, non naturali, de quo loquitur Moyses, cum ait, *Factum est vespere & mane dies vnus.*

Atque hæc de creatione lucis, suo motu diem noctemque distinguentis, sententia, multò 17 videtur probabilior, ac Scripturæ conformior, quàm illa Iunilij seu Bedæ, asserentis, primo die creatam fuisse lucem, *generaliter omnia replentem, ac capite carentem, nullasque distinguentem horas.* Ita enim loquitur apud Lipomanum in catena Genesis capite sexto. *Quia nimirum priusquam sydera fierent, non erat, quibus ergo temporum annotaretur indicium; vnde meridiana hora dignosceretur, antequam Sol medium conscenderet igneus orbem; non vnde cæteræ diei noctisque signarentur horæ; donec astra polum æquali inter se sorte nocte dieque diuiderent; sunt ergo luminaria in signa temporum; non quod à conditione eorum tempora cœperint, quæ constat cœpisse à principio, quo fecit DEVS cælum & terram; sed quia per ortus eorum siue transitus, temporum ordo dierumque annorumque signatur. Nam totum illud triduum superius in discreto cursus sui processu transierat; nullam penitùs dimensionem habens horarum; vtpote quia lumine primario adhuc generaliter omnia replente, nullumque caput habente, quod nunc de sole accipit, nusquam radij ardentiores illuxerant: & nulla sub. caute vel arbore, aquis remotior vmbra frigebat.* Ita qui sub Iunilij nomine citari solet Beda; ex cuius sententia explicari vix potest, qualenam fuerit mane illud & vespere, primi, secundi, & tertij diei; qualis item fuerit dies & nox post lucem iam productam. Genesis capite primo versu quinto.

Ad quartum respondetur, tempus fuisse ante 18 lucem, motumque lucis, non quod cælum statim ac creatum esset, moueri cœperit, vt quidam dixerunt; sed quia tempus est duratio siue mensura, non solum motus, sed etiam quietis oppositæ, Contrariorum enim eadem est ratio, vt rectè etiam Molina loco citato, & superius quæstione prima dubio quarto.

Assertio III. Cælum vnà cum terra, non 19 fuit creatum eodem instanti, quo creata lux fuit, sed tempore antecedente; ita vt per aliquod tempus, à prima creatione, cælum & terra luce carerent, tenebris vndiq; cooperta. Ita communis

senten-

sententia Sanctorum Patrum, & Doctorum ferè omnium, speciatim Clementis lib. 1. Recog. Basilij Hex. hom. 3. Ambrosij lib. 1. c. 1. Chrysostomi in Genes. Hom. 3. Hieronymi epist. 83. ad Ocean Tertulliani in carmine Genes. Marij Victorini lib. 1. in Genes. Sancti Thomæ in 2. dist. 12. Molinæ & Martinengi loco citato contra paucos superiùs citatos. Probatur apertè ex Scriptura Genes. 1. v. 2. vbi post creationem cæli & terræ dicitur, *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi.* Quod ad metaphoricas tenebras, Angeli scilicet mali casum, aut instans solum naturæ, qub nondum cogitetur terra fuisse illuminata, referri nullo modo potest. Sunt enim verba nimis clara, & verbum illud imperfectum, *Erant* etiam durationem aliquantam tenebrarum significat. Similis est locus 2. Corinth. versu sexto. *Deus, qui dixit, de tenebris lucem splendescere*: qui ad literam planè de creatione primæ lucis intelligitur: nec facilè etiam potest ad tenebras spirituales, vel ad solam negationem luminis, creationem cæli antecedentem, referri. Licet verò contrariam sententiam erroris damnare non ausim, propter graues, qui eam sequuntur authores, superiùs citatos, non vereor tamen falsam planè & improbabilem dicere, vt pote satis apertè Scripturæ & communi Sanctorum Patrum doctrinæ repugnantem, nullo sanè firmo solidoque fundamento. Plura de hac die & luce apud Molinam disputatione 8.

DVBIVM II.

Quid cæli & terra nomine significetur; an non solum cælum Empyreum, sed etiam omne corpus cæleste, omniaque elementa, adeoque totus mundus corporeus, quoad suam substantiam.

S. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & 3.

1 QVod ad primum attinet, dubium est, an omnes cæli, quoad substantiam simul, & quidem primo die creationis, vt dictum; an verò aliqui primùm secundo die fuerint producti. De qua re varia rursum Doctorum sententia est. Siquidem sentiunt non pauci, primo die, seu ante primum diem, iuxta varietatem sententiarum dubio præcedente declaratam, creatum fuisse solummodò cælum Empyreum; reliquos autem cælos inferiores omnes, etiam quoad substantiam, non propriè creatos, sed ex præsupposita materia productos fuisse die secundo. Ita docent Strabus in Glossa, Hugo Victorinus in Sententijs tract. 2. cap. 1. Bonauentura in 2. dist. 12. Lyranus in Postilla, Tostatus in Genes. cap. 1. Catharinus ibidem: qui omnes disertè nomen cæli Empyrei exprimunt. Idem sentiunt Origenes in Genesin Homil. 1. Diodorus Tarsensis in Glossa ordinaria, Iunilius in Hexaemeron, Theophilus Antiochenus lib. 2 ad Autolycum, Hilarius enarratione in Psalmum 135. Procopius in Gen. Anselmus l. 1. de imagine mundi cap. 28. & ferè Philo de mundi opificio; licet nomen Empyrei cæli non exprimant, sed duntaxat de supremo cælo, quod sedem esse beatorum significant, loquantur. Idem ex instituto propugnat Molina de opere sex dierum disp. 2. & 3. & Delrius in Genes. v. 1. fauetque nonnihil Ascanius Martinengus in sua Glossa. Sed & Aureolus in 2. d. 14. q. 2. a. 2. concedit quidem, cælum Empyreũ, vt & primũ mobile, siue cælum nonum & crystallinum, vnà cum quatuor elementis producta fuisse, *in principio*, primo die, seu vt ipse putat, ante primum diem; astamen firmamentum, seu cælum sydereum productum fuisse docet primùm die secundo.

Fundamentum potissimum sumitur ex Scriptura 2
Genes. 1. vers. 6. & 8. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est vespere & mane dies secundus.* Cum igitur hoc loco expresè *firmamentum* appelletur *cælum*, idque secundo primùm die, non *creatum*, sed *factum* dicatur, vti & cetera, quæ ex subiecta materia facta postmodùm narrantur, perspicuè colligi videtur, cælum non omne quidem, sed aliquod tamen secundo primùm die, etiam quoad substantiam, factum fuisse: quod vtique non de supremo ac præstantissimo cælo iam anteà primo die creato, sed de toto systemate cæleſti inferiori, saltè sydereo accipiendum est. Quod si cælum eo die factum non est, vix apparet, quid secundo die à Deo factum fuerit. Nihilominꝰ alij plures contrariũ sentiũt, vt dicetur.

Similia controuersia est de duobus elementis, nimirum aëre & igne; an simul cum terra & aqua ex nihilo primo statim die fuerint creata.

Assentio I. Non solum Empyreum, sed etiam sy- 3
dereum cælum, atque adeò corpus omne cæleste, quoad substantiam, productum fuit primo die. Ita expresè docent Tertullianus lib. contra Hermog. cap. 26. relatus dub. præcedenti, assert. 1. item Basilius homil. 1. & 2. Hexaem. Ambrosius lib. 1. c. 6. & lib. 2. cap. 4. Damascenus lib. 2. Fid. orth. c. 5. 6. & 10. Innocentius III. commentar. in 5. Psalmum pœnitentialem, S. Thomas in 2. d. 13. & 1. p. q. 68. ad primum, expositione vltima, & in Postilla Genesis (si tamen eius hoc opus) cap. 1. Dionysius Carthusianus in 2. d. 13. q. 1. Lyranus in Postilla expositione 1. Caiet. in Genesin c. 1. Steuchus in Cosmopœia, Vielmius lectione 3. in Genesin, Pererius in Genesin lib. 1. in illa verba *cælum & terram*, Gregorius de Valentia 1. p. d. 5. q. 2. punct. 1. Optimè & apertissimè ex antiquioribus Gregorius Nyssenus in Hexaem. *Posteaquam igitur*, inquit, *quæ cernuntur aqua, ab illis quæ intelliguntur, secreta sunt, mediumque inter duplicem aquarum naturam consonum interiectum est cælum, quod simul cum terra, atque omnibus ijs, quæ ad mundi constitutionem collata sunt, in principio factum esse dicitur; nunc autem perfectum & nominatum, in demonstratione firmamenti ignis ambitu definiti ostenditur, &c.* Nec refert, quod Basilius homil. 3. Hexaem. & Ambrosius libro 1. capite 6. firmamentum secundò die creatum, à cælo in principio creato, & ab vtroque cælum tertium, in quod raptus est S. Paulus, distinguunt. Intelligunt enim distingui non substantialiter adæquatè: sed vel

accidentaliter tantum: vel substantialiter inadæquatè, velut partem à toto; nimirum quia secundo die firmamentum ex subtili materia cæli in principio creati consolidatione quadam & condensatione productum fuit. Interim cum cælo & terrâ, omnia intermedia elementa fuisse in principio quoad substantiam creata, apertè asserunt, vt dictum. Vnde etiam idem Basilius in alio opere Hexaemeron ab Eustatio latinè reddito, ac recens edito lib. 2. ita scribit. *Fecit Deus cælum & terram, non singula ex dimidia parte, sed integrum cælum, & integram terram, id est, ipsam substantiam, cum specie comprehensam.*

4 Et Ambrosius libro 2. Hexaem. cap. 4. *Videtur mihi*, inquit, *nomen cælorum commune esse; quia plurimos cælos Scriptura testificatur; nomen autem esse speciale firmamentum. Siquidem & hic ita habetur. Et vocauit Deus firmamentum cælum: vt videatur suprà generaliter dixisse, In principio cælum factum, vtrumnam cælestis creaturæ fabricam comprehenderet: hic autem specialem firmamenti huius exterioris soliditatem, &c.*

5 Probatur autem conclusio nostra maximè ex Scriptura. Tum quia Moyses Genes. 1 versu 1. indefinitè dixit, *In principio Deum fecisse cælum*, seu vt in Hebraico textu significantiùs habetur *cælos*. Indefinitæ autem eiusmodi propositiones in dogmatibus tradendis, vim habere solent affirmationis vniuersalis, ficubi nulla specialis suppetit restringendi ratio. Tum quia in eodem loco paulo inferiùs Genes. 1. versu octauo, vbi de firmamento fit mentio, significatus voculæ *Cæli* disertè explicatur; neque tamen eo loco pro solo cælo Empyreo accipitur; & valdè durum esset, in tam paucis verbis, præsertim vbi ipsa nominis significatio ex instituto explicatur, tam obscuram æquiuocationem fuisse commissam. Tum quia nusquam aliàs in Scriptura, vbi cælum terræ coniungitur, saltem quando de eorum productione sermo est; cæli nomine solum cælum Empyreum significatur; sed vniuersim tota cælestis substantia, vt videre est Genesis 14. versu 19. & 22. Exodi 20. versu 11. Exodi 31. versu 17. Deuteron. 4. versu 26. Deuteronomij 30. v. 39. Deuteronomij 31. v. 28. 1. Paralip. 21. versu 16. 2. Paralip. 2. v. 12. 2. Esdræ 9. v. 6. Iudith. 6. versu 15. & cap. 7. v. 17. & cap. 13. v. 24. Esther 13. vers. 10. Psalmo 113. v. 5. &c.

6 In quo genere vel maximè insignis est locus Geneseos 2. vers. 1. vbi Moyses quasi per anacephalæosin repetens ea, quæ præcedenti capite narrauerat, ait; *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Et versu quarto. *Iste sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt; in die quo fecit Dominus cælum & terram.* Vbi nemo vtique dixerit, nomine *cæli* solum cælum Empyreum significari. Optimè in hunc locum Chrysostomus homil. 10. in Genes. *Considera*, inquit, *quàm nihil sit superfluum, nihilque rerum amabile in diuinis litteris. Postquam elementorum vniuersa complectentium meminit, non vltra particulatim commemorat; sed vt dixit: Perfecta sunt cælum & terra, inquit, & omnis ornatus eorum. Quo significat omnia & quæ in cæli, & quæ in terra. Ornatus enim terræ, sunt ea, quæ ab illa proferuntur, vt herbarum germina, fructuum prouentus, arborum fructus, aliaque omnia, quibus illam Deus ornauit: ornatus autem cæli, sol, luna, stellarum varietas, creaturæque omnes intermedia. Et idcirco sacra Scriptura, cælum terramque commemorans, omne Dei opificium per hæc elementa complexa est.*

7 Sed in ipso etiam Symbolo Apostolorum profitemur Deum *Creatorem cæli & terræ*, phrasi ex 1. Genes. versu 1. expressa; vtique non Empyrei tantùm, sed vniuersim omnis cæli; cum ipsa quodammodo res exigat, vt quando profitemur in symbolo factam à Deo creationem cæli & terræ, iis nominibus totius mundi substantia intelligatur.

8 Accedit, quod cæli Empyrei rudis populus Iudæorum, cui eam creationis historiam potissimùm scripsit Moyses (vt rectè Sanctus Thomas 1. part. quæstione 68. articulo tertio.) vix vllam habuit notitiam. Imò idem Sanctus Thomas 1. p. quæst. 66. articulo tertio, ait: *Cælum Empyreum non inuenitur positum, nisi per authoritates Strabi & Bedæ, & iterum, per authoritatem Basilij; in cuius positione quantum ad aliquid conueniunt; scilicet quantum ad hoc, quod sit locus Beatorum.* Ita Sanctus Thomas; tametsi Dionysius Carthusianus in 2. distinct. 2. quæstione tertia, non ab illis tantum, sed etiam à Damasceno, Gregorio, & Hieronymo cælum illud fuisse agnitum velit: sed qui certè sub eo nomine cæli mentionem non faciunt: multò minus credibile est, hoc cælum etiam à gentibus fuisse agnitum. Vide Peretium libro primo in Genesim. Qua de causa in eam potius adducor sententiam, vt rectius vniuersim negari posse existimem, Moysen in sua descriptione operum diuinorum, vllam cæli Empyrei expressam & distinctam fecisse mentionem (quod etiam non pauci de Angelis sentiunt, & in eundem sensum Sanctus Thomas 1. p. quæstione 68. art. 3. ait, *Moysen imbecillitati rudis populi condescendentem, illa solum eis proposuisse, quæ manifestè sensui apparent.*) quam solum cælum Empyreum in principio à Deo creatum commemorasse.

9 Ratio etiam quædam congruentiæ pro eadem conclusione est; quia cum cælum etiam sydereum sit corpus simplex, & quidem longè præstantioris naturæ, quàm terra & aqua, quæ in principio creata à Moyse referuntur, non conueniebat, illud post terram & aquam, aut ex aqua produci.

10 Ad contrarium fundamentum facilè respondetur, quando Genes. 1. v. 6 & 8. dicitur *Firmamentum* cæli nomine appellatum, idque secundo die factum fuisse, id non ita intelligendum, quasi cælum illud etiam quoad substantiam & essentiam suam, secundo primum die factum fuerit, sed solum, quod tunc primum addita duritie & firmitate, firmamenti nomen & robur acceperit, vt quæst. 3. dub. 1. & 2. magis declarabitur; sicut Deus dicitur *producere vētos de thesauris suis*, itemq; Philosophi aiunt, niuē, grandinem, pruinam, gelu, seu glaciem produci; cum tamen eorundem materia & forma substantialis iam antè præexistat; nec fetè nisi duricies & soliditas præexistenti materiæ addatur.

11 Neque verò ex eo, quod cælum vnà cum terra ab initio productum dicitur, consequens est, per cælum secundo posteà die productum, (cui & firmamenti nomen impositum) aliud cælum substantialiter diuersum intelligendum esse; quasi verò res vna & eadem non possit bis produci; neq; semel producta ac certo nomine significata, denuò eodem

nomine

nomine insigniri. Nam præterquam quòd eadem res, quoad substantiam semel producta, rectè potest iterum sub aliâ ratione mixti imperfecti, seu entis per accidens, denuò produci, vt anteà dictum: insuper etiam terra in principio producta dicitur v. 1. & tamen nihilominus posteà v. 10. rursum dicitur, tunc, cum aquæ in vnum collectæ fuissent, tertio videlicet creationis die, ipsam *aridam* terræ nomine fuisse vocatam: *Et vocauit Deus aridam terram.* Quo nomine vtique substantialiter eadem terra significatur, quæ initio producta, sed aquis nudata, nihilominus terræ nomine insignita refertur. Idem ergo etiam seruatâ proportione cogitandum de cælo, vt pluribus dicetur quæst. 3. dub. 1.

12 Assertio II. Non solum cælum omne quoad substantiam, simul cum terrâ, sed etiam Elementa omnia, quæ cęlo terraque clauduntur, etsi rudia adhuc, & nullo ornatu decorata, simul, & ab initio, ante ceterarum rerum productionem, à Deo ex nihilo fuerunt creata; ac posteà sex dierum spatio singulatim & ordine elaborata: ita nimirum, vt iuxta descriptionem Geneſis, primo insuper die lux; secundo soliditas ac firmitas cælesti substantiæ; tertio siccitas, vtrorque ac fæcunditas terræ; quarto sydera ac stellæ cælis, quinto omnis generis animantia aquis ac aëri, velut ornatus nouaque perfectio accesserint; sexto demùm die ceteræ terræ animantes, ac homo ipse in terris, vniuersaque hæc ex elementis iam antea creatis condita fuerint.

13 Hæc conclusio confirmat præcedentem, ac præterquam quòd optimis authoribus probata est, vt dicetur, probatur primò ex ipsa Scriptura sacra Genes. 2. v. 1. vbi dicitur, *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Quo loco nomine *cæli & terræ* vtique intelligitur idipsum cælum & terra, quæ Genes. 1. v. 1. *in principio*, & ante res alias creata dicuntur: cetera verò omnia, quæ post cælum & terram iam anteà producta, successiuè per sex dies facta narrantur, intelliguntur nomine *ornatus*, seu accidentalis cuiusdam perfectionis eiusdem cæli & terræ; ergo non est existimandum, cælos quoad substantiam, aut elementa, secundo, aut posterioribus primùm diebus fuisse producta; sed tam cælum, quàm terra, vnà cum ceteris elementis quoad substantiam, in principio & ante omnia alia creata; postea solùm perfectione quadam accidentali & ornatu exculta & decorata fuerunt. Nec verò id de aquis negari potest, cum mox post creatum cælum & terram Genes. 1. versu 2. dicatur: *Spiritus autem DEI ferebatur super aquas.*

14 Secundò probatur assertio authoritate Scriptorum, qui eam docuerunt. Siquidem elementa omnia, primo die, vnà cum cælo & terra fuisse producta, docent ex Patribus præcedente conclusione citatis, Basilius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Beda in Hexaem. item Innocentius, Lipomanus, Caietanus, Steuchus, Gregorius de Valentia, Pererius, & quos præcedenti quæstione pro tertia sententia citauimus, Ambrosius libro 2. Hex. c. 1. Procopius, Alcuinus, ipsiusque Ecclesiæ publicus hymnus, *Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus*, vt ibidem pro secunda conclusione diximus. Idem tradit Sanctus Thomas 1. p. q. 68. art. 3. & sequuntur ferè alij Scholastici. Speciatim Suarez 3. p. tom. 2. disputatione 58. sect. 2. vbi ait: *Cum dicitur in principio fecisse Deus cælum & terram: hoc de cælo solo Empyreo exponere, & æthereos cælos ac stellas, ex aqua tanquã ex materia putare procreata, nec philosophicis principiis consentaneum est, nec in Theologia habet aliquod fundamentum.*

Id verò ab ijsdem Patribus ita explicatur; siue quod sub duobus extremis corporibus, cælo terraque, etiam intermedia omnia elementa comprehendantur: siue quòd nomine cæli etiam ignis & aër, vti & nomine terræ, eidem insidens aquæ elementum, velut contentum nomine continentis significetur; siue quòd terræ nomine, quæ omnia solet elementa continere, etiam reliqua intelligantur: siue etiam quòd aquarum nomine eo loco Geneſis capite primo versu secundo, rectè intelligi generatim potest omne corpus diaphanum, præsertim liquidum; non solùm quia omne eiusmodi corpus, Spiritus Dei eidem quasi fouendo incumbens, ad noua quædam opera deinceps efficienda destinauerat; sed etiam quia ratio ipsa quodam modo cogit, per aquas ibidem aliquid intellexisse Moysen, quod iam anteà factum narrauerat. Cum ergo Moyses nomine cæli & terræ subintellexerit, etiam simul productam fuisse aquam, licet hoc non expresserit, cur non pari iure & ratione, ijsdem etiam nominibus à Moyse subintellecta fuisse dicamus, cætera elemenra, licet ea Moyses itidem non expresserit; fortè quia vt Sanctus Thomas loco citato ait, rudi populo ea solùm voluit exprimere, *quæ manifestè sensui apparent; aërem verò*, inquit ibidem ad 3. *& similia corpora, propter inuisibilitatem, sub aquæ nomine comprehendit.*

De hac re optimè inter alios Augustinus libro de Genes. ad litteram capite quarto. *Nec vllo modo arbitrandum est, prætermissum esse in hac Scriptura vllum mundi huius elementum; cum quatuor notissimis constare eum persuasum sit, quia videtur hic cælum; & aquam, & terram commemorare; de aere autem tacere. Consuetudo quippe nostrarum scripturarum est, aut cæli & terræ nomine mundum appellare, aut interdum addere & mare. Aer itaque etiam ad cælum pertinere intelligitur, si qua sunt in eius partibus tranquillissima & pacatissima spacia; vel ad terram, propter hunc turbulentum & caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguescit, quamuis & ipse sæpius cæli nomine nuncupetur.* 15

Præclarè etiam Sanctus Basilius homil. 1. Hex. in hæc ipsa verba, *In principio creauit DEVS cælum & terram: Ex duobus*, inquit, *principiis vniuersi sanè totius inuidit essentiam; vale quidem prærogatiuam in generatione dignitatis, terræ autem ad rerum essentiam secundas adscribens. Quicquid autem istorum medium est, id vnà cum ipsis omninò finibus (seu extremis) exortum est. Itaque etiamsi nihil de ceteris dixerit elementis, igne, inquam, atque aere, tuopte tamen solerti ingenio capere velis. Primum quidem quoniam in omnibus omnia sunt permixta: atque adeò in terra aquam, aerem & ignem inuenies: siquidem tam è silice, quàm è ferro, quæ suam originem è terra trahunt, ignis exilit, ac frictionibus copiosius emergens elucet, &c. Deinde quoniam cælum natura locum superum occupat, terra verò infimum, &c. is & ea comprehensim notauit, quæ mediam inter*

illa regionem occupant atque implent. Quare singulorum enarrationem quærere noli; sed ea quæ silentio præterita sunt, per iam declarata intelligere velis.

17 Idem sentit Tertullianus libro sexto contra Hermogenem capite vigesimo sexto, relatus dubio præcedenti, assertione prima, vbi docet, ea quæ Deus opera post primum diem perfecit, ad quandam solum dispositionem cæli ac terræ pertinere.

Denique ex Scholasticis, Henricus quodlib. 6. quæstione vltima ait: *Ne errandi occasionem accipere posset humana temeritas, si Scriptura narraret primò factum cælum, deinde elementa, pronuntiat ea simul creata, cum ait: In principio creauit DEVS cælum & terram; nomine terræ naturam omnium quatuor elementorum designans.* Ratio conuenientiæ est. Quia conuenientissimum erat, vt ante ornatum & perfectionem, reliquis deinceps diebus cælo terræque adijciendam, omnia prius elementa & corpora simplicia, quæ suâ naturâ ex se inuicem non fiunt, sed ex quibus alia, à Deo per creationem ex nihilo producerentur. Quam rationem etiam adfert Dionysius Carthusianus citat. 2. dist. 13. quæstione prima, vbi docet, opus distinctionis non superaddere operi creationis aliquod Esse substantiale, nec formas substantiales: *Quia*, inquit, *per opus creationis principia mundi sensibilis distincta sunt, quantum ad Esse primum, quod est per formas substantiales.*

18 Ex quibus etiam refellitur ea quorundam opinatio, qui terræ nomine significari putarunt ipsam materiam primam planè informem; quæ tempore cæterarum rerum corporearum productionem antecesserit: quam refellit etiam Sanctus Thomas citata quæstione sexagesima sexta, articulo primo, vbi Patres idipsum indicantes benè explicat, de informitate, hoc est, carentiâ illius decoris, qui mundo & elementis postea primùm accessit.

19 Denique ex dictis colligitur, corpora à Deo ex nihilo creata, non solum esse cælum Empyreum, terram, & aquam, vt existimauit Molina tract. de operibus sex dierum cit. disp. 2. sed etiam ignem & aërem, adeoque omnia elementa mundi: item quatuor cœua prima non tantùm esse Angelos, cælum Empyreum, materiam informem, & tempus (de quibus peculiarem tractatum scripsit Albertus Magnus; sed etiam totam substantiam cæleſtem, omniaque elementa, quæ tamen sub nomine materiæ informis rectè intelligi possunt, iuxta S. Thomam quæst. 66. art. 1.

DVBIVM III.

Qualis lux; & quo spatio primi diei sit producta; an post tenebras; & quis finis, & vsus eius lucis.

S. Thomas 1. p. q. 67. aa. 4.

1 LVcem fuisse primo die creatam, adeoque esse opus primæ diei extra omnem dubitationem est; siquidem expresè Moyses Gen. 1. v. 3. ait. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona: & diuisit lucem à tenebris; appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. Factumque est vespere & mane dies vnus*; hoc est primus. Hanc autem lucem fuisse creatam non in principio primi diei, sed sex circiter horis tenebrarum, post initium primi diei, elapsis, constat ex dictis dub. 1.

Quibus positis, de eadem luce quæritur primò, 2
an fuerit corporea, an incorporea. De qua re sunt duæ sententiæ. Prima est Augustini, qui lib. 11. de ciuit. cap. 9. & 33, docet, hanc lucem spiritualem esse, quemadmodum etiam refert S. Thomas citat. q. 67. art. 4. vbi ait: *Augustinus videtur dicere, quod non fuerit conueniens, Moysen prætermisisse spiritualis creaturæ productionem. Et ideo dicit, quod cum dicitur, In principio creauit Deus cælum & terrã, per cælum intelligitur spiritualis natura adhuc informis: per terram autem intelligitur materia informis corporalis naturæ. Et quia natura spiritualis dignior est, quam corporalis, fuit prius formanda. Formatio igitur spiritualis naturæ significatur in productione lucis, vt intelligatur de luce spirituali. Formatio autem naturæ spiritualis est per hoc, quod illuminatur, vt adhæreat verbo Dei.* Eandem sententiam secuti sunt Eucherius in cap 1. Genes. & Rupertus lib. 1. de Trinit. cap 10.

Secunda sententia communis SS. Patrum est, eam lucem fuisse corporalem. Ita refert ibidem Sanctus Thomas: *Alijs*, inquit, *videtur, quod sit prætermissa à Moyse productio spiritualis creaturæ. Sed huius rationem diuersimodè assignant. Basilius enim homil. 1. Hexaem. dicit, quod Moyses principium suæ narrationis fecit à principio, quod ad tempus pertinet sensibilium rerũ: sed spiritualis natura, id est, Angelica, prætermittitur, quia fuit ante creata.* Sed hæc ratio non probatur ex dictis disput. 5. quæst. 1. dub. 1. *Chrysostomus autem homil. 2. in Genes. assignat aliam rationem: quia Moyses loquebatur rudi populo, qui nihil nisi corporalia poterat capere, quem etiam ab idololatria reuocare volebat. Assumpsissent autem idololatriæ occasionem, si propositæ eis fuissent aliquæ substantiæ, supra omnes corporeas creaturas. Eas enim reputassent eos; cum etiam proni essent ad hoc, quod solem, & lunam, & stellas colerent, tanquam deos: quod eis inhibetur Deuter. 4.* Atque hæc vtique sententia, lucem illam fuisse corporalem & sensibilem, multò verior est, quam etiam dub. 1. supposuimus; eademque est communis Scholasticorum ac Interpretum sententia: quam tradunt Magister, & alij in 2. dist. 13. præsertim cum opposita Augustini sententia parùm probabili nitatur fundamento, nimirum totum opus creationis & formationis mundi fuisse simul ac in eodem instanti peractum; & dies sex à Moyse commemoratos solum significare cognomen Angelicam, ad alia & alia obiecta terminatam, quod refutauimus quæst. 1. dubio quarto.

Quæritur secundò, quanta fuerit illa lux primò 4
creata. Et quod ad quantitatem extensiuam attinet, iam suprà dub. 1. retulimus Iunilij seu Bedæ sententiam, qui dixerat, eam lucem fuisse æqualiter ac generaliter per totum corpus cæleste diffusam. Sed quam ibidem refutauimus; quia hac ratione non potuissent distingui noctes & dies, *mane & vespere*, quod tamen huic luci tribuitur Genes. 1. versu 4. Nisi quis dicat, retractione seu extinctione lu-

minis

minis noctem; iterata vero emissione radiorum seu luminis diem fuisse productam, non sine continuo miraculo: quod proinde infra quæstiuncula 5. reiicietur. Fuit ergo lux illa non æqualiter per totum cœleste corpus diffusa; sed particulari aliquo spatio cœlestis corporis definita; cuius successiua promotione, dies & nox distingueretur, ipsorumq; naturalium dierum spatia distinguerentur; donec creato sole, perfectior distinguendi ratio succederet, vt inferius loc. cit. dicetur. Quod vero ad quantitatem intensiuam attinet, probabiliter credo, eam lucem initio non fuisse tam intensam ac perspicuam, quam in sole postea die quarto enituit: quod expresse docuit Pererius mox citandus, & consentaneum est S. Thomæ. Ratio conuenientiæ patebit ex quæstiunc. sequente.

5 Quæritur tertio, qualis secundum propriam rationem & substantiam ea lux fuerit. In qua re maior est sententiarum varietas: quam ita breuiter simul refert ac recenset idem S. Thomas cit. q. 67. a. 4. ad 2. [Quidam, *inquit*, dicunt, lucem illam fuisse quandã nubem lucidam, quæ postmodum facto sole, in materiam præiacentem rediit. Sed istud non est conueniens. Quia scriptura in principio Geneseos commemorat institutionem naturæ, quæ postmodum perseuerat. Vnde non debet dici, quod tunc aliquid factum fuerit, quod postmodum esse desierit. Et ideo alii dicunt, quod illa nubes lucida adhuc remanet, & est coniuncta soli, vt ab eo discerni non possit. Sed secundum hoc illa nubes superflua remaneret: nihil autem est vanum in operibus Dei. Et ideo alii dicunt, quod ex illa nube formatum est corpus solis. Sed hoc ẽt dici non potest, si ponatur corp9 solis non esse de natura quatuor elementorũ, sed esse incorruptibile per naturã. Quia secundũ hoc materia eius non potest esse sub alia forma. Et ideo est dicendũ, quod vt Dionysius c. 4. de diuin. nom. quod illa lux fuit lux solis; sed adhuc informis, quantum ad hoc, quod iam erat substantia solis, & habebat virtutẽ illuminatiuam in cõmuni; sed postmodũ data est ei specialis & determinata virt9, ad particulares effect9. Et secundũ hoc in productione huius lucis, distincta est lux à tenebris, quantũ ad tria. Primo quidẽ quãtũ ad causã, secundũ quod in substantia solis erat causa luminis; in opacitate aũt terræ, causa tenebrarũ. Secundo quãtũ ad locũ, quia in vno hemisphærio erat lumen, in alio tenebræ. Tertio quantum ad tempus; quia in eodẽ hemisphærio, secundum vnam partem temporis erat lumen, secundum aliã tenebræ. Et hoc est, quod dicitur, Lumen vocauit diem, & tenebras noctem.] Ita S. Thomas, qui eandem repetit sententiã q. 70. a. 1. & sequuntur Dionysius Carthusianus in c. 1. Gen. a. 9. Pererius lib. 1. in Genes. vers. 3. & Gregorius de Valentia hic disp. 5. q. 3. pun. 1.

6 Sed nec ista sentẽtia caret difficultate. Primo. Quia vix explicari potest, quanam ratione hæc lux initio informis, postea primum quarto die fuerit formata magis, & perfecta; nec id satis explicat S. Thomas. Pererius autem & Gregorius de Valentia eam perfectionem in hoc potissimum constituunt, quod tunc primum (quarto die) proprio motu, per quem quatuor anni tempora distinguuntur, moueri cœperit ab occasu in ortum; cum ante dies inter se plane æquales confecerit. Sed cum hoc nihil plane addat intrinsecæ perfectionis ipsi luci, non est ratio, cur ea lux prius dicta sit informis. Vnde Pererius: *Addi*, inquit, *posset, quarto die accessisse soli, eam quam postea habuit magnitudinem, figuram & pulchritudinem, non enim primo die globus vsquequaque accensus est, sed aliquatenus tantum. &c.* Sed hoc iuxta S. Thomam quæst. 67. articulo tertio, vbi lucem statuit ex forma substantiali solis emanare, absque substantiali mutatione solis fieri non poterat; quam tamen S. Thomas in sole respuit, vt vidimus. Deinde, Si sol, seu solis corpus quoad substantiam iam primo die creatum erat; Ergo vel luminare maius, de quo mentio est Genes. 1. vers. 16. non est ipse sol, seu corpus solis; vel certe id non fuit quarto primum die productum; quorum vtrumque est absurdum & contra literam Moysis, ac communem omnium interpretationem; quicquid Catharinus male posterius admittat.

Ob quam potissimum causam, omissis variis aliorum sententiis, quas refert Pererius loc. cit, ea mihi magis probatur sententia, lucem illam primigeniã, non fuisse certam aliquam substantiam lucidam, sed solum accidens lucis, siue luminis, nulli subiecto certo constanter inhærẽs, sed à solo Deo in cœlesti corpore adhuc liquido, vt dicetur, seu in cœlestibus aquis, secundum lineam verticalẽ ita successiue productam, vt sensim in alia & alia eiusdẽ corporis parte perinde produceretur, ac si vnum & idem corpus lucidum motu suo, ab occasu in ortum, naturalem diem ac continuam lucis ac tenebrarum successionem efficeret. Hanc existimo fuisse sententiam Basilii homil. 6. in Genes. si verba eius bene expendantur, vt recte intellexit Molina, & fere Pererius infra, etsi plerique ibi eum explicent, quasi senserit, illam lucem perpetuo miraculo, absq; omni subiecto cõstitisse. Eandem sententiam indicant Gregorius Nazianzenus orat. in nouam Dominicam, Theodoret9 q. 14. & 16. Athanasius q. 74. Anastasius Antiochen9 in Hexaem. lib. 4. Procopius hic, & Damascenus l. 2. fid. c. 7. item Didymus & Apollinaris in Catena; qui dum dicunt, hanc lucem quarto die inditã luminaribus cœli, non de luce eadem plane singulari ac individua, sed de eadem, per continuam quandam successionem, (sicut eadem fluminis aqua dicitur) accipiendi videntur: nisi forte lucem aliquã aut sine subiecto existere, aut ab vno in aliud naturaliter migrare existimauerint, in qua re non sunt sequendi. Nec vero absurdũ est, vt accidens aliquod & mera qualitas, primo die à Deo producta, mox postea, secundum individuam rationem, desierit & euanuerit: præsertim si dicatur, lucem ibidem (vti & alias sæpe) pro lumine accipi, vt inferius dicetur. 7

Eandem sententiã ex instituto probat & defendit Molina de oper. sex dier. disp. 7. & probabilem existimat Delrius in cap. 1. Genes. num. 22. vbi etiam notat, posse in eundem forte sensum non incommode intelligi Dionysium cit. cap. 4 à S. Thoma in aliam sententiam citatum; cum Maximus in scholiis, ex mente Dionysii dicat, non ipsum solẽ, seu corpus solis, primo die creatum, sed ὅτι τὸ πρωτόκτιστον φῶς τῇ πεμπτῃ ἡμέρᾳ μετεσχηματίσθη εἰς ἥλιον, hoc est, *quod lumen primo creatum in solem fuerit transformatum.* Vt sim ambiguus, inquit Delrius, vtrum S. Dionysius id senserit, quod sensisse Scholastici latini eũ 8

opinantur; an vero tantum, hoc lumen idipsum esse (modo superius explicato) quo postea sol illuxit, quemadmodum S. Nazianzenus, & ceteri illi Patres censuerunt, à voce etiam *luminaris* argumentum ducentes, quod φωσφόρα vocant.

9 Et probatur hæc sententia primo; quia consonat magis scripturæ sacræ. Neque enim, vt bene argumentatur Molina loc. cit. dixit Deus, *Fiat luminare*; sed, *Fiat lux, & facta est lux*. Quando vero quarta die fecit luminaria, dixit, *Fiant luminaria in firmamẽto cæli, & diuidant diem ac noctem*. Et infra v. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna, &c. & stellas, & posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras*. Vbi Deus, cum quarta die facta iam essent luminaria, à quibus immediate lux procedebat, ipsismet luminaribus tribuit, diuidere diem ac noctem, & lucem ac tenebras: prima autem die sibiipsi attribuit, diuidere lucem ac tenebras; eo quod immediate ab ipso lumen prodiret. Accedit, quod in versione LXX. eo loco Genes. v. 3. vbi de luce primæ diei agitur, legitur τὸ φῶς, quod proprie nec luminare, nec lucem primigeniam subiecti lucidi, quasi fontem luminis, sed *lumen* significat; sicut etiam promiscue in scriptura lumen & lucem pro eodem vsurpari, notauit Delrius loc. cit. Præterea hæc sententia nullas, vt aliæ, aut certe minores patitur difficultates; vt ex dictis colligitur. Denique si in re arcana coniecturam facere licet, forte præuia hac in archetypo seu magno mundo imperfectæ cuiusdam lucis formatione, significare voluit Deus, in antitypo mundo, imperfectum & mutabilem ac defectibilem statum gratiæ, quacum primus homo, veluti paruus mundus, postea fuit creatus; atque ipsi etiam Angeli initio erant producti: donec postea statu beatitudinis adepto, plena & constanti luce, vtrique quasi iam ipsius solis æmuli collustrarentur.

10 Quæritur quarto; quare lux, ante reliqua opera dierum sequentium fuerit producta; ita vt quasi primum esset opus formationis seu distinctionis mundi. Ad hoc bene respondet S. Thomas cit. q. 67. a. 4. *Necessarium fuit, vt informitas tenebrarum primo remoueretur, per lucis productionem, propter duo. Primo quia lux est qualitas primi corporis. Vnde secundum eam prima fuit mundus formandus. Secundo propter communitatem lucis. Communicant enim in ea inferiora corpora cum superioribus. Sicut autem in cognitione procedit à communioribus, ita etiam in operatione. Nam prius generatur viuum, quam animal, & animal quam homo, vt dicitur in lib. 2. de generat. animal. cap. 3. Sic ergo oportuit, ordinem diuinæ sapientiæ manifestari, vt prima inter opera distinctionis, produceretur lux, tanquam prima corporis* (cœlestis) *forma, & tanquam communior. Basilium tamen homil. 6. Hexaem. posuit tertiam rationem; quia per lucem omnia alia manifestantur. Potest & quarta ratio addi, quia dies non potest esse sine luce. Vnde oportuit in prima die fieri lucem*. Ita S. Thomas. Addo deniq;, lucem fuisse figuram quandam, vti dictum est, gratiæ hominibus vel Angelis communicatæ; quæ in illis est quasi fundamentum omnis reliqui ornatus supernaturalis, ex variis virtutum bonorumque actuum operibus ac fructibus existentis. Quæ etiam causa fuit, cur initio fuerit lux imperfectior, vti dictum.

8

Quæritur quinto, quomodo tunc lux illa effecerit diem ac noctem. Respondeo ex dictis, nõ fecisse hoc, quasi ipsa in se, pro Dei arbitratu, nunc quidem sui splendorem effuderit, alias vero contraxerit, vt significat Basilius homil. 2. in Hexaem. & Damascenus lib. 2. cap. 7. quod merito refutant Augustinus lib. 1. super Gen. cap. 11. & 16. & S. Thomas hic q. 67. a. 4. ad 3. Nec quod ipsa in se, ac secundum rationem indiuiduam, vere fuerit ab Oriente in Occidentẽ, mota, donec continuo motu spatio viginti quatuor horarum, suum cursum absolueret, & ad idem punctum rediret, vt S. Thomas loc. cit. Gregorius de Valentia, Pererius, & alii, idque iuxta suam sententiam necessario ac conuenienter docent: sed quod effectiue à Deo, & continua quadã successione, in cœlesti corpore adhuc liquido, ita fuerit propagata, semper interim simul partem priorem deserendo, perinde ac si eiusdem magnitudinis lucidum corpus vero motu locali totum cœli ambitum, vt antea dictũ, peragrasset. Id quod ex dictis, & expositione nostræ sententiæ, circa quæstionem secundam, sequitur, & facile cuiuis perspicuum est. Plura de hac luce videri possunt apud citatos. Nec enim in eo nobis immorandum est, vt explicemus & defendamus, lucẽ non esse corpus; nec formam substantialem corporis; sed accidens; quod à S. Thoma hic cit. q. 67. a. 2. & 3. contra nonnullos docetur, cum id ex Philosophia sit compertum. An vero tanquam proprietas quædã, ex ipsa forma substantiali solis, seu corporis lucidi oriatur, vti significat S. Thomas cit. a. 3. in corp. inferius dicetur q. 2. dub. 3. & quæst. 4. dub. 2.

11

DVBIVM IV.

Ex qua materia corpus cœleste constet.

S. Thom. 1. p. q. 66. a. 2.

NOmine cœli in principio ac initio primi diei creati non intelligi tantum cœlum Empyreũ sed totum corpus cœleste, quoad suam substantiam, dictum est dub. 2. Quo posito, merito deinceps & conuenienti ordine, persistendo in expositione eiusdem operis primi diei, de cœlorum natura & cõmunibus proprietatibus (soliditate excepta, quæ proprie ad firmamentum, & opus secundę diei pertinet) dubiis aliquot subsequentibus disseremus. Et quod ad materiam cœli ac præsentem dubitationẽ spectat; 1

Suppono primo, cœlum esse corporeum. Quæ 2
communis & certa est SS. Patrum, ac Philosophorum sententia; nec de cœlo sydereo dubitatio esse potest, cum sensui obiiciatur. Empyreum vero licet Iustin[9] in admonitorio, *intelligibile*; Anselmus lib. 1. de imagine mundi c. 28. *spirituale* dixerint; ad hæc Origenes in Genes. hom. 1. cœlo Empyreo *corporeum* opponat, & denique Steuchus in cap. 1. Genes. vlterius temerè progressus, etiam *lucem quandam increatam, & perenniter à Deo emanantem* dixerit: tamen alii SS. Patres, hodieq; Theologi omnes, merito cœlum etiam Empyreum, vtpote non tantum Angelorum, sed etiam hominum beatorum sedem ac domicilium, corporeum esse docent. Vt taceam, quod Gennadius lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 12. absolute pronunciat, *nihil incorporeum & inuisibile naturaliter credendum, nisi solum Deum*.

Suppo-

3 Suppono secundo, iuxta receptam ex Aristotele 1. de cœlo cap. 7. tex. 94. & 12. Metaph. cap. 2. tex 10. aliisque Philosophis antiquioribus, Peripateticorum sententiam; quam S. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & 2. item Bonauentura, Ægidius, Capreolus in 2. d. 12. Heruæus quodl. 4. q. 3. & alii Theologi ac Philosophi communiter, imo vt Ruuius infra ait, *omnes recentiores* sequuntur, omnem substantiam corporeã, adeoq; etiam cœlum, constare materia & forma. Quod & SS. Patres in caput 1. Gen. disputantes, tanquam ratum ac firmum supponunt, vt videbimus: quicquid fauente nonnihil S. Thoma in 2. distin. 12. q. 1. a. 1. ad 5. post Auerroem in lib. de substantia orbis c. 2. & lib. 8. Metaph. c. 4. & l. 1. de cœlo tex. 7. & 10. Durandus & Gabriel in 2. d. 12. Mayro, & Bassolis distin. 14. Godfredus quodlib. 2. q. 2. Iandunus 8. lib. Metaph. q. 7. itemq; Petrus Aureolus in 2. d. 14. a. 1. & 2. dixerint, esse quidem corporeum & quantũ, at non compositum ex materia & forma; sed *formam quandam per se cohærentem absq; materiâ*; quantitate aliisq; accidentibus quibusdam affectã. Quod ex parte etiam comprobat Scotus in 2 d. 14. q. 1. vbi putat, secundum Theologos tribuendam cœlo materiam, secundum Philosophos negandam. Sed hoc præter alios merito refellit Dionysius Carthusianus in 2. d. 14. q. 1. vbi addit, quod *opinio illa Auerrois exstat erronea, Aristoteli quoq; contraria* &c. etsi forte illa *Erroris* censura nimia videri possit.

4 Aristoteles certe lib. 1. de cœlo cap. 7. tex. 64. expresse ait: *Cœlum autem est quidem eorum, quæ singularia sunt; & eorum, quæ ex materia.* Et lib. 2. de generat. sum. 4. cap. 1. tex. 51. *Sunt igitur*, inquit, *& numero æqualia, & genere eadem*, (principia) *quæ & in sempiternis, & in primis: illud enim vt materia est, hoc autem vt forma.* Et lib. 8. Metaph. cap. 2. tex. 3. ait: *Sensibiles vero cunctæ substantiæ materiam habent.* Et lib. 12. tex. 10. *Cuncta*, inquit, *quæcunque mutantur, materiam habent, sed diuersam.* Et mox addit, sempiternã habere materiam *non generabilem.* Neque dubium, cœlum secundum Aristotelem esse substantiam sensibilem, cum oculis conspiciatur. Quod vero lib. 9. Metaph. tex. 17. negat, incorruptibilia esse in potentia substantiali; intelligendum est de potentia separabili ab actu suo. Ratio est. Quia omne corpus materiale est, adeoq; constans materia; cœlum autem esse corpus, fatentur Aduersarii: Ergo. &c. Quod cum ex ipsis adeo terminis notum sit, non immerito ait Antonius Ruuius lib. 1. de cœlo c. 2. q. 5. *oppositam sententiam ab scholis prorsus esse relegatam.*

5 His ergo positis, controuertitur, ex qua materia cœli constent, & cuius adeo sint naturæ; eaq; etiam controuersia duplex est. Prima, an cœlum (saltem sydereum) ex aliqua præsupposita ac præexistente materia productum sit? Secunda, ex quanam materia cœlestia corpora constent?

Et quod ad primum attinet, patet iam ex dictis dub. 2. non modo cœlum Empyreum, de quo nulla hic est controuersia, sed etiam sydereum; imo & aereum, quoad substantiam, ex nulla materia præexistente productum, sed à Deo ex nihilo creatũ fuisse: tametsi illi ipsi, qui dicunt, *in principio*, & ante cetera omnia creatum, & ex nihilo productum fuisse, vna cum terra, solum cœlum Empyreum; cœlum vero sydereum, etiam quoad substantiam, primũ secundo die à Deo productum fuisse, consequenter asserant, idipsum cœlum sydereum non ex nihilo, sed ex aliqua præexistente materia factum fuisse.

Quod tamen præter ea, quæ cit. dub. 2. diximus, 6
ex hoc etiam probabiliter refellitur. Nam si cœlum sydereũ, siue firmamentum, ex præsuppositaac præexistente materia, terra videlicet, aqua, aere, vel igne (quæ sola ante firmamentum vna cũ Empyreo producta fuisse dici possunt) factum fuisset, tunc ea productio à Moyse non soli Deo, sed ipsi etiã materiæ eiusmodi præsuppositæ tributa fuisset; nec adeo dictũ à Deo fuisset, vt cap. 1. v. 6. legimus, *Fiat firmamentum &c. Et fecit Deus Firmamentum &c.* Sed potius dictũ à Deo fuisset, producat terra, vel aqua, vel aer, vel ignis firmamentum: sicut ob eandem causam dictum est ibidem v. 20. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram.* Et rursum v. 24. *Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas.* Plura inferius.

Quod vero ad alteram controuersiam attinet, ex 7
quanam videlicet materia cœlestia corpora constẽt, de materia propinqua potissimũ sermo est, ac si quæras, cuius sint naturæ. Cum n. quoad substantiam, vt dictũ, ex nulla præsupposita materia, producta, sed proprie creata sint, non possunt dici ex hac vel illa, puta huius vel illius elementi materia constare, nisi quia naturam his vel illis elementis similem, iisdemque dispositionibus materialibus affectam habent.

Hæc autem quæstio explicatu difficillima iam 8
olim viris doctissimis visa est; è quibus Philo lib. de somniis: *Cœlum vero*, inquit, *naturam habet incomprehensibilem; nec vlla eius notitia certa demanat ad nos. Quid enim possumus de hoc pronunciare? Esse concretam glaciem, vt quibusdam placet, an ignem purissimum? an quintum quoddam corpus in orbem mobile, nulli affine ex elementis quatuor? Quid illa extrema sphæra fixorum syderum, habeine soliditatem, an superficiem tantum sine elevatione, figuris in plano pictis similis? &c.* Similiter & Basilius vtroque tractatu, seu potius versione Hexaemeron; nimirum homil. 1. & lib. 1. cœli naturam plane fatetur *incomprehensibilem.* Et Augustinus nusquam propemodum magis hæret, quam vbi de cœlorum natura ac proprietatibus disserit, vt inferius patebit. Denique Damascenus lib. secundo, cap. sexto ait, *Substantiam cœli nimium quærere non oportere, ignotam nobis existentem.*

Qua de causa etiam variæ prorsus sunt tam Philo- 9
sophorum, sanctorumque Patrum, quam posteriorum, recentiorumque Doctorum ea de re sententiæ. Sunt enim multi veteres, recentioresque scriptores, qui cœlum sydereũ, siue mobile ex materia elementari, adeoq; ex ipso aliquo elemento constare volũt. Etenim vt notauit Pererius lib. 2. in Gen. q. 10. præter vnum Aristotelem, qui cœlum quintæ cuiusdam essentiæ esse docuit, & naturã quandam ab omnibus rerum sublunariũ naturis longe semotã diuersamq; omnium Philosophorum concors fuit sententia, cœlum & astra vel ex quatuor elementis, vel ex duobus, vel ex eorum vno aliquo constare. Quas Philosophorum sententias referunt Plutarchus lib. 2. de plac. Phil. c. 11. Philo lib. de somn. Theodoretus lib.

de ma-

de mater. & mundo, Mirandula lib. 1. Exam. cap. duodecimo.

10 Et prima sententia est, cœlum & astra esse naturæ igneæ; adeoque materia ignis constare. Ita veteres Ægyptii olim stellas cœlestes esse ignes tradiderunt. Anaximander docuit, solem ignem esse purissimum; Anaxagoras, solem esse candentem laminam seu ferrum; Plato in Timæo necessarium esse docet, quia cœlum visibile est, ex igne constare; saltem potiore sui parte. Stoici itē omnes docent, sydera esse ignea, pascique & alimentis aporibus ex aquis & terra sublatis, & ad se attractis. Quod etiam sequitur & tuetur Balbus apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum, & post eum Plinius lib. 2. c. 9.

11 Sed & Augustinus, iisdem Stoicorum ac Platonis placitis insistens, pluribus locis indicat, cœlum & astra constare natura ignea, vt notauit etiam Magister lib. 2. dist. 14. Namq; lib. de Genes. ad literam cap. 4. (quem locum citauimus quæstione præcedente conclusione secunda) cum Augustinus quatuor tantum agnoscat corpora simplicia, è quibus totus hic mundus coagmentatus est, terram, aquam, aerem & ignē, hunc maxime cœlo & astris assignat.

Et lib. 2. de Gen. ad literam cap. 3. ait, *Itaque super aerem purus ignis, esse dicitur cœlum; vnde etiam sydera atq; luminaria facta coniectant, illius videlicet igneæ lucis in eis formas, quas in cœlo cernimus, conglobata dispositaq; natura.*

12 Fauent eidem sententiæ plerique alii SS. Patres, quicunq; aquas supra firmamentum existentes, veras aquas, & ad refrigerandum temperandumq; ardorem syderum, in cœlo positas fuisse tradiderunt, vt inferius dicetur. Sed & aperte ipsum totum firmamentum igneæ esse naturæ sensisse videtur Gregorius Nyssenus, in Hexaem. item Alcuinus quæst. 23. in Genes. Anselmus lib. 1. de imagine mundi cap. 25. & Dionysius Carthusianus enarrat. in Gen. art. 20.

13 Qui etiam in 2. senten. d. 14. quæst. 2. pro comperto habendum existimat, corpora cœlestia esse elementaris naturæ, cum ait: *Postremo omnibus iam prætactis viue præposse pensatis, securius reor, textum geneseos, ac sanctos sequi Doctores, & ipsam Canonicæ scripturæ defendere veritatem. Certum est autem, excellentiores sanctos Doctores, tam latinos, quam græcos, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, posteriores q; multos, videlicet Bedam, Strabum, Rabanum, Alcuinum Albinum; vt inter Græcos Basilium, Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, Ioannem Damascenum, & alios plures, ita egisse, vt quod omnes hi senserunt, scripserunt, & fassi sunt, corpora cœlestia elementaris esse naturæ: opinionem quoque illam* (Aristotelis) *quod sint altioris speciei & quintæ essentiæ, ex intentione redarguisse, prout ex præallegatis ostenditur.*

14 Denique ex recentioribus Martinengus in cap. 1. Gen. pag. 666. etsi dubius tamen, *si à Peripateticis discedendum sit*, vero similiter censet, *& ipsum cœlum ex elementorum summitatibus coagmentatum, ex prædominio igneum esse.* Quod etiam apertius tradit pag. 476.

Rationes esse possunt. Tum quia ipsa etiam scriptura soli calorem tribuit. Psal. 28. *Non est, qui se abscondat à calore eius.* Eccles. 43. *Sol in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?* Tum quia aspectu ipso videtur deprehendi, astra non solum lucida esse, sed etiam flammantis cuiusdam & coruscantis naturæ, vt ex perpetua omnium fere stellarum scintillatione colligitur. Idem significat nomen Ætheris, (vt de cœlo Empyreo taceam) quod ab igne dicitur.

Secunda sententia est, astra quidem esse naturæ igneæ; at vero cœlos ex aquis, seu aquea materia constare. Refert & sequitur hanc sententiam velut communem Procopius in cap. 1. Genes. *Sunt*, inquit, *qui perhibent, eius naturam nobis parum esse cognitam & compertam: quamuis via peruulgata omnium Theologorū, ex aqua compactum esse tradatur. Nec desunt, qui autumant eius materiam esse aquam, & subsistere, Deo id formante & componente. Alii docent, saltem esse partē quandam aquæ. Quidam affirmant, firmamentum constructū esse ex tertia aquarum parte, aliis duabus partibus, altera in terra, altera supra firmamentum fluente. Vnde Hebræorum lingua nuncupetur summum* (Samaim) *quæ dictio Crystallum, vel aquam congelatam denotat.* 15

Et Cyrillus catech. 9. distincte docet, *aquam esse cœlum, & igneum in eo solem, & lunam, & sydera.* Eiusdem sententiæ sunt, Iosephus lib. Iud. antiquitatum cap. 1. Clemens Romanus lib. 2. Recognitionum, Theodoretus quæst. 11. in Genes. Gennadius & Seuerianus in catena, Beda in Hexaemeron, Hugo lib. annot. in Genes. Magister sententiarum lib. 2. dist. 14. Author historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 4. & ex recentioribus Molina prima parte tractatu de opere sex dierum, disputat. 2. & 10. Catharinus item in epist. 2. Pet. cap. 3. & Heb. 1. Valesius Philos. sac. cap. 89. Martinus del Rio in cap 1. Genes. Salmeron in Euang. tom. 1. Prolegom. 5. & tom. vlt. in 2. Pet. cap. 3. disputat. 4. aliiq; nonnulli recentiores: qui aperte sentiunt, cœlos esse naturæ elementaris; adeoque constare ex materia elementari; idque contra Peripateticos ex scriptura liquere autumant. 16

Verba Bedæ, perspicue mentem eorum, quos citauimus, explicantis sunt: *In medio aquarum firmatum esse constat sydereum cœlum: neque aliquid prohibet, vt de aquis factum esse credatur. Qui enim crystallini lapidis, quanta firmitas, quæ sit perspicuitas, ac puritas nouimus, quem de aquarum concretione certum est procreatum:* (ita author hic, & plures alii veteres existimabant) *quid obstat credi, quod idem dispositor naturarum in firmamentum cœli substantiam solidarit aquarum?* 17

Ad astra vero pertinere existimo, quod idem Beda docet alibi, cœlum esse naturæ igneæ, sic enim ait cap. 1. de nat. rerum: *Cœlum sublimis, igneæque naturæ, rotundumque & à centro terræ aquis spatiis vndiq; collocatum.* Et lib. 2. de Elem. Philos. initio: *Ignis*, inquit, *est spatium à luna sursum; quod idem æther dicitur, cuius ornatus est, quicquid supra lunam videtur; scilicet stellæ tam infixæ, quam erraticæ.* 18

Ratio sumitur tum ex similitudine, quam ratione perspicuitatis & puritatis habet cœlum cum aquis, præsertim conglaciatis. Tum quia idipsum etiam colligi videtur ex scriptura. Nam vt Molina disputatione secunda ratiocinatur, *firmamentum factum est in medio aquarum, eoque diuisit Deus aquas ab aquis, vt scriptura sacra aperte narrat Genes. primo, vers. septimo. Ergo ante firmamentum non erant aer & ignis; alioquin aquæ superiores, iam fuissent diuisa ab aquis inferioribus aere, aut simul etiam igne; ac proinde non* 19

diui-

diuisisset eas firmamento, nec scriptura narraret, Deum dixisse, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas. &c. Cum ergo in interstitio, quod firmamentum hodie occupat, non fuerit vacuum, à principio creationis cœli & terræ, vsque ad secundam diem, in qua factum est firmamentum, nec detur aliud corpus, quod in eo spacio fuerit præter aquas, quas scriptura à principio vna cum cœlo & terra commemorat factas, colligitur profecto, in eo spatio fuisse aquas, ex eisque fabricatum fuisse firmamentum, hoc est, orbes omnes cœlestes, ignemque & aerem. Neque enim dicendum est, aquas quæ ibi erant, fuisse redactas in nihilum, de nihiloque creatum fuisse secunda die firmamentum. Ita Molina.

20 Idem colligitur ex hebraico nomine cœli *Schamaym*; quod ad verbum sonat, *ibi aquæ*: quanquam hoc magis probat aquas supra cœlos esse, vt dicetur q. 8. quam ex aquis cœlos.

21 Tertia sententia est, cœlum esse naturæ aereæ. Ita quosdam recentiores Astronomos sentire refert Tycho Brahe epistola ad Christophorum Rottmannum, Mathematicum Landgrauianum data Anno 1588 die 17. Augusti, vbi ait: [Materiam sphærarum cœlestium tu non aliam, quam elementarem aerem esse, & refractiones nullas ob diaphanorum ætheris & aeris diuersitatem fieri contendis; omnemque refractionum occasionem, in solos vapores horizonti obuersantes reiicis. *Et infra:* Qui vero cœlum, *inquit*, aereum statueret, neminem ante Iohannem Pennam Gallum percepi: Cuius tu sententiæ suffragari videris: & nuper etiam Iohannes Iordanus Nullanus in quodam scripto de mundo, contra Peripateticos idem asserere ausus est.

22 Et rursum in alia epistola ad eundem, Anno 1589. 21. Februarii data: [Quantum vero, *inquit*, ad priorem epistolæ tuæ partem attinet, in qua copiose & perseueranter materiam cœli esse aerem elementarem contendis, nec à semel arrepta sententia te vllis ratiociniis dimoueri sinis: eaque, quæ in contrarium merito dicuntur, speciosis subterfugiis eludere conaris, hisce non constitui sigillatim multa respondere. Quin per me tibi liberum sit, elementum aeris cœlo miscere; siquidem non aliter vis; imo si quis cœlum aqueum, vt Hebræi, vel igneum, vt Paracelsistæ, aut etiam terreum (modo cui sic lubeat) aut quiddam ex his quatuor compositum, vt nuper Franciscus Vallesius affirmare præsumpsit, mea etiam non interierit. &c.] Argumentum pro hac sententia sumitur ex refractione, quæ eadem est in æthere & in aere; quod fieri non posset, si æther ab aere naturæ esset diuersæ.

23 Quarta sententia est, cœlos esse naturæ terreæ, adeoque ex terra fabricatos. Ita sensisse feruntur Thales & Anaximenes; & vt nonnulli volunt, etiam Empedocles.

Ab his omnibus diuersa est quinta sententia, quam sequentibus assertionibus explicamus & tuemur.

24 Assertio I. Cœli non constant ex igne vel aqua elementari; aut vlla materia, seu natura elementari; sed sunt propriæ cuiusdam ac quintæ essentiæ, ab omnibus quatuor elementis diuersæ. Ita ex instituto, ac forte primus omnium docet ac probat Aristoteles lib. 1. de cœlo cap. 2. & 1. Meteor. cap. 3. quem secutus est Theophrastus discipulus ipsius; omnesque Aristotelis interpretes; tam Græci, quam Arabes; speciatim Auerroes, Auicenna, Algazel. Quos ab annis iam quadringentis, sequuntur omnes fere Scholastici.

Albertus in 2. d. 14. q. 2. docet, cœlum ac materiam cœli [non esse eiusdem naturæ cum sublunaribus; *& addit:* Cœlum secundum Augustinum, non est de natura aquæ deorsum fluxibilis; sed est ex aqua, quæ propter puritatem naturæ, in substantia; & perspicuitatis, in dispositione materiali, ac luminositatis in profundum sui, per opus distinctionis, sita est super cœlos, vt ex ea formarentur cœlestia, sicut est dictum. Et illa aqua nullum est elementum.] Item Alensis 2. parte q. 50. [Cœlum, *inquit*, stellatum videtur ex eadem esse informi materia, de qua dicitur Genes. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas; non tamen ex eadem materia propria: imo sicut differt cœlum crystallinum à firmamento, & aquæ inferiores differunt à firmamento, ita differunt propriæ horum singulorum materiæ.] Vbi aperte sentit aquas illas, ex quibus firmamentum coaluit, esse diuersas ab his aquis inferioribus. Idem docet Guilhelmus Parisiensis, eiusdem synchronos, aut paulo antiquior lib. de vniuerso part. 1. cap. 39. vbi inter cetera ait: *Forma ergo cœlorum, quam medium illud aquarum in sua suscepit materia, distincta naturæ est à formis elementorum, & elementatorum: ideo nec à calore, neque frigiditate existat passibilis.* Et infra ait: *aquas quæ supra cœlos sunt, non esse ibi in forma aquarum, quæ circa nos sunt.* Nec dissentit Altisiodorensis in summa. 25

Idem constanter & aperte docet S. Thomas 1. p. q. 66. a. 2. & in 2. d. 14. Vbi ait: *Circa hoc, fuit diuersa Philosophorum opinio. Omnes namque ante Aristotelem dixerunt, cœlum esse de natura quatuor elementorum. Quod Aristoteles primo improbauit, dicens cœlum esse sine grauitate & leuitate, aliisque contrariis, vt patet primo cœli. Et propter efficaciam rationum eius, posteriores Philosophi consenserunt ei. Vnde nunc omnes opinionem eius sequuntur.* 26

Idem ergo docent Bonauentura, Richardus, Scotus, Durandus, Capreolus, & alii in 2. d. 14. Ferrariensis lib. 3. cont. gent. cap. 20. item ex recentioribus Pererius lib. 1. in Genes. Gregorius de Valentia 1. p. disp. 5. q. 2. p. 1. Suarez disp. Metaph. 16. sect. 2. num. 8. Fonseca cap. 4 q. 2. Toletus item, Conimbricenses, & alii commentatores Aristotelis in libros de cœlo communiter: item Caietanus, Bannes, Zumel, & Thomistæ omnes in 1. partem Sanct. Thomæ. 27

Eandem sententiam ex Astronomis recentioribus sequitur, & strenue propugnat Tycho Brahe, in pluribus locis suarum epistolarum Astronomicarum. Etenim epist. ad Rottmannum Mathematicum Landgrauianum data, Anno 1588. 17. Augusti, ita scribit: [At ego cœlum quidem non è dura imperuiaq; materia, in formam membranarum pellucidarum extenta constare, velut hactenus etiam à præcipuis Philosophis creditum est, vel ex ipsis cometarum motibus edoctus sum; aereum tamen, vel vllius elementaris naturæ particeps esse, nequaquam admisero. Absit enim vt purissimæ perfectissimæque, & nullis mutationibus obnoxiæ cœlesti 28

naturæ

naturæ elementare, corruptibile, & variabile, atque huic inferiori caducæ regioni conforme aliquid assuatur; nam nec id vnquam vllus saniorum Physicorum admittere ausus est. Omnes siquidē vnanimiter cœlum è numero & natura quatuor elementorum prorsus exemptum, & præstantiorem quandam naturā præseferre certissime statuūt, ideoq; illud quintā quandam essentiam, à quatuor illis elementaribus prorsus diuersam, longeq; excellentiorē nuncuparunt. Quod igitur Physici abhorrent, non admittatur, vt ipsi Mathematici tanta cœlum labe aspergant, vt ex aere elementari illud constare asseuerātes, simplicissimæ & purissimæ, adeoq; perfectæ ipsius substantiæ & naturæ plurimum derogent. *Et infra:* Neq; etiam ignoro, *inquit*, quosdam Theologos, è Mose procul dubio minus recte intellecto, asseuerare, cœlum ex aquea materia constare, quam tamen interpretationem Philo Iudæus non admittit, sed ipsum nullatenus ex vllis elementis compositum contēdit. Videtur etiam hæc sententia omni naturali ratiocinationi plurimum aduersari. *Et paulo infra:* Verum licet, *inquit*, nulli mortalium de ipsissima cœli materia (si modo è materia aliqua constare proprie dici potest) certi quid proferri in promptu esse credam: est enim cœlum abstractum quid, immateriali simile, nostrum captum effugiens, nihilominus satis concludere licet, ipsum de nulla elementari natura participare: cum hac sit longe præstantius & diuinius quiddam, adeoque incorruptibile, & supra omnem elementorum qualitatem exaltatum, è purissima, simplici, & pellucida, rarissimaque substantia, admirabili Dei sapientia, & nobis imperscrutabili modo plasmatum. &c.] Et rursum epist. ad eundem Rotmannum Anni 1589. 21. Februarii, post aliorum sententias commemoratas subiungit: *Modo & mihi quid sentiam, libere proferre liceat, cœli videlicet substantiam esse aetheream & liquidissimam purissimamque quandam materiam, supra omnem elementorum naturam exaltatam, ad singularem quandam perfectionem deductam, velut quintam quandam essentiam, nulli mutationi aut alterationi obnoxiam, quaque peregrinas impressiones naturaliter non recipiat.*

29 Porro ex SS. Patribus idem sentit, Sanctus Dionysius libro quarto de diuin. nom. cap. quarto, vbi ait, corpora cœlestia esse *eius essentia, ac natura, quæ nec crescere, nec minui potest; nec vlla ex parte* (mutatione corruptiua) *mutari. &c.* quem locum integrum adducemus quæstione quinta. Vbi cum asserat, cœlum esse naturæ incorruptibilis, vtique sentit, habere naturam à quatuor elementis, & iis, quæ ex ipsis componuntur, diuersam. Ita etiam S. Dionysium intellexit Sanct. Thomas, inferius referendus.

30 Ita etiam plane sentit Basilius, etsi prō oppositā sententia citari solitus. Ita enim ait homil. 3. in Genes. [Nec tamen ipsum firmamentum, cum iuxta communem & vulgatam acceptionem, ex aqua videatur ortum habuisse suum, aut aquæ in glaciem concretæ, aut materiæ cuiquam tali, quæ sui principium ortus ex humore percolato sumit, simile censendum est esse, qualem crystalli lapidis naturam esse constat. &c. Ex his igitur nulli simile firmamentum esse censemus. Est enim puerilis, simplicisque profecto mentis, tales de corporibus cœlestibus opiniones habere. Neque tamen si cuncta in cunctis insunt, ignis in aere, aer in aqua, ceterorumque similiter aliud inest in alio, & nullum omnino eorum, quæ sub sensum cadunt, elementum syncerum est, mixtione que caret, vt non sit aut medii, aut oppositi sibi particeps, firmamentum ob idipsum, aut ex vno simplicium corporum, aut ex omnibus mixtum esse asserere nobis placet; qui iam ab ipsa diuina scriptura ita instituti sumus, vt nihil vltra ea, quæ sunt concessa menti nostræ, imaginari cogitareq; concedamus. &c.] Idem multo apertius docet Basilius in eodem opere Hexaem. iuxta Eustathii recens editam versionem libro primo, vbi diserte ait: *Nec de illis principalibus corporibus, quæ vocantur elementa, possibile nobis est credere, cœlum fuisse compositum.* Idem sensisse Augustinum refert loc. cit. Albertus, nec male Tycho in eandem sententiam citat Philonem lib. de somniis loc. cit.

Hæc vero assertio dupliciter probari potest. 31
Primum ratione naturali; quam Aristoteles aliique Philosophi petunt à motu, à figura, à loco, à constanti & immutabili duratione, ab actione propria cœlorum: quę probatio etsi minime sit contemnenda; non est tamen hoc loco à nobis fusius explicanda.

Altera probatio, & quidem solidior; sumitur 32
ex historia Geneseos, adeoque ex diuina scriptura; quæ eo plus in præsenti habet momenti, quo magis authores quidam, præsertim recentiores, pro opposita sententia citati, existimant, nec vllum aliud maius esse suæ sententiæ firmamentum, quam scripturam; nec vllo argumento validius refelli nostram, quam scriptura; quam vt dixi nobis è diametro aduersari autumant. Eam autem rationem ita formo.

Nam si cœlum vllum constaret ex materia 33
alicuius elementi, necesse foret, vt vel productum esset ex præexistente alicuius elementi materia, vel certe materiam haberet proprietatibus & dispositionibus propriis alicuius elementi affectam, quam materiam secundam vocant Philosophi: atqui neutrum dici potest. Non primum, vt partim patet ex iis, quæ præcedente quæstione, & initio huius quæstionis diximus; partim ex iis, quæ dicentur quæstione octaua, vbi probabimus, aquas quæ super cœlos sunt, non esse elementares. Nec secundum; quia cœlum est corpus simplex non minus quam cætera elementa, vt communiter omnes supponunt. & patet non solum ex simplici motu, quem habet; sed etiam tum ex præstantia eius naturæ ab elementis prorsus independentis, tum ex ordine productionis diuinæ, qua à Deo creatum fuit ex nihilo, in principio, ante omnia corpora composita, vna cum terra, aliisq; elementis, vt dictum quæstione præcedente. Cū ergo cœlum sit corpus simplex, & ab elementis adeo independens, habet vtiq; ex suamet natura, non ex alterius elementi cuiusque participatione, suas qualitates, & dispositiones sibi proprias, atque ab aliis aliorum elementorum qualitatibus non minus distinctas ac independentes, quam singula quæque elementa, cum aliis elementis collata habent.

Quo fit, vt etiam si fortasse qualitates quædam, 34
tam in cœlo, quam in elementis, aliquo modo cōsi-

miles

miles inuenirentur; quemadmodum etiam elementa symbolica inter se, ignis quidem & aër calore, ignis & terra siccitate, terra & aqua frigore aliquo modo conueniunt; non tamen propterea magis dicendum foret, cœlum constare ex materia alicuius elementi, quam elementum quodlibet suâ naturâ, & ex vi primæ productionis diuinæ, dici possit constare ex materia alterius elementi.

35 Confirmatur assertio. Nam si cœlum constaret ex igne, facile ob sui corporis vastitatem omnia combureret; vt argumentatur etiam Philosophus, 1. Meteor. cap. 3. Si ex aqua, facile ipso calore solis resolutum, deorsum flueret: si ex aëre; non difficulter eodem calore solis, vti & à subiecta sphæra ignis, in ignem conuerteretur; si è terra, non sane locum sibi supremum iure vendicaret; denique si ex vllis elementis esset compositum; facile tot annorum chiliadibus, mutuâ actione qualitatum primarum secundum aliquam etiam notabilem sui partem fuisset dissolutum: quæ tamen non est hic animus pluribus premere. Plura ass. seq.

36 Assertio II. Sententia illa Aristotelis & Peripateticorum, quod cœlorum materia prima, sit alterius, ac plane diuersæ rationis à materia sublunari, non solum scripturæ ac fidei non aduersatur, sed est potius eidem scripturæ admodum conformis. Hæc assertio est contra Dionysium Carthusianum, & alios quosdam recentiores pro prima sententia citatos, qui censent, eam sententiam Aristotelis scripturæ aduersari; cum interim authores pro præcedenti sententia, non solum huic assertioni libenter astipulentur, sed plerique etiam reipsa diuersam vtrorumque materiam adstruant.

Probatur facile ex dictis. Si enim Scripturæ aduersaretur, id propterea fieret, quia scriptura cœlos ex aqua elementari, aut alio elemento productos attestaretur; sed hoc verum non est, vt ex præcedenti assertione constat. Ergo, &c. Ex aduerso autem scriptura huic sententiæ Peripateticorum non parum fauet: tum quia cœlos omnes quoad substantiam, non ex vlla præsupposita materia, nedum sublunari productos, sed ex nihilo creatos asserit: tum quia vbique cœlum contra terram ac sublunaria omnia velut excellentius quiddam condistinguit: tum denique quia cœlos naturâ suâ incorruptibiles esse indicat, vt dicetur quæst. 5.

37 Ad argumenta contraria ita Respondetur. Ad primum primæ sententiæ dico, calorem tribui soli, non qui in ipso formaliter insit, sed qui ab eo effectiue mediante luce procedat. Hic enim est, à quo se abscondere nemo potest, & quem sustinere vix possunt homines; quique exurere nonnunquam terras solet, vt scriptura loquitur.

Ad secundum Respondetur. Splendorem & lucem esse proprietatem seu conditionem non tam ignis (purus enim non lucet) quam æthe-ris & cœli. Scintillatio autem illa astrorum, non ex flammarum agitatione prouenit: alioquin sol & luna, quæ ad adspectum maiora sunt reliquis astris, magis scintillare viderentur; sed partim ex luminis exilitate respectu tantæ distantiæ, partim ex imbecillitate visus nostri, promouente phænomenon istud nonnihil etiam vaporum interuenientium volubilitate.

38 Ad argumenta secundæ sententiæ respondetur. Ad primum, puritatem & perspicuitatem esse communem ijs etiam rebus conditionem, quæ minime sunt aqueæ naturæ, vt videre est in vitro, adamante, & ex veriori, etiam crystallo, quæ si ex aqua esset compacta, igne vtique liqueseeret; vt recte etiam notauit Guilielmus Parisiensis lib. de vniuerso parte 1. c. 38. 39.

Ad secundum, prætermissa opinione eorum, qui dicunt, nomine firmamenti secundo die producti intelligi aerem nebulosum, quod quæstione octaua refelletur; Respondetur, primo die ex nihilo productum fuisse, non solum cœlum Empyreum, terram, & aquam, vt vult Molina, sed etiam omnes cœlos, omniaque elementa, quoad substantiam, vt dictum quæstione præcedente, & ipse Sanctus Thomas etiam 1. part. qu. 68. articulo 3. speciatim de aere probat: [Considerandum est, *inquit*, quod Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens, illa solum eis proposuit, quæ manifeste sensui apparent. Omnes autem quantumcunque rudes terram & aquam esse corpora sensu deprehendunt. Aër autem non percipitur ab omnibus esse corpus, in tantum, quod etiam quidam Philosophi dixerunt, nihil esse; plenum aëre vacuum nominantes. Et ideo Moyses de aqua & terra mentionem facit expressam, aërem autem non expresse nominat, ne rudibus quiddam ignotum proponeret. Vt tamen capacibus veritatem exprimeret, dat locum intelligendi aërem; significans ipsum quasi aquæ annexum, cum dicit, quod tenebræ erant super faciem abyssi. Per quod datur intelligi, super faciem aquæ esse aliquod corpus diaphanum, quod est subiectum lucis & tenebrarum.] Ita Sanctus Thomas. Dicimus ergo in spatio intermedio inter cœlum Empyreum & terram, interceßisse statim ab ipso diei primi primordio, non solum aquas elementares, vt existimauit Molina, & ante eum Iunilius & Steuchus, sed etiam substantiam cœlestium corporum inferiorum, simulque elementorum ignis & aëris: ipsum autem firmamentum secundo die productum, aquas inferiores à superioribus diuisisse, quia tum antea aquæ superiores (quales quales essent) ab inferioribus nullo solido, fixo, & immobili essent termino disterminatæ, iam secundo die per substantiam firmamenti, solido robore, instar crystalli, duratam & compactam, fuerunt solide & immobiliter diuisæ.

39 Dices, ipsam vocalem *Diuisionis* significare, aquas illas superiores & inferiores, ante diuisionem fuisse coniunctas, vel contiguas, postea vero primum separatas.

Responderi potest primo, negando assumptum; quia non est necesse, vt vocula *diuidere* ita stricte accipiatur, pro diuisionem efficere, inter ea, quæ prius coniuncta essent; cum ibi-

dem Genes. 1. vers. 4. & 14. lux & sydera dicantur tenebras & lucem diuidere, quæ antea tamen coniuncta non erant: sed generatim significat, esse terminum disterminantem inter duo, vel etiam condistinguentem respectu alterius. Quod optime etiam notauit Sanctus Thomas 1. part. citat. quæstio. 68. articulo 3. ad secundum, vbi ait, *Si accipiantur aquæ diuersæ secundum speciem* (vti censet ille faciendum, si firmamentum non pro aëre nebuloso & vaporoso accipiatur) *firmamentum dicitur diuidere aquas ab aquis, non sicut causa faciens diuisionem, sed sicut terminus vtrarumque aquarum.* Sed quia nos hac responsione non egemus;

40 Respondeo secundo; & concedo, aquas superiores & inferiores (eo communi nomine, ita vocatas, quod corpus aliquod diaphanum ac liquidum essent, iuxta Sanctum Thomam citat. quæst. 68. art. 3. & ea quæ dicentur quæst. 8.) ante fuisse coniunctas & contiguas, cœlumque ipsum & firmamentum ex aquis superioribus (hoc est cœlesti & ætherea substantia adhuc fluida) condensatione & consolidatione factum, vt superius insinuauimus; hinc tamen non sequitur, aut vlla ratione probatur, aquas illas superiores, ex quibus productum fuit firmamentum, fuisse elementares; cum verius existimem, cum Sancto Thoma loc. citat. ad primum, aquas illas, quæ supra cœlum sunt, elementares non esse, vt cit. quæstione 8. dicetur.

41 Id quod recte etiam docet Albertus, qui etiamnum inter sphæras cœlestes liquidum eiusmodi corpus eiusdem cum cœlis naturæ interfusum esse docet. Cum enim lib. de cœuis apud Dionysium Carthusianum in 2. distinct. 15. quæstion. 1. veterum quorundam Philosophorum sententiam retulisset, dicentium, [quod sphæræ non contingunt, & quod corpus eiusdem naturæ est inter eas diuisibile, quidem à sphæris, non tamen transmutabile in aliam formam;] idem eandem sententiam secutus in 2. distinct. 15. ait: [Præterea si quæratur, an sphæræ cœlestes se inuicem immediatè contingant; dicendum, quod ad hoc nil potest verius responderi, quam quod etiam responderunt Philosophi, vtpote quod sphæræ cœlestes non se contingunt: sed vna multum super aliam exaltatur, & in medio eorum est corpus spirituale, sicut aër, in quo omnes mouentur, &c.]

42 Ad authoritatem SS. Patrum, quorum aliqui dixerunt, cœlos esse naturæ igneæ, seu constare ex materia ignea; alij esse naturæ aquæ; Respondetur cum Sancto Thoma lib. 2. sentent. distinct. 14. art. 2. his verbis: *Expositores sacræ scripturæ in hoc diuersificati sunt, secundum quod diuersorum Philosophorum sectatores fuerunt, à quibus in philosophicis eruditi sunt. Basilius enim* (cuius verba tamen superius pro nostra sententia posteriore loco citata non vidit Sanctus Thomas) *& Augustinus, & plures sanctorum sequuntur in Philosophicis, quæ ad fidem non spectant, opiniones Platonis, & ideo ponunt cœlum de natura elementorum: Dionysius autem* (Areopagita quæstione quinta citandus) *fere vbique sequitur Aristotelem, vt patet diligenter inspicienti libros eius, vnde ipse separat corpora cœlestia ab alijs corporibus.* Et rursum ibidem ad primum: *Alij sancti*, inquit, *tradiderunt* (cœlum videlicet esse naturæ igneæ vel aqueæ) *non quasi asserentes* (ex sua mente) *sed sicut vtentes his, quæ in Philosophia didicerunt; vnde non sunt maioris authoritatis, quam dicta Philosophorum, quæ sequuntur, &c. Vel potest dici, quod sumunt ignem & aquam secundum similitudinem & lucis diaphanitatis.* Ita Sanctus Doctor.

Cuius responsum optimè confirmant illa, quæ 43
Gregorius Nyssenus initio sui libri in Hexaemeron præfatus est: *Neque enim*, inquit, *propositum defendere, aut dogma constituere profitemur, vt calumniantibus occasionem præbeamus; nec hisce scriptis interpretationis doctrinam tradere, sed animum & cogitationem nostram in hoc argumento duntaxat exercere.*

Certe quidem vti Basilius homil. 3. in Genes. deridet eorum opinionem, qui dixerunt cœlum fuisse ex aquis productum; asserens, *esse nimium puerile, nimiumq; simplicis mentis, arbitrari, cœlum fuisse ex aqua concretum:* Ita Aristoteles lib. 2. meteor. ridet Stoicos, asserentes, esse naturæ igneæ, dicens, puerilem esse opinionem, nec dignam Philosopho, dicere, solem pasci humoribus terrenis & aqueis in sublime ad ipsum attractis.

Contra quos etiam Pererius lib. 2. in Genes. q. 44
9. ait: *astra per se nec esse calida, nec ignea natura, multis nec dubijs rationibus concludi esse à sapientibus.* Accedit, quod idem Basilius homil. 1. Hexaem. censet, de natura cœlorum non magnopere laborandum Ecclesiasticis scriptoribus.

Ad fundamentum tertiæ sententiæ, Respondeo cum Tychone citat. epist. ad Rottmann. 1589. 21. Febr. *Nam licet*, inquit, *concedatur, nullam animaduerti refractionem in sole vel stellis, in data aliqua sublimitate, inde quidem satis sequitur, diaphanorum vel nullam, vel imperceptibilem esse discrepantiam: sed non ob id necessariò infertur, vtriusque diaphani eandem prorsus qualitatem & substantiam existere: possunt enim diuersæ substantiæ & qualitates eidem diaphanitati patere. Dabo exemplum è rebus inferioribus quæ manibus tractari, & visu discerni possunt. Si aquam pluuiam, vel nivalem præsertim, aut etiam communem fontanam, per sæpius reiteratam elevationem defecatissimam reddiderimus, idemque in vino quouis genere fiat, donec ab omni phlegmate & impuritate liberentur, amboque hi liquores consimili crystallino excipiantur, vtique diaphanitas vnius non discrepabit ab altera, quantum vllis sensibus dignoscere liceat, ideoq; refractionis si quæ forte hinc fierent, nulla erit differentia: attamen substantia & natura vnius liquoris atque corporis diuersissima ab altera inuenietur. Id enim quod è vino elicitum est, ignem & sulphuream redolebit qualitatem, adeo vt incensum totum flammis absorbeatur, nulla post se relicto vestigio. Quod vero ex aqua constat, aqueum permanebit, & tantum abest, vt ardeat, vt ignem etiam citius quam antea extinguat, illiq; vi contraria resistat. Sic quoq; cœli & aëris diaphanitates, si vel prorsus eadem forent, quod tamen nondum satis obtentum est, nihilominus diuersam substantiam ex q; materiam haberg nihil impedit, &c. Neq; cometarũ generationi atq; explicationi vllum, vt tu existimas, fert subsidium,*

si ca-

si cœlum aëreum statuatur: imo hoc potius quadraret, si Paracelso igneum id esse concederemus. Nam cometa non aëream, sed igneam potius quandam naturam præseferunt. Quod enim tu è fumositatibus terrenis, etiam in aërem altissimum, quem intra ipsas revolutiones syderum contineri vis, sublatis, & illic illuminatis, cometarum procurationem salvari posse existimas, ex vna absurditate, & incongrua assumptione alteram stabilire incassum laboras, &c. Ita Tycho.

45 Quæres, quam certa sit hæc doctrina, de materia cœlorum. Respondetur, cœlos & elementa non ex præexistente materia vlla fuisse creata, tam certum est, quam cœlos omnes quoad substantiam, cum elementis omnibus, primo statim die ex nihilo à Deo fuisse creatos; quod licet non sit vndequaque certum & exploratum; satis tamē firmiter ex scriptura probauimus dub. 2. Quod autem cœlum sydereum non constet natura vel materia elementari, probabilius solum est, non certū. Tametsi enim nulla ex scripturis suppetat ratio asserendi, cœlū ex materia, seu natura elementari constare, tamen nec ex scriptura, alioue vllo argumento, idipsum firmiter refelli potest. Denique quod cœlum habeat materiam, plane à rebus sublunaribus diuersam, sub opinione solum adhuc versatur; quanquam ei Peripateticorum sententiæ non parum fauet scriptura, vt dictum; tantum abest, vt aduersetur.

DVBIVM V.

An cœlum sit animatum.

S. Thom. 1. p. q. 70. a. 3.

1 HAbemus ex dictis dub. præcedente, cœlum esse corpus, & quidem simplex, atque ex nullo alio constitutum, sequitur, vt inquiramus, an sit animatum seu viuens: Et præponimus hanc quæstionem sequenti, de incorruptibilitate cœlorum. Nam si cœlos incorruptibiles statuamus, vix potest esse locus huic quæstioni, an cœlum sit animatum: cum omne corpus animatum, quia vegetatiuum est, corruptioni sit obnoxium; è contrario vero si inanime sit, non minus possit esse corruptibile, quam incorruptibile.

2 Nec de Aristotelis sententia hic disputamus, quem aliqui sibi persuadent, sensisse prorsus, cœlum esse animatum, & quidem præditum anima rationali siue intelligente, vt colligi videtur, ex eius lib. 2. de cœlo text. 13. & 61. & lib. 2. Metaph. text 35. Atque hoc sane modo Aristotelem intelligit S Thomas lib. 2. contra Gentiles c. 50. & in qq. disp. quæst. de anima art. 8. ad tertium, & ex recentioribus Vasquez 1. part. quæstion. 183. post Simplicium, Philoponum, & alios; 3 licet complures, in quibus ipse etiam S. Thomas 1. p. q. 70. a. 3. Aristotelem interpretentur de intelligentia non informante, sed assistente, ex l. 8. Phys. & l. 12. Metaph. quod Philosophis discutiendum relinquimus.

Omisso igitur Aristotele, cœlos, aut sane sydera animata esse, docuerunt plerique Philosophi veteres; speciatim Pythagorei, Platonici, & plerique Aristotelici, ac Plato ipse in Epinomide, iubet, astra vt Deos cœlestes coli & honorari; de quibus plura Eusebius de præparatione Euangelica lib. 1. c. 6. & Plutarchus lib. 1. de plac. Phil. cap. 17. & 23. Sed & Philo lib. de opificio mundi, item lib. de Somnijs, & rursum lib. de Gigantibus stellas & viuentes, & intelligentes esse docet. Idem docet Plinius libro 2. hist. nat. capit. 8. Adhæc Auicenna cœlo etiam Phantasiam siue sensum interiorem tribuit; cui Simplicius tres quoque sensus exteriores, tactum videlicet, visum, & auditum superaddit.

Ex Christianis vero (præter Marsilium Ficinum argumen. 10. dial. de leg. & Carpentarium cap. 12. Platonicos.) Origenes tom. 1. comment. in Ioannem & lib. 1. peri archon capit. 7. stellas non solum docuit esse animatas, sed etiam virtutis & vitij capaces; Christumque proinde non solum pro peccatis hominum, sed etiam astrorum esse mortuum. Dubius olim de eadem re fuit Sanctus Augustinus lib. 2. de Genes. ad literam cap. 18. & in Enchiridio cap. 58. & lib 1. Retractationum cap. 5. & 11. Quamuis enim lib. de immortalitate animæ capit. 15. & lib. 6. de Musica capit. 4. absolute pronunciauerit, ipsum etiam mundum esse animatum, & *magnum quoddam animal*, tamen hoc ipsum postea saltem velut incertum retractauit loc. cit. & alibi lib. 13. de ciuitate Dei cap. 16. contrarium indicat: vt & author libri de cognitione veræ vitæ cap. 6. tom. 9. operum Augustini, (cum tamen ipsius liber ille non sit) Platonis illam sententiam prorsus damnat. Qua de causa etiam Bonauentura inferius censet, Augustinum retractasse eam sententiam de cœlis animatis. Sed & Hieronymi sententia hac in re perplexa esse videtur, vt fusè persequitur Ascanius Martinengus com. 2. in Genes. pag. 883. tametsi is denique eam Origenis opinionem coarguat in epistolis ad Pammachium & Auitum.

Post hos eandem Platonicorum sententiam, 5 cœlos nimirum & astra animata esse, probabilem existimauit è Scholasticis etiam Aureolus in 2. d. 14. quæst. 2. art. 2. & quæstion. 3. articulo vnic. & apud Capreolum eadem distinct. fauentque eidem sententiæ nonnihil Scotus 2. sentent. distinct. 14. quæst. 1. & Caietanus in psalm. 135. Sed & Sanctus Thomas olim ambigue aut inconstanter hac de re locutus est. Animatum enim esse cœlum, & quidem anima intelligente, sancta, & omnis peccati ex diuina prædestinatione experte, quæ proinde etiam ad societatem Angelorum pertineat, affirmare videtur, qq. disputat. quæst. de Anima art. 8. præcipue resp. ad 3. 4. & 5. & lib. 2. contra Gentiles capit. 70. & in opusculo de Angelis capit. 2. Negat autem, ac priorem adeo sententiam (quod optime notauit Caietanus 1. part. quæst. 70. art. 3. & aperte constat ex ipsis verbis Sancti Thomæ, quicquid

nonnulli dixerint) retractat idem Sanctus Thomas 1. p. quæst. 70. art. 3. Qua de causa etiam vtramque partem probabiliter defendi posse, existimat Ferrariensis cit. cap. 70. cont. gent. De eadem re dubius est etiam Dionysius Carthusianus in 2. d. 14. q. 4.

6 Denique ex recentioribus Martinengus in Genes. tom. 2. pag. 889. & sequenti, tametsi quidem Auicennæ & Simplicij sententiam, quæ astra sensilia astruit, *explodendam prorsus & reijciendam* pronunciet, Origenis vero, animas cœlorũ ante mundum creatas, & adhuc peccabiles asserentis, merito damnet; de cætero tamen existimat, quæstionem hanc, num astra sint anima rationali prædita, necne, *problemæ esse, neutrum in via Patrum, neutramque partem ab Ecclesia damnatam*; idque etiam pag. 1018. absolute vocat, *problema*. Ac in eandem sententiam pag. 885. citat quoque Præceptorem suum Vielmium lect. 19. in Genes. Atque eo inclinant quoque nonnulli huius temporis Astrologi, vt astra animata esse existiment.

7 Expresse vero & absolute post Iulium Firmicum lib. 1. Met. cap. 3. Bellantium, aliosque apud Alexandrum de Angelis lib. 1. in Astrol. cap. 13. id docet Tycho Brahe epist. ad Rottmannum Anno 1590. 18. April. data, vbi ait: *Verum hæc in cœlestibus cœlesti quodam, & longe viuaciore exquisitioreque modo eueniunt, quã in animantibus terrestribus vel aquoreis: cũ & cœlum animatum esse, ipsaq; cœlestia corpora animantia quædam cœli, vitali spiritu prædita, non abs re sensisse videatur diuina illa Platonicorum Philosophia.*

8 Cæterum cœlos, siue astra animata non esse, communis est SS. Patrum doctrina, quam expresse tradunt Basilius in Hexaem. homil. 3. Ambrosius lib. 2. cap. 4. Psellus ex Gregorio Nazianzeno orat. 38. & 42. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, Lactantius lib. 2. diuinarum institutionum cap. 5. & 8. Chrysostomus hom. in Psal. 4. Procopius Cõment. in Genes. Optime Damascenus lib. 2. fid. Orth. cap. 6. *Nullus*, inquit, *cœlos, aut sydera animata esse existimet: anima quippe ac sensu carent.* Eadem est communis Scholasticorum sententia apud Bonauenturam lib. 2. senient. dist. 14. omniumque fere recentiorum, speciatim Catharini in caput 1. Genes. Pererij lib. 2. in Genes. q. 7. &c. Ex Philosophis idem sensit olim Anaxagoras, qui & propter eandem sententiam, accusante Cleona, supplicio affectus fuit, teste Theodoreto lib. de materia & mundo.

9 Assertio I. Cœlum esse animatum, anima duntaxat vegetatiua, aut sensitiua dogma quidem est in Philosophia absurdum; sed fidei contrarium non videtur. Prima pars est communis sanctorum Patrum & Scholasticorum; nam etiam qui ex ipsis animam ei olim tribuere visi sunt, non vegetatiuam aut sensitiuam, sed rationalem tribuerunt. Ratio est; tum quia cœlum est corpus simplex & similare, adeoque expers organorum ad vitæ munia obeunda necessariorum; tum quia nulla cœlo astrisque conuenit nutritio, nullumque alimentum; sine quo tamen nec augmentatio, nec generatio animastica, nec vlla adeo vita actioque vegetatiua esse potest: sed nec sensitiua, quia hęc illam supponit. Et certe si tam vastum animal, quantum cœlum est, aut tam magnus animalium grex, quantus est stellarum numerus, nutrirentur, breui tempore totam reliquam mundi machinam, quam cœlum iam antea quodammodo in ventre seu sinu gerit, absumeret.

Ratio secundæ partis; quam itidem à nemine 10
video negari, est, quia contrarium nec in scriptura sacra continetur, nec ex certa aliqua fidei traditione colligitur, nec ab Ecclesia vspiam definitum est, vt magis patebit ex probationibus conclusionis sequentis, quę animam quidem rationalem seu intelligentem cœli valide euertunt; sed non item vegetatiuam aut sentientem. Accedit, quod hoc quæsitum parum ad Religionẽ faciat, sintne cœli, aut astra, prædita anima solum vegetatiua, aut sentiente.

Assertio II. Cœlum esse animatum anima ra- 11
tionali, siue intelligente, erroneum in fide dogma est. Ita expresse docet & censet S. Bonauentura cit. d. 14. part. 1. a. 3. q. 2. vbi ait: *Quidam Philosophi posuisse videntur, quod cœli haberent animas, & quod cœlum esset magnum animal, & quod moueretur à propria forma perfectiua, sicut mouetur animal; & hanc animam motricem posuerunt regi & dirigi à Deo, mediante intelligentia. Sed hæc positio falsa est & erronea.* Idem sentiunt Capreolus 2. distinct. 9. quæst. 1. art. 1. & Gabriel in 2. dist. 14. quæst. 1. Catharinus in cap. 1. Genes. & Pererius cit. lib. 2. in Genes. quæstio. 7. Eodemque modo censet Petrus Tarantasius apud Dionysium Carthusianum in 2. dist. 14. quæst. 4. dum ait. *Alyposuerunt, quod* (cœlum) *mouetur ab anima, dicentes corpora cœlestia animata, & animas eorum mouere ea; vt assimilentur intelligentijs in productione inferiorum. Sed hæc propositio existat erronea; quoniam corpora cœlestia non sunt animata, cum non sint corpora organica, &c.* Neque crediderim, eam sententiam hodie ab S. Inquisitionis Præsidibus 1
Romæ velut omni erroris suspicione carentem liberam esse permissam.

Probatur assertio primo ex scriptura. Nam 12
cap. 1. Genes. non solum catalogus rerum creatarum proponitur, sed simul etiam ostenditur, quæ cuiusque creaturę sit ratio, quod munus, quis finis: & tamen ibi nihil vspiam de vita aut vitali actione, seu natura intelligente cœli, aut astrorum legitur: Etenim versu 1. creasse dicitur Deus *cœlum & terram*, tanquam principia scilicet ac fundamenta totius mundi. Ver. 6. & 7. 8
productum dicitur firmamentum, *vt diuidat aquas ab aquis.* Vers. 16. fecisse DEVS dicitur *duo luminaria & stellas, eaque posuisse in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras, ac essent in signa & tempora, &c.* cum tamen vers. 12. 20. & 24. vbi de plantis & animalibus productis sermo est, eorum vita, ac vitales actiones minime taceantur.

Imo in tota serie creationis operum diuino- 13
rum, nullius vspiam substantiæ ac corporis intelligẽtis fit mentio, priusquam ad hominis creationẽ deueniatur; cuius ea specialis excellẽtia speciali etiã prosopopœiã à Deo præsignificata est, cũ diceret: *Faciamus hominem ad imaginem & similitu-*

dinem

dinem nostram: quod planè etiam prius dictum oportebat, si cœlum quoque & astra, natura intelligente, Dei imaginem ac similitudinem gererent. Similiter Deuteronomij 4. v. 19. astra non nisi ad ministerium hominis creata dicuntur; *Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.*

14 Secundo idem probatur ex communi sensu sanctorum Patrum & Doctorum, tam veterum, quam recentiorum. Licet enim, vt vidimus, olim pauci quidã dubitarint, aut secus senserint, multò tamen plures, ac ferè omnes constanter hanc sententiam defenderunt; nonnulli etiam ex doctissimis, quod in contrarium antea disputauerãt, postea retractarunt, vt de S. Augustino, & S. Thoma dictum. Certe si quæ ex definitione Ecclesiæ afferentur, perspecta habuissent, nunquam vtiq; rem hanc in dubium vocassent.

15 Tertio proinde idem probatur ex definitione Ecclesiæ. Nam in synodo Constantinopolitana secunda, quæ dici solet quinta synodus generalis, inter alios errores Origenis, etiam iste damnatus reperitur, apud Nicephorum lib. 17. cap. 28. *Si quis dicit, cœlum & solem, & lunam & stellas, & aquas quæ supra cœlos sunt, animales quasdam esse & materiales virtutes, anathema sit.* Siue vt alij referunt: *Si quis dicit, cœlum, lunam, stellas animantes quasdam esse seu animales virtutes, anathema sit.* Idem testatur Iouerius in summa concil: Synodo Constantinop. vbi per *virtutes animales*, seu *materiales*, videntur intelligi substantiæ corporeæ intelligentes, cum tamen diuerso modo Angeli in scriptura, & ab Ecclesia *virtutes* dicantur. Et cap. 27. apud eundem Nicephorum inter alios Origenis errores in quinta synodo damnatos, refertur etiam iste: *Adhæc cœlum, solem, lunam, stellas, & aquas, quæ supra cœlos sunt, animatas & rationales quasdam virtutes esse.* Sed & in noua editione Romana eiusdem synodi sub finem, per modum appendicis, refertur Epistola Iustiniani Imp. ad Mennam, in qua sub finem contra Origenem hic anathematismus n. 6. legitur: *Si quis dicit, cœlum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ super cœlos sunt, animatas & materiales esse quasdam virtutes, anathema sit*: Eiusdemque epistolæ meminit Liberatus in Breuiario cap. 23. Et cum simul testetur, eandem postea approbatam fuisse à Vigilio Pontifice, non video, qua ratione etiam num hodie ea sententia tuto defendi possit. Certe quæ ad damnationem Origenis pertinent, in editis Actis V. Synodi desiderari, notauit etiam Baronius Anno 553.

16 Et ne quis existimet, id dogma damnari solum eo sensu, quod Origenes eiusmodi animas ante cœlum productas, ac postea primum cum astris fuisse copulatas dixerit; aduertendum est apud eundem Nicephorum, eodem cap. 27. hunc errorem Origenis, distinctè ac separatim ab alijs commemorari: *Ante corpus ipsum anima est, quæ quidem in cœlis peccata commiserit.* Et per se notum est, cum aliqua propositio damnatur, eam vti iacet; in proprio verborum sensu accipiendam esse. Non ergo rectè absolutè dicitur, sententiam illam de cœlis seu astris animatis, *nusquam ab Ecclesia damnatam esse*: esto fortasse res hæc, cum vnius Nicephori & Liberati testimonio nitatur, necdum plane sit explorata & liquida. Accedit, quod in cap. *Firmiter* de sum. Trinit. & fid. Cathol. inter rationales creaturas, Angeli solum, & homines referuntur.

17 Quarto probatur ratione Theologica. Nam si cœli siue astra essent prædita animâ rationali, seu intelligente, tum ipsorum animæ aut essent in gratia, aut extra gratiam. Neutrum potest dici. Non primum; tum quia si in gratia essent; possent vtique à nobis etiam coli aliquo cultu sacro seu religioso, qualis hominibus sanctis conuenit; hoc autem prorsus est illicitum, vt patet ex citato loco Deuteronomij 4. v. 19. & rursum c. 17. v. 2. vbi dicitur; [Cum repertus fuerit apud te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciunt malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediuntur pactum illius, vt vadant & seruiant dijs alienis, & adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi, & hoc tibi fuerit nuntiatum, accedensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulierãm, qui rem sceleratissimã perpetrarunt ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.]

18 Idem patet ex vsu ac sensu Ecclesiæ, quæ nunquam permisit, eiusmodi cultum astris deferri. Tum quia si stellarum animæ in gratia essent, aut beatæ iam essent, & tunc multo magis coli possent & inuocari, velut alij sancti: aut in via; & sic tam peccati, quam damnationis periculo forent obnoxiæ; quod tamen non potest asseri, vt mox dicetur.

19 Nam nec secundum illud dici potest, eas nimirum animas esse extra gratiam, ac in statu peccati; quia vel damnatæ iam forent; quod est absurdum, cum suas adhuc beneficas ac honorificas functiones in fulgido splendentique corpore erga mortales obeant, neque adeo loco damnatorum adhuc addicti sint: vel saltem possent damnari; quo autem quæso loco damnationis pœnas, quaue conditione soluent? An cœli in infernum detrudentur, vt ibi cum spiritibus alijsque damnatis pœnas exoluant? quando, saltem post extremum iudicium, ille solus erit locus damnatorum, vt ex Matth. 25. v. 41. colligitur. Dicere autẽ, locum beatitudinis, aut damnationis cœlorũ, etiã esse posse extra cœlũ Empyreum, aut infernũ, non bene admodum sonat: quando hic etiã vnus quidam error Nouatorum nostri temporis est, cœlum & infernum esse vbique, nec dari adeo certum beatitudinis ac damnationis locum.

20 Denique cum cœli & astra careant animâ vegetatiuâ & sensitiuâ, necessario etiam destituuntur animâ rationali seu intelligente; vtpote quæ in corpore esse non potest sine vita vegetatiua & sensitiua; qua seposita, nulla ratio est, cur anima rationalis corpus informet, quando ad intelligendum vel mouendum, per se corpore non indiget, vt recte etiam argumentatur sanctus Thomas 1. p. loc. cit.

Digitized by Google

21 Neque vero opposita sententia vllum habet fundamentum. Quæ enim de cœlis Deum laudantibus; deque inuitatis ad audiendum, in scripturis dicuntur, ad prosopopoeiam pertinẽt; vt & alia quam plurima eiusdem generis, quæ de terra, igne, grandine, niue, alijsue creaturis inanimatis in ijsdem scripturis sæpius leguntur. Quo spectat etiam illud Iob 38. v. 7. *Cum me laudarent simul astra matutina*: nisi forsan hoc ad Angelos potius spectare videatur, vt quidam sentiunt. Cum tamen de Angelis, sub nomine filiorum Dei, postea primum fiat ibidem mentio.

22 Illud Baruch. 6. v. 59. *Sol quidem & luna ac sydera, cum sint splendida, & emissa ad vtilitates, obaudiunt*, intelligendum est de obedientia materiali, seu executione eorum munerum, ad quæ, siue à Deo, siue ab ipsa natura destinata fuere; non secus, quam quod ibidem dicitur v. 61. *Et nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo, perambulare vniuersum orbem, perficiunt quod imperatum est eis.* Et rursum v. 62. *Ignis etiam missus desuper, vt consumat montes & syluas, facit quod præceptum est ei.* Et psalm. 148. versu 8. dicitur: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Denique ipse etiam astrorum chorus quandoque *militia cœli* vocatur in scriptura Deut. 17. versu. 3. 4. Reg. 17. vers. 16. & cap. 21. vers. 3. & 5. & cap. 23. vers. 4. & 5. Actor. 7. vers. 42. quia ad nutum DEI præsto adest, ac sæpe operationibus suis contra hostes DEI mirabiliter pugnat, &c.

23 Quæres, etsi astra quidẽ per se nõ sint animata. anne tamen ab hominibus mortalẽ naturaleq́ue vitam viuentibus incolantur, eo modo, quo apud Ciceronem lib. 4. qq. Academicarum Xenophanes olim affirmauit, *habitari in luna, eamque esse terram multarum vrbium & montium.* Et sane quidem nõ desunt hac tempestate ex astronomis nõnulli, quibus hoc videatur esse persuasum.

24 Verum vt breuiter dicam, quod sentio, planè existimo, id sine temeritate dici non posse, non solum quia nullum est eius tam nouæ & insolentis assertionis fundamentum; sed etiam quia multa sunt in scriptura ac fide nostra, cum quibus ea opinatio non bene cohæret. Nam I. Genes. 1. vers. 6. & 17 longe aliud munus & officium cœlis & astris à DEO assignatur, quam vt sint mortalium hominum sedes vt dictum.

II Genes. 1. vers. 28. & cap. 2. v. 7. & capit. 3. v. 23. legimus, hominem productum super terram, & de limo terræ, ac positum in paradiso & ex eo postea eiectum, atque ad colendam terram destinatum, sicque ex eo totum genus humanum propagatum: in astris vero hominem fuisse, aut primo creatum, aut deinceps positum, nusquam legimus.

III. Deuteronomij 4. v. 19. astra dicuntur fuisse creata *in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Quod si etiam in ipsis astris sunt nouæ quædam ac peregrinæ gentes, non his tantum quæ sub cœlo sunt, sed illis vtique etiam, ac multo magis quidem, in ministerium creata dici debebant.

IV. Psal. 113. v. 16. Sola terra hominum habitationi assignatur, *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.*

V. *Christus Saluator est omnium hominum*, 1. ad Timoth. 4. vers. 20. *qui omnes homines vult saluos fieri*, 1. Timoth. 2. vers. 4. nunquid etiam eos, qui astra inhabitant? At quos illi Apostolos ac prædicatores fidei habuerunt? Quod Baptismi & Sacramentorum ministerium, sine quo, iuxta ordinariam DEI legem, non est salus? 25

VI. Actorum 17. v. 26. perspicue ait Apostolus, *Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ.*

VII. Vna est Ecclesia, in qua etiam *Sanctorum* est *communio*, ex Symbolo Apostolorum; quæ autem est communio cum ignotis illis astrorum seu lunæ incolis? Omitto alia. Dixi tamen mortales *naturalem vitam degentes* illic nullos esse: quia an forte Enoch & Elias, ab hoc mundo translati, diuino miraculo illic conseruentur, vitamq́ue agant, non est huius loci disputare. Consentiunt his ea, quæ ad Annum Christi 748. referuntur apud Baroniũ, vbi *error* appellatur, Virgilio Presbytero falso attributus *quod alius sit mundus, & alij homines sub terra sint, aliusq; sol & luna.* Et in margine dicitur: *Plures statuisse mundos, diuinæ repugnat scripturæ; ac proinde hæresis esse conuincitur.*

DVBIVM VI.

An cœlum sit corpus natura sua generabile & corruptibile?

S. Thom. 1. p. q. 66. a. 2.

1 COelum corpus esse natura sua generabile & coruptibile, omnium Philosophorum, Aristotele excepto, communis fuit sententia, speciatim Platonis, Heracliti, Empedoclis, Anaxagoræ, Democriti; Stoicorum omnium & Epicureorum, qui etiã excepto Platone, cœlum quandoq; reipsa interiturum dixerunt. Eadem videtur fuisse plurium SS. Patrum sententia, qui non tantum docuerunt, cœlos aliquando diuina vi post extremũ iudicij diem corrumpendos, vt scripturas varijs in locis testari quæst. 11. videbimus; sed simul etiam significant, eos natura sua esse corruptibiles; hoc ipso, quod vna cum plerisq; Philosophis docuerunt, cœlos esse naturæ Elementaris, adeoq; ex elementis vno pluribusue constare, vt dictum quæstione 3. Qua de causa etiam nonnulli aquas supra cœlos collocatas fuisse dixerunt, vt eorum incolumitati tantisper esset consultum, vt dicetur q. 8.

2 Eandem sententiam indicat Magister in 2. dist. 14. & Dionysius Carthusianus in 2. dist. 14. q. 2. & aperte tradunt è recentioribus Catharinus in Heb. 1. & in 2. Pet. 3. Hieronymus Magius lib. 2. de exust. mundi, Franciscus Valesius lib. de Phil. sac. cap. 89 Alphonsus Salmeron tomo 1. proleg. vltim. in 2. Pet. cap. 3. disputatione 4. & Martinus del Rio in cap. 1. Genes. & quidam alij; non autem, vt putarunt nonnulli, omnes illi, qui dixerunt, cœlum ex aquis aut elementis

produ-

Digitized by Google

productum; vt de Molina inferius dicetur: quia fieri potest, vt cœlum ex aliquo elemento, seu materia elementari putetur factum, & tamē corruptibile sua natura non dicatur. Eidem sententiæ fauet Ascanius Martinengus, tom. 1. in Genes. pag. 476. 605. 666. vbi de firmamento, & aquis supra cœlos differens, etsi denique fateatur, cœli naturam nobis esse incognitam, magis tamen in eam sententiam inclinat, quæ cœlos asserit natura sua corruptioni obnoxios.

3 Addunt non pauci Sancti Patres, immortalitatem, & incorruptibilitatem nulli rei creatæ ex sua natura, sed solum ex dono & gratia DEI competere; qua de causa etiam Angelos per se ac sua natura, mortales & corruptibiles esse, quidam videntur existimasse. In quem sensum Damascenus libro secundo Fid. Orthodox. capite tertio *Immortalis*, inquit, *Angelus est non natura, sed gratia; nam omne quod cœpit, & desinere suapte natura potest.* Sed de hac re iam actum superius disputatio. 5. quæstion. 1. dub. 3. vbi ostendimus, Angelos corruptibiles dici, non per respectum ad potentiam naturalem aut creatam, sed solum per respectum ad potentiam diuinam.

4 E contrario vero Aristoteles lib. 1. de cœlo capit. 3. & lib. 2. capit. 1. & in lib. de mundo ad Alex. si tamen eius est hocopus, quia docuit, cœlum non esse naturæ elementaris, sed quintæ cuiusdam essentiæ, consequenter etiam asserit, cœlum esse natura sua ingenerabile & incorruptibile. Eundem secuti sunt ex Sanctis Patribus Dionysius apud S. Thomam infra, & Gregorius Nyssenus lib. de hom. opif. cap. 1. item Albertus Magnus p. 1. de quatuor Cooeuis quæst. 4. art. 1. S. Thomas hic cit. quæst. 66. art. 2. & in 2. d. 14. quæst. 2. Alensis 2. p. quæst. 40. Bonauentura 2. d. 14. art. 1. qu. 1. & 2. & tota Schlolasticorum Theologorum, ac Peripateticorum schola, recentioresque adeo Scriptores Catholici prope omnes; ipse etiam Molina 1. p. q. 9. a. 2. d. 2. & reliqui citati quæst. præced. pro assert. 1.

5 Assertio I. Vtraque sententia, & quod cœlum natura sua sit corruptibile; & quod sit incorruptibile; hactenus salua fide, ac sine erroris periculo, ac temeritatis, vlliusq; grauioris censuræ nota, etiamnum defendi potest. Videtur ex mente omnium Doctorum: neq; enim, quod sciam, vll⁹ est, qui suam hac de re in alterutram partem sententiam, adeo exploratam censeat, vt contrariā damnet, aut vlla seueriori nota perstringat.

6 Et quamuis complures SS. Patres in eam sentētiam iuisse videantur, cœlos natura sua esse corruptibiles, minime tamen significant, eam rem ad fidem pertinere, vti nec ex fidei principijs eam firma ratiocinatione deducunt; sed vt doctrinam ex philosophia Platonis, aliorumq; desumptam, partim etiam vt scripturę aliqua ex parte consentaneam, cōmuniq; dudum iudicio comprobatam tradunt: cum tamen postea non minus communi & frequenti Scholasticorum pene omnium calculo, melioribusque sane rationibus, vt dicetur, opposita Aristotelis sententia fuerit comprobata; qui & ipsi tamen vtique suam hanc posteriorem sententiam quasi ex fide certam existimasse non putantur, neque ita etiam SS. Patres de sua sententia iudicasse existimandum est, vt in simili iam supra etiam q. 3. ex S. Thoma, ipsorumque Patrum confessione retulimus.

Præterquam quod non satis constat, Sanctos Patres, qui obijciuntur, adeo cœlum fecisse corruptibile, vt id simpliciter & absolute, non solum potentia diuina, vti de Angelis sensisse diximus, sed etiam vi naturali corrumpi posse existimarēt: certe ante finem mundi corrumpendos esse null⁹ eorum, quod sciam, asseruit. Qua in re à nonnullis huius temporis Astronomis, plurimum dissident; qui dum cometas, aut maculas solares, aliaque noua in cœlis phænomena conspicantur, mox indubie pronuntiant, hæc naturali generationi & corruptioni cœlestium corporum attribuenda esse; quasi iam finis mundi instet, quem cœlorum corruptioni ex scripturis destinarunt SS. Patres. Vide inter cæteros Irenæum lib. 4. ca. 6. vbi quidem docet, cœlum & terram transitura esse: sed cœlum naturaliter corruptibile, nullo verbo indicat. Idem dico de Clemente, siue S. Petro, apud Clementem lib. 2. Recognit: & quibusdam alijs, quià nonnullis imerito pro eadem sententia citantur. 7

Assertio II Non solum secundum naturalem rationem, sed etiam secundum scripturā ac fidei principia, multo probabilius est, cœlum esse corpus natura sua (siue ex vi formæ, siue ratione ipsius materiæ) ingenerabile & incorruptibile. Primam partem quoad rationem naturalem suppono ex Aristotele lib. 1. de cœlo, & ex Philosophia communiter recepta; desumiturque eius probatio, tum ex perfectione mundi; eum etiam rerū gradum exposcente, qui sit substantiæ corporeæ incorruptibilis, cum oppositus alter gradus substantiæ corporeæ corruptibilis, vtiq; iam in rerū natura existat; tum ex eo, quod cœlum non est naturæ elementaris, sed corpus simplex, quintæ cuiusdam essentiæ, vt ex motu circulari, alijsque signis colligitur, de quo quæstione 3. tum ab experientia. Quia è tanto numero stellarum, quæ compertæ hactenus antiquoribus fuerunt, nulla tam parua fuit vnquam, quæ desideraretur; nulla ex ijs, quæ recens accedere visæ, tam magna, vt durationis constantia par æuiternis illis corporibus videri posset: vt hæ, nisi miraculum interuenerit, merito naturæ seu rationis ab alijs diuersæ existimentur. 8

Altera pars probatur. Primo, quia secundum scripturam multo verius est, cœlos omnes quoad substantiam productos fuisse simul cum terra, ac cæteris elementis, adeoque non ex vllo alio elemento, à quo corruptibilitatis defectum participaret, vt dictum q. 1. & 2. Secundo, scriptura cœlo rebusque cœlestibus, non minus quam Angelis, peculiarem quandam perennitatem attribuit, qualem elementis nunquam concedit. Psal. 148. v. 1. & sequentibus: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum* 9

cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini: quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit. Vbi vides, cœlos primo generatim, deinde speciatim, qui in cœlis existunt Angelos, virtutes, solem, lunam, stellas cum lumine, cœlos quoq; cœlorum, & aquas quæ super cœlos sunt; hęc inquam omnia ita à Deo fuisse facta, vt stent *in æternum, & in seculum seculi*. Qua conditione, vt significet ꝓpheta, terrã cæteraq; elementa, & quę ex eis componuntur, inferiora esse, mox illa quidem seorsim, suo etiam gradu & ordine Deum collaudantia, sed absq; illa speciali prærogatiua perpetuitatis ac perennitatis producit: *Laudate Dominum de terra &c.* Tertio sol in scriptura ꝓponitur velut exemplar regni Christi, rei vtiq;, quæ corrumpi & deficere non potest. Psal. 88. v. 38. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternũ, & testis in cælo fidelis.*

10 Alterum genus probationis pro eadem secunda parte secundæ conclusionis sumitur ab authoritate SS. Patrum, qui eandem sententiam aut aperte defendunt, aut ei non parum fauent. Primo enim cõmunis est Patrum sententia, cœlũ supremum siue Empyreũ, in principio scilicet à Deo creatum, perpetuũ, & incorruptibile esse; neque vero id vlla ratione negari potest, Ita Clemens ex persona S. Petri l. 2. Recognitionũ ait: *cœlos autem esse, qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit; quorum vnũ sit superius, quo continetur visibile firmamentũ: istud esse perpetuũ & æternum, cum his qui habitant ibi; illud autem in consummatione seculi resoluendũ esse & transire; vt illud cœlum, quod est antiquius, excelsiusq;, post iudicium, sanctis & dignis appareat.*

11 Iunilius in Hexaemer. [Ipsum enim est, inquit, cœlum superius, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum, diuinæ gloriã præsentiæ, manet semper quietum.]

Procopius in Genesin: [Decreuerat etenim Deꝰ duo condere opificia pulcherrima; alterum quidẽ mutationi, & corruptioni obnoxiũ, quod tamen neutiquã spirituales substantias perimere possit; & illud opꝰ est, quod oculis nostris subiectũ aspicimus. Alterũ vero liberum & vacuũ voluit esse à ꝓsentis seculi malorum labe; quod quidẽ auspicatꝰ
12 est Christus, cum humanã indueret naturam.

Idem sentiunt illi, qui cœlum illud vocant *intelligibile, spirituale*, & quasi *incorporeum*, vt dictũ q. 3. Atqui eadẽ est ratio firmamenti seu cœli syderei, quoad hanc conditionem: non solũ quia & hoc, quantũ ad substantiã, in principio, non ex vlla elementari materia, sed ex nihilo creatũ fuit, vt ꝓbauimus dub. 2. tametsi quidã ex citatis Patribus contrarium supponant; nec vero est corruptibile quidquã, nisi elementaris naturæ: sed etiam quia valde consonũ rationi videtur; cœlũ vtrumq;, empyreum inquã & sydereum, in ratione entis toto genere non differre. Imo Athanasius q. 5. ad Antiochum diserte scribit, *vnam esse cœlorum naturam; sicut vna est hominum natura, &c.*

13 Deinde incorruptibilitatem cœlorũ vniuersim, ac perspicue tuetur S. Dionysius, quem etiam S. Thomas loco superiꝰ citato, in eandẽ sententiam adduxit; sed nec verbis ipsius prolatis, nec loco annotato. Extat autem is locus, ad quem respexisse videtur S. Thomas, apud Dionysium de diuinis nominibus c. 4. cuiꝰ verba subinde per parenthesin breui notatione illustrata sic habent: *Quin & id, quod nobis in medio cursu orationis excideràt, cœlestium principiorum & extremorum* (quasi dicas totius substantiæ cœlestis) *causa est summum bonum; eius* (inquam) *essentiæ ac naturæ* (cœlestem intelligit à summo bono causatam) *quæ nec crescere, nec minui potest, nec vlla ex parte* (corruptiua mutatione) *mutari: atque etiam motuum* (causa scilicet est summum bonum) *qui sine sono, quia ita loqui oportet, in maximo cœli cursu* (nota cœlum, non astra solum moueri) *feruntur; descriptionumque stellarum, atque pulchritudinum, & luminum, firmitatumque ac quarundam stellarum multiplicis motus*, (Planetas intelligit) *quo transferuntur, duorumque luminum; quæ Magna scripta diuina appellant, ab ijsdem locis ad eadem renouationis & reuersionis, quæ in orbem circumque fertur; quibus dies nostri & noctes definiti, mensesque & anni mensura comprehensi temporis, atque eorum, quæ in tempore fiunt conuersiones; & definiunt, & numerant, & moderantur, & continent.* Vbi manifeste vides, ex doctrina S. Dionysij, cœli substantiam, *nec crescere, nec minui, nec omnino mutari posse*, mutatione videlicet, vt dictum, corruptiua; nam secundum locum mutari, mox ipsemet ibidem docet.

Idem meo iudicio aperte sensit Gregorius Nyssenus de opific. hom. c. 1. vbi *naturã* cœlorũ dixit esse *nulli mutationi* (corruptiuæ) *subiectam*. Et infra: *Cœlum*, inquit, *cum sit omnis exper smutationis nunquã, quieſcit. Voluit nimirum Deus cum immobili naturæ* (terræ) *mutabilitatem; contraque mutabilitatis* (corruptiuæ) *experti motum adiungere.* Ita Nyssenus.

Nec dissentire videtur Iustinus Martyr de qq. à 14
Christianis propositis ad q. vltimam, vbi ait: [Cœlum quod creatũ est, à Dei voluntate habet, vt non intereat, ad vsum eorũ, quæ videmꝰ; quo vsu expleto, in aliud immortalitatis genus transferetur. Deus enim, qui ei corporis magnitudinẽ tribuit, quantã voluit, non quantã potuit; poterat enim multo maius illud efficere, quam sit; nunc ipsũ in suo immortalitatis genere ac termino manere voluit ad aliud tempꝰ; cũ vt Christiani, qui recte sentiunt, credunt, & aduersarius fatetur, res omnes in meliorẽ statum mutabuntur.] Habet ergo cœlũ ex sententia huius S. Doctoris etiamnũ aliquod immortalitatis seu incorruptibilitatis genus.

Sed & Plato, & ex eodẽ Eusebius Cæsariensis l. 15
11. de præparat. Euang. c. 17. cœlũ non nisi à Deo dissolui posse indicant: [Præterea, inquit Eusebius, de consummatione & immutatione mundi aperte, & magna voce scriptura prædicante, quia complicabitur cœlũ sicut liber. Et rursum, ꝓterit enim figura seculi huiꝰ. Audi, quomodo Plato etiã hoc dogma comꝓbauit in Timæo dicens: Constituit cœlũ visibile, atq; tangibile, & ꝓpter hæc, & ex illis, & talibus, & ex quatuor numero, mundi corpus factũ est, ꝓportione conueniens, à cæteris omnibus indissolubile, præterquã ab eo, qui colligauit. Et post pauca: Tempus igitur cum cœlo fa-

ctum est, vt simul facta, simul etiam dissoluantur, siquando solutio quædam ipsorum fiet.] Et post pauca subijcit; [Quod ligatum est, solubile est; quamuis si bene aptatum beneque ligatum soluere vult, bonus non sit. Quare inquit (*Plato*) Deo attribuens verba: dij quorum ego creator ac pater sum, quoniam facti estis, immortales quidem non eritis, nec indissolubiles omnino. Non ergo dissoluemini, nec in mortem deducemini, maiore vinculo colligati.] Vbi de cœlis fermo est, quos substantias intelligentes, adeoque deos quosdam, sed à summo Deo creatos Plato existimauit. Eodem modo Platonis in Timæo sententiam refert Aristoteles lib. 1. de cœlo tex. 109. vbi ait: [Sunt autem quidam, quibus fieri posse videtur, & ingenerabile quippiam existens corrumpi, & genitum incorruptibile perdurare, vt in Timæo. Ibi enim ait Timæus, cœlum factum quidem esse; non tamen esse corruptibile.]

Denique eam Aristotelis sententiam de incor- 16
ruptibilitate cœlorum, referunt, nec admodum improbant Cyrillus Alexandrinus lib. 2. contra Iulianum, Basilius Hexaem. Homil. 1. Gregorius Nyssenus siue Nemesius libro tertio Philosoph. capit. 4.

Quæ vero contra cœlorum incorruptibilitatem ex scriptura obijci possunt, testante, cœlos in die iudicij corrumpendos, declarabuntur quæstion. 4. dub. 4. Hic satis est, dicere, etiamsi cœli quoad substantiam corrumpendi tunc forent, (quod tamen minime probatur,) non ideo consequens esse, eos naturâ suâ corruptibiles esse: cum Deus sua virtute vtique etiam quæ natura sua perpetua sunt, destruere possit.

Sed ad quid, obijciet tunc aliquis, Deus cœ- 17
los fecisset incorruptibiles, si aliquando substantialiter destruendi forent? Respondeo; vt quia aliter secundum naturam fieri non poterant, aliquando saltem tempore, quantum mundi hominumque vsus deposceret, Deo seruitium hoc suum imperanti non denegarent. De nouis phænomenis, quæ eidem corruptibilitati cœlorum obstare videntur, dicetur quæstion. sequenti. Atque hæc de communibus proprietatibus cœlorum. Nunc de firmamento speciatim agendum.

QVÆSTIO III.

De opere secundæ diei, nimirum firmamento, ac soliditate cœli, itemque de aquis supra & infra firmamentum existentibus.

S. Thomas 1. p. q. 60.

ABsoluetur hæc quæstio tribus dubitationibus. I. Quæ sit ratio firmamenti, & aquarum quas diuidit. II. Sitne firmamentum adeoque cœlum solidum, an liquidum corpus. III. An soliditati vel incorruptibilitati cœlorum obstent noua phænomena.

DVBIVM I.

Quid Firmamentum; & quales sint aquæ supra & infra firmamentum.

S. Thomas 1. p. q. 68. a. 1. 2. 3.

1 FIrmamentum diuisionemque aquarum esse opus secundæ diei, extra controuersiam est, & apertè patet ex narratione Moysis Genes. 1. v. 6. 7. & 8. Ad cuius proinde operis rationem cognoscendam, imprimis opus est, ipsius firmamenti & aquarum, quas diuidit, rationē habere perspectā.

Facit autem pariter hæc quæstio non parum ad cœlorum rationem cognoscendam; tum quia ipsum firmamentum in scriptura cœli nomine appellatur; interest ergo scire, quidnam sit illud firmamentū: tū quia du. seq. ex hoc ipso etiā nomine argumētū desumem⁹ ad soliditatē cœlorū cōprobandā, quod argumētū supponit, firmamentū esse verum aliquod cœlum; tum quia aquæ supra cœlos non paruam cum cœlo affinitatē habent, non solum ratione loci, vel etiam continentiæ, sed etiam quia nonnulli ex his ipsis aquis argumentum sumunt, vt probent, cœlos aut liquidos esse aut ex aqua elementari productos. Sicut autem aquæ ipsæ cum firmamento coniunctionem habent, ita vicissim vnius explicatio pendet ab explicatione alterius, vt nec omnino firmamentum sine aquis, nec aquæ sine firmamento, nec sine vtrisque cœlum recte possit intelligi.

Sunt autem tam de firmamento, quam de aquis, quas firmamentum diuidit, variæ admodum Doctorum sententiæ. Et generatim quidem loquendo, tres. Prima vtrumque solum mystice explicat; aquas quidem superiores de Angelis beatis, aquas autem inferiores de malis Angelis, è cœlis in hunc turbulentum aërem deturbatis. Ita Origenes apud Epiphanium in epistola ad Ioannem Hierosolymitanū, & apud Hieronymum in

epistola

epistola ad Pammachium, item apud Basilium hom. 3. in Genes. S. Thomam 1. p. quæst. 68. a. 2. & secutus videtur olim S. Augustinus libro 13. Confes. capit. 32.

3 Secunda sententia est, quæ literalem sensum consectando vtrumq; tam firmamentum scilicet, quam aquas supra & infra firmamentum positas, de corporibus quidem, sed non vere ac proprie cœlestibus, aut supra sydereum cœlum constitutis, sed de sublunaribus accipit; ita vt aquæ superiores, sint vapores, ac nubes media in regione aëris pendulæ; aquæ inferiores, illæ quæ terris incumbunt; firmamentum autem sit, siue aër ipse nubilus & impurus, siue aër purus infimæ regionis, inter vtrasque aquas medius. Hanc sententiam, tametsi quod sciam à nullo antiquiorum Patrum asseueranter & diserte assertam, referunt tamen velut probabilem Sanctus Augustinus libro secundo de Genes. ad literam capite quarto, Sanctus Thomas prima p. quæstion. 68. articulo secundo & tertio, & Durandus in 2. dist. 14. quæstio. 1. Eandem recitant Eucherius, Beda, & Glossa ordinaria in Genesin: Tostatus insuper in postilla, & Vielmius lect. 14. in Genes. eandem tribuunt ex Iudæorum Rabbinis Abenezræ. Ex recentioribus autem eandem sententiam constanter & fortiter tuentur Rupertus Tuitiensis libro primo de operibus Trinitatis cap. 22. Augustinus Eugubinus in Cosmopoeia, Benedictus Pererius lib. 2. in Genes. c. 1. v. 6. in opere secundæ diei, Gregorius de Valentia 1. p. d. 5. q. 3. pun. 2. & fauet Caietanus in Genes. ac Vielmius ibid. lect. 14.

4 Differunt tamen hi authores inter se; quia S. Thomas & Eucherius firmamentū vocant ipsum *nebulosum aerem*, seu *illam partem aeris, in qua condensantur nubes; quæ distinguit superioris aeris partē*, inquit S. Thomas a. 3. *in qua generantur pluuiæ, & huiusmodi impressiones, ab inferiori parte aeris quæ aquæ connectitur, & sub nomine aquarū intelligitur*. Pererius autē & Gregorius de Valentia dicunt, esse *purū aerem*, secundo die ex nebulis ac nubibus productum, req; ipsa medium inter duplices illas aquas.

5 Apud Augustinum quoq;, Bedam, & S. Thomam, firmamentum secundo die factum, distinguitur à firmamento, in quo Deus die quarto posuit solem, lunam & stellas. Pererius autem & Valentia ipsum hoc etiam firmamentum, diuidens aquas, extendunt vsque ad sydera, adeoq; ita conantur explicare, vt includat quoque firmamentum illud sydereum, in quo Deus posuit stellas; quanquam reuera hæc inter se parum videntur cohærere, vt dicetur. Fundamentum præcipuum sumitur, tum ex refutatione aliarum sententiarum; tum quia verisimile est, Moysen in explicatione Geneseos populo tam rudi non aliquid obscurum & vulgo incognitum, sed quod in omnium oculis ac sensibus versaretur; vtroq; tam firmamenti nomine, quam aquarum supra firmamentum existentium, voluisse designare.

6 Tertia sententia est, quæ firmamenti nomine, ipsum cœlum sydereum (vnum vel plures) per aquas autem superiores, verum aliquod corpus, supra cœlum illud existens, intelligi asserit. Quæ sententia rursum varijs modis subdistincta est. Primo enim Augustinus libro primo de Genes. contra Manichæos c. 11. per aquas intelligit materiam, p firmamentū totū cœlum astriferum, diuidens inter materiā rerū inuisibiliū atq; supercœlestiū, & materiam inferiorū ac sublunarium corporum; dicit autem aquas illas inuisibiles, esse supra cœlū, non tam locorum spatijs, quam naturæ dignitate. Sed communiter refellitur; tum quia secundo die, non solum extabat materia rerum superiorum & inferiorum; sed ipsum etiam cœlum, terra, & omnia elementa, quoad substantiam iam erant creata, quæ proinde locum ipsum totius vniuersi occupabant, nulla materia nuda omnisque formæ experte vspiam existente, vt colligitur Genes. 1. vers. 1. & superius quæstio. 2. fusius probatum. Tum quia absurdum videtur, aquam vocari solam & nudam materiam primam; quam enim habet hæc cum aqua similitudinem? Tum quia ea sententia videtur supponere Angelos esse ex materia productos, adeoq; corpeos, quod cōmuniter hodie refellitur.

7 Secundo quidam per aquas superiores intelligendum esse docent nonum cœlū, quod crystallinum dicitur, per firmamentum autem, vel solam octauam sphærā, in qua sunt stellæ inerrantes, vt vult Catharinus coment. in Genes. vel vt alij, firmamentum vna cum subiectis ei planetarum orbibus; per aquam inferiorem, seu omnia corpora sublunāria diaphana; seu aquā ipsam elementarem sub luna vbiuis demum existentem. Ita Alensis 2. part. quæst. 50. mem. 1. Bonauentura in 2. dist. 14. Ægidius 2. p. Hexaemeron cap. 14. item Nicolaus Lyranus, Burgensis, Tostatus, Caietanus, Clitouæus, apud Martinengum & Pererium locis citatis. Eandem refert, nec improbat S. Thomas 1. p. q. 68. art. 1. & 2. & sequitur seu ipse, seu quisquis est author postillæ in Genesin, sub nomine S. Thomæ recens editæ. Huc spectat ea sententia, quam Hamerus in Genesin recentioribus tribuit, per aquas superiores cœlum Crystallinum, per inferiores intelligi frigidum cœlum Saturni.

8 Tertio alij per firmamentū intelligunt totam machinam cœli syderei; per aquam autem supernam, veram aliquam & naturalē aquam, seu liquidam, seu potius instar glaciei, vel crystalli concretam, supra cœlos sydereos existentem. Ita videntur sentire Clemens libro primo Recognitionum ex persona S. Petri, Iustinus quæstio. 93. Tertullianus libro de Trinitate, c. 8. Hilarius in psal. 135. Basilius in Hexaemeron, Ambrosius Hexaem. libro secundo capit. 3. item Hieronymus epistola ad Oceanum, Epiphanius epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, Chrysostomus hom. 4. in Gen. & hom. in Psal. 148. Cyrill⁹ Hierosol. Catechesi 9. Augustinus quoq; inter alias sententias etiā hanc refert, nec improbat l. 2. de Genes. ad literā c. 4 & 5. & l. 11. de ciuit. Dei c. vlt. & enarratione in Psal. 113. item Seuerianus & Eucherius in Genes. libro 1. cap. tertio Theodoretus quæ. 11. in Genes. Damascenus lib. 2. Fid. Orthod. c. 6. & 9. Prosper in Psal. 103. Anastasius Synaita Hexaem. l. 2. & 7. Iunili⁹ in Hexaem. Pro-

copius

Digitized by Google

copius in Geneſ. cap. 1. Beda qq. in Geneſ. & lib. de naturis rerum capite 7. & 8. Caſſiodorus in Pſalm. 103. & in Pſalm. 148. Haymo in eundem Pſalm. 148. Euthymius in Pſalm. 103. Bruno in Pſalm. 148. Rupertus libro primo in Geneſ. cap. 23. 24. 25. Anſelmus de imagine Mundi capite 25. & 28. Hugo de S. Victore Annotationibus in Geneſ. c. 6. Richardus de S. Victore Except. lib. 2. cap. 7. Magiſter ſententiarum in Pſal. 148. & in 2. diſt. 14. Magiſter Scholaſticæ Hiſtoriæ c. 4. Idem habet vtraque Gloſſa, interlinearis ſcilicet & ordinaria, & dudum antea tradidit etiam Ioſephus lib. 1. Antiquitat. cap. 1.

9 Ex recentioribus eandem ſequuntur Hieronymus Oleaſter, Annotationibus in cap. 1. Geneſ. Martinus Delrius ibidem, Molina de opere ſex dierum diſput. 10. qui expreſſe docet, aquas illas ſupernas, eſſe elementares, eiuſdemq; rationis cũ noſtris aquis. Quod etiam quidam Patres antea citati indicant, præſertim cum aſſignato earum officio & vſu, aiunt, eas vel ad temperandum ardorem ſydereum, vel ad materiam generali diluuio præſtandam, vel ad rorem, pruinam, pluuiaſque ſubminiſtrandas, ſupra cœlum poſitas fuiſſe.

Differunt tamen hi authores inter ſe, quod Ioſephus, Clemens, Iunilius, Beda, Gloſſa interlinearis, & Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ, quibus accedit Hugo Carenſis in poſtillis in Geneſin, aquas ſuper cœlum inſtar Cryſtalli vel glaciei cõcretas & congelatas conſtituunt; quiproinde parum recedunt ab authoribus ſecundo loco antea cõmemoratis, per aquas cœlum cryſtallinum intelligentibus.

11 Alij vero, vt Eucherius, Anſelmus Cantuarienſis, Hugo Victorinus, & Aſcanius Martinengus tom. 1. in Geneſ. pag. 660. fauente etiã Auguſtino, aquas illas, fumi, ſeu vaporũ modo, ſupra cœlum exiſtere tradunt; & vtramque hanc ſententiam ſub diſiunctione habent etiam Magiſter ſententiarum, & Magiſter Scholaſticæ hiſtoriæ; quarum poſteriorem tamen ſpeciatim refellit S. Thomas in qq. diſp. q. 4. a. 1. ad 5.

Alij denique aquas illas ſupercœleſtes liquidas & fluxas eſſe tradunt, noſtrarum inſtar; ita Baſilius Hexaem. l. 3. Ambroſius l. 2. c. 3. Procopius in Geneſ. c. 1. Euthymius in Pſalm. 103. Iunilius ſeu Beda in Hexaem. pro vna ſententia.

12 Vt meam in re tam obſcura & ancipiti ſententiam explicem, præmitto fundamenti loco, ex ipſo primo capite Geneſis, vbi de hac re ex inſtituto agitur, duos ſcripturæ locos, ex quibus res hæc omnis diiudicari debet. Primus eſt verſ. 6. vbi opus ſecundæ diei exponitur, his verbis: [Dixit quoq; Deus, fiat firmamentũ in medio aquarũ, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentũ; diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocauit Deus firmamentum cœlum: & factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.]

13 Alter locus eſt eodem capite primo Geneſ. verſu 14. vbi de opere quartæ diei agitur: *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum eſt ita. Fecitque DEVS duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cœli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti; & diuiderent lucem & tenebras. Et vidit DEVS, quod eſſet bonum; Et factum eſt veſpere & mane dies quartus. Dixit etiam DEVS; Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cœli.* Pro quibus verbis hebraice legitur, *Alpene-Rakiah*; græce κατὰ τὸ στερέωμα; quæ noſter interpres (quidquid noñulli, recẽtiores & ſecunda ſentẽtia relati obluctentur) recte vertit *ſub firmamento cœli:* quia *Al* per *Ayn* apud Hebræos, nõ tantum ſignificat *ſupra*, ſed etiam *contra*; & κατὰ apud græcos non tantum ſignificat *ſecundum*, ſed etiam *poſt* ſeu *infra*. Idem autem eſt *contra faciẽ firmamenti*, ſeu, *poſt firmamentum*, quod *ſub firmamento*.

Suppono ſecundo; omne cœlum quoad ſubſtantiam, adeoque ipſum etiam firmamenti cœlum primo die fuiſſe creatum; neque tamen firmamenti ſubſtantiam initio ſtatim fuiſſe ſolidam; ſed primum ſecundo die, cum antea liquida eſſet, conſolidatam. Primum probauimus ſupra quæſtion. 2. dub. 2. Secundum præter ſcripturam, de qua dub. ſequent. tradunt quam plurimi Sancti Patres, ſpeciatim Clemens Romanus lib. 2. Recognit. ex perſona Sancti Petri, Ambroſius lib. 2. Hexaemeron, capite 4. Theodoretus in Geneſ. quæſtion. 11. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 9. Iunilius apud Lipomanum in Hexaem. Gennadius ibidem, Claudius Marius Victorinus com. in Gen. lib. 1. Anaſtaſius Synaita comment. in Hexaem. lib. 2. Oecumenius in 2. Pet. 4. Seuerianus, Hugo Carenſis, & Beatius apud Lipomanum, Anſelmus Laudunenſis in gloſſ. interlin. Anſelmus Cantuarienſis lib. 1. de imag. mundi cap. 25. Beda in Hexaem. ad illa verba, *Vocauitque Deus firmamentum cælum*, Hugo Victorinus annot. in Gen. c. 9. Petrus Comeſtor Schol. Hiſt. capit. 4. quorum teſtimonia adducemus dub. ſeq. in relat. 4. ſent. qui omnes vnanimiter teſtantur, firmamentum, de quo Geneſ. 1. v. 6. ex aquis, quibuſcunq; demum, productum & conſolidatum fuiſſe die ſecundo; quam proinde tanquam comuniſſimam Patrum ſententiam tradunt etiam Auguſtinus Steuchus, & Aſcanius Martinengus, itidem dub. ſequenti citandi. Vbi de hac re plura. 14

Suppono tertio, beatos nec habitaturos in vacuo extra cœlum, etſi contrarium de Chriſto doceat S. Thomas in 3. p. q. 57. a. 4. nec futuros in ipſo ſolido corpore cœli Empyrei, perpetuo miraculo corporibus ſe inuicem penetrantibus; ſed plane habitaturos in aliquo corpore ſpirabili, & liquido, ad cœlum Empyreũ ſpectante; vt deſeruiat ſpirationi & reſpirationi, aliiſq; operationibus ſenſuũ, vt in tertia parte fuſius pbandum. Ita ex antiquioribus aperte docet Guilielmus Pariſienſis part. 1. de vniuerſo capit. 39. item nonnulli abſque nomine citati apud Bedam lib. de mundi conſtitut. & ex recentioribus prolixe ac ex inſtituto noſter Leonardus Leſſius lib. 3. de ſum. bono c. 8. à numero 98. & rurſum à numero 101. & ſeq. 15

Differunt

Differunt tamen singuli hi authores inter se; quia Guilielmus ponit liquidum illud & spirabile corpus, immediate sub cœlo Empyreo, veluti sub tecto seu laqueari. Auctores vero illi Anonymi apud Bedam ponunt liquidũ illud & spirabile corp⁹ supra omnes cœlos, etiam supra ipsum cœlũ Empyreũ. Lessius autẽ corp⁹ illud constituit, intra ipsũ cœlum Empyreum, vt inferius dicetur. His ita positis sententiam meam tam de firmamento, quam de supernis aquis, assertionibus sequentibus ita breuiter declaro.

16 Assertio I. Vtroq; loco Genes. c. 1. v. 6. & 14. firmamenti nomine, vnũ idemq; corp⁹ significatur. Est communissima SS. Patrũ & Doctorũ sententia, speciatim omniũ eorum, quos iam antea pro tertia sententia citauimus; contra paucos quosdam pro secunda sententia relatos. Probatur; tum quia alioquin in eodem orationis contextu, & vbi quidem rerum genera & nomina ex instituto declarantur, obscurissima & alienissima æquiuocatio à Moyse fuisset comissa; siquidem is sine vlla explicatione addita, in productione firmamenti aliter, quam in eius exornatione, *firmamenti* nomen accepisset. Tum quia plane absurdum est, dicere, Moysen Genes. 1. v. 14. tam luculenter egisse de ornatu firmamenti, inditis stellis & syderibus &c. de eius productione vero antea non egisse; sicut reuera non egisset, si v. 6. quo solo loco de productione firmamenti agitur, nomine firmamenti non idipsum etiam illud corpus intellexisset, de quo v. 16. fit mentio.

17 Assertio II. Aquæ superiores & inferiores ad literam non significant Angelos bonos & malos: adeoq; nec firmamentum inter vtrasq; aquas positum significat discriminationem inter eosdẽ Angelos diuinitus factã. Est communis & certa contra Origenẽ, in prima sententia citatũ, qui idcirco reprehenditur à citatis ibidẽ Patribus Epiphanio, Hieronymo, Basilio, S. Thoma. Et S. Augustinus ipse, quod antea hac de re dixerat, retractat lib. 2. c. 6. Ratio est. Tum quia hęc sententia supponere videtur, Angelos esse corporeos, & aquęas cuiusdam, siue aereæ substantiæ. Tum quia hæc interpretatio ab historica relatione, eaq; ad captũ simplicis populi accomodata, qualẽ Moyses in Genesi profitetur, est alienissima. Accedunt rationes pro præcedenti assertione.

18 Assertio III. Per firmamentum intelligi non potest aer intermedius inter nubes & aquas terrestres; ac proinde nec per aquas superiores, aquæ mediæ regionis aeris, quæ vaporibus & nubibus continentur. Est contra secundam sententiam superius relatam; sed communis SS. Patrum, vt vidimus; qui omnes fere firmamenti nomine intelligunt cœlos ipsos sydereos. Ratio est, tum quia ipsum firmamenti nomen rem solidam & firmam significat, vt dictum quæst. 6. Tum quia aer vna cum cæteris elementis, in statu puro potius, quã impuro, creatus fuit primo die, non autem primum die secundo, vt dictum quæst. 2. Tum quia Genes. 1. v. 14. astra & stellæ dicuntur posita *in firmamento cœli*; non sunt autem posita in aere intermedio inter nubes & aquas terrestres. Tum quia absurdum est dicere, Genes. 1. v. 6. solum aerem infimæ, aut etiam mediæ regionis potius, quam supremæ, cœlum esse appellatum, vt affirmare opus habet hæc sententia. Tum quia aer nubilus, qui est in media regione, prorsus non separat, aut diuidit aquas nubium ibidem existẽtium, ab aquis inferioribus, cum aquæ illæ ipso illo nubilo aere contineantur: aer vero hic inferior reuera non firmiter separat easdẽ aquas, nubibus & vaporibus contentas, ab inferioribus & terrestrib⁹; non solũ quia fluxus est, & nullo certo firmoq; termino concluditur aut definitur; sed etiam quia & ipse vaporibus, qui quotidie à terra eleuantur, refertus & infectus est; & quotidie aquis illis superioribus, quæ per pluuias, nines, rorem &c. ex nubibus vaporibusq; eleuatis excernuntur, peruius: quando eæ ipsæ aquæ superiores in eum finem eleuantur, vt rursum per pluuias, & alia meteora aquea depluant: qualis ergo hic terminus, qualis limes, quale firmamentum est inter aquas illas nubium seu vaporum, & has inferiores, quæ terræ iam incumbunt? Accedit, quod Psal. 148. v. 4. & Daniel. 3. v. 60. aquæ sup cœlos in scriptura nũerãtur inter res cœlestes, nõ sublunares, vt inferius assert. 10. plurib⁹ dicetur.

19 Ob quas etiam causas, & spectatas imprimis authoritate SS. Patrũ, qui suã doctrinã hac in re ex scripturis deduxerunt, vt dictũ, equidẽ nil dubitem, hanc assertionẽ certã & exploratã dicere. Sane Martinengus pag. 589. sententiã oppositã *non satis tutã* existimat; Molina disp. 2. dicit esse *aperte falsã*: Cui⁹ argumenta pcipue à textu græco & hebraico petita, iam satis ex dictis manent refutata notat. 1. Nec existimandũ, Moysen ea solũ in Genesi retulisse, quæ directe in sensum incurrunt; sic enim nullã omnino cœlorum mentionẽ facere oportuisset: sed pter hæc etiã toti⁹ mundi systema, de cuius pductione agebat, saltẽ obiter insinuasse.

20 Assertio IV. Per aquas supernas non potest intelligi vaporosus aer mediæ regionis, etiamsi p firmamentum non intelligatur solus aer (infimus:) sed totum spatiũ vsq; ad ipsa sydera inclusiue protensũ. Est contra specialẽ modũ sentiendi Pererij & Gregorij de Valentia locis citatis, qui, vt respondeant ad locum illum antea allatum, quod sydera & stellæ sint posita in firmamento, dicunt, eo nomine consignificari totum illud spatium ad sydera vsq; extensum; cum aquas tamen superiores dici velint eas solum aquas, quæ continentur ipsis vaporibus & nubibus mediæ regionis aeris; quæ opinatio refellitur hoc argumento: Quia totum illud firmamentum, de quo Genes. 1. vers. 4 mentio est, diuidit, adeoq; medium est, inter aquas supiores & inferiores, vt manifeste ex verbis Scripturæ patet. Atqui spatiũ illud ad sydera vsq; protensum nõ est mediũ inter vtrasq; illas aquas; sed superiores nubium aquas in se se includit, easque insuper longissimo interuallo excedit.

21 Confirmatur vtraq; conclusio ex publico Ecclesiæ hymno, qui in vesp^is Feriæ secũdæ canitur.

Immense cœli conditor,
Qui mista ne confunderent,
Aquæ fluenta dividens,
Cœlum dedisti limitem:
Firmans locum cælestibus,

Digitized by Google

Simulque terræ ruinæ.
Vt vnda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipent.

Vbi firmamentum de cœlo; aquæ supernæ de cœlestibus; inferiores de terrestribus aquis explicantur.

22 Assertio V. Per firmamentum Moyses intellexit corpus aliquod cœleste solidum, totam terram ambiens. Ita communis sententia Patrum & Doctorum, vt partim in hac ipsa dubitatione superius, partim dub. seq. fusius dicetur; & colligitur tum ex duabus præcedentibus assertionibus; tum ex nomine & officio firmamenti, paulo superius, explicato. Bene quoad hoc Hilarius in psal. 135. *Cælum vero inferius nõ vniforme, sed multiplex tetendit, quod totum firmamentum nuncupans, valide ad substentationẽ aquarũ superiorũ, temperationemq; aëris nostri, firmitate solidauit.* Plura sequẽti assert.

23 Assertio VI. Per firmamentum intellexit Moyses non solum octauam sphęram (quæ nunc ab vsu quodam veteris vocabuli sola firmamentũ dicitur) sed etiam omne cœlum sydereum siue mobile; ipsumque cœlum Empyreum, secundum partem sui infimam. Prior pars est communis SS. Patrum, & aperte patet ex scriptura Genes. 1. à versu 14. Vbi dicitur. *Fiant luminaria in firmamento cœli & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tẽpora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli &c.* Quibus verbis terna repetitur, non solum stellas ceteras, sed etiam *luminare maius, & luminare minus* (quibus vtique nihil aliud intelligitur, quam sol & luna) posita à Deo fuisse in firmamento cæli; non equidem in octaua sphæra; sed in corpore illo cælesti, quod à luna vsque ad stellas fixas porrigitur, hoc iam secundo die à Deo, noua quadam solidi-tatis perfectione, propter bonum totius vniuersi, exornato.

24 Posterior pars, intelligi eo nomine omne cælum mobile, ipsumque cælum Empyreum, secundum partem eius infimam, tametsi non ita quidẽ distincte asseritur à Patribus, quia non ita apertè sphęram aliam solidam & corpoream sydereo cælo altiorem statuerunt; est tamẽ ijs valde consentanea, qui nomine firmamenti vniuersim ac indefinitè cæleste corpus, secundo creationis die à Deo consolidatum intellexerunt, vt ex adductis supra testimonijs est videre. Speciatim autem huc faciunt Gregorius Nyssenus, Theodoretus, & Beda, quos infra pro conclusione vndecima adducemus; qui aquas supernas supra omne cælorum corpus collocant. Optime Theodoretus in catena Lipomani lect. 4. *Quoniam quidem cælum, inquit, ex fluxa aquarũ natura constitit, & quæ prius liquabilis essẽt natura, solidissima est effecta, ea de causa firmamentum est appellatũ.* Idem aperte satis colligitur ex illo Genes. 1. v. 8. *Vocauitq; Deus firmamentũ cælum.* Vbi vides, firmamentũ & cælum à Moyse quasi pro synonymis haberi; ita vt proprium firmamenti nomen sit cælum, cælumque ipsum sit firmamentũ. Ex quo sequitur, tam late patere firmamentum, quam cœlum ipsum, saltem quousque, & in quantum solidum, & aquis supercœlestibus inferius est, quandoquidem firmamentum solam conditionẽ soliditatis & termini aquas diuidentis, cœlo, quod Deus in principio creauit, superaddit.

Idem suadet ratio. Cum enim eadem sit ratio, & natura omnium cœlorum, saltem quoad hanc conditionem soliditatis; quæ, vti dictum, cœlis ipsis non per se, & ex sua natura (corporea enim quo sunt superiora, eo sunt naturâ suâ subtiliora & liquidiora; eaq; de causa cœli mobiles in fine mundi liquescent, vt dicetur q. 4. dub. 5.) sed propter bonũ vniuersi competit, vt partim sint domicilia corporũ Beatorũ, partim vehicula stellarum, simul & interstitia duplicis aquarum substantiæ, valde verosimile est, à Deo cœlos & sphęras omnes ipso die creationis secũdo simul fuisse cõsolidatos. 25

Quod adeo etiam de ipso cœlo Empyreo accipiendum, præsertim cum in prima sui creatione, Dei solummodo & Angelorũ sedes esset, pro quibus nulla ratio erat, cur solidum potius, quam liquidum initio crearetur. Dixi vero *ex parte*, &c. Quia inferius assert. 11. tres cœli Empyrei partes distinguemus; infimam & supremam solidas, & mediam liquidam: è quibus infima solum sub firmamento comprehenditur; vtpote quæ sola aqs supercœlestibus subsitat, vt dicetur cit. assert. 11. Quanquam etiam suprema, etsi nomine firmamẽti non intelligatur, ex consequenti tamen recte etiam eodem secundo die cum ipso firmamento consolidata existimari potest: ob eam etiam præsertim causam, vt ne alias ex consolidatione corporis cœlestis seu firmamenti, secundo die primũ facta, vacuum aliquod spatium consecutum videatur quod tamen etiam absque hoc, proportionata rarefactione aquarum illarũ supercœlestium deuitari posset. Eadem conclusio confirmatur à simili. Quia etiam terra in principio quidem creata fuit loco & statu maxime naturali, nimirum vt eius natura priuatim poscebat, tota aquis cooperta, postea vero propter bonum vniuersi aquis nudata vterem nihilominus terræ appellationem, confirmato quasi iure, à Deo consecuta est. Plura assert. 7. & 10. 26

Assertio VII. Per aquas superiores non intelligitur cœlum crystallinum, seu cœlum aliquod solidum stellarũ expers. Ita communis sententia Patrum; nisi quis putet, ex eorum mẽte, ipsas aquas instar glaciei seu crystalli supra firmamentum concretas, crystallinum cœlum esse appellandum. Probatur conclusio satis aperte iuxta ea, quæ diximus, ex scriptura. Tum quia cœlum omne solidum intelligitur nomine firmamenti, diuidentis aquas ab aquis, vt concluf. præced. diximꝰ. Tum quia nulla ratio est, cur opus fuerit interstitio medio firmamenti, diuidente aquas superiores ab inferioribus, si aquæ superiores sint cœlum aliquod solidum. Hoc enim satis per se iam firmiter ab aquis inferioribꝰ separatũ erat. Tum quia aquæ super cælos in scriptura opponũtur cælis, non minus, quam firmamento, quod cæli nomen accepit. Denique non satis adhuc certum est, vt dicetur q. 10. an detur huiusmodi cælum crystallinum. Plura assert. 10. & 11. 27

28 Assertio VIII. Per aquas superiores, supra firmamentum illud existentes, non intelliguntur aquæ elementares eiusdem rationis & speciei cum nostris; nec liquidæ, nec concretæ. Hæc est sententia S. Thomæ in 2. d. 14. & 1. p. q. 68. art. 3. ad 1. & cõmunis Scholasticorum speciatim Alensis, Bonauenturæ, Alberti, Petri de Tarantasia, Durandi, Scoti; quorum verba refert Dionysius Carthusianus in 2. dub. 14. quæstione prima, licet ab eis ille videatur dissentire. Idem aperte docet Guilielmus Parisiensis loco citato in tertia notatione.

29 Nec ei admodum repugnant SS. Patres. Tum quia tametsi nonnunquam eo nomine aquas veras & naturales interpretentur; non tamen satis explicant, an eiusdem rationis & speciei aquas, cum nostris elementaribus intelligant; siquidem veras & naturales dicere potuerunt, quia reuera sunt corpus quoddam naturale, perspicuũ, & forte etiam liquidum, atque ad totius vniuersi naturam pertinens. Quo sensu etiam ex citatis Scholasticis quidam eas vocant, *veras aquas*; cum tamen interim expresse doceant, esse diuersæ rationis: imo Tarantasius apud Carthusianum 2. d. 14. quæstio 1. addit, esse *virtualiter frigidas, & positas ad temperandum in inferioribus effectum ardoris corporum superiorum*: & tamen aperte simul negat, esse elementares. Tum quia licet subinde per modum disputationis supponere videantur, eas aquas esse similes nostræ elementari aquæ, non tamen id pro certo habent, imo aperte nonnunquam de ratione illarum aquarum dubitant, vt videre est apud Augustinum lib. 2. de Genes. ad lit. capit. 5. Tum quia nullum erat fundamentum in scriptura, qua tamen hac in re Patres vnice nitebantur, cur aquas eiusdem speciei cum nostris supra cœlos constituerent.

30 Denique non sunt ex Patribus, qui aperte docent, aquas illas superiores esse diuersæ rationis & naturæ ab aquis elementaribus. Idenim supponit August. lib. 1. de Gen. cont. Manich. c. 11. itemq; veluti certum sæpius repetit Greg. Nyssenus in Hexaem. vbi ait: *Quæ si recte considerata sunt, aqua profecto, super qua ferebatur spiritus Dei, diuersa est ab istarum aquarum natura, quæ deorsum fluunt, & firmamenta ab aqua grauí, & ad inferiora tendente seiungitur.* Et infra: *Aquarum vero separationem* inquit, *per firmamentum consecutam, dicens, à scriptura nihil absurdum, aut à nominis significatione alienum mihi facere videor, si discrimen inter earum naturas intelligam, atque vnum genus illarum sursum tendere, nihil grauitatis habere, & ignem leuitate superare mihi persuadeam, adeo vt supra naturam calidam manens, illius subiectæ nec motu conuellatur, nec ardore in diuersum ordinem commutetur, sed igni subtercurrenti nullum ad se accessum præbens, integrum maneat.* Et paulo post. *At quæ illic aqua dicitur, cum nec videatur, nec fluat; nec vllis prorsus eiusmodi terminis coerceatur, quibus natura humida continentur, sed extra locum sit, & expers omnium qualitatum, quæ sub sensum cadunt; super ipsa ferratur spiritus Dei, & supra cælos esse credatur, & omnibus, quæ sensu cognoscuntur, superior sit, qui non à communi aqua diuersam putet, naturamq; sensibus non obnoxiam, sed animo ac mente solum comprehensam existimet, inter eos, qui iudicare possunt, arbitror esse neminem.* Ita Nyssenus: quicquid interim de vera ac propria ratione eiusmodi aquarum, ipsiusque firmamenti senserit.

Ratio conclusionis est; Primum, quia aquæ 31
eiusmodi elementares, & contra naturam suam, & frustra ac sine vllo vsu, supra cœlos essent collocatæ; imo quisquis earum vsus à quibusdam est assignatus, vt superius retulimus, absurdus est, & iuxta naturas rerum impossibilis; vt recte etiam persequitur Parisiensis, & facile ex dictis colligere licet. Nec satis est dicere, multa etiã alia in ipsis terris ignorari &c. Nam aliud est rerum aliquarum naturam ac vsum determinate non sciri; aliud nec sub disiunctione quidem assignari excogitariq; vllum tanti corporis, & toties in scriptura celebrati, vsum posse, qui possibilis, & rerum naturis conueniens sit.

Accedit, quod plane indecorum, & contra- 32
decentẽ totius vniuersi dispositionem & harmoniam esse videtur, vt incorruptibilis cœli substãtia dicatur intercepta, aut cooperta aquis corruptibilib⁹, & sua natura obnoxijs perpetuæ resolutioni. Quam rationẽ optime etiam attigit S. Bonauentura cit. 2. dist. 14. *Quia credendũ est*, inquit, *sapientissimũ mundi artificem corpora mundi optimo ordine collocasse; nec solum considerasse finis vtilitatem, sed & perfectionis dignitatem, non apparet, quod verum aquæ elementum supra firmamentum locauerit.*

Obijcitur præcipue, hac ratione fatendũ, inop- 33
portunam admodum cõmissam fuisse æquiuocationem à Moyse, dum is secundum hanc sententiam, in breuissima narratione, tripliciter variauit significationẽ huius vocis *Aqua*. Etenim, inquiũt, cum primo dixit Moyses; *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, isti per aquas exponunt materiam primam, vel corpulentam aliquam massam, (seu potius, vt ego existimo, totam, quæ in mundo erat, substantiam diaphanam & liquidam:) cum autem postea subiungit, *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*, per aquas superiores interpretantur nonnum cœlum (nos substantiam cœlestem liquidam & diaphanam, omnibus cœlis superiorem, vt dicemus;) cum vero Moyses tertio loco dixit, *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum*; isti nomine aquarum verum aquæ elementum intelligendum esse censent.

Respondeo I. ex nostra sententia nullam in his 34
verbis fore æquiuocationem, si iuxtà S. Thomam 1. p. q. 68. a. 3. corp. & ad 3. his omnibus locis per aquas generatim & directe significetur corpus aliquod simplex diaphanũ, (addo ego) liquidũ; qui significatus p varijs circũstantijs locorũ varijs ac diuersis corporibus in particulari applicetur.

Respondetur 2. æquiuocationẽ tunc esse reprehẽsione dignã, si nomẽ æquiuoce vsurpetur, absq; sufficiẽti declaratione, è qua varia ei⁹ nominis significatio intelligitur; quod in pposito nõ accidit. Nã in primo loco, cũ nulla adhuc aquarũ discretio facta esset, recte generatim aquarũ nomine intelligitur omne corpus simplex diaphanũ liquidũ. In secundo loco, quia iam ipsæ aquæ superiores & inferiores, à Moyse distinguuntur, recte nos ipsi

etiam

etiam superiorum aquarum naturam ab inferiorum distinguere possumus; non enim sine causa tanto interuallo, tantiq; interstitij interpositione separantur. Et quia tertio loco rursum non de aquis generatim, sed definite ac determinate de aquis inferioribus totam terram obtegentibus sermo est, recte rursũ restrictiori significatu vocabulum aquæ, pro solo elemento aquæ terram vndique circumfluente accipitur.

35 Accedit, quod nonnulla eiusmodi varietas, & diuersa acceptio *Aquæ* ab omnib⁹, & in omni sententia admitti debet. Qui enim firmamentũ dicũt esse aërem, per aquas superiores intelligere debẽt sphæram mediæ regionis aëris, in qua non tantum sunt vapores, sed etiã nubes & exhalationes essentialiter ab aqua elementari distinctæ; cum tamen p aquas inferiores intelligant solas elemẽtares, easq; liquidas & fluentes. Qui vero p firmamentum intelligunt cœlũ consolidatum, etiamsi aquas veras elementares supra cœlũ constituant, tamẽ quia sub cœlo imẽdiate non sunt veræ aquæ elementares, sed vel ignis, vel purus & liquid⁹ aër, quẽ negare non possunt firmamento diuidi ab aquis superioribus, nomine aquarũ inferiorũ, non solũ elementares aquas, sed totã substantiã elemẽtarem liquidam & diaphanam accipere debent.

36 Denique qualis qualis sit illa in aquæ vocabulo æquiuocatio, multo sane ea tolerabilior est, quam illa, quæ ab oppositæ sententiæ authoribus duplex alia multo durior admittitur æquiuocatio in vocabulis *cæli & firmamenti*: quando Genes. 1. v. 1. *cælum* vel pro solo empyreo accipiunt, & v. 8. pro reliquis cœlis; aut v. 1. pro cœlis omnibus, v. 4. pro aëre: item quando *firmamentum* v. 6. 7. & 8. interpretantur aërem; infra autẽ v. 14. 15. & 17. cœlum sydereum.

37 Obijcitur secundo, in citato hymno *Immense, &c*: verbis illis; *Qui mixta ne confunderent &c.* significari, vtrasque aquas alioqui potuisse confundi; si firmamentum non interponeretur: ac proinde fuisse eiusdem naturæ. Respondeo negando vltimam consequentiam; quia confusio illa consistit in permixtione locali, qualis sane fieri potuisset saltẽ ab extrinseco, ea autẽ permixtio nulla posset dici cõfusio, si eiusdẽ naturę essent aquæ.

38 Assertio IX. Per aquas inferiores, quas à superioribus diuidit firmamentum, recte intelligitur, siue ipsum elementum aquæ terræ circumfusum, siue potius generatim omne corpus simplex diaphanum sublunare, hoc est, inter cœlũ lunæ & terrã interiectũ. Colligitur vterq; hic explicandi mod⁹ ex SS. PP. locis citatis & S. Thoma 1. p. q. 68. a. 3. Ratio est, quia vtraq; ista corpora existunt & cõtinentur sub firmamento superius declarato, illud quidẽ mediate; hoc vero (quod in hac re momenti plurimũ habet) imẽdiate; & neutrũ p se absq; firmamẽto solide, & constanter distinguitur ab aquis superioribus. Nec absurdũ est, his locis nomẽ aquæ paulo laxius sumere: quia vt recte notauit S. Thomas ibid. ad 3. *Moyses propter inuisibilitatem aeris, & similium corporum; omnia huiusmodi corpora sub aquæ nomine comprehendit.*

39 Assertio X. Per aquas superiores probabilissime intelligitur corpus cœleste simplex, diaphanum, liquidũ, & spirabile, beatorum habitationi destinatum. Hæc est expressa sententia Guilielmi Parisiensis, grauis & antiqui Theologi part. 1. de vniuerso c. 39. vbi cum optimis rationib⁹ plane ex Peripateticæ Philosophiæ ductu, refutasset eorum sententiam, qui dicebant olim, aquas supra cœlũ fuisse positas, vel ad temperandũ calorẽ sydereũ, cœlumq; ipsũ ab incorruptione seruandũ, vel ad vniuersalis diluuij materiã submini stãdã, vel ad pluuias effundendas; subiungit ipse ea de re suam sententiã his verbis: [Reuertar igitur, inquit, ad id, in quo eram, & dicã, quoniam aquæ, quę sup cœlos nouem sunt, non sunt ibi in forma aquarũ, quæ apud nos sunt; sed ex eis regio illa, quę cœlo Empyreo circumtegitur, sic facta est, vt sit amœna & salubris, & per omnem modum apta habitatio glorificandis hominibus, conuenienſq; vitæ, imortalitati, & impassibilitati eorundẽ; sic quibusdã forte videatur. Tu enim non ignoras, quod pisces in aquis viuũt, & in aëre viuere nõ possunt, sed in aqua est vita eorũ atq; saluatio. E contrario autem se habet in hominibus, qui non possunt viuere in aquis, sed in aere solumodo. Sic necesse est regionẽ superiorũ aquarum sic pparatam esse & aptatam, prout requirit salubritas imortalitatis, & incorruptionis futuræ post resurrectionem mortuorũ. Conuenientius enim videtur, vt sit regio illa, siue habitatio hominum, beatitudini illa futura glorificandorum, quam ipsa substantia cœli Empyrei, vt quidam forsitan opinantur: ei⁹ enim soliditatis est cœlũ Empyreum, vt spirationi & respirationi deseruire non possit. Quare si spirabitur, & respirabitur in illa vita beatitudinis, ab hominibus, habitatio illa inter cœlum nonum & Empyreum, sola conueniens videtur statui beatitudinis illius. Amplius. Pulchritudo illa & splendor Empyrei cœli magis digna est conspici, quam calcari. Super Empyreũ autẽ cœlũ non est locus; & ppter hoc neq habitatio. Amplius. Cum cœlum illud tectum sit totius mundi, non conuenit, vt subsit pedibus habitantium; imo potius debet patere aspectibus eorum; & supereminere capitibus. Quare manifestum est, aquas illas vel iam conuersas esse in corpus quale dixi, vel saltẽ eo tempore vertẽdas, quo homines beatificẽdi in sublime beatitudinis transferendi sunt.] Ita Guilielmus.

40 Eiusdem sententiæ videntur esse quidã Anonymi, quos refert Beda lib. de mundi cõstitutione, vbi de aquis supercœlestibus agens ait: *Super has* (aquas supernas intelligit) *spirituales cæli sunt, in quibus Angelicæ virtutes continentur; secundum alios, nihil nisi inane.* Qui cum dicunt, super aquas supernas nihil esse, nisi inane, necessario videntur sentire, aquas supernas habitationi beatorum esse destinatas; non solũ quia nulla alioqui ratio esse potuit, aquas collocandi supra omnes cœlos; sed etiam, quia omnium Theologorum sententia, locus beatorum est supremus, saltem ex suo genere; & ratione suæ partis supremæ.

41 Consonat etiam scriptura, quæ sępius vbi de beatorum habitatione agit, aquarum meminit. Apocal. 7. v. 17. *Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Apoc. 21. v. 6. 7. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vi-*

erit possidebit hæc. Apoc. 22. v. 1. *Et ostendit mihi fluuiũ aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.* Ibid. v. 7. *Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Deniq; Apocal. 4. v. 6. dicitur: *Et in conspectu sedis tanquã mare vitreum simile crystallo*: quod ad cœleste corpus pertinere, existimat etiam Emmanuel Sa.

42 Probatur hæc sententia optima ratione ex dictis. Si enim reuera pro beatorum habitatione, datur corpus eiusmodi diaphanum liquidum, & spirabile, ingentibus spatijs supra cœlos vndique diffusum, idq; ipsum corpus, iuxta ipsi⁹ Scripturę phrasin, adeoq; accõmodate ad modum loquendi Scripturæ, recte vocari potest Aqua, tunc plane fatendũ est, aquas illas supnas esse idipsũ corpus diaphanũ, liquidũ & spirabile, beatorũ habitationi destinatũ: sed verum est antecedens quoad vtramque partem: Ergo & consequens. Maior patet.

43 Minor quoad priorem partem partim patet ex suppositione, siue ratione tertia, superius præmissa; partim probatur optimis rationibus ex Guilielmo Parisiensi loco antea allegato; reuera enim absq; eo corpore, in beatis nec respiratio, nec locutio, neq; etiam auditus vlla sensatio; imo nec locatio, siue motus localis, naturis rerũ conueniẽter, ac sine ꝓpetuis plurimisq; miraculis esse posset; vt plurib⁹ ꝓsequitur Lessi⁹ loco ibid. cit. siue iuxta S. Thomam beati cum Christo in vacuo supra totũ cœlũ Empyreũ constituantur; siue intra ipsũ solidũ cœli Empyrei corp⁹, mutua ac perpetua corporũ penetratione. Et quid, obsecro, in illo vacuo & obscuro loco faceret corp⁹ Christi, aut beati, quod extra vnicã pedũ soleã, nihil plãe circa se, & extra se, lucis aut amœnitatis haberet?

44 Altera pars minoris patet ex dictis superi⁹ assert. 8. 9. & 10. vbi ꝓbauimus, iuxta Moysis descriptionem Gen. 1. aquas non accipi determinate, pro sola Elementari aqua; sed multo latius sæpe, pro corpore simplici, diaphano, & liquido. Id quod paulo antea etiã diserte affirmantẽ audiuimus S. Thomã 1. p. q. 68. a. 3. ad 3. vbi ait: *Moyses propter inuisibilitatẽ aeris, & similiũ corporũ, omnia huius modi corpora, sub aquæ nomine comprehendit.* Et confirmatur assertio ex refutatione aliarũ sententiarum; de aquis illis supcœlestibus, vt ex dictis liquet. Est ergo assertio hæc admodum probabilis; neq; scio, quid de aquis illis supernis verius dici possit; vbicunque demum illæ constituantur; de quo mox iam agetur.

45 Assertio XI. Corpus illud diaphanum, liquidum & spirabile; habitationi beatorum destinatũ (quod assert præc. aquas supcœlestes esse dixim⁹) non est sub cœlo Empyreo, seu infra cœlũ Empyreum; nec omnino supra totum cœlũ Empyreũ; sed in medio cæli Empyrei. Hæc assertio tota, quod ad rem ipsam attinet, & abstrahendo à nomine Aquarum, est Leonardi Lessij cit. lib. 3. de summo bono c. 8. vbi docet, cælum Empyreum in tres partes esse diuisum; supremam veluti tectum; mediam, quam ꝓprie inhabitaturi sint beati; & infimam, veluti pauimentum: ex his supremam & infimam esse solidam; mediam, liquidum diaphanum & spirabile corpus, vti diximus: addit; distantiam seu spatium, quod spirabile illud corpus inter vtrumq; terminum occupat, ꝓbabiliter fore longe maius, quam sit interuallũ inter superficiem terræ, & cœlum lunæ, quod Astronomi statuunt esse plusquã centum & sedecim millium milliarium: maxime cum spissitudini sphæræ octauę tribuant centum octoginta milliones milliarum. Quod verissimum puto. Imo ob hanc ipsam causam existimo, distantiam illam intra superiorem & inferiorem partem cœli Empyrei, spissitudinem seu crassitiem totam totius globi elementaris ad concauũ lunæ vndiq; protensi, longe excedere. Alioquin enim aut cœlum Empyreum cum alijs cœlis; aut sedes seu habitatio illa beatorum (in qua iuxta S. Thomam 3. p. q. 57. a. 4. & cõmunem Doctorũ, erit distinctio locorum secundum altitudinem, pro diuersa beatorum perfectione) cum cœlo Empyreo, non haberet debitam proportionem. Neque enim in augusto palatio decet, vt locus habitationi destinatus, varijsq; quasi contignationibus interstinctus, angustius spatium occupet quã tectum, aut pauimentum, seu fundamentum.

Quo posito, prior assertionis pars, contra Guilielmum Parisiensem præcedenti assertione relatum, probatur. Tum quia secundum scripturam, SS. Patres, & cõmunem fideliũ sensum beati habitabunt in ipso cœlo Empyreo, aut certe supra id cœlum, non infra cœlum. Tum quia ridiculum videtur existimare, corpus cœli Empyrei nobilius esse, ac dignius, quam vt pedibus beatorum corporum teratur. Quo sensu etiam Dionysius Carthusianus in 2. dist. 14. q. 1. opinionem illam Guilielmi vocat *ineptam, & quæ dissonet à communi doctrina sanctorum.* Accedit, quod scriptura absolute pronuntiat, aquas illas esse supra cœlos, vt mox dicetur. 46

47 Secunda pars assertionis contra Anonymos apud Bedam loc. cit. assert. præced. probatur & declaratur. Quia tametsi opposita hæc sententia nihil absurdum, aut à scripturis, Sanctisue Patribus alienum tradere; imo & S. Thomæ sententię, cit. p. 3. q. 37. Christum supra omnes cœlos, ac supra ipsum quoque cœlum Empyreum constituentis; atque ex parte ipsi etiam scripturæ, non parum consonare videatur, absolute pronuntianti, aquas illas supra cœlos esse, vt mox dicetur; tamen non probatur: non solum quia noua est; sed etiam quia minus consentaneum videtur rationi, vt omnis natura rerum, ac præcipue domus illa Domini, quasi tecti expers, nullo solido & constanti termino circumscribatur. Accedit, quod sedes Dei & beatorum in scriptura, & apud SS. Patres frequentius in ipsis cælis collocatur; tametsi Christus *super omnes cœlos ascendisse* dicitur Ephes. 4. v. 10. per synecdochen, quia super cælos omnes, *& ex parte etiam super Empyreum ascendit.*

48 Tertia pars sequitur partim ex ijs, quæ dicta sunt pro duabus partibus præcedentibus: partim ex assert. 5. Sicut enim ibidem diximus, per firmamentum intelligi totum corpus cæleste solidum (quam soliditatem, supposita iam antea ipsius cæli substantia, secundo primum

die-

die accepit, vt in prima & secunda notatione dictum) adeoque cœlum etiam Empyreum, non quidem adæquate sumptum, sed solum secundum infimam sui partem; ita nunc quoque dicimus, liquidam illam & spirabilem substantiam, habitationi beatorum destinatam, quam nomine aquarum supercœlestium intelligi diximus, nec infra, nec plane supra cœlum Empyreum esse; sed medium eius spatium occupare: quo fit, vt firmamentum easdem aquas immediate diuidat & seiungat ab aquis inferioribus siue sublunaribus.

49 Quæ doctrina vlterius etiam probatur; primo ex Scriptura. Tum quia hæc absolute pronuntiat, aquas illas esse *supra firmamentum*, Genes. 1. versu 7. est autem *firmamentum* secundum substantiam idem quod *cœlum* ibidem vers. 8. Tum quia Daniel. 3. versu 60. Scriptura absolute vocat *aquas*, *quæ super cœlos sunt*. Quo spectat etiam illud Psalm. 103. versu 3. *Extendens cœlum sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius.* Vbi absolute cœlum aquis coopertum dicitur. Tum quia Psalm. 148. versu 4. Aquæ istæ coniunguntur cum ipsis cœlis cœlorum; quo nomine vtique cœlum supremum inprimis intelligitur. Ita enim dicitur; *Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.*

50 Secundo probatur eadem doctrina ex SS. Patribus. Id enim plane indicat Gregorius Nyssenus in Hexaem. cum ait: [Postquam autem vna (aqua) ab altera separatæ sunt; tum eæ, quę videtur; tum illæ, quæ cogitatione percipiuntur, ac medius terminus duplicis aquarum naturæ designatum est cœlum, quod in principio quidem, vna cum terra, atque omnibus, quæ ad fabricationē mundi congesta sunt, factum esse dicitur; nunc vero perfectum pariter & nominatū est, in ea, quæ postea accidit, creatione firmamenti, quod p ambitum ignis definitum & determinatum est, &c.] Vide etiam locum eiusdem superius assert. 8. citatum. Certe in vtroq; asserit, aquas illas super cælos esse, etiam supra illud, quod Deus in principio creauit Genes. 1. v. 1. quodq; omnium sententia, aut est ipsum cælum Empyreum, siue supremum, aut illud certe etiam includit.

51 Idem significat Theodoretus coment. epist. ad Hebræos c. 9. vbi ait: *Hoc enim cælum, est quidē nostrū tectū; posteà tabulas autē, quæ sub aspectū non cadunt, est loco solio & pauimenti*; vtiq; nihilominus aliquo corpore perspicuo, liquido, & spirabili desuper incumbente, vt supra dictum.

Sed & Beda etiam non solum lib. de mundi constitutione, inter varias sententias, *de aquis supercælestibus*, etiam hanc, & quidem postremo loco refert, nec reijcit, quæ dicit, *supra aquas illas nihil esse, nisi inane*, vt dictum assert. præced. sed etiam in lib. de naturis rerum capite 8. diserte asserit, aquas illas esse corporum omniū supremū: [Aquas, inquit, super firmamētum positas, cælis quidē spiritualibus humiliores, sed tamē omni creatura corporali supiores, quidā ad inundationē diluuij seruatas; alij vero rectiꝰ ad ignem sydereū temperandū suspensas affirmant.] Quæ omnia iuxta modum & sensum assertionis positæ accipienda sunt: etsi quod hic author simul indicat, cœlum Empyreum non esse creaturam corporalem, superius q. 2. dub. 4. improbatum, vel potius explicatum est.

Denique modus & tempus productionis earundem aquarum facile etiam ex dictis colligitur. 52
Cum enim corpus cœleste secundo primum die, ppter bonum vniuersi fuerit consolidatum, & ex ipsis aquis cœlestibus, p ingentia spatia, ab ignis & elementorum regione sursum diffusis, quasi compactum, vt notat. 2. dictum; nec tamen omnis illa materia liquida cœlestis corporis in firmamenti consolidationē insumpta fuerit; idcirco pars illa eiusdem corporis cœlestis, quæ robur & soliditatē firmamenti non accepit, suam naturalem conditionem, nomenque aquarum superiorum retinuit: cum qua ne vlla vi aut ratione halitus elementares, aut vlla omnino substantia elementaris, quantumuis ad summam vsq; subtilitatem perducta permisceri posset, optima ratiōe aqua illa cœlestis firmamento veluti solidissimo quodam interstitio, ab aquis & elementis omnibus inferioribus fuit separata: præterquam quod firmamenti consolidandi, aquarumque supercœlestium etiam plures aliæ fuerunt causæ, vt dictum notat. 2. & 3.

DVBIVM II.

Sit ne firmamentum, adeoq; cœlum corpus liquidum & molle; an potius solidum ac durum?

S. Thom. 1. p. q. 68. a. 1. 2. 3. 4.

SPectat hæc dubitatio tum ad rationem ipsi⁹ firmamenti, quod secundi diei opus esse dub. p- 1
cedenti ostendimus, tum etiā ad reliquorū cœlorum naturā melius cognoscendā. Etenim probatum quidem est hactenus quæst. præc. cœlum esse corpus inanimatū, & natura sua incorruptibile; an vero sit solidum, an liquidum, eum hodie quidem vel maxime controuertatur, ex dictis tamen decidi non potest. Vti enim fieri potest, vt corpus solidum atque etiam elementare & diaphanū sit corruptibile; vt videre est in glacie, vitro, crystallo, adamante &c. ita fieri è contrario potest, vt corpus liquidum sit natura sua incorruptibile, vti reipsa, cœlum in principio creatum, quāuis natura sua incorruptibile, tamen ex ea saltem parte, qua postea firmamento constituendo materiam præbuit, liquidum initio fuisse, & ex scriptura deducitur, & ex dictis colligitur, ac magis patebit inferius.

Neque est hic quæstio de cœlo aëreo, quod ipso sensu & experientia constat liquidum esse; 2
neq; de cœlo Empyreo, alioue quocunq; (supremo, si quod aliud est) velim hic multis speciatim & ex instituto disputare; cum Scriptura vix quidquam, Sancti Patres non nisi raro de eo ad præsens institutum videantur disserere; nec de illo etiam proprie sit inter Scriptores hodie controuersia, sed de cœlo solum sydereo, quod

in scriptura firmamentum dici Gen. 1. v. 17. hoc loco supponimus, controuersia est. Id vero non esse diuersum ab eo, quod Genes. 1. versu 8. itidem firmamentũ dicitur, dub. præc. demonstrauimus. Interim ne in æquiuoco laboremus, Doctores in hac quæstio. ita partẽ in vtramq; citabimus, vt siue cœlum ac firmamentum faciant liquidum, siue solidum, non nisi de cœlo sydereo locutos esse manifeste constet.

3 Sunt autẽ in hac quæstione quatuor vniuersim Patrum ac Doctorũ, Philosophorumq; sententiæ. Prima cœlum sydereum simpliciter & absolute facit liquidum, in quo proinde astra velut aues in aere libere moueantur. Ita Philosophi, ac scriptores quidam veteres, apud Aristotelem libro secundo de cœlo, à textu 43. & apud Ciceronem lib. 2. de Natura Deorum; idque ipsum sensisse veteres Hebræorum Rabbinos, testatur Iacobus Naclantus in sua medulla. Idem docet Seneca lib. 7. nat. quæst. & refertur etiam Plato in Timæo; sed qui circulos tamen solidos cœlis tribuit: *Creator*, inquit, *circulum cæli in circulos duos reflexit; puta aplanes & planes* (hoc est, errantem, & non errantem) *circulum quoque planes diuisit in circulos septem.* Eandem cæli liquiditatem tuentur Tycho Brahe locis superius citatis quæst. 3. & alij nonnulli Matthematici recentiores; moti præcipue nouis cælorum phænomenis, de quibus quæst. seq.

4 Idem senserunt nonnulli etiam SS. Patres, qui dum negant, cælum vna cum astris moueri, videntur plane ipsum etiam sydereum cælum, seu firmamentum liquidum existimasse. In his Iustin⁹ ad quæst. 39. Orthodoxorum: *Qui fit*, inquit, *vt ij qui hæc dicunt, vere dicant; cum astra non in cælo, sed infra cælum ferantur? si ea in cælo esse dicimus, quomodo vim actionemque mouendi habent, cum cæleste corpus sit immobile? si vero vna cum cælo astra mouentur, quid causæ est, quin fabula vera sit, quæ cælum sphæram appellat?* Vbi tamen vides, quousq; hui⁹ sententiæ præiudicio progressus fuerit vir alioqui doctissim⁹, nimirum vt & astra in cælo moueri negaret, & cælum sphæricum esse, fabulam existimaret, quod postremum etiam in pluribus alijs Patribus inferius adducendis obseruare licet.

5 Cum Iustino sensit Eusebius Emissen⁹ in catena Lipomani in cap. 1. Gen. de opere quarti diei. *Quæritur*, inquit, *vtrum luminaria ac stellæ infra cælum distantia cursum peragant, an cælo fixa sint, an veluti viatores in cælo iter faciant? Ac si quidem dixerint, infra cælum currere, audiant Homerum, apud quem sol è fluentis Oceani ad medium cælum ascendit, deinde cursu confecto occidit: Neque item cælo fixa dici possunt; ea enim ratione alterum altero velocius non esset, quod tamen adeo perspicuum est, vt negari non possit. Sacra ergo ac diuina scriptura testatur, cælum firmum atque immobile esse, solem vero ac lunam in cælo moueri, ac cursum suum peragere. Nam in Iosue dictum est; sol & luna stet: non ait, cælum mouens lunam, aut solem, stet. Item ab Ezechia dictum est, sol retrocedat; non ait, cælum mouens solem retrocedat.*

6 Et clarius Gregorius Nyssenus in Hexaem. [Sed ad continuationem, inquit, commentationis, & explicationis rursus progrediamur, quomodo posteaquam ignis supremum sensibilis naturæ terminũ semel ambiuisset ac lustrasset, consequenter firmamentum factum sit, quod confinium superarum ac inferarum aquarũ esse dicit. Nam ego corpus quidem densum & spissum, solidum, resistens, ac durum, siue ex quatuor illis vnum; siue etiam aliquod aliud præter hæc, quemadmodum externis Philosophis visum est, nullum circa firmamentum arbitror spectari; sed extremitatem sensibilis naturæ, quam natura ignis irrequieta semperq; se mouẽte vi illustrat & ambit, eam à scriptura firmamentum dici, comparatione sempiternæ, incorporeæ, tactumq; effugientis proprietatis. Quis enim ignorat, quod quidquid solidum ac firmum est, per quandam duritiem prorsus densatum & consolidatum sit; at quod densum & durum est, à qualitate ponderis & grauitatis vacuũ ac purũ non est. Quod autem graue est, ad supera ferri natura non potest. Atqui super omnem sensibilem creaturam firmamentũ est. Non igitur aliquid crassum & corporeum circa ipsum putare esse consequentia sermonis dat, sed vt dictum est, comparatione cum eo, quod cogitatione & mente percipitur, & incorporeum est, quidquid sensibilis generis est solidum dicitur, etiamsi naturali tenuitate effugiat animaduersionem & visum. Quocirca consequenter quidquid ambitu ignis comprehensum est, (Comprehensa autem extrema ora materialis naturæ, quæ semel proprio quodam termino circumscripta est) Firmamentum quidem, propter materialem naturam, comparatione superiorum appellatum est; cœlum autem ei impositum est nomen, quemadmodum etiam luci nomen diei, item tenebris noctis nomen impositit.

Adhæc Chrysostomus stellas item solum, non 7
cœlum moueri asserens, homil. 6. in Genes. *Posuit illas* (stellas inquit) *in firmamento cæli. Quid est posuit? nunquid quasi diceret aliquis, fixit? Absit; videmus enim ipsas vnico temporis momento magnum transire spatium, & nunquam in vno loco stare, sed suum quem illis Dominus præcepit cursum perficere.* Et homil. 14. in epist. ad Hebræos: *Quod fixit DEVS, & non homo; Vbi sunt qui dicunt moueri cælum? vbi sunt, qui pronunciant id esse sphæricum? Vtraque enim hæc sunt ablata.* Et homil. 12. ad populum Antiochenum: *DEVS mundum effecit, neque totum immobilem dimittens, neque totum iubens moueri; sed cælum quidem immotum permansit sicut Propheta inquit; Qui statuit cælum tanquam testudinis, & extendit ipsum tanquam tentorium super terram. Sol vero cum reliquis syderibus quotidie circumuoluuntur.*

8 Item Lactantius lib. 3. de falsa sapientia capite 24. cum Antipodas cœlumque sphæricum negat, ita contra Philosophos disserit: [Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant syderũ cursus in occasum meantiũ, solẽ atq; lunã in eandẽ partẽ semper occidere, atq; oriri semper ab eadẽ. Cum autem non perspicerent, quæ machinatio cursus eorũ temperet, nec quomodo ab occasu ad orientẽ remearent, cœlũ autẽ ipsum in

omnes

Digitized by Google

omnes partes putarent esse deuexum, quod sic videri propter immensam latitudinem necesse est, existimauerunt, rotundum esse mundum, sicut pilam; & ex motu syderum opinati sunt cœlum volui; sic astra solemque, cum occiderint, volubilitate ipsa mundi ad ortum referri. Itaque æthereos orbes fabricati sunt, quasi ad figuram mundi, eosque cælarunt portentosis quibusdam simulachris, quæ astra esse dicerent.]

9 Idem significat Procopius in Genes. c. 2. *Quæstio nunc nascitur*, inquit, *an illa luminaria cœlo fixa circumuoluantur; vel cœlo stabili & immobili manente, suas reuolutiones absoluant &c. Vt mihi videtur, intelligunt (luminaria) per cœli superficiem, lucem ad nos porrigentia vniuersam. Non enim frustra habet Scriptura, Posuit Deus ea in firmamento. Nec intelligenda est, vt quidam volunt, dictio, Posuit, pro Fixit. Quapropter & IESVS filius Naue exclamat, Stet sol: nec dixit, stet cœlum, quod ipsum mouet.*

10 Idem significare videtur Diodorus Tarsensis, vt in catena Lipomani habetur; verba eius sunt: [Nemo igitur cum audierit, Et posuit ea in firmamento cœli, existimet solem, ac lunam, & stellas in cœlo fixas, gentile dogma in Ecclesiam inducens; neque cœlum moueri. Neq; enim cũ dictum est, & posuit Adam in Paradiso, Adam ibi fixisse credendum est; sed vt ibi vitam suam transigeret. Quare intelligendum est, quemadmodũ homines in terra, ita luminaria in cœlo posita esse, supernum illud iter peragentia. Vbi nonnullis videtur hic author contrariam sententiã tanquã gentile dogma detestari.

11 Denique non minus grauiter eandem sententiam tradere videtur Philastrius in suo catalogo Hæreseon, vbi ita loquitur: *Est hæresis, quæ stellas infixas putat esse in cœlum, non de thesauris, lociscque absconditis, atque à DEO dispositis in vesperum nutu diuino repente procedere, statutisque horis suo lumine cursum ministerumque indictum, agnoscere: Quod contrarium, alienumque Catholicæ fidei inuenitur, si ita quis senserit, magisque paganæ vanitatis, & Philosophorum inanis sententia, quam Christianæ scientiæ habere consortium demonstrabitur.* Hi igitur omnes, eo ipso, quod cœlo immoto, stellas in eo libere, tanquam aues in aëre, moueri indicant, cœlum sydereum liquidum seu molle constituisse videntur.

12 Adijci his posse videantur alicui Basilius homil. 1. Hexaem. & qui eum hac in re sequi solet Ambrosius lib. 1. Hexaem. cap. 6. qui diserte scribunt, *cæli naturam tenuem esse, & subtilem, non solidã.* Sed isti ad propositum non pertinent; loquuntur enim de cœlo, quod, & quale fuit in principio creatum: ipsum autem firmamentum, siue cœlum sydereum, aperte docent esse solidum; vt inferius patebit.

13 Citant etiam nonnulli, plures alios Patres; vt primum omnes eos, qui cœlum eiusdem naturæ cum elementis, non tamen terra, faciunt. Sed plane immerito: nam ex his ipsis plerique cœlum glaciei, aut crystallo, vti putant, ex aquis consolidatæ, comparant, vt infra patebit, & vidimus q. 2. dub. 4. Illi etiam, qui igneæ naturæ esse astra docuerunt, non omnes ideò ea liquida & fluxa corpora fecerunt; vt videre est in Anaxagora, qui solem docuit esse candentem laminam; sed nec Mathematici hodie, qui astra cœlosque elementaris naturæ faciunt, astra fluxa esse corpora & liquida facile dixerint. Denique si ita argumentari licet, nec pisces nec aues, cum ex aquis producta sint, solida corpora erunt. Citatur etiam Hieronymus in illud Isai. 51. *Cæli sicut fumus liquescent*; sed expresse loquitur de conditione cœlorum in fine mundi: ac proinde hic ipse locus tam scripturæ, quam S. Hieronymi, præsenti cœlorum liquiditati fortiter aduersatur, vt inferius dicetur. &c. Citatur etiam Beda, lib. 2. de elem. Phil. in princip. Sed qui oppositum expresse docet, vt inferius dicemus. Neque in obiecto loco plus dicit, quam stellas non esse *ita* (forte quasi extrinseco nexu) *in cælo infixas, vt gemma in auro:* cum tamen ibidem stellas *tum mundo*, adeoque cœlo moueri fateatur.

Rationes autem pro hac sententia hæ esse possunt. Primo quia in scriptura motus; tam diurnus, quã annuus, vbiq; astris siue stellis, non autẽ cœlis asscribitur. Vide Ecclesiast. 1. Psal. 18. &c. 14

Secundo singulare est illud, quod eodem Psal. 18. v. 7. de sole dicitur. *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius, vsque ad summum eius.* Quæ verba significare videntur, cœlum ipsum non deferre solem, sed immotum consistere; atque à sumitate eius egredi solem, & rursus ad summum redire.

Tertio ratio etiam Physica adduci potest. Tum quia si cœlum solidum esset, densum quoque & durum esset; omne autem durum & densum est graue, vt ratiocinantem vidimus Nyssenum. Tum quia sic non tantum facilius ac planius varius astrorum motus explicatur; sed etiam euitatur inexplicabilis propemodum illa tot eccentricorum & epicyclorum, adeoque tot entium minime necessaria multiplicatio: præterquam quod illa vniformis cœli vndique æquabiliter expansi facies, multò elegantior, ac tam perfecto corpori conuenientior videri potest. Accedunt multa noua in cœlis phænomena; quæ prorsus conuincere videntur, cœlos esse liquidos, de qua re dusequẽti. 15

Secunda sententia media est, stellas quidem inerrantes suo cœlo solide infixas; errantes autem siue planetas; absq; vllo alio corpore solido deferente; in æthere, velut liquido corpore libere vagari. Hãc sententiam expresse nullus, quod equidem sciam, veterum Patrum aut Philosophorum defendit. Innuere tamen videntur illi, qui docent stellas inerrantes in firmamento fixas esse, planetas autẽ vario motu in æthere vagari. Quod quidẽ tradit Iunilius seu Beda in Hexaemeron. 16

In eundem sensum loquitur Isidorus lib. 3. Etymolog. cap. 49. *Solem*, inquit, *per se ipsum moueri, non cum mundo verti dicunt. Nam si fixus cœlo maneret, omnes dies ac noctes æquales existerent: sed cũ alio loco cras occasurum, alio occidisse hesterno videmus, apparet, eum per seipsum moueri, non cum mundo verti.* 17

Item Richardus Victorinus l. 2. excep. cap. 7. *Quarta die*, inquit, *fecit luminaria, quæ in firmamento probantur esse fixa; exceptis septem planetis, quorum ista sunt nomina, Luna, Venus, Mercurius, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus:*

Item Anselmus Cantuariensis lib. 1. de imag. 18

mundi cap. 24. [Ignis qui quartum elementum conscribitur, quasi non gignens dicitur: à luna vsque ad firmamentum extenditur. Is tantum est aëre subtilior, quantum aër aquâ tenuior, aqua terrâ rarior. Hic etiam æther, quasi purus aër dicitur, splendore perpetuo lætatur. De hoc Angeli corpora sumunt, cum ad homines missi veniunt. In hoc septem stellæ singulis circulis contra mundum feruntur, & ob vagum cursum, planetæ, id est, erraticæ dicuntur. Hæ immensa celeritate firmamenti ab oriente in occidentem raptantur, tamen naturali cursu contra mundum ire comprobantur; sicut musca in rota molendini.]

Idem Hugo Carensis in Postillis, ex sua, an aliorum sententia? *Erant*, inquit, *luminaria, id est, sol, luna, & stellæ. Stellæ sunt in firmamento fixæ secundum quosdam, vel prope ipsum: secundum alios sol, & luna,* 19 *& ceteri planetæ sub stellis, in æthere.*

Sed reuera auctores isti plus non dicunt, quam quod omnes fatentur, planetas hoc à stellis fixis differre, quod nec eundem inter se motum habeant; nec adeo vni etiam alicui sphæræ omnes; imò nec singuli suæ sphæræ immobiliter infixæ hæreant; interim singulos habere propriam sphæram, eidemque, aut epicyclo sphæræ, infixos esse, non negant. Imò Iunilius, Hugo Carensis aperte defendunt, firmamentum, adeoque cœlum omne sydereum, esse solidum, vt inferius patebit: Anselmus vero cœlum planetarum à firmamento distinguens, in ipsis citatis antea verbis, cum asserit, *Planetas singulis circulis contra mundum ferri, & firmamenti celeritate raptari*, solidos saltem circulos in cœlo planetarum agnoscit.

Apertius eandem sententiam indicat Dionysius Carthusianus enarration. in Genes. a. 12. [Hic sumitur, *inquit*, firmamentum pro cœlo stellato, 20 seu sphæra octaua, nisi forte per stellas intelligantur non solum stellæ, quæ dicuntur fixæ in firmamento, sed & alij quinque planetæ. Denique stellæ, quæ sunt in sphæra octaua, secundum Aristotelem, & eum sequentes, sunt fixæ in ipsa, nec habent proprium motum; sed motu sui orbis mouentur, suntque de natura eiusdem orbis, & vnaquæque est densior pars ipsius. Vnde dispositæ sūt ad suscipiendum lumen præclarius, quam ceteræ orbis partes. Planetæ vero dicuntur stellæ erraticæ, aut nō fixæ in proprijs sphæris, sed proprium motū habētes.] Sed nec iste plus dicit, quā planetas non adeo infixos proprijs sphæris, quin proprium nihilominus, & ab ijs diuersū in suis epicyclis motum habeant. Accedit, quod Autor iste Aristotelis hac in re sectatorem se profitetur.

Verum quicquid sit de antiquis scriptoribus, in 21 eam tamen sententiam, quod cœlum planetarum sit liquidum; stellarum autem fixarum cœlum sit solidum, multum inclinant recentiores quidam Astronomi, propter nouas obseruationes ac phænomena, quæ soliditatem impugnare videntur, at soliditati ipsius, vti vocant, firmamenti, seu cœli stellarum inerrantium, minime aduersantur: putantq; hac ratione se satis facere & scripturæ, & SS. Patribus, qui satis aperte soliditatem firmamenti adstruunt, vt dicetur.

Tertia sententia itidem media est, cœlum non 22 esse quidem ita liquidum, & fluxum, vt est aër, vel aqua, nec tamen ita etiam solidum, & durū, vt est ferrū aut crystallus; sed esse aliquid consistens, vnumque corpus continuum, tamen ex pluribus orbibus constans, atque ita molle ac cessile, vt vna eius pars certo & stato cursu moueri, altera quiescente; aut in diuersam etiam ab altera partem moueri possit. Ita docet Bonauentura in 2. distinct. 14. part. 2. art. 1. quæstion. 1. [Notandum, *inquit*, quod secundum communem opinionem loquentium circa hanc materiam, siue naturalium, siue Mathematicorum, luminaria locentur in diuersis orbibus; hæc autem distinctio siue diuersitas orbium secundum melius intelligentes non venit ex distinctione formarum, sicut distinguuntur aër & aqua; nec venit ex discontinuatione superficiei, sicut distinguitur lapis à lapide, sed venit ex diuersitate motuū: diuersitas autem motuum nō tollit continuitatē in eo, quod est subtile, & ad motum habile: sicut manifestè apparet in aqua, quando secundum diuersas sui partes ad diuersas mouetur positiones; & similiter in aëre; ex hoc tamen non discontinuatur. Secūdum hanc igitur positionem dicendum est, luminaria cœli posita esse in pluribus orbibus, in corpore tamen vno continuo, quod scriptura vocat nomine firmamenti: & ideo dicit, omnia luminaria posita esse in firmamento cœli.] Sed præterquam quod intelligi nullo modo posse videtur, vt sint plures reipsa orbes cœlestes, & tamen inter se reipsa discontinui non sint, pugnant contra hanc sententiam omnia, quæ pro cœli soliditate inferius dicentur.

Quare etiam Dionysius Carthusianus in 2. dist. 23 14. quæst. 3. cum eam Bonauenturæ sententiam retulisset, mox ex sua sententia subiungit: *Contra huius opinionem præsertim obijcitur, quod inuiolabili auctoritate scriptura canonicæ, cœli solidissimi sunt quasi æreæ fusi, propter quod vnum & idem cœlum in diuersis partibus suis non videtur sic posse moueri contrarijs motibus, instar aquæ & aëris, seu consimilium subtilium, mollium, ac diuisibilium corporum.* Quomodo autem idē Bonauentura Physicorum iudicium in his rebus anteponat Mathematicorum opinationibus, non contra, dicetur quæst. seq.

Quarta sententia est, cœlum omne sydereum, 24 tam stellarum errantium, quam inerrantium, esse solidum plane & firmum. Ita sentiunt ex scriptoribus inprimis Aristoteles lib. 2. de cælo à tex. 43. vsque ad 52. item Iosephus antiquit. lib. 1. capit. 1. item ex parte Plato in Timæo superius citatus, & apud Eusebium de præparat. Euang. lib. 11. cap. 16. dum circulos saltem solidos, non minus fere quam sphæras, nouis Tychonis & quorundam Astronomorum hypothesibus repugnantes, cælis tribuit: locum inferius adducemus. Huc spectat meo iudicio etiam Ptolomæus; vtcunque Dionysius Carthusianus loco citato, & vt apparet S. Thomas q. 70. a. 1. ad. 3. (qui tamen potius alio sensu videtur locutus, quem dub. seq. ex S. Bonauentura referemus) vt & recentiores nonnulli Astromoni, oppositā Platoni, atq; etiā Ptolomæo sententiā attribuant; quasi hic simplices tantum

circu-

Digitized by Google

circulos posuerit; quales Geometria suis obseruatis applicat; cum tamen Ptolomæus li. 1. Almagesti cap. 1. (si versioni eius latinæ fides habenda, quam mihi solam hactenus videre contigit) præter sphæram fixarum, aperte septem planetarum sphæras agnoscat, earumque inter se ordinē constituat; supponēs vtique, eas dem sphæras esse corpora solida siue dura, & inter se reipsa distincta; alioqui non sphæras, sed circulos, vti coluros, æquatores &c dicimus, indigitare debuisset &c. Idem videre est apud Proclum Astronomicarum hypotypos. cap. 1. & sequentibus, vbi aperte etiā orbes diuersos planetarum, cum epicyclis & eccentricis distinguit.

25 Eandem sententiam tradit Philo lib. de Gigantibus, vbi ait: [Cœlestes orbes habent motus inter se contrarios, quorum alter dextrorsum fert fixa sydera, alter sinistrorsum erratica. Sed extim⁹ ille orbis fixarū stellarum vnus est, qui ab oriente ad occidentē voluitur: interiores autē septē, erraticarum videlicet; quorum cursus simul coactus, & volūtarius duos mot⁹ habet inter se cōtrarios.]

Ex scriptoribus Ecclesiasticis idem sentiunt primum illi, qui vtriusque generis stellas pluribus orbibus, seu sphæris infixas, vna cū illis circumuolui docent. In his est Dionysius lib. de diuin. nominibus c. 4. citatus q. 5. vbi aperte ipsum etiam cœlum vna cum astris localiter moueri asserit.

26 Idem ex Moysis & Platonis sententia, docet Eusebius cit. l. 11 c. 16. [Rursum cum Moyses solem, & lunam, & cæteras stellas à Deo productas ostendit, Et dixit Deus, inquit, Fiant luminaria in firmamento cœli, & sint in signa, & in tempora, dies & annos. Et fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cœli, & stellas: Similiter Plato quoq; dicit, à verbo & mente diuina solē & lunam, & alias quinque stellas cognominatas erraticas, ad generationem temporis facta esse. Quorum corpora Deus fecit, & posuit in circulis. *Et infra:* Deinde cum Moyses in firmamento positas stellas dixerit, eadem voce Plato vsus, In circulis posuit, inquit.] Constat autem ita in circulis positas à Platone stellas, vt hæ simul cum illis mouerentur. Idem etiam ex Lino refert Eusebius li. 13. cap. 7. cum ita canit:

Vnde etiam cœlum stellis errantibus aptum
Voluitur, & circlis tacitē circum vndiq; fertur.

27 Sed & Basilius Hexaemeron Homil. 3. hanc saltem aliorum cōmunem sententiam non ridet, sed tanquam verosimilem refert, cum ait: [Neque hæc aliquando minore fide credi par est, quā qua credimus, septem esse orbes, in quibus stellæ septem fere omnium consono ore prædicantur, suum peragere cursum; quos quidem cœlos ita asserunt concinne inseri vnum alteri, quemadmodum si cadi aut vascula in sese inferta sint.]

Item Ambrosius eundem secutus l. 2. Hexaem. cap. 2. [Quem imitantes, *inquit*, Philosophi, septem stellarum solis & lunæ globorum consonum ortum intraduxerunt; quorum orbibus, vel potius globis, connexa memorant omnia, quos sibi innexos, & velut insertos versari retro, & contrario ceteris motu arbitrantur.]

Idem sentire videtur Hieronymus in Epist. ad Ephes. lib. 2. c. 3. vbi ait: *Quoniam à plerisque iuxta Ecclesiasten cœlum affirmatur rotundum, & in sphæræ modum volui, nulla autem rotunditas latitudinem & longitudinem habet, altitudinem, & profunditatem, sed ex omnibus partibus coæqualis est, &c.*

Idem docet Augustinus, seu quisquis est auctor libri de prædestinat. Dei c. 1. vbi ait: *Prædestinauit insuper* (Deus) *vt cœlum semper volueretur, terra immobilis circumuoluenti cœlo loco centri haberetur.*

Eandem sententiam refert, nec improbat Damascenus l. 2. Fid. Orthod. c. 6. vbi ait: [Forinsecus autē omnium in ambitu esse cœlū, quod & astruūt circulariter agitari, & constringere quę infra sunt, & sic omnia manere firma & indecidua; septem enim ferunt esse cœli zonas circulosq́ue, & alterum altero esse tenuiorem, ipsumq́ue (*cœlum*) esse tenuissimæ naturæ tanquam fumū, & in vnoquoque circulo vnum esse planetarū.] Vbi tamen cū cœlum planetarum dicat esse tenuissimæ naturæ, tanquam fumum, videtur solidos tantum circulos planetis, non integras sphæras tribuere. Quod ipsum ibidem, etiam alijs verbis indicat, cum ait: [Si autem septem circulos septē cœlos susci pere volueris, nihil in ratione veritatis offenditur.] 28

Deinde vero eandem cœlorum soliditatem ex Patribus multo apertius tradunt illi, qui docent, cœlū sydereū, seu firmamentū, esse corpus solidū, & instar crystalli seu glaciei concretū ac induratū, aquas superiores ferre, detinere &c. Quæ cōmunis semper & certa SS. Patrum sententia fuit; vt ex his testimonijs liquet. Clemens Papa lib. Recognitionum 5 ex persona S. Petri: [Iam vero, *inquit*, aqua, quæ erat intra mūdū, in medio primi illi⁹ cœli terræque spatio, quasi gelu concreta, & crystallo solidata distenditur, & huiusmodi firmamento velut intercluduntur media cœli ac terræ spatia, idque firmamentum cœlum Conditor appellauit, antiquioris illius (*cœli*) vocabulo nuncupatum.] 29

Idem significat Origenes homil. 1. in Genes. [Cum iam antea Deus fecisset cœlum, nunc firmamentum facit. Fecit enim cœlum prius, de quo dicit, cœlū mihi sedes est. Post illud autem firmamentum facit, id est, corporeum cœlum. Omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum; & hoc est, quod diuidit, inter aquam, quæ est super cœlum, & aquam, quæ est sub cœlo.] Vbi Origenes corpus strictè accipere videtur, pro corpore stereometrico, siue pro eo, quod tactum terminare, ac ei resistere, manibusq́; prensari potest; cum è contrario etiam in scriptura ventus dicatur spiritus. In quem sensum etiam videtur loqui Eusebius l. 13. de præparat. Euang. c. 6. [In creatione mundi sensibilis solidum cælum creauit. Solidum porro nihil aliud, quam sensibile est.] 30

Eandem sententiam aperte tradit Basilius homil. 3. Hexaemeron itidem de firmamento loquens: [Nos autem dicimus, cū Nomen diuersū officiumq́; peculiare cœli secundi traditū sit, aliud hoc præter id esse, quod in principio est effectū, solidioris sane naturæ, præcipuū quoq; officium vniuerso subministrans: *Et infra*, Scriptura sacra nomine firmamenti in ijs rebus, quæ robore viribusq́ue exuperant, vti cōsueuit, quemadmodum cum dicit, Dominus firmamentum meū 31

&c. Nam externi homines, id firmum corpus dicunt, quod quasi solidum est, densum ac plenum, vt à Mathematico corpore distinguerent. Est autem Mathematicum corpus, quod in dimensionibus solis consistit, latitudine inquam, longitudine, & profunditate. Firmum autem solidumque, quod cum dimensionibus & reniti resistereque potest. Scriptura autem sacra, quod perrobustum est, neque cedit, id omne firmamentum dicere consueuit; atque adeo vt & in aëre addensato] (qui tamen non cedat, vt mox declaratur) [hac ipsa voce plerumque vti videatur: veluti cum dicit, Qui tonitruum firmat. Soliditatem enim & resistentiam eius spiritus] (qua videlicet nulli plane corpori cedit) [qui in nubium concauis sinibus includitur, &c. firmitudinem tonitrui scriptura nuncupauit. Igitur & hic etiam pro quadam firma solidaque natura, ad detinendas aquas, ac coercendas idonea, quæ suapte natura dilabuntur perfacileque dissoluuntur, hãc à scriptura vocem allatam esse arbitramur.] Ex quibus omnibus euidens est, ex sententia S. Basilij, firmamentum esse corpus ita solidum, vt non cedat, sed renitatur & resistat tangenti.

32 Ambrosius eundem secutus lib. 2. Hexaem. *Sed mouet nos*, inquit, *quia & nomen aliud* (firmamenti) *significatur, & species solidior, & causa discernitur, & persona cooperatoris adiungitur. Sic enim scriptum est, Et discreuit Deus inter medium aquæ, quæ erat sub firmamento, & inter mediũ aquæ, quæ erat super firmamentũ.*

Et rursum ibidem cap. 2. *Si naturam Elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? Illæ profluunt, istud constringitur; illæ currunt, hoc manet.*

Et cap. 4. [Videtur supra generaliter dixisse, In principio cœlum factum, vt omnem cœlestis creaturæ fabricam comprehenderet; hic autem specialem firmamenti huius exterioris soliditatem, quod dicitur cœli firmamentum: Sicut legimus in hymno prophetico, Benedictus es in firmamento cœli. Nam cœlum quod οὐρανὸς græcè dicitur, latine quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tanquam cælatum appellatur, sicut argentum, quod signis eminentibus refulget, cælatum dicimus: οὐρανὸς autem ἀπὸ τῆς ὁράσεως dicitur, quod videatur.]

33 Chrysostomus in catena Lipomani lect. 4. *Præcepto Domini productum est firmamentum, separationem aquarum faciens, quod valeat alias sub se continere, alias vero in conuexo suo ferre.* Non ferret autem, si solidum non esset. Desumptus est hic locus ex homil. 4. Chrysostomi in Genesin, vbi etiam prius præmiserat: *Quid est firmamentum? Quasi quis dicat humanâ linguâ: Fiat paries quidam & interstitium in medio diuidens, & separationem faciens.* Ita Chrysostomus; qui tamen cuius materiæ sit hic paries, non vult definire.

Hieronymus in epistola ad Oceanum: [Inter cœlum & terram medium extruitur firmamentum, & iuxta Hebraici sermonis etymologiam, cœlum, id est Samaim, ex aquis sortitur vocabulum; & aquæ quæ super cœlos sunt, in laudes Dei separantur. Vnde & in Ezechiele Propheta, Chrystallum super Cherubin videtur extensium, id est compactæ & densiores aquæ.]

Theodoretus quæstio. in Genes. 11. [Fiat firmamentum in medio aquæ, quod per medium separet aquas ab aquis: sic enim ab ipsa re cœli sortiti sunt appellationem. Siquidem cum ex aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida condensata, & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est.] Lipoman⁹ in catena lect. 4. ita hæc verba refert. [Quoniam quidem cœlum ex fluxa aquarũ natura constitit, & quæ prius liquabilis esset natura, solidissima est effecta, ea de causa firmamentum est appellatum.] 34

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 9. *Quid enim habent, quod accusent in hoc maximo Dei opificio, qui stupere potius deberent intuentes cœlorum magnitudinem: qui adorare deberent constituentem tanquam fornicem cœlum, & ex fluxa aquarum natura, indeficientem cœli naturam fabricantem? Dixit enim DEVS, Fiat firmamentum in medio aquarum: semel dixit DEVS & permansit, nec deinceps cecidit.* Audis cœlum tanquam fornicem constitutum, & fluxæ naturæ aquarum oppositum: esto interim iuxta Cyrillum, cœlum ex aquis elementaribus sit compositum.

Eucherius lib. 1. in Genes. *Fiat firmamentum. Firmamenti nomine cœlum significauit, pro eo, quod fortiter & firme compositum est.*

Iunilius apud Lipomanum in Hexaemer. Non solum refert & approbat verba Clementis superius allata, sed insuper etiam addit: [In medio ergo aquarum firmamentum esse constat sydereum cœlum. Neque aliquid prohibet, vt & de aquis factum esse credatur. Quæ enim crystallini lapidis firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas nouimus; quem de aquarum congregatione certum est esse procreatum. Quid obstat credi, quod idem dispositor naturarum, in firmamentum cœli substantiam solidaret aquarum?] 35

Gennadius in catena Lipomani. *Firmamentum itaque ex ipsius Dei opificio appellauit, eo quod cum prius lenta, fluxa, solubilisq; natura esset, soliduam & minime mobilem constipationem accepit.*

Claudius Marius Victorin⁹ coment. in Gen. l. 1.

Quum se firmissima moles
Fluctibus è medijs concreto corpore cedens
Extulit, ac late duro solidata rigore
Diuisas suspendit aquas.

Anastasius Synaita comment. in Hexaem. lib. 2. *Qui enim ex aquis firmauit cœlum, & super aquas suspendit terram, poterat & sine aqua, indissolubile custodire firmamentum, etiam ex igne solo.* 36

Oecumenius in 2. Petri capit. 4. [Et quid est, quod nesciunt, quod quemadmodum in diluuio erant cœli ex aqua, iuxta mundi creationẽ à Mose narratam (ipse enim ait, Deum præcepisse, vt fieret firmamentum in medio aquæ, hoc est, firmior aquarum substantia) ita & terra ex aquis apparuit iussu conditoris, quæ etiam in illis primum demersa erat? Et quemadmodum cœlo & terra ex aquis constitutis, diluuium inopinato superuenit; ita & nunc statutum est, vt per ignem fiat vniuersi corruptio, cum quo impij quoque peribunt.

Seuerianus in Hexaemer. apud Lipomanum: 37

Hæc

[Hæc aqua triginta verbi causa cubitis terram superabat. Dixit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, nec mora: compacta est in medijs aquis congelatio quædam crystallina: id ipsum cœlum est, quod dimidium aquarum secum suspendens reliquum infra reliquit. *Et infra*: Cœlum ergo hoc, non illud supremum, sed quod aspectabile est, ex aquis effecit Deus, & vt crystallum fixit. Vide operum virtutem, vt opificē admireris, mediā aquarū partē supra, mediam infra esse voluit.]

Aeacius ibidem: [Secundum vero, & cœli, & firmamenti nomen accepit. Cœli quidem, quia supra nos est, & prioris cœli vires, atque vsum nobis refert. Firmamenti vero, quia ex fluxa aquarum essentia consistit, & fluxa illa ac liquida natura densissima ac solidissima ab opifice Deo effecta est.]

Anselmus Laudunensis in Glossa interlineari: *Aquarum superior pars in medio crystallini lapidis congelata est, inferior in materiam redacta.*

38 Anselmus Cantuarienſis, seu quisquis ille est author, lib. 1. de Imag. Mundi capit. 35. *Superius cœlum firmamentum dicitur, eo quod sit inter medias aquas firmamentum; hoc est formâ sphæricum, naturâ aquarum aqueum, stellis vndiq; versim ornatum, ex aquis, instar glaciei, imo crystalli, solidatum*: vnde & firmamentum appellatur. Et infra: *Sunt enim stella firmamento infixa, & non cadunt, eo mira celeritate currente.*

Eandem sententiam expresse tradit Beda in Hexaemeron ad illa verba [vocauitque Deus firmamentum cœlum, &c. Hic nostri, *inquit*, cœli in quo fixa sunt sydera, creatio describitur; quod in medio constat firmamentum esse aquarum. Nam suppositas ei esse aquas, & ipsi in aëre terrisque videmus: superpositas autem, non solū huius scripturæ authoritate, sed & Prophetæ verbis edocemur, qui ait: Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora eius. In medio ergo aquarum firmatum esse constat sydereum cœlum; neque aliquid prohibet, vt de aquis factū esse credatur. Qui enim crystallini lapidis, quanta firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas nouimus, quem de aquarum concretione certum est procreatum, quid obstat credi, quod idem dispositor naturarum in firmamentum cœli substantiam solidarit aquarum? Si quem vero mouet, quomodo aquarum natura fluitare semper, atque ad ima delabi, super cœlum consistere possit, cuius rotunda videtur esse figura: meminerit scripturæ dicentis de Deo, Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum: & intelligat, quia qui infra cœlum ligat aquas ad tempus, cum vult, vt non pariter decidant, nullo firmioris substantiæ crepidine sustentatas, sed vaporibus solummodò nubium retentas, ipse etiam potuit aquas super rotundam cœli sphæram, ne vnquam delabantur, non vaporali tenuitate, sed soliditate suspendere glaciali.] Ita Beda; quem locum refert etiam Magister in 2. d. 14. Idem Beda qq. in Genes. & in lib. de sex dierum creatione: [Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum stabilitatis, siue propter intransgressibilitatem superiorū atque inferiorum aquarum.

Hugo Victorinus Annot. in Genes. cap. 6. *Beda dicit, quod firmamentum sit de aquis solidatis, quasi crystallinus lapis: quod verisimile videtur, cum color eius hoc visibus nostris indicet.* 39

Hugo Carensis in Hexaem. apud Lipomanum: *Firmamentum est superficies mundi sensibilis, ex aquis congelatis, in crystallum, vt dicunt, alia omnia simplicia continens, ad similitudinem testæ ouj.*

Petrus Comestor, seu Magister Scholasticæ historiæ cap. 4. [Fecit ergo ea die Deus firmamentum in medio aquarum, id est, quandam exteriorem mundi superficiem ex aquis congelatis ad instar crystalli consolidatam & perlucidam, intra se cetera sensibilia continentem, ad imaginem testæ, quæ in ouo est: & in eo fixa sunt sydera, &c. Et dicitur firmamentum, non tantū propter sui soliditatem: sed quia terminus est aquarum, quæ super ipsum sunt, firmus & intransgressibilis.]

Glossa ordinaria: *In medio ergo firmamentum est sydereum cœlum, quod de aquis factum esse credi potest. Crystallus enim lapis, cuius magna firmitas, magna perspicuitas, de aquis factus est.*

Idem supponit Guilielmus Parisiensis lib. de vniuerso parte 1. Item Dionysius Carthusianus in 2. dist. 14. quæstion. 3. ait, *inuiolabilis authoritate scripturæ canonicæ cœlos solidissimos, quasi ære fusos*, vt supra retulimus. 40

Idem supponit S. P. N. Ignatius in epist. de obedientia, cum ait: [Nam vt in corporibus globisque cœlestibus, vt alius alium afficiat, moueatque, requiritur, vt certa quadam conuenientia & ordine inferior orbis superiori subijciatur; sic in hominibus, cum alter alterius authoritate mouetur, quod per obedientiam fit, oportet, vt is, qui ab alterius nutu pendet, subseruiat & obsecundet, vt virtus ab imperante ad eum deriuetur & influat.]

Idem indicat Magister sent. lib. 2. dist. 14. dum relatam Bedæ sententiam refert, & in eadem acquiescit; licet postea S. Augustini diuersas sententias referens, cum eo dubitare, ac in medio perplexus hærere videatur. Idem constanter docet Sanctus Thomas 2. d. 14. & 1. part. quæst. 68. a. 2. & Scholastici omnes (excepto Bonauentura, vt dictum) tam veteres quam recentiores ibidem, cum commentatoribus in scripturam; in quibus speciatim Lipomanus in catena, Vielmius in Genes. sect. 14. Pererius lib. 2. q. 9. Martinus Delrius in Genes. cap. 1. n. 36. 41

Item Augustinus Steuchus in Cosmopœia, & suam, & antiquorum sententiam hac de re proponens, ait: [Hinc Græcorum & Latinorum, quin & Hebræorum plures, non dubitarunt totam cœli compagem dicere quasi solidissimam crystallum, concretam firmatamque ex aquis, vt gemmæ (si parua licet componere magnis) pretiosique lapilli; & has esse aquas supercœlestes. Nihil certe de aquis illis, si sunt, dici poterat probabilius. Nos autem non quidem hæc inficiantes, quæ à doctissimis hominū iudicijs magno cōsensu comprobata sunt, à quibus & in adnotationib⁹ nō dissensimus; sed quia videre visi sumus quiddā aliud sentire scripturas his de aquis, testimonia & rationes in aliam sententiam, in medium proferentes.

Primum

Primum asserentes, fieri posse, cœlum vt crystallinum sit, & aqueum, idque magis affirmari quã negari à Philosophia diuina, eamque nos sequi sententiam; aquas autem istas esse aliud prorsus ab hoc ipso.]

42 Denique Ascanius Martinengus tom. 2. in illa verba Genes. *Et posuit eas DEVS in firmamento cæli*, pag. 1018. aduersus eos, qui dicunt, cœlos esse liquidos, ita denique concludit: [Hoc abnuunt Peripatetici, & cum ipsis Diuus Thomas, & Scholasticorum ingens acies, qui ex quinta quadam essentia, eaque incorruptibili constare edocent. Negant quoque Platonici, qui ex sumitatibus elementorum cœlum, vt corpus solidum, coactum perhibent. Inficiantur Patres illi, qui ex glacie concretum autumant, Diuus Petrus, Genadius, Hippolytus, Theodoretus, Beda, Hugo, Petrus Comestor, Guilielmus, Seuerianus, & Acacius ipse, qui etsi cœlum semisphæricum existimauit, attamen vt crystallum concretum tradunt. Abnuũt & illi, qui ipsum, ignoto constitutionis genere conflatum arbitrantur, Basilius, Ambrosius, Damascenus. Abnuit dignitas ipsa corporis cælestis, quæ cum sit præstantissima, aëris ac aquæ labilitati, vix comparari potest. Abnuit ipsa eiusdẽ natura: nam cũ cælum sit, si nõ incorruptibile, saltẽ difficilius alterabile, ac omnibus corporibus elementatis præstantius, soliditas, nõ mollicies ei magis competere videtur. Sed quod adhuc magis vrget, abnuũt & scripturæ. Iob namq; cælos tanquam æs fusos dixit &c. Cælum immobile esse, nõ posse, contrariorum motuũ ratio euidentissime demonstrat: Constituendũ itaq; est hoc axioma, cælum vt æs fusum, impenetrabile, & sphæricum esse, nec immotum consistere &c.] Ita ipse.

43 Inter has vero sententias, ita medius incessit Augustinus, vt nulli constanter adhærere videretur. Sic enim scribit lib. 2. de Genes. ad literam cap. 10. [Hoc sane nouerint, nec nomen firmamenti cogere, vt stare cœlum putemus; firmamẽtum enim non propter stationem, sed propter firmitatem; aut propter intransgressibilem terminũ superiorum ac inferiorũ aquarum, vocatum intelligere licet. Nec si veritas cælum stare persuaserit, impediri nos circuitu syderum, ne hoc intelligere possimus: & ab ipsis quippe, qui hoc curiosissime & ociosissime quærunt, inuentum est, etiam cœlo non mòto, si sola sydera verterentur, fieri potuisse omnia, quæ in ipsis syderum conuersionibus animaduersa atque comprehensa sunt.] Ita Augustinus; qui tamen quia firmamentum à firmitate & intransgressibili termino dictũ indicat, solidum potius, quam liquidum esse firmamentum existimare videtur. Nostra vero sententia sequentibus assertionibus continetur.

44 Assertio I. Cœlum seu corpus cœleste sua natura non est corpus solidum, sed liquidum. Ita expresse docet Gregorius Nyssenus in Hexaem. supra, pro prima sententia relatus; qui de ipso etiam firmamento loquens, diserte negat, *esse corpus solidum, resistens, ac durum*; siue ex quatuor elementis compositum; siue alterius naturæ esse dicatur: dici tamen firmamentum respectu naturæ spiritualis & incorporeæ; quia cælum illud corporeum ac sensibile est. Idem tradunt alij Patres, qui reipsa nunc firmamentum alioqui solidum ac resistens durumque corpus esse affirmant. Speciatim Basilius Homil. 1. Hexaem. vbi ait: *De substantia cœli satisfaciunt ea nobis, quæ ab Isaia Propheta sunt dicta, qui vulgaribus verbis idoneum de ipsius natura sensum nobis aperuit, cum dixit: Qui firmauit cœlum quasi fumum: id est, qui tenuem naturam, non solidam, neq; crassam, ad constituendam cœli substantiam fecit.* Vbi tamen quidem citatum ex Isaia testimonium parum ad propositum facit: Nostra enim lectio habet: Isaiæ 40. v. 22. *Qui extendit velut nihilũ cælos*, hoc est facillime & sine labore.

Basilium, vti solet, sequitur Ambrosius lib. 1. Hexaemeron cap. 6. vbi ait: *De qualitate & substantia cœli, satis est ea promere, quæ in Isaiæ scripto reperimus: qui mediocribus & vsitatis sermonibus qualitatem naturæ cælestis expressit, dicens, quod firmauerit cælum sicut fumum: subtilem enim naturam, nec solidam cupiens declarare.*

Idem sentiunt omnes alij Patres, qui cum cœlos omnes quoad substantiam primo die productos asserant, simul tamen docent, firmamentum, quod in cælorum vtique numero habent, ex aquis & liquida materia, quadam condensatione siue consolidatione productum fuisse: hinc enim manifeste efficitur, firmamentum quoad substantiã, seu quod idem est, ipsam firmamenti substantiam, initio non fuisse solidam, sed primum secundo die, cum antea liquida esset, consolidatam. Quod speciatim tradunt Clemens Romanus l. 5. Recognit. ex persona S. Petri, Ambrosius lib. 1. Hexaemer. cap. 6. & lib. 2. cap. 4. Basilius homil. 1. & 3. Hexaem. & in alio opere Hexaem. ab Eustathio latine reddito lib. 2. Theodoretus in Genes. quæst. 11. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 9. & alij plures dub. præced. notat. 2. relati. 45

Idem probatur ex scriptura hoc argumento. Si ipsum etiam firmamentum quoad substantiam initio primi diei fuit productum; nec tamen statim eo die, sed primum secundo die fuit solidatum; tunc sane fatendum est, cœlos suã natura non esse solidos: sed iuxta scripturam verũ est antecedens, quoad vtramque partem; priorẽ enim ex scriptura & Patribus probauimus supra q. 2. dub. 2. secundã, præter auctores relatos pro quarta sententia, satis aperte tradit ipsa etiam scriptura, vt dicetur assert. 2. Ergo, &c. Potest etiam idem argumentum ex scriptura hoc modo breuius formari. Iuxta scripturam, vt patebit assert. 2. Firmamentum secundo die productum fuit, sola consolidatione seu duritie ad cœlestem substantiam, iam antea præexistentem, additã: sed soliditas seu durities, cum sit accidens commune, non mutat substantiam rei: Ergo eadem substantia firmamenti, quæ antea fuit liquida, postea primum fuit consolidata; ac proinde non est sua natura solida, sed liquida. 46

Idem suadet ratio naturalis. Quia corpus quodlibet naturale simplex eò naturæ est tenuioris, subtilioris, & liquidioris, quo excellentioris, quoque etiam locum in vniuerso sublimiorẽ sibi vendicat: hinc enim terram tenuitate & subtilitate, adeoq; 47

& liquiditate ſuperat aqua; aquam aër; aërem ignis: Ergo & ignem æther, ſiue cæleſtis ſubſtantia, ſi ſecundùm ſuam naturam ſpectetur; quandoquidem cælum ſeu ætherea ſubſtantia, non minùs naturæ præſtantia, & altitudine loci ſuperat ignem, quàm ignis alia elementa.

48 Ex quibus ſatis colligitur, ſoliditatem ſeu duritiem non eſſe proprietatem naturalem ſubſtantiæ cæleſtis; ſed aduentitiam, ac vel propter commune bonum vniuerſi, vel ipſius hominis vſum ei ſuperadditam: præcipuè verò, vt ex Scriptura colligitur, ob tres cauſas: primùm ad diſterminandas aquas ſuperiores & inferiores; hoc eſt, cæleſtes & elementares; ne vlla vnquam vi inter ſe commiſceri & confundi poſſent; vti alioqui ſua natura, ſaltem Angelica virtute potuiſſent, niſi inter ſe ſolido eiuſmodi & immobili termino fuiſſent diſiunctæ. Secundò, vt eſſet vehiculum ſyderum; neque enim facilè, aut à motoribus Angelis, niſi ingenti quaſi numero multiplicatis, aut tam regulariter ſtellæ moueri potuiſſent, niſi ſphæris inſertæ, vt pluribus inferiùs dicetur. Tertiò, vt ex parte etiam deſeruiret habitationi beatorum, vt inferiùs explicabitur.

49 Omitto, quòd ſoliditas & condenſatio cæleſtis corporis aliquid etiam momenti adferre potuit, ad roborandam & contemperandam vim & efficientiam cæleſtis corporis in hæc inferiora. Neque mirum videri debet, ſoliditatem cæleſti corpori, ſua natura non eſſe debitam, ſed per accidens & ab extrinſeco ei ſuperadditam; quando plurima alia, & cælis ipſis, & elementis acceſſerunt, quæ naturalis eorum ſtatus non depoſcit, vt lumen, collectio aquarum in vnum, & alia plura inferiùs quæſtione quarta dubio quarto referenda; quæ etiam propterea, lumine excepto, in fine mundi deſitura probabimus. Atque eandem etiam doctrinam tradidimus in Diſſertatione de cælis, quæſtione octaua ſuppoſit. ſeu notatione ſecunda; ſed quam nunc commodiùs in hunc locum tranſtulimus.

50 Quod autem Sanctus Thomas & Scholaſtici Doctores, qui ſoliditatem cælorum alioqui tuentur, hanc aſſertionem communiter quidem non tradiderint, cauſa eſt, quia de firmamento ſecundo die producto aliter ſentiunt, ſiue quòd eo nomine aërem, ſeu aëris partem intelligunt; ſiue quòd non omnes cælos quoad ſubſtantiam primo die productos, ſiue quòd ipſum etiam firmamentum cum Auguſtino cum cælo & terra vno eodemque inſtanti productum ſentiunt: vt videre eſt apud Sanctum Thomam quæſtione 68. artic. primo, è quibus ſi quis vnum modò tueatur, non habet cauſam, cur ſoliditatem cælis per accidens tributam aſſerat: ſed quia nos ea omnia ſigillatim, & vt exiſtimo, firmiter ſuperiùs quæſtione prima, dubio quarto, & quæſtione 2. dubio 2. partim etiam in hac quæſtione, dubio præced. aſſertione tertia & quarta refutauimus, non poſſumus dicere, cælum ſua natura eſſe ſolidum & durum corpus; ſed ſolùm, vt dixi, per accidens conſolidatum: quod etſi de firmamento inprimis procedat; pari tamen ratione & ob ſimilitudinem materiæ, idem de cælis omnibus, dicendum eſt. Eadem ferè cum ijs, quos diximus, eſt ratio Ariſtotelis; qui vti ſucceſſiuam rerum productionem à Deo factam penitùs ignorauit; ita mirum non eſt, quòd ſoliditatem ſecundo primùm die cælo ſeu Firmamento inditam fuiſſe neſcierit.

Aſſertio II. Cælũ tamen ſtellarum inerrantium (quòd ſolùm nunc à recentioribus *firmamentum* dicitur) reipsâ nunc ſolidum eſſe, negari ſine temeritate vix poteſt. 51 Probatur primò ex Scriptura, quæ ſatis apertè docet, cælos eſſe ſolidos, quod de cælo ſtellarum inerrantium inprimis intelligendum, omnes conſentiunt. Iob cap. 37. v. 18. dicitur. *Tu forſan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* Vbi de cælis ſtrictè, non de aëre ſermonem eſſe, communis eſt SS. Patrum, aliorũq; interpretum ſententia; quam ſatis & verba ipſa, & verborũ contextus, ac res, de quâ agitur, confirmant. Id verò ab Eliu indefinitè dictum de cælis, minimùm ſaltem de firmamento, in quo omnium ſententia, minima eſt liquiditatis ratio, accipi debet.

Et quamuis ea verba ſint ipſius Eliu, hominis non ſancti, & cuius etiam diſcurſus moralis, quatenus Iobi innocentiam ac ſanctitatem impugnabat, à Deo reprehenſus fuit capite trigeſimo octauo, verſ. primo, id tamen dictum Eliu, vt & aliæ plures ſententiæ amicorum Iob, præſertim de naturis rerum, à nullo vnquam ſapiente, quòd ſciam, fuerunt reprehenſæ; ſed potiùs apud Patres, alioſq; viros ſapientes, magnæ ſemper fuerunt authoritatis, vt videre eſt apud Commentatores in Iob. Sanctus Thomas quidem eo loco capite trigeſimo octauo, lect. 1. dicit, Eliu fuiſſe à Deo reprehenſum, *quia veras ſententias, quas propoſuerat, inuoluerat multis falſis & friuolis verbis.* Et ſuperiùs audiuimus, Dionyſium Carthuſianũ, eam Eliu ſententiam, quaſi pro irrefragabili ſcripturæ authoritate adduxiſſe. 52

Sicut & Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 3. verſ 13. illud Eliphaz Themanitis Iob. 5. verſ. decimo tertio. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum*, citat in perſona Dei, vt notauit etiam Sa ibidem. Et illud eiuſdem Eliphaz, *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem*, citat Sanctus Petrus epiſt. 2. cap. 2. verſ. 4. Tale ferè eſt etiam illud Baldad Suhitis Iob 25. verſ. 5. *Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius*; & illud Eliu cap. 34. v. 18. *Qui non accipit perſonas principum.* Et verſ. 24. *Conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Et verſ. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* 53

Idem probat nomen ipſum ac officium *firmamenti*, prout Geneſ. 1. verſ. 6. deſcribitur, vbi ita legitur: *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocauitque Deus firmamentum cælum.* Vbi pro nomine *firmamenti*, hebraicè legitur *Rakiah*, à radice *Rakah*; quod non ſolùm extendere, ſed etiam firmare ſeu ſtabilire ſignificat, vt Lipomanus in catena ibidem. Id quod manifeſtum eſt, tum ex verſione Interpretum ſeptuaginta, virorum vtique, ſi quis alius, linguæ hebraicæ peritiſſimorum, qui græcè verterunt στερεωμα; quod non niſi firmum ſolidumque aliquid ſignificat. Tum ex ijs, qui hebraicè tractant mathematica, qui & ipſi forſan ſeptuaginta interpretes imitati, ſolida vocant *Ra-* 54

kiah. Deinde officium ipsum firmiter & immobiliter disterminandi liquidum aquarum corpus, nonne corpus solidum potius & constans, quam liquidum & nullis certis terminis definitum requirit? Esse autem hoc firmamentum idem prorsus, cum eo, in quo stellæ positæ dicuntur Gen. 1. v. 17. patebit. q. 8.

55 Expendit hæc omnia recte etiam Delrius cit. nu. 36. & ipse hebraicæ linguæ non imperitus: [Firmamentum prodeat, *inquit*, existat, expandatur, solideturque ex hac aquarum incomposita colluuie, corpus quoddam melius & solidius, quod inter aquas superiores & inferiores, quasi quidam murus ad eas dispescendas, coercendasque interponatur.' Sic S. Basil homil. 3. & Chrysost. homil. 4. Rakiah proprie & vt plurimum significat expansionem seu extensionem, non quamlibet, sed eam maximè, quæ extensione ipsa corpus fluidum firmat solidatque. Ideo LXX. (quicquid recalcitret Caluinus) optimè vertunt στερέωμα, noster firmamentum; quod non tantum Zamorensis & Lipomanus Catholici, sed ex Caluini amicis Fursterus & Auenarius hæretici comprobarunt. Radix Rakah, propriè significat contundere, & vt ita loquar, malleare; quo more fabri ferrum extendunt, & poris occlusis solidius reddunt: cernas etiam in argilla conculcata. Ideo Rabbini, cum de corpore stereometrico disserunt, Rakiah appellant. Vox igitur firmamenti aptissima est cœlo; quod Deus scribitur extendisse sicut pellem, seu cortinam tabernaculi. Psalm. 104. 3. Isai. 40. 22. sed etiam eos præparasse, Prou. 8. v. 27. hoc est firmasse sursum, ibid. 28. & solidissimos instar fusiliũ æreorũ fabricasse Iob 37. 19. Ita Delrius.

56 Huc spectat etiam, quod dicitur Psalm. 103. vers. 2. *Extendens cœlum sicut pellem*, vel vt ad verbum sonant hebræa, *sicut cortinam, seu tabernaculum.* Et Isaiæ 40. vers. 22. *Qui extendit velut nihilum* (hoc est, facillime ac sine labore) *cœlos, & expandit eos, sicut tabernaculum, ad inhabitandum.* Cette *pellis, cortina, tabernaculum*, rem solidam potius, quam liquidam denotant.

57 His accedit illud Iob 14. v. 12. *Donec atteratur cœlum*: quod itidem corporibus solidis, non liquidis conuenit. Item Isaiæ 51. v. 5. dicitur, *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Si ergo cœli primum in fine mundi liquescent, sequitur profecto, eos iam liquidos non esse. Adhæc Psal. 32. vers. 6. dicitur, *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et Prouerb. 3. vers. 19. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia.* Eccles. 24. vers. 8. *Gyrum cœli circuiui sola:* Vbi siue gyrum cœli vocet gyrationem eiusdem, siue potius corpus ipsum rotundum, quod humano quasi loquendi modo circuiri possit, vtrouis modo indicat, cœlum esse solidum. Denique huc spectat illud Heb. 4. vers. 14. *Qui penetrauit cœlos*: nimirum iuxta verbi proprietatem, & S. Thomam 3. p. q. 57 a. 4. ad 3. vera ac propria penetratione: quæ tamen locum non haberet, si cœli essent liquidi: Sunt ergo cœli, iuxta perpetuam scripturæ analogiam, aliquid firmum & stabile; non fluxum & liquidum. Vnde etiam 2. Paral. 6. v. 3[illegible]. & 39. dicitur *firmissimum, & firmum habitaculum Dei.*

58 Nec obstat illud Isai. cap. 51. vers. 6. quod veluti ex interp. LXX. & Hebr. obijcitur: *Cœlum sicut fumus firmatum est.* Nam 1. in vulgata versione, quæ præferenda est, legimus, *Cœli sicut fumus liquescent*, vt anteà diximus; & ita etiam ex Hebræo refert Hieronymus in Commentario ibidem: vel vt ex Hebræo vertit Pagninus, *deficient.* 2. in Hebræo, non habetur, *firmatum est*, sed ad verbum, vt Arias Montanus in versione Pagnini vertit, *cœli sicut fumus consumpti sunt.* 3. Ex ipso textu, & interpretibus manifestum est, sermonem illic non esse de conditione cælorum, quam nunc habent, sed quam habebunt in fine mundi: ita vt præteritum (quod apud Prophetas frequens est) pro futuro accipiatur. 4. in eundem proinde sensum etiam textum LXX. interpretatur Sanctus Hieronymus ibidem: nec potest vlla verisimilitudine aliter exponi; sicut nec Interpretum quisquam locum hunc, ad eum qui obijcitur sensum exponit.

Secundò probatur conclusio authoritate veterum Scriptorum. Eam etiam esse communissimam non solùm veterum Rabbinorum, & Philosophorum, tam Aristotelicorum, quàm Platonicorum, sed etiam propè omnium Patrum & Doctorum sententiam, satis patet ex testimonijs superiùs pro quarta sententia adductis. 59

Certè quod 1. Sanctus Petrus apud Clementem firmamentum appellat, *aquam quasi gelu conuersam, & crystallo solidatam:* 2. quòd Basilius docet, firmamentum esse corpus *firmum solidumque, quod cum dimensionibus & reniti, resistereque potest.* 3. quòd Ambrosius firmamentum *speciem solidiorem esse; idque inter aquas solidatum & stellis impressis quasi celatum esse dixit.* 4. quòd Chrysostomus firmamentum vocat, *parietem & interstitium; quòd in conuexo suo aquas ferat.* 5. quòd Hieronymus, *Crystallum super Cherubim extensum, ac compactas & densiores aquas.* 6. quòd Theodoretus naturam seu substantiam *consolidatam & condensatam.* 7. quòd Cyrillus, *tanquam fornicem constitutum.* 8. quòd Eucherius, *fortiter & firmè compositum.* 9. Iunilius, *ex substantia aquarum solidatum, instar crystallini lapidis.* 10. Gennadius, *ex fluxa & solubili natura, solidam & minimè mobilem constipationem accepisse.* 11. Marius Victorinus, *duro solidatum rigore.* 12. Anastasius, *ex aquis firmatum.* 13. Oecumenius, *firmiorem aquarum substantiam.* 14. Seuerianus, *congelationẽ quandã crystallinã.* 15. Acacius, *ex fluxa aquarũ natura solidissimũ effectũ.* 16. Anselmus Laudunensis, *in modũ crystallini lapidis cõgelatũ.* 17. Anselmus Cantuariensis, *instar glaciei, imò crystalli solidatũ.* 18. Beda, *ex aquarum substantia solidatum; & soliditate suppeditum glaciali.* 19. Hugo Victorinus, *quasi crystallinum lapidem de aquis solidatum.* 20. Hugo Carensis, constans *ex aquis congelatis in crystallum.* 21. Petrus Comestor, *ex aquis congelatis, ad instar crystalli consolidatum & perlucidum.* 22. Glossa ordinaria, *de aquis instar crystalli lapidis factum.* 23. Dionysius Carthusianus, *ex inuiolabili authoritate Scripturæ solidissimum quasi ære fusum.* Item quod 24. Sanctus Thomas, 25. Guilielmus Parisiensis. 26. S. P. N. IGNATIVS. 27. Lipomanus. 28. Vielmius. 29. Pererius. 30. Delrius. 31. Augustinus Steuchus, Deniq; 32. Ascanius Martinengus: Quæ inquam hi triginta, &c. testes superiùs citati, de cælorum maximè firmamenti, seu cæli 60

sydereo

syderei soliditate docent, vt alios innumeros & Theologiæ scholasticos, Philosophiæque Doctores, & scripturæ interpretes omittam, tam sunt aperta & manifesta, vt nulla possint tergiuersatione eludi, aut in alium sensum torqueri.

61 Vbi hoc etiam aduertendum est, Sanctos Patres hoc dogma non ex Philosophia, sed ex ipsa scriptura sacra hausisse; cum omnes fere vtantur verbis scripturæ, quod Deus fecerit *firmamentum in medio aquarum, &c.* nempe vt ipsi intelligunt, substantiam solidam instar crystalli, vel glaciei concretam, &c.

Qui verò in oppositam sententiam adducti sunt Patres, & respectu istorum pauci sunt; & ex illis ipsis tamen, si de antiquioribus sit sermo, præter Gregorium Nyssenum, vix quisquam est, qui liquidè oppositam sententiam tueatur, vt magis inferius patebit.

62 Tertiò probatur ratione. Primò, quia admodum conueniens erat, vt aquæ superiores & inferiores, toto genere diuersæ, vt dicetur q. 8. cum alioqui ob liquiditatem saltem loco inter se commisceri possent, durante hoc mortalitatis & corruptionis statu, solido corpore disterminarentur, vt antea ex Scriptura deduximus.

Secundò, quia vsus cælorum ad certos ac perpetuos quasi tot stellarum motus facilè, vniformiter, ac maturis rerum conformiter peragendos, id quodammodo deposcebat. Non solum, quia aliàs magnopere multiplicandus esset Intelligentiarum cælos mouentium numerus, præsertim stellarum inerrantium, atque etiam macularum solis, vt inferius dicetur; quibus in tam innumerabili propè numero, singulis ferè singulæ Intelligentiæ motrices forent addendæ; quod esset multiplicare entia absque necessitate & sine causa: sed etiam quia talis vniformitas motus tam facilè & commodè ab Angelis peragi non posset; vel ob eam etiam causam, quod ea ratione necesse foret, Angelos ipsos cum stellis (quas non nisi præsentes mouere possunt) circumuolui.

63 Tertiò, Ipsa subordinatio motuum in tam conformi, vt ita dicam, difformitate, qualis in planetis cernitur, indicat, orbium circumferentium subordinationem, qua inferiores à superioribus mouean tur. Et minimè probatur, quod recentiores quidam dicunt, vnum & idem corpus totum non posse diuersis motibus, & aliquo modo oppositis moueri. Contrarium enim non solum Philosophis & Astronomis hactenus communiter persuasum fuit; esto interim, in astrorum motu res aliter fortasse possit explicari; sed patet etiā quotidiana experientia, quando in rota currus aut molendini muscam aut formicam libere discurrentem quotidie aspicimus. Ergo Hoc potius absurdum est, eandem rem, oppositis motibus per se moueri; quod si non aliundè, certè soliditate orbium diluitur.

Quartò, [illegible] quia [illegible] ab astris [illegible] tanquam [illegible] à tam variis corporibus liquidum corpus vndique [illegible] perrumpitur.

Quintò, [illegible] primo [illegible] per [illegible] esset [illegible] locus, in quo reliquæ aquæ facilè consisterent.

saltem ante astrorum productionem, quæ primum quarto die facta est.

Denique magis quodammodo artificij cælestis decor & excellentia commendatur, si cælestis machina mobilis, ex multis varijsq; orbibus seu sphęris, velut in horologio rotato, affabrè & artificiosè fabricatis ac inter se compositis constet. Itē si cęleste corpus stellis velut gemmis quibusdam ac lapillis preciosis, eidem corpori insertis & infixis, quasi cælatum sit, quàm si liquidum vndequaque corpus esse ponatur, in quo stellæ velut in mari pisces innatent. 64

Et confirmatur assertio. Quia nulla esse potest experientia, vel ratio Mathematica, siue ex nouis stellis, siue ex parallaxeos obseruatione desumpta, quæ firmamentum liquidum esse conuincat. Cum enim ipsa etiam Saturni stella, quæ tamen infra firmamentum est, parallaxi careat, nulla ratione ex parallaxi, eiusque defectu colligi potest, vllam stellam nouiter visam, supra Saturnum, ac in ipso etiam stellarum inerrantium cælo positam esse. Si quis ergo firmamentum ipsum, seu cælum stellarum fixarum liquidum constitueret, is hoc pro libito tantum ac sine ratione, atque vti contra communem scriptorum sacrorum & prophanorū sensum, ita temere profectò faceret. 65

Assertio III. Etiam cælos planetarum esse solidos, hactenus multò est probabilius. Est itidem communis Sanctorum Patrum, Scholasticorum, & Philosophorum sententia, vt in explicatione secundæ sententiæ dictum, qui vniuersim de cælo sydereo loquuntur. Probatur ferè ex dictis. Siquidem allata Scriptura loca pro cælorum soliditate, indefinitè ac pluraliter de cælis loquuntur. Cæli enim apud Iobum dicuntur *quasi ære fusi*: de quo loco plura superius asseri. 2. Item apud Isaiam, *cæli sicut fumus liquescent, &c.* Potissimum autem est, quod ex firmamenti appellatione, iuxta Scripturæ phrasim, desumitur. Manifestum est enim, cælum non solum stellarum inerrantium, sed etiam planetarum intelligi in Scriptura nomine *firmamenti*, vt patet Gen. 1. v. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas: & posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucē ac tenebras.* Vbi apertè intelligis, non solum stellas inerrantes, sed etiam duo luminaria magna, solem videlicet ac lunam, in firmamento, quod solidum esse iam antè probauimus, posita esse. Huc etiam spectant rationes antea allatæ. 66

Ad primū itaque eorum, quæ pro prima sententia, aduersus soliditatem cælorū superius allatū respondetur, [illegible] ideò communiter in Scriptura non cælis, sed astris attribui; tum quia istorum tantùm, non autem cælorum in se, motus ad sensum conspicuus est, tum quia astra sunt quiddam præcipuum in cælis, quibus stellarum quasi vehicula sunt. Sicut ergò vulgari sermone, si quis equo, aut curru iter faciens, ad destinatum locum perueniat, dicere solemus, non equum Socratis, sed Platonem, Socratem, aut Platonem iter fecisse, [illegible] illam ciuitatem ingressum fuisse; ita & non Philosophandum est instituto, nec est, planius & accommodatius ad hominum captum dicimus, stellas moueri, quàm cælum, quamuis interim ea quæ mouentur. 67

Digitized by Google

68 Ad secundum respondetur, in cælo, cùm sit corpus sphæricum, centrum mundi æqualiter ambiens, summum & infimum, seclusa densitate, propriè in nulla sententia reperiri. Dicitur tamen sol à summo cælo ad summum moueri, quia ab vno puncto cæli, secundùm cogitationem immobili, redit ad idem.

Ad tertium respondetur multitudinem ac varietatem corporum eiusmodi, bellè inter se compositorum ac subordinatorum, tantò esse elegantiorem, quantò varietas est maior; vt patet tum in humano corpore, tum in horologio rotato affabrè concinnato: neque superuacaneum dici potest, sine quo decor vsusq; rei opportunus periret. Quod verò de refractione varia astrorum inde consecutura obijcitur, in fine sequentis dubij diluetur, vbi etiam ad phænomena noua particulatim respondebitur.

Ad authoritatem Sanctorum Patrum, in contrarium adductorum, præsertim pro prima sententia (de reliquis enim ferè iam dictum) respondetur primò, etiamsi concederemus, omnes illos contrariam sequi opinionem, eos tamen non præiudicare posse nostræ sententiæ, quæ multò plurium SS. Patrum authoritate, firmioribusq; argumentis munitur, vt dictum.

69 Respondetur secundò, præter vnum Gregorium Nyssenum, de ceteris antiquis Patribus firmiter non colligi, sensisse eos, cælos esse liquidos, etiamsi dixerint, stellas, non cælum moueri: hoc enim sentire potuerunt illi, quamuis cælos existimarent esse solidos. Quia, vt rectè notauit Albertus Magnus 2. p. quæstione 4. artic. 19. *quidam antiqui dixerunt, quòd eccentrici & stellæ transeunt per corpus, quod est inter sphæras, & tamen non diuidunt ipsum; & hoc contingit propter formalitatem illorum corporum, sicut & lumen transit per aerem.*

70 Idem notauit Sanct. Bonauentura in 2. sent. d. 14. p. 2. artic. 1. quæstio. 2. vbi de Mathematicis ad quoddam Physicorum argumentum respondentibus ait: *Ad obiectionem autem naturalium de corporis illius* (cælestis) *continuitate, respondent diuersimodè dicentes, quòd non est inconueniens, si corpus illud scindatur motu planetæ, quia est natura ignea. Alij dicunt, quòd corpus illud non scinditur, & planeta pertransiunt: corpus enim luminis simul potest esse cum alio corpore.* Hæc de Mathematicis Bonauentura. Et certè non defuerunt ex ipsis etiam Patribus, qui lumen, vti & Angelos existimarent esse corpora; nihilominùs tamen concedebant, alia corpora ab ipsis penetrari posse indiuisa.

Idem cernere speciatim licet in Procopio commentar. in Genes. cap. 1. qui cùm disertè docuisset, stellas moueri, non cælum, vt suprà vidimus, tamen ibidem refert, nec refellit, *vnà peruulgata omnium Theologorum, firmamentum ex aqua compactum esse, id quod ab Hebræis dici Samaim, quasi dicas crystallum, vel aquam congelatam denotet.*

71 Speciatim verò, quod ad Diodorum, & Philastrium attinet, à quibus nonnulli malè autumant, sententiam nostram *velut errorem gentilem*, aut *hæresim* damnari, certum est, & perspicuum, si attentè legantur, eos minimè pugnare contra cæli soliditatem, aut stellarum in cælis ipsis firmam collocationem; sed solùm contra Philosophos Pythagoricos, seu Aristarchicos, qui de motu diurno loquentes dixerunt, terram moueri, sydera vero ac stellas permanere immobiles. Hanc sententiam non immeritò errorem vocant, vtpote Scripturæ Sacræ apertè contrariam, vt quæst. 4. dub. 3. dicemus: interim vero stellas vnà cum ipsis etiam cælis moueri, quibus infixæ sunt, minimè negant. Patet hoc ex verbis ipsius Diodori, quando *dogma gentile* vocat, *neque cælum moueri.*

Idem patet ex Philastrio, quando vt illam, quam hæresin esse dixerat, refellat, pluribus ex Scriptura probat, stellas moueri, non quiescere: *Scriptura enim*, subdit mox ibidem Philastrius, *omnipotentiam Dei ita docet; vt in breui è diuersis thesauris concurrere atq; discurrere sydera nuntiauerit, &c.* Quod verissimum est, 72
siue cæli interim solidi sint, astraq; sibi infixa circumferant; siue sint liquidi, ita vt astra in illis, velut in mari pisces circumnatent. Itaq; iuxta Diodorū, non est *dogma gentile*, dicere, cælum esse solidum, & vnà cum stellis circumuolui, sed potiùs non circumuolui, & iuxta Philastrium *hæresis* est, stellas ita cælo affixas dicere, vt non moueantur, quemadmodum antiqui quidam Philosophi dixerunt; infixas autem cælo dicere, & vnà cū cælo moueri, nulla apud Philastrium hæresis censetur. Vt taceam, alia nonnulla quidem à Philastrio in hæresibus numerari, quæ tamen hæreses non sunt. Insimulat enim, vt etiam Pererius notauit in Gen. c. 1. v. 1. hæreseos, eos, qui dicūt, Moysen nomine terræ in principio creatæ significare voluisse terram hanc nostram elementarem; cùm à Moyse significetur alia quædam terra, quæ est velut matrix omnium rerum, *quam scriptura vocatur Thle, hoc est, materia inuisibilis & incōposita, quæ à Deo facta in principio; hæc autem nostra terra facta est deinde, & fundata super aquam, sicut dixit Dauid, qui firmauit terram super aquas; illa matrix omnium rerum terra immensa est, & aquam, & terram vi sua continens.* Plura in hunc sensum disserui in Astrologia sacra.

DVBIVM III.

An soliditati vel incorruptibilitati cælorum obstent noua phænomena.

Ad S. Thomæ 1. p. q. 68. a. 1. & 4.

§. I. Proponuntur noua Phænomena.

QVæ de incorruptibilitate, & soliditate cælorum, ex Scriptura sacra potissimùm, ac Sanctis Patribus disseruimus, atque hucusque annis amplius quadringentis magno consensu in scholis Theologorum, ac Philosophorum recepta fuerunt, non magnoperè hodie in dubium ac controuersiam vocarentur; nisi noua quædam astrorum phænomena obsistere viderentur: quæ partim à Tychone ingeniosissimè nouis illis machinis astronomicis; partim ac potissimùm post eius mortem, nouo tubo optico, [illegible] Galilæo magna cum laude [illegible]; nec solum à 1

Mathe-

Mathematicis, sed alijs etiam quamplurimis conspecta sunt, atque etiamnum magna ex parte conspiciuntur. Quæ breuiter hoc loco expendenda sunt, ne quid constitutæ hactenus doctrinæ præiudicent. Huius generis sunt hæc potissimùm.

2 Primò enim per tubum opticum luna, quando plena non est, sed corniculata, potissimùm verò in quadrantum intersectionibus, secundum lineam, quæ lucidum segmentum ab opaco diuidit, admodum aspera & inæqualis apparet; adeò vt recentiores quidam Mathematici, editis libris celebres, nil dubitent affirmare, corpus lunæ reipsa planè inæquale, ac asperum, varijsque lacunis, vallibus, montibus & collibus vndique obsitum esse. Imò non nemo ex illis suspicari videtur, quod olim Xenophanes apud Ciceronem lib. 4. qq. Academicarum opinatus est, *habitari in luna, eamque esse terram multarum vrbium & montium.* Quod si verum est, negari vix potest, lunam esse corpus corruptibile.

3 Secundò in cælis sæpe apparent ac disparent cometæ aliæque nouæ stellæ; quas luna altiores fuisse, Mathematicorum frequentes nunc obseruationes, adiuncta parallaxis potissimum ratione, videntur conuincere. Certè Tycho Brahe diligentissimus harum rerum obseruator lib. 2. de mundi ætherei recentioribus phænomenis cap. 10. memb. 1. pag. 246. disertè his ipsis verbis scribit: *At ego non solum hunc* (Cometam Anni 1577.) *sed omnes alios cometas, qui prius orbi illuxerunt, nequaquam sublunares & elementares extitisse iudico; sed in ipso remotissimo æthere, non minus quam hunc, cursum sibi naturaliter inditum ordinariè exercuisse. Quæ enim ex historijs de cometis superiorum seculorum adferuntur, ea non sunt eiusmodi, vt inde comprobari possit, an in cælesti, vel elementari mundo extiterint; nisi fortè cum præiudicio Aristotelicæ authoritati vbig subscribere velimus. Neq enim quis ex ipsa arte, certaque obseruatione, huic positioni contrarium quid ostenderet; nisi fortè summi illius Mathematici Iohannis Regiomontani, & in arte hac etiam excellentis viri Iohannis Vogelini Viennensis Mathematici obseruationes nobis opponere velit; Quæ quo loco habendæ veniant, & quantum illis tribuendum sit, alibi oportuniore loco vberius declarabo.* Hactenus Tycho. Imo Epist. ad Rottman. Anni 1595. 14. Ianu. addit cum Rottmanno, *pro stupidis & insulsis habendos, qui cometas sublunares esse asseuerare in posterum audeant.* Quæ si vera sunt, defendi sanè posse non videntur, absque nouæ cælestium eiusmodi corporum generatione & corruptione; cuius proinde nec cælestis substantia omninò expers est. Accedit, quod quædam stellæ videntur suam mutasse magnitudinem. Spica enim virginis, vt referunt, quæ olim habebatur stellas inter omnes ferè fixas maxima, nunc, vt aiunt, multò diminutior videtur.

4 Tertiò. Sed maculæ solares (quas supra lunam esse dubitare nullus potest) cum quotidie propè nouæ oriantur, aliæ occidant, nec vnquam postea redire deprehendantur; sed & quod maximam difficultatem parit, in ipso etiam medio solis disco nonnunquam repentè quasi dispareant vel appareant; aliquando plurium dierum spatio, nullæ penitùs sub sole conspiciantur: planè conuincere videntur, cælum perpetuæ generationi & corruptioni obnoxium esse; cum ea phænomena aliter explicari posse non videantur, quàm nouæ ipsarum macularum (qualia qualia demum sint corpora) generatione & corruptione. Idem argumentum sumitur à faculis solaribus, quæ itidem variè occidunt, oriuntur, & mutantur; non aliter quàm ipsæ maculæ solares.

5 Quartò. Mercurius & Venus, vti nouis obseruationibus, etiam ipsius Tychonis Brahe, ac nouo nunc experimento per tubum opticum (quo instar lunæ, aliàs quidem plenæ & orbiculatæ; subinde verò, vt in Venere ipse etiam plus quàm centies, magna cum animi voluptate obseruaui, deficere & in cornua contrahi videntur) deprehenditur, solem proprio motu circumeunt: quod fieri non posse videtur; nisi cælum sit liquidum. Deberent enim aliàs ipsum solis cælum penetrare, aut rumpere. Eandem, imò longè maiorem difficultatem parit Mars; qui iuxta Tychonis itidem obseruationes & hypotheses, ipsum etiam cælum solis magno spatio intersecat.

6 Quintò. Similiter per tubum opticum circa Iouem deprehensi sunt noui planetæ, seu stellæ Iouiales quatuor; quarum singulæ proprio ac distincto motu Iouem circumeunt. Quod itidem fieri posse, non videtur, nisi cælum sit liquidum; solidum enim necesse foret, aut rumpi, aut penetrari. Huc spectant etiam duo indiuidui comites Saturni, qui Saturnum tanquam satellites circumstant.

7 Sed hæc, quanquam magna ex parte difficilem, in omni sententia, habent explicationem: (quomodo enim tam vasta & ingentia corpora, toties ac tam subitò, in cælis naturaliter generari, ac identidem interire possint?) quantum tamen comperta & obseruata hactenus fuerunt, talia non sunt, vt receptam ac probatam de soliditate & incorruptibilitate cælorum sententiam conuellere aut labefactare debeant: cum probabilibus vtcunque rationibus defendi ac explicari possint pleraque, etiam stante cælorum soliditate & incorruptibilitate: vt ex sequentibus fiet manifestum; quæ claritatis causâ in plures paragraphos dispertiri placuit.

§. II. Notationes, ac Fundamenta eorum, quæ dicentur.

7 Priusquam autem rem aggrediar, quasi fundamenti loco hæc tria constituo. Primum, audiendos non esse illos, qui Mathematicas rerum eiusmodi cælestium obseruationes vniuersim negligendas, aut nihili faciendas, nec, si noui quippiam adferant, vllam eis fidem habendam, existimant. Odij alicuius hoc esse videatur potiùs aduersus pulcherrimam, sed incognitam artem; quàm prudentis iudicij. Quare nec probo, quod ex Xenophonte de Socrate refert Eusebius Cæsariensis lib. 14. præparat. Euang. cap. 4. docuisse Socratem, *Geometriæ studendum plus non esse, quam quantum sufficeret ad mensurationem agrorum ac distributionem: quod adeò facile cuiuis sit, vt si quis diligenter animaduertat, quamprimum agri quantitatem cognouerit, mensurationem ignorare non possit. Similiter & Astronomiam discendam, vt dies ac noctes, horas & menses, & annos rectius percipiamus, &c. eousque autem Astronomiam discere, vt planetarum motus, & distantiæ eorum à terra comprehendas, vehementer improbandum.*

8 Nec id etiam probo, quod Eusebius ipse ibidem

ex suo sensu pronunciat, *nihil Astrologiam, Arithmeticam, Geometriam, Musicamque ad inueniendam veritatem afferre*: quanquam nec illud omni ex parte probo, quod gentiles Philosophi, contra quos ibidem disserit Eusebius, dicebant, *Si disciplinarum* (mathematicarum) *cognitio animum non formauerit, nullum recte philosophari, nec Deum cognoscere posse. Ita, quasi Deus ipse numeris teneatur*, inquit Eusebius, *nos qui eas disciplinas non admiramur, pecudes esse arbitrantur; nec magni aliquid posse nos intelligere contendunt.* Imo plane fateor, non solum Mathematicas disciplinas, sed eas ipsas cœlestium phænomenôn obseruationes, sæpe tam ad res diuinas, quam naturales cognoscendas, apprime vtiles esse; neque adeo ab antiquis omnia huius generis in lucem prolata fuisse, quin nouis curis illustrari possint. In quo etiam à Rottmanno non incelebri Mathematico dissentio, qui ad Tychonem, vt in eiusdem epistolis pag. 131. videre est, scripsit, *Hypotheses cometarum constituere, prorsus superuacaneum iudico; cum nullam periodum absoluat; nec etiam vlla vtilitas inde redundare possit*: Imo potest, si veris obseruationibus sobrium accedat iudicium: nisi forte in particulari aliquo casu prudenter iudicetur, cometę, aut stellę cuiuspiam nouæ motum, certum & regularem non esse, vt inferius dicetur: quanquam & hoc ipsum iudicium magna ex parte ab obseruati motus ratione dependet.

9 Agnouit id inprimis ipse Aristoteles, lib. 2. de cœlo cap. 7. tex. 34. vbi de motu cœlorum ac syderum agens, *Forte*, inquit, *de quibusdam enuntiare aliquid tentare, & de omnibus, & prætermittere nihil, videbitur vtique esse signum aut multæ amentiæ, aut multæ promptitudinis. Non tamen iustum est, omnes similiter increpare, sed oportet videre causam dicendi, quænam sit: præterea quo pacto se habent in credendo, vtrum humano modo, an validius. Certiores igitur necessitates quãdo quis fuerit assecutus, tunc gratiam habere oportet inuenientibus: nunc autem id quod videtur dicendum est.* Vbi Aristoteles non solum suam de his rebus hæsitationem candide prodit, sed simul etiam monet, non omnia quæ nouiter eo in genere afferantur, repudianda; imo gratiam habendam iis, qui rectius aliquid demonstrauerint. Et lib. 12. Metaph. c. 8. tex 45. vbi itidem de motibus cœlorum ac stellarum, adeoque de numero sphærarum agit, quid de Mathematicorum obseruationibus sentiat ipse, ita declarat: Cum enim dixisset, [plures esse eorum, quæ feruntur lationes, manifestum etiam esse his, qui parum attigerunt: pluribus enim, quam vnâ errantium astrorum vnumquodquod fertur, *subiungit*: Quot vero hæ sint, nunc quidem nos ea, quæ quidam Mathematicorum aiunt, intelligendi gratia dicimus, vt aliquam determinatam mente pluralitatem percipiamus. Deinde quædam quidem nos ipsos quærere decet; quædam autem à quærentibus sciscitari; si quid præter ea, quæ nunc dicta sunt, his videatur, qui circa hæc versantur; diligere quidem vtrosque, adhærere vero certioribus]

10 Et mox subiungit Eudoxi & Calippi veterum Mathematicorum opinationem; quorum vterque plures sphæras astrorum; hic autem quinquaginta quinque, aut si quis lunæ & soli non addat, quos Aristoteles dixerat motus, septem & quadraginta constituerit. Sed & ipse etiam Aristoteles eiusmodi cœlestium phasmatum, & cometarum obseruationes à philosophi professione non existimauit alienas, vt libro primo Meteor. capite tertio videre est; vbi inter alia, *Non errantium comam accipiunt quædam. Et hoc non solum Ægyptijs* (Mathematicis) *credere oportet: sed & nos vidimus. Earum enim quæ sunt in femore canis stella quædam habuit comam; obscuram tamen, &c.* Ex quibus patet, Philosopho imitandas potiùs, non spernendas Mathematicorum obseruationes; neque fidem ijs vniuersam abrogandam; sed cùm diuersa etiam ipsi sentiunt, *diligendos quidem*, vt inquit Aristoteles, *vtrosque; adhærendum verò certioribus*, vt mox dicetur.

Secundò igitur statuo, etsi quidem vniuersim obseruationibus Mathematicorum fides deneganda non sit, nec posse tamen, nec debere, promiscuè, ac sine delectu, fidem adhiberi omnibus. Monuit hoc Aristoteles loco citato, & probat euidens ratio. Primò: quia sæpe non solùm diuersorum obseruatorum, sed eiusdem etiam obseruationes inter se pugnantes sunt & contrariæ, vt vna verbi gratia, aliqua locum cometæ infra lunam aut solem, alia etiam supra firmamentum ostendat, &c. è quibus necessarium est, aliquas esse falsas. Secundò, quia plurimæ possunt esse causæ, quæ inter obseruandum erroris ansam præbeant, vt inferiùs patebit. Tertiò, quia hæc multum pendent ex authoritate & fide asserentis; quæ iustis certisque causis meritò aliquando suspecta esse potest. 11

Accedit, quòd nec obseruatores ipsi suis obseruationibus omnibus promiscuè ac sine delectu fidem habent: propterea omni phænomeno sæpe iam desito, diu multumque eas inter se conferunt, vt seligant eas, quæ aut veritati, aut proposito scopo videntur conuenientiores; alias reijciant: nec facilè patiuntur, vt cum alijs priùs communicentur, quàm ab ipsis eo examine fuerint comprobatæ & lustratæ. Imò nonnunquam ipsimet suas obseruationes etiam editas retractant, vt videre est in Thaddæo Hagecio, cuius hæc verba apud Tychonem libro secundo, de mundi æther. recent. phænom. capite decimo, membro secundo, pagina 366. *In proximo cometa Anni 1577. ob causas suprà assignatas, parem diligentiam adhibere non potui. Itaque minimo negotio euenire potuit, vt mihi quoque in meis dedomenis aliquis error obrepserit. Nam ipse nunc demùm in secundis hisce meis cogitationibus animaduerti, parallaxin à me assignatam acceptæ distantiæ cometæ, diuersis horis, à vicinis stellis, & vix quatuor aut quinque scrupulis variatæ, respondere non posse. Itaque illum quoque cometam supra lunam collocandum censeam.* Itane iam censes; qui anteà infra lunam fuisse, ex parallaxibus demonstrare tibi visus es, vt ipse etiam Tycho refert pagina trecentesima decima octava, quem ipsum tamen etiam suas obseruationes nonnunquam retractasse dicetur §. 5. 12

Quoties igitur iustis rationibus constat, obseruatorem aut volentem fallere, aut nolentem falli; fides ei meritò derogatur: quando & Scriptura & prudens ratio docet, citò ac sine circumspectione & delectu credere omnia, prudentis non esse. 13

Obser-

Digitized by Google

Obseruauit hoc, si quis alius, cumprimis Tycho ipse; qui variis admodum modis aduersarias obseruationes aliorum, qui ex suis obseruatis cometas infra lunam constituerunt, idque sibi demonstrasse etiam visi sunt, vt fidem illis detraheret, suis stabiliret, infirmauit. Narrabo eas, quas inter legendum, in ipsius lucubrationibus ipse obseruaui. Primum obseruationes ipsas generatim quandoq; reprehendit, tanquam non exactas. Ita lib. 2. de mundi æthereis recentioribus phænomenis, vbi agit de cometa Anni 1577. cap. 10 memb. 1. pag. 246. Ioannis Vogelini Mathematici Viennensis, quem tamen appellarat, *in ea arte excellentem virum*, obseruationes infirmat: *Id saltem*, inquit, *hic breuiter indicabo, Vogelini data, è quibus parallaxin eruere conabatur, non fuisse exacta.*

14 Secundo nonnunquam ait, obseruationes, aut hypotheses inde deductas, ex præiudicio Aristoteleæ 1 authoritatis processisse. Ita respondet ibidem ad obseruationes *summi illius*, vt ipse ait, *Mathematici, Ioannis Regiomontani*; cum mox in eodem verborum antea relatorum contextu subiicit: *Et Regiomontanum potius Aristotelica authoritate inductum, parallaxin sex partium cometæ Anni 1475. assignasse, quam è certis obseruationibus eã fuisse tantã, citra omne dubium expertus sit. Nec enim Mathematice è certis obseruationibus rem omnem, vt decuit, demonstrauit.* Eadem exceptione vtitur inferius contra eundem num. 8.

15 Tertio excipit, non fuisse habitam rationem motus proprii, in parallaxibus constituendis. Ita ad eiusdem Regiomontani obseruationes respondet ibidem pag. 250. *Taceo*, inquit, *quod motus proprii cometarum in his* (rationibus perueſtigandi parallaxin à Regiomontano traditis) *nulla habeatur ratio; & non aliter, quam raptu primi mobilis agitari præsupponantur; quod in nullis cometis hactenus, quod sciam, animaduersum est. Excipio nonam illam ad Cassiopeam stellam, quæ vltra annuum tempus in vno eodemque firmamenti loco immota conspiciebatur; ideoque in ipsa octaua sphæra, cum reliquis affixis syderibus, locum sibi vendicabat. &c.* Iusta sane exceptio, si summus Mathematicus motus proprii cometarũ, in suis obseruationibus, & hypothesibus constituendis, nullã plane habuit rationẽ.

16 Quarto excipit, non satis omnia consideraſſe obseruatorem, vel inter obseruandum, vnam stellam pro alia per incuriam assumpsisse. Ita Tycho, eumcit. cap. 10. memb. 2. pag. 318. retulisset eos, qui cometam Anni 1577. nullatenus supra lunam, sed longe infra cursum suum confeciſſe, ex suis obseruationibus concluserunt: [Qui vero, *inquit*, rem ita se habere demonstrare conati sunt, hi præsertim inueniuntur D. Thaddæus Hagecius, ab Hayck, qui parallaxin eius in altitudine 38. proxime partes fuisse graduum quinque, & aliquot scrupulorum asseuerat; M. Bartholomæus Scultetus Gorlicien-sis in altitudine 29. part. eandem in circulo verticali assignat G. 5. m. 22. D. Andreas Nolthius Embeckſenſis in eleuat. 33. part. diuersitatem aspectus 5. grad. 32. scrup. constituit]; His accedit quartus D. Nicolaus Wincklerus Halæ Sueuorum Physicus, qui se parallaxin eius inueniſſe putat P. 6. M. 50. etiam tum cum altitudinem obtineret, 46. part. Ex his quatuor præstantium, *inquit Tycho*, & in disciplinis Mathematicis apprime eruditorum virorum obseruationibus, & consentientibus suffragiis, cometam hunc in sublunari mundo extitisse, quis non crederet? Cum tam prope in vnum consentiant, parallaxin eius lunari (quæ nunquam iuxta Copernicum maior est G. 1. M. 6. secundum Ptolomæum p. 1. M. 44. idque in ipso horizonte) multo maiorem extitisse, ideoque nequaquam in æthere ipso generationis locum obtinuisse; præsertim cum tres priores in ipsa quantitate parallaxeos admodum prope conueniant, & quartus vno circiter gradu saltem maiorem, quam illi reddat; adeo vt ex omnibus his quatuor, cometam hunc non altius recessisse à nobis, quam sit distantia 8. vel 9. semidiametrorum terræ, pariter colligatur; cum tamen luna terris proxima iuxta Copernicum (cuius sententia hac in parte Ptolomaica verior existit) 52. ad minus remoueatur semidiametris, ideoque sexies fere tantum spatii à terra ad lunam, quantum ab hac eadem ad cometam, si veritati consona foret eorum opinio, interciperetur; : quæ an ita se habeant deinceps ordine explicabimus.] Cum inquam hæc ita sibi obiecisset Tycho, atque pag. 366. respondisset, Hagecium seipsum, ac suas demonstrationes siue obseruationes, vt superius dictum, retractasse; ad Sculterum *doctissimum* etiam, vt ipse ait, *Mathematicum*, ita respondet pagina 376. *Oportet igitur Sculterum vel non satis accurate hæc consideraſſe, vel vnam stellam pro alia per incuriam assumpsisse.* Ita *de viro inprimis erudito in Mathematicis* Tycho.

17 Quinto excipit Tycho, partim computum non subsistere, partim temporis inter obseruandum elapsi, horologii vitio, non fuisse debitam rationem habitam. Ita respondet Tycho ad Nolthium antea obiectum, pag. 428. [Ex his, *inquit*, liquido patet, parallaxin primæ obseruationis (*à Nolthio annotatum*) pag. 5. min. 31. fere excedere Nolthii inuentionem aliquãto plus dimidio gradu, parallaxin vero secundæ grad. 5. min. 51. ipsius annotationẽ tertia parte gradus superare: quæ differentiæ non admodum magni momenti forent, si alias hæ parallaxes in ipsis gradibus recte se haberẽt. Nisi enim quis in hac calculatione subtilissime quælibet scrupula secunda colligat, ob tot angulorum & laterum mæandros, facile aliquot scrupulorum primorum, vbi ad finem deducta fuerit operatio, iacturam patietur. Verum enimuero in ipsis primis præsuppositis, vnde hæ parallaxes deriuantur, adeoque in ipsa obseruatione, non leuis Nolthio error necessario obrepsit, qui eas in tam enormem quantitatem incompetenter adauxit; idque potissimum temporis interlapsi non eâ, qua oportuit subtilitate, animaduersi vitio. Verosimile enim est, Nolthium per horologium aliquod, interstitium ab vna hora in alteram deriuasse; ideoque plane integram horam vtrique obseruationi, absque vllis scrupulis interceptam arripuisse; instituendo forte primam obseruationem, cum horologium plenam horam indicaret aut sonaret, & differendo posteriorem, donec rursus mox sequentem horam monstraret, vel sonitu ederet: qua in parte quam procliuis ad errandũ fuerit via, nõ ignorãt, qui horologiorũ ẽt eorũ, quæ singula scrupula subtiliter dispartiunt, cõfectionẽ & vsũ diu-

turnum sibi familiarem reddiderunt. Licet enim omnia exactissima amussi affabre in iis elaborentur, nihilominus vel sola alteratio aereæ qualitatis, motum inæqualem suggerere, & latentem errorem insinuare potest, ita vt singulæ horæ sibiipsis inuicem exacte æquales non euadant; vt vt forte aliquando omnes 24. absolutæ & simul sumptæ reuolutioni solis diurnæ satis apte correspondeant; quamuis & hoc rarissime per aliquot continuos dies ita præcise concedatur, vt non vnum vel alterum scrupulum primum à iusta restitutione excidat. Quam vero subtilis & exacta temporis intermedii mensura in hac pragmatica requiratur, vbi per Regiomontanam methodum parallaxes perquiruntur, vel hinc patet, quod saltem terna scrupula prima, cum quarta parte, desiderentur in tempore à Nolthio præsupposito, vt ex iisdem altitudinibus & Azimuthis cometam omni parallaxi destitutum fuisse sequeretur. Pro hac vero tantilla, & quasi momentanea temporis portione, quæ vel inter obseruandum, dumque instrumentum ordinatur, oculique & cetera requisita applicantur, furtim elabi potest, quis ratam certitudinem polliceri audeat? Et ne ipsum quidem Nolthium pro his tribus scrupulis fidem interpositurum existimo.]

18 Sexto etiam opponit Tycho, Instrumenta, quibus peracta fuit obseruatio, forte non fuisse exacta. Ita post ea, quæ diximus, respondet ad eiusdem Nolthii obseruationes ibidem: [Fieri etiam, *inquit*, potuit, vt in reliquis etiam dedomanis, nempe Azimuthis & altitudinibus, aliqua se se vna insinuarit aberratio. Quam enim difficulter hæc duo simul per aliquod instrumentum cœlitus obtineantur, ea præcisione, vt in ipsis scrupulis primis omni erroris suspicione careant, (quod sane in hac pragmatica valde requiritur) norunt ii, qui Mathematicam Astronomiæ exercitationem, variis organis, tum magnitudine & forma, tum etiam diuisione, & pinnacidiorum, perpendiculique, ceterorumque requisitorum infallibili applicatione, nulli sensibili vitio obnoxiam, diu multumque in vsu habuerunt; qui tamen nostro æuo vel phœnice Arabico rariores inueniuntur.] Multum est hoc, tam rara esse instrumenta, quæ in ipsis etiam scrupulis primis, dicto modo denotandis, omni erroris suspicione careant.

19 Septimo opponit Tycho, ratiocinationem seu collectionem ex datis obseruationibus sibi non cõstare. Hac ratione Wincklerum expedit loc. cit. pagin. 447. [Apparet itaque, quo loco ea, quæ à Wincklero in hoc cometa, circa parallaxes & apparentias eius, in medium prolata sunt, reputanda veniant; quamque ab ipsa veritatis inuestigandæ semita citra omnem verecundiam exorbitent. Quis enim non videt, ex ipsius insulsissimis ratiocinationibus, cometam sublunarem fuisse, eamque quam illi attribuit parallaxin exhibuisse, minime consectarium esse?]

20 Octauo opponit Tycho, obseruationes sibiipsis non consentire. Ita Tycho in epist. ad Rottmannum data Anno 1588. die 17. Augusti pag. 113. *Regiomontani*, inquit, *annotationes sibiipsis non consentiunt: neque ad spicam virginis cometa tam velocis parallaxis vllo modo indagari potuit.* Et mox rursum ibidem subiungit, ex præiudicata Aristotelis sententia processisse: *Is itaque*, inquit, *cum Aristotelis assertionibus nimium confideret, si quam coniecturam de parallaxi aliqua, quæ eum sublunarem redderet, per incuriam aliquam adepto esset, eam mordicus pro veriori retinuit: videtur enim in hoc plurimum laborasse, vt quam maximam erugret.* Itaque in his etiam nonnunquam valet affectus, si Tychoni credimus, vt è variis obseruationibus seu coniecturis diuersis, ea mordicus pro veriori retineatur, quæ magis ad affectum deseruit; in eoque etiam plurimum laboratur, vt talis eruatur.

Nono excipit, obseruationes vnius obseruatoris non consentire cum aliorum obseruationibus. Ita mox ibidem subiungit Tycho: *Vogelini obseruationes admodum erroneæ sunt; nec consentiunt in eodem cometa cum iis, quæ à Petro Appiano & Fracastorio prodita inueniuntur, vt alibi latius ostendam.* 21

Decimo opponit, perpendiculum quadrantis ad obseruandum adhibiti non fuisse bene directum. Ita in literis ad Wilhelmum Landgrauium Hassiæ Anni 1592. 20. Februarii pag. 267. *Scripsi insuper*, inquit, *Celsitudinis tuæ Mathematico* (Rottmanno) *de octodecim illis minutis* (sane magnus numerus) *quæ in obseruationibus cometæ Anni 1580. mihi communicatis vbique desiderabantur. Nam quoties cometa iste per meridianum transiuit, inueni præcise 18. minuta Cassellis iusto minus obseruata esse; cum meæ obseruationes eodem tempore factæ semper totidem minuta plus habeant. Vnde coniicio, talem defectum ob quadrantem, vitio perpendiculi in scrupulis non rite directi commissum esse. Qua etiam de re cum Rottmanno, dum hic essem, contuli. &c.* 22

His ergo rationibus potissimum Tycho, aliorum obseruationes cum suis pugnantes amolitur: ex quo simul etiam intelligit prudens lector, quam hoc obseruandi negotium erroribus, variis ex causis, obnoxium sit; vt proinde verissimum sit, quod hic initio monendum censui, obseruationibus quibuslibet fidem haberi nec posse, nec debere; sed delectum inter eas habendum: ita quidem, vt existimo, vt si diuturnis obseruationibus constanter in idem conspirent & consentiant Mathematici, non temere eis fides abrogetur: si non consentiant; vitio nulli vertatur, si aut consensum deneget, aut certe suspendat; dum res fiat exploratior. Qua in re adeo cautum esse video Antonium Ruuium, nostri temporis eruditum scriptorem, vt nec receptis quidem per multas annorum centurias obseruationibus acquiescat, vt videre est apud eundem lib. 2. de cœlis cap. 5. q. 2. An vero Tycho, dum in aliorum obseruationibus improbandis reiiciendisque adeo promptus est & facilis, extra omnem ipse erroris suspicionem esse debeat, inferius dicetur, § 6. 23

Tertium est, quod hoc loco suppono, & per se quidem liquidum; sed lectoris causa explicandum est; discrimen esse inter obseruationes, si stricte & proprie loquamur, & eas quæ ex obseruationibus ratiocinatione & discursu colliguntur ac constituuntur, hypotheses. Obseruationes enim discursu non indigent, nisi quatenus opus est ad instrumentum recte applicandum; sed oculis; quibus cernatur, V. G cometam hoc vel illo tempore esse in hoc, vel illo loco cœli, ac tali distantia, respectu huius vel illius stellæ. Hypotheses generatim loquendo modum explicant, quo Phænomena defendantur; ac 24

proin-

Digitized by Google

proinde ex obseruationibus, multo sæpe discursu & longa calculatione interueniente, statuunt certos cometarum motus, motuumque circulos, modosque ac periodos; quæ, cum cometarum perpetuus progressus directe ac continuo cerni non potuerit, ex mutatione hac vel illa locorũ cometæ, intra certum tempus, respectu huius vel illius stellæ, ratiocinando constituuntur; aliquando certis, aliquando probabilibus, nonnunquam apparentibus solum, reipsa falsis rationibus: quandoque etiam, secundum particularem rationem ac modum phænomena explicandi, solum quasi pro arbitratu ipsius Astronomi; cum eadem phænomena diuersis plane hypothesibus defendi possint, vt mox dicetur. Nec raro fit, vt Astronomi ipsi, ex obseruationibus non malis, malas ac falsas prorsus hypotheses constituãt, vt in Copernico fiet manifestum q. 4. dub. 3. Quare etiam optimè fieri potest, vt concessis licet obseruationibus, hypotheses tamen inde deductæ quandoq; merito negentur. Quod antiquis aliquot, & recentibus exemplis ita declaro.

25 Iam dudum olim, ante Aristotelem, & Ptolomæum, animaduersum erat, planetas habere non solum motus proprios in orientem; sed etiam mira quadam eiusdem motus variatione non semper directos, sed retrogrados, quandoque stationarios, videri. Ad hoc phænomenon explicandum & tuendũ, variæ variorum Mathematicorum hypotheses accesserunt; primum illæ, quas superius ex Aristotele retulimus. Ptolomæus verò postea, quem alii Mathematici multo tempore secuti sunt, non nisi per eccentricos & epicyclos omnia posse explicari & defendi, existimauit.

26 S. Bonauentura vero hac de re agens, & ipse quoque in veterem illam Aristotelis & Physicorum, vti ipse vocat, philosophandi rationem, magis propensus, existimauit, eccentricis illis & epicyclis (Aristoteli incognitis) opus non esse. Ita enim scribit in 2. dist. 14. part. 2. art. 1. q. 2. [De hac quæstione (*an planetæ in suis orbibus moueantur motibus propriis*) controuersia fuit inter Naturales (*Philosophos*) & Mathematicos. Mathematici enim maxime considerantes apparentiam, vt illam possent saluare, simul cum motũ perpetuitate & vniformitate, posuerunt centricos & epicyclos, & planetam moueri in motibus propriis in Epicyclis: & secundum hæc saluata motus vniformitate, aliquando contingit planetam deprimi, aliquando eleuari, secundum motus ipsius planetæ in Epicyclo, & Epicycli in Eccentrico, & Eccentrici circa centrum proprium, quod est extra centrum mundi, &c. Positio vero Naturalium est, sicut Aristotelis & Commentatoris, quod planetæ non mouentur, nisi motu suorum orbium, sicut clauus fixus in rota mouetur motu rotæ, non proprio, & hoc ponunt propter illius corporis incorruptibilitatem, propter quam non potest scindi, nec transitũ præbere alii corpori. Ponunt etiam centrum esse idem, Orbium superiorum, & inferiorum, scilicet centrum mundi propter rotunditatem perfectam orbium ipsorũ, qui circulariter mouentur, ita quod vnus non subintrat alterum. Ponunt etiam, cum hoc maiorem & minorem velocitatem in orbibus, & ex hoc habere modo retrogradationes, modo progressiones, quia cum vnum corpus multum præcedit alterum sua velocitate, alterum videtur retrocedere. Et ideo licet positio Mathematicorum secundũ iudicium sensuum videatur esse verior, quia secundũ illam viam procedendo, & iudicando, non falluntur circa motus corporum superiorum, secundum rem tamen, non oportet (*absolute*) esse verius; quia falsum est frequenter via inueniendi verũ: sed rationabilius videtur procedere & ponere naturalis Philosophus. *Et resp. ad 4.* Etsi, *inquit*, videantur fieri ad sensum, hoc tamen non est, nisi per maiorem & minorem velocitatem ipsorum orbium: quam si quis bene sciret, explicare, hac via vnica posset saluare illud; ad quod saluandum Mathematici ponunt circulorum & cẽtrorum multitudinem.] Ita ipse.

Sed & hoc nostro seculo, Fracastorius, insignis 27
Astrologus & Medicus, in suis Homocentricis, tueri conatur, illis Epicyclis aut Eccentricis opus non esse, sed omnia phænomena per sphæras mundo omnino cõcentricas, sed varie densas aut raras, & aliis aliisque orbibus intercurrentibus, modo incitatas, modo præpeditas, posse defendi.

Hoc ipso vero tempore nostro, circa eiusdẽ rei hy- 28
potheses constituẽdas, vniuersim tres sunt Astronomorũ classes diuersæ, quæ quamuis suppositis ẽt iisdem datis seu dedomenis, vt vocant, siue obseruationibus, circa hypotheses tñ admodum variant, vt bene explicauit Keplerus in sui Martis introductione; [Sic igitur, *inquit*, habeat Lector, duas esse Astronomorũ sectas; alterã Coryphæo Ptolomæo, & vt plurimum allegatione veterum insignem; alterã recentioribus tributam, licet sit antiquissima; quarum illa errantium stellarum singulas separatim tractat, causamq; motuum singulis in suis ipsorum orbibus (*possitne nimicum eccentricorum & epicyclorum*) assignat; hæc planetas inter se comparat; quæq; in eorum motibus deprehenduntur communia, ex eadem cõmuni causa deducit. Atq; hęc secta rursum subdiuiditur; causam enim quæ planetas efficit videri stationarios, retrogradosque, Copernicus cum antiquissimo Aristarcho (*falsa plane & nunc damnata opinatione, vt dicetur quæst. 4. dub. 3.*) transcribit translationi telluris domicilii nostri; quibus & ego subscribo: Tycho vero Bracheus causam illam transcribit soli, in cuius vicinia ait connexos esse, eeu nodo quodam, (non sane corporeo, sed quantitatiuo tamen) omnium quinque planetarum Eccentricos circulos; atque hunc veluti nodum, vna cum solari corpore, circa terram immobilem circumire. Tribus hisce opinionibus de mundo, singulis quidem adhærent alia nonnulla singularia, quibus & ipsis hæ sectæ distinguuntur; sed illa singulatim particularia facillima ratione sic emendari & mutari possunt, vt ipsæ tres capitales opiniones (quoad Astronomiam seu cælestes apparentias) in effectu ad vnguem æquipolleant, & paria faciant.

Quæ omnia eo solum adducere volui, vt manife- 29
stum fiat, aliud esse obseruationes, aliud hypotheses inde deductas; ac proinde his negatis, non ideo statim negari, aut negandas esse obseruationes. Quod ex nupero etiam cometa manifestum sit; quando ex iisdem etiam obseruationibus visum est nonnullis Astronomis, omnia cometæ phænomena explicari posse tam per motum rectum cometæ, quam per circularem & obliquum: quæ tamen ipsa res

ostẽ-

ostendit incertitudinem nonnullam eiusmodi doctrinæ ex obseruationibus deductæ.

§. III. De Luna.

30 His igitur ita positis & constitutis; ad lunam quod attinet, fateor, quod ipsemet sæpe sæpius cum admiratione clarissime vidi & consideraui, in ea plane apparere, eiusmodi, quales obiiciebantur, hiatus, lacunas; seu quicquid id est inæqualitatis & asperitatis. Respondeo nihilominus, euidens mihi esse, ea eiusmodi, quæ vt dixi in luna per tubum opticum videtur, inæqualitate, nulla firma ratione colligi posse, esse in luna veros montes, aut valles, aut vllam omnino reipsa veram secundum superficiei ambitum, inæqualitatem; nedum, vt credamus, lunam esse noui cuiusdam mortalium geneſis domicilium.

31 Quod ita ostendo. Quæro enim ex oppositæ sententiæ authoribus, vtrum valles illæ, vel lacunæ, quæ in luna apparent, aliquo corpore sint repletæ, an non? vacuas vtique non dicent; Ergo fatebuntur aliquo corpore repletas. Sed liquido, inquient, putaigne, aere, vel aquis; mea enim parum interest, quidquid horum dicant. Quæro tamen vlterius; si pro corpore illo liquido, & à lunari corpore seiuncto, Deus non quidem liquidum, sed solidum aliud, à lunari tamen corpore substantia itidem diuersum, non minus tamen perspicuum, vt rum V. G. aut crystallum substitueret; quibus lacunæ illæ & valles vndique exæquarentur; an non ad aspectum, eadem lunæ facies esset futura; nempe easdem inæqualitates, eosdem montes ac valles referens? Negare hoc vtique non poterunt: quia pellucidum corpus, manente eadem diaphaneitate, & figura, quale quale illud sit, siue liquidum, siue solidum, quia visum non terminat, nec visionem pristinam opaci corporis impedit, lunare corpus in aliam faciem non potest transmutare.

32 Quod si ita est, idem profecto fieri necesse est, quamuis in iisdem vallibus & lacunis, non aliquod substantia diuersum corpus, & à lunari corpore discontinuatum, sed aliud eiusdem cum luna substantiæ, eidemque continuum, solidum quidem, sed perspicuum item constituatur. Ergo ex istis phænomenis, quibus tot montes & valles in luna repræsentari videntur, nulla potest conuinci reipsa inæqualitas lunaris corporis; sed sufficior ad ea explicanda, diuersitas aliqua eiusdem lunæ, quoad densitatem & raritatem, adeoque perspicuitatem & opacitatem.

33 Nego igitur, quod argumentum petebat, lunam reipsa esse corpus inæquale, & tot vndique montibus, vallibus, & lacunis refertum: esto interim, nec adeo terſum sit & politum ac læue, vt instar speculi, receptas in se solis, aliarumue rerum species reflectat. Quod tamen etsi faceret, non ideo solis imago nobis in luna aspectabilis esset. Quia vt recte ostendit Franciscus Aguilonius lib. 5. Optic. propos. 56. Cum tanto interuallo sol à luna dissideat, si quis etiam extra lunam staret, fieret, vt vix paruæ alicuius stellæ magnitudinem solis phantasia exæquaret. Cum autem & nos tanta iterum intercapedine à luna absimus, necessario fit, vt solis imago ob exiguitatem plane visum fugiat.

Sed etsi ea, quæ obiicitur, inæqualitas, lunari corpori reipsa ineſſet, nihil tamen hoc ad corruptibilitatem ipsius lunæ (qualis in ea nulla prorsus cernitur) aut cœli comprobandam momenti haberet; quandoquidem nihil obstat, incorruptibilia etiam ea figuræ inæqualis & irregularis esse, vt etiam de maculis solaribus inferius suo loco dicetur. 34

§. IV. De Cometis, & nouis stellis.

Ad secundum de cometis, aliisque stellis nouis triplex est responsio. Primo enim nondum satis constat, eas quæ hactenus apparuerunt, omnes, supra lunam fuisse: cum de hoc ne ipsi quidem Mathematici conueniant, & ante Tychonem, ea non solum Peripateticorum omnium, cum Aristotele lib. 1 Meteor. cap. 7. sed etiam plurimorum celeberrimorum que Mathematicorum, ipsius etiam Ptolomæi, & Albumazaris lib. de coniunctionibus, firma & constans fuerit sententia, (id quod ipsi etiam è suis obseruationibus sibi demonstrare visi sunt, vt videre est apud Regiomontanum tract. de cometa, & Ioan. Vogelinum sim. opusc.) cometas fuisse à toto genere non constare materia cœlesti, sed sublunari, adeoque infra lunam esse, vt referunt etiam Conimbricenses Meteor. tract. 3. cap. 3. & nihil sit causæ, cur oppositæ Tychonis obseruationibus, tam in hoc, quam in reliquo cœlestium phænomenum genere, omnem antiquioribus fidem authoritatemque adimere debeant, vt inferius dicetur. 35

Accedit, quod nec hodie adhuc Mathematici inter se consentiunt, vt vel ex recentissimis variorum astronomorum scriptis & iudiciis patet, quæ de nouissimo cometa Anni 1618. edita sunt; & quoad antiquiores olim visos cometas, seu nouas stellas, videre est in ipsis dissertationibus Tychonis Brahe, & apud Christophorum Clauium lib. 1. in Sacrobosceum, vbi agit de cometarum parallaxibus. Quæ tametsi, vbi refractionum diuersitas, aut motus irregularitas nihil obstat, certum argumentum altitudinis cometæ præbere possint, si probe obseruatæ, notatæ, & subductæ fuerint; quia tamen res sæpe à paucis aliquot minutis dependet, quæ obseruatorum diligentiam facile fugere possunt, obseruationesque ipsas, & quæ inde deducuntur iudicia, & collectiones, variare, idcirco non semper satis tuta, & liquida est, imo lubrica sæpe ac fallax esse potest argumentatio, quæ à parallaxibus desumitur, vt vel ex iis liquet, quæ supra ex ipso Tychone retulimus. 36

Sed & super hæc aio, plane falsum esse, quod Tycho tam adeo confidenter pronuntiauerit, superius retulimus, *nullos cometas, qui ad id vsque tempus orbi illaxerint, sublunares fuisse*; cum certum sit, quasdam eius generis stellas, siue cometas, non supra lunam, sed infra lunam fuisse. Id quod inprimis certum est de stella, quæ magos duxit ad præsepium, vt recte sentiunt Theologi; & ratio ipsa necessario euincit. De qua re videri possunt Basilius homil. de natiuit. Chrysostomus homil. 6. in Matth. Augustinus serm. 3. de Epiph. Origenes lib. 1. cont. Celsum, vbi eam stellam ad similitudinem cometæ fuisse ait. Idem verisimillimum est de cometa, quem ante Hierosolymæ excidium per annum integrum vbi constanter impendisse narrat Iosephus lib. 7. de bello Iud. cap. 44. qui nec in remotioribus proui- 37

eiis visus demonstratur; nec si altior luna fuisset, determinate vni Hierosolymæ impendere videri potuisset. Idem certo certius est, de quodam alio insigni cometa, quem suo tempore illuxisse scribit non ignobilis sui temporis Historicus, Georgius Phranza historiæ lib. 5. cap. 21. vbi ait. *Aetate Anni Christi MCCCCL. cometes supra horizontem quotquot vesperis statim post solis occasum, in rhomphaeæ similitudinem apparere cœpit. Qui plenum lunæ orbem subiens eclipsin efficiebat, iuxta ordinem & motum solitum in orbem luminum cœlestium.* Quid clarius? quam cometam istum sub luna fuisse; quandoquidem lunam subiens, eandem eclipsare palam & constanter visus est? Et ne quis existimare possit, cometen hunc immobilem fuisse, & à communi ceterorum conditione exorbitantem, addit scriptor: *Quidam cometen hunc gladii speciem exprimere, & ab Occidente in Orientem moueri, ac lunæ appropinquare, defectionisque illius tenebras videntes, ita rem interpretati sunt, conspiratione facta, principes Christianos ab occidente aduersum Turcas venturos, eosque debellaturos. Turcæ quoque eo portento in timorem non leuem inciderunt.* Quod si hoc ergo non semel, sed sæpius factum est, quidni authore naturæ iubente, etiam hodie accidere possit?"

38 Certe quidem si ex simplici oculorum intuitu iudicium hac in re, quasi de plano, ferre liceat, in eam potius inclino sententiam, cometam nuperum aliud non fuisse, quam exhalationem ardentem. Cum enim illum tam per tubum opticum, quam liberis oculis, vna cum aliis etiam Mathematicis, tam Viennæ, quam Græcii, diligenter aliquoties inspexissem, & considerassem, plane aduerti, lucem ipsius nequaquam, vt aliarum stellarum, viuidam, solidam, & claram; sed potius languidam, obtusam, & quasi subobscuram esse; adeo, vt quod in coloribus apparentibus, aliisque obiectis non solide terminatis fieri solet, clarius etiam sine tubo, quam cum tubo conspiceretur.

39 Et quanquam ex altera parte, cometam illum supra lunam esse, vel hoc argumentum initio suadere videretur, quod per tubum opticum non ita videretur multiplicari, sicut luna, & alia obiecta infra lunam posita multiplicantur; imo vero non magis fere multiplicari videretur, quam ipsius firmamenti stellæ: accuratius tamen postea consideranti, hoc ipsum argumentum parum momenti habere visum fuit; quando etiam iis, qui supra lunam cometam illum euehunt, pariter dissoluendum animaduerti. Quotquot enim ex his audire, vel legere hactenus licuit, nullus est qui cometam hunc supra solem perpetuo constitutum fuisse asserat; neque tamen interim per tubum inspectus, vnquam adeo multiplicari visus fuit, quemadmodum in eadem distantia sol multiplicari solet. Qua ergo ratione argumentum, ab ea tubi repræsentatione petitum, soluent isti, eadem ratione soluetur ab aliis, qui dicunt, cometam illum infra lunam fuisse.

40 Nec ego aliam rationem eius rei inueniô, quam exiguitatem luminosi corporis, quod à longe, tanti spatii interuallo, nudo oculo aspectum, quia, ob exilitatem, non bene terminatum apparet, sed spuriis, vt ita dicam, radiis circumfusum, facile maius intuenti videri solet, quam sit, aut certe in ea distantia videretur, si præcisis illis radiis intueri liceret. Iam vero quia tubus opticus oculorum aciem auget, radiosque illos spurios & aduentitios resecat, fit, vt visum obiectum lucidum & exile, radiis aduentitiis iam exspoliatum non multiplicare videatur, in ea proportione, qua solet alia obiecta multiplicare: quod in omnibus stellis firmamenti; vti & in omnibus planetis minoribus, imo & in candela, seu igne quolibet, à longe, debili præsertim visu conspecto, quotidie licet cernere. Sed hæc disputandi tantum, non definiendi causa dicta sunto.

Neque vero est quicquam, cur Philosophus 41
cometas sublunares defensurus, constringi se patiatur illo Vitellionis pronunciato libro decimo, theor. 60. exhalationes non vltra septendecim milliaria germanica ascendere; hoc enim pluribus improbat Cardanus libro quarto subtilitatum; vbi docet, exhalationes quintuplo altius ascendere, quam Vitellio dixerit: quem sequitur ex Mathematicis Scultetus apud Tychonem, libro secundo, phænom. cap. decimo, mem. 2. pag. 411. vbi docet, vapores 193. milliarium germanicorum altitudinem attingere; idemque ex parte tuetur Abraham Roggenbach capit. 17. Neque mihi incredibile videtur, subtiles illas, & propè iam ignitas exhalationes ad concauum vsque lunæ subuehi posse; nec tamen nisi ad certam distantiam lumen in illis reflexum videri posse, ob distantiam & debilitatem luminis. &c.

Quod quia non parum habet momenti, ad ma- 42
teriam bene explicandam, placet hoc loco duobus documentis comprobatum reddere. Primum suppeditat Regiomontanus, qui, vt refert Vogelinus, in suo de hac materia libello ait, se in cometa à se obseruato non potuisse maiorem parallaxin inuenire, quam sex graduum; quæ tamen cometam super terram attollit octies mille, centum, & octoginta duobus milliaribus germanicis. Ex quo sane efficitur, cometam illum quidem fuisse inferiorem luna, at tamen in suprema minimum aeris regione positum.

Alterum documentũ præbet auctor cuiusdã tra- 43
ctatus de cometis editi anno MCDLXXIV. vir sane vt apparet & in Mathematicis apprime versatus, & in Philosophia insigniter doctus. Is suâ de cometa Anni MCDLXXII. obseruationem ac iudicium his verbis posteritati commendauit, vt iam antea in fine dissertationis de cœlis annotaui. Primum hi de distantia cometę à terra ita scribit: Qui Geometriæ ac Arithmeticæ rationes nouerũt, haud inme dissentientibus, quę ex Ptolomæi positionibus (*habentur;*) quibus in Almagesto demonstrauit, concauũ orbis lunæ triginta tribus vicibus tm distare à centro terræ, quantum est ab eodem centro, ad terræ superficiem. Semidiameter vero terræ, vt colligi potest, cõtinet fere nongẽta & sedecim milliaria Teutonica. Et per ipsam, vt dicit Alphragamus vicesima prima doctrina, ratiocinantur distantiæ stellarum à terra. Considerando itaq; maximam diuersitatem aspectus capitis cometæ ab Alrahick stella sibi vicina, quæ iuxta possibilitatem omnibus difformitatibus reductis, maior cõprehendi non poterat, quã sex graduũ, instrumẽtis cõgruis ad hoc ordinatis. Ad quã aspectus diuersitatẽ necessario sequitur, corpus Cometæ à superficie terræ distasse in nonecupla distantia ad semidiametrũ terræ; quæ ad minus est octo millia & ducenta milliaria. Ponebatur

ergo

ergo in superiore parte supremæ regionis aeris, & non in igne; suppositâ decuplâ quantitate commensurationis elementorum, prout Philosophus 2. de generat. determinat.

44 Iam vero de magnitudine cometæ ita scribit: [Cum enim diameter capitis cometæ vndecim minuta circuli magni chordaret, vt instrumentis comprehendebatur, quorum minutorum chorda est vndecim minuta, & medium fere. Illa ergo chorda, vt dictum est in prima parte, multiplicetur in distantia cometæ à terra, scilicet octo millia & ducenta milliaria, & producentur nonaginta quatuor millia & trecenta; quæ diuidantur per sinum totum, scilicet tria millia sexcenta minuta, & exibunt inde viginti sex milliaria, quæ sunt quantitas diametri capitis cometæ. Comæ vero circumquaq; egredientes de capite cometæ chordabant fere triginta quatuor minuta. Fuit ergo diameter earum octoginta vnum milliaria fere.

45 Deniq; de longitudine cometæ ita scribit: [Cauda autem in longitudine sua maiori, cum cometa esset circa stellas piscis septentrionalis, & protenderet caudam fere ad Pleiades, distantes à capite cometæ triginta quinque gradibus, chordabat circa triginta gradus. Fuit ergo eius longitudo plus quam quatuor mille milliaria. Communis tamen eius longitudo diebus antecedentibus fuit duo millia & quingenta milliaria. Quod si non distasset à terra, nisi secundũ quantitatem diametri terræ, adhuc longitudo eius fuisset quadringenta & sexaginta milliaria. Horum omnium singulares mathematicas demonstrationes afferre, prolixum & valde tædiosum esset, Mathematicam non noscenti: noscenti vero nihil horum dubitatum est.] Ita auctor. Et quamuis non nesciam, propter variam computationem tum milliarium germanicorum, tum ipsius diametri terræ, posse hac quoque in re aliquam in computando varietatẽ interuenire; ea tamen non est tanta, quæ nostro proposito obstet; ad quod satis est, cometam infra lunã positum, supremam etiam regionem aeris, ipsamq; forte etiam sphæram ignis posse contingere. Omitto quod idem author in prima parte eiusdem libri dixerit, cometas non esse nudas exhalationes; sed iam à syderibus probe excoctas, sublimatas, & quasi in cœlestem naturam transformatas, imo & quædam quasi ipsorum syderum semina, ad varios effectus producendos; de quo non disputò.

46 Et vero nec illos, qui cometas supra lunam euehunt, circa altitudinem exhalationum conuenire, patet ex pluribus disceptationibus, quas tum de crepusculorum altitudine ac initiis; tum de refractionum quantitate, inter se pertinaci sane studio agitarunt Tycho Brahe, & Christophorus Rottmannus; vt videre est in epistolis Tychonis ad Rottmannum datis Anno 1588. 21. Febr. & 24. Nouemb. in quarum priori ita Tycho: *Vides itaque crepusculi, siue matutini, siue vespertini mensuram in circulo verticali, nusquam 17. gradus excedere; quod nimis magno intercapedine tuam animaduersionem.* (de 24. scilicet gradibus, vt ex præcedenti & sequenti epistola liquet) *antecedit.* Ex quo patet, Tychonis & Rottmanni obseruationes hac in re septẽ gradibus inter se differre.

47 Respondetur secundo, apparitiones eiusmodi cometarum nouarumq; stellarum extraordinarias videri posse, & nonnunquã in prodigiis numerandas; quarũ proinde certam rationem reddere non tenemur. Licet enim corpora cœlestia sint natura sua corruptionis expertia; potest tamen Deus, suo arbitratu, ob finem, quem ipse nouit, reiq; potissimũ nouæ alicuius & grãdis significandæ gratia, vel ad mortales terrefaciendos, atq; à sceleribus reuocandos, ac simul etiam vt Dominum ac conditorem cœlorum se tanto euidentius comprobet, nonnunquam etiam illic veræ ac physicæ mutationis aliquid, præter communem rerum ordinem, inducere. Sicut etiam reipsa subinde eum in hoc genere varia effeciſſe nouimus; vt cum præter naturæ ordinem, Iosue pugnante, solem ac lunam stitit, Iosue 12. v. 12. cum rogante Ezechia, solis vmbram in horologio Achaz retraxit decem lineis horariis, lib. 4. Reg. c. 20. v. 11. cum in passione Christi, sole contra naturæ cursum, in ipso plenilunio obscurauit, Matth. 27. v. 45. Lucæ 23. v. 45. cum solem eundem postea, centum circiter annis præterlapsis, rursum extraordinaria eclipsi affecit: de qua Tertullianus lib. ad Scapulam c. 3. *Nam sol, inquit, in consummo Vticensi, extincto pene lumine, adeo portentum fuit, vt non potuerit, extraordinario deliquio hoc pati, positus in suo Hypsomate, & domicilio. Habetis Astrologos &c.*

Deniq; & S. Augustinus lib. 21. de Ciuitate Dei 48
c. 8. ex Marco Varrone simile portentum de stella Veneris refert: [In cœlo, *inquit*, mirabile extitit portentum. Nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus vesperuginem, Homerus Hesperum appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantũ portentum extitisse, vt mutaret colorem, magnitudinẽ, figuram, cursum; quod factũ neq; antea, neq; postea sit. *Vbi Augustinus.* Quid ita dispositum est, *inquit*, ab authore naturæ cœli & terræ, quemadmodũ cursus ordinatissimus syderum? Quid tam ratis legibus fixisque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio ac potestate, quod condidit, stella præ cæteris magnitudine atque splendore nobilissima, colorem, magnitudinẽ, figurã, & quod mirabilius est, sui cursus ordinem legemq; mutauit. Turbauit profecto tunc, si vlli fuerunt, canones Astrologorum, quos velut inenarrabili computatione de præteritis ac futuris astrorum motibus conscriptos habent: quos canones sequendo, ausi sunt dicere, hoc quod de Lucifero contigit, nec antea, nec postea contigisse.] Ita Augustinus.

Neq; est hoc sane confictum argumenti effugiũ, 49
sed dignã Christiano homine philosophandi ratio; ipsis SS. Patribus admodum vsitata; qui hæc, & quæ sunt huius generis, etiam cum in ipsã aliquando aeris plaga accidunt, ad portenta, eaq; opera, quæ præter naturæ ordinem à Deo fiunt, referunt; vt ex Tertulliano loc. cit. & Augustino ibidẽ & l. 2. de ciu. c. 23. & lib. 3. c. 1. & Nicephoro lib. 3. c. 4. videre est.

Eiusdem generis est, quod de cœlesti itidem chau- 50
mate scribit Augustinus lib. de vrbis excidio tom. 9. quando circa Annũ CCCXCVI. ardente cœlo, terraq; tremente, Constantinopolitanæ vrbi excidium imminere videbatur: [Volens siquidem Deus, *inquit Augustinus*, terrere ciuitatem, & terrendo emendare, terrendo conuertere, terrendo mundare, terrendo mutare, seruo cuidam suo fideli, viro vt dicitur, militari, venit in reuelatione, & dixit ei, ciuitatem

ventu-

venturo de cœlo igne perituram; eumque admonuit, vt Episcopo diceret. Dictum est; non contempsit Episcopus, & allocutus est populum. Conuersa est ciuitas in luctum pœnitentiæ, quemadmodum quondam illa antiqua Niniue.

51 Tamen ne putarent homines illum, qui dixerat, vel falsitate deceptum, vel fallaciter decepisse, venit dies, quem Deus fuerat comminatus: intentis omnibus, & exitum cum timore magno exspectantibus, noctis initio, tenebrante iam mundo, visa est ignea nubes ab oriente; primo parua, deinde paulatim, vt accedebat super ciuitatem, ita crescebat, donec toti vrbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere; nec odor sulphuris deerat: omnes ad Ecclesiam confugiebant; non capiebat multitudinem locus; baptismum extorquebat quisque à quo poterat. Non solum in Ecclesia, sed etiam per domos, per vicos, & plateas, salus sacramenti exigebatur, vt fugaretur ira, non præsens vtiq;, sed futura. Attamen post magnam illam tribulationem, vbi exhibuit Deus fidem verbis suis, & reuelationi serui sui, cœpit vt venerat, minui nubes, paulatimque consumpta est.

52 Populus securus paulatim factus, iterum audiuit, omnino esse migrandum; quod ciuitas proximo sabbatho esset peritura; migrauit cum Imperatore (*Arcadio*) tota ciuitas. Nemo in domo remansit; nemo domum clausit, longe recedens à mœnibus, & dulcia tecta respiciens, relictis charissimis sedibus, voce miserabili vale fecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progressa, vno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum subito vidit, & vocem magnam emisit ad Deum: tandemque tranquillitate perspecta; missis, qui renuntiarent, quæ peracta fuerant; hora transacta, & renuntiantibus, quod salua vniuersa mœnia & tecta consisterent, omnes cũ ingenti gratulatione redierunt. Nemo de domo sua quicquam perdidit patente; omnis homo, sicut dimisit, inuenit. Quid dicemus? vtrum ira ista Dei, an potius misericordia fuit? Quis dubitet, misericordissimum Patrem corrigere voluisse terrendo, non perdendo perire; quando nihil hominum, nihil domorum, nihil mœnium tanta impendens præsentia læsit? Prorsus sicut solent manus erigi ad feriendum, & consternato illo, qui feriendus erat, miseratione reuocari: ita factum est illi ciuitati.] Hactenus Augustinus.

53 Sed & Philastrius in suo catalogo non solum eadem ratione de terræ motu philosophatur, sed & acriter perstringit aliter philosophantes: *Non attendentes*, inquit, *Dei potentiam, elementorum naturæ adscribere audent potentiæ motionem, vt quidam philosophi vani, qui rerum naturæ hoc adscribentes, Dei potentiam non cognouerunt: quod etiam in huiusmodi rebus indignatio Dei ac potentia operatur, & suam commonet creaturam, conuersionis causa, & vtilitatis quippe multorum peccantium, ac redeuntium ad Dominum saluatorem atque creatorem.* Equidem terræ motus, quandoque naturaliter fieri non nego; sed & à DEO nonnunquam supra vim naturæ excitari, nil dubito.

54 Huius sententiæ est etiam S. Damascenus lib. 2. orth. fid. cap. 7. qui speciatim de cometis ita disserit, vt in eam plane eat sententiam, quæ & ore vulgi dudum celebratur; præsignificare videlicet, Deo indice & authore, insolitum aliquid & triste, speciatim etiam *tristes belli clades, & funera Regum*, vt poeta ille cecinit; id quod de cometa Anni MDCXVIII. abunde satis experti sumus, atque etiamnum experimur. Verba Damasceni sunt. *Aggignuntur autem*, inquit, *& frequenter cometæ, signa quædam interituum Regum, qui quidem non sunt ex iis astris, quæ à rerum initio facta sunt, sed diuina iussione oportuno tempore constituuntur, atque rursus dissoluuntur.* Subiungit de stella Magorum: *Cum autem*, inquit, *in miseratrice & salutari Domini natiuitate secundum carnem, propter nos, à magis stella visa est, non ex iis fuit astris, quæ in principio facta fuerunt. Quod & ex hoc perspicuum est, quod aliquando quidem ex oriente in occasum perageret cursum; aliquando vero ex Borea in Austrum; & quandoque occultabatur, quandoque manifestabatur; hoc enim ordinationis & naturæ astrorum non est.*

Quod si temporum historias inuestigabimus, 55
facile inueniemus, singulis ætatibus eius generis cœlestia portenta, atque etiam ignita phasmata complura, sæpe etiam rerum futurarum prænuntia, Deo iubente, illuxisse, ad peccata hominum siue emendanda, siue castiganda. Dignum relatu est, quod hoc nostro primum tempore ad initia tumultus Boemici in ipsa Boemia accidit; & ab oculato teste, optimo & doctissimo viro, Reuerendo Domino Magistro Daniele Alberto Hageck, Parocho ac Decano Litomislien si, qui postea pro fide Catholica & verbera, & vulnera, nescio an non ipsam denique mortem à fidei hostibus perpessus, litteris Viennam datis Anno 1618. 27. Iunii, ad quendam è Societate nostra presbyterum, his ipsis verbis perscriptum fuit. [Mirabile quiddam V. R. Paternitati communicabo, quod ipsemet cum aliis pluribus 26. Iunii (*eiusdem Anni 1618.*) hora secunda noctis hisce oculis spectaui. Prospiciens ex eminentiore loco Parochiæ, vidi lumen quoddam in aere instar lunæ; maius tamen ac splendidius: quod post pusillum temporis in duas fere æquales partes est diuisum; quarum vna (*rursus*) in tres alias fuit distincta. Atque ita stabant quatuor maxima lumina, à se remota (suspicabar incendium grande in quatuor distinctis locis;) à me tamen aliquot milliaribus Pragam versus distantia. Et ecce vix oculos reflexi, cum repente quintum lumen aliunde aduolat, etiam perfecte sphæricum; supra quod distinctissime vidi crucifixum, facie versa ad quatuor lumina; rubicundum tamen quasi sanguinem. Quem dum attonitus intueor, mox alia luminaria priora, vno excepto, visa sunt mihi habere cruces sanguineas. Non fidens (*autem*) proprijs oculis, quæro ex (*præsentibus ac*) simul spectantibus, quidnam videant? Illi hoc idem se videre affirmant. Tandem post aliquantum temporis, omnia in vnum coalescunt, efficiturque maximum lumen, supra quod crux, cum duabus laneeis sanguineis apparuit. Iterum (vero) diuiditur in tot partes; atque ita per plures vices modo coniungebantur, modo à se inuicem disiungebantur; donec omnia (*sensim*) vnum post aliud, deficerent. Non aliter iudico, quam hæc grauissimæ Dei vindictæ signa fuisse. &c. Vix alteri

fidem adhiberem, nisi ipse oculis propriis longo tempore distinctissime spectassem. Sphæra omnes erant igneæ, cruces vero sanguineæ; ita vt crucifixus ille videretur etiam sanguinem spargere. Hactenus literæ integerrimi viri.

56 Quæ & plura similia, passim in historiis obuia, plane testantur, esse etiamnum Deum in cœlis, qui præter naturæ vim & ordinem ad commonefaciendos homines, suamque potentiam demonstrandam, varia omnis generis portenta ac prodigia identidem soleat perpetrare. Vt proinde sapienter concludat Tertullianus ad Scapulam cap. 3. cum pluribus de huiuscemodi rebus disseruisset, *Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est, quoquo modo possumus, vt & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur interim localem esse. Vniuersalem enim & suprematn suo tempore sentient, qui exempla eius aliter interpretantur.*

57 Minime igitur à Christiano Philosopho alienum est existimare, cometas quoq; aliquos ad hoc genus diuinorum prodigiorum & portentorum pertinere; quorum ille solum exactam potest reddere rationē, qui facit: quando nec vera portenta essent, si naturæ solum ordine & lumine circumscriberentur. Quod quidem recte mihi etiam ex Mathematicis huius ætatis, agnoscere visi sunt Mæstlinus, & ipse Tycho Brahe, qui lib. 2. de mundi ætherei recentioribus phenomænis cap. 10. memb. 1. his verbis scribit: *Interim pie & sobrie Mæstlinum sentire iudico, qui omnipotentiæ diuinæ has miraculosas generationes immediate asscribit, & in naturæ secretis reponit.*

58 A quo tamen, vicissim hoc iure potest exigi, vt etiam si forte suis obseruationibus & demonstrationibus euicerit, aliquos subinde cometas (de omnibus enim non posse antea demonstrauimus) supra lunam à Deo effici, vt ne propterea conclamatum esse velit, contra receptam à Patribus & Philosophis cœlorum soliditatem; cum Deo æque facile sit, in pleno ac solido corpore, aliud corpus constituere ac mouere, ac in vacuo; nisi forte Tycho ex Lutheri schola ad Caluinum degenerauit, qui aduersus Catholicam fidem, inter alia etiam hoc impium dogma prodidit, non posse per absolutam etiam Dei potentiam, duo corpora esse in eodem loco, mutua penetratione.

59 Quanquam ne hoc quidem necessarium est, vt reipsa semper fieri affirmetur. Quando non est difficile Deo, etiam absque penetratione corporum, solido cœlorum corpori nouam lucem indere: qui & primo creationis die lucem (non corpus lucidum) in subiecto iam ante præexistente produxit, vt dictum q 2. dub. 3. & ipsi firmamento iam ante secundo creationis die producto & consolidato, stellas & sydera (absque noua vllius substantiæ productione) quarto primum die inseruit, vt dicetur q. 4. dub. 2. Quod si constanti & durabili adeo prodigio, Deus tum Israelitis ad terram promissam tendētibus, Ducem se præbuit, per diem quidem, columna nubis indice ac prodromo, per noctem autē columna ignis, vt videre est Exodi 13. v. 22. & Psal. 77. v. 14. tum etiam Magos, stella mirabili duce, in varios motus vndique circumacta, duxit ad Christum infantem; quidni etiam hodie continuare aliquando edita à se prodigia & miracula possit?

Respondetur tertio. Etiamsi concedamus, id 60
genus stellas quasdam fuisse sole, imo etiam ceteris planetis altiores, atque etiam citra vllam diuini miraculi vim in cœlo constitutas; nihilominus tamen sobrie philosophanti, non deesse plures probabiles modos, quibus id absque omni noua generatione & corruptione fieri potuisse explicetur. Primus esse potest, si dicatur, in superioribus cœlis quosdam epicyclos esse, nec adeo magnos, vt sensibilem in eis stellarum motarum declinationem efficiant, nec adeo paruos, quin stellas in perigæo vtcunque sensibiles, subducere in apogæo visui nostro possint; præsertim si ipsæ etiam stellæ iis infixæ irregularis figuræ esse ponantur, vt de maculis solaribus inferius dicetur: sic enim vtrumque facile in tanto interuallo fieri poterit; etiamsi interim epicycli illi reipsa diametrum aliquot millium milliarium contineant.

In his ergo epicyclis si stellæ constituantur tardissimi motus, fiet, vt stella quæpiam longo etiam tempore, cum in perigæo versatur, à nobis aspectabilis sit; postea vero ob nimiam altitudinem, & quam in tanta distantia præferet paruitatem, videri amplius non possit. Scio id non placere Keppplero in lib. de stella noua Serpentarii cap. 21. & fateor, promiscue omnibus eiuscemodi phænomenis applicari non posse; sed quin subinde id etiam fieri possit, non video quid obstet.

Secundus modus est, si dicamus, in iisdem su- 61
perioribus cœlis seu diuersis cœlorū annexis orbibus, sparsim ac promiscue diffusas esse particulas quasdā densiores, quarum singulæ quidem ob suam paruitatem, in tanta distantia, videri à nobis haud possint; possint tñ, si plures simul in vnū quasi cumulū coeant, & per iuxta positionem coniungantur: sic enim fiet, vt quamdiu semel iunctæ perseuerant, videantur instar aliarum stellarum, postea vero sensim rursum à se inuicem disiunctæ, sub aspectum amplius non cadant. Parique ratione explicari poterit, aliquas stellas (vti dicunt de spica Virginis) minores nunc apparere, quam olim visæ fuerint: etsi res hæc mihi quidem adhuc videatur incerta.

Atque hunc modum generationis cometa- 62
rum (abstrahendo à soliditate & liquiditate cœli) video reipsa nunc in proximo cometa Anni 1618. fuisse approbatum, ac publice defensum, In Academia Ingolstadiensi. Neque negari potest, modum vtrumque esse possibilem; etsi promiscue, vt dictum, omnibus applicari non possit, nec debeat: neque vero posterior ille modus ab Aristotele, in antiquis Philosophis refellitur; cum illi, quando cometarum generationem plurium planetarum concursu fieri dixerunt, de ordinariis planetis ac stellis (quæ alias solent esse aspectabiles) locuti fuerint, vt videre est apud Aristotelem lib. 1. Meteor. cap. 6. quo sensu, recte illi ab Aristotele ibidem refelluntur: nos vero loquimur de extraordinariis planetis, quales etiam non improbabiliter censentur à nonnullis ipsæ maculæ solares.

Vt igitur ex his, quę hactenus disputata sunt, de co- 63
metis aliisq; nouis stellis, meam sententiam summatim explicem, breuiter dico, aliquando esse sublunares, vt in prima responsione demonstrauimus; aliquando effici posse extraordinario miraculo in cœlis;

aliquan-

aliquando forte etiam sine miraculo; idque nunc vno, nunc alio modo, ex duobus illis, quos superius retulimus: quæ omnia satis hactenus comprobauimus.

64 Quod si nihil horum placeat; aut certe ratio particularis obstet, cur nihil horum asseri posse videatur, dicere licebit cum Seneca, lib. 7. natural. quæst. cap. 1. multa dari, quæ esse concedimus; quæ tamen qualia sint ignoramus. Et vero est in hac re particularis aliquando causa, cur ex motu quidem, aut parallaxibus, certi nihil de cometis, aliisue nouis eiusmodi stellis statui posse videatur; eo quod aliquando motum habere videantur plane irregularem, nullisque certis legibus definitum. Quod quidem de stella noua, quæ Magos duxit ad præsepe, certissimum est; *quia aliquando quidem ex oriente in occasum peragebat cursum; aliquando vero ex Borea in Austrum; & quandoque occultabatur, quandoque manifestabatur*; aliquando penitus conquiescebat, pro arbitratu mouentis DEI, vt etiam superius resp. 2. ex Damasceno retulimus: idemque ob eandem causam probabiliter fit, aut fieri potest, quoties noua eiusmodi stella, extraordinario miraculo, ad rem certam significandam à Deo efficitur.

65 Quod ex parte etiam circa nostri temporis cometas nouasque stellas obseruarunt Mathematici; sane de cometa Anni 1580. scribit Tycho libro secundo, de nouis phænom. cap. decimo, memb. secundo, eum *ipsam primi mobilis reuolutionem suo proprio cursu ab oriente in occidentem toto diurnationis tempore antecessisse; perpetuoque contra ordinem signorum in antecedentia fuisse delatum.* Contrarium vero scribit de noua ad Cassiopeam stella, quæ vt ait idem memb. 1. *vltra annuum tempus in vno eodemque firmamenti loco immota conspiciebatur.*

66 Sed & rursum de cometa Anni 1590. in literis eiusdem Anni Cal. April. ad Landgrauium Hassiæ his verbis scribit Tycho: *Quarta columna tabulæ quantitatem arcus motus diurni, quem cometa proprio cursu, in suo quem designauit arcu absoluit, oculos ponit; ibique multo concitatiorem fuisse, quam vbi ad consummationem tendebat, liquido patet. Neque tamen præruptio, aut tumultuario cursu ciebatur, sed ordinario,* (alio tamen atque alio, vt dictum) *& à celeriore in tardiorem successiue atque conueniente proportione fere* (sed non vere) *remittente; quod etiam ex quarta columna satis colligere licet.* Ita Tycho.

67 In eundem sensum scripsisse intelligo Apianum in Astronomico Cæsareo, paulo ante primam obseruationem secundi cometæ, cum motum suorum planetarum vocat *simillimum regulari.* Qui proinde non potuit omni ex parte esse regularis: nam quod homini simillimum est animal, non est homo, sed hominis æmula, simia, &c. Certe quidem hic ipse motus cometarum tam varius, & irregularis (qui non solum plerumque difficillimam eorundem reddit obseruationem; sed quandoque etiam incertissimas efficit hypotheses) sublunares potius esse, aut certe miraculosos, quam æthereos & naturales, indicare videtur. Sed hæc de cometis, nouisque stellis satis.

§. V. De maculis Solaribus.

Ad tertium, sciliçet maculas Solares, quod attinet, fateor in primis, eas & reipsa existere; & luna superiores esse; etiamsi multi eas multo tempore aut prorsus negarint; tubi, aut oculorum vitia & maculas, non solis esse rati: aut certe luna superiores non esse existimarint. Quorum vtrumq; refellitur, nõ solum quia ab iisdem diuerso tempore, idque satis diuturno, (spatio fere duodecim vel quatuordecim dierum) sed etiam quia eodem tempore in diuersissimis remotissimisq; locis à diuersis sub eodem solis loco (nisi quantum proportionati motus progressio, aut locorũ distantia variauit) magna proportionũ vniformitate cõstanter visæ sunt; atq; etiamnũ videtur. 68

Et quia mihi res hæc, cum primum vel per suspicionẽ innotuit, inquisitione speculationeq; dignissima visa est; studium adhibui, vt quantum quidem ad physicam considerationem pertinet, proprio etiam experimento, aliquã eius notitiã comparare: ductus illo, de quo supra, Aristotelis exemplo, asserentis, *Non solum Aegyptii; sed & nos vidimus.* Igitur cũ eius rei incertus quidam rumor iam antea aliunde ad nos Ingolstadium fuisset allatus, accidit Anno MDCXI. die 21. Octob. hora fere dimidia ante decimã nostrã antemeridianam, hoc est, duabus horis cum dimidia ante meridiem, vt aptissima eius rei explorandę se offerret occasio. Cum n, eo tempore cœlũ tenui quadam nebula ita obductum esset, vt tamen solis disc9, radiis vehementioribus vndiq; recisis, plane ac sincere spectabilis esset, admoto tubo optico, non difficulter maculas quæsitas in eo deprehendo. Et mox admiratione simul & hilaritate perfusus, ad insolitum spectaculum plures aduoco & inuito; qui pari affectu diu multumque vna mecum rem eandem contemplati sunt. Inde vero totius anni sequentis curriculo, variis modis, ac præsertim directa per tubum inspectione, (quæ ad physicam considerationẽ plus habere videbatur momenti) pene quotidie eas obseruaui; obseruationibus etiam, quantum ex oculorum iudicio notare licuit, in chartam rudi quãuis Minerua coniectis: cum interim Mathematici nostri, & illo ipso tempore, & inde tam aliquot annorum continuato studio, longe accuratiori methodo, non solum molem singulatim, sed etiam motum diligenter obseruarint. 69

Quibus ita constitutis, fatendum quidem est, eas maculas sane difficilem habere explicationem; non modo si soliditatem incorruptibilitatemque cœlorum tueri velimus, sed etiam si quis cœlos aut liquidos, aut corruptibiles esse affirmet: quandoquidem incredibile est, & vt ita dicã, inexplicabile, quomodo tot & tã vasta corpora, tã frequenter, imo continua quasi serie, in cœlis, & quidem iuxta purissimum solem, de nouo generentur & corrumpantur. Sed quia de hac re in proprio opusculo plurib9 disserui, id solũ in præsentiarum respondeo, ea quę circa solares maculas contingunt phænomena, hisce conditionibus ac hypothesibus, partim propriis, partim alienis experimentis deprehensis, satis commode explicari & defendi posse, absque vlla cœlorum corruptibilitate & liquiditate: si propriis epicyclis insitæ circa solem moueri constituantur, vt etiam docuit Lessius noster de prouid. Dei lib. 1. cap. 2. 70

Digitized by Google

71 Prima conditio est, quod maculæ variæ admodum & irregularis sunt figuræ, ac plerumque in modum disci compressæ, latioresque adeo & longiores, quam crassiores, absque vlla certa laterum terminatione & circumscriptione; plane instar flocci alicuius lanei, aut niuei; siue etiam instar volantis muscæ, aut *maculenti pulicis*, vt de suo etiam sub sole Mercurio loquitur Kepplerus. Secunda conditio est, quod maculæ plerumque non sunt vnum quoddam continuum corpus; sed aggregatum quoppiã, ex plurium & variorum corpusculorum opacorum, quasi temere conglomeratorum, seu consociatorũ coitione resultans: id quod etiam visu cernitur: cũ in vna sæpe macula, sex, octo, decem, aut plura eiusmodi corpuscula minutiora numerare & distinguere liceat; præter ea, quæ ob exilitatem, aut nimiam coniunctionem sæpissime visu discerni non possunt. Tertia conditio est, quod & maculæ ipsæ, & corpuscula ex quibus constant, non eundem inter se situm ac compositionem constanter retinent, sed sæpe proprio motu (atque haud scio, an semper prorsus regulari) à se sensim dissociari, aut progressu temporis magis sub sole consociari videntur; quod argumento est, non in iisdem sphæris omnes circumferri. Quarta, quod solem proxime non circumstant, sed magnum satis circulum sub sole, aut circa solem conficiunt, de qua re alibi plura. Quinta est, quod stato tempore, & ordine suum sub sole motum nonnihil variant.

72 Ob primam etenim, secundam, & tertiam conditionem accidit, vt maculæ suam figuram quotidie fere non parum mutare, atque etiam vt subinde cõiunctis, aut rursum disiunctis, sub ipso primum sole, corpusculis, ex quibus constant, quasi de nouo generari, aut corrumpi sub eodem sole videantur: cum in ingressu solis, aut exitu, ob exilitatem singula eiusmodi corpuscula videri non possent: quanquã id nonnunquam etiam accidere potest, ob figuræ irregularitatem variamque conformationem ad oculum. Ob quartam & quintam conditionem fit, vt eædem aut nunquam, aut non nisi sero admodũ sub solem redeant, nec si forte redierint, deprehendi facile possint; præsertim etiam ob figuram interim diuerso corpusculorum, ex quibus constat motu, disturbatam, vt dictum. Eadem q; est ratio facularum solarium, quæ aliud esse non videntur, quam inter solares maculas, etiam ob paruitatem, aut certam situs conformationem, quandoq; non visibiles, refractum, aut etiam reflexum solis lumen; de quo alibi. Quod si compertum fuerit, motum macularum suũ in sole centrum quandoq; mutare, vt quidam aiunt, nil obstat, quo minus eis conuenientes assignentur, seu Epicycli seu Eccentrici, ad eiusmodi motus diuersitatem tuendam, etiam absq; corruptione aut liquescentia cœlorum.

§. VI. *De Mercurio, Venere, & Marte.*

73 Ad quartum, de Mercurio & Venere solem ambientibus. Respondeo inde hoc solum effici, hos planetas non habere proprios ac distinctos cœlos terram ambientes, sed solũ epicyclos proprios, in ipso solis cœlo positos, solemq; ipsum ambientes, in quibus circa solem ferantur, sine vlla vel ruptura, vel penetratione cæli solaris. Id quod proinde non quidem soliditati & incorruptioni cœlorum, sed dispositioni solum, ac numero eorundem hactenus recepto, & non tam à Philosophis, quam ab ipsis Astronomis ex imperfecta obseruatione motus planetarum introducto, aduersatur, vt quæst. 4. dub. 4. pluribus dicetur.

Nec specialis aliqua difficultas est, de periodo Iouis & Saturni; qui cum iuxta ipsius etiam Tychonis obseruationes, sole nunquam sint inferiores, sed sublimioribus, maioribusque periodis ac circulis, terram simul ac solem ambiant, nec cœlum, aut viã solis, alteriusue planetæ aut syderis intersecent; proprios sibi cœlos ac sphæras sole vndique altiores retinent. 74

At vero ad Martem quod attinet, qui iuxta Tychonis obseruationes & hypotheses, ipsum cœlum, seu viam solis non modico spatio intersecat, hoc opus hic labor est, vt simul vtrumq; tueamur, & soliditatem scilicet cœlorum, & Tychonis hypotheses, aut saltem obseruationes: & mallem hac de re Clauium aliquem, vti in hoc genere cumprimis sapienter solebat, differentem audire & sequi: quam minus tritam aliis viam differendo quodammodo præire. Sed quia ita argumenti necessitas postulat, citra cuiusquam præiudicium aut iniuriam, dicam sincere quod sentio, non tam priuato animi sensu ductus, quam publica optimorum Mathematicorum iudicia secutus. 75

Equidem primo hypotheses Tychonis ab eius obseruationibus distinguo, vt iam vniuersim initio huius capitis §. 2. distinguendas monui. Siquidem licet obseruationes Tychonis recipiant communiter Mathematici recentiores; hypotheses tamen eiusdem ex obseruationibus deductas respuunt multi; speciatim omnes illi, qui Aristarchicum, siue Pythagoricum, seu, quod idem est, Copernicanum systema sequuntur. 76

In quibus Christophorus Rottmannus, Mathematicus Landgrauianus epist. ad Tychonem Anno 1588. 13. Cal. Octob. inter epistolas Tychonis pag. 128. & 129. ita scribit: *Quod tamen existimas, generalem illam sphærarum dispositionem, quo diligentius perspexero, eo magis mihi placiturum, scias iam dudum mihi prorsus contrarium accidisse; de quo etiam cum eruditissimo viro Gellio Sasseride egi. Quo enim diutius eam considero, eo minus mihi placet.* Et inferius, *Præterea introducit hæc inuersa Copernici ratio* (qualem nimirum inducit Tychonianum systema) *confusionem in sphæras planetarum. Etsi enim nulla corporum cœlestium illisio inde sequi potest, vt excusare niteris, tamen nulla sphærarum vera aut determinata distinctio manet; sed omnes inter se confunduntur. At Copernicæa hypothesis suum vnicuique planetæ & determinatum spatium attribuit, à quo motu suo egredi non possit.* Idem multis probat Kepplerus, in suo Marte, vbi ex instituto, reiecto Tychonis systemate, Copernicanum stabilire nititur: id quod in Italia antehac, nostra quoque ætate, fecisse celeberrimos etiam Mathematicos constat. Taceo Clauium, Maginum, & alios Ptolomaici systematis assertores. 77

Cum igitur hypotheses Tychonis, quarũ ea cælorũ intersecatio propria est, præstantissimi huius tẽporis Mathematici non recipiant; quicquid interim sit de ipsius obseruationibus, nihil est, cur earum au- 78

thorita-

thoritate multum prematur, nedum opprimatur antiquissima & receptissima Philosophorum pariter ac Theologorum de soliditate cœli sententia. Accedit, quod iam superius §. 2. notat. 3. Keplerum cui Introductione Martis aperte profitenti audiuerimus, quamuis tres illæ, quas vocat, sectæ Astronomorum, nimirum Ptolomaicorum, Copernicanorum, & Tychonicorum, nonnihil inter se quoad motus astrorum dissideant, *ea tamen facillima ratione sic & emendari, & mutari posse, vt ipsæ tres capitales opiniones, quoad Astronomiam, seu cœlestes apparentias, in effectu ad vnguem æquipolleant & paria faciant.* Hoc ergo cum iuxta Ptolomæi systema quispiam fecerit, nos ei gratiam habebimus; nec erit, quod in hac re quisquam amplius exigat. Neque forsan impossibile est, etiam stante soliditate cœlorum, eiusmodi phænomena fieri; si conserti inter se Martis & Solis cœli simul conuoluantur; ac si opus est ad Martis eccentricitatem tuendam, suus etiam illi insuper Epicyclus adiungatur; aut saltem eccentrici solis & Martis ita disponatur, vt in hypogæo Mars terræ propinquior sit, quam sol in apogæo. Addunt recentiores nonnulli Mathematici, id etiam fieri posse, si Mars & Sol in quibusdam quasi zonis seu annulis inter se certo modo consertis ita mouentur, vt vicissim vnus alterum transcendere, ac rursum subire possit. Quod Mathematicis suo tempore explicandum relinquo.

79 Interim quod ad Keppleri pronuntiatum attinet, quia forte excipiet quispiam, posse quidem ita etiam systema Ptolomaicum conformari, vt quoad apparentias cœlestes paria cum aliis faciat; at non stante soliditate cœlorum; neque tamen integrum nobis est, tam solidam eiusmodi soliditatis tuendæ causam deserere; multo minus systema Copernicanum, iam in Ecclesia Catholica damnatum, amplecti; idcirco ad ipsas etiam obseruationes Tychonis, ex communibus saltem & externis principiis expendendas me confero: ac breuiter dico, tametsi quidem illæ generatim loquendo iure magni æstimentur, nec facile ac sine magna causa reiiciendæ videantur; nihilominus tamen in particulari aliquo casu, & quod ad præsens institutum pertinet, nefas non esse, eis fidem denegare.

80 Blasphemare forte alicui videri possim, si absque iusta causa hoc dixerim. Sed ecce rationem dicti, non vnam. Primum, quia ita censent magni Mathematici, è quibus est Christophorus Clauius; quem non multis ante finem vitæ annis, ita iudicasse, ac ex instituto consultum respondisse constat; *suspectas sibi videri Tychonis obseruationes*; nimirum iis in rebus, in quibus illæ à tot seculorum sensu ac sententia adeo discrepant; vt inferius declarabo. Neque hoc suum ipse iudicium vnquam postea retractauit; etsi propter alia phænomena, non à solo Tychone obseruata, sed tubi indicio prodita, nouum systema cœlorum constituendum denique existimauerit, vt quæstione quarta, dub. quarto dicetur.

81 Secundo, Christophorus Rottmannus Mathematicus Landgrauianus, & ipsemet eius Princeps Wilhelmus Landgrauius, Mathematicæ scientiæ non ignarus, Tychonicis obseruationibus quoad longitudines aperte & constanter contradixerunt; quod Tycho ipse non vno loco fatetur. Siquidem l. 1. epist. Astronom. epist. ad Lectorem ait, se in epistolis illis interalia agere etiam, *de quinque vel sex minutorum differentia, quæ inter Landgrauianas*, inquit, *obseruationes & nostras, quoad longitudines fere semper incidit, vtroque nostrum pro sua intentione stante. Vbi occasionem, cur vncia illa gradus in Landgrauii longitudinibus abundet, sufficienter ostendi, si modo id locum mereri potuisset, præsertim apud ipsius Mathematicum; in quem tritum illud quadrare videtur, qui volet ingenio cedere, nullum erit.* Et in epistola ad ipsum Wilhelmum Hassiæ Principem data Anno 1588. 16. Augusti pag. 95. hæc scribit: *Quod itaque tua Celsitudo à suis inuentis discedere nolit, ob sedulitatem non mediocrem, in obseruationibus adhibitam, rationes procul dubio habet non contemnendas, quibus ego etiam refragari nolo, neque enim differentia inter nos adeo magna est, vt Astronomicæ certitudini sensibiliter officiat.* Similia habet epist. ad Rottmannum data Anno eodem 17. Augusti pag. 111. & rursum epist. Anni 1589. 21. Februarii, pagina 140. & in alia eiusdem Anni. 24. Nouemb. pagina 158, vbi multis etiam de refractionibus & crepusculis inter eos disceptatur.

Tertio obseruationes Tychonis circa cometas 82
aperte reiecit Scotus quidam, vt ipsemet Tycho fatetur, non imperitus Mathematicus. De qua re queritur Tycho epist. ad Rottmannum data Anno 1595. 14. Ianuarii pag. 288. obiectam sibi ab eo fuisse *plumbeam normam* (quam ad suum scilicet ipse Tycho arbitrium conformaret:) item quod *differentia longitudinis inter Cassellas, & locum obseruationis Tychonicæ, in aliquot scrupulis dubia esset*; quodque Tycho *Landgrauianas obseruationes non omnes, sed selectas quasdam* solum suo instituto applicauerit; cum ipse *veriores suo arbitratu* fuisse alteras existimet, quas Tycho neglexerat. Et subiungit Mathematicum his ad se verbis perscripsisse: *Tua, clarissime Domine Tycho, si quis alius commendaturus sum ob amicitiam; & nunc vellem; sed amico adulari contra veritatem non soleo. Optarem mihi obseruata, si non demonstrata illius artificis* (Rottmanni) *communicari, quibus hoc paradoxum* (de cometis supra lunam positis) *asseruit; & an peritia scientiaue sua eo pertingat, ipse esses Iudex. Si pro Vraniæ tuæ defensione, veritatem vis manifestari, obseruationes communica. &c.* Quod tamen negauit Tycho. &c.

Denique Maginus ep. ad Tych. etsi de cætero *Systema Vniuersi à Tychone excogitatum* probare videatur, circa illam tamen Martis intersecationem hæsitat. *Cuperem*, inquit, *Solis orbem ac Martium nequaquam se intersecare.* Addit ipse quidem: *Quod si, vt à studioso isto cognoui, Martem Acronychum, terræ propius accedere, quam Solem, à te est obseruatum, intersecatio huiusmodi omnino admittenda est.* Ita Maginus. Sed dictum hoc hypotheticum est: & conditionata, vt dici solet, nihil ponunt in esse. Omitto Abrahamum Roggenbach libro quinto de com. cap. 17. qui & ipse etiam Tychonem incusat, quasi rerum nouarum studiosum; doctrinamque Aristotelis de cometis tuetur. 83

Secunda ratio est. Quia Tycho ipse fatetur se in 84
suis etiam quamuis exquisitis obseruationibus nonnunquam fuisse deceptum. Patet hoc ex additione

quadam ad caput 2. lib. 2. de cometa Anni 1577. vbi fatetur, se partim defectu exquisitioris instrumenti (& habebat tamen præter radium Astronomicum & sextantem; quadrantem ex orichalco solido affabre elaboratum, & subtiliter subdiuisum fere bicubitalem:) partim refractionis nondum satis perspectæ impedimento; partim horologii etsi affabre admodum elaborati, & in secunda etiam scrupula diligenter diuisi ratione, tum in altitudine poli designanda, tum in longitudine & latitudine fixarū constituenda, sæpe pluribus etiam minutis; atque ex consequenti nonnihil in ipsa etiam altitudine cometæ statuenda aberrasse.

85 Idem perspicue patet ex appendice Tomi primi, vbi dicitur, eccentricitatem solis ex obseruato Marte Tychonem certo deprehendisse, esse partium dūtaxat mille octingentarum, siue semidiametrorum terræ viginti; cum tamen antea maximo labore, exquisitissimis instrumentis, non vno, sed diuersis in locis, sæpius illam obseruarit atque deprehenderit, esse partium trium millium sexcentarum, seu semidiametrorum terræ quadraginta & vnius. Vt igitur in his exactissimis suis obseruationibus, (& quidem etiam dimidia parte obseruatæ, seu ex obseruationibus deductæ magnitudinis) fuit deceptus; ita etiam in pluribus aliis decipi potuit. Imo cum ex Martis obseruationibus suas ipse Tycho obseruationes priores quamuis accuratas eliserit, quid nī aliquis potius, ex prioribus illis obseruationibus eiusdem Tychonis, Martis obseruationes suspectas habeat? maxime cum adeo nouum secum inferant corollarium; nimirum *solem, si Ptolomaicam suppositionem imitemur, æqualibus temporibus, inæquales arcus suæ orbitæ conficere*: vt ibidem dicitur, & velut dogma *nouum contra Antecessores sequendum* præscribitur.

86 Tertia causa est, quia rationes & occasiones, variæ deceptionis, quas superius §. 2. notat. 2. ex ipso Tychone retulimus, etiam in Tychone vtique locum habere potuerunt: præsertim cum plerasque obseruationes non per se, sed per suos administros & famulos peregerit, vt ipsemet satis indicat in suis epistolis. Cum igitur ipse præstantissimos quosque Mathematicos, vt ibidem retulimus, incusset, quod præiudicio seu affectui nonnunquam indulserint; quod vnam stellam pro alia inter obseruandum assumpserint; quod temporis interlapsi non satis accurate fuerit habita ratio; quod in calculatione aliquid subinde erratum; quod instrumenta non fuerint exacta; quod obseruationum delectus & comparatio non recte instituta; quod perpendiculum quadrantis non bene directum &c. quibus adde refractionum, & pro diuersitate partium cæli, temporum item ac locorum maximam varietatem, & obscurissimam incertissimamque rationem, vt superius §. 4. resp. 1. monui; quis securos nos præstabit, Tychonem vna cum suis obseruatoribus, non simili etiam aliqua ratione quandoque in fraudem fuisse inductum? Certe quod ad instrumenta attinet, passus non est Rottmanus Tychoniana, etsi maiora, Landgrauianis quoad certitudinem anteferri, vt patet ex epist. Tychonis ad eundem Anni 1589. 24. Nouēb. fol. 159. Sed & Kepplerus in Astronom. cap. 11. seipsum testatur interuenisse, cum Tychonis instri in sua opera, quam ad astrorum motus obseruādos & notandos Tychoni locabant, manifeste errarent. Et cum Ptolomæus, Alphonsus, Regiomontanus, Copernicus in rebus Astronomicis, tot & tanta satis probe suis instrumētis notarint, quomodo credibile est, ea tum in cometis, tum etiā in motu Martis plusquam toto cœlo aberrasse? Et quam facile est, aduersus Tychonem retorquere, quod aduersus Regiomontanum præstantissimum Mathematicum, ipse Tycho pronunciauit; eum siue studio nouandi, siue quod suis (aduersus Aristotelem) præiudiciis *nimium confideret, si quam venefturā de parallaxi aliqua, quæ cometam* (non) *subluinarem redderet, per incuriam aliquam adeptus est, eam mordicus pro veriori retinuisse: videri enim in hoc plurimum laborasse, vt quam* (minimam) *eruueret.*

Sed & quarta causa est, quia obseruatio illa Tychonis, per quam, stante terræ immobilitate, euinci ille putauit, Martem cœlum siue circulum solis suo motu proprio intersecare, aduersatur omnibus Mathematicis, qui illum antecesserunt; tam iis, qui Ptolomæum, quam qui Aristarchum siue Copernicum secuti sunt; nullus n vnquam existimauit, ex aliqua obseruatione, ante Tychonem cognita, eiusmodi inusitatum Martis motum ac periodum constituendā esse; neq; vel tanta parallaxeos differentia, vel etiam magnitudinis tāta diuersitas, ab iis vnquam fuit notata; quæ tam immanem Martis descensum sub Solem, & rursus ascensum eiusdem supra Iouem ipsum ac Saturnum, argueret; certe Martis Eccentricitatem aliam visam fuisse Copernico, aliam Tychoni, constat. 87

Quis autem hac in re facile credat vni potius Tychoni, quam toti antiquitati? Aut cum Tycho ipse suis maioribus & antecessoribus, ac in arte Mathematica non imperitioribus, sed forte etiam peritioribus in ea re, aliisue similibus, fidem non habeat; an continuo eam, absque vllo delectu, ab aliis iure vni sibi deposcet? Non loquor de fide in causa religionis; quamuis in hac ipsa quoque male à maiorum suorum vestigiis deuius fuit: sed de fide in ipsis rebus, & obseruationibus Mathematicis; in quibus sæpe pulchrum sibi existimasse videtur Tycho, alios nullam propemodum habere fidem, vt sibi eam (nouo quasi monopolii genere) solus vendicaret. Sed quod apud prudentes quoslibet, & veritatis potius, quam nouitatis amantes, vt opinor, non facile consequetur: qui potius existimabunt, fidem promiscue non mereri, qui tam ægre grauissimis aliorum testificationibus fidem habeat. 88

Quod tamen non ideo dico, vt Tychoni omnem, aut in plerisque etiam obseruatis ab eo phænomenis, fidem derrahiam; sed tum ne cui nefas videatur, in aliquo particulari themate, vbi grauissimum tantæ authoritatis præiudicium optimis rationibus fundatum cogit, ab eo dissentire; tum vt Mathematici etiam recentiores eo diligentius rei veritatem obseruando, inuestigare pergant; & studeant, propriis potius oculis, quam alienis credere: ne quod eorum nonnulli in Philosophis hactenus reprehendere palam consueuerunt, vni homini, & quidem in Mathematica scientia nouo, fidem authoritatemque omnem addixisse videantur. Quod si phænomenon illud, constante & consentiente 89

plurium

plurium obseruatorum & annorum obseruatione satis fuerit confirmatũ, tunc primùm de hypothesibus accuratiùs cogitandum erit.

§. VII. De stipatoribus Iouis & Saturni.

90 Ad quintum, de stellis Iouialibus, Respondetur, verissimum id esse phænomenon, à me & alijs frequentissimè inspectum & consideratum, attamen stellas illas nec penetrare, nec rumpere solidum Iouis cælum, sed in eo proprijs epicyclis ac diuersis singulas (diuersum enim singulæ habent motum) circa Iouem circumferri. Quod seruata proportione etiam de Saturni stipatoribus dicendum erit; si qui fortè motus in ijs proprij deprehendantur: quod à me quidem hactenus obseruatum non fuit; etsi stipatores etiam illos sæpe distinctè ac perspicuè viderim. Nec mirum, nouos assignari epicyclos, vbi nouæ stellæ, nouique stellarum motus, nouis obseruationibus, nouoque obseruationis instrumento deprehenduntur; quibus quòd iam olim contrarias obseruationes plerique Astronomi veteres tradiderunt, verbi gratia Venerem & Mercurium proprio motu sub sole constanter ferri, solem verò non circumire; item planetas alios, Iouis comites, nullos esse, &c. (etsi Fauorinus apud Gellium lib. decimo quarto Noct. Att. capite primo iam olim notauit, fieri posse, vt sint planetæ plures, quàm septem, ac forsitan latere, propter exuperantiam altitudinis, &c.) ipsi potiùs Astronomi culpandi sunt, si qua tamen est culpa, quàm Philosophi, qui ijsdem Astrologorum imperfectis obseruationibus innixi; imperfectam cælorum compositionem & sistema non tam tradiderunt, quàm ab ipsis acceperunt.

91 Neque verò iuxta disciplinæ suæ principia, rem satis confectam præstant Astronomi quidam recentiores, cùm hisce, vel alijs nouis phænomenis in medium prolatis, quantumuis etiam compertis & exploratis, (dubia enim & incerta promiscuè non admittenda, superiùs monui) probatam superiùs, & tanto seculorum lapsu comprobatam de soliditate & incorruptibilitate cælorum sententiam conuellere nituntur; nisi priùs demonstrent, impossibile esse, vt eiusmodi phænomena, non dico suppositis antiquis hypothesibus, ac veteri cælorum systemate, quod ipsorum maiores olim & magistri imperfectis obseruationibus præscripsere, sed posità quacunque etiam hypothesi aliâ, non impossibili, nec absurda, explicentur ac defendantur, absque liquiditate vel corruptione cælorum. Vti enim Iurisconsulto non creditur sine lege, ita nec Mathematico absque demonstratione facilè credendum; præsertim antiqua non solùm Theologorum ac Philosophorum, sed etiam Præceptorum scita conuellere nitenti. Aristotelis sanè hæc doctrina est libro primo Moralium capite tertio cùm ait: [Eruditi est, eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest. Nam & Mathematicum suasionibus vtentem approbare, & ab oratore demonstrationes exigere, simile vitium videtur.]

92 Sed contra hanc rationem defendendi ac concilandi noua phænomena astrorum, cum soliditate cæli, in multiplicatione potissimùm epicyclorum seu eccentricorum cælestium constituta, obijci potest hoc argumentum. Si tot sint in cælo Eccentrici & Epicycli, necesse est, ob varietatem figurarum cælestis corporis, vt ad nos variè refringantur sydera fixa, extra Zenith aspecta; ac proinde fieri non potest, vt eandem semper distantiam inter se, respectu nostri aspectus retineant: quod tamen est contra experientiam: eaque de causa etiam Ioannes Pena de vsu Opticæ pag. 2. totum cælum vsque ad sydera fixa aereæ substantiæ esse contendit.

Respondeo: Ex vsu conspiciliorum, seu lentium vitrearum aut crystallinarum, ad sensum liquere; quando duæ vel plures eiusmodi lentes, vna planoconuexa, altera planoconcaua, eiusdem alioqui materiæ, eiusdemque curuitatis, sibi inuicem inseruntur, non aliam fieri refractionem, quàm quæ in vitro seu lente vndique plana solet existere. Et ratio est; quia in diuersis eiusmodi & quodammodò oppositis lentium figuris, oppositi sunt refractionis modi, vna à perpendiculari, altera ad perpendicularem, quæ se se mutuò exæquant & quasi compensant. Cùm igitur in præsenti etiam Eccentrici & Epicycli cælestes sint eiusdem rationis, & inter se vndique ac cum reliquo corpore cælesti aptissimè consentant, non efficiunt aliam refractionem; quàm quæ alioqui ab ipso cælesti corpore, si continuum esset, efficeretur. De Penâ verò & aereâ cæli substantia dictum quæst. 3. ex Tychone. 93

Cæterum placet his omnibus, quæ hactenus tùm generatim de obseruationum astronomicarum incertitudine, quatenus receptis antea opinionibus repugnant, tum earum inprimis, quæ à Tychone Brahe circa Martem, quasi infra solem descendentem notatæ fuerunt, velut coronidis loco addere ea, quæ Ioannes Keplerus in sua Astronomia noua anno 1609 edita, hac de re perscripsit. Nam I. is part. 2. capite 10. pagina 63. in consideratione ipsarum obseruationum, ex quibus venatus est Tycho Brahe momenta oppositionum Martis cum medio Solis; cum obseruationes Tychonis commemorasset, aliqua ex parte non satis cohærentes, subiungit: [Porro hanc discrepantiam ascensionum rectarum posui ideo, vt ostenderem, etiam in ipsa obseruatione aliquot minutorum incertitudinem inesse; nisi vbique summa diligentia adhibeatur, nullis destituta commoditatibus. Venerant tunc (Tychonis) instrumenta, nec ea maxima, in Bohemiam; nec tum satis erant bene collocata, ac præterea affecta ab itinere. Sed tamen vsuuenit sæpius, etiam in obseruationibus Insulanis] (vbi nimirum Tycho antea sua instrumenta suo placito firmauerat) [vt ascensiones rectæ à duabus stellis deductæ discrepent tribus scrupulis. De quo cum consulerem Christianum, an obseruationum seu visus imbecillitate accidere credere deberem, respondit, non insolens hoc esse.] Ita Keplerus. Satis autem constat, in negotio tam subtili trium scrupulorum differentiam seu errorem, magnum importare momentum.

II. Idem Keplerus ibidem, quasi ad parallaxes Martis Tychonis exequendas viam sternens addit: [Denique hoc quoque hic est monendum, profiteri Tychonem in tabula, se parallaxibus solaribus vsum, in colligendis locis Martis. At iam statim patebit, lubricum & imperceptibile esse negotium parallaxeon Martis; quasi nimirum eæ maiores sint, quam solis, vti Tycho posuerat, ad probandum Martis descensum sub solem.

III. Idem Keplerus citata part. 2. c. 11. ex instituto agens de parallaxibus diurnis stellæ Martis, ex observationibus Tychonis, præmissa eius obseruatione, mox quid generatim in eiusmodi obseruationibus desideretur, & qua ex causa earundem fides non vndequaque firma sit, subiungit his verbis: [Anno igitur 1582. cum Mars opponeretur soli in Cancro, incredibilem inueni diligentiam in obseruando, cum titulo Tychonis manu scripto, Pro inquirendis parallaxibus Martis; sed ex qua, aut plane nullã, aut exiguam elicueris Martis parallaxin (*nedum scilicet tantam, quantaneccessaria foret, ad probandum descensum Martis infra solem.*) Taceo, quod, more solito, stellam Martis compararunt ad stellas Ecliptice vicinas, & plærunq; longe distantes. Cum igitur comparatione matutinæ & vespertinæ obseruationis, soleat inquiri parallaxis stellæ mobilis (Mars enim soli oppositus incedit motu retrogrado) hinc factum, vt fere ab aliis stellis mane, aliis vespere Mars fuerit obseruatus. Cuius enim fixæ mane copia fuit (altioris quippe, quam est Mars) ea si sit Ecliptice vicina, vesperi (Marte iam in plaga occidentali versante) aut occidit, aut ob refractionem inepta est in hoc subtili negotio. Alia igitur substituenda fuit. At si stellæ fixæ aliæ aliis permutentur, semper minor fides est negotio, quam si eadem retineatur.] Atque hæc Keplerus de ipsis obseruationibus Tychonis in genere.

IV. Mox vero etiam calculum ad obseruationem supradictum adscriptum improbans, ita subiungit: [Cum autem Braheus, passim viris doctis affirmauerit, ex huius anni (1582) obseruatis, inuentam esse parallaxin Martis, notabiliter maiorem solari (*quæ nimirum Martem infra solem deprimerent;*) ego vt operationem, seu calculum hunc penitius inspicere possem, totum librum diligentissime perlustraui. Et inueni quidem titulum, qui ratione profiteretur, inquirendi parallaxin Martis ex illius anni obseruationibus. Sed eu rem inopinatã. Locum Martis obseruando inuentum, accommodarunt ad schema Copernicanum, operosissime & diligentissime delineatum. In eo schemate, immanẽ sumpserunt laborem, omnia triangula, quæ causa duplicis epicycli in concentrico nascebantur, soluendi numeris prolixissimis: eandemque hic erat finis calculi, vt pronunciarent, parallaxin Martis, vere seri maiorem solari. Aliud igitur Braheus proposuerat, aliud ministri calculi sunt executi. Ille volebat, vt ex matutinis & vespertinis obseruationibus inter se comparatis, inquirerent parallaxin Martis: hi vero inquisierunt, quantam parallaxin faceret schema Copernicanum. An igitur ex hac sola suorum ministrorum fide Braheus de parallaxibus pronunciauerit, incompertum est mihi.] Ita Keplerus.

V. Qui mox vlterius progressus, obseruationes easdem Tychonis in specie ac sigillatim excutiens, varia in diuersis à se desiderata annotat pag. 65. v.g. notata semel minuta tantum nouem, cum duabus tertijs quando pro ratione temporis debebantur minuta 11. & vna secunda; itẽ excessum, qui ex duabus obseruationibus diuersis elicitur, esse planè *minimum, infidum & contemptum quippiam*, item in specie ex obseruatione Anni 1583. die 3. Ianuarij, si Mars maiorem habuerit parallaxin, (puta quatuor minutorum) quam soli tribui solet, (trium minutorum) velut absurdum consequens deducit p. 66. motum Martis horarium quatuor minutis debuisse videri maiorem illo, qui ex diurno proportionaliter sequitur: *quod cum*, inquit, *obseruationes repudient; non est igitur Martis parallaxis tanta.*

VI. Idem Keplerus ibidem pag. 67. ipsius etiam Tychonis testimonio, excessum illum parallaxis in Marte respectu solis, infirmat, his verbis: *Similes extant obseruationes Anno 1585. 1595. & passim; ex quibus parallaxis inuenitur exigua, sæpe nulla. Nonnunquam & in contrarium rem recidisse manu Brahei annotatum fuit.*

VII. Idem verò Kepplerus citata part. 2. c. 11. pag. 67. mox è suis etiam obseruationibus, sanè ingenuè, documentũ exhibere volens, quam hoc negotium erroris sit obnoxium, ita præfatur: *Exhibebo*, inquit, *tibi spectaculum ridiculum, & docebo exemplo, ad quid Braheo opus fuerit tanta diligentia, instrumentorum subtilitate, ministris, & reliquo apparatu. Duo mihi sunt instrumenta Sextans ferreus, & Quadrans Trimuthalis, orichalcicus, iste duũ semis, ille trium & semis pedum diametro, in singula scrupula vterque distinctus.* Mox verò seriem suarũ obseruationum describens, varia in eis errata ipsemet deprehendit & annotat, culmum v.g. spatium inter Arcturum & Spicam, visum fuisse graduum 32. minutorũ 57. quod tamen debuit esse 33. graduum, vnius minuti, 45. secũdorum. Et infra: *Ergo distantia*, inquit, *mea minores iusto fuere per 4. minuta & 3. tertias.* Et mox infrà, *Ostendebat autem*, inquit, *altitudo spicæ non sat bene habere meum perpendiculum.* Et rursum pag. 68. *Nam certus non sum*, inquit, *an non regula mea, ferrea & ponderosa cum sit, impetu ruens, soluto trochleo, & impingens (quod factum aliquoties) pinnacidia loco mouerit, quæ sustulxatilia, & excerpticia.* Et inferius circa aliam obseruationem: *Puto*, inquit, *non abundare vno denario minutorum; nam flante vento tantumodo carbone ardente, lumen ad diuisiones feceramus, vt illæ nosci possent.* Et mox infrà pag. 69. *Vt tanta esset vno momento varietas in obseruando, frigus & penetrantissimi venti efficiebant. Nudis enim manibus ferrum tractari, claudi trochlea nequibat; tectis non secure fiducabatur regula, quoad minutum notaretur.*

Et infra circa aliam obseruationem, de obseruata altitudine ait: *At paulò post (nescio an laxato pinnaculo) non potuit tolerari tanta, &c. sed videbatur requiri 29 graduum, 10. minutorum*, pro 29. gradibus, 9. minutis, &c. Et pag. 70. denique concludit: *Hæc igitur obseruationum series; ex quibus amens sim, si rem subtilissimam eruere nitar.* Et tamen pag. 71. *Ex his tamen*, inquit, *qualibuscunque obseruationibus certum efficitur parallaxes latitudinis Martis certo non fuisse maiores 4. minutis, quantum instrumenti incertitudo occupat:*

pat: credibilius valde exiguas esse. Cuius rei plura argumenta exhibet cap. 64. vbi etiam ait: *Hisce tribus modis incertitudinem parallaxeos Martis euicimus, &c. Itaque si quis Marti parallaxin latitudinis maximam. 2. vel 2½. minutorum tribuere velit, eum obseruata hæc Braheana non magnopere coarguent.*

Omitto quod inferius idem Keplerus pagina 71. notat, sub finem citati cap. 11. nec solis quidem parallaxin certo constare, quantum spectat ad quantitatem, ex eclipsibus indagandam. *Et quidem*, inquit, *non est sol vicinior 230. semidiametris terræ, non tamen infinitis semidiametris abest: at inter 700. & 2000. semidiametros (quarum summarum illa in Mysterio meo Cosmographico, hæc in obseruationibus eclipsium, pro metis citimis & vltimis offeruntur) nondum videtur certus aliquis numerus demonstratus, vt in Hipparcho meo probabo.* Hæc ex Keplero. Cum igitur totum hoc negotium adeo incertum sit & lubricum; quomodo soliditas cæli tantis argumentis in Scripturis & Patribus fundata, tanta sapientum virorum authoritate firmata, totque annorum centurijs, perpetuo scholarum vsu recepta & probata, continuò nuperæ alicuius & nutantis obseruatiunculæ momento conuellatur?

QVÆSTIO IV.

De operibus tertiæ & quartæ diei; nimirum de congregatione aquarum & germinatione terræ; itemque de luminaribus seu stellis in firmamento positis.

S. Thomas 1. p. q. 69. & 70.

ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. De opere tertiæ diei, nimirum congregatione aquarum, & germinatione terræ. II. De opere quartæ diei: speciatim, ex quâ materiâ quartâ die producta sint sydera; & quomodo Firmamento seu cælis inserta. III. Terrane, an potius cælum ac sydera motu diurno moueantur; & à quo motore; an à Deo immediatè, an ab Angelis. IV. Quot sint cæli præcipuè syderei; & an eiusdem omnes essentiæ. V. An, & quâ ratione cæli in fine mundi sint interituri.

DVBIVM I.

De opere tertiæ diei; nimirum de congregatione aquarum, & germinatione terræ.

S. Thom. 1. p. q. 69. art. 1.

1 COnstat ex Genes. capite primo, versu nono & sequentibus, vtrumque hoc fuisse opus tertiæ diei; nimirum & congregationem aquarum in vnum locum, & germinationem terræ. Cuius rei & ordinis conuenientiam rectè exponit Sanctus Thomas citat. quæstione 69. art. 1. & 2. *Scriptura enim Genes. 1. v. 1. & 2. tria expressè nominat, tanquam præ ceteris sensu perceptibilia, quæ simul in principio fuerunt creata, nimirum cælum, aqua, & terra; quibus scriptura totidem attribuit informitates, nimirum singulis singulas. Ad cælum enim, quod est superius, pertinet informitas tenebrarum,* (quasi originaliter) *quia ex eo est origo luminis;* (eiusdèq; subiecti est forma & priuatio.) *Informitas verò aquæ, quæ est media* (inter cælũ & terrã) *significatur nomine Abyssi; quia hoc nomen significat quandam immensitatem inordinatam aquarũ, vt Augustinus dicit lib. 22. cont. Faustum cap. 11. Informitas verò terræ in hoc posita erat,* quod & *inuisibilis* esset, vtpote aquis vndiq; cooperta; & *inanis ac vacua*, adeoq; destituta omni decore; qui terræ accedit ex plantis eam quodammodò vestientibus. Conuenienti igitur ordine Deus post opus creationis, mox aggressus est opus formationis rerum iam anteà creatarum; ita vt primo die formaretur supremum corpus, nimirũ cælũ indita luce; secundo die formaretur quodammodò aqua, per firmamentum accipiens quandam distinctionem, & ordinem; tertio denique die formaretur terra, tum congregatione aquarum in vnum locum, quæ priori eius informitati opponitur; tum germinatione ipsius terræ; quæ alteri eiusdem informitati aduersatur. His positis de vtroque hoc opere quædam, quæ declaratione opus habent, breuiter sunt explicanda.

Primò enim quæritur; quonam modo facta sit illa congregatio aquarum Genes. 1. versu 9. supponendo, quod congregatio illa aquarum, & apparitio aridæ non sit ipsa productio aquarum & terræ, vti iuxta suam illam sententiam putauit Augustinus lib. 1. in Genes. c. 15. & lib. 4. cap. 22. & 34. & refert nec improbat S. Thomas cit. q. 69. art. 1. quod tamen ex quæst 1. dub. 4. refutatum est. Ad sensum igitur explicatum de quæstione proposita differens Sanct. Augustinus libro 1. super Genes. cap. 12. tres modos commemorat. Primum, si aqua quibusdam locis velut in montes erecta & accumulata, terrâque altior facta, alia terræ loca, nuda reliquerit:

2

sicut fit, inquit Augustinus, *cùm ad ventilandũ in area, messis trita surrigitur, & congesta in aggerem, nudat locum, quem diffusa contexerat.* Secundum. *Si rarior*, inquit, *aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione spissata est, vt eas partes terræ nudaret, in quibus arida apparuit.* Tertium. *Si terra longè latèque subsidens, aliquas partes præbuit concauas, quibus confluentes & corruentes aquæ reciperentur, & appareret arida* ex his partibus, vnde humor abscederet.

3 Quos modos refert etiam Sanctus Thomas citata quæstione 69. articulo primo, & primum ceteris præfert; supponens reipsa nunc mare altius esse terra, quod etiam senserunt Basilius 4. Hexaem. Ambrosius libro 3. Hexaem. capite secundo & tertio, & sequuntur Burgensis & Catharinus in cap. prim. Genes. & Canus apud Molinam infrà. Sed huic sententiæ meritò refragantur Sanctus Augustinus loco citato, Caietanus hic in caput prim. Genes. Pererius ibidem, Clauius in caput 1. sphæræ, Molina hic de opere sex dierum disputatione vndecima, & Gregorius de Valentia disputatione 5. quæstio. 3. punct. 3. Tum quia Scriptura loquitur de mari tanquam reinferiori ipsâ terrâ, Psal. 23. *Ipse super maria fundauit eam*; nimirum aquas ei magna ex parte subijciendo. Et Psal. 106. *Qui descendunt mare in nauibus.* Tum quia & ipsa grauitas aquæ natura sua semper ad inferiora labentis; & ratio optica, quâ terra ad designatum interuallum ex æquo in omni loco maris conspicua est; adeoque vnum cum aquâ globum efficere deprehenditur; & ars nautica, quâ ceteris paribus in omnes partes nauium cursus ex æquo, ac pari facilitate, nec minùs facilè à portu, quàm in portum flectitur, aduersantur.

4 Neque valdè probabilis est secundus explicandi modus; sic enim aquæ elementum initiò non secundùm naturalem suum statum & conditionem fuisset creata. Amplectendus ergo tertius; quem optimè tuentur Pererius, Molina, & Gregorius de Valentia: qui tamen modus sic intelligendus est, vt non omnis omninò aqua in maria coiuerit, sed solùm maiori ex parte; nonnulla interim etiam per flumina distributa; vt cum Basilio homil. 4. notauit Valentia loco citato. Quanquam vnus etiam locus, in quem omnes aquæ coiuerint, intelligi potest, tum vnitate quasi generica, differente à communi ratione omnis loci sicci & habitabilis, iuxta Sanctum Thomam cit. artic. 1. ad 3. tum etiam individua, per quandam continuitatem; qua probabiliter creduntur omnes inter se aquæ terræ, tam marium, quàm fluuiorum continuari, iuxta Sanctum Thomam citat. art. 1. ad 3. itemque Basilium homil. 4. Hexaem. Ambrosium libro primo Hexaem. capite secundo, & Hieronymum in caput. tert. Habacuc; fauente etiam Scriptura Eccles. 1. vers. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

His addo, vti tertio die ad recipiendas aquas & maria, terra vndique voraginibus, & quasi cauitatibus quibusdam exhausta est; ita etiam credibile esse, eodem die pariter valles & montes in terra primùm constitisse; quibus ipsa etiam terra propter aquas suis locis emota, magisque condensata & in petras durata, materiam subministrare potuit. Sicut etiam tacitè indicat Sanctus Thomas citat. quæstione 69 artic. 2. ad 3. mineralia eodem die in terræ visceribus fuisse procreata; licet ea Moyses ideò præterierit, quod occulta sint & in sensus non incurrant. Ego enim existimo, elementa omnia ab initio, vti consentaneum erat, in statu maximè puro & naturali fuisse producta.

Secundò quæritur, quid sibi velit illud, quod 6
Moyses Genes. 1. postquam iam anteà vers. primo dixerat, terram in principio fuisse à Deo creatam; posteà tamen rursum dicat, *Et vocauit aridam terram*; cùm tamen aliquid hoc vel illo nomine à Deo vocari, non sit aliud, quàm Deum dedisse naturam vel proprietatem, vt possit sic vocari, vt rectè docet S. Thomas quæst. 69. art. 1. ad 5.

Respondetur omissa sententia Augustini libro 7
primo super Genes. cap. 13. & libro secundo capite secundo, qui suæ sententiæ superiùs quæstione prima dubio quarto refutatę inhærens, per terram priori loco nudam materiam primam, posteriori autem loco ipsum elementum terræ putauit significari, id ob eam solùm causam fuisse dictum; vt indicaretur vtroque titulo, & ratione suæ substantiæ, & ratione proprietatis nimirum ariditàtis, terræ nomen, (siue Hebraicè אדמה) ei posse conuenire, vt cum Basilio homil. 4. Hexaem. Sanctus Thomas ibidem: ita vt prius nomen iam anteà terræ designatum, & à Moyse tributum, posteà accedente actuali ariditate ei quasi confirmaretur.

Tertiò quæritur, vtrùm actu tunc productæ 8
fuerint herbæ & arbores; an solùm virtute; eò quod terra tunc acceperit virtutem eas posteà producendi. Respondetur ex communi Patrum & Doctorum sententia, & iuxta apertum Scripturæ textum citat. capite 1. Gen. vers. vndecimo & duodecimo, actu fuisse productas; quicquid in contrarium dixerit Augustinus libro 5. super Genes. c. 4. & 5. ob eam ipsam causam superiùs quæstione prima dubio quarto refutatus: cuius sententiam quoad hoc ægrè quidem, sed tamen ad extremum vel inuitus deserit Sanctus Thomas hic quæst. 69. artic. 2. vt notauit Caietanus ibidem. Illud verò capite 2. Genes. vers. 5. *Fecit Deus omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret*; perinde est, ac si dixisset Moyses, priusquam deinceps successu temporis, per virtutem seminalem, alia ex alijs propagarentur, vt ex communi rectè notauit S. Thomas ibidem.

Quartò quæritur, an etiam tunc productæ fue- 9
rint plantæ noxiæ hominibus, vt spinæ, tribuli, herbæ venenatæ. Negant Basilius homil. 5. Hexaem. & olim Augustinus libro 5. de Genes. cont. Manich. capite 13. Sed verius idem affirmat idem Augustinus libro 3. super Genes. cap. 18. & Sanct. Thomas cit. quæst. 69. a. 2. ad 2. ex com. & apertè colligitur ex ipsis Scripturæ verbis Genes. 1. vers. 11. & 12. cap. 2. vers. 5. *Et omne virgultum agri*, &c. Ratio est. Quia & hoc natura rerum postulat; & ea ipsa varièprosunt, tum hominibus, tum animantibus ceteris, tum ad medicamenta, tum ad cibum; tum ad eruditionem, partim etiam ad ipsarum rerum, in quibus existunt, tutelam, verbi gratia spinæ, ipsarum rosarum custodiam. Nec obstat illud

Genes.

Genes. cap. 3. vers. 18. *Spinas & tribulos germinabit tibi*, signanter enim dictum est *tibi*, hoc est, tuo incommodo, in vindictam peccati, vt rectè S. Thomas cit. quæst. 69. art. 2. ad 2.

10 Quintò quæritur, quonam modo terra tunc produxerit herbam virentem, & plantas, & arbores, an actiuè quoque, an solùm passiuè. Respondeo cum Abulensi, & Pererio in hunc locum, Gregorio de Valentia disp. 5. quæstione 3. punct. 3. consentiente etiam Sancto Thoma quæstione 71. art. vn. ad 1. immediatè solùm passiuè produxisse; etsi contrarium asserat Caietanus in c. 1. Gen. hoc loco. Ratio est. Tum quia absque ingenti miraculo fieri non potuisset, vt ita derepentè terra actiuè tam varias & perfectas arbores produceret. Tum quia etiam nunc terra dicitur producere & germinare arbores, & plantas; cùm tamen ad eas ipsa (maiori ex parte & immediato concursu) passiuè solùm concurrat; non actiuè; quod virtuti seminatiuæ conuenit, siue ea in radice, siue in stipite, siue in fructu, aut etiam cortice insit, vt rectè notauit Sanctus Thomas hic quæstione 69. articulo secundo. Atque hæc de opere tertiæ diei satis.

DVBIVM II.

De opere quartæ diei; speciatim an & ex qua materia quarta die producta sint sidera; & quomodo Firmamento seu cælo fuerint inserta.

S. Thomas 1. p. q. 70. aa. 3.

1 TOtum opus sex dierum, iuxta Sanctum Thomam hic quæst. 70. initio & a. 1. q. 74. a. 1. & communem Doctorum ita distinguitur, vt supposito opere creationis, seu primæ ac substantialis productionis ipsius mundi, sequentibus deinceps diebus subiungeretur primum quidem opus distinctionis; quod tribus diebus absoluitur, & continetur productione lucis, firmamenti, & collectione aquarum in vnum locum: deinde verò ac postremò sequeretur opus ornatus eiusdem mundi, quod quarto & sequentibus diebus absoluitur. Nam vt ait S. Thomas quæstione 74. art. 1. *Oportuit primò distingui partes mundi, & postmodum singulas partes ornari per hoc, quòd quasi suis habitatoribus replentur. In creatura autem corporali tres partes designantur. Prima, quæ significatur nomine cæli; media, quæ significatur nomine aquæ; infima quæ significatur nomine terræ. Prima ergo pars distinguitur* (per lucem) *prima die; & ornatur quarta: media distinguitur secunda die*, (productione firmamenti in medio aquarum) *& ornatur quinta. Infima distinguitur tertia die* (separatione aquarum) *& ornatur sexta.* Ita Sanctus Thomas loco citato. Atque hæc ipsa est ratio ordinis, tam huius, quàm sequentium dierum opificij.

2 Quod verò ad quartæ diei opus attinet, quod est productio stellarum in firmamento ex Genes. 1. vers. 14. vsque ad 19. suppositis ijs, quæ de ratione firmamenti, ac soliditate cælorum diximus, quæstione tertia, quæritur primo; an & ex qua materia sydera fuerint producta. De qua re variæ sunt Doctorum & Expositorum sententiæ. Prima esse potest, fuisse non ex aliqua materia producta, sed creata ex nihilo. Sed est contra Sanctum Thomam hic quæst. 70. art. 1. & communem Patrum & Doctorum, qui opus creationis substantiarum totalium primo die, vel ante primum diem docent esse absolutum, vt dictum quæst. 1. dubio 2. & consentiunt recentiores. Fuerunt ergo sydera ex materiâ præsuppositâ producta; quod etiam ipsa Scriptura indicat, dum ait, *Fiant luminaria, &c. Fecitque Deus duo luminaria*; non creauit. Alij in quibus Molina disp. 15. dicunt fuisse producta ex materiâ elementari. Sed iuxta ea, quæ docuimus quæstione 2. dub. 2. dicendum est, fuisse producta ex materia cælesti, vt Sanctus Thomas hic quæst. 70. a. 1. & omnes ferè Interpretes ac Expositores consentiunt; idque magis patebit ex resolutione sequentis quæstiunculæ.

3 Secundò quæritur, vtrum luminaria eo die fuerint etiam quoad substantiam, seu formam substantialem, an solùm quoad formam accidentalem producta. Respondeo cum S. Thoma ibidem a. 1. ad 1. Pererio in hunc locum Genes. Gregorio de Valentia hic quæstione 3. punct. 4. & communiori, solùm fuisse producta secundùm formam accidentalem. Ratio est. Quia cùm astra sint substantiæ naturâ suâ incorruptibiles, adeoque non elementari, sed cælesti materia constantes, fieri secundùm naturas rerum conuenienter non potuit, vt eorum materia, ab initio vtique creata, sub aliâ forma substantiali esset, aut propriâ formâ substantiali sibi debitâ careret. Contrarium tamen sentiunt Molina hic disput. 15. & alij, qui cælos ipsos sydereos, ac sydera ex elementari materiâ fuisse producta consentiunt, quod superiùs quæst. 2. dub. 2. refutauimus. Nec obstat, quòd, vt Molina & nonnulli Philosophorum opinantur, astra inter se, & ab orbibus suis specie differunt. Tum quia hoc ipsum non minùs probabiliter Pererius, & alij negant. Tum quia etiamsi ita esset, ea tamen ipsa distinctio substantialis iam in primâ cælorum productione eis poterat competere, etiamsi tunc astrorum ac sydorum appellationem necdum mererentur, vt dicemus.

4 Tertiò quæritur, qualis sit ea forma accidentalis, secundùm quam sydera quarto die fuerunt producta. Respondeo, eam inprimis esse lucem ipsam, quæ tunc primùm sydereis illis substantijs constanter & quasi immobiliter fuit indita; præsertim soli: (à quo aliæ fortè stellæ, & astra lumen suum mutuantur) & à quâ luce sydera & astra ipsa suam appellationem potissimùm desumunt. Quod ipsum etiam indicat Scriptura; cùm rationem seu terminum formalem eius productionis exprimens ait versu decimo quarto. *Fiant luminaria, &c. vt luceant in firmamento cæli, &c.* hebraicè *Meoroth*, græcè apud LXX. φωστῆρες.

5 Deinde alterum accidens est, motus differmiter vniformis, ex quo varietas quatuor anni temporum, veris, æstatis, autumni, & hyemis, dierumq; artificialiū varia longitudo oriretur, ac demùm toti?

anni

anni seu lunaris, seu solaris (diuerso respectu) periodus sumeretur. Quod significat scriptura ibidem. *Et sint in signa & tempora, & dies, & annos.* Atque in his duabus formis omnes conueniunt. Addit S. Thomas cit. q. 70. a. 1. ad 2. variam ac diuersam efficientiam respectu inferiorum: quæ tamen aliunde probabiliter non fuit nata, quam ex diuersa luminis participatione.

6 Plus dicunt alii nonnulli, qui volunt, ipsam etiam condensationem variam materiæ cœlestis, qua diuersa lucis capacitas ac radiatio nititur, tunc primũ astris, seu potius materię cœlesti ad conficienda astra fuisse inditam. Ita Vielmius apud Pererium; & valde quidem hoc ad perspicuitatem, & maiorem significantiam verborum scripturæ, *Fiant luminaria* &c. conferret, si absq; absurdo affirmari posset. Sed quia materia cœlestis iam secundo die, quoad opus erat, fuit condensata ac solidata; ipsaque firmamenti soliditas obstabat, quo minus ad loca stellarum, ex materia cœlorum adhuc liquida, supra firmamentum constitutâ; maior adhuc materiæ condensandæ copia accersiri posset; neque rerum natura ferret, vt vel per corporum penetrationem eo diuinitus adduceretur; aut etiam firmamentum ipsum quasi apertis fenestris perforaretur, verius est, soliditatem debitam in astrorum materia iam antea præextitisse, vt recte ibidem Pererius; & supponunt cum S. Thoma alii.

7 Inde vero sequitur, nec ex ceterorum astrorũ, nec ex solis (de quo potissimũ esse potest difficultas) forma substantiali lucem per modũ proprietatis emanare, sed solum velut accidens commune eis competere, vt supponit Gregorius de Valẽtia q. 3. pun. 1. vbi dicit, *lucem commune quoddam accidens esse plurium corporum diuersorum, non autem vllius corporis propriam passionem inseparabilem.* Idem supponit Pererius hic, etsi contrarium de sole asserat Molina citat. disp. 15. Ratio præter ea, quæ diximus, est. Quia cum corpora cœlestia quoad substantiam iam primo die creata sint, ex communi sententia Patrum & Doctorum, vt dictum q. 1. dub. 2. certe si lux propria esset solis aut cœlestis corporis passio, iam illo ipso primo instanti primæ diei in sole siue cœlis illuxisset; quod tamen manifeste est contra scripturam, quæ testatur, post creationem cœli & terræ, nihilominus *tenebræ fuisse super faciem abyssi*, vt dictum cit. q. 1. dub. 1. Differt nihilominus lux illa solis, & si quæ propria est aliorum syderum, à lumine; quia illa ex sua natura permanens est qualitas, & fons luminis: quod & ab illo velut fonte emanat; & tam in esse, quam in conseruari, ab illius iugi influxu necessario dependet.

8 Quarto quęritur, quomodo stellæ & sydera quarto, vt diximus, die posita sint in firmamento. Respõdeo cum S. Thoma cit. q. 70. a. 1. ad 3. quia fuerunt (secundum rationem talis corporis) in ipso corpore cœlesti seu firmamento producta, eidemque quasi inserta, ita vt ab ipso & vna cum ipso firmamento circumagerentur: quicquid nonnulli dixerint, stellas non esse fixas in sphæris, sed habere motum *secundum à motu sphærarum*, de qua re actum quæstione tertia, dubio secundo, & dub. 3. §. 2. vbi simul etiam ex Bonauentura retulimus, quænam, etiam stante soliditate cœlorum, inter Physicos olim (ipsumque Aristotelem) & inter Ptolomæum, alioſque Mathematicos, fuerit hac de re dissensio; in quâ etsi non solùm Bonauentura ibidem, sed etiam Sanctus Thomas hic, Physicis potiùs adhærendum statuant; nunc tamen communiter Mathematicorum sententia propriis epicyclos & eccentricos planetis tribuens præfertur.

Quintò quæritur, quare sol & luna dicantur *luminaria magna*; cùm tamen pleræque stellæ, sint luna maiores. Respondetur cum Sancto Thoma art. primo ad 5. quia secundùm aspectum multò videntur ceteris omnibus maiora; cui rationi Chrysostomus homil. 6. in Genes. addit maiorem præ ceteris efficaciam. 9

Sexto quæritur, ob quam causam facta sint luminaria. Respondeo hoc optimè explicari à Sancto Thoma citata quæstione 70. articulo 2. his verbis: [Moyses, vt populum ab idololatria reuocaret, illam solam causam (luminarium) tetigit, secundùm quod sunt facta ad vtilitatem hominum. Vnde dicitur Deuter. 4. Ne forte eleuatis oculis ad cælum, videas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus in ministerium cunctis gentibus. Hoc autem ministerium explicat in principio Genes. per tria. Primò enim prouenit vtilitas hominibus ex luminaribus, quantum ad visum, qui est directiuus in operibus, & maximè vtilis ad cognoscendas res; & quantum ad hoc dicit, vt luceant in firmamento, & illuminent terram. Secundò quantum ad vicissitudines temporum, quibus & fastidium tollitur, & valetudo conseruatur, & necessaria victui oriuntur. Quæ non essent, si semper esset aut æstas, aut hyems; & quantum ad hoc dicit, vt sint in tempora, & dies, & annos. Tertiò quantum ad opportunitatem negotiorum & operum; in quantum ex luminaribus cęli accipitur significatio pluuiosi temporis vel sereni; quæ sunt apta diuersis negotijs. Et quantũ ad hoc dicit, vt sint in signa, &c.] vt benè etiam explicat Theodoretus quæstione decima quinta in Genes. Quo tamen ipso loco Origenes olim abusus est ad asserendam prænotionem contingentium euentuum futurorum, ex astrorum inspectione, contra illud Hieremiæ decimo versu secundo. *A signis cæli nolite timere, quæ gentes timent*; vt videre est apud Eusebium Cæsariensem lib 6. de præpar. Euang. c. 9. De qua re alibi. Atque hæc ad communem quasi rationem operis quarti diei cognoscendam pertinent. Restant nunc tres dubitationes, quæ ad rationem eiusdem operis magis particulatim explicandam spectant, ordine & sigillatim deinceps explicandæ: quibus adiungi quidem poterat quarta, an stellæ sint animatæ, de qua agit S. Thomas hic quæst. 70. articulo tertio, sed de hac re iam actum est quæstione 2. dubio quinto. 10

Digitized by Google

DVBIVM III.

Terrane, an potius cœlum, ac sydera motu diurno moueantur; & à quo motore; an à Deo immediate, an ab Angelis.

S. Thom. 1. p. q. 70. a. 3. & q. 110. a. 1. & 3.

1 FErtur olim Pythagoræ ac Pythagoricorũ, atq; etiam Aristarchi, veteris Mathematici, fuisse opinatio, cœlos non moueri, nec sydera, saltem motu illo diurno, quem peragere videntur ab Oriente in Occidentem; sed terram. Quod nostra quoque ætate Copernicus, & post eum nonnulli alij Mathematici recentiores tuentur. Sed & de causa efficiente huius motus est nonnulla hodie disceptatio. Cum enim cõmunis hactenus tam Philosophorum, quam Theologorum fuerit sententia, cœlum nec à sua forma, nec à Deo solo ac immediate, sed ab Intelligentijs seu Angelis moueri, est tamen hodie, (Leonardus Lessius lib. 11. cap. 8. de perfect. diuin.) qui multis rationibus suadere nititur, cœlos à solo Deo immediate moueri. Vt taceam Albertum de Saxonia, & Valesium, aliosque, & ex antiquis Philosophis nonnullos, qui cœlos à sua forma intrinseca aut solũ, aut certe adiuuante simul Intelligentia, moueri dixerunt, apud Bonauenturam in 2. dist. 14. a. 3. quæstion. 2. & Conimbricenses lib. 2. de cœlo capit. 15. quæstion. 5. artic. 2. Nos sequentibus assertionibus sententiam nostram ita breuiter exponimus.

Assertio I. Non terra; sed cæli, siue sydera 2 motu illo diurno ab Oriente in Occidentem mouentur. Ita habet cõmunis ac certa omniũ Theologorum ac Philosophorum naturalium sententia & doctrina; quam perspicue tradit scriptura sacra Eccles. 1. v. 4. & sequentibus, vbi dicitur: *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur; ibiq; renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem; lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus* (sol, cunctis quasi rebus vitam inspirans, easque animans) *& in circulos suos reuertitur.* Vbi perspicua hypotyposi expressum patiter habemus, & terram stare, & solem moueri. Et Psalm. 18. versu 6. & sequentibus ad literam de sole dicitur: *Ipse procedens tanquam sponsus de thalamo suo, exultauit vt gigas, ad currendam viam. A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.*

Idem significat scriptura pluribus locis, quan- 3 do ait, solem, lunam, aliasque stellas oriri & occidere. Item quando velut ingens miraculum commemorat, quod orante ad Deum Iosue, sol steterit. Iosue 10. versu 12. *Sol contra Gabaon ne mouearis; & luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol & luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis &c. Stetit itaque sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Idem colligitur ex historia Ezechiæ 4. Regum 20. quando in eius gratiam Deus *reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* Et quod respondere forsan aliquis posset, regressum illũ vmbræ in horologio Achaz, solius etiam terræ motu effici potuisse, id ex eo facile refellitur. Nam præterquam quod effugere sensum vix potuisset tam repentinus in aduersam partem terræ motus; insuper etiam Eccli. 48. versu 26. vbi rursum de hac ipsa re sermo est, expresse dicitur: *In diebus ipsius* (Ezechiæ) *retro redijt sol, & addidit Regi vitam.* Vbi aperte audis, non vmbram tantum, sed solem retro redijsse.

Idem colligitur ex historia eclipsati solis tem- 4 pore passionis Christi, prout à S. Dionysio describitur epist. 7. ad Polycarpum vbi ait: *Eramus vna ambo* (Dionysius & Apollophanes) *& stabamus ad Heliopolim; lunam inopinato se soli obycientem cernebamus; neque enim coniunctionis tempus erat: rursusque cum eadem, ab hora nona ad vesperum, se media solis linea præter naturæ ordinem opponebat. &c. Scit etiam* (Apollophanes) *obiectũ ipsum* (ἐμπλοσιν αὐτην seu incidentiam lunæ in solem) *à nobis visum esse oriri ab ortu solis, & ad solis extremum peruenire, postea repedare; rursusque non ab eadem parte solis, & obiectum & recessum euenire; sed recessum ab ea, quæ, vt ita dicam, naturali ex diametro erat contraria &c.* Vbi quamuis de motu quodam prodigioso lunæ sit mentio, facile tamen inde colligimus, astris non repugnare motum illum diurnum, quantumuis velocem.

Sed & stellas ac sydera, speciatim solem ac 5 lunam moueri motu diurno, communis est, & consentiens doctrina non solum Scholasticorum Theologorum, ac Philosophorum, sed etiam SS. Patrum omnium, speciatim Philastrij & Diodori Tarsensis, qui oppositam sententiam hæresis aut erroris nota damnare videntur, vt dictum q. 6.

Sicut etiam nuperrime eadem sententia, quod 6 terra moueatur, cœlum & sydera non item, à Congregatione Cardinalium ad indicem librorum prohibitorum deputata, sub moderno Pontifice Paulo V. damnata est his verbis: [Et quia etiam ad notitiam præfatæ sanctæ Congregationis peruenit, falsam illam doctrinam Pythagoricam, diuinæque scripturæ omnino aduersantem, de mobilitate terræ, & immobilitate solis, quam Nicolaus Copernicus de reuolutionibus orbium cœlestium, & Didacus Astunica in Iob etiam docent, iam diuulgari, & à multis recipi, sicuti videre est, ex quadam epistola impressa cuiusdã P. Carmelitæ, cuius titulus Lettera del Re. Patre Maestro Paolo Antonio Foscarini Carmelitani, sopra l'opinione de' Pythagorici e del Copernico, della mobilita della terra, e stabilita del sole, & nouuo Pythagorico sistema del mondo, In Neapoli, per Lazaro Scoriggio 1615. In qua dictus pater ostendere conatur, præfatam doctrinam de immobilitate solis in centro mundi, & mobilitate terræ, consonam esse veritati, & non aduersari sacræ Scripturæ. Ideo ne vltẽrius huiusmodi

opinio in perniciem Catholicæ veritatis serpat, censuit dictos Nicolaum Copernicum de reuolutionibus orbium, & Didacum Astunica in Iob, suspendendos esse, donec corrigantur. Librum vero P. Pauli Foscarini Carmelitæ omnino prohibendum, atque omnes alios libros pariter idem docentes prohibendos; prout præsenti decreto omnes respectiue prohibet, damnat, atque suspendit. In quorum fidem præsens decretum manu & sigillo Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Sanctæ Cæciliæ Episcopi Albanensis, signatum & munitum fuit, die 5. Martij 1616. Romæ ex Typographia Cameræ Apostolicæ Anno 1616.] Hactenus decretum: quo sane fit, vt opposita doctrina tuto defendi amplius non possit.

7 Ex quo simul etiam patet, quod superius q. 7. §. 1. notauimus, quantum inter obseruationes & hypotheses Mathematicorum intersit. Obseruationes enim Copernici hactenus nemo damnauit; quin etiamnum in pretio sunt: at vero hypotheses eiusdem quasi pro libito tantum, ac sine vllo firmo fundamento constitutas (cum obseruationes eædem aliter possint explicari & defendi) damnatas videmus. Omitto rationes philosophicas, quibus eadem Pythagorica doctrina efficaciter refelli potest.

8 Assertio II. Cœli nec à seipsis, seu forma sua intrinseca; nec immediate à DEO, sed ab Intelligentijs seu Angelis assistentibus mouentur. Ita docent Plato 1. de leg. & Aristoteles 8. Physic. capit. 6. tex. 52. & 12. Metaphys. tex. 43. quos sequuntur Sanctus Thomas hic quæstion. 70. articulo tertio, & 110. articulo tertio, Albertus Magnus in 2. d. 14. articulo 6. & 12. Metaphysic. tract. 2. capit. 10. Bonauentura in 2. dist. 14. articulo tertio quæstione secunda, Ægidius quæstione quinta, Scotus quæstion. 1. Durandus quæstion. 2. Capreolus d. 9. quæstio. 1. artic. 3. Ferrariensis 5. cont. gent. capit. 46. Sotus 2. Physic. quæstio. 11. Toletus, & Conimbricenses 2. lib. de cœlo capit. 5. Suarez tom. 1. Metaphysic. disputat. 18. sect. 3. numero 36. Ruuius lib. 1. de cœlo cap. 2. quæstion. 8. & Pererius lib. 7. Physic. cap. 8. & lib. 2. in Genesin quæstion. 6. vbi dicit, eam sententiam quasi per manus traditam fuisse inter antiquos philosophos, & postea à Theologis receptam, quod in re vtrinque ineuidenti magnum est veritatis argumentum. Accedit, quod S. Thomas opusc. 10. articulo 3. & opusc. 11. articulo 2. docet, esse omnino certam sententiam, & physicis rationibus demonstratam; & de potentia quæst. 6. articulo 3. inquit, *fidei sententiam esse, quod substantiæ separatæ, siue Angeli moueant corpora cælestia*: vti & Bonauentura loc. cit. vocat eam sententiam *fidei consentaneam*. Sed qui auctores loquuntur contra eos, qui à sola forma intrinseca cœlos moueri docuerunt.

9 Probatur hæc assertio primo ex scriptura, quæ etsi non aperte hanc doctrinam asserat, multum tamen illi fauet. Vt cum Iob 9. v. 13. dicitur. *Sub quo curuantur, qui portant orbem* Et capite 26. vers. 11. *Columnæ cœli contremiscunt & pauent ad nutum eius.* Quibus verbis, si ad Angelos, vt sane commode possunt, referantur, satis aperte ministerium aliquod, seu præsidentia Angelis erga mundum & cœlos transcribitur. Eadem ratione commode intelligi potest illud Luc. 21. v. 26. *Virtutes cœlorum mouebuntur*; hoc est, suo loco seu officio mouebuntur, non amplius consueta lege cœlos & sydera moturi.

Secundo probatur ex Patribus, quorum hæc 10
quasi fixa regula & Theologicum axioma est, Deum non sine medijs causis interuenientibus regere & gubernare mundum; sed inferiora per superiora, & infima per media regere, & in suos fines dirigere, vt videre est apud Dionysium cap. 5. cœl. hierarch. & lib. de diuin. nom. cap. 8. Augustinum 3. de Trinit. cap. 8. & Gregorium lib. 4. dialog. c. 4. Vide supra q. 6. dub. 8. de Angel.

Tertio probatur ratione. Nam quod cœli à sua 11
forma intrinseca non moueantur, satis probatur ex eo; Tum quia alioquin post diem iudicij quies esset illis violenta. Tum quia á forma intrinseca ac mere naturali nullum corpus mouetur, nisi ad aliquem locum seu terminum, quo perficiatur; & quo acquisito quiescat. Quod etiam à solo Deo immediate non moueantur suadet tum ex Patribus adducta ratio. Tum quod á Maiestate Dei alienum videatur, corporibus loco mouendis immediate ac sine omni medio intentum esse: sicut esset à Maiestate Regis alienum, per se immediate horologium dirigere, etiamsi ad huius normam vniuersa Regni negotia administranda forent. Denique nulla potest adferri ratio, quæ vel impossibile, vel absurdum esse cõuincat, vt Angeli cœlos moueant; vti mox ex solutione argumentorum patebit. Ergo veteri & receptæ Peripateticorum doctrinæ insistendum.

Obijcitur primo. Par est, vniuersalem mun- 12
di gubernanationem proxime à causa vniuersali ad omnia pertinente, non à particularibus & restrictis pendere. Quod confirmari potest etiam ex illo Iob 34. vers. 13. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?*

Respondeo, si loquamur de gubernatione vniuersali absolute, quæ videlicet ad vniuersum orbem, omnemque naturam creatam pertineat; de qua allegatus Iobi locus loquitur, conceditur assumptum; si autem de vniuersali solum in certo genere, nimirum respectu naturæ solum corporeæ, ad quam motus cœlorum spectat, negatur assumptum; id enim est contra Doctores & Patres citatos; qui etiam idcirco docent, Deum immediate prouidere rebus omnibus; sed non per se immediate gubernare omnia, vt videre est apud S. Thomam q. 22. a. 3. & q. 103. a. 6.

Secundo obijcitur. Incredibile videtur, tam 13
immensæ vastitatis corpora ab Angelis, valde limitatas in orbe vires habentibus, per tot secula torqueri posse; præsertim tam incomprehensibili velocitate, & tam stupenda æquabilitate. Velocitatem motus ostendit, quod sol iuxta astronomos, singulis horis plusquam vndecies centena millia milliarium peragit. Vna vero stella sphæræ octauæ circa æquinoctialem

eorun-

corundem astronomorum iudicio, vna hora percurrit supra 42. milliones milliarium; quantum videlicet eques quotidie 40. milliaria percurrens, annis bis mille nongentis vix conficeret. Quanta igitur suprema sphæræ mobilis erit pernicitas? Nam hæc incomparabiliter est altior; cum astronomi demonstrent, duos cœlos inter illam & octauam intercedere. Et confirmatur primo. Quia Angelus vnus, vel etiam plures (si tamen pauci sint) non possunt elementa loco mouere, & primarias orbis partes confundere: Ergo nec cœlos, qui incomparabiliter sunt maiores, tanta celeritate impellere. Secundo, quamuis motus cœlorum tot millionibus milliariorum absit ab hoc orbe elementari, tanta tamen est illius vis, vt immensam sphæram æthéris secum rapiat, & vt multi sentiunt, etiam mare vniuersum. Cum igitur Angelus aliquis per se non possit elementa loco mouere, non poterit etiam cœlum à quo elementa trahuntur, mouere.

14 Respondeo primum, quod ad vastitatem corporum cœlestium attinet, eam minimè obstare, quo minus ea corpora ab Angelis facile moueri possint. Cum enim iuxta Aristotelem, & communem Peripateticorum sententiam, non sint corpora grauia, nec leuia, nullam penitus habent ad circularem motum repugnantiam; etsi millecuplo essent maiora, facillimè ergo possunt à quolibet Angelo moueri. Quod verò secundo ad velocitatem spectat; cum Angeli seipsos à cœlis ad terras spatio breuissimo, & quodammodo imperceptibili mouere possint, iuxta dicta de motu Angelorum disp. 5. quæst. 2. facile etiam possunt illi simili celeritate corpus, nulla ex parte sibi resistens, & cui, quod incorruptibile sit, nulla designata motus celeritas, quantacumque maxima, vlla ex parte aduersatur, mouere. Tertio quod ad æquabilitatem motus attinet; cum plus ad eam perpetuo retinendam non requiratur quam & vis ad mouendum sufficiens ac indefessa; & voluntas prompta, & scientia seu cognitio certa viæ ac designatæ velocitatis mensuræ, seu quam & quacum cœli mouendi sunt; non potest ea facultas, & voluntas æquabiliter mouendi cœlum Angelis denegari; in quibus, cum substantiæ spirituales sint, fatigatio locum nullum habet; & cum beati sint, non possunt non velle, quod sibi à Deo imperatum norunt; & cum scientissimi sint rerum omnium & effectuum naturalium, optimè norunt viam, & celeritatis mensuram, quam in cœlorum motu, iuxta constitutam sibi à Deo legem, repræsentare ac retinere debent, vt suo loco de Angelis dictum est pluribus.

15 Ad primam confirmationem negatur consequentia. Tum quia difficultas aut impotentia ad mouendum aliquod corpus, non oritur præcisè ex eius magnitudine, sed ex resistentia eius; qualis in elementis est, in cœlo nulla est. Tum quia simul lex & ordinatio diuina obstat, quo minus elementa integra suis locis dimoueantur; cœlorum autem motum Deus non prohibet, sed imperat.

16 Ad secundam confirmationem Respondeo, mare à cœlis non moueri immediatè, sed solum effectiuè, mediante lumine, seu influentia: quod cœli motum nihilo facit difficiliorem, quam ardentis candelæ iactum diffusus per medium splendor. Ad ignem verò quod attinet, duæ sunt causæ, ob quas ille non difficulter ab Angelis, vna cum cœlis, moueri potest: prima, quod tenuis admodum substantiæ, & summæ leuitatis est; ob quam fere non minus facilè à motu cœli, quam pluma à vento rapitur. Secunda, quod non deorsum, contra inditam sibi leuitatem, mouetur, sed solum circulariter, intra latitudinem loci sui naturalis; quod proinde non ferè difficilius est, quàm vt homo vnicus maximam aquarum molem, grandis piscinæ alicuius, leui motu brachij conturbet: præsertim quando elementa in suo loco naturali nec grauitare, nec leuitare putantur. Neque sanè credibile existimo, ignem vna cum cœlo æquali celeritate circumferri; præsertim quando vtraque substantia cœli & ignis, leuis admodum, & quasi lubrica est; sed pro ratione suæ conditionis simul vtcunque in orbem raptari.

17 Tertio obijcitur; inde consequens esse, quod Angelus cœlos mouens, deberet assiduè quasi orbi affixus esse, & summè intentus, vt eadem semper celeritate impellat. Vnde nec posset pro arbitrio adire cælum Empyreum, aut visitare homines in terris, aut vllius alterius rei administrationem suscipere; sed semper deberet manere affixus suæ rotæ: quæ non videntur consentanea illorum felicissimæ libertati, & liberrimæ felicitati.

18 Respondeo, hoc argumentum fortassis haberet aliquam vim, si Angelus vni certæ parti suæ sphæræ, aut certo spatio eiusdem sphæræ perpetuo assistere deberet: quod tamen non est credibile. Quia Angelus intra latitudinem mediæ zonæ totum cœlum cingentis, vbicunque vult, potest applicare suam virtutem motiuam suo cœlo, cui propinquus est: cum & hoc vtpote sphæricum ex se pariter vbique aptum sit ad recipiendum siue motum, siue impulsum; & Angelus ex se, cuilibet eiusmodi parti sphæræ applicatus, æque habilis sit & expeditus ad motum imprimendum. Quo fit, vt possit interim Angelus libere totam suam sphæram, eiusue locum veluti circumire; & nunc ea nostro hemisphærio, ad Antipodas seu oppositum hemisphærium; nunc Orientem, nunc Occidentem versus moueri: quia Angelus neque vna cum sphæra suæ circumagi debet; nec vni imaginario loco seu spatio immobilis semper adesse; modo à media quasi zona eiusdem sphæræ, qua ex parte sphæra celerrimè mouetur, ipseque motus commodissimè incipit, non nimium ad polos, adeoque Septentrionem, & Meridiem declinet.

19 Et hoc est, quod ex Aristotele docuisse videtur S. Thomas 1. part. quæst. 51. art. 3. ad 3. vbi ait: *Angeli non mouentur ad motum corporum cœlestium, etiamsi sint in eis, sicut motores in mobilibus; quia corpora cœlestia non recedunt de loco secundum totam: nec determinatur spiritui mouenti orbem locus, secundum aliquam determinatam partem substantiæ orbis, quæ nunc est in Oriente, nunc in Occidente, sed secundum determinatum situm; quia semper est in Oriente virtus*

mouens, vt dicitur in 8. Physic. text. 84. Vbi determinatus ille situs ad Orientem, non est vtiq; accipiendus secundũ indiuisibile aut exiguũ aliquod spatium; quandoquidẽ intra latitudinẽ certã mediæ zonæ cuiusq; sphæræ, non solũ quælibet pars eiusdẽ sphæræ, modo est occidentalis, modo Orientalis; sed etiam quodlibet spatiũ imaginarium ac immobile eiusdem zonæ respectu diuersorũ hominum, diuersa terræ hemisphæria inhabitantiũ, est, & dici potest Orientale, seu Oriens; adeo vt Orientalis illa pars cœli in qua Angelus versatur, totam cœli periodum cingat & circumdet. Potest ergo Angelus per hoc quasi immensum cœli sui spatium libere, vt ita dicam, vagari & moueri; quod ad eius felicem libertatem satis est. Accedit, quod Angeli felicitas, cum sit spiritus, per se à certo loco corporeo nequaquam dependet; nec graue esse ei potest, vbiuis locorum Deum intuenti, & hac ipsa intuitione beato, simul & ad obsequium DEO, & hominibus beneficium præstandum, suã beneficam operam, quacunq; in re à DEO imperata, impendere. Quod si tamen alicui videbitur incommodum, eius rei curam, inter tot myriades Angelorum, in certos tantum & paucos incumbere, ei potius licebit dicere, quod nonnulli antiquorum sapientum dixerunt, post aliquot annorum spatia, Angelos motores mutari; quam beneficam hanc operam benevolentissimis naturis penitus adimere.

20 Quarto obijcitur. Angelus non potest se diffundere per totam sphæram, & toti vim suam applicare; sed solum alicui particulæ, V. G. quantum est spatium alicuius oppidi, aut multo min⁹: at non est consentaneum, tantam molem concitari tam exiguo & angusto impetu, sed oportet impetum esse diffusum per totum, certa proportione; vt sicut singulæ partes mouentur pro ratione sui situs, ita & congruum impetum suscipiant. Si enim tota terra, vel solum mare in orbem raptandum esset, non conueniret impetum fieri duntaxat in exiguam particulam, quanta est vola manus humanæ; sed in totam fieri oporteret, vt suauius & absque conuulsione partium motus fiat.

21 Respondeo abunde satis esse, ad mouendum cœlum, si Angelus motor ei se suamque virtutem motiuam applicet, secundum tantum spatium, quantum ipse naturaliter occupare potest: mox enim absque vlla difficultate, aut periculo, vna pars alteram sibi connexam secum trahit. Neque vlla idcirco violentia interuenit; quando cœlum, vti dictum, nullam habet ad eum motum resistẽtiam; neque vlla partium conuulsio pertimescenda, in corpore solidissimo & incorruptibili, cuius omnes partes inter se firmissime cohærẽt; sec⁹ quã in terra, aut mari accidit: siue interim motus ille cœlorum fiat mediante impulsu, siue immediate ab Angelo causetur; de qua re actum disputatione quinta, quæstione quinta, dubio secundo. Quod si, vt nonnulli philosophantur, ab ipso etiam homine terra suo loco dimoueri posset, si pertica eidem infixa, & ad lunam V. G. vsque pertingens suoque hypopodio interim nixa, homini ibidem ad manus esset, quid ni facillime Angelus parti cuilibet cœli minimæ se applicando totum cœlum mouere posset?

Quinto obijcitur. Si Angeli cœlestes orbes circumagunt, in potestate eorum esset, illos sistere; quod non videtur consonum verbis Dominj Iob 38. *Conuentum cœli quis dormire faciet?* id est, quis sistet? Quasi dicat, nemo, præter me, id potest. Item in eorum potestate esset, celerius vel tardius mouere, & ita totum mundum facile possent turbare: vnde etiam grauissimo præcepto deberent esse obstricti, vt summam curam adhibeant, ne vnquam vllus sit defectus, nulla inæqualitas, nulla maior minorue concitatio. Est enim res maximi momenti, vnde salus rerum inferiorum pendet. 22

Respondeo; si Physicam & naturalem potentiam Angeli præcise ac secundum se spectemus, posse quidem eum suo arbitratu cœlorum motum sistere; aut etiam præter ordinem flectere: at vero absolute non posse; quia cum beatus sit, non potest aliud velle aut facere, quam quod Deum velle ac præcipere norit: præcipit autem ei Deus, vt certo modo, ac mensura cœlum moueat; à qua non magis ipse potest descisscere, quam si per modum naturæ ac formæ naturalis intrinsecæ moueret. Neque tamen idcirco opus est, vlla grauiori præcepti inculcatione, quando in promptissimo & incommutabili obsequendi studio, omnibus beatis communi, intellexisse diuinæ voluntatis iussum ac nutum satis est, ad accuratissimam & exactissimam eius executionẽ. Atque hæc de motu cœlorum satis. 23

DVBIVM IV.

Quot sint cœli, præcipue syderei; & an inter se, & cum astris suis eiusdem sint essentiæ.

S. Thom. 1. p. q. 68. a. 4. & q. 70. a. 1.

DIfferunt quoad numerum cœlorum inter se, SS. Patres. Nam primo Tertullianus l. aduersus Hermogenẽ, & Chrysostomus in Gen. hom. 4. veluti certum tradere videntur, vnum tantum esse cœlum. Sane Chrysostomus vehementi oratione secum sentientes pstringit: *Quis igitur*, inquit, *post tantam doctrinam feret eos, qui ex suo capite loqui, & contra diuinam scripturam multos cœlos dicere audent?* Nisi forte sanctum hunc Patrem existimemus, non tam de cœlis, quam de pluribus simpliciter mundis locutum, quales nonnulli veteres Philosophi constituerunt. Quo sensu etiam Aristoteles lib. 1. de cœlo tex. 76. docet, vnum tantũ esse cœlum. Sed nec Mathematici defuerunt olim, qui plures cœlos pernegarent; quos refert & perstringit Basilius homil. 3. in Hexaem. his verbis: [Cum ij, qui demonstrationib⁹ vti solent grauioris multo momenti, vtiq; pbationum Geometricarũ necessario concludentiũ confirmarint; id ferre non posse naturã, vt pter vnum hoc cœlũ, alterũ consistat; tum sane istorũ Mathematicorum lineares nugas, quamlibet artifici ingenio concinnatas, tanto solutius ridebimus, &c. 1

2 Secundo, alij duos cœlos solummodo numerant. Ita videntur sentire Clemens Romanus Recognitio. lib. 1. & 2. Acatius in Glossa Lipomani, Anastasius Synaita lib. 2. Hexaemeron, & Theodoretus in cap. 9. Epist. ad Hebræos & qq. in Genes. q. 11. vbi ait: *Cum Scriptura diuina doceat, in principio Deum creasse cœlum & terram; deinde post lucis creationem, secunda die, dicat firmamentum factum esse, imperitiæ plena videtur esse huiusmodi (de numero cœlorum) quæstio. Oportebat enim ex temporis ratione, & ipso creationis modo, cœlorum diuersitatem nosse, & vnum luce prius, alterum vero post lucem; & illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autem ex aquis creatum esse &c. Qui igitur non credit, secundum esse cœlum, semitam rectam transgreditur; qui vero plures enumerare conatur, adhæret fabulis, postposita diuini spiritus doctrina.*

3 Tertio alij, Apostolum Paulum imitari volentes 2. ad Corinthios 12. tres cœlos constituunt. Ita Basilius homil. 3. Hexaemer. Ambrosius secundo Hexaemer. capite secundo. Damascenus lib. 2. Orthodox. fid. capit. 6. Philastrius hæresi 66. & alij, quanquam non omnino eadem ratione. Quidam enim ita tres distinguunt cœlos, vt primum faciant illud, quod in principio creatum fuit Genes. 1. v. 1. Secundum firmamentum, quod tamen ex substantia primi innuunt esse compactum; tertium id, in quod raptus fuit S. Paulus. Ita Basilius & Ambrosius. Alij primum numerant Empyreum, secundum sydereum, tertium aëreum.

4 Quarto nihilominus ex his ipsis quidam etiam septem orbes siue circulos cœlestes numerari admittunt. Ita Damascenus & Philastrius: qui rursum etiam concedit, æque duos quoq; posse numerari. *Siue ergo septem, inquit, quis acceperit, vt Dauid, siue tres, siue duos, non errat. &c.* Nec magnopere dissentit Basilio citata Homil. 3. Hexaem.

Et in eundem fere sensum Iustinus quæstio. 57. cum quæsijsset: *Si duplicis nobis cœli creationem exposuit Moyses, quomodo plures esse Scriptura docet; aliquando tradens, Cœli cœlorum, aliquando, Aperti sunt ei cœli.* Respondet: *Moyses quidem cœlos dixit; numero autem neque vnum, neque duos, neque plures tradit. Consueuit porro diuina scriptura, Interstitia partium superiora cœlos nominare; velati volatilia cœli, & aquila de cœlo, & stellæ cœli. Ex dictis ergo hisce, quæ posita sunt, consequens est, vt intelligamus, cœlos substantia quidem duos, interstitijs autem plures. Atque si cœlos ita accipiamus, nulla in verbis reperietur repugnantia.*

5 Sane quidem hæc quæstio inter Theologos esse non potest, nisi nominis, vt recte etiam notauit S. Thomas 1. p. q. 68. a. 4. Nam si cœlum late accipiatur pro corpore sublimi & diaphano, terra & aquis superiori, sic recte numerantur tres cœli, seu potius tria quasi cœlorum genera; aëreum videlicet, sydereum, & Empyreum: quò plane respexisse videtur etiam S. Paulus, cum se raptum fuisse ait *in tertium cœlum* 2. Corinth. 12. v. 2. vt recte etiam ex Damasceno S. Thomas loc. cit.

Si autem cœlum accipiatur strictius, pro corpore elementis omnibus superiori, sic recte assignari possunt duo quasi cœlorum genera, Empyreum immobile, & sydereum mobile.

Si vero non tam rerum varias differentias, quam vniuersum id corpus elementis superius, vtcumque sua quadam varietate distinctum, recensere velis, dici potest vnum cœlum, hoc est, aut vna cœli natura, aut vna cœlestium corporum congeries, seu vnum ex pluribus aggregatum, quemadmodum vna V. G. dicitur natura humana, aut ciuitas vna Pragensis, licet in tres ciuitates diuisa &c. Nec aliud voluit S. Chrysostomus, vt superius insinuarum.

Atque hæc recte etiam mihi tradidisse visus est 6
S. Athanasio qq. ad Antiochū q. 5. vbi ait: [Quot sunt cœli? Respondeo. In dubio est apud multos hæc quæstio. Nam liber Geneseos duos cœlos cōmemorat. Diuus autē Paulus etiā tertiū cœlū se se vidisse dicit. Et Dauid Propheta de quarto cælo loquitur, Laudate eum cæli cœlorū. Sciendum vero, quod quemadmodū natura hominū vna, & vnus homo dicitur, multi itē sunt homines: sic etiam cœlorum natura vna, & vnum cœlum dicitur in diuina scriptura, & cœli multi.

Quod si cœlum ipsum mobile in sua indiuidua 7
velis cum Philosophis & Mathematicis diuidere, quærendo, quot sint eiusmodi cœli mobiles, non ita pronum nunc est respondere. Licet enim hactenus communiter à Philosophis & Mathematicis, per annos fere trecentos, decem; (aliter quidem sentiente Antonio Ruuio libro secundo de cœlo capit. 5. quæstione secunda, qui octo cœlis mobilibus mauult esse contentus) aut si cum Magino in noua cœl. Theor. Copernici obseruationes accesseas, vndecim cœli mobiles, præter Empyreum immobile, assignati fuerint; quos sequuntur etiam Clauius in caput 1. sphæræ, tom. 3. pag. 36. vbi vndecimum primum addit; Pererius libro 2. in Genesin quæstio. 4. & 9. Molina disputatio. 10. qui denario adhuc numero contenti erant; tamen res hæc multis de causis non parum dubia videri potest. Nititur enim ea doctrina inprimis quidem fundamento Aristotelis, aliorumque Philosophorum, & Astrologorum quorundam antiquiorum, tot videlicet esse cœlos, quot in cœlis inueniuntur motus diuersi; cum vni corpori non nisi vnus motus possit esse naturalis. Id tamen fundamentum non esse firmum ac solidū; imo nec ex omni parte verum, his videtur argumentis probari posse.

Primum enim illud ipsum fundamentum sup- 8
ponit cælos esse solidos, stellasque adeo moueri in cælis, non velut pisces in mari, aut aues in aere; sed vt gemmas in annulo, aut in ligno nodos: quæ doctrina tamen non est adeo certa, vt oppositum absque errore defendi non possit.

Secundo, si cæli non à seipsis, seu propria sua forma, sed ab Angelis mouentur, vt ipse etiam Aristoteles sentit, neque necessarium, neque admodum etiam conueniens videtur, pro varietate motuum, qui in eodem firmamento, ijsdemque stellis firmamenti reperiuntur, plures alios superiores cælos mobiles constituere: cū nec motus talis cælis proprie naturalis, sed potius præternaturalis videatur; & facillimum sit Angelo, firmamentum ipsum ita mouere, vt ad ortū quidem

simpliciter, secundum quid vero etiã ad occasum, aut septentrionem, vel meridiem moueri videatur; motusque illius adeo ab ipso Angelo motore omnem eam varietatem & modificationem recipiat, atque inferioribus etiam cœlis, quoad opus est, communicet; quam ipsa experientia cœlis conuenire demonstrat. Neque enim Deus & natura facere solet per plura, quod æque bene & commode fieri potest per pauciora. Hac vero doctrina admissa, ruunt iam duo illi, vel tres cœli mobiles, qui supra cœlum sydereum siue firmamentum collocantur, vt est cœlum crystallinum & primum mobile.

9 Tertio. Sed nec si de varietate motuum, qui in diuersis stellis deprehenduntur, sermo sit, principium illud ex nouis phænomenis defendi posse videtur. Constat enim nouis experientijs & obseruationibus, vt iam superius dictum quæstione tertia dub. 3. circa Iouem quatuor nouos esse planetas, eosque singulos proprium, & à ceteris omnibus stellis diuersum habere motum; nec tamen propterea opus est quatuor nouis cœlis, cum proprio motu planetæ illi non describant circulos, qui terram ambiant, sed interuallo non nisi exiguo à Ioue abeant. Feruntur ergo in epicyclis seu orbibus Iouem quidem ambientibus, sed non in cœlis distinctis. Simile quid accidere videtur cum maculis solaribus recens inuentis, quas etiam ipsas stellas quasdam esse solem circumeuntes nonnulli existimant; & tamen cœlum nouum non requirunt, nisi magno admodum numero cælos multiplicare velimus.

10 Quarto Ad hæc de stellis, ac planetis antiquis etiam duntaxat loquendo, necdum appareret, principium illud esse vndiquaque firmum & constans. Cum enim per nouas experientias & obseruationes satis certo videatur constare, Venerem & Mercurium circa solem perpetuo moueri, nec proprio motu vnquam describere circulum, qui terram ipsam complectatur, consequens est, nec illos quidem requirere proprios cælos, in quibus moueantur. Cum enim cælum dictum sit à celando, quod omnia sublunaria contegat, vt quæstione prima dictum, nec adeo quilibet orbis seu sphæra cælestis sit proprium & distinctum cælum: aliquin enim pro multitudine ipsorum etiam epicyclorum duntaxat, cæli multiplicandi forent; plane sequitur; si Venus & Mercurius secundum motus proprios, non requirant, nec habeant orbes proprios & distinctos, qui centrum vniuersi ambiant, frustra hactenus cælum Mercurij & Veneris proprio inter cælos numero ac censu fuisse habitum: cum orbes quidem singuli ex his planetis proprios habeant, sed non nisi solem ambientes.

11 Taceo cometas, qui & ipsi fortasse sunt stellæ, proprium habentes motum; nec tamen ideo proprio ac speciali cœlo indigent. Alias tot fere cæli constituendi forent, quot cometæ; cum singuli propemodũ hactenus proprios habuisse motus visi sint. Ex quibus omnibus deniq; concludi videtur, cõmunem & receptã doctrinã Philosophorum & Mathematicorum de cælis decem mobilibus admodum incertam, si non falsam esse.

Sed nihilominus ne temere, vel principium illud, tam à Philosophis, quam ab Astrologis, tanta annorum serie receptum, reprehendatur; vel conclusio inde deducta, de decem, vel vndecim mobilium cælorum numero reijciatur; animaduertendum est, principium illud de multiplicandis cælis, pro diuersitate motuum, qui in ijsdem deprehenduntur, supponere quidem cælos esse solidos, vt satis iam antea q. 3. dub. 2. probatum & defensum est; at non intelligi de quibuslibet stellarum motibus diuersis, sed ijs solum, qui circa ipsam terram seu centrum vniuersi peraguntur. Nam de alijs satis constat, ex ipsius etiam Aristotelis, & antiquiorum Astrologorum sententia, non ideo multiplicandos esse cælos; quantumuis diuersos & ab alijs distinctos esse constet. Quod vel ex eo manifestum est; quia non fugit illos, planetas quosdam, præter motum illum, quem circa terram habent in orientem, aliquando etiam esse retrogrados, aliquando stationarios, adeoque habere etiam proprios quosdam motus, quibus non quidem circa terram, sed supra terram moueantur; nec tamen ob hanc motus diuersitatem, proprios & distinctos cælos illi constituendos putarunt; sed solum vel orbes partiales, vel epicydos distinctos, in ipsis eorundem planetarum cælis. 12

Qua de causa quod de stellis Iouialibus, non terram, sed Iouem proprio motu circumeuntibus; quod item de maculis solaribus, circa solem, vt fertur, moueri solitis obiectum est, nihil ad propositum facit: constat enim, non quidem propterea nouos cœlos esse constituendos; sed nec tamen ideo à principio illo Aristotelico quidquam recedi. Quod, vt dictum, non intelligitur de diuersitate motuũ supra terram, sed circa terram. 13

Similiter si certum vndequaq; & exploratum esset, duos illos planetas, Mercurium & Venerẽ, habere solummodo motum proprium circa solem, non autem, quod veteres Astrologi & Philosophi existimarunt, circa terram, seu centrum vniuersi; plane pari ratione fatendum esset, Mercurium & Venerem non vendicare sibi proprios cælos, in quibus ferantur, sed solum epicyclos proprios, in ipso cælo solis, solemque ipsum ambientes. Sed quia res hæc, nondum vndequaque satis comperta videtur, nihil ego hic innouandum statuo; sed hoc solum moneo, & opto, vt Astrologi rem hanc accuratioribus & diuturniorib⁹ obseruationibus diligentius inuestigare pergant, atque in vnam eandemque sententiam prius ipsi conspirent, quam de nouo & absoluto cælorum systemate constituendo quidquam particulatim definiatur.

Quod si experientia, & phænomena non obstent, minime improbanda fuerit sententia Ægidij, qui totam cælestem machinam vnum corpus esse docuit, cum octauâ sphærâ, varios tantum eccentricos & epicyclos complectens. Sic enim ait Hexaemer. p. 2. capite 33. *Difficultas quæsiti est, vtrum sphæræ planetarum faciant* 14

vnum

vnam sphæram, cum cœlo sydereo: quod multum videtur concordare cum textu, vbi dicitur, quod fecit Deus duo luminaria magna, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli. Si ergo luminaria & stella sunt in firmamento cœli, & planetæ computantur inter luminaria cæli, videtur quod omnes planetæ sint in firmamento cœli, quod esse non posset, nisi sphæra planetarum faceret vnam sphæram cum firmamento, siue cum cœlo sydereo &c. ponendo tamen eccentricos & epicyclos, nihil obstat, quin omnes prædictæ sphæræ sint vna & eadem sphæra. &c.

15 Et cum dixisset, ei sententiæ non obstare primo, quod in cœlo cernatur quædam varietas secundum densitatem & perspicuitatem, cum alia pars possit esse densa, alia perspicua: nec secundo, quod alia astra ferantur sursum, alia deorsum; cum in tanto spacij interuallo, quantum est à luna ad orbem vsque stelliferum, possint plures ac varij intercedere eccentrici, *alij sub*, inquit, *alij supra*: nec tertio, quod aliud astrum sit velox, aliud tardum; cum vnumquodque moueatur in suo proprio eccentrico, tandem concludit. *Ergo planetæ possunt dici vnum cœlum cum octaua sphæra, & possunt dici alij cœli ab octaua sphæra; nam quantum ad ipsas sphæras, possunt dici vnum cœlum; & frustra fit per plura, quod potest fieri per vnum. Sphæra ergo potest dici vna, sed deferentes debent dici plures, & debent dici alij, & alij. Erunt ergo septem planetarum septem deferentes, respectu quorum cœlum sydereum, potest dici octaua sphæra. Rursus præter deferentes siue eccentricos planetarum, ponimus epycicles, quia aliquando videmus planetas retrogrados, aliquando directos, quod ex deferentibus tantum saluare non possumus. &c. Ex hoc etiam magis concordamus cum scriptura sacra, dicente, solem & lunam, & omnes stellas, esse in firmamento cœli; quia ex quo omnes sphæræ planetarum faciunt vnum corpus cum octaua sphæra, quod dicitur firmamentum, omnia huiusmodi luminaria sunt in firmamento cœli, & omnia huiusmodi luminaria, habentia suos deferentes, & suos epicyclos, habent eos in firmamento cæli.* Hactenus Ægidius.

16 E contrario vero si non solum ipsius firmamẽti, sed etiam septem planetarum motus proprios circa terram diuersos esse compertum fuerit, ve- veteres Astronomi & Philosophi crediderunt, nullum erit dubium, quin octo cœli mobiles sint constituendi; quemadmodum præter Ægyptios & Chaldæos plerosque, fecerunt iam olim etiam Plato lib. 10 de Republica, & Aristoteles lib. 12. Metaph. t. 47. & nostro etiam adhuc tempore sequitur Ruuius: quibus postea primum, propter nouum rursus firmamenti motum obseruatum, Hipparchus quidem ante Christum natum, Ptolomæus vero post natum Christum anno circiter CXXXI. nonum cœlum; ac rursus circa Annum Christi MCCL. ob nouum trepidationis motum, Alphonsus Rex, item Purbachius, Regiomontanus, alijque posteriores Philosophi & Mathematici decimum: denique Maiorum ætate Copernicus, alijque eum secuti, vndecimum cœlum mobile addiderunt; probabili quidem, sed non necessaria ratione: si quidem DEVS voluisset, omnimodam illam motus varietatem seu modificationem, quam nunc firmamentum habere compertum est, immediate per Angelos firmamento tribuere: vti quidem reuera non solum per absolutam potentiam, sed etiam commode & sine absurdo, nec minus ferè rerum naturis conuenienter, potuisset facere. Quod nunc video esse notatum etiam ab Antonio Ruuio libro secundo de cœlo capit. 5. quæst. 2. Sed vt dixi, ad nouum & absolutum cœlorum systema constituendum, diuturniori & accuratiori opus est Astrologorum obseruatione, & maturiori sapientum virorum iudicio, quod equidem vllo meo præiudicio nolo anteuertere.

17 Satis sit, hoc loco Christophori Clauij postremam hac de re sententiã adiungere. Ita enim ait in edit. recognita comment. in Ioannem de sac. Bosc. tom. 3. operum math. [Nolo tamen hoc loco latere lectorem, non ita pridem è Belgio adportatum esse instrumeutum quoddam, instar tubi cuiusdam oblongi; in cuius basibus compacta sunt duo vitra seu perspicilla, quo obiecta à nobis remota valde propinqua apparent, & quidem longe maiora, quam reipsa sint. Hoc instrumento cernuntur plurimæ stellæ in firmamento, quæ sine eo nullo modo videri possunt.] Et mox: [Inter alia quæ hoc instrumento visuntur, hoc nõ postremum locum obtinet; nimirum Venerem recipere lumen à sole instar lunæ; ita vt corniculata nunc magis, nunc minus, pro distantia eius à sole appareat; id quod nõ semel cum alijs hic Romæ obseruaui. Saturnus quoque habet coniunctas duas stellas ipso minores; vnam versus orientem, versus Occidentem alteram. Iupiter deniq; habet quatuor stellas erraticas; quæ mirũ in modum situ inter se, & cum Ioue variant, vt accurate & diligenter Galilæus Galilæi describit. Quæ cũ ita sint, videant Astronomi, quo pacto orbes cœlestes const ituendi sint, vt hæc phænomena possint saluari.] Ita Clauius; qui, vt vides, nil interim de soliditate cœlorũ addubitat, orbes enim cœlestes vtique agnoscit: sed aliud solum eorundem orbium systema constituendum iudicat.

18 Quæri hic potest, an cœli omnes sint eiusdem essentiæ. Respondeo breuiter, suppositis his, quæ docuimus quæst. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 1. & q. 4. du. 2 probatissimum videri, cælos omnes sydereos & inter se, & cum astris seu stellis, quas deferunt, eiusdem essentiæ esse. Quia omnes cœli, omneq; corpus cœleste, quoad substantiam & essentiam suam, primo statim die producti fuerunt, nec postea, siue per accessionem lucis, eodem primo die; siue soliditatis, secundo die; siue astrorum, quarto die factam, vt suis locis probauimus, vlla mutatio vel productio substantialis interuenit; nec verosimile est, aquas illas supercœlestes, ex quibus cœli constant, ab initio fuisse diuersæ essentiæ; vt pro diuersis cœlis aquæ essentialiter diuersæ (quæ ab ipsis, quos constituunt, cœlis essentialiter non differunt) in principio à DEO crearentur. Sunt ergo cœli eiusdem inter se, & cum astris suis essentiæ.

Digitized by Google

DVBIVM V.

An, & qua ratione cœli, aliaque res inferiores in fine mundi sint interituræ.

S. Thomas Supplem. 3. part. quæst. 73. art. 3. & q. 74. art. 4. 5. 6. & 1. p. q. 68. a. 1.

1 FAcit hæc res non parum ad rationem & coñexionem operum sex dierum hactenus expositã confirmandam; cum hinc manifestum sit futurũ, desitionem corruptibilis mundi, cum ei⁹ inchoatione & productione hactenus explicata exactam seruare analogiam. Et quidem satis cõstat ex scripturis, cœlos in fine mundi esse aliquo modo immutandos. Ita enim aperte multis in locis pronũciat scriptura; quos hic præmittere visum est, veluti fundamenta, ex quibus res hæc est diiudicanda. Primò enim asserit scriptura, post huius vitæ statum, cœlos fore nouos. Isaiæ 65. v. 17. *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam; & non erunt in memoria priora.* Apocalypsis 21. v. 1. *Vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abiit.* Et infra v. 5. *Dixit qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia.* Et quidem de cœlis etiam sydereis esse hic sermonem, colligitur præter alia ex Isaiæ 30. v. 26. vbi speciatim declaratur, quomodo cælum sydereum sit innouandũ: *Erit*, inquit, *lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit:* nimirum in fine seculi, quando corporibus Sanctorum etiã glorificatis, vulnera & reliquiæ peccati perfectissimè sanabuntur.

2 Secundo testatur scriptura, cœlos perituros, transituros, & tanquam vestimentum atterendos, & antiquandos. Psal. 101. v. 27. & ad Hebræos 1. v. 10. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut operimentum mutabis eos, & mutabuntur.* Iob 14. v. 12. *Homo cum dormierit, non resurget donec atteratur cælum; non euigilabit, nec consurget de somno suo.* Eccli. 17. v. 30. *Quid lucidius sole? & hic deficiet.* Vbi tamen potius de solis defectione, aut consueta, aut extraordinaria, finem mundi anteceſſura sermo est. Matthæi 24. v. v. 35. *Cælum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt.* Quò spectat etiam illud, quod ibidem dicitur v. 29. *Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.* Quanquam & hoc potius ad ignita meteora stellarum, vti vocant, cadentium, caprarumque saltantium, atque inordinatos astrorum motus, extremum iudicium anteceſſuros, referendum sit; cum ibidem mox subiungatur, *& tunc parebit signum filij hominis in cælo.*

3 Tertio affirmat scriptura futurum, vt cœli liquescant & soluantur. Isaiæ 34. v. 4. *Tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet.* Isaiæ 51. v. 6. *Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur.* 2. Petri vltimo v. 7. *Cæli qui nunc sunt, & terra eadem verbo repositi sunt, igni reseruati, in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Et infra vers. 20. *Aduenict dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient; elementa vero calore soluentur, terra autem; & quæ in ea sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse, in sanctis conuersationibus, & pietatibus exspectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos vero cælos & nouam terram secundum promissa ipsius exspectamus.* Quibus suppositis, sequentes assertiones statuo.

Assertio I. Mundus in fine seculi, seu post extremum iudicij diem, non ita peribit, vt null⁹ sit futur⁹. Est de fide certa, & extra controuersiam. Probatur aperte ex scriptura Eccles. 3. v. 14. *Didici quod omnia opera, quæ fecit DEVS, perseuerant in perpetuum.* Et Rom. 8. v 22. ait Apostolus, omnem creaturam quodammodo *parturire*, adeoq; anxie exspectare glorificationem electorum, vt ipsa quoque simul eum illis à seruitutis corruptione liberata, statũ perfectiorem acquirat. Plura inferius. 4

Assertio II. Probabilius videtur; cœlos in fine mundi secundum substantiam non mutatum iri. Ita Pererius lib. 1. in Genes. q. 1. & 2. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 58. sect. 2. & quamplures Scholastici veteres, cum S. Thoma in 4. dist. 42. & in supplemento q. 74. a. 4. etsi contrarium sentiant Molina de opere sex dierum disp. 3. Alphonsus Salmeron tom. 1. prol. 8. & alij. Probatur ex scriptura. Psal. 148. v. 6. de corporibus cœlestibus dicitur, *statuit ea in æternum, & in seculum seculi; præceptum posuit, & non præteribit.* Et psal. 101. v. 28. vbi dicitur: *Et sicut operimentum mutabis eos*, nempe cœlos; græce legitur ἀλλάξεις hoc est alterabis. Illud autem 2. Petri 3. *Cæli ardentes soluentur, igni repositi &c.* de ijs cœlis intelligitur, qui fuerant olim per aquam purgati; hoc autem est cœlum aereũ, non sydereum. Idem ex SS. Patribus docet Hieronymus in Isaiæ 51. & 65. vbi hoc exemplo rem bene declarat: *Infans*, inquit, *cum in puerum creuerit, & puer in iuuenem & iuuenis in virum, nequaquã per singulas ætates perit; idẽ enim est, qui prius fuit: sed paulatim immutatur, & ætati pristinæ peruisse dicitur.* Idẽ sequũtur Augustinus l. 20. de ciuit. Dei, Gennadius de Ecclesiasticis dogmatib⁹ c. 70. Oecumeni⁹ in Collectaneis 2. Petri vlt. Plura assertione sequenti. 5

Assertio III. Nec elementa quidem secundum substantiam corrumpentur; sed solum accidentali mutatione in meliorem statum transferentur. Ita S. Thomas loc. cit. Pererius citata q. 1. tametsi contrariũ sentiant nonnulli Scholastici, quos sequitur Molina citata disp. 3. Probatur ex scriptura, quæ vniuersim de mundo pronunciat. Eccles. 3. vers. 14. *Omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerant in perpetuum.* Et prima Corinthiorum 7. v. 31. *Præterit figura* (seu species externa non natura siue substantia) *huius mundi.* Et Rom. capit. 8. v. 19. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum DEI expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* 6

Certe

Digitized by Google

Certe ſi elementa ſecundum ſubſtantiam eſſent peritura, tum ſane dicere non potuiſſet Apoſtolus, omnem creaturam ingemiſcere & parturire, deſiderando quodammodo ſtatum alterius ſeculi, vna cum beatis. Melius enim eſſet illis, ſic eſſe, quam omnino non eſſe. Id quod ſaltem de creaturis ad ſubſtantiam huius mundi per ſe ſpectantibus, & in quibus reliquæ omnes creaturæ virtute continentur, intelligendum eſt. Accedit illud Eccleſ. 1. v. 4. *Generatio præterit, & generatio aduenit: Terra autem in æternum ſtat.* Idem ſentiunt Proclus & Methodius apud Epiphanium Hæreſ. 94. item Hieronymus, Gennadius, & Oecumenius loc. cit.

Ratio eſt; quia vix apparet, quodnam modo mundus hic aliter, quoad ſubſtantiã, & ſubſtantiales partes, conſtitui poſſit. Neque his obſtat ſcriptura, quia tranſitus & interitus cæli & terræ, item ſolutio & liquefactio, attritio, innouatio, conflagratio, & ſimilia, iuxta analogiam aliorum locorum ſcripturæ, de accidentali ſolum eorundem mutatione rectè intelliguntur. Dicimus enim etiam niuem, grandinem, gelu &c. interire, perire, tranſire, quando liqueſcunt, etiamſi quoad ſubſtantiam, (quæ eſt aqua) non pereant. Eadem ergo etiam ratione cœlum, vti nunc eſt, ſolidum, peribit, &c. vt mox dicemus.

Aſſertio IV. Cœli & elementa ita poſt diem iudicij immutabuntur, vt & maiori quadam lucis ſeu luminis perfectione ſint exornanda, & ab omni impuritate purgata, omniſque mutationis expertia, de cetero, ſuum naturalem ſtatum, quem ab initio creationis habuerunt, ſint recuperatura. Prima pars, cœlos & elementa poſt iudicij diem immutanda eſſe, patet abunde ex ſcripturis ſuperius adductis. Secunda pars, de acceſſione maioris lucis, ſeu luminis, patet ex illo Iſaiæ 30. *Erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Tertia pars de immunitate & liberatione ab omni impuritate & mutatione; probatur ex illo Roman. 8. verſ. 20. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe; quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.* Quo nomine intelligitur omnis eius viciſſitudo ac mutatio etiam localis; quia his omnibus mutationibus deſeruire cogitur præſenti conditioni mortalis hominis, propter quem facta eſt, vt mox diſtinctius explicabitur.

Quartam partem eiuſdem concluſionis, de naturali ſtatu, quem ab initio creationis mundus acceperat, atque ſimul cæteras omnes eiuſdem concluſionis partes, ita vlterius probo & declaro. Conſtat enim, mundum quidem ipſum, ipſoſque adeo cœlos propter hominem fuiſſe creatos, iuxta illud Deuteronomij 4. verſ. 19. *Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas ſolem & lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus, in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt.* Et rationi ac ſcripturæ admodum conſentaneum eſt, cœlum & terram, cum ceteris elementis, in principio à Deo fuiſſe creata, in ſtatu maxime puro ac naturali; etſi deinceps ſubſequentibus diebus, quædam ijs conditiones, partim etiam reſpectu vniuerſi, perfectiones, fuerint adiectæ, quæ ad ſolum corruptibile huius vitæ ſtatum ſpectant, ſolique homini hanc vitam victuro ſunt vtiles, aut neceſſariæ.

Tales ſunt I. quod Deus ſecundo die ſubſtantiam cœli liquidam condenſauit, & inſtar cryſtalli, addita duritie, ſolidauit, vt eſſet firmamentum diuidens aquas ſuperiores & inferiores. Geneſ. 1. v. 6. de quo ſupra.

II. quod Deus die tertio vniuerſas aquas inferiores congregauit in locum vnum, vt terra appareret arida, Geneſ. 1. v. 10. vtiq; propter habitationem hominum: cum alias locus naturalis aquæ ſit ſupra terram.

III. quod Deus die tertio terram gramini, herbis, arboribuſque progignendis vim ac materiam ſubminiſtrare voluit, quamuis eo ipſo à conditionis ſuæ puritate deficientem, ibidem v. 12.

IV. quod poſtquam Deus die primo cœleſtis corporis particulam quandam, in eum etiam finẽ fortaſſe condenſatam, tenui aliqua luce colluſtraſſet, eo ſolum, vt apparet, fine, vt eadem ſuo motu diebus futuræ conditionis diſtinguendis, tantiſper deſeruiret, Geneſ. 1. v. 4. idem poſtea die quarto, præter ſtellas innumeras, duo etiam quædam maiora ſydera, ſolem videlicet & lunam, addito vario fixoque motu, iam non ſolum ad diem noctemque diſcernendam, ſed etiam ad quatuor anni tempora certa lege & ordine diſtinguenda, totumque anni circulum fixis legibus conſtituendum condidit; tenebris interim in altero ſemper terræ hemiſphærio relictis, Geneſ. 1. v. 16.

V. quod Deus die quinto ex aquis omnis generis volatilia, reptilia, & aquatilia produxit; quo factum, vt idem aquæ elementum rurſum varijs alterationibus, mutationibuſque, à propria alioquin eius natura alienis, ſubijceretur, ibidem v. 21.

VI. quod Deus die ſexto rurſum è terra omnis generis animantia, iumenta, beſtias, & reptilia terreſtria produxit, non ſine magna etiam ipſius terræ immutatione, ab eius inclinatione priuata, aliena: ibidem v. 24.

VII. quod denique Deus eodem die homini mortali, prius ex terra formato, ius & poteſtatem omnium rerum inferiorum, etiam conſumendarum, & deſtruendarum conceſſit; ita vt in eius ac iumentorum eſcam multiplicationemque omnigeni terræ fructus deſeruire iuberentur, nec in terra quidquam eſſet, hominis imperio ac poteſtati non ſubiectum.

Cum igitur plane exiſtimandum ſit, cœlum & terram, cum reliquis tribus elementis (quibus rebus mundus ipſe totus ſubſtantialiter continetur) poſt hoc ſeculum, iuxta dictum Sancti Petri antea citatum, à ſeruitute corruptionis libera, ad priſtinam ſuam puritatem ac ſtatum, ab omni corruptione quam maxime remotum reditura, imo vt ipſius quidem lucis, velut minime corruptiuæ qualitatis, acceſſione illuſtriora, à reliquis autem peregrinis & aduentitijs qualitatibus

tibus, quibus ratione corruptibilis huius vitæ statûs; ex diuina dispositione ad tempus subsecuta fuere, prorsus libera sint futura; idcirco probabiliter existimo, ea omnia, quæ antea commemorauimus, post finẽ huius mundi suo quodam modo & ordine cessatura.

14 Primo nimirum cœli, resoluta illa, quã ob bonum totius vniuersi secundã die acceperunt, duritie, rursum vti natura eorũ postulat, liquescent, iuxta illud Isaiæ 51. *Cœli sicut fumus liquescẽt &c.* Et Psal. 101. *Ipsi peribunt* instar glaciei scilicet, quando liquescit, vt dictum. & Iob 14. *Donec atteratur cœlum*, hoc est, quasi comminuatur, ac in tenuissimum veluti fluuiorem redigatur. Et 2. Petri vltimo *Cœli magno impetu transient &c.* Et infra: *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint &c.* sicut enim in cæteris elementis accidit, vt quanto superiora sunt, tanto natura sua sint liquidiora & subtiliora, ita verosimile est cœlis veluti supremis corporibus liquiditatem & subtilitatem sua natura, quam maximam conuenire; quam proinde in fine mundi denuo recuperaturi sunt. Excipio tamẽ hic cælum Empyreum, quod Beatorũ habitationi destinatum, soliditatem vtique suã ob eandem causam perpetuo duraturã, retinebit, liquido nihilominus cœlesti corpore, quod aquas supernas esse diximus, in medio vndiquaque perfusum.

15 Secundo aquæ, quæ antea, vt hominum ac animalium habitationi commodum locum cederent, in vnum locum fuerant congregatæ, ad suũ naturalem locum denuo redibunt, totamq; adeo terram cooperient.

Tertio proinde, terra gramine, herbis, arboribusque destituetur; quæ ob solum mortalium hominum, bestiarumque vsum tertio die condita fuerant: vt colligitur ex 2. Pet. 2. v. 10. *Terra autẽ, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.*

Quarto, pro his, aliisque veteris mundi ornamentis, cœlũ ac elementa omnia, quatenus ipsorũ natura patietur, nouo auctioriq; lumine collustrabuntur; sublato cœlorũ ac syderum motu qui ad solas temporum vicissitudines efficiendas, cælis astrisq; inductus erat. Accessionem autem illam maioris luminis altero ex duobus modis euenturam credibile est: nimirum vt vel in cœlis iam nõ sit vnus tantum sol, qui vnum solummodo terræ hemisphærium illuminet; sed plures, multoque auctiori lumine singuli: qui totum mundum inferiorem secundum verumq; hemisphærium vndique affatim illustrent; ipsa fortassis etiã lunã ad solis claritatem euecta, iuxta illud Isaiæ 30. *Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septemplociter, sicut lux septem dierum:* vel vt lux cœlestis corporis, post extremum iudicij diem non sit ad vllas certas
17 eiusdem corporis partes illustricta, sed vndique per totũ cæleste corpus æquabiliter diffusa. Quo modo etiã lucem primo die creatam (tenuiorem tamen vtique) per totum cæleste corpus diffusam fuisse, Patres nonnulli existimarunt, vt suo loco dictum.

16 Neq; vero absurdum existimauerim, stellas ac reliquos planetas, cum in ministerium hominis mortalis, vt dictum, & ob solas rerum inferiorum generationes adiuuandas fuerint producti, simul etiam tunc desituros, atque auctiori cælorum lumini, ad modum antea declaratum, materiam subministraturos, vt significari videtur Isaiæ 34. *Militia eorum defluet*, & forte etiam illo loco Lucæ 21. *Stellæ de cælo cadent, & virtutes cælorum mouebuntur.*

17 Quinto, Aquatilia, volatilia, reptilia, item bestiæ & iumenta, cunctaque terræ animantia & corpora mixta, iuxta 2. Pet. 3. v. 10. *igne exusta, peribunt*, vti de terræ germinibus superius dictum est quandoquidem hæc sine perpetua generatione & corruptione, multisque sordibus & impuritatibus conseruari non possunt: nisi quis existimet, bestias, non minus quam homines, post hanc vitam quendam immortalitatis statum consecuturas; quod à communi fidelium ac SS. Patrũ sensu videtur alienum. Denique sublatis bestiis & animantibus, ceteris que corporibus mixtis, cũ nullus etiam homo futurus sit mortali conditioni obnoxius, nullo etiam opus erit alimento, ex terra alijsue elementis percipiendo.

18 Qua quidem ratione hoc totius mundi systema constituetur. Centrum mundi occupabit terra, eiusq; intimum ac infimum sinum infernus damnatorum; locum paulo superiorem limbus puerorum, qui sine baptismo & gratia decesserunt. Non enim facile audiendi, qui nescio quam in terra naturalem felicitatem ac beatitatem illis transcribunt, vt suo loco etiam docui tomo 2. disputat. 4. quæst. 10. dub. 5. Terram vndique cinget & complectetur sphæra aquæ; hanc liquidus & purus aër; aërem ignis; hunc cœlum sydereum immobile vnicum ac liquidum; idque seu multiplici iam sole exornatum; seu vndique luce collustratum, quo vniuersus mundus inferior, iuxta conditionem cuiusque elementi, abunde illustrabitur. Denique supremum erit cœlum Empyreum suamet propria luce vndiquaque perfusum, ac eximie splendescens: cuius tamen media ac intima pars, vt & ad beatorum habitationem, & ad varias vitæ functiones à beatis obeũdas, fit accommodata, liquida erit, & subtilissimi ac purissimi cuiusdam aëris instar, beatorum corpora suauissime afficiet.

19 Atque hac ratione intelligo, post finem huius mundi futuros *cælos nouos, & terram nouam*; item *cælum & terram effe transitura*; cœlosque *velut pergamenum inuolandos.* Et cætera quæ superius attulimus scripturæ testimonia, ad eandem hanc doctrinam facile possunt accommodari. Quæ quod præcipua capita expresse traditur à plerisq; Scholasticis Doctoribus; vt quod cœlorum motus cessaturus sit; quod elementa repurganda; quod mixta omnia corpora inferiora sint corrumpenda. &c. Vide S. Thomam loco citato.

QVÆSTIO V.

De operibus quintæ & sextæ Diei; nimirum animalium, ipsiusque hominis productione.

S. Thomas 1. p. q. 71. & 72. item à q. 90. vsque ad q. 102.

ABsoluetur hæc quæstio duabus dubitationibus. I. Quodnam fuerit vniuersim opus quintæ & sextæ diei: & in specie quomodo homo ad imaginem & similitudinem Dei factus sit. II. Quænam fuerit conditio hominis in statu naturæ integræ & incorruptæ. Quibus denique addetur Synopsis totius opificij sex dierum, ad textum Moysis Genes. 1. accommodata.

DVBIVM I.

Quodnam fuerit vniuersim opus quintæ & sextæ diei; & in specie quomodo homo ad imaginem & similitudinem Dei factus sit.

S. Thomas 1. p. q. 71. 72. & 93.

TRia sunt opera horum dierum, vt constat ex Genes. 1. v. 20. Primum sunt aquatilia, & volatilia omnia, quinto die ex aquis producta; secundum sunt omnia animantia terræ rationis expertia sexto die ex terra producta; tertium est homo ad imaginem & similitudinem Dei factus eodem die sexto: cuius ordinis rationem iam exposuimus supra quæst. 4. dub. 2. Duo vero opera non solum virtute, vt Augustinus dicebat, sed actu & formaliter designatis diebus fuisse producta; & quidem aqua & terra ad eorum productionem proxime quidem non nisi materialiter concurrentibus, patet ex ijs, quæ in simili, dicta sunt quæst. 4. dub. 1. & fusius prosequitur S. Thomas cit. q. 71. & 72.

Quibus positis, circa eadem duo opera priora, quæritur primo, quare inter opera vtriusq; quintę nimirum, & sextę diei, numerentur reptilia. Respondeo breuiter cum S. Thoma cit. q. 71. art. vn. quinto die fuisse producta reptilia aquatica, vt iuxta versionē LXX. & latini Interpretis nostri sunt pisces omnes; qui cum pedibus & alis careant, reptare quodammodo in aquis videtur, tametsi hoc præcipue tribui possit ijs, qui pinnulis velut alis destituuntur, vt sunt murenæ, anguillæ; sexto autem die fuerunt producta reptilia terrestria, vt serpentes, crocodili, lacerti, &c. quæ propterea reptilia terræ dicuntur. De qua re Hugo lib. anot. in Gen. c. 7. & Bonauentura in 2. d. 15.

Secundo quæritur, quare productio aquatilium & auium, aquæ tribuatur; cum tamen terrâ potius constare videantur. Ad hoc respondet sanctus Thomas cit. quæst. 71. art. vn. ad 1. *Corpora auium & piscium posse dupliciter considerari, vno modo secundum se; & sic necesse est*, inquit, *quod in eis magis terrestre elementum dominetur: quia ad hoc, vt fiat conuenientia mixtionis, in corpore animalis, necesse est, quod quantitatiue abundet in eo elementum, quod est minus actiuum; scilicet terra. Sed si considerentur secundum quod sunt nata moueri talibus motibus; sic habent affinitatem quandam cum corporibus, in quibus mouentur, & sic eorum generatio hic describitur.*

Sed quia obijci mox poterat, ea ratione auium productionem aëri, non aquis attribuendam fuisse, respondet ibidē ad 3. aëris elementū, *quia insensibile est, per se* (ac seorsim) *à Moyse non connumerari, sed cum alijs*; & quidem quoad partem superiorem cum cœlis; quoad inferiorem cum aqua. Addi potest, aquam à Moyse etiam hoc loco generatim accipi, pro substātia diaphana & liquida, præterquam quod aër terræ propinquus, multis vaporibus & aqueis exhalationibus abundat.

Omitto quod Caietanus, Catharinus, Vielmius, & ferè Pererius in hunc locum, existimant, genuino scripturæ sensu, & iuxta veritatem hebraici textus, non significari aues ex aquis productas. Quod non probatur: quia nostra lectio cuilibet alteri textui præferenda sane alium sensum non admittit; isque communi SS. Patrum & Doctorum sententiâ hactenus comprobatus fuit, à quo non est recedendum: præsertim quando ipsa etiam Ecclesia eum sensum in cōsueto hymno exprimit: *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aëra*, vt recte etiam notauit Gregorius de Valentia disp. 5. quæst. 3. punct. 5.

Nec obstat illud Genes. 2. vers. 19. *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli.* &c. Nam præterquam quod Valentia loc. cit. cum Augustino lib. 9. super Gen. c. 1. illud, *de humo*, solum ad animantia terræ spectare existimat, facile est ex dictis cum S. Thoma respondere, volatilium productionem vtrique elemento, tam terræ, quam aquis, tribui posse, siue diuerso respectu, vt dictum, siue quia ex vtriusque elementi materiâ magnâ ex parte constant.

Tertio quæritur, vtrum omnia animalia aquatilia & terrestria duobus hisce diebus à Deo fuerint producta, & quid de amphibijs sentiendum; Respondeo, producta fuisse omnia animalia; quæ

& ex semine generantur; & virtutem generatiuam ad simile sibi progignendum habent: secus est de ijs, quæ vel non nisi ex coitu diuersæ speciei animalium generantur, nec adeo vim habent ad generandum sibi simile, vt sunt muli, vel quæ iuxta naturas rerum, primum non nisi ex putrefactione seu excrementis aliorum animalium generantur, vt sunt pediculi, pulices. &c. hæc enim tunc non actu, sed in potentia solum fuerunt producta, vt bene docet S. Thomas quæst. 72. art. vn. ad 5. Amphibia autem ad ea reducuntur, cum quibus maiorem habent conformitatem, iuxta eundem q. 71. ad 4.

8 Iam vero quod speciatim ad hominem attinet, difficultas est, circa illud, quod homo dicitur factus *ad imaginem & similitudinem Dei*; de qua re quæritur primo, quo sensu generatim homo dicatur ad imaginem Dei; an quod homo sit imago Dei; an quod Deus sit imago hominis. Respondeo cum Sancto Thoma quæst. 93. articulo. 5. ad 4. hominem dupliciter ad imaginem Dei factum dici posse; primum vt vocula *Ad* designet terminum *factionis*, vt sit sensus. Faciamus ita hominem, vt sit imago nostra: Secundo, vt vocula, *Ad imaginem*, significet causam exemplarem, ita vt imago dicatur Deus ipse seu natura diuina, velut exemplar, ad cuius similitudinem homo factus est. E quibus tamen prior sensus magis probatur: quia essentia diuina *nonnisi abusiue* & improprie *imago dicitur, secundum quod imago ponitur pro exemplari*, vt ait S. Thomas ibidem.

9 Secundo quæritur, in quo hæc ratio imaginis Dei, quam homo habet, potissimum consistat. Respondeo, excluso Anthropomorphitarum errore, superius refutato, disp. 2. quæst. 3. dub. 1. qui eam imaginis rationē in corporis figura & lineamentis constituebant; rationem imaginis proprie positam esse solum in mente, seu anima hominis, vt docet S. Thomas cit. quæst. 93. a. 6. & tradunt communiter SS. Patres, Basilius homil. 10. Hexaem. Gregorius Nyssenus orat. in illud, *Faciamus hominem*, Ambrosius lib. 6. Hexaem. cap. 8. & Augustinus in Psal. 48. conc. 2. etsi de hac re dubitauerit Epiphanius cont. hæres. 70. Quod hoc modo declaratur & probatur. Quia ad imaginem duo requiruntur, nimirum primo, vt sit facta ad aliquam imitationem seu similitudinem alterius; quare ouum ouo quidem simile est, sed vnum alterius imago non dicitur: secundo, vt habeat similitudinem cum illo, à quo expressum est, non tantum genericam; sed etiam aliquo modo specificam; siue secundum speciem essentialem vtrique communem; quo modo filius dicitur imago sui Parētis; siue *secundum aliquod accidens proprium speciei; & præcipue secundum figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro.* Quia igitur anima & mens hominis & ad imitationem essentiæ diuinæ velut causæ exemplaris rerum omniū facta est; & simul etiam peculiarem quandam cū Deo similitudinem habet, secundum ipsam suam rationem specificam, naturæ scilicet intelligentis, vtrique analogice communem, idcirco vere dicitur imago Dei.

10 Res cæteræ vero, quia tantum habent quandā cum Deo similitudinem, secundum rationem genericam; vel quia sunt; vel quia sunt & viuunt, &c. idcirco effectus quidem Dei, & vestigia dicūtur, sed non imagines Dei; sicut etiam vermis ex homine prognatus non dicitur imago hominis, vt pluribus declarat S. Thomas q. 93. a. 2. Secus est de Angelis, qui cum quoad perfectionem intelligendi hominem superent, perfectius etiam rationem imaginis Dei participant, quam homo; etsi neuter eum plena & exacta perfectione, sed solum imperfecte: quia ad perfectam similitudinem specificam & essentialem non peruenīunt; sed infinite nihilominus à DEO distant; vt docet idem S. Thomas cit. q. 93. a. 1. & 3.

11 Tertio quæritur, Vtrum sit in homine imago Dei, solum quatenus secundum essentiam vnus, an etiam quatenus trinus est in personis. Respondetur cum S. Thoma cit. q. 93. a. 5. hominem vtroque modo esse ad imaginem Dei; priori quidem modo, considerando vniuersim rationem naturæ intelligentis; vt quæsito præcedenti dictum; ea enim omnibus personis secundum essentiam communis est: posteriori vero considerando in ipsa mente, seu anima hominis, tres re vel ratione distinctas perfectiones; siue quia in homine cernitur principium Verbi, Verbum, & Amor ab vtroque procedens, quo modo eam imaginis rationem declarat S. Thomas cit. q. 93. a. 6. & ante illum S. Augustinus 9 de Trinit. cap. 4. vbi assignat imaginem Dei in anima secundum hæc tria, quæ sunt *mens, notitia, & Amor*: siue quia in homine sunt memoria, intelligentia & voluntas, vt docet idem Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 3. & 4. Quamuis autem imago Dei inueniatur in anima primo & principaliter secundum actus, prout ex notitia, quam habemus, cogitando interius Verbum formamus, ac præcipue notitiam ipsius Dei, iuxta Augustinum lib 14. de Trinit. cap. 11. deinde verò ex hoc Verbo in amorem, eiusdem Dei potissimum, prorumpimus; nihilominus tamen, *quia principia actuum sunt habitus & potentiæ, vnumquodq; autem virtualiter est in suo principio, secundario & quasi ex consequenti imago Trinitatis potest attendi in anima secundum potentias, & præcipue secundum habitus, prout scilicet in eis actus virtualiter existunt*, vt docet S. Thomas q. 93. art. 7.

12 Eadem similitudo hominis cū sanctissima Trinitate colligitur ex illis verbis Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; quem esse sermonem nō Dei cum Angelis, sed Patris cum Filio & Spiritu sancto (non vocalem in assumpto corpore, vt male existimauit Eugubinus in sua Cosmopœia, & Hieronymus Oleaster in cap. 1. Genes. sed intelligibilem) tradunt communiter SS. Patres, Gregorius Nyssenus orat. in illud, *Faciamus hominem*, Ambrosius li. 6. Hexaem. cap. 8. & Augustinus l. 12. Trinit. cap. 6.

13 Quarto quæritur, an, & quo modo ratio similitudinis, ad quam homo factus dicitur, distinguatur à ratione imaginis. Respondeo cum S. Thoma cit. q. 93. a 9. post Augustinum lib. 83. q. 51. distingui; & quidem dupliciter, primo vt similitudo sit præambula & prior imagine, tanquam ratio communis in imagine inclusa, cum sit de ratione

cuius-

Digitized by Google

cuiusq; imaginis, vt sit ad similitudinem exemplaris facta, vti dictum est. Secundo, vt sit aliquid ratione posterius, & quasi perfectio superaddita cõmuni rationi imaginis, ita vt dicat peculiarem expressionem & perfectionem imaginis; quo modo dicimus vnam imaginem esse prototypo similiorem, quam alteram; aut vnam absolute similem, alteram non itẽ. Et hoc posteriori sensu similitudo loc. cit. additur ad imaginem, significans *similitudinem gratiæ, perficiendam in gloria.* Quia vt dicit Damascenus l. 2. c. 13. *Id quod est secundum imaginem, & intellectuale significat, & arbitrio liberum, per se potestatiuum: quod autem secundum similitudinem virtutis, secundum quod homini possibile est, habere similitudinem.* Et *ad idem refertur*, inquit S. Thomas, *quod similitudo dicitur ad dilectionem virtutis pertinere. Non enim est virtus sine dilectione virtutis.*

14 Ex quo sequitur, omnes quidem homines esse ad imaginem Dei; vt docet idem S. Thomas qu. 93. a. 4. quandoquidem ratio imaginis in ipsa natura mentis seu animæ posita est, vt dictum; sed ad similitudinem Dei speciali ratione & sensu, quem scriptura citato loco Geneſis intendit, solumodo esse iustos. Quod etiam tradit Origenes l. 3. peri archon cap. 6. Basilius homil. 10. in Hexaem. Gregorius Nyssenus orat. in illud, *Faciamus hominẽ.* Theodoretus q. 20. in Genes. & Theologi cum Magistro in 2. dist. 16. Quanquam Patres nonnunquam etiam imaginem Dei ita interpretentur, vt eam, in gratia Dei positam, ac per peccatum amitti asserant; quod tamen in Origene improbat Epiphanius epist. ad Ioann. Hierosolymitanum & hæresi 78. & ex parte etiam retractat Augustinus l. 2. Retract. cap. 24. Plura de his reb⁹ Pererius tom. 1. in Genes. lib. 4. & S. Thomas locis citat. & quæst. 92. vbi speciatim de formatione mulieris ex costa Adami agit; asserens a. 3. eam costam in Adamo fuisse, supra consuetum numerum costatum; nec adeo eius loco nisi carnem, vt loquitur scriptura, restitutam: etsi alij aliter; male quidem Caietanus Genes. 2. asserens, Euam nõ vere & proprie, sed solum metaphorice productam fuisse ex costa Adami: quod parum tutum in fide censet Molina disp. 24.

DVBIVM II.

Quænam fuerit conditio hominis in statu naturæ integræ & incorruptæ.

S. Thom. 1. p. q. 94. vsque ad q. 102.

1 PRosequar tantum potiora; & paucis quæstiũculis rem breuiter declarabo. Quæritur primo; qua scientia primus homo in statu Innocentiæ fuerit præditus. Respondeo cum S. Thoma q. 94. Adamum fuisse conditum cum perfectissima scientia; quamuis enim non habuerit cognitionem quidditatiuam vel intuitiuã Dei; nec quidditatiuam Angelorum; tamen eos cognitione naturali abstractiua multo cognouit apertius, quam ab vllo homine cognoscantur, vt cum Sancto Thoma hic q. 94. artic. 1. & 2. habet communis. Deinde per fidem cognouit Adam tum Deum, vt auctorem bonorum supernaturalium; ipsamque sanctissimam Trinitatẽ; tum Incarnationem Verbi, quoad substantiam; adeoque mysterium coniunctionis Christi & Ecclesiæ; vt ex communi docet S. Thomas 2. 2. quæstion. 2. articulo 7. & forte etiam casum & ruinam Angelorum, vt docet Catharinus in cap. 1. Genes. & probabile censent Pererius lib. 5. in Genes. & Gregorius de Valentia disputat. 7. quæstion. 2. pun. 1. Tertio habuit scientiam per accidens infusam omnium rerum naturalium; quatenus vel ex primis principijs per se notis sciri possunt, vel ad alios erudiendos & gubernandos sciri debent: quicquid de scientia elementorum & corporum cœlestiũ, sine causa negarit Caietanus q. 94. a. 3. non autẽ cognouit numerum arenæ maris, aut secreta cordiũ, & similia; vt ex communi docent S. Thomas cit. q. 94. a. 3. & Doctores in 2. d. 23. Neq; vero illa scientia fuit specie diuersa à nostra; cum solũ differret per accidens, ratione modi eam acquirendi, vt cum Caietano cit. a. 3. recte Valentia loc. cit.

Denique ad perfectionem eius scientiæ pertinet, quod Adam, dum ex statu Innocentiæ per peccatum mortale non excidit, nulla in re potuit decipi; probabilibus solum vt probabilib⁹, & cum modo probabilitatis, non absolute assentiens, vt in simili de Angelis dictum, & docet S. Thomas cit. quæstion. 94. articulo 4. post Augustinum lib. 3. de lib. arbit. cap. 12. vbi ait: *Approbare vera pro falsis, non esse naturam instituti hominis, sed pœnam damnati.* Quare nec Eua prius fuit à serpente decepta; *quam in ea esset amor propriæ potestatis, & quadam de se superba præsumptio*, vt cum S. Augustino lib. 10. Genes. ad lit. capit. 30. docet S. Thomas cit. articulo 4. ad 1. Quæ omnia fere colliguntur ex illo Eccli. 17. v. 5. vbi de primis parentibus dicitur: *Cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus replenit illos. Creauit eis scientiam spiritus, sensu implenit cor illorum, & mala, & bona ostendit eis: posuit oculum ipsorum, super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum &c. vt magnalia enarrent opera illius.*

3 Quæritur secundo; quænã fuerit conditio hominis in statu innocentiæ, quoad voluntatem, adeoque gratiam & iustitiam. Respondeo, hominem in eo statu fuisse conditum cum gratia iustificante, ipsaque, quam vocant, iustitia originali. Ita ex communi docet S. Thomas q. 95. a. 1. post Augustinum lib. 12. de ciuit. Dei capit. 9. etsi de hac re perplexe locutus fuerit Magister in 2. dist. 23. & auctor libri quæstion. veteris & noui testamenti quæstion. 123. & colligitur ex illo Eccles. 7. versu 30. *Deus hominem fecit rectum. Quæ rectitudo in hoc consistebat, quod & ratio subdebatur Deo; rationi vero inferiores vires;* (ita vt in appetitu nulla esset rebellio aduersus spiritum) *& anima corpus: è quibus prima subiectio erat causa & secundæ & tertiæ.* Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, etiam inferiora rationi subijciebantur, vt cum Augustino lib. de natura & grat. capit. 15. & de corrept. & grat. cap. 11. docet S. Thomas ibidem.

Digitized by Google

4 Nec obstat, quod in hoc eodem libro cap. 10. dicit Augustinus, *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt prius in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.* Nam vt bene Sanctus Thomas ibidem ad 3. sensus non est, Angelum vel hominem prius fuisse creatum in naturali libertate arbitrij, quam haberet gratiam; sed Deum ostendisse, *quid in eis posset liberum arbitrium, ante confirmationem; & quid postmodum consecuti essent per auxilium gratiæ confirmantis.* Sicut autem Angelus nihilominus gratiam accepit per propriam dispositionem, quam in eodem instanti habuit, ita hoc etiam credibile est de primo homine, vt docet S. Thomas cit. artic. 1. ad 5. quia motus voluntatis non eget mora vel successione. Gratiam autem sanctificantem comitabantur ceteræ virtutes, vt docet S. Thomas q. 95. a. 3. & in simili de Angelis dictum.

5 Quæritur tertio, an & quale dominium homo in statu innocentiæ habuerit, tum in res ceteras corporeas; tum in alios homines. Respondeo habuisse dominium quoddam naturale, cum infallibili effectu, ne vnquam homini resisterent, vel nocerent; tum in bestias & animalia omnia; (quibus si natura sua carniuora essent, suus nihilominus cibus naturalis, ex aliorum animantium cæde defuturus non erat, iuxta S. Thomam q. 96. a. 1.) tum in plantas & res alias inferiores; *non quidem his dominando per imperium, vel immutationem, sed absque impedimento vtendo eorum auxilio*; vt docet S. Thomas quæstion. 96. articulo 1. & 2. Et colligitur ex capit. 1. Genes. versu 26. *Præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersaque terræ, omnique reptili, quod moretur in terra.* Et versu 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram.* &c. Secus est de cœlis ipsis, & astris; quia his homo suo arbitratu non poterat vti, nec de ijs disponere: præterquam quod secundum vniuersalem vim & rationem causandi, ipso quoque homine essent superiora.

6 Sed & futurum erat in eodem statu innocentiæ dominium vnius in alios homines; non quidem proprietatis, velut in seruos seu mancipia; sed iurisdictionis, velut in liberos & conciues; quos & ad eorum proprium, & comune bonum ordinaturus esset. Hoc enim in comunitate requirit bonus ordo politiæ, ipsumque bonum commune, vt docet S Thomas q. 96. a. 4. & tradit Augustinus lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 14. vbi ait: *Iusti non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: hoc naturalis ordo præscribit; ita DEVS hominem condidit.* Neque tamen in paradiso vllus ideo locus pœnæ aut coactioni futurus esset; quia in eo, manente statu innocentiæ, nec transgressio locum habitura esset.

7 Quæritur quarto, an & qua ratione homo in statu innocentiæ fuerit immortalis & impassibilis; loquendo scilicet de passione corruptiua & proprie dicta, qua subiectum à sua naturali dispositione remouetur. Respondeo, omnino fuisse immortalem & impassibilem; non quod, etiam excidendo ex statu innocentiæ per peccatum, pati & mori non potuerit; sed tum quia poterat omnino, si vellet, & non pati, & non mori; tum quia nec poterat quidem, manente eo statu innocentiæ, quicquam pati, vel mori, vt docet Sanctus Thomas quæstione 97. articulo 1. & 2. post Augustinum, seu quisquis est auctor quæstionum noui & veteris testamenti quæstione 19. vbi dicitur: *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipse sibi author esset, aut ad vitam, aut ad mortem.* Quam rem ex instituto prosequitur Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. capit. 2.

8 Causa vero & propria ratio huius immortalitatis non erat, quod ant ipse homo intrinsece per naturam esset incorruptibilis, vti sunt ea, quæ vel materia carent, vt Angeli; vel materiam ad vnam tantum formam determinatam habent, vti corpora cœlestia; nec quod ratione ipsius animæ, veluti formæ, per redundantiam in corpus transfundentis quendam incorruptionis vigorem, immortalis esset, vti corporibus beatorum accidit; sed solum ratione causæ efficientis, infallibiliter hominem à corruptione in eo statu præseruantis; tum ipsius scilicet Dei, propriæque ipsius hominis industriæ,, remouentis vel cauentis ea, quæ corruptionem possent causare; tum etiam arboris seu ligni vitæ, cuius esu identidem subinde, ac per certa temporum interualla repetito, humidum radicale calorq; naturalis in suo vigore perpetuo conseruaretur, vt docet S. Thomas cit. q. 97. a. 1. & 4. post Augustinum lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 26. vbi ait: *quod cibus aderat homini, ne esuriret, potus ne sitiret, & lignum vitæ, ne senectus eum dissolueret.* Et author lib. qu. noui & vet. testam. ait, *quod vita arbor, medicina modo, corruptionem hominum prohibebat.* Nec opus videtur alia qualitate animæ indita, quam Caietanus ex S. Thoma, vti patet, eod. a. 3. assignat, & reijcit Scotus in 2. dist. 19. q. vn.

9 Ea tamen impassibilitas non obstabat, quo minus in eo statu locum haberet indigentia & vsus cibi, potusque; atque etiam vsus naturalis generationis per coitum, sed absque libidine & sterilitatis defectu, vt docet S. Thomas quæst. 96. articulo 3. & cit. quæstion. 97. a. 3. & q. 98. a. 1. & 2. post Augustinum de ciuit. lib. 14. c. 26. & satis patet ex Genes. 1. versu 29. & capit. 2. versu 21. & 24. etsi de naturali generatione aliter senserint Gregorius Nyssenus lib. 3. de hom. capit. 18. & lib. 18. de prouid. capit. 18. Chrysostomus homil. 18. in Genes. Damascenus libro 4. capit. 25. & Euthymius in psal. 50. sed sine causa & fundamento nec satis consentaneè scripturæ Genes. 2. v. 24. *Erunt duo in carne vna.*

10 Quinto quæritur, quænam tunc futura fuisset conditio prolis in eo statu progenerandæ. Respondeo primo, omnes nascituros fuisse corpore sano & integro; non tamen adhuc quoad motū, vsum membrorum, & staturam perfecto; sed sensim, vti hominis natura exigit, perficiendo; vt docet S. Thomas quæst. 99. a. 1. Secundo nati fuissent omnes cum gratia & iustitia originali; vt docet S. Thomas q. 100. a. 1. etsi nonnulli de gratia aliter senserint. Et ratio est, Quia

Gratia

Digitized by Google

Gratia & Iustitia originalis in Adamo fuit *accidens ipsius quasi naturæ specificæ*; alioqui enim eius amissio nihil obesse posteris poterat; nec ipsis in peccatũ imputari: Ergo destinata etiam erat pro posteris.

11 Non tamen nati fuissent ideo in iustitia confirmati, vt secundum mentem Augustini lib. 14 de ciuit. cap. 10. docet S. Thomas quæst. 100. art. 2. etsi contrarium sibi persuaserit Anselmus lib. *Cur Deus homo*, cap. 36. Et ratio est. Tum quia consentaneum erat, vt quamdiu status merendi duraret, maneret etiam libertas ad vtrumlibet, bonum scilicet & malum. Tum quia non conueniebat, vt proles meliore conditione nasceretur, quam qua Parens ipse primus conditus fuit; qui vtique non obstante statu innocentiæ, potuit peccare. Neque tamen peccatum vnius ex posteris Adæ nocuisset alijs, sed ipsi solum, mox idcirco ex paradiso exterminando, eiusque proli deinceps ex ipso nasciturę, &c.

12 Tertio nati fuissent in eo statu omnes, non quidem scientia iam perfecti: nec cum pleno vsu rationis; sed eâ mentis & ingenij facultate; *quæ absque difficultate scientias acquisiuissent, siue inueniendo, siue addiscendo*; vt docet S. Thomas quæst. 101. a. 1. & 2. Quarto nati similiter fuissent omnes immortales & impassibiles, iuxta modum quæstione 4. explicatum; & sequitur ex vi ipsius iustitiæ originalis, quã cum illi fuissent nati, vt ex S. Thomæ dictum q. 100. a. 1.

13 Sexto quæritur, vtrum omnes in eo statu progeniti futuri fuissent pares, siue quoad corporis, siue animi dotes. Respondeo cum Sancto Thoma quæst. 96. art. 3. & ex dictis, negatiue. Varia enim inter eos futura erat inæqualitas; & primum quidem quoad sexum; nam & viri & mulieres futuri erant. Secundo ratione ætatis, non enim simul vtique omnes erant nasciturі, sed successiue alij atque alij, donec prædestinatorum numerus compleretur: qui an idem præcise futurus esset, qui modo est, incertum est, & nonnihil disputatum de prædestinat. disput. 3. quæst. 5. dub. 5. Tertio ratione staturæ corporis, ex dictis quæstione 5. & probabiliter etiam ratione virium & roboris etiam in pari alioquin ætate. Quia vt bene notat Sanctus Thomas cit. quæst. 96. articulo 3. [Corpus humanum non erat totaliter exemptum à legibus naturæ; quin ab agentibus exterioribus aliquod commodum aut auxilium reciperet, magis vel minus, cum etiam & cibis vita eorum sustentaretur. Et sic nihil prohibet dicere, quin secundum diuersam dispositionem aëris, & diuersum situm stellarum, aliqui robustiores corpore generarentur, quam alij, & maiores, & pulchriores, & melius complexionati, ita tamen quod in illis, qui excederentur, nullus esset defectus, siue circa animam, siue circa corpus.] Ita S. Thomas.

14 Quarto iuxta eundem ibidem, etiam secundũ animam diuersitas fuisset, *& quantum ad iustitiam, & quantum ad scientiam. Non enim ex necessitate homo operabatur, sed per liberum arbitrium: ex quo ratio habet, quod homo posset magis vel minus animum applicare ad aliquid faciendum, vel volendum, vel cognoscendum. Vnde quidam magis profecissent in iustitia & scientia, quàm alij.* Ita Sanctus Thomas ibidem. Ex quo sequitur, etiam futuram tunc fuisse inæqualitatem in remuneratione & gloria; quæ gratiæ & meritis respondet, vt suo loco de hominibus in hoc statu viuentibus dictum disput. 2. quæst. 6. dub. 5.

Septimo quæritur; quænam fuerit conditio loci, seu paradisi, in quo tunc homines victuri essent: & an paradisus adhuc supersit. Respondeo breuiter, de paradiso hæc statuenda videri. I. Adamum in paradiso non fuisse productum; sed extra paradisum; & postea in paradisum translatum, secus est de Eua, quæ in paradiso fuit formata. Ita Sanctus Thomas quæst. 102. articulo 4. & colligitur ex Genes. 2. vers. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.* Et mox infra vers. 21. *Adæ vero non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam &c.* Rationem congruentiæ rectè assignat Sanctus Thomas loc. cit. *Quia paradisus fuit locus congruus humanæ habitationi, quantum ad incorruptionem primi status: incorruptio autem illa non erat hominis secundum naturam, sed ex supernaturali Dei dono. Vt ergo hoc gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ, Deus hominem extra paradisum fecit; & postea ipsum in paradiso posuit, vt habitaret ibi toto tempore animalis* (seu naturalis) *vitæ, post modum cum spirituale vitam* (terminatione vitæ naturalis) *adeptus esset, transferendus in cœlum.* Alia fuit ratio Angelorum, quibus cùm secundum ipsam eorum naturam, vtpote supremam, congrueret supremus locus cœli, merito ab initio in illo fuerunt creati. Alia etiam ratio fuit mulieris, cui etsi pariter secundum naturam locus paradisi non deberetur, eum tamen ab initio suæ formationis obtinuit, ob dignitatem Adami, velut principij, ex quo iam in paradisum translato, fuit formata, vt dictum, & ibidem docet Sanctus Thomas. 15

II. Paradisum fuisse locum corporeum, & quidem in aliqua parte conuexæ ipsius terræ superficiei positum. Ita S. Thomas cit quæst. 102. a. 1. post Augustinum lib. 8. super Genes. ad lit. in princip. ex communi; quicquid Origenes & alij nonnulli in contrarium dixerint. Patet ex historica narratione Moysis, & maxime ex cit. Genes. 2. vers. 15. *Posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum*; hoc est, excoleret, tum ob animi recreationem, tum ad comparandam *experientiam virtutis naturæ*, custoditet vero, non aduersus inuasorem; *sed sibi, ne ipsum peccando amitteret*; vt recte interpretatur Sanctus Thomas quæst. 102. art. 3. Terra autem illa, quæ excolenda erat, & flumina, quæ ex paradiso egrediebantur, Genes. 2. vers. 10. vbi esse poterant, nisi in superficiei terræ quacunque demum parte? Quod ergo Beda 2. Cor. 12. dixit, *paradisum pertingere vsque ad lunarem circulum*, aut non est verum, (si ad literam & proprie accipiatur;) aut figurate accipiendum est, secundum quasi effectum; quia fuit in eo tanta veris amœnitas & tranquillitas, perinde ac si lunarem circulum contingeret, vt respondet Sanctus Thomas cit. q. 102. a. 1. ad 1. 16

17 III. Paradisum permansisse saltem vsque ad diluuium. Ita præter communem Patrum sententiam colligitur ex scriptura Genes. 3. v. 24. *Eiecitq; Adam & collocauit ante paradisũ voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiam viam ligni vitæ.* Quorsum enim tali custodia opus esset, si mox, aut paulo post foret destruendus? Præterquam quod nulla erat ratio destructionis, ipseque Enoch postea ad paradisum translatus fuisse dicitur Eccli. 44. v. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisũ, vt det gentibus pœnitentiã.*

18 IV. Paradisi quidem locum adhuc in terris vspiam extare; nec tamen determinate cognitum esse. Declarantur singula; Vtraque enim pars traditur à Sancto Thoma citat. quæstion. 101. articulo 2. & est communis Patrum ac Doctorum, qui absolute docent, paradisum adhuc supereſſe. Ratio sumitur ex præcedenti assertione. Quia enim paradisus erat quędam certa terrę portio, singulariter à DEO exculta, ornata, & ad hominum habitationem accommodata, non potest negari, eum locum secundum se & materialiter acceptum adhuc supereſſe; quia terra nulla sui tam nobili parte diminuta est: etiamsi gratis interim concedatur, eam partem postea fuisse aquis seu mari circumfusam. Quia tamen nemo hactenus fuit, qui eum locum in particulari cum fundamento solido determinauerit, nec ex Scriptura vllum sumi potest firmum indicium, quo is locus particulatim definiatur; idcirco nobis ille adhuc manet incognitus. Quamuis enim dicatur fuisse positus in Oriente, respectu Palæstinæ, iuxta Isidorum l. 14. Etymolog. c. 13. & S. Thomam q. 102. a. 1. & versionẽ LXX. & quorundam aliorum eius loci Genes. 2. v. 8. vbi nos legimus *A principio*, hebraice *MiKKedem*; cui nonnulli addunt fuisse sub æquinoctiali; quia tamẽ vtrumque loci attributum latissime patet; & quod de æquinoctiali dicitur, incertũ est, nihil ex his particulatim potest definiri. Idem docent Augustin⁹ l. 2. de grat. Christi cont. Pelagiũ & Cœlestiũ c. 23.

91 V. Probabile esse, eum paradisi locũ modo ea amœnitate non esse p̃ditum, quam olim habuit: ac p̃inde nec paradisum absolute loquendo amplius exstare: etsi contrarium non minus probabile. Priorem partem tradunt illi, qui absolute negant, paradisum modo exstare; in quibus potissimum Pererius lib. 3. & 7. in Genes. post Iansenium in Concord. Euangelic. capit. 143. quos sequuntur non pauci recentiores. Probatur & declaratur. Quia paradisus, vt esset congrua hominis in statu innocentiæ habitatio, non habebat hoc à natura; sed singulari quasi cura & cultu ipsius Dei, Gen. 2. v. 8. *Plantauerat autẽ Dominus Deus paradisum* (seu hortum) *voluptatis à principio*, &c. Quod etiam ratio dictat. Quia p̃petua illa & constans æquabilitas ac temperies aëris, nudis hominum corporibus fouendis necessaria; coniuncta tamen simul cum aliqua temporis vicissitudine, frugibus necessaria, non poterat esse sine peculiari Dei cura ac prouidentia: siquidẽ in nulla terrę parte, vt experientia liquet, talis temperies cõstanter reperitur. Deinde amœnitas salubritasque fructuum, ac p̃cipue arboris vitæ, non alium nisi Deum quasi plantatorem & cultorem requirebat; quod etiam indicat scriptura Gen. 2. v. 9. *Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrũ visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali, &c.* Cum autem inundante postea diluuio, cuius aquæ quindecim cubitis omnes montes superauerunt Gen. 7. v. 20. vtique etiam paradisi locum, nisi Deus singulari miraculo obstaret, obrui & destrui necesse fuerit; neq; tamen vlla appareat ratio, cur Deus singulari miraculo, aut eum aquis obrui nollet, aut denuo ad antiquam amœnitatem restaurari vellet, probabile sit, paradisi amœnitatem & decorem illum, vnde nomen accepit, non ampli⁹ exstare.

Nihilominus quia communis SS. Patrum & Doctorum consensus cum Magistro in 2. dist. 17. & cum S. Thoma q. 102. a. 1 ad 2. & 3. & a. 2. ad 3. & 4. censet, paradisum adhuc exstare, in eoq; etiamnũ Enoch & Eliam degere, non minus p̃babile est, etiamnum paradisum supereſſe, saltem secundum ea, quæ in ipso præcipua erant; vt erat varia omnis generis fructuũ arborumq; amœnitas, aëris insignis temperies, & arbor vitæ. &c. quæ nil obstat post diluuiũ etiam in alium forte terræ locũ fuisse translata. Vide Gregorium de Valentia disp. 7. q. 6. pun. 2. & Molinam de operibus sex dierum, disp. 25. & sequentibus. 20

Breuis Synopsis totius opificij sex dierum, ad textum scripturæ Genes. 1. accommodata.

PLacet ad confirmationẽ eorum, quæ hactenus tum de cœlis, tum de reliquo opificio sex dierum docuimus, breui compendio rem totam sub conspectũ p̃ponere; idq; iuxta seriem & contextum ipsius scripturæ Genes. 1. vbi hac de re agitur. Ex quo patebit, totam Moysis narationem, iuxta expositã à nobis doctrinã, facile, plane, ac p̃spicue intelligi posse; non autẽ ita cõmode secundum eam, quam multi alij, de opificio sex dierũ, atq; inprimis de cœlis tradiderunt doctrinam. Sic igitur habent verba Genes. 1. iuxta traditam à nobis doctrinam explicata. 1

Versus 1. *In principio* (hoc est, in primo instanti temporis, ipsiusq; primi dici naturalis, tempore verno, vt dictum q. 1. dub. 4. & q. 2. dub. 1.) *creauit* (ex nihilo produxit, propria creatione, ex dictis q. 1. dub. 1. & q. 2. dub. 1.) *Deus* (ac tota sanctissima Trinitas, cui id opus commune, ex q. 1. dub. 2.) *Cœlum* (totum corpus cœleste quoad substantiam) *& terram*: [elementum terræ, & omnia intermedia, quæ ab his continentur corpora simplicia, seu elementa: ad eoq; totum mundum corporeum, quoad substantiam, vt dictũ q. 2. dub. 2. 2

Versus 2. *Terra autem* (vti propria eius natura ferebat) *erat inanis & vacua* (nullaq; adhuc distinctione, nec ornatu plantarũ, aliorumq; mixtorũ corporũ p̃dita;) *& tenebræ* (quodcum quasi horarũ, vniuſq; adeo noctis spatio, ex dictis q. 2. dub. 3.) *erant super faciẽ abyssi* (totiusq; mundi corporei, tam cœlestis, quã elemẽtaris, iã antea quoad substantiã creati, & quasi profundissima & caliginosa quadã abysso demersi.) *Et spiritus* Dei *ferebatur super* 3

aquas

aquas [Hoc est, Deus ipse, qui Spiritus est, seu Spiritus sanctus, cui ratione amoris bonitas & fœcũditas attribuitur, intima sua præsentia incumbebat, seu incubabat quodammodo toti liquido illi ac diaphano, tam cœlesti, quam elementari corpori, quod à terra sursum versus per infinita quasi spatia diffusum erat; tam illud fouendo, ac in suo Esse conseruando, quam ad vlteriores perfectiones & effectus successiue deinceps, diebus sequentib⁹, recipiendos ac producendos destinãdo, vt dictum q. 1. dub. 4. & toto reliquo tractatu.

4 Versus 3. *Dixitq; Deus* (verbo mentis, non oris, adeoq; decreuit) *Fiat lux*; [non luminare, seu certum aliquod & constans corpus luminosum; sed qualitas ipsa lucis corporeæ, secundum lineam æquinoctialis circuli, in corpore cœlesti diaphano, successiue ꝓducatur, vt intra viginti quatuor horas, ꝓductio illa, successiue facta, suũ quasi circulũ conficiat, perinde ac si corp⁹ luminosum eodem temporis spatio motu suo circulum absolueret; eaq; lux deseruiat, tum ad distinctionem operum diuinorum præcipue corporis cœlestis, tum vt successiua quasi ꝓmotione, atq; ad aspectum suo quasi motu, diebus noctibusq; distinguendis, tantisper deseruiat; ex dictis q. 2. dub. 3.] *Et facta est lux*. [post duodecim videlicet horas noctis, seu tenebrarum, in plaga cœli Orientali, respectu Palæstinæ; iuxta dicta ibidem.

5 Versus 4. *Et vidit Deus lucẽ, quod esset bona*] adeoq; consentanea rerum naturis; non quod, vt opinor, ex essentia corporis cœlestis velut ꝓprietas emanet; sic enim cœlos à principio lucidos fuisse, necesse foret; sed & astra consequenter inter se, & à cœlis suis essentialiter differrent: sed quod cœlos, velut eximia quædam perfectio ab omni corruptione aliena, sumopere exornet, bonoq; totius vniuersi admodum oportuna sit.] *Et diuisit lucem à tenebris*. non efficiendo nouum aliquod interstitium lucis ac tenebrarum; sed spatia ac tempus earundem certa lege definiendo ac disterminando, ex dictis cit. q. 2. dub. 3.

11 6 Versus 5. *Appellauitq; lucem diem* (artificialem, non naturalem; hic enim vtriusq;, noctis ac diei artificialis spatiũ complectitur, ex dictis q. 2. dub. 1.) *Et tenebras*) siue carentiam luminis, in mundo iam creato) *noctem*. *Factumque est vespere & mane* (hoc est, ex tempore tenebrarum, duodecim horis creationem lucis antecedente, & tempore productæ lucis, totiusque diei artificialis, duodecim itidem horas conficiente) *dies vnus* [siue primus; vt dictum q. 2. dub. 1. & 3.

7 Versus 6. *Dixit quoque Deus*; *Fiat* (non producatur ex nihilo, sed ex præsubiecta materia cœlestis corporis, ipsaq; substantia cœli sua natura & pro tempore adhuc liquida, ex dictis quæstione tertia, dubio secundo,) *Firmamentum* (condensatione & consolidatione cœlestis corporis, ex quæstione tertia, dubio primo, & secundo,) *Et, diuidat* (seipso velut solido & immutabili interstitio) *aquas* (superiores, siue superiorem cœlestis corporis substantiam liquidam, beatorum habitationi destinatam) *ab aquis* [inferioribus, totoq; corpore liquido & diaphano elementari, vt dictum q. 3. dub 1.

Versus 7. *Et fecit Deus* (non creauit ex nihilo, nec productione seu mutatione substantiali, sed solũ accidentali, addita cœlesti substãtiæ soliditate, ex dictis cit. q. 3. dub. 1. *Firmamentum* (solidam illam cœlorum machinam; in qua postea stellæ ac planetæ erant collocandi, ex dictis ibidẽ.) *Diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento* (elementaris naturę) *ab his, quæ erant supra firmamentum* [seu supra ipsũ consolidatum iam cœlorum corpus, cœlestis naturæ, vt dictum cit. q. 3. dub. 1. & 2. 8

Versus 8. *Et factum est ita. Vocauitq; Deus firmamentum cœlũ*: (nomen illi substantiæ iam antea conueniens, etiã noua soliditatis conditione accedente, & ꝓpter continentiã aquarũ, eidem quasi confirmauit.) *Et factum est vespere & mane* (noua rursus elapsa nocte & die artificiali, spatio horarũ viginti quatuor) *dies secundus*, [vt dictũ plurib⁹ q. 3. dub. 1. 9

Versus 9. *Dixit vero Deus*; *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt* (elementares nimirum fluidæ, & terram vndiq; sphæræ modo circumdantes) *in locum vnum*, (constituendo vnam sphæram cum terra;) *& appareat*, (sitq; actu reipsa atq; existat) *arida*. *Et factum est ita*. Vide q. 4. dub. 1. 10

Versus 10. *Et vocauit Deus aridam terram* (nomen itidem huic substantiæ iam antea conueniens, etiam accedente ariditatis conditione, eidem confirmando;) *congregationesque aquarum appellauit maria*: *Et vidit Deus quod esset bonum*: [non quidem particulari naturæ aquarum, sed totius vniuersi; hominisque ac animalium futuræ habitationi cõueniens, vt dictum q. 4. dub. 1. 11

Versus 11. *Et ait*, *Germinet* (concursu passiuo & materiali, non actiuo) *terra* (iam aquis nudata) *herbam virentẽ, & facientẽ semen*. (etiamsi venenata sit) *& lignũ pomiferũ faciens fructũ, iuxta genus suũ* (omnisq; adeo generis arbores) *cuius semẽ* (ad ꝓpagationem futuram necessarium) *in semetipso sit super terram*. *Et factum est ita*. [vid. q. 4. dub. 1. 12

Versus 12. *Et protulit terra* (actu & formaliter, non tantum virtualiter & in potentia) *herbam virentem, & facientem semen, iuxta genus suum, lignũque faciens fructum, & habens vnumquodque sementẽ, secundum speciem suam. Et vidit Deus, quod esset bonũ*. 13

Versus 13. *Et factum est vespere & mane dies tertius*. [perinde vt versu 5. dictum est.

Versus 14. Dixit autem Deus; *Fiant* (non, ex nihilo; nec substantiali mutatione, sed ex substantia cœlesti præsuppositi, addito lumine, ex dictis quæstion. 4. dub. 1.) *luminaria* (tam stellæ inerrantes, quam planetæ) *in Firmamento cæli*, (solido illo corpore cœlesti; ex dictis quæst. 3. dub. 1. *& diuidant* (motu diurno) *diem ac noctem*; (non solum: hoc enim faciebat etiã lux illa impfecta primo die creata; sed) *& sint* (motu suo ꝓprio differmiter, vniformi, quẽ vna cum suis orbibus, quibus inexistunt, conficiunt) *in signa* (prognostica serenitatis vel pluuiæ &c.) *& tempora* (distinguendo quatuor anni tempora; ver, æstatem, autumnum, hyemem) *& dies*, (artificiales) *& annos* [eorundem spatia definiendo; quamdiu hoc ad rerum inferiorum generationes, & habitantium in terra hominum vsus, nimirum ad extremum vsque iudicij diem, erit necessarium, ex dictis q. 4. dub. 2. & 5. 14

15 Versus 15. *Vt luceant in firmamento cæli* (siue propria luce singula, siue à sole accepta) *& illuminent terram.* (non autem vt habitationem præstent nouo generi mortalium in astris habitantium, ex quæst. 2. dub. 5.) *Et factum est ita.*

Versus 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna* (respectu aliorum astrorum, saltem ad aspectum) *luminare maius* (siue solem;) *vt præesset diei* (artificiali, eius horas ac spatium suo motu supra horizontem definiendo;) *& luminare minus* (siue lunam) *vt præesset nocti* (eam vtcunque etiam illustrando, maxime dum in principio noctis plena exoritur) *& stellas.* [ceteras, tam inerrantes, quam errantes reliquas, ex quæst. 3. dub. 1. & q. 4. dub. 2.

16 Versus 17. *Et posuit eas* (vtriusque eius generis stellas) *in Firmamento cæli* (seu corpore cœlesti cõsolidato, ex quæst. 3. dub. 1. & q. 4. dub. 2.) *vt lucerent* (singulæ iuxta suam conditionem & modum) *super terram.*

Versus 18. *Et præessent diei ac nocti* (modo explicato) *& diuiderent lucem ac tenebras* (eorum tempora & spatia definiendo) *Et vidit Deus, quod esset bonum* [toti nimirum Vniuerso, rerumque creatarum, seu faciendarum naturis admodum consentaneum.

Versus 19. *Et factum est vespere & mane dies quartus* [naturalis, horarum viginti quatuor, modo superius explicato.

17 Versus 20. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ* (elementares, seu corpus elementare liquidum terræ proximum) *reptile* (aquaticum) *animæ viuentis* (adeoque pisces) *&* (producant quoque aquæ) *volatile super terram, sub firmamento cæli* (seu sub ipso corpore cœlesti consolidato, ex q. 3. dub. 1.).

Versus 21. *Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem* (aquatilia omnis generis) *quam produxerant* (concursu passiuo) *aquæ in species suas: & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum.* [vide quæst. 5. dub. 1.

Versus 22. *Benedixitq; eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram.* [continua & indefiniti propagatione.

Versus 23. *Et factum est vespere & mane dies quintus* [modo superius explicato.

Versus 24. *Dixit quoque Deus; Producat terra animam viuentem in genere suo* (animalia terrestria) *iumenta, & reptilia* (terrestria) *& bestias terræ, secundum species suas. Factumque est ita.*

18 Versus 25. *Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.* [vide quæst. 5. dub. 1.

Versus 26. Et ait: *Faciamus* (verba diuinarum personarum inter se quasi consultantium) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (vt secundum animam, sit imago, & per gratiam similitudo nostra; tam secundum naturã Deitatis, quam Trinitatem personarum, ex dictis q. 5. dub. 1.) *& præsit* (dominio naturali, de quo quæst. 5. dub. 2.) *piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.*

Versus 27. *Et creauit* (ppria creatione, spectando animam) *Deus hominem ad imaginẽ suam: ad imaginẽ Dei creauit illum; masculũ & fœminam* (non tamen simul, sed successiue, nec in eodem loco ex q. 5. dub. 2.) *creauit eos.*

Versus 28. *Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini* (naturali via generationis, ex dictis q. 5. dub. 2.) *& replete terram; & subijcite eam* (quoad pro ratione stat⁹ vobis commodum, aut necessarium erit) *& dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* [De quo dominio actum q. 5. dub. 2. 19

Versus 29. *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis* (vestroq; dominio subieci) *omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna* (excepta arbore scientiæ boni & mali) *quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam;* (quoad natura singulorum fert) *& cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et factum est vespere & mane dies sextus.* Plura de hominis conditione, in statu innocentiæ, diximus quæst. 5. dub. 2.

Ex quibus omnibus intelligitur, opificium Hexaem. siue sex dierũ, ita à Deo conuenienter fuisse peractum, vt initio quidẽ statim creatio cæli & terræ, ac elementorum, adeoq; totius mundi quoad substantiã à Deo peracta fuerit; hic deinde successerit op⁹ distinctionis rerũ antea creatarũ; quod factum est primo, secundo, & tertio die, productione lucis; separatione aquarũ cælestium & elementariũ; & congregatione aquarũ elementariũ in vnum locum: hinc deniq; tum eodem die tertio, tum reliquis diebus, subsecutum & peractum fuerit opus ad ornatum eiusdem mudi ptinens, put iuxta cõmunem Doctorum sententiam fusius tradit S. Thomas q. 65. & sequentibus præsertim q. 70. a. 1. 20

Atque hæc de opificio sex dierum, totaq; parte prima S. Thomæ satis. Nam quæ is porro de gubernatione Dei disputat, quantũ Scholastica tractatio requirit, iam antea suis locis expediuimus.

Nos interim, vt cum S. Basilio l. 1. Hexaem. loquar: *Conditorem optimum rerum sapientissime formatarum glorificemus, & ex visibilium pulchritudine, illũ qui nihil optimus est, contemplemur. Et ex magnitudine corporum circumscriptorum metiamur illum infinitum, & maximum, omnemq; cogitationem cordis humani suæ virtutis amplitudine transgredientem. Nam licet creaturæ natũram minime comprehendamus, tamẽ idipsũ, quod tenuiter nostro subijcitur intellectui, tantum habet admirationis, vt etiam velocissima mens inferior videatur his rebus, quæ in hoc mundo habentur exiguæ; debitamq; super omnibus laudem Conditori referamus impensius: cui gloria, & honor, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* 21

FINIS.

Laus DEO Creatori Cæli & terræ, & Deiparæ cæli Reginæ, Virgini Mariæ, Omnibusque Cæli ciuibus, & huius mundi Triumphatoribus.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS PRIMVS DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET DVBIORVM, QVÆ HOC PRIMO TOMO SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ COMPREHENDVNTVR.

DISPVTATIO I.

De ipsa sacræ Theologiæ scientia secundum se.

QVÆSTIO I.

De existentia, necessitate, & vtilitate S. Theologiæ.

Dubium I. *Vtrum præter Philosophicas & naturales disciplinas necessaria sit in Ecclesia militãte alia doctrina Theologica & reuelata; & quis Theologiæ secundum substantiam spectatæ necessitatis modus & ratio.*

II. *An & qua ratione Theologia etiam Scholastica Ecclesiæ necessaria & vtilis sit.*

III. *An & quomodo necessaria sit ad salutem doctrina reuelata & Theologica, etiam de ijs rebus, quæ de Deo naturali ratione inuestigari possunt.*

Quæstio II. De S. Theologiæ genere, tam proximo quam remoto.

Dubium I. *Vtrum Theologia sit habitus adhæsiuus atq; argumentatiuus.*

II. *V. Theologiæ habitus sit opinio, aut fides; seu diuina, seu acquisita.*

III. *V. Theologia sit scientia propriè dicta.*

IV. *V. Theologia sit scientia subalternata scientiæ Dei aut beatorum.*

V. *V. Theologia proprie sit sapientia.*

Quæstio III. De Subiecto siue obiecto S. Theologiæ.

Dubium I. *Quodnam sit obiectum totius Theologiæ formale Quod, siue attributionis.*

II. *Quodnam sit eius obiectũ Quo seu ratio formalis obiectiua Qua, seu propter quam.*

III. *Vtrum præter rationem formalẽ obiectiuam Qua, siue propter quam, assignanda sit alia Theologiæ ratio formalis sub qua, & quænam illa sit.*

Quæstio IV. De Proprietatibus & attributis S. Theologiæ.

Dubium I. *Virũ Theologiæ habitus sit naturalis & acquisitus, an supernaturalis & infusus.*

II. *V. Theologia sit vnus habitus, seu vna scientia, an vero plures.*

III. *V. Theologia sit scientia speculatiua, an practica.*

IV. *V. Theologia certitudine alijs habitibus & scientijs naturalibus antecellat.*

V. *V. Theologia dignitate eisdem simpliciter superet.*

Quæstio V. De Principijs siue locis Theologicis.

Dubium I. *Quot & quinam sint vniuersim loci ac sedes principiorum Theologicorum; & quænam singulorum ratio.*

II. *Quotuplex sit scripturæ sensus, & quam ad argumentandum efficax.*

III. *An etiam conclusio Theologica ex duabus reuelatis, aut vna reuelata, & altera naturaliter euidente, possit esse principium Theologicæ argumentationis.*

IV. *An etiam sequatur conclusio necessaria, seu certa de fide; si in discursu Theologico præmissa naturalis sit vel de ineſſe tantum, vel moraliter certa.*

V. *An & qua ratione argumenta contra fidem possint solui.*

DISPVTATIO II.

De Deo & Attributis diuinis.

Quæstio I. De Existentia & Essentia Dei.

Dubium I. *Quæ sit notio nominis Dei.*

II. *An Deum esse, sit per se notum.*

III. *An & qua ratione demõstrari possit, Deũ esse.*

IV. *Quibus rationibus demonstretur, Deũ esse.*

V. *Quæ sit ratio Essentiæ diuinæ, & an formaliter includat existentiam, aliasq; perfectiones quasdam Dei essentiales.*

Quæstio II. De Attributis diuinis in genere.

Dubium I. *Quid nomine Attributi diuini intelligatur; & quænam sit attributorum diuinorum partitio.*

II. *An diuina attributa tam ab essentia diuina, quam inter se à parte rei distinguantur.*

III. *An attributa diuina inter se & ab essentia distinguãtur ratione ac etiam virtualiter, & quo fundamento.*

IV. *Vtrum perfectiones diuinæ distinguantur solum per respectum ad creaturas, ac rationem nostram: an etiam ratione siue intellectione Dei & beatorum.*

V. *An diuina attributa positiua, sint de ratione, quidditate, & conceptu diuinæ essentiæ.*

VI. *Vtrum essentia diuina sit de ratione attributorum; & hæc omnia & singula de ratione & quidditate singulorum.*

VII. *An & qua ratione attributa tam de diuina Essentia, quam hæc de illis, atq; etiam illa de se mutuo prædicari possint in abstracto.*

Quæstio III. De Simplicitate, Perfectione, & Bonitate Dei.

Dub. I. *An Deus omni modo sit simplex & incõpositus.*

Digitized by Google

II. *An & qua ratione Deus sit Ens undequaque perfectissimum.*
III. *An & qua ratione Deus sit summum bonum.*
Quæstio IV. De Infinitate ac Imensitate Dei.
Dub. I. *An & qua ratione Deus sit infinitus secũdũ essentiã, & in quo hæc infinitas consistat.*
II. *Vtrum possibile sit infinitũ actu, siue secundũ multitudinẽ & numerũ: siue secundũ magnitudinẽ & extensionẽ aut etiã intensionem.*
III. *An & qua ratione Deus sit immensus & vbiq; præsens.* (cœlum.
IV. *Vtrum Deus sit etiã in spatijs aliquibus extra*
Quæstio V. De Immutabilitate, Æternitate, & Vnitate Dei.
Dubium I. *An & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse immutabilem.*
II. *In quo consistat attributum Æternitatis, & qua ratione Dei proprium sit.*
III. *An & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse Vnum.*
Quæstio VI. De Visione ac incomprehensibilitate Dei, seu modo cognoscendi Deum.
Dubium I. *An Deus clare & intuitiue ab intellectu creato videri possit; & an oculis etiam corporeis, atq; in hac vita.*
II. *An Deus videatur, aut quidditatiue videri possit per aliquam similitudinem vel speciem creatam, seu cognitione intuitiua, seu abstractiua, etiam secundum potentiã absolutam.*
III. *An intellectus creatus videre Deum possit naturalibus viribus; an potius indigeat ad hoc supernaturali aliquo lumine & habitu, etiam secundum absolutam Dei potentiam.*
IV. *Vtrum visio effectiue procedat ab intellectu beati; & quodnam in ea re sit proprium munus luminis gloriæ.*
V. *An & quanam ratione videntium essentiam Dei, vnus alio perfectius Deum videat.*
VI. *Vtrum Deus etiam comprehendi possit ab intellectu creato, & in quo hæc Incomprehensibilitas Dei consistat.*
VII. *Vtrum videns essentiam Dei necessario videat etiam relationes, seu personas, & omnia, quæ sunt formaliter in Deo.*
VIII. *An à beatis in Deo, seu Verbo, videri possint etiam creaturæ, & decreta libera diuinæ voluntatis.*
IX. *Quanam ratione & modo in Verbo videantur creaturæ; & vnde oriatur diuersitas visionis creaturarum in Verbo.*
X. *Quæ & quandonam à beatis singulis in Verbo videantur creaturæ.*
XI. *Vtrum saltem per absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri possit Deus, non visa vlla creatura.*
XII. *Vtrum per potentiam absolutam fieri possit, vt in Deo seu Verbo videantur omnia quæ in Deo eminenter continentur.*
Quæstio VII. De Ineffabilitate ac Nominib⁹ Dei.
Dubium I. *An & qua ratione Deus sit ineffabilis; & quænam sit diuinorum nominum distributio ac varietas.*
II. *An & quænam nomina de Deo dicantur substantialiter, & ab æterno, & ex tempore.*
III. *An cõmunia Deo & creaturis nomina de vtrisq; vniuoce, an solum æquiuoce vel analogice prædicentur.* (ditatiue.
IV. *An Deus possit aliquo nomine significari quid-*
V. *Quodnam nomen sit maxime proprium Deo, cæterisq; præstantius: & an nomen Dei Tetragrãmaton idẽ sit cũ illo Dei nomine, Qui est.*
Quæstio VIII. De Vita, Intellectu, & scientia Dei.
Dubium I. *An & quomodo in Deo sit scientia, vita, & veritas; seu qua ratione Deus sit viuens, intelligens, & verus.*
II. *An & qua ratione Deus cognoscat se ipsum.*
III. *An & qua ratione generatim loquendo, Deus cognoscat creaturas, in se ipsone, an in seipsis.*
IV. *An & qua ratione Deus cognoscat creaturas tum existentes, tum possibiles, & num adeo etiam cognoscat infinita.*
V. *An Deus cognoscat omnia futura contingentia, tum absoluta, tum conditionata.*
VI. *Qua ratione Deus cognoscat futura contingentia, an immediate in seipsis, vel in causis eorum, vel ex reali eorũ præsentia ab æterno.*
VII. *An ea potius cognoscat Deus in seipso, & qua ratione, num vt in Idea aut in decreto suæ voluntatis.*
VIII. *An & qua ratione Deus cognoscat nõ entia, atq; etiam mala.*
IX. *Quotuplex sit scientia diuina: & quisnam in ea sit ordo respectu variorum obiectorum.*
X. *Qualis sit Dei scientia, siue de attributis diuinæ scientiæ: & quænam scientia sit causa rerum & practica.*
Quæstio IX. De Ideis Diuinis.
Dubium I. *An & quid sint Ideæ in mẽte diuina.*
II. *Quot, & quarũ rerũ Ideæ sint in mẽte diuina.*
Quæstio X. De Voluntate Dei.
Dubium I. *An & quarũ rerũ volũtas sit in Deo.*
II. *Quinam actus voluntatis sint in Deo.*
III. *Quotuplex sit diuina voluntas.*
IV. *Qualis sit diuina voluntas: & quidnam formaliter sit libera Dei volitio.*
V. *An sit aliqua causa seu ratio diuinæ voluntatis, & quisnam in actibus ipsius sit ordo.*
VI. *An voluntas Dei necessitatem quibusdam rebus volitis imponat, & quænam in effectibus creatis sit radix contingentia.*

Digitized by Google

VII. *An & qua ratione generatim Deus actus liberos & cætera quæ in hoc mundo fiunt, sua voluntate prædefiniat.*

VIII. *Qua ratione diuinæ voluntatis efficacia, eiusq; præfinitiones, cum libertate arbitrij cõcilientur: & an absoluta, ac plane antecedẽs præfinitio actus humani pugnet cum libertate actus prædefiniti.*

Quæstio XI. De Potentia Dei.

Dubium I. *An sit in Deo aliqua potentia operatiua ad extra; & quisnam in genere sit modus seu ratio concursus diuini, quo vna cum causis secundis operatur ad extra.*

II. *Sitne potentia Dei operatiua ad extra formaliter ipse intellectus & voluntas Dei, an potius perfectio ratione ab vtraq; distincta.*

III. *An diuina potentia sit infinita, & vera omnipotentia: & quodnam proprie sit obiectum potentiæ diuinæ.*

IV. *Possitne Deus facere plura & meliora quam fecerit, aut facturus sit, etiam in infinitum, idq; secundum potentiã suã quoq; ordinariã: & an possit facere tantum, quantũ potest.*

V. *An vti ad operationes transeuntes, ita etiam ad immanentes detur in Deo potentia actiua, ab illis ipsis operationibus immanentibus ratione distincta.*

Quæstio XII. De Beatitudine Dei.

Dubium I. *An & qua ratione Deus sit beatus.*

II. *An beatitudo sit proprium & speciale attributum Dei, & qua ratione ad alia diuina attributa comparetur.*

DISPVTATIO III.

De Prouidentia ac Prædestinatione diuina.

Quæstio I. De Prouidentia Dei.

Dubium I. *Quid generatim sit Prouidentia, an sit actus Intellectus, an voluntatis, & qualis.*

II. *An in Deo sit Prouidentia, cui omnia subijciantur.*

III. *Qua ratione res creatæ subijciantur diuinæ Prouidentiæ, an omnia immediate, ac etiam veluti subiecta quædam, aut termini seu effectus diuinæ Prouidentiæ.*

IV. *Vtrum Prouidentia diuina sit infallibilis, semperq; consequatur finem, ad quem ordinat & præparat media.*

V. *An & qua ratione diuina Prouidẽtia cõciliari possit cũ libertate arbitrij creati, speciatim ex mẽte S. Thomæ, & quid de Fato ac fortuna sentiendum.* (stinationis.

Quæstio II. De natura & Essentia diuinæ Prædes-

Dub. I. *Quid tum in genere, tum hoc loco, per diuinam Prædestinationem intelligatur, deq; eius obiecto, subiecto, & termino in communi, & denique an in Deo sit Prædestinatio.*

II. *Quidnam essentialiter & formaliter sit diuina Prædestinatio, actusne voluntatis an intellectus, & qualis.*

III. *Qua ratione Prædestinatio se habeat ad Præscientiã, Dilectionẽ, Electionẽ, Prouidentiã; an sit huius pars, & qualis.* (nationẽ habeat.

IV. *Quid sit liber Vitæ, & quõdo se ad Prædesti-*

Quæstio III. De Termino seu obiecto Quod, & Effectibus Prædestinationis in specie.

Dub. I. *An dona omnia & bona supernaturalia Prædestinati sint effectus Prædestinationis.*

II. *An bona etiã quædã naturalia Prædestinati, qualia sunt eius existentia, vita, valetudo, vires, &c. sint effectus Prædestinationis eiusdẽ.*

III. *An mala etiam qualibet eiusdem, tum pœnæ, tum culpæ, aut saltem permissio culpæ sint effectus Prædestinationis.*

Quæstio IV. De Causis Prædestinationis.

Dub. I. *An & quænã sit finalis causa totius Prædestinationis quoad suos effectus: & qua ratione ex hoc ipso fine reddi possit ratio eiusdem, tũ in genere, tum in specie.*

II. *An & qua ratione detur causa meritoria Prædestinationis ex parte Christi, seu generatim extra ipsum Prædestinatum.*

III. *Quænam contra varias hæreses certa sint circa causam meritoriam Prædestinationis ex parte Prædestinati.*

IV. *Quid Scholastici nonnulli de Prædestinationis causa ex parte prædestinati senserint.*

V. *Quænã sit vera sentẽtia de causa Prædestinationis, ex parte prædestinati: & an nõnino detur aliqua causa meritoria, vel dispositiua, seu impetratoria, vel causa per accidens, siue occasio, aut saltem conditio sine qua non totius Prædestinationis ex parte prædestinati.*

Quæstio V. De Ordine ac progressu Prædestinationis in mente diuina.

Dub. I. *An & qua ratione ac modo, seu ordine, Deus pro saluandis prædestinet peculiarẽ quãdam gratiam congruam, electorum propriam.*

II. *Sitne in mente diuina secundũ rationẽ nostrã aliquis ordo prioritatis inter prædestinationẽ vel præuisionem meritorum seu mediorum in particulari, & electionẽ ad gloriã, aliosue actus quibus Deus saluandis vult gloriam.*

III. *Vtrũ in diuina mẽte Electio seu prædestinatio ad gloriã antecedat voluntatẽ efficacẽ, & electionẽ, seu præscientiã meritorũ, seu mediorum, vel cõtra: speciatim quid hac de re tũ cæteri Doctores, tũ præcipue S. Augustinus & S. Thomas senserint.* (sentiendũ sit.

IV. *Quid hac de re absolute, & secũdũ rei veritatẽ*

V. *Qua ratione diluẽdæ sint obiectiones cõtra gratuitam prædestinationẽ ad gratiã & gloriam.*

VI. *An etiã certi gradus gratiæ, & gloriæ, omnesq; actus ac media, quibus prædestinati efficaciter*

promo-

promouentur ad gloriam, in individuo & secundum omnes suas circumstãtias sint à Deo prædefinitæ, ante præuisionem cooperationis seu determinationis, ipsamue cooperationem nostram.

VII. *Vtrum in diuina mente secundum rationem nostram prior sit peccati peremissio quã electio nostra ad gloriam.*

VIII. *An & quo ordine Prædestinatio nostra se habeat ad prædestinationem aliorum, seu hominum, seu Angelorum.*

IX. *Quenam proinde sit series, quisue ordo omnium actuum diuinæ mentis concurrentium seu affinitatem habentium cum prædestinatione nostra.*

Quæstio VI. De Infallibilitate, immutabilitate, & concordia Prædestinationis diuinæ cum libero arbitrio.

Dubium I. *An & quomodo Prædestinatio sit certa, certusq; numerus prædestinatorum.*

II. *Quantus & quam conueniens sit prædestinatorum numerus.*

III. *Vtrum prædestinatio sit in nostra potestate, aut saltem cum libertate arbitrij nostri consentiens.*

IV. *An & qua ratione de nostra prædestinatione certi esse possimus: seu quanam sint diuinæ Prædestinationis signa.*

Quæstio VII. De Reprobatione diuina.

Dubium I. *An, quid, & quotuplex sit Reprobatio, & quo modo ad prædestinationẽ se habeat.*

II. *Quinam sint effectus reprobationis.*

III. *An & quæ sint causæ totius reprobationis, præsertim ex parte reprobi.*

IV. *Quo ordine & processu in mente diuina peragatur reprobatio, siue ipsos actus eius inter se, siue eam cum prædestinatione conferamus.*

V. *An & quomodo reprobatio sit certa, & simul cum libertate arbitrij consentiens.*

Anchora animæ Deum timentis, & in profundo diuinæ prædestinationis pelago secure nauigantis, una cum breui Synopsi totius disputationis de eodem argumento.

DISPVTATIO IV.

De Sanctissima Trinitate diuinarum Personarum.

Quæstio I. De personis diuinis, earumque numero, similitudine, æqualitate, identitate, ordine & perfectione secundum se, & in genere.

Dubium I. *Quid nomine Trinitatis, personæ, hypostasis, subsistentiæ, Vsiæ & Essentiæ in diuinis intelligatur.*

II. *Qua ratione Trinitatis mysterium à nobis in hac vita cognoscatur, an etiam naturali ratione & euidenter.*

III. *Quot sint personæ diuinæ.*

IV. *Qua ratione dissoluẽdæ sint obiectiones contra SS. Trinitatis mysterium pugnantes.*

V. *Qua ratione vocula & ratio personæ cõmunis sit omnibus personis diuinis & de singulis prædicetur.*

VI. *An præter tres subsistentias & hypostases personales sit in Deo subsistentia quædã absoluta non personalis, & communis omnibus tribus personis.*

VII. *Qua ratione personæ diuinæ se habeant ad essentiã, ac attributa essentialia, & quomodo tum de vtrisq; inter se comparatis, tum vniuersim de his, quæ pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo loquendum sit.*

VIII. *An & quomodo diuinæ personæ sint inter se similes, æquales, (saluo tamen originis ordine,) & idem in essentia, atq; in se mutuo existentes.*

Quæstio II. De processione siue origine diuinarum Personarum.

Dubium I. *An, quales, & quot sint in Deo processiones personarum, siue ad intra.*

II. *An processiones personarum immediatè sint à natura, seu essentia diuina, an per aliquam eius operationem, & qualem.*

III. *Per quasnam operationes intellectus aut voluntatis procedant personæ diuinæ.*

IV. *Sitne in diuinis actus intelligendi & amandi principium quo producendi personas, an ipsa productio.*

V. *Quodnam sit principium Quo, & potentia productiua personarum seu actuum notionaliũ, quisue terminus formalis eorundẽ actuum.*

VI. *Vtrum productiones seu processiones personarum sint actus voluntarij & liberi, an naturales seu per modum naturæ.*

VII. *An aliqua processio in diuinis sit vera propriaq; dicta generatio.*

VIII. *Vtrum in diuinis sit alia processio à generatione Verbi, & in quo proprie à generatione differat.*

Quæstio III. De Relationibus, notionibus, originibus, seu actibus Notionalibus, ac proprietatibus personarũ, & constitutione earundẽ.

Dubium I. *An, quæ, & quot sint relationes reales in Deo.*

II. *Quomodo relationes ab essentia, ac inter se, & à personis distinguantur.*

III. *Vtrum relationes personarum in Deo sint de essentia, ratione & conceptu diuinitatis, deq; ea in abstracto formaliter prædicentur, & an vicissim essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum.*

IV. *Vtrum relationes reales in Deo sint formaliter perfectiones, & quales, & quomodo ratione earundem multiplicentur in diuinis tum*

Digitized by Google

transcendentia cetera, tum existentia.

V. *Quid, & quot in Deo sint notiones, origines seu actus notionales ac proprietates personarum; & quomodo hæc tum inter se mutuo, tum ad relationes se habeant.*

VI. *Quanã ratione primo ac formaliter cõstituãtur & distinguãtur personæ diuinæ, an per proprietates seu relationes personales, an per origines seu actus notionales, an vtrisq; seu neutris.*

Quæstio IV. De personis singulis in specie, earumque missione. 111

Dubium I. *De varijs nominibus & appellationibus primæ personæ, nimirum Patris, quaque sit eorum nominum vis & significatio.*

II. *De varijs nominibus & appellationibus secundæ personæ seu Filij, quæq; sit eorũ ratio & vsus.*

III. *Procedatne Filius tam ex cognitione omnium eorum, quæ in Deo sunt formaliter, quam ipsarum etiam creaturarum.*

IV. *De varijs nominibus & appellationibus tertiæ personæ, hoc est, Spiritus sancti, quaq; sit eorum significatio ac sensus.*

V. *An & qua ratione Spiritus S. procedat à Patre & Filio, ac per Filium.* (procederet.

VI. *An Spiritus S. distingueretur à Filio, si ab eo nõ*

VII. *An Spiritus S. procedat à Patre & Filio velut vno principio & spiratore, an duobus spirãtibus.*

VIII. *An Pater & Filius se & creaturas diligant Spiritu sancto.*

IX. *De missione diuinarum personarum, an scilicet, quæ, à quibus, ad quid, & quãdo mittãtur.*

DISPVTATIO V.

De Angelis.

Quæstio I. De existentia & productione Angelorum, eorumq; substantia, varietate, & numero.

Dubium I. *An dentur in rerum natura Angeli, & à quo, quando, & vbi sint producti.*

II. *Sintne Angeli corporei, an plane incorporei.*

III. *Vtrum Angeli natura sua sint corruptibiles, vel incorruptibiles, atq; etiã entia necessaria.*

IV. *Vtrum Angeli sint substantiæ intelligentes, & quidem homine superiores.*

V. *Quot sint hierarchiæ & ordines Angelorum; & an, ac qua ratione Angeli inter se specie ac numero differant.*

VI. *De multitudine Angelorum, & speciatim de septẽ Angelis, qui astare dicuntur coram Deo.*

Quæstio II. De loco & motu locali Angelorum.

Dubium I. *An & quomodo generatim Angelus sit in loco extrinseco.*

II. *An etiam habeat aliquod vbi intrinsecum, & quale: & an etiam necessario sit in loco.*

III. *Per quidnam formaliter sit in loco.*

IV. *Vtrum Angelus simul possit esse in pluribus locis, an potius necessario sit in vno tantum loco, & quidem sibi adæquato, certone modo figurato.*

V. *Vtrum plures angeli simul esse possint in eodem loco etiam adæquato.*

VI. *An & qua ratione generatim Angelus possit moueri localiter, & quidnã motus localis ei superaddat, aliquidne intrinsecum, an solam denominationem extrinsecam.*

VII. *Vtrum Angelus possit moueri ab extremo ad extremum seu quod idem est, ad locum distantem, sine transitu per medium.*

VIII. *De velocitate motus angelici: & speciatim an & qua ratione Angelus moueri possit in instanti, maxime ad locum distantem.*

Quæstio III. De Intellectu & Cognitione Angelorum.

Dubium I. *Quid, & quotuplex sit intellectus Angeli, quidq; ipsius intelligere.*

II. *De medio cognitionis Angelicæ, seu speciebus intelligibilibus, an nimirũ, vnde, quas & quales species intelligibiles habeant Angeli.*

III. *De obiecto cognitionis naturalis, respectu rerum immaterialium, an nimirum, & quomodo Angelus naturaliter cognoscat, tum Deum, tum seipsum, tum etiam alios Angelos.*

IV *De obiecto cognitionis Angelicæ naturalis, respectu rerum materialium, tum possibilium, tum actu existentium, vel etiam præteritarum aut necessario futurarum.*

V. *An, & quomodo Angeli cognoscant futura contingentia.*

VI. *An & quomodo Angeli naturaliter cognoscãt actus internos alienæ mentis & voluntatis, seu cordis.*

VII. *De obiecto cognitionis Angelicæ, respectu rerum supernaturalium.*

VIII. *De modo cognitionis Angelicæ, an scilicet ea cognitio semper sit in actu secundo, & quidem plurium, aut omniũ obiectorũ simul, an etiam discursiua, vel habitualis, aut errori obnoxia.*

Quæstio IV. De voluntate, deque locutione & illuminatione Angelorum, velut actibus communibus intellectui ac voluntati Angelicæ.

Dubium I. *An & qualis voluntas sit in Angelo, an eiusdẽ speciei cum humana; an respectu obiectorum libera vel necessaria, an aliquando indeliberata, & quid de naturalibus habitibus Angelicæ voluntatis sentiendum.*

II. *Vtrum voluntas Angeli sit natura sua immutabilis, an inflexibilis ab eo, quod semel elegit.*

III. *An, & qua ratione Angeli inter se loquantur.*

IV. *An, & qua ratione, & de quibus rebus, inter Angelos, vnus alterum illuminet.*

Quæstio V. De Angelorum potentia locomotiua, seu operatiua transeunte, siue de operationibus eorundem ad extra-

Digitized by Google

Dubium I. *An, qua, & qualis, potentia locomotiua seu operatiua ad extra sit in Angelo, an ab intellectu & voluntate distincta an etiã actiua in distans, & miraculorũ operatiua.*

II. *Quas res Angeli loco mouere possint, an non solum substantias corporeas, sed etiam incorporeas, & quo modo.*

III. *Quid particulatim de translatione sagarum ad conuenticula diabolica sentiendum.*

IV. *An etiam sit in Angelo naturalis vis seu potentia productiua alicuius substantiæ, vel qualitatis: & quid speciatim de conuersione sagarũ in varias formas animaliũ, tempestatumq; noxiarum concitatione sentiendum.*

V. *An & qua ratione possint Angeli assumere corpora, & per ea actiones vitales exercere.*

VI. *An, & qua ratione generatim ordinẽ & statũ huius mundi immutare, rerumq; naturaliũ efficientiam suspendere, vel impedire possint.*

Quæstio VI. De Bonitate & malitia, merito & demerito, præmio & pœna, statu beatitudinis & damnationis, studijsque & functionibus bonis & malis Angelorum.

Dub. I. *Vtrum omnes Angeli fuerint creati in gratia, & an propria dispositione, quaue mẽsura vel proportione eam acquisiuerint.*

II. *De via Angeli boni, qua nimirum ratione, quotq; & quibus instantibus peruenerit ad gloriam.*

III. *De via & lapsu angeli mali: ac speciatim, quando, quinam, cuius suasu, quo ordine, & quotnam Angeli peccarint.*

IV. *Qualenam fuerit, aut esse potuerit primum angelorum peccatum, tum ex parte obiecti, tum ratione subiecti.*

V. *De statu damonum quantum ad naturalia: speciatim quæ sit causa obdurationis damonũ.*

VI. *De statu damonum, quantum ad eorundem pœnam: speciatim qua ratione, quando, & vbi per ignem puniantur.*

VII. *De prauis damonum studijs & infestationibus, ad homines seducendos & perdendos.*

VIII. *De præsidio, ministerio, & custodia bonorũ Angelorũ, erga homines, aliasq; res creatas.*

DISPVTATIO VI.

De Creatione mundi corporei, tam cœlestis, quam sublunaris, adeoque de opificio sex dierum.

Quæst. I. De Creatione mundi corporei in genere.

Dubium I. *Quid, & quarum rerum proprie sit creatio: & an sit actio immanens in Deo.*

II. *An creatura possit esse causa vel instrumentũ creationis saltẽ secundũ absolutã Dei potẽtiã.*

III. *An, & quomodo mundus corporeus cœperit; & an aliqua creatura potuerit esse vel creari ab æterno, saltẽ secundum absolutã Dei potẽtiã.*

IV. *An & quo ordine temporis, siue dierum mundus corporeus sit à Deo productus: & quandonam cœperit tempus ac mundus.*

Quæstio II. De opere primæ diei, nimirum cœlo, terra, luce.

Dubium I. *An cœlum & terra primo die, an potius ante primum diem sint creata.*

II. *Quid cœli & terræ nomine significetur, an nõ solum cœlum Empyreum, sed etiã omne corpus cœleste, omniaq; elementa, adeoque totus mundus corporeus, quoad essentiam.*

III. *Qualis lux, & quo spatio primi diei sit producta, an post tenebras: & quis finis & vsus eius lucis.*

IV. *An, & ex qua materia cœlum constet.*

V. *An cœlum sit animatum.*

VI. *An cœlum sit natura sua corpus generabile & corruptibile.*

Quæstio III. De opere secundæ diei, nimirum firmamento ac soliditate cœli, itemque de aquis supra & infra firmamentum existentibus.

Dubium I. *Qua sit ratio firmamenti, & aquarum, quas diuidit firmamentum.*

II. *Sit ne firmamentum adeoque cœlum solidum an liquidum corpus.*

III. *An soliditati vel incorruptibilitati cœlorum obstent noua phænomena.*

Quæstio IV. De operibus tertiæ ac quartæ diei, nimirum congregatione aquarum, & germinatione terræ, itemq; de luminaribꝰ seu stellis in firmamento positis.

Dubium I. *De opere tertiæ diei, nimirum congregatione aquarum, & germinatione terræ.*

II. *Ex qua materia quarta die producta sint sydera; & quomodo firmamẽto seu cœlis inserta.*

III. *Terra ne an potius cœlum ac sydera motu diurno moueantur, & à quo motore, an à Deo immediatè, an ab Angelis.*

IV. *Quot sint cœli, præcipue syderei, & an eiusdem omnes essentiæ.*

V. *An & qua ratione cœli in fine mundi sint interituri.*

Quæstio V. De operibus quintæ & sextæ diei, nimirum animalium, ipsiusque hominis productione.

Dub. I. *Quodnam fuerit vniuersim opus quintæ & sextæ diei: & in specie quomodo homo ad imaginem & similitudinem Dei factus sit.*

II. *Quanam fuerit conditio hominis in statu innocentiæ seu naturæ integræ & incorruptæ.*

Synopsis totius opificij sex dierum, ad textũ Moysis Geneseos 1. accommodata.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS SECVNDVS; ORDINEM QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM,

PRIMÆ PARTIS SVMMÆ S. THOMÆ AQVINATIS; VNA CVM LOCIS, QVIBVS IN HOC OPERE SINGVLA TRACTANTVR OSTENDENS.

QVÆSTIO I.

Qualis sit hæc doctrina; & ad quæ se extendat.

Art.1. Vtrum præter alias scientias, doctrina Theologica sit necessaria. *Vide Disput.1.quæst.1.dub. 1.2.3.*

2. Vtrum sacra doctrina sit scientia. *Disput.1.q.1. dub. 1.2.4.q.2. dub.1.2.3.4.*

3. Vtrum sit vna scientia vel plures. *Disp. 1.q. 3. dub.2.3. & q.4. dub.1. 2.*

4. Vtrum sit speculatiua vel practica. *Disp. 1. q. 4. dub.3.*

5. Vtrum sit dignior aliis scientiis. *Disp. 1. q.4.dub. 4. 5.*

6. Vtrum sit sapientia. *Disp.1.q.2 dub.5.*

7. Vtrum Deus sit subiectum huius scientiæ *Disp. 1. q.3. dub.1.*

8. Vtrum sit argumentatiua. *Disp. 1.q.2. dub. 1. & q.3.dub.2. & q.5.dub.1.*

9. Vtrum vti debeat metaphoricis, vel symbolicis locutionibus. *Disp. 1.q.5. dub. 2. 3.4.5.*

10. Vtrum sit secundum plures sensus exponenda. *Disp.1.q.5.dub.2.*

QVÆSTIO II.

De Deo an sit.

1. Vtrum Deum esse sit per se notum. *Disp.2.q.1.dub. 1.2.5.*

2. Vtrum Deum esse sit demonstrabile. *Disp.2.q.1. dub.3.*

3. Vtrum Deus sit. *Disp.2.q.1.dub.4.*

QVÆSTIO III.

De simplicitate Dei.

1. Vtrum Deus sit corpus. *Disp.2.q.3.dub.1.Vid. etiam q.1.dub.5. & q.2.dub.2. & 5.*

2. Vtrum in Deo sit compositio materiæ & formæ. *ibidem.*

3. Vtrum in Deo sit compositio quidditatis siue essentiæ, vel naturæ subiecti. *ibid.*

4. Vtrum in Deo sit compositio essentiæ & esse. *ibidem. & Disp.2.q.1.dub.5.*

5. Vtrum in Deo sit compositio generis & differentiæ. *ibidem.*

6. Vtrum in Deo sit compositio subiecti & accidentis. *ibid. & Disp.2.q.2. dub. 2.5.*

7. Vtrum Deus sit quocunque modo compositus, vel totaliter simplex. *ibid.*

8. Vtrum Deus veniat in compositionem cum aliis. *ibid.*

QVÆSTIO IV.

De perfectione Dei.

1. Vtrum Deus sit perfectus. *Disp.2.q.3.dub.2.*

2. Vtrum Deus vniuersaliter sit perfectus, omnium in se perfectionem habens. *ibid.*

3. Vtrum creaturæ possint esse Deo similes. *ibid.*

QVÆSTIO V.

De bono in communi.

1. Vtrum bonum & ens sit idem secundum rem. *Disp.2.q.3.dub.1.*

2. Vtrum, supposito quod differant ratione tantum, quid sit prius secundum rationem, bonum vel ens. *ibidem.*

3. Vtrum, supposito quod ens prius sit, omne ens sit bonum. *ibidem.*

4. Ad quam causam ratio boni reducatur. *ibid.*

5. Vtrum bonum conuenienter diuidatur per honestum, vtile, & delectabile. *ibidem.*

QVÆSTIO VI.

De bonitate Dei.

1. Vtrum esse bonum conueniat Deo. *Disp.2.q. 3. dub.3.*

2. Vtrum Deus sit summum bonum. *ibid.*

3. Vtrum ipse solus sit bonus per suam essentiã. *ibid.*

4. Vtrum omnia sint bona bonitate diuina. *ibid.*

QVÆSTIO VII.

De infinitate Dei.

1. Vtrum Deus sit infinitus. *Disp.2.q.4.dub.1. & 2.*

2. Vtrum aliquid præter ipsum sit infinitum secundum essentiam. *ibid.*

3. Vtrum aliquid possit esse infinitum secundum magnitudinem. *ibidem.*

4. Vtrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem. *ibidem.*

Digitized by Google

QVÆSTIO VIII.

De existentia Dei in rebus.

1. Vtrum Deus sit in omnibus rebus. *Disp.2.quæst 4. dub.3.& 4.*
2. Vtrum Deus sit vbique. *ibid.*
3. Vtrum Deus sit vbique per essentiam, præsentiam & potentiam. *ibid.*
4. Vtrum esse vbique sit proprium Dei. *ibid.*

QVÆSTIO IX.

De immutabilitate Dei.

1. Vtrum Deus sit omninò immutabilis. *Disp.2 q.5. dub.1.*
2. Vtrum esse immutabile sit proprium Dei. *ibid.*

QVÆSTIO X.

De æternitate Dei.

1. Quid sit æternitas. *Disp.2.q.5. dub.2.*
2. Vtrum Deus sit æternus. *ibid.*
3. Vtrum esse æternum sit proprium Dei. *ibid.*
4. Vtrum æternitas differat ab æuo & tempore. *ibidem.*
5. Vtrum æuum sit aliud à tempore. *ibid.*
6. Vtrum sit tantum vnum æuum, sicut est vnum tempus, & vna æternitas. *ibid.*

QVÆSTIO XI.

De vnitate diuina.

1. Vtrum vnum addat aliquid supra ens. *Disp.2.q.5. dub.3.*
2. Vtrum vnum & multa opponantur. *ibid.*
3. Vtrum Deus sit vnus. *ibid.*
4. Vtrum Deus sit maxime vnus. *ibidem.*

QVÆSTIO XII.

Quomodo Deus cognoscatur à nobis.

1. Vtrum aliquis intellectus creatus possit videre essentiam Dei. *Disp.2.q.6. dub.1.*
2. Vtrum essentia Dei videatur ab intellectu creato secundum aliquam speciem creatam. *Disp.2.q.6. dub.2.*
3. Vtrum essentia Dei possit videri oculo corporeo. *Disp.2.q.6.dub.1.*
4. Vtrum aliqua substantia intellectualis creata ex suis naturalibus sufficiens sit videre Dei essentiã. *Disp.2.q 6. dub 3.4.*
5. Vtrum intellectus creatus ad videndam Dei essentiam indigeat lumine creato. *Disp.2. quæst.6. dub.3.4.*
6. Vtrum videntium Dei essentiam, vnus alio perfectius videat. *Disp.2.q.6. dub. 5.7.*
7. Vtrum aliquis intellectus creatus possit comprehendere Dei essentiam. *Disp 2. quæst. 6 dub. 6.7.12.*
8. Vtrum intellectus creatus videns Dei essentiam, omnia in ipsa cognoscat. *Disp. 2. quæst. 6. dub 8.9.10.11.*
9. Vtrum ea quæ ibi cognoscit, per aliquas similitudines cognoscat. *Disput. 2. quæst. 6. dub. 8.9.*
10. Vtrum simul cognoscat omnia, quæ in Deo videt. *Disp.2.q.6 dub.10.*
11. Vtrum in statu huius vitæ aliquis homo possit essentiam Dei videre. *Disp.2 q.6.dub.1.*
12. Vtrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus. *ibid.*
13. Vtrum supra cognitionem naturalem in præsenti vita aliqua cognitio Dei habeatur per gratiam. *Disp.2.q.6. dub.3.*

QVÆSTIO XIII.

De nominibus Dei.

1. Vtrum Deus sit nominabilis à nobis. *Disp.2 q.7. dub.1.4.*
2. Vtrum aliqua nomina dicta de Deo prædicentur de ipso substantialiter. *Disput.2. quæst. 7. dub.2.*
3. Vtrum aliqua nomina dicta de Deo proprie dicantur de ipso, an omnia ei attribuantur metaphoricè. *Disput. 2. quæst. 2. dub.7. & quæst.7. dub.1.*
4. Vtrum multa nomina dicta de Deo sint synonyma. *Disp.2.q.2.dub.3.4 6. & quæst.7. dub.1.*
5. Vtrum aliqua nomina dicantur de Deo & creaturis vniuoce, vel æquiuoce. *Disp. 2. quæst.7. dub.3.*
6. Vtrum, supposito quod dicantur analogice, dicantur, per prius de Deo, vel de creaturis. *Disp. 2.q.2.dub.5. & q.7.dub.3.*
7. Vtrum aliqua nomina dicantur de Deo ex tempore. *Disp.2.q.7.dub.2.*
8. Vtrum hoc nomen, Deus, sit nomen naturæ, vel operationis. *Disp.2.q.7.dub.5.*
9. Vtrum hoc nomen Deus sit nomen communicabile. *ibidem.*
10. Vtrum accipiatur vniuoce vel æquiuoce, secundum quod significat Deum per naturam, per participationem, & secundum opinionem. *ibidem.*
11. Vtrum hoc nomen, Qui est, sit maxime propriũ nomen Dei. *ibidem.*
12. Vtrum propositiones affirmatiuæ possint formari de eo. *Disp.2.q.2. dub.1.& 7. & quæst.7. dub.1.*

QVÆSTIO XIV.

De scientia Dei.

1. Vtrum in Deo sit scientia. *Disput. 2. quæst. 8. dub.1.*
2. Vtrum Deus intelligat seipsum. *Disp.2. quæst.8. dub.2.*
3. Vtrum Deus comprehendat se. *Disp. 2.q. 8. dub.2.*
4. Vtrum suum intelligere sit sua essentia. *Disput. 2. q.8. dub. 1.*
5. Vtrum intelligat alia à se. *Disput. 2. quæst. 8. dub.3.7.9.*
6. Vtrum Deus habeat de rebus propriam cognitionem. *Disp.2.q.8. dub.3.7.*
7. Vtrum scientia Dei sit discursiua. *Disp.2.quæst.8. dub.10.*
8. Vtrum scientia Dei sit causa rerum. *Disp.2.q.8. dub.10.*
9. Vtrum scientia Dei sit eorum, quæ non sunt. *Disp.2.q.8.dub.4.5.8.*
10. Vtrum scientia Dei sit malorum. *Disp. 2. quæst.8. dub.8.*

Digitized by Google

11. Vtrum scientia Dei sit singularium, *Disp. 2. q. 8. dub. 3.*
12. Vtrum scientia Dei sit infinitorum. *Disp. 2. q. 8. dub. 4.*
13. Vtrum scientia Dei sit futurorum contingentium. *Disp. 2. q. 8 dub. 5. 6. 11.*
14. Vtrum scientia Dei sit enuntiabilium. *Disp. 2. q. 8. dub. 5.*
15. Vtrum scientia Dei sit variabilis. *Disp. 2. quæst. 8. dub. 10.*
16. Vtrum Deus de rebus habeat scientiam speculatiuam vel practicam. *Disput. 2. quæst. 8. dub. 9. 10.*

QVÆSTIO XV.

De ideis.

1. Vtrum sint ideæ. *Disp. 2. q. 9. dub. 1. 2.*
2. Vtrum sint plures ideæ, vel vna tantum. *ibidem.*
3. Vtrum ideæ sint omnium quæ cognoscuntur à Deo. *ibid.*

QVÆSTIO XVI.

De veritate.

1. Vtrum veritas sit in re, vel in intellectu tantum. *Disp. 2. q. 8. dub. 1.*
2. Vtrum veritas sit in intellectu componente & diuidente. *ibidem.*
3. De comparatione veri ad ens. *ibid.*
4. De comparatione veri ad bonum. *ibid.*
5. Vtrum Deus sit veritas. *ibid.*
6. Vtrum omnia sint vera vna veritate vel pluribus. *ibid.*
7. Vtrum veritas sit æterna. *ibid.*
8. Vtrum veritas sit immutabilis. *ibid.*

QVÆSTIO XVII.

De falsitate.

1. Vtrum falsitas inueniatur in rebus. *Disp. 2. q. 8. dub. 1.*
2. Vtrum falsitas sit in sensu. *ibid.*
3. Vtrum falsitas sit in intellectu. *ibidem.*
4. Vtrum enuntiata falsa sint contraria. *ibid.*

QVÆSTIO XVIII.

De vita Dei.

1. Quorum sit viuere. *Disp. 2. q. 8. dub. 1.*
2. Quid sit vita. *ibidem.*
3. Vtrum vita Deo conueniat. *ibidem.*
4. Vtrum omnia in Deo sint vita. *ibid.*

QVÆSTIO XIX.

De voluntate Dei.

1. Vtrum in Deo sit voluntas. *Disp. 2. q. 10. dub. 1.*
2. Vtrum Deus velit alia à se. *Disp. 2. q. 10. dub. 2.*
3. Vtrum quidquid Deus vult, ex necessitate velit. *Disp. 2. q. 10. dub. 3. & 4.*
4. Vtrum voluntas Dei sit causa rerum. *Disput. 2. q. 10. dub. 5.*
5. Vtrum voluntatis diuinæ sit assignare aliquam causam. *Disp. 2. quæst. 10. dub. 4. 5.*
6. Vtrum voluntas Dei semper impleatur. *Disp. 2. q. 10. dub. 3. 4.*
7. Vtrum voluntas Dei sit immutabilis. *Disput. 2. q. 10. dub. 4.*
8. Vtrum voluntas Dei imponat necessitatem rebus volitis. *Disp. 2. q. 10. dub. 6. 7. 8.*
9. Vtrum voluntas Dei sit malorum. *Disp. 2. q. 10. dub. 1.*
10. Vtrum Deus habeat liberum arbitrium. *Disp. 2. q. 10. dub. 4.*
11. Vtrum sit distinguenda in Deo voluntas signi. *Disp. 2. q. 10. dub. 3.*
12. Vtrum conuenienter ponantur circa diuinam voluntatem quinque signa. *Disput. 2. quæst. 10. dub. 3.*

QVÆSTIO XX.

De amore Dei.

1. Vtrum in Deo sit amor. *Disp. 2. q. 10. dub. 1. 2.*
2. Vtrum Deus amet omnia. *ibid.*
3. Vtrum Deus magis amet vnum, quam aliud. *ibid.*
4. Vtrum Deus meliora magis amet. *ibid.*

QVÆSTIO XXI.

De iustitia & misericordia Dei.

1. Vtrum in Deo sit iustitia. *Disp. 2. q. 10. dub. 1. 2.*
2. Vtrum iustitia Dei veritas dici possit. *ibidem.*
3. Vtrum in omni opere Dei sit iustitia & misericordia. *ibid.*

QVÆSTIO XXII.

De Prouidentia Dei.

1. Vtrum prouidentia Deo conueniat. *Disp. 3. q. 1. dub. 1. 2.*
2. Vtrum prouidentiæ diuinæ subdantur omnia. *Disp. 3. q. 1. dub. 2. 3. 4.*
3. Vtrum prouidentia diuina immediate sit de omnibus. *Disp. 3. q. 1. dub. 2. 3.*
4. Vtrum prouidentia diuina imponat necessitatem rebus prouisis. *Disp. 2. q. 10. dub. 8. & Disp. 3. q. 1. dub. 4. 5.*

QVÆSTIO XXIII.

De Prædestinatione Dei.

1. Vtrum Deo competat prædestinatio hominum. *Disp. 2. quæst. 10. dub. 8. & Disp. 3. q. 2. dub. 1. 3. & q. 4. dub. 1. & q. 5. dub. 8. & q. 6. dub. 4.*
2. Vtrum prædestinatio ponat aliquid in prædestinatis & quid sit. *Disp. 3. q. 2. dub. 2. 3. & q. 3. dub. 1. 2. & Disp. 5. q. 6. dub. 4.*
3. Vtrum Deo competat reprobatio aliquorum hominum. *Disp. 3. q. 2. dub. 1. q. 7. dub. 1. 2. 3. 4. 5. & disp. 5. q. 6. dub. 4.*
4. Vtrum prædestinati eligantur à Deo. *Disp. 3. q. 2. dub. 2. 3. & quæst. 3. dub. 2. & quæst. 5. dub. 1. 3. & 5.*
5. Vtrum merita sint causa, vel ratio prædestinationis, reprobationis, & electionis. *Disp. 3. q. 3. dub. 2. & q. 4. dub. 1. 3. 4. 5. & q. 5. dub. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 10. & q. 7. dub. 3.*
6. Vtrum prædestinati infallibiliter saluentur. *Disp. 3. q. 10. dub. 8. & q. 6. dub. 1. 3.*
7. Vtrum numerus prædestinatorum sit certus. *Disp. 2. q. 10. dub. 8. & Disp. 3. q. 5. dub. 1. 2. 3. 4. & q. 6. dub. 1. 2. & q. 7. dub. 5.*
8. Vtrum prædestinatio possit iuuari precibus sanctorum. *Disput. 3. quæst. 3. dub. 2. 3. & q. 4. dub. 2. 6.*

QVÆSTIO XXIV.

De libro vitæ.

1. Quid sit liber vitæ. *Disp. 3. q. 2. dub. 4.*
2. Cuius vitæ sit liber. *ibid.*
3. Vtrum aliquis deleri possit de libro vitæ. *ibid.*

QVÆSTIO XXV.

De potentia Dei.

1. Vtrum in Deo sit potentia. *Disp. 2. quæst. 11. dub. 1. 2. 5.*
2. Vtrum Dei potentia sit infinita. *Disp. 2. quæst. 11. dub. 3.*
3. Vtrum Deus sit omnipotens. *Disput. 2. quæst. 11. dub. 3.*
4. Vtrum possit facere quod ea quæ sunt præterita, non fuerint. *Disp. 2 q. 11. dub. 3.*
5. Vtrum Deus possit facere quæ non facit, vel prætermittere quæ facit. *Disputat. 2. q. 11. dub. 2. 4.*
6. Vtrum Deus possit ea quæ facit, meliora facere. *Disp. 2. quæst. 11. dub. 4.*

QVÆSTIO XXVI.

De beatitudine Dei.

1. Vtrum beatitudo competat Deo. *Disp. 2. q. 12. dub. 1. 2.*
2. Vtrum Deus dicatur beatus secundum actum intellectus. *ibidem.*
3. Vtrum Deus sit essentialiter beatitudo cuiuslibet beati. *ibidem.*
4. Vtrum in beatitudine Dei includatur omnis beatitudo. *ibidem.*

QVÆSTIO XXVII.

De processione siue origine diuinarum personarum.

1. Vtrum processio sit in diuinis. *Disp. 4. quæst. 2. dub. 1. 2. 3. 4. 7. 8.*
2. Vtrum aliqua processio in diuinis possit dici generatio. *ibidem.*
3. Vtrum præter generationem possit esse aliqua processio in diuinis. *ibid.*
4. Vtrum illa alia processio possit dici generatio. *ibidem.*
5. Vtrum sint in diuinis plures processiones quam duæ. *ibid.*

QVÆSTIO XXVIII.

De relationibus diuinis.

1. Vtrum in Deo sint aliquæ relationes reales. *Disp. 4 q. 3. dub. 1.*
2. Vtrum illæ relationes sint ipsa essentia diuina, vel sint extrinsecus affixæ. *Disputat. 4 quæst. 3. dub. 3. 4.*
3. Vtrum possint esse in Deo plures relationes realiter distinctæ ad inuicem. *Disputat. 4 quæst. 3. dub. 2.*
4. De numero harum relationum. *Disp. 4 quæst. 3. dub. 1. 2.*

QVÆSTIO XXIX.

De personis diuinis.

1. De definitione personæ. *Disput. 4. quæst. 1 dub. 1. & 2.*
2. Vtrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia, & essentia. *ibid.*
3. Vtrum nomen personæ competat in diuinis. *ibidem.*
4. Vtrum nomen personæ in diuinis significet relationem vel substantiam. *ibid.*

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum in diuinis.

1. Vtrum sint plures personæ in diuinis. *Disp. 4. q. 1. dub. 3. 4. 5.*
2. Quot sint personæ in diuinis. *ibid.*
3. Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis. *ibid.*
4. Vtrum hoc nomen persona sit commune tribus personis in diuinis. *ibid.*

QVÆSTIO XXXI.

De his quæ pertinent in diuinis ad vnitatem vel pluralitatem personarum.

1. Vtrum in diuinis sit Trinitas. *Disputat. 4. quæst. 1. dub. 7.*
2. Vtrum filius possit dici alius à patre. *ibid.*
3. Vtrum dictio exclusiua solus, sit addenda termino essentiali in diuinis. *ibid.*
4. Vtrum dictio exclusiua possit adiungi termino personali. *ibid.*

QVÆSTIO XXXII.

De cognitione diuinarum personarum.

1. Vtrum per rationem naturalem possit cognosci Trinitas diuinarum personarum. *Disp. 4. q. 1. dub. 2. q. 3. dub. 1. 5.*
2. Vtrum sint aliquæ notiones diuinis personis attribuendæ. *ibid.*
3. Vtrum sint tantum quinque notiones in diuinis, vel plures. *ibid.*
4. Vtrum liceat circa notiones diuersimode opinari. *ibid.*

QVÆSTIO XXXIII.

De his quæ pertinent ad personam patris.

1. Vtrum patri competat esse principium filii & Spiritus sancti. *Disp. 4. q. 4. dub. 1.*
2. Vtrum hoc nomen pater sit proprium nomen personæ patris. *ibid.*
3. Vtrum hoc nomen pater per prius dicatur in diuinis personaliter quam essentialiter. *ibid.*
4. Vtrum sit proprium patri esse ingenitum. *ibid.*

QVÆSTIO XXXIV.

De Verbo in diuinis.

1. Vtrum verbum dicatur in diuinis essentialiter, vel personaliter. *Disp. 4. quæst. 4. dub. 2. 3.*
2. Vtrum verbum sit proprium nomen filii. *ibid.*
3. Vtrum in nomine verbi importetur respectus ad creaturas. *ibidem.*

Digitized by Google

QVÆSTIO XXXV.

De hoc nomine filii quod est imago.

1. Vtrum hoc nomen imago in diuinis dicatur personaliter. *Disp.4.q.4.dub.2.*
2. Vtrum imago sit proprium nomen Filii. *ibid.*

QVÆSTIO XXXVI.

De pertinentibus ad nomen Spiritus sancti.

1. Vtrum nomen Spiritus sancti sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ. *Disp.4 q.4. dub.4. 5.6.7.*
2. Vtrum persona illa quæ dicitur Spiritus sanctus procedat à patre & filio. *ibid.*
3. Vtrum Spiritus sanctus procedat à patre per filium. *ibid.*
4. Vtrum pater & filius sint vnum principium Spiritus sancti. *ibid.*

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est amor.

1. Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti. *Disp.4.q.4. dub.4.8.*
2. Vtrum pater & filius diligant se Spiritu sancto. *ibidem.*

QVÆSTIO XXXVIII.

De nomine Spiritus sancti, quod est donum.

1. Vtrum donum possit esse nomen personale. *Disp. 4.q.4.dub.4.*
2. Vtrum sit proprium nomen Spiritus sancti. *ibid.*

QVÆSTIO XXXIX.

De personis in comparatione ad essentiam.

1. Vtrum essentia in diuinis sit idem quod persona. *Disp.4. quæst.1.dub.6.& 7.*
2. Vtrum dicendum sit quod tres personæ sint vnius essentiæ. *ibid.*
3. Vtrum nomina essentialia prædicanda sint de personis in singulari vel in plurali. *ibid.*
4. Vtrum adiectiua nomina, aut verba aut participia prædicari possint de nominibus essentialibus cõcretiue acceptis. *ibidem.*
5. Vtrum prædicari possint de nominibus essentialibus in abstracto acceptis. *ibidem.*
6. Vtrum nomina personarum prædicari possint de nominibus essentialibus. *ibidem.*
7. Vtrum essentialia attributa, sint appropriandæ personis. *ibid.*
8. Quod attributum cui personę debeat appropriari. *ibid.*

QVÆSTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes siue proprietates.

1. Vtrum relatio sit idem quod persona. *Disp. 4.q.3. dub 2.5.& 6.*
2. Vtrum relationes distinguant & constituant personas. *ibid.*
3. Vtrum abstractis per intellectum relationibus à personis remaneant hypostases distinctæ. *ibid.*
4. Vtrum relationes secundum intellectum præsupponant actus personarum, vel è conuerso. *ibidem.*

QVÆSTIO XLI.

De personis per comparationem ad actus notionales.

1. Vtrum actus notionales sint attribuendi personis diuinis. *Disp.4.q.2.dub.1.5.6.& q.3.dub.5.6.*
2. Vtrum huiusmodi actus sint voluntarii vel necessarii. *ibid.*
3. Vtrum per huiusmodi actus persona procedat de aliquo vel nihilo. *ibid.*
4. Vtrum in diuinis sit potentia respectu actuum notionalium. *ibid.*
5. Vtrum potentia generandi vel spirandi significet relationem vel substantiam. *ibid.*
6. Vtrum actus notionales ad plures personas terminari possint. *ibid.*

QVÆSTIO XLII.

De Æqualitate & similitudine diuinarum personarum ad inuicem.

1. Vtrum æqualitas locum habeat in diuinis personis. *Disp.4. q.1.dub.8.*
2. Vtrum persona procedens sit æqualis secundum æternitatem ei, à qua procedit. *ibid.*
3. Vtrum sit aliquis ordo in personis diuinis. *ibid.*
4. Vtrum personæ diuinæ sint æquales secundum magnitudinem. *ibid.*
5. Vtrum vna personarum diuinarum sit in alia. *ibidem.*
6. Vtrum personæ diuinæ sint æquales secundum potentiam. *ibid.*

QVÆSTIO XLIII.

De missione diuinarum personarum.

1. Vtrum alicui personæ diuinæ conueniat mitti. *Disp.4.q.4.dub.9.*
2. Vtrum missio in diuinis sit æterna, vel tantum temporalis. *ibid.*
3. Secundum quid persona diuina inuisibiliter mittatur. *ibid.*
4. Vtrum cuilibet personæ conueniat mitti, & præcipue patri conueniat. *ibid.*
5. Vtrum inuisibiliter mittatur tam filius quam Spiritus sanctus. *ibid.*
6. Ad quos fiat missio inuisibilis. *ibid.*
7. De missione visibili. *ibid.*
8. Vtrum aliqua persona mittat seipsam visibiliter aut inuisibiliter. *ibid.*

QVÆSTIO XLIIII.

De prima causa omnium entium.

1. Vtrum Deus sit causa efficiens omnium entium. *Disp.2.q.1.dub.1.2.*
2. Vtrũ materia prima sit creata à Deo, vel sit principium ex æquo coordinatũ ei. *Disp.6.q.1.dub.1. & q.2.dub.1.& 2.*
3. Vtrum Deus sit causa exemplaris rerum, vel sint aliqua alia exemplaria præter ipsum. *Disp.2.q.9. dub.1.*
4. Vtrum Deus sit causa finalis rerum. *Disp.2.q.10. dub.5. Vid. etiam tom.2.disp.1.quæst.1.dub.3.4.5. & q.2.dub.1.*

QVÆSTIO XLV.

De Creatione.

1. Quid sit creatio. *Disp.6.q.1.dub.1.*
2. Vtrum Deus possit aliquid creare. *Disp.6.quæst.1. dub.2.*
3. Vtrum creatio sit aliquid in creatura. *Disp.6.q.1. dub.1.*
4. Cui competat creari. *Disp.6.q.1. dub.1.*
5. Vtrum solius Dei sit creare. *Disp.6.q.1.dub.2.*
6. Vtrum sit commune toti Trinitati, aut proprium alicuius personæ. *Disp.6.q.1.dub.2.*
7. Vtrum in rebus creatis sit vestigium Trinitatis. *Disp.6.q.1.dub.2. & disp.4.q.1. dub.2.*
8. Vtrum opus creationis admisceatur operibus naturæ & voluntatis. *Disp.6.q.1.dub.2.*

QVÆSTIO XLVI.

De principio durationis rerum creatarum.

1. Vtrum creaturæ fuerint semper. *Disp.6.q.1.dub.3.*
2. Vtrum eas incepisse, sit articulus fidei. *ibid.*
3. Quomodo Deus dicatur in principio cœlum & terram creasse. *ibid.*

QVÆSTIO XLVII.

De distinctione rerum in communi.

1. Vtrum rerum multitudo & distinctio sit à Deo. *Disp.6.q.1.dub.4. & q.4.dub.4.*
2. Vtrum rerum inæqualitas sit à Deo. *ibid.*
3. Vtrum sit vnus tantum mundus, vel plures. *ibid.*

QVÆSTIO XLVIII.

De distinctione rerum in speciali, & primo de malo.

1. Vtrum malum sit natura aliqua. *Disp.2. quæst.3. dub.3.*
2. Vtrum malum inueniatur in rebus. *ibid.*
3. Vtrum bonum sit subiectum mali. *ibid.*
4. Vtrum malum totaliter corrumpat bonum. *ibid.*
5. Vtrum malum sufficienter diuidatur per culpam & pœnam. *ibid.*
6. Vtrum plus habeat de ratione mali pœna quam culpa. *ibid.*

QVÆSTIO XLIX.

De causa mali.

1. Vtrum bonum possit esse causa mali. *Disp.2.q.5. dub.3. & disp.3.q.1 dub.2.&3.*
2. Vtrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali. *ibidem.*
3. Vtrum sit aliquod summum malum, quod sit causa omnis mali. *ibid.*

QVÆSTIO L.

De substantia Angelorum absolute.

1. Vtrum sit aliqua creatura omnino spiritualis, & penitus incorporea. *Disp.5.q.1.dub.1.2.4.*
2. Vtrum angelus sit compositus ex materia & forma. *Disp.5.q.1.dub.2.*
3. De multitudine angelorum. *Disp.5.q.1, dub.6.*
4. Vtrum angeli differant specie. *Disp.5.quæst.1. dub.5.*
5. Vtrum angeli sint incorruptibiles. *Disp.5.quæst.1. dub.3.*

QVÆSTIO LI.

De angelis in comparatione ad corpus.

1. Vtrum angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita. *Disp.5.q.1.dub.2.*
2. Vtrum angeli assumant corpora. *Disp.5.quæst.5. dub.5.*
3. Vtrum angeli in corporibus assumptis exerceant opera vitæ. *Disp.5.q.5. dub.5.*

QVÆSTIO LII.

De angelis in comparatione ad locum.

1. Vtrum angelus sit in loco. *Disp.5. quæst.2.dub. 1.2.3.*
2. Vtrum possit esse in pluribus locis simul. *Disp. 5. q.2.dub.4.*
3. Vtrum plures angeli possint esse in eodem loco. *Disp.5.q.2.dub.5.*

QVÆSTIO LIII.

De motu locali angelorum.

1. Vtrum angelus possit moueri localiter. *Disp. 5. q.2.dub.6.*
2. Vtrum moueatur de loco ad locum pertranseundo medium. *Disp.5.q.2.dub.7.*
3. Vtrum motus angeli sit in tempore, an in instanti. *Disp.5.q.2.dub.8.*

QVÆSTIO LIV.

De virtute cognoscitiua angeli.

1. Vtrum intelligere angeli sit sua substantia. *Disp.5. q.3.dub.1.*
2. Vtrum esse angeli sit suum intelligere. *ibid.*
3. Vtrum essentia angeli sit sua virtus intellectiua. *ibidem.*
4. Vtrum in angelis sit intellectus agens & possibilis. *ibidem.*
5. Vtrum in eis sit aliqua alia potentia cognoscitiua quam intellectus. *ibid.*

QVÆSTIO LV.

De medio cognitionis angelicæ.

1. Vtrum angeli cognoscant omnia per suam substantiam, vel per aliquas species. *Disp.5.quæst.3. dub.2.*
2. Si per species, an per species connaturales, vel per species à rebus acceptas. *ibid.*
3. Vtrum angeli superiores cognoscant per species magis vniuersales, quam inferiores. *ibid.*

QVÆSTIO LVI.

De cognitione angelica ex parte rerum immaterialium.

1. Vtrum angelus cognoscat seipsum. *Disp.5.q.3. dub.3.*
2. Vtrum vnus cognoscat alium. *ibid.*
3. Vtrum angelus per sua naturalia cognoscat Deum. *ibid.*

QVÆSTIO LVII.

De cognitione angelorum quantum ad res materiales.

1. Vtrum angeli cognoscant naturas rerum materialium. *Disp.5.q.3. dub.4.*
2. Vtrum angeli cognoscant singularia. *Disp.5.q.3. dub.4.*

Digitized by Google

3. Vtrum cognoscant futura. *Disp. 5. q. 3. dub. 4. 5.*
4. Vtrum cognoscant cogitationes cordium. *Disp. 5. quæst. 3. dub. 6.*
5. Vtrum cognoscant mysteria gratiæ. *Disputat. 5. quæst. 3. dub. 7.*

QVÆSTIO LVIII.

De modo cognitionis angelicæ.

1. Vtrum intellectus angeli quandoque sit in potentia, quandoque in actu. *Disp. 5. q. 3. dub. 8.*
2. Vtrum angelus possit simul multa intelligere. *ib.*
3. Vtrum angelus intelligat discurrendo. *ibid.*
4. Vtrum angelus intelligat componendo & diuidendo. *ibidem.*
5. Vtrum in intellectu angeli possit esse falsitas. *ib.*
6. Vtrum cognitio angeli possit dici matutina & vespertina. *ibid.*
7. Vtrum hæ duæ cognitiones sint eædem vel diuersæ. *ibid.*

QVÆSTIO LIX.

De Voluntate Angelorum.

1. Vtrum in angelis sit voluntas. *Disp. 5. q. 4. dub. 1.*
2. Vtrum voluntas in angelis sit ipsa natura eorum vel intellectus. *ibid.*
3. Vtrum in angelis sit liberum arbitrium. *ibid.*
4. Vtrum in eis sit irascibilis, & concupiscibilis. *ib.*

QVÆSTIO LX.

De amore seu dilectione angeli.

1. Vtrum in angelis sit dilectio naturalis. *Disput. 5. quæst. 4. dub. 1.*
2. Vtrum in angelis sit dilectio electiua. *ibid.*
3. Vtrum angelus diligat seipsum dilectione naturali, an electiua. *ibid.*
4. Vtrum vnus angelus diligat alium naturali dilectione sicut seipsum. *ibid.*
5. Vtrum angelus naturali dilectione diligat Deum plus quam seipsum. *ibid.*

QVÆSTIO LXI.

De productione angelorum in esse naturæ.

1. Vtrum angeli habeant causam sui esse. *Disp. 5. quæst. 1. dub. 1.*
2. Vtrum angelus sit productus à Deo ab æterno. *ib.*
3. Vtrum angelus sit creatus ante corporalem creaturam. *ibid.*
4. Vtrum angeli fuerint creati in cælo empyreo. *ib.*

QVÆSTIO LXII.

De productione angeli in esse gratiæ & gloriæ.

1. Vtrum angeli in sua creatione fuerint beati. *Disp. 5. quæst. 6. dub. 1.*
2. Vtrum indiguerint gratia ad hoc, quod conuertorentur in Deum. *Disp. 5. q. 6. dub. 1.*
3. Vtrum fuerint creati in gratia. *Disp. 5. q. 6. dub. 1.*
4. Vtrum meruerint suam beatitudinem. *Disput. 5. quæst. 6. dub. 2.*
5. Vtrum statim post vnum actum meritorium beatitudinem habuerint. *Disp. 5. q. 6. dub. 2.*
6. Vtrum adepti fuerint gratiam & gloriam secundum capacitatem suorum naturalium. *Disp. 5. q. 6. dub. 1.*
7. Vtrum post consecutionem gloriæ remanserit in eis cognitio & dilectio naturalis. *Disputat. 5. quæst. 6. dub. 2.*
8. Vtrum angelus beatus peccare possit. *Disput. 5. quæst. 6. dub. 2.*
9. Vtrum angeli post adeptionem gloriæ possint proficere. *Disp. 6. q. 6. dub. 1.*

QVÆSTIO LXIII.

De malitia angelorum quoad culpam.

1. Vtrum malum culpæ possit esse in angelis. *Disp. 5. quæst. 6. dub. 2. & 3.*
2. Cuiusmodi peccata in eis esse possint. *ibid.*
3. Quid appetendo angelus peccauerit. *ibid.*
4. Vtrum angeli naturaliter sint mali. *ibid.*
5. Vtrum aliquis angelus in primo instanti suæ creationis potuerit esse malus per actum propriæ voluntatis. *ibid.*
6. Vtrum aliqua mora fuerit inter creationem & lapsum angeli. *ibid.*
7. Vtrum supremus inter cadentes fuerit simpliciter inter omnes angelos summus. *ibid.*
8. Vtrum peccatum primi angeli fuerit alijs causa peccandi. *ibid.*
9. Vtrum tot remanserint, quot ceciderunt. *ibid.*

QVÆSTIO LXIV.

De pœna dæmonum.

1. Vtrum intellectus angeli mali sit omnino obtenebratus. *Disp. 5. q. 6. dub. 5.*
2. Vtrum voluntas dæmonis sit obstinata in malo. *Disp. 5. q. 4. dub. 2. & q. 6. dub. 5.*
3. Vtrum in dæmonibus possit esse dolor. *Disput. 5. quæst. 6. dub. 6.*
4. De loco pœnali dæmonum. *Disp. 5. q. 6. dub. 6. 7.*

QVÆSTIO LXV.

De opere creationis quoad corporalem creaturam.

1. Vtrum creatura corporalis sit à Deo. *Disp. 6. q. 1. dub. 2. & 3. & disp. 5. q. 5. dub. 1.*
2. Vtrum facta sit propter bonitatem Dei. *ibid.*
3. Vtrum sit facta à Deo mediantibus angelis. *ibid.*
4. Vtrum formæ corporum sint ab angelis, an immediate à Deo. *ibid.*

QVÆSTIO LXVI.

De ordine creationis ad distinctionem.

1. Vtrum informitas materiæ præcesserit tempore formationem ipsius. *Disput. 6. quæst. 1. dub. 4. & quæst. 2. dub. 1, 2. 4. 6.*
2. Vtrum sit vna materia omnium corporalium. *ib.*
3. Vtrum cælum empyreum sit concreatum materiæ informi. *ibid.*
4. Vtrum tempus sit concreatum materiæ. *ibid.*

QVÆSTIO LXVII.

De opere distinctionis primæ diei.

1. Vtrum lux proprie in spiritualibus dicatur. *Disput. 6. q. 2. dubio 3. & quæstione 4. dubio quinto.*
2. Vtrum lux corporalis sit corpus. *ibid.*
3. Vtrum lux sit qualitas. *ibid.*

4. Vtrum formæ corporum sint ab angelis, an immediate à Deo. *ibid.*

QVÆSTIO LXVI.

De ordine Creationis ad distinctionem.

1. Vtrum informitas materiæ præcesserit tempore formationem ipsius. *Disp. 6. quæst. 1. dubio 4. & quæst. 2. dubio 1. 2. 4. 6.*
2. Vtrum sit vna materia omnium corporalium. *ib.*
3. Vtrum cælum empyreum sit concreatum materiæ informi. *ibid.*
4. Vtrum tempus sit concreatum materiæ.

QVÆSTIO LXVII.

De opere distinctionis primæ diei.

1. Vtrum lux proprie in spiritualibus dicatur. *Disp. 6. quæst. 2. dub. 3. & q. 4. dub. 5.*
2. Vtrum lux corporalis sit corpus. *ibid.*
3. Vtrum lux sit qualitas. *ibid.*
4. Vtrum conueniens fuerit prima die fieri lucem. *ibidem.*

QVÆSTIO LXVIII.

De opere secundæ diei.

1. Vtrum firmamentum factum sit secunda die. *Disp. 6. q. 3. dub. 1. 2. 3. & 5.*
2. Vtrum aliquæ aquæ sint supra firmamentum. *ib.*
3. Vtrum firmamentum diuidat aquas ab aquis. *ib.*
4. Vtrum sit tantum vnum cælum, vel plures. *ibid.*

QVÆSTIO LXIX.

De opere tertiæ diei.

1. Vtrum congregatio aquarum facta fuerit conuenienter tertia die. *Disp. 6. q. 4. dubio 1.*
2. Vtrum eadem die debuerit fieri productio planetarum. *ibid.*

QVÆSTIO LXX.

De opere ornatus quarto die facto.

1. Vtrum quarto die debuerint fieri luminaria. *Disp. 6. q. 2. dubio 5. & q. 4. dubio 2. 3. 4.*
2. Vtrum conuenienter describatur causa productionis luminarium. *ibid.*
3. Vtrum luminaria cæli sint animata. *ibid.*

QVÆSTIO LXXI.

De opere quintæ diei.

1. Vtrum opus quintæ diei conuenienter describatur. *Disp. 6. q. 5. dubio 1.*

QVÆSTIO LXXII.

De opere sextæ diei.

1. Vtrum opus sextæ diei conuenienter describatur. *Disp. 6. q. 5. dubio 1.*

QVÆSTIO LXXIII.

De pertinentibus ad diem septimum.

1. Vtrũ completio diuinorum operum adscribi debeat septimo diei. *Disput. 6. quæst. 1. dubio 4.*
2. Vtrum Deus die septimo ab omni opere quieuerit. *ibidem.*
3. Vtrum benedictio & sanctificatio debeatur septimo diei. *ibid.*

QVÆSTIO LXXIV.

De omnibus septem diebus in communi.

1. Vtrum dicti dies sufficienter enumerentur. *Disp. 6. quæst. 1 dubio 4.*
2. Vtrum omnes isti dies sint vnus dies. *ibid.*
3. Vtrum Scriptura vtatur conuenientibus verbis ad exprimendũ opera septimę diei. *ibid. Quæ intermedijs quæstionibus de anima disputantur à S. Thoma quia mere philosophica sunt, hoc loco omissa sunt. Solum de animæ immortalitate de qua agit Sanctus Thomas q. 75. a. 6. Vide tom. 2. disp. 1. quæst. 5. dub. 1. & de libero arbitrio, de quo agit S. Thomas q. 83. articulus 4. Vide tom. 2. disp. 2. q. 1. dubio 1.*

QVÆSTIO XC.

De productione hominis quantum ad animam.

1. Vtrum anima humana sit de substantia Dei vel aliquid factum. *Vide tom. 2. disp. 1. q. 5. dubio 1.*
2. Vtrum anima humana sit producta in esse per creationem. *ibid.*
3. Vtrum anima rationalis sit facta mediantibus angelis. *ibid.*
4. Vtrum anima humana sit facta ante corpus. *ibid.*

QVÆSTIO XCI.

De productione corporis hominis.

1. Vtrum corpus primi hominis sit factum de limo terræ. *Disp. 6. q. 5. dubio 1.*
2. Vtrum corpus primi hominis sit immediate productum à Deo. *ibid.*
3. Vtrum corpus primi hominis habuerit conuenientem dispositionem. *ibid.*
4. Vtrum productio corporis humani conuenienter in Scriptura describatur. *ibid.*

QVÆSTIO XCII.

De productione mulieris.

1. Vtrum in prima rerum productione debuerit mulier produci. *Disp. 6. q. 5. dub. 2.*
2. Vtrum mulier debuerit fieri ex viro. *ibid.*
3. Vtrum mulier debuerit formari ex costa viri. *ib.*
4. Vtrum mulier formata fuerit immediatè à Deo. *ibidem.*

QVÆSTIO XCIII.

De fine siue termino productionis hominis prout dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei.

1. Vtrum in homine sit imago Dei. *Disput. 6. quæst. 5. dubio 1.*
2. Vtrum imago Dei sit magis in irrationalibus creaturis. *ibid.*
3. Vtrum imago Dei sit magis in homine quam in angelo. *ibid.*
4. Vtrum imago Dei sit in omni homine. *ibid.*
5. Vtrum imago Dei sit in homine per comparationem ad essentiam, vel ad personas omnes, vel ad vnam earum. *ibid.*
6. Vtrum imago Dei inueniatur in homine solum secundum mentem. *ibid.*
7. Vtrum imago Dei sit in homine secundum potentias, aut secundum habitus aut actus. *ibid.*

Digitized by Google

8. Vtrum per comparationem ad omnia obiecta. *ib.*
9. De differentia imaginis & similitudinis. *ibid.*

QVÆSTIO XCIV.

De statu vel conditione primi hominis, quoad intellectum.

1. Vtrum primus homo viderit Deum per essentiam. *Disp. 6. q. 5. dub. 2.*
2. Vtrum Adam in statu innocentiæ angelos per essentiam viderit. *ibid.*
3. Vtrum primus homo habuerit omnium scientiam. *ibid.*
4. Vtrum homo in primo statu potuerit errare vel decipi. *ibidem.*

QVÆSTIO XCV.

De his quæ pertinent ad volùtatem primi hominis, siue de gratia, & virtute & iustitia.

1. Vtrum primus homo fuerit creatus in gratia. *Disput. 6. q. 5. dub. 2.*
2. Vtrum primus homo in statu innocentiæ habuerit animæ passiones. *ibid.*
3. Vtrum Adam habuerit omnes virtutes. *ibid.*
4. Vtrum opera primi hominis fuerint æquè efficacia ad merendum, sicut modo sunt. *ibid.*

QVÆSTIO XCVI.

De dominio quod homini competebat in statu innocentiæ.

1. Vtrum Adam in statu innocentiæ dominabatur animalibus. *Disp. 6. q. 5. dubio 2. Vide etiam tomo 3. disput. 4. quæst. 1. dubio 4.*
2. Vtrum homo habuisset dominium super omnes alias creaturas. *ibid.*
3. Vtrum in illo statu fuissent omnes homines æquales. *Disp. 6. q. 5. dub. 2.*
4. Vtrũ in illo statu homo dominaretur homini. *ib.*

QVÆSTIO XCVII.

De his quæ pertinent ad statum primi hominis, quantum ad conseruationem individui.

1. Vtrum homo in statu innocentiæ erat immortalis. *Disp. 6. q. 5. dub. 2.*
2. Vtrum esset impassibilis. *ibid.*
3. Vtrum cibis indigeret. *ibid.*
4. Vtrum per lignum vitæ consequeretur immortalitatem. *ibid.*

QVÆSTIO XCVIII.

De his quæ pertinent ad conseruationem speciei per generationem.

1. Vtrum in statu innocentiæ fuisset generatio. *Disp. 6. q. 5. dubio 2.*
2. Vtrum in statu innocentiæ fuisset generatio per coitum. *ibidem.*

QVÆSTIO XCIX.

De conditione prolis generandæ, quantum ad corpus in illo statu.

1. Vtrum in statu illo pueri mox nati habuissent perfectam virtutem ad motum membrorum. *Disp. 6. q. 5. dubio 2.*
2. Vtrum omnes fuissent nati in sexu masculino. *ib.*

QVÆSTIO C.

De conditione prolis tunc generandæ quoad iustitiam.

1. Vtrum homines fuissent nati cum iustitia. *Disp. 6. quæst. 5. dubio.*
2. Vtrum pueri nascerentur in iustitia cõfirmati. *ib.*

QVÆSTIO CI.

De conditione prolis tunc generandæ, quoad scientiam.

1. Vtrum pueri nascerentur in scientia perfecti. *Disput. 6. quæst. 5. dub. 2.*
2. Vtrum statim post natiuitatem habuissent perfectum vsum rationis. *ibid.*

QVÆSTIO CII.

De loco producti hominis in paradiso.

1. Vtrũ paradisus sit locus corporeus *D. 6. q. 5 dub. 2.*
2. Vtrum sit locus conueniens habitationi humanæ. *ibid.*
3. Ad quid homo in paradiso positus fuerit. *ibid.*
4. Vtrum homo factus fuerit in paradiso. *ibid.*

QVÆSTIO CIII.

De gubernatione rerum in communi.

1. Vtrum mundus ab aliquo gubernetur. *Disput. 3. quæst. 1. dubio 1. 2. 3.*
2. Quis sit finis gubernationis ipsius. *ibid.*
3. Vtrum mundus gubernetur ab vno. *ibid.*
4. De effectibus gubernationis. *ibid.*
5. Vtrum omnia subsint diuinæ gubernationi. *ibid.*
6. Vtrum omnia gubernentur à Deo immediate. *ib.*
7. Vtrum diuina gubernatio cassetur in aliquo. *ib.*
8. Vtrũ aliquid contrarietur diuinæ prouidentiæ. *ib.*

QVÆSTIO CIV.

De effectibus diuinæ gubernationis in speciali.

1. Vtrum creaturæ indigeant, vt conseruentur à Deo in esse. *D. 2. q. 11. dub. 1. 3. 4. & D. 6. q. 1. dub. 1.*
2. Vtrum conseruentur in esse à Deo immediate. *ib.*
3. Vtrum Deus possit aliquid redigere in nihilum.
4. Vtrum aliquid redigatur in nihilum. *ibid.*

QVÆSTIO CV.

De mutatione creaturarum à Deo.

1. Vtrum Deus possit immediate mouere materiam ad formam. *Disputat. 2. quæst. 11. dubio 4 & Disputatione 6. quæst. 4. dubio 3.*
2. Vtrum Deus possit immediate mouere aliquod corpus. *ibid.*
3. Vtrum Deus moueat immediate intellectum creatum. *ibid.*
4. Vtrum possit mouere voluntatem creatam. *ibidem.*
5. Vtrum Deus operetur in omni operante. *ibid.*
6. Vtrum Deus possit aliquid facere præter ordinem rebus inditum. *ibidem.*
7. Vtrum omnia, quæ DEVS facit præter ordinem naturalem rerum, sint miracula. *ibidem.*
8. De diuersitate miraculorũ. *ib. Vide etiam tom. 4. disp. 1. q. 5. dubio 5. & disp. 3. q. 2. dubio 6.*

Digitized by Google

QVÆSTIO CVI.

De actu angelorum quo se inuicem illuminare.

1. Vtrum vnus Angelus moueat intellectum alterius illuminando. *Disput. 5. quæst. 4. dub. 4.*
2. Vtrum vnus angelus moueat voluntatem alterius. *ibid.*
3. Vtrum inferior angelus possit illuminare superiorem. *ibid.*
4. Vtrum superior angelus illuminet inferiorem de omnibus quæ cognoscit. *ibid.*

QVÆSTIO CVII.

De locutione Angelorum.

1. Vtrum vnus angelus loquatur alij. *Disp. 5. quæst. 4. dubio 3.*
2. Vtrum inferior loquatur superiori. *ibid.*
3. Vtrum angelus loquatur Deo. *ibid.*
4. Vtrum in locutione angeli aliquid operetur distantia localis. *ibid.*
5. Vtrum omnes cognoscant locutionem vnius angeli ad alterum. *ibid.*

QVÆSTIO CVIII.

De ordinatione angelorum secundum hierarchias & ordines.

1. Vtrum omnes angeli sint vnius hierarchiæ. *Disp. 5. quæst. 1. dubio 5.*
2. Vtrum in vna hierarchia sit tantum vnus ordo. *ibidem.*
3. Vtrum in vno ordine sint plures angeli. *ibid.*
4. Vtrum distinctio hierarchiarum & ordinum sit à natura. *ibid.*
5. De nominibus & proprietatibus singulorum ordinum. *ibid.*
6. De comparatione ordinum ad inuicem. *ibid.*
7. Vtrum ordines durent post diem iudicij. *ibid.*
8. Vtrum homines assumantur ad ordines angelorum. *ibid.*

QVÆSTIO CIX.

De ordine malorum angelorũ siue dæmonum.

1. Vtrum ordines sint in dæmonibus. *Disp. 5. q. 3. dubio 2. & q. 6. dubio 5. & 8.*
2. Vtrum in eis sit prælatio. *ibid.*
3. Vtrum vnus dæmon illuminet alium. *ibid.*
4. Vtrum subijciantur prælationi beatorum angelorum. *ibid.*

QVÆSTIO CX.

De præsidentia angelorum super corporalem creaturam.

1. Vtrum corporalis creatura administretur per angelos. *Disp. 5. q. 5. dub. 1. 4. 6. & Disp. 6. q. 4. dub. 3.*
2. Vtrum materia corporalis obediat angelis ad nutum. *Disp. 5. q. 5. dub. 1. 4. 6.*
3. Vtrũ angeli possint mouere corpora localiter sua virtute. *Disp. 5. q. 5. dub. 2. 3. & Disp. 6. q. 4. dub. 3.*
4. Vtrum angeli boni vel mali possint facere miracula. *Disp. 5. q. 5. dub. 2.*

QVÆSTIO CXI.

De actione angelorum in homines.

1. Vtrum Angelus possit illuminare intellectum hominis. *Disp. 5. q. 6. dub. 7. 8. Vide etiam tomo 2. disp. 2. q. 2. dubio 5.*
2. Vtrum angeli possint immutare affectum, vel voluntatem hominis. *ibid.*
3. Vtrũ possit immutare imaginationem hominis. *ib.*
4. Vtrum possit immutare sensum humanum. *ibid.*

QVÆSTIO CXII.

De missione angelorum ad homines.

1. Vtrum aliqui angeli mittantur in ministerium. *Disp. 5. q. 6. dub. 8.*
2. Vtrum omnes angeli mittantur in ministeriũ. *ib.*
3. Vtrum illi qui mittuntur, assistant. *ibid.*
4. Vtrum omnes angeli secundæ hierarchiæ mittantur. *ibid.*

QVÆSTIO CXIII.

De custodia hominum à bonis angelis.

1. Vtrum homines ab angelis custodiantur. *Disp. 5. quæstione 6. dubio 8.*
2. Vtrum singulis hominibus singuli angeli ad custodiam deputentur. *ibid.*
3. Vtrum custodia pertineat solum ad vltimum ordinem angelorum. *ibid.*
4. Vtrum omni homini conueniat habere angelum custodem. *ibid.*
5. Quãdo incipiat custodia angeli circa hominem. *ibidem.*
6. Vtrum angelus semper custodiat hominem. *ibid.*
7. Vtrum angeli doleant de malis eorum quos custodiunt. *ibid.*
8. Vtrum inter angelos sit pugna seu discordia. *ibid.*

QVÆSTIO CXIV.

De impugnatione dæmonum.

1. Vtrum homines à dæmonibus impugnentur. *Disput. 5. quæst. 6. dubio 7.*
2. Vtrum tentare sit proprium diaboli. *ibid.*
3. Vtrum omnia peccata procedant ex tentatione diaboli. *ibid.*
4. Vtrum dæmones possint facere vera miracula ad seducendum. *ibid.*
5. Vtrum dæmon ab aliquo superatus ab impugnatione arceatur. *ibid.*

QVÆSTIO CXV.

De actione corporalis creaturæ.

1. Vtrum aliquod corpus sit actiuum. *Vide tomo 2. disp. 2. q. 2. dubio 5.*
2. Vtrum in materia corporali sint aliquæ rationes seminales. *ibid.*
3. Vtrum corpora cælestia sint causa eorum, quæ hic in inferioribus corporibus fiunt. *ibid.*
4. Vtrum corpora cælestia sint causa humanorum actuum. *ibid.*
5. Vtrum corpora cælestia possint imprimere in dæmones. *ibid.*
6. Vtrum corpora cælestia imponant necessitatem his, quæ eorum actioni subduntur. *ibid.*

QVÆSTIO CXVI.

De fato.

1. Vtrum fatũ sit. *D. 2. q. 2. dub. 6. & disp. 5. q. 1. dub. 5.*
2. Vtrum fatum sit in rebus creatis. *ibid.*
3. Vtrum fatum sit immobile. *ibid.*
4. Vtrum omnia subdantur fato. *ibid.*

Digitized by Google

QVÆSTIO CXVII.

De his quæ pertinent ad actionem hominis.

1. Vtrum homo possit docere alium, causando scientiam in ipso. *Vide tom. 2. disp. 1. q. 4. dub. 5. & tom. 3. disp. 1. q. 2. dub. 1. item q. 3. 4. 5.*
2. Vtrum homines possint docere angelos. *ibid.*
3. Vtrum homo per virtutem animæ possit immutare materiam corporalem. *ibid.*
4. Vtrũ anima hominis separata possit mouere corpora motu locali. *ibid.*

QVÆSTIO CXVIII.

De traductione hominis ex homine quantum ad animam.

1. Vtrum anima sensitiua traducatur cum semine. *Vid. tom. 2. disp. 1. quæst. 5. dub. 1.*
2. Vtrum anima intellectiua causetur ex semine. *ib.*
3. Vtrum omnes animæ humanæ fuerint simul creatæ à principio mundi. *ibid.*

QVÆSTIO CXIX.

De propagatione hominis quantum ad corpus.

1. Vtrum aliquid de alimento conuertatur in veritatem humanæ naturæ. *Disp. 6. quæst. 5. dub. 2. Vid. tom. 4. de Matrimonio.*
2. Vtrum semen, quod est principium humanæ generationis sit de superfluo alimenti. *ibid.*

FINIS.

INDEX GENERALIS III. ALPHABETICVS, RERVM PRAECIPVARVM QVÆ HOC TOMO CONTINENTVR.

A.

Abailardus.

ABailardi, Mayronis, & Almarici error. Disp. 2. quæst. 6. dub. 1. num. 3.

Abstracta nomina.

Abstracta analoga in genere, ex natura sua necessariò sibi nec vendicant identitatem, nec distinctionem. D. 2. q. 2. d. 2. n. 11.

Quæ attributa in abstractis de se mutuò prædicata non sint veræ prædicationes in sensu formali, sed identico. d. 3. n. 10.

De Concretis absolutus verè etiam prædicantur attributa in abstracto. d. 7 n. 3.

Prædicationes, in quibus Abstracta de Deo in concreto prædicantur, secundùm nostrum modum loquendi, veræ sunt sensu identico, non formali. ibid.

Nisi quædam ex propriâ & speciali ratione possint etiam formaliter de Concretis prædicari. ibid.

In Deo etiam verè prædicantur de abstractis concreta. num. 4.

Suntque veræ in sensu identico non formali; nisi ratio specialis attributorum aliud requirat. n. 5.

In terminis diuinis verè etiam prædicantur Abstracta de Abstractis. n. 7.

Hæ tamen prædicationes, iuxta nostrum concipiendi modum, veræ non sunt sensu formali, sed tantùm identico. ibid.

Abstracta & concreta in quo deficiant in attributis, & Dei nominibus. n. 2.

Abstractio.

Abstractio varia à materia & motu, quando conditio obiecti scibilis. D. 1. q. 3. d. 3. n. 7.

Quando ratio formalis. ibid.

Quando intellectus nostri concipiendi ratio vera sit in conceptibus inadæquatis & abstrahibilibus. D. 2. q. 2. d. 5. n. 12.

Abstractiua Cognitio.

Abstractiua cognitione quomodo Deus possit cognosci. D. 2. q. 6. d. 2. num. 18.

Creaturę in Deo videri possunt secundùm Esse possibile, & reipsâ videntur in Verbo ex vi ipsius visionis Verbi; tum tamen abstractiuè, eminentialiter, sine imperfectione. d. 8. n. 16.

Angelus in cognitione abstractiuâ aliarum rerum, quas non cognoscit proprio aut quidditatiuo conceptu, sed per coniecturam, aut fidem acquisitam, potest suâ naturâ decipi. D. 5. quæst. 3. d. 8. n. 31.

Nec est, nec esse potest vlla species Dei propriè, quâ Deus cognoscatur clarè & quidditatiuè cognitione abstractiuâ. D. 2. q. 6. d. 2. n. 16.

Angeli non possunt naturaliter per speciem inditam cognitione abstractiuâ Deum quidditatiuè cognoscere. n. 17.

Vide Angelorum cognitio.

Acceptor personarum.

Cur Deus in Prædestinatione dici nequeat. D. 3. q. 3. d. 3. num. 30.

Accidens.

An possit produci ab Angelo. D. 5. q. 5. d 4 n. 4.

An vllum accidens ad extra, præter Vbi, seu motum localem, eiusue impetum. n. 6.

Accidentia syderum duo, Lux, & Motus vniformiter difformis. D. 6. q. 4. d. 2. n. 5.

Accidens Prædicamentale non habet locum in Deo, sed prædicabile, & quomodo secundum nostrum concipiendi modum. D. 2. q. 3. d. 1. n. 11.

Quomodo inter se differant. ibid.

An Creatio sit verũ accidens, seu spectetur vt Actio, seu vt Passio. D. 6. q. 1. d. 1. n. 14. 15.

Digitized by Google

Quod est terminus Prouidentiæ diuinæ circa aliquod subiectum, necesse est, vt sit etiam semper secundū accidens aliquod. D. 3. q. 1. d. 3. n. 10. 11.
Res intrinsecè supernaturales sunt etiam modi & accidentia quædam creata, & quomodo Angeli cognoscant. D. 5. q. 3. d. 7. n. 4.
Qui negent. Ibid. Ratio. n. 5.
Vnitas transcendentalis non superaddit accidens Enti. D. 2. q. 5. d. 3. n. 9.
Quando sit in Deo. Ibid.

Actio.

Ad nullam actionem creatam, seu liberam, seu necessariam, requiritur prædeterminatio diuina physica. D. 2. q. 11. d. 1. n. 6.
In actionibus autem peccaminosis, quæ moralem malitiā adiunctam habent, est impossibilis. n. 14.
Repugnat libero arbitrio. n. 19.
Potest tamen aliquo sensu admitti, causam secundam à prima, seu actione primæ moueri, determinari, applicari. n. 27.
Quare præfinitio intrinseca Deo non impediat vsum liberi arbitrii; impediat autem determinatio physica in actione ipsius creaturæ. q. 10. dub. 6. n. 26.
Quomodo possit nihilominus dici prior concursus causæ primæ actione causæ secundæ, cum qua alias simultaneus. n. 29.
Verba actionem significantia de notionibus, aut personarum proprietatibus prædicari non possunt, D. 4. q. 3. d. 5. n. 18.

Actio in Distans.

Non habet locum in Angelo. D. 5. q. 5. d. 1. n. 13.
Adeoque non potest immediate mouere corpus, nisi cui secundum substantiam præsens est. Ibid.
Qui id negent. n. 14. Probatur ab Auctoritate n. 15. Ratione n. 16. Soluta obiectio. n. 17.

Actio Vitalis.

Angeli per assumpta corpora nullas exercent veras actiones vitales & animasticas. D. 5. q. 5. d. 5. n. 21.
Quænam sint hæ. n. 22.
Sed his similes. n. 23. & 2. seqq.
Solutæ quinq; Rationes dubitandi initio dubii positæ. n. 26. ad fin.

Actiua Potentia.

Dupliciter considerari potest. D. 2. q. 11. d. 5. n. 7.
Potentiæ seu facultatis operatiuæ ad extra duplex. D. 1. q. 11. d. 3. n. 3.

Actus Angelorum.

Quot, & quibus actibus Boni gloriam, Mali pœnam meruerint, octo sunt sententiæ. D. 5. q. 6. d. 2. n. 4. ad 11.
Vltima & vera ait, Angelos in gratia creatos in I. instanti meruisse gloriam, & in II. Bonos eandem adeptos, Malos peccasse, & in III. damnatos viam clausisse. n. 11.
Instans Angelicum quid hîc. ibid.
Probatur. n. 12. & 2. seqq. Solutæ obiectiones. n. 15. ad 21.
Actus subreptitii, seu per inaduertentiam indeliberati non habent locum in Angelis naturaliter, D. 5. q. 4. d. 1. n. 25.
Voluntas Angeli nō potest sua natura ab omni prorsus actu cessare, sed necessario est in actu aliquo secundo. n. 10. Ratio. n. 11.
Actus Amoris naturales erga Deum, seipsos & alios Angelos Vide, *Voluntas Angelica* à n. 12. ad 25.
Discordia in Angelis tutelaribus quatenus esse possit, quatenus non. d. 8. n. 28.
Dæmones pœnitere possunt post peccatum diuinitus, q. 4. d. 2. n. 3.
Ex Veteri etiā naturaliter; & quomodo, n. 4. ad 11.

Actus Desiderii.

Circa bonum nostrum, & Fugæ circa malum nostrum futurū, aut possibile, proprie sunt in Deo, D. 2. q. 10. d. 2. n. 7.

Actus Notionalis.

Quid. D. 4. q. 3. d. 5. n. 3.
Sunt quatuor. n. 13.
Materialiter in Deo quid, quid formaliter. n. 15. Vide, *Notio.*

Actus Prædestinationis.

Ex parte actus prædestinationis nullam dari causam prædestinationis, quot modis intelligi possit. D. 3 q. 4. d. 2. n. 7.
Diuersi diuersorum Dd. ordines quoad actus concurrentes in prædestinatione. q. 5. d. 10. num. 1. & seqq. Ordo noster, n. 11. 14

Actus Prædestinatorum.

Salutares, cum certo gloriæ gradu, non fuerunt prædestinati ante præscientiam conditionatam liberæ cooperationis nostræ. D. 3, q. 5. d. 6. n. 1. Vide, *Dei Prædestinatio.*

Actus ad Reprobationem.

Quatuor dantur. D. 3. q. 7. d. 4. n. 2.

Actus Voluntatis diuinæ.

Quinam. D. 2. q. 10. d. 2.
Varii ordines eorundem. d. 5. n. 10. &c.
Subordinationes actuum voluntatis & intellectus diuini. n. 30.
Varietas vtrorumque circa prædestinationem. D. 3. q. 5. d. 2. Vide, *Prædestinatio.*
Circa finem & media in prædestinatione. n. 7. 8.
Actuum voluntatis in Deo distinctio & ordo prioritatis, secundum nostrum modum concipiendi, quibus homini vult gloriam. n. 27.
Quis Ordo ille n. 28. Plura Vide, *Dei Voluntas*, Et, *Voluntas Dei.*
Actus voluntatis in Deo circa Reprobationem. Vide, *Dei Reprobatio.*

Adamus.

Deum in hac vita an vidit. D. 2. q. 6. d. 1. n. 12. 13.
Electus fuit ante præuisionem peccati, tam proprii, quam Angelorum. D. 3. q. 6. d. 8. n. 3.
Scientia eius in statu Innocentiæ, quę, & quotuplex. D. 6. q. 5. d. 2. n. 1. 2.
Ante voluntatem permittendi peccatum Adami, à Deo electi fuerunt homines. D. 3 q. 5. d. 8. n. 9.

Adultus.

Quænam causæ reprobationis Adultorum. D. 3. q. 7. d. 1. n. 35. Vide, *Dei Reprobatio.*

Digitized by Google

Diuersa ratione explicanda est causa reprobationis Adultorum & Angelorum, quam paruulorum. d.3.n.35.
Adultorum prædestinatorum gratia peculiaris, & quæ. quæst.3.d.1.num.17. Vide, *Dei Prædestinatio.*

Ægidius.

Qua ratione cum Ægidio vnum corpus tota cœlestis machina dicatur. D.6.quæst.4.d.3.numero 14.15.

Æquiuocatio.

Quando non impediat argumentum. D.1.quæst.5.d.2.n.9.
Angelus respectu corporis recte dicitur esse in loco extrinseco, solum æquiuoce seu analogice. D.5.q.2.d.1.n.10.

Aer.

Angeli creati in cœlis; non in aere, aut loco inferiore. D.5.q.1.d.1.n.32.
Animantia omnis generis quinto die aquis & aeri velut ornatus accessere. D.6.q.2.d.2.n.12.

Aerei Dæmones.

Soli hominem tentant. D.5.q.6.d.7.nu.2. Et quomodo. ibid. & plura Vide, *Dæmonum studia* &c.
Aërea corpora assumunt Angeli ordinarie. q.5.d.5.n.15.16.
Distant à veris plurimum, & facile discernuntur. n.19. Ratio. n.20. Vide, *Qualitas Corporum.*
Aquæ supra & infra Firmamentum non significant vaporosum aërem mediæ regionis. D.6.q.3.d.1.n.20.21. Vide, *Aquæ Firmamenti.* Vide, *opus 2. Dei.* Firmamentum. vbi pluta.

Ætates Mundi.

Pro varietate earum, quam varie dæmones homines tentarint; & ratio inæqualitatis. D.5.q.6.d.7.n.5. ad 10. Vide, *Dæmonum studia* &c.

Æternitas.

Quid sit. D.2.q.5.d.2.n.1.3.
Quasi passionis subiectum, ibid.
Vita actualis. ibid.
Quando explicanda non positiue, sed negatiue. n.5. Plura Vide, *Dei Æternitas.*
In Æternitate quatenus omnes res realiter Deo præsentes. n.15.17.
Error Aristotelis circa Mundi æternitatem. D.6.q.1.d.3.n.2.

Æternus.

Æternæ variis modis res dicuntur tam à Philosophis, quam à Scriptura. D.2.q.5.d.2.n.13.
Etsi non proprie. n.15.
Creaturæ quomodo ab æterno Deo coexistant. q.8.d.6.n 11.& 2. seqq.
Creans, Creator an dicantur de Deo ab æterno. q.7.d.2.n.5.

Affirmatio.

Deum ex parte obiecti cogniti perfectius per viam affirmationis, seu attributa affirmatiua cognoscimus. D.2.q.2.d.2.n.8.
Quare simpliciter per affirmationem perfectius. ibidem.

Affectiua Cognitio.

Vna cum Charitate post peccatum totaliter ab Angelis ablata est. D.5.q.6.d.5.n.2.3.

Agens.

Omne Agens naturale, positis omnibus ad agendum prærequisitis, esse ad agendum determinatum, quando hoc axioma fallat in Angelis. D.5.q.3.d.5.n.16. Vide, *Futura & Contingentia* &c.
Applicatione Agentium naturalium in rebus naturalibus possunt Angeli efficere; quicquid per easdem causas naturales effici potest, & quomodo. q.5.d.4.n.7.

Agere.

Quomodo Deus semper agat immediate immediatione virtutis, quomodo supposíti. D.3.q.1.d.3.n.6.7.
Rectius dicitur omnia agere immediate immediatione virtutis, non suppositi. num.7. Vide, *Dei Prouidentia.*

Albertus Magnus.

Error eius, & aliorum quorundam, circa quatuor Coæua. D.6.q.2.d.2.n.1.

Alexandria.

Scholæ publicæ Theologicæ Alexandriæ Año Christi 180. & alibi. D.1.q.1.d.1.n.7.

Almaricus.

Eius error. D.2.q.6.d.1.n.3.

B. *Amadei* Reuelationes.

Quantæ auctoritatis. D.5.q.1.d.4.n.3.
Eius error. ib. & q.6.d.8.n.6.

Amicitia Scientia.

Seu Approbationis in Deo, quare absolute præscientia dicatur. D.3.q.5.d.5.n.4.
Prædestinatio consistit in scientia approbationis, & quomodo. q.2.d.2.n.10.
Vnde Prædestinatio dicatur Scientia approbationis. d.3.n.5.

Amor.

Est primus actus voluntatis, & principium aliorum. D.2.q.10.d.2.n.2.
Amor naturalis Angeli erga Deum, se, & alios qualis. D.5.q.4.d.1.n.12.ad 25. Vide, *Voluntas Angelica.*
Affectiua Cognitio, seu producens amorem Dei, totaliter cum charitate post peccatum ei ablata. q.6.d.5.n.3.
Amoris nomen in diuinis duobus modis sumitur. D.4.q.4.d.4.n.5.
Quando commune toti SS. Trinitati. ibid.
Quare processio amoris in Diuinis non dicatur Generatio. q.2.d.8.n.11.
Spiritus S. quomodo spiretur, & ex quarum rerum amore procedat. q.1.d.7.
Amore complacentiæ Deus vult Entia mere possibilia. D.2.q.10.d.1.n.6.

Analoga.

Analoga abstracta. Vide supra *Abstracta.*
Nomina quæ de Deo & Creaturis, analogice prædicentur; quę item primo, quæ secundo vel de Deo, vel de Creaturis dicantur. D.2.q.7.d.3.

Digitized by Google

Personæ nomen ad personas seu diuinas, seu creatas est analogum. D. 4. q. 1. d. 5. n. 9.
Attributum diuinum debet esse perfectio simpliciter, non analogicè cum creatura. Disput. 2. q. 2. d. 1. numero 3.

Anchora.

Rectè dici potest prædestinatio independenter à meritis facta, secundum veram sententiam. D. 3. q. 7. d. 2. numero 25.

Angelus.

Angeli Actiones vitales in assumptis corporibus quales. D. 5. quæst. 5. d. 5. num. 21. ad fin. Vide *Qualitas corporum*, &c.
Actio Angeli in distans nulla. q. 1. d. 1. num. 13.
Actuum internorum voluntatis & intellectus cognitio angelica qualis. q. 3. d. 6. n. 11. ad fin.
Actus Bonorum & Malorum qui & quot, quibus illi gloriam, isti pœnam meruerint. q. 6. d. 2. n. ad 21. Vide *Actus Angelorum.*
Subreptitij nulli naturaliter. q. 4. d. 1. num. 25.
Actus amoris Angelici naturales erga Deum, seipsos, & Angelos. n. 12. ad 25. Vide *Volitas Angelica.*
Appetitus concupiscibilis & irascibilis cũ sensitiuo nullus. n. 4. 5. nisi impropriè. n. 6. Vide *Volut. Ang.*
Apparitiones in vet & noua lege. q 5. d. 5. n 1. ad 13.
Assistentium & ministrantium discrimen. q. 6. d. 8. Vide *Ministeria Angelica.*
Beatitudo Angelorũ naturalis. d. 2. n. 11. & 4. seqq. Et, q. 6. d. 1 n. 6. supernaturalis. q. 6 d. 1. n 4. 5. & d. 2. n. 1. 3. 11. & inde ad fin. Et, q. 4. d. 2. n. 12. ad 16.
Bonitas. q. 6. d. 1. numero 7. Vide *Beatitudo.*
Boni moralis facultas post peccatum. d. 5. n. 17. ad 23. Vide *Obstinatio dæmonum, &c.*
Casus eorum. q. 6. d. 2. n. 21. Vide *Via Angelorum.*
Cogitationum cognitio. q. 3. d. 6. n. 1. ad fin. Vide, *Cogitatio.*
Cognitio naturalis rerum materialium, præsentium, præteritorum, possibilium. d. 4. per totum. Vide *Obiectum Cog. Ang. resp. rer. natur. &c.*
Cognitio naturalis respectu rerum imaterialiũ. d. 3. per totum. Vide *Obiectum Cog. Ang. resp. rer. immat.* &c.
Cognitio affectiua & supernaturalis dæmonum. quæst. 6. d. 5. n. 2. 3.
Cognitio respectu obiectorũ supernaturaliũ. d. 7. per totum. Vide *Obiectum Cog. Ang. resp. obiect. super.*
Cognitio futurorum & contingentium. d. 5. per totum. Vide *Futura & contingentia.*
Compositio quæ & quotuplex. q. 1. d. 2. per totum. Vide *Compositio Angelorum.*
Corporum assumptio qualis. quæst. 5. d. 5. Vide *Assumptio corporum. Qualitas corporum.*
Creationis Angelorum tempus, locus. quæstione prima, d. 1. per totum. Vide *Existentia Angelorum, &c.*
Custodia Angelorum q. 6. d. 8. per totum Vide *Ministeria Angelorum.*
Deceptio quatenus cadat in Angelos, quatenus non, & in quos. q. 3. d. 8. n. 31. & 2. seqq. Vide *Modus Cog. Ang.*
Demeritum peccati post viam nullum. quæst. 6. d. 5. numero 24.
Differentia specifica & numerica Angelorum. Disput. 5. quæstione 1. d. 5. per totum. Vide *Differentia Ang.*
Discordia Angelorum custodum qualis. quæst. 4. d. 8. numero 28.
Dispositio propria ad gratiam. quæst. 6. d. 1. n. 12. 13. Vide *Beatitudo Ang.*
Existentia Angelorum. quæst. 1. d. 1. per totum. Vide *Existentia Angelorum.*
Gloria bonorum Angelorum. quæst. 6. d. 2. numero 21. Vide *Via Ang.*
Gratia habitualis Angelorum. quæst. 6. d. 1. num. 7. ad 12. eius inæqualitas pro inæqualite perfectionis naturalis specificæ. numero 14. ad fin. Vide *Beatitudo Ang.*
Habitus naturales voluntatis Angelicæ boni & mali. q. 4. d. 1. n. 26. & 2. seqq. Vide *Voluntas Ang.*
Hierarchiæ Angelorum. q. 1. d. 5. per totum. Vide, *Ministeria. Ordines. Hierarchia.*
Ignis dæmonum qualis. D. 5. q. 6. d. 6. per totum. Vide *Pœna dæmonum.*
Illuminatio. Disp. 5. quæstione 4. d. 4. Vide *Illuminatio.*
Incorporeitas. Disp. 5. quæstione 1. d. 2. Vide *Compositio Ang.*
Incorruptibilitas d. 3. Vide, *Incorruptibilitas*, &c.
Inflexibilitas voluntatis. quæst. 6. d. 5. Vide *Obstinatio dæmonum.*
Instans Angelicum. d. 2. numero vndecimo, Vide *Via Angelorum, &c.*
Intellectus. quæst. 3. d. 1. Agens & possibilis impropriè tantum in Angelo, numero 12. & 2. seqq. Vide *Intellectus Ang.*
Intelligentiæ cur sic dicti Angeli. quæst. 1. d. 4. Vide *Intelligentiæ.*
Intelligentiæ assistentes cælis. D. 6. q. 4. d. 3. n. 8. Vide *Cælorum Motor.*
Locus Angelorum. D. 5. q. 2. d. 1. vide *Locus Angel. Vbi Angel.*
Locutio. q. 4. d. 3. Vide *Locutio Ang.*
Medium Cognitionis. quæst. 3. d. 2. Vide *Medium Cog. Ang.*
Meritum Angelorum. Disp. 5. quæst. 4. d. 2. Vide *Beatitudo Meritum.*
Angelorum ministeria erga homines q. 6. d. 8. Vide *Ministeria Ang.* &c.
Missio Angelorum Interna, & Externa. D. 5. q. 5. d. 1. numero 3.
Modus cognitionis. quæst. 3. d. 8. Vide *Modus Cog. Ang.*
Modus locutionis. quæst. 4. d. 4. numero 3. ad fin. Vide *Locutio Ang.*
Motus. d. 6. Vide, *Motus Ang.* Continuus in puncto, contra Aristotelem. ib. Continuus & discretus, ibid.
Motus de extremo ad extremum sine transitu per medium. d. 7. Vide ibid.
Motus velocitas. quæst. 2. d. 8. Vide *Motus Ang. Velocitas.*
Mysteriorum fidei notitia Viatorum qualis, qualis dæmonum. quæst. 6. d. 5. & q. 3. d. 7. Vide, *Obiectum Cog. Ang. resp. obiect. super.*
Natura. q. 1. d. 1. Vide *Existent. Ang. Compositio Angelorum. d. 2. Differentia Ang.* d. 5.

Digitized by Google

Naturalia post casum integra. quæst. 6. d. 5. Vide, *Naturalia dæmonum. Via Angelorum.*
Numerus. quæst. 1. d. 6. numero 2. Vide, *Numerus Ang, &c.*
Obiectum cognitionis naturalis respectu rerum materialium, præsentium, præteritorum, possibilium. q. 3. d. 4. Vide, Ibid.
Obiectum eiusdem respectu rerum immaterialium. d. 3. Vide, Ibid.
Obiectum Cognitionis respectu obiectorum supernaturalium. d. 7. Vide, Ibid.
Obstinatio dæmonum, eius causa. q. 6. d. 5. n. 4. per totum. Vide, Ibid.
Officia trinæ Hierarchiæ. q. 1. d. 5. numero 8.
Ordines & Hierarchiæ. q. 1. d. 5. Vide, Ibid. Dispositio eorundem Dionysij. num. 6. varietas Sanctorum Patrum circa eam, n. 4. Iudicium Sancti Thomæ de hac re. n. 5. Vide, vt supra.
Peccati qualitas. quæst. 6. d. 4. Vide, *Peccati Ang. qualitas.*
Pœna dæmonum. dubio 6. Vide, Ibid. Alligationis. ibid.
Pœnitentia Diuina potentia post peccatum Angeli possibilis. q. 4. d 2. n. 3. Et etiam naturali. n. 4 ad 11. Vide, *Voluntas Ang. an immutabilis:*
Potentia Locomotiua. q. 5. d. 1. Vide, Ibid.
Potentia Angeli productiua substantiæ, vel qualitatis, d. 4. Vide, ibidem.
Potestas Angelica circa immutationem ordinis vniuersi, & causarum naturalium efficientiam. d. 6. Vide, *Potestas Ang.*
Prædestinatio Angelorum ante præuisum peccatũ, D. 2. q. 5. d. 9. numero 2.
In eodem signo simul electi cum hominibus. D. 3. q. 5. d. 9. n. 5. sed post Christũ. n q. 6. dubio 7. n. 5.
Reprobatio Angelorũ. Causa eius. D. 3. q. 7 d. 1. n. 3 5.
Angelorũ scientia infusa. D. 5. q. 3. d. 4 n. 9. & 3. seqq vide, *obiectum Cog. Ang. resp. obiecti supernat.*
Status Bonorum & Malorum nunc qualis. D. 5. q. 6. d. 2. n. 22. Vide, *Via Ang.*
Species Angelicæ. quæst. 3. d. 2. Vide, *Medium Cog. Ang.*
Angelorum malorũ studia erga homines seducendos. q. 7. d. 7. Vide, *Dæmonum studia.*
Angelorum subiectum mobile, & modus mouendi, q. 5. d. 2. Vide, Ibid.
Angelorum superbia. q. 6. d. 4. per totum. Vide, *Peccati Ang. qualitas.*
Tempestates dæmonum opera. D. 5. q. 5. d. 4. n. 13. & 3. seqq. Vide, *Potestas Ang. Dæm. studia.*
Tempus Angelicũ. D. 6. q. 1. d. 4. n. 21. 22. Vide, *Tempus.*
Vbi Angelicum. D. 5. q. 2. d. 2. Vide. Ibid.
Via Bonorũ, & meritum, D. 5. q. 6. d. 2. Vide, Ibid.
Via malorum & peccatum. q. 6. d. 3. Vide, Ibid.
Angelorum Visio Beatifica. Vide, *Visio Dei intuitiua.*
Angelorum volũtas & liberum arbitrium. D. 5. q. 4. d. 1. per totum. Vide, *Voluntas Ang.*

Anima.

Separatæ & damnatæ quomodo crucientur ab igne infernali; quomodo dæmones. D. 5. quæst. 6. d. 6. n. 5. &c. Vide, *Pœna dæmonum.*
Animæ hominum, & spiritus quomodo mouentur ab Angelis. q. 5. d. 2.

Animalia.

Cum homine quando producta, D. 6. q. 5. d. 1. n. 1. Vide, *Opus V. & VI. Diei.*
An Angeli vera animalium corpora assumant. D. 5. quæst. 5. d. 5. numero 14. ad 21. Vide, *Qualitas corporum,* &c.
Animantia omnis generis quinto die aquis ac aëri velut ornatus accessere. Disp. 6. quæst. 2. d. 2. numero 12.

Animatum Cœlum.

Asserentes refelluntur. D. 6. q. 2. d. 5. Vide, *Cœlum animatum.*

Annus.

Quatuor anni temporum varietas vnde; Vnde totius anni Solaris seu Lunaris periodus. D. 6. q. 4. d. 2. n. 5. Vide, *Opus III. & IV. Diei.*
Alexandriæ Anno Christi 180. & alibi Scholæ publicæ Theologicæ. D. 1. q. 1. d. 1. num. 7.

Anomœorum.

Errores. D. 2. quæst. 6. d. 1. numero. 4. & d. 3. n. 1.

Antecedens Voluntas.

Dei non omnis est inefficax. Disp. 3. quæst. 5. d. 5. numero 15.

Anthropomorphitarum.

Errores. D. 2. q. 3. d. 1. n. 2. & q. 4. d. 3. num. 5. & q. 6. d. 1. n. 4.

Appellis.

Errores. Disp. 2. quæst. 5. d. 3. numero quarto.

Apostolorum.

Theologia quoad aliquas conclusiones propriè fuit scientia. D. 1. q. 2. d. 3. n. 9.
Qua vsi sint Theologia. quæst. 1. d. 1. num. 6. Vide, *Theologia.*

Apparitiones Dei.

In veteri & nouo Testamento verius est ministerio Angelorum peractas fuisse. D. 5. q. 5. d. 5. n. 1.
Probatur è Scripturarum collationibus numero. 12. Ratio. numero 13.

Appetibile.

Actiuè, est passio Entis. D. 2. q. 3. d. 3. num. 2. &c.

Appetitus Angelorum.

Sensitiuus non datur. D. 5. quæst. 4. d. 1. n. 4. 5.
Apprehensiones & motiones eius in nobis quomodo cognoscant. q. 3. d. 6. n. 10.
Adeoque nec proprie Appetitus Concupiscibilis & Irascibilis. ibid.
Sed impropriè, & quomodo. num. 6. Vide, *Voluntas Angelica.*

Appetitus Beatorum.

Respectu eiusdem Visionis Beatificæ, tam naturalis quam elicitus, perfectè satiatur. D. 2. q. 8. d. 5. n. 18.

Applicatio Agentium.

Quid applicatione Agentium naturalium possint Angeli in rebus naturalibus efficere. D. 5. q. 5. d. 4. n. 7. Vide, *Potentia productiua.*

Applicatio Virtutis.

Angeli non sunt in loco per solã applicationem virtutis ad operandum. D. 5. q. 2. d. 3. num. 10. per quid verò aliud. Vide, *Vbi Angelicum.*

Apprehensiones.

Apprehensiones sensitiuarum potentiarum & motiones etiam internarum, vt Imaginationis & appetitus sensitiui, quatenus cadant sub cognitionem Angelicam, quatenus non. D. 5. q. 3. d. 6. numero 10.

Approbationis Scientia.

Seu Amicitiæ quare in Deo dicatur absolutè præscientia. D. 3. q. 5. d. 5. n. 4.

Vnde prædestinatio dicatur scientia approbationis. q. 2. d. 3. n. 5.

Prædestinatio consistit in scientia approbationis, & quomodo. d. 2. n. 10.

Aquarum Congregatio.

Quando facta. D. 6. q. 4. d. 1. Vide *opus III. & IV. diei.*

Aquæ Elementares.

Non designantur per aquas supra & infra Firmamentum. D. 6. q. 3. d. 1. n. 28. Nec liquidę, nec concretæ eiusdem speciei cum nostris. ibid.

Aqua Firmamenti.

Superiores & inferiores quid sint. disp. 6. quæst. 3. dubio 1. per totum.

Aquæ superiores ad litterā non significant Angelos bonos, contra Origenem. d. 6. q. 3. d. 1 n. 17.

Nec vaporosum aërem mediæ regionis. n. 20. 21.

Nec Cælum Crystallinum seu solidum stellarum expers. numero 27.

Nec aquas elementares eiusdem speciei cum nostris, nec liquidas nec concretas. n. 27.

Probatur è SS. PP. n. 29 30. Ratione. n. 31, 32. Duæ obiectiones solutæ. n. 33. ad 38.

Sed significant Corpus cæleste simplex diaphanum liquidum & spirabile Beatorum habitationi destinatum. n. 39. 40.

Probatur è Scriptura. n. 41. Ratione. 42. ad 45.

Quod corpus non est sub cælo Empyreo, sed, nec supra, sed in medio eius. n. 45.

Probatur. n. 46. ad 49. è SS. PP. n. 50. & 2. seqq.

Modus & tempus productionis earundem aquarum. numero 51.

Aquæ inferiores firmamenti non significant Angelos malos, contra Origenem. disput. 6. quæst. 3 d. 1. huinero 17.

Sed vel ipsum elementum aquæ terræ circumfusum; vel potius generatim omne corpus simplex diaphanum sublunare, id est, inter cælum Lunæ & terram interiectum. numero 38.

Modus & tempus productionis earundem aquarum. num. 52.

Aquatilium productio

Et avium cur aquæ tribuatur, & non terræ. disp. 6. quæst. 5. d. 1. n. 3.

Arbitrium Liberum.

Quid sit, & qui negarint. D. 2. q. 8. d. 11. n. 1. 2.

Quomodo cum scientia diuina concordet. Ibid. per totum.

Datur Liberum Arbitrium. quæst. 10. d. 6. n. 1.

Angelicum. disp. 5. quæst. 4. d. 1. numero 7. Vide *Voluntas Ang.*

Diuinum. Vide *Dei Voluntas* per totum. disput. 2. quæst. 10. Et, *Voluntas Dei.*

Nostræ, & diuinæ liberæ voluntatis discrimen. d. 3. n. 6. Ibid.

Quomodo cum præfinitionibus diuinis Libertas arbitrij consistat. d. 8. n. 15. ad fin.

Quomodo cum præscientia diuina. q. 11. d. 11.

Quomodo cum prædestinatione. D. 3. q. 6 d. 3. Vide *Dei prædestinatio.*

Quomodo cum reprobatione. q. 7. d. 5. n. 4. Vide *Dei reprobatio.*

Repugnat Libertati arbitrij prædeterminatio physica diuina. D. 2. q. 11. d. 1. Plura vide, locis iam citatis, Et, *Præfinitiones diuinæ.*

Præfinitio actionum in vocatione congrua non impedit libertatem arbitrij. q. 10. d. 8. n. 4.

Arbores.

Quando terra produxerit, & quomodo. disp. 6. q. 4. d. 1. numero 10.

Argumentatio.

Theologica quid, quid Assensus, quid principiū. D. 1. q. 3. d. 2 n. 15. & q. 5. d. 1. n. 2. Vide *Theologia.*

Argumentum.

Sensus literalis Scripturæ firmissimum argumentum præstat. D. 1. 4. 5. d. 2. n. 10.

Item spiritualis & mysticus, cum de eo constat. ib.

Alias per se à toto genere parum valet. ib.

Accommodatitius ad argumenta nihil. ib.

Mystico sensu quam aptè vtantur Lutherani, contra quam doceant. n. 10. Vide *Fides.*

Æquiuocatio quando non impediat argumentum, n. 9. Vide *Scripturæ sensus.*

Argumentum ab auctoritate plurimum valet in Theologia. d. 1. n. 10.

Quomodo argumenta contra fidē solui possint. d. 5. Plura vide locis iam citatis. Et, *Propositio.*

Argumēta cōtra Atheos olim ex Philosophis, & nūc hodie negantes Angelos. D. 5. q. 1. d. 1. per totū.

Argumēta congrua ad suadendā cognitionē naturalem SS. Trinitatis. D. 4. q. 1. d. 2. n. 10. 11.

Aristotelis

Et Philosophorum error circa Angelorum existentiam. D. 5. q. 1. d. 1. n. 14.

Idem intellectum nostrum vespertilionum oculis cur assimularit. D. 1. q. 4. d. 5. n. 5.

Opinio eiusdem negantis motum Angeli continuum in puncto indiuisibili. Disput. 5. quæst. 6. d. 6. num. 9.

Error eiusdem circa mundi æternitatem. D. 6. q. 1. d. 3. numero 2.

Armenorum

Errores. D. 2. quæst. 6. d. 1. numero 3.

Arianorum

Errores. D. 4. quæst. 1. d. 1. numero 7. & quæst. 2. d. 8. numero 1.

Ars.

Necessitas Artis vel scientiæ inferioris ad superiorem, non officit superioris dignitati. D. 1. q. 4. d. 5. n. 11. Vide *Scientia. Theologia.*

Digitized by Google

Artificialis.

Artificialium dierum longitudo prouenit ex motu syderum difformiter vniformi. D. 6. q. 4. d. 2. numero 5.

Assensus.

Theologicus, Argumentatio, Principium quid. D. 1. q. 3. d. 2. num. 15. & quæst. 5. d. 1. numero 2. Vide, *Theologia.*

Assumptio Corporum Angelica. Et actiones Vitales in ijsdem.

An & quomodo possint Dæmones negotiari cum strigibus in assumptis corporibus. D. 5. q. 5. d. 5. numero 1.

Quinque rationes dubitandi. n. 2. & 2. seqq. Solutæ. n. 26. ad fin.

Certum Dogma est, Angelos bonos & malos verè quandoque assumere corpora, n. 4.

Probatur è Scriptura. num. 5. 6. SS. PP. num. 7. Ratione. n. 8.

Assumptio hæc corporum non fit per hypostaticam, aut vllam substantialem vnionem eorundem cum Angelis, aut per solum motum localem. num. 9.

Sed quatenus sibi coniungunt eos motoribus repræsentatis per corpus mobile assumptum. num. 9. Plura vide, *Qualitas corporum, &c.*

De Actionibus vitalibus eorundem in ijsdem. Vide, *Actionis vitales.* D. 5. q. 5. d. 5.

Astra.

Quinam ea ab hominibus incoli absurdè asseuerint. D. 6. q. 2. d. 1. n. 23.

Refelluntur. n. 24. ad fin.

Astronomi.

Recentiores cælum Planetarum liquidum ponunt. D. 6. quæst. 3. d. 2. num. 21. Vide, *Firmamenti soliditas.*

Athei.

Qui olim ex Philosophis, qui nunc hodie. D. 2. q. 1. d. 4. numero 1.

Negarunt vna cum Deo Angelos. D. 5. q. 1. d. 1. num. 3. 4.

Argumenta contra illos. ib. per totum.

Attributa Diuina.

Quid sint. D. 2. q. 2. d. 1.

Attributi diuini nomen tripliciter sumitur. n. 3.

Ad attributum Diuinum requiritur, vt sit perfectio simpliciter. ibid.

Attributum diuinum est per intellectum. n. 4.

Attributorum diuinorum alia sunt Absoluta, alia Relatiua. num. 5.

Ex absolutis alia Negatiua, alia Affirmatiua: Affirmatiua alia solùm Denominationes extrinsecæ; alia Realia & Positiua. n. 5. 6.

Attributa vel Dei substantiam secundùm se significant, vel aliquam eius operationem. n. 6.

Quæ transcendentalia, quæ Particularia, vel Dei propria, vel communia etiam cum creaturis. ib.

Notionalia Attributa, eadem sunt cum Relationibus. n. 4. Vide, *Notio.*

Attributa diuina inter se & ab Essentiâ Diuina non distinguuntur realiter strictè. d. 2. n. 3.

Neque vllo modo à parte rei, ante operationem intellectus. n. 10.

Neque solùm vocibus seu materialiter, vel etiam solâ ratione rationante. d. 3. n. 1. 2.

Sed ratione etiam rationatâ. num. 1. & 3. seqq. & d. 4. numero 2.

Et virtualiter seu eminenter, non possunt tamen à nobis sine respectu virtuali vel habituali ad creaturas ita distingui. d. 4. n. 4.

Attributa secundùm se magis sunt idem secum, quàm cum alijs, non vero vt in subiecto. numero 13.

Quando de Attributis diuinis dici possint Contradictoria, numero 11.

Quomodo, cum vnum attributum per aliud demonstratur, non idem per idem probetur; nec Synonymia committatur. n. 12.

Attributi vel Essentiæ eiusdem perfectiones quasi partiales distinguuntur inter se virtualiter, paulò latiori significatione. d. 3. n. 7.

Quæ Attributa in Abstractis de se mutuò prædicata non sint veræ Prædicationes in sensu formali, sed identico. n. 10.

Attributa diuina intellectus Dei & Beatorum non distinguit ratione; licet vt à nobis distincta cognoscat. d. 4. n. 7.

Quomodo attributa diuina sint infinita nostro conceptu formaliter comprehensa, non apprehensa Essentiâ diuinâ. d. 5. n. 9.

Quomodo secundùm nostrum concipiendi modum Attributa sint de Essentiâ Diuinâ. dist. 5. numero 11.

In Attributis & Dei nominibus, in quo deficiant Concreta & Abstracta, d. 7. n. 2.

Attributa quatuor Diuinarum Scientiarum. quæst. 11. d. 10.

Attributum Dei videtur esse Incomprehensibilitas, & Inuisibilitas. q. 6. d. 1. n. 1. 2.

Attributa Relatiua sunt de Essentiâ Dei. D. 4. q. 3. d. 3. numero 5.

Attributa seu perfectiones Diuinas Vide, *Dei Æternitas* & deinceps. *Personæ diuinæ.* Et, *Subsistentia Diuina.*

Beatitudo Dei an speciale sit Attributum, & quomodo ad alia Attributa comparetur. D. 2. q. 12. d. 2. Cætera attributa in specie vide suis locis.

Attributorum Diuinorum Prædicationes.

In Diuinis Concreta tam Absoluta, quàm Connotatiua de Concretis Absolutis formaliter prædicantur. D. 2. q. 2. d. 7. n. 1.

De Concretis quidem Absolutis Connotatiuâ voce seu quoad modum significandi *in Quale*, reipsâ tamen *in Quid.* n. 2.

De Concretis Absolutis verè etiam prædicantur Attributa in Abstracto. n. 3.

Prædicationes in quibus Abstracta de Deo in Concreto prædicantur, secundùm nostrum modũ loquendi veræ sunt sensu identico, non formali. ib.

Nisi quædam ex propriâ, & speciali ratione possint etiam formaliter de Concretis prædicari. ibid.

Digitized by Google

In Deo verè etiam prædicantur de Abstractis Concreta. numero 4.
Suntque veræ in sensu identico, non formali, nisi ratio specialis attributorum aliud requirat, numero quinto.
In Terminis Diuinis verè etiam prædicantur Abstracta de Abstractis, num. 7.
Hæ tamen Prædicationes, iuxta nostrum concipiendi modum, veræ non sunt sensu formali, sed tantùm identico, ibid.
Reduplicatiuæ propositiones in Terminis Diuinis sunt falsæ, n. 8.
Nisi tempus, cui apponitur Reduplicatio, secundum nostrum modum concipiendi, aliquo modo contineat rationem, ob quam prædicatum subiecto conueniat, ibid.
Idem fit in propositionibus, quæ habent vim Reduplicatiuam. n. 10.
Nisi ablatiuus sit Terminus quasi Transcendens neutralis. ibid.
Propositiones varias Reduplicatiuas tum veras, tum falsas. Vide, ibidem.
Quomodo se habeant Diuinæ Personæ ad Essentiam & Attributa Essentialia, quoad modum prædicandi. D. 4. q. 1. d. 7. num. 8.
Attributa Relatiua. Vide, *Relationes Diuinæ.*

Auctoritas.

Argumentum ab Auctoritate plurimùm valet in Theologia. D. 1. q. 5. d. 1. numero 10.
Auctoritas Doctorum qualibet ætate viuentium secundum se est infallibilis. numero 9.
Scholasticorum Auctoritas quanta. n. 10.
Auctoritas Iurisconsultorum Locus est Externus Theologiæ. numero 5.
Auctoritate & Dignitate Scriptura superat Ecclesiam. D. 1. q. 4. d. 5. n. 8.
Sanctorum Patrum Auctoritas non est à priori per se infallibile Fidei argumentum. quæstione 5. d. 1. numero 10.
Est tamen à posteriori. n. 9.

Audianorum.

Error. D. 2. quæst. 3. d. 1 numero 2.

Auditus.

An necessariò vnus Angelus alterum sibi loquentem audiat. D. 5. quæst. 4. d. 3. num. 29. Vide, *Locutio Angelica.*

S. Augustinus.

Dubitauit, an per potentiam Diuinam humanus oculus ad Dei visionem eleuari possit. D. 2. q. 6. d. 1. num. 7.
Quid senserit de Beatitudine supernaturali Angelorum. D. 5. q. 6. d. 1. n. 5.
Quid cum Sancto Thoma, & veteribus Theologis de Prædestinatione facta independenter à meritis. D. 3. q. 5. d. 3.

Auis.

Auium productio quando facta, & cura quæ tribuatur, non terræ. D. 6. q. 5. d. 1. num. 3.

B.

S. Basilius.

Malè negat tertio die plantas noxias hominibus productas. D. 6. q. 4. d. 1. n. 9.

Beatifica Visio.

Vide, *Visio Dei.*

Beatitudo Angelorum.

Angeli non fuerunt creati in Beatitudine supernaturali. D. 5. q. 6. d. 1. num. 4.
Explicatur S. Augustinus in speciem cõtrarius. n. 5.
Sed in Naturali tantum. num. 6.
Quomodo Dæmon Beatitudinem seu Naturalem seu supernaturalem inordinatè appetierit, Vide, *Peccati Angelici Qualitas.* d. 4.
An naturaliter potuisse Beatus Angelus. D. 4. q. 5. d. 2, n. 11. &c. Vide, *Voluntas Angelica.* d. 1.

Beatitudo Dei.

An & qua ratione Deus sit Beatus. D. 2. q. 12. d. 1.
Beatitudo Dei an speciale Attributum; & quomodo ad alia comparetur. d. 2.

Beatus.

Beatorum Intellectus non distinguit Attributa diuina ratione, licet vt à nobis distincta cognoscat. D. 2. q. 2. d. 4. n. 7. Vide *Attributa diuina.* d. 1.
Intellectus Beati quomodo producat Visionem Dei. d. 4. numero 2. Vide, *Lumen gloriæ. Visio Dei intuitiua.*
Beati non æqualiter Deum intuentur. quæstione 8. d. 5. numero 1.
Quod de angelis incertum est. n 3.
Beati quid videant in Deo. d. 7. n. 2. & 2. seqq. Vide, *Dei Incomprehensibilitas. Dei visio.*
Quomodo Creaturas, & peccata videant in Deo. Vide locis citatis.
Beatorum appetitus tum naturalis, tum elicitus, respectu Visionis Beatificæ perfectè satiatur. d. 5. numero 12.
Beati præter essentiam Diuinam, Absolutasque Perfectiones, vident etiam Relatiuas, & quicquid formaliter est in Deo. q. 6. d. 7. n. 2.
Non tamen ideò vident infinitas formaliter in Deo Perfectiones existentes. n. 3.
Beati Decreta quædam diuina & actus liberos in Deo quomodo videant. d. 8. n. 12.
Requiritur tamen ad hæc Dei voluntas ea manifestandi, num. 9. Vide, *Dei visio. Dei Incomprehensibilitas.*
Beati Deum intuitiuè cognoscunt reipsa. d. 1. numero 4.
Beati Deum reipsa vident per speciem Expressam. d. 2. num. 7. 8.
Non per impressam. n. 9. Vide, *Dei visio*, &c.
Beati in quo corpore cælesti sint habituri; & vbi illud situm sit. Disputat. 6. quæst. 3. d. 1. numero 30. ad fin.
Mediata causa diuersæ visionis Beatificæ in Beatis, est diuersa charitas huius vitæ. D. 2. quæst. 8. d. 5. numero 11.
Ens Rationis an à Beatis, & Deo fieri possit. Disp. 2. q. 10. d. 7. n. 8. & 2. seqq.

Begardorum, & Beguinarum.

Errores. D. 2. q. 6. d. 1. n. 4. & d. 3. numero 1.

S. Benedictus.

An Deum in hac vita vidit? D. 2. quæst. 6. dub. 1. numero 12. 13.

Digitized by Google

Bonitas Dei.

D. 2. q. 3. d. 3. Vide ibi, *Dei Bonitas.*
Est eidem Ratio volendi Creaturas. quæst. 10. d. 5. num. 2.
Quæ tamen non est Finis Dei volitionis; sed Creaturarum. ib.
Etiam mere possibilium. ib.

Bonum. Bonus, Bona.

Bonum in genere duplex. D. 2. q. 3. d. 3. n. 1.
Omnes Boni diuisiones, & subdiuisiones, & eorum definitiones n. 12.
Bonum, vt conueniens particulari Enti, non videtur passio Entis. n. 1.
Est tamen, vt conueniens Vniuersali Enti, seu appetitui Auctoris naturæ n. 2.
Appetibile actiue est passio Entis. ib. &c.
Omnis Res denominatiue Bona est Bonitate diuina, formaliter autem Bona similitudine quadam Bonitatis Diuinæ d. 3. n. 8.
Denominatio Extrinseca videtur esse posse passio Entis. n. 2.
Sed non Relatio realis, nec rationis n. 3.
Boni cur in hac vita sæpe infelices, Mali felices. D. 3 q. 1. d. 2. n. 13.
Bonum Morale saltem aliquod Dæmones an possint facere, & quatenus. D. 5. q. 6 d. 5. n. 17. &c. Vide, *Obstinatio Dæmonum.*
Præscientia peccati prior est illo bono, cuius occasio est peccatum. D. 3. q. 3. d. 3. n. 8.
Bona supernaturalia prædestinati, quænam Effectus prædestinationis, d. 1.
Bonorum Naturalium, respectu prædestinatorum, duplex consideratio. d. 2. n. 1.
Quænam ex iis Effectus prædestinationis. ib. & n. 2.
Bona opera mere naturalia non sunt Causa meritoria aliquorum Effectuum prædestinationis. q. 4. d. 5. n. 1.
Quamuis sint ex particularibus Dei auxiliis profecta ante gratiam sanctificantem. n. 10.
Imo ne quidem Bona opera ex Gratia profecta. num. 17.
Neque bonus vsus Gratiæ. n. 20.
Bona opera quomodo à Deo prædefiniantur. Vide, *Opus Bonum, Præfinitiones Diuinæ.*
De Actibus salutaribus prædestinatorum. Vide plura, *Dei prædestinatio.*
De Meritis. Vide, *Meritum.*
De Meritis Angelicis. Vide, *Actus Angelorum.*

Bona Fortuna.

Vide, *Fortuna.* D. 3. q. 1. d. 5. n. 9. &c.

S. *Brigittæ* Reuelatio.

De numero Angelorum. D. 5. q. 1. d. 6. n. 11.

C.

Caietanus.

Eius opinio circa Compositionem Angelorum. D. 5. q. 1. d. 2. n. 28.

Caluini.

Errores. D. 3. q. 4. d. 3. n. 5.
Caluinianæ & Catholicæ Prædestinationis discrimen. q. 5. d. 5. n. 65.

Cardinales Virtutes.

Quæ in Deo. D. 2. q. 10. d. 2. n. 13.

Casus Diaboli.

Citius quam intra spatium vnius diei naturalis contigit; vt & Bonorum Gloria. D. 5. quæst. 6. d. 2. num. 21.
Status eius post lapsum in tribus consistit; vt & Bonorum Angelorum; & in quibus. numero 22.

Causa Prædestinationis meritoria.

Hæc est Christus Dominus. D. 3. q. 4. d. 2. n. 1.
Item Oratio eiusdem. n. 16. Plura Vide, *Christus.*
An etiam B^ma^ Virgo. nu 15.
Ex parte actus ipsius prædestinationis, nullam dari causam prædestinationis, quot modis intelligi possit. n. 7.
Quænam causæ prædestinationis comparatiue sumptæ. n. 10.
Nullus homo purus potest esse causa meritoria effectuum omnium prædestinationis alteri homini de ordinaria potentia. n. 13; an de absoluta? num. 15.
Etsi mortales efficienter conducere possint suis meritis & precibus ad Executionem prædestinationis, n. 19.
Preces tamen eorum, præterquam Christi, effectus tantum sunt prædestinationis, non causa, numero 16.
Causa materialis seu subiectum prædestinationis quænam. d. 3. n. 1.
Efficiens quænam. ib.
In Paruulis nulla est causa actiua prædestinationis, quoad vllum Effectum. n. 3.
Errores Hæreticorum circa Causam Meritoriam Prædestinationis ex parte prædestinati, num. 4. 5. &c.
Scholasticorum variæ sententiæ de causa prædestinationis ex parte prædestinati. d. 4.
Quænam vera sit sententia, & refutatio præcedentium. d. 5.
Datur in homine causa meritoria aliquorum Effectuum prædestinationis, adeoq; prædestinationis ex parte aliquorum Effectuum. n. 27.
Causa illa non est carentia Obicis, seu opera bona mere naturalia. n. 1.
Quamuis ex particularibus Dei auxiliis profecta sint, ante Gratiam sanctificantem n. 10.
Non sunt etiam causa illa, bona opera ex Gratia profecta. n. 17.
Neque bonus vsus Gratiæ, & Cooperatio nostra absolute futura est causa, vel conditio sine qua non, ad prædestinationem. n. 20.
Imo ex parte prædestinati penitus nihil est, cur prædestinetur. numero 22. Vide plura, *Christus.*

Causa Obstinationis Dæmonum.

Propria & immediata, non est Inflexibilitas naturæ. D. 5. q. 6. d. 5. n. 11.

Digitized by Google

Sed decretum Dei ita ſtatuentis, vt poſt primum inſtans peccati facultatem non habeant ſalutaris pœnitentiæ. n. 12. Ratio. n. 13.
Varii modi id explicandi. n. 14. 15.
Verior iſte, quia Deus Dæmonibus poſt peccatum omnem Gratiam tam actualem ad conuerſionem peccatoris neceſſariam, non efficacem modo, ſed & ſufficientem, quam habitualem neget. num. 16.
An iſthæc obduratio in ipſis impediat omne Bonum morale tam in actu primo, quam ſecundo. Vide deinceps à n. 17. ad fin.

Cauſa Reprobationis.

Quænam ſint. D. 3. q. 7. d. 3. n. 1. & ſeqq.
Eius cauſa finalis abſoluta & primaria non eſt, vt Deus Iuſtitiam vindicatiuam oſtendat. n. 5. 9.
Primæ Reprobationis negatiuæ à gratia congrua, nulla datur cauſa ex parte creaturæ. n. 18.
Item nec à gloria. n. 24.
Idem dicendum de actu poſitiuo diuinæ voluntatis non præeligendi Reprobos ad gloriam & gratiã. n. 26.
Poſitiuæ tamen reprobationis à gloria datur cauſa ex parte Reprobi. n. 27.
Paruulorum tamen diuerſa ratione, quam Adultorum & Angelorum. n. 35.

Cauſa Rerum.

Quomodo ſit voluntas Dei. D. 2. q. 10. d. 4. n. 2.
Voluntas Dei propior eſt cauſa Rerum, quam Intellectus. ib. & 2. ſeqq.
Quomodo Practica in Deo à ſcientia, vt eſt cauſa Rerum, differat. q. 11. dub. 10. n. 17.
Creatura non poteſt eſſe cauſa principalis creationis; ſed inſtrumentalis. D. 6. quæſt. 1. d. 2. nu. 3. & ſeqq.

Cauſa ſecundæ.

Quomodo ſe habeant ad Contingentiam. D. 2. q. 10. d. 6. n. 4.
Quomodo ad neceſſitatem. n. 4. & ſeqq.
Quonam ſenſu admitti poſſit, cauſam ſecundam à prima, ſeu actione primæ cauſæ moueri, determinari, applicari. q. 11. d. 1. n. 27.
Quomodo, præfinitione intrinſeca Dei poſita, nihilominus dici poſſit prior concurſus cauſæ primæ actione cauſæ ſecundæ, quamuis alias ſimultaneus. q. 10. dub. 6. n. 29.
Concurſus Cauſæ primæ à ſecunda an modificatur, & determinatur. n. 32. Vide plura, *Præfinitiones Diuinæ.*

Cauſalitas.

Formalis Scientiarum *ſub qua*, eadem eſt cum illa *propter quam*, vel, *quæ*, D. 1. q. 3. d. 3. n. 9.

Celeſtii.

Errores. D. 3. q. 4. d. 3. n. 8.

Cerdonis.

Errores. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.

Certitudo.

Certitudinis variæ ſpecies ac modi. D. 1. quæſt. 4. d. 4. num. 1.
Certitudo & Immutabilitas Prædeſtinationis. D. 3. q. 6. d. 1. n. 1. & ſeqq. incertitudo eiuſdem quoad nos. d. 4. n. 1. & ſeqq.
Certitudo Moralis quotuplex. D. 1. quæſt. 5. d. 4. num. 2.
Sufficit ad fidei certitudinem in propoſitione Theologica, & quomodo. n. 6. 7.
Quænam Euidens, n. 2.
Certitudo Theologiæ reſpectu aliarum Scientiarum quæ. q. 4. d 4.

Certus.

Certus Prædeſtinatorum numerus, & quomodo. D. 3. q. 6. d. 1. n. 5, 6.
Nemo certus eſſe poteſt de ſua Prædeſtinatione, ſine ſpeciali Dei Reuelatione. d. 4. n. 1. & ſeqq.
Certus etiam eſt numerus Reproborum. quæſt. 7. d. 5 num. 1.
Scientiæ naturales certiores ſunt Theologia opinatiua. q. 2. d. 4. n. 8.
Secundum quid certiores certitudine ſubiecti ſeu adhæſionis, quam Theologia ſimpliciter dicta. num. 6.

Charitas.

Diuerſa huius vitæ, mediata cauſa eſt diuerſæ Viſionis in Beatis. D. 2. q. 8. d. 5. n. 11.
Vna cum affectiua Cognitione poſt peccatum ab Angelis totaliter ablata. D. 5. q. 6. d. 5. n. 2. 3.

Cherubim.

Cur poſtponantur Seraphim. D. 5. q. 1. d. 5. n. 7.

Chriſtus.

Quare dicatur Rabbi & Magiſter. D. 1. q. 1. d. 1. n. 1.
Chriſtus & Apoſtoli qua vſi ſint Theologia. n. 6.
Non habuit Cuſtodes Angelos, ſed Miniſtros. D. 5. q. 6. d. 8. n. 18.
An & qua ratione ſit Cauſa Meritoria Prædeſtinationis. D. 3. q. 4. d. 2. n. 1. Vide, *Cauſa, & Meritoria. Dei Prædeſtinatio.*
Orationes Chriſti ſunt cauſa Prædeſtinationis, non effectus, vt aliorum hominum. n. 16. 19.
Chriſti Incarnatio & Paſſio &c. in genere ſpectata non ſunt effectus Prædeſtinationis. quæſt. 3. d. 1. num. 5.
Saltem particularis huius vel illius, ſed potius generalis prouidentiæ. ibid.
Chriſti Paſſio quomodo prædeſtinata. q. 5. d. 5. n. 37
Prædeſtinatio Chriſti in primo inſtanti nec confuſa, nec determinata fuit. q. 7. n. 7.
Quinam eorum, qui in prędeſtinato ſunt, effectuum ſit cauſa. q. 4. d. 2. n. 3.
Quomodo ipſius prædeſtinationis eorundem effectuum. n. 5.
Quomodo Chriſtus quosdam effectus in prædeſtinato non meruerit. n. 4.
Non fuit cauſa prædeſtinationis comparatiue ſumptæ. n. 10.
Chriſtus ſecundum ſubſtantiam, & vt Caput hominum prædeſtinatus eſt ante prædeſtinationem hominum. D. 3. q. 5. d. 7. n. 1.
Non tamen ſecundum Carnem paſſibilem, ſeu vt Redemptor, ſed poſt eam. n. 6. Vide, *Dei Prædeſtinatio. Prædeſtinatio. Prædeſtinatus.*

Digitized by Google

Chronologiæ.

Circa creationem mundi falsæ reiectæ. D. 6. q. 1. d. 4. num. 24.
Vera ista hæc, quod mundus die dominico creatus. num. 23.
In vere, mense Martio. n. 26.

Circumincessio.

In personis diuinis, quid sit. D. 4. q. 1. d. 8. num. 15. & 3. seqq.

Cœna quatuor.

Quid sint. Error circa illa Alberti Magni, & quorundam aliorum. D. 6. q. 2. d. 2. n. 19.

Cœlum & Terra.

In creatione cœli & terræ, non significant solum Empyreum cœlum, sed & Sydereum, adeoque omne corpus cœleste quoad substantiam est productum primo die. D. 6. quæst. 2. d. 2. num. 3. 4. & seqq.
Contraria sententia solum Empyreum cœlum primo die productum ait. n. 1. Fundamentum eius. n. 2. Solutum. n. 10. 11.
Non solum omne cœlum simul cum terra, sed & Elementa omnia cœlo terraq; clausa, etsi rudia & inculta, simul & ab initio ante cæterarum rerum productionem à Deo ex nihilo sunt creata, ac post sigillatim & ordine sex dierum spatio elaborata. n. 12. & seqq.
Terræ nomine non intelligitur materia prima informis contra quosdam. n. 18.
Cœlum proprie ex nihilo creatum est, & cur. q. 1. d. 1. n. 8.
Cœlum, Terra, Lux quando creata. q. 2. d. 1. Vide, *Opus 1. diei*.
Cœlum & terra non fuerunt creata eodem instanti cum luce, sed tempore antecedenti. n. 19.
Angeli non sunt producti primum post creatum cœlum & terram. D. 5. q. 1. d. 1. n. 17.
Sed simul. n. 15. ad 22. Vide, *Existentia Angelorum.*

Cœlum Animatum.

Cœlum aut sydera animata qui asseruerint, & quibus fundamentis innixi. D. 6. q. 2. d. 5. nu. 7. ad 8. Soluta. n. 21. 22.
Non esse animata, communis est doctrina SS. PP. num. 8.
Cœlum esse animatum anima tantum vegetatiua, aut sensitiua, Dogma quidem in Philosophia absurdum est; sed non contrarium Fidei videtur. n. 9. 10.
Anima autem Rationali seu intelligente esse animatum, erroneum in Fide dogma est. numero 11. & seqq.
Astra ab hominibus incoli, quinam asseruerint. nu. 23. refelluntur. n. 24. ad fin.
Cœli materia. d. 4. Vide *Materia corporis cœlestis.*

Cœlum Crystallinum.

Non denotatur per aquas supra & infra Firmamentum. D. 6. q. 3. d. 1. n. 27.

Cœli Incorruptibilitas.

Cœlum quinam corruptibile dixerint. D. 6. q. 2. d. 6. n. 1. ad 4.
Qui incorruptibile. n. 4.
Cœlum natura sua esse incorruptibile, vel corruptibile; vtraq; sententia sine errore defendi potest. n. 5. ad 8.
Non solum secundum naturalem rationem, sed & secundum Fidei principia, probabilius, Cœlum natura sua ingenerabile & incorruptibile asseritur. n. 8. Ratio. ib. & n. 9. & seqq.

Cœlorum Interitus.

In fine mundi, seu potius immutatio qualis. D. 6. q. 4. d. 5. Vide *mundi & cœlorum interitus.* Vbi plura.

Cœlorum Materia.

Quæstiam. D. 6. q. 2. d. 4. Vide *Materia corporis cœlestis*, vbi ex instituto.

Cœlorum Motor & Motus.

Cœli, seu sydera; & non terra motu illo diurno ab oriente in occidentem mouentur. D. 6. q. 4. d. 3. n. 2. & seqq.
Contraria damnata à Paulo V. P. M. n. 6.
Cœli nec à seipsis, seu forma intrinseca, nec immediate à Deo, sed ab intelligentiis assistentibus mouentur. num. 8. Et quomodo ab istis. q. 5. d. 2. n. 12. & seqq.

Cœlorum Numerus, Natura, solidicas.

Cœlũ quidam vnum tantum ponunt. D. 6. q. 4. d. 4. n. 1. Alii duos. n. 2. Tres alii. n. 3.
Qui tamen septem orbes cœlestes numerari posse asserunt. n. 4.
Quatenus tres tantum cœli; & quatenus vnum tantum. ib. & n. 6.
Cœlorum numerus denarius, seu vndenarius quo fundamento nitatur. nu. 7. quam firmo. n. 8. ad 13. Solutæ obiectiones. n. 13.
Qua ratione cum Ægidio vnum corpus tota cœlestis machina dicatur. n. 14. 15.
Quomodo octo cœli. n. 16.
Clauii sententia de numero cœlorum. n. 17.
Cœli syderei omnes eiusdem sunt essentiæ. n. 18.
Cœlum an sit solidum, vel liquidum (intellige sydereum) q. 3. d. 2. Vide ibi *Firmamenti soliditas.*
An noua Phænomena cœlorum soliditati obstent. Vide, *Phænomena noua* per totum.

Cœlorum Solutio.

In fine mundi qualis. D. 6. q. 4. d. 5.

Cœlum Sydereum.

Angeli non creati sunt in cœlo sydereo, aut vllo alio mobili corpore, qua tali. D. 5. q. 1. d. 1. n. 34.

Cognitio.

Vt cognoscatur aliquid per aliud, non est necesse, vt hoc ad illud dicat respectum; sed sufficit certam hoc cum illo habere connexionem &c. D. 2. q. 6. d. 8. n. 17.
Ad cognoscendum aliquid tria requiruntur. q. 8. d. 3. n. 11.
Cognitio eadem ex speculatiua, non potest fieri successiue practica. D. 1. q. 4. d. 3. n. 5.
Finis appeti potest sine mediorum actuali cognitione, non contra. D. 3. q. 1. d. 2. n. 40.

Digitized by Google

Cognitio Abstractiua.

Vide, *Abstractiua Cognitio.*

Cognitio Comprehensiua.

Vide, *Comprehensiua Cognitio.*

Cognitio Intuitiua.

Vide, *Intuitiua* Cognitio.

Cognitio Quidditatiua.

Vide, *Quidditatiua* Cognitio.

Cognitio Angelorum.

Angeli naturaliter non cognoscunt liberos actus mentis humanæ. d.5.q.3.d.6.

Cognitio qua quisque Angelus alterum intelligit, est quidditatiua, non comprehensiua. D. 5. q. 3. d. 3. n. 10.

Cognitio rerum naturalium existentium per proprias species est intuitiua, non existentium seu præteritarum, seu mere possibilium (quatenus quidem hæ sub eius cognitionem cadunt) solum est abstractiua. d.4.n.23.24.

Cognitio futurorum & contingentium qualis. d. 5. Vide, *futura & contingentia.*

Cognitio habitualis acquisita in angelo locum non habet, d. 8. n. 28. & Cur, n. 29.

Cognitio Angeli naturalis rerum materialium, præsentium, præteritorum, possibilium, d. 4. per totum.

Cognitio naturalis respectu rerum immaterialium. d. 3. per totum.

Cognitio respectu obiectorum supernaturalium, d. 7. per totum.

Cognitio supernaturalis speculatiua post peccatum in Angelis est diminuta. n. 2.

De modo cognitionis Angelicæ. q. 3. d. 8.

Angelus Beatus etsi perfectiori intellectu, pari tamen lumine gloriæ cum homine, cur non possit perfectius Deum cognoscere, quam intellectus hominis. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.

Scientia Infusa Angelorum. d. 5. q. 3. d. 4. nu. 9, & 3. seqq.

Cognitio Dei.

Quomodo naturalis intellectui creato. D. 2. q. 6. d. 3. num. 4.

Quomodo Deus cognitione abstractiua cognoscatur d. 2. n. 18.

An vt sic naturaliter per speciem inditam quidditatiue ab Angelo possit cognosci. n. 17. Vide plura ex instituto, *Visio Dei intuitiua. Dei incomprehensibilitas, Lumen Gloriæ.*

Cognitio Hominis.

In statu Innocentiæ quæ, & quotuplex. Vide, *Hominis conditio.* D. 6. q. 5. d. 2.

Cometæ & Nouæ stellæ.

Non officiunt cœlorum soliditati. D. 6. q. 3. d. 3. §. 4. n. 35. ad 63.

Iudicium Auctoris de iisdem, & nupero cometa. ib. n. 63. ad 68.

Communitas.

Communitatibus singulis peculiaris custos Angelus præest. D. 5. quæst. 6. d. 8. n. 26. 27. Maxime Ecclesiasticis & religiosis. ibidem.

Compositio.

Accidentalis duplex, substantialis quadruplex. D. 2. q. 3. d 1. n. 1.

Compositio Angelorum.

Angeli non sunt omni ex parte corporei. D. 5. q. 1. d. 2. n. 5. Qui affirment. n. 2.

Angeli nullo modo sunt corporei, sed vndiquaque spirituales & incorporei. num. 6. Qui negent. num. 3.

Probatur è Scriptura. num. 7. PP. Græcis. n. 8. Latinis. num. 10. Concilio Lateranensi. n. 11. Ratione. n. 12.

Pro vna sui parte corporeos dicere, non est error in Fide. n. 13. Sed temeritas. n. 14.

Duplex responsio ad loca SS. PP. in speciem contraria. n. 20. 21. Ad loca Scripturæ ac Trithemium. n. 22. ad fin.

Angeli sunt compositi non quidem ex materia & forma, sed ex Esse tamen & Essentia, natura & subsistentia, genere & differentia, potentia & actu, seu substantia & accidente. n. 15.

Probatur auctoritate Aristotelis & SS. PP. num. 16. Ratione. num. 17. Theologi contrarii nobiscum conciliantur. n. 15.

Durandi opinio, qui negat eorum compositionem ex genere & differentia. n. 19.

Obiectiones è PP. ductæ soluuntur. n. 22. & seqq. Ex Trithemio & Caietano. n. 28.

Comprehensio.

Dupliciter distinguitur. D. 2. q. 6. d. 6. n. 1.

Deus comprehendit se negatiue; non positiue. n. 7. Vide, *Dei Incomprehensibilitas.*

Comprehensiua Cognitio.

Cognitio qua quisque Angelus alterum intelligit, est quidditatiua, non comprehensiua. D. 5. q. 3. d. 3. n. 10.

Scientia Visionis non pertinet ad comprehensiuam Dei scientiam. D. 4. quæst. 4. d. 3. n. 37. Vide, *Dei Scientia.*

Concilia.

Generalia dignitate cedunt scripturæ. D. 1. q. 4. d. 5. n. 8. vt & Ecclesia. ib.

Concilia Particularia à Theologia iudicantur. numero 10.

Concilium Lateranense Angelos incorporeos definiuit. D. 5. q. 1. d. 2. n. 11. & fuisse simul cum mundo creatos. d. 1. n. 21.

Synodus Constantinopolitana II. dicta V. Generalis Origenis errorem de cælis & astris animatis damnauit. D. 6. q. 2. d. 5. n. 15.

Concilia vtuntur S. Thoma. D. 1. quæst. 1. d. 2. numero 3.

Conclusio.

Conclusiones Theologicæ duplices. D. 1. quæst. 5. d. 3. num. 1.

Conclusionis Theologicæ deductæ & explicatæ discrimen. n. 4.

Conclusio quando sequatur partem debiliorem.

præ-

Digitized by Google

præmissarum, quando certiorem q. 3. d. 2. n. 7. & q. 4. d. 4. n. 5.
Conclusio speculatiua eadem non potest successiue fieri practica. q. 4. d. 3. n. 5.
Conclusio Theologica potest esse principiũ Theologicum. q. 5. d. 3. n. 5. 6.
Item immediata Fidei propositio. ib.

Concreta & Abstracta.

De concretis & absolutis vere etiam prædicantur attributa in abstracto. disput. 2. quæst. 2. d. 7. num. 3.
Prædicationes, in quibus abstracta de Deo in concreto prædicantur, secundum nostrum modum loquendi, veræ sunt sensu identico, non formali. ibidem.
Nisi quædam ex propria & speciali ratione possint etiam formaliter de concretis prædicari. ib.
In Deo etiam vere prædicantur de abstractis concreta. n. 4.
Suntque veræ in sensu identico non formali, nisi ratio specialis attributorum aliud requirat. numero 5.
Concreta & abstracta in quo deficiant in attributis, & Dei nominibus. n. 2.
In Diuinis concreta tam absoluta, quam connotatiua de concretis absolutis formaliter prædicantur. n. 1.
De concretis quidem absolutis connotatiua voce, seu quoad modum significandi *in quale*, reipsa tamen *in quid*. n. 2.
Quid dicendum de relationibus, si in concreto cõsiderentur. D. 4. q. 3. d. 3. n. 11.
In propositionibus de secundo adiacente, subiecta concreta accipiuntur materialiter, non formaliter. D. 2. q. 1. d. 3. n. 3.

Concursus.

Primæ & secundæ causæ. Disp. 2. q. 11. d. 1. num. 27. 29. 32.
Quomodo concursus causæ primæ sit prior actione causæ secundæ; cum qua alias simultaneus numero 29.
Concursus Dei impediret libertatis vsum, si Deus ex necessitate ageret; creaturæ vero per impossibile haberent libertatem. q. 10. d. 6. n. 14.
Non tamen effectus contingentes. ib.

Conditio.

Nunquam potest esse ratio formalis *sub qua*. D. 1. q. 3 d. 3. n. 6.
Realis præsentia vniuersim per se non est conditio prærequisita ad agendum. D. 2. q. 4. d. 3. n 6.

Conditio Hominis.

In statu Innocentiæ qualis. Vide *hominis conditio*. D. 6. q. 5. d. 2.

Conditionata Necessitas.

Ex qualibus conditionibus oriatur, Disp. 2. q. 11. d. 1. num. 24.

Conditionata Præscientia.

Actus salutares prædestinatorum, & certus Gloriæ gradus non fuerunt prædestinata ante præscientiam conditionatam liberæ cooperationis nostræ. D. 3. q. 5. d 6. n. 1.

Conditionata Propositio.

Consequentiæ quædam hypotheticarum quando formales fiant. D. 2. q. 8. d. 5. n. 31.

Congregatio Aquarum.

Quando facta. D. 6. q. 4. d. 1. num. 1. Vide *Opus III. & IV. Diei.*

Congrua Gratia.

Congruam gratiam seu efficacem reipsa prædestinat Deus ad perseuerandum omnibus prædestinatis. D. 3 q. 5 d. 1. n. 9.
Non ex præscientia absoluta occasionum, sed ex singulari dilectione erga prædestinatum. n 12.
Vnde talis sit, & dicatur congrua & efficax. n. 39.
Non ideo tamen reprobis prædestinat incongruã. n. 38. & q. 5. d. 5. n. 31.
Primæ reprobationis negatiuæ causæ ad gratiam congruam, nulla datur causa ex parte creaturæ. q. 7. d. 1. n. 18.
In eo ipso signo quo quis quomodolibet reiectus est à gratia congrua, absolute & simpliciter reiectus est. n 26.
Actus positiui diuinæ voluntatis non præeligendi reprobos ad gratiam, nulla itidem datur causa ex parte creaturæ n. 26.

Congrua Vocatio.

Præfinitio actionum in vocatione congrua non officit libertati arbitrii. D. 2. q. 10. d 8. n. 4.

Consensus Ecclesiæ.

Non potest materialiter esse hæreticus. D. 1. q. 5. d. 1. num. 9.

Consequentia.

Consequentiarum bonitas duplex, & quæ. D. 2. q 8. d. 5. n. 30.
Consequentiæ quædam hypotheticarum quando formales fiant. n. 31.
Ordo quoad existendi consequentiam quid. D. 3. q. 5. d. 8. n. 5.

Constantinopolitana Synodus II.

Dicta V. generalis, Origenis errorem de animatis cœlis & astris damnauit. Disput. 6. q. 2. d. 5. num 15.

Contingentia.

Quæ, & quot modis. D. 2. q. 8. d. 5. n. 1.
Propositiones de contingentibus futuris, quando veræ, vel falsæ. d. 6. n. 34.
Contingentium prima radix Deus. quæst. 10. d. 6. num. 4.
Quomodo causæ secundæ ad eam contingentiam se habeant. ib.
Contingentes effectus dantur, & quando. n. 2, 3.
Darentur iidem, etsi Deus omnia ex necessitate ageret. n. 14.
Contingentia & futura quomodo cognoscant Angeli. Disp. 5. quæst. 3. d. 5. Vide *Futura & contingentia.*
Contingentia mere naturalia an dentur. num. 10. & 3. seqq.
Contingentia futura quomodo Deus cognoscat. Disput. 2. quæst. 11. d. 5. 6. 7. Vide *Futura contingentia.*

Digitized by Google

Continuum.

In Continuo nõ sunt partes actu distinctæ, nec puncta, lineæ, superficies. D. 2. q. 4. d. 2. n. 23. &c.
Continuus & discretus motus Angeli. D. 5. q. 6. d. 6. n. 7. 8. 9. & n. 6. 10. & deinceps ad fin. Vide, *Motus Angeli.*
Continuus motus Angeli in puncto datur, contra Aristotelem. n. 9.

Contradictoria.

De eadem rẽ quando prædicari possint. D. 2. q. 2. d. 3. n. 11.
Quando de attributis Diuinis dici possint contradictoria. D. 2. q. 2. d. 4. n. 11.

Conuenticula Sagarum.

De reali & corporali translatione sagarum ad sua conuenticula ministerio dæmonis. Vide, *Sagæ* D. 5. q. 5. d. 3.

Cooperatio.

Nostra absolute futura, & vsus bonus Gratiæ non est causa, vel conditio sine qua non ad prædestinationem. D. 3. q. 4. d. 5. n. 20.
Actus salutares prædestinatorum, & certus Gloriæ gradus non fuerunt prædestinata ante præscientiam conditionatam liberæ cooperationis nostræ. q. 5. d. 6. n. 1.
Decretum prædestinationis extendit se ad gloriæ gradum tam essentialem, quo actus Prædestinati salutares nec ante præscientiam absolutam. n. 5.
Sed ante omnem præuisionem cooperationis nostræ. n. 7. 9.
Etiã in sua causa fuerunt à Deo prædestinati. n. 8. 9.
Quam accidentalem, ad hunc tamen non nisi ante absolutam præuisionem peccati. n. 4.
Præfinitiones actuum malorum scientiam mediam nostræ liberæ cooperationis consequuntur, non antecedunt. D. 2. q. 10. d. 8. n. 17.
Aliud est opus bonum prædefiniri ante præuisionẽ peccati, aliud ante cooperationẽ efficientis. D. 3. q. 5. d. 6. n. 42. Vide, *Præfinitiones Diuinæ. Præscietia*

Corona.

Quomodo intelligendum, vnum alterius locum, seu Coronam accipere, sine incommodo Prædestinationis. D. 3. q. 5. d. 8. n. 3.
Corona dupliciter dicitur. n. 16.

Corpus.

Corpora à Deo ex nihilo creata, & quatuor Cœua quid. Error Alberti Magni, & quorundam aliorum. D. 6. q. 2. d. 2. n. 1.
Corpora quomodo moueantur ab Angelis. D. 5. q. 5 d. 1. 2. Vide, *Potentia locomot. &c.* Et, *Subiectum Mobile, & Modus mouendi.*
Quale corpus per Aquas supra & infra Firmamentum designetur. D. 6. q. 3. d. 1. per totum. Vide, *Aquæ Firmamenti.* ib.
Omnes particulæ Corporum Electorum prædefinitæ sunt ante præuisionem cursus rerum. D. 3. q. 5. d. 6. n. 41.
Corporis & Intellectus visio quid. D. 2. q. 6. d. 1. n. 2.
Neutra speciem excludit. n. 3.
Vtraque intuitiua dicitur, & cur. ib.
Corporum species videri possunt. d. 9. n. 10.
Species perfectæ corporearum substantiarum corruptibilium singulæ habent deputatum suum Custodem Angelum. D. 5. q. 6. d. 8. n. 25.
An Angeli Corporei vel incorporei. D. 5. q. 1. d. 2. Vide ibi, *Compositio Angelorum.*
Esse in loco Corporis & Angeli quintupliciter inter se differunt. ib. & n. 11.
Angeli creati in supremo corpore cœlesti. q. 1. d. 1. n. 36.
Qua ratione cum Ægidio vnum corpus & vnum cœlum tota cœlestis machina dicatur. D. 6. q. 4. d. 3. n. 14. 15.

Corpora Angelorum assumpta.

Qualia sint. D. 5. q. 5. d. 5. Vide ibi, *Assumptio Corporum.*
An Angeli corporei, vel incorporei. q. 1. d. 2. Vide ibi, *Compositio Angelorum.*

Creans, Creator.

Vtrumque dicitur de Deo ab æterno. D. 2. q. 7. d. 2. num. 5.
Creator tamen etiam in tempore. n. 6.
Creatoris ad creaturam relatio est tantum rationis, Creaturæ ad Creatorem realis. D. 6. quæst. 1. d. 1. num. 13.

Creatio.

Creatio proprie est productio rei ex nihilo. D. 6. q. 1. d. 1. n. 3.
Ex nihilo, non causam formalem, sed ordinem tantum designat, qui dupliciter affirmatiue scilicet & negatiue significari potest, & quomodo. n. 4. Ratio definitionis. n. 5.
Creatio proprie conuenit Subsistentibus, seu composita, seu simplicia sint, & cur. n. 6. Soluta obiectio. n. 7.
Doctrina Vasquii de creatione compositi qua tale improbatur. ib.
Ratio Creationis ex eodem stricte & proprie sumptæ bona. n. 8.
Cœlum proprie ex nihilo creatum, & cur. ib.
Creatio actiue & passiue sumpta quid ex S. Thoma. n. 9. Fundamentum eius. n. 10. Solutum. n. 13.
Creatio secundum rei veritatem, non est quidẽ proprie motus aut mutatio, sed modus quidam absolutus in creatura, modaliter à Creatura distinctus, cum respectu transcendentali ad Deũ creantem, quo Creaturæ ex Deo emanant, habens propriã rationẽ & actionis transeuntis & passionis, adeoq; dependentiæ diuerso respectu. n. 11. 12.
Creatio formaliter est fundamentum relationis realis & prędicamentalis in creatura resultantis, relatio Creatoris ad creaturam rationis tantũ. n. 13.
Creatio, seu spectetur vt Actio, seu vt Passio, an sit in Prædicamento aliquo, adeoque verum accidens. n. 14. 15.
Negat vtrumque S. Thomas. num. 16. Ratio eius refellitur. 17. Nostræ rationes pro Negatiua. n. 18.
Creatio qualis modus substantialis. n. 19.
Verba hæc: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* &c. quam varie explicentur, & tres sententiæ circa tempus creationis eorundem. q. 2. d. 1. n. 1. ad 8. vel potius per totum. Vide, *Opus 1. diei.*

Digitized by Google

Creatio quibus conueniat.

Creare tribus personis commune secundum essentiam reduplicatiue, specificatiue etiam singulis quoad propriam personalitatem. D. 6. q. 1. d. 2. n. 1.

Mundus ex nihilo creatus à solo Deo, & hæreses circa hoc. n. 2. Vide *Mundus.*

Creare soli Deo, velut causæ principali tam proprium, vt nulli creaturæ, ne quidem de absoluta eius potentia conuenire possit. numero 3.

Error Durandi circa id. ib.

Ratio contradictionis demonstratu difficilis. n. 4.

Firmæ tamen tres rationes sunt S. Thomæ. n. 5. & 2. seqq.

Potest tamen creatura extraordinaria DEI potentia ex probabili assumi à DEO, vt instrumentum supernaturale physicum ad creandum. numero 2. Qui negent. ibid. Fundamentum eorum. n. 9. solutum. n. 10. 11. Ratio affirmatiuæ. ib.

Creatio Angelorum.

D. 5. q. 1. d. 1. Vide ibi, *Existentia Angelorum.*

Non peccarunt in primo instanti suæ creationis. q. 6. d. 3. n. 6. sed secundo. n. 7.

Etsi in primo peccare potuerint. Et qui negent. n. 8. Qui affirment. n. 9. Ratio vniuersalis. n. 10. ad 13. soluta duplex obiectio. n. 13. & 2. seqq. vide, *Via malorum &c.*

Creationis Beneficium.

Quomodo differat à beneficio prædestinationis. D. 3. q. 3. d. 2. n. 7.

Creatio Cœli & Terræ.

D. 6. q. 2. d. 2. Vide ibi *Cœlum & Terra. Opus I. diei.*

Creaturæ.

Quomodo ab æterno Deo coëxistant. D. 2. q. 8. d. 6. n. 11. & 2. seqq.

Quomodo in Deo videantur à Beatis. D. 2. q. 6. d. 9. Vide *Dei visio. Dei Incomprehensibilitas.*

Modi singulares, quibus Deus est in creatura rationali. q. 4. d. 3. n. 11.

Deus loca & creaturas replet metaphorice. n. 9.

Creaturarum infinitas in essendo quid, & qualis. d. 1. n. 6.

Creatio creaturæ quatenus communicabilis; quatenus non. Vide *Creatio quibus conueniat.* Vel *Contradictio.* D. 6. q. 1. d. 2. n. 3. & seqq.

Quomodo Deus cognoscat creaturas in se; quomodo in seipsis. D. 2. q. 8. d. 3. tam existentes, quam possibiles. d. 4. Vide *Dei Scientia.*

Nomen Patris respectu creaturarum quomodo dicatur de Deo. D. 4. q. 4. d. 1. n. 7.

Impossibile est, creaturam intellectualem sua natura impeccabilem esse. D. 5. q. 6. d. 3. numero 4.

Nomina quæ de Deo & creaturis vniuoce, quæ analogice prædicentur, quæ primo, quæ secundo vel de Deo, vel de creaturis dicantur. D. 2. q. 7. d. 3.

Quomodo creatura naturaliter vbique esse possit. q. 4. d. 3. n. 13.

Quomodo supernaturaliter pura creatura de facto nulla sit vbique. ib.

An per visionem Dei beatificam cognoscantur creaturæ in proprio genere, & quomodo. q. 6. d. 8. n. 14.

Creatura aliqua corporalis, si foret extra mundum, bene posset dici esse in spatio; non item Angelus. q. 4. d. 4. n. 10.

Deus vna cum creatura non potest dici aliquid melius, vel maius bonum. D. 2. q. 3. d. 3. numero 13.

Res creatæ in suo genere similes DEO, non DEVS creaturis. quæstione 3. d. 2. numero 9.

Deo ratio volendi creaturas est sua bonitas. q. 10. d. 5. n. 2.

Quæ tamen non est finis Dei volitionis, sed creaturarum. ib.

Etiam mere possibilium. ib. Vide *Dei voluntas.*

Deus respectu finis generalis & totius creaturæ, semper consequitur suum finem & effectum. D. 3. q. 1. d. 4. n. 4.

Verbum an etiam ex cognitione creaturarum procedat secundum esse possibile. D. 4. q. 1. d. 3. n. 3. & 36.

Custodia Angelica.

D. 5. q. 6. d. 8. Vide ibi ex instituto, *Ministeria Angelorum &c.*

Modi XII. quibus salutem animæ & corporis clientum procurant. n. 27.

Christus non habuit custodes, sed ministros. n. 18.

Custodiæ Angelicæ executio in quibus consistat. n. 16. ad 29.

Custodes ordinarie sunt ex infimo ordine, extra ordinem etiam ex superioribus. numero 22.

Vnus Angelus ne diuerso quidem tempore ad custodiam pluribus deputatur. q. 1. d. 6. n. 10.

D.

Damnari Damnatus.

Posse prædestinatum damnari, triplicem habet sensum. D. 3. q. 6. d. 3. n. 7.

Quidam Angeli reipsa peccarunt, & iure sunt damnati. D. 5. q. 6. d. 3. n. 5. Vide *via Angelorum. Via malorum.*

Damnati quomodo crucientur ab igne gehennali. d. 6. per totum. vide, *Pœna dæmonum.*

Dæmonum studia, erga homines seducendos.

Dæmones non omnes immediate, sed tantum aërei per seipsos homines tentant; non simul, sed promiscue, iam hi iamilli, excepto Lucifero. D. 5. q. 6. d. 7. n. 2.

Dæmonum prælatio & subordinatio qualis. n. 3. 4. in natura eorum fundatur. ib.

Digitized by Google

Dæmones quam inæqualiter iuxta varios ſtatus & ætates mundi homines tentent permiſſu Dei. Ratio inæqualitatis. n. 5. ad 10.
Vniuerſim duobus modis homines tentant; exterius & interius, & quomodo. n. 10.
Dæmones an ad diuerſa vitia diuerſi inſtigent, incertum, n. 11.
Dæmones tentando victi ad tempus recedunt. & quatenus. n. 12.
Dæmones ſinguli ſingulis hominibus à natiuitate deſtinantur; vt & boni Angeli ſinguli ſingulis. n. 13.
Dæmones ſine permiſſione diuina, aliqua ſaltem, nec homines tentare, nec per ſe, aut per ſtriges eis nocere poſſunt. n. 14.
Dæmones in conſuetis modis tentandi non indigent ſpeciali permiſſione Dei, ſed generali; ſpecialiter tamen per ſeipſos nocere in rebus aut perſona hominibus nequeunt, neque prodigioſe tentare ſine ſpeciali permiſſione Dei. n. 15.
Vt nec per ſtriges, niſi hæ adhibeant res naturaliter homini nociuas. n. 6.
Etſi ſtriges accepto venenato vnguẽto à diabolo, ſuo arbitratu eo vti poſſunt, niſi Deus ſpecialiter impediat. n. 17. 18.
Dæmones peccando nihil amplius demerentur. d. 5. n. 24. Vide *obſtinatio dæmonum.*
Dæmones mediate & remote omnium tentationum & peccatorum ſunt auctores, & quomodo: non autem directe & immediate. d. 7. n. 19.
Dæmones an aliquod morale bonum poſſint facere. d. 5. n. 17. vide *obſtinatio dæmonum.* vbi ex inſtituto.
Dæmones an poſſint pœnitere. q. 4. d. 2. n. 3. vide *Voluntas Angelica* &c. infra.
Dæmonum variæ partitiones, & quales. d. 7. n. 20. 21.
Dæmonum obſtinatio. q. 6. d. 5. n. 4. &c. vide, *obſtinatio dæmonum.*
Dæmonum delectatio phantaſtica, non vera. d. 6. n. 28.
Dæmonum deceptio frequens. q. 3. d. 8. n. 33. vide *Modus cognit. Ang.*

Decretum diuinum.

Deus ita decernit rem faciendam, vt in tempore facit. D. 3. q. 5. d. 5. n. 3.
Quomodo Deus intelligat ſeipſum, & ſua decreta. D. 2. q. 8. d. 2.
Præfinitio efficax per modum conditionati, aut generalis decreti non impedit libertatem. q. 10. d. 8. n. 3.
Non tota ratio operis, ſed vltimata in decretum diuinum prædefinitum referenda eſt. D. 3. q. 5. d. 5. n. 37.
Beati decreta quædam diuina, & actus liberos in Deo quomodo videant. D. 2. q. 6. d. 8. n. 11. Vide plura *Dei prædeſtinatio.*

Demeritum.

Dæmones & damnati peccando nihil amplius demerentur. D. 5. q. 6. d. 5. n. 24. vide *obſtinatio dæmonum. peccatum.*

Denominatio. Extrinſeca, Intrinſeca.

Denominatio extrinſeca videtur eſſe poſſe paſſio Entis; ſed non relatio realis, aut rationis. D. 2. q. 3. d. 3. n. 2.
Denominatio extrinſeca non poteſt eſſe ratio formalis *ſub qua.* Diſputat. 1. quæſtione 3. d. 3. n. 6.
Quando locum habeat in Deo. D. 2. q. 3. d. 1. n. 11.
Non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. d. 2. numero 5.
Denominatiue omnis res bona eſt bonitate diuina. n. 8.
Denominationis extrinſecæ mutatio quatenus cadat in Deum. q. 4. d. 4. n. 13. & quæſt. 5. d. 1. n. 6.

Deſiderium.

Actus deſiderij eſt in Deo proprie, reſpectu boni noſtri; vt & fuga mali noſtri futuri, aut poſſibilis. Diſputat. 2. q. 10. dub. 2. numero 7.

Deſtinare.

Quid ſignificet, & quot modis. D. 3. q. 3. d. 2. n. 2. & D. 2. q. 10. d. 7. n. 1. 2.

Dei Æternitas.

Deus vere proprie ſimpliciterque eſt æternus. D. 2. q. 5. d. 2. n. 1.
Æternitas eſt vera duratio realis & intrinſeca. n. 3.
Æternitas formaliter nõ includit reſpectum coexiſtentiæ ad tempus. n. 4.
Quamuis tempori, rebuſque cæteris creatis vere coëxiſtat. n. 5.
Æternitas differt ratione ratiocinata non ſolum ab immutabilitate, ſed etiam ab exiſtentia, ſeu vita diuina, cuius eſt duratio. numero ſexto.
An differat virtualiter ab exiſtentia. n. 7.
Æternitas habet quidem aliqualiter menſuræ rationem improprie, tamen ratio eius intrinſeca non conſiſtit in ea ratione menſuræ. numero 8.
Æternitatis ratio tota eſt realis, materialiter exiſtentia ſeu vita Dei: formaliter duratio cum negatione ſucceſſionis & termini etiam potẽtialis, qua negatione vltimate completur. d. 3 n. 11.
Æternitas Dei extendit ſe ad omnia, quæ intra Deum. n. 12.
Æternitas Dei, vt ſic, ita proprium eſt Dei attributum, vt nulli creaturæ communicari poſſit, ib.
Secundum analogiam tamen quandam & improprie per participationem etiam res creatæ quædam dicuntur æternæ. n. 13.
Quamuis de facto nullæ ita ſint æternæ, quæ principium & finem durationis excludant. n. 15.
Deo poteſt omnes res realiter eſſe præſentes

Digitized by Google

Deo, in æternitate, non tamen simul aut semper, aut ab æterno. ib. & n. 17.

Dei Beatitudo.

An & qua ratione Deus sit beatus. disp. 2. quæst. 12. d. 1.
Beatitudo Dei an sit speciale attributum, & quomodo ad alia attributa comparetur. ibidem.

Dei Bonitas.

Quid sit in actu primo, quid in secundo. d. 2. q. 3. d. 3. n. 7.
Deus est summum Bonum in genere Entis, tum absoluta, tum respectiua Bonitate. numero 4.
Item in genere moris. n. 5.
Et quidem vtraque Bonitate per Essentiam bonus; idque solius *Dei* est proprium. numero 6.
Attributum transcendentalis bonitatis absolutæ non est ab attributo perfectionis distinctum. n. 8.
Bonitas tamen respectiua proprium attributum constituit. n. 9.
Imo est probabilius Bonitatem DEI moralem proprium attributum constituere. numero 10.
Deus vna cum Creatura non potest dici aliquid melius, vel maius bonum. n. 13.

Dei Duratio.

Disp. 2. quæst. 5. dub. 2. Vide ibi, *Dei Æternitas.*

Dei Essentia. & Existentia.

Deus est: non est propositio per se nota nobis. d. 2. numero 7.
Nota est tamen per se secundum se. n. 9.
Deum esse, non potest demonstrari à priori. d. 3. n. 2.
Potest tamen à posteriori. n. 4.
DEVM esse qui olim negârint, qui hodie. d. 4. numero 1.
DEVM esse à posteriori euidenter probatur. d. 4.
I. Quinque rationibus S. Thomæ, quarum I. desumpta est à motu. n. 2.
II. A causarum efficientium subordinatione. ib.
III. Ex conditione & gradu rerum possibilium necessariarum. n. 4.
IV. Ex vario rerum gradu secundum ordinem perfectionis. ibid.
V. Ex ordinatione rerum ad finem. n. 5. 6.
Alias rationes vide ib. n. 8. ad 19.
Deum quomodo omnes prope gentes cognouerint. n. 7. & 2. seqq.
Dei propria prædicata, non communia cum alijs creaturis quænam. d. 5. numero 2. & 3. seqq.
DEVS est essentialiter Ens, quomodo intelligendum. numero 1.
Item, *Deus est Ens increatum.* n. 2.
Item, *Est Ens per se*: vel, *A se*: vel, *Ex se*, numero 3.
Vel, *Ens per Essentiam.* numero 4.
Item, *Deus est forma non formata*, ibi.
Vel, *Actus purus.* numero 5.
Item, *Ens Entium*: *Ens primum* &c. ibidem.
Et quomodo hoc à simplicitate, vel infinitatis attributo distinguatur. ibid.
Item quomodo Ens essentialiter nostro modo concipiendi prius sit reliquis Dei nominibus statim afferendis. n. 5.
Existentia obiectiue & reipsa est de intrinseca ratione essentiæ diuinæ. n. 8. 9.
Etiam iuxta nostrum conceptum. n. 10.
Est enim *Deus* suum esse non identice solum, sed etiam formaliter. ib.
Tamen existentia ab essentia vt includens ab incluso differt ratione ib.
Ratio constitutiua essentiæ diuinæ quæ. numero 6.
Actualitas esse substantialis diuini quomodo sit ratio constitutiua essentiæ diuinæ, si ratione nostra abstrahamus rationem attributorum ab essentia. ibid.
De intrinseca ratione essentiæ diuinæ est entitas, respondens singulis attributis diuinis, d. 5. numero 3.
Cum essentia diuina prorsus sunt idem attributa. ibid.
Etiam attributa omnia absoluta secundum proprias rationes, n. 4.
Idque etiam iuxta intelligendi modum *Dei* & beatorum. numero 5.
Iuxta nostrum tamen concipiendi modum, tam absoluta tam respectiua sunt extra conceptum essentiæ diuinæ. n. 6.
Quare existentia de conceptu essentiæ diuinæ, & non attributa reliqua. n. 8.
Quare essentiam diuinam possimus concipere sine attributis diuinis, non sine existentia n. 11. vide *Attributa diuina.*
In diuina essentia à parte rei includuntur essentialiter omnia & singula attributa, d. 6. n. 1.
Etiam singula attributa in reliquis omnibus, numero 2.
Non tamen attributa diuina formaliter secundum nostrum modum concipiendi in essentia diuina includuntur. n. 3.
Neque in se mutuo. n. 4.
Deus non est in prædicamento, quæst. 3. dub. 1. numero 9.

Dei Immensitas & Præsentia.

Deus simpliciter est immensus in ordine ad locum. d. 2. q. 4. d. 3. n. 2.
Deus, siue loquamur de actuali eius existentia in actu secundo, siue in actu primo, nullo modo circumscribi aut concludi potest loco. numero 2.
Per præsentiam & entitatem præsens est rebus omnibus, & est vbique. n. 3.
Quo sensu dici possit *Deum* esse potius in vno loco, quam in alio. n. 4.
Omnipræsentia Dei recte & efficaciter probatur ex operatione *Dei* in rebus omnibus. n. 5.

Digitized by Google

Deus, etiamsi non vbique esset, ratione tamen potentiæ infinitæ in distans operari posset. numero 6. 7.
Realis præsentia vniuersim per se non est conditio prærequisita ad agendum. n. 6.
Deus non est in loco vel definitiue, vel circumscriptiue, vel omnino proprie, sed improprie. n. 8.
Non tamen est dicendum, Deum non esse in loco. ibidem.
Deus est in loco repletiue totus in toto, & totus in qualibet parte. n. 9.
Modi singulares, quibus Deus est in creatura rationali. n. 11.
Deus recte dicitur vbique præsens per essentiam, præsentiam, potentiam. n. 10.
Deo Attributum immensitatis necessario, & ab æterno conuenit; prædicatum vero Omnipræsentiæ, seu actualis vbiquitatis, absolute loquendo, libere, & solum ex tempore; licet fundamentaliter necessario. numero 11.
Attributum immensitatis formaliter dicit negationem. ib.
Omnipræsentia & vbiquitas positiuum aliquid. ib.
Deus ab æterno fuit, propria est locutio. numero 12.
Attributum immensitatis ita Deo proprium necessitate naturæ, vt nulli creaturæ communicari possit. ib.
Actualis tamen vbiquitas seu Omnipræsentia generali quadam ratione communicari potest creaturæ. n. 13.
Deus simpliciter loquendo non est in spatijs Imaginarijs, seu vllis spatijs, vel spatio extra mundum. d. 4. n. 3.
Non recte dicitur esse alicubi extra mundum. numero 7.
Nec extra mundum sine addito, si quonis modo indicetur esse in alio, quam in seipso. n. 7. 9.
Est tamen non solum in hoc mundo, sed etiam in seipso, ab æterno, & quidem independenter ab omni mundo. 8.
Recte dici potest, esse extra mundum, si id, *extra* sumatur negatiue. n. 9.
Deus est in spatijs & locis etiam vacuis, atque etiam intra illa, si quæ dentur. numero 10.
Deus an possit esse in vacuitate. n. 12.
Deus absque omni sui mutatione reali & omnia si quæ de nouo dentur, loca replet, & priora, si desinant esse, deserit. numero 13

Dei Immutabilitas.

Deus prorsus est incapax & expers realis mutationis. D. 2. q. 5. d. 1. n. 1.
Imo & Moralis, etiamsi in Deo alioqui per se nullam inuolueret mutationem physicam. n. 4.
Pœnitentia quomodo Deo tribuatur, & retractatio voluntatis. n. 3
Potest vero Deus aliter se habere quoad denominationes extrinsecas absque sui mutatione. n. 6.
Immutabilitatis attributum ita proprium est Deo, vt modo explicato nulli creaturæ sic communicari possit. n. 7.
Formaliter est negatiuum, etsi pro fundamento habeat perfectionem Entis necessarij, ibidem

Dei Incomprehensibilitas

Dei Incomprehensibilitas duplex est. D. 2. q. 6. d. 6. n. 2.
Deus aliquo proprio sensu à creato intellectu penitus incomprehensibilis est, non solum secundum ordinariam, sed extraordinariam etiam eius potentiam. n. 6.
Incomprehensibilitas in quo consistat. n. 8. & 2. seqq. Deum se comprehendere, negatiue, non positiue accipiendum est. n. 7.
Beati præter essentiam diuinam, absolutasque perfectiones necessario vident etiam relatiuas, & quicquid formaliter est in Deo. d. 7. n. 2. & seqq.
Non tamen ideo vident infinitas formaliter in Deo perfectiones existentes. n. 3.
Si per impossibile videri posset essentia Dei sine personis, ea tamen visio non foret beatifica. n. 6.
Quare ad intra persona sola agat, vel terminet: visionem tamen sola terminare non possit. numero 6. 7.
Visionis varij modi. d. 8. n. 1.
Videntur Creaturæ in Deo secundum esse increatum, quod in Deo habent, à Beatis. numero 1.
Item causaliter, item concomitanter ex vi ipsius visionis verbi, & quomodo. n. 2.
Nihil obstat, quo minus creaturæ videri possint visione verbi concomitanter, tam secundum actualem existentiam, quam secundum esse possibile. n. 3.
Item secundum esse possibile videri possunt, & reipsa videntur in verbo, ex vi ipsius visionis verbi. n. 16.
Imo à Beatis etiam secundum actualem existentiam, & quænam. n. 10.
Vt & decreta quædam diuina, & actibus liberi, & quomodo. n. 12.
Requiritur tamen adhæc Dei voluntas ea manifestandi. n. 9. Vide plura *Dei visio* &c.

Dei Ineffabilitas ac nomina.

Notiones nominum variorum, quibus Deus in varijs linguis appellatur. D. 2. q. 1. d. 1.
Quomodo Deus Ineffabilis. D. 2. q. 7. d. 1. numero 2.
Diuinorum nominum distributio & varietas. n. 6. & seqq.
Nomina quæ dicuntur de Deo substantialiter & ab æterno. d. 2.
Item quæ non substantialiter, aut ex tempore. ibidem.

Digitized by Google

Nomina quæ de Deo & Creaturis vniuoce, quæ analogice prædicentur, quæ item primo, quæ secundo vel de Deo, vel de Creaturis dicantur. d. 3.

Dei Infinitas.

Deus est infinitus actu, in essendo, seu secundum essentiam. D. 2. q. 4. d. 1. n. 1.
In quo consistat formaliter. n. 3. & 2. seqq.
Attributum hoc formaliter est negatiuum; fundamentaliter tamen supponit continentiam formalem omnis perfectionis possibilis. numero 5.
Est ita Dei proprium, vt nulli creaturæ possit cõmunicari. n. 6.
Dei virtualis finitas non est formalis ratio *sub qua* Theologiæ. D. 1. q. 3. d. 3. n. 4.
Ens primum quomodo ab infinitatis attributo distinguatur. D. 2. q. 1. d. 5. n. 5.

Dei Intellectus.

Vide, *Intellectus Dei.*

Dei Inuisibilitas.

Attributum diuinum esse videtur. D. 2. q. 6. d. 1. n. 1. 2.

Dei Omnipotentia.

D. 2. q. 11. d. 1. Vide, *Dei potentia.*

Dei perfectio.

Deus est Ens, seu substantia simpliciter perfecta. D. 2. q. 3. d. 2. n. 1.
Habet omnes omnium rerum perfectiones modo optimo. n. 2.
Perfectiones omnes simpliciter simplices in se habet formaliter; alias eminenter. n. 3.
Neque vllum Ens illi par esse potest perfectione. n. 6.
Dicitur tamen bene, res creatas in suo genere similes esse Deo, non Deum creaturis. n. 7.
Attributum perfectionis Dei, est formaliter aliquid positiuum. n. 9.
Est in Deo potentia operatiua ad extra. d. 2. q. 11. d. 1. n. 2.
Reipsa distincta ab ipsis operationibus, quæ ab ea proficiscuntur. n. 3.
Prædeterminatio Physica diuina non est necessaria ad vllam operationem creatam, seu libera, seu necessaria sit. n. 6.
In actibus autem peccaminosis, qui moralem malitiam adiunctam habent, non est possibilis. n. 14.
Repugnat libero Arbitrio. n. 19.
Potest tamen aliquo sensu admitti, causam secundam à prima, seu ratione primæ causæ moueri, determinari, applicari. n. 27.
Potentia, seu Omnipotentia in Deo est peculiare attributum; ratione ab Intellectu & voluntate, vt à cæteris attributis distinctum. d. 2. numero 3.
Quomodo potentia illa nihilominus rationalis dicatur. n. 8.
Obiectum adæquatum Omnipotentiæ est Ens prout Ens, & non Ens possibile includit. d. 3. n. 1.
Entia mere fictitia non sunt de obiecto diuinæ potentiæ. n. 4.
Quænam non Entia per modum termini indirecte, & per accidens effectibilis sint obiectum diuinæ potentiæ. n. 5.
Quomodo peccata ad hoc obiectum reuocentur. n. 6.
Quæ Deus non possit facere. n. 10.
An dicendum, *Deus hoc facere non potest.* numero 14.
Potentia Dei est Omnipotentia. n. 15.
Est infinita intensiue & extensiue ib.
Intensiua vnde sumatur. n. 17.
Quomodo possit Deus plura, & meliora etiam in infinitum facere, quam fecerit, aut facturus est, idque secundum potentiam ordinariam. d. 4.
An possit Deus facere tantum, quantum potest. n. 11.
Probabilius est in Deo intellectum & voluntatem etiam per modum potentiæ seu actus primi esse. dub. 5. n. 4.

Dei Scientia.

Qualis Dei scientia; an comprehensiua Dei. D. 2. q. 8. d. 1. n. 6. & d. 2. n. 5.
Triplex veritas eidem conuenit. dub. 1. n. 10.
Quomodo Infinita. d. 4. n. 3. & seqq.
Cognitionis infinitæ cum potentia infinita collatio. n. 7.
Quomodo Deus cognoscat tam seipsum, quam creaturas. D. 2. q. 8. d. 2. 3. 4.
Quomodo futura contingentia tam absoluta quã conditionata. q. 11. d. 5.
Modus ea cognoscendi ex parte obiecti. d. 6. Extra Deum: Item, ex obiecto, quod est Deus. d. 7.
Quæ in Deo ea cognoscendi sit ratio generalis primaria & adæquata. n. 9.
Scientia Dei Media. d. 6. n. 34.
Eius necessitas ad liberas actiones prædefiniẽdas. q. 10. d. 7. n. 27.
Deus cognoscit non Entia, speciatim mala, & Entia rationis, & quomodo omnia. quæst. 11. d. 8.
Scientia in Deo quotuplex; & singularum explicatio, & vnde sumantur. q. 11. d. 9.
Scientiarum, quæ in Deo, quis Ordo. n. 2. & 3. seqq.
Vnde sumatur. q. 11. d. 9. n. 3.
Quomodo Deus cognoscat infallibiliter hoc vel illud ex tali vel tali medio esse probabile. d. 5. numero. 12.
Attributa quatuor diuinarum scientiarum. d. 10.
Quarum rerum est scientia simplicis Intelligentiæ. n. 6.
Diuina scientia est practica, & quatenam. numero 14.
Quomodo practica à scientia, vt est causa rerum, differat. n. 17.
Quomodo diuina præscientia concordet cum libero arbitrio. d. 11.

Digitized by Google

Scientia visionis non pertinet ad comprehensiuam Dei scientiam. D. 4. quæst. 4. d. 3 numero 37.
Scientia Approbationis vel Amicitiæ cur in Deo dicatur absolute præscientia. D. 3. q. 5. d. 5. n. 4.

Dei Simplicitas.

Deus est incorporeus, carens materia & forma. D. 2. q. 3. d. 1. n. 2.
Non est compositus ex subiecto & quantitate, seu etiam partibus integralibus. n. 4.
Neque ex natura & supposito. n. 7.
Neque ex natura seu essentia & existentia. numero 8.
Neque ex genere & differentia. n. 9.
Neque ex subiecto & passione à parte rei. numero 10.
Imo à parte rei nullo modo est compositus. num. 12.
Impossibile est, Deum cum alia re venire in compositionem alterius, velut partem naturaliter componentem. n. 14.
Simplicitas adeo Deo propria est, vt nulli creaturæ possit communicari. n. 16.
Errores variorum circa Dei Simplicitatem. n. 4. Vide, *Philosophus.*
Compositio aliqua in Deo secundum nostram rationem non repugnat. n. 9.
Accidens prædicamentale nullo modo locum habet in Deo; sed prædicabile; & quando secundum nostrum concipiendi modum. numero 11.
Simplicitatis Attributum formaliter non est perfectio simpliciter simplex, seu positiua, nisi ratione fundamenti; sed solum Negatio. numero 16.
Vnitas Simplicitatis Dei intensiue quidem perfectissima est; esto non ita extensiue. quæstione 2. d. 3. n. 9.
Ens primum quomodo à simplicitatis attributo distinguatur. quæstione 2. dub. 5. numero 5.

Dei Veritas.

Triplex in Deo veritas. D. 2. q. 8. d. 1.

Dei visio.

Vid. Visio Dei.

Dei Vita.

Vita quocunque modo sumpta, non est peculiare Dei attributum. D. 2. q. 8. d. 4.

Dei Vnitas.

Deus non est vnus vnitate generica, vel specifica. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.
Formali vnitate qua ratione Vnus. n. 4.
Deus secundum naturam non solum vnus est vnitate indiuiduali; sed & Vnicus. ib.
Deus est proprie vnus vnitate transcendentali. n. 9.
Deus non dicitur sua Vnitas, si hæc sumatur formaliter per negationem. d. 9.
Non est indiuidualiter vnum vnitate suppositi. n. 9.
Deus latiore acceptione ratione numeri dicitur vnus numero. n. 10.
Deus est vnus numero negatiue, non positiue. ib.
Deum vnum esse numero, quomodo intelligendum. ib.
Vnitas Simplicitatis Dei intensiue quidem perfectissima est; etsi non ita extensiue. q. 2. dub. 3. n. 9.

Dei Voluntas.

Est in Deo. D. 2. q. 10. d. 1. n. 2.
Qualis. n. 3.
Obiectum voluntatis diuinæ. n. 4. 5.
Deus vult etiam amore complacentiæ Entia mere possibilia. n. 6.
Non vult, nec velle potest malum qua malum, vt nec peccatum formaliter. n. 6. 7.
Quamuis velit permissionem peccati. numero 8.
Malum pœnæ seu naturæ quomodo velit. ibidem.
Quidam actus voluntatis in Deo. d. 2.
Est in Deo proprie desiderium respectu boni nostri, & Fuga mali nostri futuri aut possibilis. n. 7.
Quæ virtutes Cardinales in Deo. n. 13.
Nulla virtus est in Deo sub ratione habitus. numero 17.
Variæ diuisiones voluntatis diuinæ, & eorum explicationes. d. 3.
Absoluta voluntas duplex. n. 13.
Voluntas Dei quomodo semper compleatur. n. 14.
Attributa Diuinæ voluntatis. d. 4.
Dei voluntas quomodo immutabilis. n. 1.
Quomodo causa rerum. n. 2.
Voluntas Dei propior est causa rerum, quam Intellectus. n. 2. & 2. seqq.
Quomodo voluntas Dei respectu obiectorum suorum partim necessaria, partim libera. numero 5.
Quid formaliter Dei libera volitio, & quid superaddat Essentiæ Diuinæ. n. 8.
Nostræ & Diuinæ liberæ voluntatis discrimen. n. 8.
Deus nullo modo ab vlla re, vt formali causa mouetur. d. 5. n. 1.
Voluntas diuina est rationabilium & ordinata. ibidem.
Deo ratio volendi Creaturas est sua Bonitas. numero 2.
Quæ tamen non est finis Dei volitionis, sed Creaturarum. ib.
Etiam mere possibilium. ib.
Inter res creatas, & à Deo volitas, an & quis ordo finis & mediorum ad se mutuo. numero 3.
In voluntate Diuina Ordo signorum secundum rationem distinguitur. n. 4.
Inter res creatas proprie vna est ratio volédi aliam Deo. n. 8.

Digitized by Google

Varij Ordines actuum diuinæ voluntatis. n. 10.
Actuum Voluntatis & Intellectus Diuini subordinationes. n. 30.
Deus necessitatem quibusdam rebus volitis imponit. d. 6.
Quæ radix Contingentiæ in effectibus creatis. ib.
Si in Deo nulla esset Libertas, nulla esse posset in rebus creatis. n. 12.
Possent tamen esse effectus contingentes. n. 13.
Concursus Dei impediret vsum Libertatis, si Deus ex necessitate ageret; creaturæ vero per impossibile haberent Libertatem. n. 14 &c.
Retractatio voluntatis & pœnitentia quomodo Deo tribuatur. q. 5. d. 1. n. 1.
Probabilius est in Deo Intellectum & Voluntatem etiam per modum actus esse, iuxta nostrum cõcipiendi modum. q. 11. d. 5. n. 4.
Voluntas Dei, & varij eius actus circa Prædestinationem, & Reprobationem. Vide, *Prædestinatio. Reprobatio.*

Dicere

Conuenit Personæ Diuinæ; & quid hic. D. 4. q. 4. d. 2. n. 13.

Dies

Dierum Artificialium longitudo vnde desumatur. D. 6. q. 4. d. 2. n. 5.
Opera sex dierum. Vide. *Opus I. Diei.* & deinceps.
Mundus die Dominica est creatus. q. 1. d. 4. n. 23.
In vere, mense Martio. n. 26.

Differentia Angelorum.
Specifica & Numerica.

Specifica seu essentialis incerta est, & à nonnullis non omnino improbabiliter negatur. D. 5. q. 1. d. 5. n. 10. Sed rectius asseritur n. 11. & seqq.
De potentia Dei absoluta Angeli solo numero inter se differre possunt n. 19. 20.
Sed & de ordinaria, naturisque rerum consentanea. n. 21. Ratio n. 22. Confirmatur. n. 23.
Probabiliter Angeli quidam solo numero differunt. n. 24. & 2. seqq.
Etsi determinatio horum, vt & specierum Angelicarum incerta; licet probabiliter non modo tres Hierarchiæ, sed & ordines cuiusque specie inter se differant. n. 27. 28.
Non omnes tamen eiusdem Ordinis sunt eiusdem speciei infimæ. n. 29.
Hinc sequuntur hæc tria Corollaria.
I. Naturam Angeli continere sub se non tantum plures species infimas, sed & subalternas. Ratio. n. 30.
II. Distinctionem Hierarchiarum & Ordinum fundamentaliter quidem esse à natura, adeoq; initio productionis fuisse in Angelis, & nunc permanere in Dæmonibus. n. 31.
At vero complete & formaliter esse ex donis Gratiæ tum sanctificantis, tum etiam gratis datæ, per quæ accommodare ad ipsam naturæ cuiusque excellentiam ad diuersos gradus officiorũ diuinitus fuere destinati. Ita SS. PP. n. 31.
III. Nec hanc distinctionẽ quoad diuersas eiusmodi dignitates officiorum cessaturam post diem iudicij, nisi quoad actualem executionem ministeriorum erga hoc vniuersum, & forte etiam quoad nouas illuminationes, & reuelationes. n. 32.
Quomodo homines prædestinati ad omnes Angelorum choros possint à Deo assumi. ib.
Angelorum numerus. d. 6. n. 2. Vide, *Numerus Angelorum.*

Dignitas
Seu Maxima.

Dignitates, seu Maximæ Theologicæ dantur. D. 1. q. 5. d. 1. n. 8.

Dilectio

Prædestinatio secundum nostram rationem concipiendi supponit Dilectionem, & Electionem, Electio dilectionem. D. 3. q. 2. d. 3. n. 5.

Dilemma

Illud: *Vel sum Prædestinatus, vel non sum.* Solutum. D. 3. q. 5. d. 5. n. 56. &c. 62. & q. 7. d. 5. n. 11.

Diligere Notionale.

Quid sit. D. 4. q. 4. d. 8. n. 14.
Discrimen inter Diligere & Intelligere. n. 13.

Discursus

Non habet locum in Angelis; vt nec compositio aut diuisio in intelligendo. D. 5. q. 3. d. 5. n. 20.
Probatur. n. 21. ad 28.
Discursiui habitus duplex ratio formalis. D. 1. q. 3. d. 2. n. 10.

Dispositio Diuina

Quid. D. 3. q. 1. d. 1. n. 11.
Dispositio Diuina dupliciter accipitur. d. 3. n. 14.
Dispositio in Deo quando cum Prouidentia idem, quando diuersum, quando prius, quando posterius quid. ib.
Quomodo differat à Prouidentia. n. 11.
Prouidentia Dei quoad dispositionem mediorũ semper habet aliquem effectum. d. 4. n. 2. 3. vide, *Prouidentia Dei.*
An Angeli propria dispositione acquisierint Gratiam, & qua. D. 5. q. 6. d. 1. n. 12. 13.

Distantia

Actio in distans non habet locum in Angelo. D. 5. q. 5. d. 1. n. 13. ad 17. vide, *Actio in distans.*
Deus, etiamsi non vbique esset, ratione tamen Potentiæ infinitæ in distans operari posset. D. 2. q. 4. d. 3. n. 6. 7. vide plura, *Dei Immensitas*

Distinctio

Actualis duplex. D. 2. q. 3. d. 2. n. 1.
Quæ distinctio realis late sumpta, quæ stricte sumpta; & quotuplex. ib.
Quæ rationis, & quotuplex. ib. vide, *Attributa Diuina.*
Quæ Scoti formalis, quæ modalis. ib.
Distinctionis rationis ratiocinatæ triplex fundamentum. n. 6.
Ad eandem duo requiruntur. d. 4. n. 1.
Distinctio & Ordo prioritatis actuum in Deo, quibus homini vult gloriam, secundum nostrum modum concipiendi. D. 3. quæst. 5. dub. 2. n. 27.
Distinctio Hierarchiarum & Ordinum Angelicorum. D. 5. quæst. 1. d. 1. vide, *Differentia Angelorum.*

Digitized by Google

Attributa diuina formaliter ab æterno non fuerunt ratione distincta. D. 2. q. 2. d. 4. n. 9.
Existentia diuina ab Essentia, vt includens ab incluso differt ratione. q. 1. d. 5. n. 10.
Vide, *Dei Essentia.*
Distinctio inter prædestinatos, quosdam dependenter, quosdam independenter à meritis, vana est. D. 3. q. 5. d. 4. n. 2.
Distinctio Notionum, Originum, & proprietatũ personalium. D. 4. quæst. 3. d. 5. n. 17. Vide, *Notio.*

Doctor Ecclesiæ.

Non omnis fidelis est Doctor & Pastor Ecclesiæ D. 1. q. 1. d. 1. n. 5.
Doctorum qualibet ætate viuentium secundum se est infallibilis auctoritas. q. 5. d. 1. n. 9.
Scholasticorum quæ auctoritas. n. 10.

Doctrina Sacra

Quid sit apud S. Thomam. D. 1. q. 1. d. 1. n. 1.
Sacra & reuelata est necessaria non solum Ecclesiæ; sed omnibus & singulis hominibus. ib.

Donum

Doni nomen comune Trinitatis totius. D. 4. q. 4. d. 4. n. 5.
Ab æterno Diuina Persona Donum dicitur, licet in tempore detur. n. 16.
Quomodo *Donum* sumatur in diuinis. n. 14.
Dona & Bona supernaturalia prædestinati quæ effectus sint prædestinationis. D. 3. q. 3. d. 1.
Dona & Bona naturalia respectu prædestinatorũ bifariam considerantur. d. 2. n. 1.
Quænam ex ijs effectus sint prædestinationis. ib. & n. 2.

Duo in Diuinis

Quid significent. D. 4. q. 4. d. 8. n. 19.

Durandi

Opinio negantis compositionem Angelorum ex genere & differentia. D. 5. q. 1. d. 2. n. 19.
Item asserentis, posse creaturum assumi vt principalem causam ad creandum à Deo, refutata. D. 6. q. 1. d. 2. n. 3.

Duratio

Quomodo se habeat ad mensuram præsertim actualem. D. 2. q. 5. d. 2. n. 8. 9.
Tempus cur proprie inuoluat mensuram, & non Æternitas. n. 10.
Durationes æternæ variæ. n. 13. 14. Vide, Dei Æternitas.
Mundus cœpit cum aliqua duratione creata & intrinseca. D. 6. q. 1. d. 3. n. 9.
Æternitas est vera duratio realis & intrinseca. D. 2. q. 5. d. 2. n. 3.
Cum negatione successionis & termini etiam potentialis, qua negatione vltimate completur. d. 3. n. 11.

E.

Ecclesia

Ecclesiæ doctrina sacra & reuelata non solum est necessaria, sed omnibus & singulis hominibus. D. 1. q. 1. d. 1. n. 1.
Ecclesiam auctoritate & dignitate superat Scriptura. q. 4. d. 5. n. 8.
Ecclesiæ consensus non potest materialiter esse hæreticus. q. 5. d. 1. n. 9.
Scholastici officium in Ecclesijs Cathedralibus. q. 1. d. 1. n. 7.
Lectores scripturæ in Ecclesiis quando constituti. D. 2. q. 6. d. 1. n. 6. 7.
Non omnis fidelis est Doctor & Pastor Ecclesiæ. d. 1. q. 1. d. 1. n. 5.

Effectus

Contingentes dantur, & quando. D. 2. q. 10. d. 6. n. 2.
Iidem esse possent, etsi nulla foret in Deo libertas. n. 13.
Prædestinatio habet effectus. D. 3. q. 3. d. 1. n. 3.
Quatuor requisita ad eos. n. 4.
Quinam autem & quotuplices sint effectus prædestinationis, Vide, *Dei Prædestinatio.*
Vniuersim omnia, quæ conducunt prædestinato efficaciter, ad salutem reipsa consequendam, effectus sunt prædestinationis. n. 17.
Effectus reprobationis qui & quales. q. 7. d. 2.
Effectus fortunati omnes à Deo præuisi, etsi non omnes in particulari intenti. q. 1. d. 2.
In Dei effectibus & rerum natura quædam est necessitas. d. 2. q. 10. d. 6. n. 1. 2. cuius radix Deus, n. 4. & seqq.
Effectus Dei possibiles quid. q. 1. d. 3. n. 13.
Deus respectu finis generalis totius creaturæ semper consequitur finem & effectum. d. 4. n. 4.

Efficax Gratia

Vide, *Congrua. Gratia.*

Efficax Voluntas

Non omnis voluntas efficax finis includit essentialiter media. d. 3. q. 5. d. 2. n. 37.
Duplex voluntas efficax in Deo nobis conferendi gloriam, & qualis. n. 32.
Item, totuplex vni præ alijs. d. 3. n. 34.

Electio

Quid. d. 3. q. 2. d. 3. n. 15.
Prædestinatio, secundum nostram rationem concipiendi, supponit dilectionem & electionem; electio dilectionem. n. 5.
Electio Dei gratuita, & voluntas seria qua omnes vult saluos, quam bene simul consistant. q. 5. d. 5. n. 29.
Quænam causæ electionis comparatiue sumptæ. q. 4. d. 2. n. 10.

Electus.

Quid sit electus. d. 3. q. 2. d. 1. n. 14.
Quomodo tam pauci electi. q. 5. d. 5. n. 30. & q. 6. d. 2. n. 9.
Deus prædestinauit electos ante præuisionem omnium meritorum. q. d. 4. n. 6.
Etsi potuit post præuisionem meritorum prius cũ conditionata voluntate prædestinare electis gloriam; sicut fecit reprobis. n. 58.
Ordine tamen executionis decreuit ijs gloriam dependenter à meritis. n. 61.

Ante omne præuisum cuiuscunque peccatum electi sunt homines. q. 5. d. 8. n. 5. 9.
Imo ante voluntatem permittendi peccatum Adami. n. 9.
Nec necesse est quoad existendi consequentiam aliter esse factum. n. 11.
Quo ordine electi homines ad complendas ruinas Angelorum. n. 12.
Omnes homines electi sunt simul sine vllo ordine prioritatis. d. 9. n. 2.
Cur Deus iure hortetur ad vitam æternam; et sinō omnes electi. q. 5. d. 5. n. 34. & seqq.
Electorum particulæ omnes corporum prædefinitæ sunt ante præuisionem cursus rerum. d. 6. n. 14.
Voluntas, qua Deus electis vult gloriam per merita, & hæc propter illam, quomodo in se distincta cum ordine prioritatis, licet vna sit. d. 2. n. 11.
Idem dicendum de electione ad gloriam. ib.
Qualis fuerit prima illa voluntas in genere, & in specie erga singulos, qua prædestinauit electos. d. 4. n. 66.
Quomodo Deus prædefiniens bona opera electorum talia vel talia, non prædefiniat tepiditatem nostram. d. 5. n. 53.
Quomodo Angelus naturaliter Deum cognoscat per species electorum. D. 5. q. 3. d. 3. n. 17. vide *Prædestinatio prædestinatum.* infra.

Elementa

Quando, & quomodo producta, & quo ordine sigillatim 6. dierum spatio elaborata. D. 6. q. 2. d. 2. n. 12. vide *cælum & terra* &c.
Per superiores aquas firmamenti non significantur aquæ elementares eiusdem speciei cum nostris, nec liquidæ, nec concretæ. quæst. 3. d. 1. n. 28.
Probatur è SS. PP. n. 29. 30. Ratione. num. 31. 32. Duæ obiectiones solutæ. n. 33. ad 38.
Elementorum interitus in fine mundi qualis. D. 6. q. 4. d. 5.

Empyreum

Cœlum

Quidam solum primo die creatum asserunt. D. 6. q. 2. d. 2. n. 1.
Fundamentum eorum. n. 2. Solutum. n. 10. 11.
Angeli non sunt creati in cœlo Empyreo proprie. D. 5. q. 4. d. 1. n. 34. vbi ergo. n. 36.

Ens. Reale. Rationis.

Deo nullum ens par in perfectione. D. 2. quæst. 3. d. 2. n. 6.
Ens impossibile & possibile vnde dicatur. D. 2. q. 11. d. 3. n. 7. vide *Dei potentia.*
Quid entis passio. q. 3. d. 3. n. 1.
Quid non ens, & quotuplex. q. 8. d. 8. n. 1. 2. & q. 11. d. 3. n. 2.
Duplex esse rerum. q. 10. d. 7. n. 3.
Ens rationis quid, & an à Deo & Beatis fieri possit. n. 8. & 2. seqq.
Entia rationis & non entia quomodo Deus cognoscat, speciatim mala. q. 11. d. 8.
Entia mere possibilia Deus vult etiam amore complacentiæ. q. 10. d. 1. n. 6.
Quænam entia non cadant sub obiectum diuinæ potentiæ. D. 2. quæst. 11. d. 3. num. 4. vide *Dei potentia.*
Quomodo vnum, quod commune est, vel per aggregationem fit passio entis. quæst. 3. dub. 3. num. 2.
Ens necessarium tribus modis sumitur quæst. 10. d. 6. n. 7.
Entia rationis non sunt perfectiones simpliciter simplices. q. 3. d. 2. n. 5. 6.
Ens essentialiter nostro modo concipiendi quomodo prius sit reliquis Dei nominibus q. 1. d. 5. n. 5.
Deus est essentialiter Ens, quomodo intelligendum. n. 1.
Item *Deus est ens increatum.* n. 2.
Item, *est ens ex se*: vel, *a se*: vel *per se.* n. 31.
Vel, *ens per essentiam. Ens entium, ens primum.* &c. numero 4. vide *Dei essentia.* Vnitas transcendentalis non superaddit accidens enti. quæst. 5. dub. 3. num. 9.
Denominatio extrinseca videtur esse posse passio entis. q. 3. d. 3. n. 2.
Appetibile actiue, est entis passio. ib. & seqq.

Entia Permanentia

Impossibile est, etiam secundum rationem naturalem, vt mundus fuerit ab æterno quoad entia, seu res permanentes. b. 6. q. 1. d. 3. n. 11. Rationes. ib. ad n. 27.
Idque etiam iuxta SS. Patres fatendum est. n. 27. ad fin. vide *Mundus.*

Entia successiua

Impossibile est etiam de absoluta Dei potentia, vt entia intrinsece successiua, qualia sunt tempus & motus, fuerint ab æterno. Rationes. D. 6. q. 1. d. 3. n. 8. ad 11.
Idque etiam verum est iuxta SS. Patres. num. 27. ad finem.

Errores aut improbabiles opinationes.

Variorum ordine Alphabetico citati, & collecti.
Aëtij. n. 2. q. 6. d. 6. n. 1.
Alberti Magni & aliorum circa IV. Coæua. D. 6. q. 2. d. 2. n. 19.
Almarici. D. 2. q. 6. d. 1. n. 3.
B. Amadei vti vocantur, reuelationum circa dæmones surdos &c. D. 5. q. 1. d. 4. n. 3. & q. 6. d. 8. n. 6.
Anomœorum errores. D. 2. q. 6. d. 1. n. 4. & d. 3. n. 1. & d. 6. n. 1.
Anthropomorphitarum. D. 2. q. 3. d. 1. n. 2. & q. 4. d. 3. n. 5. & q. 6. d. 1. n. 4.
Appellis. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.
Ariminensis circa motum Angeli. D. 5. q. 6. d. 6. n. 8.
Aristotelis circa existentiam Angelorum. D. 5. q. 1. d. 1. n. 14. motum eius continuum in puncto. q. 6. d. 6. n. 9. Mundi æternitatē. D. 6. q. 1. d. 3. n. 2. ad fin.
Armenorum. D. 2. q. 6. d. 1. n. 3.
Arianorum. D. 4. q. 1. d. 1. n. 7. & q. 2. d. 8. n. 1. & D. 2. q. 2. d. 8. n. 1.

Digitized by Google

Atheorum olim ex Philosophis, & nunc hodie D. 2. q. 1. d. 4. n. 1 circa Angelos. D 5. q. 1. d. 1 7. n. 3, 4 argumenta cntra illos. ib. per totum.
Audianorum. D. 2. q. 3. d. 1. n. 2.
Begardorum & Beguinarum. D. 2. q. 6. d. 1, n. 4. & d. 3. n. 1.
Burchardi, circa translationem corporalem sagarum. D. 5. q. 5. d. 3. n 9.
Caietani circa compositionem Angelorum. D. 5. q. 1. d. 2. n. 28.
Caluini circa prædestinationem. D. 3. q 4. d. 3. n. 5. q. 5. d. 5. n. 95.
Cassiani. D. 4. q. 1. d. 1. n. 12.
Celestij. D. 3. q. 4. d. 3. n. 8.
Cerdonis. D. 2, q. 5. d. 3. n. 4.
Dauid de Dinanto, circa materiam primam. D. 2. q. 3. d. 1. n. 14.
Durandi circa concursum causæ secundæ. D. 2. q. 11. d. 1. circa creationem creaturæ, seu principali causæ communicabilem. D. 6. q. 1. d 2. n. 3. circa compositionem Angelorum ex genere & differentia. D. 5. q. 1. d. 2. n. 19.
Eunomianorum. D. 2. q. 2. d. 8. n. 1.
Fausti Regiensis. D. 4 q. 1. d. 1. n. 12.
Francisci Georgij, circa intelligentias. D. 5. q. 1. d. 4. n. 3.
Genethliacorum. D. 3. q. 4. d. 3. n. 4. & circa cognitioem materialem Angelicam. D. 5. q. 3. d. 4. n. 2. 3.
Gnosticorum auctor & errores. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.
Græcorum errores, & punitio. D. 4. q. 4. d. 4. n. 19. &c.
Hæreticorum circa causam meritoriam prædestinationis ex parte prædestinati. D. 3. q. 4. d 3. n. 4. 5. circa materiam primam. D. 6. q. 1. d. 3. n. 3. Circa mundi creationem. 2. n. 2.
Hermanni Risuick circa Angelorum existentiam. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13.
Hybernici, circa motum Angeli. D. 5. q. 6. d 6. n. 8.
Ioachimi Abbatis. D. 2. q. 9. d. 3. n. 4. & D. 4. q. 1. d. 7. n. 14. &, d. 8. n. 12.
Ioannis Erigenæ Scoti. D. 2. q. 10. d. 7. n. 8.
Iouiniani. D. 2. q. 6. d. 5. n. 1.
Iurisconsultorum quorundam circa materiæ peccati mortalis determinationē. D. 1. q. 4. d. 5. n. 9.
Lullus an ab errore excusandus. D. 2 q. 5. d. 3. n. 4.
Lutheri & Lutheranorum. D. 2. q. 5. d. 1. n. 6. & D. 4 q. 1. d. 1. n. 4. & 16. Confessionistarum. D. 3. q. 4. d. 3. n. 5. & 15.
Macedonianorum. D. 2. q. 2. d. 8. n 1.
Manetis. D. 2. q. 4. d. 3. n. 3. 11. & q. 5 d. 3. n. 4. & q. 8. d. 11. n. 1. & D. 3. q. 4 d. 3. n. 4.
Manichæorum, ibidem per omnia. Et circa Angelorum existentiam. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13.
Massilienſium. D. 4. q. 1. d. 1. n. 12. & q. 5. d. 1. n. 5.
Origenis, circa aquas supra & infra firmamentum & circa ipsum. D. 6. q. 3. d. 1. n. 17. Circa cœlos & astra animata. q. 3. d. 5. n. 15. Circa damnatorum & Beatorum Metempsycholia. D. 3. 9. 4. d. 3. n. 8.
Pelagij & Pelagianorum. D. 3. q. 4. d. 3. n. 8.
Petri Abaillardi. D. 2. q. 6. d. 1. n. 3. & q. 11. d. 4. n. 1
Philosophorum antiquorum, circa existentiam Angelorum. D. 5. q. 1. d. 1. n. 14. Atheorum. D. 2. q. 1. d. 4. n. 1. circa Infinitatem primi principij. q. 4. d. 1. n. 1. Circa Dei immensitatem. d. 3. n. 4. Circa materiam cœli & astrorum. D. 6. q. 2. d. 4. n. 10. circa Dei Prouidentiam D. 3 q. 1. d. 2. n. 6. & d. 3. n. 2. Circa Dei Simplicitatē. D. 2. q. 3. d. 1. n. 2. & 14.
Platonicorum, circa materiam primam. D. 6. q. 1. d. 3. n. 3.
Priscillianistarum, circa Angelorum existentiam. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13. Alius eorum. D. 2. q. 3. d. 1. n. 14.
Procopij, circa materiā astrorū. D. 6. q. 2. d. 4. n. 16.
Pythagoræ Metempsychosis. D. 3. q. 4. d. 3. n. 6.
Pythagoricorum circa materiam primam. D. 6. q. 1. d. 3 n. 13.
Sadducæorum circa Angelos. D. 5. q. 1. d. 1. n. 3. 4.
Scholasticorū quorundam opiniones circa causam meritoriam prædestinationis ex parte prædestinati. D. 3. q. 4. d. 4.
Semipelagianorum. D. 4. q. 1. d. 1. n. 12.
Simonis Magi. D. 2. q. 8. d. 11. n. 1.
Stoicorum, circa materiam primam. D. 2. q. 8. d. 11. n. 1. & D. 6. q. 1. d. 3. n 3.
Trinitarij, & errores eorum fusè circa SS. Trinitatem. D. 4. q. 1. d. 3. n. 1. 2. &c.
Tritheitarum. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.
Trithemij, de compositione Angelorum. D. 5. q. 1. d. 2. n. 22. ad fin. maxime. n. 28.
Tychonis Brahe obseruationes censentur. D. 6. q. 3. d. 3. n. 80. ad 90. Error eius cum recentioribus quibusdam Astronomis, circa materiam cœli d. 2. n. 22. circa liquiditatem cœli n. 21. Circa locum Cometarum. ib.
Valentini Gentilis hæreses & errores. D. 1. q. 5. d. 3. n. 8.
Valentinianorum circa Angelorum existentiam. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13.
Vincentij Galli. D. 4. q. 1. d. 1. n. 12.
Wicleffi. D. 2. q 8. d. 11. n. 1. & q. 11. d. 4. n. 1. & D. 3. q. 6. d. 4. n. 1.

Errores Anonymorum.

Circa Terræ motum. D. 6. q. 4. d. 3. n. 1.
Circa actionē Angeli in distans. D. 5. q. 5. d. 1. n. 14.
Circa astra ab hominibus inhabitata. D. 6. q. 2. d. 5. n. 31.
Circa ignem infernalem. D. 5. q. 6. d. 6. n. 4.
Chronologiæ falsæ circa mundi creationem. D. 6. q. 1. d. 4. n. 24. 25.
Circa materiam & formam Cœli. D. 6. q. 2. d. 4. n. 2. ad 5. &. n. 23.

Essentia & existentia Diuina.

Non sunt plures Essentiæ in diuinis. D. 4. q. 3. d. 4. n. 15.
Etiam cum addito relatiuæ. ib.
An esset visio Beatifica, si videretur Essentia Dei sine personis. D. 2. q. 6. d. 6. n. 6.
Relationes diuinæ an differant ab essentia à parte rei. D. 4. q. 3. d. 2. n. 1.
An tantum ratione. n. 8.
Et quidem ratiocinata, n. 11.
Eaque Viatoris, seu abstracte tantum cognoscentis. n. 9.

Digitized by Google

Idque magis, quam aliæ, quæ in diuinis ratione distinguuntur numero 10. vide plura, *Relationes diuinæ. Personæ diuinæ, & substantia.* Et ex instituto supra, *Essentia Dei*, &c.

Ethica.

Nobilior est, quam iurisprudentia. D. 1. quæst. 4. d. 5. numero 6.

Euidentia.

In scientia non semper est signum dignioris scientiæ. D. 1. q. 3. d. 5. n. 6.
vnde oriatur, & quomodo à certitudine differat ibidem dub. 4.
Euidentia moralis sola conuincit Angelorum existentiam, nulla Physica, aut Metaphysica. Disp. 5. quæst. 1. d. 1. n. 8. ad 12. vide *Existentia Angelorum.*
Fidei certitudine etiam formali à nobis credi potest fidei propositio ex vna reuelata, & altera naturali de inesse cum morali aliqua euidentia. D. 1. q. 5. d. 4. n. 6. 7.

Eunomij & *Eunomianorum*

Errores, & Arianorum ac Macedonianorum. D. 2. q. 2. d. 8. n. 1. & q. 6. d. 6. n. 1.

Executionis ordo

Licet in hominibus imperfectus sit, Deo tamen sine imperfectione tribuitur. Disp. 3. q. 5. d. 2. numero 41.
Ordine executionis electio fit dependenter à meritis. d. 4. n. 61.

Exemplum

Exemplo, & suasione seducti angeli à Lucifero ad peccandum. D. 5. q. 6. d. 3. n. 18. ad fin. vide *via malorum.*
Exempla & res non faciunt accommodatitium, sed aliquid tertium. D. 1. q. 5. d. 2. n. 6.

Existentia.

Quæstio, an est. quando prior, quando posterior quæstione, an res aliqua necessaria. Disp. 1. q. 1. d. 1. n. 1.
De existentia subiecti scientiæ quando quærendum in scientijs. D. 2. q. 1. d. 3. n. 1.
Existentia rerum quomodo effectus prouidentiæ. D. 3. q. 1. d. 3.
Existendi consequentia quid. quæst. 5. dub. 8. n. 9. vide *peccatum.*

Existentia Angelorum & creatio

Angelorum nomine quid hîc intelligatur. Disp. 5. q. 1. d. 1. n. 2.
Angelos dari est de fide, contra Atheos & Sadducæos. n. 3. 4.
Angelorum existentiam nulla physica, aut metaphysica ratio pura euidenter euincit. n. 8.
Octo congruentiæ S. Thomæ. n. 6. & 3. seqq.
Sed sola moralis euidentia conuincit. n. 10. 11.
Angeli nec ex se existunt, contra Hermanum Riesuic. n. 13.
Nec eorum alij ab alijs, contra Valentinianos. ib.
Sed omnes à Deo producti, non ex eius substantia, contra Priscillianistas & Manichæos. ib.
Nec ab æterno, sed in tempore, contra Aristotelem & Philosophos. n. 14.
Nec ante mundum corporeum, contra Patres nõnullos. n. 16.
Nec primum post creatum cœlum & terram, contra alios. n. 17.
Sed simul. n. 15. Probatur è scriptura. n. 18. 19. SS. PP. n. 20. Concilio Lateranensi. n. 21. Ratione. n. 23. Duplex obiectio soluta. n. 24. & 2. seqq.
Contraria sententia ex cap. *Firmiter*, non recte cõuincitur in fide erronea. n. 22.
Creati vniuersim in cœlis seu cœlo, non in aëre, aut loco inferiori. n. 32.
Idque tam boni, quam mali. n. 33.
Non in cœlo sydereo, aut vllo alio mobili corpore, qua tali. n. 34.
Nec in Empyreo propriè. n. 35.
Sed in supremo corpore. n. 36.
Quatuor sententiæ circa idem, & iudicium de ijsdem. n. 28. & 3. seqq.
Conciliantur omnia loca scripturæ cum nostra sententia. n. 38.

Existentia Dei

Existentiæ relatiuæ in diuinis ex probabiliori sunt sunt plures. Disp. quæst. 3. d. 4. numero 10. vide plura ex instituto supra, *Dei essentia, & existentia.*

Extremum.

Motus de extremo ad extremum sine transitu per medium an esse possit in Angelo. Disp. 5. q. 6. dub. 7. vide *Motus Angeli*, Et, *Motus Angeli velocitas.*

F.

Fatum

Quid fatum. Disp. 3. quæst. d. 5. n. 6. 7.
Quid sit causaliter. numero. 7.
Quo sensu fatum non omnino immutabile. n. 8.

Fausti Regiensis

Error. Disp. 4. quæst. 1. dub. 1. n. 12.

Fidelis.

Fidelibus singulis quatenus Theologia necessaria, mediate saltem. D. 1. q. 1. d. 1. n. 9. 10.
Vt & doctrina reuelata omnibus & singulis hominibus. n. 1.

Fides.

Quomodo dicatur Doctrina, quomodo disciplina. D. 1. q. 1. d. 1. n. 1.
Fides humana quid. q. 2. d. 2. n. 1. 2.
Quomodo distinguatur ab opinione. ib.
Fides diuina, perinde vt humana, subinde scientia dicitur. d. 3. n. 2.
Fidem diuinam quatenus intellectus comprehendat. n. 11. vide, *Intellectus.*
Fides est habitus diuersus à Theologia. d. 2. n. 3.
Fides non est discursiua. q. 3. d. 2. n. 14.
Discrimen rationis formalis obiectiuæ fidei, à ratione formali obiectiua Theologiæ. q. 3. d. 2. n. 4.
An viribus naturæ credi possit aliquid vt à Deo reuelatum. q. 3. d. 2. n. 12. 13.
Fidei obscuritas triplex. d. 3. n. 6.

Digitized by Google

Fides etiam est circa traditiones. q. 5. d. 1. n. 6.
Omnia quæ ad fidem pertinent, sunt aliquo modo in scriptura. ib.
Fides potest esse de priuatim reuelatis. n. 8.
Etiam de ijs, quæ particulatim non reuelata in scriptura. ibid.
Nihil spirituali sensu in Fidei rebus in scriptura proponitur, quod non etiam literali manifeste alibi. d. 2. n. 11.
Fides potest immediate assentiri cõclusioni Theologicæ. d. 3. n. 5. 6.
Ad fidei propositionem non est opus, vt sit immediate reuelata in se. n. 7.
Fidei tamen propositioni assentimur in se, prout reuelata, sine medio. ib.
Fidei certitudinem habet propositio Theologica ex vna reuelata, & altera naturali de inesse. d. 4. n. 3.
Non tamen sufficit, vt à nobis credatur certitudine formali fidei. ib. & n. 5. 9.
Sufficit tamen, si sit moralis aliqua euidentia. n. 6. 7.
Imo licet moraliter sit certa. ib.
Licet physice ei falsum subesse possit. ib.
Cur ad huiusmodi propositionem Theologicam non sufficiat credibilitas & certitudo probabilis, sufficiat tamen ad fidem suadendam. n. 9.
Quomodo argumenta contra fidem solui possint. d. 5.
Fides est habitus operatiuus, item extendi potest ad plura obiecta, & quando. disp. 2. quæst. 6. d. 9. n. 17. 18.
Fidei mysteria quomodo cognoscant Angeli. D. 5. quæst. 3. d. 7. vide *obiectum cog. Ang. resp. obiect. supernat.*
Non est error in fide, dicere Angelos vna sui parte esse corporeos. q. 1. d. 2. n. 13.
Sed temeritas. n. 14. vide *Compositio Angelorum.*
Theologia ad securitatem fidei retinendam est simpliciter necessaria, & ad eius plenam perfectionem, ac vitæ humanæ directionem. D. 1. q. d. 1. n. 8. vide, *Theologia.*

Figura loci.

Angelus deposcit sibi certam figuram loci, sed per se loquendo, ac intra certos terminos potest quemuis locum cuiuscunque figuræ occupare. disp. 5. q. 2. d. 1. n. 14. Obiectio. nu. 15. soluta. n. 17. Sententia Scoti. n. 16.

Filius Dei,
seu verbum.

Est Deus, seu persona diuina. D. 4. quæst. 1. d. 3. n. 13. &c.
Est eadem persona cum verbo & Christo Domino. n. 23.
Varia nomina Filij, & eorum ratio & vsus. quæst. 4. d. 2.
Quid verbum proprie. 6. 12.
Verbum in diuinis quos respectus & quales habeat, & ad quid. n. 18. 19.
Proprie loquendo solus Filius est imago. n. 24.
Et cuius. n. 28.
Verbum ex qua cognitione Patris tam naturaliter, quam formaliter procedat. 3. n. 7.
Formaliter verbum ex quibus cognitionibus SS. Trinitatis procedat. n. 10.
An etiam ex cognitione creaturarum secundum esse possibile. n. 3. & 36.
An ex scientia visionis. n. 19. 37. 38.
An ex scientia conditionata contingentium futurorum. n. 21.
Verbum Spiritus sancti Imago esse non potest. numero 26.
Nec sui imago. ib.
Productione verbi prior est scientia possibilium in Deo, etiam Patre, secundum rationem. n. 28.
Quomodo nunc distinguatur Filius à Spiritu S. d. 6. n. 10.
Filio ex propria ratione conuenit spirare. d. 4. numero. 15.
Nomen Patris respectu Filij prius dicitur notionaliter, quam essentialiter respectu creaturarum. disp. 4. quæst. 4. d. 1. numero 7. Plura vide *Spiritus S. Pater Deus. Nomina filij Dei.*

Finis

Deus respectu finis generalis totius creaturæ semper consequitur finem & effectum. d. 4. numero 4.
Non vero respectu finis particularis. n. 5.
Quando voluntas in finem & media feratur. q. 5. d. 2. n. 10 & d. 4 n. 41.
Non omnis voluntas efficax finis includit essentialiter media. d. 2. n. 37.
Finis appeti potest sine mediorum actuali cognitione, non media absque finis respectu. n. 40. & d. 4. n. 41.
Varij actus voluntatis diuinæ circa finem & media in prædestinatione. D. 3. q. 5. d. 2. n. 7. 8.
Ordo finis & & mediorum ad se mutuo, inter res creatas, & à Deo volitas, an & quis. disp. 2. q. 10. d. 5. n. 3.
Fines tres præcipui Theologiæ, & munus. D. 1. q. 2. d. 1. n. 2. 3.

Finitas Dei

Virtualis non est formalis ratio *sub qua* Theologiæ. D. 1. q. 3. d. 3. n. 4.

Firmamentum

& aquæ infra & supra.

Quid sint. Disp. 6. quæst. 3. dub. 1. vide *opus secunda diei.*

Fœcunditas

terræ.

Cum virore, & ficcitate tertio die elaborata. D. 6. q. 2. d. 2. n. 12.

Forma.

Ratio formæ Hypostaticæ quando includatur & excludatur à ratione formali relationis. D. 4. q. 3. d. 5. n. 38.
Non mouet cœlos, id est, non mouent seipsos. D. 6. q. 4. d. 3. n. 8. vide, *Cælorum motor.*
Forma cœli q. 2. d. 4. n. 3. 4.
Scientiæ humanæ à posteriori per formam syllogisticam ab intellectu distinguuntur. D. 1. q. 3. d. 2. n. 5.

Digitized by Google

Fortuna. Fortunatus.

Quid sit. D. 3. q. 1. d. 5. n. 9.
Fortunati qui. n. 10.
Quid bona fortuna. ib.
Imprudentes fortunatiores. ib.
Bonæ fortunæ causæ. n. 11. 12.
Fortunati effectus, etsi non omnes à Deo in particulari intenti, sunt tamen præuisi. d. 2. n. 9.

Francisci Albertini

sententiæ examinatæ & discussæ.

Rationem formalem propter quã Theologiæ esse partim naturalem, partim supernaturalem. D. 1. q. 3. d. 2. n. 2.
Habitum Theologiæ quoad substantiam esse naturalem & acquisitum; supernaturalem tamen aliquo modo, propter concursum fidei supernaturalis. D. 1. q. 4. dub. 1.
Dari posse infinitum actu secundum intensionem. Disp. 2. q. 4. dub. 2. (2. d. 2.
Vbi Angelicum vndiquaq; indiuisibile esse. D. 5. q

Francisci Suarez

sententiæ examinatæ & discussæ.

De subsistentia absoluta in Deo eadẽq; distincta à tribus subsistentijs personalibus D. 4. q. 1. d. 6.
De incomprehensibilitate Dei, solum ex parte obiecti in Deo eminenter contenti. D. 2. q. 6. d. 6.
De modo locutionis Angelicæ. D. 5. q. 4. d. 3.

Fuga

Mali nostri futuri & possibilis proprie est in Deo, vt & desideriũ boni nostri. D. 2. q. 10. d. 2. n. 7.

Futura Contingentia

Deus omnia tam absoluta quã conditionata quomodo cognoscat. D. 2. q. 11. d. 5.
Modus ea cognoscendi ex parte obiecti. d 6.
Quomodo extra Deũ, quomodo ex obiecto quod est Deus. d. 7.
Quæ in Deo ea cognoscendi ratio generalis primaria adæquata. n. 9.
Propositiones de futuris contingentibus quando veræ vel falsæ in se respectu obiecti. q. 8. dub. 6. num. 34.
Quando veræ vel falsæ significando respectu cognoscentis. ib.

Futura & Contingentia quomodo Angeli cognoscant.

Res omnes naturales, quæ futuræ sunt, naturaliter cognoscere possunt Angeli abstractiue, & secundum suam essentiam, & quid hoc. D. 5. q. 3. d. 5. n. 3. Soluta obiectio. ib.
Nullum futurum quà futurum in seipso cognoscit Angelus, adeoque nec per speciem, quæ directe & imediate repræsentet ipsa vt futura. n. 5.
Futura, quæ iuxta naturæ ordinem constitutum à Deo necessario eueniunt, certo ab Angelis præcognoscuntur in sua causa secunda, velut medio cognito, non quidem vt absolute euentura, sed quantum est ex vi causæ secundæ, nisi per causam primam impediantur. n. 6.
Futura, quæ ex suis *causis* frequenter & vt plurimum eueniunt, cognoscere potest Angelus in ijsdem causis, velut medio cognito per coniecturam, & quomodo. n. 7.
Futura casualia, quæ raro eueniunt, seu fortuita contingentia, comparatione omnium suarum causarum naturalium simul non possunt ab Angelo naturaliter vllo modo cognosci. n. 8.
Probatur è Scriptura & ratione. n. 9.
An dentur contingentia merè naturalia, triplex est sententia. n. 10. & 3. seqq.
Moraliter & regulariter loquendo Angeli futura contingentia, quæ à causis secundis impedibilib⁹ pendent, certo præcognoscere non possunt. n. 14.
Angeli etiamsi naturaliter & absolute possint omnia futura contingentia mere naturalia certo præcognoscere, quantum saltem est ex dispositione omnium simul causarum naturalium inter se comparatarum, moraliter & particulatim tamen ne sic quidem hæc cognoscunt. numero 15.

G.

Gabrielis Vasquez

sententiæ examinatæ & discussæ.

Theologiam esse habitum fidei acquisitæ, certum tamen. D. 1. q. 2. d. 2. n. 2.
Theologiam non esse distinctum habitum ab habitu fidei. D. 1. q. 2. d. 2. n. 4.
Theologiam secundum se esse veram scientiam. D. 1. q. 2. d. 3. n. 6.
Rationem formalem Quo S. Theologiæ esse principia reuelata, fide humana solum credita. D. 1. q. 3. d. 2. n. 2.
Eandem conclusionem Theologicam successiue posse esse practicam & speculatiuam. D. 1. q. 4. dub. 3. num. 5.
Theologiam sola certitudine actus reflexi certiorem esse alijs habitibus naturalibus, euidentibus. D. 1. q. 4. d 4. n. 3.
Lumen gloriæ esse speciem intelligibilem, qua Deus videtur D. 2. q. 6. dub. 3.
Deum incomprehensibilem dici ex parte obiecti, secundum continentiam eminentialem tantũ. D. 2. q. 6. d. 6.
Dari posse infinitum actu D. 2. q. 8. dub. 4.
Esse naturale, cum potentijs naturalibus, constitutione, & temperamento hominis, nulla ratione inter effectus prædestinationis esse numeranda. D. 3. q. 3. d. 2. n. 2.
Permissionem peccati nulla ratione esse effectum prædestinationis. D. 3. q. 3. d. 3. n. 4.
Etiam purum hominem lege Dei ordinaria posse esse causam meritoriam omnium effectuũ prædestinationis, tam propriæ, quã alienæ. D. 3. q. 4. d. 2. n. 13.
Gratiam congruam & efficacem formaliter talem nec esse, nec dici, nisi ab ipso euentu futuræ cooperationis. D. 3. q. 5. d. 1. n. 8.
Prædestinationem atq; præscientiam meritorum ratione priorem esse electione ad gloriam. D. 3. q. 5. d. 3. n. 1.
Actus salutares prædestinatorum, ante præuisionem cooperationis nostræ, præfinitos quidem esse in gratia congrua tanquam causa, non tamen in se ipsis. Disputat. 3. quæst. 5. dub. 6. numero 3.

Decretum permittendi peccati primi parentis, prius fuisse in Deo, prædestinatione, tum nostra, tum Christi. D. 3. q. 5. d. 8. n. 1.
Reprobationem à gloria absolute posteriorem esse reprobatione à gratia congrua. D. 3. q. 7. d. 4. n. 5. Reliqua vid. suis locis.

Generatio

Quomodo prior Paternitate, vel posterior. D. 4. q. 3. d. 6. n. 28.
Est alia Processio in diuinis, quam verbi generatio q. 2. d. 8. n. 1.
Quare processio amoris in diuinis non dicatur generatio. n. 11. vide *Processiones diuinar. person.*

Genethliacorum

Errores. D. 3. q. 4. d 3. n. 4.

Gentilium

Error duplex circa cognitionem Angelicam rerũ materialium singularium existentium. D. 5. q. 3. d. 4. n. 2. 3.

Germinatio

Terræ.

Quando facta, & quomodo. D. 6. q. 4. d. 1. n. 8. & 2. seqq. vide *Opus III. & IV. diei.*

Gloria

Prædestinatio tam intelligitur de gloria, quam de gratia, quæ gloria etiam quædam est. D. 3. q. 2. d. 1. n. 10. vide *Prædestinatio, reprobatio, Via Angelorũ.*

Gnostici.

Eorum auctor, & errores. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.

Gradus Metaphysici

Viuens & intelligens non sunt ita proprie distincti ab incorporea substantia. D. 2. q. 1. d. 5. n. 1.

Græcorum

Errores, & punitio. D. 4. q. 4. d. 5. n. 19. &c.

Gratia.

An Angeli creati in gratia, & quali. D. 5. q. 6. d. 1. n. 7. ad 12.
Propria eorundem ad eam dispositio. n. 12. 13.
Inæqualitas gratiæ eorundem pro inæqualitate perfectionis naturalis specificæ ipsorum. n. 14. ad fin. vide *Beatitudo, bonitas &c.*
Gratia adultorum prædestinatorũ peculiaris quænam. D. 3. q. 3. d. 1. n. 17.
Gratia primi hominis sanctificans. D. 6. q. 5. d. 2. n. 3. vide *Hominis conditio.*
Gratia sanctificans, eiusque gradus in prædestinatione prius prædefinita, quam meritum. D. 3. q. 5. d. 6. n. 30.
Vsus bonus gratiæ, & cooperatio nostra absolute futura non est causa, vel conditio sine qua non ad prædestinationem. q. 4. d. 5. n. 20.
Posse Deum prædestinare gratiam saluandis, tribus modis intelligitur. q. 5. d. 1. n. 4. vide *Voluntas Dei.*
De gratia congrua, vide supra, *Congrua.*
Quare ad gratiam non possit distingui voluntas executiua ex præuisis meritis, sicut ad gloriam. q. 5. d. 4. n. 64.
Merita gratiæ diuersa causant diuersitatem visionis beatificæ in beatis mediate. D. 2. quæst. 8. d. 5. num. 11.
Gratia, quatenus etiam gloria dicatur. D. 3. q. 2. d. 1. n. 10.

Gratia Congrua.

Vide supra, *Congrua gratia.*

Gratuita Electio, voluntas.

Cum voluntate Dei seria omnes saluandi quam bene consistat gratuita electio. D. 3. quæst. 5. d. 5. num. 29.
Gratuita voluntas præmij quomodo possit esse. D. 3. q. 5. d. 4. n. 69.

Gregorij de Valentia

sententiæ examinatæ & discussæ.

Conclusionem Theologicam non posse immediate per fidem credi, nisi ex duabus præmissis reuelatis, aut saltem ex vniuersali reuelata deducatur. D. 1. q. 5. d. 3. n. 2.
Prædestinationem formaliter consistere in scientia visionis; seu præscientia absoluta mediorum & finis. D. 3. q. 2. d. 2. n. 9.
Præter scientiam approbationis connotantem actũ voluntatis, etiam scientiam liberam approbationis liberæ, voluntatem quoque illam Dei, quæ vsus dicitur, imò & scientiam liberam eiusdem vsus, ad prædestinationem essentialiter pertinere. D. 3. q. 2. d. 2. n. 20.
Christum non esse causam meritoriam effectuum prædestinationis, qui extra prædestinatum peraguntur. Disputat. 3. quæstione 4. dub. 2. num. 3.
Præscientiam absolutam cooperationis perseuerantis, simul esse cum decreto cuiuslibet effectus prædestinationis. D. 3. q. 5. d. 2. n. 6.
Prædestinationem atque etiam præscientiam meritorum ratione priorem esse electione ad gloriam. D. 3. q. 5. d. 3. n. 1.
Decretũ permittendi peccati primi parentis prius fuisse in Deo prædestinatione, tum nostra, tum etiam Christi. D. 3. q. 5. d. 3. n 1.
Dari causam totius reprobationis, quo ad omnes suos effectus, ex parte ipsius reprobi, saltem adulti. D. 3. q. 7. d. 3. n. 13.
Reprobationem à gloria, absolute posteriorem esse reprobatione à gratia congrua. D. 3. q. 7. d. 4. n. 5. Reliqua vide suis locis.

Gubernatio

Quid sit. D. 3. q. 1. d. 1. n. 10.
Quomodo differat à prouidentia. ibid. vide *Prouidentia diuina* infra.
Deus per seipsum immediate prouidet omnibus, gubernat per media. q. 3. d. 3. n. 3.

H.

Habitus

Acquisiti quoad substantiam perire possunt, destructo eorũ vsu & exercitio. D. 1. q. 4. d. 1. n. 4.
Habitus infusus, qui non acquiritur sine exercitatione, quis. n. 5.
Habitus practicus in quo consistat. d. 3. n. 1. 2.
In quo speculatiuus. ib.
Practicum & speculatiuum non sunt essentiales differentiæ habituum. n. 4.
Habitus speculatiuꝰ & practicus vnde sumatur. ib.

Digitized by Google

Habitus intellectus ſupernaturales omnes dignitate ſuperant Theologiam. d. 5. n. 1.
Fides eſt habitus diuerſus à Theologia, quæſt. 2. d. 2. n. 3.
Habituum dignitas vnde ſumenda. Diſp. 1. q. 2. d. 5. n. 2.
Habitus intellectuales ſunt ſeptem. d. 2. n. 1.
Habitus primorum principiorum dignitate cedit Theologiæ. q 4. d. 5. n. 5.
Quatenus etiam fidem diuinam comprehendere, dici poſſit. d. 3. n. 11. vide *Scientia.* Fides. Intellectus.
Quare habitus ſupernaturales in hac vita perficiantur extenſiuè non autem lumen gloriæ. D. 2. q. 6. d. 9. n. 17. 18.
Habitus naturales potentiarum quoſlibet cognoſcunt Angeli, etiam inuito habente. Diſp. 5. q. 3. d. 6. n. 10.
In Angelo non ſunt habitus naturales cognoſcitiui. d. 8. n. 28.
In Angelis ſecundum ſuam naturam ſpectatis poſſunt eſſe habitus naturales voluntatis, tum boni, tum mali. D. 5 q. 4. d. 1. n. 26. Ratio. n. 27.
Etſi in bonis Angelis reipſa nulli eſſe videntur. n. 28. vide *voluntas Angeli.*
Nulla virtus eſt in Deo ſub ratione habitus. Diſp. 2. q. 10. d. 2. n. 17.

Hæreſes

Circa mundi creationem. D. 6. q. 1. d. 2. n. 2. plura vide *Errores,* vbi ordine alphabetico authores habes.

Hæreticus

Cur Scholaſticam carpant hæretici. D. 1. q. 1. d. 2. n. 4. 5.
Theologia in hæreticis eſt habitus opinatiuus fidei humanæ. q. 2. d. 2. n. 6. 7.
Et Analogicus ad verè Theologicos. n. 8.
Hæretici quomodo credant reuelatis. quæſt. 3. d. 2. n. 13.
Eorum errores circa meritoriam cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati. D. 3. q. 4. d. 3. n. 4. &c.
Plures hæretici materiam Deo coæternam cum Platonicis, Pythagoricis, & Stoicis aſſeruerunt. D. 6. q. 1. d. 3. d. 3.

Herbæ

Quando productæ, & quomodo. Diſp. 6. quæſt. 4. dub. 1. n. 8.
Quando plantæ, etiam noxiæ hominibus, contra S. Baſilium. n. 9.

Hermanni Riſſuic

Hæretici error circa exiſtentiam Angelorum. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13. Valentinianorum, Priſcillianiſtarum, Manichæorum idem. ib.

Hexaemeron.

Totum opus Hexaemeron ex communi SS. PP. quando productum. D. 6. q. 1. d. 4. n. 5. ad 10. Synopſis opificij VI. dierum ad textum Scripturæ Gen. 1. accommodata. in fine à n. 1. ad 20. vide *opus 1. diei* & deinceps ſequentium.

Hierarchiæ Angelorum & ordines.

Hierarchiæ Angelorum & ordines cuiuſque ſpecie inter ſe differunt. Diſp. 5. quæſt. 1. d. 5. numero 27. 28.
Non omnes tamen etiam eiuſdem ordinis ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ. n. 29.
Diſtinctio Hierarchiarum & ordinum vbi fundetur: & in quo conſiſtat completè & formaliter. n. 31.
An poſt iudicij diem ceſſatura. n. 32. vide *Differentia Angelorum.*
An ex omni Hierarchia & ordine aliqui etiam externa miſſione à Deo immediate mittantur. D. 5. q. 6. d. 8.
Qui affirment. n. 4. Fundamentum eorum. n. 8. Qui negent, & quomodo. n. 7. Horum fundamentum. n. 8.
Negatiua verior. n. 9. Conciliantur. n. 10. obiectio ſoluta n. 11. vide *Miniſteria Angelorum.*
Officium trinæ Hierarchiæ. q. 1. d. 5. n. 8.
IX. Ordines Angelorum fundantur in ſcriptura numero 3.
Diſcrimen & varietas PP. circa eorundem diſpoſitionem. n. 4.
Iudicium S. Thomæ. n. 5.
Diſpoſitio S. Dionyſij communior apud Scholaſticos, & quæ. n. 6.
Cur Seraphim ante Cherubim collocentur. n. 7.
Ordines & Hierarchiæ. n. 1. 2.
An è quouis ordine ceciderint aliqui. q. 6. d. 3. n. 24. vide *via malorum.*
Nomina Thronorum & Seraphim cur malis non tribuantur. n. 25.

Hiſtoria.

Hiſtoria Eccleſiaſtica proprius locus Theologiæ. D. 1. q. 5. d. 1. n. 5.
Profana locus externus. ib.

Homo

Homo & animalia quando producta. D. 6. q. 5. d. 1. n. 1.
Homo quomodo ad imaginem Dei factus. n. 8.
In quo hæc ratio imaginis Dei, quam homo habet, conſiſtat. n. 9.
Cæteræ res veſtigia Dei dicuntur, & cur non ad imaginem Dei factæ dicantur. n. 10.
In homine eſt imago Dei, tam quatenus Deus ſecũdum eſſentiam eſt vnus, quam quatenus trinus eſt in perſonis, & quomodo. n. 11.
Hominis ſimilitudo cum SS. Trinitate vnde colligatur. n. 12.
Ratio ſimilitudinis ad quam homo factus dicitur, quomodo & quotupliciter diſtinguatur à ratione imaginis. n. 13.
Omnes homines ſunt ad imaginem Dei, & quomodo, ad ſimilitudinem ſoli iuſti. n. 14. vide infra *Hominis conditio.*
Quam pauci homines prædeſtinati. q. 6. d. 1. n. 9.
Et cur tam pauci. ib. & q. 5. d. 5. n. 30.
Homines loqui poſſunt Angelis per directionem ſecreti. D. 5. q. 4. d. 3. n. 32.
Hominum ſalus quam varie procuretur à bonis Angelis. q. 6. d. 8. n. 2. & ſeqq.
An Angeli vera hominum corpora aſſumant. D. 5. quæſt. 5. dub. 5. numero 14. ad fin. vide *Qualitas corporum.*

Digitized by Google

Qua scientia & quotuplici primus homo in statu innocentiæ fuerit prædituſ. D. 6. q. 5. d. 2. n. 1. 2. vide *Hominis conditio.*
Astra an ab hominibus incolantur, & qui asseuerint. q. 2. d. 5. n. 23. refelluntur. n. 24. ad fin. vide *Cœlum animatum.*
Hominum animas quomodo moueant Angeli. D. 5. q. 5. d. 2. n. 2. 3. 9.
Theologia ad plenam vitæ humanæ directionem simpliciter est necessaria. Disp. 1. quæst. 1. d. 1. numero 8.
Etiam singulis fidelibus mediate saltem. n. 9. 10.

Hominis Conditio in statu naturæ integræ.

Qua scientia & quotuplici primus homo in statu innocentiæ fuerit prædituſ. Disp. 6. quæst. 5. d. 2. n. 1. 2.
Conditio hominis in illo statu quoad voluntatem qualis. n. 3.
Cum gratia iustificante conditus est. ibid. soluta obiectio. n. 4.
Eius dominium in homines, & res cæteras quale tunc. n. 5. 6.
An & qua ratione tunc homo fuerit immortalis & impassibilis. n. 7. Causa eius. n. 8.
Conditio prolis in eo statu progenerandæ qualis. numero 10.
Num in iustitia confirmati. n. 11.
Num in scientia perfecti. n. 12.
Num omnes pares quoad animi & corporis dotes. n. 13.
Qualis diuersitas secundum animam. n. 14.
Qualis conditio loci, seu paradisi, & an paradisus adhuc supersit. n. 15. ad fin.

Homousios, seu consubstantialis.

Quid. D. 4. quæst. 1. dub. 1. n. 15.

Hybernici.

Et Ariminensis opinatio circa motum Angeli. D. 5. q. 6. d. 6. numero 7. 8.

Hypostasis

Quid significet. Disputat. 4. quæstio. 1. dub. 1. numero 9. 10.

Hypostatica Forma.

Vide *Forma hypostatica.*

Hypostatica vnio.

An à dæmone fuerit affectata. Disput. 5. quæst. 6. dub. 4. numero 11. 13. vide *Peccata Ang. qualia.*

Hypotheses,

Et obseruationes Mathematicæ quomodo differant. Disp. 6. quæst. 3. dub. 3. n. 24. ad 30. & q. 4. dub. 3. num. 7.

Hypothetica

Hypotheticarum quædam consequentiæ quando formales fiant. D. 2. q. 8. d. 3. n. 31.

I.

Idea Diuinæ.

Idea quid, & quotuplex. D. 2. q. 9. d. 1. n. 1.
Sunt in Deo. n. 2.
Quales n. 3. & seqq.
Quæ ratio formalis earum in Deo. ibid.
Ad practicam Dei scientiam pertinent. n. 9. 10.
Ab æterno Deo conueniunt. n. 11.
Non sunt in Deo à parte rei plures, sunt tamen ratione. d. 2. n. 1.
Non ratione Dei, vel beati, sed viatoris. n. 2.
Rerum possibilium sunt infinitæ. n. 4. 5.
Sunt ideæ secundum rationes indiuiduas, & incertum, an secundū generica & specifica. n. 5.
Materiæ, formæ, accidentium, malorum non sunt propriæ ideæ. n. 6. 7.
Beati cum in Deo, vt Idea causa, media voluntate cognoscunt creaturas, cognoscūt quidem per medium, non tamen per speciem. D. 6. q. 6. dub. 9. n. 9.

Ignis.

Quomodo torqueantur ab igne gehennæ dæmones, & animæ damnatæ. Disp. 5. q. 6. d. 6. n. 4. Error quorundam. ib.
Quomodo per alligationem, & quid hoc. n. 5.
An etiam alio modo præter alligationem. Qui negent. n. 6. Affirmatiua verior. n. 7.
Modi quatuor explicandi eam reiecti. ib. & 3. seqq.
Verus modus. n. 11. Probatur ex scriptura. n. 12. SS. PP. n. 13. Ratione. n. 14.
An effectiue per actionem ignis physicam ab intentionali actione distinctam, & quid hoc. n. 15.
Ignis velut instrumentum Dei quomodo non solum obiectiue, sed etiam effectiue physice torqueat dæmones & animas separatas. n. 16. 17. Ratio. n. 18. soluta obiectio. n. 19. 20.
Vbi has pœnas dæmones patiantur, & an omnes. n. 26. vide *Pœna dæmonum.*
Non potest facere dæmon, vt ignis stramen non comburat debite approximatum. quæst. 5. d. 6. num. 11. & seqq. ad finem, nisi extrinsece & illusorie. ibid.

Illuminatio Angelica.

Inter angelos vnus aliquis illuminat alterum & quomodo. D. 5. q. 4. d. 4. n. 2.
Probatur. n. 3. ad 7. Ratio. n. 7.
Hæc illuminatio est etiam reipsa purgatio, & perfectio quædam intellectus, qui illuminatur, adeoque hæc tria sunt synonyma. n. 18.
Illuminatio angeli formaliter & essentialiter non consistit in physica aliqua actione, cōtra quosdam. n. 9. 10.
Sed solum in magisterio aliquo, quo extrinsecus vnus alteri proponit, & manifestat veritatem accommodate ad modum ipsius intelligendi, vtendo simul locutione, qua suos illi conceptus manifestat. n. 12. Ita S. Thomas. n. 13. Soluta obiectio. ib.
Ad illuminationem non sufficit cuiusuis veritatis manifestatio, sed quæ perfectiorem reddat intellectum audientis quomodocunque, numer. 14. Ratio. n. 15. 16.
Angelus illuminās non ostēdit veritatem propositam in verbo formaliter, sed peculiari notitia extra verbum cognoscendam. n. 17. 18.
Licet hæc ipsa cognitio veritatis possit dici in verbo causaliter. numero 19. 20. Soluta obiectio. n. 21.

Digitized by Google

Illuminare solum conuenit Angelis superioribus respectu inferiorum. n. 22. Ratio. n. 23. 24.

Illusio

Quomodo dæmon illudat sensibus externis. D. 5. q. 5. d. 6. n. 7. ad fin. vide *Potestas Angelorum.*

Imaginaria Spatia.

Vide *Spatia imaginaria.*

Imaginatio

Imaginationis & appetitus sensitiui motiones & apprehensiones quatenus Angeli naturaliter possint cognoscere. D. 5. q. 3. d. 6. n. 10. vide *Angelus.*

Imago.

Proprie loquendo solus Filius est imago. D. 4. q. 4. d. 2. n. 24.

Et cuius. n. 28.

Non sui nec Spiritus S. n. 26.

Spiritus S. cur non dicatur proprie imago. n. 2. 7.

Homo cur & quomodo ad imaginem Dei dicatur esse factus, non item cæteræ res, Vide *Homo* ad longum. Et, *Hominis conditio.*

Immaterialia

Quomodo cognoscant Angeli, & qualia illa. Vide *Obiectũ cog. Ang. resp. rer. immat.* D. 5. q. 3. d. 3.

Immediatio

Virtutis & suppositi.

Quomodo Deus semper agat immediate immediatione virtutis, quomodo immediate imediatione suppositi, D. 3. q. 1. d. 3. n. 6. 7.

Rectius dicitur eum agere omnia immediate immediatione virtutis, no suppositi. n. 7.

Deus per seipsum immediate prouidet omnibus gubernat per media. n. 3.

Immortalitas & Impassibilitas primi hominis

In statu innocentiæ, & posterorum qualis. D. 6. q. 5. d. 2. n. 7. causa eius. n. 8.

Immutabilitas Angelicæ voluntatis

Post plene deliberatam electionem qualis, & post peccatum. D. 5. q. 6. d. 5. n. 4. 5.

Quando cœperit. n. 6. 7. causa eius. n. 11. 12. 13. Varij modi explicandi. n. 14. 15.

Verus. n. 16.

An impediat omne bonũ morale tam in actu primo, quam secundo. n. 17. ad fin. vide *Obstinatio dæmonum*

Immutatio Vniuersi

An possit fieri per Angelum, & quatenus. vide *Potestas Angelorum.* D. 5. q. 5. d. 6.

Impeccabilis

An creatura intellectualis sua natura esse possit. D. 5. q. 6. d. 3. n. 3. 4.

Impeccabiles post viam sunt boni Angeli, vide *via Angelorum.* d. 2. n. 22.

Imperium.

Actus intellectus, qui dicitur imperium, triplex consideratio. D. 3. q. 2. d. 2. n. 6.

Prædestinatio non consistit in actu, quem vocant Imperij. n. 5.

Impetus

Impetum quomodo possit Angelus producere. D. 5. q. 5. d. 4. n. 6.

Non mouet vnus Angelus alium, aut spiritum impresso impetu, sed immediate per seipsum. d. 2. n. 9. vide *Subiectum mobile.*

Impressa Species.

Deus à Beatis nõ videtur per speciem impressam, sed per expressam. D. 2. quæst. 6. d. 3. numero 7. & 2 seqq.

Videtur implicare, vt detur species impressa, per quam Deus videatur. n. 12.

Imprudens.

Imprudentes fortunatiores, & cur. D. 3. quæst. 1. d. 5. n. 10.

Incarnatio.

Et passio Christi an sint effectus prædestinationis, seu potius generalis prouidentiæ. D. 3. quæst. 3. d. 1. n 5.

Quomodo Angeli etiamnum Viatores hoc mysterium agnouerint. D. 5. q. 3. d. 7. n. 8. vide *Obiectum cog. Ang. resp. obiect. super.*

Incongrua Gratia.

Reprobis à Deo formaliter non prædestinatur. D. 3. q. 5. d. 1. n. 38. & d. 5. n. 31. de congrua vide *Congrua.*

Incorporeitas Angelorum.

Vide compositio Angelorum. D. 5. q. 1. d. 2.

Incorruptibilitas Angelorum.

Angeli suâpte natura nulla potentiâ creata naturali possunt destrui vel corrumpi. D. 5. quæst. 1. d. 3. num. 4.

Probatur è Scriptura. n. 7. SS. PP. Græcis. n. 8. & 2. seqq. Latinis. n. 11. Ratione. n. 12. 13.

Non est de fide; sed temerè negatur. n. 14.

Sed solâ increatâ Dei, quod de fide est è Scriptura. n. 15. SS. PP. n. 16. 17. Ratione. n. 18.

Non ob potentiam realem & intrinsecam ipsis, sed ob solam non repugnantiam, per extrinsecam Dei potentiam. n. 19. & 4. seqq.

Hinc actualis destructio seu annihilatio eorum naturæ repugnat; & perpetuitas seu necessitas essendi eis aliquo modo naturalis est. nu. 24. & 2. seqq. Soluta obiecto. n. 27.

Vnde recte sua natura incorruptibiles, immortales; corruptibiles autem solum extrinsece dicuntur. n 28.

Probatur auctoritate S. Thomæ. ib. & 3. seqq. SS. PP. n. 33. Ratione. n. 32.

Recte etiam Angeli, aliaque id genus entia natura sua perpetua dicuntur *Entia necessaria.* num. 34. contra Scotum. n. 35.

Non tamen absolute dicendum, nec verum est, Angelum sua natura esse indissolubilem seu inannihilabilem, vel etiam contra. n. 36.

Etsi vero aliquo sensu dici possit, non esse natura sua defectibilem &c. etiam respectu Dei. n. 37.

Explicantur vtrinque termini. n. 38. Soluta obiectio. n. 39.

Angelus simpliciter & absolute loquendo dicendus est immortalis & incorruptibilis. n. 4.
Non autem inconuertibilis, aut inannihilabilis. n. 14.

Incorruptibilitas Cœlorum.

Vide *cæli incorruptibilitas*. D. 6. q. 2. d. 6.

Indeliberatio.

Seu subreptio non cadit in Angelum naturaliter. D. 5. q. 4. d. 1. n. 25.

Indeterminata

Voluntas

Quomodo in Deo esse possit. D. 3. q. 5. d 4. n. 70.

Indiuidua

Materialia

Quomodo cognoscant Angeli. D. 5. q. 1. d. 4. n. 3. vide *obiectum cog. Ang. nat. resp. rer. mater.*

Indiuisibilia

Realia positiua an dentur in continuo. D. 2. q. 4. d. 2. n. 23. &c.
Angeli locus adæquatus non est punctum indiuisibile. D. 5. q. 2. d. 1. n. 7. sed locus quantus ib.
Non tamen repugnat ei, ex parte ipsius, esse in puncto indiuisibili. n. 12. Ratio. n. 13. & in puncto motu continuo moueri contra Aristotelem. q. 6. d. 6. n. 9
Quid senserint prisci Philosophi de indiuisibilibus. &c. D. 2. q. 4. d. 2. n. 26.

Ineffabilitas Dei

D. 2. q. 7. d. 1. & seqq. vide, *Dei ineffabilitas.*

Infelix

Cur boni in hac vita sæpe infelices; mali contra felices. D. 3. q. 1. d. 2. n. 13.

Infernus

Vide *Pœna dæmonum*. D. 5. q. 6. d. 6.
Dæmones maiorem partem pœnas suas in inferno patiuntur. D. 5. q. 6. d. 6. n. 25.
Non tamen omnes, quia multi dum liberi in terris vagantur. n. 26.
Nulli dæmones probabiliter perpetuo inferno sut alligati, excepto Lucifero. n. 27. vide, *Pœna Dæmonum.*

Infinitus Dei.

D. 2. q. 3. d. 1. vide *Dei infinitas.*
Quomodo attributa diuina sint infinita nostro conceptu formaliter comprehensa, non apprehensa essentia diuina. D. 2. q. 2. d. 4. n. 9.
Philosophiæ antiquæ opiniones de infinitate primi principij. D. 2. q. 4. d. 1. n. 1.

Infinitum

Creaturæ habent infinitatem in essendo quasi respectiuam, & quid illa. D. 2. q. 4. d. 1. n. 6.
Variæ distinctiones infinitorum variorum. d. 2. n. 1. & seqq.
Quid infinitum absolute in vnoquoq; genere. n. 1.
Quotuplex infinitum quantitatis. n. 2.
Infinitum actu non cadit sub diuinam potentiam. numero 4.
Quæ incommoda in Theologia ex contraria sententia sequantur. n. 4. 5.
Infinitum in potentia, quod asseritur, quomodo nõ destruat infinitum actu, quod negatur. n. 19.
Quid ad infinitum actu requiratur. n. 19.
Quare implicet infinitum actu produci, non autem actu cognosci à Deo. ib.
Quomodo Deus cognoscat infinita. q 8. d. 4. n. 3. & seqq.
Cognitionis infinitæ cum potentia infinita comparatio. n. 7.
An infinitum, & perfectiones simpliciter simplices distingui possint. q. 4. d. 1. n. 4.

Ingenitum

Tribus modis accipitur. D. 4. q. 4. d. 1. n. 8.
Quid nomen ingeniti, prout Patris, significet. n. 10. 11.

Initium.

Nomen huius non est tribuendum personis diuinis. D. 4. q. 4. d. 1 n. 14.

Innocentiæ

Status.

Potuisset Deus durante statu innocentiæ, ad eum gradum gloriæ, ad quem nunc deducitur prædestinatus, post lapsum Adami, deducere. D. 3. q. 5. d. 5, n. 70. plura vid. *Hominis conditio.*

Instans.

Quid sit instans Angelicum. D. 5. q. 8. d. 2. n. 11. vide *Via Angelorum & meritum.* vbi habes, quot instantibus mali pœnam, boni gloriam promeruerint.
An motus Angeli fieri possit in instanti, vel tempore. D. 5. q. 2. d. 8. vide *Motus Angel. velocitas.*

Instrumentum.

Ex probabili, creatura ad creandum à Deo assumi potest, tanquam instrumentum supernaturale physicũ. D. 6. q. 1. d. 2. n. 8 & seqq. vide *Creatio.*
Si rem quampiam vt instrumentum Deus ad visionem assumeret, id non foret species. D. 2. q. 6 d. 2. n. 15.

Intellectus

Cur vespertilionum oculis intellectus noster assimiletur. D. 1. q. 4. d. 5. n. 5.
Intellectuales habitus septem. q. 2. d. 2. n. 1.
Intellectus pro habitu principiorum, latiori significatione, etiam fidem diuinam comprehendere, dici potest. d. 3. n. 11.
Natura intellectus quoad assensum conclusionis. q. 3. d. 2. n. 7.
Intellectus, vide *Habitus.*
Intellectus seu habitu primorum principiorum dignior Theologia. ib.
Intellectus extensionem & intensionem quando admittat. q. 6. d 9. n. 17. 18.
Intellectus Beati quomodo producat visionem Dei vere & physice q. 8. d. 4. n. 2. ad 6. vide *Lumen Gloriæ.*
Attributum diuinum est per intellectum. q. 2. d. 1. numero 4.
Intellectus creatus intuitiue Deum cognoscere potest, ac reipsa beati ita cognoscunt. quæst. 6. d. 1. n. 4.
Quomodo eidem naturalis Dei cognitio. d. 3. n. 4.
An creatꝰ intellectus de absoluta potẽtia Dei possit videre Deum, nõ visa vlla creatura. d. 11.
Vel etiam omnia, quæ in Deo sunt, eminenter. 12.

Digitized by Google

Intellectus visio quid. d. 1. n. 7. Quid corporis. ib.
Et cur vtraque intuitiua dicatur. n. 3. vide *visio.*
Intellectus Dei remotior causa rerum, quam voluntas. quæstione 10. dub. 4. numero 2. & 2. seqq.
Voluntas & Intellectus in *Deo* probabilius est etiam per modum actus primi secundum nostrum concipiendi modum. quæst. 11. d. 5. n. 4.
Actuum intellectus & voluntatis diuinæ subordinationes. q. 10. d. 5 n. 30.
De Intellectu Dei, vide ex instituto *Dei Scientia.*

Intellectus Agens & possibilis.

Neuter proprie est in Angelo, sed improprie. *D.* 5. q. 3. d. 1. n. 12. & 2. seqq.

Intellectus Angeli eiusq; cognitio.

Est incapax discursus, & compositionis ac diuisionis in intelligendo. n. 5. q. 3. d. 8. n. 20.
Qui negent. ib. Probatur. n. 2. ad 28.
Intelligere est in Angelo, seu actualis intellectio. d. 1. n. 3. 4.
Non tamen de essentia Angeli. n. 4.
Nec idem cum essentia, aut eius existentia. n. 5.
Sed realiter ab vtraque distincta. n. 6.
Est etiam in eodem Intellectus, seu potentia naturalis intelligendi. n. 7.
Tum à substantia Angeli realiter distincta. n. 6.
Tum ab actu intelligendi. n. 11.
In Angelo vnicus est tantum intellectus, adeoq; non proprie intellectus agens & possibilis. n. 12. Ratio. n. 13.
Sed abusiue tantum. n. 14.
In Angelis non est alia cognitio, quam intellectiua; ac proin nec alia potentia (immanenter operativa) quam voluntas & intellectus; quo etiam spectat memoria. n. 15.
Intellectus Angeli nec est in pura potentia quoad cognitionem naturalium. d. 8. n. 2. 5.
Nec quoad cognitionem supernaturalium. n. 4.
Angelus Beatus perfectiori licet intellectu, sed pari lumine gloriæ cum homine, cur non possit perfectius Deum cognoscere, quam intellectus hominis. D. 2. q. 5. d. n. 4. plura vide *Cog. Ang. Obiectum Cog. Ang.* &c.

Intellectus Beatorum.

Videt *Deum. D.* 2. q. 6. d. 1. n. 4.
Non distinguit attributa diuina ratione, licet vt à nobis distincta cognoscat. q. 2. d. 4. n. 7.
Quomodo producat visionem *Dei.* q. 8. d. 4. n. 2. & seqq. vide *Lumen gloriæ, intellectus* supra.

Intellectus Dei.

Non distinguit attributa diuina ratione; licet vt à nobis distincta cognoscat. *D.* 2. q. 2. d. 4 n. 7.
An intellectus & voluntas in *Deo* etiam per modũ actus sint distincti, iuxta nostrum concipiendi modum. q. 11. d. 5. n. 4. plura vide ex instituto, *Dei scientia, & scientia Dei* &c.
Actuum intellectus diuini & voluntatis subordinationes. q. 10. d. 5. n. 30.
Intellectus Dei remotior est causa rerum, quam voluntas. d. 4. n. 2. & 2. seqq.
De actibus intellectus & voluntatis diuinæ circa prædestinationem, & reprobationem. vide, *Prædestinatio.*

Intelligentiæ.

Angeli sunt substantiæ intelligentes. D. 5. q. 1. d. 4. n. 1.
Est de Fide, & naturaliter euidens. n. 2.
Sunt natura ac gradu suo essentiali perfectiores & digniores homine. n. 4.
Etiam quoad naturalem potentiam, seu vim intelligendi. n. 5.
Adeoque quiddam quasi medium inter *Deum* & hominem, hoc præstantiores, illo inferiores. n. 6.
Probatur è scriptura. ib. & n. 7. SS. PP. n. 8. solutę obiectiones. n. 9. ad fin.
Error Francisci Georgij. n. 3.
Intelligentiæ assistentes mouent cœlum. D. 6. q. 4. d. 3. n. 8. vide *Cœlorum motor. Angelus.*

Interitus.

Mundi & cœlorum in fine mundi, vide *Mundi & cælorum* &c. D. 6. q. 4. d. 5. per totum.

Intuitiua Dei cognitio.

Intuitiua Dei visio intellectui creato per vires naturæ impossibilis est. D. 2. q. 6. d. 3. n. 4.
In hac vita an quis *Deum* intuitiue videre possit oculis corporeis de absoluta Dei potẽtia. d. 1. n. 7.
Quocunque tandem sensu. n. 8.
Etsi alterius ordinis oculus à *Deo* creetur, cuius obiectum sit immateriale. n. 9.
In hac vita secundum ordinariam *Dei* legem nemo Deum intuitiue potest videre, imo de facto nõ vidisse quenquam probabilius est. n. 12. 13.
Per absolutam potentiam potest. n. 10.

Inuidia.

Cum superbia est in Angelis proprie. Et quomodo alia peccata. D. 5. q. 6. d. 4. per totum. vide *peccata Ang. qualitas.*

Ioachimus Abbas.

Error eius. D. 2. q. 9. d. 3. n. 4. &, D. 4. q. 1. d. 7. n. 14. &, d. 8. n. 12.

Ioannis Erigenæ

Error, D. 2. q. 10. d. 7. n. 8.

Ioannis Gersonis.

Insigne opusculum de cõsolat. Theologiæ, & gratuita prædestinatione ad gloriam. D. 3. q. 7. in fine.

Iouiniani.

Errores. D. 2. q. 6. d. 5. n. 1.

Iouis & Saturni.

Stipatores an obstent cælorum soliditati. *D.* 6. q. 3. d. 3. §. 7. n. 90. ad fin.

Iurisconsultus.

Iurisconsultorum auctoritas est locus externus Theologiæ. *D.* 1. q. 5. d. 1. n. 5.
Iurisconsultorum quorundam error, qui se, non Theologos in materia peccati mortalis consulendos asseruerunt. q. 4. d. 5. n. 9.

Iurisprudentia

Canonica, Ciuilis.

Ciuilis omnis inferior dignitate Theologia. *D.* 1. q. 4. d. 5. n. 6.

Digitized by Google

Quomodo subinde tractentur Theologica à Jure ciuili. ib.
Iurisprudentiæ ciuilis obiecta, & finis. ib.
Ignobilior est alijs scientijs, etiam Ethica. ib.
Iurisprudentiæ canonicæ obiectum, seu materia. numero 7.
Obiectum formale Quo. n. 8.
Finis. n. 10.

L.

Latina Lingua

Vnde. D. 2. q. 1. d. 1. n. 6.
An nomẽ Dei habeat à Græco θεὸς. ib. vide *Linguæ.*

Leonardus Lessius.

Discutitur eius sententia de modo & ordine prædestinationis ad gratiam. D. 3. q. 5. d. 1. de modo & ordine prædestinationis ad gloriam. D. 3. q. 5 dub. 3. 4. 5. item de prædefinitione singulorum mediorum & actuum, quibus gloriam consequimur. ibid. dub. 6. de ordine instantiũ siue signorum in mente diuina, quibus prædestinatio peragitur. ibid. dub. 10. De motione immediata cœlorum p Deum. D. 6. q. 4. d. 3.

Libertas

Si in Deo nulla esset libertas, nulla posset esse in rebus creatis. D. 2. q. 10. d. 6. n. 12, 14.
Possent tamen esse effectus contingentes. n. 15.
Quomodo non impediatur per præfinitionem efficacem per modum conditionati aut generalis decreti. d. 8. n. 3.
Nec per voluntatem executiuam ad futuram determinationem nostram. ib.
Nec per præfinitionem antecedentium in vocatione congrua. n. 4.
Quomodo consistat cum præfinitionibus diuinis. n. 15. ad fin.
Quomodo cum prædestinatione. D. 3. q. 6. d. 1.
Quomodo cum reprobatione. q. 7. d. 5. num.
Quomodo cum præscientia diuina. Disp. 2. quæst. 11. d. 11.
Quomodo cum scientia diuina. ib. per totum.
Quomodo tollatur per prædeterminationẽ physicam diuinam d. 1.
Res & effectꝰ naturales antecedenter respectu nostræ libertatis præfiniuntur. q. 10. d. 7. n. 25. vide plura *Arbitrium liberum. Præfinitiones diuinæ.*

Liber Vitæ

Quid sit. D. 3. q. 1. d. 4. n. 2.
Quare non dicatur in scriptura liber Mortis, cum possit dici. n. 2.
Simpliciter liber vitæ respectu cuius dicatur. n. 3.
Quare non detur vitæ liber, respectu vitæ naturalis hominum. ib.
Quomodo ex libro vitæ deleantur, & non deleantur inscripti. n. 4.

Liberum Arbitrium

Vid. *Arbitrium liberum.*

Linea.

Non sunt actu distincte in continuo; vt nec puncta, superficies, partes. D. 2. q. 4. d. 4. n. 2. &c.

Lingua.

Lingua latina vnde. D. 2. q. 1. d. 1. n. 6.
An nomen Dei habeat à Græco θεὸς. ib.
Quomodo Deus appelletur hebræo nomine. n. 1.
Quomodo Græco. n. 4.
Quomodo Latino. n. 5.
Quomodo Germanico. n. 6 vide *Dei essentia.*
In linguis Radicalibus multæ paronomasiæ à Deo relictæ sunt. ib.

Liquidum.

An cœlum sit solidum, vel liquidum. D. 6. q. 3. d. 2. vide ibi, *Opus II. Diei.*
An cœlum planetarum sit liquidum vide *Astronomia.* num. 21.

Locus

Vide infra *Locus Angelorum.*

Locus Angelorum

Extrinsecus quid. D. 5. q. 1. d. 1. n. 2.
Angelꝰ potest esse, & est aliquo modo in loco. n. 3.
Idque vere, & non solum abusiue. n. 4. & 3. seqq.
Cum addito recte dicitur, Angelum existentem in hoc vniuerso, proprie esse in loco extrinseco, & non tantum improprie, locum late accipiendo, & quomodo. n. 8.
Sed & recte dicitur, Angelus respectu corporis, esse in loco extrinseco solum æquiuocè, seu analogicè. n. 10.
Esse in loco, corporum, & Angelorum quintupliciter differunt inter se. ib. & n. 11.
Angelus non est vbique, sed quisque certo loco & proprio definitur. n. 12.
Esse circumscriptiue in loco quid. n. 14.
Angeli quomodo loco circumscribi dicantur. n. 15. vide *Vis Angelicum.*
Angelus naturaliter nõ potest esse in pluribus locis separatis & dissitis adæquatis. d. 4. n. 2.
Sed nec in talibus inadæquatis. n. 3.
Locus tamen adæquatus Angeli non est punctum indiuisibile; sed locus quantus. n. 7.
Idq; secundum magnitudinem, diuersus, pro diuersitate perfectionis substantialis & naturalis Angeli. n. 8.
Et non solum secundum operationem, quod certum; sed & secundum suam essentiam, intra latitudinem loci adæquati, suo arbitrio potest esse in loco maiori vel minori in infinitum syncategorematice. n. 9.
Nec Angelo repugnat ex parte ipsius esse in solo puncto indiuisibili. n. 12.
Angelus nõ deposcit sibi certam figuram loci, sed per se loquendo, ac intra certos terminos potest quemuis locum cuiuscunque figuræ occupare. n. 14.
Locus communicans, & non communicans quid. D. 5. q. 6. d. 7. n. 6. vide *Motus Angeli.*

Locus Dei

Deus est repletiue in loco, totus in toto, & totus in qualibet parte. n. 9.
An Deus sit in vacuis locis & spatijs, etiam intra illa, si quæ dentur. n. 10.
An possit esse in vacuitate. n. 12.
An sit in loco definitiue, vel circumscriptiue, vel omnino proprie, an tantum improprie. num. 8. vid. Dei immensitas. D. 2. q. 4. d. 3.

Loci Theologici

Quid sint. D. 1. q. 1. d. 1.

Digitized by Google

Generatim triplices, & qui. numero 2.
In specie viginti. numero 3.
Locus proprius Theologiæ est historia Ecclesiastica. n. 5.
Profana, locus externus. ib.
Iurisconsultorum auctoritas item extrinsecus. ib.
Philosophorum auctoritas, seu naturalis ratio, tum probabilis, tum euidens, locus Theologiæ itidem externus. ib.
SS. Patrum auctoritas locus Theologiæ qualis. n. 7.
Summi pontificis auctoritas, qualis locus. q. 4. d. 5. n. 8.
Scriptura qua ratione locus Theologiæ proprius. q. 5. d. 1. n. 6,

Locutio

Angelica

Angeli inter se mutuo loqui, sibique ea locutione manifestare secreta cordium possunt. D. 5. q. 4. d. 3. n. 1. Ratio. n. 2.
De modo locutionis Angelicæ X. sententiæ enumerantur. n. 3. ad 13. vltima vera, & hæc est.
Locutio Angelica non fit aliter, quam per liberam ordinationem, seu directionem secreti ad eũ, cui id ipse Angelus velit facere manifestam. n. 13. & seqq.
Ordinatio illa secretie est tantum conditio; & ipsa interna conceptio mentis Angelo patefacienda est locutio. n. 21.
In locutione Angelica, ex parte loquentis, vniuersim non interuenit excitatio ad audiendũ, distincta ab ipsa relatione occultorum ad alterum. n. 23.
Locutio Angelica est formaliter actus intellectus, & cur. n. 25.
Vnus Angelus potest loqui alteri, non audientibus alijs. n. 26.
Idque in quauis distantia maxima, etiam in infinitum. n. 27.
Vnus item potest loqui simul pluribus, idque sine termino. n. 28.
Angelus etsi facile possit, & regulariter etiam soleat, non tamen absolute ac physice necessario audit alterum loquentem sibi; vt si mentem habeat alibi distractam. n. 29.
Angeli intelligunt eiusmodi secreta sibi per locutionem patefacta, mediante aliqua specie intelligibili, & quomodo. n. 30.
Eodem modo Angelus loquitur inferior superiori, & contra: non item nobis, & quomodo nobis loquantur. n. 31.
Sic etiam nos per ordinationem loqui possumus Angelis. n. 32.

Lucifer.

An supremus Angelus fuerit. D. 5. q. 6. d. 3. n. 16. Qui negent. n. 17.
Inferiores à Lucifero exemplo & suasione inducti ad peccandum. n. 18.
Lucifer non tentat homines immediate per se, sed tantum per suos ministros. d. 7. n. 2. vide *Dæmonum studia.*

Ludouici Molinæ sententiæ examinatæ, & distinctæ.

Rationem formalem sub qua Theologiæ, esse cognoscibilitatem, per habitum supernaturalem. n. 1. q. 3. d. 3. n. 1.
Conclusionem Theologicam non posse immediate per fidem credi. D. 1. q 5. d. 3. n. 2.
Christum non esse causam meritoriam effectuum prædestinationis, qui extra prædestinatum peraguntur. D. 3. q. 4. d. 2. n. 3.
Gratiam congruam & efficacem talem formaliter non esse, nec dici, nisi ab ipso euentu futuræ cooperationis. D. 3. q. 5. d. 1. n. 8.
Deum vnico, eoq; simplicissimo decreto, absque omni prioritate rationis, consummare prædestinationem. D. 3. q. 5. d. 2. n. 4.
Actus salutares prædestinatorum, ante præuisionem cooperationis nostræ, præfinitos quidem esse in gratia congrua, tanquam causa, non tamen in se ipsis. D. 3. q. 5. d. 6. n. 8.
Decretũ permittẽdi peccati primi parẽtis pri⁹ fuisse in Deo prædestinatione tũ nostra, tum etiam Christi. D. 3. q. 5. d. 3. n. 5.
Dari causam totius reprobationis, etiam quo ad omnes suos effectus ex parte ipsius reprobi, saltem adulti. D. 3. q. 7. d. 3. n. 13. Reliqua vide suis locis.

Lumen Gloriæ.

Impossibile est, vllam dari posse naturam intellectualem, cui secundum se lumen gloriæ sit cõnaturale. D. 2. q. 6. d. 3. n. 4.
Non modo vt principali Agenti, sed etiam vt causæ Instrumentariæ. n. 6.
Possunt tamen hæc esse connaturalia intellectui creato, vt principio actum elicienti, non vt subiecto, in quo recipitur. ib.
Ad visionem Dei non sufficit lumen naturale intellectus, nec quodcunq; aliud Dei auxiliũ extrinsecum, vel negatiuum, sed requiritur lumẽ gloriæ. n. 7.
Lumẽ glorię quare nõ augeatur in cœlo. d. 9. n. 18.
Per absolutam Dei potentiam potest esse visio, absque habitu luminis gloriæ. q. 8. d. 4. n. 8. &c. Et quomodo. n. 11.
Intellectus beati vere & physice producit visionẽ Dei. d. 4. n. 3.
Neq; tantum sustentando lumen gloriæ. n. 4.
Sed per virtutem natiuam & partialem efficacitatem, non solum per virtutem obedientialẽ. n. 5.
Ad quid conferatur lumen Gloriæ. n. 6. & seqq.
Beati nõ æqualiter omnes Deũ intuentur. d. 5. n. 1.
Quod de Angelis incertum est. n. 3.
Lumen gloriæ non est instrumentum intellectus; nec intellectus luminis gloriæ. d. 4. n. 6.
Diuersitas illa visionis non se tenet ex parte obiecti primarij per se visi, sed ex parte visionis, etiam circa primarium obiectum. d. 5. n. 3.
Estque accidentalis posita maiore vel minore visionis intensiõe, nõ essentialis seu specifica. n. 4.
Imo specifica non potest esse per absolutam Dei potentiam. n. 5.
Non oritur ex intellectu naturali, præsertim vnius. n. 6. & 4. seqq.
Sed ex meritis diuersis gratiæ, charitate huius vitæ mediate; & immediate ex diuersitate luminis Gloriæ. n. 11.

Digitized by Google

Angelus beatus etsi perfectiori intellectu, pari tamen lumine gloriæ cum homine, cur non possit perfectius *D*eum cognoscere, quam intellectus hominis. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.

Luminare Maius & minus.

Sol & Luna cur sic dicta. D. 6. q. 4. d. 2. n. 9.

Luna.

Phænomena noua lunæ cœlorum soliditati nil officiunt. *D.* 6. q. 3. d. 3. §. 3. n. 30. ad 35. vide *Phænomena.*

Lutheri & Lutheranorum

Errores. *D.* 2. q. 5. d. 1. n. 6. &, D. 3. q. 4. d. 3. n. 5. & 15. D. 4. q. 1. d. 1. n. 4. & 16.

Quam apte vtantur mystico sensu, contra quam doceant. *D.* 1. q. 5. d. 2. numero 10.

Lux.

Vide *Opus primæ diei.*

M.

Macedonianorum.

Arianorum, & Eunomianorum errores. D. 2. q. 2. d. 8. n. 1.

Macula Solares

Non obstant cœlorum soliditati. *D.* 6. q. 3. d. 3. §. 5. n. 68. ad 73. vide *Phænomena.*

Maÿronis.

Error. *D.* 2. q. 6. d. 1. n. 3.

Malum.

Malum qua malũ nec vult, nec velle potest *D*eus, vt nec peccatum formaliter. D. 2. q. 10. d. 1. n. 6. 7.

[illegible] velit permissionem peccati. n. 8.

[illegible]a quomodo Deus cognoscat, q. 11. d. 8.

[illegible]a requisita ad reprobationem positiuam. *D.* 3. [illegible] 7. d. 1. n. 20.

[illegible] cur in hac vita sæpe felices, boni infelices. q. [illegible] d. 2. n. 13.

[illegible] culpæ quomodo cadant sub prouidentiam [illegible]am. *D.* 3. q. 1. d. 2. n. 10.

[illegible]ata *D*eus prædefiniat, saltem secundum rationem Entis. vide *Prædefinitiones diuinæ.*

Malum culpæ non est effectus prędestinationis. D. 3. q. 3. d. 3. n. 3.

Nec actus peccaminosi. ib.

Peccati permissio per se physice non est gratia, sed moraliter. n. 6.

Peccati præscientia quomodo prior illo bono, cuius occasio peccatum. n. 8.

Prædefiniuit etiam *D*eus reproborum actus. q. 7. d. 6. n. 26. & quomodo. n. 27. vide *Dei prædestinatio.*

Peccata non debent dici à *D*eo prouisa, sed præuisa. q. 1. d. 2. n. 11.

Ad prouisionem vniuersalem non pertinet impedire omnes defectus, sed ad particularem. n. 12. plura vide *peccatum. D.* 2. quæst. 10. d. 7. *permissio culpæ. peccatum Angelorum.*

Malum Pœnæ.

Et permissio culpæ quomodo sint effectus prædestinationis. D. 3. q. 3. d. 3. n. 3. vide supra, *Malum culpæ.* Infra, *permissio culpæ.*

Malum pœnæ seu naturæ quomodo velit *D*eus. *D.* 2. q. 10. d. 1. n. 8. vid. *Pœna dæmonum.*

Manetis & Manichæorum.

Errores. *D.* 2. q. 4. d. 3. n. 3. & 11. & q. 5. d. 3. n. 4. &, q. 8. d. 11. n. 1. & D. 3. q. 4. d. 3. n. 4.

Manichæorum.

Et Priscillianistarum error circa existentiã Angelorum. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13.

B. V. Maria.

An Deum in hac vita viderit? *D.* 2. q. 6. d. 1. n. 12. 13.

Theologia eius quoad conclusiones aliquas vere fuit scientia. D. 1. q. 2. d. 3. n. 9.

Pie magis, quam vere quidã dicunt eam item esse causam meritoriam prædestinationis. D. 3. q. 4. d. 2. n. 15.

Mars.

Mercurius. &c. non officiunt cœlorum soliditati. D. 6. q. 3. d. 3. §. 6. n 73. ad 78. vide *Phænomena.*

Massilienſium

Errores. D. 4. q. 1. d. 1. n. 12. &, q. 5. d. 1. n. 5.

Materialia.

Singularia, existentia, præterita, possibilia, quomodo cognoscant Angeli. vide *Obiectum Cog. Ang. nat. resp. rer. mater.*

Materia corporis cœlestis.

Cœlum est corporeum. Errores quorundam circa hoc. D. 6. q. 2. d. 4. n. 2.

Constat materia & forma contra alios. n. 3. Ita Aristoteles. n. 4.

Cœlum Empyreum, sydereũ, & aëreum ex nulla materia præexistente producta sunt, sed ex nihilo à Deo creata. n. 5. 6.

Quinque sententiæ de materia propinqua seu natura cœli, philosophorum & PP. n. 9.

Cœli non constant ex igne, vel aqua elementari, aut vlla materia, seu natura elementari. n. 24.

Sed sunt propriæ cuiusdam ac quintæ essentiæ ab omnibus quatuor elementis diuersæ. n. 24.

Quę sententia non modo non repugnat scripturę, & fidei; sed vtriq; conformis est, contra quosdam. n. 36.

Materia prima.

Quis Deum dixerit materiam primam. D. 2. q. 3. d. 1. n. 14.

Platonici, Pythagorici, Stoici, quos plures imitati hæretici materiam primam Deo coæternã esse docuere erronee. D. 6. q. 1. d. 3. n. 3.

Mathematica.

Osores eius perstringuũtur, & qui vniuersim obseruationibus illius fidem abrogant. D. 6. q. 3. d. 2. n. 7. ad 11. vbi simul laus eius continetur.

Etsi non sine delectu fides obseruationibus adhibenda. n. 11. ad 13.

Id quod bene probant rationes Tychonis. n. 13. ad 24.

Digitized by Google

Obseruationes & hypotheses Mathematicæ; & quomodo discriminentur. n. 24. ad 30.
Obseruationes Tychonis Brache quales. n. 80. ad 90.

Maxima seu Dignitas.

Maximæ Theologicæ dantur. D. 1. q. 5. d. 1. n. 8.

Media Scientia.

In *Deo* datur. Disputat. 2. quæst. 11. d. 6. num. 33.
Quæ præfinitiones eam consequantur, & non antecedant. q. 10. d. 7. n. 17.
Secluſa scientia media, non potest vllum opus liberum à *Deo* prædefiniri. n. 27. vide *Dei scientia* & contra. Et, *scientia.*

Medium.

Ordo finis & mediorum ad se mutuo inter res creatas, & à Deo volitas, an & quis sit. *D.* 2. q. 10. d. 5. n. 3.
Inter media omnia specialia à *Deo* prædefinita est ordo. *D.* 3. q. 5. d. 6. n. 29.
Quoad dispositionem mediorum, Prouidentia Dei semper habet aliquem effectum. q. 1. d. 4. n. 2. 3.
Deus per seipsum immediate prouidet omnibus; gubernat per media. q. 3. d. 3. n. 3.
Varij actus voluntatis diuinæ circa finem & media in prædestinatione. q. 5. d. 3. n. 7. 8.
Quomodo *Deus* cognoscat infallibiliter hoc vel illud ex tali vel tali medio esse probabile. *D.* 2. q. 4. d. 5. n. 12.
Quomodo voluntas in finem & media feratur. D. 3. q. 5. d. 2. n. 10. &, d. 4. n. 41.
Non omnis voluntas efficax finis includit essentialiter media. d. 2. n. 37.
Finis appeti potest sine mediorũ actuali cognitione, non media absq; finis respectu. n. 40. & d. 4. n. 41. vide *Finis. Voluntas finis. Res. Medium. Cog. Ang.* &c. *Modus Cog. Ang.*
Quando cognitio intuitiua aliud medium visionis, quam propriam speciem admittat. D. 2. q. 6. d. 8. n. 16.
Quid sit motꝰ de extremo ad extremum, sine trãsitu per medium. *D.* 5. q. 6. d. 7. & an fieri possit ab Angelo. vide *Motus Angeli. Motus Angelici velocitas.*

Medium Angelicæ Cognitionis.

Angelus non cognoscit omnia immediate per suam substantiam, sed quædam per species intelligibiles essentiæ superadditas. D. 5. q. 3. d. 2. n. 2.
Angelus non accipit vllas species ab obiectis, sed naturaliter sibi habet congenitas omnes illas, quæ naturali intellectioni deseruiunt. n. 5.
Ex probabiliori tamen, species eius non fluunt ab eius essentia, sed sunt ac dicuntur ei connaturales, quia in ipsa creatione sunt eis congenitæ à Deo. n. 8.
Idq; exigente potentia eorum passiua, velut connaturale debitum, libere tamen à *Deo* psoluendum, etiam supposita tam ipsorum Angelorũ, quam cæterarum rerum existentia seu futuritione. n. 8.
Angeli nec omnia per vnam speciem intelligunt. n. 12. 13.
Nec singula per diuersas numero 14.
Sed habent species plures; quarum singulæ distincte repræsentant plura. n. 16.
Quæque eo sunt in quouis Angelo in repræsentãdo vniuersaliores, quo perfectioris naturæ est Angelus. ib.
Angeli non omnia, quæ cognoscunt etiam naturaliter, per species cognoscunt. n. 25. vide plura, *Modus Ang. Cog.*

Mensura Durationis.

Quid ad mensuram *Durationis* requiratur. D. 2. q. 5. d. 2. n. 8. 9.
Quid ad actualem mensuram. ib.
Tempus cur proprie inuoluat mensuram, & non æternitas. n. 10.
Durationes æternæ variæ. n. 13. 14.
Æternitas habet quidem aliqualiter mensuræ rationem improprie; tamen ratio eius intrinseca non consistit in ea ratione mensuræ. n. 8. vide *Dei Æternitas. Duratio.*

Mercurius.

Non obstat cœlorum soliditati. *D.* 6. q. 3. d. 3. §. 6. n. 73. ad 78. vide *Phænomena.*

Meritoria Causa.

Prædestinationis nostræ est Christus, & quomodo. *D.* 3. q. 4. d. 2. n. 1. vide *Christus.* & 3. Causæ.
An etiam sit B. Virgo. n. 15.
Errores hæreticorum circa eandem ex parte prædestinati. d. 3. n. 4. &c.
Scholasticorum Dd. circa eandem variæ sententiæ. q. 4. d. 4.
Vera quænam, falsis refutatis. d. 5.
Quænam sit in homine causa meritoria effectuũ aliquorum prædestinationis. n. 27. vide vbi supra, & *Dei prædestinatio.*

Meritum.

Merita diuersa gratiæ mediate causant diuersitatẽ visionis beatificæ in beatis; vt & charitas huius vitæ. D. 2. q. 8. d. 5. n. 11. vide *lumen gloriæ.*
Impossibile est præscientiam absolutam meritorũ simul esse cum prædestinatione. D. 3. q. 5. d. 2. n. 25.
Voluntas, qua Deus electis vult gloriam per merita, & hæc propter illam, qualis. n. 11.
Quale & quo spectet decretum conferendi gloriam ex præuisis meritis. n. 44.
Quid senserint de prædestinatione facta independenter à meritis veteres Theologi, speciatim S. Augustinus & D. Thomas. d. 3.
Qua voluntate tam reprobis, quam prædestinatis gloriam voluerit Deus ante præuisionem meritorum. d. 4. n. 1.
Non est distinguendũ inter prædestinatos, quosdam dependenter à meritis, quosdam indepẽdenter ab ijsdem prædestinatos. n. 2.
Prædestinauit Deus electos ante præuisionem omnium meritorum. n. 6.
Quamuis potuit post præuisionẽ meritorum pdestinare beatis gloriam. n. 58.
Ordine tamen executionis prædestinauit electos dependenter à meritis. n. 61.

Digitized by Google

Quare ad gratiam non possit distingui voluntas executiua ex præuisis meritis, cum fiat ad gloriam. n. 64.
Non sunt contradictoria decretum conferendi gloriam ex præuisis meritis, & conferre gloriam per modum merentis. d. 5. n. 2.
Gratia sanctificans, eiusque gradus in prædestinatione prius prædefinita, quam meritum. numero 30.
Non tota ratio operis tamen, sed vltimata in decretum diuinum prædefiniens referenda est. n. 37.
Decretum prædestinationis extendit se ad gloriæ gradum essentialem. d. 6. n. 5.

Meritum & status merendi in Angelis.

Angeli aquisiuerunt gratiam propria dispositione, quam in eodem instanti creationis habebant; D. 5. q. 6. d. 1. n. 12.
Vere promeriti sunt beatitudinem. d. 2. n. 1.
Via Angelorum tam bonorum, quam malorum non fuit valde diuturna. n. 2.
Eadem æqualis fuit in vtrisque, hinc eodem instanti bonorum beatitudo, malorum supplicium cœpit. n. 3.
Quot autem & quibus actibus boni gloriam, mali pœnam meruerint, octo sunt sententiæ. n. 4. ad 11. vltima vera, hæc videlicet:
Angeli in gratia creati in primo instanti meruerũt gloriam, & in secundo boni eandem assecuti sunt, mali peccarunt, & in tertio damnati viam clauserunt. n. 11.
Instans Angelicum quid hic. ib.
Probatur. n. 12. & 2. seqq. solutæ obiectiones. n. 15. ad 21.
Citius quam intra spatium vni⁹ diei naturalis ruina diaboli, & bonorum gloria obtigit. n. 21.
Status Angeli boni & mali in tribus consistit. 1. naturalia manserunt integra. 2. impeccabilis factus. 3. in beatitudine essentiali proficere nequit, sed tantum accidentali, idque ad diem iudicij, non vltra. n. 22. plura vide *Via Angelorum.*
De peccato eorum. vide *Via malorum. peccati Ang. qualitas.*

Metaphora.

Deus replet creaturas metaphoricè, & loca. D. 2. q. 4. d. 3. n. 9.
Metaphoris tribus de causis vtitur scriptura, & quæ illæ D. 1. q. 5. d. 2. n. 2.

Metempsychosis.

Seu trãsmigratio animarũ errõea. D. 2. q. 4. d. 2. n. 4.
Qualis Origenis. D. 3. q. 4. d. 3. n. 6.
Qualis Pythagoræ. ib.

Ministeria Angelorum.

Boni Angeli sunt ministri Dei, in procuranda hominum salute, varijs modis. D. 5. q. 6. d. 8. n. 2.
Quandoq; omnes omnium ordinum, si non missione externa, saltem interna, & quid hoc. n. 3.
An ex omni Hierarchia & ordine, aliqui etiam externa missione à Deo immediate ad homines mittantur. Qui affirment. numero 4. Fundamentum eorum. numero 5. 6.
Negant, qui assistentes & ministrantes discriminant, & quomodo. n. 7. horum fundamentum. n. 8.
Negatiua verior. n. 9. Conciliantur. n. 10. obiectio soluta n. 11.
Censura reuelationũ B. Amadei circa Angelos. n. 6.
Omnibus & singulis hominibus ab instanti natiuitatis suus custos assignatur. n. 13. Qui negent. n. 12.
Probatur è scriptura. n. 14. SS. PP. n. 15.
De executione Custodiæ in particulari hæc notanda.
Eam incipere à natiuitate. n. 16.
In morte finiri quoad damnatos & beatos, non item in purgatorio existentes. n 17.
Christum Dominum non habuisse custodes, sed ministros Angelos. n. 18.
Custodem in hac vita nunquam ex toto deserere clientem quantumuis peccatorem, licet remittat exercitium custodiæ. n. 19.
Non inseparabiliter assistere clientibus nisi quoad effectum custodiæ n. 20.
Singulis hominibus etiam successiue viuentibus diuersos adesse custodes. n. 21.
Et ne diuerso quidem respectu eundem pluribus hominibus deputari ad custodiam. q. 1. d. 6. n. 10.
Custodes ordinarie esse ex infimo ordine, extra ordinem etiam ex superioribus. q. 6. d. 8. n. 22.
Custodem XII. modis salutem animi & corporis clientum procurare, & quibus. n. 23.
Non tristari proprie ex malo successu custodiæ, & cur. n. 24.
Probabile est, singulis speciebus perfectis substantiarum corruptibilium singulos custodes esse assignatos. n. 25.
Vt & Regnis, Prouincijs, communitatibus, maxime Ecclesiasticis, & religiosis. n. 26. 27.
Inter Angelos custodes proprie & secundum absolutam voluntatem nullam posse esse discordiam. n. 28.
Sed tantum secundum affectum simplicem, & voluntatem conditionatam. ib.
Actuale ministerium erga hoc vniuersum, & forte etiam quoad nouas Illuminationes, & reuelationes post diem iudicij cessabit. D. 5. q. 1. d. 5. n. 32.

Miraculum.

An vi natiua Angeli possint facere vera miracula. D. 5. q. 5. d. 1. n. 18. Imo solus Deus. n. 19.

Missiones Diuinarum Personarum.

Mittere cõuenit diuinis Personis. D. 4. q. 4. d. 9. n. 1.
Secundum quid sit, & fiat missio. n 2.
Quid ad eam requiratur. n. 4. & 2. seqq.
Quæ Personæ mittantur, & à qua. n. 9.
Ad quos effectus mittantur. n. 13.
Ad quas Personas facta. n. 10.
Cum quibus signis fiat. n. 19.
Est temporalis, non æterna. n. 20.

Modus.

Vbi Angelicum qualis sit modus. D. 5. q. 2. d. 2. n. 6. 7. vide *Vbi Angelicum.*

Digitized by Google

Modus modificatur ab alio modo diuersæ rationis, D. 2. quæst. 3. d. 1. numero 6.
Creatio qualis modus substantialis. D. 6. quæst. 1. d. 1. numero 11. & 12.
Diuinæ prouidentiæ duplex. D. 3. q. 1. d. 3. n. 1.
Duplex item dæmonum, quo homines tentant. D. 5. q. 6. d. 7. n. 10. Vide *dæmonum studia*. vbi plura.
Modi XII. Quibus custodes angeli clientum salutem tam animi quam corporis procurant, d. 8. n. 23. Vide *Ministeria Angelorum*.
Modus locutionis Angelicæ qualis. X. sententiæ circa eundem, quæst. 4. d. 4. numero 3. ad 13 Vltimus verus, & quis ille, numero 13. ad fin. Vide *locutio Angelica*.
Modi singulares, quibus Deus est in creatura rationali, D. 2. q. 4 d. 3. numero 11.
Modus noster notitię, & beatorum diuersus de Deo, & eius attributis, q. 2. d. 5. n. 6. Vide *Dei essentia*.
Modus triplex præfinitionum diuinarum, quæst. 10. d. 8. numero 2.
Modus & tempus productionis aquarum supra & infra Firmamentum. Vide *Aquæ Firmamenti*. D. 6. q. 3. d. 1. numero 52.

Monstra.

Etiam Deus intendit. D. 3. quæst. 1. d. 2. n. 7.
Sub quā Dei prouidentis directionem cadant. n. 5.

Morale Bonum.

An obduratio dæmonum impediat omne bonum morale, tam in actu primo, quam secundo. Qui affirment. D. 5. quæst. 6. d. 5. numero 17. Fundamentum Vasquij, n. 18. Refellitur. n. 19. Qui negent. n. 20. Nostra sententia à n. 20.

Moralis certitudo.

Quotuplex: Disp. 1. quæst. 5. d. 4. numero 2.
Quænam euidens, ibid.

Mors.

In morte finitur custodia Angelica erga clientes damnatos & beatos, non item in purgatorio existentes, D. 5. q. 6. d. 8. n. 17.

Motus

Et tempus cur non potuerint esse ab æterno etiam per absolutam Dei potentiam. Rationes. D. 6. q. 1. d. 3. n 8. ad 11. Vide *Mundus*.
An & quomodo sydera moueantur. q. 4. d. 2. n. 5.

Motus Angeli.

Angeli possunt verè moueri localiter. D. 5. quæst. 6. d. 6. numero primo.
Idque effectiuè à seipsis vi natiua, numero 2.
Probatur è Scriptura. n. 3. SS. PP. n. 4. Ratione, n. 5.
Angelus seipsum per se mouet, & non tantum per accidens, contra Capreolum, n. 6.
Idque motu tum continuo, tum discreto, contra Hybernicum & Arimínensem, numero 7. Soluta obiectio, numero 8.
Existens in puncto indiuisibili moueri potest motu continuo, contra Aristotelem, n. 9.
Quid sit motus localis Angeli, quidue ei superaddat, tres sententiæ, n. 10. & 2. seqq. Argumenta eorum. ibid. Soluta, numero 18.
Omnis motus localis Angeli est mutatio realis & intrinseca in ipso, adeoque acquisitio noui termini realis & intrinseci, n. 13. Ratio. n. 14.
Terminus sic acquisitus non est vnio realis cum corpore, quæ moto etiam corpore simul cum Angelo inuariata permaneat, n. 15.
Sed modus realis intrinsecus vbi localis, qui ad omnem motum localem Angeli variatur, mutata scilicet distantia ad fixas partes mundi, num. 16. Confirmatur vtraque pars, num. 17.
Cur non in omni motu locali Angeli terminus positiuus acquiratur & amittatur, n. 19. Ratio. n. 20. Qui negent, numero 21.
Quid sit motus Angeli de extremo ad extremum sine transitu per medium, d 7. n. 1. & 2. seqq.
Tres de eodem sententiæ, n. 3. & 2. seqq.
Refelluntur, numero 16.
Motu continuo non potest Angelus moueri de loco ad locum siue communicantem, siue non communicantem sine transitu per medium; & explicantur hi termini, numero 6.
Sed neque motu discreto naturaliter potest moueri ab vno loco ad alium dissitum, numero 7. Ratio. numero 8. & 2. seqq.
Potest tamē motu discreto naturaliter se mouere ad locum coniunctum vel contiguum, siue communicantem, siue non communicantem cum priori absque transitu per medium, n. 11. Ratio. n. 12. & 2. seqq. Obiectio soluta, n. 15.
Motus Angeli esse potest velocissimus, tam continuus, quam discretus. D. 5. q. 2. d. 8. n. 2.
Continuus non potest fieri in instanti, sed solum in tempore continuo, numero 4.
Nec vllus motus ab vno loco ad alium excedentem eiusdem spatium adæquatum fieri potest nisi in tempore, numero 5.
Qui negent ib. Auctores nostræ sententiæ, num. 6. Ratio eiusdem, num. 7.
Fundamentū aduersariorū falsū esse ostēditur, n. 8.
Nullus omninò motus Angeli seu continuus, seu discretus, qui fit per medium, fieri potest in instanti, sed solū in tempore, eoq; continuo si continuus, discreto si discretus. Contra quos sit. n 9.
Auctores nostræ sententiæ. ibid. Probatur numero decimo & 2. seqq.
Ne quidem de potentia Dei absoluta, numero 13.
Quomodo fiat quæstio nominis, numero 13.
Motus Angeli discretus, qui fit sine medio, fieri potest in instanti, n. 14. 15. 20.
Duplex ratio Sancti Thomæ. Prima, n. 15. quæ reddit quæstionem nominis, numero 16. altera ad rem pertinet, numero 17.
Discursus S. Thomæ melius confirmatur. num. 18.
Nititur incerto principio, & quo, numero 19.
Probatur n. 20. 21. Solutę obiectiones. n. 23. & seqq.
Velocitas motus continui in vnoquoq; Angelo determinata est, ex probabiliori, breuius aut longi⁹, pro maiore aut minore perfectione angelica, n. 27. Ratio. n. 28. 29. Vide supra *Motus Angeli*.

Moyses.

Deum an in hac vita viderit. D. 2. q. 6. d. 1. n. 12. 13.

Mundus, & eius creatio.

Ex nihilo creatus à solo Deo. Hæreses circa hoc. D. 6. quæst. 1. d. 2. numero 2.

Digitized by Google

Mundus corporeus cœpit, d. 3. numero 1. Error Aristotelis æternum asserentis, numero 2.
Platonicorum, Pythagoricorum, & Stoicorum, quos plures hæretici secuti sunt, materiam Deo coæternam asserentium error, numero 3.
Cœpit cum aliqua duratione creata & intrinseca, numero nono.
An autem de absoluta Dei potentia poterit mundus esse ab æterno, sex sunt sententiæ, numero 5. & seqq. Nostra tria hæc continet:
Impossibile est etiam de absoluta Dei potentia, vt Entia intrinsecè successiua, qualia sunt tempus & motus fuerint ab æterno. Rationes. n. 8. ad 11.
Impossibile etiam est secundum rationem naturalem, vt mundus fuerit ab æterno quoad res permanentes. Rationes. numero 11. ad 27.
Etiam iuxta Sanctos Patres fatendum est, impossibile esse, vt mundus siue quoad res permanentes, siue successiuas, fuerit ab æterno. Rationes. numero 27. ad fin. Vide *ordo & tempus productionis mundi*, vbi plura.
Mundum corporeum, & totum opus Hexaemeron simul ac eodem momento fuisse productum ait Sanctus Augustinus, d. 4. n. 2. & 3. seqq.
Communis sententia Patrum est, opera illa sex dierum successiuè sex diebus diuersis sibi succedentibus fuisse producta, n. 5. ad 10.
Probatur è Scriptura, numero 10.
Contraria refellitur ab absurdis, num. 11. ad 16. argumenta eiusdem soluta, numero 16. ad 20.
Cum initio mundi simul cœpit tempus & Angelicum & rerum corporearum, & quatenus, numero 21. 22.
Mundus die dominico creatus, n. 23. & in vere, mense Martio, numero 26.
Refelluntur aliorum chronologiæ, numero 24. 25.
Angeli si extra mundum non possent dici esse in spatio, benè tamen aliqua creatura corporalis. Disp. 2. quæst. 4. d. 4. numero 10.
Angeli non sunt producti ante mundũ corporeum, contra Patrum nonnullos, Disp. 5. quæst. 1. d. 1. numero 16.
Nec primum post creatum cælum & terram, contra alios, numero 17.
Sed simul, numero 15.
Probatur è Scriptura, num. 18. 19. Sanctis Patribus, n. 20. Concilio Lateranensi, n. 21. Ratione. n. 23. Duplex obiectio soluta, n. 24. & 2. seqq.
Contraria sententia ex cap. *Firmiter*. non rectè conuincitur in fide erronea, numero 22.

Mundi & cælorum interitus

In fine mundi, seu potius immutatio colligitur è Scriptura, D. 6. quæst. 4. d. 5. numero 1. Interitus, numero 2. seu solutio, numero 3.
Mundus in fine seculi non ita peribit, vt nullus sit futurus. Est de Fide, numero 4.
Probabilius est, cælos in fine mundi secundum substantiam non mutatum iri, numero 5.
Nec elementa corrumpentur, sed accidentali mutatione in meliorem statum transferentur, numero 6. Ratio, n. 7. 8.
Cæli & elementa post finem mundi quomodo immutanda, numero 9. ad fin.

Mundi status varij & ætates.

Pro varietate ætatum mundi variè dæmones tentarunt homines, Disput. 5. quæst. 6. d. 7. numero 5. ad 10.
Ratio inæqualitatis. ibidem. Vide *dæmonum studia*, &c.

Mutatio

Quæ realis, quæ moralis, D. 2. q. 5. d. 1. numero 1.
Vtriusque Deus incapax, numero 1. 45.
Deo quomodo tribuatur pœnitentia, & retractatio voluntatis, numero 5.
Potest Deus aliter se habere quoad denominationes extrinsecas absq; sui mutatione, numero 6. Vide *Dei immutabilitas*.
Motus localis Angeli qualis sit mutatio, Disp. 5. q. 6. d. 6. numero 13. 14. Vide *motus Angeli*.

Mysteria Fidei.

Quomodo cognoscant Angeli, & per quam scientiam, Vide *obiectum Ang. cog. resp. obiect. supernat.* Disp. 5. quæst. 3. d. 7.
Item mysteria gratiæ, & SS. Trinitatis mysterium. Vide *Gratia. SS. Trinitas*.

N.

Natura.

In naturæ definitione motus nonnisi obliquè includitur, Disp. 2. q. 1 d. 2. numero 13.
Natura est: est propositio per se nota, ibid.
Naturam esse, demonstrare ridiculum est, ibid.
Natura cælorum. Vide *cælorum numerus*, *materia corporis cælestis*.
Natura Angelorum. Vide *compositio Angelorum*, *existentia Angelorum*.
Impossibile est, vllam dari posse naturam intellectualem, cui secundum se lumen gloriæ, seu visio Dei sit connaturalis, Disputat. 2. quæst. 6. d. 3. numero 4.
Non modo vt principali agenti, sed etiam vt causæ instrumentariæ, numero 6.
Malum naturæ seu pœnæ quomodo velit Deus, q. 10. d. 1. numero 8.

Naturalia Bona.

Naturalium bonorum respectu prædestinatorum duplex consideratio, D. 3. q. 3. d. 2. n. 1.
Quænam ex ijs effectus sint prædestinationis, n. 1. 2.
Bona opera merè naturalia non sunt causa meritoria aliquorum effectuum prædestinationis, q. 4. d. 5. numero primo.
Etsi ex particularibus Dei auxilijs sint profecta, ante gratiam sanctificantem, numero 10.
Cur mali in hac vita sæpe felices, boni infelices, maximè quoad naturalia bona & dona, q. 1. d. 2. numero 13.

Naturalia dæmonum integra.

Angelus per peccatum naturalia non amisit. Disp. 5. q. 6. d. 5. numero primo.
Naturalis cognitio dæmonũ remansit integra, quæ autem, & quarũ rerũ sit, vide *naturalis cognitio*, &c.

Naturalis cognitio.

Cognitio Dei intellectui creato naturalis est, D. 2. quæst. 6. d. 3. numero 4.

Digitized by Google

Scientiæ naturales certiores sunt Theologia opinatiua. q. 2, d. 4. n. 8.
Secundum quid certiores certitudine subiecti seu adhæsionis, quam Theologia simpliciter dicta. n. 6. vide *Scientia*.
Naturalis ratio tum probabilis, tum euidens locus est Theologiæ extrinsecus. D. 1. q. 5. d. 1. numero quinto.

Nauarrus.

Quid de translatione sagarum sentiat, & quomodo Canonem de illis explicet, vide *Sagæ*. D. 5. q. 5. d. 3. n. 10, reijcitur eius explicatio, n. 18.

Necessarium

Duplex est: simpliciter, & in ordine ad finem. D. 1. q. 1. d. 1. numero 4.
Necessarium Ens tribus modis sumitur, D. 2. quæst. 10. d. 6. n. 7.
Angelus & alia id genus Entia natura sua perpetua cur dicantur Entia necessaria, D. 5. q. 1. d 3. n. 34 Contra Scotum. n. 35.

Necessitas

Scientiæ, vel artis inferioris ad superiorem non obest superioris dignitati. D. 1. q. 4. d. 5. n. 11.
Necessitas quædam est in rerum natura, & Dei effectibus. D. 2. q 10. d. 6. n. 1. 2
Radix illius est Deus, numero 4. & seqq.
Quomodo causæ secundæ se ad necessitatem habeant, ibidem.
Necessitas conditionata ex qualibus conditionibus oriatur, q. 11. d. 1. numero 24.
Deus necessitatem quibusdam rebus volitis imponit, d. 6.

Negatio.

Deum perfectius ex parte cognoscentis cognoscimus per modum negationis, seu per attributa negatiua, q. 2. d. 2. numero 8.
Ex parte autem obiecti cogniti perfectius per viam affirmationis, seu attributa affirmatiua, ibid.
Quare simpliciter per affirmationem Deum perfectius cognoscimus, ibid.
Attributum immensitatis Dei formaliter dicit negationem; omnipræsentia autem seu Vbiquitas positiuum quid, q. 4. d. 3. n 11.
Attributum immutabilitatis Dei formaliter est negatiuum, etsi pro fundamento habeat perfectionem Entis necessarij, q. 5. d. 1. n. 6.
Incomprehensibilitas Dei formaliter est negatio, & in quo consistat, quæst. 6. d. 6. numero 8. & 2. seqq.
Deum se comprehendere negatiuè, non positiuè accipiendum, numero 7.
Dei ineffabilitas formaliter est negatio, q. 7. d. 1. numero 2. & seqq.
Dei infinitas itidem. quæst. 4. numero 5.
Simplicitatis attributū formaliter non est perfectio positiua, seu simpliciter simplex, nisi ratione fundamenti, sed solum negatio, quæst. 3. d. 1. numero 16.
Deus est vnus numero negatiuè, non positiuè, d. 3. numero 10.
Quomodo Deus cognoscat negationes, q. 8. d. 8.
Negationes non sunt perfectiones simpliciter simplices, q. 3. d. 2. n. 5.
Ex nihilo, in definitione creationis, non causam formalem, sed ordinem tantum designat, qui dupliciter affirmatiuè scilicet & negatiuè significari potest, & quomodo, D. 6. quæst. 1. d. 1. numero 4. 5. Vide plura, *Ens & Entis passio. Dei Scientia.*

Nomen. Synonyma.

Synonyma non sunt eandem rem significantia, sub diuersis conceptibus, D. 2. q. 2. d. 2. n. 12.
Nominis alicuius significatio vnde sumatur, q. 7. d. 1. n 8. & d 4. n. 3. 4.
Nomen Generis non tribuitur Deo metaphoricè, licet specificè sumptum tribuatur, q. 6. d. 7. n. 8.
Quod sit significatum nominis in actu primo, ib.
Quid actualis significatio nominis, q 7. d. 4. numero 3. 4.
Multa nomina inter se conuertuntur, quæ non sunt synonyma, vel æquipollentia; & qualia, Disp. 3. quæst. 2. d. 1. numero 13.
Quænam nomina in Deo relatiua secundum esse; quæ secundum dici, D. 4. q 3. d. 5.
Decretum prædestinationis quibus afficiatur nominibus in scriptura, D. 3. quæst. 2. d. 1. numero 14. Vide *Nomina diuina.*
Purgatio, illuminatio, perfectio Angelorum, quomodo synonyma. D. 5 q. 4. d. 4. n. 8.

Nomina Diuina.

Nominis Dei notio, & quam variè in varijs linguis appelletur. D. 2. q. 1. d. 1.
Quomodo & vnde Hebræo nomine, n. 1. Græco, n. 4. Latino, n. 5, Germanico, n. 6.
Communis & recepta apud omnes Dei nominis notio, & significatio, n. 7. 8.
Essentia, Existentia quid. Vide *Dei essentia & existentia*, vbi plura.
Nomen Deus pro quo supponat, D. 4. q. 1. d. 6. numero 13. 14.
Nomen Dei *Qui est* triplici ratione consideratur. D. 2. q. 7. d. 5. n. 1.
Dei nomen quod maximè proprium, numero 3.
Tetragrammaton diuersum est a deo, *Qui est*, numero 4. 5.
Viatores nullum habent nomen, nec habere possunt, quod Deum quidditatiuè significet, q. 7. d. 4. numero 6.
Possunt tamen Beati. ibid.
Nominum diuinorum distributio & varietas, d. 1. numero 6. & seqq.
Nomina, quæ de Deo dicuntur substantialiter & ab æterno, d. 2.
Et quæ non sic, sed ex tempore, ibid.
Nomina quæ de Deo & creaturis vniuocè, quæ analogicè prædicentur, quæ item primo, quæ secundo vel de Deo, vel de creaturis dicantur, dubio tertio.
In attributis seu Dei nominibus in quo deficiant abstracta & concreta, quæst. 2. d. 7. numero 2. Vide *Dei ineffabilitas.*

Nomina Filij Dei.

Varia nomina Filij Dei, & eorum ratio, & vsus. D. 4. quæst. 4. d. 2.

Digitized by Google

Quid verbum propriè, n. 6. 12. Vide *Filius Dei.*
Verbum in diuinis quos respect⁹ habeat, & ad quid, numero 18. 19.
Propriè loquendo solus Filius est imago, n. 24.
Et cuius, numero 28.
Non sui, nec Spiritus sancti, numero 26.

Nomina Patris Dei.

Nomina varia Patris Dei & appellationes, & singulorum vis & significatio, D. 4. q. 4. d. 1.
Nomen Patris in Scripturis dupliciter accipitur, numero quinto.
In Deo respectu Filij prius dicitur notionaliter, quam essentialiter respectu creaturarum, numero septimo.
Quid nomen ingeniti, prout Patris, significet, numero 10. 11. Vide *Pater Deus.*

Nomina Spiritus sancti.

Nomen Spiritus sancti duobus modis vsurpatur, D. 4. q. 1. d. 3. numero 21.
Cur non dicatur propriè imago, quæst. 4. dub. 2. numero 27.
Varia nomina & appellationes Spiritus sancti & earum significatio. Vide *Spiritus S.*

Notio in diuinis & actus notionales.

Quid notio in diuinis sit. D. 4 q. 3. d. 5. numero 1.
Quæ ad eam requirantur, numero 2.
Quid actus notionales, numero 3.
Necessario in Deo notio admittenda, numero 5.
Quinque tantum sunt, & quæ, & singularum explicatio, numero 7.
Inter notiones non numerantur origines, n. 11.
Actus notionales seu origines sunt quatuor, n. 13.
Quomodo quatuor processiones etiam distingui possint, numero 14.
Quid actus notionalis materialiter in Deo, quid formaliter, numero 15.
Distinctio notionum, originum, & proprietatum personalium, numero 17.
Comparatio earundem & relationum, n. 20. 21.
Verba actionem significantia de notionibus aut personarum proprietatibus prædicari non possunt, numero 18.
Quæ tamen liceant prædicationes ostenditur, numero 20.
Comparatio originum cum personis & relationibus, numero 21.
Varia item notionū & originum cum relationibus & proprietatibus personalibus, n. 20 21.
Quid identificari adæquatè cum altero in diuinis, numero 25.
Arrianorum, Eunomianorum, Macedonianorum errores, q. 2. d. 8. numero 1.
Notionalia attributa eadem cum relationibus, q. 2. d. 1. numero quarto.
Verba notionalia & participia non possunt absolutè prædicari de relationibus, possunt de personis. D 4 quæst. 3. d. 2, numero 26.
Proprietas personæ quid differat à relatione, seu proprietate notionalium, d. 5. n. 4.

Numerus

Quid. Disp. 2 quæst. 5. d 3. numero 10.
Cui conueniat. ibidem.

Numerus Angelorum.

Certus absolutè & in particulari definiri non potest vllo modo, disp. 5. q. 1. d. 6. numero 2.
Ingens tamen, & secundum humanam æstimationem quasi innumerus, numero 3.
Probatur è Scriptura, & PP. n 4. Ratione. num. 5.
Angelorum etiam bonorum absolutè maior; quam hominum, numero 6.
Probatur è Scriptura, num. 7. Sanctis Patribus, numero 8. Ratione. n. 9. Reuelatione B. Brigittæ. n. 11. obiectio soluta, numero 12.
Idem Angelus ne diuerso quidem respectu ad custodiam pluribus deputatur, numero 10.
Numerus Angelorum probabiliter numerum omnium specierum, quæ in substantijs corporeis cernuntur, & omnium perfectorum individuorum substantiæ corporeæ, saltem simul existentium, & per se, ac ipsa quodammodo rerum natura exigente, inter se diuisorum & distinctorum superat. numero 13. & 5. seqq.
Soluta obiectio, numero 19. & seqq. ad fin.
Numerus Angelorum peccantium & perseuerantium quantus, & hic quidem illo maior; ille incertus. q. 6. d. 3. numero 3.

Numerus cælorum.

Disp. 6. quæst. 4. d. 4. Vide *cælorum numerus.*

Numerus prædestinatorum.

Certus, & quomodo, D. 3. q. 6. d. 1. numero 6.
Quantus, d. 2.
Dupliciter assignari potest, numero 1.
Prædefinitus ex proportione ad vniuersum, & qua limitatione, numero 5. &c.

Numerus reprobatorum.

Certus. Disp. 3. quæst. 7. d. 5. numero 1.
Reproborum absolutè minor, quam electorum, n 3.

O.

Obduratio.

Spectat ad reprobationem, D. 3. quæst. 7. d. 1. n. 20.
Quid sit, d. 2. numero 12. 13.
An in dæmonibus impediat omne bonum morale, tam in actu primo, quam secundo, ibid. à n. 17. ad 24. Vide *obstinatio dæmonum.*

Obex.

Obicis carentia non est causa meritoria prædestinationis aliquorum effectuum, seu opera bona merè naturalia, disp. 3. q. 4. d. 5. numero 1.

Obiectum

Angelicæ cognitionis naturalis, respectu rerum materialium, præsentium, præteritarum, possibilium.

Angeli directè & per se, propriaq; adeo & intuitiua cognitione cognoscunt res materiales singulares existentes, n. 5. q. 3. d. 4. numero 2.
Est contra duos errores Gentilium, & quos, n. 2. 3. Ratio vniuersalis, numero 4.
Angeli non cognoscunt hæc individua materialia, vel per solam præsentiam obiecti sine aliqua specie eiusdem obiecti, numero 5.
Nec per species ab ipsis obiectis acceptas; sed per species sibi ab initio congenitas. n. 5. Ratio, n. 6.

Digitized by Google

Angeli habent ſpecies innatas omnium rerum materialium (abſtrahendo à futuris contingentibus, & occultis cordium) creatarum & creandarum ab initio mundi ad finem. n. 7.
Idque non ſolum quoad genera & ſpecies, ſed etiam quoad indiuidua. ib.
Non ſunt in Angelo ſpecies diſtinctæ, ad repræſentandam exiſtentiam eiuſmodi rerum ſingularium, aut eſſentiam, vel genera, ſpecies, indiuidua earundem. num. 8.
Vel denique ad repræſentandam ſubſtantiam, & accidentia earundem rerum. ibid.
Sed eædem ſpecies tum directè indiuidua eiuſdem ſpeciei, tum ipſas eorundem naturas, gradus, & rationes eſſentiales communes repræſentant. numero 8.
Tum omnia eorundem accidentia, modos, & mutationes: tum denique ſimul & eſſentiam, & cum exiſtunt, etiam exiſtentiam. ib. Ratio. n. 9.
Eiuſmodi ſpecies congenitæ angelo, quamuis numero finitæ, imò etiam vna quæpiam ex illis repræſentare ſucceſſiuè poſſunt infinita ſingularia accidentiũ reipſa quandoq; exiſtentium tam materialium, quàm imaterialium, quæ in ſubſtantijs ſiue corporeis, ſiue incorporeis tyncategorematicè in infinitum multiplicantur, n. 10. 11.
Angeli quique cognoſcere poſſunt eiuſmodi obiecta naturalia præterita, etiam vt præterita. n 12.
Idque non tantum in aliquo ſuo effectu, aut ſigno externo, vel etiam per extrinſecam atteſtationem Dei, vel alterius Angeli, aut hominis, numero 13.
Sed etiam vi naturali intrinſeca, & ex internis principijs, quæ Angeli ipſi in ſe habent, & quibus in actu primo conſtituuntur, vimque naturalem intrinſecam habent ad ea cum voluerint recognoſcenda, num. 13.
Angeli naturaliter ita ſine medio extrinſeco cognoſcere poſſunt præterita, etſi ea iam antea, cum præſentia eſſent, actu non cognouerint numero 14. 15.
Idque non ſolum per ſpeciem alienam; multò minus per ſpeciem de nouo primum acquiſitam ipſius præteritæ cognitionis ſeu viſionis. ibid.
Sed directè & in ſe per ſpeciem ipſius rei præteritæ naturaliter congenitam. ib. contra Suarez & alios. n. 16. Ratio. n. 17.
Angeli ex probabiliori per eaſdem ſpecies à parte rei inuariatas cognoſcunt res præteritas, quibus cognouerant; aut cognoſcere poterant præſentes, mutata ſolum conditione ipſius obiecti. n. 18.
Triplex modus explicandi. ib. & 2. ſeqq.
Angeli non habent ſpecies proprias rerum purè poſſibilium, nec eas etiam adeò in ſe quidditatiuè cognoſcunt. numero 21.
Sed ſolum quatenus in potentia actiua aliquarum rerum productarum continentur, per quas proinde cognoſcuntur velut per medium cognitum, ib. Ratio. num. 22.
Cognitio rerum naturalium exiſtentium per proprias ſpecies eſt intuitiua: non exiſtentium ſeu præteritarum, ſeu merè poſſibilium (quatenus quidem hæ ſub eius cognitionem cadunt) ſolum eſt abſtractiua. n. 23. 24.

Obiectum.

Angelicæ cognitionis naturalis reſpectu rerum immaterialium.

Angelus naturaliter cognoſcit tum ſeipſum, tum alios Angelos ac Deum. D. 5. q. 3. d. 3. n. 1.
Seipſum autem per ſuam ſubſtantiam, & non per ſpeciem ſuperadditam. n. 3. Qui negent. ib. Ratio. n. 4.
Idque ita immediatè, vt ſubſtantia ex parte obiecti immediatè influat & concurrat ad eam cognitionem. n. 5.
Sic etiam cognoſcit naturales ſuas potentias, & proprietates ab eius eſſentia manantes, n. 6.
Species verò intelligibiles, & ipſam ſui cognitionem, vt & cætera accidentia intrinſeca, etſi libera & cotingentia cognoſcit per ſeipſa cum exiſtunt, non per ſuam ſubſtantiam, aut ſpecies impreſſas. ibid.
Quilibet Angelus clarè & perfectè etiam cognoſcit omnes alios, ſed nec per ſuam ſubſtantiam, nec per ſubſtantiam angeli cogniti, nec per ſpecies ab eo impreſſas, ſed per ſpecies ſibi à Deo naturaliter inditas. num. 7.
Cognitio illa, qua quiſque Angelus alterum intelligit, eſt quidditatiua, non comprehenſiua. numero decimo.
Angelus non cognoſcit Deum naturaliter per ipſam Diuinam Eſſentiam, concurrentem per modum ſpeciei intelligibilis. num. 11.
Neque per aliquam Eſſentiæ diuinæ ſpeciem creatam, contra Scotum. n. 12.
Sed naturaliter eum cognoſcit inprimis per ſuam eſſentiam n. 13. 14.
Idque vt per ſimilitudinem ſeu imaginem & medium cognitum. n. 15.
Angelus etiam quiſq; naturaliter Deum cognoſcit ex alijs rebus creatis, tanquã Dei effectibus, adeoque vt per medium cognitum, ac per ſpecies concreatas tum aliorum Angelorum; tum Electorum, aliarumque rerum naturalium. n. 17.
Angelus perfectius cognoſcit Deum per Angelum ſuperiorem perfectione nobilitatis ex parte obiecti, ſeu medij cogniti. n. 18.
Perfectione autem claritatis ex parte actus cognoſcendi perfectius cognoſcit per ſeipſum. ib.
Angeli cognoſcendo Deum per ſuam ſubſtantiam, vna & eadẽ cognitione cognoſcũt ſeipſos & Deũ per ſeipſos, ſiue per ſuam ſubſtantiam. n. 19.

Obiectum.

Angelicæ cognitionis reſpectu obiectorum ſupernaturalium.

Res ſeu effectus ſupernaturales, ſolum quoad productionis modum, naturales quoad ſubſtantiam, poſſunt, cum exiſtunt, naturaliter & intuitiuè ab angelis cognoſci. D. 5. q. 3. d. 7.
Supernaturales autem quoad ſubſtantiam, non poſſunt ab Angelis naturaliter, id eſt, abſque reuelatione diuina certò cognoſci. n. 3.
Idque nec in particulari, nec in genere, neque ſecundum eſſe actuales exiſtentiæ, neque ſecundum Eſſe poſſibile, adeoque nullo modo, & cur. ibidem.

Digitized by Google

Res eiusmodi intrinsecè supernaturales non tantum sunt mysteria fidei increata, sed etiam modi & accidentia quædam creata. n. 4. Qui negent. ib.
Cognoscunt Angeli ea mysteria gratiæ intrinsecè supernaturalia supernaturaliter, & beati visione beatifica. n. 6. Ratio. n. 7.
Omnes etiam Angeli eiusmodi supernaturalia quædam gratiæ seu fidei, præsertim circa incarnationis & Trinitatis mysteria cognouerunt olim statim à principio suæ creationis, etiamnum viatores, per supernaturalem fidei cognitionem. nu. 8.
Probabile est etiam beatos Angelos cognoscere hæc mysteria fidei per scientiam infusam, & quomodo. n. 9.
Sed & facta, ac supposita iam reuelatione, possunt Angeli etiam mali, & animæ separatæ naturaliter, seu viribus naturæ aliqua eiusmodi mysteria cognoscere cognitione abstractiua euidenti, & per species alienas, quæ nitatur experientia, seu euidentia Dei reuelantis. n. 12.

Obiectum Habituum, & aliarum rerum.

Obiectum habituum quid. D. 1. q. 3. d. 1. n. 1.
Quotuplex. n. 1. 2.
Quomodo differat à subiecto. n. 1.
Quid obiectum materiale. ib.
Quid formale, quid totale, quid partiale, quid communitatis. n. 1. 7.
Quid attributionis. ib. & n 5.
Quomodo obiectum adæquatum virtute continere debeat veritates omnes scientiæ. n 5.
Quomodo differant obiectum formale *Quod*, & ratio formalis *Qua* in obiecto materiali. d. 2. n. 1.
Obiecti conditionem & dignitatem cur non sequatur euidentia. q. 4. d. 5. n. 5.
Obiecti ratio sub qua, an differat à ratione Quæ, & Qua, siue propter quam. q. 3. dub. 3.
Obiecti cognitionis duplex officium. D. 2. quæst. 8. d 6. n. 1.
Obiectum potentiæ seu facultatis operatiuæ ad extra dupliciter dicitur. q. 11. d. 3. n. 3.
Obiectum potentiæ effectiuæ duplex. n. 3.
Obiectum adæquatũ omnipotentiæ diuinæ est ens, prout ens & non ens possibile includit. n. 1.
Entia mere fictitia non sunt de obiecto potentiæ diuinæ. n. 4
Sed sola entia positiua realia possibilia. ib.
Quænam non entia per modum termini indirecte, & per accidens effectibilis sint obiectum diuinæ potentiæ, n. 5.
Quomodo peccata ad hoc obiectũ reuocentur. n 6.
Obiectum mobile Angeli. Disp. 5. q. 5 d. 2. Vide ibi, *Subiectum mobile*.
Obiectum prædestinationis quod. D. 3. quæst 2. d. 1. num. 8.
Voluntas Dei quomodo respectu suorum obiectorum partim libera, partim necessaria. D. 2. q. 10 d. 4. n. 5.
Deus necessitatẽ quibusdã rebꝰ volitis imponit. d. 6.
Obiecta diuinæ prouidentiæ & ordo. D. 3. q. 1. d. 3. num. 8.
Quandonam obiectum cognitum est principium *Quo* cognitionis. D 4. q. 4. d. 3. n. 25.
In somno anima expeditur ad spiritualia obiecta, & reuelationes percipiendas. Disp. 2. quæst. 6. d 1 n 11.
Theologiæ communitatis obiectum. D. 1. q. 3. d. 1. num. 3.
Totius Theologiæ obiectum attributionis adæquatum est Deus. n. 7.
Formale *Quo*. d. 2. Et ratio sub qua an differat. d. 3.
Obiectum voluntatis diuinæ. Disp. 2. quæst. 10. d. 1. n. 4. 5.
Obiectum angelicæ cognitionis. Vide paulo supra, ad longum.
Abstractio varia à materia & motu quando conditio obiecti scibilis. D. 1. q 3. d. 3. n. 7. Quando ratio formalis. ib.
Quando intellectus nostri concipiendi ratio vera sit cum obiecto in conceptibus inadæquatis, & abstrahibilibus. D. 2. q. 2. d. 5 n. 12.

Obseruationes, & Hypotheses Mathematicæ.

Quomodo differant. D. 6. q. 3 d. 3 n. 24. ad 30. Et, q. 4. d. 3. n. 7.
Obseruationibus vniuersim fidem abrogantes, osores Mathematicæ censentur. q. 3. d. 2. n. 7. ad 11.
Etsi non sine delectu fides iis adhibenda. num. 11. ad 13.
Quod bene probant rationes Tychonis. num. 13. ad 24.
Obseruationes Tychonis Brahe quales. n. 80. ad 90. Vide *Phænomena*.

Obstinatio Dæmonum, causa eius, & tempus.

Voluntas Angelorum post peccatum ita obstinata est, vt perpetuo oderint Deum, & cur. D. 5. q. 6. d. 5. n. 4.
Probatur è scriptura. ib. SS. PP. n. 5.
Obstinatio Angelorum cœpit post primum instans peccati. n. 6. & seq.
Quæ sit propria & immediata causa obdurationis dæmonum n. 11.
Non inflexibilitas naturæ ibid. nisi de congruo. ib.
Sed decretum Dei ita statuentis, vt post primum instans peccati facultatem non habeant salutaris pœnitentiæ n 12.
Varii modi hoc explicandi. n. 14. 15.
Verus est, id eo fieri, quod Deus dæmonibus post peccatum omnem gratiam tam actualem ad conuersionem peccatoris necessariam, non efficacem modo, sed & sufficientem, quam habitualem negat. n. 16.
An obduratio dæmonum impediat omne bonum morale tam in actu primo, quam secundo. Qui affirmant. n. 17. Fundamentum Vasquii. n. 18. Refellitur. n. 19. Qui negent. n. 20. Nostra sententia quatuor dicit:
I. Dæmones possunt aliquod opus morale, saltem ex obiecto bonum operari, quod tamen aliqua praua circumstantia deprauetur. ib.
II. Non solum male semper operantur, sed etiam omnes actus illorum deliberati reipsa mali sunt. n. 21.

Digitized by Google

III. Et ideo non possunt moraliter loquendo bonum operari. n. 22.
IV. Possunt tamen absolute ac physice loquendo potentia nunquam in actum redigenda bonum aliquod opus morale facere. Ratio. n. 23.
Dæmones peccando nihil amplius demerentur. nu. 25. Vide *voluntas Angeli.*

Oculus.

Dubitauit S. Augustinus, an oculus humanus per potentiam diuinam ad Dei visionem eleuari posset, & recte negatur. D. 2. q. 6. d. 1. n 7.
Oculis cõporeis Deus non potest cognosci de absoluta potentia. ibid.
Idque quocunque sensu. n. 8.
Etsi alterius ordinis oculus creetur à Deo, cuius obiectum sit immateriale. n. 9.

Odium Dei.

Perpetuum post peccatum in Angelis viget. D. 5. q 6. d. 5. n. 4 5.

Omnipotentia Dei.

D. 2. q 11. d. 1. &c. Vide *Dei potentia.*

Omnipræsentia Dei.

D. 2. q. 4. d. 3. Vide *Dei immensitas.*

Operatio.

An Angeli sint per operationem in loco. Vide *vbi Angelicum.* vbi plura. Disp. 5. q. 2. d 3. num. 10. & d. 5. n. 5.

Opificium sex dierum.

Vide *opus I. diei.* & seqq D. 6. q. 2. d. 1. &c.

Opificii sex dierum synopsis.

Vide *Synopsis opificii.* D. 6 in fine. à n. 1. ad 20.

Opinio.

Quid sit. D. 1. q 2. d. 2. n. 1.
Non est de ratione eius actualis formido. n. 2.
Quomodo à fide humana differat. n. 12.

Opinatiuus Habitus.

Theologia in hæreticis est opinatiuus habitus seu fidei humanæ. D. 1. q. 2. d. 2. n. 6. 7. vt & in nonnullis orthodoxis. ib.
Habitus Theologiæ opinatiuæ & quoad substantiam, & quoad modum naturalis est, & acquisitus. q. 4. d. 1. n. 6.

Opinatiua Theologia.

Incertior est scientiis naturalibus. D. 1. quæst. 2. d. 4 num. 8.
Habitus eius tam quoad substantiam, quam quoad modum naturalis est & acquisitus. q. 4. d. 1. n. 6.
Et opinatiuus, seu fidei humanæ in hæreticis & nonnullis orthodoxis Theologis. q. 2. d. 2. n. 6.

Opus I. Diei.

Cœlum, terra, lux.

In principio creauit Deus cœlum & terram, quam varie hæc verba explicentur, & tres sententiæ de tẽpore creationis cœli & terræ. D. 6. q. 2. d. 1. n. 1. ad 8.
Designatur peculiare opus diuinum, ante cætera creationis opera factum I. die. n. 8. 9.
Probabilius cœlum & terra primo instanti primi dici dicuntur creata. n. 10.
Probatur è scriptura. ib. SS PP. n. 11. Ratione. n. 12. Argumenta contraria soluta. n. 13. ad 19.
Cœlum & terra non fuerunt creata eodem instanti cum luce, sed tempore antecedente. n. 19.
Opera sex dierum ex communi PP, quando sint producta. q. 1. d. 4. n. 5. ad 10. contra Augustinum. Plura ex instituto huc spectantia. Vide *cœlum & terra. & ordo & tempus productionis mundi. Mundus.*

Lux.

Eius qualitas, tempus creationis, finis, vsus.

Lux primo die fuit creata. D. 6. q. 2. d. 2. n. 12. & d. 1. n. 19. Vide *cœlum & terra. Opus I. diei.*
Quæ nec solis, nec syderum est proprietas; sed solum accidens commune. q. 4. d. 2. n. 7.
Quando syderibus constanter & immobiliter indita sit. n. 5.
Lux etsi primo die creata sit, non tamen in principio primi diei, sed sex circiter horis tenebrarum post initium primi diei elapsis. q. 2. d. 3. n. 1.
Lux hæc S. Augustino spiritualis fuit. n. 2.
Ex communi SS. PP. & certa, corporalis. n. 3.
Quantitas extensiua & intensiua eius. n. 4.
Lux primigenia non fuit certa aliqua substantia lucida, sed solum accidens lucis seu luminis, nulli subiecto certo constanter inhærens, sed à solo Deo in cœlesti corpore adhuc liquido, seu aquis cœlestibus secundum lineam verticalem ita successiue producta, vt sensim in alia & alia corporis parte perinde produceretur, ac si vnum & idem corpus lucidum motu suo ab occasu in ortum naturalem diem, ac continuam lucis ac tenebrarum successionẽ efficeret. n. 7. 8.
Duæ sententiæ circa idem, omissis aliis, refelluntur. n 9.
Duplex ratio, cur lux ante cætera opera dierum sequentium sit producta. n. 10.
Quomodo lux illa effecerit diem ac noctem. numero 11.
Cœlum & terra non fuerunt eodem instanti creata cum luce, sed tempore antecedente. d. 1. numero 19. Plura huc spectantia. Vide *Cœlum & terra, Opus I. diei.* mox initio. *Opus IV. diei.*

Opus II. Diei.

Firmamentum; quid sit, & quam late pateat. D. 6. q. 3. d. 1. à n. 3.
Firmamenti soliditas II. die elaborata. D. 6. q. 3. d. 1. n. 14.
An Cœlum (intellige sydereum) sit solidum vel liquidum, quatuor sunt sententiæ. d. 2.
I Absolute facit liquidum. n. 3. PP. pro ea. n. 4. ad 14. Rationes. n. 14. 15.
II. Ponit stellas inerrantes seu planetas in æthere velut liquido corpore, libere vagantes. n. 16. PP pro eadem. n. 17. ad 21. Recentiores Astronomi. n. 21.
III. Vult cœlum nec esse ita liquidum, vt aerem, nec ita solidum, vt terram aut crystallum. n. 22. 23.

Digitized by Google

IV. Cœlum omne sydereum tam stellarum errantium, quam inerrantium solidum ponit. nu. 24. PP. pro eadem. n. 25. ad 44. Sequitur nostra.
Cœlum sua natura non est corpus solidum sed liquidum. n. 44.
Probatur è scriptura. n. 46. SS. PP. n. 45. Ratione. num. 47.
Soliditas non est proprietas naturalis substantiæ cœlestis. Causæ variæ. n. 44. & 2. seqq.
Cœlum tamen stellarum inerrantium solidum esse sine temeritate vix nunc quidem negetur. num. 51.
Probatur è Scriptura. ibid. ad num. 58. Soluta obiectio. num. 58. authoritate veterum scriptorum & PP. n. 59. ad 62. Rationibus. nu. 62. ad 66.
Respondetur ad argumenta contrariarum opinionum, maxime primæ. n. 67. ad fin.
An noua phænomena cœlorum soliditati obstent. d. 3. per totum. Vide ibi, *Phænomena noua.*

Opus III. Diei.

Congregatio aquarum, germinatio terræ.

Vtrumque opus III. diei. Ratio conuenientiæ. D. 6. q. 4. d. 1. n. 1.
Quo modo facta sit congregatio aquarum. numero 2. 3.
Modi tres S. Augustini. ib.
Primum cæteris duobus præfert S. Thomas. n. 3.
Secundus improbabilis. n. 4. 5.
Cur Moyses v. 1. terram antea à Deo creatam, postea rursus dicat, *Et vocauit aridam terram.* numero 6.
An quia priore loco nudam materiam primam, posteriore ipsum elementum terræ significare voluit n. 7.
Hoc III. die actu herbæ productæ, non solum virtute. n. 8.
Et plantæ etiam noxiæ hominibus, contra S. Basilium. n. 9.
Terra eodem die produxit herbas virentes, plantas & arbores immediate solum passiue, non actiue. n. 10.

Opus IV. Diei.

Luminaria, seu stellæ in firmamento positæ.

Sydera, an & ex qua materia IV. die producta, & quomodo firmamento, seu cœlis inserta. D. 6. q. 4. d. 2.
Ratio conuenientiæ. n. 1.
Sydera producta ex materia præsuppositâ, non ex nihilo creata. n. 2.
Nec ex materia elementari. sed cœlesti. ib.
Nec quoad formam substantialem, sed tantum accidentalem producta sunt eodem die. numero 3.
Forma autem accidentalis sydorum est lux ipsa, quæ tunc primum sydoribus constanter & immobiliter indita. n. 4.
Alterum accidens est motus difformiter vniformis, ex quo varietas IV. anni temporum, dierum artificialium longitudo, totius anni seu lunaris seu solaris (diuerso respectu) periodus desumpta. num. 5.
Refellitur Vielmius. n. 6.
Vnde sequitur, nec ex cæterorum astrorum, nec solis substantiali forma lucem per modum proprietatis emanare, sed solum velut accidens commune eis competere. n. 7.
Sydera & stellæ IV. die in ipso firmamento producta, eidemque inserta, vt ab ipso & cum ipso circumagerentur. n. 8. etsi q. 2. d. 2. n. 19. V. die cœlis infixa dicantur.
Sol & luna dicuntur luminaria magna, quod cæteris maiora appareant, & efficaciora sint. numero 9.
Quare facta sint sydera. n. 10.
Sydera an sint animata. Vide, *Cœlum animatum*, & à quo damnati asserentes. ib.
Cultum astrorum ecclesia prohibuit. ib.
An ab hominibus incolantur. ib.
Qui terram moueri dixerint, & à quo damnati. d. 3. n. 2. Vide *Cœlorum motus.*
Sydereum cœlum quando productum. quæst. 2. d. 2. num. 3. 4.
Syderei cœli omnes eiusdem sunt essentiæ. q. 4. d. 4. n. 17. Vide *Cœlorum numerus.*

Opus V. & VI. Diei.

Animalium & hominis productio.

D. 6. q. 5. d. 1. num. 1.
Cur inter opera V. & VI. diei numerari soleant reptilia. An quia V. die producta reptilia aquatica, VI. die terrestria. n. 2.
Cur productio aquatilium & auium aquæ tribuatur, & non terræ. nu. 3. Solutæ obiectiones. numero 4. ad 8.
Quomodo homo dicatur factus ad imaginem Dei. num. 8.
In quo hæc ratio imaginis Dei, quam homo habet, consistat. n. 9.
Cæteræ res cur non ad imaginem Dei factæ, sed solum Dei vestigia dicantur. n. 10.
In homine est imago Dei, tam quatenus Deus secundum substantiam vnus, quam quatenus trinus est in personis, & quomodo. n. 11.
Similitudo hominis cum SS. Trinitate vnde colligatur. n. 12.
Ratio similitudinis, ad quam homo factus dicitur, quomodo & quotupliciter distinguatur à ratione imaginis. n. 13.
Omnes homines sunt ad imaginem Dei, & quomodo. n. 14.
Ad similitudinem autem Dei sunt soli iusti. ib.
Opificii V. dierum Synopsis &c. Vide *Synopsis opificii &c.*

Opus Bonum.

Præfinitur in sua causa absque nostro consensu. D. 2. q. 10 d. 7. n. 25.
Opus bonum præfiniri ante præuisionem peccati, & ante cooperationem ipsius efficientis diuersa sunt. D. 3. q. 5. d. 6. n. 42.
Non tota ratio operis in decretum diuinum prædefiniens referenda, sed vltimata. n. 37.

Digitized by Google

Bona opera mere naturalia non sunt causa meritoria prædestinationis aliquorum effectuum. q. 14. d. 5.
Etsi ex specialibus auxiliis profecta ante gratiam sanctificantem. n. 10.
Nec ex gratia profecta. n. 17.
Nec bonus vsus gratiæ, seu cooperatio nostra absolute futura est causa, vel conditio sine qua non ad prædestinationem. n. 20.
De bonis & donis tam naturalibus, quam supernaturalibus, Item, de actibus salutaribus prædestinatorum, & de præuisione meritorum vel non. Vide plura, *Dei prædestinatio. Meritum.*
Opus morale bonum an omne impediat obduratio dæmonum. D. 5. q. 6. d. 5. n. 17. ad 24. Vide ibi, *obstinatio dæmonum.*

Oratio.

Orationes aliorum hominum, præterquam Christi, effectus prædestinationis sunt, non causa. D. 3. q. 4. d. 2. n. 6.
Possunt tamen conducere efficienter ad executionem prædestinationis. n. 19.
Orationes nostras quomodo audiant beati. D. 2. q. 6. d. 9. n. 7. 8.

Ordines & Hierarchiæ Angelorum.

D. 5. q. 1. d. 5. n. 1. 2.
Distinctio eorundem angelorum specifica. numero 27. 28.
Non omnes tamen Angeli sunt eiusdem speciei infimæ, etiam eiusdem ordinis. n. 29.
Distinctio ordinum & hierarchiarum vbi fundamentaliter, vbi complete & formaliter fundetur. num. 31.
An post iudicii diem eadem distinctio cessatura sit. numero 32. Vide *differentia Angelorum.*
An ex omni hierarchia & ordine aliqui etiam externa missione à Deo immediate mittantur. q. 6. d. 8. Vide *hierarchiæ &c.*
IX. Ordines Angelorum fundantur in scriptura. q. 1. d. 5. n. 3.
Discrimen & varietas SS. PP. circa dispositionem eorundem. n. 4.
Iudicium S. Thomæ circa idem. n. 5.
Dispositio ordinum S. Dionysii communior est apud scholasticos, & quæ. n. 6.
An è quouis ordine ceciderint aliqui. q. 6. d. 3. n. 24. Vide *via malorum.*
Officium trinæ hierarchiæ triplex. quæst. 1. d. 5. num. 8.
Interna missione quomodo omnes nobis ministrent. q. 6. d 8. n. 3.
Interna & externa missio quid. ib.
Custodes ordinarie sunt ex infimo ordine, extra ordinem etiam ex superioribus. n. 22.
Ministrantium & assistentium discrimen. n. 7. 8. Vide plura, *ministeria Angelorum.*
Cur Seraphim ante Cherubim locentur. q. 1. d. 5. num. 7.
Cur nomina Seraphim & Thronorum malis Angelis non tribuantur. quæst. 6. dub. 3. numero 25.

Ordo.

Prioritatis in electione hominum nullus est, sed omnes simul sunt electi. D. 3. q. 5. d. 9. n. 2.
Quo ordine electi sint homines, vt complerent ruinas Angelorum. d 8. n. 12.
Diuersi diuersorum Dd. ordines quoad actus concurrentes in prædestinatione. d. 10. n. 1. & seqq.
Ordo secundum nostram sententiam quis. n. 11. 14.
Ordo & progressus cum synopsi totius prædestinationis in fine.
Ordo executionis licet in hominibus imperfectus sit, Deo tamen sine imperfectione tribuitur. d. 2. num. 41.
Inter media omnia specialia à Deo prædefinita est ordo. d. 6. n 29
Ordine executionis electos Deus prædestinauit dependenter à meritis. d. 4. n. 61.
Ordo & distinctio prioritatis actuum voluntatis in Deo, secundum nostrum modum concipiendi, quibus homini vult gloriam. d. 2. n. 27.
Quis ordo ille. n. 28.
Voluntas, qua Deus electis vult gloriam per merita, & merita propter gloriam, quomodo in se distincta cum ordine prioritatis, licet vna sit. n. 11.
Idem dicendum de prædestinatione seu electione ad gloriam. ib.
Ordo & processus totius reprobationis. q. 7. d. 4. n. 11
Ordo finis & mediorum ad se mutuo inter res creatas, & à Deo volitas an & quis. D. 2. q. 10. d. 5 num. 3.
Ordo signorum in voluntate diuina secundum rationem distinguitur, in quibus hoc prius, illud quasi posterius voluisse videtur. n. 4.
Ordo scientiarum in Deo. q. 11. d. 9. n. 2. & seqq.
Vnde sumatur. n. 3.
Ordo in personis diuinis quis, & quomodo nominetur. D. 4. q. 1. d. 8. n. 8.
An ordinem vniuersi immutare queant Angeli. D. 5 q. 5. d. 6. n. 1. ad 6. Vide *potestas Angelorum.*
An & quando personæ diuinæ inter se similes æquales, id est, in essentia, atque in se mutuo existentes saluo ordine originis. D. 4. q. 1. d. 8. per totum.
Prædestinatio fieri potuit cum ordine independentiæ ad diuersos gloriæ gradus simul cum præuisione peccati. D. 3. q. 5. d. 5. n. 69.

Ordo & tempus productionis mundi.

Mundum corporeum & totum opus hexaemeron simul ac eodem momento fuisse productum ait S. Augustinus. Disput. 6. quæst. 1. d. 4. num. 2. & 3. seqq.
Communis PP. est, opera illa sex dierum successiue, siue sex diebus diuersis sibi succedentibus fuisse producta. n. 5. ad 16.
Probatur è scriptura. n. 10.
Contraria refellitur ab absurdis. n. 11. ad 16. Argumenta eius soluta. n. 16. ad 20.
Cum initio mundi simul cœpit tempus & Angelica, & rerum corporearū, & quatenus. n. 21. 22
Mundus die dominico est creatus. n. 23.
Et in vere, mense Martio. n. 26.
Refelluntur aliorum chronologiæ. num. 24. 25. Vide *mundus.*

Origenes.

Eius error de animatis cœlis seu saltem astris damnatus à II. synodo Constantinopolitana, dicta V. generali. D. 6. q. 2. d. 5. n. 15.

Alter, circa firmamenti aquas supra & infra, per quas male bonos & malos angelos intellexit. q. 3. d. 1. n. 17.

Tertius, circa damnatorum & beatorum metempsychosin. D. 3. q. 4. d. 3. n. 6.

Origines.

Non numerantur inter notiones. Disp. 4. quæst. 3. d. 5. n. 11.

Et sunt quatuor. n. 13.

Distinctio originum, notionum & proprietatum personalium. n. 17.

Comparatio originum cum personis & relationib⁹. q. 3. d. 5. n. 21.

Item notionum & originum cum relationibus & proprietatibus personalibus. num. 21. Vide *Notio.*

P.

Paradisus.

QValis conditio in Paradiso respectu posterorum Adami fuisset, & an adhuc supersit. D. 6. q. 5. d. 2. n. 15. ad fin.

Paranomasia.

Multæ paranomasiæ in linguis radicalibus à Deo relictæ. D. 2. q. 1. d. 1. n. 6.

Pars.

An dentur partes actu in continuo. Vide *Continuum.* D. 2. q. 4. d. 2. n. 23. &c. quid prisci Philosophi de hoc senserint. D. 1. q. 4. d. 2. n. 26.

Participia.

Et verba notionalia non possunt absolute prædicari de relationibus, possunt de personis. D. 4. q. 3. d. 2. n. 26.

Particula.

Exclusiuæ particulæ in scripturis quomodo explicandæ. D. 4. q. 1. d. 4. n. 13.

Paruuli.

Non habent causam actiuam prædestinationis. D. 3. q. 4. d. 3. n. 3.

Paruulorum reprobationis causa diuersa ratione explicanda est, quam adultorum & angelorum. q. 7. d. 1. n. 35.

Passio Christi.

Quomodo fuerit prædestinata D. 3. q. 5. d. 5. n. 73.

Eadem cum incarnatione non est effectus prædestinationis. q. 3. d. 1. n. 5.

Saltem particularis huius vel illius, sed potius generalis prouidentiæ. ib.

Pater Deus & Paternitas.

Pater est Deus & persona diuina. Disp. 4. q. 1. d. 3. n. 10. &c.

Pater an constituatur intelligens Verbo. q. 2. d. 4. num. 8.

Paternitas an prior generatione, an posterior. q. 3. d. 6. n. 28.

Distinctio personæ patris ab aliis vnde primario sumatur. n. 33.

Quid constituat personam patris. n. 34. 36. & quomodo. ib.

Paternitas vt sic formaliter relatiuum est. n. 35.

Patris varia nomina & appellationes, & singulorum vis & significatio. q. 4. d. 1.

Nomen patris in scripturis dupliciter accipitur. num. 5.

In Deo respectu filii prius dicitur notionaliter, quam essentialiter respectu creaturarum. n. 7.

Quid nomen ingeniti, prout patris significet. n. 10. 11.

An possit dici, pater intelligit verbo. d. 2. n. 33.

Patri per se conuenit spirare. d. 7. n. 15.

Paternitas & spiratio actiua an sint dicendæ duæ relationes à parte rei. q. 3. d. 1. n. 13.

Spiritus S. quomodo procedat à patre & filio; ac per filium. q. 4. d. 5.

In quibus distinguatur à patre & filio. d. 6. n. 10.

Pater & filius sunt vnum principium spiritus sancti. d. 7. n. 2.

Licet recte dicantur duo spirantes. ibidem.

SS. *Patrum* auctoritas.

A priori per se non est infallibile fidei argumentum. D. 1. q. 5. d. 1. n. 10.

Est tamen à posteriori. n. 9.

Est locus Theologiæ. n. 7.

Quomodo intelligendi præsertim Græci, dum Deum videri posse negant. Disp. 2. quæst. 6. d. 1. num. 6. 7.

PP. Græci & Latini quid senserint de compositione Angelorum; & an corporeos asseruerint. D. 5. q. 1. d. 2. num. 20. 21. Vide *Compositio Angelorum.* Obiectiones ex iisdem pro corporeitate Angelorum petitæ solutæ. n. 22. & 5. seqq.

PP. Græci aliqui cur negarint spiritum S. procedere ex Filio. D. 4. q. 4. d. 5. n. 23.

PP. Græcis, qui in materia prædestinationis S. Augustino contrarii esse videntur, quomodo respondendum. D. 3. q. 5. d. 5. n. 7. &c.

PP. nonnullorum error circa existentiam Angelorum. D. 5. q. 1. d. 1. n. 16.

Quare scriptura & PP. prædestinationem subinde per actum voluntatis explicent. Disp. 3. q. 2. d. 2. n. 17. 18. 20.

S. *Paulus.*

An Deum in hac vita viderit. Disp. 2. quæst. 6. d. 1. n. 12. 13.

Quomodo essentiam Dei cognouerit. d. 2. num. 18. & d. 3. n. 13.

Paulus V.

Damnauit asserentes terram, non cœlos moueri. D. 6. q. 4. d. 3. n. 6.

Peccatum. Peccator.

Quomodo beati in Deo videant. Disp. 2. q. 6. d. 3 num. 11.

Peccata Deus nullo modo prædefinit. quæst. 10. d. 7. n. 6.

Nisi secundum actum entis. n. 7.

Digitized by Google

Non tamen simpliciter dicendum Deum actus malos prædefinire. n. 17.
Hæ tamen præfinitiones scientiam mediam nostræ liberæ cooperationis consequuntur, non antecedunt. n. 17.
Opus autem peccati nec in se, nec in sua causa, sed tantum concomitante prædefinitione præfinitur. n. 18.
Opus peccaminosum antecedenter ad nostrum consensum prædefiniri potest. n. 20.
Peccata non debent dici à Deo prouisa, sed præuisa. D. 3. q. 1. d. 2. n. 11.
Peccati præscientia quomodo prior illo bono, cuius occasio peccatum. q. 3. d. 3. n. 8.
Peccati permissio quid sit. n. 7.
Peccatum formaliter nec vult, nec velle potest Deus. D. 2. q. 10. d. 1. n. 6. 7.
Etsi velit permissionem peccati. n. 8.
Peccator quantumuis magnus nunquam ex toto deseritur à custode suo, licet exercitium custodiæ remittat D. 5. q. 6. d. 8. n. 19.
An ad diuersa peccata diuersi dæmones instigent, incertum; quod vnus & idem probabile. d. 7. num. 11.
Peccata quomodo ad obiectum diuinæ potentiæ reuocentur. D. 2. q. 11 d 3. n. 6.
Ante omne præuisum cuiuscunque peccatum electi sunt homines. D. 3. q. 5. d. 8 n. 5. 9.
Imo ante voluntatem permittendi peccatum Adami. n 9.
Nec necesse est dicere, quoad existendi consequentiam aliter esse factum. n. 11.
Dæmones peccando nihil amplius demerentur. D. 5 q. 6. d. 2. n. 22.
Dæmon quatenus omnium peccatorum auctor, quatenus non. D. 5. q. 6. d. 7 n. 19. Vide plura *obstinatio dæmonum.* D. 5. q. 6. d. 5. *Malum culpæ. Peccati Angelici qualitas. Præfinitiones diuinæ. Via malorum, & peccatum.*

Peccati Angelici qualitas.

Primum peccatum Angelorum & speciale fuit superbia. D. 5. q. 6. d. 4. n. 2.
Probatur è scriptura. n. 3. SS. PP. n. 4. Ratione. n. 5. Soluta obiectio. n. 6.
Possunt in Angelis esse omnia peccata secundum reatum culpæ & pœnæ per consensum & complacentiam voluntatis. n. 7.
Non tamen proprie & formaliter secundum proprium actum. ib.
Etsi vt sic etiam quædam alia, præter superbiam & inuidiam esse possint. n. 8. Ratio omnium. nu. 9. Soluta obiectio. n. 10.
Peccatum eorum superbiæ consistit quidem in affectata aliqua cum Deo similitudine. n. 11. 12.
Specialis autem ratio superbiæ incerta; etsi credibiliter duplex fuerit, appetitus scilicet inordinatus beatitudinis naturalis, seu supernaturalis; & vnionis hypostaticæ n. 11. 13.
Quatuor sententiæ circa hoc ipsum. numero 14. ad 24.
Quarta verior. n. 24. in his consistit:
Voluit Angelus beatitudinem seu naturalem seu supernaturalem propriis viribus adipisci & quomodo. n. 22. 23.
Potuit Angelus variis modis n. 24. relatis superbe efferri, & peccare, nec incredibile vno pluribusue sic peccasse, sed non primario, at secundario. num. 25.
Angelus viator, præter superbiam, plura peccata commisit, & qualia: etsi omnia nata sint è superbiæ peccato. n. 26.
Peccatum Angeli ex suo genere grauissimum fuit, & cur. n. 27.
Quæ de peccato primi Angeli hactenus dicta, cum proportione de peccatis aliorum accipienda. n. 28. ad fin. Vide *via malorum.*
Dæmones omnium peccatorum & tentationum mediate & remote sunt auctores, & quid hoc: non autem directe & immediate. d. 7. n. 19.
Peccantium Angelorum numerus incertus, etsi perseuerantium multo maior. d. 3. n. 23. Vide *obstinatio dæmonum.*
Quilibet Angelus natura sua peccare potuit &
Quidam reipsa peccarunt, & quidem suasione & exemplo Luciferi seducti. Hæc omnia. Vide *via malorum.* plura *via bonorum. Peccatum.*

Pelagii, & Pelagianorum.

Errores. D. 3. q. 4 d. 3. n. 8.

Perfectio, perfectum.

Qualis perfectio debeat esse attributum diuinum. D. 2. q. 2. d. 1. n. 3.
Perfectum quid. q. 3. d. 2. n. 1.
Perfectiones simpliciter simplices quæ. n. 3. 4. Vide *Dei perfectio.*
Relationes non sunt tales, nisi forte in maxima confuse considerata. n. 4. 5.
Subsistentia diuina quatenus talis, quatenus non. D 4. q. 1. d. 6. n. 12.
Neque tales sunt perfectiones, negationes, priuationes, denominationes extrinsecæ, entia rationis. D. 2. q. 3. d. 2. n. 5.
Quænam autem tales perfectiones, discurre per singulas perfectiones diuinas, inchoando, *Dei Aeternitas*, & sic deinceps.
Personales relationes non sunt perfectiones simpliciter simplices. D. 4. q. 1. d. 4. n. 6.
An infinitum, & perfectiones simpliciter simplices distingui possint. D. 2. q. 4. d. 1. n 4.
Perfectiones diuinæ quæ & quatenus creaturis communicabiles. quæ & quatenus non. Vide per singulas incipiendo, *Dei Aeternitas* & deinceps.
Ibidem singulas perfectiones diuinas poteris discutere.

Permissio culpæ.

Quatenus est effectus prædestinationis, per se physice non est gratia, sed moraliter. D. 3. q. 3. d. 3. num. 6.
Quomodo autem permissio culpæ, & mala pœnæ sint effectus prædestinationis. Vide d. 3.
Et non sit itidem malum culpæ. n. 3.

Digitized by Google

Ad prouisionem vniuersalem non pertinet impedire omnes defectus. q. 1. d. 2. n. 12.
Quomodo mala culpæ sub diuinam prouidentiam cadant. n. 10.
Peccati permissio quid. q. 3. d. 3. n. 7.
Deus vult permissionem peccati. quæst. 10. d. 1. num. 8.
Ante voluntatem permittendi peccatum Adami electi sunt homines. quæst. 5. d. 8. num. 9. Vide *peccatum.*

Perseuerantia.

Perseuerantium Angelorum maior numerus, quam peccantium. D. 5. q. 6. d. 3. n. 23.
Prædestinatis reipsa DEVS congruam gratiam ad perseuerandum prædestinat. D. 3. quæst. 5. d. 6. n. 4.
Non tamen ideo reprobis incongruam. d. 1. n. 38. & d. 5. n. 31.

Persona.

Vnde dicta, & quid significet. Disput. 4. quæst. 1. d. 1. num. 6. 8. Vide infra, *personæ diuinæ & subsistentia.*
Cur ad intra persona sola agat, vel terminet, visionem tamen sola terminare non possit. D. 2. q. 6. d. 6. n. 6. 7.
Personarum acceptor in prædestinatione cur Deus nequeat dici. Disp 3. q. 3. d. 3. n. 30.

Personæ diuinæ.

Nihil distinguendum inter proprium & formale constitutiuum & distinctiuum personæ. D. 4. q. 3. d. 6 n. 13.
Omnium personarum quomodo eadem proportionaliter ratio. n. 14.
Quibus constituantur & distinguantur. num. 15. & 26.
Et quomodo. n. 22. 26.
Constitutio personæ diuinæ ex essentia & proprietate personali rectius dicitur realis. n. 31.
Personis diuinis quomodo nomen principii commune. q. 4. d. 1. n. 4.
Nomen *initii* non est tribuendum personis diuinis. num. 14.
Personis diuinis conuenit *non dicere*, & quid per illud hic intelligatur. d. 2. n. 13.
Diuina persona ab æterno dicitur donum, licet in tempore detur. d. 4. n. 16.
Verba notionalia & participia non possunt absolute prædicari de relationibus, possunt de personis. q. 3. d. 2. n. 26.
Personarum, originum & relationum comparatio. d. 5. n. 21.
Personalium proprietatum cum notionibus & originibus varia comparatio. num. 20. 21. Vide *notio.*
Personarum proprietates sunt quatuor. n. 16.
In SS. Trinitate personæ diuinæ tres, & quæ. q. 1. d. 3. per totum. præsertim. n. 28. 39.
Personæ hæ à seipsis mutuo reipsa & realiter distinguuntur. n. 41.
Trinitas quid Deo addat, & dualitas, ac pluralitas. num. 42.
Trinitati personarum creare commune est secundum essentiam reduplicatiue, specificatiue etiam singulis quoad propriam personalitatem. D. 6. q. 1. d. 2. n. 1. Vide *SS. Trinitas. Processiones person. diuin.*
Verba actionem significantia non possunt de notionibus aut personarum proprietatibus prædicari. D. 4. q. 3. d. 5. n. 18.
Quæ tamen liceant prædicationes ostenditur. numero 20.
An esset visio beatifica, si videretur Dei essentia sine personis. D. 2. q. 6. d. 7. n. 6.
Quatenus dentur relationes reales inter personas diuinas. Vide *relationes diuinæ &c.*
Quando personæ nomen omnibus personis commune, & quando de singulis prædicetur. D. 4. q. 1. d. 1. n. 5.
Personæ nomen in diuinis, siue generatim, siue particulatim loquamur, quid significet. numero 2. &c.
Personæ nomen ad personas seu diuinas, seu creatas est quid analogicum. n. 9.
Quomodo se habeant diuinæ personæ ad essentiam & attributa essentialia secundum rem ipsam. d. 7. n 1. 6.
Quomodo secundum modum prædicandi. numero 8. &c.
Quomodo de personis & essentia & attributis inter se comparatis loquendum, ib.
Quomodo de iis, quæ pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo. ib.
An & quando personæ diuinæ inter se similes, æquales, id est, in essentia atque se mutuo existentes, saluo ordine originis. dub. 8. per totum.
Quis ordo in personis diuinis, & quomodo nominetur. n. 8.
Quid in personis diuinis circuminsessio. n. 15. & 3. seqq.
Tribus personis creare commune est secundum essentiam reduplicatiue, specificatiue etiam singulis quoad propriam personalitatem. D. 6. q. 1. d. 2. n. 1. Vide *subsistentia diuina.* Missiones diuin. person. Processiones. proprietates.

Petitio principii.

Quomodo cum vnum attributum per aliud demonstratur, non idem per idem probetur, seu synonymia comittatur. D. 2. q. 2. d. 4. n. 12. Vide *attributa diuina. Synonymia. Nomen.*

Petri Abaillardi.

Error. Disp. 2. quæst. 11. d. 4. num. 1. & q. 6. d. 1. num. 3.

Phænomena noua.

An obstent cœlorum soliditati. Disput. 6. quæst. 3 d. 3. n. 1.
Recensentur aliquot. n. 2. ad 7.
Obseruationibus nouis vniuersim fides non abroganda n. 7. ad 11.
Etsi non sine delectu fides iis adhibenda. num. 11. ad 13.

Digitized by Google

Quod bene probant rationes Tychonis. num. 13. ad 24.
Quale discrimen inter obseruationes & hypotheses Mathematicas. n. 24. ad 30.
Respondetur ad phænomena noua supra à n. 2. ad 7. obiecta. Et primo.
De luna. §. 3. n. 30. ad 35.
De Cometis & nouis stellis. §. 4. numero 35. ad 63.
De maculis solaribus. §. 5. n. 68. ad 73.
De Mercurio, Venere, Marte. §. 6. num. 73. ad 78.
Obseruationes Tychonis censentur, numero 80. ad 90.
De stipatoribus Iouis & Saturni. §. 7. numero 90 ad fin.

Philosophus.

Philosophorum auctoritas locus externus Theologiæ. D. 1 q. 5. d. 1. n. 5.
Philosophi antiqui qui Deum negarint. D. 2. q. 1. d. 4. n. 1.
Qui errarint circa Dei simplicitatem. quæst. 3. d. 1. num. 14.
Opiniones eorum de infinitate primi principii. q. 4. d. 1. n. 1.
Quid senserint de punctis, lineis, superficiebus, partibus in continuo. d. 2. n. 26.
Quid de Dei immensitate. d. 3. n. 3. 4.
Res quam variis modis à Philosophis & scriptura æternæ dicantur. q. 5. d. 2. n. 13.
Errores circa prouidentiam Dei eorundem. D. 3. q. 1. d. 2. n. 6. & d. 3. n. 2.
Circa Angelorum existentiam seu creationem. D. 5. q. 1. d. 1. n. 14.
Circa cognitionem Angelicam naturalem rerum materialium, gentilium &c. error duplex. q. 3. d. 4. n. 2. 3.
An Trismegistus & Plato mysterium SS. Trinitatis agnouerint. Disput. 4. quæst. 1. dub. 2. numero 14.
Alios eorum errores. Vide *Errores.*

Planetarum Cœli.

An liquidi vt asserunt. D. 6. q. 2. d. 2. n 21. Recentiores astronomi. Vide *opus II. diei.* Firmamenti soliditas.

Planta & vegetatiua.

Cur non intelligant. Disput. 2. quæst. 8. dub. 1. num. 5.
Plantæ etiam noxiæ hominibus quando productæ, contra S. Basilium. D. 6. q. 4. d. 1. n. 8. & 2. seqq. Vide *opus III. diei.*

Plato.

An cum Trismegisto mysterium SS. Trinitatis agnouerit. D. 4. q. 1. d. 1. n. 14.

Platonici.

Cum Stoicis & Pythagoricis, quos plures hæretici secuti, materiam Deo coæternam falso asseruere. D. 6. q. 1. d. 3. n. 3.

Pluralitas.

Quomodo differat ab vnitate, & quid illi addat. D. 4. q. 1. d. 3. n. 43.
Quid addat Deo. n. 42.
Quomodo impediat, & non impediat vnitatem. D. 2. q. 5. d. 3. n. 12.
An Angelus possit esse in pluribus locis naturaliter non diffitis & separatis adæquatis. D. 5. quæst. 2. d. 4. n. 2.
Sed nec in talibus inadæquatis. n. 3.
Qui negent. ibid. Probatur. num. 4. Conciliantur nobiscum. num. 5. Ratio. num. 6. Vide *Locus Angeli.*
Quomodo loquendum de iis, quæ pertinent ad vnitatem & pluralitatem in Deo. D. 4 q. 1. d. 7. num. 8. &c.

Pœna.

Proprie nonnisi post præuisionem peccati præfinitur. D. 2. q. 10. d. 7. n. 18.
Pœna sensus & damni. Vide *Pœna dæmonum.* D. 5 q. 6. d. 6. n. 2.
Pœna alligationis quid, & cur proprie non conueniat dæmonibus aereis. ibid. num. 5. & 22. Vbi plura.
Malum pœnæ seu naturæ quomodo velit Deus. D. 2. q. 10. d. 1. n. 8.

Pœna dæmonum.

Angeli damnati patiuntur nunc æternam pœnam sensus & damni. Disput. 5. quæst. 6. d. 6. num. 2.
Torquentur ab igne vero corporeo ac sensibili. numero 3.
Error quorundam circa hoc. n. 4.
Dæmones vt & animæ damnatæ torquentur ab igne infernali saltem per alligationem, & quid hoc. n. 5.
An præter alligationem dæmones ab igne crucientur alio modo. Qui negent. n. 6.
Affirmatiua verior. n. 7.
Quatuor modi explicandi reiecti. ibidem & 3. seqq.
Verior hic est, dæmones ab igne vt anima corpori iuncta affliguntur. n. 11.
Ignis alio etiam modo torquet dæmones & animas separatas, quam per alligationem, aut solum obiectiue. n. 12.
Probatur è scriptura, ibid. SS. PP. num. 13. Ratione. n. 14.
Non tamen necessario dæmones & animæ separatæ ab igne torquentur effectiue per actionem ignis physicam, ab intentionali actione distinctam, & quid hoc. n. 15.
Probabilissimum est, ignem velut instrumentum Dei physice torquere dæmones & animas separatas, non solum obiectiue. à n. 16.
Dæmones æque ac animæ damnatæ pœnam ignis (per modum adustionis modo explicato) patiuntur vbique, & mox passi sunt ab instanti suæ damnationis. n. 21. 22.
Licet dæmones aerei per alligationem proprie nondum puniantur. n. 22.
Probatur è scriptura, numero 23. SS. PP. numero 24.
Dæmones maiorem partem pœnas dictas in inferno damnatorum patiuntur. n. 25.

Digitized by Google

Non tamen omnes, sed multi dum liberi in terris vagantur n. 26.
Nulli dæmones probabiliter perpetuo inferno sunt alligati, excepto lucifero n. 27.
Dæmones non sunt capaces veræ delectationis, sed tantum phantasticæ & affectatæ. n. 28.
Quot & quibus actibus mali pœnam meruerint. Vide *via Angelorum. Via malorum.*

Pœnitentia.

Quomodo vna cum retractatione voluntatis Deo tribuatur. D. 2. q. 5. d. 1. n. 5.
Pœnitentię diuinitus capaces sunt dæmones. D. 5. q. 4. d. 2. n. 3.
An etiam naturaliter? Verius est, Angeli voluntatem non esse natura sua ita inflexilem, quin id, quod semel perfecta libertate & deliberatione elegit aut voluit, absolute possit mutata voluntate nolle, adeoque pœnitere. n. 5.
Probatur auctoritate SS. PP. n. 6. 7. Ratione. numero 9.
Angeli tamen voluntas semel ad malum libere determinata nonnisi difficulter admodum sua natura in bonum flecti potest. n. 10.

Pontifex summus.

Pontificis minor est auctoritas, quam scripturæ D. 1. q. 4. d. 5. n. 8. Vide *Concilia.*

Possibilia.

Possibiles Dei effectus quid sint. Disp. 2. quæst. 8. d. 3. n. 11.
Quomodo Deus velit entia mere possibilia. q. 10. d. 1. n. 6.
Quod habeant esse. ib.
Rerum possibilium pure nullæ species in Angelis. D. 5 q. 3. d. 4. n. 21.
Quomodo cognoscat Deus creaturas possibiles. D. 2. q. 8 d. 4.
Ens possibile spectat ad obiectum adæquatum potentiæ diuinæ. q. 11. d. 3. n. 1.
Ens possibile vnde dicatur, vnde, ens impossibile. num. 7.
Quæ Deus non possit facere. n. 7. Vide plura *Dei potentia.*
Bonitas Dei est finis volitionis Deo creaturarum etiam mere possibilium. quæst. 10. dub. 5. numero 2.

Posteri Adami.

Num in iustitia confirmati, si Adam non peccasset. D. 6. q. 5. d. 2. n. 11.
Num in scientia perfecti. n. 12.
Num omnes pares quoad animi & corporis dotes num. 13.
Qualis diuersitas quoad animam. n. 14.
Qualis conditio loci seu paradisi, in quo tum homines victuri essent, & an paradisus etiam-num supersit. numero 15. ad fin. Vide *hominis conditio.*

Potentia actiua, vel operatiua.

Dupliciter considerari potest. Disp. 2. quæst. 11. d. 5. num. 7.
Potentiæ seu facultatis operatiuæ ad extra duplex consideratio. D. 1. q. 11. d. 3. n. 3.

Potentia locomotiua Angelorum.

Est in Angelis potentia quædam naturalis operatiua ad extra, qua saltem corpora localiter mouere possunt. Disput. 5. quæst. 5. d. 1. num. 3.
Probatur è scriptura. numero 4. & 2. seqq. Ratione. num. 7.
Et est reipsa distincta à potentia naturali Angeli, qua seipsum mouet. n. 8.
Eadem à substantia Angeli non minus re differt, quam intellectus & voluntas. n. 9. 10. Qui negent. n. 11. Probatur. n. 12.
Angelus non potest agere in distans, adeoque nec immediate mouere corpus, nisi cui secundum substantiam præsens est. num. 13. Qui negent. num. 14.
Probatur ab auctoritate. n. 15. Ratione. n. 16. Soluta obiectio. n. 17.
Angeli virtute naturali non possunt facere vera miracula. n. 18. sed solus Deus. n. 19.

Potentia productiua substantiæ vel qualitatis Angelica.

Non est in Angelis potentia immediate, aut per se productiua vllius substantiæ. Disp. 5. quæst. 5. d. 4 n. 1.
Probatur auctoritate conciliorum. num. 2. Ratione num. 3.
Nec per se possunt etiam vllum accidens producere. num. 4.
Nec vllam qualitatem materialem sensibilem intentionalem. n. 5.
Nec ad extra vllum accidens præter vbi seu motum localem, eiusue impetum. n. 6.
Possunt tamen applicatione agentium naturalium in rebus naturalibus efficere, quicquid per easdem causas naturales effici potest, & quomodo. num. 7.

Potentia Dei.

Vide *Dei potentia.* D. 2. q. 11. d. 1.

Potestas Angelorum circa hoc vniuersum.

Non potest Angelus substantialem statum huius vniuersi destruere: aut vniuersalem seu essentialem rerum naturalium ordinem immutare. Exempla. Disp. 5 q. 5. d. 6. n. 1. 2. Ratio. num. 3. ad 6.
Potest tamen naturaliter sensuum etiam externorum sensationem varie impedire, ipsosque sensus ludificare. n. 7.
Non tamen positis omnibus requisitis. numero 9. 10.
Non potest dæmon facere, vt ignis stramen non comburat &c. positis omnibus ponendis, sed tantum ab extrinseco, & quomodo. num. 11. & seqq. ad fin.

Practicum.

Practicus habitus vnde sumatur. Disp. 1. quæst. 4. dub. 3. numero 4. in quo consistat. numero 1. 2.

Digitized by Google

Practicum & speculatiuum non sunt essentiales differentiæ habituum. ib.
Practicæ scientiæ quæ & vnde. n. 1. 2. 5.
Practica quando. n. 4. requisita ad eam. n. 1. 2.
Non potest fieri cognitio eadem ex speculatiua successiue practica. n. 5.
Ideæ diuinæ ad practicam scientiam pertinent. Vide *Dei Ideæ*. D. 2. q. 9. d. 1. n. 9. 10.
Practica Dei scientia, quomodo differat à scientia, vt est causa rerum. Disput. 3. quæst. 11. d. 10. num. 17.
Theologia quando speculatiua, quando practica. Vide *Theologia*. D. 1. q. 4. d. 3.

Prædeterminare.

Prædeterminare, destinare, & huiusmodi quid significent. D. 2. q. 10. d. 7. n. 1. 2.
An peccata Deus prædefiniat. Vide Dei *Voluntas. Peccatum. Præfinitiones diuinæ.*

Prædestinatio.

Quantum ad essentiam, & rationem suam.

Eius nominis notio; & quid vocula *Præ* ibidem significet. D. 3. q. 2. d. 1. n. 3. 4.
Quis absolutus prædestinationis conceptus. q. 2. d. 1. n. 12.
Prædestinationis decretum quibus nominibus afficiatur in scriptura. q. 2. d. 1. n. 14.
Actus varii intellectus & voluntatis, partim ad prædestinationem prærequisiti, partim ab ea comprehensi. q. 2. d. 2. n. 2. & seq.
Non consistit in actu imperii. d. 2. n. 5.
Nec in scientia visionis. ibid. n. 9.
Sed in scientia approbationis, adeoque actu intellectus; consignificante actum voluntatis in obliquo. n. 12.
Quare nihilominus scriptura & Patres subinde prædestinationem per actum voluntatis explicent. d. 2. n. 17. 18. 20.
Definitio eiusdem. n. 23. & 26.
Quomodo prædestinatio se habeat ad præscientiam, ab eaque distinguatur. q. 2. d. 3. n. 2.
Prædestinatio nostro modo concipiendi supponit dilectionem & electionem; hæc dilectionem. d. 3. n. 5.
Qualis pars prouidentiæ prædestinatio. n. 14.
Prædestinationis & prouidentiæ discrimen. q. 3. d. 2. n. 6.
Quomodo prædestinatio se habeat ad librum vitæ. q. 2. d. 4. n. 1. & seqq. Vid. *Liber vitæ.*

Prædestinationis terminus, seu obiectum Quod, eiusdemque effectus.

Quid his nominibus in genere significetur. D. 3. q. 2. d. 1.
Quatuor requisita ad effectus prædestinationis. D. 3. q. 3. d. 1. n. 4.
Christi incarnatio & passio &c. in genere spectata, non sunt effectus prædestinationis, saltem particularis, huius vel illius; sed potius generalis prouidentiæ. q. 3. d. 1. n. 5.
Omnia dona & bona supernaturalia prædestinati, sunt effectus prædestinationis. d. 1. n. 6. & seq.
Datur in adultis prædestinatis peculiaris gratia, velut prædestinationis effectus, & quæ. d. 2. n. 13.
Omnia quæ conducunt prædestinato efficaciter ad salutem reipsa consequendam, effectus sunt prædestinationis. ibid.
Itaque & bona quædam naturalia sunt effectus prædestinationis. d. 2. n. 1. & 2.
Imo etiam mala pœnæ, & permissio culpæ, non tamen ipsa culpa, aut actus peccaminosus, effectus sunt prædestinationis. d. 3. n. 3.

Prædestinationis Causæ.

An & quænam sit finalis causa totius prædestinationis, quoad suos effectus. D. 3. q. 4. d. 1. n. 4.
Qua ratione ex ipso fine prædestinationis, reddi possit ratio eiusdem, tum in genere, tum in specie. ibid. n. 6. & 10.
Non vero, cur hic potius sit prædestinatus, quam ille; hoc enim sine acceptione personarum, Deus suo arbitratu decernit. ib. n. 10. & 30.
Causa meritoria totius prædestinationis est Christus q. 4. d. 2. Vide *Christus.*
Nullus homo purus potest esse causa meritoria omnium effectuum prædestinationis alterius hominis, saltem de potentia Dei ordinaria. ib. n. 13.
Nec ipsius prædestinationis quoad absolutum decretum dandi gloriam. ib. n. 15.
Orationes aliorum hominum, præterquam Christi, sunt effectus prædestinationis, non causa. n. 16.
Possunt tamen homines suis meritis & precibus cõducere efficienter ad executionem prædestinationis. n. 19.
Causa efficiens, & materialis (siue subiectum prædestinationis) quænam. q. 4. d. 3. n. 1.
In paruulis nulla est causa actiua prædestinationis, quoad vllum effectum. ibid. n. 3.
Quænam contra varias hæreses certa sint, circa causam meritoriam prædestinationis, ex parte prædestinati. q. 4. d. 3.
Quid scholastici nonnulli de prædestinationis causa, ex parte prædestinati senserint. q. 4. d. 4.
Quænam sit vera sententia de causa prædestinationis, ex parte prædestinati; & refutatio præcedentium. q. 4. d. 5.
Causa prædestinationis, ex parte prædestinati, non est carentia obicis, vel bona opera mere naturalia. ibid. n. 1.
Quamuis ex particularibus Dei auxiliis profecta sint, ante gratiam sanctificantem. n. 10.
Causa etiam non sunt bona opera ex gratia profecta. n. 17.
Neque bonus vsus gratiæ, & cooperatio nostra absolute futura, est causa, vel conditio sine qua non, respectu totius prædestinationis. n. 20.
Imo ex parte prædestinati, nulla penitus datur causa vel conditio sine qua non, respectu totius prædestinationis. n. 22.
Datur tamen in homine causa meritoria aliquorum effectuum prædestinationis, adeoq; ipsius prædestinationis, ex parte aliquorum effectuum. n. 27.

Prædestinationis ordo ac progressus in mente diuina.

Deus antecedẽte plane voluntate, ac singulari amo-

re, saluandis prædestinat peculiarem quandam gratiam congruam, electorũ propriã. D. 3. q. 5. d. 1
Est in mente diuina, secundum rationem nostram, aliquis ordo prioritatis inter prædestinationem ac præuisionem meritorum, seu mediorum in particulari, & inter electionem ad gloriam, aliosue actus, quibus Deus saluandis vult gloriam. q. 5. d. 2.
Varii actus voluntatis diuinæ circa finem & media, in prædestinatione considerandi. ib. n. 7. & 8.
Voluntas, qua Deus electis vult gloriam per merita, & merita propter gloriam, qua ratione distinguatur, cum ordine prioritatis, licet vna sit. n. 11.
Impossibile est, præscientiam absolutam meritorum simul esse cum prædestinatione. n. 25.
Quisnam sit ordo prioritatis actuum voluntatis in Deo, secundum nostrum modum concipiendi, quibus homini vult gloriam. n. 27. & 28.
Duplex voluntas efficax in Deo nobis conferendi gloriam, & qualis. n. 32. & 34.
Ordo intentionis & executionis, in ipso etiam Deo sine imperfectione distinguitur. n. 41.
Habet quidem Deus voluntatem conferendi gloriã ex præuisis meritis; sed quæ ad ipsam prædestinationem non pertinet. n. 44.
Quid de prædestinatione seu electione ad gloriam ante præuisionem meritorum seu mediorum, senserint veteres Theologi, speciatim S. Augustinus, & S. Thomas. q. 5. d. 3.
Vera quidem, sed simplici voluntate, tam reprobis, quam prædestinatis gloriam voluit Deus ante præuisionem meritorum. d. 4. n. 1.
Non est distinguendum inter prædestinatos quosdam sine præuisis meritis, & alios, post præuisa merita. ibid. n. 2.
Deus pariter omnes saluandos prædestinauit ante præuisionem meritorum. n. 6.
Quamuis absolute potuit, etiam post præuisionem meritorum eosdem prædestinare n. 58.
Sed & ordine executionis prædestinauit Deus electos dependenter à meritis. n. 61.
Cur respectu gratiæ non possit distingui voluntas executiua ex præuisis meritis, sicut respectu gloriæ. n. 64.
Qualis fuerit prima illa voluntas prædestinationis, in genere, & in specie, erga singulos electos. n. 66.
Quomodo Deo tribui possit in aliquo rationis signo, voluntas indeterminata. n. 70.
Non sunt contradictoria, decretum conferendi gloriam sine præuisis meritis, & conferre gloriam per modũ præmii, siue propter merita. ibid. d. 5. n. 2.
Deus ita definit rem faciendam ab æterno, vt in tempore facit, quomodo intelligendum. n. 3.
Quid ad SS. Patres Græcos, qui contra S. Augustinũ in materia prædestinationis videntur locuti, respondendum. n. 7. & seq.
Quomodo volũtas diuinæ electionis ad gloriã, quãuis sit antecedens, non tamen sit inefficax. n. 15.
Quomodo cũ electione gratuita aliquorũ, stet seria voluntas Dei, qua omnes vult saluos esse. n. 29.
Quomodo non obstante gratuita prædestinatione ad gloriam, nihilominus tam pauci electi. n. 30.
Qua ratione Deus serio hortetur ad vitã æternã procurandam, etsi non omnes sint electi. n. 34. & seq.
Quomodo Deus prædefiniens bona opera electorũ etiam in particulari, non prædefiniat tepiditatem nostram. n. 53.
Sententia hæc de gratuita prędestinatione, non tantum ad desperationem non adigit, sed potius spẽ nostram solide roborat. n. 57.
Quantum eadem sententia differat à Caluinistarum errore & impietate. n. 65.
Fieri potuit prædestinatio ad diuersos gloriæ gradꝰ, ordine quodam independentiæ, siue consequentiæ, simul cum præuisione peccati. n. 69.
Potuisset Deus durante statu innocentiæ, ad eundẽ gradum gloriæ prædestinatum perducere, ad quem nunc deducitur post lapsum Adami. n. 70.
Non ideo Passio Christi fuit prædestinata ante permissionem peccati, licet prædestinatio hominum eandem permissionem præcesserit. n. 73.
Solutio illius dilemmatis: Vel sum prædestinatus; vel non sum. &c. n. 56. & 62. & q. 7. d. 5. n. 11.
Cæterarum obiectionum solutio aduersus gratuitã prædestinationem ad gloriam. q. 5. d. 5. per totũ.
Non tantum ipsam gloriam, aut gratiam, sed & certum gloriæ & gratiæ gradum Deus prædestinauit ante præuisionem liberæ cooperationis nostræ. D. 3. q. 5. d. 6. n. 1. & seq.
Sed & omnes actus salutares prædestinatorum, ẽt in particulari, tam in se, quam in sua causa prædestinauit ac prædefiniuit Deus, ante præuisionem cooperationis nostræ. ib. n. 7. & seq.
Eos tamen actus, qui peccatũ necessario supponunt, nõ præfiniuit Deus ante præscientiã peccati. n. 27
An etiam & qualis sit ordo inter ipsa media salutis nostræ à Deo prædefinita. n. 29.
Gratia sanctificans, eiusque gradus, prius est prædefinitus, quam meritum. n. 30.
Non tota ratio bonarum actionum nostrarum, sed vltimata, in decretum diuinum prædefiniens est referenda. n. 37.
Omnes particulæ corporũ electorũ prædefinitæ sunt ante præuisionẽ cursus rerũ, & quomodo. n. 41.
Aliud est opus bonũ prædefiniri ante præuisionem cooperationis nostræ, aliud ante cooperationem nostram. n. 42. (d. 8. n. 5. 9.
Ante omne peccatũ præuisum electi sunt homines.
Imo ante voluntatẽ permittẽdi peccatũ Adami. n. 9.
Neque necessarium est dicere, quoad existendi consequentiam aliter esse factum. n. 11.
Quo ordine electi sint homines, vt complerent ruinas Angelorum. n. 12.
Quomodo intelligendum, vnum accipere locum & coronam alterius, sine prædestinationis incommodo. n. 13.
Omnes homines, imo & Angeli, electi sunt simul, sine vllo ordine prioritatis. d. 9. n. 2. & seq.
Diuersi diuersorum Doctorum ordines ac series signorum, quoad actus concurrentes ad prædestinationem. d. 10. n. 1. & seq.
Ordo verior secundũ nostram sententiam. n. 11. 14.

Prædestinationis certitudo & infallibilitas saluo libero arbitrio.

Prædestinatio quomodo certa sit, & immutabilis. D. 3. q. 6. d. 1. n 1. & seq. (n 5. 6.
Certus prædestinatorum numerus, & quomodo. ib.

Digitized by Google

An & quomodo aliquis alterius coronam accipere possit. n. 16.
Numerus prædestinatorum prædefinitus est ex proportione ad vniuersum; quæ tamen non consistit in indiuisibili. d. 2. n. 5. & seq.
Multo pauciores homines prædestinati; & quare. d. 2. n. 9.
Quantus absolute sit prædestinatorum numerus. d. 2.
Prædestinatus potest damnari, triplicem habet sensum. d. 3. n 7.
An & quomodo prædestinatio sit in nostra potestate; vel certe cum libero arbitrio consentiens. cit. q. 6. d. 3.
Nemo sine speciali Dei reuelatione certus esse potest de sua prædestinatione. d. 4. n. 1. & seq.
Prædestinationis quænam sint signa, & quotuplicia. Ibidem n. 12.
Constans religiosi status obseruantia, admodum probabile prædestinationis signum. ib.
Prædestinatio gratuita tam ad gratiam, quam ad gloriam, quos fructus veræ pietatis in animo producat. q. 7. in fine n. 25.
Anchora animæ Deum timentis, & in profundo diuinæ prædestinationis pelago secure nauigantis. ibidem.
Synopsis & progressus totius prædestinationis, simul & reprobationis. ibid.

Prædeterminatio.

Quid prædeterminare. D. 2. q. 10. d 7. n. 12.
Prædeterminatio physica diuina non est necessaria ad vllam operationem creatam, seu liberam, seu necessariam. D. 2. q. 11. d. 1. n. 6.
In actibus autem peccaminosis, qui moralem malitiam adiunctam habent, non est possibilis. n. 14.
Repugnat libero arbitrio. n. 19.
Quo sensu tamen admitti possit, causam secundam à prima, seu actione primæ causæ moueri, determinari, applicari. num. 27. Vide *prædefinitiones diuinæ.*

Prædicamentum.

Creatio seu vt actio, seu vt passio spectetur, non est in prædicamento, nec verum accidens. D. 6. q. 1. d. 1. n. 14. 15. Ratio S. Thomæ refellitur n. 16. 17. Rationes nostræ. n. 18.
Formaliter tamen est fundamentum relationis prædicamentalis, & quatenus. n. 13.
Deus non est in prædicamento. D. 2. q 3. d. 1. n. 9.
Prædicamentale accidens non habet locum in Deo sed prædicabile, & quomodo secundum nostrum modum concipiendi. n. 11.
Vtriusque discrimen. ib.

Prædicata.

Propria de Deo. Vide *Dei essentia.* D. 2. q. 1. d. 1.

Prædicationes attributorum diuinorum.

Vide *attributorum diuinorum prædicationes. Propositio.* D. 2. q. 2. d. 7.

Prædicationes in diuinis.

Variæ. D. 4. q. 3. d. 6. n. 1. & q. 8. d. 8. n. 4. 7. 8. 12. 21.
Prædicationum regulæ. D. 4. q. 1. d. 7. Vide *Attributa diuina. Propositio.*

Præfinitiones diuinæ.

Nulla præfinitio sequitur futuritionem absolutam rei præfinitæ. D. 2. q. 10. d. 7. n. 24.
Tres præfinitionum diuinarum modi. dub. 8. numero 2.
Præfinitio efficax per modum conditionati aut generalis decreti non impedit libertatem. numero 3.
Res & effectus naturales antecedente respectu nostræ libertatis præfiniuntur. d. 7. n. 25.
Voluntas hypothetica ad futuram determinationem nostram non impedit libertatem. d. 8. num. 3.
Neq; præfinitio antecedentium in vocatione congrua. n. 4.
Quomodo arbitrii creati libertas cum præfinitionibus diuinis consistat. n. 15. ad fin.
Prædefinire, prædeterminare, destinare &c. huiusmodi quid significent per se. d. 7. n. 1. 2.
Deus peccata, seu mala culpæ nullo modo præfinit, aut decernit. n. 6.
Quamuis omnem actum qua ens reale prædefiniat. num. 7.
Non tamen simpliciter dicendum, Deum actus malos prædefinire. n. 13.
Hæ tamen præfinitiones scientiam mediam nostræ liberę cooperationis consequuntur, & non antecedunt. n. 17.
Opus autem peccati nec prædefinitur in se, nec in sua causa, sed solum concomitante prædefinitione. n. 18.
Pœna quoque proprie nonnisi post præuisionem peccati præfinitur. ib.
Opus tamen peccaminosum antecedenter ad nostrum consensum prædefiniri potest. n. 20.
Opus bonum præfinitur in sua causa absque nostro consensu. n. 25.
Secluſa scientia media non potest vllum opus liberum à Deo prædefiniri. n. 27.
Quare præfinitio intrinseca Deo non impediat vsum liberi arbitrii creati, impediat autem præfinitio physica in actione ipsius creaturæ. d. 6. num. 26.
Prædefiniuit Deus etiam reproborum actus. D. 3. q. 5. d. 6. n. 26.
Qui actus tamen prædefiniti non fuerunt ante præscientiam peccati. n. 27.
Deus ita definit rem faciendam ab æterno, vt in tempore facit, quomodo intelligendum. d. 5. num. 3.
Quomodo Deus prædefiniens bona opera electorum in particulari, non prædefiniat tepiditatem nostram. n. 53.
Inter media omnia specialia à Deo prædefinita est ordo. d. 6 n. 29.
Gratia sanctificans eiusque gradus in prædestinatione prius prædefinita, quam meritum. num. 30.
Non tota ratio operis tamen in decretum prædefiniens diuinum referenda, sed vltimata. numero 37.

Digitized by Google

Omnes particulæ corporum electorum prædefinitæ ante præuisionem cursus rerum, & quomodo. num. 41.
Aliud est opus bonum prædefiniri ante præuisionem peccati, aliud ante cooperationem efficientis. n. 42.
Numerus prædestinatorum prædefinitus ex proportione ad vniuersum, & qua limitatione. q. 6. d. 2. n 5. & 2. seqq.
Qui actus prædefiniti non fuerint ante præscientiam peccati. D. 3. q. 5. d. 8. n. 9 ad 12.

Præmium.

Præmii voluntas quomodo possit esse gratuita. D. 3. q 5. d. 4. n. 69.

Præscientia.

Quid significet. D. 3. q. 2. d. 1. n. 13. & d. 3. n. 12.
Quomodo comparetur & distinguatur ad prædestinationem. d. 3. n 2.
Præscientia Dei quomodo concordet cum libero arbitrio. D. 2. q. 11. d. 11.
Præscientia peccati quomodo prior illo bono, cuius occasio peccatum. D. 3 q. 3. d. 3. n. 8.
Præscientiam absolutam meritorum impossibile est esse simul cum prædestinatione, & cur. q. 5. d. 2. n. 25.
Scientia approbationis vel amicitiæ quare in Deo dicatur absolute præscientia. d. 5. n. 4.
Actus prædestinatorum salutares, & certus gloriæ gradus non fuerunt prædestinata ante præscientiam conditionatam liberæ cooperationis nostræ. d. 6. n. 1.
Decretum prædestinationis extendit se ad gloriæ gradum tam essentialem, quo actus prædestinati salutares, sed ante omnem præuisionem cooperationis nostræ. n. 7. 9.
Etiam in sua causa fuerunt à Deo prædestinati. numero 8. 9.
Quam accidentalem, ad hunc tamen nonnisi ante absolutam præuisionem peccati. n. 4.
Quomodo Deus non prædefinierit reproborum actus ante præscientiam peccati. n. 27. Vide plura *Præfinitiones diuinæ, Prædestinatio.*

Præsentia Angeli.

Seu vbi angelicum quid. Vide *Locus Angeli, vbi Angelicum, motus Angeli.* vbi ad longum.

Præsentia Dei.

Vide *Dei immensitas.* D. 2. q. 4. d. 3.

Præterita.

Quomodo cognoscant Angeli. D. 5. q. 3. d. 4. n. 14. &c. Vide *obiectum Ang. cog.* vt supra.
Species præteritorum angelicæ quales. ib. & seqq.

Præuisio.

Vide *Prædestinatio. Præscientia. Electio.*

Principium.

Theologicum quid, Disp. 1. quæst. 3 d. 2. n. 15. & q. 5. d. 1. n. 2.
Conclusio Theologica, quomodo possit esse principium Theologicum q 5 d. 3. n. 5. 6.
Habitus primorum principiorum dignitate cedit Theologiæ. q 4. d. 5. n. 5.
Quatenus etiam fidem diuinam comprehendat. d. 3. n. 11.
Quid significet *in principio* in creatione cæli & terræ. D. 6. q. 2. d. 1.
Variæ explicationes. n. 1. ad 8.
Nostra. n. 8. ad fin. Vide *cælum & terra.*

Principium in diuinis.

Personis diuinis quomodo nomen principii commune. D. 4. q. 4 d. 1. n. 4.
Philosophorum antiquorum opiniones de infinitate primi principii. D. 2. q. 4. d. 1. n. 1. Vide plura, *Pater. Filius. Spiritus S.*

Prioritatis ordo.

In electione hominum nullus est, sed omnes simul electi. D. 3. q. 5. d. 9. n. 2.
Ordo & distinctio prioritatis actuum in Deo, secundum nostrum concipiendi modum, quibus homini vult gloriam. d. 2. n. 27.
Quis ordo ille. n. 28.
Voluntas qua Deus electis vult gloriam per merita, & hæc propter illam, quomodo in se distincta cum ordine prioritatis, licet vna sit. n. 11.
Idem est de electione ad gloriam. ib.
Ordo signorum in voluntate diuina secundum rationem distinguitur, in quibus hoc prius, illud quasi posterius voluisse videtur. numero 4. Vide Ordo.

Priscillianista.

Eorum error. D. 2. q. 3. d. 1. n. 14.
Circa Angelorum creationem, & vna Manichæorum. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13.

Priuationes.

Negationes, entia rationis, denominationes extrinsecæ non sunt perfectiones simpliciter simplices. D. 2. q. 3. d. 2. n. 5.
Vt nec relationes, nisi in maxima forte confuse considerata. n. 4. 5. Vide *Perfectio. Dei essentia. Dei potentia.* & perfectiones diuinas partim absolutas, partim negatiuas.

Processiones personarum diuinarum.

Est alia processio in diuinis, quam verbi generatio. D. 4. q. 2. d. 8. n. 1.
Eaque secundum voluntatem. n. 2.
Neque est generatio. n. 3.
Sed recte dicitur spiratio, vel absolute processio. num. 4.
Quare processio amoris in diuinis non dicatur generatio. n. 11.
An, quales & quot in Deo processiones personarum, siue ad intra. d. 1.
Quomodo quatuor processiones etiam distingui possint, vt Origines. quæst. 3. dub. 5. num. 14. Vide *Origines.*

Processus & series.

Totius prædestinationis. D. 3. in fine.
Totius reprobationis. q. 7. d. 4. n. 11.

Digitized by Google

Productio.

Auium, herbarum, animalium, arborum, animantium, quæque suis locis. V. G. *Auis* & sic deinceps.

Modus & tempus productionis aquarum infra & supra firmamentum. Vide *aquæ firmamenti.* D. 6. q. 3. d. 1. n. 52.

Prophetæ.

Theologia in Prophetis quoad aliquas conclusiones vere fuit scientia. Disp. 1. quæst. 2. d. 3. num. 9. Vide *Theologia.*

Quid per Verbum intelligendum, quod Deus ad Prophetas loquitur. D. 4. q. 4. d. 2. n. 10.

Propositio.

Per se nota quid. D. 2. q. 1. d. 2.

Nix est alba: & similes non sunt propositiones per se notæ. n. 14.

Neque illa, in quibus propria passio etiam immediata prædicatur de subiecto: Nec illa: *Motus est.* num. 3.

Illa tamen est talis: *Natura est: Terra est &c.* numero 13. 14.

Deus est: nota est per se secundum se. n. 8.

Non tamen per se nota nobis. n. 7.

Quæ sint propositiones per se notæ sensu quidditatiuo, quæ intuitiuo. n. 13, 14.

Propositio de inesse certa quænam sit. D. 1. q. 5. d. 4. num. 1.

In propositionibus de secundo adiacente subiecta concreta accipiuntur materialiter, non formaliter. D. 2. q. 1 d. 3 n. 3.

Propositiones in diuinis quæ valeant. Vide *attributorum diuinorum prædicationes. Prædicationes in diuinis.*

Ad propositionem veram in formali sensu quid requiratur. q. 2. d. 7. n. 5.

Propositiones de contingentibus futuris quando veræ vel falsæ in se respectu obiecti. quæst. 8. d. 6. num. 34.

Quando vere vel falsæ significando respectu cognoscentis. ib.

Propositiones variæ de Deo. Vide *Dei essentia* & vbi supra.

Propositiones reduplicatiuæ in diuinis, vel quæ habent vim reduplicatiuam, quatenus veræ, quatenus falsæ. Vide *Prædicationes in diuinis. Attributorum diuinorum prædicationes.* D. 2. q. 2. d. 7. n. 8. ad 11.

Propositiones varias reduplicatiuas. Vide ib. id est, *prædicationes in diuinis.*

Propositio fidei immediata conclusio Theologica quomodo esse possit. Disput. 1. quæst. 5. dub. 3. num. 5. 6.

Hypotheticarum propositionum quædam consequentiæ quando formales sint. Disp. 2. q. 8. d. 5. num. 31.

Propositio fidei & Theologica. Vide *Fides*, vbi plura.

Proprietates personarum.

Origines, & notiones quomodo distinguantur. D. 4 q. 3. d. 5. n. 17.

Proprietas personæ in quo differat à relatione, seu proprietate notionalium. n. 4.

Proprietatum personalium, relationum, notionum, originum comparatio. Vide *Comparatio* Et *Notio.* vbi plura.

Proprietates personarum sunt quatuor. n. 16. Vide plura, *Personæ diuinæ.*

Prouidentia.

Prouidentiæ, & τῦ *prouidere* duplex significatum. D. 3. q. 1. d. 1. n. 5.

Prouidentia in genere duo includit. n. 6.

Quomodo differat à gubernatione. n. 10.

Quomodo à dispositione. n. 11.

Quomodo à prædestinatione. q. 3. d. 2. n. 6.

Prouidentiæ definitio. n. 9.

Directe actus intellectus significat. n. 7.

Et quem & qualem. n. 9.

Reprobatio est pars obiectiua, & quasi integrans prouidentiæ. q. 7. d. 1. n. 5.

Prædestinatio qualis eius pars. q. 2. d. 3. n. 14.

Passio Christi quomodo effectus generalis prouidentiæ; Vide *Christus.* D. 3. q. 3. d. 1. n. 5.

Prouincia.

Prouinciis singulis singuli Angeli præsunt. Vide *Ministeria Ang.* D. 5. q. 6. d. 8. n. 26, 27.

Prouisio vniuersalis.

Non requisit impeditionem omnium defectuum, sed particularis. D. 3. q. 1 d. 3. n. 12.

Punctum indiuisibile.

Non est locus adæquatus Angeli, sed locus quantus. D. 5. q. 2. d. 1. n. 7.

Nec tamen repugnat ei esse in solo tali puncto ex parte ipsius. n. 12. Ratio. n. 13.

Puncta realia & physica, vt & superficies, lineæ, partes non sunt actu distincta in continuo. D. 2. q. 4. d. 2. n. 23. &c.

Angelus in solo puncto moueri potest motu continuo, contra Aristotelem. D. 5. q. 6. d. 6. n. 9.

Purgatio Angelica.

Illuminatio & perfectio synonyma sunt, & quid. D. 5. q. 4. d. 4. n. 8.

Pythagoræ.

Metempsychosis. D. 3. q. 4. d. 3. n. 6. Vide *Origenes.*

Pythagorici cum Platonicis & Stoicis, quos secuti plures hæretici materiã primam Deo coæternam falso asseruerunt. D. 6. q. 1. d. 3. n. 3.

Q.

Qualitas.

AN Angelus possit qualitatem, aut verum accidens producere, & cur non, nisi solum motum localem seu vbi, eiusque impetum. Vide *potentia productiua.* D. 5. q. 5. d. 4.

An per qualitatem aliquam, aut proprietatem sit in loco. Vide *Vbi Ang.* quæst. 2. dub. 3. numero 9.

Quantitas.

Extensiua & intensiua lucis productæ. I. Die. D. 6. q. 2. d. 3. n. 4.

Locus Angelorum quantus est, non punctum. D. 5. q. 2. d. 1. n. 7. Vide *Punctum.*

Digitized by Google

Quatuor coæua.

Quid, Error Alberti Magni & aliorum circa illa. D. 6. q. 2. d. 2. numero 19.

Quatuor anni temporum varietas vnde, Vide *opus IV. diei*, quæst. 4. d. 2. numero 5.

Quidditatiua cognitio.

An Angelus in ea falli possit, & cur non, Vide *modus Ang. cog. Cognitio Ang. obiectum Ang.* cog. &c.

Homines viatores non possunt habere nomen quod Deum quidditatiue significet, possunt beati. Vide *nomina diuin.* D. 2. q. 7. d. 4. num. 6.

Nec est, nec esse potest vlla species Dei propriè, qua Deus cognoscatur clarè, & quidditatiuè cognitione abstractiua, Disp. 2. q. 6. d. 2. numero 16. Vide *Dei visio, cogitatio.*

Videre quidditatiuè, vel per essentiam quid. Vide *visio*, d. 1. numero 3.

R.

Ratio naturalis.

Tum probabilis, tum euidens, locus est externus Theologiæ, D 1. q. 5. d. 1. numero 5.

Rationalis voluntas

Dei est, & ordinata, Disp. 2. quæst. 10. d. 5. num. 1.

Reduplicatiuæ propositiones,

Vel quæ vim talium habent in terminis diuinis quatenus veræ, quatenus falsæ. Vide *prædicationes in diuinis, propositio, termini, Attributorum diuinorum prædicationes*, D. 2. q. 2. d. 7. numero 8. ad 11.

Reduplicatiuas varias, vide ibid. & *prædicationes in diuinis, propositio.*

Regnis.

Singulis Angelus præest, D. 5. q. 6. d. 8. n. 26. 27.

Relatio

Vbi Angelicum, qualis relationis sit fundamentum, Vide *vbi*, D. 5. quæst. 2. d. 2. numero 8.

Creatio qualis, Disp. 6. quæst. 1. d. 1. numero 13.

Relationes diuinæ & attributa relatiua.

Relationum comparatio, Vide *comparatio.* Disp. 4. quæst. 3. d. 5. numero 20. 21.

Nulla datur relatio realis in Deo ad creaturas, D. 4. quæst. 3. d. 1. numero 3.

Sed tantum rationis, etsi creaturæ ad creatorem realis & prædicamentalis sit, Disput. 6. quæst. 1. d. 1. numero 13.

Dantur tamen relationes reales mutuæ inter ipsas personas diuinas, Disp. 4. q. 3. d. 1. numero 7.

Quæ etiam reales sunt secundum esse ad. n. 11.

Sunt autem tantum quatuor, numero 12.

Eæque substantiales, non accidentales, numero 13.

An spiratio actiua & paternitas sint dicendæ duæ relationes à parte rei, n. 13.

Relationis illæ non distinguuntur à parte rei ab essentia diuina, d. 2. numero 1.

Sed ratione, numero 8.

Et quidem ratiocinata, numero vndecimo.

Eaq; viatoris seu abstractè tantũ cognoscentis, n. 9.

Idque magis quam aliæ, quæ in diuinis ratione distinguuntur, numero 10.

Varia relationum diuinarum distinctio inter se, numero decimo quarto.

Item ad personas, numero 23.

Participia & verba notionalia non possunt absolutè prædicari de relationibus, possunt de personis, numero 26.

Attributa relatiua sunt de essentia Dei, dubio 3. numero quinto.

Relationes tamen personarum sunt extra essentiam, iuxta nostrum modum concipiendi, numero septimo.

Adeoque de se mutuo formaliter non prædicantur, ibidem.

Licet intrinsecè à parte rei essentia in relationibus includatur, numero nono.

Quid dicendum de relationibus, si in concreto considerentur, numero vndecimo.

Relationes personarum singulæ sunt perfectiones ratione distinctæ ab essentia, d. 4. numero 5.

Et quidem plures reales relatiuæ, & quomodo, numero sexto.

Et formaliter acceptæ infinitæ, & quomodo, numero septimo.

Non videntur tamen perfectiones simpliciter simplices, numero 8.

Omnia transcendentia, quomodo in plurali dici possint esse in diuinis, numero 9.

Probabilius est, esse quoque in diuinis plures existentias relatiuas, numero decimo.

Non tamen essentiæ vel quidditates etiam cum addito relatiuæ in Deo sunt asserendæ, numero decimo quinto.

Proprietas personæ quomodo differat à relatione seu proprietate notionalium, d. 5. n. 4.

Relationes diuinæ quomodo à creatis differant, quæst. 3. d. 6. numero 24.

Ratio formæ hypostaticæ quando includatur, & excludatur à ratione formali relationis, dub. 5. numero 38.

Personarum proprietates sunt quatuor, & quæ, numero decimo sexto.

Quid relatio non mutua, Disput. 2. quæst. 7. d. 2. numero septimo.

Quænam nomina in Deo relatiua secundum esse, quæ secundum dici, numero 6. Plura de relationibus, Vide *perfectio, bonum.*

Repletiuè.

Deus repletiuè est in loco, id est, totus in toto, & totus in qualibet parte, D. 2. q. 4. d. 3. n. 9.

Replet tamen creaturas seu loca metaphoricè, ibid. Vide *Dei immensitas.*

Reprobatio reprobus.

Reprobi qui, D. 3. q. 7. d. 1. numero 1.

Reprobationis & prædestinationis discrimen, numero secundo.

Reprobatio rationis Deo propriè ab æterno conuenit, numero 2.

Item actiua ad intellectum non voluntatem pertinens, numero 3.

Quid hæc, ibid. & numero 4.

Qualis pars prouidentiæ reprobatio, numero 5.

Eius diuisio, & partes eius, numero 6.

Digitized by Google

Qualis sit. num. 17.
Reprobatio duplex; positiua, & negatiua; & quid vtraque. n. 15. 21.
Negatiuæ actus reflex9 diuinæ voluntatis quis. n. 18.
Mala spectantia ad positiuam. n. 20.
Quomodo vtraque prædestinationi opponatur. ib.
Quatuor genera causarum reprobationis. ibid.
In quo signo quis censeatur simpliciter reiectus. numero 26.
Ratio finalis reprobationis quotuplex. n. 5. 9.
Quatuor actus ad reprobationem requisiti. d. 4 numero 2.
Totius reprobationis processus & ordo. n. 11.
Quomodo cum libero arbitrio congruat. n. 4.
An in nostra potestate. n. 9.
Effectus reprobationis. d. 2.
Est indiuisibilis. d. 5. n. 1.
Reprobis Deus non prædestinat incongruam gratiam. q. 5. d. 1. n. 38. & d. 5. n. 31.
Reprobatorum numerus certus. Vide *numerus*.
Salomon an reprobus. Vide *Salomon*.
Qua voluntate Deus tam reprobis, quam prædestinatis gloriam voluerit ante præuisionem meritorum. D. 3. q. 5. d. 4. n. 1.

Reptilia.

Quando creata, & cur inter opera V. & VI. diei numerari soleant. D. 6. q. 5. d. 1. n. 2. An quia aquatica V. terrestria VI. die producta. ib.

Res.

Inter res creatas proprie vna est ratio volendi aliam Deo, & quatenus. D. 2. q. 10. d. 5. n. 8. Vide plura *Dei voluntas*.
Res variis modis dicuntur æternæ tam à philosophis, quam à scriptura. q. 5. d. 2. n. 13.
Res eadem quomodo effectus, terminus, & subiectum simul prouidentiæ. Disp. 3. quæst. 1. d. 3. num. 13.
Res omnis denominatiue bona est bonitate diuina, formaliter autem bona similitudine quadam bonitatis diuinæ. D. 2. q. 3. d. 3. n. 8.
Res eadem in Deo per idem medium cognitum, & per medium non cognitum, an cognosci possit. q. 6. d. 9. n. 12.
Res & effectus naturales antecedente respectu nostræ libertatis præfiniuntur. quæst. 10. dub. 7. numero 25.
De eadem re quando contradictoria prædicari possint. q. 2. d. 2. n. 11.
Quatenus omnes res Deo in æternitate præsentes. q. 5. d. 2. n. 15. 17.
Res intrinsece supernaturales sunt etiam modi & accidentia quædam; & quomodo ea cognoscant Angeli. Vide *obiect. Ang. cog. resp. obiect. super.* D. 5. q. 3. d. 7. n. 45.
Rerum existentia est effectus prouidentiæ. D. 3. q. 1. d. 3. n. 13.
Mundus tam quoad res permanentes, quam successiuas cur non potuerit esse ab æterno. Vide *mundus*. D. 6. q. 1. d. 2. n. 8. ad fin.
Res creatæ in suo genere recte Deo similes dicuntur non contra. Vide *Similitudo*. D. 2. q. 3. d. 2. num 7.
An omnis res gesta spiritualem sensum habeat in Scriptura, Vide D. 1. q. 5. d. 2. n. 2.
In rebus naturalibus applicatione agentium naturalium quantum efficere possint Angeli. Disput. 5. quæst. 5. d. 4. numero 7.

Reuelatio

Nemo sine speciali Dei reuelatione certus esse potest de prædestinatione sua, Disput. 3. quæst. 6. d. 4. numero 1. &c.
Reuelationum B. Amadei authoritas quanta, D. 5. q. 1. d. 4. n. 3. & q. 6. d. 8. n. 6.
B. Brigittæ reuelatio de numero Angelorum. d. 6. numero 7.
Reuelatis quomodo credant hæretici, D. 1. q. 3. d. 2. n. 3. vide plura, *Theologia, Fides.*
In somno anima magis expeditur ad spiritualia obiecta & reuelationes percipiendas, D. 2. q. 6. d. 1. n. 11. vide *propositio.*

Sagarum translatio.

An & qua ratione vtriusque sexus striges transferantur à dæmone verè corporaliter ad nocturna conuenticula. D. 5. q. 5. d. 3. n. 2.
Fundamentum negatiuæ. n. 3. ad 8.
Affirmatiua vera, numero 9.
Explicatio Canonis in speciem contrarij è Nauarro pro affirmatiua, n. 10.
Nostra melior, n. 11. ad 18.
Reijcitur tam Nauarri, quam Burchardi explicatio Canonis, numero 18.
Quomodo sagæ noceant hominibus. Vide *dæmonum studia*, vbi plura.
Quomodo dæmones in assumptis corporibus cum illis possint negotiari, d. 5. n. 1.

Sagarum metamorphoses.

Angeli tam boni, quam mali non possunt homines conuertere in bestias; adeoque transmutationes sagarum apparentes sunt tantum, D. 5. quæst. 5. d. 4. numero 8.
Probatur ex S. Augustino, n. 9. Ratione. n. 10.
Quomodo fiant transmutationes strigum, num. 11. soluta obiectio, n. 12.
Possunt dæmones seu sponte sua, seu per sagas externo aliquo symbolo euocati, Deo permittente, tempestates excitare, &c. n. 13.
Probatur è Scriptura, n. 14. Ratione. n. 15. Soluta obiectio, n. 16.

Salomon

An reprobus. D. 3. quæst. 6. d. 4. numero 5.

Sancti

Qui, & quot Deum in hac vita viderint. Vide *visio Dei intuitiua*. D. 2. q. 6. d. 1. n. 12. 13.

Sanctificans gratia.

Eiusq; gradus prius prædefinita in prædestinatione, quam meritum, D. 3. q. 5. d. 6 n. 30.
Quomodo Angelus & Adamus in eadem creati. Vide *gratia, hominis conditio*, &c. *meritum*, vbi plura.

Sapientia.

Eius triplex acceptio. D. 1. q. 2. d. 5. n. 1. 2.

Quo-

Quomodo à scientia differat secundum S. Augustinum, numero 3.
Sapientiæ octo conditiones, ibid.
Theologia simpliciter loquendo rectè dicitur sapientia, Disput. 1. quæst. 2. d. 5. numero 3. & quomodo, vide *Theologia*.

Saturni & Iouis stipatores.

Non præiudicant cælorum soliditati, Vide *Phænomena*. Disput. 6. quæst. 3. d. 3. §. 7. numero 90. ad fin.

Scholæ publicæ Theologicæ.

Alexandriæ Anno Christi 180. & alibi. D. 1. q. 1. d. 1. numero septimo.

Scholastica Theologia.

Vide *Theologia*, Disp. 1. quæst. 1. dubio 2.

Scientia.

Hominis in statu innocentiæ quæ, & quotuplex. D. 6. q. 5. d. 2. numero 1. 2.
An posteri Adami in scientia perfecti fuissent, numero vndecimo.
Scientia est etiam singularium, & quomodo. D. 1. q. 2. d. 3. numero 5.
Quid requiratur ad scientiam, numero 5. & 2. seqq.
Scientia latius sumpta complectitur Theologiam in quocunque subiecto, d. 3. n. 10. 11.
Scientiarum subalternatio, d. 4. numero primo.
Quadruplex scientiarum subalternatio, ibid.
Quæ scientiæ subalternatæ secundum quid, quæ simpliciter, ibid.
Conditiones requisitæ ad scientiarum subalternationem, numero 2.
An Theologia scientia subalternata respectu vllius scientiæ propriè & philosophicè, & cur non. ib.
Ne quidem secundum quid, numero 3.
Theologia etiamsi esset scientia propriè, non tamen esset simpliciter subalternata, numero 2.
Theologia quatenus scientia, quatenus non, dub. 3. numero quinto, ad 12. Vide *Theologia*, vbi plura.
Scientiæ humanæ quomodo ab intellectu distinguantur, q. 3. d. 2. numero 5.
Scientiæ non requirunt aliam causalitatem formalem *sub qua* ab ea *propter quam* vel *Quæ*. d. 3. numero nono.
Scientia quando sit practica, quando speculativa. q. 4. d. 3. numero 4.
Requisita ad scientiam practicam, numero 1. 2.
Scientiæ naturales certiores sunt Theologia opinativa, d. 4. numero 8.
Secundum quid certiores certitudine subiecti seu adhæsionis, quam Theologia simpliciter dicta, numero 6.
Theologiæ certitudo respectu aliarum scientiarum, dubio quarto.
Dignitas eiusdem super omnes alias scientias & artes dubio quinto.
Scientiarum & habituũ dignitas vnde sumẽda, n. 2.
Necessitas scientiæ vel artis inferioris ad superiorem non obest superioris dignitati, numero 11.
Scientia quomodo differat à sapientia, secundum S. Augustinum, numero 3.
Quandonam obiectum cognitum est principium *Quo* cognitionis, D. 4. q. 4. d. 3. numero 25.
Theologia in Christo, Prophetis, Apostolis &c. & nobis, an sit verè scientia, vel non. Vide *Theologia* D. 1. q. 2. d. 3. n. 5. ad 12. vbi plura.

Scientia infusa.

Non potest creari substantia cui per se sit connaturalis scientia infusa intuitiua mysteriorum gratiæ, per accidens aliunde, Disputat. 2. quæst. 6. d. 2. numero 6.
Quomodo supernaturalia per illam intelligant Angeli, vide *obiectum Ang. cog. resp. obiect. supernat.* D. 5. q. 3. d. 7. numero 9. & 2. seqq.

Scotus.

Malè negat Angelos, & id genus entia natura sua, perpetua, rectè dici necessaria, D. 5. quæst. 1. d. 3. numero 35.
Malè item ait, Deum ab Angelis naturaliter cognosci, per aliquam diuinæ essentiæ speciem creatam, q. 3. d. 3. numero 12.
Quæ Scoti formalis, quæ modalis distinctio, D. 2. quæst. 2. d. 2. numero 1.
Scoti sententia circa figuram loci Angelicam, D. 5. q. 2. d. 1. numero 16.

Scriptores Canonici S. Scripturæ.

Non intellexerunt semper omnem sensum à Spiritu sancto intentum in ijs, quæ scribebant, Disp. 1. quæst. 5. d. 2. numero 9.
Potuerunt ignorare verum sensum Scripturæ aliquoties à Spiritu sancto intentum, quam citant, n. 3. maximè antiquioris scripturæ, n. 5.
Est tamen, cum hoc fit, sensus Scripturæ verus sensus, non accommodatitius, numero 5.
Sensu accommodatitio an in nouo Testamento vsi scriptores canonici, n. 4. & 2. seqq.

Scriptura Sacra.

Quare vna cum Sanctis Patribus prædestinationem subinde per actum voluntatis explicet, D. 3. quæst. 2. d. 2. numero 17. 18. 20.
Vbi olim S. scripturæ publicæ scholæ, Disput. 1. q. 1. dub. 1. numero 7.
Quomodo intelligenda Scriptura, cum Deum videri posse negat, D. 2. q. 6. d. 1. numero 6. 7.
Lectores illius in Ecclesijs quando constituti, ibid.
Dignitate & auctoritate superat Ecclesiam, Disp. 1. quæst. 4. d. 5. numero 8.
Et Concilia generalia, ibidem.
Scriptura absolutè non est vnicus Theologiæ locus proprius, q. 5. d. 1. numero 6.
De Scriptura sunt aliquo modo omnia, quæ ad fidem pertinent, ibid.
Scriptura non ad profana quæque accommodanda, d. 2. numero 6.
Scripturæ varij sensus, d. 2. per totum. Vide *Scripturæ sensus*.
Scripturæ proprium, vti rebus ad significandũ, n. 1.
Metaphoris vtitur tribus de causis, numero 2.
In Scriptura vetus Lex est figura nouæ, ibid.
Noua Lex est figura status gloriæ, ibid.
Æternæ res varijs modis dicũtur tã à Scriptura, quã Philosophis, D. 2. q. 5. d. 2. n. 13. sed nõ ppriè, n. 15.

Digitized by Google

Scripturæ sensus.

Varij, Disp. 1. quæst. 5. d. 2. per totum.
Accommodatitius quis, Disp. 1. quæst. 5. d. 2. numero 4. & 2. seqq.
An in nouo Testamento eo usi Scriptores canonici, ibidem.
Antiquioris Scripturæ sensus tantum accommodatitius subinde, nusquam est in Scriptura, n. 5.
Exempla & res non faciunt sensum accommodatitium, sed aliquid tertium, n. 6.
Accommodatitius sensus ad argumenta nihil valet, numero decimo.
Scriptor Canonicus ignorans verum sensum intentum à Spiritu sancto antiquioris Scripturæ, verum nihilominus sensum habet, non accommodatitium, numero 5.
Quilibet Scripturæ locus habet literalem sensum, numero septimo.
Eumque non falsum, cum ex mente sua asserit, ibid.
Idem locus Scripturæ plures sensus litterales subinde habet, ibid.
Quomodo colligendum quis sit sensus litteralis à Spiritu S. intentus, cum plures sunt, n. 9.
Sensus litteralis firmissimum argumentum præstat, numero decimo.
Parabolicus ad litteralem refertur, n 1. 2.
Item spiritualis & mysticus, cum de eo constat, numero decimo.
Alias per se à toto genere parum valet, ibid.
Mystico sensu quam aptè vtantur Lutherani, contra quam doceant, n. 10. Vide *Fides.*
An omnis res gesta spiritualem sensum habeat, numero secundo.
Quæ differentia sensus Scripturæ vel significatiuè, vel recitatiuè scripti, numero octauo. Cætera vide *Scriptores canonici.*

Secundæ causæ

Quomodo se habeant ad contingentiam, vide causæ secundæ, D. 2. q. 10. d. 6. n. 4.
Quomodo à prima determinentur. Vide *prædeterminatio, præfinitiones diuinæ.*

Semipelagianorum

Error. D. 4 quæst. 1. d. 1. numero 12.

Sensus externi

Quatenus à dæmone ijs illudi possit, quatenus non, Disp. 5. quæst. 5. dub. 6. numero 2. & seqq. vide *potestas Angelorum.*

Seraphim, Throni

Cur hæc nomina non tribuantur malis angelis, D. 5. q. 6. d. 3. n. 25.
Seraphim an & cur ante Cherubim ponantur, D. 5. quæst. 1. d. 5. numero 7.

Siccitas

Cum virore & fœcunditate terræ quando elaborata, & cur III. die. D. 6. q. 2. d. 2. n. 12.
Cur Moyses v. 1. Terram prius à Deo creatam, postea rursus dicat, *& vocauit aridam terram,* q. 4. d. 1. numero 6. 7.

Signum

Signorum ordo in diuina voluntate secundum rationem distinguitur, in quibus hoc prius, illud quasi posterius voluisse videtur, Disp. 2. quæst. 10. d. 5. numero 4.
Angeli in eodem signo sunt electi cum hominibus, D. 3. q. 5. d. 9. numero 5.
Signa prædestinationis quæ & quotuplicia. q. 6. d. 4. numero duodecimo.
Signa reprobationis positiuæ, q. 7. d. 1. numero 20.
In eo ipso signo, quo quis quomodolibet reiectus est à gratia congrua, absolutè & simpliciter reiectus est, numero 26.

Similitudo.

Hominis cum SS. Trinitate vnde colligatur, D. 6. q. 5. d. 1. numero 12.
Etsi omnes homines ad imaginem Dei facti, quomodo tamen ad similitudinem soli iusti, numero 14. Vide *hominis conditio.*
Similitudo obiectiua, seu per modum medij cogniti, ad videdum Deum nec per absolutam Dei potentiam possibilis est, D. 2. q. 6. d. 2. n 2.
Quadruplex similitudo creata, de qua quæri potest, per quam Deus videatur, n. 1.
Res formaliter similitudine quadam diuinæ bonitatis quomodo bonæ. d. 3. n. 8.

Simonis Magi

Error. Disp. 2. quæst. 8. d. 11. numero 1.

Simplicis intelligentiæ scientia.

Vide *Scientia simplicis intelligentiæ.* Disp. 2. quæst. 11. d. 10. numero 6.

Simplicitas Dei.

Quæ perfectissima, D. 2. q. 2. d. 3. numero 9.
Perfectissimæ non aduersatur compositio rationis, ibid. Vide *vnitas.*
Simplicitatem attributorum substantia diuina habet à propria subsistentia, D. 4. q. 1. d. 6. n. 11.
Errores circa simplicitatem Dei variorum, & Philosophorum priscorum, D. 2. q 3. d. 1. n. 2. Vide *Dei simplicitas,* vbi plura, *Philosophus.*

Singularia.

Quomodo cognoscant Angeli, vide *obiectum ang. cog. nat. resp. rer. mater.* D. 5. q 3. d. 4.
Singularium an & quomodo scientia, Disp. 1. q. 3. d. 3. numero 5.

Sol

Ecclypsatus tempore SS. passionis probat cælorum motum. D. 6. q. 4. d. 3. numero 4.
Sol & Luna cur luminaria magna dicantur, d. 2. numero nono.
Solaris anni & Lunaris periodus vnde desumpta. Vide *opus IV. diei.*
Lux cur non proprietas Solis. D. 6. q. 4 d. 2. n. 5.

Soliditas cælestis substantiæ.

Soliditas cælorum II. die elaborata. Disputatione 6. quæst. 2. dubio 2. numero 12. & quæst. 3. dubio 2.
Non est proprietas naturalis substantiæ cælestis, causæ variæ, quæstione 3. dubio 2. numero 48. & 2. seqq.
An cælum sit solidum vel liquidum, vide *opus II. diei.* Firmamenti soliditas. d. 1.

Digitized by Google

Soliditati cælorum cur non obstent noua phænomena, Vide *phænomena*, d. 3. per totum.

Somnus.

In somno anima magis expeditur ad spiritualia obiecta, & reuelationes percipiendas, D. 2. quæst. 6. d. 1. numero 11.

Spatium & spatia imaginaria.

Hæc non dantur, Disp. 2. quæst. 4. d. 4. num. 1.
Deus propriè non est in talibus, ibid.
An sit in locis vacuis, ibidem.
An in vacuitate, ibid.
Est tamen quæstio hæc ferè de nomine, Vide *Dei immensitas*, prope fin.
Angeli, si extra mundum, non possunt dici esse in spatio, benè tamen creatura aliqua corporalis, D. 2. quæst. 4. d. 4. numero 10.

Status innocentiæ.

Potuisset Deus durante statu innocentiæ ad eum gloriæ gradum, ad quem nunc deducitur prædestinatus, post lapsum Adami deducere, Disp. 3. quæst. 5. d. 5. numero 70.
De scientia primi hominis, & posteriorum, & alijs dotibus animi & corporis, Vide *hominis conditio*, Disp. 6. q. 5. d. 2.

Species.

Speciebus singulis perfectis substantiarum corruptibilium ex probabili præsunt singuli Angeli. D. 5. q. 6. d. 8. numero 25.
Nulla species possibilis, qua Deus cognoscatur quidditatiuè & abstractiuè, d. 2. q. 6. D. 2. n. 16.
Visibiles species videri possunt, Disput. 2. quæst. 6. d. 9. numero 10.
Reipsa videtur Deus à beatis per speciem expressam, D. 2. q. 6. d. 2. numero 7. 8.
Non per impressam; sed Deus per seipsum sufficit, numer. 9. imo nec videri per speciem impressam potest, numero 12.
Deus malè dicitur specierum vices supplere in visione, numero 11.
Si rem quampiam, vt instrumentum, Deus ad visionem assumeret, id non connaturale foret, nec species, sed arbitrarium, numero 15.
Nulla quidditatiua Dei cognitio per speciem expressam possibilis, numero 17.
Species rerum quando vna perfectior altera, q. 11. d. 4. numero 4.
An diuersæ eiusdem subinde excellentiæ & perfectionis, n. 5. Vide *visio*, *visio Dei intuitiua*.

Species Angelicæ intelligibiles.

Sunt Angelis congenitæ, D. 3. q. 3. d. 4. numero 5.
Idque omnium rerum naturalium, numero 7.
Non distinctæ sed eædem ad essentiam & existentiam &c. cognoscendam, n. 8.
Numero finitæ, imo vna, infinita successiuè repræsentare possunt, n. 10. & 11. & quomodo n. 12.
Rerum præteritarum quales, numero 14. & seqq.
Purè possibilium nullæ, numero 21.
Quibus speciebus Angeli obiecta sua, & qualia cognoscant, Vide *medium Ang. cog.*

Speculatiuum.

Speculatiuus habitus vnde sumatur, D. 1. q. 4. d. 3. numero 4. in quo consistat, numero 1. 2.
Speculatiuum & practicum non sunt essentiales differentiæ habituum, ibid.
Speculatiua cognitio eadem non potest fieri successiuè practica, numero 5.
Speculatiua cognitio supernaturalis in Angelis post peccatum diminuta, D. 5. q. 6. d. 5. n. 2. 3.
Speculatiua quando sit scientia, quando practica, D. 1. q. 4. d. 3. numero 4.
Theologia quando speculatiua, quando practica, D. 1. quæst. 4. dubio 3.

Spes.

Spei adminicula in nostra sententia de prædestinatione non præuisis meritis facta, vnde sumantur, D. 3. q. 5. d. 5. numero 57.
Quatuor causæ spei, subsidia, d. 3. anchora. q. 7. d. 2. numero 20. 25.

Spirare, & *spirantes* in diuinis.

Pater & Filius licet vnum sint principium Spiritus sancti, rectè tamen dicuntur duo spirantes, D. 4. quæst. 4. d. 6. numero 2.
Pro quo supponat, D. 4. quæst. 4. d. 7. numero 1. Vide *Pater*, *Filius*, *Spiritus sanctus*.
Spiratio actiua & paternitas an sint dicendæ duæ relationes à parte rei, D. 4. q. 3. d. 1. numero 13.
Processio alia in diuinis secundum voluntatem rectè dicitur spiratio, q. 2. d. 8. numero 4.
Spirator pro quo supponat in diuinis, Disp. 4. q. 4. d. 7. numero primo.
Inter Deum, & spiratorem quod discrimen, n. 18.

Spiritus sanctus.

Nomen Spiritus sancti duobus modis vsurpatur, D. 4. q. 1. d. 3. numero 21.
Verè est Deus & persona diuina. ibid.
Cur non dicatur propriè imago, q. 4. d. 2. n. 27.
Varia nomina & appellationes Spiritus sancti & earum significatio, d. 4.
Quomodo Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio ac per Filium, d. 5.
PP. Græci aliqui cur negarint Spiritum sanctum procedere ex Filio, numero 23.
An Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet, d. 6.
In quibus distinguatur à Filio & Patre Spiritus sanctus, numero 10.
Quomodo spiretur, & ex quarum rerum amore procedat Spiritus sanctus, d. 7.
Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, numero 2.
Licet rectè dicantur duo spirantes, ibidem.
Vide *nomina Spiritus sancti*.

Status vniuersi

An immutari queat ab Angelo, D. 5. q. 5. d. 6. n. 1. Vide *potestas Angeli*.

Stellæ nouæ

Non officiunt soliditati cælorum, vt nec cometæ. Disput. 6. quæst. 3. d. 3. §. 4. numero 35. ad 63. Vide *phænomena*.

Stipatores Iouis & Saturni.

Non obstant cælorum soliditati, D. 6. quæst. 3. d. 3. §. 7. numero 90. ad fin.

Stoicorum

Error. D. 2. q. 8. d. 11. numero 1.

Digitized by Google

Stoici cum Pythagoricis & Platonicis materiam Deo coæternam falso asseruerunt, quos secuti plures hæretici. D. 6. q. 1. d. 3. n. 3.

Stramen.

Non potest facere dæmon, vt ab igne non comburatur, nisi extrinsece, & quomodo. Disp. 5. q. 5. dub. 6. n. 11. ad fin.

Striges

Per se & dæmones quomodo nocere possint hominibus. vide *Saga.*

Subalternatio

Scientiarum.

Et subalternatæ scientiæ. vide *Scientia. Theologia.*

Subiectum.

Inhæsionis quid; quid attributionis. Disp. 1. q. 3. dub. 1. n. 1.

An differat ab obiecto. ibid. vide plura, *obiectum habituum.* vbi ex instituto.

Subiectum prouidentiæ quid. Disp. 3. quæst. 1. dub. 3. numero 10.

Subordinatio

Et prælatio dæmonum qualis, & quomodo in eorum natura fundetur. Disp. 5. quæst. 6. d. 7. numero 3. 4.

Subreptio,

Et indeliberatio per inaduertentiam non habet locum in angelo naturaliter. Disp. 5. quæst. 4. dub. 1. numero 25.

Subsistens.

Subsistentibus proprie cõuenit creatio, seu composita, seu simplicia sint, & cur. Disp. 6. q. 1. dub. 1. numero 6. Soluta obiectio. numero 7. vide *Creatio.*

Subsistentia diuina.

Quid. disp. 4. quæst. 1. dub. 1.

Eius officium. dub. 6. n. 10. 11.

Quando perfectio simpliciter simplex, quando non. n. 12.

In Deo non sunt tres relatiuæ subsistentiæ. n. 6.

Nec vna communis & absoluta. n. 8.

Simplicitatem attributorum Deus habet à propria subsistentia n. 11. vide plura, *Persona diuina & subsistentia, Nomina diuina.*

Substantia.

Substantias corporeas quomodo moueant Angeli. D. 5. q. 5. d. 2. n. 2. 3.

Substantiæ triplex consideratio. Disp. 4. quæst. 1. dub. 1. num. 8.

Dupliciter ibidem accipitur. n. 13.

An Angelus habeat vim producendi substantiam, vel qualitatem. vide *Potentia productiua.* Disp. 5. quæst. 5. d. 4.

Non potest creari substantia, cui per se sit connaturalis scientia infusa mysteriorum gratiæ. D. 2. q. 6. d. 3. n. 6. vide *Creatura.*

Singulis speciebus substãtiarum corruptibilium, ex probabili, singuli custodes Angeli præsunt. D. 5. q. 6. d. 8. n. 25.

Substantialis compositio

Quadruplex. Disp. 2. quæst. 3. dub. 1. n. 1.

Substantia

diuina

Non potest esse in alio re distincto; habet autem simplicitatem attributorum à propria subsistentia. D. 4. q. 1. d. 6. n. 11.

Successiua Entia

Mundus quoad talia cur non potuerit esse ab æterno. vide *Mundus.* D. 6. q. 1. d. 2. n. 8. ad fin.

Superbia.

Angelorum.

In specie qualis fuerit. vide *Peccati Angelici qualitas.* D. 5. q. 6. d. 4. ad 28.

Superficies.

Non sunt actu in continuo; vt nec puncta, lineæ, vel partes. D. 2. q. 4. d. 2. n. 23.

Quid de his senserint prisci philosophi. vide *philosophus.* D. 1. q. 4. d. 2. n. 26.

Sydera.

Vide, *Opus IV. diei.* Vbi habes omnia, ad hanc materiam spectantia.

Symbolum

Sagarum.

Quo dæmones citant ad ciendas tempestates. Vide *Sagarum Metamorphoses.* D. 5. q. 3. d. 4. n. 13. ad fin.

Synodus

Constantinopolitana II.

Dicta V. Generalis, Origenis errorem de animatis cœlis seu astris damnauit. D. 6. q. 2. d. 5. n. 15.

Synopsis.

Totius Opificij sex dierum ad textum scripturæ Gen. 1. accommodata. D. 6. in fin. à n. 1. ad 20.

Totius prædestinationis, & progressus. D. 3. q. 7. in fin.

Totius Reprobationis. d. 4. n. 11.

T

Tempestas.

Quatenus dæmones per se, aut striges tempestates excitare valeant. D. 5. q. 5. d. 4. n. 13. & 3. seqq.

Tempus.

Ordo & tempus productionis mundi. D. 6. q. 1. d. 4. per totum.

Tempus & motus cur non potuerint esse ab æterno. vide *mundus* D. 6. q. 1. d. 2. n. 8. ad fin.

Motus Angeli tam continuus, quam discretus an fieri possit in instanti, vel tantum in tempore. vide *Motus Ang. velocitas.* Disputat. 5. q. 2. d. 8.

Creator & creans an de Deo dicatur etiam ab æterno. Disputatio. 2. quæstio. 7. d. 2. numero. 5. 6.

Tempus Angelicum, & rerum corporearũ initio mundi simul cœpit, & quatenus. D. 6. q. 1. d. 4. n. 21. 22.

Quatuor anni temporum varietas vnde. vide *Opus IV. diei.* q. 4 d. 2. n. 5. n. 16. vide plura, *Duratio Dei. AEternitas.*

Digitized by Google

Nomina quæ de Deo dicuntur ex tempore, & quæ ab æterno substantialiter, vide *Substantialiter*. D. 2. q. 7, d. 1. n. 6. & seqq.
Missio diuinarum personarum est temporalis, nō æterna. D. 4. q. 4. d. 9. n. 20.

Tentatio Dæmonum

Qui tentent, & quot modis, quam inæqualiter, & cur, & quatenus omnium tentationum auctores. Hæc & plura, vide *Dæmonum studia*.

Tepiditas.

Quomodo Deus prędefiniēs bona opera electorū, ralia, vel talia, non prædefiniat tepiditatem nostram. D. 3. q. 5. d. 5. n. 53.

Terminus,

Termini.

Terminus motus Angelici quis. D. 5. q. 6. d. 6. n. 15. ad 18. Qui negent. n. 21.
Cur non in omni motu terminus positiuus acquitatur & amittatur. num. 19. 20. Qui affirment, num. 21.
Termini prouidentiæ diuinæ. Disp. 3. quæst. 1. d. 3. n. 10.
Quod est terminus illius prouidentiæ circa subiectum aliquod, non necesse est, vt sit etiam secundum substantiam, adeoq; existentiam. ib.
Necesse tamen semper secundum accidens aliquod. n. 11.
In terminis diuinis abstracta de abstractis quomodo prædicentur vide *attributorum diuin. prædicationes. Abstracta.*
Reduplicatiuæ in ijsdem quatenus veræ, quatenus falsæ. D. 2. q. 2. d. 7. n. 8. ad 11. vide ib. & *Reduplicatiua*. vide *visio Dei intuitiua.*

Terra,

Et cœlum non fuerunt creata eodem instanti cum luce, sed tempore antecedente. D. 6. q. 2. d. 1. n. 19. vide *Opus I. diei. Cœlum & terra.*
Terrestria reptilia quando producta. D. 6. q. 5. d. 1. n. 2.
Quid illa verba. *In principio creauit Deus cœlum & terram* significent, & quam varie explicentur. D. 6. quæst. 2. dub. 2. num. 3. 4. vide ibi *Cœlum & terra.*
Error quorundam circa terræ motum, & non cœlorum, & à quo damnatus. num. 19. vide *Cœlorum motus & Motor.*
Cur Moyses v. 1. terram antea à Deo creatam postea rursus dicat: *Et vocauit aridam terram*. q. 4. d. 1. num. 6. 7.
Terræ germinatio cur tertio die facta, vide *Opus III. diei.* n. 1.
Terræ siccitas, viror, fœcunditas eodem die elaborata. q. 2. d. 2 n. 12.
Arbores quando, & quomodo produxerit. q. 4. d 1. n. 10.
Plantas & herbas etiam noxias hominibus. n. 8. & 2. seqq.

Testamentum.

Nouum, & vetus.

Antiquioris scripturæ sensus tantum accommodatitius, nusquam est in tota scriptura. D. 1. q. 5. d. 2. n. 5.
An in nouo testamento eo vsi Scriptores Canonici n. 4. & 2. seqq.
In scriptura vetus lex est figura nouæ. n. 2.
Noua vero lex figura status gloriæ. ib. vide *Scriptura sensus. Scriptores Canonici.*

Theologia

Scholasticæ necessitas & vtilitas. Disp. 1. quæst. 1. d. 2.
Proprietas. n 2.
Quid sit. d. 1. n. 4.
Cur eam carpant hæretici. d. 2. n. 4. 5.
Theologiæ necessitas quoad ea, quæ naturali ratione cognosci possunt. d. 3.
Theologia est habitus adhæsiuus & argumentatiuus. q. 2. d. 1.
Theologiæ fines tres præcipui n. 2. 3.
Eius munus præcipuum. n. 4. &. d. 3. n. 2.
Theologiæ habitus non est idem cum fide infusa. d. 2. n. 3.
Neq; habitus opinatiuus, aut fidei humanæ. n. 5.
Nisi subinde in hæreticis, & nonnullis Theologis Orthodoxis. n. 6. 7.
Theologia quadruplex ratione subiecti. n. 3.
Theologia vt est in nobis, non est proprie & Aristotelico loquendi modo, scientia. n. 5.
Neque vt in Deo, vel Angelis. n. 7.
Abstracte in se considerata est obiectiue, non formaliter scientia. n. 6.
Vt in Christo tamen & proprie, & Philosophico loquendi modo est scientia. n. 7.
Item vt in B. V. Apostolis, Prophetis quoad aliquas conclusiones. n. 9.
Imo Theologice & latiore scientiæ significatione, est etiam scientia in Deo & Angelis, non solū in hominibus. n. 10.
Theologici habitus hæreticorum analogici sunt, ad vere Theologicos. n. 8.
Theologia respectu nullius scientiæ est proprie, & Philosophicè scientia subalternata. dub. 4 numero. 2.
Ne quidem secundum quid. n. 3.
Theologia etiamsi esset scientia proprie, non tamen esset simpliciter subalternata. n. 2.
Theologia simpliciter loquendo recte dicitur sapientia. d. 5. n. 3.
Etiam in abstracta & formali ratione sapientiæ num. 4.
Non tamen adæquatę, & secundum omnes conditiones ab Aristotele requisitas. ib.
Quid Theologiæ nomine significetur. quæst. 1. d. 1. num. 3.
Theologia quoad substantiam in Ecclesia simpliciter est necessaria. n. 5. 6. &c.
Etiam ad securitatem fidei retinendam, & ad eius perfectionem plenam, ac vitæ humanæ directionem. n. 8.
Etiam singulis fidelibus mediate saltem. n. 9. 10.
Theologiæ communitatis obiectum quod. q. 3. d. 1. numerō 3.
Theologię totius obiectum attributionis adæquatum est Deus. n. 7.

Digitized by Google

Quodnam Theologiæ obiectum formale *Quo*, seu ratio formalis obiectiua *Quæ*. d. 2.
Quid Theologicus assensus, principium, argumentatio. n. 15. & q. 5. d. 1. n. 2.
Theologiæ nulla est ratio formalis *sub qua* præter eam *propter quam*, siue *Quæ*. q. 3. d. 3.
Habitus Theologiæ licet medius inter gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, ad hanc tamen magis spectat. q. 4. d. 1. numero 5.
Habitus veræ Theologiæ est supernaturalis quoad substantiam. n. 2.
Infusus ex suo genere. n. 3. 4.
Secundum modum tamen naturalis & acquisitus. n. 5.
Theologiæ autem opinatiuæ habitus, & quoad substantiam, & quoad modum naturalis est & acquisitus. n. 6.
Studium, quo Theologiæ habitus acquiritur, non efficienter, sed dispositiue intelligendum est. n. 5.
Theologiæ Attributa. q. 4.
Theologia quando speculatiua, quando practica. d. 3.
Theologiæ certitudo respectu aliarum scientiarum. d. 4.
Theologiæ dignitas super omnes alias scientias & artes. d. 5.
Theologici loci. q. 5. d. 1.
Generatim triplices, & qui. n. 2.
In specie viginti. n. 3.
Theologica conclusio, vt talis, non potest esse principium Theologicum, aut propositio fidei. d. 3. per totum.
Quomodo tamen esse possit. numero 5. & 2. seqq.
Theologica propositio ex vna reuelata, & altera de inesse habet certitudinem obiectiuam fidei. d. 4. n. 3.
Vt talis à nobis credatur certitudine fidei, quid requiratur. n. 4. & 2. seqq.
Theologia dignior est Intellectu, seu habitu primorum principiorum quæst. 4. dub. 5. numero 5.
Theologia habet maximas etiam & dignitates. q. 5. d. 1. n. 8.
In Theologis hæreticis & nonnullis Orthodoxis Theologiæ habitus quando opinatiuus, aut fidei humanæ. q. 2. d. 2. n. 6. 7.
Theologia opinatiua incertior est scientijs naturalibus. d. 4. n. 8.
Secundum quid scientiæ naturales certiores sunt certitudine subiecti seu adhæsionis, quam Theologia simpliciter dicta. n. 6.
Locus proprius Theologiæ est historia Ecclesiastica. q. 5. d. 1. n. 5.
Profana locus externus. ib.
Vt & Ratio naturalis tum probabilis tum euidens. ib.
Non omnis fidelis est Doctor & Pastor Ecclesiæ. q. 1. d. 1. n. 5.
Doctorum qualibet ætate viuentium secundum se est infallibilis auctoritas. quæstion. 5. d. 1. numero 9.
Scholasticorum quanta. numero 10.
Doctrina sacra quid sit apud S. Thomam. qu. 1. dub. 1. numero. 1.
Sacra & reuelata est necessaria non solum Ecclesiæ, sed omnibus & singulis hominibus. ib.
Theologia iudicat particularia Concilia. D. 1. q. 4. d. 5. n. 10.
Scientia late sumpta complectitur Theologiam in quocunque subiecto. q. 2. d. 3. n. 10. 11.

S. Thomas De Aquino.

Eius methodus. D. 1. q. 1. d. 1. n. 1.
Eius Laus. D 1. q. 1. d. 2. n. 3.
Eo vtuntur Concilia. ib.
Cum S. Augustino & veteribus Theologis quid senserit de prædestinatione non præuisis meritis. D. 3. q. 5. d. 3.

Throni,

Cur hoc nomen malis angelis non tribuatur. D. 5. q. 6. d. 3. n. 25.

Traditiones.

Credendæ. D. 1. q. 5. d. 1. n. 6.

Translatio Sagarum corporalis.

Vide *Saga*, vbi ex instituto. D. 5. q. 5. d. 3.

Transmutationes Sagarum.

Apparentes tantum, non veræ. vide ex instituto, *Sagarum Metamorphoses*. Disputat. 5. q. 5. d. 4.

Transcendentia.

Omnia in plurali quando dici possint esse in diuinis. D. 4. q. 3. d 4. n. 9.
Attributa Dei transcendentalia quæ. quæstio. 2. d. 1. n. 6.

Trinitarij.

Et errores circa SS. Trinitatem fusè. D. 4. q. 1. d. 3. n. 1. 2. &c.

SS. Trinitas.

Quid significet. Disputat. 4. quæstion. 1. d. 1. n. 3.
Quare non potest dici; *Deus est triplex*. ib.
Nec; *Natura Dei est Trinitas trina*. ib.
An aliquando hoc Mysterium à nobis cognosci possit, an etiam naturali ratione & euidenter. d. 2.
Argumenta congrua ad illud suadendum. numero 10. 11.
Quid dicendum de Trismegisto & Platone, qui illud videntur agnouisse. n. 14.
Trinitarij & errores circa SS. Trinitatem fusè. d. 3. n. 1. 2. &c.
In SS. Trinitate Personæ diuinæ tres, & quæ. d. 3. per totum.
Personæ hæ à seipsis mutuo reipsa & realiter distinguuntur. n. 41.
Quid Deo Dualitas, Trinitas, Pluralitas addat. numero 42.

Digitized by Google

SS. Trinitatis mysterium argumenta oppugnantia soluuntur. d. 4.
Amoris nomen quomodo comune SS. Trinitati toti. q. 4. d. 4. n. 5.
Trinitati Personarum creare commune est secundum essentiam reduplicatiue, specificatiue etiam singulis quoad propriam personalitatem. D. 6. q. 1. d. 2. n. 1.
Hominis similitudo cum SS. Trinitate vnde colligatur. q. 5. d. 1. n. 12.
Hoc mysterium quomodo Angeli cognouerint, & an etiam per scientiam infusam, cum alijs mysterijs fidei. vide *Obiectum Ang. Cog. resp. obiect. supernat.* D. 5. q. 3. d. 7. vbi fuse.

Trismegistus.

An cum Platone mysterium SS. Trinitatis agnouerit. D. 4. q. 1. d. 1. n. 14.

Tristitia.

Non cadit in Angelos ex malo successu custodiæ. D. 5. q. 6. d. 8. n. 24.

Tritheita.

Errores eorum. D. 2. q. 5. d. 3. n. 4.

Tritbemius.

Explicatur cum Caietano de Angelis. D. 5. q. 1. d. 2. n. 22. ad fin.

Tycho Brahe.

Eius obseruationes expensæ. D. 6. q. 3. d. 3. §. 6. n. 80. ad 90.
Quomodo ille censuerit alienas. dub. 3. num. 13. ad 24.
Cœlum naturæ liquidæ cum recentioribus quibusdam astronomis facit. q. 2. d. 4. n. 21. 22. Rationes eius. ib. solutæ. n. 44.
Idem Cœlos proprię cuiusdam ac quintæ essentiæ recte ponit. n. 28.

V.

Vacuum.

Quid. D. 2. q. 4. d. 4. n. 11.
Quomodo differat à vacuitate. n. 12.
An Deus sit in vacuis spatijs & locis, & etiam intrailla, si quæ dentur. n. 10.
An etiam in vacuitate. n. 12.
Est tamen quæstio fere de nomine. ib. vide *Dei Immensitas.*

Valentinus
Gentilis

Quis, eius hæreses & errores. Disput. 2. q. 5. d. 3. n. 8.

Valentinianorum

Error circa existentiam Angelicam. D. 5. q. 1. d. 1. n. 13.

Variæ
Regulæ.

Prædicationum. Disputat. 4. quæst. 1. dub. 7. per totum.

Vbi Angelicum.

Angelus existens in loco habet etiam intrinsecum vbi, substantiam eius immediate afficiens, & ex natura rei ab eo distinctum. Disput. 5. q. 2. d. 2. n. 1. 2. Ratio. n. 4. Qui negent. n. 3. Refelluntur. num. 5.
Estque hoc vbi modus quidam accidentalis ad prædicamentum Vbi spectans. n. 6.
Independens à loco, neque ad illum adeo transcendentalem respectum habens, sed ad spatium, vel quasi spatium, in quo Angelus constituitur. numero 7.
Idem vbi est immediatum fundamentum Relationis realis præsentiæ, vel distantiæ eiusdem Angeli à locis seu corporibus, à quibus per suam substantiam indistans vel distans est Angelus. n. 8.
Idem modus præsentiæ etsi sit spiritualis, eoque indiuisibilis ex parte subiecti, in ordine tamen ad locum est aliquo modo diuisibilis, & constans ex partibus entitatiuis è quibus quasi integratur, atque per locum extensum quasi continuatur & coextenditur sine vlla Angeli coextensione. n. 10. & seqq.
Angelus existens in hoc vniuerso, necessario est in loco etiam extrinseco & corporeo. n. 17.
Nec vero vspiam vllo modo potest existere sine suo vbi. n. 19.
An Angelus, qui diuina voluntate extra vniuersum hunc mundum se constituere potest, etiam sua natura possit. n. 18.
Per quidnam Angelus, seu anima rationalis sit in loco proprie & immediate, septem sunt sententiæ. dub. 3. numero secundo. & 6. seqq.
Angelus non est in loco per aliquam qualitatem vel proprietatem præter aut supra naturam ipsi seu corpori in quo est, à Deo communicatam. n. 9.
Nec etiam per solam operationem transeuntem, aut applicationem virtutis ad operandum. numero 10.
Nec proprie & formaliter per modum absoluti à modo præsentiæ Angeli in loco distinctum, quo Angelus corpori alicui coniungatur, quique idem maneat, etsi varietur distantia Angeli à fixis mundi partibus. n. 11.
Causa & ratio formalis existentiæ localis in Angelo est eius vbi. n. 13.
Quasi materialis vero & subiectiua est ipsamet entitas & substantialis perfectio. n. 17.
Causa efficiens principalis vel est Deus, dum Angelum creat in loco tali, vel ipse Angelus se hoc aut illo loco constituens. n. 18.
Secundaria per modum applicantis est voluntas Angeli.
Per modum exequentis est ipsa potentia motiua Angeli. ibid.
Finalis aut est quies in loco, aut operatio aliqua transiens. ib.
Iudicium de septem sententijs supra citatis. n. 18. & 3. seqq.
Non possunt plures Angeli habere idem numero vbi intrinsecum, seu eodem, seu diuersis locis. d. 5. n. 1.
Possunt tamen plures naturaliter simul esse in eodem loco extrinseco inadæquato, per immediatam præsentiam, seu indistantiam substantiæ suæ. n. 4.
Sed etsi per operationem tantum essent in loco

Digitized by Google

tam per eandem, quam per diuersas operationes naturaliter esse possent in eodem loco. n. 5.
Sed & absolute verius, plures esse posse in eodem loco adæquato. n. 6.
Idque naturaliter reipsa. n. 7.
Angeli si extra mundum, non possunt dici esse in spatio, bene tamen creatura aliqua corporalis. Disp. 2. quæst. 4. dub. 4. n. 10. vide plura *Locus Angelicus.*

Vbiquitas Dei.

Quot modis actualis vbiquitas alicui conuenire possit. D. 2. q 4. d. 3. n. 13.
Quomodo creatura naturaliter esse possit vbique. ibidem.
Quomodo supernaturaliter pura creatura de facto nulla est vbique. ib.
Angelus non potest esse vbique. D. 5. q. 2. d. 1. n. 12. 13. vide *Dei immensitas.* vbi ex instituto.

Venus,
Mars, Mercurius,

Non officiunt cœlorum soliditati. D. 6. q. 3. d. 3. §. 6. n. 73. ad 78. vide *Phænomena.*

Verbum

Verba Notionalia & participia non possunt absolute prædicari de relationibus, possunt de personis. D. 4. q. 3. d. 2. n. 26.
Verbum tripliciter dicitur. D. 4. q. 4. d. 2. n. 4.
Quid per verbum intelligendum, quod Deus ad Prophetas loquitur & alios. n. 10.
Verba actionem significantia de Notionibus aut personarum proprietatibus prædicari non possunt. q. 3. d. 5. n. 18. quæ tamen liceant prædicationes tales. n. 20.

Verbum
Diuinum.

Vide *Filius Dei. Pater. Nomina Filij.*
Verbum est ratio cognoscendi creaturas in ipso verbo obiectiue, non formaliter. D. 2. q. 6. d. 9. n. 5. vide plura *Dei visio. Dei incomprehensibilitas. Processiones person. diuin.*

Veritas

Triplex. Disp. 2. quæst. 8. dub. 1. num. 19.
Veracitas quid. ibid.
Ad voluntatem spectat. numero 11.
Veritas an & quomodo in Deo. d. 1.
Triplex veritas Dei scientiæ conuenit. numero 6. & 3. seqq.
Qualis veritatis manifestatio requiratur ad illuminationem Angelicam, & quomodo fiat. D. 5. quæst. 4. dub. 4. num. 12. ad 22. vide *Illuminatio angelica.*

Via Angelorum,
& meritum.

Angeli boni vere promeriti sunt beatitudinem. Disp. 5. q. 6. d. 2. n. 1.
Via Angelorum tam bonorum quam malorum non fuit valde diuturna. n. 2.
Eadem æqualis fuit in vtrisque, hinc in eodem instanti bonorum gloria, malorum supplicium cœpit. n. 3.
Quot autem & quibus actibus boni gloriam, mali pœnam meruerint, octo sunt sententiæ numero 4. ad 11.
Vltima verior est ista.
Angeli in gratia creati, in primo instanti meruerunt gloriam, & in secundo boni eandem adepti sunt, mali peccarunt, & in tertio damnati viam clauserunt. n. 11.
Instans angelicum quid hic. ib.
Citius quam intra spatium vnius diei naturalis ruina diaboli, & bonorum gloria obtigit. n. 21.
Status vtrorumque modo in his tribus consistit:
I. Naturalia manserunt integra. II. Nil merentur. III. In beatitudine essentiali & pœna proficere nequeunt, sed accidentali tantum, idque ad diem iudicij, non vltra. n. 22.

Via Malorum
& peccatum.

Nullus angelorum natura sua malus. Disp. 5. q. 6. d. 3. n. 2.
Quilibet natura sua sic peccare potuit. n. 3.
Quidam reipsa peccarunt, & iure damnati. n. 5.
Non tamen in primo instanti suæ creationis. n. 6.
Sed secundo. n. 7.
Etsi in primo peccare potuerint, & qui negent. n. 8. Qui affirment. n. 9.
Probabilius est, Luciferum malorum caput omnium supremum fuisse. n. 16. Qui negent. n. 17.
Inferiores à supremo exemplo & suasione inducti ad peccandum. n. 18.
Probatur è scriptura. n. 19. SS. PP. n. 20. Ratione. numero 21.
Verisimilius est, omnes simul peccasse, qui peccarunt. n. 22.
Etsi peccantium numerus incertus, perseuerantium tamen certo maior. n. 23.
Probabilius, è quouis ordine aliqui cecidere. numero 24.
Nomina Seraphim & Thronorum cur malis angelis non tribuantur. n. 25.

Viator.

Viatores nullum habent nomen, nec habere possunt, quod Deum quidditatiue significet, licet Deus etiam impediat. q. 7. d. 4. n. 6.
Beati possunt habere. ibid.
Viatores angeli qualia mysteria supernaturalia, & quomodo cognouerint. D. 5. q. 3. d. 7. n. 8.
Angelus viator præter superbiam plura peccata commisit, & qualia, etsi omnia inde nata. q. 6. d. 4. n. 26.

Vincentij Galli.

Error. Disp. 4. quæst. 1. dub. 1. numero 12.

Virtus.

Nulla virtus est in Deo sub ratione habitus. Disp. 2. q. 10. d. 2. n. 17.
Virtutes cardinales in Deo quænam. n. 13.

Virtus

An Angelus per applicationem virtutis in loco. D. 5. q. 2. d. 3. n. 10. vide *vbi Ang.*

Visibilis.

Deum esse visibilem tripliciter intelligi potest. D. 2. q. 10. d. 2. n. 17.

Digitized by Google

Visio

Quid sit visio intellectus, quid corporis. d. 2. q. 6. d. 1. n. 2.
In neutra excluditur species. n. 3.
Cur intuitiua dicta vtraque. ib.
Quid videre quidditatiue, vel per essentiam. ib.

Visio Dei

Intuitiua.

Cur ad intra persona sola agat, visionem tamen sola terminare non possit. disp. 2. quæst. 6. d. 6. num. 6, 7.
Visio Dei intuitiua duobus modis intelligi potest. d. 8. n. 15. & d. 9. n. 1.
In hac vita de via ordinaria Deum nemo videre potest intuitiue, nec de facto vidisse quenquam probabilius est. d. 1. n. 12. 13.
Extraordinariâ potest. n. 11.
An per visionem beatam cognoscantur creaturæ in proprio genere, & quomodo. d. 8. n. 14.
Quando cognitio intuitiua aliud medium visionis, quam propriam speciem admittat. n. 16.
Diuersitas visionis oritur non ex generica ratione illius, sed indiuiduali. n. 21.
Quomodo intelligenda Scriptura, cum negat Deum posse videri. d. 1. n. 6. 7.
Angelus beatus perfectiori licet intellectu, pari tamen lumine gloriæ cum homine, non clarius videt Deum, quam intellectus hominis. quæst. 5. d. 1. n. 4.
Beatorum intellectus videt Deum. q. 6. d. 1. n. 4.
Et quidem intuitiue. n. 2.
Idem quomodo producat visionem Dei. d. 4. n. 2.
Beati non æqualiter Deum intuentur. q. 8. dub. 5. numero 1.
Quod de Angelis incertum est. n. 3.
Beati quid videant in Deo. quæst. 6. d. 7. num. 2. & 2. seqq.
Beati Deum reipsa vident per speciem expressam. d. 2. n. 7. 8.
Non per impressam. num. 9. sed Deus per seipsum sufficit. ib.
Quomodo beati creaturas videant in Deo, d. 9. n. 2. vide *Dei visio*.
Quid ad id requiratur. n. 13.
Cur plures paucioresue creaturæ à quibusdam videantur in Deo. n. 14. 15.
Quomodo videant peccata beati. n. 11.
Qui Sancti Deum in hac vita viderint. dub. 1. num. 12. 13.
Visio Dei necessario requirit lumen gloriæ. dub. 3. num. 7.
Nec sufficit lumé naturale intellectus, nec quodcunque aliud Dei auxilium extrinsecum, vel negatiuum. ib.
De potentia Dei absoluta potest elici visio sine habitu luminis gloriæ. q. 8. d. 4. n. 8.
Et quomodo n 11.
Per quamlibet etiam rem vt instrumentum decretam à Deo. n. 13.
An corporeus oculus per potentiam Dei absolutam ad Dei visionem eleuari possit, & cur implicet. q. 6. d. 1. n. 7. cur possit intellectus creatus. n. 1.
Siue etiam ponamus Deum alterius ordinis oculum creare, cuius obiectum sit immateriale. n. 9.
An foret visio beatifica, si videretur essentia Dei sine personis. d. 7. n. 6.
Visionis varij modi. d. 8. n. 1.
Beatorum appetitus tum naturalis, tum elicitus respectu visionis beatificæ perfecte satiatur. q. 8. d. 5. n. 12.
Beati præter essentiam diuinam absolutasque perfectiones vident etiam relatiuas, & quicquid formaliter non est in Deo. quæst. 6. dub. 7. numero 2.
Non tamen ideo vident infinitas formaliter perfectiones existentes in Deo. n. 3.
Imo improbabile est, etiam per Dei potentiã, vt attributum vnum sine reliquis cognoscant. numero 4.
Beati decreta quædam diuina, & actus liberos in Deo quomodo videant. d. 8. n. 12.
Requiritur tamen ad hæc Dei voluntas ea manifestandi. n. 9.
Beati Deum intuitiue reipsa cognoscunt. dub. 1. numero 4.
Possunt etiam beati in cœlis multa materialiter cognoscere in terris. d. 9. n. 10.
Beati quomodo preces nostras audiant. & quando. n. 7. 8.
Videntur creaturæ in Deo secundum esse increatum quod habent, à beatis. d. 8. n. 1.
Item causaliter, item concomitanter ex vi ipsius visionis verbi, & quomodo. n. 2.
Et concomitanter quidem ita tam secundum actualem existentiam, quam secundum esse possibile. n. 3.
Item secundum esse possibile videri possunt & reipsa videntur in verbo ex vi ipsius visionis verbi, tum tamen abstractiue, eminentialiter, sine imperfectione. n. 16.
Imo à beatis etiam secundum actualem existentiam, & quænam. n. 10.
Verbum est ratio cognoscendi beatis creaturas in ipso verbo obiectiue, non formaliter. dub. 9. numero 5.
Beati cum in Deo, vt idea, & causa, cognoscunt creaturas, cognoscunt quidem per medium, non tamen per speciem. n. 9.
Possunt tamen etiam quasi per species, vel per medium, Deo speciei quasi munus obeunte videre. num. 10.
Videntur tamen creaturæ in Deo, non vt est ratio speciei, vel medij, nisi secundario, sed primario, vt excedens obiectum est. numero 11.
Quomodo eadem res in Deo per idem medium cognitum, & non cognitum cognosci possit. num. 12.
Quæ creaturæ in verbo videantur à Beatis, & quomodo. d 10.
An successiue. n. 4.
An per absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri possit Deus, non visa vlla creatura. d. 11.
Vel etiam omnia quæ in Deo sunt, eminenter. num. 12.

Digitized by Google

Deum esse visibilem tripliciter intelligi potest. d. 1. n. 7.
Quadruplex similitudo creata, de qua quæri potest, per quam Deus videatur. d. 2. n. 1.
Similitudo obiectiua, seu per modum medij cogniti ad videndum Deum nec per absolutam Dei potentiam possibilis est. n. 2.
Si rem quampiam vt instrumentū Deus ad visionem assumeret, id non connaturale foret, nec species, sed arbitrarium. n. 15.
Quomodo *Deus* abstractiua cognitione possit cognosci. n. 18.
Impossibile est per vires naturæ, *Deum* ab intellectu creato intuitiue videri. d. 3. n. 2.
Quomodo DEI cognitio naturalis intellectui creato. n. 4.
Impossibile est, vllam dari posse naturam, cui secundum se lumen gloriæ, seu visio Dei sit connaturalis. ib.
Non modo vt principali agenti, sed etiam vt causæ instrumentariæ. n. 6.
Possunt tamen hæc esse connaturalia intellectui creato, tanquam principio actum elicienti, non tanquam subiecto, in quo recipitur. ib.
Non potest creari substantia, cui per se sit connaturalis scientia infusa intuitiua mysteriorū gratiæ. ib.
Lumen gloriæ quare non augeatur in cœlo. n. 18.
Intellectus beati vere & physice producit visionē Dei. q. 8. d. 4. n. 3.
Neque tantum sustentando lumen gloriæ. n. 4.
Sed per virtutem natiuam & partialem efficacitatem, non solum per virtutem obedientialem. n. 5.
Ad quid conferatur lumen gloriæ. n. 6. & seqq.
Lumen gloriæ non est instrumentum intellectus, nec intellectus luminis gloriæ. d. 4. n. 6.
Diuersitas visionis in beatis non se tenet ex parte obiecti primarij per se visi, sed ex parte visiōis etiam circa primarium obiectum. d. 5. n. 3.
Estque accidentalis, posita maiore vel minore visionis intensione, non essentialis, seu specifica. n. 4.
Imo specifica non potest esse per absolutam Dei potentiam. n. 5.

Vnguentum.

Vnguento à Dæmone accepto striges suo arbitratu vti possunt, nisi Deus specialiter impediat. *D.* 5. q. 6. d. 7. n. 17. 18.

Vnio
Hypostatica.

An à *Dæmone* inordinate appetita. D. 5. q. 6. d. 4. n. 11. 13. vide *Peccati Ang. Qualitas.*

Vnitas Dei.

Quomodo Deus vnus numero, idq; negatiue, non positiue; & quomodo intelligendū. D. 2. quæst. 5. d. 3. n. 9. 10. vide *Dei Vnitas* vbi ex instituto.
Quomodo de ijs, quæ pertinent ad vnitatem vel pluralitatem in Deo, loquendum *D.* 4. q. 1. d. 7. numero 8. &c.
Vnitas transcendentalis quomodo in DEO; & quomodo nihilominus omnia transcendentia pluraliter dici possint de Deo. q. 3. d. 4. n. 9.

Vniuersum.

Ex proportione ad vniuersum numerus prædestinatorum prædefinitus est, & qua limitatione. *D.* 3. q. 6. d. 2. n. 5. & 2. seqq.
Angelus existens in hoc vniuerso, proprie est in loco extrinseco, & non tantum improprie, locum late accipiendo, & quomodo. D. 5. q. 2. d. 1. n. 8. Ratio. n. 9.
An ordinem vniuersi immutare queant Angeli. q. 5. d. 6. n. 1. vide *Potestas Ang.*
An Angelus qui secundum Dei legem, extra vniuersum hunc mundum se constituere potest, etiā sua natura possit. q. 2. d. 2. n. 18.
Angeli si extra mundum, non possunt dici esse in spatio; bene tamen creatura aliqua corporalis. D. 2. q. 4. d. 4. n. 10. vide *Mundus.*

Vnum.

Quotuplex. *D.* 2. q. 5. d. 3. n. 1, 2.
Quid vnicum. ib.
Quomodo vnum quod commune est per se, vel per aggregationem sit passio Entis. n. 2.
Vnius transcendentalis diuisio in tria membra. n. 3.
Vnius particularis duplex diuisio. ib.
Reliquas vnius diuisiones & subdiuisiones vide ib.
Quid vnum numero proprie. n. 10.
Quod ex multis vnis maxime vnum. n. 11.
Quando vnum suscipiat magis & minus. ib.
Pluralitas quando impediat & non impediat vnitatem. vide *Vnitas.* n. 12.
Vnitas & pluralitas in quo differant, & quid hæc illi addat. D. 4. q. 1. d. 3. n. 4. 42.

Volitio
Dei.

Libera formaliter quid, & quid superaddat essentiæ diuinæ. D. 2. q. 10. d. 4. n. 8.
Bonitas quæ est ratio volendi Deo creaturas, non est tamen finis volitionis Dei, sed creaturarū. d. 5. n. 2.
Etiam mere possibilium. ib. vide *Dei voluntas.*

Voluntarium.

Quot modis dicatur. *Disputat.* 4. quæst. 2. d. 6. numero 5.

Voluntas.

Voluntas executiua hypothetica ad futuram determinationem nostram non impedit libertatem. D. 2. q. 10. d. 8. n. 3.
Voluntatis actus & multiplices diuisiones. Disputat. secunda quæstion. 10. dub. 2. numero 1.
In quo & quibus actibus voluntatis consistat prædestinatio. Vide *Prædestinatio* vbi fuse.
Quare scriptura & PP. prædestinationem subinde per actum voluntatis explicent. Disputatio. 3. quæstion. 2. dub. 2. numero 17. 18. 20. vide *Arbitrium liberum. Libertas.*

Digitized by Google

Voluntas Angelica

Est omnino in Angelis naturalis potentia voluntatis, seu appetitus intellectiuus cum actu volitionis proportionato. D. 5.q.4.d.1.n.3.

Quæ à substantia, & inter se à parte rei differunt, vt intellectus & intellectio. ib.

In Angelis non est appetitus sensitiuus. n.4.5.

Adeoque nec proprie appetitus concupiscibilis & irascibilis. ib.

Sed improprie, & quomodo. n.6.

In angelis est liberum arbitrium. n.7.

Voluntas Angeli specie & essentialiter differt ab humana, vt & intellectus ab eodem. n.8. Ratio. n.9. Soluta obiectio. ib.

Voluntas Angeli non potest sua natura ab omni prorsus actu cessare, sed necessario est in aliquo actu secundo. n.10. Ratio. n.11.

Angelus naturali quodam amore amicitiæ naturaliter diligit tum semetipsum, tum alium angelum, & Deum. n.12.13.& 2.seqq.

Et hunc magis, quam se. ib. & 16.

Angeli naturali amore necessario quoad specificationem amant tum se, tum Deum secundum se, aliumque angelum secundum suam naturā spectatum. n.17. Ratio. n.18.

Angelus amore amicitiæ seu beneuolentiæ necessario amat seipsum quoad exercitium. n.19.

Deum secundum se angeli non amant necessario quoad exercitium. n.22.23.

Aut alium Angelum secūdum suam naturā. n.24.

Aut vllam omnino rem aliam naturalem à se distinctam. ib.

In Angelis naturaliter non habent locum actus voluntatis subreptitij, & per inaduertentiam indeliberati. n.25.

In Angelis secundum suam naturam spectatis possunt esse habitus naturales voluntatis tum boni, tum mali. n.26.27.

Etsi in bonis reipsa nulli esse videntur. n.28.

Post peccatum qualis voluntas angeli. vide *obstinatio dæmonum.* vbi ex instituto q.6.d.5.

Et vtrum saltem, aliquod mere naturale morale bonum potuerint operari. ib. n.17. ad fin.

Voluntatem alterius Angeli quomodo alter mouere possit. d.4.n.25.

In Angelis custodibus proprie, & secundum absolutam voluntatem nequit esse discordia, sed tantum secundum affectum simplicem, & voluntatem conditionatam. q.6.d.8.n.28.

Angelus quomodo seipsum libera voluntate determinet ad intelligēda noua, quomodo à Deo, vide *Modus Ang. Cog.* q.3.d.8.n.18.19.

Angeli quilibet possunt naturaliter mutare suam sententiam ac voluntatem, & quomodo ac quando. D.5.q.4.d.2.n.2.

Vt & diuinitus dæmones possunt pœnitere post peccatum. n.3.

An etiam naturaliter? Affirmat S. Thomas. n.4.

Verius est, angeli voluntatem non esse natura sua ita inflexilem, quin id quod semel plena libertate elegit, aut voluit, mutata voluntate possit nolle, adeoque pœnitere. n.5.

Probatur auctoritate SS.PP. n.6.7. Retione. n.9.

Angeli tamen voluntas semel ad malum libere determinata nonnisi difficulter admodum sua natura in bonum flecti potest. n.10.

Perfectum beatitudinis statum ex sola natura Angelus habere non potest. n.14.

Voluntas dæmonum post peccatum ita obstinata est, vt perpetuo oderint Deum. q.6.d.5.n.4.5. vid. *Obstinatio dæmonum.*

Voluntas Dei. *Vid.* Dei voluntas.

Voluntas Finis.

Quando voluntas in Finem, & media feratur. D.3.q.5.d.2.n.10. & d.4.n.41.

Non omnis voluntas efficax finis includit essentialiter media. n.37.

Finis appeti potest sine mediorum actuali cognitione, non media absque finis respectu. d.2.n.40. & d.4.n.41.

Quando voluntas præmij possit esse gratuita. d.4. numero 69.

Duplex quædam differentia voluntatis male constituitur. d.6.n.33.

Non proprie dicitur, voluntatem ad hæc vel illa opera per se & formaliter prædestinari, & quare. n.34.

Vsia.

Quid sit. Disp.4.quæst.1.dub.1.n.7.

Wicleffi

Errores. Disp.2.q.8.d.11.n.1. & q.11.d.4.n.1. Et D.3.q.6.d.4.n.1.

FINIS.

Ad maiorem DEI gloriam,

Atque

Gloriosissimæ Virginis MARIÆ.

Digitized by Google

Errata, Lector, sic corrige.

COlumna 15. versu 13. à fin. lege *gerete*. 36. §. 4. v. 1. *Angelorum*. 37. §. 2. v. 3. *beatificum*. 58. §. 3. v. 13. *obiectiua*. 75. §. 3. v. 3. *vllum*. 82. §. 5. v. 3. *quosdam*. 86. §. 3. v. 12. à fine. *diuina*. 87. §. 2. v. 10. *eadem*. 88. §. 2. v. 19. *resutatione*. 88. §. 3. v. vlt. *distinctus*. 88. §. 4. v. 15. *sententia*. 90. §. 3. v. 16. *habitibus*. 92. v. 2. à fin. *Henricum*. 93. § 2 v. 2. *proposito*. 93. v. 3. à f. *innitentis*. 112. v. 22. à fin. *nullum*. 133. §. 1. v. 4. dele, *si*. 134. §. 2. v. 6. *Theologia*. 134. §. 4. v. 5. *credendi*. 145. §. 2. v. 13. à f. *se ipsum*. 147. §. 2. v. 3. *tendit*. 157. §. 2. v. 5. *speculatricem*. 167. v. 3. à f. *propositionem*. 169. §. 3. v. 17. *æstimare seculum*. 173. §. 5. v. 5. *moralis*. 174. §. 5. v. 9. dele, *si* 194. v. 3. *indistincta*. 201. §. 4. v. 1. *sequelam*. 210. v. 2 à f. *quidem*. 221. §. 5. v. vlt. *misericordia*. 225. §. 2. v. 7. *Thaletem*. 233. §. 2. v. 1. *probat*. 254 §. 6. v. 6. à fin. *Guilielmus*. 256. §. 3. v. 7. *at*. 261. §. 2. v. 6. à fin. *aliquid*. 282. §. 3. v. 2. à f. *extiturum*. 285 §. 3. v. 10. à fin. *compositio*. 303. §. 1. v. 2. *transcendentalem*. 309. §. 3. v. 5. *non admittunt*. 312. §. 5. v. 4. leg. *Tertullianus lib. 4. cont. Marcion: cap. 22. Origenes. lib. 2. periarchon*. 318. §. 4 v. 4. *aliq;* 327. §. 3. v. 12. *obiecti*. 340. §. 3. v. 6. à f. dele, *æqui*. 361. §. 4. v. 3. *Goffredus*. 401. §. 1. v. 1. dele, *sed sub eadem ratione*. 401. §. 2. v. 10. *imperfectionem*. 408. §. 3. v. 1. *Respondet*. 416. §. 5. v. 8. à f. *tetragrammaton*. 449. §. 2. v. 10. *referenda*. 453. §. 1 v. 12. *Eusebium*. 455. §. 1. v. 10. *stimulatus*, 463. §. 2. v. 4. *mille tantum*, adde, *aut non mille tantum*. 468. §. 2. v. 15. *prælte*, L. *certo*. 482. §. 2. *put*, L. *et*. 487. § 2. v. 2. & 3. *explicabimus*. 490. §. 2. v. 8. *Thoma*. 500. §. 1. v 2. à f. *oppositum*. 503. v. vlt. *philosophica*. 525. §. 2. v. 8. à f. *tradit*. 526. §. 3. v. 4. à f. *absolute*. 539. in tit. v. 2 *voluntas*. 562. §. 4. v. 14. *exercituum*. 564. §. 5. v. 2. *prælegit*. 568. §. 2. v. 9. à f. *vt*. & §. 3. v. 10. *eam etiam ob causam*. 569. §. 1. v. 6. à f. *posterior*. 575. §. 1. v. 9. *vero*. 615. §. 1. v. 4. *ergo*. 717. §. 3. v. 14. *præparatio*. ibid. v. 15. *præparato*. 723. §. 2. v. 7. à f. *sanctus*. 725. §. 1. v. 4. *genus ad*. 764. §. 1. v 3. *opus*. & v. 9. à f. *quem*. 773. § 4. v. 3. *vllus*. 777 §. 1. v. 1. *sinus*. 784. § 1. v. 1. *eum*. 800. § 11. v. 6 *secutus*. 811. §. 2. v. 1. *ex ea*. 813. §. 2. v. 7. *præscientiam*. 817. §. 2. v. 25. *tentabant*, adde, *ire*. 819. §. 4 v. 7. *ad filium*. 824. §. 4. v. 5. *tutum*. ibid. *Vasquio*, adde. *&*. 846. §. 4. v. 8. *quibuscum*. 885. §. 3. v. 8. *neruosum*. 887. §. 1. v. 9. *electos*. 923. §. 2. v. 14. à f. *quoquo*. 972. §. 2 v. 4. *duo*. 973. §. 2 v. 6. *velint*. 999. §. 3. v. 5. *se*. 1000. §. 1. v. 8. à f. *actus* 1027. §. 5. v. 5. *autem*. 1058. §. 1. v. 1. *dona*. 1069. §. 2. v. 12. à f. *adstipulari*. 1079. §. 1. v. 8. *naturarum*. 1105. §. 3 v. 1. *tamen*. 1113. v. vlt. quia. 1144. §. 2. v. penult. *sit & dicatur*. 1151. §. 2. v. 14 *vera processio*. 1172. §. 2. v. 1. *secunda pars*. 1184. num. 2. v. 2. *non esse*. 1193. § 3. v. 6. *vt in*. 1248. §. 2. v 5. *quo filio*. 1249. v. 5. *ex versione*. 1251. §. 3. v. 1. *Ablabium*. Ibid. §. 5. v. 12. *Deus de Deo*. 1264. §. 7. v. 3. *rectè dixeris*. 1283. §. 2. v. 7. *sive bonitate*. 1340. §. 4. v. 4. à fin. *vt &*. 1542. §. 6. v. 2. *peregit*. 1578. §. 3. v. 6. *aduersarius*. 1636. §. 2. v. 17. *deos*. 1637. §. 2. v. 21. *vt dicit*. 1651. §. 3. v. 8. *continguntse*. 1652 §. 1. v. 9. *lucis &*. 1655. §. 4. v. 16. *Cleone*. 1662. v. 1. *quisi*. 1666. §. 3. v. 5. *aliquanto*. 1669. §. 6. v. 11. *vocauitq;* 1675. §. 3 v. 1. *non desunt*. 1680. § 1. v. 7. *milliarium*. 1683. §. 2. v. vlt. *dub. seq*. 1688. §. 2. v. vlt. *du. seq*. 1689. §. 3. v 4. q. 2. *du*. 6. 1699. v. 6. *patet du*. 1. 1701. v. 2. *Scholastica*. 1705. §. 3. v. 19. *ostendet*. 1705. §. 4. v. 1. *Sed &*. 1735. §. 3. v. 2. *supradictam*. 1736 §. 3. v. 13. *dele culmum*. 1746. §. 3. v. 8. *dictum dub*. 1. 1749. v. 4. vix. 1751. v. penult. *hypomochlio*. 1752. v. 6 *concentum*. 1758. §. 3. v. 4. *probabilissimum*.

Errata alia leuiora, speciatim paucula illa, quæ in numeris columnarum acciderunt à col. 586. & rursum à col. 1070. prudens lector facile per se corriget.



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google